**Informazioni su questo libro**

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

**Linee guide per l'utilizzo**

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

**Informazioni su Google Ricerca Libri**

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BE 793/3

Digitized by Google

Digitized by Google

BE 793/3

Digitized by Google

Digitized by Google

# BIBLIOTHECA
## SCRIPTORUM
## MEDIOLANENSIUM.
### TOMUS SECUNDUS.

BIBLIOTHECA S. J. Les Fontaines 60 - CHANTILLY

Digitized by Google

Digitized by Google

# PHILIPPI ARGELATI
## BONONIENSIS
# BIBLIOTHECA
## SCRIPTORUM MEDIOLANENSIUM,
SEU
# ACTA, ET ELOGIA
VIRORUM OMNIGENA ERUDITIONE ILLUSTRIUM,
QUI IN METROPOLI INSUBRIÆ, OPPIDISQUE
CIRCUMJACENTIBUS ORTI SUNT;

*ADDITIS*

LITERARIIS MONUMENTIS POST EORUMDEM OBITUM RELICTIS,
AUT AB ALIIS MEMORIÆ TRADITIS.

*PRÆMITTITUR*

CLARISSIMI VIRI JOSEPHI ANTONII SAXII

*Collegii SS. Ambroſii, & Caroli Oblati, necnon Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecti*

HISTORIA LITERARIO-TYPOGRAPHICA MEDIOLANENSIS
AB ANNO MCDLXV. AD ANNUM MD. NUNC PRIMUM EDITA;
UNA CUM INDICIBUS NECESSARIIS LOCUPLETISSIMIS.

## TOMUS SECUNDUS.



MEDIOLANI, MDCCXLV.
IN ÆDIBUS PALATINIS.
*SUPERIORUM PERMISSU.*

BIBLIOTHÈQUE S.J.
60 CHANTILLY

Digitized by Google

DOM. S. ALOYS. JERSEIENS. S.J.

Digitized by Google

# L

## CMXXXIII.

## LAFFORIUS SIMON.

EN vobis, Lectores Optimi, ſecundam Bibliothecæ Mediolanenſis partem, in qua non minoris eruditionis, & famæ Viros dabimus, multoſque hactenus Litterariæ Reipublicæ ignotos proferemus in medium. Inter Mediolanenſes igitur Canonicos Lateranenſes omnibus prorſus incognitos, & quod mirum eſt etiam ſui Ordinis Auctoribus incompertos (Roſinus enim in Lyceo Lateranenſi de ipſo ne verbum quidem habet) Simonem Lafforium hic commendabimus, qui in tenebris adhuc lateret, niſi humaniſſimus Vir JC. Franciſcus Onuphrius Cotta mihi perhumaniter communicaſſet partem alteram Muſæi Novarienſis Cl. Jo. Auguſtini ejus Patris, in qua Auctor iſte memoratur. Optandum interea eſſet laborem præclari Scriptoris ad illius, & Novarienſium gloriam in lucem edi. Sed ad Lafforium redeamus, qui in Pago Caſtelletti ad Ticinum amnem in Ducatu Mediolanenſi natus eſt; & perfectioris vitæ deſiderio ductus Canonicam Regularem vitam in Monaſterio Sanctæ Mariæ Creſcentiaci non longè ab hac Urbe amplexus fuit. Tantæ integritatis laude floruit, ut Contribules ſui nullum alium meliorem exiſtimaverint, cui Statuta Patriæ compilanda demandarent. Poſcentibus ergo Conſulibus, & Oppidanorum præcipuis, anno reparatæ Salutis MCCCXL.

Scripſit:

I. Statuta Caſtelletti ſupra Ticinum.
Ea Manuſcripta in Pergameno ſervari in publico Caſtelletti Tabulario indicat idem Cotta in Adden. ad Muſ. Novar. pag. 147. MS. apud Auctoris filium, ubi etiam Lafforium à Joſepho Ariſta commendari teſtatur.

## CMXXXIV.

## LAMPUGNANA RHAUDENSIS CORNELIA.

FŒminis litteratis, quæ meam Bibliothecam illuſtrant, hanc quoque addere juvat, Corneliam ſcilicet Lampugnanam, quæ ex Comite Proſpero, atque Suſanna Pagana Conjugibus, vitam aſpexit in hac Urbe die VII. menſis Martii anno MDLXXXIII. Sacris Undis perfuſa in Eccleſia Sanctæ Euphemiæ, ſeptennis inducitur in Monaſterium Sancti Bernardi educanda ab Amita ſua Violanta Lampugnana. Nupſit Franciſco Rhaudenſi Viro Patricio JC. Collegiato, atque Regio Conſeudatario Oppidi Burghetti in Agro Laudenſi, nec non ex LX. Mediolani Decurionibus, de quo agit laudatiſſimus Sitonus in Chronico Collegii J. PP. Artic. 744., quo poſt novennium orbata eſt, tribus exceptis filiabus. Lauretanam Ædem inviſit anno MDCXIX. Se recepit cum duabus natis inter Virgines Aſceterii Sancto Philippo Nerio dicati apud Sanctum Barnabam, obiitque anno ſequenti virtutum fama, & ſanctitatis odore celeberrima. Corpus ejus magno populi concurſu in Templum S. Sepulchri illatum fuit, cum hoc Epitaphio:



HIC SITA EST
CORNELIA LAMPVGNANA
RHAVDENSIS
QVAE VIVENS CVNCTIS EXEMPLO
PRAELVXIT
HVIC CAELESTEM ADPRECARE LVCEM
OBIIT ANNO MDCXX. XIX. IVLII.

Scripſit:

I. Eſercizj varj Spirituali.
II. Orazioni varie divotiſſime.
Extant ad calcem Vitæ ejuſdem ab Hippolyto Porro conſcriptæ. *Pavia, per il Negri, 1624. in 4.*
Ibi ſunt in laudem Corneliæ Epigrammata duo ejuſdem Porri, & Carmina duo Italica, vulgo Sonetti, Cæſaris Burri.
Videndæ quoque ſunt Schedæ Sitonianæ.

## CMXXXV.

## LAMPUGNANUS ASTULPHUS.

COnſularis ampliſſima Collectio, quæ apud amiciſſimum Juriſconſultum Joannem Sitonum MS. ſervatur, maximo nobis uſui fuit in hoc Opere; ex ea enim hauſimus plurima, prout Lectores facile videre poſſunt. In ipſa igitur ex Lampugnana Gente, cujus Eruditos laudandos jam ſuſcepimus, non paucos invenimus hoc Magiſtratu in hac Urbe functos, videlicet Liſnam, qui anno MCLXVIII. Rogerium qui annis MCXCIV. & MCXCVII. atque Albertum, qui annis MCXCIV. ac MCXCV. Conſules Juſtitiæ fuere in Mediolanenſi Republica, ipſorumque Placita in pergameno conſcripta pluries vidimus apud præfatum JC. Sitonum, quemadmodum etiam apud Nicolaum Sormanum Ambroſiani Collegii Doctorem, ambos editis Operibus de Litteraria Republica optimè meritos. Horum ſecutus veſtigia Aſtulphus, de quo nunc agendum, Rubini Lampugnani Juriſperiti filius, anno MCCCXLVIII. in Collegium Juriſconſultorum cooptatus, inter Legum Profeſſores ætate ſua claruit; cumque anno eodem de corrigendis Patriæ Statutis recens conditis ageretur, Viriſque præſtantiſſimis hujuſcemodi Provincia demandaretur, eos inter dignus habitus eſt Aſtulphus, qui hanc ſuſciperet ſpartam, atque ad Reipublicæ utilitatem

I. Statuta recens compoſita ad incudem revocavit.
Agunt de ipſo, & de aliis ſupradictis Lampugnanis, Triſtanus Chalcus in Hiſtoria Patriæ lib 12. pag. 257. ad annum MCXCIV., & ſupralaudatus Sitonus in Chronico J. PP. Colleg. Mediol. pag. 30. Artic. 35.

## CMXXXVI.

## LAMPUGNANUS AUGUSTINUS.

FAmilia Lampugnana inter Mediolanenſes nobiliſſima, ex qua tot Viri Eruditi in præſenti mea Collectione locum non infimum tenent, dedit etiam Auguſtinum, de quo nunc dicturi ſumus, cui in Sæculo fuit nomen Joannes Baptiſta. Adhuc tenera ætate Regulam Sancti Benedicti in Monaſterio Caſſinenſi Sancti Simpliciani hujus Urbis amplexus eſt anno MDXCIX. die XXIV. Aprilis. Scholaſticis quidem rebus ſedulò vacavit, ſed Muſas, & amœniora Studia nihilominus excoluit,



Digitized by Google

quibus faventibus, præclaros ingenii fœtus, tum proſâ, tum metro, in quibus æque dulcis, & facilis erat, in vulgus protulit; qui quamvis ingenii acumine, Italicæ linguæ proprietate, & elegantia, gravitate, & ſoliditate Sententiarum ſint præditi, ob ſingularem tamen pietatem, & moralia, ac ſpiritualia documenta, quibus iidem omni ex parte ſcatent, majorem etiam commendationem merentur. Celebriores per Italiam Academiæ, Veneta ſcilicet Incognitorum, Brixienſis Errantium, Bononienſis Indomitorum, Genuenſis Dominantium, aliæque inter Socios certatim eum cooptarunt, cum præter doctrinam, morum etiam comitate, candore, & affabilitate omnes in ſui amorem, & benevolentiam alliceret. In ſua verò Congregatione Prioris primùm, deinde Abbatis dignitate fuit inſignitus, ſed poſtea Regimine abdicato, Abbatis titulum ſolùm retinuit, ut liberiùs ſibi, Studiiſque poſſet incumbere. Laudibus, ac ætate pleniſſimus, obiit octogenarius Mediolani in Aſceterio Sancti Simpliciani circa annum MDCLXVI. Ejus Opera, quæ Armellinus diligentiſſimè protulit in ſua Bibliotheca Benedictino-Caſſinenſi nunc dabo, additis etiam nonnullis, de quibus ipſe accuratiſſimus Collector edoctus minimè fuit.

Hæc ſunt:

I. La Peſtilenza ſeguita in Milano l'anno MDCXXX. raccontata da Don Agoſtino Lampugnani Prior Caſinenſe: al Sereniſſimo Duca di Mantova Carlo I. Gonzaga. *Milano, per Carlo Ferrandi*, 1634. *in* 4.

II. Sette Strali d'Amore vibrati da Gesù Criſto in Croce all'Anima fedele, ſpiegati da Don Agoſtino Lampugnani. *Bologna, preſſo Gio. Battiſta Ferroni*, 1640. *in* 4. Extat etiam MS. in Bibliotheca S. Simpliciani Mediolanenſis, pariter in 4. exaratus ab ipſo anno MDCXXX., dum eſſet ibi Prior, dumque Mediolani peſtilentia graſſaretur.

III. Lettera di D. Agoſtino Lampugnani intorno alcune difficoltà della lingua Italiana, pubblicata da Gio. Battiſta Magnalpino: a Filippo Meda Segretario del Senato di Milano. *Bologna, per Nicolò Tebaldini*, 1641. *in* 12. Eſt Libellus ad orthographicam rationem retinendam contra expunctores literæ H., & admittentes Z. pro T.

IV. Turrianæ propaginis Arbor explicata. *Bononiæ, apud Jacobum Montium*, 1643. *in fol.*

V. Cecilia predicante, Rappreſentazione Sacra. *Bologna, per Domenico Barbieri*, 1643. Opus Poëticum à Valeriano Caſtillionæo in quadam Epiſtola valde laudatum.

VI. Squitinio d'Amore, Opera Academica, Parti II. *Bologna, per il Tebaldini*, 1643. *in* 12.

VII. Della Vita di Santa Radegonda, che di gran Regina ſi fece Monaca di San Benedetto, lib. V. *Milano, per Lodovico Monza*, 1649. *in* 4 In fine agitur de duabus SS. Gertrudibus devotorùm gratiâ.

VIII. Lumi della lingua Italiana, diffuſi da regole abbreviate, e dubbj eſaminati *ſub nomine* del Fuggitivo Academico Indomito. *Bologna, per Carlo Zenero*, 1652 *in* 12. Opus hoc adhuc MS. miſerat Auguſtinus Academicis Indomitis Bononienſibus emendandum, & corrigendum, at illi inſcio Authore, Operis luce digniſſimi partem evulgarunt 1641., & poſtea idem integrum 1652. *apud Zenerum*, ſub nomine Academici Indomiti, ut dictum eſt, ediderunt. Auguſtinus itaque ipſum poſtea à ſe recognitum recudendum curavit, ſuo expreſſo nomine appoſito. *Mediolani, apud Ludovicum Montiam*, 1653.

IX. Diporti Academici avuti in diverſe Academie. *Milano, preſſo Lodovico Monza*, 1653. *in* 8. Continet ſexdecim Orationes valde eruditas, quæ ſelectiorem Philoſophiam, inter cæteras Scientias, redolent.

X. Della Carrozza da Nolo, ovvero del veſtire, ed uſanza alla moda lib. II. di Gio. Jonta Pagnalmino (ideſt anagrammaticè di Don Agoſtino Lampugnani). *Milano, per Lodovico Monza*, 1649.

XI. Della Carrozza di ritorno, ovvero dell'eſame del veſtire alla moda lib. II. di Gio. Jonta Magnalpino (eodem nomine inverſo). *Milano, preſſo lo ſteſſo*, 1650 *in* 12.

Philippus Picinellus, loco mox citando, hæc alia Auguſtini Lampugnani impreſſa Opera recenſet, quamvis locum, & annum editionis ferè omnium, ut illi mos eſt, prætermittat; hæc proinde ſunt verba Armellini.

XII. La Ninfa Guerriera, Favola Paſtorale.

XIII. Il Celidoro; Romanzo.

XIV. Ode Latina in Creatione Ducis Venetiarum Antonii Priuli; ſic inſcribitur: „ Clio plaudens, & „ exultans in Seren Principis Venetiarum Anto„nii de Priulis electione. Ode D. Auguſtini Lam„pugnani Monachi Caſſin. dicata Perilluſtri, ac „ R. D. D. Paulo Containo Ferrarienſis Eccleſiæ „ Canonico. „ *Venetiis*, 1618. *apud Antonium Pinellum Impreſſ Ducalem*, *in* 4. Dedicans eſt Marcus Antonius Broilus, qui de Authore hujuſce lucubrationis, ſic loquitur in principio Opuſculi: „ In cujus electionem, cum hæc Ode ſcripta cir„cumferretur, & à ſummis Viris ſummopere „ laudari audierim, ſtatim nacta occaſione, Au„thorem ipſum conſului, eamque efflagitavi, ni„hil ille hujuſce rei ſuſpicabatur, conceſſit tamen „ non invitus, ſed verecundus, quin & ad Illuſtriſs. „ Cardinalem Priulum aliam addidit. Utramque „ typis conſignandam volui &c. „ Angelicus autem Aproſius, qui in Bibliotheca Aproſiana pag. 297. & ſeqq. Auguſtinum Lampugnanum laudat, ejuſque Opera diligenter enumerat, aſſerit, eum dono dediſſe eidem Bibliothecæ Aproſianæ non ſolum exemplaria eorundem ſuorum Operum, quæ ibi referuntur, ſed etiam alios variorum Authorum libros haud ſanè contemnendos, cujus effigiem ad Virum expreſſam in Aproſiana Bibliotheca idem Aproſius veteris amicitiæ memor, collocandam curavit.

XV. L'Eroe mendico, cioè de' Geſti di S. Aleſſio, libri cinque. *Milano, preſſo il Ghiſolfi*, 1645. *in* 12.

XVI. Atti di Contrizione.

XVII. Poeſie varie.

Quæ ſequuntur Manuſcripta adhuc ſunt.

XVIII. Antiochiale, ovvero Riſpoſta in difeſa del Cavalier Marini intorno all'Adone, fatto da Balbino Balbucer a Momo. MS. autographus in Aproſiana in 4.

XIX. Stimoli all'Anima fedele per infervorarla alla divozione del Santiſſimo Sagramento dell' Altare, ſpiegati da D. Agoſtino Lampugnani, Priore Caſſinenſe. Tom. II. in 4. MSS.

XX. Vita della Vergine Santa Gertrude, Badeſſa di Nivelle, Protettrice del Brabante, compilata da D. Agoſtino Lampugnani. Incipit: „ Egli è „ più che vero. „ MS. in 4.

XXI. Infedeltà fedele; Favola Boſcareccia. MS. in 4.

XXII. La Fiammella; Favola Paſtorale. MS. in 4.

XXIII. Odarum & Carminum D. Auguſtini Lampugnani libri IV. MSS. in 4. Hæc omnia extant Mediolani in Bibliotheca Sancti Simpliciani, ab Armellino ipſo viſa anno MDCLXXXVIII., ut ipſe aſſerit.

Horum ultimus verò adeſt etiam hoc titulo: „ Carminum Don Auguſtini Lampugnani Abba„tis Caſſinenſis libri IV. Epigrammatum; primus „ Sacer, ſecundus Domeſticus, tertius Criticus, „ quartus Odarum. MS. in 4. ſignat. num. 90. apud Monach. Ciſterc. S. Ambroſii Mediolani.

XXIV. Ode Dicolos, Diſtrophos in laudem Sancti Nicolai Magni Mirenſis Epiſcopi, impreſſa ad calcem Hiſtoriæ Fortunati Ulmi, de translatione Corporis ejuſdem Sancti Nicolai, *edita Venetiis anno* 1626. *in* 4., eſtque pulcherrima, atque elegantiſſima.

XXV. Carmen Latinum ad Joannem Antonium Caſtillionæum. Extat in libro, cui titulus: „ Flori„legium Antiquitatum Mediolanenſium „ ejuſdem Caſtillionæi, de quo jam dictum.

XXVI. Rime di Agoſtino Lampugnano. Extant in libro inſcripto: „ Raccolta di varie Poeſie in morte „ di Tiziano Veggelio: „ Teſte Creſcimbenio, loco infra citando.

XXVII. La Bruttezza lodata.

XXVIII. La Bellezza lodata. Hæ II. Orationes Auctoris noſtri leguntur in libro: „ Diſcorſi Accademici „ de' Signori Incogniti avuti in Venezia nella „ Accademia dell' Illuſtriſſimo Gian Franceſco Lo„redano. *Venezia, per il Sarzina*, 1635. *in* 4. Quatuor poſteriores Articulos Armellinus non vidit, cujus verba interim, quæ ſequuntùr de Lampugnano noſtro, cenſui hìc addere, etſi delicatulis forſan parum facienda apparebunt. „ Nec prætermittendum puto, quod Conſtanti„nus Cajetanus in Epiſtola nuncupatoria ad „ Mauritium Roganum Cajetanum, Fundorum „ Epiſcopum, Urbiſque Cajetæ Judices, & Con„ſiliarios, quam Vitæ Sancti Eraſmi à Gela„ſio II. Papa conſcriptæ, atque à ſe editæ Ro„mæ anno 1638., & Scholiis illuſtratæ, præmi„ſit, de Auguſtino Lampugnano narrat, eum „ nempe, dum Monaſterii Sancti Angeli in eadem „ Ca-

Digitized by Google

„ Cajetana Urbe Præpoſitum, ſeu, ut dicimus, A
„ Priorem, ageret, appoſuiſſe ſubſequens Diſti-
„ chon, à ſe compoſitum, Cajetani Montis, San-
„ ctiſſimæ Trinitatis nuncupati, admirandæ ſciſ-
„ ſuræ, in deſcenſu dextrorſum prope Sacellum
„ Sancti Crucifixi, ubi uſque in præſens cernitur
„ ſignum manus cujuſdam increduli Mahometa-
„ ni, ac obſtinati pernegantis, hos Montes divi-
„ no nutu, ac miraculo in Redemptoris obitu
„ fuiſſe diſciſſos; dum enim manum petræ vio-
„ lentiùs inferret, diceretque: Ita hoc verum
„ eſt, atque Saxum iſtud maſſa eſt farinacea, vel
„ lactea, continuò petra, veluti cera igne molli-
„ ta, ceſſit applicitæ manui, ejuſque veſtigium
„ profundè in ſe ipſam recepit, quod hodieque
„ ibidem cernitur; En Lampugnani hac de re
„ Diſtichon:

*Improba mens renuit verum, quod fama fatetur*

*Credere, at hoc digitis Saxa liquata probant.* B

„ Refert quoque idem Cajetanus in eadem Epiſtola
„ ejuſdem Lampugnani Epigramma ibidem pari-
„ ter appoſitum, quo exprimitur hæc Coſmo-
„ graphorum animadverſio, oculorum videlicet
„ aciem per ipſam Sacri Montis rimam rectâ li-
„ neâ Hieroſolymam ferire, quod Lampugnanus
„ eleganter, æquè, ac devotè ſic explicat:

*Quiſquis ades, curas animo depellito inertes,*

*Tum pius, atque tremens hunc venerare locum.*

Agunt de eo magna cum laude Hieronymus Borſerius in Supplemento Rerum Mediolanenſium Cap. 12. Angelicus Aproſius in Libello dicto Viſiera alzata Hecatoſte ec. fol. 24. Itemque in alio Opere, cui titulus: Lo Scudo di Rinaldo, ſub nomine Scipionis Glareani, pagina C 21., ubi dedicat Auguſtino Lampugnano Capitulum 6., cujus Programma „ Qual peccato
„ foſſe maggiore o quello d'Adamo, o quello di
„ Eva. „ Iterumque in Bibliotheca Aproſiana pag. 292 & ſeqq., ubi perhonorificè de eo loquitur, ejuſque Opera ferè omnia recenſet, exhibetque prolixum quidem, at ſatis venuſtum carmen à Comite, & Equite Cæſare Scroſato ex Collegio Judicum Mediolanenſium in ejus laudem conſcriptum, cujus ſpecimen Lectoris oculis mox ſubjiciemus. In laudata verò Hecatoſte quatuor Lampugnani libros ficto nomine ab eo editos recenſet, quorum ultimus eſt Antiochiale &c. „ Originale nell' Aproſiana: di
„ queſto ſi fa menzione in fine del Vaglio Critico
„ di Maſoto Galiſtoni, portato col vero nome. „ Julius Fontaninus in Catalogo ſelectiorum Authorum, qui de præcipuis artibus, & facultatibus Italicâ linguâ ſcripſerunt, edito Romæ an. D 1706. Claſſe prima, qui eſt Pars ſecunda Tractatus dell' Eloquenza Italiana pag. 25., editione verò tertia ibidem, anno 1726. pag. 71., & eruditum Opus Auguſtini Lampugnani de Luminibus Italicæ linguæ, ut ſupra, refert, quamvis Authorem nominans, Caſſinenſem fuiſſe Monachum reticeat. Dominicus Bartholi in Libello inſcripto, Acta d'Achille pag. 23. Author Libri: Le Glorie degl' Incogniti Academici di Venezia pag. 11., ubi eum decus amicitiæ, Stirpis ſuæ gloriam, & virtutis delicium vocat, qui innumeros applauſus ob ſtyli dulcedinem, novitatem acuminum, raram inventionum, & fœtuum mentis fœcunditatem meruerit, indicatque aliud ejus Opus prænotatum: Odor ſuavitatis, ſive Exercitationes Spirituales. Viſitur ibidem ejus effigies cum ſubjecto Diſticho:

*Quos tua dat radios Lampas, quæ lumina profert* E

*Hac tuus in primis Celiodorus habet.*

Franciſcus Lauredanus in Epiſtolis ad eum datis, quæ leguntur Epiſtolarum ejus, Par. I. pagg. 46. 329. 488. Bernardus Pez Mellicenſis, Epiſtola X. Apologeticâ pag. 250. In Regeſtis Caſinenſibus pag. 290. à tergo in margine, ſic: Abbas Titularis ex regimine multa ſcripſit.

Comitis, & Equitis Cæſaris Scroſati in Auguſtinum Lampugnanum Carmen, ſic incipit:

*Pater, deliciæ novem Sororum,*

*Paterque unius, una ſpes, ocellus*, &c.

Reliquum legi poteſt in præcitata Bibliotheca Aproſiana pag. 292. & ſeq.

Citatis Auctoribus addimus Creſcimbenium in libro „ de' Commentarj intorno all' Iſtoria della
„ volgar Poeſia „ Vol. IV. Lib. III. Artic. 71. pag. 193., & tandem Picinellum in Athenæo pag. 3.

## CMXXXVII.

## LAMPUGNANUS CÆSAR.

IN Cœnobio Caſtellaccii nomine prope Mediolanum, quod incolunt Monachi S. Hieronymi, ſacrum eorundem habitum aſſumpſit Cæſar Lampugnanus, Hieronymi, & Hippolytæ Puſterlæ conjugum filius, qui & nobilitati ipſius familiæ, & vitæ admodum Religioſæ, quam ex integro ſequi inſtituit, ſtudia, & animarum ſalutem peregregiè addidit, nam in Patria mea chariſſima, Parochus Eccleſiæ Sancti Barbatiani, à Suis adlectus omnem lapidem admovit, ut zelus ovibus eidem commiſſis tam ſcribendo, quàm verbum Dei è ſuggeſtu diſſeminando, proficuus eſſet. Non tantùm ibi, ſed in aliis Lombardiæ Civitatibus, non ſine ingenti laude plures Conciones habuit, laudatur igitur pro ejus Lucubrationibus,

Quæ ſunt:

I. Breve Racconto della Vita, e Miracoli di S. Barbaziano. *Bologna, preſſo il Monti*, 1637. *in* 8.
II. Prediche varie. Extant MSS. apud Suos.
Ita Picinellus in Athenæo p. 139. & Schedæ Sitonianæ.

## CMXXXVIII.

## LAMPUGNANUS FABRITIUS.

FAbritius Lampugnanus JC. Collegiatus Mediolani, filius Franciſci item JC. Collegiati Senatoris, & Blancæ Vicecomitis conjugum, non tam Juriſperitus atque Cauſarum Patronus optimus evaſit, ſed & etiam egregius Poëta, uti ex ſequentibus patebit. Supradictum Collegium Juriſconſultorum ingreſſus eſt anno Mundi Redemptionis MDXLVI., ibique adſcriptus numeratur ad ann. uſque MDLXXIX.

De ipſo damus:

I. Elogia plura Latina. Ex Picinello.
II. Inſcriptiones variæ. Ex eodem.
III. Poëmata item Latina. Extant in libro Petri Franciſci Spinulæ, inſcripto Catulli imitatio. Ex eodem.
IV. Alia in ejuſdem Auctoris libro Pſalmorum.
Ipſum laudant Morigia in libro de Nobilitate Mediol. cap. 4. lib. 3. Abbas Picinellus pag. 179., & Sitonus in Chron. Coll. J. PP. pag. 114. Art. 465.

## CMXXXIX.

## LAMPUGNANUS FRANCISCUS.

ALterius Franciſci, atque Eliſabethæ Borromeæ Conjugum extitit filius Franciſcus noſter, qui ad Jura ediſcenda ſummopere deditus, ita in omnium oculis illuxit, ut in numerum Nobilium Collegii Mediolanenſis cooptatus fuerit anno Chriſti MDXIV., & ut exigebat illuſtrium majorum ſuorum familia, inter LX. Patriæ Decuriones locum habere jam meruerat, deinde Quæſtor Magiſtratus Ducalium Redditu um Extraordinariorum efficitur, poſtea Ducalis Cæſareuſque Senator Mediolanenſis; ſed quod ingenii ſui perpetuum Monumentum erit, ad novas Conſtitutiones compilandas, atque in ordinem redigendas ab Invictiſſimo Cæſare Carolo V. adlectus anno MDLI. reperitur. Extat præfati Senatoris memoria in Lapide Sepulchrali poſito in pariete prope Aram Divæ Mariæ ſine labe conceptæ, in Eccleſia Sancti Angeli Patrum Minoritarum Divi Franciſci de Obſervantia Burgi Legnani Duc. Mediolani, tenoris ut ſequitur:

ELI-

Digitized by Google

ELISABETH BORROMEAE
PVDICITIA EDVCATIONE LIBERORVM
OFFICIO ET OPE IN AEGENOS ET AEGROS
CONSILIO DEXTERITATE AC PRVDENTIA
MATRONAE INSIGNI
FRANCISCVS LAMPVGNANVS
IVRISCONS. ET SENATOR
INDESINENTI DESIDERIO MAERENS
M. P.
NATA ANNOS LXXIII.
OBIIT PRIMO APRILIS MDXXVIII.

In ejus laudem juvat etiam hîc addere partem Epiſtolæ Latinæ Hieronymi Perboni, quæ legitur inter hujus editas *Mediolani*, *apud Medam* MDXXXIII. lib. IV. pag. VIII. his verbis: „ Vivit hæc tui animi pietas, & juſtitiæ fructus non „ ſolum apud me: ſed quique boni, & eruditi, & „ magni Vates celebrant, & extollunt. Tantum „ iſta tui ingenii excellentia inter alios Senatores „ eminet: quantum Sol inter minora ſydera &c. „ Non ſubticebo mehercle quod audio de tua ſublimi virtute. Paſſim plurimus ſermo eſt de tuo in„ genio, quam promptè, quam ſapienter vaſaria „ legum revolvis: quantum es ſublimis poëtico, & „ oratorio ſtilo. Dii immortales! quæ illa his diebus paucis reſonuere tua carmina auribus noſtris? „ profectò niſi invidi obſtringerent mihi linguam, „ niſi vererer paucorum, quos noſcis, lurida venena, „ exclamarem per te ſæcula noſtra non ceſſura veteribus &c. „ Tantus Vir deſideratus eſt anno reparatæ Redemptionis MDXLVI.

Habemus de ipſo:

I. Conſilium Juridicum. Extat inter ea Cephali. Vol. II. num. 38.
II. Novæ Conſtitutiones Mediolanenſis Dominii, quas jubente Carolo V. Imperatore compilavit, & in ordinem redegit anno MDXLI die III. Octobris.
III. Erectio Magiſtratus Sanitatis cum Inſtitutis ad eandem rem conſentaneis per Franciſcum Sfortiam II. Auctore Franciſco Lampugnano. *Mediolani*, 1534., & iterum ibidem *apud Pontium*, 1576. *in* 4 Cujus libri verſio Italica ſequentem titulum habet: „ La Erezione del Magiſtrato della Sanità di Milano, riſtabilita da Franceſco II. Sforza, ed ordinata da Franceſco Lampugnano. *Pavia*, *per il Bartoli*, 1578. *in fol.*
In principio hujus Operis adeſt Epiſtola Nuncupatoria Franciſci noſtri ad Celeberrimum Virum Scipionem Vegium à nobis ſuo loco laudandum, in qua hæc verba leguntur: „ Scis Phyſicorum excellentiſſime „ Scipio Illuſtriſſimum Principem, tuo forſan impulſu „ mihi mandaſſe, ut Decretorum, & Ordinum Officii „ Sanitatis, rudem & incompoſitam congeriem, in „ meliorem formam redigerem, & quæ expedire arbi„ trarer, adderem: laborioſam quippe, & duram pro„ vinciam: mihi præſertim, qui Senatorii muneris „ negotiorum multitudine obruor &c.
IV. Carmen Franciſci Lampugnani in laudem Senatoris Andreæ Alciati. Extat MS. in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum.
Ego vidi in MS. Bibl. Ambr. ſignat. T. num. 20. in 4. Gabrielis Paveri Fontanæ Placentini Epithalamium in Nuptiis Franciſci Lampugnani, & Eliſabethæ Landrianæ. Ubi multa de iſtis duabus Familiis.
Memoratur à Cavatio in Alleviam. Stat. Mediol. à Lando in Senatu Mediol lib. 5. pag. 155 à Sitono in libro ſupradicto pag. 89. Art. 334., atque à Bartholomæo Curtio in Notitiis Medicorum Mediolanenſium pag. 31.

C M X L.

LAMPUGNANUS FRANCISCUS alter.

IN dubio aliquando fui, an inter Scriptores Mediolanenſes Franciſcum hunc Lampugnanum adtexere debuiſſem, rationibus, quas Lector Benevolus habebit, ex ipſis verbis quæ leguntur in Tom. I. Scriptorum Ord. Prædicatorum à Clariſſimis Quetif, & Eccard editorum; ſed cum Viri iſti emunctæ naris juſtis Criticæ regulis rem examinarint, ſatius duxi, ipſa, ut jacent referre; judicium ergo penes Lectores eſto, nam litem hanc dirimere ego minime audeo. Hæc ſunt: „ Franciſcus Lampugnanus Mediolanenſis quidam inter Scriptores Lombardos re„ cenſetur à Rovetta primò ad MCCLXXVII, & „ ab eodem dicitur Epiſcopus Cæſenatenſis à Grego„ rio X. datus, & inſtitutus, eoque titulo in Con„ cilio Lugdunenſi II. ſediſſe, ac ſcripſiſſe.

I. Summam brevem pro Clericorum inſtructione.
II. Libellum Doctrinæ Chriſtianæ pro parvulorum, atque ſimplicium inſtitutione.
III. Manuale Parochorum:
„ Ac de Operibus quidem penes illum fides, cùm ubi ſer„ ventur ſaltem MSS., aut cui viſa, non addat: at de „ Epiſcopatu etſi conſentientem habeat in aliquo Fon„ tanam, in Theatro (dico in aliquo, nam non con„ venit in annis, volens promotum anno MCCLXIII. „ & mortuum anno MCCLXX.) ego non aſſentior, „ cùm hujus Epiſcopi non meminerint Bernardus Gui„ donis, Leander, Luſitanus, nec Razzius: imò nul„ lus ei locus ſit in ſerie Præſulum Cæſenatenſium à „ MCCLXX., ad MCCCX, ut apud Ughellum cui„ libet inſpicienti patebit, aliuſque ad MCCLXXIV. „ adnotetur, qui proinde Concilio Lugdunenſi affuit, „ ſi quis affuit. Verum eſt à Pio P. II. lib. 3. pag. 30. „ laudari quemdam Franciſcum Statum Epiſcopum Cæ„ ſenatenſem, ſed is circa annum MCCCCXLV. ſediſ„ ſe dicitur ſub Magiſtro Ordinis Petro Rochim, quod „ cum Chronologia Rovettæ non convenit. Quædam „ mihi ſuſpicio erratum eſſe in Epiſcopatu, & ſcriptum „ Cæſenatenſis, pro Cenetenſis; fuit enim revera quidam „ Franciſcus Epiſcopus Cenetenſis à Leandro, & aliis „ laudatus, de quo cùm non ſat accuratè Ughellus, & „ eum excipiens Fontana loquantur, placet hîc ejus „ Epitaphium referre, ut legitur apud Bartholomæum „ Burchelati Commentar. Hiſt. Tarviſ. edit. Tarviſii „ 1616. in 4. Sic enim lib. 4.

FRANCISCVS DE ARPO CIVIS TARVISINVS
FRATER DOMINICANVS
EPISCOPVS CENETENSIS RELIGIONE INSIGNIS
HOC ANNO MIGRAVIT AD DOMINVM.

„ Quo & Frater Falcus Tarviſinus ejuſdem Ordinis Sum„ mi Pontificis, nempe Benedicti XI., Nepos dilectiſſi„ mus lucis uſuram amitit anno Domini MCCCX. Ex „ quibus emendes Ughellum, & Fontanam, qui mor„ tem Franciſci hujus de Arpo ponunt ad MCCC.
Sic ſcripſerunt ſupracitati Auctores loco jam dicto, T.I. pag. 511., quibus ob nullum documentum mihi exhibitum nihil adjicere poſſum.

C M X L I.

LAMPUGNANUS GEORGIUS.

PEtrus Lampugnanus Juriſconſultus Collegiatus, atque Fiſci Patronus in lucem edidit Georgium, de quo nunc eſt ſermo, uti me benigniter admonuit ſæpe laudatus Sitonus ex Inſtrumento anni MCCCCXLIII. penes eundem. Inter Patriæ Decuriones, & ex XXIV. Capitaneis, & Defenſoribus, necnon ex quinque principibus Reipublicæ Mediolanenſis memoratur à Corio in Patriis Hiſtoriis ad annum MCCCCXLVII., ſed audiamus quid de ipſo ſcripſit Vir egregius, & litteratiſſimus Guidus Pancirolus loco infra recenſendo. „ Prætermittendus non „ eſt Georgius Lampugnanus, qui iis temporibus „ Ticini docuit, felicior, ſi ſe turbis popularibus „ non immiſcuiſſet. Deceſſerat Philippus Maria Dux „ Mediolani, apoplexia correptus anno humanæ Sa„ lutis

Digitized by Google

„ lutis MCCCCXLVII. Alphonſo Aragonum Rege „ hærede inſtituto; populus ad libertatem aſpirans „ XII. Viros, qui Rempublicam adminiſtrarent, elegit. Georgius magnus libertatis aſſertor, ac Democratiæ ſtudioſus Philippi teſtamentum dilaniavit. „ Sed cum Civitas inconſtans, Nobilibus dejectis, „ ex ima plebe XII. Viros ignobiles legiſſet, qui magiſtratum gererent, hi Patritios, quos multis modis offenderant, ſuſpectos habentes, ſeptem ex illis primarios, & opibus claros, & quoſdam alios „ fraude interemptos necaverunt; inter eos fuit Georgius, quem Legatum ad Fridericum Imperatorem „ auxilium imploraturum mittere ſimulant, & in itinere Modoëtiæ captum necarunt. Hunc exitum „ Georgius habuit popularis libertatis ſtudioſus. Populus fame laborans arreptis armis, plebejos magiſtratus in vincula conjecit, & Urbem Franciſco „ Sfortiæ eam obſidenti tradidit. „ Mihi autem datum eſt de iſto Opus proferre, quod ex Catalogo Bibliothecæ, quem penes ſe geſtabat inclytus Rex Francorum Franciſcus I. alibi citato libentiſſimè hauſi.

I. Lecturæ in Jus Civile, & Publicum Georgii Lampugnani Mediolanenſis. MS. in pergameno in fol.
Inter Epiſtolas Franciſci Philelphi editionis Venetæ anno 1502. in fol. extat Epiſtola ad Georgium Lampugnanum miſſa pag. 42.
Videndi ſunt Pancirolus ſupradictus in libro de claris Legum Interpretibus cap. 98. pag. 196. Corius in Hiſtoria Mediolanenſi Parte V. ad annum MCCCCXLVII. Moriggia Nobil. Mediol. lib. III. pag. 239. Æneas Sylvius in Hiſtoria Europæ cap. 49. Donatus Boſſius in Chronica Mediol. ad annos MCDXLVIII. & MCDXLIX. Franciſcus Nobilis in Arbore Lampugnanæ Familiæ, atque Sitonus pag. 45. art. 168.

## CMXLII.

## LAMPUGNANUS GULIELMUS.

Inclytus Mediolani Dux Philippus Maria Vicecomes pro animæ ſuæ ſalute, Conſilium petiit à quibuſdam Viris in facultate Theologica illius ævi in hac Metropoli celeberrimis, quod ego legi ad calcem cujuſdam Codicis MS. Bartholomæi de la Valle, de quo ſuo loco dicturi ſumus. Eidem Conſilio ſe ſubſcripſere D. Franciſcus de la Cruce Vicarius Reverendiſs. D. Archiepiſcopi, M. Abbas Sancti Celſi, Daniel de Rhaude, Frater Albertus Ordinis Obſervantiæ Minorum, M. Gregorius Ordinis S. Marci, Frater Gulielmus de Lampugnano Ordinis S. Euſtorgii, Don Anſelmus Ordinis S. Petri de Glaſſiate. Ad dictum Conſilium quædam ab Anonymo oppoſita fuere, qua de cauſa adſunt Virorum ſupradictorum Reſponſiones, auctoritatibus SS. Patrum ac Theologorum firmatæ. Noſter verò ſupradictus Gulielmus de Lampugnano ignotus Scriptoribus Ordinis Prædicatorum à me nunc producendus erat inter doctos Mediolanenſes, etſi nil aliud de ipſo dare poſſim præterquamquod

I. Conſilium pro ſalute animæ, quod Illuſtriſſimus ac Clariſſimus Princeps Philippus Maria Dux Mediolani poſtulavit. Diploma ejuſdem datum eſt die IX. Maji MCCCCXLVI.
II. Reſponſiones eorumdem Virorum in decem Capitula diſtributæ, datæ ſunt eodem anno, die penultima Junii.

## CMXLIII.

## LAMPUGNANUS HIERONYMUS.

Ex Joanne Baptiſta Lampugnano, atque Laura itidem Lampugnana Conjugibus lucem vidit Hieronymus, quem nunc laudamus, die XX. menſis Januarii, Chriſtianæ verò Redemptionis anno MDLXXVII. Philoſophicis, necnon Theologicis ſtudiis ediſcendis in Almam Urbem ſe contulit, in quibus tam doctus evaſit, ut ipſas facultates è Cathedra pluribus dictaverit, iiſque poſtea relictis ad Jura diſcenda ſe vertit, & tam feliciter, ut ipſorum Magiſter effectus, in Romano Sapientiæ Archigymnaſio publicè & ſine ſtipendio per aliquot annorum tempus profeſſus ſit; ſed forſan ob nimium diſcipulorum numerum, ſeu verius pro majori lucro acquirendo, lecturam in propriam domum tranſtulit. Vir iſte meliori fortuna dignus, à quodam homine flagitioſo fraudatus fuit pecunia non pauca, quam ipſi mutuaverat, quâ de cauſa ferè fatuus extitit uſque dum remediis opportunis adhibitis ad priſtinam mentis ſanitatem redierit. Eximius Cardinalis, & Princeps Theodorus Trivultius non tantùm ipſius miſertus eſt, ſed etiam quampluribus beneficiis eumdem Hieronymum donavit, donec morbo, quem Pituitam vocant, è vivis abiit anno Chriſti MDCLIII. die XVI. Februarii. Teſtimonia pietatis ejuſdem ſunt ultimæ ipſius Tabulæ, in quibus hæredem conſtituit Collegium Patrum Societatis Jeſu Romæ, quod Domum Profeſſam appellant, ejus verò ingenii, quæ ſequuntur Opera

Videlicet:

I. Compendium Introductionis ad Juſtinianeas Inſtitutiones.
II. De ratione ſtudendi in utroque Jure. Sunt ambo uno Volumine. *Romæ, apud Corbellettum*, 1627. *in* 8. Idem Liber denuo impreſſus fuit à Didaco Fontana, ac Lælio Biſciæ Cardinali nuncupatus. *Romæ, apud eumdem Corbellettum.*
III. Hieronymi Lampugnani Juriſutriuſque Doctoris in Inſtitutiones Imperiales, ac titulos utriuſque Cenſuræ ad eoſdem Lib. pertinentes, Diſputationes: ad Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Principem Trivultium Prothon. Apoſtol. & Sacræ Cameræ Clericum. Vol. VI. MS. in 4. Extant in Bibliotheca Ambroſiana ſignati O. num. 44. ad 49. ſinguli pagg. 400.
Agunt de ipſo Janus Nicius Erítræus in Pinacotheca Tom. II. Leo Allatius in Apibus Urbanis pag. 131., & Picinellus in Athenæo pag. 342.

## CMXLIV.

## LAMPUGNANUS JACOBUS.

Anno Chriſtiano MDLVII. Patre Bernardo, in lucem venit Mediolani Jacobus Lampugnanus, qui tam felicem aſpectum, & animi dotes adeptus fuit, ut vix Hyppocratis documentis perceptis, in eiſdem Magiſter evaſerit anno tantùm ætatis ſuæ vigeſimo ſexto, quo ob famam ſuæ virtutis ipſum vocavit Taurinum Marchio Eſtenſis ad penes ſe Artem Medicam exercendam. Tanta fuit exiſtimatio breviter à Jacobo noſtro ſibi acquiſita, ut Cathedrâ in Univerſitate Montis Regalis meruerit inſigniri, in qua totam Philoſophiam magno diſcipulorum concurſu explicavit doctiſſimè. Sed tam anguſtos terminos ei non reliquerunt ſors, atque illius merita; nam Romam poſtulatus à Nicolao Sfondrato tunc Summi Pontificis Gregorii XV. nepoti, & poſtea S. R. E. Cardinali ampliſſimo, in primarium ipſius Pontificis Medicum electus extitit, quem prætermiſit inter Protophyſicos Apoſtolicos Eques Mandoſius in ſua Romana Bibliotheca, necnon primariam Medicinæ Lecturam in Archigymnaſio Romano obtinuit, quod accidit juxta Jo. Bapt. Sylvatici ſententiam, an. MDXCIV. Hæc verò ſunt verba ejuſdem Sylvatici in laudem Lampugnani noſtri, quæ leguntur in ejus libro de Collegio Medicorum Mediolanenſium: „ Annum „ nunc agit quinquageſimum, inter primos Almæ „ Urbis Medicos primas tenens, doctus, bonus, elegans, modeſtus, atque ea vitæ moderatione, & „ probitate utens, ut ad Eccleſiaſticos honores non „ ſemel fuerit vocatus. „ Tranſactis vix quatuor annis in eo munere agente Lampugnano noſtro obtinere licuit à Sanctiſſimo Pontifice Clemente VIII. memorandum illud Diploma, quo Phyſici Collegiati Mediolanenſes honore Equitum, Comitumque Pontificiorum inſigniri meruere, Cardinale Paulo Camillo Sfondrato, ejuſdem Papæ Nepote etiam intercedente.



Digitized by Google

te. Fratrem habuit Herculem, qui & ipſe ſupradictum Phyſicorum Collegium ingreſſus eſt anno MDXCVIII. Vivebat adhuc Scriptor, de quo agimus, juxta Clariſſimum Sitonum in Chronico MS. Medicorum Mediolanenſium, anno MDCXXXII. ideoque uſque ad ultimam ſenectutem perveniſſe cognoſcitur, ſed poſtremam ejus diem nulli adhuc memorarunt.

Opera illius ſunt,

I. Epiſtola de Chalcantho, quam publicavit Petrus Caſtellus in Decad. I. Epiſt. IX.
II. De Febribus.
III. De Humoribus.
IV. De Criſibus.
V. De Purgatione.
Quæ omnia MSS. ſervari apud ejus Diſcipulos teſtantur infraſcripti, nempe Leo Allatius in Apibus Urbanis pag. 141. Curtius in Libro de Medicis Mediolanenſibus pag. 129., atque Picinellus in Athenæo pag. 244.

## CMXLV.

## LAMPUGNANUS JACOBUS alter.

IN celebratiſſima ab omnibus Societate Jeſu ſummopere illuxit Jacobus Lampugnanus Franciſci filius, qui ob ejus ſingularem virtutem, pietatemque Suis, aliiſque Viris doctis ſemper charus extitit. Litteras humaniores in Romano Collegio docuit, nec non bis totam Philoſophiam ibidem ſolidè explicavit. Prudentiam quoque ſingularem adeptus eſt, pro qua Collegia ſuæ Societatis tam Tibure, quàm Viterbii omnibus plaudentibus rexit. Pauca de ipſo habemus, ut infra videre eſt, ſed, ùt ab ungue Leo, ingenium tanti Viri in eis optimè elucet.

Sunt igitur

I. Jeſus inter tormenta Deus: Oratio dicta ad S. D. N Urbanum VIII. ipſo Paraſceves die in Sacello Pontificio Vaticano. *Romæ, ex Typographia Franciſci Corbelletti*, 1634. *in* 4. quam Theodoro Cardinali Trivultio dicavit. Eamque inter Orationes PP. Societ Jeſu impreſſam reperi pag. 649. *Romæ, apud Maſcardum*, 1641. *in* 12.
II. Conciones Spirituales Sancti Franciſci Aſſiſiatis ex Italico in Latinum ſermonem ab eodem verſæ.
Ita Philippus Allegambe in Bibliotheca Scriptorum Soc. Jeſu, & Abbas Philippus Picinellus in Athenæo pag. 243., nec non Cinellus in Bibliotheca Vol. Pluteo III.

## CMXLVI.

## LAMPUGNANUS JOANNES.

TEmporum edacitas ſatis non fuit, ut vel Religioni ampliſſimæ Fratrum Ordinis Prædicatorum, vel nobis oblivioni traderetur Joannes hic Lampugnanus, qui in Cœnobio Sancti Euſtorgii Patriæ ſuæ Mediolanenſis virtute, moribuſque vitæ Eccleſiaſticæ optimè congruentibus, in omnium oculis præluxit anno MCCLXII. Præter alias virtutes, ſcientiaſque, quas Lampugnanus noſter adeptus fuerat, Oratoriam facultatem tam fervido zelo exercebat, ut ſua ætate facundus, doctiſſimuſque meruerit vocari. Teſtibus verò Scriptoribus infra recenſendis, obiiſſe fertur anno Chriſti MCCXCIII., ac Scripta reliquiſſe, quæ ſequuntur, nemine autem indicante, ubi in præſentiarum reperiantur

Scilicet:

I. Sermones Dominicales.
II. Sermones per Annum.
III. Sermones Quadrageſimales.
IV. Sermones de Sanctis.
Sic Pius Fernandez, Altamura, Rovetta ad annum MCCXCVI. Creſcentius Præſidii Romani p. III. Moriggia in Nob. Mediol. lib. III. Picinellus in Athenæo pag. 304. quos omnes ſecuti ſunt Quetif, & Eccard in Tomo I. Bibliothecæ Scriptorum Ordinis Prædicatorum pag. 434., eiſque ego addo Maraccium in Bibl. Mariana p. I. pag. 747.

## CMXLVII.

## LAMPUGNANUS JULIUS CÆSAR.

JUlius Cæſar Lampugnanus parentibus Hieronymo, atque Cæcilia Raynona conjugibus Mediolanenſibus lucem primam vidit die X. Aprilis, anno MDCIX. Ab eiſdem optimè educatus, facultatem Medicam ſequutus eſt tam felici eventu, ut Laurea Doctorali exornari meruerit in Univerſitate Ticinenſi anno MDCXXXIII. Ad Patriam reverſus ſtudia acerrimè proſequutus eſt, & non parum nominis in ægrotis curandis ſibi acquiſivit, ita ut locum in Collegio Phyſicorum Mediolanenſium habuerit anno MDCLIX. die verò XIII. menſis Decembris, inter Viros, quos XII. Proviſionum nuncupantur, adlectus extiterit. Eruditionem ejus facilè demonſtrat Liber infra memorandus, quem typis tradidit, & plura certè expectanda erant ab ipſo, niſi mors citò nimis illum nobis eripuiſſet anno MDCLXI. die VII. Maji.

En Operis ejuſdem titulum

I. Levis punctura Tabaci, Phyſici Julii Cæſaris Lampugnani. Perilluſtri, & Admodum Rev D. Joſepho de Raſiis Sacrarum Cæremoniarum Magiſtro in Metropolitana Mediolanenſi. *Mediolani, apud Jo. Baptiſtam, & Julium Cæſarem fratres Malateſtas*, 1650 *in* 8.
Ex Advocato Joanne de Sitonis de Scotia in Chronico Colleg. Nobb. Phyſicor. Mediol. part II. Artic. 318. MS. in fol. de anno MDCCVIII. extat penès ipſum Authorem, necnon ex Picinelli Athenæo pag. 360., & ex Bartholomæo Curtio de Medicis Mediolanenſibus pag. 187.

## CMXLVIII.

## LAMPUGNANUS LAURENTIUS.

LAurentius Lampugnanus Stephani, & Catharinæ Arnatæ nobilium conjugum filius, Ambroſiique Lampugnani anno MCCCCXV. JC. Collegiati Mediolani ex fratre nepos, in Vico Caſtellantia Agri Mediolanenſis ortus, vigeſimo ætatis anno, qui Salutis erat MCCCCXXXV., habitum Eremitarum in Congregatione Lombardiæ, atque S. Mariæ Coronatæ Cœnobio ſuſcepit. Brevi emenſis Divinorum ſtudiorum curriculis, Lectoris munus exercuit, & adhuc Diaconus inter Sacros Oratores recenſitus in Divini Verbi miniſterio magnam nomini ſuo famam comparavit. Congregationis ſuæ Jura ſcriptis, verbiſque defendit, & tametſi plurimorum ſibi invidiam conciliaſſet, nullò tamen pacto à tam præclaro patrocinio ceſſavit. Juvenili adhuc ætate ad primarios Congregationis ſuæ gradus omnium Votis aſcendit: ter Viſitator, ſepties Deffinitor, quinquies Præſes, & bis Vicarius Generalis annis MDXII. & MDXVII. in Comitiis Vercellenſibus, & Cremonenſibus electus. Plura intulit Volumina in Bibliothecam prædicti Cœnobii S. Mariæ Coronatæ, quæ adhuc ibi extant ejus nomine inſignita à me non ſine voluptate inſpecta. Obiit ætatis anno LXIX. Salutis verò MDXXVII.

Scripſit

I. Corpus Philoſophicum ex primariis Auguſtiniani Ordinis Scriptoribus collectum, quod lucem non vidiſſe dolemus, teſte Calvi in Monumentis hiſtoricis Congregationis Eremit. Lombard. part. I. pag. 197. ubi Laurentii geſta recenſentur.

CMXLIX.

Digitized by Google

A

## CMXLIX.

## LAMPUGNANUS LITTA.

Litta ex nobiliſſima Lampugnanorum gente in hac
Metropoli ortus, inter Patriæ Patres jure ac me-
rito recenſeri meruit, quorum laboribus, atque vi-
gilantiæ inſtaurationem ſuam debet poſt excidium
Ænobarbo jubente patratum hæc Urbs florentiſſima.
Conſulatum geſſit Mediolanenſis Reipublicæ Litta no-
ſter circa annum MCLXX. cum inito conſilio pro-
fugi Cives Patrios lares in natali ſolo reſtituere de-
creviſſent. Formandis etiam populi moribus cum
Collegis ſuis operam dedit eximiam Vir prudentiſſi- B
mus, omnibuſque Sæculis memorandus, propter ea
quæ cum eiſdem condidit circa ipſum annum:

I. Statuta Reipublicæ Mediolanenſi apprimè proficua.
Ipſius nobis memoriam è vetuſtis Scriptoribus inſinuat
Comes Octavius Archintus in laudatiſſima Collectio-
ne ſua MS. Monum. Familiarum Mediolanenſium.

## C M L.

## LAMPUGNANUS PETRUS MARTYR.

Etſi inter Lampugnanos, quorum ſeriem nonnulli
dederunt, mihi datum non fuerit reperire Petrum
Martyrem Chronici mox recenſendi Auctorem, at- C
tamen non tantum ex cognomine Lampugnano quod
Gens iſta, à loco in ditione Mediolanenſi exiſtente
ſic nuncupato, unde originem ſuam traduxit, hauſiſſe
perhibetur, (nam aliquando ipſos inveni à Lampu-
gnano vocatos, quandoque verò de Lampugnanis),
attamen, dico, in Scriptoribus Mediolanenſibus
Petrum Martyrem locatum volui, verum etiam ex
eo, quod pluribus in locis Patriam ſuam oſtendit
Mediolanum. Hunc prorſus ignotum Scriptorem
accipiant Lectores, & ad Mediolanenſem Lampu-
gnanorum Familiam ſui libenter addant.

Opus ejuſdem ſic eſt inſcriptum

I. Petri Martyris Lampugnani Chronica rerum ut pluri-
mum Mediolanenſium. Incipit à die Martis XVII. D
Julii anni MCCCLXIX. uſque ad annum MCCCC-
LXXXV. MS. in fol. Extat in Bibliotheca Fratrum
Marchionum Vicecomitum.

## C M L I.

## LAMPUGNANUS PHILIPPUS.

Philippus ex nobili Lampugnana Gente Mediolani
ortus eſt, atque anno MCXCIV. munus Ar-
chipresbyteri Metropolitanæ Mediolanenſis obibat,
ex MS. Trivultii, de quo ſuo loco. Poſt obitum
Uberti Archiepiſcopi totius Cleri conſenſu ad eam- E
dem Infulam electus fuit, & à Cœleſtino III. Ponti-
fice confirmatus. Hujus Eccleſiæ gubernacula ſuſce-
pit die X. Junii, anno MCXCVI. Quanti eum fecerit
Innocentius Papa III., qui Cœleſtino in Petri Cathe-
dra ſucceſſit, plures teſtantur litteræ ad Philippum
eundem datæ, quæ partim in corpore Juris Cano-
nici inſertæ conſpiciuntur. Hujus Præſulis tempori-
bus accerbiſſima bella, Mediolanenſibus, & Papien-
ſibus inter ſe contendentibus, Inſubriam afflixere.
Philippi tamen prudentiâ, & in gerendis rebus la-
bor indefeſſus, adeo diſcordes animos delinivit, ut
icto tandem fœdere, pax optata redierit. Annos
decem, menſes quatuor, dies ſeptem laudabiliter
Ambroſianæ præfuit Eccleſiæ, jacebatque in Tem-
plo Sanctæ Mariæ Majoris Mediolani nunc diruto.

Habemus hæc de ipſo

I. Litteræ quarum meminit Innocentius III. in Epiſtola data Laterani XII. Kal. Novembris anno IX. Pontific. ſui, (quas exſcripſit Ughellus ex Regeſt. Vatic. Lib. IX. pag. 116. n. 117., & extant in Ital. Sac. Tom. IV. in Eporedien. n. 24.) ad ſe datarum, quibus ei Philippus nunciaverat Petrum ab Eporedienſi Capitulo electum Epiſcopum, & à ſe confirmatum, conſecrationis munere nondum percepto, ſolitudinis amore ductum ad eremum confugiſſe.

II. Epiſtola Philippi Archiepiſcopi ad Innoc. III. ſuper diſcordia Canonicorum, & Monachorum Sancti Ambroſii circa ann. MCIC. Extant in Collectione omnium Votis typis tradenda doctiſs. Sormanni.

Extat quoque Epiſtola Innocentii III. ad eundem, ut Cauſidicum Paſſaguerram gravi Crimine illigatum ſiſtat quamprimum coram Apoſtolico Judicio, alioqui eum Anathemate feriat. Dat. Romæ Id. Apr. Pontif. ſui anno I.

Alia ejuſdem ad eundem, ut Amanuenſis munus conferat Henrico Subdiacono ſuo, circa annum MCXCVIII.

Alia ut Clericum Bonacoſam recipiat in Canonicum S. Ambroſii. Dat Romæ VIII. Id. Julii Pont. anno I.

Alia ſuper negotio conferendæ Cancellariæ Mediolanenſis Eccleſiæ, de quo negotio inter Sedem Apoſtolicam, & Mediol. jus videbatur ambiguum. Dat. Peruſii IX. Kal. Octob. eod. anno.

Sententia Lotharii Epiſcopi Vercellenſis, Girardi Abbatis de Tilietto, & Presbyteri Uberti Mantuani Proviſorum Eccleſiarum Lombardiæ ab Innoc. III. Delegatorum, in Cauſa vertente inter Philippum Archiep. & Milonem Cimiliarcham ſuper refectione Veſtium, & Paramentorum Eccleſiæ S. Mariæ favore Archiepiſcopi, lata die XVI. Junii MCCVI. Reperiuntur omnia in ſupradicta Collectione Sormanni.

Agunt de ipſo acta Mediolanenſis Eccleſiæ p. 6. num. 93. Ughellus in Archiepiſcopis Mediolanenſibus, & ſi placet Picinellus in Athenæo pag. 191.

## C M L I I.

## LAMPUGNANUS POMPEJUS.

Inter Juriſconſultos Collegiatos Mediolanenſes improbo fermè labore à clariſſimo Sitono collectos reperitur Pompejus Lampugnanus Petri Pauli Achille geniti, & Angelæ Cittadinæ conjugum filius: Philippi Equitis Ord. S. Stephani frater, & claruiſſe aſſeritur anno MDLXXV. ad MDCXVII. Plura nobis datum non eſt de Viro iſto proferre, atque in hac Bibliotheca memorandus minime foret, niſi fortuitò in Librum, quem præ manibus habui, incidiſſem.

Hic eſt titulus ejuſdem, ut jacet

I. Juſti Lipſii in Cornelium Tacitum Notæ cum MS. Codice Mirandulano colatæ à Pompejo Lampugnano. Ad Illuſtriſs. Galeottum Mirandulæ Comitem, & Concordiæ Principem. *Bergomi*, *Sumptibus Vicentii Viotti Parmenſis*, 1602. *in* 12. Epiſtola nuncupatoria data eſt Romæ III. Kal. Junii.

Videndi ſunt Advocatus ſupradictus Sitonus in Chronico Coll. J. PP. artic. 622. pag. 154. & Moriggia in Hiſtoria Antiquit. Mediol. Lib. III. Cap. XIV.

## C M L I I I.

## LAMPUGNANUS PRINCIVALLUS.

Ex inclyto Lampugnaneo Stipite prodiit Sæculo XV. Princivallus Lampugnanus Petri Juriſconſulti Collegiati, Ducaliſque Fiſci Patroni in toto Mediolanenſi dominio, atque Urſinæ Viſtarinæ illuſtrium Conjugum filius, qui & ipſe in Collegium Juriſperitorum Mediolanenſium cooptatus extitit, nec non Gubernatoris munus Placentinæ Urbis ſummâ cum laude ſuſtinuit Anno MCDLXVI. Nec mihi per-

permiſſum fuit plura de iſto aliunde perquirere, nam ſatis ſuperque laudatur in ſequenti Elogio ſupra tumulum ejuſdem appoſito, in Eccleſia Sancti Franciſci Mantuæ, ubi ſepulchrum habuit Anno Domini MCCCCLXXXVII. In eodem Lector videbit quantum in Litteris, atque in Armis Vir perſpicuus excelluerit, ita ut Fabiis, Catonibus, Metellis æquiparari meruerit; ſic enim legitur

PRISCA FIDES TACEAT FABIOS DVROSQUE CATONES
VIRTVTVM HIC CENSOR NEMPE PERENNIS ERAT
LAMPVGNANA DOMVS TVLIT HVNC HVNC INCLYTA MVNDO
MAGNIFICVM BELLO CONSPICVVMQVE TOGA
QVAQVE FIDE VIXIT POPVLVSQVE DVCESQVE PROBARVNT
INSVBRII QVORVM GLORIA SVMMA FVIT
NOMINE PRINCIVALIS FVERAT PIETATE METELLVS
HEV BONA TOT TVMVLO CLAVSIT ACERBA DIES!
ANNO MCCCCLXXXVII.

Mihimetipſi interim gratulor, quod ingenii iſtius Lampugnani aliqua monumenta reperire ſors obtulit in evolvendis Epiſtolis Candidi Decembrii, in quarum una legi

I. Terentium à Princivallo Lampugnano illuſtratum fuiſſe, qua propter pluribus laudibus ipſum commendat Decembrius in Epiſtola ſupramemorata, quæ extat inter MSS. ipſius Decembrii in Bibliotheca Ambroſiana, & data eſt Anno MCDLX. die verò XXIV. Menſis Septembris.
II. Judicium Princivalli Lampugnani ſuper Translationem Leonardi Aretini Ethicæ Ariſtotelis, quam Candidus Decembrius Lampugnano miſit; & illius ſententiam profert in Epiſtola eidem ſcripta die VII. Junii MCDLXVI. in ipſa verò Decembrius Princivallum noſtrum Virum doctiſſimum vocat. Extat ibidem.

Memoratur à Clariſſimo Sitono in Chronico J. PP. pag. 146. artic. 586.

## C M L I V.

## LAMPUGNANUS UBERTUS.

IN numero celebrium Juriſperitorum Sæculi XIV. ex conſenſu Virorum doctiſſimorum ipſius ævi locum habere meruit Ubertus, ſeu, ut alii malunt, Ubertinus Lampugnanus, aut de Lampugnano. Oldradus Juriſconſultus Collegiatus meritò gloriari poteſt de hoc illuſtri Filio, nec non de altero Maphioli nomine duabus Infulis exornato, nam Eccleſiam Epiſcopalem Plocenſem primùm, deinde Archiepiſcopalem Meſſanenſem iſte rexit. Noſter verò Anno MCCCLXXXV. Collegium Nobilium Juriſperitorum Mediolanenſium ingreſſus eſt, poſtea primarius Legum Civilium Interpres, & Baldi Peruſini collega in Ticinenſi gymnaſio efficitur. Ducibus Mediolanenſibus tam charus extitit, ut in ſummo honore habitum, ipſum à Conſiliis & Vicarium Generalem voluerint. Notatur à Clariſſimo Sitono, ſediſſe in ſupra memorato Collegio uſque ad Annum MCDII. ignoro tamen an illi annus iſte fuerit ultimus, nec ne. Interim de ejus Parente Oldrado juvat hîc dare Eulogium Petri Candidi Decembrii, quod legi in MS. pluries laudato Biblioth. S. Antonii Cleric. Regulaſium hujus Urbis ſequentibus verbis

*Hic jacet Oldradus, quem Lampugnana propago*
*Edidit, & multis fuit is virtutis imago.*
*Dives opum, ſed honore prior, dominoq. verendus,*
*Quem coluit, fuerat nulli pietate ſecundus:*
*Sed mors cuncta domans animam decedere terris*
*Juſſit, & in cœlum radiantibus intulit aſtris.*

Perpetuò interim commendabunt Ubertum noſtrum quæ ſequuntur

I. Tractatus varii Philoſophici. Teſte Picinello.
II. Conſilium Juridicum extat in Vol. V. Baldi num. 477.
III. Aliud ſimile reperitur inter Conſilia Laurentii Calcanei, eſtque num. 54. *Lugduni*, 1534. *in fol.*

Laudatur à Clariſſimo Sitono pag. 36. Artic. 74. à Moriggia Lib. III. Nobilitatis Mediol. Cap. XI. & à Picinello pag. 512.

## C M L V.

## LANDRIANUS BERNARDINUS.

GEns Landriana, de cujus præſtantia, & antiquitate alibi nobis ſermo erit, Bernardinum inter tot alios Viros doctos enumerat, qui ex patre Lanzaloto floruit in fine Sæculi XV., atque initio ſubſequentis, nam ſedem habebat in hac Urbe, atque in Paræcia S. Victoris ad Theatrum, dum cum aliis Incolis Portæ Vercellinæ Anno MCDLXX. jusjurandum fidelitatis præſtitit Primogenito Galeacii Mariæ Sfortiæ Mediolani Ducis, paulò antea nato. Celebratur ut Juriſconſultus ab Auctoribus infra citandis, quibus etſi tacentibus, talem oſtenderent Bernardinum noſtrum ejus doctiſſimæ Lucubrationes à nobis infra memorandæ. Miramur interea, quòd Clariſſimus Joannes Jacobus Mangetus ipſum intulerit in ſuam Bibliothecam Scriptorum Medicorum Tom III. pag. 20. Additiones Bernardini noſtri proferendo in Practicam Joannis Petri de Ferrariis, nam & hoc Opus, non ad Medicinam, ſed ad Jus ſpectat, & quidem Bernardinus Landrianus, non Medicus, ſed Juriſconſultus locum habuit in Collegio Nobilium J. PP. Mediolanenſium, ab anno MCDLXXXIII. uſque ad annum MDXXV.

En igitur Opera ejuſdem, quorum partem nos primùm recenſemus, videlicet:

I. Egregium ac fertiliſſimum opus Maleficiorum Domini Angeli Aretini, cum additionibus optimi Practici DD. Auguſtini Ariminenſis, & Bernardini de Landriano Mediolanenſis. *Mediolani*, *per Jo. Angelum Scinzenzeller*, impenſis Nobilium Virorum DD. Jo. Jacobi & fratrum de Lignano, 1522. die X. Octobris, in fol. max.
II. Tractatus Maleficiorum Domini Alberti de Gandino J. U. D. Excellentiſſimi, una cum Apoſtillis J. U. D. Domini Bernardini ex Capitaneis de Landriano Mediolanenſis. *Mediolani* ut ſupra die VIII. Auguſti.
III. Prima Lectura Dominici de Sancto Geminiano ſuper ſexto libro Decretalium cum Apoſtillis eximii J. U. Doctoris Mediolanenſis D Bernardini ex Capitaneis de Landriano, & noviſſimè adjunctis additionibus egregii Viri Magiſtri Joannis de Gradibus

Digitized by Google

dibus U. J. profeſſoris, Conſiliariique Domini noſtri Ludovici Regis Francorum Chriſtianiſſimi. *Tridini, per Joannem de Ferrariis, & Gerardum de Zeijs*, 1511. *in fol. max.*

IV. Epiſtola Latina ſatis prolixa Reverendo in Chriſto Patri D. Luchino ex Capitaneis de Landriano Juris Pontificii Scholari, recommendatario perpetuo præceptoriæ Sancti Antonii Placentiæ, nec non Apoſtolicæ Sedis Protonotario, benemerito, & conſanguineo honorando; in qua plura de Landrianæ Gentis nobilitate, atque affinitate agitur. Extat in eodem Codice.

V. Scholia, ſeu Gloſſæ in Univerſum Opus Abbatis Panormitani ſuper Decretalibus. *Taurini, apud Nicolaum de Benedictis*, 1517. *in fol. max.*

VI. Additio ad Conſilium Bartoli à Saxoferrato an Poſſeſſio æſtimata in libro Communis, deveniens in Eccleſiam, teneatur ad Collectas, & onera extraordinaria ſolvenda. Extat in Cat. aurea Gattici pag. 351.

VII. Scholia & Adnotationes ad Practicam Joannis Petri Ferrarii Papienſis. *Venetiis, apud Octavianum Scotum*, 1496., *& iterum* 1603. *in fol.* necnon alibi.

VIII. Additiones ad Alexandri Tartagni Imolenſis Commentaria in ff. & Codicem. Extant cum ipſius Tartagni Commentariis. *Lugduni*, 1549.; *& Venetiis*, 1595. *in fol.*, ubi Bernardinus noſter juriſprudentiæ præſtantiſſimum lumen vocatur.

Agunt de eo Auguſtinus Fontana p p. verbo de Ferrariis pag. 342., & verbo Landriani pag. 548. Raphaël Fannianus in Commentariis nobilium Mediolanenſium Familiarum, Joannes Sitonus in Chronico Juris PP. Col. Mediol p. 2. Artic. 260. & Vir nobis amiciſſimus Canonicus Joannes Andreas Iricus in Hiſt. Typograph. Tridinenſi, quæ ab ipſo actu cuditur.

## CMLVI.

## LANDRIANUS CÆSAR.

Ex Nobilibus Parentibus, Franciſco ſcilicet Landriano Juriſconſulto Collegiato, & Laura Homodea Conjugibus in lucem venit Cæſar, de quo agimus, die vigeſima quinta menſis Octobris, anno Chriſti MDLXXXIV. Suorum doctiſſima veſtigia ſecutus, Legibus tam ſedulo incubuit, ut Juris PP. Collegio hujus Urbis adſcribi meruerit anno MDCX. die ſexta Martii. Ingenii probitatiſque ipſius teſtimonia ſunt munia ab eodem optimè peracta, nempè Magiſtratus, cui nomen Sanitatis, anno MDCXXXV. Auditoris, necnon Vicarii Prætoris Provinciarum Cremonæ & Papiæ. Ex Nobili Matrona Angela Cruceja quatuordecim liberos ſuſcepit, ut me monuit amiciſſimus Juriſconſultus Collegiatus Joſeph Landrianus, cui inter alia hæc mea Bibliotheca debet hunc Cæſarem, qui è vivis ſublatus anno MDCXLVIII. die V. Aprilis, ſcriptum reliquit Opus eruditione juridica undique adſperſum.

Videlicet:

I. Enchiridion Juris MS. in fol. magno ingentis molis. Extat apud ſupradictum Joſephum Landrianum J. C. C. Auctoris Abnepotem.

## CMLVII.

## LANDRIANUS GERARDUS.

Mediolanenſium, ac Landrianorum Familiæ maximum, perpetuumque erit lumen Gerardus Landrianus, Antonii ex Capitaneis de Landriano Ducalis Feudatarii Oppidi Landriani, necnon Ducalis Caſtellani Melegnani, & Abbiati Graſſi, filius, cujus Elogium ſi ex integro, ut par fuiſſet tanto Viro mihi texendum eſſet, plures paginæ implendæ forent; ſed cùm tot Auctores de ipſo cum ingenti laude loquantur, inſtitutum meum proſequendo, breviter me expediam. Tanta fuit illius probitas, atque ingenium, ut adhuc juvenis Præbendam Canonicalem in Baſilica Sanctiſſimæ Trinitatis Papiæ obtinuerit, deinde anno MCCCCXVIII. die XV. Martii ad Inſulam Eccleſiæ Laudenſis promotus à Summo Pontifice Martino V. mirum eſt, quot Beneficiis, & donis Eccleſiam ipſam ditaverit. Eugenius quoque Pontifex IV. illum cum XVII. aliis Viris in litteris, atque negotiis peragendis celebrioribus delegit, ad Concilium Baſileenſe evocandum. Patres etiam ejuſdem Concilii Legatum Gerardum noſtrum miſerunt ad Angliæ Regem, anno Domini MCCCCXXXII. coram quo, aliiſque Regni Magnatibus, graviſſimam Orationem Gerardus habuit à nobis infra recenſendam. Primus fuit etiam Abbas Commendatarius Monaſterii Charævallenſis, & ab Eugenio IV. Pontifice ab Eccleſia Laudenſi ad Comenſem translatus extitit die VII. Martii, anno MCCCCXXXVII. ideoque à pluribus Cardinalis Comenſis vocatur, nam ab eodem Summo Pontifice in Concilio Generali Florentino, plaudentibus omnibus, Purpura inſignitur die XVIII. menſis Decembris, anni MCCCCXXXIX. Memoratu dignum eſt, quod cura, atque benefitio Gerardi noſtri fruatur Reſpublica Litteraria tribus Libris Ciceronis de Oratore, qui deperditi erant, teſtibus Blondo in Italia illuſtrata pag. 396 editionis Baſileenſis, necnon Joſepho Alexandro Furietto in Præfatione Operum Gaſparini, & Guiniforti Barziziorum editionis Romanæ, atque in Vita ejuſdem Gaſparini. In omnibus ferè Scientiis verſatiſſimus, necnon Græcâ Linguâ ſummoperè præditus extitit, ut notatur in Tabulario Eccleſiæ Epiſcopalis Laudenſis. Orator ejuſdem Eugenii IV. ad Philippum Mariam Vicecomitem miſſus, non ſolùm maximam exiſtimationem apud eumdem ſibi acquiſivit, ſed ob popularem auram, in quam cum Antonio ejus fratre Gerardus noſter incidit, ſuſpicionem ipſius Principis adeptus eſt; ita ut dixerint nonnulli, quod periculum veneni, unà cum eodem fratre ſuſtuliſſet, teſte Oldovino, qua de cauſa Viterbium ſe contulit, ubi mortem invênit, omnium cum mœrore die VIII. menſis Octobris, anno Reparatæ Salutis MCCCCXLV. ut indicat Inſcriptio illius Sepulchro appoſita, quod habuit in Eccleſia Fratrum Minorum S. Franciſci, his litteris:

GERARDVS LANDRIANVS MEDIOLANENSIS
S. R. E. CARD. AMPLISSIMVS
ALIQVOT SVB EVGENIO IV. LEGATIONIBVS
FVNCTVS
VITERBII VIII. IDVS OCTOBRIS MCDXLV.
E VITA DISCEDENS
HIC SVMMA CVM PIETATE CONDITVR.

Supradicti quoque Antonii, Gerardi noſtri fratris, Elogium juvat hic addere, quod legitur in Sacra Æde Divæ Mariæ Coronatæ hujus Urbis, ubi Corpus ipſius jacet, ut ejus ſaltem memoria ſervetur poſteritati, etſi nullum ſuæ virtutis Monumentum ætas nobis reliquerit, nam gravem Oratorem fuiſſe, ex ipſis verſibus facilè agnoſcitur.

## EPITAPHIUM ANTONII LANDRIANI MAGNIFICI, SAPIENTISSIMIQUE MILITARIS DUCTORIS.

MARMORE QVI SITVS EST GENEROSO SANGVINE NATVS
HIC TOTIENS HOSTES QVOTIENS VEL MAXIMVS ALTER
OBRVIT OPPOSITOS ET NE SIBI TVRPITER VNVM
CARMINA SVBTICEANT MALE TVTA HAVD ANTE RELIQVIT
HOSTIBVS IN MEDIIS ROMANENGI MOENIA CINCTVS
OMNIA QVAM RVERENT ANIMOSI COCLYTIS INSTAR
INSVBRIVMQVE FIDES DVCIS INCONCVSSA PHILIPPI
FABRICIVS CVI FIDVS ERAT CVI REGVLVS ALTER
RELLIGIONE GRAVIS MERITIS QVIBVS EXTITIT VNVS
IMPERIVM PRAEFECTVS HABENS CREMONENSIBVS AMPLVM
ORATORQVE GRAVIS DVCE SIC STATVENTE PHILIPPO
LECTVS AD ALPHONSVM LONGISSIMA TEMPORA REGEM
LAVDIBVS ET FAMA SVPER IGNEA SYDERA NOTVS.

Eximius præfatus Cardinalis Gerardus patruum habuit Beatum Bernardum Landrianum, nobilis Viri Gerardi ſenioris filium anno MCCCCXXXIX. Epiſcopum Aſtenſem, dein anno, MCCCCXLVI. Epiſcopum Comenſem, nempe ſucceſſorem præfato Cardinali Gerardo juniori ejuſdem nepoti, & obiit die XXXI. Auguſti anno MCCCCLI. cujus ultimæ Tabulæ extant penès ſæpius laudatum Sitonum datæ die III. Novembris, Indictione XII. Anno MCCCCXLVIII. Dolendum interea eſt, quod de Cardinali noſtro Landriano parum nobis ſervaverit temporis edacitas, nam nullâ diligentiâ poſthabitâ, hæc tantùm reperire mihi licuit.

I. Oratio Gerardi Landriani Epiſcopi Laudenſis, Baſileenſis Concilii Oratoris ad Regem Angliæ, & reliquos Patres Conſcriptos Regni. Extat in Collectione Regia Conciliorum Tom. XXX. pag. 663. & ſequentibus. Reperitur quoque MS in Cod. num. 126. Bibliothecæ Heilsbronenſis, juxta Catalogum ejuſdem editum *Norimbergæ*, 1731. *in fol.*

II. Sermones varii in eodem Concilio Baſileenſi habiti, ex Actis ſæpè dicti Concilii, teſte Dupinio in Bibliotheca Eccleſiaſtica Tom. XII. pag. 92.

III. Epiſtolæ V. Latinæ eruditiſſimæ ad Petrum Candidum Decembrium datæ Florentiæ anno MCCCCXLI. cum Reſponſionibus Decembrii Mediolani datæ eodem anno. Extant in MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. T. num. 235., cui titulus „ Candidi Decembrii Epiſtolæ „ à Thoma de Cacciis Novarienſi collectæ, & ſcriptæ „ annò MCCCCLXX. „ inter quas plures ſunt Mediolanenſium ad Decembrium, de quibus ſuo loco.

IV. Epiſtola ad Gaſparinum Barzizium. Extat inter Epiſtolas familiares iſtius, editionis *Romanæ*, 1723. *in* 4. pag. 215. & aliæ Barzizii ad Gerardum in MS. Biblioth Ambroſ. ſign L. n. 69. in 4.

Aliæ plures Epiſtolæ ejuſdem Decembrii ad Gerardum Landrianum leguntur in altero Cod. MS. ſupradictæ Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. S. num. 157.

Epiſtolæ duæ Antonii Panormitæ ad eumdem Landrianum ſunt in MS. Ambroſiano ſign. H. nu. 49 in 4.

Inter Epiſtolas Franciſci Philelphi editionis Venetæ anni 1502. in fol. Extat Epiſtola Gerardo Landriano Cardinali Comenſi pag. 28.

Extat etiam Epiſtola ſatis erudita Laurentii Vallæ ad eumdem de Conſtantiniana donatione inter Epiſtolas Regum, Principum, Rerumpublicarum &c. data Mediolani IV Kal. Novembris MCCCCXL. *Venetiis*, 1574. pag. 340.

Ad eum Epiſtolæ duæ Leonardi Aretini, prima, quæ ſit differentia inter Civitates Italiæ Comum, & Cumas: altera, rationes, cauſæque variæ redduntur Oppidorum nominum, & ab eis deductorum. In lib. VIII. Epiſt Aret. edit. *Baſileenſis* pag. 344 & ſeq. & denuo in nova editione *Florentina* 1741. Tom. II. pagg. 122. & 125.

De eodem videndi ſunt Ferdin. Ughell. Ital. Sacr. Alphonſ. Ciaccon. in Vit. Cardd. Auguſtin. Oldoin. in Vit. Cardd. Franciſ. Ballarin. Chron. Comenſ. pag. 132. Quintil. Lucil. Paſſ. laqu. Epiſt. hiſtor. pag 220. Prim. Aloyſ. Tattus Martyrolog. Comenſ. pag. 184. Paul. Morig. hiſt. antiquit pag. 273. & hiſt. Nobilit. pag. 113. 170., & Summar. memorabil. lib. 1. cap. 11. Salvator Vital. Theatr. pag. 15. Galeacius Guald. Relat. Mediol. pag. 122. Baſil. Seregn. Elog. Borrom. pag. 508. Franciſ. Philelph. Epiſtol. Leonard. Brunus, Lauren. Valla, Joannes Eggs Purpura Docta, Spondanus in Contin Annal. Baronii ad annum MCCCCXXXII. Benedictus Jovius in Hiſtoria Patriæ lib. II. pag. 177. Morerius in Lexico, Sitonus in Chron Colleg J.PP. pag. 42. art. 137. & Picinellus in Athenæo pag. 235.

### CMLVIII.

### LANDRIANUS IGNATIUS.

INgenii felicitas, ſingularis eruditio, & quæ erit in primis recenſenda, pietas eximia, Ignatium Landrianum ſummopere commendant. Natus & ipſe in hac Urbe anno à Virginis partu MDLXXIX. inter Monachos Olivetanæ Congregationis ſe adſcripſit anno ſextodecimo ſuæ ætatis. In eadem ſcientias tam ſedulò proſecutus eſt, ut non tantùm eximius Theologus evaſerit, ſed etiam in linguis Græcis, atque Hæbraicis ſummà cum laude illuxerit, dignus propterea qui primam facultatem pœnes Ferdinandum Mantuæ Ducem, immo ut aſſerit Picinellus, etiam apud Franciſcum & Vincentium Mantuæ quoque Duces exercuerit. Sacris litteris explicandis ita incubuit, ut Concionator egregius ab omnibus admiratus, eo magis quia plures Hæbreos ad Catholicam Fidem converterit. Fama tanti Viri quocumque delata in cauſa fuit, quod à Summo Pontifice Romam vocaretur, opem laturus in Congregatione de Propaganda Fide ad documenta Chriſtianæ Religionis amplificanda, ſed dum ad iter ſe parat, mors ipſum moleſtè rapuit die XVII Aprilis anno Domini MDCXLII. poſt ſuæ Religionis honores, meritò obtentos, nam uti Abbas probatiſſimus, Monaſterium S. Victoris peregregiè gubernaverat anno MDCXXXVIII. & Viſitatoris munere decoratus extiterat. Vir longiori vita dignus, omnia quæ ſcripſit in lucem proferre non potuit, nos itaque ut illius memoria unquam non ſit peritura, ejus lucubrationes doctiſſimas tam typis datas quam adhuc MS. nunc recenſemus.

Hæ ſunt:

I. Virginis Partus, ejuſque Filii Emmanuel Divinitatis, & Humanitatis, Scripturalis Diſſertatio, atque Demonſtratio, adversùs Hæbreos, & Hæreticos. *Mediolani*, *Typis Ambroſianis*, 1639. *in* 4.

II. Ejuſdem Operis Tractatus ſecundus & tertius. *Mediolani*, *per Joannem Petrum Ramellatum*, 1641. *in* 4. Hoc opus manu Auctoris ſcriptum

ego

Digitized by Google

ego vidi in Bibliotheca Suorum S. Victoris Mediolani.

III. De Sanctiſſima Trinitate.
IV. De Divinitate Regis Meſſiæ.
V. Rex & Monarca hujus, & futuri Sæculi.
VI. Propheta à Moyſe prædictus.
VII. Legiſlator novæ Legis omnibus prædictus.
VIII. Pontifex, & Sacerdos in æternum.
IX. Redemptor animarum paſſione Crucis.
X. Debellator mortis in ſui reſurrectione.
XI. Judex omnium venturus.
XII. Sceptrum Juda multis Sæculis ablatum.
XIII. LXX. Danielis Hebdomadæ, jam tranſactæ.
XIV. Tertium Templum nullo modo ædificandum.
XV. Statua Nabucodonoſor ad nihilum redacta.
XVI. Virga Jeſſe jam floruit.
XVII. De Adoratione Imaginum, & invocatione Sanctorum ſecundùm antiquos Hebræos.
XVIII. Conceptus Hebraici.
XIX. De origine punctorum.
XX. De Rabbinis.
XXI. Alia quædam Opuſcula, quæ omnia ſervantur MSS. apud Suos, teſtibus infraſcriptis, qui ſunt Michaël Angelus Belfortius in Chronologia Cœnobiorum Montis Oliveti pagg. 138. & 139. Marianus Armellinus in Append. Bibl. Benedictino Caſſinenſis pag. 44. Maraccius in Bibl. Mariana p. p. pag. 651. & Picinellus in Athenæo pag. 379.

## CMLIX.

## LANDRIANUS JOANNES FABRICIUS.

Litteratis Landrianis mihi datum eſt addere Joannem Fabricium, quamvis de eo nullum Monumentum mihi oblatum ſit, præter ejus Carmina MSS., quæ non ſine voluptate legi curſim in ditiſſima Bibliotheca, quam Divus Carolus Borromæus Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis legavit. In eiſdem certè ingenium, atque felicitas pro Latina Poëſi hujus Auctoris elucent; neſcio tamen an tertia pars, quæ deſideratur, fuerit, nec ne à Landriano noſtro compoſita, id verò, quod ſupereſt, lectu & typis digniſſimum eſt.

Sic Codex inſcribitur

I. Divi Tutelaris Sancti Ambroſii Encomium, ſeu Suffimentum: Poëma Latinum. Pars prima, atque ſecunda, cujus in fine indicatur etiam tertia, quæ tamen deeſt. MS. in fol. juſtæ molis ſign. R. num. 36. Extat in Bibliotheca Metropolitanæ Mediolanenſis.

## CMLX.

## LANDRIANUS JOANNES FRANCISCUS.

De Gente Landriana, quæ antiquitatem ſuam memorare poteſt è pluribus jam tranſactis Sæculis, duos inter alios ſub oculis habui dignos, qui minimè hìc prætermittantur ad gloriam hujuſcemodi Familiæ. Oddo nempe de Landriano, qui claruit Redemptionis noſtræ anno MCCXIII., & ſicuti eidem, & Patriæ meæ chariſſimæ perpetuum attulit honorem Monumentum infraſcriptum, quod in Tomo III. Antiquitatum medii ævi col. 902. inſeruit Clar. Muratorius, veniam mihi dent Lectores, ſi & ipſum in hoc loco exhibere denuò duxerim, nam ad Hiſtoriam litterariam optimè pertinet.

„ Sacramenta à variis Legum Interpretibus præſtita,
„ quibus conſtringebantur, ne extra Bononienſe
„ Gymnaſium Scientiam Juris traderent.

„ Anno MCCXIII.

„ In nomine Domini. Milleſimo Ducenteſimo De-
„ cimo Tertio, Indictione I. die VIII. exeunte Octu-
„ bri, coram D. Armanno Judice, & Domino Gi-
„ berto Rubeo Judice, & Blanco Notario, & Ora-
„ bona Notario, & Maranello Notario, & aliis,
„ Dominus Guido Boncambii, & Dominus Jacobus
„ Balduini, Cives Bononienſes, & Dominus Oddo
„ de Landriano Mediolanenſis, omnes Legum Do-
„ ctores, ante Dominum Guazonem Judicem Domini
„ Matthæi Bononiæ Poteſtatis, juraverunt, ad San-
„ cta Dei Evangelia, quod de cetero in aliqua Ter-
„ ra non legent Scholaribus Scientiam Legum, niſi
„ in Bononia, & quod non dabunt Operam, ut Scho-
„ lares in alia Civitate debeant commorari. Nec
„ in hoc conſilium, vel adjutorium præſtabunt, immo
„ curabunt bona fide, quod Studium in hac Civitate
„ augeatur. Et quod ipſi dabunt conſilium Poteſtati,
„ & Judicibus de Communi, & Rectoribus Bononiæ,
„ qui pro tempore fuerint, bona fide, ſi ab eis pe-
„ tierint.

„ Actum in Palatio Communis Bononiæ.

Alter eſt Guidus de Landriano Poteſtas Paduæ anno MCCXXIII. ut conſtat ex libro omnium Regiminum Civitatis Paduæ à Clar. Muratorio in Antiquitatum Italicarum Tomo IV. in publicum prolato. Summum quoque decus eidem Familiæ eſt Feudum Oppidi Vidigulphi à Ludovico Bavaro Cæſare anno MCCCXXIX. obtentum. Inter alios, qui in litteris excelluerunt, numerandus eſt Jo. Franciſcus, qui ſimpliciter Franciſcus quandoque nuncupabatur, Eraſmi & Lucretiæ Peregæ conjugum filius, qui die vigeſima quarta Octobris anni MDLII. primam diem aſpexit, & veſtigia ſuorum proſequutus, Jura à doctiſſimis Præceptoribus didicit, atque in Collegium J.PP. Nobilium Patriæ cooptatus fuit anno MDLXXVI. Quantum in ipſis indefeſſi ſtudii impenderit, facilè noſcere eſt ex Opere infra memorando, atque illud idem deſiderium majoris ætatis, quàm illi fuerit, in Lectoribus auget, nempe annò MDLXXXVIII. die XX. Maji è vivis citò nimis abiit.

Scripſit:

I. Promptuarium Juris ordine Alphabetico diſtributum, Auctore Jo. Franciſco Landriano J. C. C. Mediolanenſi. MS. in fol. Autographus magnæ molis. Extat apud Joſephum Landrianum J. C. C., & publicum Logicæ in Scholis Canobianis Profeſſorem, alibi à me laudatum.

## CMLXI.

## LANDRIANUS PAULUS ANTONIUS.

Ex eadem nobiliſſima Landriana Familia ortus eſt Glicerius parentibus J. C. C. Cæſare, atque Angela Cruceja die XXIV. Maji MDCXXII., qui peractis humanioribus ſtudiis in Scholis Arcimboldiis, Congregationem Clericorum Regularium Divi Pauli Barnabitarum amplexus eſt anno MDCXXXVIII. mutato baptiſmali nomine Glicerii in Paulum Antonium. In iiſdem Scholis, in quibus edoctus extitit, Rhetoricam per aliquot annos profeſſus eſt, ſuiſque Philoſophiam ex Cathedra pronunciavit, deinde zelo Chriſti ductus, Conciones Annuales, & Quadrageſimales non ſine plauſu in pluribus Italiæ Civitatibus habuit. Cùm autem maximâ in rebus agendis, prudentiâ, & dexteritate polleret, nonnullis Collegiis ſuæ Congregationis præfuit, atque in Comitiis Generalibus primò univerſi ejuſdem Cœtus Procurator, dein Præpoſiti Generalis Aſſiſtens, renun-

tiatus

Digitized by Google

A tiatus eſt. Acceptus ſummopere fuit Summo Pontifici Innocentio XI. aliiſque Præſulibus Romanæ Curiæ. Fratrem habuit Conſtantium totius Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium Abbatem Generalem, necnon Marcum Antonium inſignis Collegiatæ S. Nazarii hujus Urbis Præpoſitum. Religioſiſſimè ſemper vixit uſque ad annum MDCLXXXV., quo Romæ ultimum vitæ ſuæ diem obiit in Collegio S. Caroli ad Cathenarios vocato; de ejus Lucubrationibus duæ tantùm editæ fuerunt, reliquæ verò ubi deliteſcant, ſcire Lector à me non expectet, nam forſan alii in ſuo penu ea deduxere.

Publici juris fecit

B I. Orazione Funebre nelle Eſequie Solenni di Ferdinando III Imperadore. *Praga, nella Stamperìa Arciveſcovile*, 1657 *in* 4.

II. Le Glorie della Repubblica di Raguſa. *Roma, per il Roſſi, in* 4.

Laudatur in Syllabo Scriptorum Barnabitarum, à pluries laudato Auctore P Pezio, in Schedis Sitonianis, & in Athenæo Picinelli pag. 446.

## CMLXII.

## LANDULPHUS.

C Landulphus Presbyter Mediolanenſis, qui Senior dicitur, ob alterum ejuſdem nominis Auctorem, cujus poſtea mentio recurret; eo tempore floruit in hac Metropoli, quo, ſedente Gregorio VII Summo Pontifice, incontinentiæ, ac ſimoniæ labe Ambroſianus Clerus infectus erat; Sæculo videlicet XI. Suſpicio eſt conjugatum & ipſum fuiſſe; certè Clericorum nuptiis, ſive, ut veriùs dicamus, concubinatui acerrimum ſe patronum ubique exhibet in ea, de qua paulò poſt dicemus, hiſtoria. Quocirca eruditiſſimus Ludovicus Antonius Muratorius in Præfatione Operis Landulphi noſtri prudentiſſimè Lectorem monet, multa in eo reperiri, quæ contemptum, vel riſum moveant. Hujuſmodi ſunt maledicta, quibus Romanos Pontifices caſtitatis Sacerdotalis Anteſignanos, atque Aſſertores identidem inſectatur; ea

D item, quæ in probos Viros quoſcumque incontinentiæ infeſtos evomit, atque impudentia non vulgaris, ſive potius ignorantia, qua Sanctum Ambroſium hujus Urbis Parentem vel fingit, vel credit Sacerdotum faviſſe nuptiis, cum immo Sanctus Doctor pluribus in locis apertiſſimè doceat, nefas eſſe Viris Altaris miniſterio mancipatis operam gignendis liberis dare. Multa quoque Landulphus de ſuo protulit, & pro genuinis aliorum fœtibus poſteritati nimis credulæ obtrudere ſtuduit, cujuſmodi eſt: „ Querimonia S. Benedicti Mediolanenſis Archiepiſcopi ſuper „ Papienſis Epiſcopi conſecratione. „ Eam vulgavit citatus V. Clar. Muratorius in Tomo I. Anecdotor. Cap. V. Appendicis; monito prius Lectore de Landulphi commento. Aliis quoque pro libito effingit Orationes aliquas, ut eos Sententiam ſuam profeſſos

E demonſtret, quin & Miracula quædam, Viſioneſque aniles & futiles non rarò promit. Enormes etiam Anachroniſmos, immo & ineptiſſimum ſtilum meritò in eadem Præfatione carpit in Landulpho præfatus Muratorius, qui tamen ibidem cauſam adducit, cur in Scriptorum Rerum Italicarum inſignem Collectionem ſubleſtæ fidei Auctorem ingeſſerit. Qua autem occaſione hiſtoriam ſuam adornaverit Landulphus, ipſe Auctor pandit in Epiſtola miſſa ad Archipresbyterum Mediolanenſis Eccleſiæ ſtatim in principio Operis. Addit etiam cap. I. libri III. quibus è fontibus hauſerit multa, his verbis: „ Sed ego homo quamvis tantillus, anguſtiis, & tribulationibus laſſatus, „ fretus, ut credo, poſterorum meorum meritis, „ qui hæc videntes cognoſcent, me ad ſuarum dignitatum laboraſſe honorem, ad incœptum feſtinare „ aggrediar. Igitur præfinitis, ac determinatis Ar„ chiepiſcoporum noſtrorum cauſis, quas ego multo „ ſudore, multoque labore antiquos ſciſcitando om„ nes, veritatem tamen amantes, carioſè reperi, „ ac Civitatum Italiæ totius librorum paginas riman„ do ferè ſcrutatus ſum, & pro ut potui, multa „ in brevi comprehendens meis cartulis ſubſcripſi. „ Ætatem etiam oſtendit, quâ hiſtoriam ſuam ſcripſit, ingraveſcentem videlicet, ait enim in Rythmica Oratione ſua ad Deum, quæ legitur ad calcem libri I.

*Cum tu ſis Salvator noſter, unica defenſio,*
*Jubilum qui præſtitiſti Populo Judaico,*
*Adſit mihi tua virtus nutrix in perpetuo.*

*De tantorum peccatorum venia te flagito:*
*Quidquid juvenis peccando egi in hoc ſæculo,*
*Ut cum veneris tu Judex in tuo judicio.*

*Heu mihi qui tot annis vixi in hoc ſæculo*
*Numquam bona perpetravi conſcius in animo*
*Flagrans intus, ardens foris, ullo ſine termino.*

Cumque Liber IV. deſinat in obitu Gregorii VII. prædicti, qui migravit ad Dominum anno MLXXXV. facilè conjicere poſſum paulo poſt è vita diſceſſiſſe Landulphum quoque.

Habemus ejuſdem ſequens Opus

I. Mediolanenſis Hiſtoriæ lib. IV. nunc primùm editi ex MSS. Codicibus Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis, à me collatis, cum Recenſione, & Notis Doctiſs. Horatii Blanci J. C. Romani; addita eſt etiam Præfatio V. Cl. Ludovici Antonii Muratorii. Habetur in Tomo IV. Script. Rerum Ital. pag. 49. *Mediolani, Typis noſtris Palatinis*, 1723. *in fol.*

Idem Opus cum Arnulphi, & Landulphi Junioris Hiſtoriis MS. ſervatur in gemino Codice Bibliothecæ Metropolitanæ Mediolanenſis, quorum vetuſtior pergamenus fuit olim Franciſci Caſtelli ejuſdem Eccleſiæ Canonici Ordinarii Viri eruditiſſimi, cujus Elogium alibi dedimus. In eo initiales omnes litteræ, & ſummæ Capitum minio inſcriptæ ſunt. Signatus eſt E. num. 21. in 4. Alter verò, quem exſcripſit laudatus Muratorius, ſignatus eſt E. num. 24. in 4 Huic addidit breves ad marginem Caſtigationes Jo. Petrus Puricellus, quæ ipſi Commentarii loco fuiſſe videntur, ad editionem Landulphi, quam morte præventus perficere non potuit, exornandam. Hujus quoque poſtremi Codicis characterum ſpecimen ære inciſum in eodem Tomo IV. Script. Rer. Ital. dedimus.

De his MSS. conſuluit Antonium Mariam Puſterlam Canonicum Ordinarium, & Capituli Metropolitanæ Eccleſiæ Bibliothecarium Clariſs. Joannes Mabillonius, prout in Puſterlæ ipſius articulo memorabimus.

II. Rythmica Oratio ad Deum. Legitur ad calcem libri I. ejuſdem Operis; unde aliqua jam depromſimus.

Meminerunt Landulphi hujus Caſimirus Oudinus de Script. Eccl. Tomo II pag. 702. Puricellus in Diſſert. Nazariana cap. XXXVII. num. 13. & alibi ſæpius, præſertim verò lib. I. cap. II num. 3. Vitæ Sanctorum Arialdi, & Herlembaldi. Picinellus in Athenæo pag. 385. aliique permulti.

## CMLXIII.

## LANDULPHUS alter.

Landulphus alter, qui Junior dicitur, & à Sancto Paulo nuncuparus eſt, ut à Seniore, de quo præfati ſumus, diſcerneretur, & ipſe Mediolanenſis extitit: natus circa annum MLXXVI. Florere cœpit anno MXCV. quo Hiſtoriam Patriam ſcribere cœpit, deductam ad annum uſque MCXXXVII. Avunculum habuit Liprandum celebrem Sanctorum Arialdi, atque Herlembaldi comitem, cujus laudes haud

Digitized by Google

haud multo poſt recenſebimus, qui priuſquam ignem ingrederetur, ut ſimoniacum comprobaret Groſſulanum Archiepiſcopum Mediolanenſem, Landulphum ipſum librorum, aliarumque rerum ad ſe ſpectantium hæredem inſtituit, tunc jam in Acolythatus Ordine conſtitutum. Aberat hic fortè ex Italia, degebatque in Urbe Aurelianenſi circa annum MCII. addiſcendarum gratiâ litterarum, audiebatque celeberrimum Alfredum, & nobilem Jacobum, ut ipſe Auctor eſt in Cap. X. Operis ſui. Turonis quoque, & Pariſiis eruditionem ſibi comparare ſtuduit, eodem Alfredo, & Gulielmo quodam Magiſtris uſus, ubi Anſelmum de Puſterla, & Olricum Vicedominum ambos poſtea ad Mediolanenſem Archiepiſcopatum evectos per annum, & dimidium condiſcipulos ſe habuiſſe narrat ad annum circiter MCVI. Cap. XIII. Alium etiam condiſcipulum, ſcilicet Bernardum Epiſcopum poſtea Veronenſem, aſſerit Cap. XXXVII. Optimis igitur excultus artibus regreſſus eſt in patriam, & apud Eccleſiam S. Pauli, quæ adhuc eſt Parochialis in regione Portæ Orientalis, ſive, ut alii malunt, Argenteæ, & in Compito cognominatur, quamque Avunculus ejus Liprandus reſtituerat, habitavit, eamque Eccleſiam Ordinum ſuorum titulum vocat, unde eruitur vetuſtiſſimus Eccleſiæ mos Clericos certo cuidam Templo adſcribendi. Hinc acceſſit Auctori noſtro agnomen Landulphi de Sancto Paulo. Narrat etiam Cap. XXVIII. Presbyterum Nazarium Muriculam, qui poſtmodum Andreæ Mediolanenſis Eccleſiæ Primicerio defuncto ſuffectus eſt, ſibi infantulo coætaneo, & condiſcipulo, cum eſſet infra Ordines Clericus, & juvenis ingenio acutiſſimus, non ſine cauſa nomen impoſuiſſe *Clocam Sancti Pauli*. In more enim ea ætate fuiſſe notat Muratorius Vir Cl. in Præfatione Operum Landulphi hujus, agnomen aliquod pueris imponere, quod pro nomine, vel cognomine in poſterum uſurpatum eſt. Quanti eſſet apud Concives ſuos, indicant munera, quibus ſe functum aſſerit Cap. X. Lectoris ſcilicet, Scribæ, puerorum Eruditoris, publicorum Officiorum, Beneficiorumque participis, & Conſularium Epiſtolarum Dictatoris. In ea autem perturbatione, quam potentiores Urbis excitaverant adversùs Avunculum ejus Liprandum, multa & ipſe perpeſſus eſt. Nam ab Eccleſia ſua deturbatus, Jordano quoque Archiepiſcopo electo & conſecrato anno MCXII. cum adhuc eſſet Acolythus, rurſus excluſus eſt ab Eccleſia Sancti Pauli. Eo audito, ab Andrea Primicerio Mediolanenſis Eccleſiæ ſuſceptus eſt in communi beneficio Presbyterorum, & Clericorum. Landulphus, injuriam ut à ſe propulſaret anno MCXVI. Romam ad Lateranenſe Concilium perrexit, Calixtum quoque II. Terdonæ, ac Placentiæ adiit, querelas ſuas expoſiturus, quamvis irrito prorſus conatu. Coronationi Conradi Regis in Baſilica Modoëtienſi anno MCXXVIII. interfuit, & ante Anſelmum Archiepiſcopum, à quo prius fuerat electus, ut Capellanis ſuis præeſſet, ab Eccleſia S. Michaëlis, uſque ad Baſilicam Sancti Joannis Pontificalem Virgam ſe prætuliſſe narrat. Adiit quoque juſtitiam imploraturus anno MCXXXVI. Lotharium III. qui in Italiam deſcenderat, ut Coronam Regni atque Imperii ſuſciperet. Hic Virum benignè audivit, & Mediolanenſis Reipub. Conſulibus imperavit, ut cauſam illius juſtè, & paternè cognoſcerent. Veruntamen Conſules ipſi, adnitente Arnaldo de Rhaude, præceptis Lotharii parêre noluerunt. Quo anno deſideratus fuerit Scriptor noſter, nemo à me quærat. Certè Acolythus obiiſſe videtur, nam in fine Operis ſui, quod ſexagenario majorem ſe ſcripſiſſe commemorat in calce Capitis XXXIII. hæc verba leguntur: „ Surgat igitur Deus exercituum, qui Mediolanum, „ & Cremonam corrigat, & me Acolytum oppreſſum, & expoliatum, quemadmodum in hac mea „ copia continente probos, & pravos legitur, jure „ gubernet, & protegat. Deo gratias. Amen. Amen. Deducit autem Opus ſuum ab anno MXCV. ad annum ſaltem MCXXXVII. Quocirca cum, ut ſupra diximus, tam ingraveſcente eſſet ætate, laboribuſque confectus, paucos poſt annos è vivis migraſſe cenſendus eſt.



Opus illius tam ſæpè à nobis memoratum ſic inſcribitur:

I. Landulphi Junioris, ſive de Sancto Paulo, Hiſtoria Mediolanenſis ab anno MXCV. uſque ad annum MCXXXVII. ex MSS. Codicibus Metropolitanæ Mediolanenſis Bibliothecæ, aliiſque à me collatis; cum notis Clar. Joſephi Antonii Saxii Ambroſianæ Bibliothecæ Præfecti. Habetur in Tomo V. Scriptorum Rer. Ital. pag. 460. Editionis noſtræ Palatinæ.

Adeſt Manuſcriptus Codex Membranaceus ac pervetuſtus in eadem Bibliotheca Metropolitani Mediolanenſis Capituli, & alter ab ipſo exſcriptus in Ambroſiana. Primus qui agnovit hunc Scriptorem, fuit Puricellus in ſuis Monumentis Ambroſianæ Baſilicæ, tum in Vita SS. Herlembaldi, ac Arialdi. Fragmenta etiam intulit Ughellus in Tomum IV. Italiæ Sacræ. Legenda eſt etiam Præfatio clariſſimi Saxii, in qua plura de Auctore ejuſque Hiſtoria diſſerit, ſicuti de labore in excerpendis variantibus Lectionibus ex duobus Codicibus me adjuvante.

II. Paſſio Beati Araldi Martyris, qui ad S. Dionyſium tumulatur. Eam edidit Puricellus in Capita XXXVIII. diviſam lib III. Operis ſui, cui titulus: „ De SS. „ Martyribus Arialdo Alciato, & Herlembaldo Cot„ ta Mediolanenſibus „. De quo in Puricello ipſo agemus.

Litteræ Gelaſii Papæ ad Jordanum Mediolanenſem Archiepiſcopum, quibus jubet ut Landulpho ſua reſtituatur Eccleſia: Datæ Cajetæ Id. Martii MCXVIII. habentur in Cap. XXXV. Operis Auctoris noſtri.

De ipſo agunt etiam Puricellus loco citato, & alibi, nec non Picinellus in Athenæo pag. 384.

## CMLXIV.

## LANDUS HORATIUS.

MEdiolanenſem Patriam in primis, necnon Familiam etſi nobiliſſimam, atque Congregationem ſæpè laudatam Sanctorum Ambroſii, & Caroli Oblatorum maximè illuſtravit Horatius Landus ex Philippo genitus, nam primis litterariis rudimentis in Seminario hujus Urbis acceptis, ad Philoſophicas, ac Theologicas facultates tam ſedulò operam dedit, ut ſupradicta Congregatio libentiſſimè ipſum amplexata fuerit. Munera duo, quibus exornatus extitit, ſatis oſtendunt, quanti eum feciſſent omnes, qui ab eodem expectabant Opera ad publicam utilitatem, atque eruditionem congruentia, quæ nos infra dabimus. Primùm fuit igitur Cathedra ei collata in Scholis Palatinis, ex qua litteras humaniores non ſine ingenti plauſu docuit, ſecundùm verò Chroniſtæ Regii, ideoque in ipſius laudem ulteriora proferre ſupervacaneum duco. Floruit Auctor noſter medio Sæculo tranſacto, ut doctiſſimæ Lucubrationes ipſius infraſcriptæ facilè demonſtrant.

Nempè:

I. Senatus Mediolanenſis. *Typis Archiepiſcopalibus*, 1637. *in* 4.

II. Fragmentum ſecundæ partis Senatus Mediolanenſis. *Mediolani*, 1645. *in fol.*

III. Obſidio Cremonenſis Galliarum Regis, & Subalpinorum, ac Mutinenſium Ducum, ſocialibus armis inſtituta, Philippi IV. auſpiciis, & armis, Marchionis Caracenæ ductu ſoluta. *Mediolani*, *apud Malateſtas*, 1654. *in fol.*

IV. Conjuratio Padiliana punita anno MDCXLVIII. *Mediolani*, *apud Malateſtas*, 1654. *in fol.*

Eum laudant Hieronymus Ghilinus in Annalibus Alexandriæ ſub annis MDCXXVIII., MDCXXIX., & MDCXXX. Advocatus Sitonus in Theatro Genealog. Famil. Nobil. Mediol. pag. 259. MS. in fol. penès ipſum Auctorem, & Picinellus in Athenæo pag. 434.



Digitized by Google

## CMLXV.

## LANDUS HORTENSIUS.

SUb variis fictis nominibus Hortenſius Landus plura ſua Opuſcula in lucem produxit, qua de cauſa nonnullos etiam Viros doctos fefellit, inter quos enumerandi ſunt Simlerus in continuatione Bibliothecæ Geſneri, aliique, quos Abbas Picinellus ſine ulla animadverſione ſecutus eſt; nam in ſuo Athenæo perperam Landum noſtrum ſub nomine Hortenſii Tranquilli Lectoribus dedit; nos verò, re melius perſpecta, ab optimis hujus Sæculi in re Litteraria Criticis facilè conſpicimus, non tantùm ipſius verum nomen, ſed etiam alia ad eumdem ſpectantia, nempe quòd Romuli Amaſei diſcipulus extiterit, & cætera quæ in ſequentibus ejus Lucubrationibus Lector habebit non injucunda, nam hactenus aliis aſſutæ fuerunt, aliquæ verò aliorum noſtro, quæ ejus minimè ſunt, etenim eodem Sæculo XVI. floruit quoque alter Landus Medicus, nomine Baſſianus, patria verò Placentinus, quem nonnulli cum noſtro confuderunt, atque hujus aliquot Opera illi tribuunt. Inter cætera Dialogus eſt circa Eraſmum, quem eſſe genuinum fœtum Hortenſii conjicit Belius, quòd iſte perſonatus apparere ſemper conſueverit in ſuis Operibus. Auctor verò Dialogi circa Eraſmum ſe Philaletem Utopienſem appellat, tum quia Hortenſius hoc idem nomen aſſumpſerat in altero Dialogo, cui titulus Forcianæ Quæſtiones, in quo ſe dicit Philaletem Polytopienſem: tum denique, quòd in ſuis Paradoxis, in quibus probare nititur, non eſſe ignominiam ex ſcorto naſci, plures litteratos homines in exemplum adducat, nempe Petrum Lombardum, Jaſonem Maynum, Longuellium, Celium Calcagninum, Eraſmum, de quo hæc ſcribit „ Oh quanti „ Letterati hannoci dati i furtivi abbracciamenti ec. „ hannoci dato un Eraſmo Roterodamo, e per ope- „ ra d'un valente Abbate ce lo dettero „ ſed ne amplius moram Lectoribus afferam, reliqua, ut diximus, ad ejus Lucubrationes pertinentia, infra dabimus. Nil ultra nobis licuit invenire de eruditi hujus Viri actis, niſi quod celeberrimam Lucretiam Gonzagam in litteris edocuiſſet; contentus igitur ſit benevolus Lector de Operibus Scriptoris noſtri non ſine labore undique à me quæſitis,

Quæ ſunt

I. Cicero Relegatus, Dialogus.

II. Cicero Revocatus, Dialogus. Primum edidit anno MDXXIV. ſecundum verò poſt annos circiter decem, ut colligitur ex ejus Paradoxis, in quorum ultimo ſic habet: „ non dubbito, che molti non „ ſi abbiino da maravigliare, che ancora fatto non „ abbia la pace con Marco Tullio, qual già ſono „ poco meno di diec' anni, che mandai con ſuo „ gran ſcorno in eſilio „ & infra „ quando ſcriſſi „ il Dialogo intitolato Cicerone Relegato ec. „ ex quibus colligitur, malè Henricum, Ludovicum Caſtaneum eos tribuiſſe Cardinali Aleandro: editi ambo uno Volumine habentur. *Lugduni, apud Sebaſtianum Gryphium*, 1534. & Pomponio Trivultio dicati, *& Venetiis, apud Seſſam*, 1539. *in* 8. De iſtis etiam obloquitur in libro ſequenti:

III. La Sferza degli Antichi, e Moderni Scrittori, di M. Anonimo di Utopia, (Hortenſio Lando) con una Eſortazione allo ſtudio delle Lettere. *In Vinegia, per Andrea Arrivabene*, 1550. *in* 8.

IV. In Deſiderii Eraſmi Funus: Dialogus lepidiſſimus, primùm in lucem editus *Baſilea*, 1540. *in* 8. ſine Impreſſoris nomine.

V. Paradoſſi. In calce impreſſionis Venetæ hæc leguntur: SVISNETROH. TABEDVL, quæ inverſo ordine produnt HORTENSIVS. LVDEBAT.

VI. Commentario delle più notabili, e moſtruoſe coſe d'Italia. *In Venezia, per Gio. Barriletto*, 1569. *in* 8. ſub nomine Nicolai Moræ. Lectorem alloquens, ait „ Godi Lettore il preſente Commen- „ tario nato dal conſtantiſſimo cervello di M. O. L. „ (ſcilicet Meſſer Ortenſio Lando) detto per la „ ſua natural manſuetudine, il Tranquillo.

VII. Catalogo delle coſe, che ſi mangiano, e delle bevande, che oggidì s'uſano. Eſt unà cum ſupradicto, & in fine has litteras habet SVISNETROH SVDNAL. ROTVA. TSE. Quæ ſi inverſo ordine legantur hæc efficiunt:
EST AVTOR. LANDVS. HORTENSIVS.

VIII. Sermoni funebri delle beſtie. In eorum fine ſe diverſis verbis exprimit, *Hortenſio Lando, detto il Tranquillo*.

IX. Sette libri di Cataloghi. *In Vinegia, preſſo il Giolito*, 1552. *in* 8.

X. Quattro libri di Dubbj, con le ſoluzioni a ciaſcun dubbio. *In Vinegia, preſſo il Giolito*, 1552. *in* 8.

XI. Oracoli de' Moderni ingegni sì d'Uomini, come di Donne. *In Vinegia, per il Giolito*, 1550. *in* 8.

XII. L'Imbaſciatore, Dialoghi ſei. Ex Donio in libro cui titulus: *La Libreria*, pag. 71.

Varj Componimenti, ideſt:

XIII. Queſiti Amoroſi con Riſpoſte.

XIV. Dialogo intitolato Uliſſe.

XV. Ragionamento occorſo tra un Cavaliere, ed un Uomo ſolitario.

XVI. Alcune Novelle.

XVII. Alcune Favole.

XVIII. Alcuni Scrupoli, che ſogliono correre nella quotidiana noſtra Lingua. Omnia uno Volumine. *In Vinegia, preſſo Gabriele Giolito de' Ferrari*. 1552. *in* 8. & juxta Fontaninium ibidem 1555.

XIX. Conſolatorie in nome di diverſi Autori. *In Vinegia per Andrea Arrivabene*, 1550. *in* 8.

XX. Lettere di molte valoroſe Donne, nelle quali chiaramente appare, non eſſere nè di eloquenza, nè di dottrina agli Uomini inferiori. *In Vinegia, preſſo il Giolito*, 1548. *in* 8. In fine habetur brevis Adnotatio Bartholomæi Peſtaloſſæ, qui advertit Hortenſium Landum Epiſtolas edidiſſe hortante Octaviano Raverta Terracinæ Epiſcopo deſignato. Ibi quoque in laudem Landi extat Carmen Italicum Franciſci Sanſovini.

XXI. Lettere di Lucrezia Gonzaga d'Agazuolo. *In Vinegia, preſſo Gualtiero Scoto*. De his tribus ultimis Articulis plurimum differit Cl. Fontaninius in libro inſcripto „ Dell' Eloquenza Italiana „ editio tertia pag. 369. ubi perperam Hortenſium noſtrum Medicum Mediolanenſem vocat. Variorum Doctorum verò judicio, Epiſtolæ ſupradictæ tam nomine plurium fœminarum, quàm Lucretiæ Gonzagæ, Joannis Pauli Manfroni Romani uxoris, ſunt Hortenſii noſtri, ut facilè ex ſtilo ejuſdem apparet.

XXII. Panegirico in lode del Landi. Extat in ſupradicto libro num. XX.

XXIII. Panegirico in lode della Marcheſana della Padulla. *Vinegia, preſſo il Giolito*, 1552. *in* 8.

Hìc juvat addere verba ipſa Clariſs. Fontaninii ad hos duos poſteriores Articulos ſpectantia, ut melius Lector inſtructus ſit de iiſdem.

„ Le ultime Lettere a nome di Lucrezia, ſi fingono „ venir quaſi tutte dal Caſtello della Fratta nel Fer- „ rareſe: e il Landi in una di eſſe fa, che ella „ ſcriva al Ruſcelli d'aver letto un Panegirico teſ- „ ſuto (al ſuo dire) non ſo da cui, in mia com- „ mendazione. Ma queſto Panegirico, il qual ſi „ finge traslatato di Lingua Latina in Caſtigliana, „ e poi nella noſtra Volgare, è appunto del Landi, „ e inſieme con un altro in lode della Marcheſana „ della Padulla di Caſa d'Eſte, fu ſtampato in *Vi-* „ *negia, preſſo il Giolito, nel* 1552. *in* 8. ſenza no- „ me dell'Autore, che dedica amendue quei Pane- „ girici a Bernardo Micas. L'Autore però non fu „ altri, che il Landi, ivi dal Ruſcelli in una Let- „ tera a Lucrezia datone per Autore.

XXIV. Dialogo di M. Ortenſio Landi tra Lucrezia Gonzaga, e Filalete, che è il Landi, nel quale ſi ragiona della conſolazione e utilità, che ſi guſta in leggendo la Sacra Scrittura, e ſi tratta eziandio dell' ordine da tenerſi nel leggerla, moſtrandoſi eſſer le Sacre Lettere di vera eloquenza, e di varia dottrina alle Pagane Lettere ſuperiori. *In Venezia, al Segno del Pozzo*, 1552. *in* 8.

XXV. Conciones II. de Baptiſmo una, & altera de Precibus.

XXVI. Diſquiſitiones in loca ſelectiora S. Scripturæ.

XXVII. Explicatio Symboli Apoſtolici, Orationis Dominicæ, & Decalogi. De his poſterioribus fides ſit tantùm, ſi tamen habenda eſt in hoc, Picinello, nam nulli, qui de Hortenſio Lando diligentiſſimè ſcripſerunt, de iis locuti ſunt. Dubium eſt an Diſquiſitiones ſupradictæ ſint eædem, quas nos dedimus num. XXIV., divinari interim non

eſt à quo fonte Picinellus iſta biberit. Quæ nos proferimus, ex infraſcriptis Auctoribus digniſſimis colligimus, nempè

Ex Cælio Rodigino, ex Fontaninii libro inſcripto: Della Eloquenza Italiana pagg. 89. 369. 550. 582. ex Baile in Lexico Chritico, verbo Landus, ex Opuſculis ejuſdem Landi locis citatis, & ſi placet ex Picinelli Athenæo pag. 438., & ex Epiſtola Mutii Juſtinopolitani, *editionis Florentinæ Sermatelli*, 1590. in 4. ad Hortenſium Landum ſcripta, in qua etiam de propriis Operibus plura eruditè ſcribit.

## CMLXVI.

## LANFRANCUS.

DUm clariſſimus Bartholomæus Curtius in ſuo Opere de Medicis Scriptoribus Mediolanenſibus diſſerit circa ætatem, qua apud Italos Arabica lingua florebat, brevibus verbis ſe expedit de Lanfranco Mediolanenſi, qui regnante Rodulpho Cæſare, ex Arabo in Latinum Opera varia Chirurgica vertit, in aula Philippi Pulchri Francorum Regis moram trahente anno circiter MCCXCV. ibi enim profeſſionem Chirurgicam, ſummâ cum laude exercebat. Optandum foret quod ſupradictus Curtius inſtitutum ſuum proſequendo, melius nos inſtruxiſſet de actis, ſtudiis, atque de præſtantia Operis Auctoris noſtri. Quanti ipſum feciſſent Galli, Angli, atque Germani facilè conjici poteſt à tot MSS. Codicibus ſuæ Chirurgiæ, qui in pluribus Bibliothecis reperiuntur, præter repetitas editiones, de quibus infra. Opus ſupradictum compleviſſe Lanfrancum anno MCCXLVI. aſſerit Mangetus loco infra recenſendo: Ego verò præ manibus ipſum non habui, ſed hæc legi in Fabricii Bibliotheca Latina: Tomo II. pag. 712.
„ In Præfatione parvæ Chirurgiæ Lectorem Auctor
„ conjurat per Deum, ne aliquibus idiotis tradat
„ eam, ne per ignorantiam eorum (quæ in majore
„ ſunt expoſita) opus meum noceat alicui.

Scripſit igitur:

I. Chirurgia Magna.
II. Chirurgia Parva. *Venetiis, apud Octav. Scotum*, 1490 *& ibid. cum aliis*, 1499., *apud Bernardinum Venetum*, 1519., *apud Juntas*, 1546. *in fol. Lugduni, apud Paganum*, 1553. *in fol.* cum Guidonis Cauliaci, Rogerii, Bertapaliæ, ac Rolandi, ejuſdem argumenti ſcriptis.

Clariſſimus autem Montfauconius in Biblioth. MSS. T. I. pag. 96., & T. II. pag. 960. ipſius Operis Manuſcripta exemplaria nobis ſic dedit:

Magiſtri Lanfranci Mediolanenſis Compendium Chirurgiæ. MS. in Vatic. Cod. 473. olim Reginæ Veciæ.

Lanfranchi Mediolanenſis Ars Chirurgiæ. Ibid. Cod. 357. & 473. Ex Bibl. Paulina Lipſien.

Lanfrancus Minor Opuſculum Chirurgicum.

Chirurgia Lanfranci Mediolanenſis. Ex Biblioth. Regis Angliæ.

Lanfranci de Mediolano Chirurgiæ Majoris libri quinque. In Cod. 2523. olim Colbertinæ nunc Regiæ Pariſien.

Traicté de Chirurgie de Lanfranc de Milan êcrit à Montpelier au Mois d'Avril l'ann 1434.

Agunt de ipſo Jo. Antonida Vander-Linden de Scriptis Medicis, Conradus Geſnerus. Jo. Jacobus Friſius, & Paſcaſius Gallus in ſuis Bibliothecis, Curtius in citato libro pag. 15., Mangetus in Bibl. Scriptorum Medicorum T. III. pag. 25., & Abbas Picinellus pag. 386. in Athenæo.

## CMLXVII.

## LANGLOIS ANTONIUS.

ANtonius Langlois Mediolani ortus anno Salutis noſtræ MDCLX. parente Petro Veſontionis Burgundiæ Urbis Cive, qui inde profectus Mediolani
A ſedem fixerat, Braydenſis primùm Academiæ Alumnus, tum in Papienſi Athenæo Medicinam edoctus, ibidem Phyſicam adeptus eſt Lauream. Curandis ægris in Patria ſedulam navavit operam, Proceribus, & Matronis clariſſimis acceptiſſimus. Ad Patavinam publicam Phyſicæ Cathedram regendam evocatus nunquam adduci potuit, ut patriæ charitatis oblitus aliò migraret. Septuageſimo ſecundo ætatis ſuæ anno, Uxore amiſſa Clericali militiæ nomen dedit, & Sacris initiatus Sacerdote Viro digniſſimam uſque ad extremum ſpiritum vitam tranſegit. Præſtantiſſimos in Litteraria Republica Viros coluit, ab his viciſſim plurimi habitus; quos inter memorandi Antonius Valliſnerius, Lucas Tozzi, Angelus de Blaſiis, Cogroſſus, & Macoppe Patavini Gymnaſii Anteceſſo-
B res. Eum Antonius Varni Phyſicus celeberrimus Galliæ inſigni Elogio commendavit. Obiit anno MDCCXL. in Vico Caſletto Plebis Incini Ducatus Mediolanenſis in primario ejuſdem Vici Templo conditus paterno Tumulo, cui hæc inciſa ſunt:

PETRVS LANGLOIS SIBI ET SVIS.

Scripſit

I. Tractatum de Febribus in genere.
II. Tractatum de Febribus malignis.
III. Tractatum de Variolis.
IV. Tractatum de China Chinæ.
V. Opus Philoſophicum de Natura.
VI. Inſtructiones de recto prudentique uſu Medicinæ.
VII. Contra Abuſum Flebotomiæ.
C VIII. Plures Conſultationes Medicas, aliaque minoris momenti Opera, quæ omnia Manuſcripta ſervantur apud Phyſicum Joſephum Bimium Diſcipulum, & amicum Authoris.

## CMLXVIII.

## LANTERIUS HILARION.

HIlarion Lanterius Mediolanenſis, cujus cognomen Abbas Picinellus ignoravit, ideoque ſub ſolo nomine Hilarionis in ſuo Athenæo ipſum intulit, Monaſterium Glaxiatenſe Sanctorum Petri, & Pauli hujus Urbis inter Monachos Caſſinenſes ingreſſus eſt,
D juxta Armellini ſententiam die XXV. menſis Martii, anno MCCCCLXXII. contra verò Placidus Pucinellus, in ejuſdem Monaſterii Chronico cap. 68. annum MCCCCLXXI. deſignat: ibique in Monaſticis diſciplinis, & Litterarum ſcientiâ tam peritus evaſit, ut de ſe omnibus admirationem meritò excitare meruerit, ideoque Cancellarius, & Procurator Generalis electus, in ipſis muneribus fideliter, & nullo labore diligentiaque poſthabitis, ſuorum univerſali conſenſu ad Abbatis dignitatem extolli promeritus eſt, primùm anno redempti Orbis MCCCCXCVI. ſecundò anno MDI., & iterum anno MDVI. Amiciſſimum habuit Equitem Renatum Trivultium Virum inſignem, à quo Sancti Mauri Abbatis Cella dotata fuit. Noſter verò reditus Monaſterii ſummoperè auxit, ut abundè Puci-
E nellus ſupradictus notat, nec non ad magnificentiam animi ſui demonſtrandam ſat eſt Monaſterii amplificatio, nec non Eccleſia ab ipſo exornata, qua occaſione Sepulchrum Ambroſii Gryphii, de quo jam egimus, nefas duxit à loco ubi erat, removere, niſi habita à Summo Pontifice facultate, ut in Ambroſio ſupramemorato jam diximus. Funeribus Beatricis Eſtenſis, Ludovici Mariæ Sfortiæ Mediolani Ducis uxoris, in S. Mariæ Gratiarum Templo peractis interfuit, nec de hoc contentus, in ſua etiam Eccleſia eleganti Pira conſtructa, & magnificè exornata, per plures dies, ipſe & ejus Monachi Sacrificia, & preces Deo offerentes, funus extinctæ Principis perfunctum voluit, qua de re Dux Ludovicus Abbatiam S. Mariæ in Dona Clavennæ in



Digitized by Google

Valletellina, Diœceſis Comenſis, tunc temporis in Commendam Ordinis Ciſtercienſis, ut Cœnobio de Glaxiate conjungeretur, curavit. Rem ex integro refert citatus Pucinellus, & Diploma Alexandri VI. Pontificis datum Romæ anno MCCCCXCVII. VIII. Idus Julii recitat. Hilarion noſter poſtquam Abbas in Ordine ſecundus Monaſterio Glaxiatenſi per tres vices, ut innuimus, aliquot annos ſumma cum laude præfuit, alia quoque optimè adminiſtravit, ſcientiarum ſtudio nunquam relicto uſque ad ſenectutem, in qua ad Comitia Generalia in Divi Benedicti de Padolirone Mantuanæ ditionis celebranda, profectus, ibidem è corporis carcere ſolutus, ad Superos tranſiit, magno ſuorum luctu, anno Chriſti MDXI.

Habemus de eo

I. Hilarionis Monachi Mediolanenſis Legendarium nonnullorum Sanctorum abbreviatum, ſupplementum illius de Voragine ſecundùm Kalendarium Monaſticum. *Impreſſum Mediolani, per Magiſtrum Jacobum de la Ripa de Sancto Nazario, die 16. Aprilis 1484. in 4.*

II. De Conceptione Glorioſæ Virginis Mariæ.

III. De Viſitatione Glorioſæ Virginis Mariæ, cum nonnullis ejuſdem Virginis miraculis.

IV. De Solemnitate B. M. ad Nives, & de quodam ejuſdem admirando miraculo, necnon de Corona ejus Aurea Stellarum duodecim eidem Virgini ab omnibus quotidie perſolvenda.

V. De Tranſlatione S. Georgii Martyris lib. I. incipit: Cogis me Pater; erat MS. in S. Georgio M. VVione teſte.

VI. Exhortatio perutilis S. Baſilii Epiſcopi ad Monachos.

VII. De Floribus excerptis ex Opuſculis S. Bernardi Abbatis in laudem Glorioſæ V. M. collectis in unum Opuſc. Hæc VII. ultima Opuſcula ſunt in ſupradicta editione.

Extat etiam in Bibliotheca Ambroſiana liber ſignatus ✠ num. 493. in 4., in cujus 1. pag. (nam libri proſpectus deeſt) ſic legitur „ MDLXXI. Legendarium editum ab Hilarione Monacho Mediolanenſi Ord. S. Benedicti intitulatum Supplementum Voraginis anno 1494. die 16. Aprilis, in 4. Poſt Indicem autem SS. hoc ibi ſubditur Exaſtichon:

*Multorum Vitas, mores, & nomina Lector*
*Sanctorum, noſtri cerne laboris ope.*
*Non Muſas, non falſa Deûm cunabula canto,*
*Nec vanas latebras hic Heliconis habes;*
*Nil ficti inſeritur, tantum obſervatio facti*
*Panditur, ut Veterum pagina certa docet.*

VIII. De Vita S. Simeonis Monachi, qui in Monaſterio S Benedicti de Mantua requieſcit.

IX. De Tranſlatione Brachii ejuſdem S. Georgii ad Monaſterium S. Georgii M. Venetiarum, teſte eodem Arnoldo lign. Vit. lib. II. pag. 425. cap. 69. ubi de eo agit.

X. Paradiſus delicioſus in Apparitione Domini. *Parmæ, apud Ugolettum, an. 1505. in 4.* teſte Armellino, cujus ſunt hæc verba: „ In fronte unius exemplaris „ hujuſce libri Parmæ impreſſi, qui modo extat in „ Biblioth. S. Juſtinæ Patavinæ, ita prorſus manu „ exaratum legitur: Hic liber fuit compoſitus per „ Reverendiſſimum D. Hilarionem Abbatem Congr. „ noſtræ Caſinenſis, prout dixit mihi D. Simpliciano „ de Aſſio Monacho S. Vitalis Ravennæ, Rever D. „ Benedictus de Parma Abbas Monaſterii S. Benedicti „ Ferrariæ, dum eſſem ibidem anno MDXXXIX., „ qui etiam dixit, quod ipſe rogatu ejuſdem P. D. „ Hilarionis, pro majori parte librum ſcripſit. „ Ex quibus cognoſcimus, librum hunc prodiiſſe Parmæ Anonymum, qua de cauſa Arnoldus laudati Lign. Vit. lib. II. cap. 72.. pag. 440., ejus libri verè aurei Auctorem vocat Monachum quemdam Congreg. S. Juſtinæ, quæ nunc Caſinenſis dicitur, quia nimirum ignoravit, Hilarionem illum, de quo ipſemet egerat ſupra cap. 69. pag. 425. ejus eſſe germanum parentem. Cæterùm Auctor librum hunc primùm Italicâ, dein Latinâ linguâ concinnavit, ut ex Præfatione liquidò conſtat, in eoque animam, Orationis medio, ad contemplationem dirigit, ac diſponit, & Orationis Dominicæ valde prolixam expoſitionem adornat.

Videndi ſunt, præter Arnoldum VVion ſupracitatum, Poſſevinus in Sacro Apparatu Tom. II. Pucinellus in Chronico Glaxiat. capp. LXVIII., LXXI., & LXXV. Teiſſerius in Auctario Catalogi &c. editionis Genevenſis 1705. pag. 114. Maraccius in Biblioth. Mariana p. p. pagg. 195. & 196. Picinellus in Athenæo pag. 380, necnon Armellinus in Bibl. Benedictino-Caſſinenſi p. p. pag. 223., atque Clariſſ. Saxius in Hiſt. Typog.

## CMLXIX.

## LANTERIUS PAULUS BERNARDINUS.

Breviter me expediam de Paulo Bernardino Lanterio Mediolanenſi, Eccleſiæ Viglevanenſis Præpoſito, nam Clariſs. Saxius noſter de ipſo in ſua Hiſtoria Typographica hujus Metropolis ſatis diſſerit. Florebat Vir iſte Sæculo XV. ideoque etſi parum ſuperſit de ipſo, juxta inſtitutum, quod nobis præſcripſimus, inter Auctores recenſemus, nempe qui omnium Mediolanenſium eruditiſſimus vocatur à Franciſco Puteolano in Epiſtola ad Jacobum Antiquarium, præfixa Cornelio Tacito, ac etiam laudatur à Stephano Dulcinio ad annum MCCCCLXXXIX. Inter Epigrammata Jacobi Valerii extat unum Pauli Lanterii tenoris ſequentis:

*Omnia ridebant tota fœliciter urbe,*
*Cauſſaque lætitiæ non erat una tamen.*
*Implebant animos Hymeneia feſta faventes,*
*Excibat plauſus Martia palma novos.*
*Cum maturavit partum Lucina beatum,*
*Et Regem nobis Regia nupta dedit.*
*Ergo intra pares ludos, & bellica palmæ*
*Præmia qui dextra vivere cœpit ave.*
*Ipſe triumphali lauro connectit olivam*
*Pacificam, inſignis Marte togaque ſimul.*
*Scilicet Imperio natus Sceptriſque regendis,*
*Haud aliis naſci debuit auſpiciis.*

Interim conjicere poſſumus, quod noſter plura ſcripſerit, quæ in apertum quandoque proferet ætas.

Damus igitur

I. Epithalamium Lanterii Ludovico Sfortiæ Mediolanenſi dicatum: extat MS. in Regia Pariſienſi Cod. 6505., ex Montfauconio Biblioth. MSS. Tom. II. pag. 764.

II. Epigramma in laudem Gaſparis Vicecomitis, ubi ſe Præpoſitum Viglevanenſis Eccleſiæ prodit, de quo Clariſs. Saxius.

III. Epigramma aliud. Extat in Reſiduis Triſtani Calchi pag. 4.

In libro VII. Sylvarum Lancini Curtii editionis Mediolanenſis anno 1521. extat Ode ad Paulum Lanterium Mediolanenſem pag. 138.

De eodem egit etſi parum etiam P. Mazzuchellus in ſuis Schedis. Forſan frater, aut ſaltem affinis fuit Abbatis Hilarionis, quem jam laudavimus paulo ſupra, ſaltem ejus coævus, ut patet, extitit.

## CMLXX.

## de LAUDE ARSILIUS.

Arſilius de Laude ex J. C. Alphonſo, atque Thereſia de Federicis conjugibus Trivilii editus eſt in lucem. Ab ineunte pueritia latinis litteris excultus, adoleſcentiam Juri ediſcendo, juventutem dicundo laureatus adjecit. Inſignium Oppidorum Caſtri Leonis, ac Vicqueriæ Prætor, at Mediolani jam Vir ſubſtitit inter fori Advocatos. Florebat verò eximiâ prudentiâ, qua, ſi fieri poſſet, lites componeret potius, quàm diſceptaret, minuſve aleret, clien-

clientelarum diſpendiis averſus apprime, etſi debitæ ſibi mercedis non eſſet inimicus. Cùm autem cognoviſſet ad ſui muneris officia exactè explenda antiquarum Legum ſcientiam non ſufficere, Proclamatum etiam, quæ vel Regum, vel Gubernatorum, vel Magiſtratuum auctoritate edita erant, notionem ſibi exactiſſimam comparavit. Imprimis autem quaſcumque potuit Senatus Sententias collegit, ut objectis caſibus, videret, quò ampliſſimus Ordo eſſet inclinaturus. Erat autem tenaciſſimæ memoriæ, ac multorum gratiâ pollebat, cùm præſtaret comitate, nec à leporibus, cautiſque ſalibus abhorreret. Ante ſenium cæcitate afflictus non tamen depoſuit togam, nec ſui muneris intermiſit officia. Quippe adjutoribus ſtudii uſus Conſulta dictabat, ut quoties libri inſpiciendi eſſent, eos indicaret, ac loca, paginas, lineas, in quibus quæſita continerentur, ſtupentem juventutem è veſtigio doceret. Hoc uſus vitæ genere Vir cæteroquin continentiſſimus, ac ad ſenium cælebs, cum Trivilium in patriam ſuam per ferias Autumnales ſeceſſiſſet, levi tactus apoplexi è vivis poſt aliquot menſes ingraveſcente morbo ereptus eſt, præclaroque funere ſublatus anno MDCCXXXVII. menſe Decembri.

Reliquit

I. Conſulta ſua partim Manuſcripta, partim Typis excuſa.
II. Adnotationes in novas Mediolani Conſtitutiones.
III. Collectionem Proclamatum Mediolanenſium cum Notis, quæ omnia habentur apud Abbatem Emmanuelem Arſilii fratrem, atque hæredem.
Hæc nobis ſubminiſtravit amiciſſimus, doctiſſimuſque Canonicus Barizaldus Trivilienſis.

## CMLXXI.

## de LAUDE EMMANUEL.

Emmanuel à Laude, Danielis filius, opulentâ Familiâ Trivilii natus eſt anno MDLXXXV., ingenioque ſummopere præditus, ad pietatem, ac litteras facto. Admodum adoleſcens Clericali inſtituto in Seminariis Mediolanenſis provinciæ litterarum ſtudiis excultus, Philoſophiam ac Theologiam impenſius edidicit. Itaque Friderico Cardinali Borromæo acceptus, ſacratuſque Sacerdotio Medam deſtinatur ad audiendas ibi Virginum Benedictinarum confeſſiones: eo munere ita perfunctus eſt, ut ſumma toto Parthenone pietas, charitas, ac religioſæ ſolitudinis ſtudium eximiè floreret. Inde diviti ſatis Canonicatu Stephanianæ Baſilicæ Mediolani donatus ex merito, quicquid temporis ab horis canonicis ſibi ſupererat, inter officia ad ſolatium miſerorum, ac litterarum ſtudia dividebat. Quare à Friderico Cardinali crebris illi dignitatibus, ac Sacerdotiis opulentioribus oblatis, modeſtiſſimus Vir ut ea admitteret adduci non potuit. Ad ſenectutem Canonicatu potitus, cum Divinis Horis intelligeret ſine magno jam ſalutis periculo ſe intereſſe non poſſe, exauctorari ſæpius petiit, atque ægrè tandem obtinuit, modica ſibi penſione reſervata. Tum verò Trivilium rediit, ſtationemque in patria ſua diu exoptatam non abiturus neque removendus elegit. Non tamen deſides trahebat dies, ſacris Virginibus D. Auguſtini à confeſſionibus datus, amicorum officiis intentus, litterarum ſtudiis addictus, plenus denique negotiorum, dum vacaret, qua vitæ conſuetudine uſque ad mortem uſus eſt. Fratrem habuit Felicem de Laude Abbatem inſignis Monaſterii S. Ambroſii Mediolani per ſeptennium ab anno MDCXLI. ad an. MDCXLVII., de quo Areſius in Chronologia Abbat. pag. 95. Obiit anno MDCLVII.

Scripſit:

I. De Oratione.
II. De Horis Canonicis, uno tantùm Volumine. *Mediolani, apud Joannem Baptiſtam Alciatum, ſine anno, in* 12.
III. Iſtorie di Meda, e Traslazione de' Santi Aimo, e Vermondo. *Milano, per Gian Battiſta Alciati*, 1619. *in* 4.
IV. Breve Storia delle coſe memorabili di Trevj. *Milano, per il Ramellati*, 1647. *in fol.* Hæc verò copioſior eſt MS. in Bibl. Ambroſ. Cod. ſign. D. n. 18. hoc titulo:
Breve Storia dell'Origine, e degli Avenimenti dell'antico e nobile Caſtello di Trevj, poſto in Gera d'Adda, deſcritta dal Dottore, e Teologo Emmanuele Lodi nativo del medeſimo Caſtello, e Canonico di S. Stefano in Broglio di Milano, diviſa in libri ſei. Eſt pagg. 1333. præter Indicem.
Etiam de iſto plura debemus ſæpè laudato Canonico Barizaldo, nec non Cl. Sitono: memoratur quoque à Picinello in Athenæo pag. 159.

## CMLXXII.

## de LAUDE JOSEPHUS SEPTIMIUS.

Joſeph Septimius de Laude Trivilium patriam nactus, nomen inde ſortitus eſt, quod perpetuo ordine eum ſeptimum maſculum Mater Thereſia Fridericia Alphonſi Juriſconſulti Uxor fœlici partu enixa eſſet. Puer litterarum ſtudia in Mediolanenſi Seminario ſectatus per adoleſcentiam, Philoſophiæ primùm, mox Theologiæ ita ſeſe addixit, ut humaniorum litterarum cultum non intermitteret. Jamque Sacerdotio perfunctus, Oblatorum Sanctorum Ambroſii, atque Caroli Conſortio adſcriptus eſt. Inde apud eos magna cum opinione ſacræ eruditionis multis annis Philoſophos, Theologoſque eſt interpretatus. Itaque Ambroſianæ Baſilicæ ex meritis Archipresbyter à Cardinale Herba Archiepiſcopo renunciatus, qui Dignitatis gradus ſecundus in illa eſt, eam à vetuſtate repurgandam curavit. In illo opere antiquitatem exactè ita cuſtodiit, ut ipſam tamen exornaret, dum ſervat. Cryptas ibi antiquiſſimas marmoreis columnis ſuffulſit, earumque parietes immiſſo uberiori lumine, novo, amœniorique tectorio loricavit plaſticis operibus excultos. Inde cum Divi Laurentii Præpoſitura vacaret, quæ Dignitas in Urbe Mediolano vel inter præcipuas Sacerdotii eſt, ad eam evocatur Septimius, qui jam pridem inter Examinatores Cleri, Conſultoreſque Archiepiſcopalis Curiæ fuerat adſcriptus. Tot defunctus muneribus gravi morbo tentatus, cum periculum evaſiſſe cenſeretur, improviſo propè obitu ſublatus eſt.

Edidit:

I. Panegirico in lode di San Bernardo detto in Sant'Ambrogio: dedicato al Cardinal Arciveſcovo Benedetto Erba Odeſcalchi. *Milano, per il Bianchi*, 1721. *in* 4.
II. Diſſertatio Hiſtorica de Tumulo Sanctæ Marcellinæ Virginis Sororis Sanctiſſimi Parentis noſtri Ambroſii in ejuſdem Imperiali Baſilica humatæ, è vetuſtiſſimis & recentioribus Monumentis collecta. *Mediolani, apud Petrum Franciſcum Navam*, 1725. *in* 4. Extant in fine ſubſcriptiones plurium Theologorum.
Hæc partim debemus ſupra laudato Canonico Barizaldo, partim Cl. Sitono, aliaque nos excerpſimus.

## CMLXXIII.

### de LAUDE OLDRADUS.

FAmiliam de Laude, quæ Mediolani florebat, jam à Sæculo XIV. præter Trivilii natos, mox à nobis jam laudatos, nonnullos etiam peperit memoriâ dignos, quos inter Collectio ampliſſima Archintea Familiarum illuſtrium Mediolanenſium, tres enumerat ex Conſilio Generali hujus Urbis Anno MCCCXL. exiſtentes. Petrolus etiam de Laude, incola Portæ Ticinenſis, ad reformandum Extimum hujus Ducatus Anno MCCCLXXXI. adſcribitur, quo tempore decreta fuit Proceſſio de Mandato Principis quotannis cum Proviſionum Vicario facienda ad Sancti Jacobi Apoſtoli Hoſpitale, in memoriam victoriæ obtentæ contra Gallos. Celebris fuit etiam Ludovicus Anno MDLXII. ex Conſilio Generali, atque Urbis Præfectus Anno MDLXVI. In eadem Collectione reperi Oldradum de Laude Juris C. celebratiſſimum fuiſſe temporibus inſignis Bartholi, necnon adhuc extare Conſiliorum ejus Volumen. Iſtud verò undique à me quæſitum, minimè reperire datum fuit, nihilominus Oldradum non omittendum eſſe ſatius duxi, etſi Opus ipſius ſit impreſſum vel non, adhuc incompertum habeam.

Damus ergo ejuſdem

I. *Conſiliorum Volumen.*
Ex ſupradicta Collectione Comitis Octavii Archinti.

## CMLXXIV.

### LAURENTIUS.

LAurentius, hujus nominis ſecundus, poſt obitum Frontonis, qui Ambroſianæ Cathedræ Paſtor illegitimus per annos XI. incubabat, anno circiter DLXXXI. à Populo & Clero Mediolanenſi, qui ut Barbarorum rabiem declinarent, cum Sancto Honorato Archiepiſcopo Genuam ſe receperant, ad Archiepiſcopale faſtigium evehitur, electionem ejus Apoſtolica authoritate confirmante Pelagio II. Summo Pontifice. Quamvis autem in tam miſera incidiſſet tempora, quibus neque ad propriam Eccleſiam accedere daretur, ejus tamen jura, & poſſeſſiones, præſertim in Sicilia Inſula ſitas, ſtrenuè defendit, miſſo etiam ad Apoſtolicam Sedem Conſtantio Diacono, qui ei poſtmodum ſuffectus eſt. Placuit nobis ipſum in hac Collectione proferre reſpectu potiſſimùm ejus Epiſtolæ ad D. Gregorium Magnum ſcriptæ, ut infra, etſi parum nimis aliquibus videbitur, ſed in tanta temporum antiquitate ſat eſt. Obiit I. Pontificatus Divi Gregorii anno, Genuæ, ætatis ſuæ anno LXXXV. Sepultus eſt ad Sactum Syrum.

Habemus igitur

I. Epiſtolam ad Sanctum Gregorium Magnum ſcriptam, ut Sanctus Pontifex teſtatur in Epiſtola LXXX. lib. I. ad eamdem Laurentium data, in qua meminit de Conſtantio Diacono Mediolanenſi, poſtea ipſius Laurentii Succeſſore, & de quibuſdam redditibus Eccleſiæ Mediolanenſis in Inſula Siciliæ.
Agunt de eo Acta Eccleſiæ Mediolanenſis, Ughellus Tomo IV. in Mediol. num. XXXIV. & alii permulti.

## CMLXXV.

### LAZARONUS PETRUS.

DE Petro Lazarono Mediolanenſi nil amplius proferre poſſum, præterquam quod ipſe teſtatur in fronte ſui Operis, nempe publicum Profeſſorem fuiſſe Artis Oratoriæ in Ticinenſi Gymnaſio. Alibi conqueſtus ſum tam celeberrimæ Academiæ nullum extare Catalogum Virorum, ſaltem illuſtrium, qui in ea floruere, ut de Patria, eorumdemque ſcriptis notitiam haberemus. Sperandum, quod aliquando provincia Reipublicæ Litterariæ utiliſſima à quodam Viro docto aſſumatur. Lazaronus noſter Poëma pro more Sæculi XV. ſatis elegans, ſcripſit de Nuptiis Imperatoriæ Majeſtatis Maximiliani, cum Nuncupatoria, cui titulus

I. Sereniſſimo Romano Regi, Invictiſſimoque Imperatori deſignato Maximiliano, Petrus Lazaronus Artis Oratoriæ in Ticinenſi Gymnaſio Publicus Lector S. P. D. *Impreſſum Mediolani, per Antonium Zarottum Parmenſem Anno Dom 1494. die primo Octobris.*
De eo Clariſs. Saxius in Typographica Hiſt. Mediol.

## CMLXXVI.

### LAZARUS.

SAnctus Lazarus, ſeu, ut aliqui volunt, Lazarius, Civis Mediolanenſis, Lazari filius, à Sancto Glycerio hujus Urbis Antiſtite Primicerius creatus, eo defuncto, Epiſcopale munus ſuſcepit circa annum CCCCXXXVII. Clerum Populumque ſibi commiſſum ſtrenuè gubernavit, ſanctiſſimæ Vitæ laude illuſtris. In ſumma Gothorum barbarie multa perpeſſus mala, atque Urbis excidium, numquam à paſtorali cura animum remiſit. Monaſterium S. Auguſtini Diſcipulis extra Portam Cumanam, ubi nunc conſpicitur Cœnobium Eremitarum ejuſdem Sancti Auguſtini apud S. Mariam, quæ Coronata dicitur, Lazarum excitaſſe tradunt Joannes de Deis, & Ripamontius. Sub Pontificatus ſui initium triduanas Litanias inſtituit, quæ hactenus ſolemni comitante jejunio in Ambroſiana Eccleſia hebdomadâ primâ poſt Aſcenſionem Domini celebrantur, & inter præcipuos Mediolanenſes Ritus enumerantur. Inſtitutæ ſunt ad repellendos, Divino præſidio invocato, ab Urbe barbaros, frequens enim in precibus mentio occurrit mœnium, atque portarum, & Angelorum cuſtodia ab Omnipotenti Deo depoſcitur, quæ Civitatem, & Incolas ſervet incolumes. Ritum hujuſcemodi Litaniarum Lazarum noſtrum à Mamerco Viennenſi Epiſcopo didiciſſe ſcribunt nonnulli, verùm eruditiſſimus Pater Bollandus ad diem XI. Februarii in Actis Sancti Lazari §. II. num. 6. ſatis patenter edocet, id perperam aſſeri, cum Lazarus ante obierit, quam Mamercus ad Epiſcopalem Sedem Viennenſis Eccleſiæ eveheretur. Præfuit Eccleſiæ Mediolanenſi uſque ad annum CCCCXLIX. Obiit anno ætatis ſuæ LX. die XIV. Martii, S. Leone Magno Summo Pontifice, ſuccedente ſibi in Mediolanenſi Cathedra Sancto Euſebio, de quo jam diximus, & colitur in eadem Eccleſia die II. Februarii. Ejus Corpus ſervatur in Ara Maxima Baſilicæ Apoſtolorum, quæ Sancti Nazarii dicitur. Eum hoc laudavit Carmine Ennodius:

*Lazarus*

Digitized by Google

*Lazarus ut diri premeret pede culmina Mundi,*
*Vocibus accitus, trux venit in medium.*
*Quem frons læta parum vitiis depinxerat hoſtem*
*Mulctantem culpas luminibus tacitis.*
*Reſpiciens lapſus, deterſit nubila vitæ:*
*Curam ſæpè dedit vulneris obſequio.*
*Non latuit, tectis facinus qui geſſit in antris:*
*Abſens criminibus tortor ubique fuit.*
*Innocuis placida vernabat luce ſerenus,*
*Ceu ſpeculum noxis injiciens faciem.*

Præſcripſit Lazarus Clero Populoque Mediolanenſi.

I. Preces in Litaniis Triduanis recitandas, & formulam univerſam in multa tranſcriptam exemplaria per Collegia, & Ordines, vicatim quoque, & regionatim dividendam curavit.
Has preces poſtmodum Stephanus Cardinalis Nardinus, qui circa annum Domini MCDLXX. Mediolanenſi Eccleſiæ præfuit, impreſſo Codice redonavit pietati, & ævo, cum jam prope litterarum formæ cederent vetuſtati.
Vide Bollandum Act. Sanct. ad diem XI. Febr.
Ejuſque Elogium, & Scriptores, qui de eo agunt, inſeruit Clar. Boſca in Martyrologio Mediol. a ſe conſcripto, ad diem XI. Februarii.

## CMLXXVII.

## LEANDER.

Leander Mediolanenſis Capuccinus ejuſdem Provinciæ Alumnus, tamquam Theologus, & Concionator eximius tantùm à Suis in Annalibus deſcribitur, & mirum eſt, quod Viri temporibus ferè noſtris viventis exciderit cognomen, tanta eſt incuria vel modeſtia eorum, quibus cordi eſſe debuerat famam non ſolum Ordinis, quem Scriptores nonnulli profeſſi ſunt, ſed & etiam familiarum, è quibus originem traxerunt, nec Opera, quæ in lucem prodiere tantummodo indicare; ſed Acta quoque, dignitates in eorum Cœtu habitas, & Scripta poſteriorum memoriæ tradere dignum & juſtum fuerat. De Leandro itaque exhibere ultra mihi non licuit niſi Opus infraſcriptum jam editum, & alia adhuc MSS.

Quæ ſunt

I. Compendio della Vita, e Morte della Venerabile Suor Veronica Calcaterra, Fondatrice del Collegio delle Vergini della Preſentazione di Maria Vergine col titolo di S. Filippo Neri in Milano. *Ivi, preſſo Lodovico Monza*, 1673. *in* 4.
II. Quadrageſimale, & Panegyres plures. MS. in fol. Vol. II. Ex Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum à Dionyſio Genuenſi contexta Edit. II. pag. 220.

## CMLXXVIII.

## LEAZARIUS, ſive LEAZARNUS PAULUS.

Bononienſi homini, cui inſtitutum ſit Bibliothecam Scriptorum Mediolanenſium texere, durum eſt invenire, Paulum Leazarium ſive Leazarnum unum ex celebrioribus Juriſconſultis Sæculi XIV. nam originem à Patria mea chariſſima traxiſſe aliqui contendunt, alii verò Mediolanenſem ipſum faciunt. Pro prima ſententia eſt Albericus, & ipſe inter Juriſperitos inſignis; ideoque in R. C. quæ ſit longa Conſuet. ſub num. 78. Leazarium Bononienſem dicit, contra verò Card. in Procem. Clement. ult. X. de ſecundis nuptiis, ſub num. 3. vult ipſum Mediolanenſem. Attamen litem hanc dirimere ego minimè audeo, contentus pro eo inſerendo in hac mea Collectione adhærere opinioni Cardinalis ſupradicti, atque hos verſus addere à Raphaële Tuſcano compoſitos, à me alibi citatos, & à pluribus in lucem editos, inter quos eſt Cl. Sitonus in Chronico J. PP. Mediol. pag. 13. p. II.

*Delle Sacrate Leggi have Milano*
*Partorito la gloria, e lo ſplendore,*
*Queſti i primier fur: Silvio Giuliano*
*Avo del gran Giuliano Imperadore,*
*Vincenzo Gloſſator, Giovan Lignano,*
*Dall' Orto Uberto di Minerva onore,*
*Gherardo Catapiſto, e Paol quello*
*Di Leazarno ſpirto altero, e bello.*

Floruit igitur Paulus Leazarius, Joannis Andreæ auditor, cum Rainerio Forolivienſi, & Jacobo Butrigario circiter annum Salutis MCCCXL. Bononiæ in Jure Pontificio emicuit, in quod non pauca ſcripſit, & acutas Quæſtiones à ſe diſputatas reliquit adeo copioſas, & utiles, ut frugi homo eas maximè faciat, quemadmodum aſſerunt Auctores omnes infraſcripti. Inter alios Joannem à Lignano, mox à nobis laudandum erudivit.

Scripſit plura, quæ memorantur utſupra, nempe

I. Quæſtiones utiliſſimas in Decretorum libros.
II. Diſputationes in omnes titulos Juris.
Ita Baldus in l. 15. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. & Abb. in c. Felina in c. Si quando, §. n. 3. X. de reſcr. ex Guidi Panciroli de Claris Legum Interpretibus lib. III. cap. XXII. pag. 341., & ex Marci Mantuæ Epit. Illuſtrium Virorum cap. 196.

## CMLXXIX.

## LEDESMA ALEXIUS.

Meritò de hoc Scriptore gloriari poteſt ſæpè laudata Congregatio Clericorum Regularium Divi Pauli Barnabitarum nuncupata, nam in ea adoleſcens ſe Deo ſacravit, & non tam litteris, quàm prudentiâ ſummoperè præditus Cathedras Philoſophicas, atque Theologicas aſcendit Maceratæ, Fulginei, & Romæ, ſed etiam munere Pœnitentiarii in Bononienſi Metropolitana decoratus eſt, & pluribus ſui Ordinis Collegiis omnium plauſu præfuit. A ſequentibus verò Operibus, quæ publici juris fecit, facilè ingenium ejus agnoſcitur. Obiit Vir iſte ætate & laboribus gravis in Urbe Derthona medio Sæculo proximè tranſacto.

Hæc ſunt, quæ de eo damus

I. Dodeci Diſcorſi intitolati le dodeci Pitture, o ſiano le grandezze di S. Aleſſio. *Roma, appreſſo Franceſco Cavalli*, 1637. *in* 4.
II. Le glorie di S. Lucina Matrona Romana. *Bologna, appreſſo Carlo Zenero*, 1646. *in* 12. *XII. edizione.*
III. La Teodolinda. *Foligno, per Agoſtino Alterii*, 1649. *in* 8.
IV. La Gondeberga. *Bologna, per Giacomo Monti*, 1648. *in* 12.
V. Vita di S. Gherardo Confeſſore. *Bologna, per il Monti*, 1647. *in* 4.
VI. De rebus geſtis Coſmi Doſſeni, ad Carolum Septalam. *Derthonæ, apud Violam*, 1659. *in* 4.

VII.

Digitized by Google

VII. De Vita, & rebus geſtis Gabrielis Palæotti, S. R. E. Card. *Bononiæ*, *apud Carolum Zenerum*, 1647. *in* 4.
VIII. Elogiorum Centuria I. *Maceratæ*, *apud Hieronymum Salvionum*, 1642. *in* 8.
IX. Pareri Accademici. *Bologna*, *per il Monti*, 1647. *in* 12.
De eo Abbas Picinellus in ſuo Athenæo pag. 17. Octavius Boldonius in ſua Epigraphica, & Carolus Conſtantius Rabbius in Continuat. hiſtoriæ Epiſcoporum Bononienſium, inter Opera Caroli Sigonii, Tom. III. noſtræ editionis.

## CMLXXX.

## LEGNANUS GASPAR.

Gens Legnana primùm cognomen habuit de Oldrendis, ut ex publicis Documentis aſſerit Cl. Sitonus centies à nobis laudatus in ſuis Schedis, & quia in Oppido Legnani nomine, decimoquinto lapide Orientem versùs, ab hac Urbe diſſito, originem ſuam traxit, de Legnano poſtea perpetuò vocata eſt. Lectorem noſtrum fortè fatigaremus, ſi Viros illuſtres de hac Familia Mediolanenſi, aliam Bononienſem nobiliſſimam prætereundo, hìc recenſere ſtatuiſſemus; Sufficit pro omnibus celebratiſſimus Juriſconſultorum Princeps Joannes, de quo parum infra nobis ſermo, & forſan longus nimis erit præter inſtitutum noſtrum. Aliàs in magna Collectione Archintea cognovimus, ex Conſilio generali in hac Metropoli fuiſſe VIII. de hac Legnana Familia ab anno MCCCLXXXVIII. ad MDCXXXIV. à Jacobo nempe uſque ad Hieronymum, & totidem in Officio XII. Proviſionum à Bonderolo in annum MCCCLXXXVI. uſque ad Joannem Jacobum ipſum munus agentem anno MDCXLII. Gaſparem verò, de quo nunc agimus, apud Clariſs. Roſinum in Licæo Lateranenſi cognovimus, nam eamdem celeberrimam Congregationem rexiſſe aſſerit munere Abbatis Generalis currente anno Nativitatis Domini MDLXVI. Opus ejuſdem, quod infra dabimus, ſervat ampliſſima Vaticana Bibliotheca ex Catalogo, quem dedit Montfauconius, titulo ſubſequenti

Videlicet:

I. Gaſpari de Legnanis Mediolanenſis Canonicorum Regularium Lateranenſium Abbatis Generalis: Conſtitutiones pro unione charitativa cum Canonicis Regularibus S. Crucis, quas ſcripſit Conimbriæ. Extant in Cod. MS. Bibliothecæ Regis Angliæ num. 1136. teſte Montfauconio.
De eo agit Roſinus in Lycæo Lateranenſi.

## CMLXXXI.

## LEGNANUS HIERONYMUS.

Ex præclariſſima Legnanorum familia, de qua ſupra in Gaſpare aliquantiſper diſſeruimus, Patre Joanne Jacobo, ortus eſt Hieronymus, de quo nunc dicturi ſumus. Virtutes eximias ab ipſa natura Vir iſte acquiſivit, ideoque ſolidâ judicii promptitudine, breviter in litteris emicuit, ita ut poſtquam anno MDCXXXIV. unus ex Sexaginta Patriæ Decurionibus adlectus fuerat, tantam omnium exiſtimationem ſibi conciliaverit, quòd Orator ad Hiſpaniarum Regem in Aula Matritenſi à patria ipſa mitteretur. Tanta ejus fuit Orationis vis, ut Maximis, atque Catonibus compararetur, & quod plus eſt, pietatem tam aſſiduè coluit, ut illius vita pro exemplo etiam eorum, qui ex profeſso ſanctimoniam ſequuntur, dari poſſet. Legationem ſupradictam ad Philippum IV. egit ætate annorum LXX., in eaque dies ſuos clauſit cum omnium, ipſiuſque Regis mœrore. Ad ſupradictas tanti Viri dotes ſingularem quoque ejus modeſtiam adjicimus, ob quam litterarius Orbis nunquam ipſius lucubrationibus frueretur, ni Carolus Hieronymus Capatius ex Somaleæ Comitibus, Auctoris noſtri amiciſſimus, & quem jam laudavimus, aliquas in publicam lucem protuliſſet. Satis eſt interim de Hieronymi laude in teſtimonium proferre ſequens Elogium, quod marmore exſculptum, cui ſuper eminet etiam marmorea ejuſdem effigies, Patriæ Decuriones in Templo S. Mariæ Paſſionis hujus Urbis excitatum voluere, occaſione, qua ampliſſimo Funeri pro eo celebrato interfuerunt:

HIERONYMO LEGNANO
NOBILITATIS ET PROBITATIS ANTIQVAE MEDIOLANENSI PATRITIO
CHRISTIANAE PHILOSOPHIAE BONARVMQVE LITTERARVM LAVDIBVS SPECTABILI
OMNIVM NOBILIVM MAGISTRATIBVS CVM VIRTVTE PERFVNCTO
AC DEMVM AD PHILIPPVM IV. IN HISPANIAS LEGATO
IBIQVE DVM REM PATRIAM STRENVE AGIT
MORTALIBVS EREPTO
MARCHIO CAROLVS GALLARATVS VRBIS PRAEFECTVS
ET LX. DECVRIONES DECVRIONI OPTIMO
INSIGNI CELEBRATO FVNERE
DESIDERIO AMORI ET MEMORIAE
POS. AN. SAL. MDCLI.

Damus de ipſo

I. Diſcorſo, overo conſiderazioni intorno alle coſe della natura, ordinato al Divino conoſcimento. Librum hunc edidit Horatius Landus, *Mediolani*, 1647. *in fol.*
II. Rifleſſioni divote intorno alli eceſſi doloroſi, e corporali, e mentali ſofferti dal comune Redentore per fineza del ſuo grand' amore verſo dell' Uomo ingrato, con alcune ponderazioni affettuoſe ſopra la vita, penſieri, meditazioni, e dolori della gran Madre di Dio Signora noſtra, nella paſſione e morte del ſuo Unigenito, e Divino Figliolo, Opera poſtuma del Signor Girolamo Legnano già Oratore per la Patria a Filippo IV., dedicata al Signor Marcheſe Vercellino Viſconti. *Guaſtalla*, *preſſo Marco Eraſmi*, 1669. *in* 4.

III.

Digitized by Google

III. Joſephi Ripamontii, Hiſtorici Regii Vita. MS.
IV. Elogium Card. Federici Borromæi. MS.
V. Diſcorſo concernente agli intereſſi delle Città, Provincie, Repubbliche, Regni, &c. MS.
VI. Diſcorſo, e parere intorno alla riſoluzione d'eſpugnar la Piazza di Caſale. MS.
VII. Diſcorſo, ſe la Pace trattata trà la Caſa d' Auſtria, e la Francia foſſe per ſtabilirſi. MS.
VIII. Parere, ſe ſi doveſſe mandare Oratore in Spagna a rappreſentare le coſe dello Stato di Milano. MS.
IX. Vita del Salvator del Mondo. MS. neſcio an ſit idem, quod numero II. dedimus.
X. Dell' Eccellenze di Maria Vergine. MS.
XI. Diſcorſo di Pace per interpoſizione del Romano Pontefice. MS.
XII. Diſcorſo per le novità del Forte di Monaco. MS.
XIII. Diſcorſo ſopra le qualità di un giovane Cavaliere, che dovrebbe ſervire d' Idea à tutta la nobiltà. MS.
XIV. Præfatio ad Decadum Hiſt. Ripamontii lib. III. legitur in hujus Operibus.

Extabant omnia, ut aſſerit Picinellus, apud ſupradictum Comitem Cavatium à Somalea, imò aſſerebat idem Picinellus, aut ſomniabat, quod anno MDCLXVIII. actu Typis cudebantur, uno aut pluribus Voluminibus in fol. Quæ verò notata ſunt numeris III. & IV. reperiuntur penes Canonicum Joannem Andream Iricum, mihi ſummâ amicitiâ conjunctum.

Videndus eſt ſupra memoratus Picinellus in Athenæo pag. 343.

## CMLXXXII.

## LEGNANUS JOANNES.

SUpervacaneum eſſe duco quod ſcripſit aliunde doctiſſimus Caſimirus Oudinus in Tom. III. de Scriptoribus Eccleſiæ antiquis, circa Joannis Legnani, ſive de Lignano, ut ipſemet pluribus in locis ſe nuncupavit, Patriam, eo quia Viro ſupradicto nullum dubium eſſe debebat, quod Mediolanenſis fuiſſet, non autem Bononienſis, etſi in ea Urbe per multum ævi Jus Canonicum, & Civile ipſum docuiſſe certum ſit. Etenim Joannes noſter oriundus ab Oppido Legnani nomine, nemine reluctante, Familiam non tantum, atque Mediolanum, ſed Juriſperitiam ipſam illuſtravit, cujus Princeps à ferè omnibus ſuæ ætatis nuncupabatur; natus eſt igitur Mediolani, ut aſſerit Cl. Sitonus, patre, cui nomen erat Comes de Oldrendis, quod primum fuit cognomen iſtius Familiæ, ut jam monuimus in Gaſpare de Legnano. Gloriari quoque ſummopere poteſt patria mea chariſſima, ob moram tam diuturno tempore in eadem ab eo peractam, & ob Legationes pro ipſa ad Summum Pontificem habitas. Uxorem duxit Novellam Federici Caldarini, celeberrimi illius Juriſconſulti Andreæ geniti, filiam, ex qua procreavit Baptiſtam, ab eoque reliqui nobiliſſimæ Gentis Legnanæ Bononienſis, uſque in hanc diem magno cum decore fulgentis, prodiere. Vir noſter philoſophico ingenio, ſplendidi habitus parùm ſtudioſus fuit, qui ſemel ad nuptias invitatus, & ob vilem veſtem neglectus in infimo loco poſitus eſt. Itaque ubi ob vulgarem cultum nullam virtutis rationem haberi vidit, purpuream togam ſibi afferri juſſit, & è menſa ſurgens in ſuperiore loco, quem ſibi deberi exiſtimabat, eam collocavit, illud præfatus: Veſtem coluiſtis, veſtem habetote, quo dicto omnes ob factum admirabundos, & pudore ſuffuſos relinquens diſceſſit. Diſciplinas, & earum ſtudioſos mirificè adamavit, inter quos fuit Paulus Leazarnus, quem paulo ante laudavimus. Anno MCCCLXXI. cum Gregorius XI. Summus Pontifex Collegium, quod vulgo Gregorianum vocatur, condere in ædibus Pepulorum Bononiæ inſtituiſſet, inſtrumenti emptionis earum conficiendi cura demandata eſt Jo. noſtro, ut teſtatur Ghirardaccius in Hiſtoria Bononienſi loco citando. Bis Bononienſium nomine Orator ad eundem Pontificem Gregorium XI. miſſus fuit, annis nempè MCCCLXXVI., & MCCCLXXVII., à quarum Legationum ultima, & ab Urbe Roma ad Bononienſem reverſus Vicarius Generalis Pontificis factus eſt, ut aſſerit ſupradictus Ghirardaccius. Quandoquidem verò de eodem Summo Pontifice loquimur, quæ ad Auctorem noſtrum ſcripſit Clariſſimus Pancirolus apprimè pertinentia, juvat hìc promere: „Cum verò „ Gregorius XI. ex Galliis Romam reverſus deceſſiſſet, Cardinales, armato populo Romanum, aut „ Italum Pontificem efflagitante, Urbanum VI. „ Pontificem renuntiarunt; ſed cum armorum metu „ ſe id feciſſe aſſeverarent, Clementem V. elegerunt, unde orto ſchiſmate, Joannes cum Baldo „ cauſam Urbani ſcriptis ſtrenuè defendit. Erat tum „ in Faliſcis (nunc Montem Flaſconem vocant) „ quem de ſe benemeritum Cardinalis dignitate libenter ſe honeſtaturum fuiſſe Pontifex dixit, niſi „ conjugatus eo honore frui non potuiſſet, cui Joannes. *Nolle ſe*, inquit, *ſanguinem pauperibus* „ *deſtinatum bibere*, *ſed ex ſudore manuum ſuarum* „ *victurum*, *cum ſibi Deus conceſſiſſet*, *ut laboribus* „ *poſſet vitam ſuſtinere*. Tum Urbanus, *poſſes*, ait, „ *etiam habens patrimonium ex reditibus Eccleſiæ vivere*, *ſi velis*; & ut erat eruditus, citavit Gloſſam id narrantem. At Joannes, *poteſt*, inquit, „ *& Pontifex ex bonis Eccleſiæ vivere*, *ſed non ditare nepotes*, his ſe non indigere ſignificans, & „ cognatis dandi fugiendam occaſionem. Extat de hac re Epiſtola Joannis noſtri, quam nos inter ejus Opera recenſebimus. Nihilominus tamen Joannes Romam ad ſalutandum Urbanum Pontificem creatum profectus, ab illo benignè & comiter exceptus, & dimiſſus eſt. Dedit autem illi idem Urbanus Sextus duos pileos rubeos ab Philippum Caraffam, & Bartholomæum Mezzavaccam deferendos, uti Cardinales recenter factos, qua occaſione extat Oratio ad unum ex iiſdem Cardinalibus ab eo habita, in Templo Divo Dominico ſacro Bononiæ, quam omiſit Odericus Raynaldus, ut ſuo loco dicemus. In fine verò ipſe Joannes ita dixiſſe legitur: „ Quia ergo olim ſcholaſticâ doctrinâ fili dilectiſſime, „ nunc ratione dignitatis, & officii pater reverendiſſime, Sanctiſs. Pater, & Dom. noſter Dom. Urbanus ſolâ divinâ providentiâ Sacroſanctæ militantis „ Eccleſiæ Papa VI. vos promovit ad Cardinalatus „ apicem, auctoritate ſpeciali in hac parte mihi „ conceſſa, & commiſſa per præfatum Sanctiſs. Patrem, & Dominum, ut uni ex Cardinalibus, de „ quibus prædixi, ſuper caput tuum imponam orbem, quem una cum aliis cardinibus ſuſtenta &c. „ Ad honorem Dei omnipotentis, & glorioſæ Virginis Mariæ, Regis, Reginæ Cœleſtis, & Beatorum „ Apoſtolorum, & Beatorum Nicolai, & Dominici „ Confeſſorum, ſub quorum titulo conſtructa eſt „ hæc venerabilis Eccleſia, & totius Curiæ triumphalis. Ad honorem, & exaltationem Sanctiſſimi „ Patris, & Domini, Domini Urbani ſolâ Providentiâ Divinâ Papæ VI. & Sacroſanctæ militantis „ Eccleſiæ ad ſalutem, & quietem hujus almæ Civitatis, nec non divinalis Studii Bononienſis, aſſumo „ hunc orbicularem pileum, & ſuppono capiti tuo &c. Anno MCCCLXXX. exeunte Junio, denuò fuiſſe Romæ, teſtatur Rodericus Bernardi unus ex Legatis Joannis Regis Caſtellæ ad Pontificem in Relatione ſua, quam ſervari aſſerit Oudinus in Codice MS. Colbertino num. 815. In ea contendit quoque idem Rodericus, quod Congreſſu habito cum Joanne noſtro ſuper electionem Urbani VI., & Librum à Legnano ſcriptum pro defenſione ejuſdem Pontificis, in mentem veniſſe ejuſdem Auctoris noſtri, non bene ea, quæ in Conclavi à Cardinalibus acta fuere, ſibi relata extitiſſe. Sed cum inſtitutum noſtrum minimè ſit de ſimilibus controverſiis hìc agere, Lectorem remittimus ad ſupradictum Tom. III. Operis Oudini, in quo tota Series legitur illius Congreſſus Ro-

næ habiti inter Auctorem noſtrum, & Rodericum Bernardi, qui ſatis alioquin cenſetur lectu digniſſimus. Moriens autem Joannes noſter, libros extra Familiam ſuam, Teſtamento alienari prohibuit, & ſi Baptiſta, quem unicum filium habebat, ſine liberis deceſſiſſet, Collegium Studioſorum inſtituit, ſed natis poſtea Guilielmo, & Georgio nepotibus, id evanuit. Prædia nonnulla in agris tam Mediolanenſi, quàm Bononienſi hæredibus reliquit, inter quos poſtmodum A orta fuit controverſia, in qua Barbatia, Socinus, Ruinus, Corneus, Crotus, Viri omnes celebratiſſimi conſuluerunt. Obiit Bononiæ an. MCCCLXXXIII. die XVI. Februarii, ſepultuſque fuit apud Sanctum Dominicum cum magno Virorum Principum ejuſdem Urbis concurſu, inter quos aditiſſe etiam Funeri ejus Philippum Caraffam Cardinalem adducit Ghirardaccius. En Epitaphium Sepulchro ejus inſcriptum.

FRIGIDA MIRIFICI TENET HIC LAPIS OSSA IOANNIS
IVIT IN ASTRIGERAS MENS GENEROSA DOMOS
GLORIA LEGNANI TITVLO DECORATVS VTROQVE
LEGIBVS ET SACRO CANONE DIVES ERAT
ALTER ARISTOTELES HIPPOCRAS ET TOLOMAEI
SIGNIFER ATQVE HAERES NOVERAT ESSE POLI
ABSTVLIT HVNC NOBIS INOPINAE SINCOPA MORTIS
HEV DOLOR HIC MVNDI PORTVS ET AVRA IACET.
ANNO MCCCLXXXIII. DIE XVI. MENSIS FEBRVARII.

L. B.

HOC OPVS FECERVNT IACOBELLVS ET PETRVS PAVLVS FRATRES
IOAN. LEGNANO BONONIAE DOCENTE.

Hi eximii Sculptores erant, qui Mauſolæum ſupradictum elaborarunt. B

Hæc ſunt tanti Viri Opera à nobis diligentiſſimè expreſſa, quæ immortalem Joannem noſtrum faciunt.

I. Tractatus de Bello, quem compoſitum fuiſſe anno MCCCLX. docet Codex num. 978. Bibliothecæ Colbertinæ, ubi ſic habetur, teſte Oudino „ Explicit Tractatus de Bello editus & compilatus „ per me Joannem de Linyhano minimum „ utriuſque Juris Doctorem in ſtudio Bononiæ „ anno MCCCLX. pendente forti exercitu contra „ Civitatem. Adeſt quoque MS. in Bibl. Reginæ Svetiæ, nunc in Vaticana num. 369. ex Montfaucon Biblioth. MSS. Tom. I. pag. 22. Editus verò *Mediolani, apud fratres de Lignano, an.* 1515. cum Tractatu Paridis de Puteo de eadem materia. In hac editione poſt verba ſupradicta, pendente forti exercitu in Civitatem, legitur „ quod „ cauſam dedit huic Tractatui, ut ſcholaribus „ tunc cauſa foret exercitii, & Doctorum ſubjiciatur correctioni. „ Paulus Antonius vero de Lignano ex filio Nepos Joannis noſtri, & J. C Col. Bononiæ, Additiones ad eumdem Tractatum de Bello ſcripſit anno MCDLXX, & impreſſæ ſunt *Taurini* 1525. *in* 4. Adſunt etiam MSS. in Biblioth. Colbertina Cod 918. teſte Montfauconio Biblioth. MSS. T. I. pag. 938.

II. Tractatus de pluralitate Beneficiorum. In Codice 2772. Bibliothecæ Colbertinæ idem legitur, quod & in editione ejuſdem Operis anno 1512. *Pariſiis* acta, necnon in altera Mediolanenſi ſupramemorata anno 1515. videlicet „ per Dominum Joannem de Lignano J. U. D. in Urbe tunc excellentiſſimi in Chriſto Patris, & Domini D. „ Urbani Divinâ Providentiâ Papæ V. poſtea „ Canonizati &c. Extant quoque hi duo Tractatus in Tom. XVI. Tractatuum Juris. D

III. Tractatus de Amicitia, qui incipit „ Circa circulum „ amicitiæ „. Extat in Tom. XII. Collectionis pluries citatæ Tractatuum Utriuſque Juris pag. 227 quem librum „ de Pace & amicitia inſcriptum „ eſſe in veteri Codice Cantabrigienſi Domus „ S. Petri, teſtatur Thomas Jameſius, in Cathalogo MSS. Cantabrigiæ Academiæ.

IV. Tractatus de Cenſuris Eccleſiaſticis incipit „ in Tractatu de Cenſura Eccleſiaſtica „. Extat in ſupradicto magno Opere Tractatuum Juris Tom. XIV. pag. 307. habetur quoque impreſſus *Mediolani, per Joannem Jacobum & fratres de Lignano, ſine anno*, hoc titulo „ de Eccleſiaſtico interdictu, „ & de Cenſura Eccleſiaſtica, & ſic eſt finis „ hujus Tractatus compoſitus per Excellentiſſimum „ J. U. D. Dominum Jo. de Lignano de Mediolano ſcriptus in Generali Concilio Baſileenſi, per „ me Jo. Tollener de Dyedem, anno Domini „ MCDXXXVI. in profeſto diviſionis Apoſtolorum.

V. Commentaria in omnes Decretalium libros Vol. V. MSS. Reperiuntur in Biblioth. Eccleſiæ Cathedralis Patavinæ, teſtibus Mantua, & Bellamera locis ad calcem citandis.

VI. Commentaria in Clementinas. Ita aſſerit Card. Franciſcus Zabarella in Proëmio Lecturæ ſuæ ſuper Clementinis.

VII. Epiſtola ad Petrum de Luna Cardinalem die XVIII. Auguſti anno MCCCLXXVIII. ſcripta, ut eum ceteroſque Cardinales dehortaretur ab electione novi Pontificis adverſus Urbanum. Extat ex integro in Codice n. 811. MS. Bibliothecæ Colbertinæ, teſte Oudino. C

VIII. Oratio habita ad Cardinalem ( puto Caraffam ) ſive ad Bartholomæum Mezzavaccam, occaſione qua ei tribuebat pileum rubrum, ut ſupra monuimus. Extat in Codice MS. Colbertino n 814.

IX. Tractatus pro defenſione Electionis Urbani, quem de fletu Eccleſiæ inſcripſit, editus anno 1379. menſe Auguſto, ut ipſe aſſerit in eodem Tractatu in duas partes diviſo, ſecunda pars verò hunc titulum profert: Tertiæ & ultimæ Allegationes Joannis de Lignano. Extat in Codice MS. ſupradictæ Bibl. Colbertinæ n. 815., & ex eo fragmenta quædam edidit Odoricus Rainaldus ad annum 1378. §. 38., illum verò miſſum eſſe ad Univerſitatem Pariſienſem ab Urbano Pontifice, fidem facit Rodericus Bernardi in relatione ſua ad Joannem Regem Caſtellæ de his, quæ ipſe egerat Romæ cum Urbano. Ipſa relatio extat in Codice Harlæano, ut diximus, teſte Oudino. D Cl. Baluzius verò in notis ad Vitas Paparum Avenionenſium dubitat an iſtius Tractatus ſit Auctor Lignanus, ſed præter omne dubium eſt, ex eis quæ ſupra in Vita retulimus. Meminerunt hujus Scripti etiam Petr. de Florentals Prior Floreffienſis, in Chronico, in Vita Clementis VII. his verbis: „ Pendente vero ut præfertur prædicto ſchiſmate, plurimi Doctorum „ Legum & Juris Canonici, Tractatus compoſuerunt. Quorum primus Dom. Joh. de Linhiano Tractatum edidit, in quo affirmat Electionem dicti Urbani eſſe canonicam, ipſumque eſſe verum Papam. Abbas vero S. Vedaſti,

„ ſti, Regis Franciæ Conſiliarius, Doctor decre-
„ torum, fecit alium tractatum, in quo aſſerit
„ Electionem Urbani eſſe nullam, & Clemen-
„ tem fore verum Papam. Quibus tractatibus
„ cum eorum quæſtionibus & determinationibus
„ propter ſui prolixitatem omittimus &c.

X. De Pace, ſive de Pace animæ Reperitur in Codice MS. Colbertinæ ejuſdem Bibliothecæ n. 685. Ex Oudino.

XI. Tractatus de Horis Canonicis, hoc habens initium: „ Ad honorem illius &c. Extat in Tomo XV. Collectionis Academiæ Cantabrigienſis, teſte ſupralaudato Thoma Jameſio.

XII. De Repreſaliis. *Papiæ*, 1487. *ſine Impreſſoris nomine*, in 4. rariſs.

Hujus tam celebris J. C. ampliſſimè omnium mentionem facit cit. Oudinus, Steph. Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium paſſim, ſed potiſſimum col. 1400. & ſeqq Paulus Freherus in Theatro Virorum eruditione clarorum part. II. Sect. IV. pag. 789. poſt Hieron. Ghilinum, in Theatro Virorum litteratorum. Guidus Pancirolus in libro de claris Legum Interpretibus pag. 344. Marcus Litta de Urbe Mediol. pag. 23. Ghirardaccius in Hiſt. Bononienſi pagg. 303. 350. & 371. Bumaldus in Minervalibus Bononienſibus, Pompejus Scipio Dulphius in Chronol. Famil. Nob. Bonon. pag. 453. Franciſcus Amadius in Nobil. Bonon. pag. 129. Joannes Petrus Creſcentius in Amphitheatro Rom. p. p. pag. 237. Moriggia, Leander Alberti, Trithemius & Fabricius in Hiſt. Eccleſ. Picinellus in Athenæo pag. 304. Sitonus in Chronico p. p. Art. 47. pag. 13. aliique innumeri.

## CMLXXXIII.

## LEGNANUS JOANNES PETRUS.

GRammaticæ regulæ tam ab Emmanuele Alvaro, quàm ab Horatio Turſellino, inter Societatis Jeſu Patres doctiſſimis dictatæ, minimè deterruere Joannem Petrum Legnanum, quin & ipſe ſuas ederet, ſperans in meliorem formam, atque clariorem, methodum Linguæ Latinæ in publicum proferre, ideoque Volumen ſub nomine Hypomnema typis demandavit. Floruit Vir iſte in Congregatione Somaſchenſi medio Sæculo nuper tranſacto, quum anno ætatis ſuæ XVII., Chriſti MDCXVIII. die III. Junii ſacrum habitum induerit in Collegio S. Mariæ Secretæ hujus Urbis. Nil amplius à Suis ediſcere mihi licuit; ideoque tantùm addere poſſum ex ejuſdem Præfatiuncula, atque ab Epiſtola Nuncupatoria Pauli Æmilii Legnani ex eadem Somaſchenſi Congregatione, qui Librum, ut ipſius verbis utar, precibus, blandiciiſque Auctori abſtulit, & typis edere curavit, quod Joannes Petrus alia Opuſcula tam ſtricto quàm ſoluto ſermone ſcripta, prælo parata habebat: dolendum igitur eſt, quod & ipſa forſan perierint.

En titulus Opuſculi ſupradicti

I. Hypomnema in multiplices omnium ferè verborum uſu magis venientium ſenſus, Litterarum amatoribus, & ſtudioſæ præcipuè Juventuti peraccommodum; Pauli Æmilii Legnani RR. PP. Somaſchenſ. Congreg. Alumni Prothymia in lucem editum. Ad Illuſtriſſimos, & ornatiſſimos Ephebos DD. Jo. Baptiſtam, & Andream ab Auria, ac DD. Hieronymum, & Joannem à VVatevilla. *Mediolani, apud Typographos Bibliothecæ Ambroſianæ*, 1633. in 8.

Laudatur in Schedis Mazzuchellianis.

## CMLXXXIV.

## LEINATIUS JOANNES STEPHANUS.

TEmplum S. Mariæ Fulcorinæ nuncupatum hujus Urbis, quod nunc à fundamentis magnificè erectum viſitur, eximia liberalitate Eminentiſs. Archiepiſcopi hujus Metropolis Benedicti Herbæ Odeſcalchi nuper ſanctiſſimè, ut vixit, defuncti, duobus ferè jam Sæculis tranſactis penè dirutum, propriis ſumptibus reſtauraverat Jo. Stephanus Leinatius. Hic Sacerdotali vitæ optimè deditus Præpoſituram ſupradictæ Eccleſiæ obtinuit temporibus difficillimis, ideoque non minus pietate, quàm munificentia ductus, præter Templi ſupradicti reſtaurationem, nonnulla Bona Præpoſituralia vindicavit, deinde in pauperibus ſublevandis, non tantum ære, quàm Orationibus incubuit, maximè in effugandis à pluribus Energumenis Dæmonibus, quorum causâ affligebantur; totus ideo animarum ſaluti deditus, magnam apud omnes exiſtimationem promeruit, ita ut cum ad mortem perveniſſet anno Domini MDLXXVI. incredibili pænè concurſu, cadaver ipſius ad ſepulturam delatum ſit. Scripſit Vir iſte optimum Librum, quem ſuis ſumptibus edi imperavit Hiſpaniarum Rex Philippus II., ideoque Auctor pænes doctos, & pios homines famâ nunquam erit moriturus.

En ipſius titulum

I. Volumen Homiliarum è S. Ambroſii Epiſcopi, & Doctoris libris contextum, opera, & ſtudio Stephani Leinatii Presbyteri Mediolanenſis, & Eccleſiæ S. Mariæ ad Fulcorinum Præpoſiti. Ad Ampliſs. & Opt. S. R. E. Cardinalem Carolum Borromæum Archiepiſcopum Mediolani. *Antuerpiæ, ex Officina Plantiniana* 1575. in fol.

Vide Picinelli Athenæum pag. 329.

## CMLXXXV.

## LETI GREGORIUS.

GRegorius Leti Hieronymi filius, quem invito animo inter Scriptores clariſſimæ hujus Urbis recenſemus, natus eſt Mediolani die XXIX. Maji MDCXXX. Cum Marcus ejus Avus Familiæ Bononienſis unicum germen ſe Romam contuliſſet, ubi ex Aulico Cardinalis Aldobrandini Anconam rexit, & poſt alias dignitates impletas obiit anno Deiparæ partus MDCXXVIII. cum Arimino præeſſet. Duos reliquit filios Auguſtinum Franciſcum, atque Hieronymum; quorum primus Clericali militiæ ſe adſcripſit, alter verò arma ſecutus Ducis Etruriæ Peditum Tribunus Mediolani tandem ſedem fixit ducta Uxore, anno MDCXXVIII. Ex eo genitus eſt Gregorius, qui apud PP. Societatis Jeſu in Collegio Coſentino ad annum uſque MDCXLIV. ſtudiis operam dedit, Romæ quoque aliquantiſper commoratus in Patriam rediit. Cum autem Auguſtinus Franciſcus Patruus Aquæpendentis Epiſcopus eum ad Eccleſiaſticam vitam adducere conaretur, Gregorius & Clerum, & arma indignatus in Gallias, Patruo relicto, contendit. Eo in itinere Januæ cum Domino de Saint-Lion Calvini aſſecla amicitiâ initâ, ex ejus familiaritate corrupto intellectu animum ad Hæreſim convertit, Inde Genevam profectus, ejus Urbis Religionem, & Politiam apprimè didicit. Lauſanam cum veniſſet, Joanni Antonio Guerino Phyſico clariſſimo adhæſit, & Calvinianos errores ejus intuitu profeſſione publica amplexus anno MDCLX. Genevam regreſſus cum

Digitized by Google

quibuſque doctis Viris , præſertim verò
:ommercium iniit . Poſt annos quatuor-
Urbis Civitate donatus eſt gratis , quod
ıulli contigerat . Anno MDı LXXIX. in
: , poſtea in Angliam , ubi à Carolo II.
ıè exceptus , & donis decoratus Hiſto-
uneris etiam recipiendi ſpem concepit .
ɔi Anglicam , ſed parùm fœliciter ſcri-
Amſtelodamum contendens anno MDC-
liſtoriam ejus Urbis publico decreto con
etiam anno MDCCI. die IX. Junii diem
:æ accumbens inter geminas filias ætatis
XXI.

eatro Gallico, overo la Monarchia della Real Caſa di Borbone in Francia ſotto i Regni di Enrico IV. Luigi XIII. e Luigi XIV. dall' anno MDLXXII fino all' anno MDCXCVII. *In Amſterdam* , 1691. *e* 1697. *Tomi VII. in* 4. cum figuris æneis .

eatro Belgico, overo Ritratti Iſtorici, Politici, e Geografici delle ſette Provincie unite . *In Amſterdam* , 1690. *Tom II. in* 4. cum figuris æneis .

catro Britannico, overo Iſtoria della grande Bretagna. *Ibi* , 1684. *in* 12. *Tom. V.* Hoc Opus primùm vidit lucem *Londini Vol. II. in* 4.

'ıtalia regnante, overo Deſcrizione dello ſtato preſente di tutti i Principati, e Repubbliche d'ıtalia. *In Geneva*, 1675 *Tomi IV. in* 12. Titulus primus quo prima editio inſcribebatur, ſic fuit : Dialoghi Iſtorici . Hæc ſecunda editio plures additiones habet, utpote Indicem Virorum illuſtrium, ac in doctrinis inſignium.

'ita del Duca Valentino , detto il Tiranno di Roma, deſcritta da Tomaſo Tomaſi, con un aggionta di G L. ( Gregorio Leti ) *In Montechiaro*, 1670. *in* 12.

Nepotiſmo di Roma , overo Relazione delle ragioni, che muovono i Pontefici all'aggrandimento de' Nepoti ; del bene, e male, che hanno portato alla Chieſa dopo Siſto V. *In Amſterdam*, 1667. *in* 12. Hic liber in linguam Gallicam translatus impreſſus fuit in Belgio an. 1669. *Vol. II. in* 12. *&* *Stodegardiæ* latino ſermone *in* 4.

inerario della Corte di Roma , overo Teatro della Sede Apoſtolica, Dataria, e Cancellaria Romana . *Valenza* ( cioè *Geneva* ) 1675. *Tom. III. in* 12. Prima pars hujus libri jam prodierat anno 1672. hoc titulo: „ Li precipizj della Sede Apoſtolica , overo la Corte di Roma perſeguitata, e perſeguitante . „

.'Europa Geloſa, o Geloſia de' Principi d'Europa. *In Colonia* ( cioè *Geneva*) 1672. *Tom. II. in* 12.

.a Fama Geloſa della Fortuna, Panegirico ſopra la Naſcita, Vita, Azioni, Governo, Progreſſi, Vittorie, Glorie, e Fortune di Luigi il Grande. *In Gex*, 1680. *in* 4.

.a Monarchia Univerſale del Re Luigi XIV. *In Amſterdam*, 1689. *Tomi II. in* 12. Contra verò hoc Opus aliud publici juris apparuit hoc titulo : L'Europe reſuſcitée du Tombeau de M. Leti, ou Rêponſe a la Monarchie Univerſele de Louis XIV. Par I. D. M. D R. *a Utrecht*, 1690. *in* 12. denuo *Amſtelodami* in lingua Gallica anno 1689.

ſtoria Ginevrina , o ſia Iſtoria della Città , e Repubblica di Geneva, cominciando dalla ſua prima Fondazione ſino al preſente . *In Amſterdam*, 1686. *Tomi V. in* 12 Pars hujus Operis, regimen Eccleſiaſticum , & Politicum continens, typis data fuit ab Auctore linguâ Anglicâ anno 1681.

:eremoniale Iſtorico, e Politico. *In Amſterdam*, 1685. *Tomi VI. in* 12.

Ragguaglj Iſtorici , e Politici delle Virtù , e Maſſime neceſſarie alla conſervazione degli Stati, con infiniti eſempj. *In Amſterdam*, 1689 *Tom. II. in* 8. denuo 1700. cum pluribus additionibus, & iterum linguâ Belgicâ.

'iſioni Politiche ſopra gl' Intereſſi più reconditi di tutti i Prencipi , e Repubbliche di tutta la Criſtianità . *In Germania* ( cioè *Geneva* ) 1671. *in* 12.

.i Segreti di Stato de' Prencipi d'Europa rivelati da varj Confeſſori politici, con aggionte conſiderabili . *In Colonia* ( cioè *Geneva* ) 1676. *Tomi III. in* 12.

XVI. Il Livello Politico, o ſia la giuſta Bilancia, nella quale ſi peſano tutte le maſſime di Roma, ed azioni de' Cardinali viventi . *In Cartellana* ( cioè *Geneva* ) 1678. *Tomi IV. in* 12.

XVII. Dialoghi Iſtorici, overo Compendio Iſtorico dell' Italia, e dello ſtato preſente de' Prencipi, e Repubbliche Italiane. *In Geneva*, 1665. *in* 12.

XVIII. Dialoghi Politici, overo la Politica , che uſano in queſti tempi i Prencipi , e le Republiche Italiane per conſervare i loro Stati, e Signorie *In Geneva*, 1666. *Tomi II. in* 12.

XIX. Vita di Siſto V. *Loſana*, 1669. *Tomi II in* 12. Iterum *Amſtelodami* anno 1685. cum additionibus, denuò *Pariſiis* in Gallicum ſermonem verſa anno 1683. Vol. II. & alibi pluries.

XX. Vita del Cattolico Re Filippo II. Monarca delle Spagne. *In Coligni* ( cioe *Geneva* ) 1679 *Tomi II. in* 4. Iterum in Gallica lingua anno 1734.

XXI. Vita dell' Invittiſſimo Imperadore Carlo V. Auſtriaco . *In Amſterdam*, 1700. *Tomi IV. in* 12. In Gallicum ſermonem verſa fuit à filiabus Auctoris, editaque in IV. Vol ut ſupra.

XXII. Iſtoria , overo Vita di Eliſabetta Regina d'Inghilterra, detta per ſopranome, la Comediante Politica. *In Amſterdam*, 1693. *Tom. II. in* 12. Et lingua Gallica anno ſequenti.

XXIII. Iſtoria , o Memorie recondite ſopra la Vita di Oliviero Cromuele detto il Tiranno ſenza Vizj, ed il Prencipe ſenza Virtù . *In Amſterdam*, 1692. *Tom. II. in* 8. Item in ſermone Gallico anno 1694.

XXIV. Vita di Don Pietro Giron Duca d'Oſſuna. *In Amſterdam*, 1699. *Tomi III in* 12. & in Gallicum idioma converſa *in Parigi* , 1700.

XXV. Ritratti Iſtorici , overo Iſtoria dell' Impero Romano in Germania. *In Amſterdam*, 1689. *Tomi II. in* 4.

XXVI. Ritratti Iſtorici , Politici , Cronologici , e Genealogici della Caſa Sereniſſima , ed Elettorale di Brandeborgo. *In Amſterdam*, 1687. *Tomi II. in* 4.

XXVII. Abregé de l'Hiſtoire de la Maiſon Sereniſſime, & Electorale de Brandebourg, écritte par Gregoire Leti en Italien, & traduite en François ſuivant l'Extrait , & par les Soins de l'Auteur . *A Amſterdam*, 1687. *in* 12.

XXVIII. Ritratti Iſtorici, Politici, Cronologici, e Genealogici della Caſa Sereniſſima ed Elettorale di Saſſonia. *In Amſterdam*, 1688. *Tomi II. in* 4.

XXIX. Vita di Donna Maidalchini dall' Abbate Gualdi ( cioè Gregorio Leti ) ſcritta . *Raguſa* ( cioè *Geneva* ) 1666. *in* 12. anno eodem Gallico ſermone edita apparuit *Lugduni Battavorum*.

XXX. Roma piangente, overo Dialoghi tra il Tevere, e Roma. *In Leida* , 1666. *in* 12. eadem Gallicâ linguâ *Avinione* ( ſeu veriùs *Geneva* ) apparuit eodem anno .

XXXI. Il Sindicato d'Aleſſandro VII. col ſuo Viaggio nell' altro Mondo, abſque loco , & nomine Typographi, 1668. *in* 12. Gallicè reimpreſſus anno ſequenti.

XXXII. Il Cardinaliſmo di Santa Chieſa , non ſignato editionis loco, 1668. *Tom. III. in* 12.

XXXIII. Ambaſciata di Romolo a Roma, nella quale vi ſono anneſſi tutti i Trattati, Negoziati, Satire ec durante la Sede Vacante . *Bruxelles* ( ideſt *Geneva* ) 1671. *in* 12. & ibidem nomine *Coloniæ* recuſa anno ſequenti.

XXXIV. Gli Amori di Carlo Gonzaga . *Geneva*, ſine anno, *in* 12.

XXXV. Il Vaticano languente dopo la morte di Clemente X. con li rimedj , abſque loco , 1677. *Tom. III. in* 12.

XXXVI. Il Prodigio della Natura, e della Grazia Poema Eroico ſopra l' intrapreſa d' Inghilterra del Prencipe d'Oranges , abſque loco, & anno, cum figuris.

XXXVII. Strage de' Riformati Innocenti, abſque loco, & anno, *in* 4.

XXXVIII. R. Bandita : Diſcorſo Accademico preſentato agli Umoriſti di Roma . *In Bologna* , 1653. *in* 12.

XXXIX. Critiche Iſtoriche, Politiche, Morali, Economiche, & Comiche. Sopra le Lotterie antiche, e moderne, ſpirituali , e temporali de i Stati , e delle Chieſe . Primò Italicè , poſtmodum Gallicè editæ. *In Amſterdam*, 1697. *Tom. II. in* 12.

XL. Lettere ſopra differenti Materie . *In Amſterdam*, 1700. *Tom. II. in* 8.

Præter recenſita Opera, quæ Gregorius ut ſua

ſi-

recognovit, alia ſunt quæ Auctor reſpuit; & oh utinam vel nulla, vel puriora produxiſſet! nam juſtiſſimam S. R. E. Cenſuram non ſubiiſſet.
Ejus Elogium conſcripſit Le Clerc, cui filiam Auctor deſponderat, ut refert Morerius in edit. Amſtelodamenſi, & inter Auctoris Epiſtolas.

## CMLXXXVI.

## de LEUCO PAGANUS.

A

BEatus Paganus à natali ſolo, quod eſt Leucum munitiſſimum Ducatus Mediolanenſis Caſtrum, nuncupatus, in Urbe Bergomo, ex ipſius Sancti Dominici manibus Prædicatorum habitum ſuſcepiſſe narratur. Hinc factum eſt, ut ſuum Bergomates aſſerant, quos inter Calvus in Scena Litteraria Eruditorum Bergomenſium parte prima pag. 419. in errorem etiam inductus ab altero Pagano Bergomenſi, qui poſt obitum noſtri floruit anno MCCCXXIII. teſte Leandro Alberti fol. 136. lit. B. & ex eo Quetiſſius in Scriptoribus Ordinis Prædicat. ad an. MCCCXXIII. Paganus ergo noſter doctrinâ pariter, & pietate clariſſimus è LVII. annis, quibus inter Sodales ſuos vixit, quadraginta variis in locis ſacris tradendis litteris inſumpſit, cùm interim Divini Verbi Miniſterio toto animi conatu fervidus operam daret. Dum autem in Cœnobio Novocomenſi Sacræ Inquiſitionis munere fungeretur, anno MCCLXXVII. ipſo Protomartyris feſto die ab impiis multis confoſſus vulneribus, & in latere lanceâ perforatus, migravit in Cœlum multis clarus miraculis. Sacrum ejus corpus conditum eſt in Ara maxima Templi Sancti Joannis in Pedemonte apud Suos, cum Elogio ſequenti:

B

CORPVS B. F. PAGANI IACET SEPVLTVM
IN ALTARI MAIORI
HVIVS ECCLESIAE S. IOANNIS DE PEDEMONTE DE CVMO.

Sicuti autem Calvus è duobus Paganis Bergomenſi, & Leucenſi unum fecit, ſic utriuſque ſcripta uni tribuit. Nos Quetiſſii Sententiam ſecuti, Poſtillas ſuper ſcripturæ libros Pagano Bergomenſi relinquentes, Leucenſi noſtro ſequentia ſcripta adjudicanda cenſemus.

C

I. Sermones de Adventu Domini.
II. Sermones de Tempore.
III. Sermones de Sanctis.
IV. Sermones de Deipara Virgine in ejus Solemnitatibus.
V. Sermo Dominicæ quartæ poſt octabas Pentecoſtes habitus, quem MS. ſervari Pariſiis apud Auguſtinianos ad Pontem novum in collectione Sermonum à variis Pariſiis habitorum inter annum MCCXXX., & MCCL. n. 53. Cod. 249. teſtatur idem Quetif.
Eum Carmine laudavit Pius Mutius.
Vitam ipſius ſcripſit Georgius Longus, ut in ipſius Elogio monebimus.
Agunt de eo, præter jam citatos, Salanhæs, Ballarinus, Boſca in Martyrologio Mediolanenſi, & alii plures.

D

## CMLXXXVII.

## LIPRANDUS ſive LUITPRANDUS.

LIprandus Presbyter Mediolanenſis Sancti Herlembaldi Martyris, una cum Sancto Arialdo in comprimenda perditorum Clericorum contumacia, collega, tanta prudentiæ laude floruit, ut eum Conradus Italiæ Rex in locum Henrici Patris excommunicati ſuffectus, conſuluerit. Groſſulanum Simoniaca labe infectum, qui ex Epiſcopatu Savonenſi ad Mediolanenſem Cathedram, à parte Cleri & Populi vocabatur, ſummo ſtudio ab eo honore arcendum curavit, quin ardentis rogi judicium ad comprobandam Groſſulani Simoniam non ſine miraculo intactus ſubivit. Præferebat Liprandus, fideles ad pugnandum exhortaturus, Crucem, tunc cum Herlembaldus Martyr occubuit, & ipſi per ſummam crudelitatem naſus, & aures obtruncatæ ſunt. Quare inter Sanctos Confeſſores ejus Acta recenſent Bollandiſtæ ad diem XXVII. Junii. In Eccleſia Sancti Pauli, quæ in Compito dicitur, plures annos Sacerdotio functus eſt, & multa patravit miracula. Groſſulano verò ab Eccleſia Mediolanenſi amoto, & in ejus locum ſuffecto Jordano, Liprandus in ſumma conſtitutus ſenectute delatus eſt ad Monaſterium Pontidienſe, ibique, anno Domini MCXIII. die VI. Januarii piiſſimè obiit. Illius Corpus in eodem Monaſterio tumulatum ſuſpicantur Bollandiſtæ translatum fuiſſe Papiam, ejuſque oſſa eadem eſſe, quæ reperta ſunt inter reliquias inventas prope Tumulum Luitprandi Regis anno MDIV. die XXIV. Julii, ſimul cum oſſibus Sancti Thomæ Martyris.

E

De ipſo ſupereſt:

I. Oratiuncula.
II. Diſputatio cum Groſſulano.
Extant apud Puricellum in Actis SS. Arialdi & Herlembaldi libro IV. Cap. LXXXVIII. ex Chronico Landulphi.
Habemus ad Liprandum Gregorii Papæ VII. Epiſtolam, quâ ipſum conſolatur poſt fœdiſſimam mutilationem, in ipſa poſt collaudatam ejus conſtantiam ſubdit: „ Proinde Martyr Chriſti, confortare in Domino. „ Magis credas in te nunc eſſe Presbyteratus officium, quod prius olei unctione, nunc tui eſt ſanguinis tinctione commiſſum &c. Eam integram dedit Landulphus junior Liprandi Nepos, & ex eo Puricellus in citato libro pag. 327., unde etiam exſcripſere Bollandiſtæ.
De eo quoque Boſca in Martyrologio Mediol. ad Kal. Novemb. ubi Beatum ipſum vocat.

## CMLXXXVIII.

## LITTA ALEXANDER.

NEmo eſt inter Mediolanenſes Hiſtoricos, qui de Litta Gente mentionem honorificentiſſimam non agat, nam teſte Gualvaneo della Flamma uſque de anno Chriſti DCCCXL. jam florebat in hac Metropoli, & Angilberti II. Archiepiſcopi ſolemniori ingreſſui IV. Nobiliores de Littis præcedebant. Corius quoque ad annum MCXIX. ipſam celebrat, aliique nonnulli, ſummo cum honore memorantur à Gualvaneo ſupradicto & Boſſio, & ſignanter ad annum MCCCXXIV. ubi hanc illuſtrem familiam acceptiſſimam fuiſſe Summo Pontifici Joanni XXII. aſſerunt, quorum veſtigia & nos ſequentes, in litteris famâ dignos libenter adnectimus. Primus autem, qui mihi ſe offert, Alexander eſt, Camilli, & Margaritæ Boſſiæ filius, qui Leges tam Canonicas, quam Civiles, ita profecutus eſt, ut in Collegium J. PP. Nob. Mediol. jam ingreſſus, de Anno MDLXXXIV. à Sixto Pontifice Maximo vice Flaminii Plati, Anno



Digitized by Google

MDLXXXVI. inter Advocatos Conſiſtoriales adſcribi meruerit. Hiſpaniarum Regis Jura tutatus eſt, virtute duce, in Alma Roma viriliter, dehinc Gregorio XIV. ſedente anno MDXCI., ut Carthario in Syllabo Advocatorum Sacri Conſiſtorii placet, ſed juxta Sitonum MDXCVII. die XVII. Aprilis Romanæ Rotæ Auditor adlectus, utroque munere Vir doctus, probuſque, egregie perfunctus eſt. In cauſa Canonizationis Divi Caroli Borromæi Apoſtolicus Delegatus maximâ cum prudentiæ, tum doctrinæ laude ſe geſſit. E vivis eximitur Romæ die XXX. Septembris, anno Redemptionis noſtræ MDCVI. ipſiuſque cadaver in Templo S. Mariæ Angelorum ad Thermas conditum eſt, ac ſequenti Epitaphio decoratum:

DEO TRINO ET VNO
ALEXANDRO LITTAE I. V. C. PATRITIO MEDIOLANENSI
ROMAE ADVOCATO CONSISTORIALI
CATHOLICI REGIS CAVSARVM PATRONO
AC DEMVM ROTAE AVDITORI
VIRO
DOCTRINA VIRTVTE
GRATIAQ. APVD SVMMOS PONTIFICES
CLARO
QVI SACELLVM HOC VBI QVIESCERET
DEIPARAE VIRGINI
AC BEATO HYACINTHO EREXIT ET DOTAVIT
CVM ONERE VNIVS ANNIVERSARII
HIERONYMVS EQVES S. STEPHANI
NOMINÈ FILIORVM ADHVC INFANTIVM
ET HAEREDVM
FRATRI CHARISSIMO MOERENS POSVIT
ANNO MDCVIII.

Reliquit poſt ſe

I. Deciſionum Sacræ Rotæ Romanæ volumen ingens. Extat MS. Romæ in Archivo Sacræ Rotæ, & Mediolani in Biblioth. Filii Comitis Cæſaris Montii, qui paucos hos ante dies migravit è vita.

Ipſum laudant Cantalmajus in Catal. Auditor. Sacræ Rotæ Romanæ. Theodoſius Rubeus in Vol. II. Singularia Deciſ. Sac. Rotæ Rom. Chartarius in Syllabo Advocatorum Sacri Conſiſtorii edit. Romanæ pag. 197. & Sitonus in Chronico pag. 166. art. 672.

## CMLXXXIX.

## LITTA ALPHONSUS.

SI Littarum illuſtris Familia, majori honore careret, Alphonſus, de quo nunc agimus, abundantiſſimè eidem afferret, nam patre Pompejo, matreque Lucia Cuſana Matrona nobiliſſima, in lucem editus die XXIX. Septembris anno æræ Chriſtianæ MDCVIII. in humaniorum litterarum, ac Philoſophiæ ſtudiis verſatus, Juriſprudentiæ in Academiis primùm Bononienſi in Italia, deinde Salmaticenſi in Hiſpania, ſedulam operam navavit. Anno MDCXXX. ab Urbano VIII. Pontifice Maximo, utriuſque Signaturæ Referendarius creatus eſt, dein Gubernator Urbis-Veteris, atque Arimini extitit. Poſtea verò Ducatui Spoletano, ac Camerinenſi præfuit; Bononienſi, Ferrarienſi, ac Romandiolæ Provinciis munere Prolegati non parum juvit. Regnante Innocentio X. Aſculum in Piceno cum ſuprema auctoritate miſſus, ſeditioſos tumultus à rebellibus excitatos compeſcuit, & Campaniam maritimam, cùm Regnum Neapolitanum undique fluctuaret, moderatus, Marchiæ Provinciæ regimen, nulla intercurrente diſcordia triennio tenuit. Ab eodem Pontifice Infulæ Mediolanenſes ei collatæ fuere, tandem Alexander VII. ipſum etſi abſentem anno MDCLXIV. Presbyterum Cardinalem ſub titulo Sanctæ Crucis in Hieruſalem creavit. Mortuo Alexandro, Clemens IX. inter Patres Sacri Concilii Tridentini Interpretes delegit, & meritò à pluribus ejus ævi Viris digniſſimis magnis laudibus extollitur, nam inter ceteros Gualdus Prioratus, loco infra memorando, ipſum ſuæ ætatis Antiſtitem nulli ſecundum vocat, moribuſque, pietate, doctrinâ, prudentiâ, & vitæ ſanctitate illuſtrem, necnon immunitatis Eccleſiaſticæ, ac dignitatis propagatorem acerrimum appellat. Conſonè de eodem loquitur Antonius Guerinus Bergomenſis Canonicus Panegyri infraſcripta eidem dicta, cùm Archipræſul Mediolanenſis electus, poſſeſſione inita publica Oratione ſalutaretur: his verbis „ & profecto Alphonſe litteris non minus ſacris, quam ſæcularibus peritiſſimus, Theologus ſublimis, Philoſophus diſertus, Legum notitia inſignis, eloquentia admirabilis, virtutibus verò, & vitæ probitate nemini hoc noſtro ſæculo poſtponendus „. Tot virtutibus exornatiſſimus, diem clauſit ultimum Romæ anno MDCLXXIX. juxta ſequens Epitaphium ad ejuſdem exuvias in Baſilica Mediolanenſi Metropolitana appoſitum, quò ex Teſtamento translatæ ſunt:

AD

AD NIHILVM
HIC REDACTVM EST CORPVS
ALPHONSI LITTAE
CARDINALIS SANCTAE CRVCIS IN HIERVSALEM
OLIM ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI
ORATE PRO EO
OBIIT V. KAL. SEPTEMBRIS MDCLXXIX.
AETATIS SVAE LXXI.

Elucet etiam infraſcriptis Operibus

I. Synodus Diœceſana Mediolanenſis trigeſima quinta habita ab Alphonſo Litta, Mediolanenſi Archiepiſcopo, anno MDCLVIII. Accedunt Monita executionis decretorum ex Synodo Mediolanenſi undecima, juſſu ejuſdem Alphonſi Littæ adjecta. *Mediolani, apud Impreſſores Archiepiſcopi*, 1658. *in* 8.

II. Synodus Diœceſana Mediolanenſis trigeſima ſexta, habita anno MDCLXX. Accedit Appendix nonnullarum Conſtitutionum, ac Decretorum Apoſtolicorum, juſſu ejuſdem adjecta. *Mediolani*, *ut ſupra*, 1670. *in* 8.

III. Epiſtola ad Epheſinum Archiepiſcopum ad Germaniæ Principes Apoſtolicum Nuncium pro recuperanda aliqua parte de Corporibus SS. Regum Magorum, cum ejuſdem Reſponſione negativa, data X. Martii MDCLXXV. Extant hujuſmodi Epiſtolæ impreſſæ in Martyrologio Mediolanenſi ad diem XXIII. Julii, quo infauſtam translatorum hinc Coloniam Sanctorum Regum memoriam non ſine lachrymis notat Petrus Paulus Boſca.

IV. Aliæ pro habendis Reliquiis S. Marini. Extant ibidem.

V. Alia ad Hieronymum Mirolium Epiſcopum Caſalenſem, qua ei commendat pro graviſſimis Eccleſiæ negotiis F. Hieronymum ab Erba, Ordinis Minorum Obſervant. Reform. data Mediolani XVII. Auguſti MDCLIX. Extat MS. in Vol. XXVI. Miſcell. in Bibliotheca Canonicorum Lateranenſium S. Mariæ Paſſionis Mediolani.

VI. Aliæ ad Hilarionem Rancatum, cum ejuſdem Reſponſionibus; ſunt in Tom. XXIII. MSS. Rancati, de quo ſuo loco.

VII. Racconto delle viſite da lui fatte nella ſua Dioceſi al Governatore di Milano prima d'eſſere Cardinale. MS. in fol. Extat in Cod. ſign. A. num. 82. in Archivo Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii Mediolani.

Dum ipſe purpureum Birretum à Cardinali Caraffa ſuſcepit, Orationem habuit Camillus Rodenghi Societatis Jeſu, impreſſam *Bononiæ*, 1660. *in* 4.

Ejus Vitam ſcripſit Franciſcus Maria Bordochius Bononienſis, hoc titulo: „ La gloria de' governi Eccleſiaſtici, e Laicali nelle azioni eſemplariſſime del „ Cardinal Alfonſo Litta, o ſia Vita del medeſimo. *Bologna*, 1681. *in* 4.

Joannes Petrus Puricellus ei nuncupavit Vitam S. Laurentii Littæ Civis, & Archiepiſc. Mediolanenſis.

Extat ad eum Epiſtola Italica Franciſci Fabri Bremundani in Commendationem Caroli Mariæ Maddii data Mediolani die XVI. Maji, MDCLVII. inter Epiſtolas ejuſdem Fabri ibidem editas 1664.

Laudatur à Comite Gualdo Priorato in Fragmentis Hiſtoricis, ab Antonio Guerino Canonico Bergomenſi in Oratione Panegyrica ſupra enunciata, ab Ughello in Italia Sacra, à Sitono in Chronico pag. 205. Art. 885., ab aliiſque pluribus.

## CMXC.

## LITTA ALPHONSUS alter.

EX Alexandro Litta, atque Anna Arconata, parentibus nobiliſſimis, ortus eſt Alphonſus, nunc à nobis laudandus, in cujus adoleſcenti adhuc ætate pietas ſingularis ſummoperè illuxit, adeo ut magna
A ſpes de eo concepta fuerit, nec ipſa ullum fefellit; nam annum tantùm decimumſeptimum attingens, auſteram Carmelitarum Excalceatorum Religionem ingreſſus eſt, relicto Familiæ nomine, atque à Sancto Auguſtino vocari voluit, ſcilicet anno redempti Orbis MDCLX. In ea ſequenti anno profeſſus die XI. Novembris, vitæ perfectioris exemplis ſcientias addere inſtituit, adeò ut Cathedras Philoſophicam, & Theologicam aſcendere meruerit, nec non tam ſingulari prudentia præditus fuit, ut ad moderandos ſuæ Religionis Conventus nonnullos tam Virorum, quàm Fœminarum à Suis deligeretur. Pluries etiam Deffinitor Provinciæ Mediolanenſis extitit, & quamquam Orationis aſſiduæ, & Regulæ aſperitatis aſſertor ſtudioſiſſimus foret, attamen calamum
B tractare nunquam deſtitit, ut ex Opere infra memorando facilè agnoſci poteſt, in quo plurium annorum ſpatio Vir noſter inſudavit. Ad ejus gloriam augendam non parum intereſt hìc ſubjicere, Nepotem illius eſſe Præſulem doctiſſimum, exemplariſſimumque Alexandrum Littam, nunc Eccleſiæ Cremonenſis Epiſcopum, ab omnibus laudatiſſimum. Annorum interim, virtutumque plenus ad Superos evolavit Scriptor noſter die XXVII. menſis Januarii, anno vigeſimo octavo Sæculi præſentis.

Opus quod ſcripſit eſt

I. Compendium totius Collegii Salmaticenſis Theologiæ, & Philoſophiæ. MS. in fol. ingentis molis extat apud Suos in Biblioth. Conventus S. Caroli hujus Urbis.
C Ita à Suis & à Cl. Sitono.

## CMXCI.

## LITTA CAROLUS STEPHANUS.

CArolus Stephanus Litta Franciſci ex LX. Patriæ Decurionibus, & Hippolytæ Mutiæ Fagnanæ conjugum filius, inter Juriſconſultos Collegiatos Mediolani, & unus ex Conſultoribus S. Officii claruit anno MDCXXXI. ſibi ditiſſimam locupletiſſimamque
D Bibliothecam conſtruxit, in qua plures Codices antiquorum Rhetorum, Oratorum, & Poëtarum reperiuntur manu ejuſdem uberrimis notis adſperſi; magnificam porrò præfati Franciſci pietatem teſtatur Monumentum in fronte ſeptimi Sacelli in Monte B. Virgini Mariæ ſacro apud Variſium hiſce notis inciſum;

DOMI-

Digitized by Google

DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO FLAGELLIS COESO
MAESTISSIMAE MATRI SEMPER VIRGINI MARIAE
AC DIVIS HIERONYMO ET FRANCISCO
FRANCISCVS ET HIERONYMVS FRATRES
FILII QV. IOH. STEPHANI LITTAE
CIVES MEDIOLANENSES SVPPLICES
PONENDVM SACELLVM HOC CVRARVNT
ANNO MDCVI. DIE IV. OCTOBRIS.

A Obiit Carolus ſtudiis ex integro deditus anno æræ Chriſtianæ MDCLXII.

Vidimus de ipſo, quæ hìc damus:

I. Vita Horatii Flacci, & Commentaria eruditione Græca, & Latina illuſtrata, in Odas ejuſdem ſatis ampla, cum Diſſertatione de metro Poëtico Horatiano in eiſdem. Extat in Cod MS. in fol. Bibliothecæ olim ad Auctorem ſpectantis, nunc verò penès Co. Carolum Littam hæredem.

In libro, cui titulus: Octavii Ferrarii Proluſiones, & Epiſtolæ editionis *Patav.* 1650 *in* 8. extant Epiſtolæ duæ datæ Patavii annis MDCXLIX. & MDCL. ad Carolum Stephanum Littam.

Inter Epiſtolas Sigiſmundi Boldoni impreſſas *Mediolani, apud Montiam*, 1651. adſunt IV. ad Littam noſtrum ſcriptæ anno MDCXXIX.

B

## CMXCII.

## LITTA JOANNES BAPTISTA.

Floruit quoque ex hac Familia Joanninus, qui inter J. PP. Coll. numerabatur anno Ch. MCCCLXXXV., & iſtius nepos ex Tiphrano extitit Joannes primus Præpoſitus Eccleſiæ S. Mariæ Schalenſis hujus Urbis; dolendum eſt quod de Viro iſto J. U. D. perſpicuo, uti legitur in ejus Epitaphio à Cl. Sitono relato ut infra, nullum monumentum ejus ingenii reperiatur. Noſtris verò temporibus floruit in hac Urbe
C Joannes Baptiſta Litta, filius Hieronymi J. C. Collegiati, & Mariæ Antoniæ Grimaldæ conjugum, necnon germanus frater Alexandri eximii Cremonæ Civitatis Epiſcopalem uſque in præſens Inſulam peregregiè geſtantis, alibi quoque à nobis laudati. Duabus dignitatibus Joannes Baptiſta noſter in Eccleſia Metropolitana ſuæ Patriæ illuxit, Ordinariatus nempe, & deinde Primiceriatus. Primam verò obtinuit anno Chriſti MDCXCVI. alteram anno MDCCIII. Sacris litteris ſummoperè excultus, de ipſis non ignobile dedit ſpecimen in Academia Virorum nobilitate, ac doctrina illuſtrium, quam penès ſe inſtruxerat, nunquam perituræ recordationis Comes Carolus Arc intus, & plura certè expectanda erant à Litta noſtro, niſi mors bonorum omnium invida nobis eum abſtuliſſet anno MDCCXL.

D

Superſunt de ipſo

I. De' Riti, e Ceremonie Eccleſiaſtiche Diſſertazioni III. in ſupradicta Academia habitæ, & lectu digniſſimæ. MSS in fol. extant apud Marchionem Soncini.

II. De Officio Primiceriatus Eccleſiæ Metropol. Mediolanenſis. MS. adhuc imperfectus mihi humaniter ab ipſo communicatus anno MDCCXXIX.

De eo loquitur Cl. Advocatus Sitonus in Theatro Genealogico Famil. Nobil. Mediol. anno MDCCVI exarato pag. 267. MS. in fol. penès ipſum Auctorem, & de ſupradictis Joannino, & Joanne in Theatro Nob. pag. 36. art. 79.

## CMXCIII.

## LITTA LAURENTIUS.

Sanctus Laurentius, quem ex nobili Littarum Gente Hiſtorici Mediolanenſes genitum aſſerunt, Theodoro Archiepiſcopo ſucceſſit circa annum Salutis D. Virtutibus omnibus, quæ Sacrum Paſtorem decent, ornatum fuiſſe, & in reparanda Patria barbarorum incurſionibus labefactata plurimum laboris impendiſſe teſtatur Ennodius in Homilia, quam infra indicabimus. Pro S. Symmacho Papa, & adverſùs Schiſmaticos ſtrenuè decertavit. Theodorico Regi acceptus fuit, eumque Coronâ ferreâ decoraſſe in Templo S. Michaëlis, quod nunc adjacet Monialium Monaſterio è regione Baſilicæ Ambroſianæ; ſcribit Puricellus cap. XII. peculiaris libri, quem de Vita Sancti hujus Antiſtitis conſcripſit. Id tamen Bollandiſtis non placet. Cum Sancto Epiphanio Ticinenſi ad Regem ipſum Ravennæ tunc agentem pro rebellibus Italis veniam imploraturus iter ſuſcepit. Præfuit Romano Concilio anno DI. celebrato pro Symmachi purgatione, primuſque Epiſcoporum omnium ſubſcripſit. Aliis quoque Conciliis Romanis interfuiſſe, & primum poſt Pontificem ſubſcripſiſſe Puricellus, & cum eo Bollandiſtæ teſtantur. Aratorem celeberrimum poſtea Poëtam Parentibus orbatum paterno fovit affectu. Baſilicam S. Xiſti prope Laurentianam extruxit. Baſilicam alteram, quam Nazarianam eſſe credit Puricellus, necnon illam Sancto Calimerio ſacram magnifico opere reſtauravit; quod etiam de Metropolitana idem Scriptor litteris tradidit. Baptiſterium etiam marmoribus, picturis, aliiſque ornamentis conſpicuum condidit. Hæc à Laurentio vel excitata, vel reſtituta Carminibus ornavit Ennodius. Sedit juxta Papebrochii ſententiam annos XII. Quievit VIII. Kal. Auguſti. Corpus ejus olim ad S. Caſſianum ſepultum, nunc honore congruo ſervatur in Ara Maxima Baſilicæ Sancti Laurentii, ejuſque Feſtum die XXVII. Julii Eccleſiaſtico Officio celebratur.

Scripſit

I. Epiſtolam pro Sancto Symmacho Papa ad Marcellianum Aquilejenſem, cujus Epiſtolæ meminit Epiſt. I. lib. 4. edit. Sirmundi, quæ eſt 8. in Edit. Schotti, ſæpe memoratus Ennodius.

Extat ejuſdem Ennodii præter Epigrammata de Sacris Laurentii molitionibus Dictio, quæ eſt in Ordine I. In natali Laurentii Mediolanenſis Epiſcopi. Ideſt, ut notat Sirmundus, *in Natali non Vitæ, ſed Cathedræ, & Epiſcopatus*. Eum quoque celebrat in Dictione II. his verbis: „ Pater noſter Laurentius, qui tot plenus
„ dotibus ad Eccleſiæ faſtigia crevit, quot feciſſent ſum-
„ mum ſingula quæque Pontificem. In quo vernat prin-
„ ceps boni operis, & mater honeſtatis verecundia, re-
„ ligionis ſanctæ mater patientia, Deum ſemper placa-
„ tura

„ tura Pietas. Qui Eccleſiaſticis membris, non ſermo-
„ ne, vitæ inſtituta tribuit, ſed exemplis: qui omnem
„ callem, quo ad Deum itur, dum prævius incedit,
„ oſtendit.
Idem Ennodius in fine Hymni XV. qui eſt de S. Ambroſio, ſic pro Laurentio precatur,

*Sedis memento lux tuæ,*
*Exorna, Sancte, poſteros.*
*Auctore fultus nobili,*
*Ne Dux ſereni culminis*
*In nube tectus horreat.*
*Qui Paſtor eſt Antiſtitum,*
*Quod fucat, omne ſubmovet:*
*Gregem gubernat Principum,*
*Magiſter eſt Docentium.*

Extat ad eum Epiſtola Symmachi Papæ, in qua præter cæteras ejus laudes, hæc leguntur: „ Ad te, Venerabilis mihi Antiſtes maxime, Sermo eſt, cui cum meritorum teſtimonio virtus cœpit à vocabulo, in quo actus eloquitur, qui nomen appellat. Provida parentum diligentia tuorum, priùs te eligi voluit, quàm probari. Te olim ſæcularibus inhærentem titulis, caſtrenſis ſudor excoluit, & ad Eccleſiæ gubernacula pars adverſa ſolidavit, ſicut Dominus loquitur in Evangelio: *Qui in minimo fidelis, & in magno fidelis eſt*. Te ſacrum Judex, & conſilii Comitem meruit, & laboris. Bene, venerandis initiandus Altaribus, & in laica converſatione, quod Sacrum eſſet, elegiſti. Tu pudicitiæ in illa ætate cuſtos inventus es, in qua & lex obſequitur deſideriis &c (In fine autem Epiſtolæ hæc habet) Si precibus tuis vitæ ſucceſſus arriſerit, geſtorum tuorum plena me relatione conſecrato, ut quæ univerſis nota ſunt, manſuris in poſterum litteris, quatenus gaudeat ætas ſecutura, ſerventur. Extat in Tomo X. Conciliorum editionis Reg. Pariſ. pag. 254. & ſequenti.
Vitam S. Laurentii, ut ſupra diximus, peculiari libro complexus eſt Joannes Petrus Puricellus.
Agunt de eo Boſca in Martyrologio Mediolanenſi, aliique Scriptores Mediolanenſes, Baronius in Annalibus anno CCCCLXXXIX. num. 14. & anno DII. in notis margin. & anno CCCCXCIV. num. 33. Bollandiſtæ ad diem XXVII. Julii, & alii.

## CMXCIV.

## LITTA MARCUS.

Ex Joanne Andrea Litta J. C. celeberrimo ortus eſt Marcus, de quo nunc agimus, qui & ipſe non parum decoris Familiæ ſuæ nobiliſſimæ addidit. Juriſprudentiæ non ſolum fuit deditus, ſed litteras humaniores quoque indeſinenter coluit, ita ut locum non infimum inter Poëtas Latinos meritò teneat ob non nulla Epigrammata, quæ non ſine delectatione leguntur in Opere ſuo infra recenſendo de Urbe Mediolanenſi inſcripto, & à nobis pluribus in locis, in laudem illuſtrium Scriptorum prolata. Dolendum interea eſt, quòd nec acta hujus Viri, nec annum, quo deceſſerit, invenire mihi licuerit, tantùm didici habuiſſe filium Franciſcum nomine, qui annis MDCV. & MDCXV. enumerabatur inter XII. Præſides Officio Proviſionum hujus Metropolis. Damus interea quod poſſumus, ſcripta nempè ejuſdem Marci,

Quæ ſunt

I. De Urbe Mediolanenſi, ad Præſidem Petrum Paulum Arrigonum. *Mediolani, apud Moſchenios*, 1554. *in* 8.
II. Epigrammata plura latina. Extant in eod. libro.
III. De Pace inter Catholicum Hiſpaniarum Regem Philippum, & Chriſtianiſſimum Galliæ Regem conſtituta Oratio, *Mediol.* 1559. *in* 4.
IV. De Recta Ratione, & methodo diſcendi Jus Civile. *Mediolani, apud Moſchenios*, 1560. *in* 4.
Ipſum celebrant Cæſar Parona in Feſtis natalitiis Principis Hiſpaniarum, de quo ſuo loco loquemur. *Mediolani*, 1607. *in* 4. pag. 13. Picinellus in Athenæo pag. 413. Advocatus Sitonus in ſuis Schedis, aliique permulti.

## CMXCV.

## LOMATIUS JOANNES PAULUS.

Pictor eximius Joannes Paulus Lomatius Mediolani ex Antonio die XXVI. menſis Aprilis anno reparatæ Salutis MDXXXVIII. natus, ab omnibus, qui de Arte pictoria ſcripſerunt, uſque ad ſydera celebratur; nec ejus fama unquam erit peritura ob exquiſitas ejus tabulas, quæ ubique, & ſignanter Mediolani ſumma cum admiratione inſpiciuntur. Ex iiſdem aliquas enumerat pretioſiores Philippus Picinellus in ſuo Athenæo; nos verò contenti indicare, quod diſcipulus fuerit Joannis Baptiſtæ de la Cerva vocati, quem eamdem artem docuerat celeberrimus Gaudentius de Ferrariis. Sed ad deſcribendos partus litterarios ingenii Lomatii noſtri tranſeamus. Nam Poëta ſui ævi ſummoperè laudandus evaſit, ut videre eſt ex infraſcriptis ejus Operibus ab omnibus ſumma cum laude celebratis. In doctiſſima Academia Vallis Brenii ad Verbanum Lacum, in qua plures Viri docti floruerunt, Princeps omnium votis electus extitit; ſed, oh ſors bonorum hominum nimis invida! Vir iſte viſum amiſit anno trigeſimo tertio ſuæ ætatis, quod infortunium prædixiſſe fertur Hieronymus Cardanus, à nobis laudatus. In libro Baldini, Luſus inſcripto, legitur hoc Epigramma:

*Te cœcum putat eſſe, tuos qui percipit aure*
*Sermones; lynceum, qui tua ſcripta legit.*
*Quam diſtat ſonus à chartis tuus? Argus haberis*
*Paule notis, orbum Phinea voce ſonas.*

Patientiſſimè cœcitatem tulit Lomatius, immo ipſam ſprevit ſequentes Lucubrationes doctiſſimas dictando,

Quæ ſunt

I. Trattato dell' Arte della Pittura, Scultura, ed Architettura libri VII. *Milano, preſſo il Ponzio*, 1584. & deinuo 1590. *in* 4.
II. Rime varie diviſe in ſette libri. In eiſdem imitatus eſt ea, quæ ſub nomine *Groteſchi* à Pictoribus vocata ſunt, in quibus Dei laudes, rerumque Sacrarum, atque ad Principes, alioſque Litteratos, nec non ad Pictores, Sculptores, & Architectos ſpectantes, exprimit. *Milano, preſſo il Ponzio*, 1587. *in* 4.
III. Vita da lui ſteſſo ſcritta in verſi ſciolti. Extat in ſupradicto libro.
IV. Della forma delle Muſe; a Ferdinando Medici, Opera cavata dagli Autori Greci, e Latini. *Milano, per il Ponzio*, 1591. *in* 4.
V. Idea del Tempio della Pittura. *Milano, per il ſudetto*, 1584. & iterum 1591. *in* 4.
VI. Rabiſch, Rime in lingua Milaneſe di Gio. Paolo Lomazzo, ſotto nome di Compà Zavargna Nabat dra Val de Bregn, al Conte Pirro Viſconti Borromeo parti II. *Milano; per il Ponzio*, 1585. *in* 4. & iterum *per il Bidelli*, 1627. *in* 12.
VII. Accademia della Valle di Bregno. In eodem libro ſunt plura Poëmata, vulgo Capricci, vulgari idiomate Mediolanenſi ſcripta, uti in eadem Academia recitabantur. Ita aſſerit Picinellus, nullo autem loco, aut anno impreſſionis indicato.
VIII. Eſpoſizione ſopra il Trattato dell' Arte della Pittura; teſte eodem Picinello, qui de more an liber ſit MS. aut impreſſus non ſcripſit.
In laudem Auctoris extat Carmen Latinum Sigiſmundi Foliani, & duo Italica, alterum Bernardi Rainoldi, alterum ſatis longum Joannis Baptiſtæ Vicecomitis, quo Vallem ipſam, & Lomatium commendat. Leguntur in libro, cui titulus: Rabiſch.
In ejus laudem extant quoque varia Poëmata tam Italica, quàm Latina Laurentii Toſcani, Ludovici Gandini, Franciſci Buttinoni, Joannis Franciſci Vicecomitis, Bernardini Baldini, Scipionis Albani, aliorumque.
Ipſius Effigies eleganter picta extat in Muſæo Magni

gni Ducis Hetruriæ, atque maximam Pinacothecam Lomatius ipſe aſſerit habuiſſe penès ſe in libro num. II. à nobis recenſito, in qua pluſquam MMMM. Tabulas egregiè delineatas à Pictoribus majoris famæ ſervabat.

Celebratur à Præſule Ancirano Fontaninio in libro „ dell' Eloquenza Italiana, tertiæ editionis pagg. 230., 568., & 665., & ſi non omnes editiones Operum Lomatii dederit, nec rectè ea indicaverit; à Creſcimbenio in Opere „ Commentarj intorno all' „ Iſtoria della volgar Poeſia „ Vol. IV. lib. II. cap. 32. pag. 120. à Moriggia in Nobil. Mediol. lib. III. cap. 37. à Ghilino in Theatro p. II. à Petro Paulo Boſca in lib. de Origine & ſtatu Biblioth. Ambroſ. à Picinello in Athenæo pag. 311. & ab omnibus aliis, qui Vitas Pictorum in lucem dedere.

## CMXCVI.

## LOMBARDUS HIERONYMUS.

De Hieronymo Lombardo Mediolanenſi, aliud proferre Lectoribus meis non poſſum, præter nudum titulum ejus Operi præfixum, quod ſervatur MS. in Bibliotheca celebratiſſima Ambroſiana inter varia Opuſcula, quæ continet Codex ſign. R. num. 104. in 4. Hieronymus iſte Minorum Obſervantium, ut vocant, Regulam profeſſus eſt; & eo tempore, quo Lucubrationem ſuam dictavit, Romæ in Conventu de Ara-Cœli degebat, quod ipſe teſtatum reliquit in calce Diſſertationis ſuæ hiſce verbis: „ Hieronymus Lombardus in Conventu de Ara-Cœli „ Minorum minimus „. Hujus Scriptoris tantummodo meminit Pater Mazzuchellus in ſuis breviſſimis Schedis.

Opus ſic inſcribitur:

I. Apologia pro Fratribus Mendicantibus adversùs Lutheranos Germaniæ. Extat MS. in Biblioth. Ambroſ. loco ſupra indicato.

## CMXCVII.

## LONGUS GEORGIUS.

Longa Mediolanenſis Familia, quæ in Boſſianis Annalibus uti potens in Oppido Leuci, ab anno uſque MCCCLVIII. deſcribitur, nonnullos Viros doctos peperit, quos inter nos hìc cum Picinello damus Georgium, tam litteris excultum, ut Federicus Cardinalis Borromæus perpetua recordatione dignus, inter Cuſtodes Ambroſianæ Bibliothecæ adligere cenſuerit, dum ejuſdem Bibliothecæ Præfecturam agebat doctiſſimus Antonius Olgiatus. Georgius noſter, laboribus natus, Indices pœnè innumerabilium librorum ipſius Bibliothecæ confecit, quos ſupraſcripto Olgiato nuncupaſſe, aſſerit Boſca in libro ſæpè laudato de Origine & ſtatu Bibliothecæ Ambroſianæ. Floruit, ut ab ejus infraſcriptis Operibus conſtat, principio ſæculi proximè tranſacti, ſed annum ejus obitus adhuc ignoramus.

Hæc ſunt ipſius doctrinæ monumenta.

I. De Annulis ſignatoriis, ſive de vario obſignandi Ritu. *Mediolani, apud Pontium & Picaleam*, 1611. *in* 8., *& Lugduni Battavorum, apud Hackios*, 1672. *in* 12.

II. Vita, e morte del Beato Pagano de Lecco. *Milano, per il Ponzio, e Picalea*. 1611. *in* 8.

III. Indices Librorum Bibliothecæ Ambroſianæ. MSS. ut ſupra.

Agit de ipſo Petrus Paulus Boſca in Opere ſupradicto lib. II. & Picinellus in Athenæo pag. 252.

## CMXCVIII.

## LONGUS HONORIUS.

In Oppido agri Mediolanenſis Vigluno nuncupato prope Variſium, lucem vidit primam Honorius Longus, Martini filius, qui veſtigia Parentis optimi ſequutus, ad Mathematicas atque Architectonicas facultates ſe contulit, in quibus ut ille eminebat, & ipſe nec non in Hydraulica excelluit; quinimmo ut in earum ſecunda melius erudiretur, Romam profectus eſt, deinde Neapolim, & utrobique ſui ingenii plura monumenta adhuc exiſtunt in variis ædificiis ab eo peregregiè conſtructis, ideoque non modicum charus extitit variis Principibus, atque S. R. E. Cardinalibus. Poſtquam ad ſexageſimum quartum annum perveniſſet, in Patriam remeavit, immo ad ipſum locum, ubi natales recepit, in quo mortem adinvenit anno Domini MDCVII. Dum moram Romæ traheret, filium habuit Honorius noſter Martinum, qui & ipſe locum obtinere meruiſſet in hac mea Biblioth. uti ex Patre Mediolanenſi genitus, ſi mihi fuiſſet luxuria in numero Scriptorum meorum augendo, nam iſte quoque rediit Viglunum, ubi ejus familia adhuc viget, & Mediolani. Aſſerit quoque Picinellus, Martinum ipſum in lucem edidiſſe Neapoli, anno MDCXL. Vol. I. quod ſuorum primùm vocavit variorum Carminum Italicorum, ſed contentus de eo tantum hìc memoriam agere, Opus Patris Typis datum recenſeo, quod præ manibus habui, &

Sic eſt inſcriptum

I. Diſcorſo di Honorio Longhi del Tevere, della ſua inondazione, e de' ſuoi rimedii; all' Illuſtriſs. e Reverendiſs. Signore, il Sig. Cardinale Borgheſe. *Milano, preſſo Girolamo Bordoni*, 1607. *in* 4.

Hæc ſcribebat Picinellus in Suo Athenæo pag. 377.

## à SANCTA LUCIA JACOBUS.
## V. CATTANEUS JOSEPH.

## IM.

## LUCINUS JOANNES FRANCISCUS.

Ad Familiæ Lucinæ Mediolanenſis antiquitatem oſtendendam Collectio optima Archintea Philippum profert, qui anno MCDLXX. cum aliis Portæ Vercellinæ Incolis juramentum fidelitatis præſtitit primogenito Galeacii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis. An verò fuerit de eadem gente Joannes Franciſcus inter Carmelitas Excalceatos à Sanctiſſima Conceptione vocatus, candidè fateor me ignorare, ſed quod id ignorent etiam Sui, & quod plus eſt neque tantillum memoriæ ejuſdem ſervaverint, pene incredibile eſt, eo magis quia Abbas Picinellus in ſuo Athenæo aſſerit, Lucinum noſtrum ſua ætate vixiſſe, anno nempe Chriſtianæ Redemptionis MDCLXIII. ideoque aliquis Carmelita adhuc viventem ipſum videre atque tangere potuiſſe videtur. Addit idem Picinellus, quod opus infra recenſendum iſtius Auctoris ſervabatur in Bibliotheca Suorum Conventus Sactæ Mariæ Conceſæ prope Arcem Tricii ad Abduam, quò me contuli, nihilque inveni, imò nec quod Johannes Franciſcus Lucinus fuiſſet inter mortales, nedum inter Carmelitas aliquis mihi

Digitized by Google

mihi indicare ſcivit, tanta eſt cura in ſervandis documentis Virorum, quorum fama cum ipſis oblivioni traditur. Parcant igitur Lectores, ſi plus quam profertur in ſupradicto Athenæo, mihi eis dare non licet, nam ibi Lucinus noſter laudatur, uti optimus Divæ Thereſiæ Regulæ cultor ſpatio annorum triginta, & ob Opus, in quo plurimum inſudavit

Hoc titulo

I. De Immaculata Deiparæ Conceptione Vol. III. in fol. MSS. magnæ molis: extabant apud Suos, ut ſupra.
Ita Abbas Philippus Picinellus in Athenæo Mediolanenſi pag. 300.

## M.

## LUINUS BERNARDINUS.

AD Milleſimum tandem Scriptorem, Deo favente, pervenimus, quem commendant poſteritati Picturæ perities, & litteraria quoque doctrina. Hic eſt Bernardinus Luinus, cujus inſigniores Tabulas nobis indicat Abbas Picinellus variis in locis hujus Metropolis extantes; nos verò è Schedis Sitonianis didicimus, egregium hunc Pictorem patrem habuiſſe Joannem Lutherium de Luino, atque claruiſſe in fine Sæculi XV. & in principio ſubſequentis. Præceptor ejus extitit Andreas Scottus. Filios habuit Aurelium, & Evangeliſtam pictores & ipſos non infimæ notæ, quorum primi Inſcriptionem Sepulchralem, quæ legitur in albo marmore apud PP. Societatis Jeſu in Templo S. Hieronymi hujus Urbis, tranſcribere hìc ſtatuimus, ne & ipſa cum aliis miſerè pereat.

AVRELII LVINI MEDIOLANENSIS
PICTORIS EXIMII MAVSOLEVM
VIXIT ANN. LXIII. OBIIT
ANN. MDXCIII. VI. AVGVSTI.

Dolendum interea eſt, quòd Paulus Moriggia in ſua Hiſtoria Mediolanenſi, melius Luini noſtri Opus, quod ſcripſiſſe aſſerit, non delineaverit; Titulum igitur, ut jacet in Picinello, Lector benevole accipias, & reliqua de hoc Viro ex Auctoribus infra citandis requiras.

Scripſit ergo

I. Opera della Pittura.
Ita Paulus Moriggia in Hiſt. Mediol. lib. I. cap. 59. ex quo Picinellus in Athenæo pag. 89. De ipſo quoque videndi ſunt Georgius Vaſarius in p. III. & ad calcem Vitarum Lorenzetti, & Hieronymi Carpenſis, Orlandi in Abecedario Pictorico pag 99. ſicut & Petrus Paulus Boſca in libro de Origine, & ſtatu Biblioth. Ambroſ., necnon Cl. Sitonus iu Schedis.

## M I.

## LUINUS JOANNES ANTONIUS.

TEmporibus huic Metropoli feliciſſimis, in quibus adhuc vivebat Divus Carolus Borromæus, floruit Jo. Antonius Luinus, qui ut optimus Pharmacopola, & pietati ſummoperè deditus laudatur à Picinello in ſuo Athenæo. Opuſculum, quod Luinus ſcripſit, etſi impreſſum, nos non vidimus, attamen ſinè injuria ipſum ex Catalogo Scriptorum Mediolanenſium, non auferendum eſſe ſatius duximus, & cum afferat ſupradictus Picinellus, quod in eodem libro ſint plura Carmina Italica Luini noſtri, ideo inter Poëtas & ipſe quoque eſt recenſendus.

En quod profert Picinellus

I. Selva Spirituale. *Milano*, 1581. *in* 8.
II. Carmina varia Italica, vulgo *Sonetti*, extant in eodem libro.
Ex Athenæo Mediolanenſi, ut ſupra pag. 266.

## M II.

## LUINUS NICOLAUS.

ALterum de Luino inter Scriptores noſtros Lectoribus proferre datum eſt ope Bibliothecæ Manuſcriptorum Clariſſimi Montfauconii, nec dubium eſſe poteſt, quòd inter Mediolanenſes Nicolaus & ipſe enumerandus ſit, nam gens iſta agnomen ſuum accepit ex Oppido Luini nomine, prope Lacum Verbanum ſito. Titulus verò Operis infra memorandi hominem oſtendit Sæculo XV. viventem, & cum ſit ad Summum Pontificem, alioſque Principes ſcriptum facilè conjici poſſe videtur, quòd aliquid laude dignum exhibeat. Optandum foret, quod Collectoribus Operum illuſtrium Virorum datum fuiſſet tempus, ætas congrua, at quod plus eſt pecunia competens ad inviſendas Bibliothecas ſaltem Italicas pro Lectoribus inſtruendis, amplius quàm de ſola Inſcriptione MSSrum Codicum: Mihi ſors tantum non dedit, ideoque quod poſſum offero,

Nempè

I. Nicolai de Luino Lamentum Chriſtianitatis ad Sixtum IV. & Principes Chriſtianos. Extat MS. in Biblioth. Vatic. num. 3652.
Ita Montfauconius in Bibliotheca Bibliothecarum MSS. Tom. II.

## M III.

## LUPUS JOANNES ANTONIUS.

RIdiculum ſanè foret verba Picinelli tranſcribere, quæ in ſuo Athenæo leguntur de Jo. Antonio Lupo; excerpere tantùm juvat ab illis, quod animarum curam ipſe gerebat in Eccleſia S. Victoris, ad Theatrum nuncupata, hujus Metropolis. Ex libri titulo ab eodem editi, ut infra, parum gloriæ videtur ipſi tribuendum, ſed eo quia optimè ſcriptum ſit Latino ſermone, & varia contineat ad memoriam ſervandam plurium Virorum Mediolanenſium, ſatius duximus prætereundum non eſſe.

Ejus Libri hæc eſt inſcriptio

I. Summarium, in quo Onera, Conſtitutiones, & Emolumenta Societatis XII. Parochorum Urbis Mediolani nuncupatæ glorioſæ Virginis Mariæ, & XII. Apoſtolorum diſtinctè collectæ recenſentur. *Mediolani, apud Tinum*, 1592. *in* 4.
De eo Picinellus in Athenæo pag. 267.

MIV.

## M I V.

## LURANUS HIERONYMUS.

ETſi parum nimis de Hieronymo Lurano habeamus, ut infra, attamen ipſum reperimus undique laudatum uti Juriſperitia clariſſimum, & cum ejus conſilium à celeberrimo Andrea Alciato relatum ſit, ipſum inſalutatum non relinquere cenſuimus. Patrem ipſe habuit Jacobum Leone genitum, matremque Iſolatam Stratam, conjuges Mediolanenſes, & non tantum in utroque Jure Doctor extitit, ſed etiam ſacris ſcientiis optimè imbutus, munus Præpoſiti Eccleſiæ S. Catharinæ loci Caſellarum Diœceſis Laudenſis peregregiè ſuſtinuit, claruitque ineunte Sæculo XVI., & quod non parum laudis ei affert, inter amicos chariores ipſius Clariſſimi Andreæ Alciati extitit, ideoque Reſponſum ejus inter illa Alciati ſupradicti legitur, & de eo meminit idem in ſuo Antiquario MS. Chriſtophorus Luranus Auctoris noſtri pronepos hanc Inſcriptionem in ſupra memorata Eccleſia inſculptam voluit Anno Chriſti MDCXLVII.

D. O. M

HIERONYMO LVRANO I. V. D.

QVI AVCTORITATE PONTIFICIA

HOC TEMPLVM

SIBI

IN PRAEPOSITVRAM EREXIT

ANNO D. MDXIX.

AC

PETRO PAVLO EIVS FRATRI

QVI HOC SACELLVM

IN HONOREM B. V. MARIAE EXTRVXIT

CHRISTOPHORVS LVRANVS

REG. FEVDAT. CASELLENSIS

CONSANGVINEO PROAVOQVE CARISSIMIS

P.

Supereſt tantùm de eo

I. Reſponſum Juris. Extat inter ea Cl. Andreæ Alciati num. 47. fol. 34.
Ex Schedis Sitonianis, atque Mazzuchellianis.

## M V.

## LURASCUS GEORGIUS.

CHronicon, cujus Auctor eſt Georgius Luraſcus, à pluries laudato P. Mazzuchello penès Marchionem Brippium inſpectum, nunc poſſidet amiciſſimus Nicolaus Sormanus è Congregatione Oblatorum, ac Bibliothecæ Ambroſianæ Doctor, uti ipſemet teſtatur in ſuo Opere nuperrimè edito in hac Urbe, cui titulus „ Breve Storia degli Umiliati „. Ex Schedis interim Mazzuchellianis didicimus, Georgium noſtrum Ordinem Humiliatorum profeſſum fuiſſe, necnon Præpoſituram Cœnobii, ſeu Domus S. Petri de Vico-boldono, anno Redemptionis Chriſtianæ MCCCCXIX. rexiſſe. Chronicon ipſius incipit ab anno MXVII. unde patet error Sabellici, aliorumque ſcribentium ſub Friderico Œnobarbo cœpiſſe Ordinem Humiliatorum. In hoc verò Chronico refertur cap. X. Inſtrumentum emptionis factæ à Gofrido de Crepa Fratre Humiliato, & Procuratore Domus Braydæ Mediolani, quod rogatum extitit anno Domini MCXXXVI. per Ognibenium de Guidonis. Aliud quoque Inſtrumentum exhibetur ibi locationis libellariæ factæ per Dominam Carcacoſam uxorem Jacobi Maddii in Joannem Vaſſallum Fratrem Humiliatum, & Miniſtrum Domus ſui Ordinis Roncurii in Agro Laudenſi, rogatum item anno Domini MCXXXVI. die XIII. Aprilis, Indictione XIV. per Areſtum Saregnum Notarium in Melegnano. Notandum interea eſt, quod Chronicon, de quo agimus, inceptum fuerit ab Anonymo Scriptore, deinde à Georgio Luraſco tantummodo continuatum, pluribuſque notis, atque interpolationibus undique aſperſum. Vivebat enim Luraſcus anno vigeſimo quarto ſupra Milleſimum, & Quadringenteſimum, ut à nobis obſervatum eſt in pluribus Catalogis Præpoſitorum Ordinis prædicti Humiliatorum.

Damus ergo de ipſo

I. Chronicon Ordinis Humiliatorum. MS. in fol. extat ut ſupra.
Ex Schedis Mazzuchellianis, & ex libro ſupramemorati doctiſſimi Nicolai Sormani.

## M V I.

## LUTIUS HORATIUS.

NIſi librum fortuitò præ manibus habuiſſem, Auctorem ipſius recenſere nunquam mihi conceſſum foret, nullâ memoriâ apud Mediolanenſes de eo repertâ. Tantùm igitur ex titulo mox enunciando omnibus apparet, fuiſſe Horatium Lutium antiquiſſimæ Eccleſiæ Modoëtienſis Archipresbyterum, nec non in pluribus locis, & ſignanter in Epiſtola ad Lectorem ſe Mediolanenſem oſtendit, de Familia verò Lutia nuncupata, documentum nullum vidi, nec ullus doctum me fecit, ubi aliquid de ea exiſtat, ut meum inſtitutum etiam hìc proſequi potuiſſem. Liber certè dignus eſt, qui memoriæ Poſterorum tradatur, cum non ſinè labore compactus ſit.

Sic enim inſcribitur

I. Sacroſancti Concilii Tridentini Decreta, & Canones; cum citationibus ex utroque Teſtamento, & Juris Pontificii Conſtitutionibus ab Horatio Lutio Modoëtiæ Archipresbytero &c. *Placentiæ, apud Bazzachium*, 1586. *in* 8.

Digitized by Google

# M

## MVII.

## MACCANEUS DOMINICUS.

ETſi Dominicus Maccaneus, Melchioris filius, natus ſit in Villa Maccanei nomine ad oram Verbani Lacus ſita, attamen ejus pater cum omnibus aliis ex hac Familia Mediolani lucem primam aſpexit, nam ab amiciſſimo atque Clariſſimo Sitono edoctus fui de ſtemmate Genealogico Maccaneo ex publicis documentis compacto, incipiente à Gerardo, qui claruit, ut Mediolanenſis Civis in hac Urbe, anno Salutis MCCLXXX. uſque ad Joannem Antonium inter vivos exiſtentem anno MCCCCLXXXI. Dominicus verò noſter ortus eſt trigeſimo octavo anno ſupra milleſimum & quadringenteſimum, litteriſque peregregiè excultus, eloquentiæ Profeſſor publicus, Taurinum incoluit, ubi octuagenario major deceſſit, & in Æde Divi Dominici in ea Urbe ſub hac Epigraphe tumulatus quieſcit:

TAVRINA VIXI STVDIOSVS IN VRBE PROFESSOR
MVSARVM ET MORVM VOX MACANAEVS ERAT
CARA MIHI CONIVNX FVIT ELISINA PVDICA
VIVENS FAEMINEVM DVXIT IN ASTRA DECVS.

Nec tantùm amœniora Studia ſequutus eſt, ſed & etiam Hiſtorias, nam primus fuit, qui Verbanum Lacum diligentiſſimè deſcripſerit, aliaſque ſcientias adamavit, ut ab his, quæ infra damus, facilè agnoſcitur,

Quæ ſunt:

I. Chorographia Verbani Lacus lib. II. Ad Gaſparem Vicecomitem Equitem doctiſſimum. *Mediolani, apud Scizenzeler, anno* 1490. *Kal. Aprilis, in* 4. & iterum 1699. *in* 4. Adeſt in eodem libro Epiſtola Joannis Jacobi Ghilini in laudem Auctoris, & Operis.

II. Quæſtiunculæ quædam ad Gaſparem Vicecomitem, idem Opus edidit Clariſſimus Grævius in Tom. IX. Theſauri Antiquitatum Italiæ. Reperitur quoque MS. in Bibliotheca Mediceo-Laurent. Cod. 37. Plut. 75. ex Montfauconii Bibliotheca MSS. Tom. I. pag. 369.

III. Epigramma in laudem Gaſparis Vicecomitis, de quo Clariſs. Saxius ad annum MCCCCXCIII.

IV. Obſervationes ad Tranquillum, & Valerium Maximum. MSS. latinè apud Cl. Sitonum.

V. Antiquitates Allobrogicæ. MSS. Italicè apud eumdem.

VI. Vitæ novem Ducum Sabaudiæ. MSS. Latinè apud eumdem.

VII. Epigrammata II. in laudem Jo. Franciſci Balbi: extant in Tractatu ejuſdem de Uſucapionibus. *Mediolani, apud Scizenzeler*, 1515. *in fol.* & iterum *Venetiis, apud Cominum de Tridino*, 1563. *in* 8. *ad pag.* 271.

Eum vocat Virum eruditiſſimum, & ejus laudat Carmina Carolus Barbavaria in Epiſtola ad Biſſium, de qua jam diximus.

Inter Carmina Italica, vulgò *Ritmi*, Gaſparis Vicecomitis, unum eſt in laudem Dominici Maccanei.

De ipſo in primis videnda eſt Hiſtoria Typographica ſupradicti Clariſs. Saxii, in qua recenſentur diligentiſſimè Opera Maccanei noſtri Taurini impreſſa. Gaudentius Merula Hiſt. Gallor. Ciſalpin. antiquit. lib. II. cap. XV. Carol. Joſeph Morotius in Vita Beati Amadæi pagg. 69. 88. 127. 209. 213. 222. 238. & 285. Leander Alberti in Deſcript. Galliæ tranſpadan. Inſubr. Abraham Ortellius in Theatr. Coſmograph univerſ. orbis. J. C. Lazarus Auguſt. Cotta ſub anagrammatico nomine Statii Trogi Catalauni in præfat. ad Dominici Maccanei Chorographiam Verbani Lacus reimpreſs. Mediol. an. 1699. in 4. pag. 2. ubi plura vid. Auctores Diarii Italici Venetiis impreſſi Tom. III pag. 516. Picinell. in Athenæo pag. 163. necnon Schedæ ampliſſimæ Sitonianæ.

## MVIII.

## MACINAGUS LUDOVICUS.

VExilla Divi Franciſci Aſiſinatis proſequi inſtituit Ludovicus Macinagus, Variſii natus, inter Fratres Minores, quos Conventuales vocamus, ubi Theologicis facultatibus tam ſedulò ſe dedit, ut in Urbe Florentia per dies quatuor indeſinenter Scoti Sententias propugnaverit, cum omnium admiratione; interfuitque eiſdem Diſputationibus Magnus Hetruriæ Dux, ideoque ſpes maxima de ipſo concepta fuit, nec certè fefellit, nam Cathedras non tantùm breviter apud Suos aſcendit, ſed etiam in celeberrima Ticinenſi Univerſitate, ubi primarius Metaphyſicæ Lector ſumma cum laude extitit. Annum vigeſimum octavum vix attingens, munus Provincialis ſui Ordinis prudentiſſimè ſuſtinuit, terque Procuratoris Generalis, quo in officio non ſolum à Suis, ſed etiam ab Alexandro VII. Pontifice Maximo, eligi & confirmari meruit. Mirum igitur non eſt, ſi amorem, exiſtimationemque variorum Principum ſibi acquiſiverit, inter quos Alphonſum Littam, Archiepiſcopum Mediolanenſem tantùm indicare juvat, qui conſiliis Maccanei noſtri ſæpiſſimè uſus eſt; ſed proh dolor! Vir iſte ad ſummum honorem Generalatus, ſcilicet totius ſui Ordinis deſignatus, omnium votis Româ Mediolanum redux, diem clauſit extremùm, citò nimis, nam fuit illi ætatis annus quinquageſimus ſextus. Cœnobium ſuum Variſii, Templumque ob quamplurima Beneficia ibi à noſtro collata, tanto Viro obſtricta fuere, quam ob rem grati animi ergò marmoream effigiem eidem erexerunt, ſub qua hoc ſatis prolixum Elogium inſpicitur, à Ludovico Mannio Canturienſi ejuſdem Ordinis, & poſtea Aquæpendentis Epiſcopo compoſitum pro ætatis genio infelici:



Digitized by Google

*Icone lapidea expreſſum*
*Patrem Mag. Ludovicum Macinagum Min. Conv.*
*de Variſio nuncupatum*
*Suſpiciens ſpectator*
*Non de funere doleas, ſed de fœnore gaudeas.*
*Mutatum Heroëm mutata à ſilice refert imago,*
*ut carne peremptus, ſaxo perennet.*
*Quid in ſaxo perennet facto perennior?*
*Hic primarios ſuggeſtus, Religionis exhedras*
*Ticinenſe Archigymnaſium illuſtravit;*
*doctiſſimos libros edidit:*
*Provinciam Mediolanenſem XXVIII. ætatis ſuæ anno*
*prudentiſſimè rexit;*
*A Religione ſemel, ab Alex. VII. iterum, tertiumque*
*(hactenus ſingulare) Procurator Generalis electus;*
*Eloquentia rarus, prudentia inſignis,*
*rebus gerendis eximius,*
*In arduis expeditus, in proſperis, & adverſis*
*inconcuſſus,*
*Principibus carus, reliquis amabilis,*
*cunctis admirabilis.*
*Dignus ſanè,*
*quem Franciſcana familia, illuſtris Macinagorũ Domus,*
*Imò Inſubria tota, ac Italia quoque ipſa ſuum decus,*
*& ornamentum appellent.*
*Ingentem adeò Virtutum, dignitatumque cumulum*
*(mirabile dictu!)*
*Undecim luſtrorum ſpatio coëgit,*
*totidem planè ſæculis ſuffecturum,*
*Ut mors ipſa excuſationem ferat, ſi feriit immaturum.*
*Quid ſi ad ſenium vixiſſet?*
*Tantus Vir hinc Roma rediens*
*omnium votis ad ſumma deſtinatus,*
*Mediolani maligno morbo correptus ſanctiſſimè deceſſit*
*Die XIV. Octobris MDCLXI. ætatis ſuæ ann. LVI.*
*Cujus æternæ ſemper felici memoriæ*
*PP. hujus Cœnobii,*
*Ab ipſo à fundamentis penè reædificati, exculti,*
*opibus aucti*
*Hunc lapidem poſuerunt*
*juſſu Reverendiſſ. P. Mag. Jacobi Fabretti Ravenn.*
*Ordinis Generalis Miniſtri.*

Parcat quæſo Lector, ſi hujuſmodi Elogium à Picinello relatum, qualecunque illud ſit, non duximus expungendum.

Hæc poſt ſe reliquit

I. Bivio delle Umane Operazioni, *Diſcorſo* Academico, Morale, e Politico: al Signor Conte D. Giulio Areſe Cavaliere dell' Ordine di Calatrava. *Milano, preſſo Ludovico Monza*, 1659. *in* 8. Liber eſt Theologica, Politica, atque Hiſtorica eruditione refertus.

II. Theoſcolion Theologicum pars prima, nempe de utraque Creatoris originatione; continet Tractatus de Incarnatione, & de Trinitate: ad Cardinalem Pamphilium. *Mediolani, apud Montiam*, 1653 *in* 8.

III. Partes duas alias promiſit, quas prælo paraverat, ſed muneribus Ordinis occupatus, ac tandem morte præventus eas non vulgavit.

De ipſo agit Picinellus in Athenæo pag. 389. necnon Franchinus in Biblioſophia pag. 405.

MIX.

## MADDIUS CAROLUS MARIA.

CArolus Maria Maddius Joannis Baptiſtæ, & Angelæ Ripæ filius, anno MDCXXX. die VIII. Maji Mediolani natus, in celeberrima Braydenſi Academia aliquando eruditus, anno ætatis ſuæ XVI. Bononiam Patriam meam dilectiſſimam contendit, ut jubente patre Juriſprudentiæ operam daret. Verùm cum ad Muſarum ſtudia indole propria raperetur, poſt triennium reverſus in Patriam, & inde Romam, Neapolim, & ad alias Italiæ Urbes progreſſus, demum anno ætatis ſuæ XXXI., Præſide Bartholomæo Areſio curante, à Secretis Senatus electus eſt. Græcas interim litteras tam egregiè didicit, ut in Palatinis Scholis eas ex S. C. multos annos docuerit. Ordo idem ampliſſimus Maddio Academiæ Ticinenſis, ejuſque Magiſtrorum curam commendavit. Græcâ, Latinâ, Italicâ, atque Hiſpanâ linguâ multa conſcripſit Carmina, Orator quoque eximias plures habuit Latinas Orationes inter Academicos Florentinos, qui dicuntur *della Cruſca*; Arcades, inter quos fuit ei nomen Nicii Meneladii, Faticoſos Mediolanenſes, Concordes Ravennates, Olympicos Vicentinos, Intronatos Senenſes, Incitatos Faventinos, Filergitas Forolivienſes, Ricovratos Patavinos, Gelidos, & Accenſos Bononienſes magna cum gloria ſui nominis recenſitus. Obiit cum univerſæ Litteratorum Reipublicæ luctu die XXII. Aprilis, anno MDCIC. Conditus eſt in Baſilica S Nazarii in Brolio ante familiæ ſuæ Aram, cum hac frugali nimis Epigraphe:

CAROLO MARIAE MADDIO A SECRETIS SENATVS
GRAECAE ET LATINAE ELOQVENTIAE
IN SCHOLIS PALATINIS PROFESSORI
SVPERSTES SVORVM AMOR
IN HOC GENTILITIO SEPVLCHRO
MONVMENTVM POSVIT.
OBIIT ANNO MDCIC.

Pro ejus Funere Orationem habuit Alexander Litta in Academia à Comite Joanne Borromæo in ſuis ædibus inſtituta. Æternitati ipſum commendant ejus Opera variis temporibus edita,

Nempè

I. Rime varie di Carlo Maria Maggi Accademico della Cruſca, *in Firenze, nella Stamperia di S. A. S. in* 4.

II. Opere di Carlo Maria Maggi Milaneſe, con la Vita ſcritta dal Sig. Dott. Ludovico Antonio Muratori. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1700., *&* 1701. *Tomi V. in* 12. Eidem Cl. Muratorio ipſam quoque editionem debemus, apud quem tantam exiſtimationem Maddius noſter meritò obtinuit, ut pluribus in locis, ejus Operis inſcripti „della „ perfetta Poeſia Italiana „ eum laudaverit, & ſignanter pag. 273 Vol. II. ubi profert Panegyrim Divi Thomæ ejuſd. Maddii in Commendationem Ludovici Magni Francorum Regis, quæ incipit „ del Gran Luigi &c. Contra eandem nonnullæ Cenſuræ apparuere, quas omnes Muratorius ſupradictus doctiſſimè evincit. Idem agit ſupralaudatus Muratorius in eodem libro pag. 383. contra quemdam Arcadem Coloniæ Veronenſis, qui de Maddio noſtro quædam non pro dignitate ſcripſit.

III. Anecdota Poſtuma Miſcellanea. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1728. *in* 8.

IV. Artem Poeticam anteponendam eſſe aliis liberalibus artibus; Proluſio MS. in fol. pagg. 20. cum ejuſdem Epiſtola data die XXI. Martii 1687. ad Petrum Paulum Caravagium, à quo ſententiam pro approbatione petit, cum ejuſdem Reſponſione, & Car-

Carmine Italico in laudem Maddii. Extat in Biblioth. Marchionis Petri Pauli Caravagii.

V. Carmina Italica XXXII. vulgo *Sonetti*. Extant in libro „ Rime delli Arcadi T. IV. „ reperiuntur etiam in altero cui titulus „ Scelta de' più Ec„ cellenti Rimatori d'ogni ſecolo „ T. II. pag. 390. alibique pluries

VI. Carmina Latina. Extant in libro cui titulus: „ Aca„ demiæ Animoſorum Plauſus in Laurea Joan. Ma„ riæ Sicci de Aragonia. *Mediol. in* 4

VII. Epiſtola gratulatoria ad Alexandrum Perlaſcham: legitur in fronte libri Panegyrum XXXVI. ſupradicti Perlaſchæ.

VIII. Alia Latina. Extat inter eas Octavii Ferrarii, editionis Patavinæ, ad eundem ſcripta, cum Ferrarii reſponſo.

IX. Alia pariter Latina Franciſco Sadarino J. C. doctiſſimo, à Secretis Senatus Mediolanenſis, ornatiſſimo Viro, atque Collegæ. Extat in calce Reſponſi ſupradicti Sadarini, in quo agitur erudite de Bibliopolis, Bibliothecis, Libris, Typographia, Typographis, & de Charta. Inter Reſponſa ejuſdem Sadarini pagg 29. & 34.

De ejus obitu Poëma edidit, cui nomen *Corona prima*, Abbas Franciſcus Puricellus, de quo ſuo loco, alterum cui titulus *Corona ſeconda*, Antonius Gatti, tertium vero, cui titulus *Corona terza*, Ludovicus Antonius Muratorius, qui ejus Vitam conſcripſit, ut diximus. & ſeorſim editam *Mediolani, per Joſephum Pandulphum Malateſtam*, 1700.

Extant ad eum Epiſtolæ plures Italicæ Franciſci Fabri Bremundani, in libro cui titulus: „ Lettere „ di Franceſco Fabri Bremondani, libri tre, al „ Signor Marcheſe Girolamo Talenti da Fiorenza „ Senatore. *Milano*, 1660. *in* 8.

Nemo eſt, qui de Poëſi Italica, necnon de eadem Mediolanenſi Vernacula, in qua Princeps fuit certè Maddius noſter, agat, ſine ejus ſumma laude, inter quos præter citatum Cl. Muratorium, videndus eſt Creſcimbenius in libro „ dell' Iſtoria „ della volgar Poeſia lib. IV. cap. XI. pag. 522., & Sitonus in ſuo Theatro Nobilitatis pag. 169. artic. 688.

## M X.

## MADDIUS GABRIEL.

CUm Cœtus eximius Oblatorum Sanctorum Caroli, & Ambroſii in hac Urbe conditus fuerit à Divo Carolo Borromæo pro inſtruendis in ipſo Viris ad illuſtrandam, fovendamque Eccleſiam Mediolanenſem, ut facilè omnium oculis etiam in præſentiarum apparet, mirum non eſt, ſi parum de iſtis, aut nihil, ſcriptum apud eos reperiatur; nam perpetuò, aut ad Eccleſias regendas, aut ad alias ſacras dignitates exercendas, ex ſupradicta Congregatione transferuntur. Hoc equidem expertus eſt ornatiſſimus, atque amiciſſimus Bartholomæus Rubeus, olim Eccleſiæ Canturienſis Præpoſitus, qui tantillum nobis dare coactus fuit in ſuo libro nuper edito, cui titulus: De Origine, & Progreſſu Congregationis Oblatorum. Mihi quoque non parum laboris fuit in perquirendis actis plurium Scriptorum ejuſdem Congregationis in hac Bibliotheca dignè recenſendorum, de quibus aliud memoriæ non ſupereſt, præter Oblatorum titulum. Id etiam contigit de hoc Gabriele Maddio, cujus Opus MS. adinveni in ditiſſima Ambroſiana Bibliotheca. Accipiat igitur Lector quod poſſum, ab aliiſque plura poſt me expectet.

Opus ejus ſic inſcribitur:

I. S. P. Cyrilli Alexandrini Archiepiſcopi, de Adoratione in ſpiritu, & veritate parva imago, per Presbyterum Gabrielem Maggium D. T. efficta anno Domini MDXCVII. Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D. D. Federico Borromæo Cardinali ampliſſimo, & S. Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtiti vigilantiſſimo; ad calcem Epiſtolæ Nuncupatoriæ ſic ſe ſubſcribit: „ Presbyter Gabriel „ Maggius Oblatus. MS. in 4. ſign. N. num. 115. pagg. 86. optimè ſcript. extat in ſupradicta Bibliotheca.

## M X I.

## MADDIUS LAURENTIUS.

MIror, quod non tantum Picinellus, qui tot Scriptores minoris notæ in ſuum Athenæum Mediolanenſe intulit, ſed & alii plures, quorum labor fuit in deſcribendis Viris illuſtrioribus Italicis aut in Poëſi, aut in traducendis Operibus tam ſacris, quàm profanis, e Græco atque Latino idiomate in Italicum, nullam mentionem fecerint de Laurentio Maddio noſtro, optimo Sæculo XVI. vivente, à quo non tantùm Hymni Eccleſiaſtici in vernaculam linguam elegantiſſimè verſi fuerunt, ſed qui etiam Notis eruditione ſacra ſummè refertis eoſdem evulgavit. Fruſtra ego quæſivi acta & originem Viri iſtius, nec amplius quàm ipſemet aſſerit in titulo ejus Operis, videlicet quod Archipresbyteratum Ripæ Sanvitalis obtinuiſſet, dare mihi licet; certè ante me liber iſte celebrari meruiſſet.

En ut inſcribitur

I. I Sagri Inni, che ſi leggono in tutto l'anno nella Santa Chieſa, traddotti, e commentati in lingua volgare da Lorenzo Maggi Milaneſe Arciprete di Ripa Sanvitale, à Pio V. Pontefice. *Venezia, per il Rampazzetto*, 1567. *in* 8.

## M X I I.

## MADDIUS LUDOVICUS.

LUdovicus Maddius Mediolani natus, ex Joanne Antonio, & Margarita Siccoborella conjugibus, Abbas extitit Commendatarius Sancti Angeli in Regno Neapolitano, litteriſque ſummoperè excultus, præcipuè Legibus tam Sacris, quàm Civilibus, inter Juriſperitos Collegiatos Patriæ adnumerari meruit anno Chriſti MDLXXXVIII. Probitatem, ſcientiamque ipſius optimè novit Paulus V. Pontifex, ideoque Lucerienſem in Epiſcopum, eumdem elegit anno MDCIX. die XXIX Aprilis. Extat in illius laudem Epigramma Bernardini Baldini quod hìc exſcribo ab Appendice Epigrammatum ejuſdem Baldini pag. 27.

*Quo magis eſt curæ nobis tua gloria Magi,*
*Carminibuſque tuum quæro ſonare decus;*
*Hoc magis averſo linquit me numine Phœbus,*
*Nec patitur victum carmen hiare ſenem;*
*Nam tremulis pulſa digitis teſtudine gratis*
*Articulis numeros me dare poſſe negat.*
*Te verò dignum cantari voce ſonora*
*Inquit, & arguta, Pindariciſque ſonis;*
*Quem ſi quis ſtudeat raris intexere chartis,*
*Tentet hic anguſto claudere vaſe lacus,*
*Quòd Pæan vetat hiſtoriam perſtringere paucis*
*Me, nequeo laudes concinuiſſe tuas,*

Scriptum fuit Ludovico noſtro adhuc Abbati, ab ipſoque conſtat quantum Muſas ipſe etiam coluerit. Deſideratus eſt præſtantiſſimus Antiſtes anno ſalutis humanæ MDCXVIII.

Da-

Damus igitur de eo

I. Oratio ad Carolum V. Cæſarem. Memoratur à Hieronymo Mendriſio, ut infra.
II. Carmen ad Jacobum Critonium.
III. Alterum ad Franciſcum Cicerejum. Extant in lib. cui titulus: „ Jacobi Critonii Scoti ad nobiliſſimum Vi-„ rum, prudentiſſimumque Summæ Quæſturæ Regiæ „ Mediolanenſis Adminiſtratorem Sfortiam Brivium „ Carmen. *Mediolani, apud Pontium*, 1585. *in* 4.
IV. Ludovici Maddii Epiſtolæ ad Federicum Cardinalem Borromæum datæ anno MDXCV. Extant in ſæpe laudata Collectione Epiſtolarum ejuſdem Card. in Biblioth Ambroſ.

Inter Epiſtolas Parthenii & Tyri Venetiis impreſſas in 8. extant tres ad Ludovicum noſtrum ſcriptæ pagg. 182. 207. 231.

Ei dicavit Frater Hieronymus Mendriſius Expoſitionem Pſalmi *Qui habitat*. Narrat in Nuncupatoria, Maddium reverſum è Legatione ad Carolum V. Auguſtum in morbum incidiſſe, qui ægrotus Pſalmum ipſum continuò recitabat, petiitque à Mendriſio ejus Expoſitionem.

Laudatur in Tom. VIII. Italiæ Sacræ Ughelli pag. 688. in Hiſtor. Antiqu. Mediol. Moriggiæ lib. IV. cap. V. à Pucinello in Mem. Antiqu. Mediol. cap. XVII. num. 112. & à Sitono in Theatro Nobil. pag. 169. art. 688.

## MXIII.

## MADDIUS MICHAEL.

DOleo quidem, & ſummopere doleo, de Michaële Maddio loqui coactus in hac mea Bibliotheca, nam in ipſo Virum amiſi ſingulari amicitiâ mihi conjunctum, & cujus domeſtica tantùm converſatione per plures annos ſecum habita, multum didici, & nonnulla ad rem litterariam ſpectantia in meis Schedis adnotavi, quibus non ſemel uſus ſum, ſicuti etiam illius Bibliothecâ à prædeceſſoribus ſuis ſummo ſtudio conſtructa, & quæ ei erat in deliciis. E celeberrimo Carolo Maria jam laudato, atque Anna Maria Monticella genitus fuit III. Kal. Octobris MDCLIX. Mediolani. Grammaticas Inſtitutiones, & Præcepta Rhetoricæ in ſcholis Arcimboldiis ſub Clericis Regularibus, qui Barnabitæ dicuntur, præcipuè vero ſub Demetrio Supenſio edoctus eſt. Verùm accuratiſſimo Patris ſui ſtudio ad omnem eruditionem, ſed in primis ad Græcam linguam formatus, graviora ad ſtudia Philoſophiæ ſcilicet, & Matheſeos animum convertit, fruſtrà obſiſtentibus & corporis imbecillitate, & domeſticorum zelo, verentium ne ſtudiorum amor ejus ſaluti officeret, quam ab ipſo ortu ſatis debilem, utpote ſeptimo menſe natus, hauſerat. Adeò igitur in Græca præſertim eruditione profecit, ut Pater ipſe jam plures annos eam in Palatino Gymnaſio docens, illi in eadem primas cedere non erubuerit; & non raro ad Michaëlem Viri eruditiſſimi & verbis, & litteris difficillimas Græcorum Scriptorum Sententias explicandas amandaverint, quas ille mirabili ſimplicitate, & claritate exponebat. Quamobrem Genitor ætatis ergò laboribus feſſus à Senatu impetravit, ut filio vices ſuas committi mandaret, quas in Græcæ linguæ præceptis tradendis decem & novem integros annos Patre ſuperſtite exercuit, cui etiam fato functo plenis votis ſucceſſor datus, Ariſtotelis Ethicam in eodem Gymnaſio, additis proprii ingenii eruditiſſimis Notis, ſtudioſis tradidit. Tam ſeriis ſtudiis Poëticos quoque admiſcuit, & inter Faticoſos, atque Arcades Coloniæ Inſubricæ, aſſumpto Eriſſi Laliemiani nomine, cooptatus, plaudentibus eruditis Carmina plura recitavit. A Senatu quoque in locum defuncti Patris à Secretis electus, cum annos quatuor ſumma cum integritatis fama id muneris obiiſſet, ſtudiis liberiùs vacaturus, illud ſpontè abdicavit. A Principe etiam in Conſultorum numerum ſæpè adſcitus tam juſtè, prudenterque ſe geſſit, ut mercedis gratiâ unum è Secretiorum rerum Scriptoribus eligendi jus ei collatus fuerit. Demum anno ætatis ſuæ ſexageſimo quinto, qui ſalutis erat MDCCXXIII. V. Kal. Novembris, cum in Villa ſua ad Oppidum Abbiatis-graſſi moraretur, piiſſimè, ut vixerat, obiit. Jacet in Templo Deiparæ ad Divum Celſum, ubi poſthabito majorum Tumulo, quod eſt in Baſilica D. Nazarii, vivens ſibi ſepulchrum elegerat. Pauca admodum ejus ſcripta habemus impreſſa, & utinam quoque hæc meliori Critica examinata fuiſſent priuſquam typis concederentur, nam Vir noſter ſingulari humanitate præditus, nemini Carmina ſua denegare conſueverat, vel cum Sacræ Virgines Deo ſe dicarent, vel annua Defunctis ſuffragia celebrarentur. Pluries verò ſuppreſſo ipſius nomine, tanquam minimè digna ut publici juris fierent, edita voluit. Ingenium ejus attamen elucet in aliis Carminibus, quæ ſatis erat tantùm in lucem proferre. Alia Opuſcula ejus digniora, extant adhuc MSS. penes Suos, quæ infra recenſebimus. Quamplures Viros inſignes habuit in Philoſophia diſcipulos, inter quos Comitis Colloredi, Inſubriæ Moderatoris, filios, nec non Mariam Helenam Luſinianam Genuenſem, quæ grati animi ergo hoc ad eum Epigramma dedit

Domino Michaëli Maddio ingenii fœlicitatem, & morum integritatem utramque abſolutiſſimam, εἰς τὸ δὴ ἀρετῆς μαρτύριον, gratulabatur Maria Luſiniana Genuenſis.

*Quamvis ipſa ſuis inimica modeſtia pugnet*
*Laudibus, & merito gaudeat, oſa decus:*
*Pluribus officii titulis inducta perennis,*
*Patrono geſtit plaudere Muſa cliens.*
*An lateat Virtus, quæ ſe jam lumine prodit,*
*Quam grata agnoſcit Patria, fama colit?*
*Ergo ubi te pleno mirata eſt turba Theatro,*
*Juſtè vulgatis plauſibus addo meos.*
*Sed non quas recolis ſtudiis fœlicibus artes,*
*Quæve infers Latio lumina Graja canam.*
*Quæ vis ingenii, quod ſit tibi mentis acumen,*
*Aurea quam puro vena tenore fluat:*
*Quæ morum probitas, infectoque integer ævo*
*Qui ſedeat ſanctæ pectore legis amor:*
*Hæc alii celebrent: humilis male tractat avena*
*Grandia, ſublimi Carmine digna coli.*
*Hoc tamen haud ſileam, quod te magis, inclyte Maddi,*
*Virtus, quam celas pectore, pulchra probat.*
*Hactenus obſequium, ne ſcilicet ipſa viderer*
*Aut ingrata ſilens, aut nimis auſa loquax.*

Hæc, quæ de ipſo promiſimus, damus:

I. Poeſie Miſcellanee raccolte da Giacomo Machio. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1722. *Tom. II. in* 12.
II. Ethicæ Compendium. MS. in fol. extat penes Suos, atque ſupradictos Comites Colloredos.
III. Proluſiones ad Ariſtotelis Ethicam, in Scholis Palatinis habitæ. MSS. penes Suos.
IV. Carmina ejus Italica atque Latina, in lib. cui titulus: „ Plauſi Poetici per le glorioſe Impreſe del Sereniſſ. „ Principe Eugenio di Savoja. *Milano, in* 4.
V. In prima parte libri inſcripti: „ Rime de' Poeti illu-„ ſtri viventi. *In Faenza*, 1723. *in* 8. *pag.* 580. ſunt Carmina IV. vulgo *Sonetti*, Michaëlis Maddii Academici Faticoſi, & Arcadis.
VI. In Fronte libri, cui titulus: „ Antonii Gatti Ante-„ ceſſoris Ticinenſis Hiſtoria Gymnaſii Ticinenſis à „ Sæculo V. ad finem Sæculi XV. &c. Extat in lau-

laudem Auctoris longum Carmen Græcum Blaſii Garyophyli, cum verſione Latina Michaëlis Maddii.

VII. In fronte pariter libri cui titulus: „ Theatrum „ Equeſtris Nobilitatis Secundæ Romæ, ſeu „ Chronicon inſignis Collegii J. PP &c. Mediolani Authore J. C. Joanne de Sitonis de Scotia 1706. adeſt Epigramma Michaëlis Maddii in Palatino Mediolanenſi Gymnaſio Græcæ & Latinæ eloquentiæ Regii Interpretis, ad eruditiſſimum atque ornatiſſimum Virum D. Joannem de Sitonis de Scotia J. U D. Mediolanenſem Polhiiſtora Cives ſuos ſcriptis mirificè illuſtrantem &c.

Extat in ejus funere Lamentatio Joannis Stephani Mirabilis, de quo ſuo loco.

## M X I V.

## MADDIUS VALERIANUS.

Maddiis Mediolanenſibus addendus eſt etiam Valerianus, qui optimos mores atque pietatem in juvenili ætate proſequendo, Clericalem Divi Pauli nuncupatam Regulam profeſſus eſt inter Barnabitas anno MDCLVI. Artem bene dicendi in Gymnaſio Laudenſi per plures annos interpretatus eſt. Hinc Superiorum juſſu provinciam ſuſcepit de ſuorum Congregatione & Parentibus Synopſim, jam antea ab Anacleto Sicco ejuſdem Sodalitatis magni nominis Viro conſcriptam, ad exoptatum complementum redigendi. Quo exactiſſime præſtito, eundem laborem ad Federicum Vicecomitem S. R. E. Cardinalem, & Mediolanenſem Archiepiſcopum nuncupavit. Dein XXX. annis optimi exempli necnon prudentiæ, doctrinæque in Religione expletis, ad Superos evolavit anno Redemptionis noſtræ MDCLXXX., die vero IV menſis Januarii, in Collegio Mediolanenſi S. Barnabæ.

Habemus de ipſo

I. Supplementum ad Synopſim Congregationis Regularium D. Pauli Anacleti Sicci.

II. Vita, e ſegnalate Azioni del Venerando (ora Beato) Aleſſandro Sauli; a Monſignor Lorenzo Trotti Veſcovo di Pavia. *Milano, per Cammillo Corrada*, 1684. *in 4.*

A Suis, & à Doctiſſimo Patre Pezzio.

## M X V.

## MADERNUS ALEXANDER.

Laus non modica Alexandro Maderno debetur, nam inter duos doctiſſimos Pharmacopholas Mediolanenſes à Joanne Honorato Caſtillioneo, Regio hujus Urbis Protophyſico ſelectos, unus ipſe extitit ad conficiendum ubique laudatiſſimum Mediolanenſe Antidotarium, anno Chriſti MDCLXVIII. Ad tam laborioſum, utileque Opus, ſocium habuit Andream Blaſium, ſed noſter majorem exiſtimationem ſibi promeruit ab Operibus infra recenſendis partim jam prœlo promulgatis, partim verò adhuc ab omnibus deſideratis.

Videlicet

I. Apparato dell' Elixir di vita, ed acqua Triacale. *Milano*, 1669. *in fol.*

II. La Cognizione de Semplici, Droghe, e Compoſti uſuali nelle Speciarie, con le loro qualità ben conſiderate. Breviter erat hoc Opus edendum, ſcribente Picinello.

Ita ſupradictus Picinellus in Athenæo Mediolanenſi pag. 518.

## M X V I.

## MADERNUS ALEXANDER alter.

Ex non obſcura ſtirpe ortus eſt Alexander Madernus Mediolanenſis, de quo nunc loquimur, qui in ipſo adoleſcentiæ flore inter Clericos Regulares Congregationis D. Pauli adſcriptus, nobiliores diſciplinas, Philoſophiam ſcilicet, & Theologiam didicit, in quarum ſtudio vivaciſſimi ingenii ſpecimen dedit. Eaſdem poſtea in publico Gymnaſio Mediolanenſi apud Ædem Sancti Alexandri ad plures annos ſummo cum Auditorum plauſu profeſſus eſt. Romam deinde translatus, munus obiit, quod vocant Examinatoris apud Sanctiſs. Pontificis Vicarium, ibique Curſum Theologicum infra memorandum edidit: Opus ſatis laudatum, præſertim ob ordinatam methodum, perſpicuamque rerum, de quibus agit, ſeriem. Cæteris præſtat Diſſertatio de Virtutibus in gradu heroico, quam valde approbavit in abſolutiſſimo ſuo Opere de Canonizatione Sanctorum Eminentiſſimus Proſper de Lambertinis S. R. E. Cardinalis, Archiepiſcopus Bononienſis, nunc verò BENEDICTUS XIV. Summus totius Eccleſiæ Pontifex. Madernus noſter omnium fermè dignitatum gradu ſumma cum laude prudentiæ perſunctus, Præpoſitus tandem eſt univerſæ Congregationi renunciatus, quam cum regeret, diem ultimum clauſit Romæ anno Domini MDCLXXXV. ætatis ſuæ LXVII. Eum tradunt Seniores prædicti ſui Cœtus, ſi diutius vixiſſet referendum fuiſſe inter Cardinales ab Innocentio XI. beatæ recordationis Summo Pontifice, cui fuerat acceptiſſimus.

Opus ſupradictum ejuſdem ſequens eſt

I. Curſus Theologicus. *Romæ, typis Michaëlis Herculis, annis* 1671., 1672., *&* 1675. *Vol. III. in fol.* Primus Tomus nuncupatus fuit Cardinali Marcello Sanctacrucejo, ſecundus Cardinali Benedicto Odeſcalcho, poſtea Innocentio XI. P. Max. tertius Cardinali Gaſpari de Carpineo. Complectitur Tractatus: De Deo Uno, ac Trino; de Angelis; de Beatitudine; de Actibus humanis; de Vitiis, & Peccatis; de Gratia, Juſtificatione, & Merito; de Fide, Spe, & Charitate; de Divini Verbi Incarnatione; de Sacramentis in communi; de Euchariſtia, & Pœnitentia.

Ipſi Simplicianus Bizozerus nuncupavit Tomum primum Parabolarum Salomonis Italico ſermone digeſtum, de quo jam egimus.

Ex Picinelli Athenæo pag. 10. & fuſiùs ab Opere pluries citato amiciſſimi, ac doctiſſimi Patris Pezzii, votis omnibus edendo, cujus eſt titulus: „ Catalogus „ Scriptorum ex Clericis Congregationis Sancti Pauli, „ per eorumdem cognomina alphabetico ordine digeſtus; opera & ſtudio Franciſci Pezzii ejuſdem Congregationis Presbyteri. MS. in fol.

## M X V I I.

## MADERNUS DOMINICUS.

Alterum Madernum inter hos Scriptores referre mihi datum eſt ob ejus laborem infra memorandum, quo pluries ego uſus ſum beneficio Cl. Sitoni noſtri. Fuit igitur Dominicus Madernus Sacræ Theologiæ Doctor, necnon Apoſtolicus Prothonotarius, annoque Redemptionis noſtræ MDCXCIX. Canonicatu Imperialis Baſilicæ Sancti Ambroſii hujus Metropolis cohoneſtatus eſt. Ejuſdem Templi Archivo diu præfuit, dumque id munus adminiſtraret, anno ſcilicet MDCCXIV. ſequens Opus conſcripſit, & utinam alii eodem munere præditi apud inſigniores Baſilicas, atque Clarorum Virorum Cœtus, idem feciſſent. Deceſſit noſter anno MDCCXXXIII.

En ejus utiliſſima Lucubratio

I. Præpoſitorum, & Canonicorum Inſignis Collegiatæ, & Imperialis Baſilicæ Sancti Ambroſii Majoris Mediolani Index perpetuus. MS. autographus in fol. juſtæ molis; ſervatur apud Advocatum Joannem Sitonum de Scotia Collegii Juriſperitorum Chroniſtam.

## MXVIII.

## MADRIGNANUS ARCHANGELUS.

Ciſtercienſem Ordinem non parum illuſtravit Archangelus Madrignanus Mediolanenſis, nam poſt honores in eodem Cœtu à Suis receptos, inter quos numeratur Abbatis munus Monaſterii Sanctæ Mariæ Charævallis Ordinis ſui, quarto ab Urbe Mediolano lapide, quod optimè geſſit anno MDXIII. ad Epiſcopatum Abellinenſem in Regno Neapolitano promotus eſt die XVIII Auguſti anno MDXVI. Gregem ſuum optimè rexit ſpatio annorum quatuor, poſt quos è vivis diſceſſit; Eruditio tamen ipſius perpetuò remanebit, ut infra.

Præter ea, quæ de hoc Viro leguntur in Hiſtoria Typographica hujus Urbis, hæc diligentiſſimè colligimus.

I. Itinerarium Portugallenſium ex Uliſbona in Indiam, necnon in Occidentem, ac Septentrionem, ex Vernaculo ſermone in Latinum traductum, interprete Archangelo Madrignano Mediolanenſe Monacho Charævallenſi. In fine ſic legitur: „ Operi ſuprema manus impoſita eſt Kal. Quintilibus Ludovico Galliæ „ Rege, hujus Urbis inclytæ Sceptra regente; Julio II. „ Pont. Max. Orthodoxam Fidem feliciter moderante „ anno 1508. in fol. ſine nomine Typogr.

Adeſt Epiſtola Nuncupatoria Madrignani ad Jafredum Carolum Delphinatus Præſidem, & Mediol Senatus Vicecancellarium longa nimis, Præfationis loco, in qua de variis Viris doctiſſimis agit, inter quos ſunt Franciſcus Baltius Senator, Joannes Mayna Taurinenſis à Secretis, Facius Cardanus, Cæſar Saccus, atque horum duorum narrat Diſceptationem de Natura, & Fato habitam coram ipſo Jafredo, quibus diſceptantibus ſe ingeſſere Marcus Antonius Cadamuſtus, & Franciſcus Tantius Corniger. Laudat etiam Orationem, quam Cæſar Saccus habuit: „ De animi conceptu: Laudat Joannem Jacobum Ghilinum, *Virum eloquentiæ infinitæ, & in ſtylo dicendi egregium*: Joannem Antonium Cuſanum *Medicum præſtantiſſimum, qui & elegantiores artes omnes colit, ſermone mellifluum, & aſpectu affabiliſſimum*. Lancinum Curtium, de quo ſic loquitur: „ Qui ſi Philoſophiam, ſi carmen, ſi cujusvis doctrinæ genus ſpectaveris, numeros omnes „ elegantiſſimè implet; quid quod extemporalitate, & „ ſermonis concinnitate, & humaniſſimis moribus, re„ liquas omnes dotes (quibus ubertim honeſtatur) exor„ nat ad ſimetriam. „ Alexandrum Minutianum vocat *Urbis Decus*. Adeſt Tantii geminum Epigramma alterum ad Jafredum Carolum, alterum ad Auctorem, in ejus laudem, quod eſt:

*Quis melius librare homines ſcit Præſide noſtro?*
*Qui tibi quo fierent iſta latina dedit?*
*Eſt doctrina tibi: facundæ gratia linguæ;*
*Atque ſtilus novus eſt, orbis ut iſte novus.*
*De ſe igitur nemo tantum præſumat, ut ipſum,*
*Cujus es inventor, ſperet habere ſtilum.*

Legitur etiam Carmen Jambicum Jo Franciſci Quintiani Stoæ.

II. Ludovici Romani Patricii Itinerarium Æthiopiæ, Ægypti, utriuſque Arabiæ, Perſidis, Syriæ, Mediæ; ex Vernacula lingua in Latinum ſermonem traductum, interprete Archangelo Madrignano Monacho Charævallenſi: Ad calcem ſic legitur: „ Operi ſupremæ „ manus impoſita eſt auſpiciis cultiſſimi, celebratiſſimi„ que Bernardini de Carvajal &c quo tempore, quibus „ nunquam antea bellis Italia crudelem in modum ve„ xabatur, in fol. ſine Impreſſoris nomine.

Adeſt Epiſtola Auctoris ſatis longa, Præfationis loco, Reverendiſs. in Chriſto Patri Domino Domino Bernardino Carvajal Epiſcopo Sabinenſi, Sanctæ Crucis in Hieruſalem Cardinali ampliſſimo, Patriarchæ Hieroſolymitano, ac utriuſque Philoſophiæ Monarchæ eminentiſſimo; poſt cujus laudes, ſic Auctor loquitur: „ Sed majore forſan enumeratione præconiis tuis in„ cumbere licebit aliquando, ubi alia ediderimus, qui„ bus prope ultima manus eſt impoſita. Perſcripſimus „ enim in gratiam poſteritatis ſola decoris priſcorum „ æmulatione omnimodam hiſtoriam, illuſtriumque „ Virorum facta fortia; Exorſi ab defectione Regulo„ rum Galliæ, quâ à Ludovico Rege, ejus nominis Un„ decimo, deſciverunt, ideſt à quadringenteſimo ſeptua„ geſimo ſupra milleſimum Virginei partus anno &c. Data eſt Epiſtola Mediolani VIII. Kal. Junias MDXI. Legitur etiam Lancini Curtii Patritii Mediolanenſis Poëtæ, & Oratoris clariſſimi Carmen in laudem Operis, poſt quod aliud in laudem Auctoris, & Religionis Ciſtercienſis, quod ſubdimus:

*Scripta Madrignano numeroſa Volumina curſim*
*Qui legis, Auctori per bona verba fave.*
*Dic, & in Aſtra jubar quantum Ciſtercius Ordo*
*Diffundit ſolida Relligionis ope.*
*Ingenii tantum eſſe bonis Archangelus audet*
*Charævallenſis Relligionis Apex.*

Laudant Archangelum Madrignanum Robertus Ruſca in deſcriptione Monaſterii Charævallis, Ughellus in Epiſcopis Abellinenſibus, & Sitonus noſter in Collectaneis Epiſcoporum Mediolanenſium. MS. in fol. penès Auctorem.

## MXIX.

## MAGNINUS.

Si attendendum foret quod Clariſs. Curtius pronunciavit in ſuo libro de Scriptoribus Medicis Mediolanenſibus, Magninum hunc ab illis detrahere oporteret, nam ejus ſententia, quam ad litteram exſcripſit Joannes Jacobus Mangetus in ſua Bibliotheca Scriptorum Medicorum, eſt quod Opera, quæ tribuuntur Magnino noſtro, ſint Arnaldi Villanovani, quoniam & hic ſcripſit de regimine Sanitatis, aliaque ſub eiſdem titulis à Gaſparo Gallo, atque ab Abbate Picinello relatis. Revera Magninus floruit ætate ipſa Villanovani, ſcilicet initio Sæculi XIV., & cum Arnaldus Villanovanus relinquere Galliam, atque Italiam coactus fuerit, prædictionum ejus aſtrologicarum causâ, arbitratus eſt Curtius, quod mutato nomine, illud Magnini aſſumpſiſſet. In hoc dubio Vir Clariſſimus permanere duxit uſquedum otium ei fuiſſet examinandi ſtylum tam Magnini, quàm Villanovani, & utinam hoc feciſſet ante editionem ſui Operis, nam certè illius opinio uſque adeo me non cogit contra illam Wolfangi Juſti, Joannis Hallervordii, atque Clariſſimi Lindenii, qui omnes Magninum noſtrum cum Villanovano minimè confundunt, ideoque ei in hac mea Bibliotheca locum dare inſtitui, uſque dum clariora proferantur.

Ipſi tribuuntur

I. Regimen Sanitatis. *Lovanii*, 1482. *ex Beughem Incunabula Typograph. pag.* 89.
II. Opuſculum de Phlebotomia.
III. Aſtronomia Hyppocratis de variis Ægritudinibus, & Morbis.
IV. Secreta Hyppocratis.
V. Averroës de Venenis.
VI. Quid pro Quo Apothecariorum nuper recognitum per Nicolaum Rabbii, cum nonnullis inſuper Avicennæ, ac plerùmque Auctorum aliorum in margine chartarum inſertis. *Lugduni, apud Jacobum Myt*, 1517. *in* 4. *Argentorati, apud Jo. Bry*, 1503. *in* 4.

Auctores, qui videndi ſunt, ut diximus, ſic numerantur; Mangetus in Bibl. Script. Medic. Tom. III. pag. 127. Hallervordius in Biblioth. Curioſa pag. 320. Langius in Hiſt. Med. Sect. XIV. Zaccarias Silvius in Præfatione Scholæ Salernitanæ cap. III. & Picinellus in Athenæo pag. 406.

MXX.

Digitized by Google

## M X X.

## MAGNUS CHRISTOPHORUS.

PLuribus titulis commendandus eſt Chriſtophorus Magnus Joannis Antonii Peditum Chiliarchæ, Chriſtophoro Ducali Conſiliario, & Magiſtratus Ordinarii Præſide geniti, filius, Jo. Ambroſii Phyſici Collegiati celeberrimi ex fratre nepos; nam in Collegium Nobilium J. PP. cooptatus anno MDLXVI., & in Patria Vicarius Juſtitiæ creatus eſt; hinc, poſt Mediolanenſem, Ticinenſem, & Laudenſem Præturam, Regius Ducalis Advocatus Fiſcalis Generalis in Mediolani Dominio dignitate famâque apud Suos floruit, velificavitque, ſed quod plus eſt, honoribus, & commodis relictis, ac ſuperiori lumine collustratus, Divi Caroli Borromæi ſuaſu, Congregationi Clericorum Regularium Theatinorum adſcribitur, ubi virtutum omnium ſpecimina præbens; anno dein MDLXXV. die XX. Julii, Neapoli in Cœnobio D. Pauli piè moritur, abſterſitque Patrum mœſtitiam certa ſpes vitæ melioris. Ejus effigies in Cœnobio PP. Theatinorum prope veſtibulum Sacrarii Eccleſiæ S. Antonii in hac Urbe hiſce Notis ſubſcriptis conſpicitur:

CHRISTOPHORVS PATRITIVS MEDIOL. CLER. REGVLARIS
COGNOMINE MAGNVS HVMILITATE MINIMVS
VIRTVTE MAXIMVS
CHRISTI IVGVM PORTANS CHRISTOPHORVM SE PROBAVIT
NAM E CRIMINALIS ET REGII PATRIMONII FISCI ADVOCATO
CONSVLENTE D. CAROLO RELIGIONEM INGREDITVR
VT SIBI VIVENS MORTVVS NOBIS ADVOCET.

Adhuc ſuperſunt de ipſo

I. Allegationes variæ Juridicæ tam impreſſæ, quàm MSS. quæ extant in Collectionibus J. CC. Mediolanenſium alibi à nobis memoratis.
II. Vota Fiſcalia Vol. II. in fol. extant penès Suos.
III. Oratio in Funere Comitis Jacobi Mandelli JC. Clariſſimi. MS. pagg. 9. in fol. extat in Biblioth. FF. Marchionum Vicecomitum.
IV. Carmina varia. Extant inter illa Affidatorum Papiæ.
Leguntur ad eum Epigrammata duo in lib. II. Epigr. P. Franciſci Spinulæ, de quo ſuo loco.
Videre eſt Lucam Contilem in Impreſ. Academiæ Affidatorum pag. 55. Memoratur quoque à Joſepho Silos in Hiſt. Cleric. Regular. lib. XIII. pag. 536. necnon à Joanne Baptiſta del Tufo in eadem Hiſtoria pag. 143. atque ab Advocato Sitono in Theatro, ſeu Chronico Collegii J. PP. pag. 132. artic. 561.

## M X X I.

## MAGNUS FRANCISCUS BERNARDINUS.

DUm Comes Joannes Jacobus Belgiojoſus in Hungariam profectus eſt, Militaribus atque Civilibus rebus Imperatori Rodulpho inſerviendi cauſa, ſecum habuit Franciſcum Bernardinum Magnum, fortè à Secretis, nam nullis diligentiis poſthabitis nihil invenire mihi licuit de ipſo, præter MS. qui in Bibliotheca Ambroſiana ſervatur, ut infra. Continet autem Seriem cujuſdam criminis Hermanni Chriſtophori Roſphurmii cohortis Germanorum Militum Prætoris, qui cum adverſaretur Comiti Belgiojoſo & falſis criminationibus ipſum apud Cæſarem accuſaſſet, ſibi poſtea timens, per quatuor Sicarios eum de medio tollendum curavit, ſed cum ictu tormenti ignei minoris menſuræ Comes vulnus tantummodo in brachio reportaſſet, tam Roſphurmius, quàm Comes in cuſtodia detenti ſunt, & judicio conſtituto lata eſt ſententia mortis contra Sicarios, & ipſum Roſphurmium, ſignata à ſupradicto Imperatore Rodulpho Pragæ die XXVI. Novembris anno MDCV., pro cujus executione Roſphurmius capite multatus eſt die XXIX. ejuſdem menſis. Comes inde Belgiojoſus integram abſolutionem à ſupradicto Cæſare obtinuit, ut ex litteris Pragæ datis XXIX. Decembris MDCV. Sed cum iſtius facti narrationem male dediſſet Gottardus Arthuſius Dantiſcanus in Mercurio Gallo-Belgico, cauſam dedit Franciſco Bernardino noſtro, ipſam ex integro deſcribendi, & una cum documentis authenticis celeberrimo Juſto Lipſio præbendi, ut narrationem malefidam, & à veritate alienam, retractandam curaret. Extant autem in dicto MS. quæ ſequuntur:

I. Franciſci Bernardini Magni Mediolanenſis de Rebus Hungaricis, Comite Joanne Jacobo Belzojoſio (Belgiojoſo) Provinciæ moderatore.
II. Epiſtolæ Latinæ IV. ad Juſtum Lipſium, in quibus, præter Hiſtoriam ſupranarratam, agit de Operibus à ſe receptis ejuſdem Lipſii, atque ea legiſſe indicat, & pro merito laudat. Datæ ſunt annis MDCIV. MDCV. & MDCVI. Sunt in Cod. MS. Biblioth. Ambroſianæ ſignato D. num. 155. in fol., & in fronte ejuſdem ſic legitur: „ Dono Illuſtriſſimi D. Comitis Alberici „ Balbiani Belzojoſii anno MDCLXXVI.

## M X X I I.

## MAGNUS THOMAS.

INter Clericos Seminarii hujus Metropolis Alumnos prima litteraria rudimenta percepit Thomas Magnus, cujus ingenii felicitatem optimè agnoverunt Magiſtri ejuſdem loci, ideoque Philoſophicas non tantùm, ſed etiam Theologicas facultates docendas ei tradidere, in quibus tam ſolidè, vivaciterque illuxit, ut paulò poſt numero Oblatorum adſcriptus, Præceptor Rhetoricæ in Helvetico Collegio efficeretur. Ibidem tam prudenter ſe geſſit, ut Prorector Collegii Borromei in Urbe Ticinenſi eligeretur, poſt quod munus Præpoſituram Oppidi Dervii ad Lacum Larium hujus Diœceſis obtinere meruit. In ſupradictis ſcientiis ſummoperè excultus, Orator etiam tam Lingua Latina, quàm Italica, optimus evaſit, ut facilè oſtendunt, quæ

Typis vulgavit.

I. Oratio Panegyrica in laudem Divi Thomæ Apoſtoli habita in Collegio Helvetico Mediolani. *Ibi*, *apud Gariboldum*, 1650. *in* 4.
II. Panegirico per la Feſta del S. Chiodo. *Milano*, *preſſo il Rolla*, 1660. *in* 4.

III.

Digitized by Google

III. Le Lodi di S. Carlo : Panegirico detto in Duomo. *Milano, nella Stampa Arciveſcovile, 1661. in 4.*

IV. Gratulatoria ad Eminentiſſimum Alphonſum Littam Sacrâ Purpurâ decoratum, in fol.

Partim vidi, partim ex Picinello hauſi pag. 505.

## MXXIII.

## MAGNUS VALERIANUS.

PAtre Conſtantino de Magnis Cæſareo Legato anno MDCVIII. in hac Metropoli, & Octavia Carcaſſola Patritiis conjugibus ortus eſt Valerianus anno Reparatæ Salutis MDLXXXVII. fratreſque ejus extitere Franciſcus Peditum Germanorum Chiliarcha, Joannes Baptiſta Equeſtrium turmæ Ductor, necnon Maximilianus, & Philippus ambo Sacræ Cæſareæ Majeſtatis à Cubiculis, omnes verò Sacri Romani Imperii Barones. Valerianus noſter quindecim annis vix expletis, Capuccinorum Ordinem ingreſſus, mirum dictu eſt, quantum ſapientia & pietate profecerit. Philoſophiæ Lector adhuc juvenis inſtituitur, indeque Sacræ Theologiæ, quam per plures annos profeſſus eſt. Mirabili obedientia prædictus Initiatorum directionem ſuſcepit, ſed brevi inſignioribus ſui Ordinis Conventibus Præſes eligitur, & cum eſſet ſtrenuus Fidei defenſor, ac admirabili in gerendis negotiis, rebuſque Ordinis componendis, dexteritate ac ſapientia præditus, Ferdinando II. Imperatori, ac Uladislao Regi Poloniæ, gratiſſimo amoris vinculo adſtrictus fuit, præcipuiſque Dynaſtis Germaniæ, Bohemiæ, Poloniæ, Hungariæ apprimè charus, quodque præſtantius eſt, Summis Pontificibus Gregorio XV., atque Urbano VIII., à quorum ultimo Miſſionarius Apoſtolicus, immò Miſſionum Præfectus, per univerſas Provincias ſupra enunciatas delegatur, in quo munere triginta annorum ſpatio conſtantiſſimè perſtitit, præclariſſimis ſcriptis, publiciſque Diſputationibus Fidem Catholicam promovendo, itaut pro ipſa vitæ periculo uſque ad copioſam proprii ſanguinis effuſionem ſe expoſuerit, non ſine uberrimo animarum proventu: plures namque Hæreticos ad Catholicæ Eccleſiæ gremium perduxit, ac inter cæteros, Landgravium d'Armeſtat. Hujus verò Converſio ne dum Heterodoxorum, ſed Catholicorum aliquot odium in Valerianum concitavit, ſi fides Paſchali in Litteris Provincialibus habeatur, qui teſtatur adeò exarſiſſe iſtos in ſapientiſſimum Miſſionarium, ut ejus doctrinam hæreſim ſapere criminati ſint, edito ob id libro, & Pragæ impreſſo. Certè plurima ſe paſſum ab aliquibus Catholicis conqueritur Valerianus in ſuo libro de Homine infami perſonato, ſi tamen Valeriani eſt liber ille. Quæ autem Uladislao de Valeriano ſteterit ſententia teſtatum fecit vel una Epiſtola ad Urbanum VIII. perſcripta, qua prædictus Rex Valeriano ſacram purpuram acquirere contendit. Ab Acatholicis Miniſtris ſemel dum iter ageret injuriis laceſſitus eſt, ac verberibus crudeliter percuſſus, & vulneratus. In carcerem quoque conjectus invidorum operâ, ex qua innocens demiſſus glorioſior evaſit. A ſupradictis Summis Pontificibus, ad Uladislaum Regem, alioſque Principes Orator miſſus eſt. Tantus Vir nunquam ſatis laudatus ſenio confectus, laboribus, & ærumnis, quas ab adverſariis paſſus eſt, multiſque virtutum trophæis exornatus, inter Crucifixi oſcula, & amplexus piiſſimè obdormivit in Domino in Conventu Suorum Salisburgenſi, præſente Celſiſſimo, & Reverendiſſimo Principe, & Archiepiſcopo Salisburgenſi, apud quem fuit ſumma habitus veneratione, die IV. Kalend. Auguſti, anno Reparatæ Salutis MDCLXI. ætatis ſuæ LXXV. Religionis L. Cujus Corpus poſtridie ejus obitum in Eccleſia publicè expoſitum, frequentia, ac devotione accurrentis Populi veneratum, ſolitis exequiarum precibus ipſi ritè perſolutis, in communi Fratrum Sepulchro repoſitum fuit. Poſt illius deceſſum, juſſu ejuſdem Celſiſſimi Principis Archiepiſcopi Salisburgenſis, Venerandi Patris depicta effigie, incertus, ſed religioſus, & pius Auctor gratitudinis ergo, & in pignus amoris, ac devotionis ſequenti Elogio parentavit, tumuloque adjecit poſthumæ perennis gloriæ monumentum.

## EPITAPHIUM.

Admodum R. P. Valeriani Magni Mediolanenſis Capuccini Miſſionarii Apoſtolici.

*Dubium huc gradum, Viator, & perplexam attolle Mentem.*
*Ut magnos olim Propugnatores veritatis ſummos inter Montes*
*Humari conſtituit Maximus Iehova:*
*Sic nutu ejuſdem Numinis præcelſa Juvavii rupe Conditus,*
*Iſta hac ſub tumba tubam magni diei expectat*
*Reverend. Pater Valerianus Magnus Capuccinus*
*Strenuus, & conſtans aſſertor Veri, tenax recti;*
*Amans, & ſequax Chriſti,*
*Verum Religioſi hominis Simulacrum,*
*Decus ſui Ordinis.*
*Viſus quidem oculis inſipientium mori,*
*Ille autem in pace*
*Hic in manu Domini ſecurus indormit.*
*Scande Montem hunc, Viator, & ad culmen emerge,*
*Ubi ceu in Olympi alto vertice*
*Extra tempeſtatum turbines collectos,*
*Non diſperſos contuere*
*Rev. Patris Valeriani cineres.*
*Ii tibi in primis ſint argumentum*
*Ipſum arſiſſe charitate,*
*Ac demum conflagraſſe Seraphica.*
*In alto hujus rupis cacumine poſitus*
*Haud ultra expoſitus eſt malevolorum ludibriis.*
*Non accedet ad eum malum maledicentiæ,*
*Et flagellum Valeriano*
*Faſtigium ad ipſum non appropinquabit.*
*Tu verò, Viator, ne circumferare omni vento verborum.*
*Quis, qualiſve fuerit hic Pater Valerianus,*
*In his pulveribus legito,*
*Et ex urna mortali*
*Vivas colligito gloriæ illius favillas.*
*Ex magna Italiæ Urbe Mediolano,*
*Et ex Illuſtri Comitum de Magnis Familia*
*Hic Magnus traxit originem:*
*Sed alta deſpiciens ſui generis,*
*Ut major fieret Coram Domino*
*Minor Capuccinus factus eſt*
*In minorenni quaſi annorum quindecim ætate*
*Jugum Domini juxta conſilium Prophetæ*
*Portare eligens ab adoleſcentia.*
*Quod ſuſcepit, & ferre didicit in inclyta Praga.*
*Ordo iſte Seraphicus brevi eum ad omnia*
*Bohemo Auſtriacæ Provinciæ provexit munera;*
*Concionatoris, Magiſtri Novitiorum, Guardiani,*
*Prælectoris Philoſophiæ,*
*Ac Myſticæ, & Moralis Theologiæ*
*Necnon Deffinitoratus, ac Provincialatus*
*Succeſſivè conferens dignitates;*
*Roma illum denique ad ſupremum Generalatus apicem*
*Plurium ſaltem calculis deſideravit.*
*Miſſionarium Apoſtolicum ab anno MDCXXVI.*
*Uſque ad extremum vitæ ejus*
*Germania, Polonia, Bohemia, & Hungaria*
*Fructuoſè ipſum expertæ ſunt.*
*Hæc quatuor Regna, quæ Patrem Valerianum in vita*
*Orthodoxæ Fidei valoroſum, & acerrimum*
*Propugnatorem,*
*Invictum Hæreticorum inſectatorem,*
*Et ardentiſſimum Animarum zelatorem*

*Admi-*

Digitized by Google

*Admirandè ſuſpexere ;*
*Nunc cum mœrore, & luctu, ceu Præficæ,*
*Funus ejus conducunt .*
*Hoc porrò Domus Auſtriaca glorioſa*
*Sub Gregorio XV. Pontifice Maximo*
*Vienna Lutetiam Pariſiorum deſtinato*
*Uſa Internuncio eſt ad componenda diſſidia*
*Tunc temporis*
*Inter ipſos Auguſtos, & Regem Galliarum gliſcentia*
*Felici utique ſucceſſu .*
*Nam ſæpiùs deinde ab iiſdem etiam ad Rom. Pontif.*
*Ac Sacri Romani Imperii Catholicos Electores, necnon*
*Ad Regem, Proceresque Poloniæ Legatus miſſus ,*
*Tam arduo officio ita præclarè functus eſt ,*
*Ut ab his ad Cardinalitiam dignitatem*
*Poſtulatus ſæpiùs ,*
*Ab illis autem non ſemel fuerit deſtinatus.*
*Sed erubuit Cardinalitia purpura*
*Suo murice, ut opinor, tegere illum,*
*Quem jam nobiliori Oſtro ,*
*Proprio ſcilicet cruore*
*Pro Fide Catholica ſparſo, purpuraverat.*
*Rubrum enim illi Galerum,*
*Sanctioris utique Cardinalitii Inſigne,*
*Impoſuere Rebelles anno MDCXVIII.*
*In Auſtria Superiori Hæretici,*
*Binas decumanas plagas nodoſo ſtipite*
*Capiti ejus infligendo .*
*In Regno nempe ſequelæ Chriſti*
*Illud ſolùm verè coronat, quod cruciat ;*
*Præterquàm quòd eundem*
*Multò antea Juſtitia, Prudentia, Temperantia,*
*Et Fortitudo jam Cardinalem effeciſſent .*
*Magis enim decorum eſt Purpuram mereri ,*
*Quam accipere ,*
*Tinctis veſtibus de Boſra proprii ſanguinis renidere ,*
*Quam extrinſecus accedente fucari colore .*
*Zelavit , veluti alter Pater Phinees, Zelum Domini,*
*Et reputatum eſt ei à malevolis ad juſtitiam ,*
*Seu ad inſipientiam .*
*Ille autem pro veritate contumeliam lucrum putavit,*
*Non ignorans apud hunc mundum ſeri beneficium,*
*Meti plerunque injuriam .*
*Hinc namque non recuſabat pro Chriſto ſtultus ,*
*Imò etiam cum Chriſto Seductor reputari ,*
*Nulla ſibi magis in laude complacens ,*
*Quàm quòd ambulantes in tenebris*
*Reduxiſſet in viam lucis,*
*Et à tenebris cavere quoslibet*
*Luculentiſſimè docuiſſet .*
*Fruſtra autem & fera peſſima invidia*
*Moliebatur devorare eum ,*
*Quem zelus Domus Dei præoccupans*
*Juſtitia Zelatorem citiùs transtulerat .*
*En tibi , Viator ,*
*Valerianum Magnum, parvam etſi in Epitomen minutū*
*Magnarum tamen rerum ingens compendium :*
*Qui Magnus inter Minores, virtute, ingenio, & ſcientia,*
*Prudentia, eloquentia, rebus præclarè geſtis,*
*Theologus profundus ,*
*Rariori huic ſæculo ſingularis Philoſophiæ Auctor,*
*Et auctor Seris ſæculis Venerandus .*
*De Sede Apoſtolica ,*
*De Domo Auſtriaca Auguſtiſſima,*
*Necnon Regiæ Jagellonicæ ,*
*Poloniæque Regno univerſo benemeritus .*
*Amor Principum, Reipublicæ Chriſtianæ ornamentum:*
*Jubiliarius Sacerdos , ſexagenarius Capuccinus ,*
*Piique ſui Senii*
*Utique cVrricVlo mortalibus rarò IVſtro peracto*
*Anno DoMInICæ SalLVatIonIs obIIt ;*
*Uſque ad mortem Chriſto ,*
*Ejuſdemque in terris Vicario obediens;*
*Conſuetis Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis ritè communitus,*
*Ad ultimum ferè uſque halitum mentis compos,*
*Inter Crucifixi Redemptoris Imaginis amplexus ,*
*Et oſcula ;*



*Sæpiùs dum æger decubuerat inviſente eum ,*
*Et plurimùm condolente*
*Celſiſſimo , & Reverendiſſimo Domino*
*Salisburgenſium Principe , & Archiepiſcopo*
GVIDOBALDO
*Magno Sedis Apoſtolicæ Legato nato ,*
*Virtus Cœlo recepta, fama in immortalem gloriam*
*Perrecta eſt :*
*Fruſtra jam laudum ejus encomium malevoli radere,*
*Aut eradere memoriam zoiloſè contendunt ,*
*Cujus nomen Tabulis immortalitatis indelebiliter*
*Præclara ipſius merita , & opera incidêre .*
*Is amodò in Juvavienſis Urbis* MVNITÆ
*Propugnaculo*
*Beato Felici feliciſſimo pauperi*
*Capuccinorum Patrono inſcripto, & dicato,*
*Cuſtodientibus lectum illius Leonibus Landronianis ,*
*Felici depoſitus eſt*
ÆTERNITATI .
*Huic, Viator, canenti accine illud Pſalmi* 30.
*Circa finem :*
*Abſcondiſti me Domine in abſcondito faciei tuæ*
*A conturbatione hominum .*
*Protexiſti me in tabernaculo tuo à contradictione*
*Linguarum .*
*Benedictus Dominus , quoniam mirificavit*
*Miſericordiam ſuam mihi*
*In Civitate* MVNITA .
*Tandem ambula, Viator , ſed vias rectas ;*
*Sic eſto viator ut certus ſias comprehenſor .*

Animus erat nobis tam prolixum Elogium ( ſi ſuperis placet ) pro ſtylo ſuperioris ſæculi elaboratum ſilentio involvere , ſed cum id non licuerit , liberum eſto eruditis illud ſinè piaculo præterire . Opera ejuſdem quæ immortalitatem ipſi autumant, partim nobis perhumaniter deſcripſerunt Sui, partim alibi invenmus ,

Et ſunt :

I. Judicium de Acatholicorum Regula credendi contra illos, qui illud confutare conati ſunt , in ſex libros diſtributum.
1. De Regula credendi in communi .
2. Reſponſiones ad Joannem Majorem.
3. Reſponſiones ad Joannem Martinium.
4. Reſponſiones ad Joannem Roſtaccium.
5. Reſponſiones ad Auctorem Anonymum.
6. Reſponſiones ad Conradum Belgium . *Viennæ Auſtriæ, apud Mattbæum Camerovium in Aula Colonienſi , anno* 1641.

II. Judicium de Catholicorum Regula credendi ad ſtudia univerſalia Bibliſtarum, in quo ſolidiſſimis rationibus evincitur, illam veram eſſe Chriſti Eccleſiam , quæ claret regeneratis : hanc verò non eſſe aliam, quàm quæ communicat in Fide cum Romano Pontifice in octo libros diſtributum.
1. De Naturali Regula judicandi , ut reſpicit Regulam Fidei .
2. De Poſſibili Regula Fidei in Deum.
3. De Actuali Regula Fidei in Deum.
4. Hiſtoria de Catholicorum Eccleſiaſtica Regula .
5. Apologema Catholicum .
6. De Articulatione Doctrinæ Chriſtianæ , ut eſt confirmabilis rationibus .
7. De hominis perfecta regeneratione per gratiam Redemptoris.
8. De Infallibilitate Catholicæ Regulæ credendi . *Ibidem , apud eundem Typographum anno* 1641. Prima editio fuit *Pragæ* 1628. Liber iſte plures Acatholicos concitavit in Auctorem, inter quos Joannem Majorem, Jacobum Martini, & Joannem Roſtaccium, Conradum Bergium, & Joachim Stegmanum Socini ſectarium , qui omnes adversùs Valerianum ſcripſere; primus quidem an. 1630. duo ſequentes an. 1631. Bergius 1639. & Stegmanus 1633. Iis omnibus reſpondit Valerianus, iterum impreſſo primo Tractatu una cum novis reſponſionibus apologeticis, cum altero Tractatu, hîc recenſito .

III. Echo vera abſurditatum Joannis Amos Cumenii latitantis ſub ficto nomine Ulrici de Heupheld , in quo Opuſculo Valerianus ſolidè confutat Hæreticum oppugnantem, mutilatis plurium Do-

ctorum Catholicorum ſententiis, præfatus de Regula credendi libros, ut non fuerit ulteriùs auſus illum provocare. *Ibidem*, 1642. & 1646. *in* 8.

IV. Soliloquia Valeriani. *Ibidem*, 1643.

V. Organum Theologicum, ſeu Ratio argumentandi ex humano teſtimonio, ſeu ratione. *Ibidem*, 1643.

VI. Acta Diſputationis Rheinfeldenſis, ſuper cujus diſputationis doctrinam Celſiſſimus Princeps Herneſtus Haſſiæ Lantgravius, unà cum Principiſſa conjuge, ſuam ex Calviniſmo ad Fidem Catholicam converſionem ſolidavit. *Ibidem*, 1643.

VII. De Luce mentium, & ejus imagine; parvus quidem mole tractatus; ingens verò pondere ſententiarum, & doctrinarum. Diſponitur enim in gradus quadraginta, per quos aſcenditur ad contemplandam oculis non caligantibus Lucem Creatricem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, *Romæ*, 1642. *in* 8.

VIII. Methodus convincendi, & revocandi Hæreticos ad Fidem Catholicam, ab ipſiſmet Hæreticis Ratisbonenſibus in Comitiis Electoralibus, anno MDCXLIII. celebratis, plurimùm collaudata.

IX. Lux in tenebris lucens: quo Opuſculo ex factis Catholichiſmi, & Acatholichiſmi ad oculum demonſtratur, quæ ſit vera Eccleſia. *in* 8.

X. Opuſculum contra Hermannum Conringium Hæreticum ſatagentem ſubvertere, & concutere fundamenta Eccleſiæ, quo Valerianus examinat fundamenta concuſſionis, eademque in ipſum concutientem validè retorquet. *in* 8.

XI. Commentarium in M. joeoſum, ſeverum, medium, cum Appendice, & Appendicula. Eſt liber ſui Apologeticus ob doctrinam in Rheinfeldenſi diſputatione adhibitam, falsò traductam veluti hæreticam. *in* 8.

XII. Apologia Valeriani, qua impoſturas adverſariorum noviſſimè ſibi iniuſtas vendicat.

XIII. De Periphraſi libri duo: in quorum primo totius ferè Ariſtotelis tradit ſynopſim. In alterò verò ſuam profert de hac doctrina ſententiam: continent.

1. De Syllogiſmo Demonſtrativo.
2. De Ente rationis, & de ejus diſtinctione ab Ente reali.
3. De Propoſitionibus per ſe notis.
4. Axiomata ex Motu ad univerſam Philoſophiam.
5. Tractatus de Ente non facto.
6. De Ente non facto, ut eſt lux mentium.
7. De Ente non facto ſe multiplicante.
8. Tractatus de Arte Æterna.
9. De Ratione communi Entibus, ut factis.
10. Tractatus de Ente immotivo.
11. Tractatus de Ratione communi Entibus motivis.
12. Tractatus de Syſtemmate creato.
13. De Gradibus Entitatis.
14. De Poſſibilitate Vacui.
15. De Incorruptibilitate Aquæ Experimenta.
16. De Vitro mirabili fracto.
17. De Atheiſmo Ariſtotelis, una cum Epiſtola nuncupatoria ad P. Merſenium, data die 19. Novembris 1647. Quibus omnibus Opuſculis demonſtrantur plures Antiquorum Philoſophorum errores in doctrina Philoſophica. *Impreſſa ſunt Viennæ Auſtriæ anno* 1643. & *Varſaviæ*, 1648.

Opera autem Valeriani, quæ adhuc MSS. ſervantur apud Suos, & in dies lucem expectant, ſunt, quæ ſequuntur:

XIV. Philoſophia Valeriana magno ſtudio ab ipſo elaborata, quæ integratur triginta novem Tractatibus, inter quos enumerantur aliqui ex præfatis jam impreſſis pertinentibus ad Metaphyſicam, quam tradit integram, & omnibus numeris abſolutam. Hoc Opere Valerianus Sapientiorum judicio excellenti eruditione Philoſophiam innovans, Theologiam colluſtrans, Fidem condecorans, congruentiſſima ſervata dicendi methodo, utiliſſimam doctrinam tradit Mundo; dum calcatis Atheis Stagyritæ dogmatibus, relictis Peripatus opinionibus mutabilibus, ad radium Fidei immutabilem, aſſecutus divinarum, humanarumque rerum veritatem, ſuæ novæ verè Chriſtianæ Philoſophiæ præclara facit incrementa.

XV. Acta diſputationis Rheinfeldenſis continuata ex propria cujuſque domo cum Dominis Petro Haberkornio, Georgio Calixto, & Joanne Crocio Prædicantibus.

XVI. Tractatus de Infallibilitate Romani Pontificis in rebus Fidei definiendis.

XVII. Epiſtola ſatis prolixa ad Sereniſſimum Electorem Palatinum de Primatu Romani Pontificis.

Quibus nos addimus quæ ſequuntur

XVIII. Oratio habita in Congregatione de Propaganda Fide pro abolitione Jeſuitiſſarum, cujus meminit Koltorthus.

Opera quoque ejuſdem memorat Bayle in Lexico Critico loco infra citando, ſed certè non omnia vidit. Inter alia memorat librum à Valeriano noſtro ſcriptum hoc titulo:

XIX. De Homine infami perſonato, de quo ſupra locuti ſumus; aſſerit Bayle extare apud Dannhawer, in Valle Triumphali.

De hoc præclariſſimo Viro honorificè etiam ſcripſerunt quamplurimi Doctores, inter quos eſt Joannes Caramuel Epiſcopus Viglevanenſis, qui in ſua Theologia Fundamentali pag. 14. de Valeriano loquens, ſic ait: „ Rev. Patris Valeriani Magni Capuccini pietati, & ingenio multum debet Europa, multum Eccleſia. Scripſit multa Philoſophica, & Theologica, quæ cum fructu leguntur. Edidit contra hæreticos plurima, quæ, qui legerit, Lutheranus, aut Calvinianus eſſe non poſſit. „ Ardinghellus in Appendice Congeminatæ vocis Turturis Oſten. IV de illo ſic ſcribit: „ In Reformationis negotio ( ſcilicet Germaniæ ) inſudat unus in hac re præcipuus Adm. Rev. Pater Magnus Valerianus Capuccinus, Fidei Catholicæ Propugnator acerrimus, qui variis congreſſibus Miniſtros Sathanæ Synagogæ confutavit, edito de Acatholicorum credendi Regula Judicio, qui & alia monumenta digna ejus calamo ſcripſit. Cujus ſtudiis, pientiſſimiſque laboribus quidquid intentatum, ſuaſumque pro avita Religione retinenda, & morum reformatione tuenda, tribuendum eſt, nimirum circa prætenſiones Eccleſiarum inter Pontificem, & Cæſarem, bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, quatuor Epiſcopatuum in Bohemia erectionem, diſciplinæ, & Juriſdictionis Eccleſiaſticæ in eo Regno introductionem; quæ omnia ob Saxonum poſthumam invaſionem retardata, & præpedita fuerant. Archiepiſcopale Collegium ejuſdem induſtriâ pro junioribus alendis, & litterarum informatione cum Chriſtiana pietate erectum eſt. „ De illo etiam meminerunt Gravina in voce Turturis lib. II. ubi de Capuccinis, VVadingus de Script. Ordin. Minorum, Joannes Paulus Creſcentius in Præſidio Romano lib. III. Philippus Picinellus in Athenæo Mediolanenſi pag. 509. Bayle ſupradictus in Lexico, Paſchalius in Epiſtolis Provincialibus pag. 252. VVillotus in Athenis Orthodoxis, Didacus de la Quille lib. de Franciſco ter Evangelico, Marcellinus de Piſe in ſua Encyclopedia Tom. III. & alii.

## MAINERIUS. V. MAYNERIUS.

## MXXIV.

## MAJORAGGIUS HADRIANUS.

Conſueverunt quandoque Viri eruditione præſtantes, congruis adducti cauſis, nomen ſuum in Operum initiis vel omninò cælare, vel Anagrammatico velo tegere, quatenus perſæpè aut propriæ ſerviant modeſtiæ, aut Zoilorum mordaces calumnias prudenter declinent. Id præſtitit inter alios Hadrianus Comes Majoraggius Mediolanenſis, Julii Cæſaris à Secretis Senatus filius, qui medio fermè ſæculo XVII. Ciſtercienſium Inſtitutum profeſſus, ſingularem præſetulit Eruditionem, typiſque vulgavit Opus, cujus titulum infra dabimus. Prodiit hoc ſub nomine Adaniri de Comite Romagioſia; & præter præcipuum, de quo agit, Argumentum, multa quoque de Majoraggia Familia ſcribit, atque illud in primis verum Gentis ejus cognomen eſſe de Comitibus, additumque fuiſſe alterum de Majoraggio ex Oppido, unde illa duxit originem. Ancipites diu fuimus an inter alios de Comitibus, è quibus plures littera C. laudavimus, Majoraggios quoque recenſeremus. Verum popularis nuncupatio, & qua uſos fuiſſe Auctores ipſos comperimus, apud nos quoque prævaluit, ut eos hìc potius collocaremus. Interim mœrentes fateri cogimur nihil ad nos de hujus Scriptoris

Digitized by Google

toris actis, nudo excepto nomine, Monaſtica profeſſione, atque Opere, perveniſſe.

Illud eſt:

I. Il Secretario Nobile, Apologetici Tratti d'Adaniro del Conte Romagioja (Anagramma, di Adriano del Conte Majoraggio) con l'origine della Famiglia Conti Majoraggia, dedicato al P. Abb. Don Giorgio Rainoldi, Viſitatore generale de' Monaci Ciſtercienſi. *Milano, per il Monza*, 1656. *in* 4.

II. Vita di Marc' Antonio Majoraggio. Extat in eodem libro; ubi etiam cernitur hujus effigies expreſſa à Prototypo anni MDLV. cum annos natus eſſet XLI. & altera item Scriptoris noſtri.

Vide ſchedas Sitonianas.

## M X X V.

## MAJORAGGIUS MARCUS ANTONIUS.

UT diximus in præcedenti Articulo, genuinum cognomen Familiæ Majoraggiæ fuit de Comitibus, ex qua ortus eſt Marcus Antonius Patre Juliano, Matre verò Magdalena item de Comitibus, die XXVI. menſis Octobris, anno recuperatæ ſalutis MDXIV. in Vico Majoraggio. Appellatus fuit in Sacra Ablutione Antonius, cui Mariæ nomen addidit Mater devotionis gratiâ. Novocomi anno MDXXXII. ſub Primo Comite, de quo nos jam egimus, ejus conſanguineo, litteris operam dedit, ita ſedulò, ut breviter Auctores tam Latinos, quam Græcos non ſolum intellexerit, ſed etiam explicaverit. Indeque Mediolanum profectus, apud Lancellotum Fannianum recipitur, quinque annorum ſpatio, quem A in arte dicendi Magiſtrum habuit, & Hieronymum Lauredanum in Mathematicis quoque proſequutus eſt. Ibidem eloquentiæ Profeſſor inauguratus fuit, cùm annos tantùm ageret XXVI quo munere dum ſummâ diligentiâ fungebatur, biennio vix elapſo, maxima belli ſuſpicio Mediolani exorta eſt, nam ingentes Gallorum copiæ Alpes tranſcenderunt, ideoque ſtudiis intermiſſis, cum cæteris Profeſſoribus dimiſſus noſter exſtitit, ac Ferrariam petiit, ubi Philoſophiæ, & Juriſprudentiæ curæ ſe dedit, ſub Vincentio Maddio, & Andrea Alciato Profeſſoribus. Cùm autem belli timor evanuiſſet, ſequenti anno reverſus eſt in hanc Urbem, in eademque publicas eloquentiæ Lectiones reaſſumpſit. In verborum delectu adeò ſuperſtitioſus fuit Majoraggius, ut nullam dicendi B formulam admittendam eſſe arbitraretur, quæ apud veteres, probatoſque Latinos Auctores non haberetur. Id verò in cauſſa fuit, cur Antonii Mariæ nomen repudiaverit, ne muliebris vox cum virili conjungeretur, ſeque Marcum Antonium dixerit in ſuis Operibus; qua re æmulorum in ſe concitavit invidiam, à quibus coram Mediolanenſi Senatu propriam defenſionem ſumere cogitur, accuſatus namque fuerat reus violatæ Religionis, quod Mariæ nomen reſpueret, ſed rationibus, & propriæ eloquentiæ vi, cauſæ victor extitit. Nunquam verò ſtudiis feſſus, nullaque intermiſſa exercitatione fatigatus, atque conſumptus, tantus Vir mortem obiit die IV. Aprilis, anno à Virginis partu MDLV. Satis eſt in ejus laudem Opera illius recenſere, quæ poſt ejus Elogium, recitabimus, melius certè quàm in Tomo C XLI. à Cl. Niceronio edito, tametſi poſt tanti Viri mortem, anno MDCCXL. pag. 776. & ſeqq. Elogium hoc legitur ſub Porticu Baſilicæ S. Ambroſii, ubi Auctor noſter quieſcit, è ſiniſtro latere Portæ patentis ad ædes Canonicales, his notis marmori inciſis

M. ANTONIO MAIORAGGIO
DICENDI MAGISTRO SINGVLARI
LATINIS GRAECISQVE LITTERIS PERPOLITO
ET LIBRIS EDITIS ILLVSTRI
QVI PVBLICE DOCVIT ANNOS XIV.
VIXIT XLI.
BARTHOLOMAEVS COMES VXORIS FRATER
B. M. POSVIT.

Ipſum immortalem reddunt quæ ſequuntur:

I. Orationes numero XXV.

II. Præfationes numero XIV.

III. Dialogus de Eloquentia. Hæc omnia edita fuere opera Joannis Petri Ayroldi. *Venetiis, apud Bonfadium*, 1582. *in* 4.

Dialogus ſupradictus de Eloquentia editus eſt ſeorſim ſinè loco, anno, & Typographo in 4.

Editæ quoque fuerunt Orationes, & Præfationes ſupradictæ, opera M. Danielis Cæſaris Oſtienſis. *Monaſterii VVeſphal* 1599. *in* 8. *It. Lipſiæ*, 1600. *&* 1606. *in* 8. *It. Coloniæ*, 1614. *in* 8 It. recens correctæ, argumentis, & diſpoſitione Rhetorica marginali perpetua adornatæ à Valentino Hartungo, Medicinæ D. & Pathologices publico Profeſſore. *Lipſiæque editæ*, 1628. *&* 1631. *in* 8.

Sequentes verò Orationes aut non ſunt in eadem Collectione, aut non rectè & ex integro, ut jacent infra: ſaltem Epiſtolis nuncupatoriis, & Præfatiunculis Auctoris noſtri certè carent.

IV. Antonii Mariæ Comitis Majoraggii Oratio habita in Nuptiis Jacobi Philippi Sacci, inclyti Senatus Mediolanenſis Præſidis, qua dum ſeni quoque uxorem ducendam eſſe perſuadet, tanti viri numquam ſatis laudatam ſapientiam commendat. *Mediolani*, 1540. *in* 4.

D V. Antonii Comitis, pro Decreto Ill. Principis Alphonſi Avali Iſtonii Marchionis, & Senatus Mediolanenſis in Aleatores, Oratio. *Mediolani*, 1541. *in* 4.

VI. Encomium Luti.

VII. Laudatio Magdalenæ Comitis Matris ſuæ. Hæc duo Opuſcula impreſſa ſunt *Mediolani* uno Volumine apud *Moſchenium* 1566 *in* 4. primum verò inſeruit celeberrimus Dornavius in ſuo Amphitheatro. Tom. I. pag. 173. ſed male notavit nomen Auctoris, nam pro Marco Antonio ſcripſit Joannem.

VIII. Oratio Apologetica contra Gaudentium Merulam. Extat cum infraſcripta de laudibus Auri, ambæ à Marquardo Gudio è Mediolano tranſlatæ, & ejus cura Ultrajecti editæ.

IX. De mutatione nominis Oratio judicialis, qua variis rationibus probatur unicuique licere ſibi nomen immutare, coram Senatu habita. *Mediolani, apud Moſchenium*, 1541., *&* 1547. *in* 4. E

X. Philochriſum, ſeu de laudibus Auri. Hæc certè non eſt inter impreſſ. an. 1582. ut pote quia plura contra Eccleſiaſticos continet, primùm edita fuit Ultrajecti ad Rhenum 1666. à Marquardo Gudio, ut diximus, poſtea verò *Lubecæ* 1690. à Cl. Moroſſio.

XI. De Officio Parentum, & filiorum liber.

XII. De Ratione proficiendi in Studiis.

XIII.

Digitized by Google

XIII. In Ciceronis Paradoxa Explicationes novæ.

XIV. Sympoſiacon ad Plutarchi imitationem libri X.

Quatuor hos poſteriores Articulos hauſimus ex Epiſtola Latina Primi Comitis, quæ extat inter Epiſtolas pariter Latinas Franciſci Cicerei, de quo alibi, ad Petrum Galeſinum; data Mediolani Kal. Februarii anno 1569., in qua totus eſt Primus in laudibus Majoraggii.

XV. De Senatu Romano, & Senatoribus ad Paulum Origonum Senatus Præſidem. *Mediolani, apud Moſchenium*, 1561. *in* 4., idem Opus edidit Cl. Joannes Polenus in ſupplemento Theſauri Antiquitatum Romanarum T. I. pag. 675., ipſum quoque ego vidi MS. & ab Auctore ipſo variis in locis poſtillatum, in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum, ipſamque manum agnovi ab Epiſtola Franciſco Alciato ſcripta de adventu Mediolanum Andreæ Alciati, data Ceriani Id. Septembris anno MDXXXIX. quæ cum Majoraggii Sigillo extat in eadem Bibliotheca.

XVI. Paraphraſis in IV. libros Ariſtotelis de Cœlo.

XVII. Paraphraſis de generatione, & interitu. Uno Volumine. *Baſileæ, apud Oporinum*, 1554. *in fol.* In Biblioth. verò Ambroſiana adſervatur MS. Codex juſtæ molis in fol. magno ſign. C. num. 244 hoc titulo: „ M. Antonii Majoraggii Paraphraſis in tres libros „ Ariſtotelis de Cœlo „ in fine ejuſdem adſunt duæ Epiſtolæ, una Majoraggii ad Primum Comitem, altera hujus ad Majoraggium. Dicit Majoraggius, ſe librum non edere, quòd in eo nonnulla ſint, quæ cum Fide noſtra non conveniant.

XVIII. Commentaria in lib. I. M.T. Cic de Oratore ad Marcum Brutum. Prima editio *Baſileæ, apud Oporinum*, 1552. *&* 1555. *in fol.* ad Ambroſium Cavenagum Protophyſicum Mediolanenſem, ſecunda verò *Venetiis, apud Franciſcum Senenſem*, 1587. *in* 4.

XIX. Commentaria in III. lib. Ariſtotelis, de Arte Rhetorica. Prima vice *Baſileæ, apud Oporinum, in fol.* Secunda verò à Primo Comite Auctoris Amitino edito, atque Antonello, & Joanni fratribus de Arcimboldis dicata. *Venetiis, per Franciſcum Franciſcium*, 1571. *in fol.* Adeſt quoque in eodem libro „ Antonii Riccoboni Paraphraſis in Rhetorica Ariſtotelis, interjecta rerum difficiliorum explicatione cum Majoraggii, „ Sigonii, Victorii, & Mureti explicationibus. *Francofurti, apud VVeckelios*, 1588. *in* 8. In quibus M. Tulii Ciceronis omnia paradoxa refelluntur.

XX. Commentarius in Virgilii Georgicon lib. II priores.

XXI. Commentarius in librum quartum Virgilii Æneidos.

XXII. Commentarius in libros III. Ciceronis de Officiis.

XXIII. Commentarius in Dialogum de Partitione Oratoria Ciceronis, opera, & ſtudio J. P. Ayroldi Marcellini edita *Venetiis, apud Franciſcum Senenſem, in* 4.

XXIV. Antiparadoxon libri VI. ad Andream Alciatum *Argentorati*, 1541. *& Lugduni, apud Gryphium*, 1546. *in* 8. datæ ſunt Ferrariæ an. 1545.

XXV. Reprehenſionum contra Marium Nizolium lib. II. ad Ferdinandum Abduenſem.

XXVI. Recuſatio omnium eorum, quæ Nizolius in deciſionibus Majoraggii, tanquam male poſitas notavit. Uno Vol. *Mediolani, ſine Typographo*, 1549. *in* 4.

Nizolius vero reſponſum dedit his Opuſculis. Majoraggii in ſuo libro, cui titulus: „ Antibarbarus Philoſophicus. *Parmæ*, 1553. *in* 4 ſed ex utraque parte nimis acriter diſputatum fuit.

XXVII. Deciſiones XXV. pro M. Tullio contra Cœlium Calcagninum. *Lugduni, apud Gryphium*, 1554. *in* 8. De hoc libro hæc Carmina cecinit Jo. Matthæus Toſcanus in Peplo Italiæ pag. 495.

*Hic Tullianæ aſſertor ille gloriæ eſt*
*Ferrarienſis probra contra Cœlii,*
*Quem ne videret nomen æternis ſuum*
*Notis inuſtum infamiæ, ſatis reor*
*Antonii quam ſcripta prodirent prius*
*Vita libenter attigiſſe limitem*

Cl. Jo. Georgius Grævius in Editione Operum Ciceronis poſt libros de Officiis addidit hoc Opus Majoraggii. *Amſtelod.* 1688. *in* 8.

XXVIII. Epiſtolicarum Quæſtionum lib. II. *Mediol. apud Moſchen.* 1563. *in* 4.

XXIX. Notæ in Æliani lib. de varia Hiſtoria, teſte Picinello.

XXX. De riſu Oratorio & Urbano lib. II., teſte eodem.

XXXI. De Nominibus propriis veterum Romanorum lib. IV., eodem teſte.

XXXII. Carminum liber, ex ipſo Picinello; ſed quod fuerit Auctor noſter in arte quoque Poëtica verſatus tam Italicè, quam Latinè, ſatis conſtat à ſubſequentibus, necnon ab eo, quod ſcripſit de Poëtis ſuorum temporum Lilius Gregorius Gyraldus his verbis: „Sed nunquid & M. „ Ant. Majoraggium nunc prætermittam? qui, „ ut ſcitis, paratum habet ingenium, ad quæcunque animum intendit, ornatque ſe peregrinis ac tranſmarinis diſcipulis, labori minimè „ parcens; & quanquam non vidi ejus ulla „ Carmina, præterquam quædam Jambica „ veneni plena, quæ in maledicum quendam „ Grammaticum, cujus manibus parco, compoſuerat, & nuperrimè quoſdam Hetruſcos „ Rhythmos, quos in Principem Hiſpaniæ Cæſaris filium condidit, cùm Mediolani divertiſſet, in Belgas ad patrem proficiſcens, ex „ quibus liquidò patet, non minus Carmine „ valere poſſe, quàm ſoluta Oratione. Verùm „ hos tres (ſcilicet Franciſcus Robortellus Utinenſis, Sebaſtianus Corradus Regienſis, & „ Majoraggius noſter) quos modò commemoravi, „ à Poëtica planè excolenda publicè Auctores „ interpretandi munus, & prælegendi nonnihil „ avocaſſe videri poteſt; primus enim Piſis, „ alter Bononiæ, tertius Mediolani profitetur. „ Sed has tres cultas arbores, & bene conſitas in dies ſperamus uberiores, & volemos „ fructus edituras. Ignoſcite luxurianti huic „ meo Sermoni; ex nimia enim proceſſit amoris abundantia, qua illos ob eorum præclara ſtudia in bonis artibus proſequor, jam „ jam in viam redeo.

XXXIII. Carmina Italica vulgò *Sonetti*, num. IV. extant in libro, cui titulus: „ Raccolta de Sonetti „ degli Accademici Trasformati di Milano. *In Milano, per M. Antonio Borgi*, 1540. *del meſe di Decembre.*

XXXIV. Carmen Italicum aliud; extat in libro inſcripto: „ Tempio alla Divina Signora D. Giovanna „ d'Aragona &c. *Venezia*, 1555. *in* 8.

XXXV. Carmen Latinum in laudem Hieronymi Cardani, extat ad calcem Elogii ejuſdem Cardani in libro cui titulus: „ Elogj d'Uomini Letterati ſcritti da Lorenzo Craſſo. *Venezia*, 1666. *in* 4. *p. II*

XXXVI. Poëma Latinum ſatis longum ad Jo. Baptiſtam Porrum de Davidis Pſalmis, verſibus à P. Franciſco Spinula & ſcriptis, & ſcribendis, extat inter imitationem Catulli ejuſdem Spinulæ, de quo dicendum.

XXXVII. Epigrammata II. ad ſupradictum Spinulam cum iſtius reſponſionibus: Reperiuntur in libro II. Epigrammatum ejuſdem Spinulæ.

XXXVIII. Panegyricus Jo. Angelo Arcimboldo Archiep Mediolanenſi. *Mediolani, apud Caſtellionum, in* 4.

XXXIX. Epiſtola ad Joannem Cardinalem Moronum, in qua narrat quomodo Nicolaus Siccus Juſtitiæ Præfectus amiſſas Vercellas recuperavit. *Mediolani, apud Moſchenum*, 1553. *in* 4.

XL. Epiſtolæ plures ad Franciſcum Cicerejum cum variis eruditis Quæſtionibus, extant in Epiſtolis MSS. Cicereji, de quo jam diximus.

XLI. Epiſtolæ V. extant inter Epiſtolas Gudii pag. 125. in quibus legitur etiam Epiſtola Sebaſtiani Conradi ad Majoraggium pag. 123.

Ad eundem extat Epiſtola ſatis longa Annibalis Cari, cui titulus: „ Sopra li difetti dello „ ſcrivere, e l'imbarazzo che cagiona „ data Serræ S. Quirici ſine anno: in Libro: „ Lettere di diverſi Autori eccellenti. *Venezia, preſſo il Zilletti*, 1516.

In Libro cui titulus: Carmina Illuſt. Poët. Ital. Tom. III. pag. 404. Extat Joſephi Mariæ Giriæ Cremonenſis Epigramma de Marco Annio Majorago.

In Tomo VIII. ejuſdem Operis pag. 183. Extat Epigramma Georgii Rotini ad Marcum Antonium Majoraggium.

Ei inſcripſit Satyram ſuam ſeptimam Joannes Auguſtinus Caccia Novarienſis inter editas *Mediolani*, ſine nomine impreſſoris, 1549. in 8.

Ad Marcum Antonium Majoraggium Præceptorem

Digitized by Google

torem ſuum, ac Philoſophum graviſſimum, Epigramma Ferdinandi Abduenſis, extat ad calcem Orationis ejuſdem, editæ anno 1546. in 8. ut diximus in eodem.

Ipſum laudarunt in primis Cl. Baile in Lexico Critico, Aubertus Miræus de Scriptoribus Sæculi XVI. ſed non rectè, Jacobus Middendorpius in lib. IV. Academiarum celebrium, Conradus Geſnerus in Bibliotheca Univerſali, & in ſupplemento Verderii, Jo. Jacobus Friſius in Bibliotheca, Moriggia in Hiſt. Nobilit. Mediol. lib. III. cap. XIII. pag. 243. Niceronus ſupradictus in libro cui titulus: „ Memoires pour ſervir a l'Hiſtoire des Hom„ mes illuſtres. Tom. XLI. loco citato. Joannes Imperialis in Muſæo Hiſtorico pag. 126. Picinellus in Athenæo pag. 409. Sitonus, aliique pene innumeri.

## MXXVI.

## MALABARBA JOANNES.

INter Poëtas optimi Sæculi decimiquinti, numerandus eſt Joannes Malabarba Mediolanenſis, ex Jacomello genitus anno Chriſti MCCCCIX. Ipſe, ſicut & ejus Pater, adſcribebatur in Cœtu LXXII. Civitatis Mediolani Decurionum. Frater ei fuit nobilis Vir Milanus Ducalis Quæſtor Magiſtratus Ordinarii, Theſaurarius Generalis totius Dominii Mediolanenſis, dein anno MCCCCXXIV. Ducalis Senator, cujus filiam Conſtantiam duxit Guinifortus Barzizius Ducalis Secretarius, & poſtea Senator Neapolitanus ſub Alphonſo V. Aragoniæ Rege In MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. L. num. 69. in 4. legi Epiſtolam Guiniforti Barzizii datam anno MCCCCXXXVIII. ad Joannem Auguſtinum fratrem, & J. C., in qua uxorem ſe ducere velle ſignificat, Conſtantiam nempe ſupradictam, cujus ſorores extitiſſe ait Catharinam Phyliſtrino Gonzagæ, & Angelam Jacobo Cribello nuptas, eaſque litteratiſſimas fœminas eſſe aſſerit. Adſunt quoque in eodem MS. Epiſtolæ II. ipſius Barzizii ad Jacobellum Malabarbam Canonicum Regularem S. Auguſtini, datæ anno MCCCCLX. Certè Malabarba Gens in Annalibus Mediolanenſibus plurimum celebratur, atque ſeriem Genealogicam ejuſdem mihi perhumaniter tradidit amiciſſimus J. C. Sitonus à Jacomello ſupradicto Joannis, de quo agimus, Parente, uſque ad Franciſcum inter Decuriones Mediolanenſes anno MDXIII. Laudatur noſter à Creſcimbenio, uti Poëta eximius tam in Italica, quàm in Latina lingua, ut videre eſt in libro infra memorando. Ego quoque legi in Codice Collectaneorum Bibliothecæ Morimundi Opellas duas iſtius Malabarbæ verſibus Italicis unam, alteram Latinis ſcriptas, certè non contemnendas.

Habemus igitur

I. Poëmata varia Latino, & Italico ſermone conſcripta. Extant in libro, cui titulus: „ Raccolta di Poeſie „ in morte di Serafino Aquilano. „

II. Carmen Latinum ſatis longum in laudem Alphonſi Regis Aragonum MS. Extat in Collectione variorum Poëmatum tam impreſs, quàm MSS. in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium Morimundi alibi citata, in 4.

III. Salutazione dell' Arcangelo Gabriele a Maria Vergine, diviſa in III. Canti, vulgo *Ottave*. MS. extat ibid.

Videndi ſunt Muratorius in Anecdotis Tom. II. pag. 242 Archintus, & Fannianus in Monumentis Famil. Nobil. Mediol. Baldus in Conſil. num. 250. Tom. I. pagg. 72. & 73. & iterum in Conſil. 147. Tom. II. pag. 38. Joannes Chriſtianus Lünig. in Codice Diplom. Italiæ Tom. III. pagg. 715. & 748. tum Cl. Advocatus Sitonus de Scotia in ſuis Schedis Genealogicis MSS.



## MXXVII.

## MANARA CAMILLUS.

CAmillus Manara Mediolanenſis, cujus frater extitit Idelphonſus Bobienſis Epiſcopus, à nobis mox cum debita laude recenſendus, natus eſt in hac Urbe die X. menſis Januarii, anno Salutis noſtræ MDCLII. A Suis verò in litteris apprimè educatus, Ticinum ſe contulit, ubi in re Medica audivit celeberrimum Syrum Frigium, primarium in ea Univerſitate Profeſſorem, ibique Laureâ decoratus eſt. Ad Patriam reverſus, totus in Praxim Medicam incubuit ſub optimo Præceptore Bartholomæo Guidetto, ea ætate inter Medicos Mediolanenſes facilè principe, ut aſſerit Curtius in ſuo centies à nobis citato Libro, cujus etiam ipſe fuit diſcipulus poſt Manaram noſtrum, qui nimis citò è vivis ſublatus eſt anno MDCCIX. in medio ſuæ famæ curſu, quam tamen perpetuam ei ſervabunt Opera tam edita, quàm inedita, quæ hic damus,

Videlicet

I. Pharmaceutici Litubiani potus ad mentem Gabrielis Fraſcati Brixiani extractus: Camilli Manaræ Phyſici Mediolanenſis, in quo natura, virtus, & utendi modus ejuſdem ſincerè continentur. *Ticini Regii*, *Typis Caroli Rubei, in via nova*, 1687. *in* 8.

II. La Virtù del Fango ne' bagni di Ritorbio preziosa: Diſcorſo di Camillo Manara Milaneſe, Medico di Voghera, nel quale, quanto ſi richiede alla cognizione, utilità, e modo d'adoperare eſſo Fango, ſuccintamente ſi deſcrive. *In Milano, nella Regia Ducal Corte, per Marcantonio Pandolfo Malateſta*, 1689. *in* 8.

III. Camilli Manaræ Medici, ac Philoſophi Mediolanenſis, de moderando Panaceæ Americanæ abuſu, ſive de Tabacci vitio in Europeis, & maximè in Inſubribus corrigendo, & emendando. Diſſertatio in tres partes diviſa, in quarum primâ nomenclatura, natalis, & qualitates; in ſecunda rectus uſus, ejuſque utilitates; in tertia abuſus, ejuſque damna ſuccinctè continentur. *Mediolani, in Curia Regia, apud Marcum Antonium Pandulphum Malateſtam*, 1707. *in* 12.

IV. Infantilium ærumnarum Compendium. Opus non tam ad antiquorum, quàm ad recentiorum mentem noviter concinnatum Camilli Manaræ Phyſici Mediolanenſis, in quo non tam morborum cauſæ, ſecundùm diverſas eorundem opiniones, verùm ſelecta ab utriſque remedia ſuccinctè continentur. MS. in 4. extare apud hæredes, aſſerit ſupramemoratus Curtius, ipſumque digniſſimum, ut typis mandetur, adjudicat.

Videndus eſt ipſe Curtius in libro inſcripto „ Notizie „ Iſtoriche intorno a' Medici Scrittori Milaneſi pag. 196. necnon Joannes Jacobus Mangetus in Bibliotheca Scriptorum Medicorum T. II. pag. 216.

## MXXVIII.

## MANARA IDELPHONSUS.

NUnc damus Idelphonſi Manaræ Elogium, ut promiſimus in Camillo ejus fratre ſupralaudato, nam noſter & ipſe litteris in juvenili ætate, ac optimis moribus ſummè deditus, Congregationem Clericorum Regularium S. Pauli, quam Barnabitarum vocamus, ingreditur. In eadem expleto primo ſtudiorum curriculo, nobiliores, quas didicit diſciplinas, pluribus annis profeſſus eſt; ſed ut ſuo indulgeret genio, Cathedram in ſuggeſtum commutavit, ex quo tam præcipuas Italiæ Urbes, & ſignanter Bononiam, ubi eum ſumma cum delectatione audire mihi licuit, quàm ipſam Viennam, Auſtriæ Metropolim, in qua Auguſtiſſimo Cæſari Leopoldo à Concionibus fuit, magno cum fructu, maximaque ſua



Digitized by Google

eloquentia commovit. In Comitiis Generalibus ſuæ Religionis non ſemel ad ſupremum ejuſdem gradum aſſumptus extitit: Vix tamen illum ſecunda vice obtinuerat, cùm à Clemente XI. in ſeligendis Eccleſiarum Paſtoribus Pontifice Vigilantiſſimo, anno Chriſti MDCCXVI., ad Infulam Bobienſem aſſumendam deligitur, cujus poſſeſſione adepta ſingulari ſollicitudine ac vigilantia gregem ſibi commiſſum regere incepit. Clericorum Seminarium inſtituit. Immenſos labores, ac ærumnas paſſus eſt in ſua luſtranda Diœceſi inter aſperos Colles, præcipiteſque Valles concluſa. In ea ad commodiorem Incolarum uſum, quatuor recentes Parochias erexit; quum antea ob itineris difficultates, Paſtorumque inopiam perirent oves, nullo ſpiritualis vitæ pabulo refectæ. Qua in re tum aſſenſum, tum auxilium Sereniſſimi Franciſci Farneſii Parmæ, & Placentiæ Ducis imploravit, ac obtinuit. Cathedralem argenteis candelabris, pretioſiſſimiſque ornamentis ditavit, atque ſacella prælegantibus picturis exornavit. Epiſcopale Palatium ſuis ſumptibus reſtauravit, ampliavit, atque in meliorem aſpectum reduxit. Charus fuit Clementi XI. ſupradicto Summo Pontifici, à quo pinguioribus Beneficiis cumulatus eſt, atque in mandatis habuit ſumendi juridicè informationes in Civitate Novocomenſi pro cauſa Beatificationis, ſeu Canonizationis Innocentii XI. ſanctæ memoriæ Pontificis. Demum ingraveſcente morbo ex perdifficili ſuæ Diœceſis Viſitatione contracto, finem vivendi fecit anno Domini MDCCXXVI. ætatis ſuæ LXXIII., & in Cathedrali, communique Epiſcoporum Tumulo jacet.

De ipſo hæc proferimus.

I. Litteræ Paſtorales, quas eruditione ſingulari Eccleſiaſtica refertas evulgavit.
II. Conciones Quadrageſimales MSS. in fol. ſervantur in Bibliotheca ornatiſſima Collegii Cleric. S. Pauli apud Sanctum Alexandrum Mediolani.
III. Orationes Panegyricæ MSS. in fol. ſervantur ibidem.
De eo cum laude agit Michaël Angelus Belforti in Lycæo Auguſto, necnon Ughellus in Italia Sacra T.IV. pag. 450. in Epiſcopis Bobienſibus, ſcilicet in additionibus ad eundem Ughellum, pluraque mihi humaniſſimè communicavit amiciſſimus Concivis P. Pezzius ejuſdem Congregationis Alumnus, & decus.

## MXXIX.

## de MANDELLO ANSELMUS.

VEtuſtiſſimam Mandellæ gentis in hac Metropoli noſtra etiam ætate florentis nobilitatem plurium Scriptorum comprobant Volumina. Nos autem aliqua hìc delibare ſtatuimus in gratiam Anſelmi Mandelli, quem inter eruditos locum mereri certiſſimè judicamus. Filius is fuit Othonis Comitis Maccanei, atque anno MCLIV. Conſulatum in Republica Mediolanenſi cum laude geſſit. Equitum etiam Mediolanenſium mille Legionem uti Præfectus rexit adversùs Fridericum I. Auguſtum cognomento Œnobarbum anno MCLXI. atque Anſelmum ſecundum, & Tatium genuit ambos Patriæ Conſulatu claros, quem primus anno MCLXVIII. alter verò annis MCLXXIII. MCCIII. & MCCIV. non ſine commendatione prudentiæ adminiſtrarunt. Nepotem etiam ex fratre Tatio habuit Robacomitem anno MCXCVI pronepotem verò ex Robacomite Othonem ſecundum anno MCCXIII. pariter Conſulatu hujus Metropolis illuſtres. Anſelmus verò noſter omnium laudes ſuperaſſe videtur, cum in ipſa Urbis reſtauratione circa annum MCLXX. cum Collegis ſuis condiderit

I. Statuta plurima Mediolanenſi Reipublicæ perquam proficua.
De ipſo cum laude meminere Gualvaneus de la Flamma lib. XIII. cap. 594. & ſequentibus, Joannes Baptiſta Pigna Hiſt. Principum Eſtenſium lib. II. Tiberius Gandolphinus in Compend. originis, antiquitatis, & dignitatum Familiæ Mandellæ impreſſ. *Mediol. anno 1613. in 4. penès Malateſtam*, Comes Octavius Archintus in Collect. & amiciſſimus JC. Sitonus in Collectaneis Conſulum Reipub. Mediol. cui etiam debemus hujus Familiæ Genealogiam.

## MXXX.

## de MANDELLO TATIUS.

ANſelmum de Mandello Virum & litteris & armis inſignem, quem mox laudavimus, Parentem habuit Tatius, cujus hoc loco proferimus Elogium. Hic, ut præfati ſumus, Conſul extitit Patriæ annis MCLXXIII. MCCIII. & MCCIV. Nepos ei fuit ex Anſelmo fratre Albertus Conſul primùm Mediolanenſis anno MCCI. tum anno MCCIII. Prætor Patavii, de quo meminit liber omnium Regiminum Civitatis Paduæ, in Tomo IV. Antiquitatum Italicarum medii ævi à Clariſſ. Muratorio typis noſtris Palatinis jam editus. Ubi etiam laudatos reperiet Lector optimus ex eadem familia Othonem, quo anno MCCXXV. Patavium cum imperio regente Lombardorum Societas adversùs Imperatorem coaluit, Virum tantæ integritatis & prudentiæ, ut ad idem munus denuo aſſumi meruerit annis MCCXXXIV. & ſequenti. Commendantur etiam ibidem Ottolinus, & Percevallus fratres Mandelli, qui ambo in eadem Urbe Patavio Prætoris officium adminiſtrarunt, primus quidem anno MCCLXXXIX. alter verò anno MCCXC. Tatius autem noſter inter hos Scriptores à nobis recenſetur propter ab eo condita cum aliis XII. Conſulibus anno MCLXXII.

I. Statuta plurima ad Mediolanenſis Reipublicæ regimen, & inter ea computatur lex, ne quis, amputationis linguæ pœnâ propoſitâ, Fridericum tamquam ſchiſmaticum hominem de nomine compellaret.
II. Leges pro novo Militiæ genere conſcribendo ad vicinos hoſtes debellandos, & Comitatus à Friderico inſtitutos extirpandos.
De ipſo agunt Bernardinus Corius Hiſt. Mediol ſub ann. MCLXXII. MCCIII. MCCIV. Galvan. de la Flamma Chron. major. lib. XIII. cap. CMII. & CMLXV. MS. Triſt. Chalc. Hiſt. patr. lib. XII. & XIII. pag. 265. 266. Chronicon cui titul. Flos Florum p. 150. MS. Hieronym. de Curte Hiſt. Veron. lib. V Joann. de Monte in Chronic. cap. CCXXXVIII. ſub an. MCCIII. & MCCIV. MS. Paul. Moriggia Hiſt. antiquit. Mediol lib IV. Cap. XXIV. Tiberius Gandolphinus de Antiquit. &c. Fam. Mandellæ, Advocatus Sitonus in Monument. genealog. Famil. Mandellæ ſub num. 12. MS. penes Authorem in fol. &c., & Comes Octavius Archintus in Collect. Monument. Famil. Mediol.

## MXXXI.

## MANGONIUS CAROLUS FRANCISCUS.

DE Mangonia Mediolanenſi Familia ſatis eſt prolixam Inſcriptionem proferre, quam Lector infra habebit. Ornamentum certè non parvum eidem attulit Carolus Franciſcus, qui in lucem editus eſt die III. Junii anno Redemptionis MDCLVIII. Nobiliſſimam Montis Oliveti Religionem amplexus eſt die XVII. Junii anno ſeptuageſimo quarto ſupra milleſimum & ſexcenteſimum. Quantum pietate, prudentiâ & litteris in eodem florentiſſimo Cœtu illuxerit Vir iſte, facilè oſtendunt munera à Suis eidem collata, nam poſt curſum Theologicum ex cathedra optimè promulgatum, in Abbatem eligitur die X. Maji anno MDCXCVI., necnon Viſitatoris & Vicarii Generalis officio decoratur. Sufficit ad perpetuam ejus laudem proferre verba Mariani Armellini, qui poſt librum

Digitized by Google

librum infra à nobis proferendum ſub num. I. ſic ait : „ Opuſculum verè aureum , eâ ſermonis puritate, & „ elegantia , eâ doctrinæ ſoliditate , ac rationum ro- „ bore , eâ denique evidentiâ digeſtum , ut Angli „ Hæretici tanquam errorum ſuorum debellatorem „ acerrimum , obdurati nihilominus , ac pervicaces, „ Londini flammis palam devoverint , illud immor- „ tali luce digniſſimum, vel inviti confitentes. „ Ad alias ejuſdem virtutes juvat profectò addere quod linguis Latinis , Græcis , Hebraicis , necnon Gallicis exornatus extitit . Meritò igitur à Suis præcipuè Mediolanenſibus laudatur , etiam ob maxima beneficia Cœnobio S. Victoris ad Corpus in hac Urbe collatis , nam ibidem Tyrocinium , Sacellum Sanctæ Franciſcæ, Cœnaculum, Viridarii ſepta, Porticum , Januæque marmorea ornamenta , & Speculam inſtruxit . Obiit in Monaſterio Majori Olivetano Nonis Martii anno MDCCXV. ætatis ſuæ LVII. Tamen ejus æternum, glorioſumque monumentum, perpetuò erit quod ſcripſit, ut infra : ſed prius, ut promiſimus , hìc damus Elogium Mangoniæ Familiæ , uti legitur in Clauſtro propè Eccleſiam Divi Marci ad Portam Novam hujus Urbis .

MANGONIAE FAMILIAE
QVAE VIRTVTIS STVDIO NVNQVAM INTERMISSO
CVCVRRIT
SEMPER HIC OSSA QVIESCVNT
DONEC VENIAT IMMVTATIO EORVM
IO. BAPTISTAE MANGONIO
MACHINARVM BELLICARVM
IN VERCELLENSI OPPVGNATIONE
PRAECIPVO AVCTORI
EIVSDEMQVE ARTIS PROFESSORI CLARISSIMO
COSIMO
IN BASILICA MEDIOLANI DIVI BABILAE
CANONICO THEOLOGO
DIVINARVM LITERARVM CVLTISSIMO
FABIO
REGIO TEMPLIQVE MAXIMI
ARCHITECTO CELEBERRIMO
CLAVDIO
PATERNORVM STVDIORVM EGREGIO IMITATORI
ET IN RHAETICIS AC PEDEMONTANIS
EXPEDITIONIBVS MILITARI ARCHITECTO
IVLIVS SCVLPTOR
AC XENODOCHII MAXIMI
ET COLLEGII IVRISPERITORVM ARCHITECTVS
NECNON
OCTAVIVS FRATER I. V. D.
CAVSARVM ET EQVES CAESAREVS
VIVENTES
MONVMENTVM HOC
PATRI AC FRATRIBVS DEFVNCTIS
OFFICIO DEFVNCTVRI PIETATIS
SVADENTE CVM PRIMIS
DON IVLIO FRATRE
CISTERCIENSIS ORDINIS ABBATE
PP. MDCXXXVII.

Hæc ſunt Caroli Franciſci Opera

I. Motiva L. ad præferendam , & præeligendam ex omnibus inter Chriſtianam Religionem Catholico-Romanam , Hæreticis ut convertantur , Catholicis ut confirmentur . *Papiæ , per Jacobum Andream Ghidinum ,* 1713.

II. Curſus Theologicus in pluribus Vol. MSS. ex quibus luce digniſſimum eſſe Sui omnes aſſerunt ſequentem Tractatum , cui titulus :

III. De Deo , ut Auctore Salutarium operum per auxilia temporalia , & prædeſtinationem æternam . Servantur in Bibliotheca Montis Oliveti .

IV. Hiſtoria Congregationis Olivetanæ Pariſios tranſmiſſa , ut prælo daretur . MS. Autographus ſervatur Romæ in Cubiculo Procuratoris Generalis Sanctæ Mariæ Novæ .

Ita Belfortus in Chronologia Montis Oliveti pag. 136. , & 138. Armellinus in Bibliotheca Benedictino-Caſſinenſi pag. 42. in Append. & alii .

## MXXXII.

## MANLIUS CONRADUS.

CONradum Manlium Mediolanenſem Patritium Juriſprudentiâ inſignem Virum , anno MCCCCLX. inter Sacræ Rotæ Romanæ Auditores recenſent Cantalmajus , & Caſſadorus ; noviſſimè verò Nomenclatura Mediolanenſium Virorum in celeberrimum eum Cœtum admiſſorum ad me humaniſſimè tranſmiſſa à præſtantiſſimo Præſule Joanne Baptiſta Vicecomite , ut alibi memoravi . Eum Alexandrinum Epiſcopum fuiſſe Vir hic præclariſſimus aſſerit , non tamen intelligendum cenſeo de Alexandrina Sede in Inſubria , ab anno enim MCCCCLVII. uſque ad MCCCCLXXVIII. eam Eccleſiam adminiſtravit Marcus de Capitaneis Novarienſis , ut teſtis eſt Ughellus Tom. IV. in Alexand. num. XXVI. allato etiam Marci ejuſdem Epitaphio . Puto igitur Eccleſiæ alicujus Alexandrinæ in partibus Infidelium Antiſtitem fuiſſe Manlium noſtrum , de quo nobis nil aliud ſupereſſe doleo , præter

I. Deciſiones Sacræ Rotæ Romanæ quæ MSS. ſervantur Autographæ in Archivo Molis Hadrianæ .

Agit de eo Theodoſius Rubeus in lib. Singularia Deciſionum Sac. Rotæ Romanæ Tom. II. fol. 5. qui perperam Alexandrinum vocat . Guilielmus Caſſadorus in Deciſ. IX. ſuper Regulas Cancellariæ .

## MXXXIII.

## MANLIUS FLAGRIUS.

INter vetuſtiſſimas hujus Urbis Familias recenſitam fuiſſe Manliam , ex qua nonnulli Cæſares electi ſunt , ſatis patenter indicat Triſtanus Chalcus Mediolanenſium Rerum Scriptor elegantiſſimus , cujus verba ex libro primo deprompta juvat hìc exſcribere : „ Non multo poſt imperat Carus Manlius , qui in „ Perſide apud Cteſiphontem Urbem fulmine ictus „ interiit . Et quamquam incertæ originis prodatur , „ tamen Flavius Vopiſcus eum Mediolanenſem in „ quadam Ephemeride legiſſe ſe meminit : quod ut „ minus fide careat alio quoque loco docebimus , „ claram Mediolani fuiſſe Manliam Familiam ; & hac „ ratione duo alii Cæſares Numerianus , & Carinus „ Cari filii Mediolanenſes erunt . Carino verò luxurioſiſſimè viventi inter cætera objectum ferunt , „ quod cubicula , & triclinia ſterneret roſis Mediolanenſibus . „ Floruit etiam ex hac gente Mediolani Manlia Dedalia Virgo Deo dicata , cujus vetuſtiſſimum Epitaphium in Baſilica Ambroſiana poſitum manet adhuc .

MAR-

MARTYRIS AD FRONTEM RECVBENT QVAE MEMBRA SEPVLCHRO
VT LECTOR NOSCAS EST OPERE PRETIVM
CLARA GENVS CENSV POLLENS ET MATER EGENTVM
VIRGO SACRATA DEO MANLIA DEDALIA
QVAE MORTALE NIHIL MORTALI IN CORPORE VOLVENS
QVO PETERET COELVM SEMPER AMAVIT ITER
SEXAGINTA ANNOS VICINO LIMITE TANGENS
RETTVLIT AD CHRISTVM CELSA PER ASTRA GRADVM
HAEC GERMANA TIBI THEODORVS FRATER ET HAERES
QVAE RELEGANT OLIM SECLA FVTVRA DEDI.

Hunc Theodorum ſuſpicatur Chalcus loco citato eundem eſſe cum Theodoro Manlio, qui anno Chriſti CCCXCIX. Conſulatum geſſit, quem Claudianus laudans Ligurem vocat. At Valentiniani Cæſaris temporibus clariſſimus eruditionis gratia habitus eſt Flagrius Manlius Mediolanenſis, adeo ut in Principis Præceptorem eligi promeruerit. De tanto Viro plura dicere ſuperſedemus, cum jam ſatis de ipſo egerit Clariſs. Saxius loco inferius indicando. Opus tantum ipſius promemus in medium hoc titulo inſcriptum:

I. Georgicorum Virgilii Interpretatio. De quo Opere in libro III. hiſt. Patriæ hæc ſcripſit Chalcus: „ In Gallia juxta Turonem Urbem extat in celebri Cœnobio „ perrari ad hanc diem exempli Opus Flagrii Manlii „ Mediolanenſis, qui Valentiniani Cæſaris Præceptor „ Virgilii Georgicon eruditiſſimè interpretatur. Videndus etiam de Flagrio citatus Saxius de Studiis Mediolanenſium.

## MXXXIV.

## MANNIUS LUDOVICUS.

Ludovicus Mannius, cujus Patria Canturium, non ignobile Oppidum hujus Ducatus extitit. Sacrum habitum S. Franciſci inter Minores, qui Conventuales dicuntur, aſſumpſit, ſeſeque prodit doctrinæ affluentia, ac dignitate graduum commendabilem. Eccleſiæ ſplendorem auxit, & decus, Ordini honorem attulit, Canturienſis Monaſterii proventus cumulavit. Mediolanenſis Provinciæ renunciatus poſtmodum Ordinis Procurator generalis, anno MDCLXXII. prudentiæ, dexteritatiſque ſpecimina præbuit ſanè maxima. Cardinalibus, ac Principibus acceptabilis valde fuit, qua de re, pluribus ad Cardinalatum eum evehere cooptantibus, Epiſcopum Urbis Aquulanæ, vulgo *di Acquapendente*, eſt electus die prima Octobris anno MDCLXXIV. In hujuſmodi Epiſcopali munere ea ſingula geſſit, quæ verum Epiſcopum commendant. Immaturus votis & Præſulum, & Urbis ſibi ſubditæ deceſſit anno MDCLXXX., & conquieſcit in Eccleſia ſui Ordinis.

Superſunt de ipſo tantùm:

I. Litteræ Paſtorales editæ annis 1674. 1677. & 1678.
II. Elogium Ludovici Manciagi, de quo ſuo loco, ab ipſo compoſitum.
III. Monumenta Viſitationis ſuæ Diœceſis inceptæ anno MDCLXXIX. pluribus Vol. MSS. in fol. ſed eam morte præventus perficere non potuit.

Ex Ughelli Ital. Sac. Tom. I. col. 584. inter Epiſcop. Aquæpendentis, & à Suis.

A

## MXXXV.

## MANONUS CAROLUS.

De Carolo Manono Mediolanenſi, Joſephi filio, neſcio qua de cauſa tam parcè locutus ſit Cl. Curtius inter Scriptores Medicos ſuæ Patriæ, nam contentus tantummodò indicare verba, quæ de ipſo protulit Picinellus, Opera Manoni noſtri ab ipſo relata minimè tranſcribere voluit, quæ ſine injuria mihi videntur non eſſe prætermittenda, utpote ab eodem certè non ſomniata. Quid ſi ego de Opuſculo Chyromantiæ hujus Auctoris, quod MS. ſervari in Bibliotheca Ambroſiana aſſerit Curtius dubitaſſem? Ex integro Indices Manuſcriptorum ipſius Bibliothecæ diligenter perſcrutavi, & cum ſupradictus Curtius nullam indicationem proferat pro citato Opere inveniendo, ſola ejuſmodi aſſertione mihi vitio attribuendum eſſe duxiſſem, ſi inſalutatum dimiſiſſem hunc Manoni fœtum, quem cum aliis à Picinello relatis, nec à Curtio inſpectis, etſi typis ſuo ævo commiſſis, infra recenſebo, poſt aliqua ad Manoni ſtudia hîc proferenda. Quantùm igitur Vir noſter litteris ſe dediſſet, ſatis oſtendunt plures, & inter ſe diſſidentes Scientiæ, quas coluit, nempe Jus Canonicum, & Civile, Medicina, Aſtronomia, Poëſis, & ſimilia; nec ipſas tantum tetigit, ut Curtio, & Picinello viſum fuit, nam Laureâ in Philoſophia, & Medicina acceptâ, quantum in aliis facultatibus, quæ toto cœlo ab iſtis diſſonant, ipſe valeret, palam ab ejus Scriptis conſtat, nam & Mathematicas, & Aſtronomicas, necnon Aſtrologicas, & quod plus eſt, Hiſtoricas res etiam proſecutus eſt. Linguas quoque Hebraicam, Græcam, Latinam, Gallicam, Hiſpanicam, atque Germanicam didiciſſe fertur, nec Poëta infimæ notæ apparuit in Academia Faticoſorum hujus Urbis, ut ex variis Carminibus ab ipſo editis, ideoque ſupralaudatus Curtius de ipſo meliori judicio ſcripſiſſe certè potuiſſet, eique attribuendum eſt forſan ſilentium, quo Clariſſimus Mangetus de Auctore noſtro uſus eſt in ſua Bibliotheca omnium Medicorum, poſtquam tot alios infimæ notæ recenſuerat. Vivebat adhuc Manonus anno Chriſti MDCXCV. ut ex Schedis Sitonianis cognovimus. Hæc verò ſunt, quæ de ipſo damus,

Scilicet

I. L'Ongaria Vendicata, o ſiano felici ſucceſſi, e glorioſe Vittorie riportate dall' armi Imperiali ſopra le Ottomane, e ribelli nell' anno MDCLXXXVIII. ec. con le figure in Rame delle principali Città conquiſtate, e delli tre attacchi di Buda, colla Carta Geografica dell' Ongaria del Dottor Carlo Manone ec. *Milano, per l'Agnelli*, 1689. *in* 12.

B C D

II.

A II. Il Prencipe Schiavo: Novella Iſtorica colle particolarità della Battaglia data da' Criſtiani al Turco l'anno MDCLXXXVII. La depoſizione di Maometto IV., e l'elezione di Solimano IV. ſuo fratello. Dedicata al Conte Carlo Archinti nell' occaſione delle ſue Nozze con la Conteſſa Donna Giulia Balbiana di Belgiojoſo. *Milano, per l'Agnelli*, 1690. *in* 12.

III. Metrici Pieridum Garritus &c. Poëmata varia in Laurea Jo. Baptiſtæ Vigoni. *Mediolani, apud Federicum Agnellum*, 1691. *in* 4.

IV. Cannocchiale Iſtorico, che fa guardare dall'anno MDCLXVIII. fino al principio del Mondo, e tira appreſſo le coſe più memorabili ſino ad ora ſuccedute. *Milano, preſſo Marcantonio Malateſta*, *Tomi II. in* 12.

V. Chyromantia MS. in Bibliotheca Ambroſiana, teſte Curtio.

VI. Cœleſtium Motuum Effemerides, cum Obſervationibus novis &c. ab anno MDCLX. ad MDCC. cum (B) earum iſagoge, vera Aſtrologorum dogmata proponente.

VII. Cometologia, ſeu Cœleſtium Cometarum Anatomes; Tractatus Aſtronomo-Judiciarius, & Hiſtorico-medicus.

VIII. Enciclopedia annorum Mundi, Prognoſtica, generales Mundi Conſtitutiones, quadripartito Codice expediens, ubi Regnorum, Urbium &c. principia, fines, necnon & temporum mutationes ad prædicendum Aſtrologo-Phyſico-Hiſtoricè examinantur.

IX. Argus Propheticus, omnes, & quaſcumque divinatorias artes non ſolum reconditas, ſed etiam hucuſque ignotas artes mirabili ſubtilitate revelans.

X. Univerſaliſſimum practicæ Medicinæ Emporium, in quo ſectarum omnium, quæ hucuſque fuerunt merces, nullo vel ſaltem minimo laboris pretio venundantur.

XI. Semicologia, in qua morborum omnium ſigna tam imminentium, quàm præſentium facillima metho- (C) do traduntur.

XII. Phyſicus Aſtrologus, certiſſima explanans dogmata, verè, realiterque medendi, cum Obſervationibus, Aſtrorum ad morborum eventus facillimè prædicendum, tum morbos ipſos profligandos, necnon & ad ſimplicia quædam colligendum, ſecundùm Syderum poſitiones, & parandum quædam medicamenta, quæ à Cœli conſtitutione mirabiles nanciſcuntur virtutes.

XIII. Oculare mirabilium pœnitiſſima naturæ arcana, prodigia per ſupercœleſtes, & ferè ſupernaturales ſemitas intellectus Sapientiſſimorum dirigens.

XIV. Briareus Politicus ambidexter, reconditiſſima rerum publicarum omnium Scrinia aperiens; opus ob abſoluta, & concordantia cum Hiſtoriis, & rationibus dogmata practica, politica penè regium.

XV. L'Inſubria trionfante ſopra tutte le Città del Mondo, o ſia la vera Iſtoria di Milano, che contiene dalla (D) fondazione fino a i noſtri tempi, ogni, e qualſiſia ſucceſſo degno di memoria ec.

Videndi ſunt ſupracitati Bartholomæus Curtius in libro de Scriptoribus Medicis Mediolanenſibus pag 192. atque Picinellus in Athenæo pag. 122.

## MXXXVI.

## MANSUETUS.

MAnſuetus Archiepiſcopus Mediolanenſis poſt Sanctum Ampellium iſtam rexit Eccleſiam. Eum (E) è Sabella gente oriundum eſſe plures Scriptores arbitrantur, quos vide, ſi libet, apud Bollandum Tomo III. Februarii pag. 136. Claruit circa annum Chriſti DCLXXX., quo tempore cum Sanctus Agatho Papa in variis Regionibus conventus Epiſcopales cogi juſſiſſet ad comprimendam jam pridem pullulantem Monothelitarum Hæreſim, collegit Manſuetus Mediolani Synodum, quæ cum ejuſdem expoſitione Fidei extat in Tomo X. Conciliorum edit. Reg. Pariſienſ. ante Acta VI. Synodi. Scripſit ex Synodo ſua ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem Epiſtolam, cujus hæc eſt inſcriptio: „ Domino Sereniſ„ ſimo atque Tranquilliſſimo, & à Deo Coronato, „ Religioſiſſimo Conſtantino Imperatori Manſuetus „ Mediolanenſis Metropolitanæ Eccleſiæ indignus Epi„ ſcopus, vel univerſa Sancta Epiſcoporum Fraternitas, quæ in hac magna Regia Urbe convenit, „ æternam in Domino ſalutem. „ Interfuit etiam anno DCLXXX. Synodo Romanæ, cui ſubſcripſit, & ex ea Synodo reverſus Mediolanum paulo poſt peſte, quæ univerſam afflixit Inſubriam, deceſſit, cum Eccleſiæ ſibi commiſſæ annos IX. ſumma cum laude præfuiſſet. Corpus illius in Baſilica Ambroſiana primùm conditum, nunc in Baſilica Sancti Stephani Majoris aſſervatur, & colitur. Meminit ejuſdem Martyrologium Romanum ad diem XIX. Februarii.

Hæc ſunt Manſueti Opera

I. Synodus Mediolani habita contra Monothelitas. Extat ut ſupra.

II. Fidei Expoſitio; legitur ibid.

III. Epiſtola ejuſdem manuſcripta apud Baronium, ſicut teſtantur ejus verba in notis ad Martyrologium die cit. „ Habemus manuſcriptam Epiſtolam erudititiſſimam ejuſ„ dem Manſueti Epiſcopi ad Conſtantinum Imperato„ rem Conſtantinopolitanum dignam tanto Viro, tan„ tæque Sedis Epiſcopo.

Ex Codice Anglicano prodiit cum notis Geverhardi Elmenhorſtii. *Lugduni Batavorum, apud Joannem Patium*, 1618. *in* 4.

Extat etiam inter MSS. Reginæ Suetiæ in Vaticana Cod. num. 235., & in Harduini Concil. Tom. III. pag. 1051. & 1053.

IV. Opera quædam ejuſdem, quæ tamen non indicantur, reperiri MSS. in Ædibus Jacobæis num. 7884. teſtatur Montfauconius Tom. I. pag. 685. Biblioth. MSS.

Agit de eo, ejuſque Epiſtola Puricell. in Diſſert. Naz. cap. 72., & Petrus Paulus Boſca in Martyrol. Mediol. ad diem XIX. Februarii, & in notis ad eundem diem, ubi plures recenſet Scriptores de Manſueto ſcribentes, & inter cætera affert Dyſticon Brautii ſequens:

*Præfuit inter oves Paſtor Manſuetus ut agnus,*
*In cujus fraudis non fuit ore dolus.*

## MXXXVII.

## MANTEGATIA BOSCHINUS.

SUnt qui Mantegatiam Familiam apud Inſubres clariſſimum nomen accepiſſe ferant à Mantegatia Viro celeberrimo, quem ab anno ſal. DCCCCLXV. velut alterum Brutum Mediolanenſis libertatis vindicem commendat hæc Metropolis. Inter eos, qui ita ſentiunt, enumerantur Viri Clariſs. de Litteraria Repub. optimè meriti Corius, Carolus Sigonius, Marinonius, Morigia, atque in ſchedis ſuis amiciſſimus J. C. Sitonus, cujus humanitati debemus Mantegatiarum Geneſim à prefato Mantegatia ad uſque Boſchinum inter illius gentis Viros hujus nominis ſextum, de quo nunc cum laude dicendum. Is Franciſco nobili Viro genitus, ineunte ſæculo XIV. florere cœpit. Militarem profeſſus vitam, & inter auratos equites recenſitus, chariſſimus fuit Actio, ſive Azzoni Vicecomiti Imperiali Vicario, & Mediolani Domino, qui in arduis perſæpè negotiis Boſchini conſiliis uti conſueverat. Illud præcipuè de ipſo traditur, ab Azzone ipſo cum Pagano de Mandello ad Modoëtienſes anno MCCCXXIX. ablegatum fuiſſe, ut de maximi momenti rebus ageret. Magna quoque fuit apud Concives ſuos in exiſtimatione, nam anno MCCCLIV. die XI. Octobris à Generali Mediolanenſi Conſilio ſelectus eſt, ut dominium hujus Urbis Matthæo, Barnabovi, & Galeacio fratribus Vicecomitibus Stephani filiis, & Matthæi cognomento Magni Nepotibus traderet, quod & ipſa die perfecit, prout latiùs pandit prælaudatus J. C. Sitonus in ſuis Anecdotis monumentis Vicecomitum, editis Mediol. in fol. apud Malateſtam anno MDCCXIV. pag. 27. Obiit paulo poſt, ideſt exeunte anno prædicto MCCCLIV. ſepultuſque dicitur in Templo Sanctorum Martyrum Naboris, & Felicis, nunc Sancti Franciſci hujus Urbis, ubi olim in geminis Epitaphiis extabat memoria alterius Boſchini Mantegatiæ Joannoli filii, qui Boſchinus Abbatiam Campimortui anno

anno MCXVI. reſervato Familiæ ſuæ Jurepatronatus condidit. Perierunt ambo inter ejuſdem Templi rudera, ea tamen è collectaneis Jacobi Valerii exſcripta poſteritati ſervavit citatus J. C. Sitonus in Chronico Collegii Juriſperitorum Mediolanenſium art. 282 in hæc verba :

SEP. NOBILIS ET PRAESTANTISSIMI VIRI
DOMINI IOANNIS
FILII QVONDAM BONAE MEMORIAE
DOMINI BOSCHINI DE MANTEGATIIS
MILITIS EGREGII
AC HAEREDVM EIVSDEM MCIV.

SEP. DOMINORVM
NOBILISSIMI VIRI DOMINI IOANNIS
NATI QVONDAM PIAE MEMORIAE
DOMINI BOSCHINI DE MANTEGATIIS
EGREGII MILITIS MCXXIV.

Boſchini autem noſtri extat

I. Oratio in publico Modoëtienſium Conſilio habita, die XXVI. Aprilis anno MCCCXXIX. Eam integram refert Bonincontrus Morigia in Chronico Modoëtienſi: lib. III. cap. XXXIX. in Tomo XII. Rerum Ital. Scriptor. pagg. 1156. & ſequenti.
De eo plura Cl. Sitonus in Schedis.

MXXXVIII.

## MANTEGATIA FRANCISCUS.

Ex veterum Adagio, *Ab ungue Leonem* facilè agnoſcitur, quòd Franciſcus Mantegatia Mediolanenſis inter optimos Poëtas litteratiſſimi ſæculi XV. recenſendus ſit, tametſi ſex Carmina tantùm vulgo *Sonetti* de ipſo proferre nobis concedatur. Patrem habuit Franciſcus iſte Ambroſium Mantegatiam, Matremque Blancam de Stampa, fuitque ei frater Hieronymus, qui Abbas Campi-mortui florebat anno Chriſti MDLV. Plura daremus, ſi oblivio bonarum rerum invida id permiſiſſet.

Sunt igitur ejuſdem

I. Carmina ſex, Italicè *Sonetti*. Extant in lectu digniſſima Collectione ſæpè à nobis memorata, hoc titulo: „ Sonetti degli Accademici Trasformati di Milano. *Milano, per M. Antonio Borgbi*, 1548. *in* 8.
De ipſo mentionem habent Schedæ Mazzuchellianæ, & Sitonianæ..

MXXXIX.

## MANTEGATIA JO. CHRYSOSTOMUS.

Exemplariſſimo Sancti Franciſci Ordini, quem Fratrum Minoris Obſervantiæ vocamus, necnon Patriæ Modoëtienſi non parum luminis affert Joannes Chryſoſtomus Mantegatia, nam in ipſorum Cœtu, litteris, ac pietate tam ſedulò operam dedit, ut poſt munera ſuæ Religionis, ſumma cum omnium exiſtimatione, & plauſu peracta (nam & ſuo Conventui præfuit & Religionis Definitor extitit) ſacro Dei Verbo è ſuggeſtu diſſeminando ita illuxit in variis Italiæ Urbibus, & præcipuè Venetiis, ut innumeri ad eum audiendum ſemper convenerint. Cœnobio ſuo in patria plura addidit ædificia, pluresque Codices optimos in ejuſdem Bibliothecam intulit. De ipſius eruditione teſtes ſunt ſcripta, quæ poſt ſe reliquit, & ſi etiam Conciones tanti Viri extarent adhuc, eadem ſingulari cum voluptate, ut audiebantur, ita nunc etiam legerentur, ſed in adjutorium forſan alicujus translatæ ſunt. Obiit Vir piiſſimus in Conventu Sancti Angeli Mediolani apud Suos anno reparatæ ſalutis MDCCXVIII.

Hæc ſunt, quæ de ipſo vidimus :

I. Gesù Maeſtro dell'anime, Opera Dialogica con erudizioni, a chi cammina nella via dello Spirito. Dedicata alla Serafica Vergine Santa Chiara d'Aſſiſi, ed alle divote Religioſe del Sagro Monaſtero in Milano. MS. in fol. pagg. 300.
II. Collirio Spirituale, Opera per illuminare la mente a chi cammina al Cielo per la via Purgativa, Illuminativa, ed Unitiva. MS. in fol. pagg. 200.
III. Conciones Quadrageſimales, & de Sanctis, ſe vidiſſe MSS. Vol. II. in fol. penes Auctorem mihi aſſerunt nonnulli ipſius Religionis Viri fide digniſſimi, ſed evanuerunt.
Extant antedicta in Bibl. S. Mariæ Gratiarum Modoëtiæ. A Suis.

MXL.

## MANTEGATIA STEPHANUS.

Stephanus Mantegatia Mediolanenſis patria, profeſſione verò Ordinis Prædicatorum, & Conventus S. Euſtorgii alumnus, ſæculo XVII. ineunte jam clarebat pietate, diſciplinaque regulari commendatus. Erga paſſionem Chriſti miro affectu ductus, permiſſione Superiorum accepta, iter Hieroſolymitanum ſuſcepit; cum Sodali ſibi à tirocino conjunctiſſimo, & cum eximiis Ordinis Minorum Religioſis, qui in ſanctis illis locis res ſacras adminiſtraturi pergebant, & nave Venetiis conſcenſa anno MDC. die VII. Septembris eo ſe contulit, exinde jam Mediolanum redierat anno MDCI die XVIII. Maji. Reverſus vero Diarium ſui itineris ſcripſit ac edidit ut infra. Hic furente per Italiam anno MDCXXX. epidemiæ viru & æſtu, cum mira ſanctitatis & innocentiæ fama, magno & Fratrum luctu, peſte ſublatus in cœlum evolavit, cujus adhuc apud ſuos clara charaque viget memoria. Summa cum laude, & ſignanter de ejus ſingulari pietate loquitur Picinellus in Athenæo loco citando.

Illius Operis hic eſt titulus :

I. Relazione del Santo Viaggio di Geruſalemme, e delle coſe occorſe in quello, deſcritta dal R. P. F. Stefano Mantegazza Milaneſe dell'Ordine de' Predicatori, in quel modo ch'egli lo ſcorſe, & caminò gl'anni del Signore MDC., e MDCI. *In Milano, preſſo l'Erede del qu. Pacifico Pontio, e Gio. Battiſta Piccaglia Compagni*, 1601. *in* 4. Hic liber denuò vidit lucem, ſic inſcriptus: Relazione tripartita del viaggio di Geruſalemme, nella quale ſi raccontano gl'avvenimenti dell'Autore, l'origini, e coſe inſigni de' luoghi di paſſaggio viſitati con una ſommaria raccolta delle Indulgenze, e preci ſolite aquiſtarſi, e farſi nella viſita di ciaſcun di loro. *Milano, per gli Eredi di Pacifico Pontio, e Gio. Piccaglia*, 1616. *in* 4. De hoc libro ſic ſcribunt Cl. Quetif & Eccard:
„ Quidam volunt illud idem Opus à Gaſpare Carcano
„ Sacræ Theologiæ Magiſtro recognitum, & emenda-
„ tum, iteratis typis ibidem prodiiſſe anno 1660. in 4.
„ Quod mihi difficile probatur. Cùm enim iſte Carca-
„ nus ejuſdem Euſtorgianæ Domus Sodalis, unus ex
„ Cenſoribus primæ editionis fuerit, cui & nomen ſuum
„ inſcripſit primâ Novembris 1615., non videtur ad
„ annum 1660. vitam produxiſſe; unde vel error eſt in
„ anno notato hujus alterius editionis, vel ejus editor
„ alter eſt à Gaſpare Carcano, qui primam approbavit.
Primam vero editionem ignorarunt ſupradicti Quetif & Eccard, quorum verba ſunt etiam quæ ſequuntur:



Digitized by Google

„ Huic Stephano Scriptori inſcribit Alva Sol. Verit. A
„ Rad. 316., col. 2008., quaſi non fideliter retulerit p.
„ 641. titulum Orationis, quæ dicitur in Domo S. An-
„ næ . Verùm intima , quæ ſemper illi fuit cum pri-
„ moribus Ord. Minorum , præſertim locorum Terræ
„ Sanctæ cuſtodibus familiaritas, non ſinit, ut aliter
„ ab eo relatus putetur, quàm in libellis tum Hieroſo-
„ lymis uſitatis haberetur. Revera in libello, cui titu-
„ lus, Peregrinatio totius Terræ Sanctæ, in incunabu-
„ lis typographiæ edito in 16., quem Pariſ. in Regia
„ O. 1551. vidi ac legi, ac quem à Franciſcano editum
„ conjectu proclive , non aliter titulus ille legitur ,
„ quàm apud noſtrum Stephanum ſic: Item Domus
„ Joachim & Annæ, quæ nunc eſt Eccleſia B. Annæ ,
„ in qua B. V. Maria fuit nata . Nec eſt quid amplius .
Ita ſupradicti Quetif & Eccard. in T. II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum pag. 468. Videndi quoque ſunt Borſerius in Suppl. cap. XII. & Picinellus in Athenæo pag. 498. B

## MXLI.

## MAPELLUS JOANNES.

Etſi Donatus Calvi in Scena Litteraria Eruditorum Bergomenſium Wadingum arguere conetur, quia Joannem Mapellum ex Ordine FF. Minorum , qui Obſervantes dicuntur, Mediolanenſem eſſe aſſerit, nulla, ut ipſe ſcribit, aſſignata ratione, ideoque inter Bergomenſes locum ei proferat , attamen pace tanti Viri in Quadrageſimali Bartholomæi de Piſis , quod Mapellus noſter imprimi curavit anno MCDXCVIII. C
ipſe Mediolanenſem ſe eſſe profitetur, & ſignanter in Epiſtola nuncupatoria Juliano Miglenſi , eidem Quadrageſimali præfixa . Tuſſinianenſis quoque Scriptor Hiſtoriæ Seraphicæ Religionis loco à nobis mox proferendo idem affirmat . Damus ergo Joannem Mapellum jure merito circa finem ſæculi XV. florentem in hac noſtra Bibliotheca ob Opera infra deſcribenda , etſi à Suis nihil de ipſo nobis ſubminiſtratum ſit .

Scripſit igitur :

I. Quæſtiones Quodlibetales.
II. Tabulam, ſeu Indicem ad Conformitates Bartholomæi Piſani ( liber rarus).
III. Dominicale Benedicti Sangalli correxit & edidit. Ex Donato Calvi. D
IV. Quadrageſimale Bartholomæi de Piſis correxit , & edidit anno 1498.
Sic Vaddingus in Cathalogo Scriptorum Ordinis Minorum littera I. pag. 214. , & Calvi in Scena Litteraria Eruditorum Bergomenſium parte prima pag. 316. Tuſſinianenſis lib. III. Hiſt. Seraphicæ Relig. pag. 327.

## MXLII.

## MARASCA CAROLUS CÆSAR.

Mediolani ex nobilibus progenitoribus ortus eſt Carolus Cæſar Maraſca , qui Ordini Eremitarum D. Auguſtini in Sancti Marci Cœnobio præfatæ E
Urbis adſcribi voluit; ſcholaſticiſque laboribus, juxta Inſtituti ſui præſcriptum , exantlatis , magiſterii laureâ deinde ornatus fuit . Virum pium æque ac doctum præfectura tum memorati Cœnobii Marciani , & Papienſis D. Auguſtini , tum Auguſtinianæ in Inſubria Provinciæ cohoneſtavit ; nam Mediolani novum Sacrarium Templi D. Marci à fundamentis excitavit , Papiæ verò chorum , bellorum injuriâ collabentem , ſuâ induſtriâ ſuſtinuit . Cæterum ſuæ ipſius ac proximorum æternæ ſaluti vacare præcipuum erat Caroli Cæſaris opus , à quo tunc ſolummodo ceſſavit , quando mortalis vitæ curſu abſoluto ad ſuperos evolavit , ſcilicet anno MDCLXII. die XV. Novembris. De eo meminit honorificè Philippus Vicecomes in ſuo laudato Opere de Conventu Sancti Marci.

Lucubrationum ſuarum, quæ extant typis editæ, hi ſunt tituli :

I. Oratio in laudem D. Catharinæ V. & M. *Patavii*, *apud Joannem Baptiſtam de Martinis*, 1620. *in* 4.
II. Pregi della Sag. Cintura del gran Patriarca S. Agoſtino, e S. Monica, con breve raccolta delle grazie ed Indulgenze conceſſe da varj Sommi Pontefici alla Compagnia de' Cinturati , confermate da Gregorio XV. per opera del M. R. P. F. Carlo Ceſare Maraſca Agoſtiniano, Baccilliere in Sagra Teologia. All' Illuſtriſſimo Sig. Senatore Pietro Petracina. *Milano*, *per Gio. Battiſta Malateſta* , 1633. , qui liber iterum excuſus fuit anno 1660. *in* 12.
Hunc debeo amiciſſimo , & doctiſſimo P. Nicolao alibi laudato.

## MXLIII.

## MARASCA NICOLAUS.

Nicolaum Maraſca præfati Caroli Cæſaris Maraſca germanum fratrem natu minorem, ac ejuſdem D. Marci Cœnobii alumnum , Magiſtralique laureâ inſignitum, apud ſuos Auguſtinenſes Coëremitas non vulgariter commendatum didicimus à probitate morum, atque à zelo quô fervebat in animarum ſalute tum concionibus , tum confeſſionibus excipiendis procuranda : ideoque à prælaturæ honoribus alienum , ſibi ſoli aut proximorum utilitati vixiſſe ; ac demum , depoſitâ ſui corporis ſarcinâ , religiosè obiiſſe anno Domini MDCLXXXVIII. die XXVII. Octobris. In Bibliotheca Marciana extant ab eodem Nicolao exaratæ

I. Conciones variæ Italicæ & Latinæ . Vol. II. MSS. in 4.
Et hunc ſubminiſtravit ſupramemoratus P. Nicolaus ejuſdem Ord.

## MXLIV.

## MARCALDUS FRANCISCUS.

Vix dici poteſt, quantùm eruditionis hiſtoricæ effulgeat in his, quæ infra memoranda ſunt, lucubrationibus Franciſci Marcaldi Mediolanenſis , in quibus exterarum Regionum Vires tam terreſtres, quàm maritimas , & recondita Principum ſæculi XVI. viventium arcana , miro ordine digeſta poſteritati ſervare ſtuduit Vir iſte diligentiſſimus. Cum autem hæc ab otioſis hominibus neutiquam ſciri poſſint , conjicimus Marcaldum noſtrum non deſſidem in patria vitam traduxiſſe , ſed Anglicas, atque Hiſpanas oras peregrinatum , exoticas merces ejus , quo de agit , argumenti ſecum retuliſſe , undè poſtmodum Opera ſua conflaverit . In his patenter ſe Mediolanenſem vocat, quod unum de ipſo ad poſterorum memoriam deductum eſt . Cætera illius acta nemo , quod ſciamus, indicat .

Lucubrationibus ejus hic titulus impoſitus eſt:

I. Diſcorſo, nel quale deſcrive lo ſtato di Maria Regina di Scozia , e del Principe ſuo figlio nell' anno MDLXXXII. dalla naſcita della ſteſſa , che fu l'anno MDXLII. fino alla Coronazione di detto Principe. Dedicato al Sig. Tommaſo Sauli , e dato in Milano I. Maggio MDLXXXII. MS. in 4. ſign. num. 102. apud

apud Monachos S. Ambroſii Mediol. Extat quoque in Bibliotheca Ambroſiana in Cod. MS. in fol. ſign. E. num. 4., nec non apud J. C. Coll. Joſephum Landrianum, cum Epiſtola Nuncupatoria ad J. C. Franciſcum Landrianum in 4.

II. Diſcorſo delle coſe di Spagna, de' Regni, e Stati di S. M. Catt., e Paeſi in diverſi luoghi; e dell' entrate, e ſpeſe ſue, oltre à ciò della Milizia di Mare, e di Terra, col numero delle Galere, che in alcuni luoghi ſi trovano, ed altre coſe ec. Al Sig. Giulio Sauli, dat. in Milano MDXC. Extat in ſupradicto Codice Monachor. S. Ambroſii hujus Urbis.

## M X L V.

## MARCELLINUS ABLATICUS.

NOn pauci ex Marcellina Gente Conſulatus honorem in Mediolanenſi Republica promeruerunt. Ex his memoriam ſequentium nobis ſervat in Collectaneis ſuis Conſularibus JC. Sitonus, Petrocii videlicet anno MCLXVIII. Rogerii annis MCLXXI. & MCLXXXIII. Prevedi, ſive Presbyteri anno MCLXXIII Bennonis anno MCXCVII. Drudi annis MCXCVII. & MCCI. Ardici anno MCCXIII., & Petroci alterius anno MCCLXXVII. hujus Metropolis Conſulum, quorum omnium nomina ad Gentis, & Patriæ gloriam repetere placuit. Eorum verò Anteſignanus quodammodo habendus eſt Ablaticus ad Conſulatum evectus anno MCLXVIII. iterumque in ipſa Urbis inſtauratione anno MCLXX. quo ad bene conſtituendam, gerendamque Rempublicam

I. Multa cum Collegis ſuis Statuta condidit.
De eo præter citatum Sitonum in Schedis & Collectaneis, agunt Gualvaneus dela Flamma lib. XIII. capp. 594. & ſeq., atque in laborioſiſſima Collectione ſua MS. Monument. Famil. Mediol. Comes Octavius Archintus.

## M X L V I.

## MARCELLINUS PREVEDA, ſive PRESBYTER.

DE Preveda, ſive, ut alii malunt, Presbytero Marcellino quædam ſupra in Ablatico ejuſdem Cognominis Viro jam delibavimus, ubi etiam nonnulla ad Familiæ commendationem congeſſimus. Ipſe Conſulatu Mediolanenſis Reipublicæ functus eſt anno MCLXXIII. dum Urbis mœnia amplificarentur, qua in re ad Patriæ utilitatem, & decus, non parum laboris impendiſſe fertur. Excitaverat enim Fridericus Œnobarbus Comitatus aliquos in Inſubria, ut Mediolanenſibus novos cumularet hoſtes. Ut autem hujuſcemodi adverſariorum vires eluderent illius anni Conſules, delectos ex univerſo Ephæborum numero Juvenes militiæ nomen dare ſanxerunt, qui ad propellendos hoſtiles impetus præſto forent, & Comites ab Auguſto creatos funditùs extirpare ſatagerent. Jus etiam Municipale renaſcenti Urbi datum eſt, ut ſæpius jam narravimus, dum Prevedæ noſtri Collegas commendaremus ſparſim in hoc Opere, prout Elementarius exigit ordo.

Ipſius ergo quoque nomen poſteritas colet, propter

I. Statuta permulta ad Rempub. Mediolanenſem rite formandam eo anno condita, &c.
II. Leges ad novum Militiæ genus recens conſtitutum pertinentes.
De Preveda agunt Sitonus in Schedis, & in Collect. Monument. Famil. Mediol. Comes Octavius Archintus.

## M X L V I I.

## MARCHESONIUS CAROLUS MATTHÆUS.

VIris Illuſtribus Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium addere mihi datum eſt Carolum Matthæum Marcheſonium ob erudita ejus Scripta, quæ in Bibliotheca Suorum Sanctæ Mariæ Paſſionis hujus Urbis egomet vidi. Poſt curſus Philoſophicos in Patria exantlatos Auctor noſter in pluribus ſui Ordinis Cœnobiis ſummo cum plauſu eandem facultatem edocuit uſque dum immatura morte raptus fuit Florentiæ in Æde Sanctæ Mariæ ad Nives anno MDCC.

Poſt ſe hæc reliquit lectu digniſſima.

I. De Felicitate humana ad Philoſophiam Moralem Ariſtotelis.
II. De Meteoris ad Philoſophiam Naturalem Ariſtotelis lib. IV.
III. De Communibus operationibus animalium ad parva naturalia. Vol. III. MSS. in 4. juſtæ molis, ſcripta annis MDCLIV. & MDCLV. Extant in Bibliotheca S. Mariæ Paſſionis, ut diximus.
A Suis.

## M X L V I I I.

## MARCHESONIUS JO. PETRUS.

SAtis eſt in laudem Joannis Petri Marcheſonii proferre, quod per annos viginti quinque litteras Græcas ac Latinas publicè profeſſus ſit, jubente Excellentiſſimo Senatu Mediolanenſi, cujus etiam fuit à Secretis, in Scholis Palatinis, tempore, quo in eodem munere Collegas habebat Celeberrimum Franciſcum Cicerejum, de quo jam diximus, Eruditiſſimum Damianum Arigonum, alioſque primi ſubſellii Viros. Claruit Marcheſonius noſter non tam ingenii præſtantiâ, quàm ſpectata morum probitate, Annibali Crucejo, Octaviano Ferrario, Galeatio Brugoræ, Bartholomæo Capræ, ceteriſque omnibus, qui eadem ætate magnum nomen in Litterarum Republica gerebant, & ſuo loco à nobis jam fuere laudati. Verùm exacto vix ætatis ſuæ anno ſexageſimo, cùm diuturnam adhuc vitam integræ vires pollicerentur, improviſa morte correptus eſt anno redempti Orbis MDXCIV. Maximo omnibus dolori fuit hujuſmodi obitus Marcheſonii; meruitque in Funere laudari ab Auguſtino Bonacina luculenta Oratione, ut in eodem Bonacina jam monuimus. Quantâ autem eloquentiâ polleret, teſtes ſunt Orationes ipſius, atque Epiſtolæ optimo ſermone Latino ſcriptæ, quarum aliquam debemus humanitati P. Magiſtri Georgi, qui eas ex MSS. Bibliothecæ S. Ambroſii expiſcavit. Orationem de laudibus Senatus Picinellus tantùm indicavit, utpote editam anno MDLXXXIV. In ea verò à Mediolanenſibus acriter contendit Marcheſonius, ut rerum Patriæ ſcribendarum cura alicui imponunt, his verbis: „ Equidem libenter, ſi poſſem, adhiberem faces orationis, ad excitandos, atque inflammandos animos veſtros, ut cogitationem nobilitate veſtra digniſſimam de texenda hiſtoria ſuſciperetis, in qua agitur nominis veſtri gloria, in ſempiternas ſæculorum ætates propaganda &c. „ Utinam vota ipſius adimpleta fuiſſent, aut adimpleviſſent Cives, quos alloquebatur!

Damus

Digitized by Google

Damus de ipſo quæ ſequuntur, nempe

I. De laudibus Senatus Mediolanenſis Oratio. *Mediolani, apud Michaëlem Tinum*, 1584. *in* 4.

II. Oratio, in qua agitur, quomodo proviſum ſit, ne Civitas in ſumma rei frumentariæ caritate fame periret; & in fine eſt Apoſtrophe ad Deum, cui Mediolanenſem Populum commendat. In Exordio agit de munere ſuo, & quid præſtiterit, & pauca tangit de Peſte, quæ anno ſuperiore fuerat. Extat MS. in Codice ſign. num. 60. in fol. in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii Mediolani.

III. Epiſtola ad Paulum Manutium in laudem ejuſdem. Ibidem.

IV. Alia emendata ab ipſo Auctore, ad Joannem Jacobum Reſtam amicum. Ibidem.

V. Alia ad Octavianum Maggium Oratorem Reipub. Venetæ, in qua de pluribus Viris doctis Mediolanenſibus illius ævi agit, manu Auctoris ſcripta, digna quæ legatur. Ibid.

Tres quoque ad illum extant Epiſtolæ Sigiſmundi Foliani, in prima, quæ eſt I. lib. III. Eloquentiæ Cathedram ei à Senatu conceſſam gratulatur; altera eſt XXVII. ejuſdem libri; poſtrema verò XVI. lib. V. in qua Quæſtiones quaſdam de memoria proponit ex Ariſtotele, atque Platone.

Extant etiam ad eum litteræ Franciſci Cicereji, ut diximus in eodem, in MS. Biblioth. Marchionum Vicecomitum.

In laudes Marcheſonii ſeſe effudere Franciſcus Civellius lib. VI. Carm. Picinellus in Athenæo pag. 322. aliique plures.

## M I L.

## MARCONUS MICHAEL FRANCISCUS.

CUm Sæculo valedicere inſtituit Marconus noſter, nomen Michaëlis Franciſci, quod ipſi Joannes Pater ejus tribuerat ad ſacrum Fontem, reliquit, & Religionem Carmelitarum Mantuanæ Congregationis ingreſſus eſt die XXVIII. Januarii anno MDCLXXIV. voluitque nuncupari Joſeph Maria. In omnibus ſcientiis Divinis atque Humanis pereruditus, Regentis munus Bononiæ, Parmæ, atque alibi ſingulari prudentia geſſit. Obiit ſenex in magiſterio ſuæ Religionis, atque in patrio Mediolanenſi Conventu, anno Chriſti MDCCXXXII.

Damus de ipſo:

I. In univerſam Philoſophiam, atque Theologiam Scholaſticam, & Moralem perpetua Commentaria Tom. VI MSS. in 4. Extant in Bibliotheca ſuorum S. Joannis ad Concham, uti egomet inſpexi.
A ſuis.

## à S. MARIA CYRILLUS.
## V. CRIPPA STAURENGUS.

## à S. MARIA JOACHIMUS.
## V. GARBICELLUS FRANCISCUS.

## M L.

## MARINONUS DIAMANS.

EX Franciſco Matthæi nuncupati Pagani de Marinonis filio, atque Zanetta Balſama jugalibus natus eſt Diamans, de quo nunc ſcribimus. Ad Jura ediſcenda totum ſe dedit, itaut numero J. PP. Nobilium Mediolanenſium adſcribi meruerit in eorundem Collegio anno Redemptionis noſtræ MDXXXIV. Dein Eques Auratus, Cæſareuſque Advocatus Fiſcalis efficitur, poſtea verò Cathedram Senatoriam aſcendit. Vir fuit Græcâ, Latinâque eloquentiâ præſtantiſſimus. Non rectè verò de eodem ſcripſit Horatius Landus in libro V. de Senatu Mediolanenſi pag. 163. ut advertit Clariſs. Sitonus, loco infra citando, his verbis: „ Diamantem noſtrum ejus fluctuantis Sæculi tempeſtates in tutiſſimum Cucullatorum portum commutaſſe aſſeruit (Landus). „ Quandoquidem ex Inſtrumento tutelæ VII. ejus filiorum ſuſceptæ per Magnif. D. Violantam Caſatam ejuſdem uxorem relictam, & reſpectivè matrem dictorum minorum recepto anno MDXLVIII. „ die XV. Martii per Joannem Angelum de Pirovano Mediol. Notar. ac per nos accuratè viſo conſtat &c. „ Ideoque ipſe Sitonus aſſerit, Marinonum noſtrum obiiſſe uxoratum, die Dominico, XXVIII. menſis Januarii, anni MDXLVIII. Memoria illius nunquam eſt peritura ob librum, quem ſcripſit ſequenti titulo,



Videlicet

I. De Origine Urbis Mediolani, & antiquitate Nobilium ejus Familiarum. Opus ſervat MS. Bibliotheca Ambroſiana Cod. ſignat. H. num. 181. in fol. Comes Conſtantius de Abdua, alliique plures, inter quos ſupradictus amiciſſimus Sitonus, qui ſuas adjecit adnotationes magni faciendas. Extat quoque in Regia Bibliotheca Pariſienſi Cod. MS. num. 1017. teſte Montfauconio.

Loquuntur de ipſo Moriggia in Hiſtoria Mediolanenſi lib. I. cap. 59. Creſcentius in II. parte MS. Amphitheatri Romani, ſupramemoratus Sitonus in Theatro Nobil. pag. 103. art. 431., & Picinellus in Athenæo pag. 161.

## M L I.

## MARLETINUS JOANNES.

JOannis Marletini Mediolanenſis parentes, ætatem, geſta, nemo à me requirat; ea enim omnia vetuſtas abſumpſit, diligentiamque noſtram fefellit. Unico illum Opere novimus, quod cum MS. ſit, nobiſque illud pervolutare datum non fuerit, ſcire non licuit, an ſolutâ vel potius, ut arbitramur, metricâ Oratione conſcriptum extiterit. Mirum tamen nulli ſit ſilentium noſtrum, de hac enim familia nehilum quidem reperi in Collectionibus à me ſæpiſſimè citatis, Archinteâ, Fannianâ, Sitonianâ, aliiſque hujuſcemodi.

MS. autem ejus Codex ſic eſt inſcriptus:

I. Joannis Marletini Mediolanenſis de Creatione. MS. in Biblioth. Patavina S. Joannis in Viridario.
Ex Tomaſino in Biblioth. Patav. pag. 39. & Fabricio Biblioth. mediæ ævi Tomo IV. pag. 249.

## M L I I.

## MARLIANUS ALBERTUS.

CUm gradus mihi nunc faciendus ſit ad Marlianæ Gentis Eruditos, Lectorem monendum ſatius duxi, hujuſce generis Viros promiſcuè dictos fuiſſe Marlianos, Marianos, & de Marliano. Cenſui igitur omnes Marlianos potius dicere, ut popularem communemque nuncupationem ſequerer. Nobilitatem porrò ejus Familiæ ſatis oſtendunt plures Conſulares Viri, qui Rempublicam Mediolanenſem rexerunt, iis præſertim temporibus, quibus funditus everſa Urbs reviviſcere cœpit exeunte fermè Sæculo XII. Floruit enim anno MCLXX. Ugo Marlianus, de quo loco



Digitized by Google

ſuo dicendum ; anno verò MCLXXVI. Branca , & anno MCLXXVII. Petrus Juſtitiæ Conſules , quorum Placita vidimus eo anno data, tam apud amiciſſimum JC. Sitonum , quàm apud eruditum Nicolaum Sormanum Ambroſiani Collegii Doctorem . Memoratur etiam Otho Lucius eodem Magiſtratu clarus anno MCCXII. quemadmodum & Durantes , qui anno MCCXVII. Conſul & ipſe Juſtitiæ protulit Sententiam adjudicationis Sediminis pro Eccleſia Modoëtiæ, quæ adhuc extat in ejuſdem Baſilicæ Archivo . Hos omnes prudentiæ laude æquavit Albertus nunc laudandus , qui tantum famæ apud Concives ſuos eſt conſecutus , ut cum anno MCCXVI Conſuetudines hujus Urbis in unum collectæ Codicem edendæ eſſent , inter Sapientiſſimos eos Viros eligi meruerit , quibus publico Decurionum Decreto hoc munus demandatum eſt .

Ipſius ergo habemus

I. Conſuetudines , quæ pro legibus ſervandæ ſunt Mediolani, in unum Corpus redactæ, reviſæ, & auctæ.
De eo Comes Octavius Archintus in Collect. ſæpiſſimè citata .

## MLIII.

## MARLIANUS ALOYSIUS.

CAuſam ignoro , cur Clariſs. Mangetus , cui præ oculis fuit liber centies laudati Bartholomæi Curtii de Scriptoribus Medicis Mediolanenſibus , quemque pluribus in locis ad litteram tranſcripſit in ſua Bibliotheca Scriptorum Medicorum , Aloyſium Marlianum , minimè in eadem inſeruerit , niſi forſan quia Opera illius ad rem Medicam non pertineant . Dignus profectò , qui recenſeretur , erat ob ea , quæ nunc de tanto Viro proferimus , nam ex Daniele Marliano , Ducalis Cameræ Rationatore , atque Margarita Cruceja conjugibus ortus eſt Aloyſius noſter poſt medietatem Sæculi XV. , & anno Redempti Orbis MCCCCLXXXIV. in Collegio Phyſicorum Mediolanenſium cooptatus , Orator excellentiſſimus evaſit , necnon Archiater duorum Cæſarum Maximiliani nempe , atque Caroli V. In eodem munere extitit quoque penès Ludovicum , necnon Maximilianum Sfortiadas Mediolani Duces , quorum erat etiam à Conſiliis . Ex Epiſtolis infra citandis Hieronymi Moroni Aloyſio noſtro inſcriptis , ipſum quoque fuiſſe Mediolani Senatorem apparet , quamquam Landus nullum verbum faciat de illo . Ipſum etiam ſupradicti Caroli V. Imperat. fuiſſe à Secretis teſtem habeo Picinellum . Sed cum iſte poſtea Aloyſium noſtrum fecerit Epiſcopum Tudertinum , cum revera fuerit Tudenſis in Regno Galitiæ electus anno MDXVI. neſcio quantum illis fidendum ſit . Quod certum eſt inter Theologos quoque magni nominis recenſetur à pluribus Aloyſius noſter , ideoque cedit admirationi locus , ſi à ſupradictis Principibus tot honoribus decoratus extiterit, immo à Summo doctiſſimoque Pontifice Leone X. inter Cardinales jam numerabatur , niſi mors ipſum ſuſtuliſſet in Comitiis Imperialibus Vormatiæ anno Chriſti MDXXI. Memoratur in Eulogio Joannis Franciſci Marliani parum infra memorandi , ad quod Lectorem noſtrum remittimus . Juvat interim hic addere , quod etiam adnotavit laudatus Curtius de Scriptore noſtro, videlicet ipſum fuiſſe Auctorem Inſignii , vulgò *Impreſa* , Caroli V. Imperatoris , in quo cernuntur Herculis Columnæ , cum Lemmate *Plus Ultra* . Id ſcripſit Paulus Jovius in libro , cui titulus : „ Dialogo delle Impreſe „ . *Venezia* , *per il Giolito* , 1557. *in* 8. *pag.* 14. Verba hæc ſunt unius ex Interlocutoribus : „ Non ve ne maravigliate , „ perchè l' Inventore di eſſa fu un molto eccellente uomo , chiamato Maſtro Luigi Marliano Milaneſe , che fu Medico di Sua Maeſtà , e morì Veſcovo di Tuy , ed oltre l'altre virtù , fu gran Mattematico : e queſte ſimili Impreſe non eſcono dalla mente di uomini dozzinali , ma d'argutiſſimi Maeſtri . „

Hæc de tanto Viro proferimus partim ab aliis nunquam viſa .

I. Oratio Parœnetica in Lutherum : *Viennæ Auſtriæ* , *ſine anno*, *& Typographo*, *in* 4.

II. Oratio de Ordine Velleris Aurei habita anno MDXVII. extat in Freheri Hiſt. Germ. Tom. III. pag. 126.

III. Sylva fortunæ Aloyſii Marliani Mediolanenſis . *Brixiæ* , *apud Anſelmum Britannicum* , 1503. *die* 8. *Maji* , *in* 4. Poſt titulum ſequitur Epiſtola Petri Martyris de Angleria Reverendo , & inſigni Canonum Doctori Domino Valentio Soncino Humiliatorum Sacro Ordini Vicario Generali . Deinde Epiſtola ejuſdem Valentii eximio Viro Philoſopho , ac Medico præſtanti Domino Aloyſio Marliano ; poſtea Opuſculum de Fortuna .

IV. Aloyſii Marliani Epiſtola de calamitoſa Philippi Hiſpaniæ Regis in Hiſpaniam Navigatione . *Argentorati* , 1514. ( non 1554 ut malè in Curtio ) *in* 4. in qua deſcribit , quam ſit periculoſa per Hiſpaniam Navigatio . Extat quoque in Batavia Illuſtrata Petri Schriverii *Lugduni Batavorum* , *apud Elzevirium* , 1609. *in* 8. *pag.* 121. Ibi legitur : Aloyſius Marlianus D. Hieronymo Buſtiniano Arrienſi Præpoſito ſalutem . In fine autem iſtius Epiſtolæ aſſerit Auctor ſe ſcripſiſſe quamdam Hiſtoriam, ipſamque ſuſpicatur Clariſs. Curtius ineditam extitiſſe ex ſequentibus verbis , quæ in eadem Epiſtola leguntur : „ Petis à me , ut tibi Hiſtoriæ meæ copiam „ faciam . Mihi autem tantum otii numquam fuit , ut „ poſſem hiſtoriam conari . Dices inquam &c. cur non „ edis ? non eadem eſt ratio ſcribendi , & edendi . Scri„ bere quocumque tempore poſſumus , edere autem niſi „ opportunè &c. Victus tamen tuo judicio brevi ad te „ ſtudiorum meorum deguſtationem mittam &c.

V. Aloyſii Marliani Auguſtiſſimi Auſtriæ Archiducis Primarii Phyſici Epiſtola ad Symphorianum Champerium &c. data eſt Gandavi die XVII. Octobris anno MDXIII. extat in libro Hieronymi Papienſis , cui titulus : „ Duellum Epiſtolare cum Symphoriano Cham„ perio .

VI. Aloyſii Marliani Epiſtola de Bataviæ laudibus . *Lugduni Batav.* 1511. *in* 8. *ibid.* 1586. *in* 8.

VII. Epiſtolæ III. Latinæ ad Petrum Martyrem de Angleria affinem ſuum ab anno MDXVI. ad MDXXI. In una anni MDXX. dat rationes , quare debeat Rex ( ideſt Carolus V. Imperator deſignatus ) excuſari , & liberari à querelis pro ſumptibus ex ærario Hiſpano factis . Cum enim juridicè agerent Hiſpani cum Carolo Rege coram Mediolanenſi Senatu ; Aloyſius tum Magnus Cancellarius pro Rege ipſo ſtabat . Extant inter Epiſtolas Petri Martyris de Angleria , de quibus jam ſuo loco dictum .

In eodem Volumine extant Epiſtolæ Latinæ num. L. Petri Martyris ſupradicti ad Marlianum eundem , quem appellat Philoſophum, Vatemque egregium , datæ ſunt ab anno MDVIII. ad MDXXI.

Inter Opuſcula Hieronymi Moroni MS. apud March. de Sylva extant Epiſtolæ ad Aloyſium Marlianum Phyſicum Cæſaris , & Senatorem Tom. II. pag. 95. 100. 129 & 130.

In libro IX. Sylvarum Lancini Curtii editionis Mediolanenſis anno 1521. extat prima Ode ad Manfredum Medicem , & Luiſium Marianum Mediolanenſes pag. 168. atque in libro III. Epigrammaton ejuſdem Lancini Curtii extant Carmina ad eundem Marianum pag. 51. in libro V. pag. 78., in libro VI. pag. 91., atque in libro VIII. pag. 120.

Julius Æmilius Ferrarius Novarienſis in Epiſtola ad Ambroſium Variſium ſuo Auſonio præfixa , gloriatur ſe conjunctum cum Aloyſio Marliano Phyſico ætate noſtra ( MCCCCXC. ) celeberrimo , qui Hyppocratis juſjurandum, inquit, exactiſſimè mecum obſervavit inviolatum .

Memoratur à ſupradicto Bartholomæo Curtio pag. 42. ab Auberto Miræo in Sæculo XVI. de Scriptoribus Eccleſiaſticis , ab Antonio Poſſevino in Apparatu Sacro , à Laſor à Varea , à Draudio in Bibliotheca Claſſica pag. 1033. , à Clariſs. Sitono pag. 64. art. 273. & à Picinello in Athenæo pag. 405.

MLIV.

Digitized by Google

## M L I V.

## MARLIANUS BARTHOLOMÆUS.

MAgnum ſibi nomen adeptus eſt Bartholomæus Marlianus, qui promiſcuè ſe ipſum dicit etiam Joannem Bartholomæum in operibus infra recenſendis. Patrem habuit Gabrielem, Patruumque Michaëlem J. C. Coll. Mediolanenſem ac Senatorem, claruitque circa annum vigeſimum ſæculi XVI. uſque ad medietatem ipſius, & laus maxima ei debetur jure merito pro antiquitatibus Romanis forſan primùm ab eo typis evulgatis, & centies poſtea recuſis, ut ſuo loco indicabimus. Scripſit de eo Joannes Matthæus Toſcanus in Peplo Italiæ pag. 483. ſequentes verſus:

*Hic Romæ docet omnium locorum*
*Olim quis fuerit ſitus, noviſque*
*Jungit nomina priſca: quiſquis ergo*
*Urbem nunc oculo ſtupente luſtrat*
*Novam, præſidio ille Marliani*
*Urbem mente poteſt videre priſcam.*
*Sic quamquam periit vetuſta Roma, &*
*Rurſum Roma poteſt nova interire:*
*At nullum interitum tamen timebit*
*Scriptis utraque Roma Marliani.*

Hinc proſequitur: „ Quamquam multi veteris Romæ ruinas ſuis ſcriptis redintegrare conati ſunt: „ illius tamen rudera adhuc irrediviva jacerent, „ niſi Marlianus Mediolanenſis Patritius, concivis meus, operi manum admoviſſet, qui veteris Urbis Topographiam omnium feliciſſimè ſeptem libris complexus eſt „. Nos vero Opera illius perattente variis in Bibliothecis inſpeximus, atque hìc damus.

Scilicet

I. Urbis Romæ Topographia ab ipſo Auctore nonnullis erroribus ſublatis emendata, addita etiam Interpretatione Nominum, quæ unica littera, vel ſyllaba in Antiquis Titulis ſcripta inveniuntur, cui etiam ab eodem adjectæ ſunt quàm breviſſimæ obſervationes de Prænomine, Nomine, & Cognomine, de quibus etſi multi multa ſcripſere, nemo tamen hactenus rei veritatem attigiſſe videtur.
II. De Legionibus Romanorum, eorumque ſtationibus.
III. Budei ratio de Aſſe, & partibus ejus, quod ſit falſa.
IV. Eraſmi Adagiorum quod magna pars pharrago nugarum ſit.
V. De Foro Romano contra novam & ſtultam opinionem cujuſdam Strepſiadis.
VI. Argumentum nebularum Ariſtophanis admodum ridiculum.
Omnia libris quinque comprehenſa. *Romæ, in Ædibus Valerii Dorici, & Aloyſii fratris, Academiæ Impreſſorum, menſe Septembris*, 1549. *in fol.* Adeſt Epiſtola nuncupatoria ſic: „ Reverendo & Illuſtri Catelano Trivultio Epiſcopo & Comiti Placentino Bartholomæus Marlianus Miles Sancti „ Petri S. P. D. &c.
VII. Annales Conſulum, Dictatorum, Cenſorumque Romanorum à Condita Urbe, uſque ad Ti. Cæſ., Auctore Bartholomæo Marliano.
VIII. In eoſdem & Triumphos, Commentarius. *Romæ ex Officina Antonii Baldi*, 1560. *in fol.* ad Pium IV. Pontif. Max.
In primo Opere legitur Epigramma hoc Hippolyti Auriſpæ Patricii Maceratenſis ad Marlianum antiquæ Urbis inſtauratorem:

*Tam bene cùm Romam deſcripſeris ipſe vetuſtam,*
*Ante oculos ut qui legerit eſſe putet.*
*Alter Romanæ cùm ſis tu conditor Urbis,*
*In te Strepſiadis qui tuus iſte poteſt!*
*Te paſſim laudant omnes Equiteſque Patreſque,*
*More ſuo de te garriat ille licet;*
*Adde aliud, perflant quod ſumma cacumina venti,*
*Nec tangit parvas fulminis ira domos.*
*Et fuit antiquum qui rodere vellet Homerum,*
*Læderet & morſu qui Cicerona ſuo.*
*Excedas & tu cum noſtri temporis omnes,*
*Te tamen invidiâ poſſe carere putas?*
*Lætus & uſque licet, finge hoc neſcire tacendo:*
*Sic perdet vires impia lingua ſuas.*
*Si non ferre potes tam longa ſilentia, dicas*
*Hoc unum, libros edat ut ille ſuos;*
*Tunc hic Strepſiadis, cui tanta potentia linguæ eſt,*
*Strepſiadas multos forſitan inveniet.*

IX. Conſulum, Dictatorum, Cenſorumque Romanorum ſeries, una cum ipſorum Triumphis, quæ marmoribus ſculpta in foro reperta eſt, atque in Capitolium tranſlata. *Romæ*, 1549. *in* 8.
Opus verò, quod ſub numero I. dedimus, ſcilicet Urbis Romæ Topographia, in lucem venit primùm, quod ſciamus, *Lugduni, apud Gryphium*, 1534. *in* 8. deinde *Romæ*, 1544. *in fol. Baſil.* 1550. *in fol ibidem* 1558. *in* 8. *Francof. ad Mœnum*, 1588. *ibidem*, 1628. *in fol. Pariſiis*, 1573. *in fol.* & inter ſeptemdecim Auctores variarum Antiquitatum editos *Lugd.* 1552. & cum Pomponio Læto, de Antiquitatibus Romæ, & P. Victore, de Locis Urbis. *Romæ*, 1534. *in* 8. & cum addit. Hier. Ferrarii. *Romæ*, 1546. *in fol. &* 1588. *in* 8. Et in Antiquitatibus Romanis Boiſſardi Tom. I. pag. 55. necnon alibi. Aliud vero numero VII. ſcilicet Annales Conſulum &c. *Romæ* vidit lucem anno 1549. Kal. Jan. in 8., deinde anno 1564. ibid. in fol. deinde *Venetiis*, 1565. *in* 4., & Italicè *per Henricum Barberoſum Romæ*, 1622. *in* 12. Commentaria vero in Triumphos, quæ dedimus num. VIII. edita quoque fuere *Romæ anno* 1544. *in fol.*, & cum Notis Fulvii Urſini, extant in Grævii Antiq. Rom. Tom. III. pag. 53.
Celebratur à Conrado Geſnero in Bibliotheca Univerſali, à Laſor à Varea, à Cinello in Bibliotheca Vol. Pluteo XIII., à jam citatis Auctoribus, à Picinello in Athenæo pag. 70. atque à Sitono in ſuis Schedis.

## M L V.

## MARLIANUS BERNARDINUS.

INter Viros illuſtres Mediolanenſes nullus Scriptor Bernardinum Marlianum laudavit, & tantùm doctiſſimi Joannes Antonius, atque Cajetanus fratres Vulpii ipſius meminerunt in Epiſtola nuncupatoria ad Eminentiſſimum olim S. R. E. Cardinalem Cornelium Bentivolum, Operibus Balthaſſaris Caſtillionæi præfixa, optimæ editionis Patavinæ 1733. occaſione qua vitam ediderunt ejuſdem Balthaſſaris à Marliano noſtro ſcriptam. Doleo ego ſummopere, quòd Elogium tanti Viri, Balthaſſaris ſcilicet Caſtillionæi, inter illa Scriptorum Mediolanenſium inſerere non poſſim; nam etſi ex familia Caſtillionæa Mediolanenſi ortus ſit, attamen Mantuanis eripere ipſum non audeo, & juxta inſtitutum meum, de quo in Præfatione ſatis dixi, ad alterum Cathalogum rejiciendum eſſe ſatius decrevi, rationibus etiam in Articulo ipſius proferendis. Sed ad Bernardinum noſtrum redeamus, qui à Secretis Margaritæ Gonzagæ ſe fuiſſe ipſemet aſſerit in Epiſtola ad eandem ſcripta, de

qua

Digitized by Google

qua infra. Amiciſſimus quoque extitit Ludovici Strozzii Equitis Mantuani, Balthaſſaris antedicti Caſtillionæi ex ſorore Nepotis, floruitque Vir iſte prope finem ſæculi XVI. & paucis annis ſubſequentis. Laudatur uti Poëta non infimæ notæ à Juliano Goſellino, & quantùm lingua Italica optimè polleret, atque in Hiſtoriis Italicis ſui ævi verſatus eſſet, ſatis ſuperque oſtendunt & vita ſupradicti Caſtillionæi, & Epiſtolæ, de quibus mox nobis ſermo erit. Optandum interea eſt, quòd aliis datum ſit uberiora de hoc, certè docto Scriptore reperire, quàm nobis, etſi Lectoribus parum, quod hic damus, facile gratum fore exiſtimemus.

A

Lucubrationes illius ſunt:

I. Vita del Conte Baldaſſar Caſtiglione, deſcritta da Bernardino Marliani, con alcune Notazioni di G. V. (cioè Gaetano Volpi). Stà nelle Opere volgari, e latine del detto Conte Baldaſſar Caſtiglione novellamente raccolte &c. Da Gio. Antonio, e Gaetano Volpi. *Padova, per Giuſeppe Comino*, 1733. *in* 4.
Prima editio reperitur in fronte libri, cui titulus: „ Il Cortiggiano di Balthaſſare Caſtiglione, *appreſſo* „ *Bernardo Baſſo*, 1584. *in* 8.

B

II. Epiſtolæ Italicæ ad Gabrielem Flammam. Extant in libro, cui titulus: „ Nova ſcelta di Lettere lib. IV. „ pag 410.

III. Alia ſic inſcripta: „ Lettera alla Sereniſſima Madama „ Margarita Gonzaga. Data in Mantova l'anno „ MDC. il primo di Dicembre. Extat in Tomo V. Operis, cui titulus: „ Dedicatorie di diverſi „. *Bergamo, preſſo Comino Ventura*, 1605. *in* 4. In eadem ſe dicit à Secretis ejuſdem Duciſſæ.
Extant Epiſtolæ II. Conſolatoriæ Juliani Goſellini inter ſuas *Venetiis editas anno* 1592. *in* 8. Altera data eſt die XXIV. Octobris MDLXXXII., causâ mortis cujuſdam filii ipſius Marliani. Altera data eſt die X. Novembris ejuſdem anni, in qua Goſellinus mittit Marliano Carmen Italicum, vulgo *Sonetto* pro conſolatione mortis ipſius Marliani Patris, pag. 59.

C

## M L V I.

## MARLIANUS FABRICIUS.

FAmilia perinſignis Marliana duos dedit Epiſcopos Eccleſiæ Derthonenſi Fabricios nomine. Ille, de quo agimus, patrem habuit Chriſtophorum, necnon Capellanus atque à Secretis Ducum Mediolanenſium extitit, inter quos in primis charus fuit Ludovico Mariæ Sfortiæ Mauro nuncupato, cujus legationem ad Innocentium VIII. Pontificem Maximum de graviſſimis rebus ſumma cum laude obivit; idem munus egit apud Herculem Eſtenſem Ferrariæ Ducem. Anno Redempti Orbis MCDLXXVI. die XVIII. Kal. Februarii. Epiſcopalem Cathedram Derthonenſem vix aſcendit, nam illico ad Infulam Placentinam translatus eſt. Epiſcopale Palatium reſtituit à fundamentis, cenſuſque Epiſcopatus adauxit, cùm plures fortunas abalienatas recuperaſſet. Decem Synodis ſalubriter celebratis Placentinum Clerum ad puriores mores traduxit, omnemque egregiam operam cumulatiſſimè præſtitit, quæ Paſtori optimo proſperam virtutum famam parere poſſe videretur. Ad tam præclaras dotes ſcientias etiam adjunxit, nam præter gubernandi artem, Theologiam & ſacros Canones ſummopere coluit, necnon Hiſtoriam ſacram, ut videre eſt in Chronico Epiſcoporum Placentinorum, quod ſcripſit ut infra, à Victore I. Epiſcopo illius Urbis, ſcilicet ab anno Incarnationis Domini noſtri CCCXXII. uſque ad MCDLXXXII. Mediolani deceſſit anno Chriſtiani Orbis MDVIII. atque ex teſtamento Placentiam cadaver relatum in Cathedrali tumulatum eſt. Oravit in ejus funere Alexander Ruvinalia J. C. Orator, & publicus Profeſſor. Alterius Fabricii ut diximus Derthonæ item Antiſtitis, iſte, quem modò narravimus, Fabricius Nepos fuit.

D

E

Damus igitur de ipſo:

I. Rituale novum, quod Placentinæ Eccleſiæ tradidit. Ex II. parte Amphiteatri Romani Creſcentii. MS. penes Fratres Marchiones Vicecomites.

II. Chronicon Placentinorum Epiſcoporum. Extat in Tomo XVI. Rerum Ital. Script. pag. 618. Eſt etiam MS. in Biblioth. ſuprad. Marchionum Vicecomitum.
Videndi ſunt Ughellus in Epiſcopis Derthonenſibus, & Placentinis, Morerius in Lexico, Campi in Hiſt. Eccleſ. Placent. Tom. II. pag. 171. & alibi, necnon Schedæ Sitonianæ.

## M L V I I.

## MARLIANUS JOANNES.

MEdicorum ſæculi XIV. lumen ſine dubio vocari poteſt Joannes Marlianus Caſtelli Ducalis Cameræ Rationatoris, filius. Nec tantùm in eadem facultate ſummopere illuxit, itaut in Collegium Phiſicorum Mediolanenſium cooptatus fuerit die XXII. Auguſti anno MCDXL. ſed etiam in Philoſophicis, Mathematicis, atque Aſtrologicis ſcientiis uti ſui ævi Princeps admirabatur. In patria Cathedram Medicinæ aſcendit anno MCDXLVII. ut ſcriptum reperitur in Matricula Phyſicorum Nobilium Mediolanenſium ab anno MCCCLXVII. ad MCDLIX., quam clariſſimus Sitonus ſuppeditavit Bartholomæo Curtio, & ab iſto in opus de Medicis Mediolanenſibus inlata, ubi etiam ſic notatur: „ D. Joannes de Marliano ad le„ cturam ordinariam Medicinæ, itaut legat Aſtrolo„ giam in diebus feſtivis, Floreni CC. „ Fuit etiam Patriæ Decurio ſub Capitaneis & Defenſoribus anno MCDXLVII. & teſte Ghilino munus Archiatri Ducalis regnante Joanne Galeacio Vicecomite obivit. Supradictus celeberrimus Curtius in ejus ſæpe laudato libro duo profert Diplomata Ducis Galeacii Mariæ, alterum die XXII. Decembris MCDLXXXII. datum, alterum verò die XXVI. Septembris MCDLXXXIII. in quibus non tantùm laudes, ſed munera munificentiſſimi Principis Joanni noſtro collata, quod nunc certè rarum eſt, leguntur: ideoque grati animi gratiâ Marlianus Cathedris Mediolanenſibus atque Ticinenſibus contentus, Patavinam, Bononienſem, Senenſem, Ferrarienſem, atque Peruſinam conſtanter recuſavit. Doctrinæ illius famâ mirum eſt, quot exteros ad ipſum audiendum traxerit, tam in Patria quam in Gymnaſio Ticinenſi, ut referunt omnes coævi Scriptores. Anno Chriſti MCDLXXXIII. annorum, divitiarum, gloriæque plenus obiit in Patria. Hoc Epigramma cecinit Lancinus Curtius in ejus laudem libro primo pag. 2.

*Marmora, ſacratos cineres, & corporis umbram,*
*Atque Urbis venerare decus, nomenque ſuperbum:*
*Hoc tumulo Marianus ineſt, cui cura potentis*
*Naturæ fatique vias, ſecretaque Mundi*
*Scire fuit: Medicæ hic cultor celeberrimus artis*
*Inſignem ut lauro ſobolem ſupereſſe ſenecta*
*Vidit: humo corpus, patriæ gentique relinquens*
*Omne ſophos: propius Cœlum eſt emenſus, & aſtra.*

Filios duos reliquit Joannes noſter, primum Hieronymum nomine, ſecundum verò Petrum Antonium, ambos Medicos non infimæ notæ, ſicuti teſtantur Diplomata Ludovici Mariæ, & Franciſci Secundi Sfortiadum Mediolani Ducum, annis MCDXCV. & MDXXIII. quibus nonnullis privilegiis & laudibus decorantur. Hi quoque in ſequenti Inſcriptione ſepulchrali ad Tumulum Joannis noſtri appoſita in Templo Sanctæ Mariæ Gratiarum, hujus Urbis memorantur:

IOANNI

Digitized by Google

IOANNI MARLIANO AVO
CIVI MEDIOL. ET PHILOS. NOBILISSIMO
ET PAVLO PATRI
VSV PRVDENTIAQVE
PRINCIPIBVS CIVITATIS ACCEPTISSIMO
ET HIERONYMO ET PETRO ANTONIO PATRVIS
OMNI LITTERARVM ELEGANTIA PERPOLITIS
PETRVS ANTONIVS MARLIANVS
IVRISCONSVLTVS ET SENATOR MEDIOLANI
MAIORIBVS SVIS BENEMERENTIBVS
POSVIT MDLXII.

De hoc præclariſſimo Medico, Philoſopho, ac Mathematico hæc habemus:

I. De proportione motuum in velocitate. Ad præclariſſimum Phyſicum, ac Medicum, Equitemque auratum Dominum Magiſtrum Reguardatum Invictiſſimi Franciſci Sfortiæ Ducis Mediolani Phyſicum, & Senatorem digniſſimum, Johannis Marliani ſua ætate Phyſicorum, & Medicorum Principis, & Ducalis Phyſici primarii. *Papiæ, per Damianum de Confaloneriis de Binaſco die 16. Decembris*, 1482. *in fol.*

Hoc opus Manuſcriptum refert Montfauconius, ut infra his notis:

Joannis Marliani Mediolanenſis. De propoſitione motuum in velocitate ad Præclariſſimum Philoſophum, & Medicum, Equitemque Dominum Benedictum Reguardatum de Nurſia invictiſſimi Franciſci Sfortiæ Ducis Mediolanenſis Phyſicum, & Senatorem digniſſimum. In fine: „ Hoc ita ſcribere finivi Mediolani die XXVII. „ Auguſti hora tertia, aut circa, MCCCCLXIV. Codex Papiraceus MS. in Biblioth. S Marci Prædicatorum Florentiæ n. 90. Ex Biblioth. Bibliothecarum MSS. P. Montfaucon. Tom. I. pag. 425.

II. De reductione aquæ calidæ.

III. Probatio cujuſdam Sententiæ Calculatoris de Motu Locali. Sunt in eadem editione Papienſi anno 1482.

IV. Clariſſimi Phyſici, & Medici Jo. Marliani de reactione adversùs Cajetanum de Tienis. Subtiliſſimus Tractatus, & juventutis ſuæ opus primum *Papiæ* &c. in fol.

Hunc librum protulit etiam Clariſſimus Curtius. Ego verò ipſum MS. vidi in Biblioth. FF. Min. Conventualium Sancti Franciſci hujus Urbis, hoc titulo: „ Tractatus in materia de Reactio„ ne, compoſitus per Joannem de Marigliano Me„ diolanenſem artium, & Medicinæ Doctorem in „ Civitate Mediolani,, anno Domini noſtri Jeſu „ Chriſti MCDXLVIII. dum febre quartana mole„ ſtè affligeretur „ figuris quampluribus rubro pictis; cui adnectuntur ſequentia nondum edita, quæ libenter Lectoribus meis nunc primùm profero.

V. Tractatus in defenſionem dictorum in materia de reactione in alio Tractatu per me Joannem de Marigliano Mediolanenſem, completus anno MCDLXIV. die XXIV. Auguſti, aſcendente gradu XI. Virginis, & incœptus die XIII. hora XXIII.

VI. De Intenſione, & Remiſſione.

VII. De Difficultate actionis.

VIII. De Deſcenſione partium ad centrum.

IX. De Maximo, & minimo.

Omnia uno Volumine MS. in fol. in ſupradicta Franciſcana Bibliotheca Mediolanenſi.

X. Clariſſimi Phyſici, & Medici Joannis Marliani Mediolanenſis Diſputatio cum præſtantiſſimo Medico Magiſtro Joanne de Arculis in diverſis materiis ad Phyſicam, & utramque Medicinæ partem pertinentibus. *Papiæ* &c. in fol.

XI. Diſputationes cum Philippo Adjuta Veneto, & Jacobo Forlivienſi. *Papiæ* &c. in fol.

XII. Joannis Marliani Mediolanenſis Quæſtio de caliditate corporum humanorum tempore hyemis, & æſtatis, & de antiperiſtaſi. Ad celebrem Phyſicorum, & Medicorum Univerſitatem Ticinenſem; *Venetiis, mandato, & expenſis heredum qu. Nob. Viri D. Octaviani Scoti Modoëtienſis per Bonetum Locatellum Presbyterum Bergomenſem* 1501. *pridie Idus Octobris*.

XIII. De Febribus omnibus cognoſcendis & curandis. Ex Picinello.

XIV. Algoriſmus de Minutiis, extat MS. in Bibl. Ambroſ. ſign. A. n. 203. in fol. ſic incipit: „ Quandocun„ que fuerit aliquid diviſum &c.

XV. Expoſitiones ſuper XXII. Fen tertii Canonis Avicennæ. *Mediolani, apud Jacobum de Sancto Nazario*, 1594. *in fol.*

XVI. De Urinis, extat in eodem.

XVII. De Medicamentis, extat ibidem.

In Laurentiana verò Medicea Biblioth. Pluteo 84. num. 16. ex eodem P. Montfauconio; extat Codex Membranaceus, hoc titulo: „ Alexandri Aphro„ diſiei Problematon, ſectiones VII. è Græco in „ Latinum à Georgio Valla Placentino, jam pri„ dem rogatu præceptoris ſui Joannis Marliani Ma„ thematici longè præſtantiſſimi, tranſlati, & nunc „ demum cum imprimendum datur, ab eodem „ propter varias occupationes curſim, & uno, ut „ ajunt, oculo recogniti.

Inter Epiſtolas Franciſci Philelphi editionis *Venetæ anni* 1502. *in fol.* Extant Epiſtolæ Joanni Marliano Philoſopho, ac Medico, pag. 152., & 185.;

Agunt de ipſo cum laude Jacobus Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum, lib. XV. Jo. Trithemius in Libro de Script. Eccleſiaſticis, Conradus Geſnerus in Biblioth. Univerſali, Jo. Bapt. Sylvaticus in Colleg. Medic. Mediol., Donatus Boſſius in Chronico, Sitonus in Theat. pag. 104. art. 433., Curtius in libro de Medicis Mediolanenſibus pagg. 29. 274. 282., & 287. necnon Picinellus in Athenæo pag. 310.

## MLVIII.

## MARLIANUS JOANNES alter.

JOannes Marlianus ab eo certiſſimè diverſus, quem ſuperiori numero laudavimus (florebat enim vivente Bernardino Baldino, qui tranſacti Sæculi initio mortalitatem exuit, cum alter medio Sæculo XV. obierit) Fàmiliam ſuam ſatis claram, atque Patriam hanc Mediolanenſem eruditionis ornamentis decorare ſtuduit. Orientales Regiones peragraſſe Joannem noſtrum, ex Operis ejus infra laudandi argumento arguit Picinellus loco citando, & ut nos quoque arbitramur, rectè. Habemus apud præfatum Baldinum in laudem Codicis Scriptoris hujus ſequens Epigramma, quod legitur in libro illius, cui titulus eſt: Luſus: pag. 60. his notis:

*Si quibus eſt ſtudium Byzanti noſcere cultus ,*
*Quos celſa varios Phœbus in urbe videt ,*
*Tam clarè cernent pictos hoc indice libro ,*
*Quam qui Threycia ducit in urbe moras .*

Ex hoc præſertim Tetraſticho novimus Joannem ſcripſiſſe

I. De Moribus Conſtantinopolitanorum Civium . Verſu autem an proſâ conſcriptus fuerit , editusque , nec ne , nullus hactenus indicavit ; nec enim fidimus Picinello , qui typis traditum aſſerit , cùm nullibi repertus à nobis fuerit , neque Picinellus ipſe promat quo loco , vel anno in lucem prodierit .
De eo breviſſimè Picinellus idem in Athenæo pag. 309.

## M L I X.

## MARLIANUS JOANNES alter.

JOannes alter Marlianus, nobili progenie ortus Mediolani , Ordinis Eremitarum S. Auguſtini , emenſo ſtudiorum curriculo, laurea magiſtrali à Paulo Veneto itidem Auguſtiniano , & Sacræ Theologiæ publico Profeſſore in Univerſitate Patavina inſignitus fuit . Ut iiſdem ſacris diſciplinis formaret Inſtituti ſui tyrones , Regens conſtituitur in Cœnobio Eremitarum Patavii . A ſui temporis Præſulibus totius ejuſdem Ordinis plura, itemque non exigui momenti munera ei collata fuere , videlicet Socii Prioris Generalis , Comitiorum Provincialium Præſidis , Provinciarum tum intra , tum extra Italiam Viſitatoris , Vicariique Generalis , ac tandem poſt moderatam Lombardiæ Auguſtinenſem Provinciam , à Gerardo Ariminenſi præfati Ordinis Supremo Antiſtite ad Concilium Baſileenſe mittitur anno MCCCCXXXIII. ut ibidem vices ſuas gereret . Doctoris eximii tandem, ac in artibus omnibus eruditiſſimi, nec non religioſiſſimi Viri famam aſſequutus , vivere deſiit anno MCCCCLI. die XIII. Decembris. De eo hæc reperi in libro MS. Philippi Vicecomitis ejuſdem Ordinis , cui titulus: De Conventu S. Marci. „Cum orto Schiſ-
„ mate in Synodo Provinciæ Anglicanæ , quæ eo
„ Sæculo XXVI. Magiſtros doctrinî præſtantes ale-
„ bat, B. Auguſtinus Rom. Generalis in Capitulo
„ Aſtenſi MCCCCXIX illuc mittendum decrevit
„ Marlianum , ſed inde ſatiùs judicavit alios Magi-
„ ſtros Anglos deſtinare . Anno MCCCCXXV. die
„ III. Febr. poſt Paulum de Cambiago Mediolanen-
„ ſem Provincialis Lombardiæ efficitur . MCCCC-
„ XXVI. die XXVI. Octobris pro Capitulo Gene-
„ rali Cremonæ celebrando Præſes deputatur. MCD-
„ XXVII. die V. Septembris , ſimul cum Magiſtro
„ Franciſco de Florentia ad Viſitationem Cœnobio-
„ rum in Provinciis Transalpinis Viſitator Generalis
„ mittitur . MCCCCXXXIII. Gerardus Ariminenſis
„ Generalis ſuum ſocium dilectum vocat , & Vica-
„ rius Generalis in Concilio Baſileenſi conſtituitur .
„ MCCCCXXXIV. die XXVI. Julii, Vicarius Gene-
„ ralis Italiæ deputatur .

In Bibliotheca S. Marci Mediolani habentur memorati Joannis :

I. Compendium , ſive Abbreviaturæ Commentarii à celeberrimo Doctore Michaële de Maſſa Auguſtiniano elucubrati ſuper primum Sententiarum . In fine Codicis hæc leguntur verba: „ Quas inchoaveram anno
„ MCCCCX. Abbreviationes in primum Sententiarum
„ Doctoris inſignis Mag. Michaëlis de Maſſa , Ordinis
„ Eremitarum S. Auguſtini, Ego F. Joannes Mediola-
„ nenſis de Marliano Conventus Lector , tandem con-
„ ſummavi, anno MCCCCXXX. die XII. Octobris, dum
„ Paduæ eſſem Magiſter Regens .

II. Chronicon Religionis ſuæ poſt Franciſcum de Franchis ad annum uſque MCCCCXL. conſcripſiſſe Auctorem noſtrum teſtis eſt citatus Philippus Vicecomes in Præfatione ipſius libri de Conventu S. Marci .
Item conſcribi curavit quatuor Tomos Metaphyſicæ ſupra enunciati Pauli Veneti , cùm Patavii , dum ibi Regentis munere fungeretur, tum Mediolani . Sunt in ipſa Bibliotheca Suor. hujus Urbis optimæ notæ .
Oratio in ejus Magiſtrali laurea à Paulo Veneto dicta ſervatur in Evangelica Biblioth. MS. num. 43.
Hæc à P. Nicolai ejuſdem Ordinis Magiſtro . Omnia ex MS. Philippi Vicecomitis : De Conventu Sancti Marci , laudatur quoque ab Errera , & a Magiſtro Petro Papienſi in Prolegomenis ad Abbreviationes prædicti F. Michaëlis de Maſſa , & à Picinello pag. 309.

## M L X.

## MARLIANUS JO. FRANCISCUS.

MUlta ſunt equidem & ſanguinis & doctrinæ ornamenta , quibus effulſit , ſibique poſteritatis laudem promeruit Joannes Franciſcus Marlianus Mediolanenſis ; hauſtam enim ab Antonio Senatore parente nobilitatem generis eruditionis gloriâ cumulavit . Minoribus ſtudiis ritè perfectis , eloquentiæque præceptis excultus, Juriſprudentiæ animum applicuit, in Gymnaſio Ticinenſi ſub Clariſs. Præceptore Bonacurſio Piſano . Tanta fuit apud Inſubriæ Duces in exiſtimatione , ut ad Innocentium VIII Summum Pontificem Legatione ipſorum fungeretur . Juriſconſultorum Collegium in hac Metropoli florentiſſimum ingreſſus eſt anno MCCCCLXXXIX ; mox Auratus Eques , & utriuſque Ducalis Conſilii Senator renunciatus fuit . Inter Patriæ Decuriones recenſitus ad Maximilianum Auguſtum Orator mitti meruit . Anno MDXXII. Senatus Præſes electus eſt , ac poſt biennium , anno videlicet MDXXIV. peſte ſublatus interiit . Lubet hìc verba referre , quibus eruditiſſimus Andreas Alciatus tantum collaudat Virum in antiqu. Inſcript. Patriæ Monument. 95. MSS. „ Jo. Franci-
„ ſcus Marlianus gente patritia ortus per omnes ho-
„ norum gradus ad eam dignitatem aſcendit , ut
„ Princeps Senatus factus fuerit, cui Magiſtratui plus
„ auctoritatis confert, quàm ipſe accipiat, tantum in
„ ipſo eſt, ſive mores , ſive judicii acumen , ſive
„ egregiam doctrinam conſideremus . Is antiquarum
„ rerum , quoties per publica negotia permittitur ,
„ perquam curioſus &c. „ Jacet in Templo Pacis hujus Urbis cum hoc Elogio :



Digitized by Google

IOH. FRANCISCO MARLIANO ANTONII SENATORIS
ET A CONSILIIS DVCVM MEDIOLANI FILIO
EQVITI AVREATO ORATORI I. C. SENATORI
CONSILIARIO LEGATO AD MAXIMIL. CAESAREM
SENATVSQVE PRAESIDI
ET ALOYSIO PHILIPPI I. REG. HISP.
MAXIMILIANI ET CAROLI V. CAESARVM
MAXIMILIANI ET LVDOVICI DVCVM MEDIOLANI
A CONSILIIS SIMVL ET ARCHIATRO
ORATORI MATHEMATICO ATQVE PHILOSOPHO
EPISCOPO TVDENENSI CARDINALI DES.
ET IOH. ANTONIO EIVS FILIO LEGITIMO
A CVBICVLO CAROLI V. CAESARIS
AB EODEMQVE DONIS HONORIBVS
EQVESTRI DIGNITATE
BELLICAE VIRTVTIS CAVSA ORNATO
PAVLVS CAMILLVS MARLIANVS
BVSTII COM. M. S. B. M. P. AN. MDXCV.

Ejus eruditionis Oratoriæ, & Poëticæ hæc ſuperſunt teſtimonia.

I. Jo. Franciſci Marliani Mediolanenſis Magnifici Antonii filii, Illuſtriſſimi Ducis Mediolani Legati, Oratio habita apud Innocentium VIII. Pontificem Max. anno Domini MCCCCLXXXV. tertio Calendas Quintilis, ſine loco, anno, & Typographo, in 4. extat inter alias Orationes Romæ impreſſas, & uno Volumine collectas, ferè ejuſdem ætatis, penès Marchionem Theodorum Alexandrum Trivultium alibi laudatum. Reperitur quoque MS. in Cod Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. G. num. 89. in fol. inter eos in 4.

II. Epigramma in laudem Tractatus de Affinitate Jo. Villemati de Fortia, extat in eodem Opere. *Mediolani, per Jo. Angelum Scizenzeller*, 1510. *die* 18. *Auguſti*, *in fol. max.*

III. Reſponſio nomine Ducis Mediolani Legatis Genuenſibus, extat in MS. Cod. Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii hujus Urbis, & ſic prætitulatur: „ Res „ geſtæ, & Orationes habitæ in Legatione Genuenſi „ Mediolanum miſſa ad Joannem Galeacium, anno „ MCCCCLXXXVII. Lucas Grimaldus Orator dixit: „ Reſponſum dedit parte Ducali Joannes Franciſcus „ Marlianus Senator, & Juris pereruditus, qui expoſitioni Grimaldi Orationem accommodans ita diſſe- „ ruit &c. „ In eodem MS. adeſt Deditio Urbis Genuæ, & reliquarum Liguriæ Civitatum in poteſtatem Mediolanenſis Ducis, cum Legatione ad eumdem miſſa anno MCCCCLXXXVIII. die II. Novembris, in qua oravit Franciſcus Sophia, & Joannes Pius Marinus. Codex eſt in fol. ſignat. num. 11.

IV. Epiſtola Latina Franciſco Philelpho; adeſt in fronte libri iſtius, cui titulus: *Convivia Mediolanenſium*; Collocutores ſunt Rambaldus, Landrianus, Ænicius, Thebaldus, Metellus, Policio, Feruſinus, & Alphonſus. Opus eſt impreſſum ſine loco, anno, & Typographo, in 4. Epiſtola verò ſupradicta data eſt ex Ticino Kal. Sextilis anno MCCCCLXXVII., & in ipſa cognovi Franciſcum noſtrum diſcipulum extitiſſe Bonacurſii Piſani, ut ſupra: continet varia in laudem Philelphi, & ejus Operis, & inter cætera hæc leguntur: „ Soleo ego quandoque, ut tu ſæpenumero „ monuiſti, me à Legum, & Juris Civilis lectione ad „ humanitatis ſtudia conferre &c.

Ei dicavit Commentaria ſua in Sidonium Jo. Baptiſta Pius, qua de re videndus Clariſs. Saxius in hiſt. Typogr. ad annum 1498.

Extant ad eundem Epiſtolæ tres Latinæ Hieronymi Moroni, datæ anno MDVII. de quo ſuo loco.

Plura ad eum dedit Epigrammata Lancinus Curtius; videlicet lib. 12. fol. 21. lib. 17. fol. 87. 88. 99. & lib. 18. fol. 114.

Laudatur à Corio in hiſt. Mediol. part. 6. ad annum MCCCCLXXXVIII. & part. 7. ad annum MCCCCXCIX. Morig. in Nobil. Mediol. lib. 3. cap. 12. Ruginell. de Senator. gloſſa 3. cap. 2. num. 36. Lando in Senatu Mediol. lib. 3. pag. 101. & lib. 5. pag. 149. Cavatio in Alleviament. Stat. Mediol. in principio, & Sitono pag. 64. art. 273. atque in Schedis.

## MLXI.

## MARLIANUS MICHAEL.

MIchaël Marlianus, Alberti filius, nobili genere Mediolani ortus, Oratoriæ facultatis, & Juriſprudentiæ ornamenta aſſiduo ſtudio ſibi comparavit. Ideo jure merito, anno MCCCCLXXXIX., Collegio Juriſconſultorum hujus Urbis nomen dedit. Plures ad ſummos Principes Ducum Inſubrum nomine Legationes obivit, atque in Patriam reverſus Equitis Aurati, & Senatoris munere decoratus eſt. Conjugem habuit Bonam Caſtronovatam, atque in ejus nuptiis Orationem publicè pronunciavit Petrus de Leonibus Vercellenſis Collegiatæ Sanctæ Mariæ Scalenſis in hac Urbe Canonicus, legiturque inter hujus Opera impreſſa Mediolani. Teſtamentum condidit anno MDXXIV. quo viſo JC. Sitonus amiciſſimus nos monuit delenda eſſe ea verba, quæ ipſe ſcripſerat pridem ab Impoſtore quodam deceptus in Chronico Juriſconſultorum Mediolanenſium pag. 69. art. 269. „ Michaël de Marliano Prevedini Jacobo „ ex XII. Ducibus Mediol. Reip. & Ducalis Curiæ „ Seſchalco geniti filius. „ Cum verè ex poſtremis Tabulis conſtet, ipſum non Prevedini, ſed Alberti filium fuiſſe. Obiit eodem anno, non autem ſequenti, ut Sitonus ipſe ſignificavit, quamvis loco citato antea vitam ejus ad annum MDXXV. produxiſſet. Sepulchrum ejus viſitur in Baſilica S. Stephani hoc Elogio exornatum:

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.
MICHAELI MARLIANO
IVRECONSVLTO EQVITI SENATORI
LEGATI MVNERE APVD CAESAREM FVNCTO
VIRO OMNI VIRTVTVM GENERE ORNATISSIMO
HERM. FRAT. V. C.

Superſunt ejuſdem

I. Orationes plures MSS. in 4. lectu digniſſimæ penès Suos, uti memoratur in ſecunda parte Amphitheatri Romani. MS. penès Fratres Marchiones Vicecomites.
Laudaatur à Lando in Senatu Mediol. lib. IV. pag. 133. à Sitono loco cit. & in Schedis.

## MLXII.

## MARLIANUS PETRUS ANTONIUS.

PEtrus Antonius Marlianus Pauli Senatoris Joanne Collegiato, & Ducali Prothophyſico nati, necnon Hyppolitæ Landrianæ filius; inter Juriſperitorum Nobilium Mediolanenſium Coll. cooptatus eſt anno Redemptionis noſtræ MDXXXIV. Laudatur, ut Græcæ Latinæque facundiæ Vir conſultiſſimus, enumeratur quoque ex LX. Patriæ Decurionibus, cujus Præfectus extitit anno MDXXXIX. Ab Imperatore Carolo V. Cathedram Senatoriam obtinuit, necnon à Conſiliis totius Ducatus Mediolanenſis eſt conſtitutus. Paulo poſt Præturam Placentinæ Urbis omnium plauſu ſuſtinuit; dein Philippus II. Hiſpaniarum Rex Præſidem Magiſtratus Redditwum Ordinariorum ipſum voluit. Nec confundendus eſt cum altero Petro Antonio Marliano Seniore Phyſico celeberrimo Mediolanenſi, qui floruit ætate Lancini Curtii, uti facilè oſtendunt Epigrammata ejuſdem in libro IIIv, necnon Elogia libri VI. Sylvarum in laudem Petri Antonii Marliani Senioris, quem etiam laudarunt Joannes Baptiſta Sylvaticus in Tractatu de Colleg. Phyſ. Med. & Bartholomæus Curtius pag. 84. Immo primus in eodem Opere cap. 16. de Petro Antonio noſtro Juniore, ſic ait: „ Unus inter ſui temporis Jureconſultos Collegiatos graviſſimus, patriæ amantiſſimus, inter Senatorii Ordinis celebres nuſquam factioſus, gloriæ lucrique ſpretor ſtrenuus fuit: fide, & animi modeſtiâ mirus; ita ut cum gravi rei familiaris ſuæ damno, maximaque omnium admiratione jam ſenex ſatis Quæſturæ Præſes ultro eſſe noluerit, ſuâque animi quiete contentus multis inde annis ſupervixerit. Mortuus eſt Mediolani octuagenarius totius Urbis mœrore incredibili. „ In Sanctæ Mariæ Gratiarum Templo Fratrum Prædicatorum quieſcit ſub hoc proprio & paterno illuſtri Elogio conditus

PETRO ANTONIO MARLIANO PATRI
PAVLI SENATORIS FILIO
ORATORI IVR. CONS. AEDILI ITERVM
SENATORI PLACENTIAE PRAETORI
PRAESIDI QVAESTORVM EXTRAORDINARIORVM
ET A CONSILIIS PHILIPPI II. HISPANIARVM REGIS
HIERONYMO TRIBVNO MILITVM FORTISSIMO
IOH. FRANCISCO THEODOSIO ET IOHANNI
PATRVIS PRVDENTIBVS ET OPTIMIS VIRIS
ET HIERONYMO FILIO SVAVISSIMO
PAVLVS CAMILLVS BVSTII COMES
B. M. P.
ANNO MDXCIV.

Orator certè fuit magni nominis, ſicut elucet non tantùm à Panegyri typis data, ut infra, ſed ab aliis ejuſdem Orationibus, quarum meminerunt Moriggia, & Picinellus, ſed diſtinctiùs pars II. Amphitheatri Creſcentii à nobis inſpecta. Laudatur ut Linguis Italica, Latina, & Græca apprimè excultus, teſte inter alios Bernardino Baldino, cujus Eulogium Marliani noſtri legitur in libro *Luſus* inſcripto.

Hæc de eo damus

I. Oratio habita in Funere Mariæ Angliæ Reginæ Philippi II. uxoris II. Henrici VIII. Angli filiæ, anno MDLVIII.

II. Orationes XXV. variis in locis, & occaſionibus habitæ MS. in fol. penès hæredes. Ita Creſcentius in II. parte Amphitheatri MS. pluries à nobis relata.
Videndi ſunt ſupradicti Moriggia in lib. III. Nobil. Mediol. cap. 12. & in Hiſt. lib. IV. cap. 32. Landus de Senatu Mediol. lib. V. pag. 172. Cavatius in Alleviam. Status Mediol. in princ. Picinellus in Athenæo pag. 457. & Sitonus in Theatro pag. 104. art. 433.

MLXIII.

Digitized by Google

## M L X I I I.

## MARLIANUS RAYMUNDUS.

De Raymundo Marliano, cujus Elogium nunc eſt texendum, plura inveni tam penes Clariſs. Sitonum in ſuo libro de Collegio Juriſperitorum Mediolanenſium, quàm apud Valerium Andream Beſſelium in libro Faſtorum Academicorum Studii Lovanienſis, quæ injucunda Lectoribus meis minimè fore cenſeo. Nam Vir iſte magni faciendus patrem habuit Jacobum ex XII. Reipublicæ Mediolani Capitaneis, Ducaliſque Curiæ Seſchalcum, Prevedino Ducali Camerario, ac Legato genitum, necnon matrem Joannam Caſatam conjuges. Inter Patres Conſcriptos Mediolanenſis Senatus adſcribitur à ſupradicto Sitono, qui etiam Caroli Burgundiæ Ducis Supremum Conſiliarium Raymundum noſtrum noſcit, necnon gentilitii Marlianorum Collegii in Civitate Ticinenſi Inſtitutorem optimum. Anno verò MCDLXI. Dolam evocatus VI. Kal. April. ejuſdem anni inter Academicos illius Urbis nomen profitetur. Sedente autem in Cathedra Epiſcopale Leodienſi Ludovico Borbonio, plures ſeditiones, & bella inſurrexere inter Cives Leodienſes, & Colonienſes, quæ recitantur in Chronicis Belgicis, & ſignanter in Hiſtoria Leodienſi celeberrimi Patris Foullon è Societate Jeſu nuper impreſſa, ut infra. Ibi ad annum MCDLXI. legitur, pro pace tractanda miſſum fuiſſe ab Epiſcopo Borbonio Raymundum noſtrum cum duobus aliis ad dictum Carolum Burgundiæ Ducem in Urbe Trajectina commorantem, quod prima vice feliciter evênit; ſed paulo poſt Bella quater iterum reaſſumpta fuerunt, ut accuratiſſimè narrat idem Foullon uſque ad annum MDCLXVII. Mortua verò uxore Raymundi noſtri, Joanna ſcilicet filia Dominici de Sancto Hilario Trajecti ad Moſam anno MCCCCLXIII. die XII. Junii, vitam Eccleſiaſticam amplexus fuit, ideoque Canonicus Eccleſiarum Leodienſis, & Biſontinenſis efficitur. Ad magis illuſtrandam tanti Viri famam juvat hîc exſcribere verba ſupradicti Beſſelii in Faſtis Academiæ Lovanienſis: „ Legitur in Actis Univerſitatis ad annum MCCCCXCIV. Prid. Kal. Martii, Marlianum fundaſſe „ Burſam, ut vocant, pro Lovanienſi ſtudioſo in „ Academia Patavina, præſentato tunc ad eam per „ Rectorem, & Deputatos, unà cum Decano, & „ Capitulo, ac Magiſtratu Oppidi Lovanienſis, Joanne de N. Medicinæ ſtudioſo. Ad eandem anno „ MDXIII. III. Kal. Decembris præſentatus fuit Georgius de Zelle, Petri Leg. Doct. filius. „ Sarcophago illius in Divi Petri ante aram D. Urſulæ ſacram, hæc inſcripta leguntur:

NOBILIS FAMOSVS ET EGREGIVS VIR
D. RAYMVNDVS DE MARLIANO
VTRIVSQ; IVRIS DOCTOR CATHEDRALIVM ECCLESIARVM
LEODIENSIS ET BISONTINENSIS CANONICVS
VNIVERSITATVM LOVANIENSIS ET DOLANAE
FACVLTATVM VTRIVSQ; IVRIS LECTOR ORDINARIVS
OBIIT CIϽ. CCCC. LXXXV. XX. AVGVSTI.

Dolendum interea eſt, quod extra Patriam mortem noſter obierit, nam ejus Scripta minimè ad nos pervenerunt. Accipiant interim Lectores plus certè quàm in Picinello, præter ea, quæ forſan prima vice de Raymundo iſto ſupra dictum eſt ſaltem à noſtris.

Habemus de ipſo

I. Veterum Galliæ Locorum, Populorum, Urbium, Montium, ac Fluviorum eorum, maximè quæ apud Cæſarem in Commentariis ſunt, & apud Cornelium Tacitum alphabetica Deſcriptio. Primam editionem ejus Operis ignoro, extat tamen *in Mediolanenſi anno* 1477. *in fol.* Commentariorum Cæſaris, & poſtea in *Lugdunenſi*, 1574. *in fol.* imò in ferè omnibus aliis Cæſaris Operum editionibus, uti recenter in elegantiſſima *Jungermani Tom. II. pag.* 553.

II. De Laudibus Mediolani, & ejus Antiquitatibus. De hoc præter Picinellum ex Moriggia, teſtem habemus Patrem Gaſparem Berettam alibi laudatum, qui meminit ſe vidiſſe titulum hujus operis in quodam Indice librorum Laudæ aſſervatorum, qui extat in Ambroſiana Bibliotheca, ut notavit in ſuis Schedis.

Ad eum extant Epiſtolæ duæ Joannis Lamolæ Bononienſis de Viris Illuſtrib. Ferrarienſib. In altera mittit Opuſculum ſuum de laudibus litterarum, & judicium ejus poſcit. Datæ Venetiis V. Kal. Julii MCCCCXXXIX. Leguntur in MS. Ambr. fol. ſig. H. n. 49.

In ſecunda parte operum Gaſparini & Guiniforti Barzizii Bergomatum, editionis Romanæ MDCCXXIII. pag. 173. extat Guiniforti Barzizii Epiſtola ſatis erudita ad Raymundum de Marliano.

Ex Epiſtola Petri Juſtini Philelphi ad Jo. Simonetam *Tom. II.* Ducalem Secretarium, quæ eſt in fronte editionis Comment. Cæſaris anno MCCCCLXXVII. „ Ad hæc „ etiam ſubjeci alia quædam ſcripta non mediocriter „ neceſſaria ad cognitionem & populorum, & fluminum, & locorum, ac rerum aliarum tranſalpinarum „ diligenter & excogitata, & inquiſita per graviſſimum eruditiſſimúmque Virum Raymundum Marlianum, qui cùm in partibus tranſalpinis diu multumque fuiſſet: omnia eſt accuratiſſime perſcrutatus, quæ „ ad hujuſmodi cognitionem pertinerent.

Hæc omnia hauſimus ex ſupradicto Valerio Andrea Beſſelio in libro inſcripto: Faſti Academici Studii generalis Leodienſis: Editio iterata. *Lovanii, per Hieronymum Nempatum*, 1650. *in* 4. pag. 164. Ex hiſtoria Leodienſi per Epiſcoporum & Principum ſeriem digeſta, Auctore P. Foullon è Soc. Jeſu. *Leodii*, 1736. Tom. II. pag. 55. ex Gaudentii Miſcellaneis Tom. II. pag. 538., & ex Sitono tam in ſuis Schedis, quàm in libro de Colleg. Juriſperitorum pag. 45. art. 162. Memoratur quoque à Salvatore Vitali pag. 28., à Geſnero in Biblioth. Univerſali, à Moriggia in lib. 3. cap. 12. Nobil. Mediol., & lib. I. Antiq. Mediol., à Picinello in Athenæo pag. 480., à Patribus Trivultienſibus in Diario menſis Julii MDCCIV. Agit etiam de ipſo Clariſs. Saxius in Hiſt. Typogr.



Digitized by Google

## MLXIV.

### MARLIANUS TULLIUS.

NOn fraudandum laude ſua exiſtimamus, imò digniſſimum arbitramur qui in hanc litterariam ſcenam prodeat, Tullium Marlianum inſignis Oppidi Variſii in Mediolanenſi Ducatu incolam, & Conſulem anno MCCCLXXXIX. Inſignem illi prudentiæ commendationem contribules ſui ſæculis omnibus debebunt; etenim anno eodem, atque die II. Februarii publico Decreto ſeligi meruit, ut Reipublicæ ſuæ municipale Jus inconditum, ac inordinatum in Volumen unum redigeret. Quàm ſtrenuè id perfecerit, indicant labores illius ad populi Variſienſis utilitatem, ſcilicet:

I. Statuta Reipublicæ Variſienſis coordinata, & in unum corpus redacta.
Ex Hiſtoria Variſienſi Nicolai Sormani, MS. pœnes Auctorem.

## MLXV.

### MARLIANUS UGO.

UGonem Marlianum, de quo ſupra incidenter pauca libavimus in Alberto, jure, & merito Mediolanenſibus Scriptoribus adnumerandum cenſebunt quotquot noverint, quæ ipſe ad Reipublicæ Mediolanenſis commodum, utilitatemque peregerit. Primùm enim in reſtauratione Urbis plures pro Patria labores pertulit, cùmque tandem ipſam priſtino ſplendori reſtitutam videret, Conſulque Juſtitiæ renunciari promeruiſſet, alterum non minoris ponderis Mediolanenſi Populo contulit beneficium. Nam anno MCLXX. una cum Collegis.

I. Statuta plura condidit ob bonum Civitatis regimen apprimè utilia.
Id teſtatur Gualvaneus de la Flamma lib. XIII. cap. LXXXV. atque ex eo Comes Octavius Archintus in celeberrima Collectione ſua.

## MLXVI.

### MARMORI MARCELLINUS.

MArcellinus Marmori Mediolanenſis ex Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini Congregationis Lombardiæ in Cœnobio S. Mariæ Coronatæ habitum ſumpſit. Adhuc in ſæculo ſtudiis vacavit in Archigymnaſio Ticinenſi, ibidem quoque Laureâ decoratus. Religioni addictus in tam præclarum Concionatorem evaſit, ut confluentibus ad eum audiendum Populis anguſta eſſent Templa, & non raro ſub dio ad eos dicere cogeretur. Hebraicam linguam tam egregiè callebat, ut æquè ac maternâ linguâ eo ſermone concionaretur, multoſque Judæos ad veritatis lucem adduxerit. Anno MCDLXXIV. primus Pontremolenſis Cœnobii Prior electus ibi Obſervantiam Regularem firmavit à ſe inductam. Gabrielis Sforriæ è Congregatione ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem aſſumpti conſuetudine floruit, eique fuit à Conſiliis, & à ſacris Confeſſionibus. Decies Definitor, ſepties Viſitator, ter Præſes, ter etiam Generalis Vicarius toti Congregationi præluxit, annis ſcilicet MCDXCIV. MDIII. & MDVIII. Eum deceſſiſſe arbitratur Calvi in ejus Vita, quam dat in Monumentis hiſtoricis Congregationis ſuæ part. I. pag. 159. paulò poſt annum MDXIII. Ibi condidiſſe memoratur

I. Præclaras leges pro Conſervatione Inſtituti Eremitarum:
II. Sermones de Sanctis ſine Auctoris nomine, ſed ſolummodo ſignati in fine his litteris, F. M. de Mediol. in fronte libri legitur Epiſtola ad Gabrielem Sfortiam veluti nuncupatoria in commendationem Operis. Dat. Mediol. ſine anno & ſubſcriptione in 4. magnæ molis, MS. in Biblioth. S. Mariæ Coronatæ.
Ex litteris prædictis, & tempore, atque amicitia, quæ inter Marcellinum, & Gabrielem Sfortiam intercedebat, Opus hoc Marmori adſcribendum arbitramur. Fortiſſimum vero argumentum eſt Librum Marcellini manu conſcriptum eſſe, ut cognovimus charactere inſpecto, & cum inſcriptionibus variorum librorum in eadem Bibliotheca aſſervatorum, quæ ad Marmori ſpectabant, collato.

## MLXVII.

### MARTELLUS PETRUS MARIA.

IN inſigni Oppido Modoëtiæ, ob ſervatam ibi Italici Regni Coronam gentibus omnibus Europæ noto, Baſilica viſitur Sancto Salvatoris Præcurſori Joanni ſacra à piiſſima Theodelinda Longobardorum Regina excitata, & munificentiſſimè dotata. Hujus celeberrimi Templi mox lapſo ſæculo Canonicus fuit Petrus Maria Martellus non mediocris eruditionis, præſertim in Theologicis rebus Vir, cujus doctrinæ teſtimonia ſunt Opuſcula duo,

Scilicet:

I. De Antichriſto.
II. De ſalvatione Salomonis, ſimul impreſſa. *Bergomi, Typis Rubei*, 1638. *in* 12.

## MLXVIII.

### MARTIGNONUS JOANNOLUS.

FAmiliam Martignonam inter vetuſtiſſimas hujus Metropolis recenſitam decoravit anno MCCXCII. Baldus de Martignono Reipublicæ Mediolanenſis eo anno Conſul. At majorem ſibi promeruit Joannolus ex eadem gente ortus commendationem, qui anno MCCCLXXXIX. in Inſigni Oppido Variſii hujus Ducatus Mediolanenſis Conſulatum geſſit. Populo autem ſuo prodeſſe cupiens coordinavit & digeſſit eodem anno die undecima Januarii

I. Statuta Reipublicæ Variſienſis.
De eo agit eruditus Vir Nicolaus Sormanus Ambroſiani Collegii Doctor in Hiſt. ſua Variſienſi in MS. & in Collectaneis ſuis Conſularibus.

## MLXIX.

### MARTIGNONUS PAULUS HIERONYMUS.

CLariſſimis Viris Patri Joanni Paulo Mazzucchello atque J. C. Camillo Sitono hunc Scriptorem debeo, nam à primo in ſuis Schedis, uti Sacerdos memorandæ probitatis, innocentique rerum antiquarum Studio detentus laudatur, à ſecundo verò didici eum Opus ſuum, infra memorandum compilaſſe anno Chriſti MDCXXXVII., & quod lectu digniſſimum ſit.

Digitized by Google

ſit. Hujus Familiæ Sepulchrum eſt in Eccleſia S. Simpliciani iſtius Urbis his notis :

IOANNI ANTONIO MARTIGNONO
FRATRI SIBI POSTERISQVE
IO. ANDREAS IO. BAPTISTA FRATRES
POSVERVNT
III. KAL. MAII MDLXX.

En titulus Operis :

I. Tractatus de Baſilica Stephaniana. MS. in fol. pagg. 350. Extat in Archivo ejuſdem Sancti Stephani Baſilicæ. Laudatur in Schedis ſupradictis à Mazzucchello, & à citato Sitono in Cathalogo Archiepiſcoporum Mediolanenſium, ubi agit de Gullielmo II. Archiepiſcopo.

## MLXX.

## MARTINELLUS GEORGIUS MARIA.

GEorgius Maria Martinellus ex Franciſco, & Antonia Collia Jugalibus honeſtâ familiâ, die nona Maji, anno MDCLV. in Pago Bruſini-plani, Plebis Arciſate in Ducatu Mediolanenſi ſito, natus, à pueritia mores optimos cum literarum ſtudiis conjunxit. Anno MDCLXIX. Clericali militiæ nomen dedit, & in Seminario Montis Aronæ, tum in Univerſitate Braydenſi humanis, diviniſque litteris excultus, atque Congregationem Sacerdotum, qui Oblati dicuntur, ingreſſus, in Seminariis Cellanæ, Modoëtiæ, Mediolani, & in Collegio Helvetico humaniores literas & Rhetoricam docuit. Oblatorum Collegium apud Oppidum Rhaude, in quo ejuſdem Congregationis Sacerdotes Sacris Miſſionibus addicti degunt, inſtituit & rexit. Virtutum Sacerdotalium ornamentis illuſtris, magnâ ſanctitatis famâ ſibi conciliatâ, anno ætatis ſuæ LXXIII. die II. Novembris MDCCXXVII. migravit ad Dominum.

Scripſit

I. Le vie dello ſpirito battute, con molti novi penſieri. *In Venezia, preſſo Sebaſtiano Colletti*, 1727., *Tom. II. in* 8.

II. Il Cammino della ſalute, agevolato a' Sacerdoti. *In Milano, preſſo Domenico Bellagatta, in* 8.

III. Stimoli all' Orazione mentale. *In Milano, preſſo Carlo Federico Gagliardi*, 1710. *in* 8.

IV. Motivi ordinati a ſvegliare l'amor di Dio. *In Milano, preſſo Franceſco Agnelli*, 1723.

V. Compendio intorno all' abuſo del far all' amore. *In Milano, nella Stamperia del Nava*, 1728.

Ejus Vitam ſcripſit Benedictus Mazzoleni Baſilicæ Nazarianæ Theologus, eamque dicavit Eminentiſſimo Benedicto Odeſcalco S. R. E. Cardinali, & Mediolanenſi Archiepiſcopo. Prodiit *Bergomi, typis Santini*, 1731. *in* 8.

## MLXXI.

## MARTINENGHUS JO. BAPTISTA.

NIſi Vir iſte calamo ſuo ſe Mediolanenſem eſſe indicaſſet, ipſum minime in hac Collectione inſeruiſſem, nam cùm Gens Martinengha ſit inter Brixianos Clariſſima, nunquam divinare potuiſſem Martinenghum hunc inter Mediolanenſes recenſendum fore, eo magis quod à nemine inter Scriptores hujus Provinciæ memoratur. Fortuitò Oratio iſtius Panegyrica in laudem Divi Caroli Borromæi ad me pervenit, & à Cinelli Bibliotheca didici, alteram ſcripſiſſe, de qua infra. Fortè plura alia Scriptor iſte publici juris fecit, quæ in aliorum Scriniis adhuc deliteſcunt; Lector interim benevolus accipiat quod ei proferre mihi datum eſt, nam tantillum percipere potui de ipſo.

Illius ſunt :

I. Panegyricus B. Carolo Borromæo dictus in Collegio Helvetico anno MDCII. à Joanne Baptiſta Martinengho Mediolanenſi. *Mediolani, typis Archiepiſcopalibus, in* 4.

II. De Sereniſſimorum Principum Coſmi II. Medicei Magni Ducis Hetruriæ IV., & Mariæ Magdalenæ Auſtriacæ ejus lectiſſimæ Conjugis prima prole ſuſcepta, Joannis Baptiſtæ Martinenghi Mediolanenſis Oratio. *Mediolani, per Bernardinum Lantonum*, 1609. *in* 4.
Videnda Cinelli Bibliotheca, Pluteo I.

## MLXXII.

## MARTINIANUS.

MArtinianus, ſive Maternianus Mediolanenſis Archiepiſcopus, Sanctitate & doctrina celeberrimus Sancto Marolo ſucceſſit; Baſilicam Sancto Stephano Protomartyri erexit, cui cognomen *ad Rotam*. Cum autem Neſtoriana hæreſis longè, latèque in Oriente graſſaretur, Martinianus impium Dogma acri, & vehementi Scripto confutavit, miſſo ad Theodoſium Minorem, & Valentinianum III. Auguſtos Libro, quo in primis hujuſmodi hæreticorum impietas coarguebatur. Eccleſiam Mediolanenſem annos ad minus tredecim adminiſtravit, ex Papebrochii Exegeſi ad Tabulam Chronologicam Archiepiſcoporum Mediolanenſium. Eum Sanctitate, & multis miraculis claruiſſe teſtatur in Martyrologio ſuo Galeſinius. Deceſſit circa annum Redempti Orbis CCCCXXXV. IV. Kal. Januarii. Ejus tamen memoria ſolemni ritu colitur IV. Nonas Januarii. Reliquiæ Corporis ejus jacent in prædicta Baſilica ſub Ara maxima cum nonnullis aliorum Sanctorum Corporibus, quæ Federicus Cardinalis Borromæus ſolemniter tranſtulit, ut ex ſequenti Inſcriptione, quæ ibidem extat;

CORPO-

Digitized by Google

CORPORA SS. MARTINIANI AVXANI ET MANSVETI
ARCHIEPISCOPORVM
PROTASII MARTYRIS MARCIANIQVE HEREMITAE
SVB VETERI HVIVS ECCLESIAE CHORO
QVONDAM SEPVLTA
ET PROPTER NOVAM TEMPLI STRVCTVRAM
INDE AMOTA
DILIGENTERQVE EX ANTIQVIS MONVMENTIS PICTVRIS
TRADITIONIBVSQVE RECOGNITA
FEDERICVS CARD. ET MEDIOL. ARCHIEP.
POST EORVMDEM CELEBERRIMAM TRANSLATIONEM
IN VII. PROVINCIALI FREQVENTISSIMA SYNODO
A SE CELEBRATAM
VNA CVM CORPORIBVS
SS. ARSATII MED. ARCHIEP. MARINI MARTYRIS
ET LEONIS HEREMITAE
QVAE IN ARCHA OLIM A S. CAROLO CARD. ET MED. ARCH.
CONDITA FVERVNT
INCLVSIS
SVB ALTARI DECENTIVS COLLOCAVIT
PRIDIE KALEND. IVNII MDCIX.

Scripſit

I. Librum contra Neſtorianos, de quo diximus.
Extat Ennodii Ticinenſis Epiſcopi de eo Epigramma in hæc verba conceptum :

*Mens nivei lactis ſpecies manifeſta columbæ,*
*Aſtuta Serpens Martiniane vale.*
*Lubrica te dubiis dum poſcunt flumina vulgi,*
*Inveniunt pavidum ne mereare legi.*
*Unus erat Mundo, contraria judice narrans,*
*Qui ut caperet regnum, vincere non metuit.*
*Protinus ad magni perductus culmen honoris,*
*Exul Cœlorum Civibus inſeritur.*
*Poſt gemmas Sanctis conſtruxit mundior ædes*
*Lumine, quas clauſo juſſit habere diem.*

In Eccleſia verò S. Ambroſii de hoc Archiepiſcopo extat in menſa marmorea alterum hoc Epigramma.

*Lux Patriæ ſublime decus Pater Oſius Urbis*
*Mundo flente jacens, traditur hoc tumulo.*
*Hunc Mediolani populus nunc lugeat omnis*
*Noverit ut tanto pignus abeſſe Viri.*
*Communis, placidus, hilaris, jocundus, honeſtus:*
*Moribus hic Urbem fecerat eſſe ſuam.*
*Celſa domus, protinuſque potens venit arbiter ore,*
*Sed meritis mentis vicerat iſte genus.*
*Privatæ Comes, atque rei provectus in altum*
*Sacrarum meruit ſumere jura Comes.*
*Patritium culmen gradibus conſcendit honores,*
*Crevit & ex tanto Præſule certus honor.*

Ejus Vitam ſcripſit Gaufridus de Buſſero; de eo etiam agunt Ripamontius Libro VI. Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis, Claudius Robertus in Cathalogo Epiſcoporum Mediolanenſium, Martyrologium Romanum die IV. Januarii, & Baronius in Notis ad eundem.

A De eo quoque agunt Acta Eccleſiæ Mediolanenſis, Ughellus in Tom. IV. Italiæ Sacræ in Mediolanenſibus, aliique plures.

## MLXXIII.

## MARTINOLUS PETRUS.

PEtrus Martinolus Mediolanenſis poſt Studia amœniora ad ſacra ſe vertit, atque in eis tantopere illuxit, ut animarum curam in Oppido Poliani nomine prope Rhaudum, nono ab Urbe lapide ſito, obtinere meruerit. Inter Curas Paſtorales, quibus ſedulo
B operam ſemper dedit, nunquam Muſas reliquit, ut videre eſt in ſubſequenti ejus Opere Elegiaco Carmine conſcripto in laudem duorum Mediolanenſium Archiepiſcoporum,

Nempe :

I. De Sancto Carolo Carmina. *Mediolani, apud Navam*, 1620. *in* 4.
II. Gaſparis Vicecomitis commemoratio, Carminibus celebrata, Extat in eodem libro.
Laudatur à Picinello in Athenæo Mediolanenſi pag. 463.

## MLXXIV.

C

## MASERA ANTONIUS.

ANtonius Maſera à Gallarato, inſigni Oppido Mediolanenſis Ducatus, Capuccinis iſtius Provinciæ anno MDCLVIII. nomen dedit, quo in Ordine perfectionis ſemitam impigrè arripuit, & ut facilius carnis vitaret inſidias, non communi contentus auſteritate, ſextâ quaque anni feriâ pane dumtaxat, & aqua corporis indigentiam recreabat, à qua conſuetudine, neque dum ad totius Provinciæ adminiſtrationem

nem eſſet promotus, nunquam diſceſſit. Ipſius Concionum fervor vulgo erat acceptus, ſimulque earundem litteratura, & Rhetorica diſpoſitio, Sapientum hominum plauſibus excipiebatur. Obiit Vir doctiſſimus Mediolani in Conventu Immaculatæ Concept. anno MDCCXIII. XXVII. Feb. ætatis ſuæ LXXIV. Relig. LV., omnibus de ſe propter eximiam ejus doctrinam, & vitæ ſanctimoniam relinquens deſiderium

Et præter alia MSS. in lucem edidit:

I. Diſcorſi Panegirici del P. Antonio Maſera da Gallarate, Predicatore Capuccino. *In Novara, ed in Milano, preſſo Carlo Giuſeppe Quinto*, 1694, *ſeconda edizione in* 4.

II. La Voce del Savio ſulle vie della ſalute, ponderata dal P. Antonio Maſera ec. *In Milano, per Carlo Antonio Malateſta*, 1695. *Tom. II. in* 4., & iterum 1701. nova editio.

Ita à Suis.

## MLXXV.

## de MASSA ANTONIUS.

IN nomenclaturis familiarum hujus Metropolis nullam inveni à Maſſa nuncupatam, ideoqe niſi Auctor ipſe Mediolanenſem ſe inſcripſiſſet, ut infra, minime ego in hac Collectione illum inſeruiſſem, quod facile de aliis quoque factum eſſe poteſt, ut alibi monui, duabus de cauſis, prima videlicet quod in Cathalogis Bibliothecarum patriæ Auctorum ferè nunquam indicantur, ideoque labor improbus erat, ſi tot volumina ſub oculis omnia habere voluiſſem, altera vero dificultas eſt in expiſcandis locis, ubi plures Auctores nati ſunt, ipſis ſilentibus tam in librorum titulis, quam in Epiſtolis nuncupatoriis, & Præfationibus. Præter patriam Auctoris noſtri, & quòd munera Conſiliarii Cæſarii, atque Rei Salinariæ adminiſtratoris geſſiſſet, ut ipſe fatetur, nil aliud Lectoribus meis proferre poſſum. Opuſculum ipſius tam libenter acceptum fuit, ut ex Latino in Italicum Sermonem impreſſum apparuerit, immo bis, quaterque.

Sic inſcribitur:

I. Salis Anatomia, in qua Origo, Facultates, Differentiæ, & Selectus Salis fundamentaliter, & ſumma cum diligentia deſcribuntur: Ab Antonio à Maſſa Mediolanenſi Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Joſeph I. Rom. Imperatoris Auguſtiſs. & Conſiliario, necnon Ducatus Sileſiæ Rei Salinariæ Adminiſtratore. *Impreſſit Uratiſlaviæ Andr. Franc. Pega.*

Titulus vero verſionis Italicæ ejuſdem libri ſic legitur:
„ Anotomia del Sale, in cui ſi moſtrano fondamentalmente l'origine, le virtù, le diverſità, e ſue operazioni da Antonio de Maſſa Milaneſe Cavaliere del S. R. Impero, Conſigliere della Camera di S. M Ceſarea, e ſuo Aminiſtratore de' Sali nella Sileſia. Alla Maeſtà di Carlo III. Rè delle Spagne, Arciduca d'Auſtria &c. *In Milano, nella Stampa d'Ambrogio Ramellati*, 1712. *in* 8.

Memoratur in Cinelli Bibliotheca volante, Pluteo 15.

## MLXXVI.

## MATTHIAS.

IN Cathalogo Scriptorum, quos Minores Obſervantes Sancti Franciſci nuncupamus, reperitur Matthias à Mediolano, cui etiam Sui addunt Venerabilis titulum, cognomine tamen familiæ deperdito. laudaturque ut Vir in Theologicis facultatibus perinſignis, necnon ſui Ordinis Concionator generalis, atque eximius. Picinellus breve titulum dedit Operis ejuſdem, quòd præ manibus ego habui, ideoque ut jacet hîc profero, nec forma ipſius libri eſt, ut notavit Picinellus in 4., ſed voluminis in fol. juſtæ molis, ſicque inſcribitur:

I. Incipit quodam Repertorium, ſeu Interrogatorium, ſive Confeſſionale per Venerabilem Fratrem Matthiam de Mediolano Ordinis Minorum de Congregatione B. Patris Fratris Amadei Hyſpani, compoſitum in loco S. Mariæ Pacis apud Mediolanum, nuperime congeſtum. Capitula n. XC. *Impreſſum Mediolani, per Jo. Angelum Scizenzeller anno* 1516. *die* 4. *Decembris, in fol.*

Videndi ſunt VVadingus in Cathalogo Script. Ord. Min. litt. M. pag. 255., & Picinellus in Athenæo pag. 421.

## MLXXVII.

## MAURUS CYPRIANUS.

TRes tantùm Viri ex Religione, quam Hieronymianam Lombardiæ vocant, in hac mea Bibliotheca locum tenent ex ſolo Picinelli Athenæo, nam fruſtra alios quæſivi, ut majorem eodem Cœtui gloriam afferre poſſem, parumque de ipſorum familia, Actis, atque de Operibus illorum pluſquam in ſupradicto Athenæo addere mihi licuit. De Cypriano Mauro prolixum Elogium Picinellus ſupradictus texuit, ideoque ſatis eſt ab ipſo diſcere, quod Studiis ille ſe imbuiſſet Bononiæ, ubi publicas Theologicas theſes habuit. Suorumque magiſter effectus, non tam in Scholaſticis, quam in Moralibus, atque Canonicis Scientiis illuxit, qua de re animarum curam ſuſcepit Eccleſiæ Parochialis S. Barbatiani ejuſdem Urbis per quinquenium. Mantuæ dein atque Ticini munus Sancti Officii Conſultoris peregregiè ſuſtinuit, immo Epiſcopus ipſe Mantuanus Matthæus Vitalis Cyprianum noſtrum voluit à Secretis, & Synodalem Examinatorem. Dein Concionator eximius efficitur, ut in pluribus Lombardiæ, atque Pedemontis Urbibus ad Verbum Dei diſſeminandum vocatus pluries extiterit. Tanta fuit ejus dicendi vis, ut præ manibus omnium Doctorum ſui ævi variæ Panegyres, atque Orationes funebres paſſim circumferrentur antequam in lucem prodirent. Artem quoque Poëticam tam Latino, quam Italico Sermone ſummopere adamavit. Tot virtutibus ſingularem prudentiam adjunxit, ob quam pluribus ſuæ Religionis Cœnobiis præſes inſtituitur, inter quæ Mantuanum adnumeratur, qua occaſione amorem, exiſtimationemque Caroli Mantuæ Ducis, necnon Mariæ ipſius Matris, atque Arciduciſſæ Auſtriacæ (cui fuit à ſacris Confeſſionibus) ſibi ita conciliavit, ut in rebus magni momenti ab ipſis Principibus adhibitus fuerit; apud ipſos quoque Legationem Catholici Regis per annos ſex ſumma cum laude obivit; quanti ipſum alii in primoribus dignitatibus conſtituti fecerint videre eſt apud citatum Picinellum, quo Athenæum Mediolanenſe ſcribente, Cyprianus noſter Cathedram Primariam Logicæ in Archigymnaſio Ticinenſi obtinebat. Aliquot Cœnobia ſuæ Congregationis vel recuperavit, vel auxit, extinctum enim S. Joſephi rurſus adeptus eſt, & Mantuanum S. Hieronymi, cui, ut jam diximus præfuit, quemadmodum & Ticinenſe S. Marini, cujus præſulatum mandato Clementis X. Summi Pontificis geſſit, morum probitate, atque ſudoribus ſuis locupletavit. Obiit Kal. Maji, ætatis ſuæ anno LXI. ſalutis verò MDCLXXXI. Opera illius, cum nullibi viderim, talia profero, qualia Picinellus indicavit, nullo indicato anno, Impreſſore vel loco editionis, reticens etiam ubi MSS. ſerventur:



Digitized by Google

Ea ſunt.

I. Orazione funebre per l'Abbate Bertazzolo detta in Mantova, e dedicata al Duca Carolo II., con molte Poeſie Italiane, e Latine dell'Autore.
II. Epicedio per la Sereniſſima Infanta Margarita di Savoja Ducheſſa di Mantova, e Vice-Regina di Portogallo.
III. Varie Poeſie, Ode ec. in lode del Duca Carlo II. di Mantova, che ebbe gran parte in liberar Aleſſandria dall'aſſedio de i Franceſi.
IV. Oda nella naſcita del Sereniſſimo Giuſeppe Luigi, figlivolo di Ferdinando III. Imperadore.
V. Varie Compoſizioni per l'Aſſonzione di Leopoldo alla Corona Imperiale.
Quæ typis parata erant ſunt teſte Picinello.
VI. La Vita di Madama Maria Gonzaga Ducheſſa di Mantova intitolata: l'Eco Panegiriſta.
VII. La Vita di S. Euſtochia, intitolata la Stella Polare.
VIII. Dizionario Toſcano intitolato: L'Interprete della lingua Toſcana.
Laudatur ab Antonio de Lupis in Epiſtola impreſſa fol. 402. in libro, cui titulus: *Valigie ſmarrita*, Extant ibi quoque ejuſdem duæ aliæ Epiſtolæ fol. 80. & 106. ad Auctorem noſtrum, cui Pater Franciſcus Maria Battalea dicavit librum inſcriptum: *La Galeria Spirituale*; Videndus item Picinellus ut ſupra in Athenæo pag. 147.

## MLXXVIII.

## MAURUS MAURITIUS.

QUod Maura Familia Mediolanenſis ſit, docet Inſcriptio Sepulchralis in Templo S. Fidelis hujus Urbis Carolo Mauro appoſita, & in Collectione Archintea relata. Ex eadem fuiſſe Mauritium, de quo agimus, facilè credendum eſt; nam ipſe Mediolanenſem ſe profitetur: ita aſſerit Donius loco infra memorando ſequentibus verbis, dum Opus illius reſſert inſcriptum: *Il Guſto dell' Uomo*, *di Mauro da Milano* „ con ragioni naturali moſtra queſto Uo„ mo, che l'Uomo ſi dovrebbe contentare d'ogni „ cibo, ed ha ſparſo in queſta ſua Opera buone „ autorità d'eſempj veri. „ Recipiant nunc Mediolanenſes hunc Scriptorem, & Poëtam forſan ab aliis nunquam memoratum, quod ſciam.

Habemus igitur:

I. Il Guſto dell' Uomo. Ex Donii libro inſcripto: „ La „ Libreria di Gio. Franceſco Doni. *Venezia*, *per il Giolito*, 1556. pag. 188.
II. Carmina V. Italica, vulgo Sonetti: Extant in libro: „ Mauſoleo di varie Poeſie Latine, ed Italiane in „ morte di Giuliano Goſelini. *Milano*, 1588.

## MLXXIX.

## MAYNERIUS BARTHOLOMEUS.

EXeunte Sæculo XVI. floruit ex Mayneria Familia Mediolanenſi Bartholomæus, qui Juriſprudentiam ſummopere adamavit. In ea ut progreſſus in dies ampliores faceret, Guidum Pancirolum Virum Clariſs., cui ſumma erat amicitiæ neceſſitudine conjunctus, non raro per litteras conſulere ſolebat, ut ſatis indicant infra dicenda. Egrè ferimus interim ob temporis injuriam multa ipſius Scripta periiſſe, quemadmodum licet arguere ex his, quæ vetuſtatis voracitatem fortuitò effugerunt. Parem cum Scriptis calamitatem ſenſere Scriptoris Acta, at æqui bonique conſulant Lectores laborem noſtrum, quo fruſtra ipſa indagavimus. Florebat tamen circa finem ſæculi XVI.

Hæc tantum ad poſteros pervenere.

I. Lettera di Bartolomeo Mainerio ſpiegante i ſuoi dubbj ſopra le parole della Legge *Properandum*. Integra Diſſertatio eſt eruditiſſima, atque digna, quæ in lucem prodeat. MS. in fol. in Biblioth. Ambroſiana, ſign. S. num. 8.
Ibi etiam ſervatur Reſponſum Guidi Panciroli, datum Patavii die XXIX. Novembris anno MDXCVI.

## MLXXX.

## MAYNERIUS JACOBUS.

EAs inter Familias, quarum prudentiæ, induſtriæ, atque vigilantiæ, debet Mediolanenſis Urbis Populus poſt toties repetitum Œnobarbi excidium Patriæ hujus Inclytæ inſtaurationem, non infimo certè loco habendum eſt Mayneria, ex qua anno ipſo memorandæ illius ruinæ prodierat Gotofredus Juſtitiæ Conſul. Reſtituta autem Urbe, & in priſtinum decorem redacta floruit ex eadem Gente Jacobus, qui Magiſtratum ipſum geſſit annis MCLXVIII. atque MCLXXIII. Huic fuerunt coævi Gotticinus, & Codeghinus Maynerii, fortaſſe fratres, quorum Conſulatus Juſtitiæ laudantur ad annos MCXCVI. & ſequenti. Horum æmuli ſunt virtutem anno MCCXLVII. Amicus. MCCLXXVII. Gotofredus junior, demumque Jacobus alter anno MCCLXXXIII. & ipſi majorum dignitate, atque muneribus potiti. Verùm de tot laudabilibus Viris hac familia genitis Jacobus ſenior nunc commendandus occurrit, cujus nunquam nomen interitum ſentiet propter ea, quæ Patriæ præſtitit. Nam quemadmodum legitur in Tomo II pag. 72. Inſignis Collectionis Diplomaticæ in pergameno MS., quæ ſervatur in publico Tabulario Inclytæ Civitatis Vercellarum compilatæ Sæculo XIV., & cui nomen impoſitum eſt *i Biſſoni*, anno MCLXX. VIII. Auguſti, Mediolani in Canonica Sancti Laurentii palam in Concione Communis Mediolani, per Girardum Cagapiſtam, Albertum de Carate, Menadragum de Sorexina, Albertum Cagatoſicum, Jacobum Maynerium, Abiaticum Marcellinum, Conſules Communis convenerunt, & promiſerunt Caypo Conſuli Communis Vercellarum, Mediolanenſes non exacturos à Vercellenſibus Pedaticum, ſeu Tranſitum Ticini ad Portum, vel ad Pontem, vigore concordiæ & ſocietatis inter ambas Civitates, initæ tempore reſtaurationis Mediolani.

Inſuper magni habendus eſt ob

I. Statuta plurima ad Mediolanenſis Reipublicæ utilitatem condita anno MCLXX.
Agunt de ipſo, non ſine debita, laude Gualvaneus de la Flamma lib XIII. cap. 594. Chalcus Hiſt. Patriæ lib. XII. pag. 243. Comes Octavius Archintus in Collect. Monument. Famil. Mediol., & Sitonus amiciſſimus in Collectaneis ſuis MSS. Conſulum Reipublicæ Mediolanenſis.

## MLXXXI.

## MAYNERIUS PETRUS.

PEtrus Maynerius Arnoldi filius, quem perperam, ut in ſequenti dicemus Articulo, Eruditiſſimus Curtius in Opere ſuo de Claris Medicis Mediolanenſibus pag. 23. cum altero Petro Maynerio confundit, huic poſtremo tribuens litterarios primi labores, Ordinem Eremitarum, qui S. Auguſtini dicuntur amplexus eſt. Sacræ Theologiæ magiſterio inſignis fuit, miraque eloquentia claruit adeo, ut cum Mediolanum

Digitized by Google

num à Gallorum exercitu arcta obſidione premeretur, facundiâ ſuâ populum ne cederet detinuerit, atque in fide firmaverit. Anno poſt Chriſtum natum MCCC-XLI. Verbum Dei ſummo cum plauſu è ſuggeſtu pluribus in Urbibus miniſtrare cœpit. Floruit Vir iſte, ut ſcripſit Philippus Vicecomes in ſæpe laudato ſuo libro de Conventu S. Marci, uſque ad declinationem ſæculi XIV. ex Pamphilo quoque & Torello; quo autem obierit anno hactenus incertum.

Opera illius hæc ſunt.

I. Prædicationes feſtivæ factæ per F. Petrum Maynerium de Mediol. MS. in fol. pergameno litteris rubro-nigris. Incipit: Quaſi ignis &c.

II. Prædicationes Dominicales ejuſdem. MS. in fol. Incipit: Erunt ſigna &c. ut ſupra.
Extant in Biblioth. Cœnobii S. Marci Mediol.

III. Oratio dicta Populo Mediolanenſi, occaſione qua ſupra. Teſte Ripamontio.
De eo agunt Thomas de Errera in Alphabeto Auguſtin. Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro, Tomo III., & Picinellus in Athenæo pag. 462.

## MLXXXII.

## MAYNERIUS PETRUS alter.

Petrus Maynerius Bonifacii filius, Vir nobiliſſimo loco Mediolani natus, inter ceteras eruditionis dotes, quas perpeti labore ſibi comparaverat, Phyſicam præcipuè coluit, cujus gratia primùm nobile Collegium Medicorum in hac Metropoli florens ingredi promeruit, tum Joannis Galeacii Vicecomitis primi Inſubrum Ducis Protophyſicus electus eſt. Diù Medicinæ exercendæ operam dedit in Patria, poſtmodum Clericale amplexus Iuſtitutum ob Scientiarum, morumque integritatis præſtantiam an. MCCC-LXXXVIII. ab Urbano VI. Summo Pontifice, tranſlato ad Vicentinum Epiſcopatum Petro Filargo, poſtea Novarienſi Præſule, tum Mediolanenſi Archiepiſcopo, poſtremo autem Summo Pontifice, qui Alexander V. dictus eſt, Placentinis Infulis decorari meruit, commiſſæque ſibi Eccleſiæ per Procuratores iniit poſſeſſionem eodem anno die XXI. Maji. Eo ſedente Academia, omniumque bonarum artium Lyceum præfati Galeacii Ducis privilegio tertio reſtauratum eſt. Præfuit Placentiæ Urbi annos XVI. non ſine ingenti laude; atque Mediolani ad immortalitatem tranſiit anno MCCCCIV. ſuccedente ſibi Branda Caſtillionæo, cujus Elogium loco ſuo jam dedimus. Cadaver ejus conditum eſt in Templo S. Marci, non autem S. Mariæ, ut perperam ſcribit Ughellus loco citando, apud Eremitas S. Auguſtini nuncupatos.

Scripſit Opus hoc titulo.

I. Theorica Corporum Cœleſtium, ſive Commentaria Sphæræ. MS. in fol. pergameno. Extat in Ambroſiana Biblioth. ſign. E. num. 114.
Laudatur à Curtio de Claris Medicis Mediol., qui hoc Opus ignoravit, & ut diximus, tribuit ei Opera alterius Petri Maynerii Articulo ſuperiori commendato. Ughello Tomo II. Italiæ Sacræ in Placentinis, num. 71., & Sitono amiciſſimo in ſuis Schedis.

## MLXXXIII.

## MAYNUS JASON.

Andreotus Maynus Eques & Comes Palatinus Cæſareus, necnon Ducalis Conſiliarius & Feudatarius, ob crimen Mediolani patratum, à Duce Philippo Maria Vicecomite in exilium actus, Piſau-

A rum ad Galeacium Malateſtam illius Urbis Dominum ſe contulit, ubi ex ancilla Agnete anno humanæ Salutis MCCCCXXXV. Jaſonem filium ſuſcepit. Is, Parente in Patriam reverſo Mediolanum deductus, Præceptoribus in bonis artibus traditus eſt erudiendus. Sed velut ex illegitimis nuptiis natus, paulò ſordidius, quàm Ambroſius, & alii legitimi fratres, educatus eſt, & ab immiti Pædagogo duriſſimè habitus. Exinde Ticinum ad Jus Civile perdiſcendum miſſus, primo anno in peſtilenti chartarum luxu adeò miſerè deperditus eſt, ut omni conſumpta ſuppellectile, etiam jurium Volumina in membranis magno pretio deſcripta vendere cogeretur, ad extremamque inopiam deductus vili veſte, & tonſo capite, incederet. Verùm à parente opportunè correptus
B ad eam vitæ frugem ſe reformavit, ut cum æqualium admiratione à Hieronymo Torto, Jacobo Puteo, & Cattone Sacco Papienſi eruditus, brevi inſignis evaſerit. Poſtea Bononiam profectus etiam Alexandrum Tartagnum Imolenſem incredibili ſtudio audivit. Nec ſimplici legum facultate contentus humanioribus litteris uſque ad Poëticas compoſitiones ſe inſtruxit. Dignus Cathedrâ viſus anno MCCCCLXXI. Ticini primo Inſtitutiones interpretatus, quædam Chriſtophori Portii Commentariis addidit, Philipumque Decium in ea lectione auditorem habuit; Exinde alias Juris partes ibidem uſque ad annum MCCCCLXXXVI. explicuit, quo Patavium magno honorario mille Ducatorum aureorum, ut ex lectis ejus Codicillis, vocatus, ibi cum Antonio Orſato veſpertinas lectiones magna nominis fama per triennium profeſſus eſt,
C & cum ſibi ſalarium augeri poſtea petiiſſet, diſcedens, Joannem Campegium ſucceſſorem habuit. Inde Piſas majore ſtipendio conductus, cum Bartholomæo Socino eaſdem, ut quidam ferunt, mane Juris Civilis lectiones explicuit, ſed eos æmulos, non concurrentes fuiſſe invenio. Primus fuit ex illis Jurium Interpretibus, qui mille aureorum ſalarium obtinuit, ut cum antea ducentis, aut ad ſummum trecentis aureis docerent; primus etiam 50. 100. & amplius aureos pro Reſponſis accepit, cum prius quatuor aureolis honorarentur, ut refert Celeberrimus Guidus Pancirolus. Jam verò clariſſimus factus, à Ludovico Sfortia rurſus Ticinum anno MCCCCXCI. revocatus uſque ad finem vitæ XX amplius annis veſpertinas lectiones prælegit. Eò ad celebrem hominis famam tria millia auditorum confluxiſſe dicun-
D tur: Inter alios Jo. Franc. Ripam, Rochum Curtium, Claudium Seiſſellum, & Paulum à Monte Pico, quem poſtea concurrentem habuit, inſtituit. Oris canore, vociſque decore venuſtus etiam lectionis perſpicuitate diſcentibus erat gratiſſimus, ut clauſo per duas horas Auditorio, quæ explicabat, vel dictabat magno ſilentio exciperentur. Sequente verò anno ad Alexand. VI. Pont. declaratum à Ludovico Sfortia cum Hermete Sfortia Ducis fratre, Jo. Franc. Severino, & Franc. Sfortia, Nicolaoque Corrigio gratulatum miſſus, luculentam Orationem habuit, ac primas tunc temporis inter Oratores partes obtinuit. Poſtea ad Federicum Imperatorem ſimiliter delegatur, quo præſente & Maximiliano Romanorum
E Rege, ac pluribus Germaniæ Principibus, Orationem alteram dixit ſuper Matrimonio Maximiliani cum Ludovici Sfortiæ Mediolanenſium Ducis Nepte, ingenti omnium plauſu. Quare auro, argentoque donatus, & Equeſtri, ac Palatina dignitate honeſtatus, Cæſariſque patricius factus, lætus in Patriam rediit. Anno etiam MCCCCXCV., quo Ludovicus Sfortia Mediolani Dux creatus eſt XVII. Kal Maji, ſplendidam Orationem habuit, & ejus Senator, ac Patricius iterum eſt declaratus. Inter hæc accidit, ut quadam lippientium, ac prope cœcutientium oculorum caligine teneretur, quare ultra novennium à docendi munere ceſſavit. Cùm verò Ludovicus XII. Gallorum Rex, ſubactis Liguria, & Inſubribus, Mediolano potitus eſſet, Jaſonem per multos Proceres, ac Cardinales, ut ad Jus interpre-

tan-

Digitized by Google

tandum reverteretur , fruſtra ſollicitavit ; Tandem Rex ipſe multis adhortationibus ad priſtinnm munus ſuſcipiendum impulit, & cum Ticinum veniſſet, eum audire voluit . Die dicta , Jaſon aurea veſte indutus Regem ad Gymnaſium deduxit . Ubi eò ventum eſt , Rex eum , velut Præceptorem , præire juſſit , quod eo in loco profitentibus Regiam poteſtatem inferiorem eſſe diceret . Comitati Ludovicum fuerant quinque Cardinales , & centum Proceres , qui cum aliis Subſellia implevere . Jaſon Equeſtrem dignitatem ob ſpectatam in prælio virtutem à Principe collatam, adversùs aliorum ſententiam, ad liberos tranſire ſuſtinuit; deſcendentem è Cathedra amplexus, Piopera caſtello Regia liberalitate donatum dimiſit ; In domeſtico verò colloquio ab eodem interrogatus Jaſon , cur nunquam uxorem duxiſſet , ut tua, inquit, Ampliſſime Rex, opera, Julius Pontifex me ad Purpureum Galerum promovere poſſit. Hoc reſponſo animi quidem ſecretum oſtendit, ſed nunquam voti compos factus eſt . Caſtrum verò Pioperam Rex in feudum Jaſoni , dum viveret , cum multis prædiis , & proventibus conceſſit , hoc animo , ut Jura profiteri teneretur , niſi valetudine eſſet impeditus . Verùm cum Ludovicus cognomento Maurus ex Germania , ingenti conflato exercitu, reverſus, à Ludovico Rege profligatus , captuſque fuiſſet , Dominus à Corcu Regiæ Domus Magiſter Jaſonem Caſtro ſpoliavit , etſi poſt acquiſitum Caſtrum ſemper docuiſſet . Jaſon amicorum opera à Rege literas impetravit , ut ſibi ablata reſtituerentur, ſed fruſtra CL. aureos in hanc cauſam inanè impendit , cum nec obolum ex Caſtro unquam perceperit , quam Hiſtoriam ipſe in quodam reſponſo , ſeu Epiſtola Guidoni de Rupeforti Galliarum Cancellario miſſa explicat , quæ anno MD. contigiſſe dicuntur . Ipſe tamen poſtea uſque ad annum MDXI. docuiſſe reperitur . Jaſonis nominis invidia exagitatus Philippus Decius ipſum uſque ad inſanas cavillationes nunquam inſectari deſtitit . Aliorum, ut fertur, laboribus Jaſon libenter fruebatur, ſi æmulos ſuos audiamus , qui aſſerunt Commentarium in titulum de Actionibus ab Alexandro Imolenſi ſcite elaboratum ſibi adſcripſiſſe , & in lucem edidiſſe ; Hieronymi Torti Papienſis, qui cum Jacobo Puteo in Patria veſpertinas lectiones paulo ante explicuerat , & aliorum Scriptis locupletari voluiſſe ; Bononiæ quoque dum ibi Bartholomæus Socinus, deinde Carolus Ruinus profiterentur , auditores aluiſſe dixerunt , qui eorum deſcriptas lectiones ad ſe referrent; Ruinum ſæpe publicè deploraviſſe , qui , ut ajunt , mucata per indignationem ſententia, ſurreptas opiniones conſutare conſueverat . Vir fuit alioquin laborioſus, & in cumulandis aliorum dictis diligens. Nullum præterea ſibi tempus ad expoliandas lectiones , niſi Quadrageſimæ , quum jejunabat , ſufficere dictitabat . Alexandrum Tartagnum eſt æmulatus , lucido verò ordine, ut ſcribit Pancirolus, perſpicuaque ac ſolida doctrina Jura interpretatus, plurimùm ſtudioſis profuiſſe viſus eſt . Linteo capiti obvoluto, etiam meridie occluſis feneſtris ad accenſum lumen elucubrare conſueverat , ne Cœli claritate mentem evagari ſineret . Conſultoribus oneroſus in hoc laudem meruit , quod ſi cauſa excidiſſent , extortam pecuniam ſe reſtituturum pollicebatur ( rarum in Foro exemplum ! ) Nobile Ticini ædificium extruxit cum Turribus in ſummis angulis inverſis , quod patrem ſuum nolle mentitum eſſe diceret , qui filio in prima juventute ad vitia declinanti ſæpe per iracundiam objiciebat , eum Turrim converſis in Cœlum fundamentis fabricaturum . Quo dicto , id ædificii genus, quod ad declarandam Nobilitatem fiebat, Jaſonem nunquam facturum ſignificabat ; Portæ verò ædium hanc ſententiam inſcripſit : *Virtuti fortuna comes* , quod antea Cicero & Livius de Cl. Sempronio loquentes, & alii dixerant. Perampla etiam prædia in Placentino agro comparavit. Gallis Mediolano armis Hiſpanorum expulſis , Jo. Jacobi Trivultii Gallorum fautoris bona obtinuit, ſed illis Franciſci I. virtute reverſis ea amiſit . Ferunt eum ſenio confectum deliraſſe , & ſæpe à Com. Hippolyto ex fratre nepote pugnis cæſum fuiſſe . Obiit Ticini anno MDXIX. XI. Cal. Aprilis , ætatis LXXXIV. Polydamante filio naturali poſt ſe relicto , qui & ipſe Jurisconſultus Genuæ Prætor fuit, & Ambroſio fratre , ex quo Thomas natus eſt . Oravit in ejus Funere Marcus Antonius Natta J. C. Aſtenſis . Teſtamentum condidit die III. Decembris anno MDXVIII. quod ſervat in ſuo Muſæo Clariſſimus Advocatus Sitonus de Scotia . Sepultùs eſt in Suburbano D. Jacobi , ( non D. Pauli , ut perperam Jovius , ac alii ) Templo FF. Min. Refform. S. Franciſci , cum hac Inſcriptione :

IASON MAYNVS IVRISCONSVLTVS
EQVES ET COMES
QVISQVIS ILLE FVERIT
HIC REQVIESCIT.

Sed & aliud non inelegans in hæc verba extat Epitaphium à Dardano Parmenſi editum, ut referrt Paulus Jovius in Elogiis doctorum Virorum.

*Quis jacet hoc hoſpes tumulo ? quis ? ſummus Jaſon*
*Ille ne Phryxeæ vellere dives ovis ?*
*Clarior hic illo longe eſt , quis nam oro Maynus*
*Excellens Juris gloria Cæſarei .*
*Non fuit hoc Juris quiſquam conſultior alter ,*
*Qui extinctum poſſet reddere Jus melius ,*
*Sed tamen hoc ſummi vetuit mens Dia Parentis ,*
*Cæſaribus cupiens uſque favere ſuis .*
*Te audiit , o nimium fœlix , qui Jura legentem ,*
*Damnantemque acri plurima judicio .*
*Nec tamen infœlix tua qui monumenta revolvit ,*
*Et memori condit lecta , fovetque ſinu .*
*Et quamquam obloqueris plebs invida ſolus Jaſon ,*
*Hic legum nodos difficiles ſolvit ;*
*Amborum ſic fama omnem vulgata per Orbem ,*
*Ille nitens belli laude , ſed iſte togæ .*

Etiam hos verſus ſcripſit Marcus Litta in libro de Urbe Mediolani in laudem Jaſonis noſtri .

*Quis Maynum ignoret ? quo non pervenit Jaſon ?*
*Theſſalus haud tantum cognitus ille fuit .*

Sub ejus Effigie , quam dedit Iſaacus Bulartus in Opere , cui titulus : „ Accademie de Sciences & „ des Arts , hoc Carmen legitur :

*Sanctarum intereant numeroſa volumina Legum ,*
*Hic per quem ſubito reſtituantur , erit .*

Tandem pro coronide hujus vitæ damus Andreæ Alciati judicium de Mayno noſtro , quod legitur apud Janum Vincentium Gravinam in libro de Ortu & Progreſſu Juris Civilis , editionis Lipſienſis anno 1717. pag. 120. his Carminibus :

*In*

Digitized by Google

*In jure primas comparatus ceteris*
*Partes habebit Bartolus* ,
*Deciſiones ob frequentes* , *actio*
*Baldum forenſis ſuſtinet* .
*Non negligenda maximè eſt tyronibus*
*Caſtrenſis explanatio* .
*Opinionum tutius Symplegadas*
*Superabis Alexandro Duce* .
*Ordinis Jaſon* , *atque lucis nomine*
*Videndus eſt properantibus* .
*His ſi quis alios addidit interpretes* ,
*Onerat quam honorat magis* .

Opera illius perdiligenter collegimus , ut ſequitur :

I. In primam & ſecundam Digeſti novi partem Commentaria cum Summariis . *Lugd.* 1536. *in fol.*

II. In primam & ſecundam Codicis partem Commentaria cum Additionibus & Summariis . *Ibid.*

III. In primam & ſecundam Infortiati partem Commentaria . *Ibid.*

IV. In primam & ſecundam Digeſti veteris partem Commentaria . *Ibid* His Commentariis adjunctum eſt Repertorium , ſeu Index Alphabeticus in Commentaria Jaſonis Mayni . *Ibid.* Hæc denuò impreſſa ſunt pluribus Voluminibus diſtributa , cum doctorum adnotationibus , præſertim Joannis Franciſci Purpurati . *Venetiis* , 1568. *in fol.*

V. Lectura ſuper titulo de Actionibus in Inſtitutiones Juſtiniani , emendata per Antonium Angelum Carcaſſonam Sardum . Item termini Actionum per Joannem Criſpum Montanum . *Lugd.* 1556. *in fol.*, & cum notis Benedicti de Vadis , Antonii Carcaſſonæ , Jo. Criſpii , Adamantii , Dionyſiii Placentini J. C. , & Ludovici Gomeſii . *Venetiis* , *ſine Typograpbo* , 1582. *in fol.* , *&* *Francofurti* , 1609. *in fol.*

VI. Conſiliorum , ſive Reſponſorum Volumina IV. cum luculentiſſimis Additionibus & notis Franciſci Becii , & Hieronymi Zanchii . *Venetiis* , 1581. *in fol. It. Francofurti* , 1609. *in fol.* , *& ibidem* , *apud Beelkerum* , 1611. *in fol.*

VII. Conſilia Feudalia . Extant in Opere , cui titulus : Omnium Clariſs. Viror. Conſilia Feudalia . *Lugduni* , 1553. *in fol.*

VIII. Conſilia II. Extant inter illa Alberti Bruni Aſtenſis . *Venetiis* , 1648. *in fol.*

IX. Conſilia duo Criminalia . Extant inter Conſilia Jo. Bapt. Ziletti T. II. pagg. 64. & 67.

X. Repetito in L. Quominus . De Fluminibus . *Lugduni* , 1553. *in fol.* Item inter Repetitiones Juris Civilis .

XI. Apophtegmata ſeu ſingularia Juris . *Lugduni* , 1539. *in* 8. , & cum Additionibus , *ibid.* 1554. *in fol.* Prima autem Editio extitit *Papiæ* , anno 1489. cui præfixa eſt Auctoris Epiſtola ad Jacobum Ghilinum Ducalem Secretarium valde ibi laudatum , & Jaſon hanc Repetitionem vocat primitias agelli ſui . Extat ibi quoque Epigramma Petri Offredi Cremonenſis in laudem Jaſonis .

Opera vero juridica Jaſonis noſtri in unum corpus collecta , edita fuerunt *Auguſtæ Taurinorum* , *apud Bevillaquam* , 1576. *Tom. IX. in fol.* , ſed non omnia ut hîc adnotavimus , & conferentibus facilè patebit , ac inter alia etiam Opus quod ſequitur , ibi deeſt :

XII. Additiones ad Chriſtophorum Portium in Inſtitutionibus . *Venetiis* , *apud Franciſcum de Portonariis* , 1561. *in fol.*

XIII. Oratio ad Alexandrum VI. Pont. Max. Epiſtola ſic incipit : ad Illuſtriſſimum , & Sapientiſſimum Principem Ludovicum Sfortiam Vicecomitem Barii Ducem , Jaſon de Mayno J. C. & Ducalis Senator . Data ex Academia Ticinenſi XII. Kalendas Januarii , anno ſalutis Dominicæ MCDXCIII. In fine . „ Acta Romæ Idibus Decembris anno MCDXCII. in Conſiſtorio Publico . Subſequuntur duo Epigrammata in laudem Auctoris , alterum Alexandri Rouvinagiæ , alterum Nicolai Scyllatii Siculi . Edita eſt etiam inter Orationes clarorum Virorum ab Academia Veneta promulgatas . *Venetiis* , 1559. *in* 4. *&* *Pariſiis* , 1577. *in* 12.



XIV. Oratio habita in funere Excellentiſſimi Juriſconſulti Hieronymi Torti , tenentis primam Cathedram in felici Gymnaſio Ticinenſi , per me Jaſonem de Mayno Mediolanenſem Juris Utriuſque Doctorem , ad Illuſtriſs. Principem Ludovicum Sfortiam Vicecomitem Barii Ducem &c. In fine ſic legitur : „ Habita Papiæ in Eccleſia FF. „ Minorum per me Jaſonem de Mayno , tertio „ Idus Auguſti anno MCDLXXXIV. ſine Typographi nomine , in 4.

XV. Oratio exhortatoria , habita pro felici initio Gymnaſii Ticinenſis , per Clariſs. J. U. D. Dominum Jaſonem de Mayno die IV. Novembris MCDLXXVIII. Hæc MS habetur in Codice ſignato O. n. 57. in 4. Biblioth. Ambroſ. eſtque pagg. 20. , & cum aliis duabus ſupradictis Orationibus Auctoris noſtri impreſſis uno Volumine , quod Lazarus Auguſtinus Cotta dono dedit memoratæ Bibliothecæ .

XVI. Oratio ſive Epithalamium in Nuptiis Maximiliani Romanorum Regis , & Blancæ Mariæ Vicecomitis : acta Hiſpruch , ſeu Oeniponte VI. Id. Martii , anno MCDXCIV. ibique edita in 4. Extat etiam inter Scriptores Germanicos Freheri Tom. II. pag. 222. Et MS. in Regia Pariſienſi Bibliotheca Cod. n. 6665. ita Montfauconius in Bibl. MSS. Tom. II. pag. 766.

XVII. Oratio , ſeu potius Epiſtola , Januenſium nomine , ad Barchinonenſes , quod juſta Arma , tanquam laceſſiti , contra Regem Aragonum ſuſceperant . Data Januæ , anno MCDLXXXVII. die XXII. Auguſti . Impreſſa verò *Cremonæ* , *per Bernardinum de Miſintis de Papia* , *anno* 1492. *die* 18. *Junii* .

XVIII. Reſponſio facta Oratoribus Genuenſibus nomine Ducis Mediolani , in deditione eorum Urbis anno MCDXCV. ſine loco & Typographo , in 4. Extat in Biblioth. S. Victoris hujus Urbis .

Inter Opuſcula Hier. Moroni , MSS. apud March. de Sylva extant Epiſtolæ III. ad Jaſonem Maynum J. C. præſtantiſſimum Tom. II. pag. 24. 29. & 30.

In Libro , cui titulus : Bonifacii Simonetæ Abb. Ciſterc. Perſecutionum Chriſtianarum Hiſtoria , Pontificumque Commentarii , impreſſo *Mediolani* 1492. Extat Epiſtola lib. II. num. 5. qua Jaſoni Mayno Juriconſulto eximio reſpondet : qualia ſint ſub unoquoque climate ingenia hominum , & ſub qua cœli regione homines naſcantur ſolertiores .

Hieronymus Perbonus in Epiſtola XI. lib. II. ad Gaſparem Maynum armorum Capitaneum , & Ducalem locum-tenentem , his verbis Jaſonem commendat : „ Patruus tuus clariſſimus Jaſon , „ qui divinis legum monumentis editis patriam „ per omnes mundi regiones reddidit auctam & „ majorem .

Jaſonem commendant , præter citatos Auctores , Jacobus Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum lib. VI. Trithemius in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis , Geſnerus in Bibliotheca Univerſali , Guidus Pancirolus de Claris Legum Interpretibus pag. mihi 225. Fichardus in Vitis Juriſconſultorum apud Pancirolum pag. 426. , Marcus Mantua in Epitome apud eundem pag. 478. Bayle in Lexico Critico , Thomas Diplovatarius , qui Vitam Jaſonis evulgavit : Jaſon Landus ipſum quoque Epigrammate laudavit : à Picinello relato in Athenæo pag. 250. , atque à Cl. Sitono , cui debemus ſeriem Chronologicam Maynæ Gentis ab Ambroſio florente anno MCCCLX. ad Jaſonem juniorem , de quo mox dicemus .

## MLXXXIV.

### MAYNUS JASON alter.

Jam diximus in Jaſone celeberrimo J. C. ſeniore antiquam originem ipſum traxiſſe ab Ambroſio Mayno , qui in vivis erat Sæculo XIV. ineunte ; à ſerie verò Chronologica Maynæ gentis , ab humaniſſimo Sitono nobis exhibita , ut innuimus , plura cognovimus ad ipſam illuſtrandam aptiſſima uſque ad annum MDLXIX. Jaſon vero Junior , de quo nunc agimus , parentes habuit Polydamantem ſupradicti Jaſonis ſenioris filium , qui inter J. C. C. Mediolanenſes nu-



Digitized by Google

numerabatur anno MDL., immo Patriæ Præturam ipſe exercuit anno ſequenti, & Aloyſiam de Medicis Conjuges. Noſter verò laudatur à Moriggia in libro de Nobilitate Mediolanenſi, ut Poëta, & Philoſophus magni nominis, qui veſtigia ejuſdem Avi ſui ſecutus, legum ſcientiæ ſedulam navavit operam, ſed cum imbecillo eſſet corpore, ab eo ſtudio deſiſtere coactus eſt. Inter Academicos Affidatos ſub nomine *il Bramoſo* totus ad Muſas ſe convertit. Multa compoſuit Carmina, quæ apud Eruditos ſui ævi ſummopere in pretio tunc fuere. Ego vero pro illis tantùm Italicis, quæ vidi in collectione Dulcii, minime in hac Bibliotheca locum ei daturus fuiſſem, ſed meritò id agere inſtitui pro alio ipſius Poëmate Latino infra recenſendo, interimque alia expectanda ſunt de hoc laudato Viro à fœliciori poſt me Collectore.

Profero igitur de Jaſone Juniore:

I. Carmina duo Italica vulgo *Sonetti*; extant in libro, cui titulus: „ Stanze Raccolte dal Dolce, pag. 28.
II. Poëma de Legum Initiis apud Veteres. MS. in 4. ſign. A n. 1102. in Colbertina, ex Cathalogo ejuſdem Biblioth. pag. 309.
Agunt de ipſo Lucas Contilis in Impreſiis Academiæ Affidatorum, Creſcentius in II. Parte Amphiteatri, MS. in Bibl Vicecomitum. Sitonus in Theatro Genealogico Famil. Mediol. pag. 279. MS. in fol. apud eundem Auctorem.

## MLXXXV.

## MAZENTA FAUSTINUS.

GUidus Antonius Mazenta J.C.C. Mediolanenſis, & ex LX. Patriæ Decurionibus, nec non Helena Raynolda Parentes nobiliſſimi fuerunt Fauſtini noſtri, qui Juris utriuſque Laurea inſignitus, Jus Canonicum in Ædibus Archiepiſcopalibus publicè docuit. Mox creatur Protonotarius Apoſtolicus, & Abbas S. Mariæ in Oppido Mazenta. Hinc Canonicus Ordinarius Metropolitanæ anno MDCXIX. Præfectus Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, Collegii Helvetici, & Fabricæ Sancti Fidelis, Protector Carthuſiæ Cariniani. Sacella S. Mariæ Mazentæ, & aliud in Templo Sanctimonialium S. Pauli Mediolani reſtauravit. In quorum primo leguntur ſequentes duæ Inſcriptiones.

ORATORIVM HOC DIVO BLASIO
FAVSTINVS MAZENTA ABBAS S. MARIAE
RESTAVRATIONE COMPLETA
REAEDIFICAVIT
PRO PERPETVA MISSAE CELEBRATIONE
DOTAVIT
DEIN VNDEQVAQVE EGREGIE ORNATVM
PRO SACRIS INDVMENTIS
ADDITO SACELLO
AD DEI AC DIVI HONOREM ET GLORIAM
ABSOLVIT.

ORATORIO SACELLOQVE ADIACENTE
ABSOLVTIS
HAS ETIAM AEDES
SACERDOTIBVS PER TEMPORA CELEBRATVRIS
FAVSTINVS ABBAS MAZENTA
EXTRVXIT ANNO M. D. C. L.
SINGVLA VLTRONEO SVMPTV
VT PER SACRIFICIA AC SACRA AEDIFICIA
DEO ET DIVO FAVENTIBVS
SIBI SVISQVE COELICVM
PARARET DOMICILIVM.

Peſtis tempore cum maximo Xenodochio Præfectus eſſet, plurimùm ad peſtifera labe tactos juvandos laboravit. E vivis exceſſit anno redempti Orbis MDCLVIII. Scientias ſolidiores, & Poëticas quoque colere voluit, ut ex ſequentibus patebit.

Habemus igitur de ipſo:

I. Carmina, quæ extant inter Poëmata Variorum pro Laurea Patris Antonii Jacobi Marcheſii, à Hieronymo Villa collecta, & alibi citata.
II. Epigrammata Latina, atque Poëmata Italica, vulgo *Sonetti*, in Collectione variorum Poëmatum in Laurea Ludovici Meltii, in 4. *Papiæ*, 1597.
III. Alia tam Latina, quàm Italica in libro, cui titulus: Varj Componimenti fatti nel Dottoramento del Sig. Ludovico Mazenta (ejus fratris). *Papiæ*, 1613 *in* 8.
IV. Carmen de interitu Concini, populari furore in Gallia diſcerpti. Extat in Biblioth. Monachorum S. Ambroſii hujus Urbis, in MS. Jacobi Valerii, Cod. ſign. A. num. 125.
Laudatur in lib. cui Titulus: Virtutis Templum & Honoris, Sermo Panegyricus ab Antonio Rampono Mediolanenſi habitus, in renunciatione Guidi Mazentæ, Principis Academiæ Infocatorum.
Extant ad eum Carmina Latina Auguſtini Terzagi in ſuo libro, cui titulus: Poëſis.
Ejus quoque mentio occurrit in libro inſcripto: Lettera d'un Sacerdore della Compagnia di Gesù, narrante alcune Virtù, e ſante Operazioni del Sig. Ludovico Mazenta.
Videndæ etiam ſunt Schedæ Sitonianæ.

## MLXXXVI.

## MAZENTA GUIDOTTUS.

HIppocratis atque Galeni dogmata ſecuti ſunt plures è Mazentarum nobiliſſima gente, Joannes videlicet, Guidotti plures, & Simon, quorum in ſæpè laudato libro Bartholomæi Curtii de claris Medicis Mediolanenſibus honorifica occurrit memoria. Agendum nunc eſt de Guidotto, quem Picinellus tertium vocat, nam de Guidotto ſecundo meminit præfatus Curtius ad annum MCCCXC. citato etiam Sylvatico, qui eum clariſſimum Philoſophum appellat, tametſi nullum ejuſdem Opus proferat. Avus hic fuit Guidotti Junioris, cujus nunc laudes promimus, & Pater Simonis, Doctoris Phyſici Collegiati, qui hujus Urbis Decurio, Ticinenſis Academiæ Rector, tum Philippi Mariæ Vicecomitis, Mediolani Ducis Tertii Protophyſicus, atque in ejuſdem Secretiori Conſilio Senator extitit. Scriptor igitur noſter ex eodem Simone, atque Catharina de Medicis genitus, Phyſicorum ætatis ſuæ facilè princeps, circa annum MCCCCLXXX. tantum famæ ob eruditionem Philoſophicam, Medicam, ac Poëticam apud Ludovicum Mariam Sfortiam tunc Inſubriæ imperitantem conſecutus eſt, ut Aulicus Ar-

chia-

chiater renunciatus, in conſilium Principis aſſumeretur. Ejus laudes attigit Hieronymus Montius in Oratione habita an. MDXL. pro cooptatione Ludovici de Mazentis in celeberrimum Juriſperitorum Mediolanenſium Collegium, edita poſtea *Lugduni* 1547. *apud Sebaſtianum Gryphium*, his verbis: „ Recens eſt Guidotti avi tui memoria, atque „ adeò in animis hominum etiam viget, ut plerique „ non decrepita ætate Viri conſtantiſſime affirment, „ neminem ſua ætate Medicorum fuiſſe, qui illi comparandus eſſet: referunt tantam ejus Viri celebritatem in Italia viguiſſe, ut ſæpe à diverſis eodem „ tempore Principibus acceſſitus eſſet. Una erat illi „ ſedes Mediolanum, & tamen tam clari nominis „ fama remotiſſimas etiam gentes pervaſerat. Quoties ille primarios Viros ingraveſcente morbo animam exhalantes ad incolumitatem revocavit! Quoties alios Medicorum incuriâ ad extremam perniciem deductos, intellectâ melius ægritudinis causâ, à morte retraxit! „ Plurima alia in Guidotti laudem ſubdit diſertiſſimus Orator, ſed longum nimis eſſet hîc omnia tranſcribere. Sylvaticus etiam in Libro Colleg. Mediolan. Medic. cap. 17. pag. 50. ait: „ Guidottus Simonis filius, Ludovici Sfortiæ „ Ducis Mediolani, Medicus fuit & Conſiliarius, „ ſcriptis in Philoſophia clarus.

Habentur igitur doctrinæ Guidotti noſtri hæc monumenta.

I. Opera Philoſophica à præfato Sylvatico memorata.
II. Carmina Italica, vulgo *Sonetti*, inter MSS. Verſus Gaſparis Vicecomitis, de quo dicemus loco ſuo.
Ei Pius Bononienſis anno MD. Nonium Marcellinum dicavit, ut teſtatur Cl. Joſephus Antonius Saxius in Hiſt. ſua Typographica Mediolanenſi.
Nomen verò ipſius memoratur in Sepulchrali Elogio Genitoris ſui Simonis, quod in Ducali Baſilica Sanctæ Mariæ Scalenſis Mediolani adhuc viſitur.

D. O. M.
SIMONI MAZENTAE
ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORI CLARISSIMO
GVIDOTTVS PHYSICVS
PATRI B. M. POSTERISQVE ET SIBI V. P.
ANNO MCCCCLXXIV. XII. APRILIS.

Laudatur Guidottus à Platino Plato in Epiſtolis impreſſis anno 1496. Morigia Hiſt. Antiq. Mediol. lib. IV. cap. 12., & Nobil. Mediol. lib. III. cap. 11. Sylvatico jam citato in Colleg. Phyſic. Mediol. cap. 17. Antonio Rampono in Elog. Famil. Mazentæ pag. 10. Sitono in Chron. Colleg. J. PP. art. 450. pag. 109., & in MSS. Chron. Colleg. Phyſic., atque Theatro Genealog. Famil. Nobilium Mediol. pag. 289. Mazzuchello in Schedis; Picinello in Athenæo pag. 375 aliiſque pluribus.

## MLXXXVII.

## MAZENTA GUIDUS.

EX Ludovico J. C. Coll. atque Mediolani Senatore, de quo parum infra nobis erit ſermo, nec non ex Catharina Bottigella jugalibus clariſs. natus eſt Guidus Mazenta, qui & ipſe inter LX. Patriæ Decuriones numerabatur, imò Juridicas facultates proſequendo, ingreſſus eſt Coll. Juris PP. anno Chriſti MDLXXXVI. Deinde Præturam Urbis Mediolani obivit anno MDCV., poſtquam inter Regios Vicarios Generales jam adſcriptus fuiſſet. Vir fuit non tantùm litteris ſummopere præditus, ſed & pietate, liberalitateque inſignis. Meritò igitur ſequentibus verbis laudatur à Petro Paulo Boſca in libro V. de Origine & ſtatu Bibliothecæ Ambroſianæ: „ Jam verò ineunte hoc ſæculo „ Vir Patritius, & clariſſimo loco ortus Vidus Mazenta, cùm Fridericus (nempè Card. Borromæus) vix de condenda Bibliotheca cogitaſſet, „ donaverat Borromæum autographo Leonardi Vincii, in quo de lumine, & umbra diſputat, ac „ perennis tantæ munificentiæ memoria viget, cum „ titulo nominis ipſius Vidi, quem liber præfert „ in fronte. Fuerat autem Vidus Vir ſtudioſiſſimus bonarum artium, humaniorum præcipuè, „ atque ornaverat ipſe triumphales arcus carmine, ac plurima epigraphe, cùm Margarita „ ad Hiſpani Regis nuptias Mediolano tranſiret. „ Porrò non tantùm ex Libro infra recenſendo pro receptione Margaritæ Auſtriacæ, ſed ex aliis lucubrationibus ejuſdem, quas nos primùm proferimus, ſatis elucet eruditio Guidi noſtri, & quod plus eſt Hydraulicam quoque cognovit, exercuitque. Obiit Venetiis die XI. Februarii anno Chriſtianæ Redemptionis MDCXIII. In Templo Sanctimonialium Divi Pauli Mediol. Tumulum ſibi vivens cum hoc titulo poſuit:

GVIDVS MAZENTA
IVRISCONSVLTVS COLLEGIATVS
EX SEXAGINTA DECVRIONIBVS
ET REGIVS VICARIVS
ATQVE VRBIS PRAEFECTVS
SIBI POSTERISQVE SVIS
H. M. P. C.

Juvat hîc ad perennem Scriptoris noſtri gloriam partem Teſtamenti, quod anno MDCXII. die XXIV. Novembris condidit, referre; nam inter alia pietatis ſuæ monumenta juſſit ab hæredibus ſuis Fabricæ Metropolitanæ Eccleſiæ hujus Urbis Scuta CCCCC. ſemel tantùm perſolvi, quibus certum aliquod latifundium coëmeretur. Hujus fructus peritiſſimo Sculptorum ipſi Ædificio inſervientium pendi mandavit, qui Protoglyptes nuncupatur, atque à primaria Eccleſiaſtica Dignitate Capituli ejuſdem Fabricæ, necnon à primario item Collegiato Juriſconſulto in Cœtum Nobilium Fabricæ ipſius Curatorum adſcito, & à Rectore memorati Capituli eligatur. Sancivit Protoglypten hunc certum adoleſcentium numerum, qui memoratis Viris beneviſus fuerit, delineandi artem docere. Id ſi ab ipſo neglectum, vel perperam actum fuerit, licere Capitulo hominem loco movere, & ſtatuta mercede privatum renunciare.

De hoc Viro Lectoribus noſtris proferimus quæ ſequuntur, ſcilicet:

I. Apparato fatto dalla Città di Milano per ricevere la Sereniſſima Regina Donna Margarita d'Auſtria, ſpoſata a Filippo III. Re delle Spagne ec. *Milano, preſſo Pacifico Ponzio*, 1599. *in 4.*
II. Epiſtola Latina ad Margaritam Auſtriacam Hiſpaniarum Reginam de ejus adventu Mediolanum, offert ei Emblemmata &c. Meminit de Ludovico Senatore, & Præſide Patre ſuo, & petit ſuffici in locum Horatii Archinti Quæſtoris Redditu um Extraordinariorum. Data Mediolani X. Kal. Novembris MDLXXXVIII. Extat penes amiciſſimum Canonicum Jo. Andream Iricum. MS.
III. Carmina aliquot Italica extant in libro, cui titulus: Le Muſe Toſcane di diverſi nobiliſſimi Ingegni di Gerardo Borgogni. *Bergomo, per Comin Ventura*, 1594. *in 4.*
IV. Diſcorſo intorno al far navigabile il fiume Adda. *Milano*, 1599. *ſine Impreſſoris nomine*, *in 4.*
V. Epiſtolæ plures Latinæ ad Cicerejum, cum Reſponſionibus iſtius. Extant in MS. Cicereji, datæ anno MDLXXX. apud Fratres Marchiones Vicecomites, ut alibi diximus.
Cùm renuntiatus fuit Princeps Academiæ Inſocatorum, edidit Panegyrim Antonius Ramponus, de quo ſuo loco.

Anni-

Digitized by Google

Annibalis Guaſchi ad eundem Epiſtolæ Italicæ duæ: Extant inter Epiſtolas Guaſchi. *Mediolani, apud Pontium & Picaleam*, 1601.

Ad eum Carmen vulgari Mediolanenſium dialecto compoſitum legitur inter Jo. Pauli Lomatii Carmina inſcripta: *Rabiſch*.

Videndi ſunt de ipſo Franciſcus Bernardinus Porrus in Faſciculo Rerum Criminalium pag. 43. Sitonus in Theatro Nobil. pag. 166. Art. 681., & Picinellus in Athenæo pag. 375.

## MLXXXVIII.

## MAZENTA JOANNES AMBROSIUS.

JOannes Ambroſius Mazenta Mediolanenſis Ludovici Senatoris, & Catharinæ Buttigellæ jugalium filius, Guidi jam laudati frater, generis ſplendore clarus, & ingenio præſtantiſſimus, adoleſcens politiores litteras didicit, dein Philoſophicis, Mathematicis, & Legalibus diſciplinis laudabilem operam dedit. Jam Ordinis Hieroſolymitani Eques, & Mediolanenſi Nobilium J. C. Collegio adſcriptus, inter Clericos Regulares D. Pauli ſingulari humilitate, annos natus XXVI., voluit recenſeri MDXC. Sequenti verò profeſſus eſt ſub Carolo à Baſilica-Petri tunc Generali Præpoſito. Theologiæ ſtudia apprimè coluit, optimaſque artes, & ſcientias, Hiſtoriam præcipuè, & Architecturam, in qua adeò eminuit ut recentioribus, & antiquiſſimis peritioribus annumerandus videatur. Id teſtantur Inſignia Templa Bononiæ, Neapoli, Laudæ, alibique erecta. Summis Pontificibus Clementi VIII., Paulo V., Gregorio XV., ac Urbano VIII. charus fuit, pluribuſque Cardinalibus atque Principibus, Ferdinando præſertim I. & Coſmo I. Magnis Ætruriæ Ducibus acceptiſſimus, & ab eis in maximis negotiis adhibitus. Pro Sereniſſimo Infante Cardinali Hiſpano, dum Vices Regis Fratris in Mediolanenſi Ducatu gereret, ad Sereniſſimam Infantem Margaritam Sabaudiæ Ducem Legatione functus eſt. Ei propria patria Mediolanum, niſi jam graveſcente ætate præpeditus eſſet, ad Regem Hiſpaniarum negotia maximi momenti demandaſſet. Juſſu Urbani VIII. ad Miſſionem Siculam profectus eſt. Magiſtratus omnes Ordinis ſui, Præpoſiti ſcilicet Localis, Provincialis, & Generalis, itemque Generalis Vicarii, Viſitatoris, & Aſſiſtentis ſumma benignitate adminiſtravit. Adoleſcentes Inſtituti ad ſtudia litterarum, præſertim verò ad Hæbraica, & Græca diſcenda alliciebat. Provincialis Romanus à Viſitatione Collegiorum Neapoli Romam reverſus in Collegio Divi Caroli inſtantem prædicens mortem, apoplexia vehementi correptus, ſeptuagenario major deſideratus eſt anno MDCXXXV. De ejus affabilitate, & ſuavitate quidam Devotus Epigrammate hoc agit:

*Dulce tibi nomen, dulcis tibi lingua loquendo,*
*Inceſſus dulcis, dulcis in ore lepos;*
*Dulce Sodalitium, ſed quid nunc plura requiram?*
*Ambroſiam fas eſt dicere quidquid agis.*

Alexius Ledeſma præclaro Elogio Mazentam laudat in Opuſculo inſcripto Elogiorum Centuria prima. Vir fuit Græcè Hebraicè Latinèque ſciens. Munitum eſt ejus ingenio Liburnum, Templa egregii Operis ab eo molita Bononiæ, cum ibidem Congregationis ſuæ Collegio præeſſet, cujus quidem Urbis Senatui ſedulam navavit operam, ut exundantes Rheni aquæ coërcerentur, liteſque cum Ferrarienſibus, ipſo Judice utrinque conſtituto, componerentur. Hoc Elogium ſcripſit pro more ſæculi Antonius Ramponus, quod integrum damus, ut fecit Cl. Sitonus Art. 703.

*Securitatis animi ex Porphyrite*
*Habes Patria*
*Gratiarum parentem, Muſarum amorem,*
*Heroûm Ambroſiam*
*Joannem Ambroſium Mazentam*
*Sui præſidium nominis, ac dulce decus.*
*Hic virtute opulentus, honore dives*
*Immotam à fortuna, ſecuram à caſu columnam*
*Ex Porphyrete*
*In Templo Magnanimitatis extollit.*
*Laureâ donatus U. Juris Jure Collegii Mediol. potitus*
*Equitibus Hieroſolymitanis adſcribitur.*
*Bello, quàm pace pacatior,*
*Sago, quàm toga ſecurior,*
*Clericus Regularis S. Pauli authoratus*
*Hoſtem commutat, non fugit,*
*Gladium Cruci, Vexillo arma conjungens.*
*Omnibus honorum preſſis gradibus, in faſtigio conſidet*
*Præſul Orbis Maximus initiatus,*
*A jactantiæ flatibus, à fluminibus invidiæ*
*In morte ipſa tutior,*
*Literaturæ omnis*
*Præſertim Geometriæ, Arithmeticæ, Hiſtoriæ*
*Peritiſſimus*
*Apud Summos Pontifices in deliciis habetur*
*Honore cum Virtute lactante.*
*A Clemente VIII. Pont. Max.*
*In recognoſcendis Ferrariæ finibus*
*Adhibitus:*
*A Paulo V. Urbano VIII. Pontificibus*
*Ferdinando I. Magno Duce Hetruriæ*
*In architectandis Fabricis adſcitus;*
*A Ferdinando Cardinali Infante Hiſpaniarum*
*In Legatione ad Margaritam Sabaudiæ Duciſſam*
*Electus.*
*Omnibus omnia, idem ſibi*
*Uno ſemper vultus tenore, facilitate aſpectus,*
*Majeſtate oris eadem,*
*Magnanimus magnanimum*
*Patruus magnus, Nepotem erudiens:*
*Heroicæ virtuti vel invitam fortunam obſequi.*

Scripſit:

Digitized by Google

Scripſit:

I. De Origine Clericorum Regul. S. Pauli, ac de Vita & rebus geſtis trium Conditorum in tribus gradibus ejuſdem Ordinis, in fol. Tomi III. MSS. Servantur in Archivo Romano S. Caroli ad Catinarios ſuæ Congregationis.
II. Compendio della Vita del B. Aleſſandro Sauli, della Compagnia di S. Paolo. MS. Ibid.
III. Lettere al P. D. Gianantonio Gabuzio ſu l'Iſtoria della ſua Religione, dall' un' e l'altro deſcritta. MS. Ibid.
IV. Diſegni di varie Fabbriche tanto Militari, quanto Civili. Volumen ingens in fol. in Collegio S. Barnabæ Mediol.
V. Collectio nonnullarum antiquarum Inſcriptionum, quarum meminit in ſua Novaria Sacra Carolus à Baſilica-Petri; ſed hæ, referente nobis P. Gratiolo rerum ſui Ordinis non parum inſtructo, interciderunt.
VI. Due Diſcorſi intorno al modo di far navigabile il fiume Adda, ne' quali fa menzione dell'altro diſcorſo fatto da ſuo Fratello ſu lo ſteſſo argomento nell' anno MDXCIX. MS. in 4. pag. 44. ſign. A. num. 16. in Archivo Monach. S. Ambroſii.
VII. De cava Columna Manali, Horario, & Labaro Sanctæ Crucis. MS. in Ambroſiana, ſignat. Q. num. 65. in 4.

Mazentam noſtrum plurimum præſtitiſſe ne perirent Leonardi Vincii Volumina, quæ nunc Ambroſianam Bibliothecam exornant ex dono Galeacii Arconati, refert Petrus Paulus Boſca lib. V. de Orig. & ſtatu ejuſdem Bibliothecæ, ubi pluribus Mazentam commendat.

Præter citatos, agunt de ipſo Sitonus in Chron. J. PP. Art. 703. pag. 172., & Roſinus in Licæo Lateranenſi, lib. X. pag. 517. in Elogio Ludovici ejuſdem fratris, de quo infra.

## MLXXXIX.

## MAZENTA LUDOVICUS.

Ludovicus Mazenta Jo. Ambroſii, cujus ſupra meminimus, frater natu minor, Mediolani nobili genere ortus, Studiis humanioribus emenſis in Lateranenſium Canonicorum Cœtum cooptatus, Philoſophiæ ac Theologiæ Ravennæ & Placentiæ operam navavit. Tum anno MDCV. Laureâ donatus, cùm ſe aliquantulum ſacris Concionibus exercuiſſet, Abbas Sanctæ Mariæ Caſoretanæ, Præpoſitus Brinatenſis, & Prior Caſſiacenſis electus fuit. Ingenuis etiam laboribus operam dedit, nam Geographicas Tabulas optimè delineabat, & cùm opere teſſellato plurimum valeret, Sacræ Euchariſtiæ Arculam, quam Tabernaculum dicimus, quæ adhuc extat in ara maxima Templi Paſſionis hujus Urbis, pretioſiſſimis metallis, gemmis, & lignis compactam propria manu confecit. Pallium etiam Altaris ejuſdem è nobilioribus lapidibus ipſe perfecit. Quinquagenario major mortalitatem depoſuit. In Libro, cui titulus: „ Virtutis Templum & Honoris „ Sermo Panegyricus ab Antonio Rampono Mediolanenſi compoſitus ineſt, editus *Mediolani*, *apud Dionyſium Gariboldum in* 4. extat ibi ejus Elogium num. XI. in hæc verba:

*Tuam quoque*
*Ludovice Mazenta;*
*Magnaminitas Magnificentiam*
*Virtuti germanæ palmam præbet.*
*Lydio lapide aurum probatur,*
*Tibi Lydius auro.*
*Evaſurus in Templo Magnaminitatis Columna*
*Sacrorum Templorum Magnificentiam*
*Ore tuo, & ære curas.*
*Teſtantur pretioſæ Imagines Elogiis illuſtratæ*
*In Mediolanen. Templo Canonicor. Lateranen.*
*Et quod nullo ſatis illuſtrari Elogio poteſt,*
*Sacroſanctæ Euchariſtiæ Ciborium,*
*Pretioſiſſimo ex lapide ad oculorum miraculum;*
*Sed*
*Peryſtiliorum majeſtas, atque Hortorum amœnitas*
*Tuo item ingenio, ac ſumptu perfecta*
*Tui magnitudinem animi amœnius explicat.*
*Magnificentius æternat:*
*Nobilem ex Lydio Columnam*
*In Templo Magnanimitatis*
*Conſecrat:*
*Nepote admonito.*

Ejus ingenii Monumenta ſunt:

I. Hieroglyphica quædam ad Divinæ, naturaliſque Sophiæ aſtruenda Theoremata. *Mediol. apud Pontium*, 1594. *in* 4.
II. Super præcipua Myſteria Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti Elogia elegantiſſima, & devotiſſima. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1628.
III. Epigrammata Latina, atque Italica, vulgo *Sonetti*, in Collectione variorum Poëmatum in Laurea Ludovici Meltii. *Papiæ*, 1597. *in* 4.

Agit de eo Roſinus in Lyc. Later. pag. 517., & Picinellus in Athenæo pag. 391.

## MXC.

## MAZENTA LUDOVICUS alter.

Guidum Mazentam Juriſconſultum Collegiatum, atque Helenam Raynoldam nobiliſſimos Mediolanenſes Conjuges Genitores habuit Ludovicus Mazenta, Vir non eruditione tantùm, ſed pietate quoque inſignis. Hic ab ipſa penè infantia ſingularem morum integritatem præſetulit, neque tamen à ſtudiorum otiis alienus unquam extitit, immo ea avidiſſimè colens in Virum eruditum evaſit. Cùm legibus navaſſet Operam, Collegium Nobilium Juriſperitorum ingreſſus eſt anno poſt Chriſtum natum MDCXII. Ut pietati ſuæ ſtimulos adderet, Lauretanam Virginis Domum magna cum animi voluptate, quemadmodum & alia ſacra loca, viſitavit. Sanctorum Patrum ſcripta ſæpiſſimè pervolutare conſueverat, unde ſibi ſpiritus mirabilem ardorem, atque ſacram eruditionem comparabat. Orationibus, jejuniis, divinis colloquiis ſemet exercere ſolebat, & in egenos, inopes puellas, religioſaſque domos munificus ſemper extitit; Collegii ſui dignitates etiam primarias vel ſuſcipere renuit, vel ſuſceptas abdicavit,



Digitized by Google

vit, ne hujuſcemodi munera eum à piis exercitationibus vel tantillum abſtraherent. Ab aliis ejus virtutibus enarrandis libenter ſuperſedemus, cùm hoc nos ab onere levaverit P. Rubeus è Societate Jeſu ipſi olim à Confeſſionibus, qui anno MDCXXIV. acta ejus vulgavit libro infrà indicando. Deſideratus eſt anno MDCXXIII. conditusque jacet in Sacra Æde D. Caroli Carmelitarum Nudipedum hujus Urbis, atque tumulo hæc imminet Inſcriptio:

D. O. M.
LVDOVICI MAZENTAE PATRICII MEDIOLANENS.
HIC OSSA QVIESCVNT ANIMVS IN COELO
VBI VIVENS IN TERRIS PRIDEM VIXERAT
IVRISCONSVLTORVM ADSCRIPTVS COLLEGIO
MAIORVM SPLENDORE AC SVO CLARVS
OMNIA PIETATI POSTHABVIT
DEI SOLVM AC DIVINORVM AVIDVS
IMMATVRAE MORTIS DIV ANTE VERIDICVS VATES
DIEM PARATVS OBIIT
XVI. KAL. IANVARII AETATIS XXXII.
SALVTIS MDCXXIII.
BLANCA LVCIA CASTILLIONAEA CONIVX M. P.

Extant hujus Viri doctiſſimi litteraria Monumenta, quæ hîc recenſemus.

I. Poëma Latinum in Laudem Collegii Borromæorum Papiæ; extat in libro, cui titulus: „ Vaij Componimenti fatti nel Dottoramento del Sig. D. Ludovico Mazenta „. *Papiæ*, 1613. in 4.
Vulgata eſt, ut ſupradiximus, ejus Vita in Opuſculo ſic inſcripto: „ Lettera d'un Sacerdote della Compagnia di Gesù (ideſt Rev. Patris Rubei è Soc. Jeſu) narrante le virtù, e ſante operazioni del Sig. Ludovico Mazenta Dottor di Collegio ſuo Penitente, ſcritta a Monſig. Aleſſandro Mazenta Archidiacono della Metropolitana. *Milano, per il Ponzio, e Picaglia*, 1624. *in* 4., in qua inſerta ſunt Auctoris Opera à nobis indicanda numeris ſequentibus.
II. Epiſtola Latina ſacra eruditione referta ad J. U. D. Cauſarum Patronum, cujus nomen reticet pag. 7.
III. Ricordi a ſe ſteſſo per ben maritarſi a gloria di S. D. M. Extant in eodem libro pag 6.
IV. Motivi, con cui eccitava ſe medeſimo a far bene Orazione. Extant ididem pag. 16. & ſeq.
Ejuſdem Elogium legitur in lib. cui titulus: „ Virtutis Templum, & Honoris, Sermo Panegyricus ab Antonio Rampono Mediolanenſi habitus in renuntiatione Guidi Mazentæ.
Agit de Ludovico noſtro Sitonus in Chronico J. PP. Artic. 823. pag. 195. atque Picinellus in Athenæo pag. 392.

## M X C I.

## MAZZETTUS JOSEPH MARIA.

ORdinem Sancti Franciſci, inter eos, qui Minores Obſervantes communiori vocabulo nuncupari conſueverunt, floruit ſuperiori ſæculo Joſeph Maria Mazzettus Mediolanenſis. Hic Philoſophicis diſciplinis excultus, ad Theologicas quæſtiones addiſcendas tam ſedulò animum convertit, ut ad eas Tyronibus tradendas majorum decreto ſeligi meruerit. Cùm annos aliquot ſacro hoc munere piè, diligenterque perfunctus eſſet, Lector jubilatus, tum anno MDCLXXXVI. Deffinitor in Mediolanenſi provincia à ſuis renunciatur. Ad perennem vitam tranſiit exeunte eodem ſæculo, His poſt ſe relictis ingenii ſui fœtibus:

I. Il Santo d'Aragona, e Valenza Paſquale Baylon. Deſcrizione della Solennità celebrata nel Convento delle Grazie di Monza per la di cui Canonizzazione.
II. Orazione Panegirica del medeſimo.
III. Poeſie varie Italiane, e Latine in di lui lode dello ſteſſo Autore. Omnia uno Volumine. *Milano, preſſo il Monza*, 1692. *in* 4.
IV. Vita di S. Gio. di Dio Fondatore de' Frati Oſpitalieri. Hoc Opus vulgatum fuiſſe audivimus, ſed vano labore quæſivimus.
V. Panegyres plures Italicæ. MSS. penes Suos.
Hæc habemus à ſui Inſtituti Sodalibus.

## M X C I I.

## MAZZUCHELLUS JOANNES PAULUS.

ANno Redemptionis humanæ MDCLXXII. die verò XI. menſis Decembris, in hac Urbe lucem vidit primam Paulus Mazzuchellus, cui parentes fuerunt Paulus Hieronymus, & Conſtantia Rimolda honeſtæ familiæ conjuges. In Braydenſi Academia litterarum tyrocinium poſuit, ac præcepta eloquentiæ ſub Patribus Rubeo, & Mares Societatis Jeſu, quibus anteceſſoribus artis poëticæ quoque leges tam attentè percepit, ut primas ſemper inter condiſcipulos occuparet. Annos natus non amplius XVII. die IX. Octobris ſub annum Domini MDCLXXXIX. aſſumpto Joannis Pauli nomine, Clericorum Regularium Congregationis de Somaſca inſtitutum amplexus eſt in Collegio Sancti Petri in Monteforti hujus Metropolis, primoque Religionis anno edoctus eſt à Hieronymo Muzzano, atque Galeacio Trotto. Inſuper habuit Sodalem Virum Clariſs. Joannem Antonium Mediobarbum, quem ſuo loco debitâ cum laudis ſignificatione commendabimus. Hic Joannem Paulum ad bonarum artium ſtudia vehementer accendit, ingenium ejus colente Joſepho Ballarino tunc Tyronum in litteris præceptore. Poſtmodum profeſſus anno ſequenti Ticinum miſſus eſt, ut in Collegio Sancti Majoli ſpeculativas, ut vocant, ſcien-

ſcientias edoceretur, quibus peractis ad varia Collegia Ordinis ſui ablegatur, ut quæ didicerat cæteris prælegeret. Id præſtitit biennio in Urbe Albigaunenſi, biennio item Brixiæ, aliquandiu Novocomi, Lucani, atque hîc in patrio Collegio Sanctæ Mariæ Secretæ, ubi Tyrones ſuos inſtruxit. Adventus tempore anno MDCCIII. ac ſequenti Quadrageſimâ diebus feſtivis, & feriis quartis in Templo ejuſdem Collegii ſacras Conciones habuit non ſine ingenti populi fructu, nunquam tamen à Collegio Sancti Petri, ubi domicilium ſtatuerat, receſſit, in quo ad ſupremam uſque diem ſacris excipiendis confeſſionibus, Catechiſmo tradendo, negotiiſque Collegii curandis indefeſſo labore vacavit. Obierat interim Joſeph Hieronymus Sementius, qui præter Opera jam typis tradita, plures reliquerat Schedas ad Congregationis ſuæ Annales concinnandos undique collectas, informes tamen, & nullo digeſtas ordine. Has Mazzuchello Majores Congregationis ejuſdem tradendas cenſuere, ut Sementii munus ſuſciperet, & Chronicon ſcriberet, rati inter omnes ſui Cœtus eruditos adeò hunc eminere, ut nulli alteri hujuſmodi provincia poſſet meliori ſpe demandari. Nec eos certè feſelliſſet opinio, niſi Joannes Paulus nimio litterarum amore vitæ ſuæ ſpatium breviores ad terminos redegiſſet. Nocturnis enim vigiliis diurnas horas aliis donatas negotiis redimens, tanta contentione, atque aſſiduitate labores eruditos proſecutus eſt, ut Quintili menſe anno MDCCXIII. levi correptus febri, qua identidem vexabatur, jacturam ſui Reipub. Litterariæ minari cœperit. Sequenti hyeme tuſſi, ac ſanguinis vomitu coactus eſt decumbere, ne rigore aëris læderetur; atque adveniente vere Modoëtiam miſſus Hydropem contraxit, quo morbo Mediolanum reverſus die XIII. Auguſti, anno MDCCXIV. conſumptus, receptis piiſſimè Eccleſiæ Sacramentis, inter ſuorum lachrymas migravit è vita. Ingenio fuit acri, mirâque memoriâ præditus, comis inter amicos, & moribus probatiſſimis. Inſignem Codicum ſelectorum copiam diligenter collectam in Collegii ſui Cubiculo, quod incolebat, ſemper habebat ad manus, ad eumque plures primariæ Nobilitatis Cives, & clariſſimi Inſubriæ Eruditi quotidiè ferè accedere ſolebant, exterique per litteras tanti Viri amicitiam colebant.

Plura edidit ſuæ doctrinæ monumenta, videlicet:

I. Mediolanum ſecunda Roma, Diſſertatio Apologetica Juſti Vicecomitis (ſub hoc nomine Mazzuchellus noſter hîc & in ſequentibus, ſe abſcondere voluit) Eruditiſſimo Viro Antonio Gatto. *Bergomi, apud Rubeum*, 1711. *die* 8. *Novembris in* 8. & in Tomo VIII. Opuſculorum Cl. P. Calogerà pag. 309.

II. Pro Bernardino Corio Mediolanenſi Hiſtorico; Sapientiſſimo Viro Joanni Sitono de Scotia. *Bergomi, apud Rubeum*, 1712. *die* 13. *Februarii*, *in* 8. Eandem Diſſertationem intulit Cl. P. Calogerà in T. IX. Opuſculorum pag. 1.

III. Coloniæ Ticiniæ Romanæ Commentum exſufflatum, adversùs Cl. Virum Antonium Gattum, ad eruditiſſimum Co: Conſtantium de Abdua. *Bergomi, ut ſupra*, 1712. *die* 6. *Maji in* 8.

IV. Novaria in Tribu Claudia, ad Co: Donatum Sylvam. *Brixiæ, apud Turlinos*, 1713. *die* 3. *Januarii*.

Quæ ſequuntur partim prælo parata habebat, partim adhuc imperfecta reliquit.

V. Vita P. D. Angeli Marci Gambaranæ, primi Præpoſiti Generalis Congregationis Somaſchæ, Capitibus XXXIV. diviſa. MS. in fol.

VI. Vita del P. D. Gianfranceſco Franchetti. MS. in fol.

VII. Plura ad Hiſtoriam ſuæ Congregationis Somaſchenſis. Cod. MS. in fol., ſed incompoſitus.

VIII. Annales Hiſtoriæ Romanæ per tempora digeſti. MS. in fol., ſed non ultra annum C. ab Urbe condita.

IX. Ateneo degli Uomini Letterati Milaneſi. Plura certè expectanda erant à Viro tam emunctæ naris, aut majora collegiſſe dubitandum eſt, præter ea, quæ mihi ſubminiſtrarunt Sui, nam certè pauca adinveni. Nihilominus Lectorem meum monitum volui ubicunque Schedæ doctiſſimi P. Mazzuchelli mihi adjutorio fuere.

Plures meritò laudarunt Auctorem noſtrum, inter quos ex profeſſo Scriptores Diarii Italici T. XX. pag. 405. *Venetiis impreſſi*, Curtius in Libro de Scriptoribus Medicis Mediolanenſibus pagg. 1. & 263., nec non alii permulti.

## MXCIII.

## MAZZUCHELLUS OLIVERIUS.

IN Seminario Clericorum hujus Urbis ſe primùm erudivit Oliverius Mazzuchellus, deinde in numero Oblatorum SS. Ambroſii & Caroli adſcribitur, ibique Lauream Theologicam adeptus eſt. Academiam Caſuum Conſcientiæ per plures annos rexit, diſcipuloſque nonnullos ita edocuit, ut Magiſtri in morali diſciplina evaſerint: præfuit quoque Præpoſiti munere Collegio Sancti Sepulchri, tandem ab Eminentiſſimo Montio Mediolani Archiepiſcopo Eccleſiam Præpoſituralem inſignis Oppidi Canturii obtinuit. Fama ejuſdem doctrinæ Romam uſque pervênit, ita ut ad Cathedram Theologicam aſcendendam in Collegio de Propaganda Fide vocatus extiterit, ſed ob amorem Eccleſiæ ſibi commiſſæ, cui etiam animarum cura adnectitur, ad ipſam reverſus eſt; nec ſtudiis unquam relictis, dum de Cenſuris reſervatis Mediolani Opuſculum ſcribebat, miſerè interiit ex equo lapſus: teſtimonium pietatis ejuſdem ſunt verba, quæ fertur ultima pronuntiaſſe, ſcilicet: hodie finem facio aliquid agendi in contemptum Dei.

Hæc de eo habemus.

I. Tractatus de Caſibus reſervatis in Diœceſi Mediolanenſi: Auctore Oliverio Mazzuchello Oblato S. T. & J. U. D., necnon Canturii Præpoſito. *Mediolani*, 1641. Secunda verò editio cum additionibus. *Ibidem, apud Impreſſores Archiepiſcopales*, 1682. *in* 4.

II. Orazione in lode di S. Carlo Borromeo. *Milano, nella Stamperia Ambroſiana*, 1633. *in* 4.

III. De Cenſuris reſervatis Mediolani. Hoc opus imperfectum reliquit.

Inter Carmina Auguſtini Terzagi extat Carmen Oliverio Mazzuchellio in Tractatum de Caſibus reſervatis, Eminentiſſimo Montio dicatum, pag. 15.

Laudatur à Petro Paulo Boſca, in Libro de Origine, & ſtatu Bibliothecæ Ambroſianæ, & à Philippo Picinello in Athenæo, pagg. 433.

## MXCIV.

## MEAZZA HIERONYMUS.

HIeronymus Meazza, nec non Antonia à Baſilica-petri Mediolanenſes Conjuges in lucem dederunt Scriptorem, de quo nunc loquimur, anno redempti Orbis MDCXXXIX., nomen verò Ambroſii in Sacro Fonte ei collatum, dum Religionem Clericorum Regularium Teatinorum ingreſſus fuit, in Hieronymum mutavit. Probationibus inde ſubactis profeſſionem ſuam egit in patrio Collegio D. Antonii die XIV. menſis Septembris, anno MDCLXVII. Vir ſtudiis ac pietate deditus ferè omnes dignitates à Suis obtinuit, nam poſt munus Novitiorum Magiſtri, nec non Præpoſiti ejuſdem Collegii, Viſitator quoque totius Ordinis, & Præſes Comitiorum Generalium Romæ extitit, & inter Conſultores Sanctiſſimæ Inquiſitionis, ac librorum Cenſores electus fuit. Philoſophiam, nec non Theologiam è ſuggeſtu in pluribus ſuæ Religionis Academiis non tam Italicis, quam etiam Germanicis ſummo cum plauſu docuit. Ver-

Digitized by Google

Verbum Dei tam ſolidè, tam efficaciter diſſeminavit, ut gratiam, favoremque plurium Cardinalium, variorumque Principum, inter quos tota Domus Sereniſſima Electoralis Bavarica adnumeratur, ſibi meritò aquiſiverit. Litterarum, Litteratorumque amator fuit eximius, ita ut Academiam Faticoſorum in ſuo hujus Urbis Collegio promoverit, atque acerrime colere ſtuduerit, & quod ei erit honor perpetuus, Deiparæ Immaculatæ tam fervidus cultor apparuit, ut Sacellum piorum ſumptibus erexerit, nec non Congregationem Nobilium, quam ſtatis Sabbathis alternè viri, & fœminæ frequentant; diebuſque ſingula hebdomada unicuique aſſignatis Maximi Noſocomii infirmis deſerviunt ſingulari pietate, inſtituerit. Exemplis, Conſilio, (etenim Magiſtratibus quoque illuſtres Viri ipſum conſulere ſolebant) Concionibus, & Animarum directione nunquam moriturus, ſummo tamen hujus Civitatis dolore in oſculo Domini die XIX. Maji anno MDCCVII. ætatis ſuæ LXVIII. migravit è vitâ. Plura ſcripſit, ut infra, variis in locis & temporibus, ideoque Suis debemus Indicem diligentiſſimum, quem nunc damus,

Scilicet:

I. Magiſter Novitiorum Regularium. *Mediolani, ex Typographia Franciſci Vigoni*, 1688. *in* 4.

II. Extemporanea Poëſis Pars I. & II. *Monachii, apud Lucam Straubium*, 1671. *in* 8. dicata Michaëli Poloniæ Regi, & *Mediolani, typis Caroli Antonii Malateſtæ*, 1670. 1672. 1680., *&* 1690. *in* 8. Pars III. *Mediolani, typis Joſephi Pandulphi Malateſtæ*, 1699. *in* 8. Pars IV. Ibid. *apud eumdem*, 1702. *in* 8.

III. Stimulus Quotidianus, excitans ad recordationem Paſſionis J. C. D. N. *Mediolani, typis Joſephi Pandulphi Malateſtæ*, 1706. *in* 8.

IV. Stimulus Quotidianus, excitans ad memoriam Immaculatæ Conceptionis Deiparæ. *Mediolani, typis Joſephi Pandulphi Malateſtæ*, 1703. *in* 12.

V. Stimulus Quotidianus, incitans ad ſuffragia Defunctorum. Ibid. *Madiolani, apud eumdem*, 1700.
Idem Opus Germanico Idiomate. *Monachii*, 1680. *&* 1681. *in* 12.

VI. Ragionamenti Sagri XX. uniti in un ſol Volume. *Milano, per Giuſeppe Pandolfo Malateſta*, 1697. *in* 4.

VII. Prodigj del Fuoco Divino, in onore dello Spirito Santo. *In Monaco, per Luca Straub*, 1669. *in* 4.

VIII. Ore di ſollievo negl' Eſercizj Spirituali d'un' Anima Religioſa. *Milano, per Franceſco Vigone*, 1685. *in* 4.

IX. Ricreazione Spirituale per una Dama in onore del Patriarca S. Gaetano. *Milano, per il Malateſta*, 1690. *e* 1697. *in* 8.

X. Rifleſſioni ſopra XV. Fatti della S. Madre Tereſa. *Milano, per Lodovico Monza*, 1676. *in* 24.

XI. Sacro Settenario per la Venuta dello Spirito Santo. Ivi. *Milano, per lo ſteſſo, e nel medeſimo anno, e di nuovo* 1692.

XII. I Nove Martedì in onore di S. Anna. *Milano, per Gio. Beltramino*, 1676. *in* 24.

XIII. Nove Motivi d'Orazione, cavati dalla Vita di S. Antonio da Padova. *Milano, preſſo Lodovico Monza*, 1678. *&* 1695. *in* 24.

XIV. Eſercizio divoto delle tre potenze dell'anima, per prepararſi al S. Natale. *Milano, appreſſo Lodovico Monza*, 1676. *in* 24.

XV. Arſenale divoto per armar l'anime ne' biſogni ſpirituali. *Milano, per Giuſeppe Pandolfo Malateſta*, 1693 *in* 24. Liber pluſquam XXX. vicibus impreſſus pluribus in locis tam Italiæ, quàm extra.

XVI. Cammino alla Perfezione Religioſa. *Milano, per Giuſeppe Pandolfo Malateſta*, 1696. *in* 24.

XVII. Trasfigurazione di S. Gaetano, Diſcorſi per la ſua Novena. *Milano*, 1684. *in* 4.

XVIII. Vita di S. Paola Romana, traddotta dal latino di S. Girolamo. *Monaco, per Luca Straubio*, 1667., *e Milano*, 1695. *in* 8.

XIX. Apparecchio pratico alla Feſta dell' Immacolata Concezione. *Milano*, 1698. *in* 8.

XX. Modo utiliſſimo, e divoto per fare i Mercoledì di Santa Tereſa. *Milano*, 1671. *in* 16.

XXI. Motivi giornali per ajutare i Moribondi. *Monaco*, 1667. *in* 12.

XXII. Iſtruzione facile, e breve per occuparſi nell' Orazion mentale. *Milano*, 1695. *in* 16.

XXIII. Breve Sommario della Vita di S. Gaetano. *Milano*, 1707. *in* 16.

XXIV. Diſpoſizione della Nobiliſſima Congregazione, eretta ſotto la protezione della B. V. con una ſuccinta relazione dell' abitino dell' Immacolata Concezione, che ſi diſpenſa da' PP. Teatini; e compendio delle Indulgenze, che ſi acquiſtano dalli aſcritti. *Milano*, 1688. *in* 12., *&* 1693. *in* 24.

XXV. Regole, e Diario dell' Academia de' Faticoſi. MS. in fol. apud Suos.

XXVI. Varia Opuſcula Aſcetica, partim adhuc non completa. MSS. extant apud Suos.

XXVII. Pugna Spiritualis Laurentii Scupoli latino donata, ſub nomine Caroli Antonii Meazzæ. *Monachii*, 1667. *Tom. II. in* 12.

Eum Carmine latino laudavit P. Stampa è Congregatione Cleric, Reg. de Somaſca, legitur in parte III. Poëſis extemporaneæ Auctoris noſtri, quemadmodum & Franciſcus Inſula, ut videre licet in parte IV. ejuſdem Operis. In I. verò, & II. habetur in ejus commendationem Epigrammata P. Robii.

Epiſtola Bartholomæi Craſſi ad Meazzam, quem pluribus laudat, inſerta eſt in libro hujus inſcripto: Magiſter Novitiorum, de quo egimus num. I.

Carmen Italicum vulgo *Sonetto* Juliani Regalis in laudem Scriptoris, editum eſt in Vita S. Paulæ, de qua num. XIX.

Marcus Aurelius Queſta ei dicavit librum ſic inſcriptum: Se ſi poſſa biaſimare in un' Uomo ſavio l'applicazione alla Poeſia. Diſcorſo Accademico. De ipſo nos ſuo loco.

Laudatur à P. Roſignolo S. J. in libro: Maraviglie del Purgatorio, num. 31.

Videndi ſunt etiam Joſeph Silos in Hiſtoria Clericorum Regularium lib. 12., nec non Picinellus in Athenæo pag. 345.

de MEDA JO. V. OLDRADUS JO.

## MXCV.

## MEDA JOANNES AUGUSTINUS.

POſtquam doctiſſimus J. C. & Advocatus Joannes Sitonus de Scotia Excelſæ Civitatis Mediolani Chroniſta typis commiſit librum, cui Titulus: „ Probationes nobilis deſcendentiæ, & civilitatis Cl. „ Familiæ nobilium de Meda ab anno MCCCXL. ad „ annum MDCCXXXV. per publica ſincera docu„ menta ſpecificè demonſtrata. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1735. *in fol.* ſupervacaneum duco, Lectores meos detinere in re ſatis à Viro emunctæ naris excuſſa. Primus igitur ex hac Familia, quem profero, Joannes Auguſtinus eſt, Joannis Baptiſtæ, & Lucretiæ Gariboldæ filius, qui non tantùm in Juribus optimè excelluit, ſed etiam in humanioribus litteris, atque in rerum gerendarum peritia, ita ut à Secretis Civitatis Mediolanenſis eligi meruerit. In relatis muneribus optimè ſe geſſit ad ſenectutem uſque. Plura ſcripſit, quæ mihi nec Sui, nec alii dedere; Hæc igitur ſunt, quæ præ manibus habui, forſan aliquis meliori ſorte præditus, plura aliquando dabit. Obiit die XXVII. Februarii anno MDCCXXXVII.

I. Actitata, & Jura viciſſim producta in Cauſa Secretarii Civitatis electi anno MDCCXIII. juncta Juris allegatione pro Generali Conſilio. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1714. *in fol.*

II. Amoris Triumphus in Mediolanenſi Metropoli, ad Eminentiſs. Archiepiſcopum D. D. Benedictum Erbam Odeſcalcum, die XIV. Kal. Septembris MDCCXIV. Pontificale ſolium capeſcentem ſolemniter excipiente. Jo. Auguſtinus Meda J. C. Mediol. &c. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1715. *in* 4.

III.

Digitized by Google

III. Epiſtolæ plures Latinæ, tam nomine Civitatis Mediolani ſcriptæ, quæ ſervantur in Archivo ejuſdem Urbis, quàm Sui ipſius penes Varios, inter quas incidi in unam Carolo Archinto eximio olim Patrono meo ſcriptam, occaſione puplici Ingreſſus Mediolanum Eminentiſſimi Cardinalis Archinti Archiepiſcopi, MS. in Archintea Bibliotheca, & in ea ingenium, & fermè Ciceronianum ſtylum libenter adſpexi.

Videndus ſupracitatus liber Cl. Sitoni.

## MXCVI.

## MEDA PHILIPPUS.

Ex Joanne Baptiſta Meda, atque Hippolyta de Judicibus ortus eſt Philippus, qui veſtigia ſuorum proſecutus, prudentiam, & litteras ſummopere coluit, ita ut munere Secretarii Excellentiſſimi Mediolanenſis Senatus exornari meruerit. Muſas quoque adamavit, librumque ſcripſit, quem numero I. dabimus, ſatis curioſum, & lectu dignum, diligentiaque ipſius agnoſcitur in Collectione Controverſiarum pro finibus Ducatus Mediolanenſis, ut infra videre eſt: Liber quandoque maximè habendus.

De ipſo igitur damus

I. Onomaſticum Italico-Latinum Mediolanenſium Mercatorum, Opificum, Fabrorum, & Miniſteriorum, Foro reſtitutum à Philippo Meda, Regio apud Excellentiſs. Senatum à Secretis. *Mediolani. apud Joannem Baptiſtam Malateſtam*, 1636. *in* 8.

II. Epiſtolæ ejuſdem ad Varios, nempe ad Joſephum Trottum, Carolum Archintum tunc Mediolani Prætorem, Octavianum Perlaſcam, Joannem Baptiſtam Saccum Senatus à Secretis, cum iſtius Reſponſionibus, ad Julium Areſium Senatus Præſidem, ad Senatorem & Regentem Corium, nec non ad Petrum Franciſcum Landrianum: extant in ſupradicto Libro.

III. Carmina varia latina: ſunt in eodem.

IV. Alia item Carmina latina, extant in libro, cui titulus: De Origine, dignitate, honoribus, & Privilegiis Regii Fiſci Patroni. *Mediolani*, 1636. *in* 4.

V. Compendium Regiarum Sanctionum de cuſtodiendo militari Decreto, ab anno MDLVI. ad annum MDCXLI. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1643. *in fol.*

VI. Compendioſum Opus Controverſiarum, inter Dominium Mediolani, & Status diverſorum Principum, de finibus, ſtudio Egregii Secretarii Philippi Medæ, ac coadjuvante Joanne Baptiſta de Laude, Regio Coadjutore in Cancellaria Excellentiſs. Senatus Mediolani, typis cuſum, nempe:
Cum Bergomatibus, & Venetis.
Cum Duce Sabaudiæ.
Cum Duce Mantuæ, & Dominio Montisferrati.
Cum Magno Duce Hetruriæ.
Cum Duce Parmæ, & Placentiæ.
Cum Helvetiis, & Rhetis.
Cum Principe Auria.
In fol. ſine anno & Typographo. Liber perrarus penes Comitem Gabrielem Verrum, in toto Mediolanenſi dominio Fiſci Patronum.

Videatur liber Cl. Sitoni, continens probationes pro Familia de Meda in Joanne Auguſtino ſupra à nobis relatus, nec non Picinellus in Athenæo pag. 191.

## MXCVII.

## MEDA PHILIPPUS alter.

Inter tot illuſtres Viros Medæ Familiæ meritò inprimis locum tenet Philippus, de quo nunc agimus, qui parentibus Joſepho Mediolanenſi Phyſico, atque Felice Turriana in lucem editus, pietati & ſcientiis, præcipuè Canonicis, ſub doctiſſimis Præceptoribus totus ſe dedit, & tam fœliciter, ut Vicarius generalis Eccleſiarum Cremonenſis ſub Septala Epiſcopo ejus Avo, atque Spoletinæ eligi meruerit; deinde eximiis ejuſdem meritis optimè cognitis, Infulam Converſanenſem obtinuit die XXIII. Januarii, anno Redemptionis noſtræ MDCCII. A pluribus lucubrationibus, quas ipſe ſcripſit, facilè agnoſcitur tanti Viri ingenium, & ad proximorum ſalutem amor intenſus. Eccleſiam ſibi commiſſam ſanctiſſimè rexit uſque ad annum Chriſti MDCCXXXIII. qui fuit ei ultimus, dieque XVIII. Julii in Cathedrali Baſilica tumulatus eſt Canonici ejuſdem primarii Templi ſequens ex marmore Mnemoſynon ei poſuerunt:

PHILIPPO MEDA EPISCOPO CONVERSANENSI
PATRIA MEDIOLANENSI MORIBVS SVAVI
PIETATE NVLLI SECVNDO
DOCTRINA INSIGNI
VT SVA MONVMENTA AERE PERENNIA DOCENT
DISCIPLINAE CVLTORI
TEMPLORVM INSTAVRATORI
PAVPERVM PATRI
PRAESVLI AMANTISSIMO
CAPITVLARES EIVSDEM SVO FATO TRISTES
PERPETVI AMORIS ET OBSEQVII
HOC SIGNVM POS.
A. MDCCXXXIII.

Hæc ſcripſit:

I. Diſcorſi Teologici ſopra il Giudizio Univerſale. *Napoli, preſſo il Moſca*, 1724. *in* 4.

II. L' Incontinente ſenza ſcuſa. *Napoli, come ſopra*. 1728. *in* 4.

Segreti Spirituali Morali, e miſti, cioè:

III. 1. Come ſi poſſa agevolmente intendere il gran ponto dell' eterna Predeſtinazione, ò Reprovazione. *Napoli, come ſopra*, 1729. *in* 8.

IV. 2. Non eſſer tanti gl' Ippocriti, nè probabilmente tanti gli Uomini da bene. *Napoli, come ſopra*, 1729. *in* 8.

V. 3. Per conoſcere, ſe ſiaſi, ò nò fatta una buona Confeſſione Sagramentale. *Napoli, come ſopra*, 1730. *in* 8.

VI. 4. Per andare al Paradiſo in Carrozza. *Napoli, come ſopra*, 1730. *in* 8.

VII. 5. Per iſcuoprire, ſe tal' uno ami Iddio ſopra ogni coſa, ed il Proſſimo come ſe ſteſſo. *Napoli, come ſopra*, 1731. *in* 8.



Digitized by Google

VIII. 6. Per indurre ogn'uno à volontieri oſſervare il Precetto della Santa Quareſima. *Napoli*, *come ſopra*. 1732. in 8

De eo agunt Ughellus in Italia Sacra, Tom. VII. Coll. 718. edit. *Venetæ*, & Advocatus Sitonus in Monumentis Genealogicis jam citatis Familiæ Medæ. *Mediol. apud Malateſtam*, 1725. *in fol.* pag. 28.

## MEDICES JOANNES ANGELUS.
## V. PIUS IV.

## MXCVIII.

## MEDICES JOANNES JACOBUS.

BErnardinus Medices Nobilis Mediolanenſis , ex Cæcilia Sorbellona conjuge Joannem Jacobum ſuſcepit filium , cujus militaris fortitudo ob præclarè geſta, atque doctrinæ præſtantiam, ob eruditè ſcripta ſæculorum omnium memoriâ dignum effecere. Natus eſt ille in hac Metropoli anno ſalutis humanæ MCDXCVII. Hieronymo Morono, (quem etiam loco ſuo laudibus debitis celebrabimus) acceptus inter primos, eoque curante à Franciſco II. Sfortia Mediolanenſium Duce cognitus , & ad magni momenti negotia adhibitus fuit . Caſtro Muſſi ad ripas Larii Lacus non procul ab Helvetiorum ditione potitus Jo. Jacobus , diu ejuſdem arcis Præfecturam geſſit , mox ejuſdem Caſtri , atque Oppidi Melegnani Marchionatu auctus , plura Duci Sfortiæ contulit beneficia . Anno poſtmodum MDXXVI. fœdus iniit cum Clemente VII. Pont. Max. Francorum Rege , Venetorum Republica , & præfato Mediolani Duce , adverſùs Carolum V. Auguſtum Romanorum Imperatorem . Creſcente interim ejus fama , univerſam Inſubriam armorum terrore complevit , plura cepit

A Oppida , & Albericum de Barbiano celeberrimum ætatis ſuæ militum ductorem bello fregit , adverſâ tamen fortunâ fractus ipſe fuit & ab Antonio de Leyva, fugere coactus eſt . Ob bellicum robur Carolo V. notus , tanti Cæſaris judicio dignus habitus fuit, qui artibus omnibus ad ſuas traheretur partes ; quod haud difficile fuit ; recogitabat enim Medices inſidias ſæpè ſibi à Franciſco Duce paratas , idque in cauſa extitit , cur Imperatorias amplecti ſponſiones non dubitaverit . Præfuit igitur anno MDXLII. copiis, quas Carolus V. auxilium Ferdinando fratri ſuo laturus in Germaniam miſit , ibique Infideles ad Danubii fluminis ripas inſigni victoria , quæ maximam ei peperit exiſtimationem , ſtravit. Specimen quoque præclaræ virtutis dedit anno MDXLIII. in eo bello , B quod geſtum eſt adverſùs Clivienſem Ducem , in obſidionibus Lucemburgi , atque Fani Sancti Deſiderii, anno ſequenti ; quod idem præſtitit in bello Germanico , Bohemico, Parmenſi, & in obſidione Metenſi anno MDLII. Varia geſſit militiæ munera, nam modò Italicis peditibus cum imperio præfuit , modò rei Tormentariæ præfecturam exercuit, modò univerſum peditatum rexit . Poſt captas Metas , eum Carolus Auguſtus, bellum Senenſibus illaturus, ſummum copiarum ſuarum Imperatorem conſtituit , quocirca in Italiam veniens Petrum Strozzium in fugam conjecit anno MDLV. expugnatiſque Senis , Mediolanum ſe contulit . Meditabatur Medices in Subalpinos Martem convertere , atque Velleris aurei monile , quod illi Cæſar ſpoponderat , præſtolabatur , at mors invida immortalem Virum mediis in honoribus ſuſtulit, C anno MDLVII. Jacet in Templo maximo hujus Urbis , in Sacello Aſſumptæ in Cœlum Virgini Sacro , eique Pius IV. Pontifex Frater Tumulum verè regium excitavit , delineante Michaële Angelo Bonarota , adjectis etiam pluribus æneis ſimulachris , quorum artifex fuit Leo Aretinus . Legitur ibi ſequens Inſcriptio :

IACOBO MEDICI
MARCHIONI MARIGNANI
EXIMII ANIMI ET CONSILII VIRO
MVLTIS VICTORIIS PER TOTAM FERE EVROPAM PARTIS
APVD OMNES GENTES CLARISSIMO
CVM AD EXITVM VITAE
ANNO AETATIS SVAE LX. PERVENISSET.
GABRIELI MEDICI
IMPERII ET FORTITVDINIS EXIMIAE ADOLESCENTI
POST CLADEM RHETIS ET FRANCISCO II. SFORTIAE
ILLATAM NAVALI PRAELIO
DVM VINCIT CVM INVICTI ANIMI GLORIA INTERFECTO
PIVS IV. PONT. MAX. FRAT. B. FIERI IVSSIT.

Eruditionis illius hæc ſunt reliqua :

I. Diſcorſo , e parere del Sig. Marcheſe di Marignano circa la guerra d'Ongheria contro il Turco, del MDLII. alla Maeſtà del Re de' Romani . MS. inter Codices olim Reginæ Svecorum , nunc in Vaticana Bibliotheca ſign. num. 2085. ex Montfauconio in Biblioth. Bibliothecar. MSS. Tom. I. pag. 60.

II. Epiſtolæ II. ad Carolum V. Imp. Italicè ſcriptæ, in quarum una data menſe Auguſto, anno MDLIV. agitur de Victoria à Luſignano habita contra Strozzium. Extant in Libro, cui titulus: „ Lettere de Prencipi ſcritte a Prencipi , raccolte da „ Girolamo Ruſcelli, Tom. I. pag. 170.

III. Aliæ pariter Italicæ ad Petrum Strozzium . Extant ibidem pag. 166. In eodem volumine leguntur D quoque Epiſtolæ II. Petri Strozzii ad Joannem Jacobum noſtrum pagg. 166. & 167.

IV. Aliæ II. item Italicæ ad Carolum Gonzagam . Sunt in Tomo III. Operis ſupradicti pag. 217.

V. Aliæ III. ad Ferrantem Gonzagam. Extant ibidem pagg. 207. 209., & 236. In quibus adſunt Capitula Conventionum Parmæ, & Mirandulæ Ducum.

VI. Aliæ II. ad Anonymum , ibidem pagg. 209., & 210.

VII. Aliæ II. ad Dominos Senarum pag. 229.

VIII. Altera ad Hieronymum Quirinum , legitur ibidem.

In Libro inſcripto : „ Conſolatorie di varj Autori. „ *Venezia*, 1550. „ adeſt Conſolatoria Franciſci Caretoni, Joanni Jacobo Mediceo Melegnani Marchioni pag. 13.

In Voluminibus II. III., & XI. Operis cui titulus : „ Carmina illuſtrium Poëtarum Italorum „ extant Carmina varia in obitu Joannis Jacobi ſupradicti,

Digitized by Google

cti; edita à Joanne Breſſano Bergomenſi, ab Annibale Crucejo, à Franciſco Vintha, & à Bernardino Baldino, cujus diſtichon hic dare lubet.

*Jacobus Medices, vel (ſi fas nomina Divum*
*Impoſuiſſe Viris) Mars jacet hoc Tumulo.*

In Codice MS. Epigrammatum Jacobi Valerii, quem vidi in Bibliotheca PP. Teatinorum D. Antonii hujus Urbis, reperiuntur Epitaphia II. pro Joanne Jacobo Mediceo.

Narratio ejus Exequiarum, ſeu pompæ funebris, quâ delatus eſt ab Eccleſia Sanctæ Mariæ Braydenſis die XXII. Novembris, anno MDLVII. ad Templum Sancti Dionyſii, MS. in fol. Extat apud Canonicum Jo. And. Iricum amiciſſimum.

Adeſt quoque Hieronymi Montii Deploratio Poëtica ob mortem Jo. Jacobi Medices. *Venetiis*, 1557. *in* 4., de qua ſuo loco dicemus.

Vitam atque Hiſtoriam ipſius Joannis Jacobi ſcripſerunt Marcus Antonius Miſſaglia, de quo ſuo loco, Ericius Puteanus, Morerius in Lexico, necnon de eo locuti ſunt Morigia in Nobil. Mediol. lib. IV. Julianus Goſelinus in Vita Ferrantis Gonzagæ, Fortunatus Sprecherus in Pallade Rhætica armata & togata à pag. 116. ad 272. Petrus Angelus Lavizarius in Hiſtoria Vallis Tellinæ. *Curiæ Rhetiorum*, 1716. *in* 4., & Cl. Sitonus in Libro de Legibus Nobilitatis Mediolani, 1724. in fol. pagg. 88. & 120. necnon in Theat. Nob. pag. 240. art. 1125.

## M I C.

## MEDICES MANFREDUS.

QUantum hæc mea Collectio Clariſſimo Advocato Sitono debeat, facilè unicuique patebit, nam plurium Scriptorum non tantùm parentes, ſed integram Genealogicam ſeriem ipſe perhumaniter mihi communicavit; id quoque accidit in Manfredo de Medicis, quem nunc laudamus, nam ex Schedis ſupramemorati diligentiſſimi Viri cognovi, ſeptem Artium & Medicinæ Magiſtros extitiſſe in hac Familia ab anno MCCCCXII. quo vivebat Manfredinus de Medicis Phyſicus Collegiatus Mediolanenſis Auctoris noſtri Avus, uſque ad Theodorum pariter Phyſicum Collegiatum anno MDXXXVI. Ignotus fuit Manfredus noſter Bartholomæo Curtio etſi Scriptori accuratiſſimo de Medicis illuſtribus Mediolanenſibus. Nec de ipſo loquuti ſunt Vander-Linden, Mangetus, aliique. Nunc primùm itaque Lectoribus meis hunc novum Scriptorem Mediolanenſem profero, non tantùm pro libro infra recenſendo, ſed pro aliis ejus Operibus, quæ ab ipſo expectanda erant, aut forſan quoque edita, & nobis adhuc incomperta, ut è verbis paulo poſt exſcribendis conjicitur. Claruit igitur Manfredus Petri filius, Phyſici Collegiati Mediolanenſis, necnon Patriæ Decurionis, fratremque habuit Artium & Medicinæ Doctorem Phyſicum Colleg. Franciſcum inter Decuriones & ipſum ab anno MCCCCLIV. ad MCCCCXCV. Laudatur hic Scriptor, uti publicus in Ticinenſi Archigymnaſio Profeſſor à medio ſæculo XV. uſque ad annum Chriſti MCCCCXCIII., qui fortè ultimus ei fuit.

Liber, quem præ manibus habui, ſic inſcribitur:

I. Pauli Veneti Quadratura. In fine legitur: „ Explicit Pauli Veneti prope divinum Opus, quod Quadratura inſcriptum eſt, ſummo ſtudio, maximaque diligentia correctum, caſtigatum, & auctum à ſpectabili Artium, & Medicinæ Doctore Magiſtro Manfredo de Medicis Mediolanenſi, Logico perſpicaciſſimo, ac ſubtiliſſimo Sophiſta, in felici Ticinenſi Academia Logicam, ac Sophiſtariam publicè docentem, quem ſublimis, ac omnipotens Deus longo tempore conſervet, ut alia Opera valeat ſua ſolerti diligentia in lucem efferre. *Impreſſum Papiæ*, 1483. *die* 7. *Martii*, *per Damianum de Confalonериis de Binaſco*, *in fol. magno*. Extat in Biblioth. Monachorum Montis Oliveti, apud Sanctum Victorem Mediolani.

Leguntur Lancini Curtii Epigrammata plura ad Manfredum Medicem, lib. 1. fol. 3., lib. 2. fol. 19., lib. 4. fol. 59.

Idem Lancinus Curtius ei, & Luyſio Marliano dicavit Sylvam Libri IX. fol. 168.

De ipſo agit ſupradictus Clariſſimus Sitonus in Chronico Collegii Nobilium Phyſicorum Mediolani, exarato de anno 1706. p. 2. MS. in fol. penes ipſum Auctorem.

## M C.

## MEDIOBARBUS JO. ANTONIUS.

JOannes Antonius Mediobarbus anno MDCLXX. die VII. Octobris apud Mediolanum natus eſt Familia perilluſtri Ticinenſi. Patrem habuit Co. Franciſcum, ſub Leopoldo Cæſare generalem Advocatum Fiſcalem, cujus Corpus jacet in Templo S. Marthæ hujus Urbis, & ob illuſtrata Opera Occonis Numiſmatum clariſſimum, Matremque Annam Mariam Beſutiam. Litteras primùm à PP. Congregationis Somaſchæ in Collegio Columbariæ, mille à Mediolano paſſibus, audivit, tum anno MDCLXXXVI. ad alterum Collegium S. Bartholomæi Vici Merati in agro Mediolanenſi tranſiit. Poſtremo eidem Congregationi adſcriptus eſt anno MDCLXXXIX. die VIII. Augusti in Collegio S. Majoli Papiæ, ubi convictor fuerat. Romam inde profectus, à Philoſophia ad Theologiam audiendam ſe contulit ſub Octavio Cuſano Viro eruditiſſimo, qui toti poſtmodum ſuo Ordini præfuit. Ibi ſub nomine Vitanii Gateatici inter Arcades recenſitus, eam Academiam & metro, & ſoluta oratione frequentiſſimè illuſtravit. Rethoricam in Brixienſi, & Ticinenſi Collegiis docuit, hinc Taurinum à Congregatione ſua miſſus, ut publico Lyceo humaniorum litterarum præeſſet, ob præclaram Numiſmatum Doctrinam Allobrogum Duci charus fuit, & ab eodem inter Academiæ publicos Profeſſores, ut Geographiæ, ac Moralis Theologiæ præcepta traderet, eſt cooptatus; quo munere ab anno MDCXCVIII. uſque ad MDCCI. ſumma cum laude perfunctus eſt. Cum Lutetiam Pariſiorum petiiſſet, Gualterii tunc Pontificis Nuncii, poſtmodum S. R. E. Cardinalis, Patroni mei, dum vixit, eximii, conſuetudine floruit, atque PP. Harduini, & de la Chaize Societ. Jeſu amicitiam coluit. Panegerim Latino Idiomate Ludovico XIV. dixit, quæ Latinè, Italicè, & Gallicè elegantiſſimè prodiit, ſumpto ex Regio Numiſmatum Muſeo, quod luſtraverat, argumento. Opus illud in Italicam linguam à ſe, & in Gallicam ab Abbate Bignonio converſum Regi obtulit, viciſſim ab eo aureo torque, regio adjecto numiſmate, rariſſimis libris, & annuo DC. Nummorum Gallicorum cenſu donatus. In Italiam regreſſus, in Collegio Mediolan. S. Petri in Monte forti per aliquot annos vixit, & interim Coloniam Arcadicam cum quibuſdam aliis eruditis Viris in hac Urbe inſtituendam curavit. Tandem ſub finem anni MDCCV. in eodem Collegio fato conceſſit.

Edidit:

I. Ludovico Magno Panegyrim Imperatorum Romanorum Nummis contextam. In Gallicum à Carolo Cæſare Baudelot de Dariva; in Italicum ab ipſo Auctore tranſlatam. *Pariſiis*, *apud Vaidine*, 1703. *in* 4.

II. Apologiam pro Endimione Clariſſimi de Lemene Poëtæ Laudenſis, quæ impreſſa eſt Taurini.

III. Carmen Italicum, ab ſe in Latinum converſum: De Romano Terræmotu, & P. la Chaize dicatum.

IV. Carmina Italica, & Latina nondum perfecta, multaque alia ad Geographiam, & Rem Nummariam

riam ſpectantia, quibus manum extremam, immatura morte præventus, imponere non potuit. Ejus de Nummis MS. uſi ſumus in editione noſtra Operis optimi ejus Genitoris, anno MDCCXXX.

V. Ejus Epigrammata Italica, vulgò *Sonetti*, numero LX. Extant MSS. apud Dominum Felicem Vicecomitem, in 4.

VI. L'Italia. Canzone in Verſi Eroici Latini, e traddotta dal medeſimo in Verſi Italiani. *Milano*, *per il Malateſta*, 1704. *in* 4.

VII. All'Arcadia, nella prima ragunanza della Colonia Arcade Milaneſe, in Caſa dell' Eccellentiſſimo Sig. Principe Don Antonio Gaetano Trivulzi, Canzone di Gianantonio Mezzabarba, Chierico Regolare Somaſco Procuſtode ec., dedicata all' Eminentiſſimo Cardinal Panfilio. *Milano*, *per il Malateſta*, 1705. *in* 4.

VIII. La Vittoria navale riportata da S. A. S. il Sig. Conte Enrico di Toloſa. Oda. *Milano*, *preſſo il Vigone*, 1704. *in* 4.

De Mediobarbo mentionem honorificentiſſimam fecerunt Auctores Veneti Diarii Italici, & reperitur laudatiſs. in Schedis Sitonianis.

## M C I.

## MEDULLA CLAUDIUS.

CLaudius Medulla à Clarella, Ducatus Mediolanenſis in finibus Papienſibus, ob excellentes ejus animi dotes, Provinciæ ſuæ Minorum Obſervantium peculiare decus fuit. Per duas enim vices in Conventu S. Mariæ Pacis Mediolani fuit electus ad munus Provincialatus, inde in Capitulo generali in Conventu S. Mariæ Novæ Neapoli habito anno MDXL. in Definitorem generalem, poſtea in totius Ordinis Vicarium generalem promotus, quo officio ſanctè & feliciter functus eſt. Miſſus à Gregorio XIII. Summo Pontifice Commiſſarius Apoſtolicus in Belgium, cum poteſtate Legati à Latere, ad reformandos Eccleſiaſticorum mores, & abuſus, Alexandro Principi Farneſio Parmenſi Belgarum Gubernatori à Conſiliis conſtitutus, propugnandæque Fidei Catholicæ acerrimus ſuaſor, optimis naturæ, & gratiæ dotibus inſignitus, in eadem Religione obiit anno MDCXIV.

Compoſuit, & in lucem dedit:

I. Epiſtolam inſignem, qua tam Sæculares, quàm Eccleſiaſticos Fidei ſuæ commiſſos piè, ſincerèque admonet ad rectè vivendum, & fortiter agendum. *Duaci excudit Bogardus anno* 1584.

II. Orationem de Transfiguratione Domini, ac de duabus in Chriſto Naturis, & earum affectibus. *Brixiæ*, *apud Cominum Præſenium*, *anno* 1597. *in* 4.

III. Librum Conſtitutionum ſuæ Religionis tam generalium ejuſdem Ordinis, quàm particularium Provinciæ Mediolanenſis. Ibi, *apud Pontium*, 1580.

IV. Commentaria in Matthæum. Ex Draudii Biblioth Claſſica pag. 394.

Ita Vvadingus in Cathalogo Scriptorum Ordinis Min. pag. 91. Henricus VVillot Belga, Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro, & Abbas Picinellus in ſuo Athenæo Litteratorum Med. pag. 150.

## M C I I.

## de MELIORIBUS VICTORIUS.

VIctorius de Melioribus Mediolanenſis inter Clericos Regul. S. Pauli adſcriptus, ad omnia natus, optimus Rhetor, Poëta, Philoſophus, Theologus, Orator Sacer, atque Hiſtoricus, apud Utinenſes inſigne Doctrinæ ſuæ ſpecimen dedit. Theologus fuit, & Conſiliarius Cardinalis Delphini ejus Urbis Epiſcopi, & Patriarchæ Aquilejenſis. Magnam apud Viros doctos ſibi exiſtimationem comparavit. Plurima ſcripſit, quæ poſt ejus obitum quò pervenerint ignoramus. Nullum tanti ingenii Monumentum ſupereſt, præter Orationem Latinam, quam habuit in inſtauratione Studiorum Gymnaſii Utinenſis, ut infra. Abiit è vivis in præfato Collegio Utinenſi, cui non ſemel præfuit, anno Chriſtianæ Reparationis MDCCXVII., ætatis ſuæ LXV.

I. Litterarius Utinenſis Urbis Genius. *Utini*, 1697. *typis Schirat. in* 12.

Ita ex ſerie Viror. Illuſtrium Clericor. Regular. D. Pauli, auctore P. Pezio doctiſſimo, typis parata.

## M C I I I.

## MELLIAVACCA BENEDICTUS.

EX Oppido Clarella in Via Papienſi Ducatus Mediolanenſis prodiit Benedictus Melliavacca Ordinis Minorum Obſervantium. Per omnes Religionis gradus ad ampliora contendens, Oratoria ſacra facultate celebris, pluribus in locis Verbum Dei diſſeminavit. Inter Suos Generalis Lector ob ſpeculationis acumen declaratus, Provinciali à Secretis fuit. Multa paraverat typis edenda, Sermones ſcilicet & Conciones, edita tamen ſunt ſequentia tantùm.

I. Panegirico di San Gianbuono, Arciveſcovo di Milano. *Typis Archiepiſcopalibus*, *in* 4. Eam habuit die X. Februarii, anno MDCXLVII. in Metropolitana.

II. Orazione Funebre per la morte del Principe di Spagna. Ibid. in 4.

III. Plures Sermones & Conciones. MSS. in fol. Servantur apud Suos in Cœnobio Modoëtienſi.

De ipſo Picinellus in Athenæo pag. 82., & Acta Provinciæ Mediolanenſis Obſervantium lib. 2. pag. 150.

## M C I V.

## MELLIAVACCA FRANCISCUS MARIA.

QUamvis Cl. Lazarus Auguſtinus Cotta in ſuo Novarienſi Muſæo recenſuerit Franciſcum Mariam Melliavaccam, aſſerens ipſum in lucem editum fuiſſe in Oppido Galliati, monuit nos nihilominus amiciſſimus atque doctiſſimus JC. Sitonus, id perperam affirmari, cùm Mediolani natus ſit an. MDCXI. parentibus Joanne Franciſco Juriſperito, Cauſidico, atque Notario Curiæ Archiepiſcopalis hujus Urbis, nec non Blanca Suarda Conjugibus. Nihilominus Familiam Melliavaccam eſſe etiam inter Novarienſes agnoſcimus à Balthaſſare ejuſdem Gentis è Congregatione Barnabitarum Divi Pauli à Patre Pezio inter Scriptores ſui Ordinis recenſito, ſicuti etiam à ſupradicto Cotta in ſuo Muſæo pag. 76. Alterum item Balthaſſarem Melliavaccam inveni inter Litteratos Viros ævi Joannis Pici Mirandulani, ut ex iſtius Epiſtola ad ipſum Melliavaccam colligitur, qui neſcio utrum fuerit Familiæ Mediolanenſis, an Novarienſis. Cæterùm Scriptor noſter ea floruit legali præſertim eruditione, ut in Foro magni nominis gloriam adeptus, ad Auditoris munus in Feudis Nobiliſſimæ Gentis Biragæ aſſumeretur, quod annis fermè quinquaginta ſumma cum æquitatis laude adminiſtravit. Sed & inter generales Mediolanenſis Dominii Vicarios tamdiù conſedit, donec eorum omnium Senior evaſit. In hac Urbe diem clauſit extremam anno Redemptionis MDCXCV. ætatis ſuæ LXXXIV.

Sunt

Digitized by Google

Sunt ejus Opera .

I. Gentis Biraghæ Nobilitatis Compendium ; Hiſtoriis, Diplomatibus, Elogiis, Emblematibus, Trophæis explicatum. MS. in fol. magnæ molis: extat penes Patricium Virum Carolum & fratres Brippios .

II. Legalium Conſultationum Volumina plura extant penes Nobilem Virum Aloyſium Authoris filium.

De eo prædictus Cotta pag. 123. art. 298., & Sitonus citatus in Theatro Genealog. Famil. Nobb. Mediol. pag. 292. MS. penes Auctorem ; quemadmodum & Cavatius in Deſcript. Status Mediol. pag. 12.

## MCV.

## MELLIAVACCA INNOCENTIUS.

Virum nunc damus è Melliavacca Familia eruditione, ac dignitatibus conſpicuum Innocentium Mediolani ortum , qui adulta vix ætate Monaſticum in Sacro Ciſtercienſium Ordine amplexus Inſtitutum , brevì virtutis & doctrinæ merito ad Abbatiales Infulas promotus eſt . Apud Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem , cui tanti Præſulis gravitas , atque ſapientia optimè nota erat , in Conſilium vocari promeruit ; tum apud Sanctiſſimæ Inquiſitionis Tribunal ad graviſſima ſæpe negotia adhibitus Conſultoris geſſit Officium . Defuncto poſtmodum Marco Antonio Thomato Aſtenſis Eccleſiæ Epiſcopo , ad ejus regimen aſſumitur die VII. Junii , anno poſt Partum Virginis MDCXCIII Qua paſtorali vigilantia ſibi commiſſum gregem rexerit, qua cura Cleri ſui mores, in Alumnis præſertim Seminarii, meliores quotidie efficere ſtuduerit , facilè patet ex his , quæ conſcripſit , à nobis infra tradendis . Adhuc erat in vivis anno MDCCXIII.

I. Prima Synodus Diœceſana Aſtenſis Innocentii Melliavacca Ordinis Ciſtercienſis Epiſcopi , habita 1699. *Mediolani*, *apud Ramellati*, 1700. *in* 4.

II. Regulæ pro Seminarii Alumnis ab eodem conſcriptæ. Extant ibidem.

Agunt de ipſo brevibus licet verbis Continuatores Ughelli Ital. Sacræ Tomo IV. in Aſtenſib. num. LXXXI. & Sitonus noſter in Schedis.

## MCVI.

## MELTIUS BARTHOLOMÆUS.

Meltia Gens in hac Metropoli adhuc dignitatibus , atque nobilitate inter primarias recenſita, plures dedit Litterariæ Reipublicæ claros Viros, quorum nunc Elogia proferenda ſunt . Occurrit omnium primus , alphabetico , quo utimur , ordine , Bartholomæus , Joannis Cæſarei Comitis Palatini in Magiſtratu , quem Ordinariorum Redditum nuncupant Inſubres , Quæſtoris integerrimi , & in Secretiore Conſilio Ducali Conſiliarii prudentiſſimi filius . Bonarum artium ornamenta familiæ ſtemmati addidit Bartholomæus noſter , & quamvis in eodem Magiſtratu , quem ſupra memoravimus , Quæſturam exercuerit , à Muſarum tamen amœnioribus ſtudiis non alienus extitit , quod ſatis oſtendunt Carmina hìc recenſenda . Franciſco Philelpho magni nominis Erudito ſummâ fuit amicitiâ conjunctus , ut teſtantur hujus Litteræ ad Meltium ſcriptæ , de quibus infra mentio fiet . Poſtremum Scriptoris hujus annum , ut verum fateamur , ignoramus , & nos certè effugiſſet ejus quoque nomen , niſi fortuitò in Opus ejus incidiſſemus .

Illud eſt hoc titulo :

I. Bartholomæi Meltii Verſus in laudem Galeacii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Ducis Mediol. Ext. MS. in Reg. Pariſienſ. Cod. 6498., ex Montfauconio Biblioth. MSS. pag. 764.

II. Conſilium de Immunitate Eccleſiaſtica ; ſine loco, anno, & Typographo, in fol. Ext. in Bibliotheca Monachor. Caſſinenſ. S. Salvatoris Ticini, teſte P. Beretta in ſuis Schedis.

Inter Epiſtolas Franciſci Philelphi , Editionis *Venetæ, anni* 1502. *in fol.* extat Epiſtola Bartholomæo Meltio pag. 72.

De ipſo agit amiciſſimus, atque doctiſſimus Vir D. Joannes Sitonus J. C. & Advocatus , in Theatro Genealog. Famil. Nob. Mediol. MS. penes ipſum Auctorem in fol. pag. 294.

## MCVII.

## MELTIUS CAMILLUS.

Camillus Meltius patriâ Mediolanenſis , Joannis Antonii Meltii, & Liviæ Littæ nobilium Conjugum filius, ortus die XII. Decembris, anno MDXC. Grammaticæ ſtuduit in Collegio Societatis Jeſu hujus Urbis ; Rethoricæ verò ac Philoſophiæ Romæ in Collegio Romano ſub Præceptoribus Famiano Strada , & Nicolao Baldello , Viris doctrinæ famâ Clariſſimis . Hiſce diſciplinis probè excultus , relicta Urbe, Bononiam Juriſprudentiæ operam daturus conceſſit, inde Papiam, Parmamque, atque emenſo Juris utriuſque curriculo , ac Lauream Doctoralem ſub Sfortia de Oddis adeptus , Romam reverſus, ea in Urbe Capitolini Judicis munere , cum dignitate & famâ eruditionis aliquando functus eſt . Poſtmodum Mundi vanitatem ex rebus perituris relegens , ſeriòque conſiderans , abdicato Judicis ſæcularis munere, Clericali militiæ , obnitente licèt patre , nomen dedit . Itaque Præſulari veſte indutus , ac ab Urbano VIII. inter Pontificios Auditores lectus, Cameræ Vicariatum XI. annorum intervallo ſummâ prudentiâ , plauſuque pari geſſit . Urbanus Pontifex doctiſſimi , ac piiſſimi Viri meritis commotus , cùm Eccleſia Capuana ex obitu Archiepiſcopi commodùm vacaret , præteritis omnibus , qui eas Infulas ambirent , Camillum nil tale cogitantem ſuffecit . Qualiter verò commiſſam ſibi Eccleſiam adminiſtraverit religioſus Archipræſul, libet ex Oldoino non gravanter audire : „ Meltius electus Præſul Capuanus Eccleſiam „ concreditam , haud vulgari laude rexit : Clerum „ enim ſanctiſſimis legibus inſtituit : Jus Eccleſiaſti„cum incontaminatum ſervavit : in pauperes , vi„duas , orphanos liberalis fuit : manus ſuas ab om„ni munere excuſſit : Diœceſim pervigili diligentia „ inviſit: Archiepiſcopale Palatium mirificè reſtituit. Subdit deinde : „ Paucis illius annis , quibus Gregi „ præſens adfuit , qua virtute , quo zelo , quove „ pietatis ardore, probatiſque exemplis Eccleſiæ ſibi „ commiſſæ præfuerit, Capuanorum lacrymæ in ejus „ abſentia teſtimonium certiſſimum dedere. „ Exacto apud Capuanos triennio, Nuncius Apoſtolicus (quod Juris divini humanique peritiſſimus eſſet) Florentiam primò ad Magnum Hetruriæ Ducem ; mox Viennam Auſtriæ ad Cæſarem Ferdinandum III. graviſſimis de cauſis deſtinatur . Qua in poſtrema Legatione, quod Cæſari , totique Aulæ , ob ſuaviſſimos mores , rerum peritiam , exactamque doctrinam gratiſſimus exiſteret , annos novem maximo Reipublicæ Chriſtianæ emolumento tranſegit, Apoſtolicæ dignitatis & auctoritatis , ut Oldoinus loquitur , cultor & aſſertor eximius . Ab hac Provincia Romam ab Innocentio X. revocatum Alexander VII. ejuſdem Innocentii Succeſſor initio ſui regiminis Congregationi Epiſcoporum & Regularium à Secretis dedit ; mox

in prima Cardinalium enunciatione ad preces Cæſaris tanquam digniſſimum, deque Republica Chriſtiana optimè meritum Præſulem, die IX. Aprilis, anni MDCLVII. Sacrâ Purpurâ & Titulo Presbyterali Sancti Marcelli ornavit, ac inter Patres Sacrorum Cœtuum Epiſcoporum & Regularium, Propagandæ Fidei, Sacri Concilii Tridentini Interpretum, & Reſidentiæ Epiſcoporum cooptavit. Non diù tamen vixit in Purpura: nam comparato jam itinere Capuam versùs, ut dilectum Gregem, quem Legationibus diſtentus ad tempus deſeruerat, præſens paſceret, Romæ inopinato morbo correptus, inter vivos eſſe deſiit die XXI. Januarii, Anno Salutis MDCLIX. ætatis LXIX. Purpuræ biennio nondum exacto. Jacet in Quirinali in Eccleſia Patrum Societatis Jeſu S. Andreæ Apoſtolo Sacra in pernobili Monumento ſub ſequenti Epigraphe:

A

D. O. M.

CAMILLO MELTIO MEDIOLANENSI
S. R. E. TIT. S. MARCELLI PRESBYTERO CARDINALI
CAPVAE ARCHIEPISCOPO
QVI OLIM AD FERDINANDVM III. CAESAREM
NVNCIVS PONTIFICIVS
ET SACRAE CONGREGATIONI
EPISCOPIS ET REGVLARIBVS PRAEFECTAE A SECEETIS
PRVDENTIA DOCTRINA IVSTITIA PIETATE EXIMIVS
PER OMNES HONORVM AC VIRTVTVM GRADVS
AD PVRPVRAM EVECTVS
CVM EVM VIVERE
MAXIME REIPVBLICAE INTERESSET
EXTINCTVS EST
XII. KAL. FEBR.
ANNO REP. SAL. M. DC. LIX.
AETATIS SVAE LXIX.
IOANNES ANTONIVS MELTIVS ARCHIEPISCOPVS
DECESSORI ET PATRVO MOERENS POSVIT.

Fuit Vir apprimè doctus, pius, & integer, Canonici Cæſareique Juris peritiſſimus, juſtitiâ, rerum cognitione & uſu eximius, conſilio, eloquentiâ, & gravitate præſtans, litteratorum & pauperum fautor maximus, Purpurei Senatûs decus ampliſſimum, & Paſtor in paucis egregius.

B

Habentur de ipſo.

I. Leges pro reformatione Cleri Capuani, partim editæ, partim MSS. Extant in Archivo Eccleſiæ Capuanæ.
II. Orationes plures Latino, & Italico ſermone ſcriptæ, MSS. Ibidem.
III. Epiſtolæ V. ad Hilarionem Rancatum cum ejus reſponſis, annis MDCXLI. XLII. & XLVI. in Tom. XXIII. MSS. ejuſdem Rancati, de quo in littera R.
IV. Epiſtolæ innumeræ de pluribus graviſſimis negotiis, maximè Legationis Viennenſis. Extant in Archivo ſecreto Pontificio.

Agunt de eo Ferdinandi III. Cæſ. Litteræ ad Alex. VII. Diplomata Pontificum varia. Auguſtinus Oldoinus in addit. ad Ciac. Ughellus, aliique.

C

## MCVIII.

## MELTIUS HIERONYMUS.

ALoyſius Meltius J. C. Col. ac Mediolani Senator, necnon Iſabella Brippia illuſtres Conjuges Hieronymum in lucem ediderunt anno MDXCV., Jura & ipſe proſecutus in Advocatorum Pontificii Conſiſtorii ordinem lectus eſt anno MDCXXI., Julio Roma, quem ſuo loco laudabimus, ad Purpuram evecto. Bis Romani ſtudii Præfecturam geſſit, comitate morum, integritate, virtute ſibi aditum ad majora patefecit; ad Auditoratum nempe Romanæ Rotæ aſcendit anno MDCXLII. Pirovano defuncto, deinde Infulam Ticinenſem obtinuit die XXII. Septembris, anni MDCLIX. Eccleſiam ipſam omni cum laude rexit, beneficiiſque auxit uſque ad annum MDCLXXII. qui ei ultimus fuit. De Aloyſio autem ſupradicto extat Inſcriptio in hujus Urbis Templo, vulgo *il Giardino*, quam, ne pereat, hîc damus:

ALOY-

Digitized by Google

ALOYSIVS AC ALEXANDER FRATRES
MELTIORVM
SACELLVM HOC ATQVE SEPVLCHRVM
SIBI POSTERISQVE SVIS
PARAVERVNT
ANNO MDCXXV.

De noſtro autem habemus quæ ſequuntur.

Videlicet:

I. Deciſiones S. Rotæ Romanæ, extant in magna Colleƈt. earundem impreſſa tam *Romæ*, quàm *Venetiis*.
II. Aliæ plures MSS. extant in Archivo Molis Hadrianæ.
III. Virtutes Regiæ pro Canonizatione Sanƈti Regis Caſtellæ & Legionis D. Ferdinandi III. Oratio ad Urbanum VIII. *Mediol. apud Ghiſulphum* 1634. *in* 8. Dum erat Advocatus Conciſtorialis.
Agunt de eo Ughellus in Epiſcopis Papienſibus T. I. col. 1110. Cantalmajus, Fontana, Cartharius in Syllabo Advocator. Sacri Conſiſtorii edit. Romanæ pag. 251. Et Sitonus in Chronico J. PP. Colleg. Mediol. pag. 199. art. 847.

## MCIX.

## MELTIUS JOANNES.

JOannes Meltius Roglerii filius ob eruditionis, atque morum commendationem inter Ducales Mediolanenſis Provinciæ Quæſtores meruit recenſeri. Quamvis tamen publicis negotiis eſſet implicitus, nedum propriæ doƈtrinæ fœtus edidit, verùm etiam alienos litterarios labores publica luce dignos, ad Litterariæ Reipublicæ commodum, typis mandari curavit. In his eminent præcipuè Commentaria in Pſalmos Gabrielis Brebiæ, quæ Meltio noſtro adnitente anno MCDLXXVII. edita fuerunt, ut plenius indicat in Hiſtoria ſua Typographica Mediolanenſi Clariſſimus Saxius. Proprias verò lucubrationes infra memorandas, optimè conſcriptas Gaſpari Nepoti ſuo Lateranenſi Canonico largitus eſt anno MCDLXXVIII. ad uſum Monaſterii Sanƈtæ Mariæ de Casoreto. Cùm verò Gaſpar ipſe ſuppliciter petiiſſet ab Ordinis ſui Moderatoribus, ut ſibi liceret Patrui labores ad Monaſterium Sanƈtæ Mariæ Paſſionis hujus Urbis transferre, id obtinuit, ut mox dicemus. Elucet in his Auƈtoris pietas, & ſacrarum rerum ſcientia eò mirabilior, quod in Viro publico muneri addiƈto, & Altaris obſequiis non mancipato conſpiciatur.

Opera illius hæc ſunt:

I. De praƈtica Scientia, ubi de Moribus, de Virtutibus, Vitiiſque agitur. Codex optimè ſcriptus, atque dono conceſſus ab Auƈtore Gaſpari ejus Nepoti anno MCDLXXVIII. ad uſum Monaſterii Sanƈtæ Mariæ de Caſoleto, inde ſupplicationibus ejuſdem Gaſparis, Capitulum generale dedit Monaſterio de Paſſione Mediolani, ut legatur, & Patres orent pro eis. Ita ſcriptum eſt ad calcem ejuſdem MS. in fol. pagg. 300. Extat in Miſcell. ſign. n. 130. in eadem Bibliotheca Lateranenſium.
II. De ſeptem peccatis Capitalibus, cum aliis Quæſtionibus aſceticis. MS. in fol. ut ſupra pag. 160. nondum completus, extat ibid.
De eo Schedæ Sitonianæ.

## MCX.

## MELTIUS LUDOVICUS.

NOn tantùm ſanguinis nobilitate, quantùm eruditionis luce claruit Ludovicus Meltius alterius Ludovici, atque Catharinæ Littæ conjugum filius. Plurimùm ipſi debuit Clariſſimus, ac Religioſiſſimus Ordo Militaris Equitum Hieroſolymitanorum, qui communi appellatione Melitenſes nuncupantur; in eorum enim cœtum cooptatus, annos agens XVIII. piratas Mediterraneo infeſtos maritimâ expeditione inſeƈtatus eſt tanto animi ardore, tanta conſtantiæ firmitate, ut anno ætatis ſuæ XXIV. à magno Ordinis ſui Magiſtro Triremi præfici meruerit. Tam egregiis expletis facinoribus, terreſtres amplexus pugnas, propriis ſumptibus in Belgicis prœliis Catholico Regi ſponte militavit annos ſex, ubi magnum bellicæ gloriæ nomen ſibi conquiſivit. Miſerat interim Gregorius XIV. Summus Pontifex adversùs Hæreticos Galliam turbantes Herculem Sfondratum, qui Meltii noſtri cùm eſſet avunculus, ipſum haſtatorum cohortis Ducem renunciavit; paremque bellici honoris gradum adversùs Regem Navarræ ei contulit Caſtellæ Comeſtabulus tunc Moderator Regius Inſubriæ. Hoc in munere Caorſium Oppidum in Subalpinis poſitum expugnavit, & in Burgundia non infimam ſibi famam peperit. Caſtrorum Magiſterium in Belgio obtinuit, ibique cum ſibi commiſſis militibus Oſtendæ aggreſſioni dum intereſſet, igneo globulo percuſſus eſt, multumque ad ejus Urbis expugnationem ſua virtute contulit. Idem viriliter in Friſia præſtitit, dignus propterea habitus, quem Albertus Archidux Auſtriæ in bellicum Conſilium adſciret, & Equitum generalem Promagiſtrum conſtitueret. Catholicus etiam Rex, & nobili annuo cenſu, & Conſiliarii ſecretioris munere in patria decoravit Meltium noſtrum, ad quam reverſus, pedites ſeptem mille quingentos, equiteſque item quingentos ſummo cum imperio rexit. At dum Vercellenſis Urbis expugnationi vacaret, diſſenteriæ morbo correptus in Oppidum Mazentæ ſe recepit, ibique ætatis ſuæ anno LIX. die undecima menſis Julii, anno Salutis MDCXVII. mortalibus valedixit; cum annos XXXIII. ſtrenuè militaſſet. Cadaver illius Mediolanum delatum humo traditum fuit in Templo Minorum Striƈtioris Obſervantiæ, cujus cognomen *il Giardino*. Tumulo hanc impoſuit Epigraphen Aloyſius Senator Frater.

LUDO-

Digitized by Google

LVDOVICVS MELTIVS LVD. F.
PATRICIVS MEDIOLANEN.
EQVES HIEROSOLYMITANVS
PHILIPPI II. ET PHILIPPI III. CATH. REGVM
IN GALLIA BVRGVNDIA BELGIO INSVBRIA
TVRMAE EQVITVM HASTATORVM DVCTOR
LEGIONIS ITALICAE LEGATVS
EQVITVM PROMAGISTER
BELLICVS INTIMVSQVE CONSILIARIVS
PROXIMO SVBALPINO BELLO
ALTERIVS EXERCITVS MODERATOR
HIC APVD MAIORES SVOS SITVS EST
VIXIT ANNOS LIX. MENSES V.
DECESSIT IV. EID. QVINTILES MDCXVII.
ALOYSIVS MELTIVS COMES MAZENTAE SENATOR
FRATRI OPTIME MERITO.

Inter Scriptores autem locum obtinet ob ſequens Opus, militiam profitentibus valde proficuum.

I. Regole Militari ſopra il governo, e ſervizio particolare della Cavalleria. *Anverſa*, 1611. *in fol cum æneis Tabulis*. Et iterum *Milano*, *per il Bidello*, 1619. *in fol.*

Tanti habitus eſt hic liber, ut in exteras quoque linguas frequenter translatus fuerit; nimirum Hiſpanicam, Gallicam, atque Belgicam, & alibi ſæpius impreſſus.

Italicas ad eum dedit Litteras Annibal Guaſcus, quæ leguntur inter hujus, editas Alexandriæ MDCVII.

Mentio eſt Meltii noſtri apud Sitonum in Chron. J. PP. pag. 161. art. 649. Videndi quoque Ghillinus in part II. Theatri Eruditor. Morigia lib. IV. Nobilit. Mediol., ubi habetur integrum de Scriptore noſtro Caput XLIII., & tandem Picinellus in Athenæo pag. 395.

## MCXI.

## MENABENUS APOLLONIUS.

TAm parcè locuti ſunt Bartholomæus Curtius, Joannes Jacobus Mangetus, atque Abbas Picinellus de Apollonio Menabeno, ut nec parentes ipſius, nec annum mortis ab eis ediſcere mihi licuerit. Floruit inter Medicos, Philoſophos, atque Poëtas ad finem vertente Sæculo XVI. Medicus extitit Joannis Svecorum Regis, ut ipſemet teſtatur in Epiſtola Nuncupatoria ad Rodulphum Cæſarem, Hiſtoriæ Cervi Rangiferi præfixa, his verbis: „ Te igitur maxime „ Imperator Rudulphe Cæſar pro innata animi tui „ facilitate, pro optima, & propenſa in bonarum „ artium ſtudioſos voluntate hunc meum libellum in „ tua Auſtria elucubratum, jam tuis auſpiciis in lu- „ cem editum &c., & paulo infra. „ Hac mirabili „ naturæ ſolertia mihi ſatis perſpecta, atque explo- „ rata, cùm eſſem Medicus Joannis Regis titulo „ Svecorum, Gothorum, Vandalorum, omnem „ mihi movendum, ut ajunt, lapidem eſſe exiſtima- „ vi, ut ſi quæ in ſquallidis, ac horridis Sveciæ „ regionibus eſſent ſcitu, ac memoratu digna, meo „ ipſius non ſolum expiſcarer labore, verum etiam „ ad aliorum commoda Scriptis meis in lucem pro- „ ferrem &c. „ Aliquando etiam moram traxit Viennæ Auſtriæ, ubi librum ſcripſit de Cauſis compoſitionis medicamentorum, ut ſuo loco dicemus. Sicuti & alterum de Cauſis fluxus & refluxus aquarum Stokolmienſium. Fratrem habuit Bartholomæum, cujus Carmen in Apollonii laudem, quod eſt in eodem Opere, juvat hîc recudere ex Curtii libro pluries memorato de Medicis Mediolanenſibus;

*Impulit heroas virtus tolerare laborum*
*Ærumnas, famâ ut poſſent contingere Cœlum:*
*At natura parens medicas ſpecularier artes,*
*Optimè te frater docuit, penetrare per oras*
*Informes viſu, glaciale videre ſub Arcto*
*Horrendum pelagus, tum immania monſtra Getarum*
*Atque per ingentes vires ſpectare ſalubres,*
*Humano generi medicamina ut inde referres,*
*Queis torpore jacens animus, proſtrataque membra,*
*Æthereas velut à letho revocantur ad auras.*

Plura edidit, atque plura alia adhuc Manuſcripta extant in Bibliotheca Ambroſiana, non omnia, nec ſatis accuratè à Clariſs. Curtio relata. Quod artem Poëticam adamaverit etiam noſter, ex ſequentibus Bernardini Baldini Carminibus facilè agnoſcitur, quæ leguntur in libro de Fabuloſis Diis:

*Impoſuit docto divini pectoris index*
*Nomen Apollonii doctus Apollo tibi;*
*Nominis ut ſacri vigeas, virtutis & hæres,*
*Reque Deum referas, nominis atque ſono.*
*Hinc Medicam calles artem, cultamque Poëſim;*
*Quas docet indigetes divus Apollo choros.*
*Vate trahis meritò Vates ab Apolline nomen,*
*Artis Apolloni dives Apollineæ.*

Nunc

Digitized by Google

Nunc Opera ipſius diligentiſſimè inſpecta profeſſimus, quæ ſunt:

I. De magno Animali, quod Alcen vocant, & de ipſius partium in re Medica facultatibus.

II. Hiſtoria Cervi Rangiferi, & Gulonis Filfras vocati. Hæ duæ lucubrationes lucem viderunt tam *Coloniæ, apud Maternum Cholinum*, 1581. *in* 8., quàm *eodem anno, Mediolani, apud Michaëlem Tinum, in* 4. Cinellus in ſua Bibliotheca, Pluteo XV. Editionem II. facit Colonienſem, in qua legitur Epiſtola Dodonei de Alce, & quid de ipſa quoque ſcripſit Olaus Magnus in ſuæ Hiſtoriæ libro XVIII. Prodiit verò hoc Opus in Italicum ſermonem verſum, hoc titulo: „ Trattato della Gran Beſtia, traddotto di Latino „ in Italiano da Conſtanzo Felici, con l'aggiunta „ della virtù del Lupo. Alla Marcheſa Felice del- „ la Rovere. *Rimini, preſſo il Simbeni*, 1584. *in* 8.

III. De cauſis fluxus, & refluxus aquarum Stokolmienſium, in quo continentur non pauca de fluxu, & refluxu Maris generatim dicta. Ad Franciſcum Medicem Magnum & Sereniſſimum Hetruriæ Ducem. Epiſtola Nuncupatoria data eſt Viennæ Auſtriæ. *Mediolani, apud Tinum*, 1581. *in* 4.

IV. Claudii Riccardi Sequani Medici Chirurgi de Lapide Bezovarii Libellus. Ad Sereniſſimum & Invictiſſimum Imperatorem Ferdinandum, cum adnotationibus Apollonii Menabeni. MS.

V. Apollonii Menabeni de vero contrario veneni. MS.

VI. Diſputatio, an Lapides qui generantur in Animalibus brutis ſint naturales, ſive præter naturam. MS.

VII. Diſputatio de cauſa effectrice Calculi, an ſemper ſit immodicus calor. MS.

VIII. Diſputatio, an in Alvi profluviis circa initia conveniat ſolvens medicamentum dari. MS. Extant hi VI. Articuli in Codice Ambroſiano, ſign. H. num. 16. in fol.

IX. Liber de cauſis compoſitionis medicamentorum. Scriptus eſt Viennæ Auſtriæ anno MDXCII. MS. Autographus in Ambroſiana, ſign. I. num. 49. in fol.

X. Dialogus de antiqua, ſive ſimplici, & de nova, ſive compoſita Medicina. Interlocutores ſunt Doctor Flaminius, Albertus Mercator, Nicaſius Apothecarius, & Sylvius Philodoxus. MS. in Ambroſiana, ſign. I. num. 107. in fol.

XI. Perſea; ideſt Tractatus de Perſea, & Perſica arboribus, & earum fructibus, cum locorum inter ſe diſſidentium conciliatione, & quorundam refutatione. MS. ibid. ſign. H. num. 40. in fol.

XII. Dialogi III. de immoderato, mediocri, & decenti vini uſu. MS. in fol. ſign. I. num. 124. extat ibidem.

Laudatur à Mercklinio in Lindenio renovato, pag. 85., & à ſupradictis Curtio, Mangeto, & Picinello, primo pag. 118. ſui operis de Medicis Scriptoribus Mediolanenſibus, ſecundo in Tomo II. ſuæ Bibliothecæ Scriptorum Medicor. pag. 296., tertio verò in Athenæo pag. 51.

## MCXII.

## MENDRISIUS HIERONYMUS.

Cœnobium illud, quod cum vicino Templo ſub Sanctæ Mariæ Paradiſi titulo nunc incolunt in hac Urbe Minores Tertii Ordinis S. Franciſci in Suburbio intramurano Portæ Romanæ, habitarunt olim Fratres Ordinis Servorum, qui nunc in Urbe in aliud Suburbium Portæ Orientalis, ſive Argenteæ ad vetus Monaſterium S. Dionyſii tranſlati ſunt. Cùm autem ibi ad uc degerent, floruit inter eos Hieronymus Mendriſius Mediolanenſis, non infimi nominis ætate ſua Theologus, quem conſulere ſolebant in his, quæ ad conſcientiam pertinent, primarii etiam Cives, tanta erat Viri exiſtimatio. Cariſſimus fuit Franciſco Sfortiæ Duci, Ludovico Magio, atque Hieronymo Panigarolæ hujus Urbis patritiis, ad quos lucubrationes ſuas mittendas cenſuit. Vivebat medio fermè Sæculo XVI., & cum dolore commemoramus nihil omninò à ſui Ordinis Sodalibus, licèt rogatis, haurire potuiſſe.

Habent poſteri Mendriſii noſtri, quæ ſequuntur Opera, ſcilicet:

I. Hieronymi Mendriſii, Cœnobitæ Paradiſi Mediolanenſis Expoſitio Pſalmi: Qui habitat, ad Ludovicum Magium Patritium Mediolanenſem, de quo jam egimus & de hoc libro.

II. Auſpicatio Chriſtiana, in Pſalm. CII. Franciſco Secundo Sfortiæ Mediolanenſium Duci.

III. De neceſſitate Eleemoſynæ, ad Hieronymum Panigarolam. Sic inſcribitur: „ Opuſculum & novum, & doctum „ de neceſſitate Eleemoſynæ, ad Dominum Hieronymum Panigarolam Reverendi Fratris Hieronymi „ Mendriſii, Ordinis Servorum de Obſervatione „. In Epiſtola Nuncupatoria narrat calamitates, quæ eo tempore Mediolanenſes angebant. Opuſculum conſcripſit reſponſurus Panigarolæ, qui quæſtionem propoſuerat an Eleemoſyna caderet ſub præcepto, vel ſub conſilio tantùm.

IV. Abſolutiſſima, atque clariſſima Quæſtio de compoſſibilitate infallibilis Scientiæ Dei, atque contingentiæ rerum; & utrum Prædeſtinatus poſſit damnari, vel Præſcitus ſalvari, ad Joannem Aloyſium Trottum Patritium Mediol. Omnia uno Volumine in 4. *Mediolani, apud Gottardum Pontium*, 1530. *menſe Julio*.

## MCXIII.

## MERONUS PAULUS JOSEPH.

Mirum eſt Leonem Allatium, Virum alioqui eruditum, nudum tantùm protuliſſe nomen Pauli Joſephi Meroni Mediolanenſis, nihil omninò addendo de geſtis ejuſdem, nihil de parentibus, nihil de Ordine forſitan Regulari, quem Auctor profeſſus videtur. Cùm tamen Fratris titulum, ut clauſtrales ſolent, nomini præfixum non invenerimus, Clericum fuiſſe cenſemus. Sanè Virum ſacris addictum indicant ea, quæ tractavit argumenta, ex divinis potiſſimùm libris deprompta. Claruit etiam Oratoria facultate, quemadmodum oſtendit Oratio ultimo loco promenda, quam & Allatius, & Picinellus ignorarunt. Neque verò à Philoſophicis rebus alienus fuit, atque Ariſtotelis libros aliquot Commentariis illuſtravit.

Hæc ſunt, quæ de Merono invenimus, partim edita, partim MSS.

I. Commentarii in Pſal. CXLV. ad Aulicos, & Principes: *Lugduni, apud Cardon.* 1615. *in* 4.

II. In Epiſtolam Aſſueri, quæ in libro Heſter inſerta legitur.

III. Civilium Exercitationum libri IV.

IV. Commentarii in Malachiam Prophetam.

V. Commentarii in Pſal. II. de Victoria, & Regno Chriſti.

VI. Commentarii in Pſal. C. de Optimo Principe: *Romæ, apud Stephanum Paulin.* 1637. *in* 4.

VII. De vera Patria Dialogus.

VIII. Obſervationes in Pentateuchum.

IX. Obſervationes in libros Tertulliani.

X. Commentarii in lib. XII. Metaphyſ. Ariſtotelis.

XI. De Peccatis in Spiritum Sanctum.

XII. De Uxore Loth verſa in ſtatuam ſalis.

XIII. De Somniis, quæ mittuntur à Spiritu Sancto.

XIV. Oratio de Chriſtianæ Antiquitatis reliquiis, quæ ſacras Imagines præſeferunt. *Romæ, apud Maſcardum*, 1620. *in* 4.

Ei dicavit Mariangelus Sanbenedictus partem libri, cui titulus eſt: „ Auctarium ad Grammaticam Philoſophicam Paſcaſii Groſippi (ideſt Gaſparis Scioppii).

De ipſo prædictus Leo Allatius in Apibus Urbanis pag. 212., & ex eo Picinellus in Athenæo pag. 451.



Digitized by Google

## MCXIV.

## MICHAEL.

BEatus Frater Michaël de Mediolano ( quem Sui contendunt , alterum omninò fuiſſe à Beato Michaële Carcano , ſed cujus Familiæ extiterit , prorſus ignoratur ) habitum Minorum Obſervantium in Provincia Mediolanenſi recepit , in eaque , per multos annos , ſanctiſſimè , & uberrimè laboravit , optimis exemplis , vitæ innocentia , aſſiduis concionibus , crebris peccatorum confeſſionibus audiendis , miraculis non paucis , ac meritorum ſublimitate , quibus & Beati titulum optimo jure ſuum fecit , & in Bergomenſis Inſulæ dignitatem , ut eligeretur , non indignum ſe præbuit , cuì tamen electioni ex animo reſtitit . Qui tandem anno poſt Chriſtum natum MCDXC. placidè in Domino obdormivit in hac Urbe , & in Conventu S. Angeli tunc extra Urbem exiſtente magnis prodigiis , & miraculis coruſcans , ibidemque ejus Corpus extitit tumulatum in Sacello Sancti Bernardini , quod poſtea , unà cum aliis , translatum fuit ad novum Cœnobium intra Civitatem conſtructum , & ſubtus Sacrarium reconditum . Nos verò, ut monuimus in Vita Michaëlis Carcani , plura expiſcavimus pro rectè ſeligendis operibus duorum virorum ſub nomine Michaëlis tantùm à Mediolano nuncupatorum , eodem ſæculo viventium , & in ipſo Ordine quoque exiſtentium; ſed revera adhuc ancipites ſumus, an id quod nobis aſſignavimus acciderit, nec ne . Accipiant igitur Lectores , quod nobis ſui Contubernales dedere, & ſi aliqua tribuimus Michaëli, de quo agimus, quæ ſunt Carcani, aut è contra , nobis vitio non tribuant . Fertur igitur noſter compoſuiſſe, atque edidiſſe , quæ ſequuntur .

Videlicet :

I. Quadrageſimale , ſeu Sermonarium de Pœnitentia duplicatum per Adventum videlicet , & Quadrageſimam à Venerabili Viro F. Michaële de Mediolano Ord. FF. Minorum de Obſervantia editum , qui tum ſanctimonia vitæ , tum frequentiſſima verbi Dei prædicatione à Deo innumeris meruit coruſcare miraculis . *Venetiis* , *per Georgium de Arrivabenis*, 1496. *die* 28. *Settembris* . Extat quoque MS. in Bibliotheca Ambroſiana Cod. ſign. Q. num. 53. in 4.

II. Confeſſionale , ſeu Methodus confitendi . *Venetiis* , 1513. *in* 8.

III. Compendium Sanctorum Ordinis Minorum . Sic Arturus in Martyrologio Franciſc. ad diem XVII. Auguſti §. 5.

IV. Sermones de Adventu . *Venetiis* , *apud Nicolaum Francofurtenſem* , 1487. *in* 4.

V. Sermones de Peccatis .

VI. Sermones de decem Præceptis .

VII. Sermones de Fide .

VIII. Sermones de Pœnitentia .

IX. Sermones de Tempore .

X. Sermones de Sanctis .

Hæc duo ultima Opera reperiuntur MSS. in Bibliotheca Sancti Iſidori Romæ . Sic VVadingus in Cathalogo Script. Ordinis Minorum littera M. pag. 261. Iſtius extat memoria apud Paulum Moriggiam in ſuo Summario rerum memorabilium Civit. Mediol. lib. I. cap. III. pag. 43., & lib. II. cap. XIV. pag. 183., & lib. III. cap. XXX. pag. 287. Nobilitatis Mediol. , Abbatem Picinellum in ſuo Athenæo Litter. Mediol. pag. 425., Cariſium in ſuo Tripartito Teatro Sacro . Mazaram in ſuo Legendario Franciſc. Vol. II. part. II. ad diem XV. Octobris pag. 126., & VVading, Tom. V. Annal. ad annum MCDXVIII. §. 36., & Tom. VII. ad an. MCDXC. §. 3. Trithemium de Scriptoribus Eccleſiaſticis , & Dupinium in ſua Biblioth. Tom. XII. pag. 118.

à S. MICHAEL. V. BEBULCUS.

## MCXV.

## MILANUS JOSEPH.

ETſi Joſeph Milanus Clericalem vitam profiteri inſtituiſſet , attamen primis rudimentis doctrinæ tam Sacræ , quàm Profanæ in hujus Urbis Seminario acceptis , inter uxoratos adſcribere ſe voluit , qua de re ob filiorum numerum ſatis amplum ſuſceptum , docere Rethoricas , Philoſophicas , atque Theologicas facultates in pluribus Mediolani Cœnobiis , immo in propria Domo coactus fuit ; ſed ſors ut plurimum bonorum hominum invida , noſtro cœcitatem attulit , ita ut ob victum ſibi quærendum per plures annos inſudarit . Nihilominus ante , & poſt tantum inter mala hominum maximum nonnulla ſcripſit , quæ non ſine voluptate legi poſſunt: partim à Picinello indicantur , partim verò in manus noſtras incidêre , quæ nunc libenter damus ,

Videlicet :

I. La Sacroſanta Natività di Gesù Criſto Noſtro Signore , e Redentore . Data in luce da Giuſeppe Milani Milaneſe a profitto ſpirituale di ciaſchedun fedele Criſtiano . Al Sig. Franceſco Adda J. C. e Nobile Patricio Milaneſe . *In Milano* , *pèr Pandolfo Malateſta*, 1604 *in* 24.

II. Profezie del nuovo Pontefice Romano , detto Leone XI. con la dichiarazione d'alcune Lettere appartenenti alla perſona dell' iſteſſo , trovate , e date in luce da Giuſeppe Milani Milaneſe . *In Milano per Pandolfo Malateſta*, 1605. *in* 8.

III. Il Fregio dell' Uomo virtuoſo , Diſcorſo in ottava Rima . Nel quale , benchè brieve , compiutamente ſi ragiona della virtù , e ſue proprietadi , nuovamente dato in luce da Giuſeppe Milani Milaneſe , con l'Annotazioni in fine ad alcune delle Stanze. *In Milano* , *per Pandolfo Malateſta* , 1605.

IV. Vita di S. Aquilino Martire . *Milano* , *per il Malateſta* , 1605. , & denuo ibid. *per il Gariboldi* , 1658, *in* 8.

V. Relazione dell' Apparato fatto nel Duomo per il B. Carlo Borromeo li IV. Novembre MDCIII. *Breſcia*, *der il Sabbio*, 1604. *in* 4.

VI. Varon Milanes , de la Lengua da Milan , *ſive* Priſcian da Milan , de la prononzia Milaneſa . In hoc Libro agitur ab Auctore de vocibus Mediolanenſibus plebejis , quas nititur probare ex Linguis Græcis atque Latinis aliquam originem trahere ; in medio adductis Carminibus variis vulgari Idiomate Mediolanenſi , in quibus ſatis felix apparuit ejus ingenium .

VII. Diſcorſo Meteorologico eſtratto dalla Dottrina d'Ariſtotile , e dal Dottor Angelico San Tommaſo , di Giuſeppe Milani Milaneſe intorno all' eſſenza , generazione , varietà , e ſignificato della Cometa , al Sig. Conte Paolo Simonetta . *In Milano* , *preſſo il Como* , 1618. *in* 4.

VIII. Il Ritratto vero della Donna pudica , e timorata di Dio . Rime . *In Milano* , *per Pandolfo Malateſta* , 1619. *in* 8.

IX. Deſcrizione della miſeria , e vanità del Mondo . Rime . *Milano* , *come ſopra* .

X. Varia ejus Poëmata Italica & Latina in libro , cui titulus : Poeſie Italiane , e Latine di diverſi nella partenza di Zaccaria Sagredo , Podeſtà di Verona . *Verona* , 1618. *in* 4.

Videndum Abbatis Picinelli Athenæum pag. 368.



Digitized by Google

## MCXVI.

## MILLEFANTIUS CÆSAR.

IN Cæſare Millefantio hujus Metropolis Cive non pauca elucent virtutis atque doctrinæ lumina, quorum gratiâ locus ei honeſtiſſimus in hac Bibliotheca debetur. Minoribus diſciplinis apprimè excultus Clericali vitæ ſe dicavit, talemque præſetulit morum honeſtatem, & eruditionis præſtantiam, ut regios inter Scalenſis Baſilicæ Canonicos anno MDC. jure merito computatus extiterit. Mox anno MDCXXVII. ibidem Archipresbyteratus dignitatem obtinuit. Utrumque Jus, Cæſareum ſcilicet ac Pontifi-

A cium, optimè calluit, & in præclaris hiſce ſcientiis ſummos Academicos honores adeptus eſt. Græcam linguam, quam, præter alia litteraria ornamenta, poſſidebat, non paucos annos in Palatino Gymnaſio docuit: Poëſi quoque ita claruit, ut primas inter ſæculi ſui Vates occupaverit. Neque defuit præſtantiſſimo Viro Oratoriæ Artis perities, qua perſæpe Auditorum animos in admirationem traxiſſe perhibetur. Eruditis ſuæ ætatis ſedulò favit, præſertim verò Bernardino Baldino, cujus Carminibus jam editis Appendicem conjunxit infra memorandam, atque illius Tumulum egregio Carmine illuſtravit, ut in Baldini Elogio jam diximus. Inter hæc liberalia

B ſtudia conſenuit ad ætatem uſque annorum LXXXIII. & migravit è vita XV. Kal. Februarii, Anno Redemptionis MDCXL. Conditus jacet in ſupradicta Scalenſi Baſilica, hoc Elogio Sepulchro illius impoſito.

CAESARI MILLEFANTIO I. V. D.
PROTONOTARIO APOSTOLICO
PRIMVM A PVERO SVB ALOYSIO MILLEFANTIO EIVS PATRVO
CANONICO SCALENSI VIROQVE ERVDITISSIMO
IN HIS QVAE AD MINORVM ORDINVM FVNCTIONES SPECTANT
IN HAC ECCLESIA SE EXERCVIT
DEINDE LEVITA
A PHILIPPO III. CANONICVS IN LOCVM AVRELII ARCHINTI
SVFFECTVS
QVA POTVIT PIETATE ANN. XXVII. MVNVS SVVM SVSTINVIT
POSTREMO A PHILIPPO IV.
ARCHIPRESBYTERI DIGNITATE DECORATVS
NVMERATA PECVNIA PENES CHARITATIS MEDIOLANI PRAEFECT.
AD ANNIVERSARIA DVO CVM MISSIS VIGINTI PRO SINGVLO
QVOTANNIS CELEBRANDA
H. S. M. F. C.
OBIIT XV. KAL. FEB. MDCXL.
AETATIS SVAE LXXXIII.
DICANT OMNES REQVIESCAT IN PACE.

C Hæc ſunt Opera Millefantii noſtri, quæ ad poſteros pervenerunt.

I. Oratio in Caroli Borromæi Cardinalis ampliſſimi Funere à Cæſare Millefantio XV. Kal. Decembris publicè habita. *Mediolani, ex Typographia Pacifici Pontii* 1584. *in* 4. Eam dicavit Auctor Jo. Gaſpari Vicecomiti, qui eidem S. Carolo in Archiepiſcopatu Mediolanenſi ſuffectus eſt.

II. Epigrammata plura. Leguntur in Appendice Carminum Bernardini Baldini, quam Millefantius edidit. *Mediolani, apud Paganellum*, 1600. *in* 4.

III. Alia plura in Variorum commendationem edita in Operibus ipſorum, præſertim verò in libro de Bello Ariano Jo. Marci Fagnani, & in libro ejuſdem Baldini inſcripto: Luſus.

IV. Epitaphium Tetraſticho expreſſum ad Tumulum ipſius Baldini, de quo Curtius loco citando.

Eum Carmine laudavit Baldinus ipſe, ut refert Picinellus loco citando.

De Scriptore noſtro cum laude mentio habetur apud Cinellum in Bibliotheca volante, Pluteo XXI. Curtium de Claris Medicis Mediol. pag. 102., & Picinellum in Athenæo pag. 139.

## MCXVII.

## MINUTIUS JACOBUS.

MIrum profectò eſt, Morerium in Lexico ſuo duos proferre fratres, & quidem præſtantiſſimos, eodem nomine nuncupatos; captu enim difficile eſt, id accidere potuiſſe. Certè non tam facilè fidendum eſt eidem Morerio, nam etiam in hac littera M. ſui Lexici laudat Marchi, quem & Mediolanenſem, & Congregationis S. Philippi Nerii Alumnum facit. Nos vero dubitavimus de hoc Viro

D aliunde doctiſſimo, an revera collocandus eſſet in hac Bibliotheca, nam Marchi familiam inter Mediolanenſes non invenimus. Gratias igitur debemus PP. ſupradicti Oratorii in alma Urbe, ad quos ſcripſimus nam monitos nos fecerunt, Marchi ſupradictum vocandum eſſe Marcheſium, & natione Florentinum extitiſſe. Commendatione tamen ſua fraudare non poſſumus ambos Minutios, quamvis unius tantùm ſuperfuerint litterarii labores. Inſubriam igitur, & Mediolanum præcipuè, in qua ortus eſt Urbe, non parvo decoravit ſplendore Jacobus Minutius,

Digitized by Google

A tius, qui ab anno MDXVII. ad MDXXI. inter Regios Ducales Mediolanenſis Senatus Patres recenſitus, cùm primùm Franciſcus hujus nominis I. Francorum Rex in Italiam venit, tantam apud eum prudentiæ, atque integritatis laudem aſſecutus eſt, ut in magni momenti negotiis, non ſine felici eventu, adhiberetur. In Galliam reverſurus Franciſcus ſecum Jacobum adduxit, & in Burdegalenſi Senatu Præſidem conſtituit, à quo tamen munere, Franciſco Rege captivo, anno MDXXIV. translatus eſt ad primam ſedem occupandam in Toloſano, ſuffectus Petro de Sancto Andrea haud pridem defuncto. Eruditorum fautor fuit acerrimus, & cùm plurimùm eloquentiâ polleret, litteras Toloſæ reſtituendas curavit. Originem ſuam ad Minutium Felicem clariſſimum Romanum Oratorem referebat, ideoque latinè ſe Minutium ſubſcribere conſueverat. Feudo Caſteræ decoratus liberos ſuſtulit ex Conjuge Catherina de Souhaut, unde propagata eſt in Galliis nobiliſſima progenies Dominorum de Caſtera. Vivere deſiit die VI. Novembris, anno MDXXXVI. Frater autem ejus (ſi ſuperis placet) Jacobus Provinciæ Cadurcenſis Seneſcallus, paribus excultus diſciplinis, tam ſoluta, quàm numeris adſcricta oratione plurimùm valuit, teſtibuſque infra citandis Scriptoribus elaboravit

I. Opera aliquot Oratoria.
II. Carmina plura. Hæc in lucem prodierint, nec ne, ſcire nequivimus.

Laudantur ambo Minutii à Morerio in Lexico, verbo *Minut*, citatis la Croix, du Maine, & la Faille in Annalib. Toloſanis. Agit etiam Sitonus in Schedis.

## MCXVIII.

## MIRABILIA JOANNES STEPHANUS.

Ex Joanne Franciſco Mirabilia & Conſtantia Vicecomite Conjugibus ortus eſt ſæculo XVI. vergente Mediolani Johannes Stephanus, qui inter Juris Conſultos non tantùm cum laude numerabatur, ſed etiam Poëta non infimi nominis, pro more illius ævi, ex infra recenſendis Carminibus inſcribitur. Floruit uſque ad annum MDCXXVI. ut monent Schedæ Sitonianæ.

Extant igitur de ipſo

I. Allegationes plures Juridicæ tam editæ quam manuſcriptæ, inter quas eminet illa de Oeconomatu, aliæque, de quibus plura Volumina effici poſſunt. Extant in Collectionibus Juris Peritorum Mediolanenſium.
II. Epigrammata Latina, atque Poëmata Italica, vulgo *Sonetti*, in Collectione variorum Poëmatum in Laurea Ludovici Meltii. *Papiæ*, 1597. *in* 4.
III. Alia Carmina in Libro, cui titulus: Pro Laurea Antonio Ferno collata. *Papiæ*, 1610. *in* 4.
IV. Alia in Libro pro Laurea Cæſari & Marco Antonio Montiis donata. *Papiæ*, 1617. *in* 4.

Videndæ ſupradictæ Schedæ Clariſs. Sitoni.

## MCXIX.

## MIRABILIA JO. STEPHANUS alter.

Alter Joannes Stephanus Mirabilia parentes habuit Philippum, atque Joannam Angelicam Lonatam, qui in filii educationem ſeriò incumbentes, ipſum Præceptoribus doctiſſimis traditum Juris Peritum optimum effecerunt, ita ut in Collegium eorundem in Patria meruerit cooptari anno à Virginis Partu MDCLXXXII. Deinde Prætoris vices egit in Urbe Cremonæ annis MDCXC. & ſequenti. In Patria verò Provicarius extitit Banchi Sancti Ambroſii, atque unus è Vicariis Generalibus Mediolanenſis Dominii. Cùm autem plurimùm in Legali ſcientia excelleret, ut Jus Civile in Palatino Gymnaſio adoleſcentibus Juriſprudentiæ candidatis traderet, electus eſt, quo in munere haud paucos tranſegit annos. Plura ſcripſit, atque edidit,

Quibus titulus eſt:

I. De Hæreditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur. Brevis expoſitio facta à J. C. C. Jo. Stephano Mirabilia Regio Lectore in Scholis Palatinis ad uſum alumnorum ſuorum. *Mediolani*, *ex Typographia Caroli Joſeph Quinti*, 1703. *in* 4.
II. De Jure Naturali Gentium & Civili, ſive Hiſtoria Legalis, ſcripta à J. C. C. Jo. Stephano Mirabilia, Regio Lectore in Scholis Palatinis, ad uſum alumnorum ſuorum, cum Dogmaticis Præfationibus ab eodem recitatis coram Senatu Excellentiſs. Mediolani. *Ibid. è Prælo Ghiſulphiano*, *ſumptibus Dominici Bellagattæ*, 1705. *in* 12.
III. Oratio in Funere Michaëlis Madii, magna adſtante Nobilium Virorum, ac alumnorum corona, occaſione repetitionis ſtudiorum die IX. Novembris anni MDCCXXIII. dicta. Extat in Collectione Poëmatum Michaëlis Madii, quem laudavimus ſuo loco.
IV. Allegationes plures extant in Collect. Archintea, Benalliana, aliiſque alibi relatis.

Laudatur à Cl. Sitono in Chronico Coll. J. PP. pag. 236. art. 1083. necnon in Schedis Mazzucchellianis.

## MCXX.

## MIRABILIA JOSEPH MARIA.

Joſeph Maria Mirabilia Patre Pompejo, Matreque Anna Carpana patriam Mediolanenſem, in qua ortus eſt anno Mundi redempti MDLXVII. Clericorum Regularium Teatinorum Congregationem, Civitatemque Novarienſem ſummopere illuſtravit, nam ita piè, & ſollicitè educatus fuit, ut opibus & ſæculo relictis, ſupradictam Congregationem exemplariſſimam amplexus ſit, & in eadem Profeſſionem ſuam ediderit die XXVI. Maji, anno MDCXXXIII. relicto nomine Caroli Franciſci, quod ei fuit in ſæculo. Vir extitit æquè litteris atque pietate ſui ævi conſpicuus, ita ut honores omnes à Suis acceperit ad Generalatum uſque, quem libenter Pontifici renuntiare tentavit, ſed fruſtra. A Senatu Veneto ad publicas Gymnaſii Patavini Cathedras vocatus anno Chriſti MDCLI. menſe Madio, ex his Ariſtotelis Philoſophiam, Ethicamque explanavit diſertiſſimè, atque eruditiſſimè, ut inquit Thomaſinus; deinde Epiſcopus Novarienſis dictus eſt die XII. menſis Decembris, anno MDCLXVII. à Summo Pontifice Clemente IX. cujus nomine etiam Legationem obivit ad Sereniſſimum Bavariæ Ducem, quem in litteris jam inſtruxerat, pro auxilio petendo contra Turcas. Idem munus apud Rempublicam Ve-

Digitized by Google

Venetam egit. Eccleſiam ſibi commiſſam tam prudenter, tam ſanctè rexit, ut uſque in hanc diem memoria tanti Antiſtitis ſumma cum laude vigeat. Diem extremum, ingenti mœrore ſuarum ovium clauſit in Oppido Galliate die XVIII. menſis Septembris, anno MDCLXXXIV. Odoardus Maria Landus Placentinus, atque Joſeph Nicolaus Gibellinus, ille Monachus Sancti Hieronymi, hic Ordinis Prædicatorum Alumnus orarunt in eius funere; extantque eorum Orationes in Tom. I. Collect. Novarienſ. à Cotta Clar. in Ambroſianam Bibliothecam illatæ. Plura ſcripſit, quæ nec Cl. Cotta ſupradictus, nec Picinellus, nec alii ex integro viderunt.

Hæc ſunt:

I. Inſtructiones Sereniſſimi Infantis Bavarorum Principis ad promovendos felices rerum eventus. *Venetiis, apud Franciſcum Valvaſſenſem*, 1643. *in fol.*, *& iterum* 1665.

II. Series Regum & Imperatorum, à quibus ortum ducit Sereniſſimus Infans Bavarorum Princeps. *Venetiis, apud eundem*, 1643. *in fol.*

III. Vaticinia gloriæ Bavaricæ. *Venetiis, apud eundem*, 1663. *in fol.*

IV. Protheus Ethico-Politicus, ſive de multiplici hominum ſtatu, ad normam virtutis concinnator. *Venetiis, apud eundem*, 1660. *in fol.*

V. Leges variæ Doctrinæ ad omnium ferè artium, diſciplinarum, ac ſcientiarum notitiam inſtitutæ, cum Prodromo de Sereniſſima Venetorum Republica. Extant in ſupradicto libro.

VI. Additiones ad Leges Ethico-Politicas Centuriis duabus, in quarum prima Leges honeſtæ vitæ, in altera Leges prudentiæ Senatoriæ. *Venetiis*, 1660. *in fol.*

VII. Leges prudentiæ Epiſcopalis. *Auguſtæ Taurinorum, typis Bartholomæi Zappatæ*, 1678. *in* 4.

VIII. Leges prudentiæ Spiritualis. *Venetiis*, 1667. *in fol. & Novariæ, apud Hæredes Jo. Jacobi Cacciæ*, 1680. *in* 4.

IX. Leges prudentiæ Moralis. *Venetiis*, 1667. *in fol. & Novariæ*, 1679. *in* 4.

X. Leges prudentiæ Civilis. *Venetiis*, 1667. *in fol. & Novariæ ut ſupra*, 1680. *in* 4.

XI. Pſeudomatia veterum & recentiorum exploſa. *Venetiis, apud Valvaſſenſem*, 1662. *Tom. II. in fol.*

XII. Atlas major, ſive de ſumma Sanctitate. *Venetiis, apud Valvaſſenſem*, 1667. *in* 4.

XIII. Admiranda Sanctitatis ex Vita & Operibus Clementis Papæ IX. excerpta. *Novariæ, apud Fratres de Cacciis*, 1670. *in* 4., *& denuo Romæ.*

XIV. Hermes Cœleſtis, ſive Legatus è Cœlo ad Principes Chriſtianos, pro evertendo Turcarum Imperio. *Venetiis, apud Valvaſſenſem*, 1665. *in* 12. *& Novariæ*, 1676.

XV. Hermetis Cœleſtis, ſive Legati ad Principes Chriſtianos Conſilia Bellica pro evertendo Turcarum Imperio. Pars Secunda. *Ibidem.*

XVI. Synodus Diœceſana Novarienſis, à Joſepho Maria Mirabilia, Epiſcopo Novariæ, edita in Synodali Conventu habito anno MDCLXXIV., & à Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Congregatione recognita, & edi juſſa, cum Appendice. *Novariæ, apud Caccias*, 1674. *in* 4.

XVII. Athenæum bonarum Artium & Scientiarum. *Novariæ*, 1661. *in* 4., *& Ticini Regii, apud Carolum Franciſcum Magrium*, 1681. *in* 4.

XVIII. Paralelli delle Grandezze Divine, adorate nella Santiſſima Trinità, e nella B. V. *Milano, preſſo il Majetta*, 1683. *in* 4.

XIX. Aggiunta di altre Grandezze Divine, adorate nella B. V., diviſe in Argomenti per li Predicatori. *Milano, come ſopra, in* 4.

XX. Ammaeſtramenti del Clero. *Milano, per Franceſco Vigone*, 1673. *in* 4., *denuo* 1680. *&* 1684. *in* 4.

XXI. Ammaeſtramenti dell' Anima Criſtiana. *Novara*, 1675. *per gl' Eredi di Gio. Giacomo Caccia, in* 8. *e Milano*, 1682. *in* 4.

XXII. Penſieri di divozione ſopra il Cuore di S. Gaetano, che vola al Cielo. *Milano*, 1675. *per Franceſco Vigone, in* 8.

XXIII. Componimenti Poetici ſopra lo ſteſſo ſoggetto. *Ibidem.*

XXIV. Errori de' Savj, Virtuoſi, Letterati, Critici, Contenti, Politici, e Dominanti. *Venezia, preſſo il Conzati*, 1662. *in* 12., *e Milano, preſſo il Vigone*, 1678. *in* 8. *terza edizione.*

XXV. Errori de' Savj, che ſtudiano, che ſcrivono, che parlano, che traveggono, che ſi ritirano, che s'inquietano. *Ivi come ſopra, in* 8.

XXVI. Errori de' ſpenſierati negli affari dell' anima corretti, e conſegrati a chi ha premura della ſua eterna ſalute. *Ivi come ſopra, in* 8.

XXVII. Il merito de' Prelati di Santa Chieſa, ingrandito dalle perſecuzioni mondane. *Torino, per il Zappatta*, 1678. *in* 12.

XXVIII. Le prerogative de' Sinodi Dioceſani. *Torino, come ſopra, in* 12.

XXIX. Orazione Funebre per la Ducheſſa d'Oſſona. *Milano*, 1671. *in* 4. Hanc in latinum vertit P. Barella S. J. ſub titulo: *Grandis Anima.*

XXX. Chriſtina Svecorum Regina delineata. *Patavii*, 1656. *in* 12.

XXXI. Peplum Virgineum ad ornatum Deiparæ Virg. à SS. PP. contextum (pro ſingulis diebus feſtis ejuſdem M. V. celebrandis) Concionatoribus expoſitum. Pars I. MS. ex Cotta.

XXXII. Pepli Virginei characteres pretioſi gemmeo ſplendore collucentes per anthiteſim compoſiti. Pars II. MS. ex eod.

XXXIII. Florilegium Philoſophicum, & Theologicum, hoc eſt peregrinarum cum in Philoſophia, tum in Sacra Theologia opinionum delectum, duobus Tomis diſtinctum. MSS. extant apud Suos Venetiis.

Scripſit de ejus laudibus Poëma Joannes Baptiſta Buſſalora, de quo jam diximus.

Extat quoque ad eum Oratio Jo. Baptiſtæ Teſtæ Olegienſis, habita VI. Maji MDCLXVIII. in Tom. XVI. Novar. Miſcell in Ambroſ.

Ipſum laudant Ughelli Continuatores It. Sacr. Tom. IV. Edit. Venet. in Novarienſibus, Silos in Hiſtoria Clericorum Regularium Tom. III. pag. 603., Nicolaus Comnenus Papadopolus in Hiſtoria Gymnaſii Patavini Tom. I. pag. 375., Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 204., Franciſcus Fulvius Frugonius in libro: „ Cane di Diogene pag. 526. „ P. Rhaudenſis S. J. à nobis ſuo loco memorandus, Gulielmus Platus in ſua Oratione, Paulo dicata, quam & nos in eodem Plato dabimus, Piazza in Hierarchia Cardinalitia pag. 109. Picinellus in Athenæo pag. 367., nec non Sitonus in Schedis.

## MCXXI.

## MISSALIA MARCUS ANTONIUS.

Familia, quæ nunc in hac Metropoli Miſſalia dicitur, nuncupata olim fuit de Negronibus de Ello, quemadmodum indicavit nobis amiciſſimus, idemque doctiſſimus J. C. & Advocatus Joannes Sitonus, cui debemus genealogicam hujus Gentis ſeriem, quæ incipit in Petro de Negronibus de Ello, dicto Miſſalia, fuitque inter vivos anno MCDIX. & deſinit in Marco Antonio, de quo in præſentiarum acturi ſumus. In Eccleſia Parochiali S. Mariæ Beltradis hujus Urbis, ante Aram majorem, extat ex marmore ſepulchralis Inſcriptio Thomæ Miſſaliæ, (qui anno MCDXXXV. & MCDXLIII. claruit ſub Philippo Maria Vicecomite Duce Mediolani, teſte Corio) fuitque abavus præfati Marci Antonii Miſſaliæ his notis, quam damus, ne aliquando inter rudera pereat & ipſa:

HOC TUMULUM

EST QUONDAM DOMINI THOMASII

DICTI MISSALIAE ET FILIORUM SUORUM.

Hujus genitores fuere Galeacius, & Helena Turriana nobiles conjuges, & Comites Cantii, atque Curiæ Caſalis. Marcus igitur Antonius liberaliter educatus, inter cætera, quibus claruit, eruditionis lumina, Poëſi Italica plurimùm eſt delectatus. Florebat ejus ætate in hac Urbe celeberrima Transformatorum Academia anno MDXLVI. erecta, cui nomen dederant Andreas Gluſſianus, Camillus de Raude,

Joannes Franciſcus Caſtillionæus, Cæſar Reyna, Franciſcus Mantegatia, Carolus Vicecomes, Marcus Antonius Majoraggius, Philippus Pirogallus, Facius Galleranus, Joannes Paulus Barzius, atque Octavius Arcimboldus. His ſe comitem addidit Miſſalia noſter, dignus profectò, qui tam eruditum Cœtum ingrederetur, nam diu Inſubriæ honos maximus extitit. Joannis Jacobi Medicei, Pii IV. Summi Pontificis Fratris, quorum opportuno loco indicavimus litteraria monumenta, cupiebant à perito aliquo Hiſtorico facinora in lucem edi plures militares Viri, Principeſque, & inter alios Ferdinandus Archidux Auſtriæ. Scriptor ergo noſter in hanc deſcendit arenam, neque ſolùm Medicei acta prudentiſſimè tradidit poſteris, ſed plura quoque adjecit monita ad bellicam artem pertinentia, necnon omnia, quæ à tanto Duce inter vivos agente in univerſa Europa geſta fuerunt, quo uberior plenriorque prodiret Hiſtoria. Veteribus familiæ ſuæ titulis cum Plebis Seveſi Comitatum addidiſſet, deſideratus fuit Auctor noſter anno poſt Chriſtum natum MDLXXXV.

Monumenta litteraria tanti Viri ſunt:

I. La Vita di Gio. Giacomo Medici Marcheſe di Marignano. *Milano, preſſo Pietro Martire Locarno, e Girolamo Bordone*, 1603., e di nuovo, *Venezia, preſſo il Somaſco, in 4.*

II. Carmina Italica, vulgo *Sonetti*, numero XIII. in libro, cui titulus: „ Raccolta de' Sonetti degli Accademici „ Traſformati di Milano. *Ivi, per M. Antonio Borgi*, 1548. *in 8.*

Inter ea unum eſt ad Jo. Franciſcum Caſtillionæum, alterum ad Carolum Vicecomitem, poſtremum verò ad Andream Gluſſianum, qui ſingulis reſpondere, ut patet ex citata Collectione.

In libro, qui inſcribitur: *Luſus*, hoc Diſtichon in Miſſaliæ noſtri commendationem cecinit Bernardinus Baldinus:

*Lux Academiæ vivit, te ſoſpite, Marce,*
*Sic tecum det ei vivere ſecla pater.*

De Marco Antonio Miſſalia egerunt cum laude Curtius de Clar. Medicis Mediol. pag. 83. Sitonus in Schedis, ac in Theatro Genealogico Nob. Famil. Mediol. MS. in fol. penes ipſum, pag. 314., & Picinellus in Athenæo, pag. 411.

## MCXXII.

## MISSERONUS MICHAEL.

S. Benedicti Regulam, in nobiliſſima Congregatione Montis Oliveti, amplexus eſt anno MDLXXVI. Michaël Miſſeronus Mediolanenſis, Vir præſtanti ingenio à natura donatus, quod plures annos in Philoſophicis, ac Theologicis Quæſtionibus è cathedra enucleandis exercuit. Ampliſſimas, ob virtutum ſuarum laudem, & Canonici præſertim Juris ſcientiam, in Ordine ſuo dignitates aſſequi meruit. Abbas enim præfuit celebri S. Victoris in hac Urbe Monaſterio anno MDXCIX. hinc Viſitatoris, & Generalis Vicarii munus exercuit anno MDCXI. Tum denuò præfectus fuit Inſulatus Præſes jam laudato Aſceterio Sancti Victoris, illudque rexit ab anno MDCXIV. ad MDCXIX. Baſilicam Monaſterii inter primarias hujus Urbis ob vetuſtatem, Cœlitum ibi quieſcentium corpora, elegantiſſimamque ſtructuram illuſtrem, picturis, aliiſque ornamentis decoravit. Sacrarium quoque pluteis affabre ſculptis, Cœnobium denique inſignibus auxit ædificiis. Obiit vir tantus in Monaſterio Ticinenſi S. Bartholomæi, non anno MDCXX. ut aſſerit Belfortius loco citando, ſed anno ſequenti, XV. Kal. Aprilis, ut Sui nos docuere, magna cum ſanctitatis opinione, adeout nedum Fabritius Landrianus Ticinenſis Epiſcopus jacturam tam celebris Abbatis lachrymis proſequeretur, verùm etiam populus ad cadaver accurrens, illud certatim precariis globulis tangere geſtiret. Plura prœlo paraverat, quæ tamen omnia ad poſterorum manus non pervenere,

Præter Opus

I. De Quæſtionibus Regularium. MS. in fol. tranſlatum fuit ad Bibliothecam Sancti Laurentii Cremonæ.

De eo P. D. Joſeph Delphinonus coævus in Chronologia Abbatum S. Victoris, & citat. Belfort, in Chronol. Cœnob. Montis Oliveti pag. 135.

## MCXXIII.

## à MODOETIA ANDREAS.

Sacrum Prædicatorum Ordinem, atque inſigne Oppidum Modoëtienſe, in quo genitus eſt, unde etiam cognomen traxit, plurimùm decoravit Andreas eruditionis ſuæ ſplendoribus. Præfati Ordinis habitum induit in hac Urbe, atque inter clariores alumnos vetuſtiſſimi Cœnobii Sancti Euſtorgii ad Ticinenſem Portam computatus eſt, anno MCCLXX. Pius autem in eo libro, quem inſcripſit de Progenie, parte II. lib. I. col. 15. Andream floruiſſe ait anno MCCXXVII. verumtamen errore chronologico agnito, pag. 242. ſphalma ſuum ſponte fatetur. Id non advertentes Altamura, atque Rovetta, Auctorem aſſignarunt, ille anno MCCXXVII. poſtrèmus verò anno MCCXXX. Emortualem hujus Scriptoris annum nemo nobis ſignificavit.

Scripta poſt ſe reliquit hæc Opera.

I. Lectura ſuper Joannem CLX. collationibus conſtans, & diſtincta.

II. Sermones varii ad Clerum & Populum.

III. Commentarii in Logicam & Phyſicam.

Ex Biblioth. Script. Ordinis Præd. Quetif & Eccard Tomo I. pag. 259.

## MCXXIV.

## à MODOETIA ANTONIUS.

Ex Minorum, qui Obſervantes dicuntur, Ordine, multi floruere Viri clariſſimi, quibus Modoëtia inſigne Mediolanenſis Ducatus Oppidum, natale præbuit, & cognomen juxta ejuſdem Inſtituti ſectatorum uſum. Inter alios tamen & doctrinæ & ſanctitatis radiis emicat Antonius, qui nunc laudandus occurrit. Eum tanti fecit Sixtus IV. ex ipſo Ordine ad Pontificatus apicem aſſumptus, ut de Indorum, Æthiopumque ſalute ſollicitus, Antonium morum, & ſcientiæ præſtantiâ commendabilem, ad Apoſtolicum munus apud præfatos populos peragendum, cum IV. aliis ejuſdem Religionis profeſſoribus, anno MCDLXXXII. ablegaverit. Mirum dictu eſt, quibus laboribus veritatis lumen infidis regionibus inferre ſtuduerit, & quot in Evangelica prædicatione ærumnas pertulerit. Inde reverſus, magnamque apud omnes exiſtimationem nactus, in Conventu Sancti Franciſci Maleti, qui per ea tempora Sanctæ Mariæ Gratiarum nuncupabatur, in Agro Laudenſi religioſiſſimam tranſegit vitam, ad annum uſque MCDXCV. quo lætus mortem aſpexit VII. Kal. Aprilis. Conſtanti traditione compertum eſt, Campani æris tinnitu, nullo mortalium trahente, tranſitus ejus horam divinitus fuiſſe decoratam. A Suis inter Beatos colitur.

Hoc

Digitized by Google

Hoc Opus poſt ſe reliquit .

I. Sermones ſeptuaginta octo Quadrageſimales. Servantur MSS. in Conventu Sancti Jacobi apud Leucum.
Laudatur in Martyrol. Franciſ. ad diem XXVI. Martii, & in adnotationibus ad ipſum num. 53. itemque à VVadingo primæ edit. ad annum 1482. num. 84. ac Tomo VI. ad ann. 1495. §. 6. atque in Scriptorib. pag. 36.

## MCXXV.

## à MODOETIA BERNARDINUS.

A Rbitrati fuimus diu Opus , quod mox daturi ſumus , ad Anonymum aliquem pertinere , qui Modoëtiæ natus, Minorum Obſervantium Reformatorum Inſtituto ſe dedicaſſet , atque Conventus S. Mariæ Gratiarum in eodem Oppido Incola fuiſſet , quemadmodum ipſemet teſtatur non uno loco : Cùm Vir amiciſſimus , & multis ingenii ſui fœtibus apud Eruditos illuſtris J. C. Jo. Sitonus certiores nos fecit, id ſibi Opus videri F. Bernardini de Modoëtia ejuſdem Ordinis . Hominis ſententiæ , utpote in Inſubrum antiquitatibus verſatiſſimi , perlibenter acquieſcendum duximus , ac ſub hujus Auctoris nomine ( cætera enim ad ipſum pertinentia, nempè parentes, acta , emortualem annum , & alia hujuſmodi nos latent ) cenſuimus indicandum . Sanè multa eruditione tam ſacra , quàm profana doctus hic labor undique redundat , & non tantùm de B. Gerardo , quem in Operis argumentum aſſumpſit , verùm etiam de Cœnobio ſuo pluribus agit ; deprompti quoque ex Archivo Modoëtienſi Diplomatibus annorum MCXXXI. atque MCLXXIV. Codicem dignum cenſuit Petrus Paulus Boſca , quem non ſine laudis ſignificatione alibi proſecuti ſumus , cui adnotationes plurimas de ſuo adderet .

Illud ſic inſcribitur :

I. De B. Gerardo Tinctorio Fundatore, & Magiſtro Hoſpitalis Modoëtiæ in Lombardia Acta, atque Miracula. MS. in 4. extat in Biblioth. ejuſdem Cœnobii.
Ex ipſo Opere à me diligenter inſpecto, & Schedis Sitonianis.

## MCXXVI.

## à MODOETIA JO. BAPTISTA.

M Inorum Sancti Franciſci , quos Obſervantes dicimus , Regulam amplexus eſt Joannes Baptiſta , qui ab inſigni Oppido hujus Ducatus , in quo genitus fuerat , de Modoëtia dictus eſt , pro ejuſdem Ordinis conſuetudine . Cognomen verò gentilitium , quod Picinellus ſe ignoraſſe fatetur , nos quoque , licèt diligenter inquiſitum , effugit . Ob ſingularem eruditionis , atque prudentiæ laudem apud Suos magno in hònore vixit , mox auſterioris vitæ cupiditate incenſus , ad Minores , qui Reformati nuncupantur, ſe contulit . Theologicas diſciplinas , ut acri erat ingenio , apprimè didicerat , Sacroſque Canones aſſiduo ſtudio pervolutarat . Non ſinè facundiæ encomio multis in Urbibus Sacrum Dei Verbum populo explicavit , aſcenditque ad primarios Ordinis gradus , Provinciam enim Sancti Thomæ appellatam in Subalpinis cum Viſitatoris officio ſedulò luſtravit ; tum Neapolim miſſus eſt , ut Sacris Virginibus Cœnobii Regalis S. Claræ eſſet à Confeſſionibus . Impoſitum hoc ſibi munus cùm optimè gereret , peſtilenti morbo , quo Metropolis illa vexabatur , extinctus eſt medio circiter mox elapſo ſæculo .

Vulgaverat jam hæc Opuſcula .

I. Regola del Serafico Padre S. Franceſco, ſpiegata in forma di Dialogo dal Padre F. Gianbattiſta da Monza, Minor Oſſervante Riformato , Teologo , e Predicatore. *Napoli, per Franceſco Savio, 1647. in 4.*
II. Panegirico in lode di S. Gennaro. *Napoli, per lo ſteſſo.*
Laudatur à Picinello in Athenæo, pag. 280.

## MCXXVII.

## de MODOETIA TROFFUS.

T Roffus, ſive ut alii malunt Truffus, Modoëtienſis à Patria nuncupatus, vetuſtiſſimus Picturæ Profeſſor , non exiguam in ea arte laudem conſecutus eſt . Supereſt adhuc in hac Urbe , licèt fugientibus penè coloribus ob temporis injuriam , novamque molitionem , frons Ædium , quæ olim ad Joannem Mendozzam ſpectarunt, nunc verò ad Marchiones de Corradis pertinent, in via , cui nomen eſt Mirabilium , ab eo picta , quod quidem Opus inter præcipua Mediolani habetur . Plura quoque ab ipſo penicillo expreſſa cernuntur ad noſtram uſque ætatem in Baſilica Modoëtienſi Sancto Joanni Præcurſori dicata . Hæc hauſimus à Scriptoribus infra citandis , quorum tamen nullus tempus , quo Pictor iſte inter vivos fuit , indicavit . Moriggia autem aſſerit Virum hunc non tantùm arte , ſed doctrina quoque claruiſſe :

Nam ſcripſit

I. De Pictura . Id editum ſit , nec ne , ſilet citatus Moriggia. Nullibi certè nobis occurrit.
Ipſum commendant laudatus Moriggia de Nobil. Mediol. lib. III. Turrius in Deſcript. Mediol. pag. 219. & Orlandi in Abcedario Pictorico pag. 410.

## MCXXVIII.

## MODRONUS LUCAS MARIA.

L Ucas Maria Modronus Mediolanenſis ineunte , ut videtur , ſæculo XVII. Deo ſe dicavit in Sacro Prædicatorum Ordine , nam inter Alumnos inſignis Cœnobii Sancti Euſtorgii ad Ticinenſem Portam ſiti , teſtibus Viris Clariſs. Quetif, & Eccard loco inferiùs citando , florebat anno MDCXXIII. Cùm autem apud Inſubriam univerſam magno habeantur in honore Sancti Confeſſores Chriſti Julius Presbyter , atque Julianus Diaconus Fratres , qui è Græcia , ubi lucem viderant , in Italiam venientes , Theodoſii Auguſti temporibus, ipſo permittente plura Deo Templa excitarunt in eo tractu , qui nunc dicitur Riparia Sancti Julii Hortæ , ac temporali Novarienſis Epiſcopi juriſdictioni ſubeſt, quorumque Corpora congruo ſervantur cultu in Eccleſia Collegiata eidem S. Julio dedicata in Inſula Lacus Hortæ; Modronus noſter operæ pretium duxit Sanctorum hujuſmodi acta vulgare . Quocirca è Bonini Mombritii paulo poſt memorandi Codice hauſit potiſſimum , quod publici juris fecit . Venia interim danda eſt citaris Quetif , & Eccard , qui cum exteri eſſent homines , exiſtimarunt Sanctos hoſce Fratres , non Confeſſores , ſed Martyres illos eſſe , quos Hiſpani colunt ad diem XXI. Auguſti . Hujuſmodi Sphalmata iis frequenter accidunt , qui de exoticis Scriptoribus , rebuſque tractant .

Scri-

Scripſit igitur auctor noſter :

I. Vita, e Miracoli de' SS. Confeſſori Giulio, e Giuliano. *Mediolani*, 1623. *in* 8.
II. Orazione detta nel Duomo di Milano, nell'aprirſi de i Tribunali l'anno MDCXXV. *Ivi*, *per il Rolla*, *in* 4. Hanc ignorarunt Sui.
Agunt de ipſo citati Quetif, & Eccard in Tom. II. pag. 431. Script. Ord. Prædicatorum.

## MCXXIX.

## MODRONUS LUDOVICUS.

LUdovicus Modronus Marchionis Alexandri, & Cæciliæ Melliavacchæ Conjugum filius, ab ipſis Parentibus pietate, & ab optimis Magiſtris Scientiis excultus, Sæculo valedixit, ac Congregationem D. Pauli Barnabitarum amplexus eſt. Vir genere illuſtris, ingenio felix, moribus probatiſſimus, indeſinenter curſus tam Philoſophicos, quàm Theologicos explicuit. Primus fuit qui in Scholis Arcimboldiis per biennium eaſdem facultates pronunciaret ex cathedra; Theologiam profeſſus eſt tam Laudæ Pompejæ, quàm Bononiæ in Suorum Collegiis, quibus ſumma cum laude præfuit. Pœnitentiarii quoque munus in ſupradicta Patria mea per aliquot annorum ſpatium ſuſtinuit, ibidemque ad Superos evolavit non ſine bonorum omnium mœrore, circa finem ſæculi proximè tranſacti.

De eo ſupereſt :

I. De cœleſti figura erigenda; ad Ferdinandum III. Rom. Imperatorem. *Bononiæ*, *apud Nicolaum Tebaldinum*, 1641. *in* 4. In hoc Libro ſunt Directiones variæ Aſtronomiæ, cum Tabulis exactiſſimis pro eadem Scientia.
A Suis, & à Picinelli Athenæo pag. 396., de quo etiam honorificè meminit Epiphanius Ferrarius in lib. cui titulus: „ Liguria trionfante delle principali nazioni „ del Mondo. „ Videndæ quoque Schedæ Sitonianæ.

## MCXXX.

## MODRONUS PAULUS FRANCISCUS.

FRater antedicti Ludovici Modroni extitit Paulus Franciſcus, de quo nunc agimus, & ejus veſtigia proſecutus Congregationem præfatam Clericorum Regularium Sancti Pauli ad Deo inſerviendum delegit: Decorem Templorum adeò dilexit, ut nihil antiquius habere videretur, quàm ad ornandas Aras, ſacraſque Ædes maximi pretii lapides è variis congerere provinciis. Id præſertim curavit in Templo Suorum hujus Metropolis Sancto Alexandro Martyri ſacro, ubi ſuggeſtum, & ad ſacras Confeſſiones excipiendas Tribunalia duo excitavit pretioſis ornata lapidibus. Ibi quoque ad Sacratiſſimum Chriſti Corpus aſſervandum Arculam, quam Tabernaculum dicimus, iiſdem ornamentis inſignem extruere meditabatur, ſed non, ut Picinellus ſcribit, perficere potuit. Hujus autem ſuperſtes in Sodalibus pietas, ex materia præſertim ab eo congeſta, multis quoque non minoris exiſtimationis additis, anno mox elapſo MDCCXLI. ejuſdem Templi Aram maximam inter pretioſiſſimas Italiæ recenſendam poſuit, in qua animi pendent Spectatores an opus materiam, vel materies ipſa opus ſuperet. Tanta verò extat adhuc eorumdem lapidum copia à Paulo Franciſco collecta, ut quamvis multi in Aræ ſupradictæ ornamentum ſint adhibiti, nihilominus tot ſuperſint quot ad aliam excitandam ſufficerent. Nec minorem adhibuit curam eximius Sacerdos in Templis viventibus exornandis, nam ſex integra Luſtra, Verbi Dei prædicationi intentus, animarum ſalutem promovere ſtuduit. Eminent inter Conciones ab eo publicè habitas Oratio ad Catholici Regis exercitum tunc, cùm poſt dies octoginta fœderati Galli, Sabaudi, ac Mutinenſes obſidione Cremonam ſolvere coacti ſunt; quemadmodum & Panegeris Beati Joannis à Sancto Facundo in Templo Auguſtinienſium ejuſdem Urbis, anno MDCXXV. ab eo pronunciata. Tanta interim præditus fuit humilitate, ut omnia ejus Opera inferiùs recenſenda ſub alieno vulgaverit nomine. Dierum, & meritorum plenus, omnium Congregationis ſuæ Alumnorum Decanus, in Collegio Sancti Alexandri, migravit è vita anno poſt Chriſti Natale MDCXCI.

Hæc ſunt ejus Opera à Picinello relata, qui addit alia quoque ipſum ſcripſiſſe, quæ ignoramus.

I. Confeſſione di Monaca zelante. *Milano*, *per Ludovico Monza*, *in* 16.
II. Memoria per Confeſſione generale. *Ivi per lo ſteſſo*, *in* 16.
III. Preſagi Conſiglieri di pace. *Ivi per lo ſteſſo*, *in* 12.
IV. Stellario Lauretano. *Ivi per lo ſteſſo*, *in* 24.
V. Preſepe Mentale. *Ivi per lo ſteſſo*, *in* 24.
VI. Corona Camaldoleſe per via di Meditazioni. *Ivi per lo ſteſſo*, *in* 24.
VII. Miniera occulta per cavar Diſcorſi ſopra il Santo Chiodo. *Ivi come ſopra in* 12.
Agit de eo Picinellus in Athenæo pag. 451.

## MCXXXI.

## MOLTRASIUS NICOLAUS.

REligioſiſſimus Vir Archangelus à Sancto Nicolao Ordinis Eremitarum nudipedum, qui Sancti Auguſtini dicuntur, in ſæculo Nicolaus Moltraſius, lucis uſuram accepit in Oppido Rhaudenſi ex Petro Antonio, atque Julia Azimontia Conjugibus. Vota præfati Ordinis ſolemniter emiſit XVIII. Kal. Maji, anno poſt Virginis Partum MDCLXXII. Graviora dum coleret ſtudia, tale portendit acumen ingenii, atque doctrinæ ſpecimen, ut Philoſophis, Theologiſque interpretandis è cathedra majorum juſſu, cùm Mediolani, tum etiam in aliis Provinciæ Cœnobiis annos XVIII. vacaverit magna cum fama apud Suos, exteroſque tantam eruditionem cum humilitate, modeſtiaque non vulgari conjunctam admirantes. Non ſemel Prioris, Definitoris, ac Provincialis munus ſumma cum laude geſſit, religioſæ tamen ſolitudinis, quantum per negotia licebat, ſtudiorumque cultor eximius. Terris valedixit in principio ſæculi præſentis.

Plura ſuæ doctrinæ monumenta reliquit, videlicet:

I. Li Venerdì di Marzo, e Sabbati della Vergine addolorata. *Milano*, *per il Vigoni*, 1694. *in* 12.
II. Ammaeſtramento de' Figliuoli, che devono cominciare la Santa Comunione. *Milano*, *per Giuſeppe Malateſta*, 1705. *in* 12.
III. Giorni Mariani per tutti li Sabbati, e Feſte della Vergine. *Milano*, *preſſo il Gagliardi*, 1703. *in* 16. In hoc Opere aſſignat diebus ſingulis exemplum aliquod deſumptum ex Actis alicujus Eremitæ Nudipedis, qui in Deiparæ cultu claruerit. Humilitatis gratia in Operibus hactenus recenſitis nomen ſuum reticuit.
IV. Vita di Sant'Anna, cavata ſuccintamente da quanto ne ſcriſſero di più accertato li Santi Padri. *Milano*, *per il Malateſta*, 1701.

V.

Digitized by Google

V. Relazione della Madonna del Boſco, che ſi venera nel territorio d' Imberſago, Pieve di Brivio, Dioceſi di Milano. *Ivi, per l'Agnelli*, 1701.

VI. Vita di Sant' Euroſia Vergine, e Martire. *Milano, per il Malateſta*, 1720.

VII. Il Pellegrino Mariano iſtradato per ogni giorno alle miracoloſe Immagini di Maria Vergine, che ſi adorano per tutto il Mondo. *Milano, per il Malateſta*, 1725. *Tomi II. in 12.*

VIII. Compendium Quotlibetorum Regularium P. Euſtachii de Sancto Ubaldo, additis quibuſdam Appendicibus in fine. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1718. *in fol.*

Ita à Suis.

## MCXXXII.

## MOMBRITIUS BONINUS.

GEns Mombritia, ſive Mombreta, & Montebreta quandoquidem appellata, floruit in hac Urbe ab anno Chriſtiano MCCCLXV. uſque ad MCCCCLXXXIV. ut agnovi à ſerie Genealogica amiciſſimi Sitoni à Princivallo de Mombreto incipiente, uſque ad Boninum noſtrum Bartholomæi, ſive Bartholæ filium, qui anno MCCCCLXX. cum aliis incolis Nobilibus Portæ Ticinenſis fidelitatem juravit Galeacio Mariæ Sfortiæ Mediolani Duci. De ipſo plures hiſtorici litterarii loquuti ſunt, quos inter eſt Clariſſimus Oudinus in Tomo III. de Scriptoribus Eccleſiæ antiquis. Ad comprobandam ætatem Mombritii noſtri ſub Typographiæ naſcentis initium, teſtem ipſe affert Antonium Faurum Doctorem Sorbonicum, & Caroli Mauritii Tellerii in Archiepiſcopatu Rhemenſi generalem Vicarium, eique vindicat Catalogum Bibliothecæ ejuſdem Præſulis, *Pariſiis impreſſum typis Regiis, anno 1643. in fol.* Eidem Catalogo ultimam manum, poſt mortem Antonii Fauri, Nicolaus Clemens Regiæ Bibliothecæ Cuſtos adjecit, & edendum curavit. Ex ipſo igitur Catalogo Oudinus Editionem Vitarum Sanctorum à Bonino noſtro ſuſceptam in annum MCCCCLXXXII. figit, eundemque facit Petro de Natalibus ſynchronum, ſed revera nulla anni indicatio reperitur in Editione ſupradicti Operis, quæ unica fuit tantùm Mediolani, nec hîc aut alibi recuſum fuit hoc Opus, ut ſuſpicatur idem Cl. Oudinus. Parcendum interea non eſt Philippo Picinello, qui & nomen Bonini Mombritii in Joannem Mombretum mutavit, & perperam ex uno duos fecit Auctores, atque annum Editionis Vitarum Sanctorum peſſimè ex Moriggia ſignavit in annum MCCCCLIII. quo anno nondum, ut opinamur, orta fuerat ars Typographica Mediolani. Nos verò ex Epiſtolis doctiſſimi Candidi Decembrii Auctori noſtro ſcriptis, facilè agnovimus, jam in litteris eruditum extitiſſe anno MCCCCLX. Ludovicus item Sangallus Artis primariæ in ampliſſimo Ticinenſi Gymnaſio Interpres eum vocat diſertiſſimum Romanæ linguæ profeſſorem, in Oratione habita pro J. U. D. Petro Craſſo. Ex aliis Operibus à nobis infra recenſendis Poëta quoque primi nominis ſuæ ætatis meritò agnoſcitur, & linguæ Græcæ peritiſſimus. Sed cùm de ipſo abundè Clariſſimus Saxius in ſua Hiſtoria Typographica diſſerat, nos contenti ſumus Lectores ad eam remittere. Quo tempore obierit incertum eſt, extremam verò diem clauſiſſe antequam ſæculum XV. impleretur, innuit Epiſtola Alexandri Minutiani præfixa Epicedio heroico Carmine condito in Funere Galeacii Mariæ Sfortiæ, ut infra, in qua de variis ejuſdem vitæ vicibus, atque operibus ab ipſo elaboratis, tamquam ſi è vivis ereptus jam foret, diſſeritur: Data eſt autem Epiſtola anno MDII. Nos interim enuntiamus Lucubrationes ipſius, quas vidimus.



Videlicet:

I. Vitæ & Acta Sanctorum collecta & edita per Boninum Mombritium Mediolanenſem; cum hac Inſcriptione: „ Honeſtiſſimo Equiti Cicho Simonetæ Ducum Mediolanenſium Secretario „. Ipſas ego inſpexi variis in Bibliothecis MSS. in pergameno ab editis diverſas, & ſignanter in Bibliotheca Eremitarum S. Marci hujus Urbis extat Volumen ingens Vitas Sanctorum continens ſub nomine Mombritii ordine diverſo diſpoſitas, mutatis pluribus quoque verbis. Incipit à Sancto Martino Epiſcopo, deinde ſequitur ut infra. „ Paſſio Sancti Romani Sacerdotis, & Martyris, Clementis Martyris, & Epiſcopi, Andreæ Apoſtoli, Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris, Sancti Ambroſii Epiſcopi, & Confeſſoris Vita, impreſsâ longior „. Sequitur Vita Sancti Georgii Martyris, quæ deeſt in impreſſis. Habentur aliorum Vitæ, inter quos Sancti Syri Epiſcopi Ticinenſis ſatis longa. Codex videtur Auctographus, aut ſaltem ſæculo Mombritii ſcriptus.

II. Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ edidit *Mediolani*, ut varii contendunt anno 1465., ſed Fabricius in Tomo V. Bibliothecæ Latinæ Medii Ævi, credit verius 1475. typis commiſſos. De hac re fuſius Cl. Saxius in Hiſt. Typog.

III. Chronicon Euſebii, Hieronymi, Proſperi, & Matthæi Palmerii uſque ad annum MCCCCXLVIII. *Mediolani*, 1475. *in fol.*

IV. Papiæ Gloſſarium. *Mediolani*, 1476. *die* 12. *Decembris*, quod magno uſui fuit Celeberrimo Du-Change in texendo ſuo Gloſſario Latino, ut ſcripſit Cl. Muratorius in Tomo III. Antiquitatum Italiæ Medii Ævi, col. 913.

V. Bonini Mombritii Poëtæ Mediolanenſis Threnodiæ in Funere Illuſtriſſimi quondam Domini Don Galeaz Mariæ Sfortiæ libri duo. *Mediolani, apud Alexand. Minutianum*, 1504. *die* 2. *Martii, in* 4.

VI. Eſiodi Theogonia è Græco in Latinos verſus tranſlata: extat in Bibliotheca Ambroſiana, impreſſa ſine loco, anno, & Typographo, in 4. Editam quoque aſſerit *Baſileæ, apud Oporinum* Draudius in Bibliotheca Claſſica, Joannes Jacobus Friſius in ſua Bibliotheca, & Giraldus in Lib I. de Poëtis.

In ſupradictis Editionibus ſunt variæ Epiſtolæ, Præfationes, & Epigrammata Mombritii noſtri, de quibus diligentiſſimè atque eruditè loquitur Cl. Saxius.

Sequuntur MSS. Titulis à nobis inſpectis ut jacent.

VII. Ad Magnanimum & Potentem D. D. Sfortiam II. Vicecomitem de ejus Conjugio glorioſo cum Antonia Ludovici Vermii filia Epitalamion Bonini Montebreti (Mombritii) ex parvo Codice MS. vetere charactere exarato exiſtente in Bibliotheca Ambroſ. num. 145. verſu exametro.

VIII. Ad illuſtrem & excelſam Hippolytam Vicecomitem Principem Capuæ, Calabriæque Duciſſam Bonini Mombritii Canonum in Grammatica Græcorum liber primus. Opus verſibus eſt conſcriptum MS. in Biblioth. Ambroſ. in 4. pagg. 75. num. 264. forſan Auctographus.

IX. Ad Magnanimum & Potentem D. Triſtanum Vicecomitem de ejus nuptialibus feſtis Bonini Mombreti Carmen. MS. pagg. 17. in Cod. Biblioth. Ambroſ. ſign. C. num. 42. in 4., & in Biblioth. Reg. Pariſ. Cod. 1502.

X. Ad Illuſtriſſimam Excellentiſſimamque D. Bonam Mediolani Ducem Momidos lib. XII. Bonini Mombritii Poëma; in fine ſic legitur:

*Sex ego Codicibus moroſas damno Puellas,*
*Moratas totidem, quas cano, Lector babes.*

MS. in fol. forſan Auctographus pagg. 416. in Biblioth. Ambroſ. ſign. G. num. 113.

XI. De varietate fortunæ. MS. in Biblioth. Franciſci I. Regis Chriſtianiſſimi, de quo Saxius, & Jacobus Philippus Bergomenſis in Supplem. Chronicor. lib. XV.

XII. Mombritii Mediolanenſis de Vita D. Hieronymi Carmen. MS. in Vaticana Cod. 3722. Ex Montfaucon Biblioth. Biblioth. MSS. Tom. I. pag. 110.

XIII. Buccolica ad Galeacium Mariam Vicecomitem. Extat in Biblioth. Reg. Pariſ. Cod. 665. ex Labbei Biblioth. MSS.

XIV. Bonini Mombritii Mediolanenſis ad Sanctiſs. Dominum Sixtum IV. Summum Pontificem de Dominica Paſſione libri VI. Carminibus exametris. MS. in fol. extat in Bibliotheca FF. Auguſtinianenſium Cremæ.

XV.

XV. In Codice MS. Epigrammatum juvenilium, & Epiſtolarum Petri Candidi Decembrii, qui inſcribitur Volumen vigeſimum primum, apud PP. Teatinos D. Antonii Mediolani, extant plura Carmina Bonini Mombritii ad Petrum Candidum Decembrium, cum pluribus ejuſdem ad Boninum.

De eo præter citatos agunt Bolandiſti, Sitonus in Schedis, Moriggia in lib. III. Nobilit. Mediol. cap. XXVII Sixtus Senenſ. in Biblioth. Sacra. Conradus Geſnerus in appendice Biblioth. & Picinellus in Athenæa pagg. 96. & 312.

## MCXXXIII.

## MONELIA PAULUS ANTONIUS.

EX ſatis honeſta Moneliarum Familia Mediolani natus eſt Paulus Antonius, qui Carmelitarum Inſtituto ſuſcepto, Sacras Theologicas diſciplinas egregiè calluit adeò, ut in ea facultate Majorum decreto Magiſter fuerit appellatus. Ejuſdem Theologiæ ſtudioſis in Cœnobio ſuo Placentino Regens præfuit, rexitque Conventus Mediolanenſis Alumnos cum dignitate Prioris. Gallicam linguam cæteris litterariis ſuis ornamentis adjecit, quo ex idiomate nonnulla in Italicum tranſtulit, præſertim ad Eloquentiam cùm ſacram, tum profanam pertinentia. Summo pietatis ſtudio Sanctam Virginem Thereſiam maximum Carmelitarum Ordinis decus coluit, ut ex operibus ejuſdem patet. Obiit non abſque virtutum laude ante paucos hos annos in hac Urbe apud ſui Ordinis aſſeclas,

His vulgatis:

I. L'Eloquenza del Pergamo, e del Foro, tradotto dalla lingua Franceſe. *Milano*, 1720. *in* 8.

II. Miſtico Compleſſo de' principali oſſequj da tributarſi alla Serafica Vergine S. Tereſa, col Riſtretto della Vita di S Gio. della Croce, dato alla luce dal medeſimo, ſotto il nome di Direttore del Conſorzio. *Milano, per Giuſeppe Malateſta*, 1728. *in* 12.

III. Sacre Riffleſſioni ſopra i fatti più eroici di S. Tereſa. *Milano, per Giuſeppe Malateſta*, 1729. *in* 12.

IV. L'Eſtratto delle Maraviglie di Santa Maria Maddalena de Pazzi, dedicato alla Sereniſſima Arciducheſſa Maria Maddalena. *Milano, per il Malateſta*, 1730. *in* 4.

V. Mirabile Divozione di cinque Venerdì di S. Maria Maddalena de Pazzi. *Milano, per il Malateſta*, 1731. *in* 12.

Ita à Suis accepimus.

## MCXXXIV.

## MONETA CAROLUS.

CAroli Monetæ Mediolanenſis parentes fuere Joannes Aloyſius J. C Colleg., & Dorothea de Abdua nobiles Conjuges. Puerilem ætatem inter litterarum, ac pietatis rudimenta ſic tranſegit, ut Sancto ducente Spiritu Societatem Jeſu, in qua Deo inſerviret, adultus elegerit. Voti compos effectus, ſtudiiſque de more peractis, ſacræ Eloquentiæ tam fervidè ſe addixit, ut Chriſto plures lucrifaciens, ſibi magnam pepererit famam. Quo anno mortalitatem exuerit Moneta noſter, incompertum habemus. Sacras Conciones plures certè ſcripſit, quas periiſſe ſuſpicamur; unicam tamen Orationem, quam num. I. dabimus, ad poſteros perveniſſe aſſerit Picinellus, nos aliam reperimus, quam Lectoribus non invidebimus.

Ea ſunt.

I. Orazione Panegirica detta in S. Franceſco di Milano per i cinque primi Martiri Franceſcani. Editam fuiſſe ſuſpicamur, id tamen, ut in more habet, non indicat cit. Picinellus.

II. Panegirico della Beata Rita da Caſſia. *Milano, per il Malateſta*, 1628. *in* 4.

Commendant eum Philippus Alegambe in Bibliotheca Script. Societ. Jeſu, Picinellus in Athenæo pag. 124., & Sitonus in Schedis.

## MCXXXV.

## MONETA CAROLUS alter.

CAroli Monetæ ſupralaudati coævus extitit alter ejuſdem nominis, & cognominis Vir, quem in præſentiarum commendabimus. Pater illi fuit Joannes Baptiſta in Juriſperitorum hujus Metropolis Ordinem cooptatus, Mater verò Catharina Biraga. Genitoris ſui præclara ſecutus veſtigia, poſt minorum curricula ſtudiorum, Cæſareum, Pontificiumque Jus diligentiſſimè didicit, perceptiſque in ambobus ſummis Academicis honoribus, inter eoſdem Collegiatos Juriſconſultos ſedere meruit, anno MDCXII. Tum ex S. C. ad Ticinenſe Lycæum mittitur, ut ibi Juris Interpretem ageret, quod munus non ſine ingenti commendatione, atque Auditorum fructu plures annos adminiſtravit. Oratoria facultate ornatus adeò claruit, ut Collegæ Mediolanenſes recèns collatam Purpuram Theodoro Principi Trivultio gratulaturi, unum Monetam elegerint, qui adſtante Senatu, proceribuſque è roſtris publicè diceret. Cardinali ampliſſimo, atque Ambroſianæ Eccleſiæ vigilantiſſimo Præſuli Friderico Borromæo, virtutum ſuarum commendatione plurimùm fuit acceptus, habentque poſteri mutuas eorum latino Idiomate conſcriptas Epiſtolas non paucas, inferiùs recenſendas. Mortalis eſſe deſiit Scriptor noſter anno Salutis MDCXLIII. ipſa die Kalendar Octobris. Cadaver illatum fuit in SS. Caroli, & Thereſiæ Templum, apud Carmelitas nudipedes hujus Metropolis, ubi marmori inciſum hoc Elogium conſpicitur.

CAROLO MONETAE
IVRISCONSVLTO COLLEGIATO
LVDOVICVS FRATER P.
ANNO MDCXLIII. KAL. OCTOBRIS.

Ejus Eloquentiam hoc Carmine proſecutus eſt Benedictus Sociacus, quod legitur inter Epigrammata ipſius lib. II. pag. 43.

*Ticini dum tecta ſubit Cyllenia Proles,*
*Obſtupuit viſa, Carole, fronte tua;*
*Obſtupuit ſecum tacitus, virgamque remittens*
*Paciferam, ſtupida pertulit ire manu.*
*Carolus elapſum geſtamen nobile dextræ*
*Corripit, & tacito porrigit inde Deo,*
*Atque ait: mutos animes hoc vimine manes,*
*Non tua virga mihi, ſed mea lingua ſat eſt.*

Habemus hujus Scriptoris, quæ ſequuntur.

I. Caroli Monetæ Philoſophi, & J. Conf. Oratio ab eodem habita in Aula magna Collegii Mediolani, cum univerſo audiente Senatu, ac Principibus Nobilitatis, inclytus Ordo Judicum Alumno ſuo Principi Theodoro Tri-

Digitized by Google

Trivultio ſacram Purpuram eſt gratulatus, XIV. Kal. Martii MDCXXX. *Mediolani*, *ex Typographia Caroli Antonii Malateſta*, *in* 4.

II. Epiſtolæ Latinæ plures ad Federicum Borromæum, datæ anno MDCVI. Extant in ſæpe laudata Collectione ejuſdem Card. in Bibl. Ambroſ.

Ipſum debitis laudibus proſecutus eſt Sitonus in Chron. Juriſperitorum pag. 192. Art. 807.

## MCXXXVI.

## MONETA JOANNES PETRUS.

Abbas Picinellus in Athenæo ſuo Eruditorum Mediolanenſium ex uno eodemque Viro duos fecit, in eo Auctore, quem nunc commendandum ſuſcipimus. Eum in fraudem induxit geminum nomen, illud videlicet, quod Scriptor geſſit in ſæculo, atque alterum, quo appellatus fuit, cum Deo ſe ſtrictiùs mancipavit. Hic eſt Alexander Moneta Vir & doctrina, & dignitatibus illuſtris, cujus genitores fuere Paulus Camillus, & Barbara de Urſinis de Roma nobiles Conjuges Mediolanenſes. Tranſacta laudabiliter impuberi ætate inter minora ſcientiarum curricula, utrique Juri tam Pontificio, quàm Cæſareo atque Theologiæ diligentem dedit operam, perceptàque Laureâ, & ſacris initiatus, anno MDXCII. Canonicalem præbendam in Imperiali Baſilica Sancti Ambroſii conſecutus eſt, agente in primis Cardinali Federico Borromæo Archiepiſcopo, apud quem plurimam exiſtimationem nactus fuerat Ludovicus Alexandri noſtri Patruus, cujus laudes refert in Vita Sancti Caroli Joannes Petrus Gluſſianus. Sequenti anno MDXCIII. ex Ambroſiano Capitulo ad Metropolitanum translatus fuit; tum Apoſtolici Protonotarii dignitate auctus eſt. Juriſperitorum Collegio nomen dedit anno MDCVIII. cùmque ipſo anno inter Sacræ Romanæ Rotæ Auditores cooptatus fuiſſet Bernardinus Scottus, qui prius Conſiſtorialis Advocati munere fungebatur, in eius locum ſuffectus eſt Moneta noſter. Illicò properavit ad Urbem, motumque Pontificis proprium, & Articulos in Collegio præſentavit. Interim reverſus Mediolanum, ibi Regularium Clericorum, qui Sancti Pauli Decollati nuncupantur, Cœtui ſe addixit, ac nomen Joannis Petri aſſumpſit. Agebat tunc ætatis ſuæ annum XL. cùmque ſingulare pietatis, atque doctrinæ ſpecimen exhiberet, ad munera plura Majorum decreto evocatur; nam præter Præpoſituras pluribus in Collegiis Congregationis geſtas, Generalis Moderatoris Aſſiſtens eligitur. Deſideratus eſt anno Salutis humanæ MDCLIV. Scriptoris noſtri adhuc Canonici Ordinarii meminit ſequens Inſcriptio poſita in Templo Sanctæ Mariæ Gratiarum hujus Urbis.

D. O. M.
LVDOVICO MONETAE
PATRICIO MEDIOLANENSI
SACERDOTI LARGITATE IN PAVPERES
ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE STVDIO
IN REBVS AGENDIS PRVDENTIA
AC MORVM INTEGRITATE INSIGNI
OB EAMQVE CAVSAM
B. CAROLO CARDINALI ARCHIEPISCOPO
ET SVCCESSORIBVS CHARISSIMO
QVI ANNO AETATIS SVAE LXXVIII.
SALVTIS VERO HVMANAE MDIIC. XI. KAL. APRILIS
MORTEM CVM AETERNA VITA COMMVTAVIT
QVOD MORTALE ERAT AD PATRES
HIC NON LONGE APPOSITO
ALEXANDER MONETA CANONICVS ORDINARIVS
PROTONOTARIVS APOSTOLICVS
ET ADVOCATVS CONSISTORIALIS
IO. ALOYSIVS EX COLLEGIO I.C. MEDIOLANI
PATRVO BENEMERITO
MOERENTES POSVERVNT MDCVII.

Opera ejus partim in Sæculo, partim in Religione conſcripta ſunt hæc.

I. De decimis tam Spiritualibus, quàm Papalibus. *Mediolani*, *apud hæredes Pontii*, 1602. *in* 8., *& Romæ*, *apud Angelum Ruffinellum*, 1618. *in* 8.

II. De Optione Canonica. *Mediol. apud hæredes Pontii*, 1602. *in* 8., *& Marpurgi*, 1659. *in* 8. Hæc duo Opera prodierunt etiam *Romæ*, *apud Phæum*, 1621. *in* 4. *uno Volumine*. Hanc editionem locupletiorem fecerat ad aliam parandam. Extat cum MSS. additamentis in Collegio S. Barnabæ.

III. De Diſtributionibus quotidianis. *Mediol. apud hæredes Pontii*, 1600. *in* 4. *tum Romæ*, 1615. *apud Ruffinellum*, *in* 4. *Coloniæ*, *apud Gevembruch*, 1620. *in* 4., *tandemque Romæ*, *apud Phæum*, 1621. *item in* 4. Hæc poſtrema editio aucta eſt multis MSS. additionibus,

Digitized by Google

nibus, quæ in ſecundæ editionis Volumine habentur in præfato Collegio S. Barnabæ.

Edita ſunt ſimul hæc tria *Coloniæ*, *apud Kinkium*, 1629. *in* 8.

IV. De Conſervatoribus Judicibus. *Lugduni*, *apud heredes Rovillii*, 1619. *in* 4. Servatur etiam Auctoris manu emendatus, & variis additamentis MSS. auctus in eodem Collegio.

V. De Commutationibus ultimarum voluntatum. *Lugduni*, *apud Cardonum*, 1624. *in fol.*

VI. De Horis Canonicis. Ex Carthario loco citando, qui tamen non indicat an MS., vel editus ſit hic Tractatus.

VII. Conſilia & Reſponſa quatuor deciſiva, habentur in Catena aurea Hieronymi Gattici, Tomo II. pag. 564.

VIII. Centuria Conſultationum. Extat MS. in Archivo Generali in præfato Collegio, ex Picinello. Ibi etiam ſervantur ſequentia Opera MSS.

IX. Tractatus de Verbis enunciativis. MS. in fol.

X. Roſario della B. V. Trattato appartenente all' origine, e devozione del medeſimo. MS. in fol.

XI. L'Aſſalonne, Tragedia. MS. in 8. Hanc compoſuit Auctor ætatis ſuæ anno XXI., ut ibi legitur.

XII. Carmina Italica, vulgo *Sonetti*, *e Madrigali*. MS. in 8.

In Aula Collegii Juriſperitorum viſitur Numiſma æneum cum Alexandri noſtri effigie.

Laudatur à Carthario in Syllabo Advocator. Sacri Conſiſtorii, edit. Romanæ pag. 244. in Articulo Julii Romæ. Siton. in Chronico Art. 793. Moriggia lib. III. Nobilit. Mediol., & Picinello in Athenæo pagg. 10. & 323.

## MCXXXVII.

## MONETA LUDOVICUS.

JOannem Aloyſium Monetam J. C. Collegiatum, atque Dorotheam de Abdua nobiles Conjuges Mediolanenſes Ludovicus parentes habuit. Hic majorum ſuorum exempla ſecutus, præſertim verò Alexandri patrui ſui, qui poſt varios in ſæculo honores ad Congregationem Clericorum Regularium S. Pauli tranſivit aſſumpto nomine Joannis Petri, ut jam diximus, Juriſprudentiam amplexus fuit, & in utraque facultate, Cæſarea videlicet, ac Pontificia lauream adeptus, Collegiatis Juriſperitis Mediolanenſibus adnumeratur anno MDCXXV. Quod verò pridem didicerat in aliorum eruditionem derivavit, cùm annos quamplures publicus extiterit in Palatino Lyceo Juris Civilis interpres. Floruit etiam Orationis ornamentis ad annum uſque MDCLXXVII. quo diem clauſit.

Typis edidit, quæ ſequuntur:

I. Ludovici Monetæ J. C. C. Mediolani Proluſoria Oratio ab eodem habita die XII. Novembris MDCXXVIII qua primùm die in Scholis Palatinis Magiſtralem Cathedram aſcendit Inſtitutiones Imperiales publicè interpretaturus. *Mediolani*, *ex Typographia Philippi Ghiſulphi*, 1655. *in* 4.

II. Oratio ab eodem habita in Aula magna Collegii Mediolani cùm univerſo audiente Senatu, ac Principibus nobilitatis inclytus Ordo Judicum alumno ſuo Comiti Alphonſo Littæ Archiepiſcopalem dignitatem eſt gratulatus. *Mediolani*, *ex Typographia Ludovici Montiæ*, 13. *Septembris*, 1652. *in* 4.

De ipſo agit Sitonus in Chronico J. PP. pag. 203. art. 857.

## MCXXXVIII.

## MONETA RAPHAEL.

RAphaël Moneta in Urbe Mediolano natus anno ſalutis humanæ MDXCVIII. cùm inter bonarum artium ſtudia adoleviſſet, divinæ ſervitutis ſuave jugum ſubiit in clariſſima Congregatione Monachorum Montis Oliveti, cui nomen dedit anno MDCXV. Brevì ad eruditionis apicem conſtanti labore, diligentiaque pervênit, eamque integritati morum adeò conjunxit, ut ad Tyrones in Religionis diſciplina edocendos ſemel admotus, omnem ferè ætatem in tam utili, ſed non minus laborioſo munere traduxerit. Ob tam eximia merita à Franciſco Maria Caſato, tunc ſupremo Ordinis Moderatore, magno in honore habitus fuit, cùmque tantæ virtuti præmium deberetur, anno MDCLXV. Monaſterii Sancti Victoris hujus Urbis Abbatiâ meruit inſigniri. Ampliſſimam dignitatem, quòd ſtudiis ſuis impedimento foret, poſt triennium ſponte depoſuit, ut litterario liberiùs otio vacaret. Pauperes, quibus in vita beneficus ſemper extiterat, ad feretrum inconſolabili gemitu parentantes habuit, cùm anno MDCLXXXIV. acerbo funere ſublatus fuiſſet in ipſo Monaſterio Sancti Victoris. In ejuſdem Aſceterii Baſilica, quæ olim à Conditoris nomine Portiana nuncupabatur, requieſcere creditur Corpus Sancti Satyri Confeſſoris, magni hujus Urbis Parentis, & Eccleſiæ Catholicæ Doctoris Ambroſii eximii Fratris, cùmque de Tumulo ipſius magna exorta eſſet controverſia, aliis alibi conditum affirmantibus, ſuum eſſe duxit Moneta rem Eruditorum judicio ſubjicere, vulgato Opere doctiſſimo, quod Cardinali Giberto Borromæo inſcripſit:

Hoc titulo:

I. Sancti Satyri Confeſſoris Divi Ambroſii Fratris in Baſilica olim Portiana, nunc Sancti Victoris ad Corpus Mediolani quieſcentis Tumulus illuſtratus à Patre Don Raphaële Moneta Mediolanenſi Monacho Olivetano. *Genuæ*, *typis Benedicti Guaſchi*, *anno* 1656. *in* 4. Una tantum Operis pars publicam vidit lucem, alteram, quam actu cudebat, morte præventus perficere non potuit Scriptor noſter, ſupremam tamen illi manum impoſuit Dominicus Minutoli Lucenſis ejuſdem Congregationis Monachus. Viſitur Monetæ Opus Autographum in Biblioth. S. Victoris.

Huic Libro reſpondit Jo. Petrus Puricellus alio libro, cui titulus: „ Sancti Satyri Confeſſoris, & SS. Ambroſii & Marcellinæ Fratris Tumulus è nocturnis „ facibus diurnæ veritatis ſuæ luci reſtitutus.

Citat ſæpe Monetæ Codicem Petrus Paulus Boſca in Martyrol. præſertim in notis ad diem XVII. Septembris.

Laudatur à Belfortio in Chronol. Montis Oliveti pag. 140. & à Picinello in Athenæo pag. 480.

## MCXXXIX.

## MONTANUS JOANNES.

QUantùm Orationis, & eloquentiæ vi claruerit Joannes Montanus, qui pluribus in locis operis infra dandis ſe apertiſſimè oſtendit Mediolanenſem, tantùm nos latet quibus parentibus in lucem fuerit editus, quove anno inter mortales eſſe deſierit. Prænomen Magiſtri, quod legimus in fronte ejuſdem Lucubrationis, cum tempore, quo Scriptor floruit, ut apud Eruditos compertum eſt, Medicæ artis profeſſoribus tribui conſueſceret, innuere videtur, Joannem noſtrum inter Phyſicos computandum.

At

Digitized by Google

At cùm in littera prima, auro, & miniaturis, ut vocant, ornata, Vir quidam conſpiciatur Monaſtica indutus cuculla, ancipites ſumus, Phyſicus ne, an Monachus Auctor extiterit; arbitrantes hanc eſſe poſſe Auctoris effigiem. Dubium ſub judice perquam libenter relinquimus, ſatis eſſe cenſentes nomen ejus, atque ætatem in medium adducere; etenim ut Operis argumentum oſtendit, vivebat circa medium ſæculi XV.

Illud ſic prænotatur:

I. Ad Illuſtriſſimam Principem Blancam Mariam Illuſtriſſimi Genitoris ejus (is fuit Philippus Maria e Vicecomitum ſtirpe Mediolani Dux poſtremus) funebris Oratio per Magiſtrum Joannem Montanum incipit. Extat MS. in Biblioth. Ambroſiana auro, ac miniaturis inſignis. Cod. ſignat. M. num. 2. in 4. autographus.

## MCXL.

## MONTANUS JOANNES BAPTISTA.

Joannem Baptiſtam Montanum hujus Urbis Civem, ideo inter Eruditos computandum cenſuimus, quòd non ſolum Sculpturæ atque Architecturæ artes præclariſſimas egregie profeſſus fuerit, verùm etiam libros infra recenſendos elaboraverit, additis notis atque declarationibus ad Architecturam ipſam apprime illuſtrandam accommodatis. Cùm ad Urbem ſe contuliſſet, ſedente in Apoſtolico Throno Gregorio XIII. optimo Pontifice, peritiem ſuam Montanus noſter & in extruendis ampliſſimis ædificiis, & in ligneis ſimulacris effingendis in publicum protulit. In hac poſtrema arte Proſperum Brixienſem adeo imitatus eſt, ut non lignum, ſed ceram potius tractare videretur. Jubente Clemente VIII. Lateranenſibus Organis ſculpturæ addidit ornamenta. Quidquid autem Templorum, Tumulorum & Altarium delineaverat, explicationibus, notiſque, ut diximus, illuſtratum Montanus, in lucem, eo mortuo, emiſit Baptiſta Soria ipſius diſcipulus. E vivis abiit Romæ ætatis ſuæ anno LXXXVII. Chriſti verò Salvatoris MDCXXI. Illius effigiem inſeruit editor Operibus cum hac epigraphe:

IO. BAPTISTA MONTANVS MEDIOLANENSIS
SCVLPTOR LIGNARIVS
AETATIS LXXXVII.
OBIIT ROMAE ANNO MDCXXI.
VIRTVTE VIXIT
MEMORIA VIVIT
GLORIA VIVET.

Opera illius Lector accipe.

I. I cinque libri d'Architettura di Gio. Battiſta Montani Milaneſe, intagliati à bulino, in mezzi foglj reali.
Nel primo libro ſi contengono i cinque ordini, colle loro regole, e ornamenti, cavati dall'antico, in 42. mezzi foglj reali.
Nel ſecondo libro, ſcelta di varj Tempj antichi, colle loro piante, e ſpaccati, in 50. mezzi foglj reali.
Nel terzo libro, ſeguitano i Tempj, e Sepolchri antichi, colle loro piante, alzate, e ſpaccati, in 49. mezzi foglj reali.
Nel quarto libro ſi comprendono varie invenzioni di Altari, e Depoſiti moderni, in 41. mezzi foglj reali.
Nel quinto libro, diſegni, invenzione di Tabernacoli moderni, in 25. mezzi foglj reali.
Primum verò apparuerunt Opera Montani noſtri ſeorſim edita, ex quibus præ manibus ego habui duo, quæ ſequuntur his titulis: „ Tabernacoli diverſi nuovamente inventati da M. Gio Battiſta Montano Milaneſe. Opera dedicata all'Illuſtriſs. ed Eccelentiſs. Sig. D. Tadeo Barberino Prencipe di Roſano. *Roma*, 1620. *in fol. reale*.
„ Scelta di varj Tempietti antichi con le piante & alzate, diſſegnati in Proſpettiva da M. Gio. Battiſta Montano Milaneſe, dati in luce per Gio. Battiſta Soria Romano à beneficio pubblico, e fatti intagliare in Rame, dedicati all'Illuſtriſs. e Reverendiſs. Sig. Cardinale Borgheſe. *Roma, appreſſo il ſoddetto Soria*, 1624. *in fol. reale*, *ſono Tavole* 66.
Laudatur ab Orlando in Abcedario Pictorico pag. 234.

## MCXLI.

## MONTIUS CÆSAR.

Cæſar Montius patritius Mediolanenſis, Princivalle Senatore & Anna Landriana parentibus natus, abſolutis in Patriæ Collegio Juriſprudentiæ ſtudiis Romam ſe contulit, Federico Cardinali Borromæo Mediol. Archiepiſcopo hortante. A Paulo V. Protonotarius Apoſtolicus, & Signaturæ Utriuſque Referendarius renunciatus ſumma æquitate cauſas retulit, & judicavit. Inter Conſiliarios S. Officii, tum Boni Regiminis Status Eccleſiaſtici, mox Sacræ Conſultationis adhuc juvenis accerſitus eſt. Sub Gregorio XV. motu proprio Pontificis, Aſſeſſor S. Officii: ſub Urbano VIII. Propagandæ Fidei Congregationi adſcriptus, mox Nuncius in Regno Neapolitano, & inde ad Aulam Catholici Regis pro pace ablegatur, hinc Patriarcha Hieroſolymitanus conſecratus, in Hiſpaniam iterum Legatus mittitur, quam Provinciam gerens Cardinalis ab eodem Pontifice tacitè creatur anno MDCXXIX. Mortuo interim Federico, Mediolanenſi Eccleſiæ Montius præficitur, anno MDCXXXII. die XXVIII. Novembris, annoque elapſo ſacrâ purpurâ donatur, qua accepta cum titulo S. Mariæ Tranſpontinæ, ad Eccleſiam ſuam regendam venit, quam ſanctè ac vigilanter adminiſtravit in pauperes beneficus, & Eccleſiaſticæ Juriſdictionis vindex acerrimus. Inſignem Archiepiſcopatui Mediolanenſi Pinacothecam magno ſumptu undique collectam dono dedit. Inter alia ejus pietatis Monumenta recenſenda eſt Eccleſia S. Mariæ propè Conceſiam in Agro Mediolanenſi, quam ſuis ſumptibus cum continenti Cœnobio extructam, & dotatam Divæ Thereſiæ Alumnis Carmelitis tradidit. Obiit anno Jubilæi MDCL. die XVI. menſis Auguſti, magno ſui deſiderio relicto, annos natus quinquaginta ſeptem. Ante Deiparæ Virginis, quam ſemper enixè coluerat, Aram in Metropolitana ſepultus eſt cum hac Epigraphe:

OSSA CAESARIS MONTII CARDINALIS
ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS
REXIT ECCLESIAM ANN. XV. MENS. III.
VIXIT ANN. LVII. OBIIT ANNO MDCL.



Digitized by Google

De eo habemus.

I. Synodus Diœceſana Mediolanenſis trigeſima ſecunda, à Cæſare Card. Montio, Mediolanenſi Archiepiſcopo habita anno MDCXXXVI. *Mediolani, ex Typographia Archiepiſcopali*, 1636. *in* 8.

II. Decreta condita in Synodo Diœceſana Mediolanenſi trigeſima tertia, à Cæſare Card. Montio, Archiepiſcopo Mediolanenſi habita anno MDCXL. *Mediolani, apud Impreſſores Archiepiſcopi*, 1641. *in* 8.

III. Synodus Diœceſana Mediolanenſis trigeſima quarta, à Cæſare Card. Montio, Mediolani Archiepiſcopo habita anno MDCL. *Mediolani, apud Impreſſores Archiepiſcopi*, 1650. *in* 8.

IV. Oratio ab eo dicta anno MDCXVI. in Collegio Borromæo Ticinenſi; cui titulus eſt: „ Hominis „ vitam periculoſam eſſe navigationem. „ Extat MS. in Bibliotheca Comitis Pauli Montii.

V. Oratio ab eo habita coram Senatu Mediolanenſi in Æde S. Sepulchri diem feſtum S. Mariæ Magdalenæ ſolemni pompa celebrante: XI. Kal. Apr. MDCIX. de laudibus ejuſdem Sanctæ. Extat MS. in fol. cui titulus: „ Variorum Orat. & Epiſtolæ. „ In Biblioth. Monach. Ciſterc. S. Ambr. Mediolani, ſign. num. 60.

VI. Poëmata Latina & Italica extant in libro, cui titulus: „ Varj Componimenti fatti nel Dottoramen- „ to del Signor Ludovico Mazenta. *Papiæ*, 1613. *in* 8.

VII. Aphoriſmata ſelecta ex Sacræ Rotæ Deciſionibus. MS. autograph. in fol. juſtæ molis. Extat apud eundem Comitem Montium.

VIII. Regole da lui dettate per la Congregazione dell' Immacolata Concezione della Beatiſſima Vergine, dal medeſimo iſtituita per ricercare, ed ajutare le povere Vergini poſte in pericolo dell' oneſtà nella Città, e Dioceſi. *Milano, preſſo il Ramellati*, 1641. *in* 4.

IX. Regole per il buon governo del Luogo Pio di Santa Febronia, per conſervare illeſa la pudicizia delle Citelle qualora ſi ritrovano in pericolo di perderla. *Milano, per il Beltramino, ſenz' anno, in* 4.

X. Sermoni Paſtorali cento ſettanta, fatti dal medeſimo ne' luoghi della Dioceſi in tempo di Viſita, nella Congregazione generale della Dottrina Criſtiana, e nella Sinodo. Extant Autographi apud ſupradictum Comitem Montium, in fol.

XI. Oratio Latina de laudibus D. Bartholomæi Apoſtoli, in 4. paginarum 9.

XII. Alia habita in Circumciſione Domini coram Sanctiſſimo.

XIII. Alia ad Ampliſſimum Juriſconſultorum Mediolani Collegium in gratiarum actionem pro cooptatione ſua & Fratris.

XIV. Alia ad Ampliſſimum JC. Papiæ Collegium pro decreta ſibi, & Fratri Doctoratus Laurea gratiarum actio, XIV. Kal Feb. MDCXVII

XV. Alia, cujus argumentum (quandam eſſe rebus omnibus inſitam harmoniam) habita in Collegio Borromæo Papiæ ad Viſitatores Collegii, MDCXV. pagg. 7. omnes MSS. ibid.

XVI. Cæſaris Montii Epitalamium in mutuis Nuptiis Hiſpaniæ, & Galliæ Regum, ad Card. Federicum Borromæum pagg. 11., ſine Epiſtola Nuncupatoria. MS in Biblioth. Ambroſ. in Cod. ſign. N. n. 235. in 4.

XVII. Extant ejuſdem Epiſtolæ duæ ad Hilarionem Rancatum cum ejus reſponſis in Tom: XXIII. MSS. Rancati.

Ejus Vita cum Monumentis Montiorum Familiæ ab Anonymo ſcripta, extat in Cod. ſign. A. num. 66. Arch Monach. S. Ambr. de quo jam diximus.

Ibidem etiam extat alterius Anonymi: Raccolta di tutte le Azioni del Cardinal Monti, durante il ſuo Arciveſcovado di Milano. MS. magnæ molis, in fol. ſign. #

Auguſtini Terzagi ad Cæſarem Montium Card. Archiep. cum aliquot Carminibus in ejus laudem Epiſtolæ quatuor extant MSS. in Bibliotheca olim Co. Cæſaris Montii.

In Perilluſtrium Cæſaris, & M. Antonii Montiorum Fratrum Lauream Carmina varia ad Princivallem Patrem. *Papiæ*, 1617 *in* 4.

Extat Epiſtola Octavii Ferrarii ad Cæſarem Cardinalem Montium, data Patavii Kal. Nov. MDCXXXIX.

Ejus in Mediolanenſem Urbem ingreſſum deſcripſit, & edidit Joannes Paſta infra memorandus.

In Cod. MS Epigrammatum Jacobi Valerii Biblioth. PP. Theatin. D. Antonii Mediolani, extant plura Carmina ad Cæſarem Cardinalem Montium, inter quæ unum de Divo Carolo, & Cæſare Montio Cardinalibus, & Archiepiſcopis Mediolani.

Ei dicatur ab ipſo Jacobo Valerio Epiſtola de Magnitudine, & Magnificentia Urbium Mediolani, & Neapolis.

Laudatur Archiepiſcopus Montius ab Ughello in Italia Sacra, à Ghilino in ſuo Theatro, à Petro Paulo Boſca in libro de Origine & Statu Bibliothecæ Ambroſianæ, à Sitono in Chron. J. PP. Col. Art. 839., & à Picinello in Athenæo pag. 140.

## MCXLII.

## MONTIUS FRANCISCUS.

ALibi jam verba fecimus de Collectione ſatis nobili MSS. Joannis Baptiſtæ Cornei Junioris, quam Vir hic præſtantiſſimus, ut in ejus Elogio diximus, Archiepiſcopii Mediolanenſis Archivo legavit. Ibi etiam incidit mentio Auctoris, quem nunc laudare debemus, cùm ejus non vulgaris labor in Tomo V. Miſcellaneorum citati Cornei reperiatur. Is igitur eſt Franciſcus Montius Mediolanenſis, qui Monaſticam Sancti Brunonis regulam in Carthuſia huic Urbi vicina, quæ Garignani communiori nuncupatione dicitur, profeſſus, ibi quoque diutinam duxit vitam, non pietate ſolùm, ſed etiam eruditione commendabilem. Qua ætate vixerit, quo anno obierit Scriptor noſter, temporis injuria nos ſcire non ſinit.

Scriptis hiſce claruit.

I. De Thuribulo, & Thurificatione Tractatus D. Franciſci Montii Monachi Carthuſiani, Carthuſiæ S. Ambroſii prope Mediolanum Alumni.

Extat in citato V. Vol. MSS. Jo. Bapt. Cornei Junioris in Archivo Archiep. Mediolanen.

## MCXLIII.

## MONTIUS HIERONYMUS.

PRincivalle Montio, cujus Elogium brevì recitabimus, Patre, ortus eſt in hac Urbe Hieronymus noſter tam legali, quàm Oratoria eruditione clariſſimus. Perceptis humanioribus litteris, atque Eloquentiam edoctus ſub Præceptoribus optimis, legalia ſtudia amplecti decrevit, in queis cùm plurimùm profeciſſet, Laureamque fuiſſet adeptus, Collegio Juriſconſultorum in Patria florentiſſimo nomen dedit anno poſt Chriſtum natum MDXXXVIII. Urbis Præfecturam integerrimè adminiſtravit anno MDLXII. mox inter conſcriptos Patres Ampliſſimi Senatus Mediolanenſis doctrinæ merito cooptatus, & Prætor cùm Ticini, tum Cremonæ renunciatus eſt. Graſſante autem in hac Metropoli peſtifera lue anno MDLXXVI. publicæ Salutis Præſes conſtitutus, mirum qua vigilantia, atque prudentia tantum munus obiverit. Eloquentiam illius ſatis ſuperque cognoſcet Lector ex infrà dandis illius Orationibus dignis certè, quæ legantur. Acceptiſſimus fuit Sancto Carolo Borromæo S. R. E. Cardinali, atque hujus Urbis Antiſtiti laudatiſſimo, qui cùm actu Ticinenſe Collegium, quod Borromæorum à Conditoris nomine appellatur, excitaret ſumptu verè regio, Montio noſtro tunc Prætorios faſces Ticinenſium regenti plures dedit Epiſtolas, in queis ædificii ut urgeret, atque curaret Opus enixè poſtulabat. Dum eo Magiſtratu fungeretur, Academiam Affidatorum ob peſtem diminutam, reparandam curavit; quapropter Carmen Italicum ad eum dedit Hannibal Guaſcus Alexandrinus, quod extat inter hujus Carmina Italica, edita *Papiæ, apud Bartolum*, 1579. *Vol. II. pag.* 104. Deſideratus eſt Vir præſtantiſſimus, & integer-

A tegerrimus anno poſt Virginis Partum MDLXXXIII. atque illius funus hoc Epigrammate ornavit Bernardinus Baldinus, quod legitur in libro inſcripto: *Luſus*.

*Montius exceſſit ſuper alta cacumina montis*
*Parnaſſi, Muſis, & tibi Phœbe ſacer.*
*Hoc illi chorus Aonidum conceſſit alumno,*
*Auris dum vivo fata dedere frui.*
*Poſt obitum felix conſcendit culmina cœli:*
*Vivus & exanimis Montius uſque fuit.*

B Hæc ſuperſunt illius Opera.

I. Orationes VI. pro cooptatione in Collegium Juriſconſultorum Pomponii Cottæ, Ludovici Mazentæ, Alexandri Vicecomitis, M. Antonii Caymi, Hieronymi Torſi, & Bartholomæi Capræ. *Lugduni, apud Gryphium*, 1547. *in* 8. Præfixa eſt in eodem Codice una Gualterii Corbettæ ejuſdem argumenti pro Joanne Baptiſta Caſtillionæo.

II. Oratio in Funere Mutii Sfortiæ, habita Caravagii VI. Idus Junii MDLIII. *Venetiis, apud Bevilaquam*, 1557. *in* 4.

III. Carmina Latina ejuſdem in laudem ipſius Mutii Sfortiæ. In eodem Libro.

IV. Altera Oratio in Funere Caroli Hiſpaniarum Principis. Legitur in libro, cui titulus: „ Funerali fatti fare „ dal Duca d'Albuquerque al Principe Carlo di „ Spagna. *Milano*, 1568 *in fol.* in quo etiam leguntur quædam Latina Carmina Variorum in laudem Montii.

C V. Carmina plura Latina in laudem Franciſci Craſſi Oratoris in Funere Caroli V. Cæſaris. Extant cum Oratione Craſſi edita *Mediol. apud Moſchenium*, 1559. *in* 4.

VI. Conſilium ejuſdem Juridicum inter ea Jo. Baptiſtæ Ploti, Edit. Novarien. num. 91. pag. 380.

VII. Alterum, quod prædia Carthuſiæ Ticinenſi donata à Jo. Galeacio Mediolani Duce, anno MCCCXCVI. ſint Monaſterii, non pauperum Laicorum. Memoratur à Cacherano Conſ. 37.

VIII. Deploratio Poëtica ob mortem Joannis Jacobi Medicei. *Venetiis, apud Bevilaquam*, 1557. *in* 4.

IX. Hieronymi Montii, poſt reditum Petri Spini Patritii Bergomenſis Epicedion Hetruſcis numeris conſcriptum, Monodia. *Mediolani, apud Pontium*, 1577. *in* 4. Extat in eodem libro Epiſtola Latina Octaviani Magii, data Mediol. XIV. Kal. Jan. MDLXXVI. ad ipſum Montium, in qua ejus eruditionem tam in Poëticis, quàm in Oratoriis Artibus plurimùm commendat.

D X. Epiſtolæ ejuſdem plures ad S. Carolum, cum hujus Reſponſis, anno præſertim MDLXXX. datæ. Extant in pluries laudata Collectione Epiſt. S. Caroli. MS. in Bibliotheca Ambroſiana.

Franciſcus Zava lib. II. Carminum, eidem cum eſſet Prætor Cremonæ Carmina ſcripſit pag. 265.

Extant ad eum Epiſtolæ Latinæ eruditæ Franciſci Cardinalis Alciati autographæ in Codice MS. Biblioth. FF. Marchionum Vicecomitum.

Ad Hieronymum Montium eſt quoque Carmen Ferrandi Abduenſis.

Inter Epiſtolas Clarorum Virorum. *Venetiis*, 1568. *in* 8. Extat Epiſtola Jovitæ Rapicii ad eundem pag. 63.

Legitur etiam ad eum Epiſtola Sigiſmundi Foliani, quæ eſt XXXI. lib. III. in qua eum laudat.

E Extat ad Montium Epiſtola Juliani Goſelini, data XV. Martii MDL. In qua ſatis prolixè agit de Oratione habita Venetiis à Patre Gabriele Flamma occaſione Peſtis, & de ea ſententiam ſuam eruditiſſimè exponit.

Ei nuncupavit Antonellus Arcimboldus Verſionem ſuam libri de gratiarum actione S. Baſilii Magni, de qua jam ſermo fuit.

Præter ſupracitatos agunt de Hieronymo Montio Cl. Sitonus in Chron. J. PP. Col. Att. 445., & Picinellus in Athenæo pag. 347.

## MCXLIV.

## MONTIUS JOANNES.

JOannem Montium, ſive de Monte Mediolanenſem, qui ſæculo XV. inter Sacri Prædicatorum Ordinis profeſſores computabatur, ardentiſſimus in Verbo Dei populis miniſtrando zelus, & mira in dicendo facundia, præter alias, quibus præditus erat, virtutes, commendabilem effecere. Cum Chriſtophoro Mediolanenſi, ejuſdem Inſtituti Viro à nobis jam ſupra laudato, circa annum Salutis humanæ MCCCCLXIV. multam dedit Operam, ut Tabienſis ſui Ordinis Domus conderetur. In Sanctarum Virginum album à Pio II. Summo Pontifice relata interim fuerat, anno ſcilicet MCCCCLXI. Catharina Senenſis, quam adeò coluit Joannes noſter, ut vitam ejus, virtutes, atque prodigia in ſuis per Italiam habitis Concionibus pro merito populis enarraret, tam felici eventu, ut in Sanctam Virginem pietas mirè fuerit propagata. Hæc ea ſunt, quæ ex Scriptoribus ſuis nobis haurire datum fuit. Reliqua ejus acta, quemadmodum & poſtremum ætatis annum delevit oblivio. Sed magis certè nos angit ſuſpicio deperditorum ejus Operum,

Quæ fuere:

I. Sermones de Tempore.

II. Sermones de Sanctis.

III. Sermones Quadrageſimales. Meminit horum Rovetta ad annum MCCCCLXIII., at cùm locum non indicet, ubi ſerventur, neque unquam, quod ſciamus, lucem Typographiæ adjumento viderint, ea periiſſe conjicimus.

Commendant eum, præter citatum Rovettam, Leander Alberti, fol. 145. §. 6. Razzius pag. 280. num. 25., & Quetif & Eccard inter Script. Ord. Prædic. Tomo I. pag. 837.

## MCXLV.

## MONTIUS JOANNES alter.

ALterum Joannem de Monte, ſive ut poſteriores appellant, Montium hîc proferimus, quem diù ſuſpicati ſumus eundem eſſe cum ſuperiori. Conjecturæ noſtræ favebat tempus idem, quo uterque floruit, ſæculum videlicet XV. ad finem vergens, & Ordo Prædicatorum, cui addictus fuit tam Gualvaneus dela Flamma, cujus Opus inſcriptum, Manipulus florum, ut poſtea dicemus, Joannes noſter auxiſſe videtur, & in Italicum tranſtulit, quàm ipſe quoque. Veruntamen nos tandem in contrariam ſententiam deduxit Codex infra citandus, ubi diſertiſſimis verbis Scriptor noſter aſſerit ſe Presbyterum, quibus etiam nunquam ſe inter Prædicatores recenſitum fuiſſe docet. Hæc enim ibi leguntur: „ Scriptus per me Presbyterum Joannem de Monte, „ anno MCCCCLXXXIII. die IX. Julii, juſſu Ma„gnifici, ac præſtantiſſimi Militis Domini Vercelli„ni Vicecomitis, ac Ducalis Commiſſarii, Tritii„que Caſtellani. „ Arbitrati ſunt Viri Clariſs. Quetif & Eccard in Scriptorib. Ord. Præd. dum verba face-

Digitized by Google

ſacerent de ſupradicto Gualvaneo, Joannem hunc Amanuenſem tantùm fuiſſe, vel ad ſummum Continuatorem Manipuli Florum. Eorum ſententiæ nos quoque ſubſcribimus, & Opus ipſum à Joanne noſtro auctum credimus. Illud verò addimus, Scriptorem iſtum inter Eruditos à nobis meritò recenſeri non tantùm ob Manipulum Gualvanei ab ipſo fortaſſis continuatum, ſed etiam ob ſequens illius ingenii Monumentum; tranſlationem ſcilicet Italicam Manipuli ejuſdem.

I. Cronica delle Antichità della Città di Milano, o ſia Manipolo di Fiori, traddotto da Giovanni de Monte. Codex MS. membranaceus in fol. litteris rubro-nigris ſervatur in Bibliótheca Archintea.
De eo Picinellus nil præter inanes bullas habet in Athenæo pag. 312., ubi memorat Codicem in Ambroſiana Bibliotheca exiſtentem, qui tamen cùm Latino ſermone conſcriptus ſit, ut eruimus ex titulo à Picinello ipſo relato, idem creditur cum Gualvanei Manipulo; ideoque ipſum Joanni noſtro adſcribere non audemus.

## MCXLVI.

## MONTIUS MARCUS ANTONIUS.

Ex Principalle Juriſconſulto Collegiato, ac Regio Ducali Senatore in hac Metropoli, atque Anna Landriana nobilitate inſignibus Jugalibus, ortus eſt Marcus Antonius Montius, qui liberaliter educatus, Græcas, Latinaſque litteras didicit; Oratoriæ ac Poëticæ artis præcepta, tum Legum tandem placita in Ticinenſi Archigymnaſio ſub optimis Magiſtris percepit. Hinc anno MDCXVII. cum Fratre ſuo Cæſare, poſtmodum S. R. E. Cardinali, atque Mediolani Archiepiſcopo à nobis ſupra commendato, laureæ honore auctus, in Patriam redux Forenſibus curis ſe totum dedit. Mox anno ſequenti Nobilium Juriſperitorum Cœtui aggregatus, Sanctæ Inquiſitionis Officio à Conſiliis electus fuit, ac poſt ſeptennium Patriæ geſſit Præfecturam. Regio deinde Fiſco Patronus generalis adſcitus, pro Oeconomatu item Regio in hac Metropoli, atque ditione conſtituto, non dictis ſolum, ſed & libro infra indicando tam ſtrenuè decertavit, ut Catholici Regis juſſu ad Senatoriam Cathedram aſſumeretur. Verùm (proh dolor!) acerba lues, quæ Mediolanenſem Urbem anno MDCXXX. ſerpebat, tantum abſtulit Virum, dum actu publicè ſalutis Præſes eſſet, ejuſque adhuc honorifica perſeverat mentio in Inſcriptione, quæ poſita eſt ad Columnam, quam vocant infamem non procul à Baſilica Laurentiana, ubi olim ſteterant ædes perditiſſimi Civis, qui aliis in ſceleris ſui conſcientiam adſcitis, graſſantem luem peſtiferis unguentis propagare nitebatur. Ea in hæc verba concepta eſt:

HIC VBI HAEC AREA PATENS EST
SVRGEBAT OLIM TONSTRINA
IO. IACOBI MORAE
QVI FACTA CVM GVLIELMO PLATEA
PVBL. SANIT. COMMISSARIO
ET CVM ALIIS CONSPIRATIONE
DVM PESTIS ATROX SAEVIRET
LAETIFERIS VNGVENTIS HVC
ET ILLVC ASPERSIS
PLVRES AD DIRAM MORTEM COMPVLIT
HOS IGITVR AMBOS
HOSTES
PATRIAE IVDICATOS
EXCELSO IN PLAVSTRO
CANDENTI PRIVS VELLICATOS FORCIPE
ET DEXTERA MVLCTATOS MANV
ROTA INFRINGI
ROTAEQVE INTEXTOS
POST HORAS SEX IVGVLARI
COMBVRI DEINDE
AC NE QVID TAM SCELESTORVM HOMINVM
RELIQVI SIT
PVBLICATIS BONIS
CINERES IN FLVMEN PROIICI
SENATVS IVSSIT
CVIVS REI MEMORIA AETERNA VT SIT
HANC DOMVM SCELERIS OFFICINAM
SOLO AEQVARI
AC NVNQVAM IN POSTERVM REFICI
ET ERIGI COLVMNAM
QVAE VOCETVR INFAMIS
IDEM ORDO MANDAVIT
PROCVL HINC PROCVL ERGO
BONI CIVES
NE VOS INFELIX INFAME SOLVM
COMMACVLET
MDCXXX. KAL. AVGVSTI
PRAESIDE PVB. SANITATIS
M. ANTONIO MONTIO SENATORE
R. IVSTITIAE CAP.
IO. BAPTISTA VICECOMITE.

Poſterorum memoriam ſibi demeruit Montius noſter hiſce ingenii ſui fœtibus.

I. Carmina Italica in libro, cui titulus: „ Varii Componimenti fatti nel Dottoramento del Signor „ Ludovico Mazenta. *Pavia*, 1613. *in* 8.

II. Allegatio Jurium pro Regio Oeconomatu. *Mediolani, ſine loco, anno, & Typogr. in fol.* Volumen eſt integrum pagg. 115 ubi ferè omnia ad Oeconomatus initia, progreſſum, atque juriſdictionem ſpectantia, miro ordine, atque pondere rationum expenduntur, & propugnantur.

III. In Sereniſſimam Margaritam Auſtriacam Philippi III. Hiſpaniarum Regis Maximi chariſſimam Conjugem; Epicedium. MS. pagg. 116. in fol. ſervatur in Biblioth. Ambroſiana inter Codices in 4. ſignat. S. num. 87.

IV.

Digitized by Google

IV. Epiſtolæ plures latinæ ad Onuphrium Panvinum eruditiſſimæ. Sunt in alio Codice MS. ejuſdem Biblioth. Ambroſianæ ſign. D. num. 501.

V. Relatio ſtatus Academiæ Ticinenſis ad Potentiſſimum Hiſpaniarum Regem. Dat. Mediol. die XVIII. Octobris MDCXXVII. in fol. juſtæ molis, MS. extat in Bibliotheca Comitis Pauli Montii, Cæſaris haud pridem defuncti filii.

VI. Epiſtolæ plures ejuſdem argumenti ad Fabritium Landrianum Ticinenſem Epiſcopum, cum hujus reſponſionibus. Servantur ibid. MSS.

VII. Allegationes plures tam editæ, quàm MSS. habentur in Collectionibus Soliveti, Benaliæ, & aliorum J. CC. Mediolan. prout aliquæ etiam in Biblioth. Monachorum Imperialis Cœnobii S. Ambroſii hujus Urbis.

VIII. Vota plura Fiſcalia mira eruditione referta; extant in Collect. ſupradictis.

In ejus & Fratris lauream edita ſunt variorum Carmina. *Papiæ*, 1617. *in* 4.

Ei dicati prodierunt Ticini anno 1628. Aphoriſmi Bariolæ, quibus Idilion ſuum præfixit Auguſtinus Terzagus, ubi Marci Antonii noſtri eruditionem tam Græcam, quàm Latinam commendat.

Laudatur à Boſſio in Epiſt. ad Jo. Bapt. Saccum pag. 20. à Sitono in Chron. art. 840. & à P. Beretta in Schedis.

## MCXLVII.

## MONTIUS PAULUS.

Ex Julio Montio Vallis-ſaxinæ Comite, atque Julia Simonetta Matrona lectiſſima, Conjugibus, lucem in hac Urbe vidit primam Paulus noſter, quem morum comitas, & ingenii ornamenta meritò in litterarium hunc Theatrum inducunt poſteris ſuſpiciendum. Is Poëſim præſertim Italicam, inter cætera liberalia ſtudia, quibus excultus fuerat, adamavit. Eruditos ſui temporis, Vates præſertim, coluit, inter quos nullo modo prætermittendi ſunt Poëtæ clariſſimi, & omnigenâ litteraturâ celeberrimi Carolus Maria Maddius, quem jam debito profecuti ſumus Elogio, atque Franciſcus de Lemene Laudenſis, quibus amiciſſimè utebatur. His jungendus etiam Thomas Ceva, è Societate Jeſu Presbyter à nobis & ipſe congruo loco commendatus. Licèt autem in talium Virorum contubenio tranquillo frueretur otio Montius, à Reipublicæ tamen adminiſtratione ſibi abſtinendum eſſe non duxit, ideoque inter LX. Patriæ Decuriones recenſitus Urbis negotia prudenter geſſit. Tribunatum quoque Militum, & Regiarum Venationum Præfecturam, quam tranſmiſit ad poſteros, Principis Diplomate obtinuit. Oppidi Mortariæ pro Catholico Rege aliquando Præfecturam geſſit. Ex Maria Meltia Conjuge Cæſarem ſuſcepit Virum laudatiſſimum, quem Prid. Kal. Decembris anni mox elapſi MDCCXLI. magno cum bonorum mœrore terris raptum doluimus, è cujus Bibliotheca multa depromſimus ad noſtrum hoc Opus adornandum. Paulus autem deſideratus eſt ſub finem mox lapſi ſæculi.

Poſt ſe hæc ingenii Monumenta reliquit.

I. Carmina plura Italica, vulgo *Madrigali*, *e Sonetti*, ad Franciſcum de Lemene, cum aliquot hujus reſponſionibus autographis, inter quæ unum ejuſdem de Lemene ſic inſcriptum: *Il primo Sonetto fatto in vita mia*. Codex MS. juſtæ molis in 4. ſervatur in citata Bibliotheca olim Comitis Cæſaris Auctoris filii, nunc Comitis Pauli nepotis.

II. Carmen Italicum hoc titulo: „ Dialogo per introduzione alla rappreſentazione di Criſto, che porta la Croce. MS. ibid.

III. Le Lodi della Povertà. Carmen Italicum ſatis prolixum. MS. ibid.

IV. Parafraſi della ſequenza *Dies iræ &c.* Carmine Italico. MS. ibid.

In libro inſcripto: „ Poeſie diverſe del Sig. Franceſco „ de Lemene, parte prima; edit. Parmenſis anni 1711. in 8. hoc legitur Carmen, pag. 234.

„ Sotto il ritratto del Signor Conte Don Paolo Monti
„ fatto dal Sig. Ceſare Fiori.
„ Madrigale.

*Volea ritrar il* Fiore
*Con arte induſtre in una ſola fronte*
*La Modeſtia, e'l Valore,*
*E quì ritraſſe il mio famoſo* Monte:
*Hor dal Fiore animata opra sì bella*
*Vive, ma non favella,*
*Perchè il vero Valor non è loquace,*
*E la Modeſtia tace.*

Ejus cum laude meminerunt præfatus P. Thomas Ceva in Vita Franciſci de Lemene, atque Sitonus in Schedis.

## MCXLVIII.

## MONTIUS PETRUS.

Non immeritò P. Mazzuchellus in Schedis ſuis Petrum Montium Mediolanenſem, admirabilis ingenii, & monſtruoſæ doctrinæ Virum nuncupavit, idque cum eo ſentient omnes, quotquot Opera illius infra recenſenda pervolutabunt. Patrem habuit Georgium Ambroſii filium, & præter litterarum ſtudia, quibus optimè excultus fuit, arma quoque ſecutus eſt; nam Cohortis Peditum Præfecturam geſſit pro Veneta Republica, ſignanter verò in prælio ad Glaream Abduæ, anno MDIX. Eum Mediolanenſibus Scriptoribus adnumerandum cenſuit Picinellus, loco mox citando, conjecturâ tantùm ductus; nos verò id apertè aſſerere non dubitamus, ex teſtimonio Urbani Montii, qui in Opere ſuo Memorabilium Civitatis Mediolani, & Familiæ Montiæ disertè ſcribit, Petrum hunc in hac Urbe lucem vidiſſe. Linguarum exoticarum peritus fuit, præſertim Hiſpanicæ, ac Theologicas etiam calluit diſciplinas, quod mirum videtur in Viro armis dedito. Emortualem hujus Scriptoris annum à nemine diſcere potuimus.

Scripſit

I. Exercitiorum atque artis militaris Collectanea in tres libros diſtincta. Ad Dominum Galeacium Sanſeverinatem. *Mediolani, per Joannem Angelum Scinzenzeler, anno* 1509. *die* 27. *Julii, in fol.* Librum hunc prius Hiſpanico Idiomate exaraverat.

II. De Cognitione hominum, ut ipſemet Auctor teſtatur in Prologo memoratæ Collectaneæ.

III. De Via ad exercitia militaria, prout admonet Montius idem in Prologo ſecundi libri Exercitiorum &c. Ibi ſic ait: „ In tempore, quo ego componebam „ hoc Opus, Dux Sigiſmundus de Auſtria, Galeacius „ de Sancto Severino, & Claudius de Voldre natio„ne Burgundus multa nova arma invenerunt tam „ pedeſtribus, quàm equeſtribus attinentia, & non „ tantùm diverſa, imò utiliſſima.

IV. De ſingulari certamine, ſive defenſione: deque veterum, recentiorumque ritu, ad Carolum Hiſpaniarum Principem, & Burgundiæ, libri tres. In fine ſic legitur: „ Petri Montii de ſingulari certamine &c. Opus excel„lentiſſimum: Perfectum fuit non pauco labore: ſum„mâque curâ reviſum, & per ſolertem Calcographum „ Jo. Angelum Scinzenzeler, impreſſum Mediolani, „ impenſa Jo. Jacobi, & fratrum de Lignano Merca„torum Mediolanenſium, anno Verbi Incarnati MDIX. „ Prid. Kal. Septembris, Ludovico Francorum Rege, „ Mediolanique Duce feliciter Regnante „. Scripſit Montius hoc Opus ante Alciatum, & fortè omnium primus.

In Epiſtola Nuncupatoria memorat Paulus Montius à ſe editum fuiſſe librum



Digitized by Google

V. De Proverbiis. Lib. verò 3. cap. 4. ſcribit: „ Reſpublica ipſa aliquod Opus ſub intentione bene agendi „ conſtituat, ut in temporibus noſtris per Italiam „ factum eſt, à Fratribus Obſervantiæ Sancti Franciſci inventum, quod Mons Pietatis denominari „ ſolet.

VI. De unius legis veritate, & Sectarum falſitate. Volumen in libros XI. diviſum, maximæ molis. *Mediol. apud Jo. Angelum Scinzenzeler, 1522. in fol.*

De eo agunt Urbanus Montius loc. cit. Sitonus in Schedis, & in Monument. Familiæ de Monte. MSS. in fol. penès ipſum Auctorem, cit. Mazzuchellus in Schedis, atque Picinell. in Athenæo pag. 464.

## MCXLIX.

## MONTIUS PRINCIVALLUS.

EX Henrico Montio, atque Maria Daveria Nobilibus hujus Urbis Conjugibus vitæ uſuram traxit Princivallus Vir incomparabili æquitate, atque non contemnenda eruditione præditus. Primùm inter Decuriones Urbis recenſitus eſt, mox Ampliſſimi Ordinis Patrum Conſcriptorum hujus Mediolanenſis Provinciæ diù fuit à Secretis tanta cum laude, ut Carolus V. Cæſar anno MDXXXV. cum Philippo Archinto, Antonio de Leva, Marino Caracciolo, aliiſque Viris præſtantiſſimis Cauſam Marchionatus Montisferrati, ob extinctam Paleologorum progeniem, inter Sabaudos, atque Mantuanos Duces controverſam, æqua lance perpendendam commiſiſſet, ſocium eis adjecerit Princivallum, qui Acta conſcriberet, & in ordinem redacta Delegatis Judicibus offerret. Delatam ſibi Provinciam Montius egregiè obivit, & ejus præſertim ſollicitudine, atque integritate factum eſt, ut ipſius litis diſcuſſio intra paucos annos quoad poſſeſſionem contigerit. Annus illius extremus hactenus eſt nobis incompertus. Hieronymum J.C.C. ac Senatorem genuit, de quo jam diximus.

Habemus illius

I. Acta de Juribus ſuper Marchionatu Montisferrati, inter Sabaudiæ, & Mantuæ Duces. Extat in Libro, cui titulus: „ Ragioni della Sereniſs. Caſa di Savoja ſo„ pra il Monferrato, in fol. ſine anno, loco, & „ Typographo.

II. Traduzione dal Latino Idioma nel Volgare, delle Rivelazioni della Madre Arcangela Panigarola, ſcritte dal Commendatore di S. Antonio di Granoble. MS. in fol. magnæ molis in Archivo Monaſterii Sanctæ Marthæ hujus Urbis ſervatur; Idque perfecit petente Benedicta de Vicomercato ejuſdem Parthenonis Antiſtita, de qua ſuo loco dicemus.

Agunt de ipſo cum laude Sitonus in Chron. J. PP. art. 445. atque in Schedis, quemadmodum & Vir nobis ſummopere dilectus Canonicus Jo. Andræas Iricus in Hiſt. ſua Tridinenſi, quæ nunc imprimitur.

## MCL.

## MONTIUS URBANUS.

EX Joanne Baptiſta Montio, ſeu de Monte, atque Angela Menclotia Nobilibus Conjugibus Mediolanenſibus, ortus eſt anno MCCCCCXLIV. Urbanus Vir ſummo præditus ingenio, & omnigena litteratura illuſtris. Præter alia eruditionis ornamenta Geographiam, atque Hiſtoriam plurimùm adamavit, nec artem delineandi neglexit, imò eandem ſic calluit, ut in Operibus ejuſdem plures occurrant non ſpernendæ delineationes tam Provinciarum, quàm illuſtrium è Familia Montia Virorum. Illud autem non omittendum, Nauticam etiam intactam non reliquiſſe

A Urbanum noſtrum, cujus rei gratiâ novam Globi Terraquei conſtruendi methodum excogitavit, quemadmodum etiam docuit Pyxidem Magnetis novo modo formare. Aſtrologiæ quoque peritum eum fuiſſe facilè agnoſcent, quibus ea occurrent, quæ ſcripſit de Sòlari, atque Lunari Eccliſſi, aliiſque id genus argumentis ad eam facultatem ſpectantibus. Ab Italica Poëſi non abhorruit, ut ex infra dicendis patebit. Obiit circa finem ſæculi XVI.

Illius eruditionis teſtes habemus, quæ hîc proferimus.

I. Trattato univerſale, Deſcrizione, e ſito di tutta la Terra ſin quì conoſciuta, deſcritta da Urbano Monte Gentiluomo Milaneſe, e dall' iſteſſo diſegnata in LXII. Tavole graduate in longhezza, e larghezze, conforme alla Geografia de molti veridici sì antichi, come moderni Autori. Con ſue eſpoſizioni a tutte le Tavole, particolarmente delle qualità de' Paeſi, coſtumi delle Genti, e delle coſe più notabili, che in eſſi ſi ritrovano. Le quali Tavole poſſonſi, e s'inſegnano a ridurre inſieme, e di quelle unirne, e formarne un Mapamondo intiero in forma piana circolare. Avanti alle quali per maggior intelligenza, e ſatisfazione de' Studenti, vi ſono poſti due Libri, de' quali il primo tratta di molte coſe naturali, concernenti alla qualità del Mondo, e l' altro ci diſtingue un pieno diſcorſo di tutti i Termini, e Regole di Geografia. Con una copioſa raccolta de' nomi antichi di Provincie, Città, Mari, Fiumi, ed altre coſe, dichiarate con i Moderni. E molte altre Tavole, e ruote di belliſſima ſpeculazione, e neceſſarie, che ciaſcuno leggendo potrà conoſcere. Finalmente dopo alcune coſe intorno agli Eccliſſi del Sole, e della Luna, ed alcuni loro effetti, ed alcune altre intorno alla qualità, e quantità de' Venti, e come ſi faccia il Buſſolo da navigare, e modo d' intendere, ed adoperare la Carta da navigare, e così pongono due Indici particolari, l'uno delle Tavole, e Capitoli, e l'altro delle coſe più notabili contenute nel Libro ſcritto dallo ſteſſo, nell' anno dopo il Santiſſimo Natale del Signore MDXC. In fine Frontiſpicii extat Protome Urbani, his litteris circumpoſitis: Urbano Monte d'anni XXXXV., quemadmodum etiam viſitur Inſigne Gentilitium Montiorum, addito ſupernè Angelo, cum Lemmate: *Nuncius & Cuſtos.* Codex MS. in fol. max. ſignat. A. num. 260. Servatur in Bibliotheca Ambroſiana. Opus hoc autographum intulit in eandem Ambroſ. Biblioth. Joſeph Annonus à Secretis Ædilium, & Decurionum Urbis, Vir plurimùm commendatus à Boſca lib. V. de Orig. & ſtatu ejuſd. Biblioth. Extat aliud Exemplar MS. in fol. imper. in Bibliotheca olim Comitis Cæſaris Montii, Villoſo ſerico rubro, atque argenteis bracteis ornatum.

II. Succeſſi particolari, e più notabili della Città di Milano, e della Famiglia de' Monti, rinuovata nella Caſa dell' Angelo, ſituata nella Parocchia di Santo Stefanino in Bregogna, in Porta Orientale. Volumina III. MSS. in fol. extant apud hæredes olim Comitis Joannis Baptiſtæ Montii, & Roſæ Oliveriæ Conjugum.

In tertia hujus Operis parte hæc vidimus, quæ ad Eruditorum notitiam cenſuimus deducenda.

III. Traslazione de' Corpi de' Santi Simpliciano, Geronzio, e Benigno Arciveſcovi di Milano, e de' Santi Martiri Siſinio, Martirio, ed Aleſſandro, che ſi cuſtodiſcono nella Baſilica di S. Simpliciano, fatta dall' Illuſtriſs. e Reverendiſs. Sig. Cardinale Arciveſcovo Carlo Borromeo li XXVII. Maggio MDLXXXII. Habetur à pagina XIII. uſque ad XXXV.

IV. Delle cauſe, modo, e neceſſità della correzione del Calendario fatta da Gregorio XIII. Extat à pagina LIV. ad LXIV.

V. Traslazione del Corpo di S. Giovanni Buono Arciveſcovo di Milano fatta dal ſopradetto Cardinal Borromeo li XXXI. Maggio MDLXXXII. con un Compendio della Vita del medeſimo S. Giovanni Buono. Legitur pagg. LXV. & ſequentibus.

VI. Narrazione della Guerra fra gli Spagnuoli, e Ribelli, con lo ſcacciamento di queſti dall' Iſole Terzere. Extat à pag. LXXIX. ad LXXXIII.

VII. Narrazione della morte del Cardinal Borromeo, e ſuoi Funerali. Inſerta eſt etiam Oratio funebris in exequiis ejuſdem, habita à Franciſco Panigarola pagg. XXVI. Habetur à pagina XCVII. & proſequitur ferè ad finem Voluminis hujus III., qui incipit ab anno MDLXXXI. & deſinit in anno MDLXXXIV.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Carmina III Italica, quorum primum vulgo *Sonetto* ſubjecit Urbanus poſt Protome S. Caroli Infulatam, duo verò vulgo *Ottave* leguntur in principio hujus Tertii Voluminis, continentque laudes Familiæ Montiæ.

IX. Series Genealogica Familiæ ipſius, cum Imaginibus Virorum Illuſtrium, atque eorum Elogiis. MS. citatus à Picinello.

Agit de ipſo Moriggia lib. III. Nobil. Mediol. cap. 13. Sitonus in Schedis, & laudatus Picinellus in Atheneo pag. 515.

## MCLI.

## MORASCHUS CAROLUS.

CArolus Moraſchus anno MDXCVII. die XXI. Decembris Mediolani natus, ætatis ſuæ XIV. Chriſti verò MDCXII. die VII. Martii, Ordinem Jeſuatorum amplexus, maximæ pietatis, atque doctrinæ radiis effulſit. Sacerdotii dignitate ornatus anno MDCXXII. ad regendum Cœnobium ſuum Cremonenſe, cum Vicarii poteſtate, meruit aſſumi anno ſequenti, mox Placentino in eodem munere triennio præfuit; quo expleto ibidem Prior ad ſexennium conſtituitur. Tum annos XII. Monaſterii S. Hieronymi in hac Metropoli Præſul extitit; & in Longobardiæ Provincia Deffinitoris Officium bis cum laude adminiſtravit. Hiſce in muneribus Cœnobiis plurimum profuit; nam Placentiæ Templo Aram, & Aſceterio ædificia addidit, Mediolani autem Sancti Hieronymi Ædem inſignibus picturis, clatris ferreis, Organis, argentea ſuppellectili, marmoribus tam ad Aras, quàm ad Frontem Templi collocatis, atrio, noviſve valvis exornavit. Franciſco Mariæ Cardinali Farneſio fuit inter primos acceptus, & Theologi ſui munere decoratus. Cæſari Montio Cardinali, hujus Eccleſiæ Archiepiſcopo, Proceribus quoque Mediolanenſibus gratus, librorum Cenſor pro Sanctiſſimæ Inquiſitionis Officio renunciatus eſt. Aſtrologicas diſciplinas nobilibus Ephæbis plures annos interpretatus eſt. Accidit interim ut anno MDCLXVIII. Clemens IX. Summus Pontifex Jeſuatorum Ordinem extingueret, quocirca Moraſchus jam ſeptuagenario major dimiſſo Regulari habitu, Clericos inter, quos Sæculares dicimus, relatus Deo famulari perrexit.

Illius hæc habemus:

I. Iſtorico racconto dell' origine, ed apparizione dell' Immagine di Maria Vergine di Negroponte. *Milano, per il Malateſta*, 1658. *in* 4.

II. Celeſte Anotomia delle Comete. *Ivi, per Antonio Malateſta*, 1665. *in* 12.

Mentio illius eſt apud Picinellum in Athenæo pag. 124. eoque ſcribente adhuc erat in vivis.

## MCLII.

## MORESINUS GABRIEL.

JOannes Moreſinus Comes Cæſareus Palatinus, atque unus ex XXIV. Reipublicæ Mediolanenſis Capitaneis, Gabrielem genuit, cujus ingenium ad legalia natum ſtudia, ſic in Cæſareis, Pontificiiſque juribus ſe exercuit, ut in utriſque lauream adeptus in Juriſperitorum Collegio adſcribi meruerit anno MCDLXVIII. In eo Cœtu prudentiſſimo æquè ac nobiliſſimo ſingulare præbuit virtutis ſuæ ſpecimen ad annum uſque MDXIII. quo mortalitatem depoſuit; cum prius ſub Ludovico XII. Francorum Rege, Mediolanenſem Ducatum ea tempeſtate obtinente, anno MDII. (quemadmodum etiam præfatus Rex in Diplomate dato Mediol. die XXIII. Aprilis eodem anno, & infraſcripto Operi præfixo meminit)

I. Jus Municipale hujus Metropolis illius, & Collegarum cura compilatum, & emendatum in lucem edidiſſet. Prodiit *Mediolani*, *apud Alexandrum Minutianum*, 1502. *in fol.*

De eo agit Sitonus in Chron. pag. 50. art. 204. atque in Schedis.

## MCLIII.

## MORESINUS STEPHANUS.

STephani Moreſini Nicolaus ex LX. Decurionibus hujus Metropolis, Regiuſque Ordinariorum Redditunm Magiſtratus Quæſtor, atque Clara Petraſancta nobiles Conjuges Mediolanenſes, Genitores fuere. Hic ab ineunte ætate nihil antiquius habuiſſe fertur, quam in litteris progreſſus facere. Omnem itaque movit lapidem, ut voti compos pleniſſimè fieret, quocirca Patavium ſe contulit, Juri tam Civili quam Pontificio ſedulam navaturus operam. His dum attentiſſimus inſudaret, audita Nicolai parentis ſui morte (qui lares tranſtulerat Tridinum in Montisferrati Ducatus declinaturus bella, quæ Germanos inter & Gallos ea tempeſtate ſæviebant) domum repedare coactus fuit, ne domeſticis rebus deeſſet. Summo tamen contendit ſtudio, ut in Virum numeris omnibus abſolutum evaderet. Humanis enim, diviniſque litteris excultus, & multiplici linguarum cognitione ornatus, optimum inter litteratos locum obtinuit; præcipuè verò Poëticæ facultati addictus fuit. Illud de ejus memoria mirabile traditur, integrum Petrarchæ Italorum Poëtarum Principis Opus ſic tenuiſſe, ut ſingula prorſus verba in ejuſdem Carminibus contenta, quoties neceſſe foret, ſemper ad res præſentes haberet ad manus. Plura ipſum edidiſſe aſſerit in Schedis ſuis P. Mazuchellus, è quibus tamen hæc tantùm ad poſteros perveniſſe ait, quæ infra memorabimus. Claruit Scriptor noſter ab anno MDCXXXV. ad MDCLX.

En illius Opera.

I. Commento ſopra la Canzone di M. Franceſco Petrarcha: „Mai non vo più cantar, com' io ſoleva. *Milano, preſſo Gio. Antonio Borghi*, 1559. *in* 4. Opus hoc ab Auctore nuncupatum Cardinali Ant. Trivultio Legato Apoſtolico pluribus effertur ab Innocentio Barcellino in Apologia pro SS. Pontif. Clemente V. pag. 33.

II. Viſione Spirituale. *Ibidem*, *in* 8. Opus Chriſtianam pietatem redolens, æſtroque Poëtico refertum, & Carmine exaratum, quod optimæ notæ Poëtam ſapit.

Commendatur à Sitono in Theatro Genealog. Famil. Nob. Mediol. pag. 307. MS. in fol. penes ipſum Auctorem, atque in Chron. Col. J. PP. art. 304. pag. 70. à Mazuchello in Schedis, quemadmodum etiam ab amiciſſimo Canonico Jo. Andræa Irico in Hiſtor. Tridinenſi, quæ actu imprimitur.

MCLIV.

Digitized by Google

A

## MCLIV.

## MORIGGIA BONINCONTRUS.

ADvertit ante nos , & quidem rectè, Clariſſimus Saxius , agens de Bonincontro Moriggia ( Familia eſt inter Inſubres clariſſima , quam aliquando Moriggiam , quandoque de Moriggiis nuncupatam invenimus ) in Epiſtola ſua Operi ejus numero I. memorando præfixa, pauca admodum de hoc Scriptore ex Hiſtoricis Mediolanenſibus hauriri poſſe . Addit
B etiam , tam Paulum Moriggiam , quàm Picinellum valde allucinatos fuiſſe , cùm ſcripſerint , Corium exhibuiſſe Bonincontrum ſumma auctoritate apud Galeacium Vicecomitem excellentem , maximiſque ab eodem muneribus auctum . Nullibi enim id apud Corium reperiri ipſe Saxius teſtis eſt , atque , eos id Bonincontro tribuiſſe , quod Joanni Moriggiæ pariter , ut noſter iſte , Modoëtienſi , generis nobilitate divitiiſque præſtanti potius erat adſcribendum . Huic Joanni ſanguinis nexu junctum ſe fuiſſe nullo in loco Chronicorum ſuorum Scriptor noſter aſſerit, aliqua tamen cognatione ipſum attigiſſe arguit Saxius ex amplitudine munerum , quæ publico Contribulum ſuorum decreto geſſit ; & quæ ipſe refert in eodem Opere . Nam anno MCCCXXII. ſe cum Artuſio Li-
C prando CC. peditum Ducem miſſum à Modoëtienſibus ſcribit , ut Galeacio Vicecomiti Mediolani militum inopiâ laboranti ſuppetias ferret . Anno verò MCCCXXIX. cùm Ludovici Bavari juſſu Ludovicus Dux Techenſis Modoëtiam gubernaret , unum ſe fuiſſe affirmat è XII. Viris , qui publico in Conſilio præclari illius Oppidi difficilimis iis temporibus negotia pertractabant. Orator etiam pro Patria extitit cum Joanne Boxono ad Joannem Vicecomitem Mediolanenſem Archiepiſcopum anno MCCCXLIII. quo de Legatione ſua feliciter peracta gloriatur . Ex his omnibus apertè patet , Bonincontrum non ſolum ſanguinis claritate , ſed prudentia , militari robore, atque eruditione magnam ſibi opinionem conciliaſſe. Chronicon ſuum anno MCCCXL. ſcribere cœpit, & ultra annum MCCCXLIX. ipſum progredi Saxius
D exiſtimat. Poſtremus Scriptoris noſtri annus nobis eſt incompertus.

Habemus illius , quæ ſequuntur :

I. Chronicon Modoëtienſe ab origine Modoëtiæ uſque ad annum MCCCXLIX. Ubi potiſſimùm agitur de Geſtis priorum Vicecomitum Principum , Auctore Bonincontro Moriggia Synchrono , nunc primùm prodit è Manuſcripto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ. Extat in Murat. Rer. Ital. Script. Tom. XII. pag 1053. Codex verò ipſe Biblioth. Ambroſ. in pergameno MS. litteris rubro-nigris , ſignatus eſt D. num. 54. in fol.

Alium MS. Codicem Bonincontri ait Picinellus extitiſſe Modoëtiæ, quem tamen ipſum eſſe , qui nunc viſitur in Ambroſiana, ſuſpicamur, fruſtra enim illum apud Modoëtienſes quæſivimus.

E Scriptorem noſtrum laudarunt, præter citatos, Moriggia in Hiſtor. Mediol. lib. I. cap. 59. Salvator Vitalis, qui in Cœmento XXIV. Theatri ſui hæc ſcribit: „ Bonincontrus Moriggia Scriptor celebris à Triſtano „ Calco, Georgio Merula, Bernardino Corio, & Gaſpare Bugato Hiſtoricis maximis celebratus. „ Muratorius in Præfat. Chronici ejuſdem. Puricellus in Monumentis Baſilicæ Ambroſ. num. 243., & Picinellus ( qui ei tribuit Opus hoc titulo : Iſtoria del ſuo tempo , quod tamen nil aliud eſt , quàm ipſum Chronicon ) in Athenæo pag. 95., & Cl. Saxius in cit. Epiſtola eidem Chronico adnexa.

## MCLV.

## MORIGGIA GASPAR.

IN Genealogica ſerie Gentis Moriggiæ , quam deductam à Leone Equite Ordinis Militaris nuncupati Gaudentium, qui claruit anno MCCCXXIII. ad annum uſque MDLXXXIX. nobis texuit humaniſſimus idem , atque doctiſſimus J. C. Joannes Sitonus Antiquitatum Mediolanenſium ſcrutator egregius, ne verbum quidem invenimus de Gaſpare Moriggia , cujus nudum nomen indicavit Picinellus loco infra citando . Opus illius MS. pervolutare nobis erat in votis , ut inde haurire liceret aliquid ad Scriptoris acta , vel ſaltem ætatem pertinens . Verùm tam peſſimo caractere conſcriptus eſt Codex , ut ægrè titulum , & pauca quædam legere datum fuerit . Ex diſticho autem ipſius Auctoris , quod mox recitabimus , ſuſpicio nobis orta eſt , Gaſparem floruiſſe circa medium ſæculum XVI. cùm recenſeat Acta Selimi Turcarum Tyranni, qui hujus nominis II. Solymano Patri ſucceſſit anno MDLXVI. & obiit anno MDLXXIV. die XIII. Decembris .

Scripſit igitur Moriggia noſter Codicem hoc titulo :

I. Geſti di Sultan Selin Ottomano Re de' Turchi , interpretado Pacifico , ſcritti da Gaſparo Moriggia. MS. in Ambroſ. Biblioth. Cod. ſignato Q. num. 19. in 4. Ibi hæc leguntur Carmina:

*Ad Lectorem Gaſpar Moriggia.*

*Felix dena proles Otomana ad ſydera fulſit,*
*Cœpit in undeno degenerare genus.*

De ipſo ſatis jejunè agit Picinellus in Athenæo pag. 233.

## MCLVI.

## MORIGGIA GHERARDUS.

NOn ſatis ſuccenſere poſſumus Paulo Moriggiæ , Viro alioqui digniſſimo, cùm in Opere ſuo de Nobilitate Mediolani , quod Italicè ſcripſit , multa quidem congeſſerit ad Civium hujus Urbis , præſertim eruditione florentium commendationem , ſed tamen , quaſi aliud agens , ipſorum Lucubrationes indicare contentus , editæ fuerint , nec ne , poſteros docere neglexit . Veruntamen , ſi in cæteris id culpabile eſt , multò magis cauſandum videtur in his , qui eodem cum Paulo ipſo nati ſunt ſanguine , quorum ſaltem uberiùs meminiſſe debuerat , utpotè qui facili negotio eorum acta , parentes, ætatem, hujuſque generis reliqua è Familiæ ſuæ Monumentis haurire poterat . Id præfari placuit , cùm nunc occurrat Gherardus Moriggia , qui translatis Mediolano Alexandriam patriis laribus , anno MCCCCXCIV. inter Conſiliarios ipſius Urbis eſt computatus . Virum Juriſprudentiâ inſignem fuiſſe indicant , quæ infra dabimus , reliqua Paulus reticuit , nos quoque ea ſilentio involvere cogens .

Scripſit igitur :

I. Multa Conſilia , teſte citato Paulo Moriggia loco indicando. Ea nunquam in lucem Typographiæ adjumento prodiiſſe ſuſpicamur, cùm nullibi occurrant. Vide cit. Moriggiam Nobilit. Mediol. lib. III. pag. 247.

MCLVII.

Digitized by Google

## MCLVII.

## MORIGGIA JACOBUS ANTONIUS.

CEleberrimæ Congregationi Clericorum Regularium D. Pauli, quam Barnabitarum vocant, ſplendorem maximum attulerunt Viri duo ex illuſtri Familia Mediolanenſi de Moriggiis; ambo etiam Jacobi Antoni nomine, quorum ſenior Patrem habuit Simonem, Matremque Urſinam Barziam, qui unus ex tribus ejuſdem Congregationis Inſtitutoribus extitit, tot virtutibus clarus, ut Beati titulo inſigniri meruerit. Abbas Picinellus de ipſo egit in ſuo Athenæo pag. 328.; nos verò à doctiſſimo Patre Gratiolo ipſius Congregationis Alumno, atque Concive noſtro amantiſſimo edocti fuimus, expungendum eſſe ab eodem Athenæo ob rationes hìc proferendas, verbis ipſis ſupramemorati Gratioli, quæ ſunt: „ Animadvertendum eſt, unicum Jacobum Antonium Moriggiam recenſendum eſſe inter Scriptores Congregationis noſtræ, etſi duo ejuſdem nominis à Picinello in ſuo Athenæo relati ſint. Juniorem alterum (de quo nos loquimur in præſenti Articulo) alterum ſeniorem, eſtque Vir pietate celeberrimus, cui Beati titulum multi Scriptores addunt, & tertius extitit ex tribus Congregationis Barnabitarum auctoribus. Huic Picinellus libellum quendam adſcripſit his verbis: *Per ordine della Santa Sede eſaminandoſi alquanti Teſtimonj ſopra le Lettere, e Vita di Paola Antonia de' Negri, uno di queſti fu il noſtro Giacomo Antonio, ben potendo eſſo deponere in giudizio i virtuoſi meriti di quella Vergine, della di cui virtù avea minuta e piena contezza, e che anco ſcritto avea un Libro DE I DONI PARTICOLARI, CH' EBBE DA DIO PAOLA ANTONIA SUDDETTA.* „ Verùm Libellus hic prorſus eſt commentitius. Neque enim à quoquam viſus eſt, & de illo prorſus Barnabitarum Hiſtoriæ ſilent. Præterea anno MDXLVI. ipſe è vita migravit, Paula Nigria uſque ad annum MDLV. vixit. Quo igitur pacto de Nigriæ Vita, ſive de ejus Epiſtolis, in judicium aliquid venit Moriggia ſuperſtite. De his quidem promulgandis actum fuiſſe anno MDLXIV. Barnabitarum Hiſtoriæ docent, quod vetitum fuit; propterea controverti res cœpit; donec anno MDLXXVI. tandem Romæ, Vita, & Epiſtolæ prodierunt. „ Hactenus Cl. P. Gratiolus; nos verò de his Epiſtolis aliquid diximus ſupra in Joanne Petro Beſutio, & de Paula Antonia de Nigris ſuo loco agemus. Cenſemus igitur æquum, emendare Picinellum. Nunc verò ad alterum Joannem Jacobum tranſeamus, cujus Parentes fuere Joanne Baptiſta, atque Angela Porta conjuges, & ipſe, ut diximus, inter Cler. Regul. S. Pauli adſcriptus, in Collegiis Suorum tam Maceratæ, quàm Mediolani Philoſophiam è ſuggeſtu pluribus diſcipulis interpretatus eſt, inter quos numerantur Gregorius Roſignolus Novarienſis editis Operibus Clariſſimus, necnon Joannes Baptiſta Vicecomes Novariæ Epiſcopus, ſuo loco laudandus. Artem Oratoriam Moriggia noſter ita coluit, ut in pluribus, ac præcipuis Italiæ Urbibus magno Populorum concurſu Sacrum Dei Verbum miniſtrans, omnibus eſſet mirabilis. Vix Collegii Laudenſis Præpoſitus inauguratus, à Magno Duce Heturiæ Coſmo lectus fuit in ſuum Theologum, atque in Ferdinandi ejus Primogeniti Magiſtrum, quo in munere Principi gratiſſimus, primùm Inſulis Sancti Miniatis, mox Archiepiſcopatu Florentino ab Innocentio XI. Pontifice Maximo decoratus eſt anno MDCLXXXIII. Deinde Innocentius XII. in Sacrum Cardinalium Collegium Moriggiam noſtrum cooptatum voluit anno MDCXCVIII. Demum à Clemente XI. Ticinenſis Epiſcopus ſumma illius Urbis gratulatione renuntiatur, quam Eccleſiam ſingulari pietate & prudentia per annos octo adminiſtravit. Archiepiſcopatum Mediolanenſem, ob mortem Eminentiſſimi Cacciæ, ſibi oblatum recuſavit. Senio tandem, & laboribus conſumptus, obiit die VIII. Octobris, anno MDCCVIII. Conditus jacet in Eccleſia Cathedrali ſua, cum hoc Elogio:

IACOBVS ANTONIVS
CARDINALIS MORIGGIA
EX SANMINIATEN. EPISCOPO ARCHIEP. FLORENT.
ANNO IVBILEI MDCC.
LIBERIANAE BASILICAE ARCHIPRESBYTER
PORTAM SANCTAM APERVIT ET CLAVSIT
TICINENSIS EPISCOPVS
OBIIT VIII. OCTOB. ANNO MDCCVIII.
AETATIS SVAE ANN. LXXVI.

Dolendum interea eſt, quòd de Scriptis tanti Viri pauca, aut nulla mihi ſubminiſtrata ſint, præter ea, quæ leguntur in Picinelli Athenæo, quod ipſo Moriggia vivente impreſſum fuit;

Nempe

I. Orazione Funebre nelle Eſequie di Monſignor Filippo Viſconte Veſcovo di Catanzano, recitata nella Chieſa di S. Marco di Milano. *Ivi, per Franceſco Vigone*, 1664. *in* 4.

II. Pietoſi Tributi reſi alla grand' anima di Filippo IV. *Milano*, *per lo ſteſſo*, 1666. *in* 4.

III. L'Aquila volante, Orazione Funebre per la ſteſſa occaſione. *Milano*, 1666.

IV. Lettere Paſtorali al Popolo di Firenze, *in fol.*

De morte Moriggiæ noſtri Cardinalis extant literæ conſolatoriæ Joſephi I. Cæſaris ad Marchionem Joannem Baptiſtam ejus ex fratre nepotem, in quibus de Gentis Moriggiæ meritis erga Domum Auguſtiſſimam Auſtriæ plura leguntur. Datæ ſunt Viennæ die XXIX. Decembris, anno MDCCVIII.

Academia Infocatorum Gymnaſii Arcimboldii Mediolanenſis librum edidit in ejus commendationem cum variis Carminibus Italicis, & Latinis, & Oratione Caroli Franciſci Oldrati. *Impreſſ. anno* 1699. *Mediol. apud Malateſtam*, *in* 4. cui titulus: Geſtientium Litterarum Plauſus &c.

Videndi ſunt de Jacobo Antonio Seniore Scriptores prædictæ Congregationis; de Juniore verò Cardinali loquuntur Ughelli Continuatores Tom. I. edit. Venetæ, in Epiſcopis Ticinenſibus; Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 137. Demetrius Supenſius; Cl. Muratorius in Præfatione ad Chronicon Bonincontri Moriggiæ, Tom. XIX. Rerum Italicarum Scriptores; Sitonus etiam in Schedis; Picinellus in Athenæo pag. 237., necnon pluries laudatus P. Pezzius in ſuo Opere MS. de Scriptoribus Congregationis D. Pauli Decollati.

## MCLVIII.

## MORIGGIA JOANNES.

TAmetſi Abbas Picinellus in Athenæo ſuo Litteratorum Mediolanenſium pag. 312. in Elogio Joannis Moriggiæ, citet Bernardinum Corium tanquam de eo loquentem, nihilominus monendos cenſuimus Lectores noſtros, Picinellum ipſum allucinatum fuiſſe nominum, atque cognominum ſimilitudine, & ex geminis Viris unum conflaſſe. Priorem hìc damus, de quo verè Corius loquitur, alterum

mox ſubjiciemus. Noſter igitur Joannes Moriggia, circa annum Chriſti Redemptoris MCCCXXII. floruit, ac ſummopere charus fuit Galeacio Vicecomiti Azonis Mediolani Domini Patri, eumque Bonincontrus Moriggia Virum prudentem, & famoſum nuncupavit loco mox indicando. Matthæi quoque Vicecomitis amicitiâ floruit, & Gibellinæ Factionis primarius fautor eſt habitus. Plurimum etiam Joannis Conſiliis Matthæum ipſum detuliſſe, idem Bonincontrus affirmat. Oratoriam artem coluit Scriptor noſter, ut patet

Ex infraſcripto ejus Opuſculo

I. Oratio Modoëtiæ in publico Conventu habita. Habetur in cap. V. lib. III. Chronici Modoëtienſis citati Bonincontri Moriggiæ, in Tomo XII. Scriptor. Rerum Italicarum pag. 1121.
Epiſtola latina Galeacii Vicecomitis ad eundem, extat ibid.
De eo Corius Hiſtor. Mediol. parte III. & Bonincontrus loco citato.

## M C L I X.

## MORIGGIA JOANNES alter.

JOannes alter Moriggia Franciſchini hujus Urbis Decurionis, & Ducalis familiaris filius ab anno MCDLVI. florere cœpit; atque in Virum eruditum evaſit. Inter alia illius ornamenta, Græcas, atque Hebraicas litteras calluiſſe traditur, quas etiam publicè aliquando profeſſus eſt in Alma Urbe Roma, ſedente in Apoſtolico Throno Alexandro VI. Summo Pontifice. qui Joannis eruditionem plurimi fecit, & in transferendis è Græco in Latinum ſermonem nonnullis Operibus ipſo uſus fuit. Adhuc erat in vivis anno MDII., & quamvis multa eum ſcripſiſſe facilè poſſit evinci, argumento ab illius doctrina deſumpto, tamen confusè tantùm poſteris indicavit Paulus Moriggia loco citando ipſius ingenii monumenta,

Quæ ſunt:

I. Plura è Græco in Latinum tranſlata. Memorantur à citato Moriggia in Nobil. Mediol. lib. III. cap. XV.
Meminit ejuſdem etiam Picinellus in Athenæo pag. 312. citans Bernardinum Corium, illud tamen Corii teſtimonium nullo modo Joanni huic noſtro tribuendum cenſemus, ſed de alio potiùs Bonincontri Moriggiæ coævo, & de quo jam in ſuperiore Articulo mentionem fecimus, quemadmodum etiam in Bonincontro ipſo. Agunt quoque de Scriptore noſtro Schedæ Sitonianæ.

## M C L X.

## MORIGGIA JULIUS CÆSAR.

JUlius Cæſar, ſive mavis, Cæſar Moriggia, in Oppido Frini ad Verbani Lacus oram ſito natus, & Pauli Moriggiæ inferiùs collaudandi conſanguineus, bonis excultus litteris, tam ſoluta, quàm adſtricta numeris Oratione plurimum valuit. Annos aliquot Romæ tranſegit præfectus cubiculo Cardinalis Sfortiæ. Præfati autem Pauli famam admiratus, ut proprio, ſuorumque deſiderio ſatisfaceret, Opus infra promendum compoſuit. Alter tamen eſt Julius noſter ab alio ejuſdem nominis, & cognominis Viro, qui Ravennas fuit, atque Ovidium de Triſtibus, & Lucani Pharſaliam ſoluto Carmine Italico reddidit; quamvis Picinellus, ancipiti licèt calamo, hunc poſtremum Mediolanenſium Scriptorum Catalogo attexuerit.

Moriggiæ autem noſtri habemus

I. Sommario della naſcita, entrata in Religione, gradi, dignità, ed opere del P. Paolo Morigi. *Milano, per Ponzio*, 1594. *in* 4.
Huic addita ſunt plura Carmina utraque lingua exarata in laudem ejuſdem Pauli à Scriptore noſtro collecta.
De eo agit citatus Picinellus in Athenæo pag. 140.

## M C L X I.

## MORIGGIA PAULUS.

CElebre Pauli Moriggiæ nomen eſt apud Mediolanenſes ob Opera edita, atque Manuſcripta. Vir iſte pietati ac litteris natus lucem vidit primam in hac Metropoli, parentibus Damiano, necnon Angela Melliavacca nobiliſſimis conjugibus anno à Virginis Partu MDXXV. die verò prima Januarii. Jeſuatorum Ordinem amplexus eſt, ætatis XVII. tantùm attingens. In ipſo quantum profecerit, ſatis eſt recenſere munera, quæ omnium plauſu obivit, nempe quater extitit Novitiorum Magiſter, & totidem Conventus Sancti Hieronymi Vicarius. Triginta quatuor annis præfuit variis ſuorum Cœnobiis; per biennium Procurator generalis, atque Deffinitor. Quatuor vicibus totius Religionis Generalis extitit, deinde Apoſtolicus Viſitator renunciatus eſt à Gregorio XIII. Summo Pontifice, quo tempore tres ſuæ Religioni Conventus vindicavit. Ordines, atque Conſtitutiones Jeſuatorum reformavit, & publici juris fecit. Eccleſiam Sancti Hieronymi extruxit, & lapidem primum ibi poſuit die II. Martii anno MDLXXXIV. Patriam ſuam ſcriptis, atque Operibus exornavit, uſque dum octogenarius, meritiſque onuſtus, è vivis abiit anno MDCIV. Jacet in Templo ſupradictæ Eccleſiæ Divi Hieronymi cum hac Epigraphe:

D. O. M.
FRATRI PAVLO MORIGIO
QVI OPERA LXI. SCRIPSIT
VIXIT ANNOS LXXX.
OBIIT ANNO MDCIV.
VIRO RELIGIOSISSIMO
AMICO OPTIMO
GEORGIVS TRIVVLTIVS MELTII COMES
COMITIS IO. FIRMI FILIVS P.

Plura ſcripſit Auctor iſte celeberrimus, ut in Elogio Sepulchrali jam dictum eſt, ſed nullâ poſthabitâ diligentiâ nobis conceſſum non fuit plura invenire uſque ad numerum LXI. etſi inſpecto Operum ſuorum Catalogo, quem ipſe dedit in libro „ Iſtoria „ degli Uomini illuſtri, che furono Geſuati „ & undique alia expiſcati ſimus tam edita, quàm inedita diligentiſſimè; Lector interim accipiat pluſquam ab aliis hactenus prolatum ſit,

Videlicet:

I. Calendario volgare ſecondo il Rito Ambroſiano. *Milano, per il Paganelli*, 1591. *in* 4., *e per Antonio degli Antonii*, 1598. *e* 1602. *in* 8., *e per il Bidelli*, 1620. *in* 4.
II. Sommario delle coſe mirabili della Città di Milano libri II. *Milano, per Antonio degli Antonii*, 1602., & denuo 1609.
III. Iſtoria dell' Antichità di Milano libri IV. *Venezia, preſſo il Guerra*, 1592. *in* 4.

IV. La

Digitized by Google

IV. La Nobiltà de i Signori LX. del Conſiglio di Milano libri VI. *Milano*, *preſſo Pacifico Ponzio*, 1595. *in* 4. e con l'aggionta del Borſieri. *Ivi*, *preſſo il Bidelli*, 1619. *in* 8.

V. Raccolta di tutte le Opere di Carità Criſtiana, ed Elemoſine, che ſi fanno in Milano dagli Oſpedali, Caſe Pie, ed altri luoghi, col numero delle Scuole, Collegj, e Letture, che moſtrano ſenza premio. *Milano*, *preſſo Graziano Ferioli*, 1599. *e* 1602. *in* 8.

VI. Il Duomo di Milano, detto l'ottava meraviglia del Mondo, deſcritto. *Milano*, *preſſo il Majetta*, 1594. *in* 8. *ed appreſſo il Cardi*, 1642.

VII. Origine della Madonna del Monte ſopra Vareſe. *Milano*, 1613. *in* 8.

VIII. Origine della Madonna di S. Celſo di Milano, colla deſcrizione di quel Tempio. *Milano*, *preſſo il Ponzio*, 1604. *in* 4.

IX. Iſtoria & origine della famoſa Fontana della Madonna di Caravaggio. *Milano*, *preſſo il Colonna*, 1545 *in* 4., *e Breſcia*, *preſſo il Sabbio*, 1618. *in* 4.

X. Iſtoria della Nobiltà del Lago Maggiore, nella quale ſi deſcrive il fiume Ticino, con la deſcrizione di tutte le Terre, e Borghi, che giacciono nelle ſue Riviere, con gli Uomini degni di lode, che ſono uſciti da quei nobili luoghi. *Milano*, *per il Bordone*, *e Locarni*, 1603. *in* 8. Primus fuit qui Hiſtoriam hujus Lacus ſcripſit poſt Maccaneum, de quo jam egimus.

XI. Iſtoria dell'origine di tutte le Religioni libri III. *Venezia*, *preſſo li fratelli Zoppini*, 1569. *e* 1581., *ed ivi*, *per il Bonfadio*, 1586. *in* 8.

XII. Iſtoria brieve dell'Auguſtiſſima Caſa d'Auſtria, con la Vita d'Uomini, e Donne di queſto gran Ceppo. *Bergomo*, *per Comino Ventura*, 1593. *in* 4.

XIII. Iſtoria de' Perſonaggi Illuſtri, che furono Religioſi Geſuati libri V. *Ivi*, 1599. *in* 4., *e Venezia*, *preſſo Sebaſtiano Combi*, *in* 4.

XIV. Iſtoria della meravigliosa converſione, vita, e fine della Conteſſa Lodovica Torella Conteſſa di Guaſtalla. *Bergomo*, *per Comino Ventura*, 1592. *in* 4., *e Milano*, *preſſo Ambrogio Ramellati*, 1680.

XV. Della Progenie di Gregorio XIV. *Milano*, *preſſo il Ponzio*, 1591. *in* 4.

XVI. Sommario Cronologico, diviſo in ſette libri, dal principio del Mondo fino al preſente, in cui è la Vita di Criſto ec. *Bergomo*, *per Comino Ventura*, 1597. *e* 1604. *in* 4.

XVII. Vita della Madre di Dio. Teſte Picinello.

XVIII. Vita dell'Infante Eliſabetta d'Auſtria Regina di Francia. *Ivi*, 1594 *in* 4.

XIX. Iſtoria de' Perſonaggi illuſtri Religioſi, diviſa in cinque libri. *Ivi*, 1603. *in* 4.

XX. Paradiſo de' Geſuati, nel quale ſi racconta l'origine dell'Ordine de' Geſuati di S. Girolamo, e la Vita del B. Giovanni Colombini Fondatore di eſſo Ordine, con parte delle Sante Vite d'alcuni de' ſuoi Diſcepoli. Con due Trattati l'uno della Parola di Dio, e l'altro dell'eccellenza dell'Orazione. *Venezia*, *preſſo il Guerra*, 1582. *in* 4.

XXI. Dello ſtato Religioſo, e via Spirituale parti III. *Venezia*, *per il Bevilaqua*, 1559. *ed ivi*, *per il Farri*, 1569. *in* 8.

XXII. Giardino Spirituale parti VIII. *Como*, 1597. *in* 8., et traduit en François, avec la declaration de la Meſſe. *A Aras*, *chez Bellet*, 1599. *in* 8.

XXIII. Giojello de' Criſtiani libri V.

XXIV. Prato Spirituale libri III.

XXV. Riforma di tutti gli ordini delle Religioni.

XXVI. Regola da oſſervarſi nel recitare le hore Canoniche.

XXVII. Teſoro Criſtiano.

XXVIII. Indulgenze, Doni, Grazie, e Teſori Spirituali.

XXIX. Offizio del Nome di Gesù con le Litanie.

XXX. Sonetti, Canzoni, e Rapreſentazioni Spirituali.

XXXI. Trattato della Perfezione.

XXXII. Santuario della Città e Dioceſi di Milano, nel quale ſono deſcritti tutti li Corpi Santi, e Sagre Reliquie, che ſono nelle Chieſe d'eſſa Città.

XXXIII. Riforma della Regola, e delle Conſtituzioni della Religione de' Geſuati.

XXXIV. Scala de' Religioſi, per la quale ſi saliſce al colmo della perfezione della Vita Spirituale, con la Vita del B. Giovanni da Toſſignano Veſcovo di Ferrara da Paolo Moriggia cavata dalle tenebre, dov'è giaciuta già CL. anni, *Pavia*, *per Girolamo Bartoli*, 1551. *in* 4.

XXXV. Sommario Cronologico delle Vite de' Pontefici Romani. *Bergomo*, *per Comino Ventura*, *in* 4.

XXXVI. Elogj de' Pontefici Romani fondatori delle Religioni. Extat ibidem.

XXXVII. Deſcrizione dell'Eſcuriale. Extat ad calcem Hiſtoriæ Auſtriacæ Domus.

XXXVIII. Capitolo di S. Baſilio del culto della pietà, e vita Monaſtica, tradotto dal Greco in Latino, e poi in Volgare, con alquante traduzioni di Latino in Volgare.

XXXIX. Iſtoria dell'illuſtre Caſa Sauli Genoveſe, e di molte illuſtri Famiglie, che con eſſa tengono parentado.

XL. Vita di S. Lorenzo Giuſtiniani, cavata da varj Autori.

XLI. Sermoni, e prediche recitate in Luca, Piſtoja, Siena, ed altrove.

XLII. La Santiſſima Vita del Glorioſo S. Girolamo Dottore di S. Chieſa, raccolta dal P. Alfonſo Villegas, Dottore, Teologo, e Predicatore, e dagli medeſimi ſcritti di S. Girolamo, ed altri gravi Autori, con le ſue magnificenze ſcritte da S. Agoſtino, ed alcune viſioni, ch'ebbe il medeſimo S. Agoſtino, e S. Cirillo Veſcovo di Geruſalemme, e di S. Severo, ed altri nella ſua gloria, con parte de'ſuoi eccellentiſſimi Miracoli ſcritti dall'iſteſſo S. Cirillo, il tutto con diligenza adunato dal R. P. F. Paolo Moriggia Milaneſe de' Geſuati di S. Girolamo. MS. prælo paratus, extat in Bibliotheca Ambroſiana ſign. R. n. 111. in fol.

XLIII. Epiſtolæ ad Federicum Cardinalem Borromæum datæ anno MDIC. Extant in ſæpè laudata Collectione Epiſtolarum ejuſdem Card. in Biblioth. Ambroſ.

XLIV. Memoria degli Arciveſcovi di Milano, che ſono tenuti per Santi: oltre a quei che ſi trovano nel Calendario ultimo Ambroſiano. MS. in fol. autograph. Extat apud Canonicum Jo. Andream Iricum ſummâ mihi amicitiâ conjunctum.

XLV. Vita SS. Martyrum Firmi, & Ruſtici, cujus Editionis Epiſtolam nuncupatoriam refert *Cominus Ventura ad Franciſcum Cremaſcum*, *datam Mediolani* 1. *Martii* 1601. Extat in lib cui titulus: „Delle Dedicatorie di diverſi, lib. III. *Bergomo*, *per Comino Ventura*, 1601. *in* 4.

Laudatur ab Abbate Ghilino in prima parte ſui Theatri, à Joanne Petro Puricello in Diſſertatione Nazariana cap. CLVIII., à Hieronymo Borſerio in ſupplem. cap. XII. à Laſor à Varea, ab Auctoribus Diarii Italici *Venetiis* impreſſi Tom. VII. à Cæſare Moriggia, qui Vitam Auctoris noſtri ſcripſit, à Picinello in Mediolanenſi Athenæo pag. 452., necnon à Clariſs. Sitono, & Mazzuchello in eorum Schedis.

## MCLXII.

## MORONUS BARTHOLOMÆUS.

INter illuſtres Moronos Mediolanenſes meritò locum tenet Bartholomæus Joannis, & item Joannæ Petraſanctæ Nobilium Conjugum filius, unus ex quinque Mediolanenſis Reipublicæ Proceribus, quos libertatis Defenſores nuncupabant, ideoque juravit anno à Virginis Partu MCCCCXLVIII. die prima Martii in manibus Balthaſſaris Capræ pro defenſione Patriæ libertatis, nam erat unus ex Capitaneis Portæ Novæ, Militum quoque Tribunus, ut ex documento in Collectaneis Archinteis à me inſpectis. Imò ex aliis autenticis Tabulis à Joanne noſtro de Sitonis de Scotia in Epiſtola ſua relatis, ad Cl. Curtium ſcripta, & in iſtius Opere impreſſa, Bartholomæus noſter numerabatur inter Capitaneos, & Defenſores Reipublicæ anno præcedenti, videlicet MCCCCXLVII. Collegium Nobilium JCC. hujus Urbis ingreſſus eſt anno MCCCCXVIII. Deinde Franciſci Sfortiæ Mediolani Ducis IV. extitit à Conſiliis, claruitque uſque ad annum Chriſtianum MCCCCLXI., ut legitur in Inſcriptione Sepulchrali, quam vidi inter Collectanea Jacobi Valerii, extante olim in Eccleſia Scalenſi, ſequentibus litteris:

HOC

Digitized by Google

HOC EST SEPVLCHRVM
SPECTABILIS DOMINI HIERONYMI MORONI
SENATORIS ET CONSILIARII SECRETI
ILLVSTRISSIMI ET EXCELSI DOMINI DOMINI
FRANCISCI SFORTIAE DVCIS MEDIOLANI
AC PRAESTANTISSIMI IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS
DOMINI BARTHOLOMAEI MORONI
QVI OBIIT DIE VIII. SEPTEMB. AN. MCCCCLXI.
EIVSQVE HAEREDVM.

Laudatur à pluribus, ut infra, inter JCC. ſuæ ætatis Clariſſimus. Dolendum interea eſt, quòd pauca de ipſo temporis edacitas nobis ſervaverit,

Quæ ſunt:

I. Conſilia Juridica. Extant inter Conſilia Martini Garatti pagg. 28. & 29.
II. Diſſertatio Juris de Lecto Padi, à Ticino uſque ad Urbem Mantuam. MS. in fol. pagg. 61. Extat in Bibliotheca S. Salvatoris Papiæ, teſte P. D. Gaſpare Berretta alibi à nobis laudato in ſuis Schedis.

Videndi ſunt Corius ad annum MCCCCXLVII. Placidus Pucinellus in Chronico Glaſſiatenſi pag. 69. Statuta Mediolani Vol. I. Curtius in Opere de Medicis Mediolanenſibus pag. 285., & Sitonus in Theatro Nobil. pag. 40. Art. num. 116.

## MCLXIII.

## MORONUS BERNARDINUS.

TAmetſi omnem moverimus lapidem, ex veteri adagio, ut de Bernardini Moroni Mediolanenſis, quemadmodum ipſe teſtatur in titulo Operis, cujus poſt pauca mentio fiet, parentibus, actis, atque emortuali anno Lectores noſtros docere liceret, tamen diligentiam noſtram fruſtra impendimus, cùm à Suis, quamquam non ſemel rogatis, ne hilum quidem habere potuerimus. Ordinem Servorum Beatæ Virginis Deiparæ Scriptorem hunc profeſſum fuiſſe ex ejuſdem Lucubrationibus liquet, in quibus ſacram Eruditionem, qua pollebat, oſtendit.

Iſtæ ſic inſcribuntur:

I. Bernardini Moroni Mediolanenſis Servitæ liber Creationis, cum Exaſtico in fine ad Lectorem Jo. Angeli Porri Mediolanenſis, *impreſſus per Gotbardum Pontium*. Ad inſtantiam Jo. Antonii de Vareda, die 20. Junii 1510. *Mediolani*.
II. Expoſitio Metrica Pſalmi *Magnificat*. *Mediolani, apud Gotbardum Pontium*, 1512. *die octava Septembris*, in 4.

## MCLXIV.

## MORONUS HIERONYMUS.

JOannes Moronus Ducalium Arcanorum Magiſter, ex conjuge ſua Anna Foſſata Hieronymum genuit, qui ab ipſa infantia litteris excultus, ad ſeria Legum ſe contulit ſtudia, quibus tam ſedulam navavit Operam, ut brevì ſummos Academicos honores ſit aſſecutus. Avitæ Nobilitatis ergo, propriæque doctrinæ merito inter Juriſperitos, quorum Collegium in hac Metropoli florentiſſimum omnia mirata ſunt ſæcula, cooptari meruit anno MCCCCXCVIII. Dein Regius Advocatus Fiſcalis per Chriſtianiſs. Ludovicum XII. Francorum Regem tunc in Inſubribus dominantem creatur die XI. menſis Novembris, anno MCDIC à quo Senatoris ampliſſimi munus etiam obtinuit anno MDXI. Hinc Leuci Comitatu auctus à Maximiliano Maria Sfortia Vicecomite Mediolanenſi ditione potito, ſub Franciſco II. ejuſdem Fratre hujus Ducatus moderator fuit, ac tale dedit prudentiæ ſpecimen, ut Sfortiani Imperii columen jure ſit appellatus. A Carolo V. Cæſare, cùm Inſubriæ regimen ſuſcepiſſet, plura honoris argumenta recepit, nam ei fuit à Conſiliis, & ad Senatoriam dignitatem evectus eſt, tum ſupremi Cancellarii munus obtinuit. Cæſareo exercitui Commiſſarius in Italia Generalis præfuit, & ad Leonem X. Summum Pontificem Legatione functus eſt. Ferdinandus autem Piſcariæ Marchio eum apud Novariam conjecit in carcerem, die XIV. menſis Octobris, anno MDXXV. ob ſuſpicionem, quòd inito conſilio cum Italis Principibus, & Gallis, Maximilianum Sfortiam in Galliis tunc agentem in Italiam reducere conaretur, ne Mediolanenſis Regio in Cæſaris poteſtatem redigeretur. Inde vinculatus Galliatum ad Oppidum ducitur, tum in Caſtrum Papienſe. Ejuſdem innocentiâ poſtmodum cognitâ Principis gratiam recuperavit anno MDXXVII. Kal. Januarii, ut patet ex infra memorando Diplomate. Quantum ejus eſſet ingenium, teſtantur verba Hieronymi Perboni Marchionis Inciſæ, qui in Epiſtola VI. lib. I. ad Alexandrum, & Hieronymum de Feruſinis, hæc ait: „ Hieronymus Moronus, cujus „ rarum inter viventes ingenium, etiam hoſtibus in „ pretio erat, & venerabile „. Claruit quoque Scriptor noſter ſobole præſtantiſſima, in primis verò Joanne poſtmodum S. R. E. Cardinali, de quo mox agemus, & Joanne Antonio, qui Galeacium Maceratenſem Epiſcopum genuit. Tot honorum gradibus exornatus, in utraque fortuna quadrati ſemper animi Vir, anno MDXXIX. in Vico S. Caſſiani VII. ab Urbe Florentia lapide, inter vivos eſſe deſiit, annos natus LIX. Eum laudavit hoc Epigrammate Hercules Cimilioctus,

Ad

Digitized by Google

*Ad Comitem Hieronymum Moronum.*

*Arma tibi Mavors, tibi Phœbus contulit Artes,*
*Queis vitam ſervas, perpetuamque facis;*
*Conficis infenſos armis tibi Martius hoſtes,*
*Artibus infenſa & vincere fata potes.*
*Sed Phœbus de te mage, quam Mars fortè meretur.*
*Quo brevior vita hinc, longior inde venit.*

Extat inter Epigrammata ejuſdem. MSS. in 4. Biblioth. Marchionum FF. Vicecomitum.

Plura ſuperſunt nobis eruditionis illius monumenta, è quibus primas certè debemus quatuor inſignibus Codicibus MSS. in folio, lectu digniſſimis, quos Marchio Carolus de Sylva Vir humaniſſimus nobis communicavit. Multa in eis Hieronymi noſtri continentur Opuſcula, quorum hîc nomenclaturam damus.

I. Epiſtolæ plurimæ Latinæ ad varios, nempe:
Ad Jacobum Antiquarium multæ,
Ad Georgium Cardinalem Rothomagenſem proRegem in Italia,
Ad Ludovicum XII. Galliæ Regem, & Mediolani Ducem,
Ad Gulielmum Montisferrati Marchionem,
Ad Lancinum Curtium,
Ad Stephanum Poncherium Epiſcopum Pariſienſem, & Mediolani Cancellarium,
Ad Matthæum Cardinalem Sedunenſem,
Ad Joannem Jacobum Caſtillionæum, Barii Archiepiſcopum,
Ad Octavianum Sfortiam electum Laudenſem,
Ad Luchinum Cribellum in Helvetiis Legatum,
Ad Maximilianum Sfortiam Mediolani Ducem,
Ad Marinum Caraciolum Romæ Legatum,
Ad Jacobum Sadoletum Pontificis Secretarium,
Ad Albertum Pium Carpenſem Cæſaris Legatum Romæ,
Ad Maximilianum Cæſarem electum Imperatorem.

II. Relatio temporum, & prætextuum Ludovici Sfortiæ appellati *il Moro*, cùm tyrannicè occupavit Ducatum, & univerſum Dominium Mediolanenſe Galeacio Nepoti, & Duci legitimo.

III. Oratio pro Ingreſſu in Collegium J. PP. Mediolani Urbani Trivultii.

IV. Oratio gratulatoria in Senatu habita ad Joannem Oliverium Præſidem recèns creatum.

V. Oratio in receptione ad dictum Collegium Pauli Tatti Doctoris, habita coram frequenti comitatu.

VI. Oratio gratulatoria ad Summum Pontificem Julium II. nomine Chriſtianiſſimi Regis Francorum in aſſumptione ad Pontificatum.

VII. Oratio in præſtanda obedientia Leoni X. Pont. Max. pro Maximiliano Sfortia Mediolani Duce, Hieronymi Moroni JC. Mediolanenſis, & Senatoris ibid. Extat etiam impreſſa *Mediol. per Zarottum de Caſtellione*, *in* 4. cum aliis Opuſculis ad dictum Pontificem ſpectantibus, in Bibliot. S. Mariæ Coronatæ Mediolani.

VIII. Fragmentum Orationis exhortatoriæ Papæ Leoni contra Gallos, nomine Ducis Maximiliani Sfortiæ.

IX. Reſponſio Hieronymi Moroni Mediolanenſis Ducis Legati, facta in Concilio Lateranenſi contra Gallorum Legatorum verba.

X. Oratio in laudem Antonii Trivultii ad Cardinalatum promoti, coram Summo Pontifice habita. Extat ibidem.

XI. Examen ſuum à ſe conſcriptum, dum eſſet in Arce Papiæ captivus Marchionis Piſcariæ, die XXV. Octobris MDXXV. Idiomate Latino, paginarum 20. in fol. ibidem.

XII. Ricordi dati a Monſignor di Balanzon circa quello, che ha da ſollecitare preſſo la Ceſarea Maeſtà per le proviſioni dell' Eſercito, e del Regno di Napoli per le coſe della Guerra, del Signor Co. Girolamo Morone Commiſſario generale, l'anno MDXXVIII. VI. Settembre, pagg. 6.

XIII. Avviſo di Gerolamo Morone, della vittoria, e della Rotta de' Franceſi nel Regno di Napoli l'anno MDXXVIII. Extat MS. in Bibl. Vaticana Cod. 3924.



In Libro octavo Epigrammatum Lancini Curtii editionis Mediolanenſis, ann. 1521. extant Epigrammata ad Hieronymum Moronum pagg. 113. 121. 123., & Libro nono pag. 143., Libro decimo pag. 149., & Libro undecimo pag. 4. ſecundi Tomi.

Ad eundem Epiſtola Latina, & Carmina Jo. Biffii, de quibus jam loco ſuo.

Extant ad eundem Epiſtolæ plures Petri Martyris de Angleria. Datæ Tridenti, anno ſupradicto.

Privilegium gratiæ, & reſtitutionis Hieronymi, factum per Cæſareum Locumtenentem & Capitaneum Generalem Mediolani, die I. Jan. MDXXVII. Extat penes amiciſs. Canonicum Jo. Andr. Iricum.

Meminerunt ejus cum debita laude Benedictus Jovius lib. I. Hiſtoriæ Novocom. Galeacius Capella in Actis reſtit. Franciſci Sfortiæ. Antonius Grumellus Papienſis in Chronico ab anno MCDLXVII. ad annum MDXXIX. deducto, MS. in Biblioth. Ambroſiana, dono eidem dato à Gaſpare Lancelloto Birago Metropolitanæ Ordinario. Diamans Marinonus de origine Urbis Mediol. MS. Sprecherus in Pallade Rhætica lib IV. Landus de Senatu Mediol. lib. IV. & V. Benalius in Hiſt. Magiſtr. Extraord. Sitonus in Chron. J. C. C. pag. 75. artic. 324. aliique permulti.

## MCLXV.

## MORONUS JOANNES.

JOannes Moronus Hieronymi mox à nobis laudati, & Amabiliæ Fiſiragæ nobilium Conjugum filius, natus eſt Mediolani anno Reparationis noſtræ MDIX. VIII. Kal. Februarii. Fatetur ipſe in Epiſtola ad Reginaldum Polum degentem Patavii, ſe ibi utriuſque Juris tyrocinium poſuiſſe. In illis ita profecit, ut inter primos illius Gymnaſii J. C. fuerit citiſſimè connumeratus. Romam dein profectus, à Clemente VII. anno MDXXIX. Epiſcopus Mutinenſis eligitur die VII. menſis Aprilis adhuc juvenis annorum viginti. Diu ipſam Eccleſiam rexit maxima Paſtorali ſollicitudine, ac vigilantia, Synodis tribus doctiſſimis habitis, Clero & Populo à vitiis redempto. Illud etiam inter ejus geſta præclariſſimum numeratur, quòd Celeberrimam Jeſu Societatem, & Capuccinos Mutinam primus invexit, eoque egregio facinore perſunctus Inſulam ipſam renunciavit. A Summo Pont. Paulo III. loco Petri Pauli Vergerii ad Ferdinandum Romanorum Regem in Pannoniam & Boëmiam Apoſtolicæ Sedis Legatus mittitur. Omnibus Germaniæ Conventibus, præſertim Ratiſponenſi, tum Religionis, tum Turcis reſiſtendi cauſâ coacto affuit. Abſens ab eodem Pontifice Presbyter Cardinalis S. Vitalis Titulo Veſtinæ, mox Sancti Stephani, anno MDXLII. omnibus plaudentibus eligitur. Bononiæ purpureum Pileum à Gaſpare Legato Cardinali Contareno ſuſcepit, cui in eodem munere Succeſſor poſtea datur. Romæ autem Collegii Germanici Patronus extitit eximius, imò ejuſdem Auctor dici poteſt poſt Ignatium Societatis Jeſu Sanctiſſimum Patrem. Bis Legatus Pontificius in Synodo Tridentina ſedit, præſeditque ſanctiſſimè, & tamen ſub Paulo IV. penè non capitis, ac famæ periculum ſubiit. In ſuſpicionem enim ejuſdem Pontificis venit, quaſi in Germania cum Proteſtantibus colluſiſſet, ideoque in Mole Adriani includitur, fuitque ibi tantorum meritorum Præſul, donec Pontifex vixit. Eo è vivis erepto, cùm Moronus coram datis Judicibus objectum crimen ritè, ac evidentiſſimè diluiſſet, apud omnes ex innocentia triumphavit. De hac re videnda eſt etiam Vita Caroli Sigonii à Clariſſimo Muratorio ſcripta, etſi peſſimè habita ab Archiepiſcopo olim Ancirano Fontaninio, (ſed abunde eam vindicavit Muratorius in Libro: „ Difeſa della Vita di Carlo Sigonio. „) Extat quoque Narratio captivitatis ejuſdem, ab Anonymo ſcripta in Cod. MS Bibliothecæ Ambroſianæ, ſign. R. num 833. in fol. Sub Pio IV. & V., nec non Gregorio XIII. quorum denuo crebras Legationes obivit feliciſſimè ad Cæſarem in Germania, in Italia ad Genuenſes, auctuſque adminiſtratione Novarienſis Eccleſiæ, aliiſque, tum muneribus graviſſimis, tum

Ee opu-

opulentiſſimis Sacerdotiis, Epiſcopus Præneſtinus, Tuſculanus, Portuenſis, atque Oſtienſis, & Cardinalium Decanus, felici apud omnes, & integrâ famâ ſeptuagenario major occubuit Romæ an. MDLXXX. Kal. Decembris. Jacet in Templo S. Mariæ ſupra Minervam cum hoc Elogio:

HIC IACET CORPVS IOANNIS CARDINALIS MORONI
PATRITII MEDIOLANENSIS ET EPISCOPI OSTIENSIS
QVI FVIT LEGATVS APOSTOLICVS
IN SACRO CONCILIO TRIDENTINO ET PRAESES
VIXIT ANNOS LXXI. MENSES X. DIES V.
OBIIT I. DECEMBRIS MDLXXX.
ORATE DEVM PRO EO
HIERONYMVS MORONVS COMES PONTISCORONI HAERES
HORATIVS MORONVS
EPISCOPVS SVTRINVS ET NEPESINVS
FRATRIS FILII DOMINO AC PATRONO OPTIMO
EX TESTAMENTO MOERENTES POSVERE.

Tanta prudentia, ac ſingulari doctrina præditus fuit, ut S. Carolus Borromæus poſt patrui exceſſum, illum conatus ſit evehere ad Apoſtolicam Sedem. Plura ſcripſit, quæ nos undique collegimus, & aliqua noviter hîc damus,

Videlicet:

I. Acta trium Synodorum Mutinenſium, de quibus ſupra.

II. Conſtitutiones Epiſcopatus Novarienſis, ad Divinum cultum, curam Animarum, & vitam Clericorum pertinentes. *Novariæ*, 1553.

III. Verba Cardinalis Moroni prolata in ejus prima comparitione in generali Congregatione Concilii Tridentini, anno MDLXIII. *Ripæ, apud Jo. Baptiſtam Bozulam eodem anno, in* 4., *& Mediolani*, 1576. *in* 4. Oratio ipſa extat in Conciliis Labbei.

IV. Leges pro Concordia Genuenſium, publicatæ Genuæ anno MDLXXVI. die XVII. Maji, quæ anno ſequenti editæ ſunt *Neapoli*. Conditæ fuerant leges ipſæ à Cardinali noſtro unà cum Joanne Franciſco Blandrata ex Comitibus Sancti Georgii tunc Aquenſi Epiſcopo, & poſtmodum S. R. E. Card., atque Duce Gandiæ, in Urbe Caſalenſi, quos omnes eam ob rem prolixo Carmine Italico, vulgo *Canzone*, laudavit Annibal Guaſcus Alexandrinus, illudque legitur inter ejus Carmina Italica edita anno 1581.

V. Relatio ſuæ Legationis ad Concilium.

VI. Acta ejuſdem Concilii Tridentini. Extant in Archivo Pontificio.

VII. Relazione ſopra li Negozj del Concilio di Trento. Extat MS. in Bibliotheca olim Comitis Cæſaris Montii.

VIII. Epiſtolæ XXX. Latinæ ad Legatos Concilii Tridentini, varia ad ejuſdem Concilii negotium ſpectantia continentes, datæ Oeniponti anno MDLXIII. Extant in Codice MS. Bibliot. Ambroſianæ, ſign. R. num. 109. in fol.

IX. Epiſtolæ XXXII. Italicæ ad quendam Præſulem Anonymum de rebus ad Concilium ſupradictum pertinentibus; datæ ſunt à die XI. menſis Octobris anni MDLXI. uſque ad XIX. Februarii MDLXII. Extant in ſupradicta olim Comitis Montii Bibliotheca.

X. Epiſtola ad Cardinalem D. Carolum Borromæum de Diplomate Pontificio Nuncii Delphini agens, unà cum ejuſdem Moroni Meditationibus ſex. Extat ibidem.

XI. Epiſtolæ plures tam Italicæ, quàm Latinæ, ab anno MDLXVI. uſque ad annum MDLXXX., de quibus effici poteſt Volumen integrum, Divo Carolo Borromæo ſcriptæ. Extant in ſæpe laudata Collectione Epiſtolarum D. Caroli in Bibliotheca Ambroſiana.

XII. Epiſtolæ plures ad Polum, & ad Corteſium Cardinales, nec non ad Paulum Jovium, ad Federicum Nauſeam, alioſque Claros doctrinâ Viros. Extant partim MSS. partim in Collectionibus Epiſtolarum illuſtrium Virorum, inter quas illa cujus eſt titulus: Lettere de' Principi, ſcritte a' Principi.

XIII. Reſponſio ad Litteras Maximiliani II. Rom. Imper. quibus Sacrum Cardinalium Collegium monuerat, ne Ferrariæ, atque Mutinæ Ducibus, Sereniſſimi, atque Altitudinis Titulos eis à ſe nunquam datos, atque illis nequaquam competentes in poſterum tribuerent. Dat. Genuæ XXVII. Julii MDLXXV. Extat in Lonig. Cod. Ital. Diplomat. Tom. III. pag. 771., & MS. in Bibliotheca Ambroſ. ſign. P. num. 1.

XIV. Opera Eraſmi Roterodami ab erroribus emendata, ut in lucem ederentur curavit.

Vitam ipſius ſcripſit Ludovicus Jacobillus Fulginatenſis. Ab amiciſſimo quoque & docto Patre Caroello Monacho Congregationis Montis Oliveti, & Bibliothecæ Alterianæ in Alma Urbe Præfecto monitus fui, ibi extare Cod. MS. cui titulus: „ Compendio della Vita del Cardinal Morone Milaneſe, figliuolo del Sig. Girolamo Morone, Conte di Curo, Gran Cancelliere del Duca di Milano Franceſco Sforza.

In Opere, cui titulus Carmina Illuſt. Poët. Ital. Tom. VIII. pag. 165. Extat Epigramma Bernardini Rotæ Neapolitani ad Joannem Moronum Cardinalem.

In Tomo autem X. pag. 1. extat longum Carmen Antonii Vaccæ ad Jo. Moronum.

In Tomo XI. pag. 238. extat Epigramma Franciſci Vinthæ Volaterrani de Joanne Morono Card. Ampliſſimo.

Ipſi electo Epiſcopo Mutinenſi dedit Latinas Litteras Hieronymus Perbonus, quæ extant inter ejus impreſſas *Mediol. apud Medam*, 1533. lib. IV. pag. 5.

Extat ad eundem Epiſtola Cardin. Ardinghelli, dat. Romæ VIII. Jan. MDXLV. in lib. cui titulus: Lettere di diverſi Autori eccellenti. *Venezia*, 1556. *in* 8.

In Libro inſcripto: „ Scelta di Lettere di diverſi eccellentiſſimi Scrittori, di Bartolomeo Zucchi. *Venezia*, 1595. *in* 4. Extat Epiſtola Cardinalis Nicolini ad Cardinalem Moronum.

Legitur etiam ad eundem Carmen citati Bernardini Rotæ in Tom. I. Operum ejuſdem, edit. Neapol. 1736. pag. 219.

Inter Epiſtolas Cardinalis Sadoleti extat Epiſtola ad Joannem Moronum S. R. E. Cardinalem Legatum Bononiæ, pag. 579. *Lugduni*, 1560. *in* 8.

Maxima cum laude locuti ſunt de eo Ciacconius in Vita Pauli III. Andreas Victorellus, Ferdinandus Ughellus in Epiſcopis Mutinenſibus, Antonius Verderius in Supplemento Bibliothecæ Geſneri, Nicolaus Comnenus Papadopolus in Hiſtoria Gymnaſii Patavini, Tom. II. pag. 80. Eggs Purpura Docta, Tom. IV. pag. 584. Sitonus in Chron. J. PP. Art. 324., Iricus in Hiſt. Tridinenſi, & Picinellus in Athenæo pag. 313.

MCLXVI.

Digitized by Google

### MCLXVI.

### MORONUS JOANNES CHRISTOPHORUS.

MOrona Familia nedum in hac Metropoli Viros protulit omni commendatione digniſſimos, ſed alios quoque habemus eodem ſanguine genitos in Oppidis Mediolanenſis Ducatus. Id apparet in Joanne Chriſtophoro Morono, qui in Trivilienſi municipio primam accepit lucis uſuram, & ineunte ſæculo ſuperiori lucubrationibus ſuis artem memoriæ litterarum cultoribus utiliſſimam poſteris tradere curavit. Summo interim cum dolore fateri cogimur, fruſtra nos in perquirendis tanti Viri actis, parentibus, ac reliquis pro conſuetudine noſtra ad eum ſpectantibus inſudaſſe; nihil enim offendimus, unde poſſimus Lectoribus ſatisfacere, præter

Opus ejuſdem ſic inſcriptum:

I. De arte memoriæ Joannis Chriſtophori Moroni Trivilienſis Cod. MS. Autographus 1601. in 4. Extat in Biblioth. Monachorum S. Ambroſii.

### MCLXVII.

### MORONUS NICOLAUS.

MAximilianus Moronus Stampa, & Eleonora Puthea Mediolanenſes Conjuges nobiliſſimi, parentes fuere Nicolai Viri egregiâ litteraturâ in legalibus præcipuè ſtudiis illuſtris. Juvenili adhuc ætate Clericalem amplexus militiam ſic enituit gravitate morum, atque doctrinæ præſtantia, ut Canonicorum Regio-ducalis Baſilicæ Sanctæ Mariæ Scalenſis Cœtui adnumeratus, inter præclaros Collegas jure ſuſpici meruerit. Majorum ſuorum in eadem Baſilica jacentium cineres novo decoravit tumulo, atque una cum fratre ſuo Hieronymo Juris Conſulto Collegiato hac Inſcriptione ornavit, quæ adhuc ibidem legitur marmori inciſa:

ILLVSTRISSIMIS MORONIS
IVXTA ARAM MAXIMAM
ALIAS QVIESCENTIBVS
COMES HIERONYMVS I. C. C.
ET CANONICVS D. NICOLAVS
FRATRES MORONI STAMPAE
NOVVM HVNC TVMVLVM
SIBI SVISQVE IMPETRANT
DIE XXII. OCTOBR. ANNO MDCXCII.

Commendatur autem Nicolaus noſter hoc Opere

I. De Fide, Tregua, & Pace. *Venetiis, apud Zenarum*, 1683. *Tomi III. in* 8., & in Tract. Juris Tom. II. pag. 108.

De eo Sitonus in Chron. art. 1013. pagg. 215. & 216. atque in Schedis.

### MCLXVIII.

### MORONUS PONTIANUS.

IN Pontiano Morono Mediolanenſi, clariſſimo genere orto, atque inter Monachos S. Benedicti præclariſſimæ Congregationis Montis Oliveti recenſito, multa emicuerunt litteraria ornamenta, quorum gratiâ in hac noſtra Bibliotheca locum merito obtinet; Poëticam enim, atque Oratoriam facultatem ita in ſe conjunxit, ut primæ leporem, alterius gravitate temperans, omnium in ſe animos, oculoſque converteret. Cùm autem eximiæ pietatis, atque prudentiæ non modica pluries dediſſet indicia, multis ſuæ Congregationis Cœnobiis præfici meruit; videlicet Romano, Piſano, Ferrarienſi, Faventino, Piſaurienſi, Lucenſi, Volaterrano, Eugubino, atque Mediolanenſi Sancti Victoris. Acceptiſſimus fuit Raynaldo Cardinali Eſtenſi, qui ſacrâ poſtmodum purpurâ depoſitâ Mutinæ Ducatum obtinuit; cui etiam dicavit:

I. Poema. Illud typis datum fuiſſe aſſerit Belfortus, illius ætate vivens, non tamen indicat, cujus argumenti Poëma illud fuerit, vel qua lingua conſcriptum, quemadmodum & locum reticet, ubi excuſum fuit. Ex Belfort pag. 144.

### MCLXIX.

### MOZZONUS ASCANIUS.

COgnovimus ex Geneſi Familiæ Mozzonæ, quam in hujus noſtræ Collectionis uſum nobis perhumaniter ſuppeditavit JC. Sitonus Vir doctiſſimus, eam incipiens ab Antonio de Mozzonibus, qui ſæculo XIV. exeunte inter vivos erat, & deſinens in Aſcanio Ciconia Equite Hieroſolymitano Auctoris, de quo nunc agimus, ex Angela filia nepote; eandem Mozzonam Gentem inter nobiles hujus Metropolis vetuſtis etiam temporibus recenſitam fuiſſe. Floruit in ea Aſcanius Joannis Auguſtini, atque Angelæ Vicecomitis conjugum Filius. Hic Juriſprudentiam ſecutus brevì adeò in ea profecit, ut ad primarios Litteratorum gradus per Doctoratus inſignia evectus, in Juriſconſultorum Collegium cooptatus fuerit anno ſalutis MDLX. Recenſitus quoque reperitur inter XII. annonæ Præfectos anno MDLXIX. In Villa Beſutii Plebis Arciſati in Ducatu Mediolanenſi magnificas ædes extruxit, fontibus & hortis ornavit, in quarum aula primaria plures marmoreas Inſcriptiones collocavit; ibique quamplurima leguntur Carmina cultiſſima, quæ Aſcanii ingenium produnt. Deſideratus eſt anno MDXCIII. conditusque fuit in Eccleſia Collegiata & Parochiali Sancti Victoris de Arciſate, ubi Familiæ monumenta hac Inſcriptione exornata cernuntur;

MAYNO

Digitized by Google

MAYNO MOZONO IACOBI FILIO VIRO EGREGIO
AC BARBARAE SYLVAE IACOBI FILIAE
PARENTIBVS OPTIMIS
IACOBOQVE FRATRI CHARISSIMO
CAMILLA MOESTISS. P. MDLVII.

ARCISATENSE GENVS IACET HIC DOMVS ALTA MOZONVM
PEDRETI FRANCVS DEMITVR E CETERIS
MDLXVIIII.

NELL' ALTRA I MASCHJ, IN QVESTA SON LE MOGLIE
CHE DI ARCISATE SON LE NOBIL SPOGLIE
MDLXVIIII.

Hic etiam obſervandum eſt, quòd apud antiquos Mediolanenſes in more fuit Sepulcra Nobilium Maſculorum prope illud Nobilium Fœminarum, & Uxorum ſuarum ponere, ſed ſeorſim & ſeparatim, prout nonnullis exemplis comprobari poteſt etiam in hac Urbe, & ſignanter ex Inſcriptionibus marmoreis poſitis in Sacello Divæ Catharinæ in Eccleſia S. Mariæ Gratiarum P. V. Mediolani, tenoris ut ſequitur:
„ Sepulcrum Spectabilis Juriſperiti Domini Franciſci
„ de Bullis, & omnium deſcendentium ſuorum Ma-
„ ſculorum, qui obiit die XIV. Julii anno MCDXC.
„ Sepulcrum Mulierum Spectabilis Domini Franciſci
„ de Bullis Juriſperiti, & deſcendentium ſuarum.
Ex præfato Advocato Sitono de Scotia in Collectaneis Selectarum Inſcriptionum Mediolani, ejuſque Diœceſis. MS. in fol. penes ipſum.

Aſcanii noſtri vulgata fuiſſe

I. Opera Poetica, didicimus ex Moriggia lib. III. Nobilit. Mediol. Cap. XI.
Ipſum laudarunt Bonaventura Caſtillionæus de Gallor. Inſubr. antiq. Sedib. pag. 106. Franciſcus Sanſovinus in Deſcrip. Urbis Mediol. pag. 76 Fanianus in Comment. MSS. Nob. Famil. Mozzonæ. Bartholomæus Taegius in ejus Villa pag. 106. Jo. Petrus Bimius Conſil. Sitonus in Chron. Collegii JC. C. art. 531. pag. 126. & Picinellus in Athenæo pag. 57.

## MCLXX.

## MOZZONUS BARTHOLOMÆUS.

Floruit ex antedicta Mozzona Gente Bartholomæus Mediolanenſis, qui Carmelitarum Ordinem in Congregatione Mantuana profeſſus, Sacræ Theologiæ Doctor eximius, acutiſſimus Metaphyſicus, atque celeberrimus Orator evaſit. Philoſophiæ Mediolani vacavit, Theologiæ verò Ferrariæ, & Bononiæ, in quibus præclaris facultatibus cùm publica doctrinæ ſpecimina dediſſet, magiſterio decoratus fuit. Suis plures per annos in ſtudiis prælegit, tum in ſacris roſtris animarum ſalutem promovere curavit. Divinos Libros in Templo Ducali S. Joannis ad Concham in hac Metropoli biennio publicè interpretatus eſt; Quadrageſimali tempore Bononiæ, Ferrariæ, Ticini, Brixiæ, aliiſque in Italiæ Urbibus Conciones habuit laudatiſſimas. Dixit etiam eloquentes Orationes non paucas ad Sanctorum commendationem in primariis hujus Urbis Baſilicis. Præfuit Conventui ſuo Mediolanenſi, tum Definitoris munus, & Vicarii Generalis officium, necnon totius Congregationis Præſulatum ſibi communi ſuorum conſenſu, & Apoſtolicæ Sedis judicio demandatum prudentiſſimè rexit. Carolo II. Hiſpaniarum Regi charus extitit, ac pro eodem apud Franciſcum II. Eſtenſem Mutinæ & Regii Ducem, tum apud Ferdinandum Carolum Mantuæ & Montisferrati Ducem honorificus Reſidens extitit, quod munus dum gereret, in Urbe Mantua mortalitatem exuit III. Kal. Julii ætatis ſuæ anno LXV. Chriſti verò MDCXCII. Juſta illi peracta ſunt in Templo Carmeli Mantuani, ubi conditus jacet.

Illius Opera partim edita, partim MSS. hæc ſunt:

I. Il Roveto di Mosè. Panegirico per S. Antonio da Padova, recitato nella Baſilica di S. Franceſco l'anno MDCLIII. *Milano*, 1563. *in* 12.
II. Quareſimale. MSS. in fol. apud Suos.
III. Un Volume di Panegirici. MSS. ibid. teſte Vagho loco infra citando.
Laudatur à Joſepho Maria Furnario in Chronico Eccleſiæ, & Monaſterii S. Mariæ Carmeli Mediolani, part. I. cap. 6. pagg. 102. & 103. Vago in Comment. Carmel. pag. 336. Sitono in Schedis, & Picinello in Athenæo pag. 70.

## MCLXXI.

## MUGGIANUS DOMINICUS.

Dominicus Muggianus Mediolanenſis Carmelita, Congregationis Mantuanæ, Theodori Muggiani ejuſdem Ordinis profeſſoris, qui Concionator eximius, & in Academia Ticinenſi S. Theologiæ Interpres plures per annos extitit, ex Fratre Nepos, patruum imitatus per ſtudiorum curricula eruditionem ſibi, & laudem comparare curavit. Theologicas Quæſtiones eximiè enucleavit, in publicis litterariis certaminibus magna dedit ingenii ſpecimina, & Magiſterii honorem promeruit. Orator quoque fuit inſignis in Sanctorum præcipuè Encomiis è ſuggeſtu dicendis, atque inter ejus Orationes illa celebratur, quam habuit Brixiæ de laudibus S. Andreæ Corſini Epiſcopi Feſulani. Non ſemel Cœnobium ſui Ordinis Sancti Joannis ad Concham nuncupatum Prior adminiſtravit, ejuſque Templi Sacrarium Sacerdotalibus pretioſis ornamentis, Aram maximam argenteo pallio, aliâque inſigni ſuppellectili ditavit. Carolo II. Mantuæ, ac Montisferrati Duci plurimùm fuit acceptus, atque ab eo in Theologum ſuum aſſumptus eſt. Bis extitit in Romana Curia pro Ordinis negotiis Procurator Generalis, tum ad ſummum Congregationis prædictæ Præſulatum aſcendit, id munus

nus ſibi demandante per Apoſtolicas Litteras Alexandro VII. Summo Pontifice. Hydrope tandem con tractâ, diem vidit extremam IV. Id. Octobris, anno Redemptionis MDCLXIX. Ejus Effigiem grati animi ergo in præfato Sacrario S. Joannis ad Concham, hoc adjecto Elogio, juxta ſæculi illius turgidum genium conſcripto, ejus Cœnobii Alumni collocarunt.

*Rev. Patrem Sac. Theol. Mag. Dominicum Muggianum*
*In Suggeſtis angelicum, in Cathedris reſolutum*
*Qui à Ser. Carolo II. Mant. Mont. Ferr. Duce*
*in Theol. aſſumptus*
*Miraculum*
*Aulam virtutibus erudivit*
*Bis ad Romanam Curiam miſſus Generalis Procurator*
*Tyberi reſtituit Catones*
*Creatus ab Alex. VII. Pontif. Max.*
*Generalis Vicarius*
*Religionem ſuam*
*Macedonico robore, vel Apoſtolica caritate firmavit*
*Domum argenteo margine, pretioſa ſuppellectili*
*Multo ære*
*Ara elegantiam, Templi Matrem, Sacrarii*
*Conſtructionem excitatus*
*Se adeo in Eccleſia luculentiam eviſceravit*
*Ut Angelicum, meliuſve dicas*
*Eccleſia Filium an Patrem*
*Obiit IV. Idus Octobris Anno MDCLXIX.*
*Ac Patre emerito, Præſuli optimo*
*Hoc æterni Monumentum amoris*
*Carmelitæ Poſteri poſuere.*

Poſt ſe reliquit:

I. Un Volume di Panegirici, ed Orazioni. MS. juſtæ molis in Biblioth. ſupramemorati Cœnobii S. Jo. ad Concham ſervatur.
Agunt de ipſo Vaghus in Comment. ſui Ordinis, pag. 334., & Felina pag. 137. ubi Epigramma in ejus laudem legitur.

## MCLXXII.

## MUTIUS PIUS.

TAm diſertè, accuratiſſimèque de Pio Mutio ſcripſit Clariſs. Armellinus in ſua Bibliotheca Benedictino-Caſinenſi, ut mihi parum addere ei datum ſit, ideoque, paucis mutatis, ferè illius verbis uſus ſum, itaut Lector non mihi, ſed Armellino Acta, atque Opera diligentiſſimè relata hujus Auctoris debere teneantur. Pius igitur Mutius natus eſt Mediolani anno poſt Chriſti Nativitatem MDLXXIV. die XV. Maji, oriundus tamen ex Familia Oppidi Pontis S. Petri in Territorio Bergomenſi. Anno verò MDLXXXIX. die XII. Martii Monachi vitam vovit in Cœnobio S. Simpliciani hujus Urbis. Mirum verò ad Scientias addiſcendas amorem, egregio favente ingenio, ab ipſo, ſi dicere licet, matris utero tulit. Puerili enim ætate præmaturam Studiis operam dedit, & vix quinquennis Grammaticam, ſeptennis autem Rhetoricam artem ita callebat, ut Orationes, Carmina, & alia id genus cunctis admirantibus, ut aſſerit Armellinus, ac plaudentibus publicè recitaret. Mediolani, & Patavii Scholaſticis facultatibus operam dedit. Papiæ deinde in Academia Affidatorum, & in aliis Italiæ celebrioribus, quibus certatim adſcriptus fuit, doctis ingenii fœtibus, omnium commendationem promeruit; præcipuè tamen hiſtoricis, ac politicis litteris incubuit, in quibus celebris admodum, & excellens evaſit, ac inſignes hiſce de rebus Lucubrationes conſcripſit, inter quas Animadverſiones in Tacitum nominis immortalitatem præceteris ei pepererunt. Has autem doctrinæ gemmas, pietatis, ac moralium virtutum auro præclarè exornabat, inculpatis moribus, integritate vitæ, regularis obſervantiæ zelo omnibus ubique prælucens. Ea propter à Patribus Congregationis S. Juſtinæ, qui ejus non minus prudentiam, quàm doctrinam optimè perſpectam habebant, miſſus ad Chriſtianiſſimum Regem Ludovicum XIII. Orator pro cauſa Abbatiæ Lirinenſis, de qua locutus eſt Armellinus in ſua Bibliotheca, ubi de Petro Paulo Benallio differit, quæ vel denuo agitabatur, vel nondum planè abſoluta erat, arduam Legationem adeò feliciter obivit, ut adhuc in Gallia degens, in Generalibus Comitiis creatus fuerit Abbas, ac poſtea totius Congregationis Deffinitor. Reverſus in Italiam negotium quoddam magni momenti cum Ducibus Sabaudiæ, Parmæ, & Mutinæ proſperè admodum confecit. Inde ad Monaſteria gubernanda animum adjiciens, Cœnobio Sancti Pauli de Urbe triennio præfuit, quo tempore familiaritate jucundiſſima Quarengii, Maſcardi, aliorumque eruditiſſimorum Hominum eſt uſus. Eum ob doctrinam, ac probitatem intimè amavit Cardinalis Fridericus Borromæus, Cardinalis verò Guido Bentivolus ſcientiam judiciumque Mutii tanti fecit, ut ejus non ſolùm conſiliis plurimùm deferret, ſed Hiſtoriam etiam ſuam de Bello, ac rebus Belgicis ei luſtrandam, & corrigendam ſubjecerit. Fuit inſuper Abbas Sanctorum Spiritus, & Galli Papiæ, Sanctæ Scholaſticæ Sublaci, S. Juliani Genuæ, demumque S. Simpliciani Mediolani, ubi Clauſtri partem à Gratiano Trezzi olim inchoatam perfecit, Hoſpitumque Cameras extruxit, aliaque commoda præſtitit cum ad ornatum, tum ad utilitatem Cœnobii; ſed cùm æternitatis itineri diligentiùs, ac tutiùs capeſſendo ſeſe parare percuperet, Præſulatum ſpontè abdicavit, ac deinceps privatus Deo, ac Studiis unicè vixit; denique anno MDCLIX. in hac Metropoli piiſſimè diem ſuum obiit annos natus LXXXV.

Ejus Opera hæc ſunt:

I. Conſiderazioni ſopra Cornelio Tacito, nelle quali ſi trattano le più curioſe materie della Politica. *Breſcia, preſſo Bartolomeo Fontana, l'anno* 1634 *in* 4. & iterum *Venetiis*, 1642. *per Marcum Ginammi*, *in* 4. Sunt autem Animadverſiones in primum Taciti Librum, quod Opus eruditiſſimum vocat Hieronymus Ghilinus, brevi temporis ſpatio abſolutum, ob aſſiduam petitionem prælaudati Cardinalis Borromæi, qui Opus hoc anxiè ab eo expectabat.

II. Conſiderazioni ſopra il ſecondo Libro di Cornelio Tacito, quas brevì in lucem prodituras fuiſſe teſtatur idem Ghilinus; Philippus autem Picinellus jam prodiiſſe affirmat, ſed ubinam Gentium, & apud quem, non indicat ex more.

III. Diſcorſi L. Politici ſopra gli accidenti moderni.

IV. Diſcorſi Academici varj.

V. Giudizj varj ſopra le Opere altrui; & alia, ſed minoris momenti, ut inquit Leo Allatius in Apibus Urbanis pag. 228., ubi de eo agit, & haſce ejus Lucubrationes recenſet, ſicut & ex eo Picinellus. At in Bibliotheca Sancti Simpliciani Mediolanenſis extant quoque Pii Mutii ſequentia Opera MSS. à Cl. Armellino, ut ipſemet aſſerit, viſa anno 1688.

VI. Iſtoria della Famiglia Trivulzia. Volumen magnum in fol.

VII. Epiſtolarum Familiarium Latina lingua, lib. in fol. incipit: „ Eleganter adeò mi Save „ ſuaviſſime &c.

VIII. Diverſi Diſcorſi politici, in fol., quos partim eoſdem puto cum ſupra ab Allatio relatis.

IX. Negoziato alla Corte di Francia per il Monaſtero di Lerino.

X. Oraiſon Françoiſe au Roy trés-Chretien.

XI. Orazione Italiana al Re di Francia Luigi XIII.

XII. Giudizj ſopra le Relazioni, Lettere, ed Iſtoria del Cardinal Bentivoglio.

XIII. Apologia in difeſa dell' Iſtoria del medeſimo Eminentiſſimo Bentivoglio.

XIV. Diſcorſo s'era veriſimile, che Paolo V. dopo l'aſſoluzione moveſſe guerra a' Veneziani.

XV. Diſcorſo, ſe doveaſi maritare la ſeconda Infanta di Spagna con Inghilterra.

XVI. Diſcorſo ſopra la Dieta da farſi l'anno della Peſte. Hæc è numero IX. ad XVI. ſunt in magno Volumine in fol. MS. cui titulus: Miſcellanea.

XVII. Deſcrizione del ſuo Viaggio fatto in Francia l'anno MDCXVIII., in cui dal Capitolo Generale fu mandato Ambaſciadore al Re Criſtianiſſimo, eſt liber MS. in fol.

XVIII. Rime di D. Pio Muzio, lib. MS. in 4. ut ſupra innuimus, eſt cum antedictis in Bibliotheca S. Simpliciani. Apud verò ſupradictum Armellinum extat maximum aliud Volumen MS. in fol. continens Lucubrationes Pii Mutii, ut ſequitur, nempe:

XIX. Diſcorſo ſe il Signor Duca di Savoja abbia fatto bene, o male, zarando lo Stato, a non voler diſarmare, come ne lo ricercavano gli Spagnuoli, o ſe meglio fora ſtato l' obbedire e ſchivare gl' incomodi della guerra. Incipit: „ Belliſſima materia di diſcorrere „ &c. explicit: „ Doveva il Duca, ed era coſtituito „ in neceſſità di zarare lo Stato, e di pren„ der l'Armi, come à fatto, piuttoſto che „ obbedire, e metterſi in ſervitù „ &c.

XX. Diſcorſo intorno alli preſenti motivi di Francia, Spagna, e Savoja. Incipit: „ E' tanto il „ deſiderio, che io tengo di ſervire V. S. „ &c. explicit: „ E a Dio piacendo Noi go„ dremo una lieta, e tranquilla pace „ &c.

XXI. Riſpoſta di D. Pio Muzio al Diſcorſo del Signor Mario Lanzi, che ributtava un altro Diſcorſo. Incipit: „ E coſi avviene a chi va ſtuz„ zicando il Veſpajo „ &c.

XXII. Diſcorſo intorno alli preſenti nuovi diſguſti, che ſi dicono paſſare tra la Santità di N. S. Papa Paolo V., e la Sereniſſima Repubblica Veneta. Eſt Sermo ſatis prolixus, ac valde eruditus, rogatu D. Laurentii Stella conſcriptus, politicis æquè rationibus, ac prudentibus documentis, veræque pietatis ſenſibus exornatus. Incipit: „ Accennommi V. P. M. V. li giorni paſſati &c. Explicit: „ E coſi noi dobbiamo ſperare la continuazione di queſta lunga pace „ &c. Ita Armellinus.

XXIII. Orazione colla quale proccura di perſuadere il Criſtianiſſimo Re di Francia Lodovico XIII. per fortiſſime ragioni, doverſi il Monaſtero di Lerino, unito già da' ſuoi glorioſi predeceſſori Franceſco I., ed Henrico IV. alla Congregazione Caſinenſe, governare indifferentemente dagli Abati tanto Italiani, quanto Franceſi: Hæc Oratio, quamvis in eodem Volumine apud Armellinum MS. reperiatur, eſt nihilominus typis impreſſa, & conſtat paginis integris numero 6. Incipit: „ Hanno tanto a cuore, e tanto premono i PP. Caſinenſi nel buon governo del Sagro Monaſtero di S. Onorato di Lerino „ &c. Explicit „ Per felicità de' ſuoi Regni, di ſua Caſa, „ e ſua Criſtianiſſima Perſona &c.

XXIV. Diſcorſi ſopra il Capitolo Biennale, e perpetuità del Deffinitorio. Incipit: „ Comanda l'Emi„ nentiſſimo Signor Cardinale Padrone, e „ Protettore &c.

XXV. Diſcorſo ſe ſia meglio che il Deffinitorio ſia perpetuo, o temporaneo. Incipit: „ Dovendoſi „ ora diſcorrere ſe ſia bene il perpetuare, o „ nò il Deffinitorio „ &c. Explicit. Doveraſſi „ dunque procurare, che i Monaci ſi com„ pongano a quell' onorata maniera di vita, „ ed a quei ſanti coſtumi, che ricerca una „ Repubblica Religioſa, ed una Repubblica, „ che dev' eſſere d'Uomini perfettiſſimi e „ nella ſantità di vita, e nell' integrità de' „ coſtumi, e nell' eſemplarità &c.

XXVI. Apologia in difeſa dell' Iſtoria del Signor Cardinal Bentivoglio contro un Diſcorſo Franceſe: eſt valde prolixa, & erudita. Incipit: „ Ho creduto che la dicacità doveſſe perdo„ nar alle coſe ſacre, tocco con mano il „ contrario, e conchiudo eſſere veriſſimo „ quel detto di Tacito: *Obtrectatio, & li„ vor pronis auribus accipiuntur* „ &c. Explicit: „ Diciamo dunque che è molto migliore, e „ ſacra la dottrina del Signor Cardinale „ (*potiorem videlicet habendam eſſe Religionem, „ quàm ditionem ex Religionis mutatione ditionis „ ruinam ſequi*) che quella del Cenſore „ &c.

XXVII. Diſcorſo, con cui approva, e conferma con ragioni fortiſſime il Diſcorſo di un altro ſopra gli ordini, che ſi dicevano mandati da Spagna, perchè gl' Eccleſiaſtici egualmente che i Laici de' ſuoi Stati d'Italia foſſero ſoggetti alle gravezze impoſte. Incipit: „ Ho „ letto con molto guſto il ſenſato Diſcorſo „ di V. S. circa gl'inuſitati ordini venuti, o „ ſi fingono venuti di Spagna &c. Explicit: „ Dalle coſe dette, credo che ſi poſſa infal„ libilmente conchiudere, che non ſia veri„ ſimile, che il Re Cattolico abbi dato il „ ſuppoſto ordine „ &c.

XXVIII. Orazione in Contraditorio di un' altra di un Conſigliere Spagnuolo (is fuit Paganus de Turre) che proccurava perſuadere al Re Cattolico doverſi per varj motivi far la Guerra al Duca di Savoja. Oratio verò Pii Mutii, ſic incipit: „ Io non vorrei, Poten„ tiſſimo Re „ &c. Explicit: Queſta Pace vi „ farà benedire da tanti Popoli, vi renderà „ caro a tanti Principi, vi reſtituirà l'alie„ nato Cognato, e vi leverà finalmente da' „ pericoli, e travaglj graviſſimi.

XXIX. Panegyricus in laudem Marchionis Caracene Mediolani Gubernatoris: impreſſus, pagg. 28. in 4., & Hieronymo Legnano apud Catholicam Majeſtatem pro Mediolanenſibus Oratori, dicatus.

XXX. Lettera, nella quale dice il ſuo parere intorno alle Relazioni dell' Eminentiſſimo Sig. Cardinal Bentivoglio, al Sig. Carlo Boſſo, ſcritta da Genova l'anno MDCXXX. adì XXII. Novembre. Incipit: „ Fra gli altri obblighi „ ch' io conoſco, e confeſſo di tenere con „ V. S. Illuſtriſſima, principaliſſimo reputo „ io queſto d'avermi dato cognizione del li„ bro delle Relazioni dell' Eminentiſs. Sig. „ Cardinal Bentivoglio &c. Explicit:

*E quel che il bello, e'l caro accreſce all' Opre,*
*L'arte che tutto fa, nulla ſi ſcuopre.*

De hoc judicio Mutii noſtri extant Epiſtolæ II. ejuſdem Cardinalis eximii, hoc titulo: „ Parere dell' Eminentiſſimo Signor Cardi„ nal Bentivoglio ſopra il Giudizio di Don „ Pio Muzio, delle di lui Relazioni in due „ Lettere, una all' Illuſtriſſimo Signor Car„ lo Boſſo. Incipit: „ Troppo eccede il no„ ſtro P. Don Pio in lodar le mie Rela„ zioni „ &c. L' altra, al medeſimo Padre: „ Molto Rev. Padre. Io non potrei eſpri„ mere il guſto, che ho ſentito dalla Scrit„ tura inviatami da V. P. in riguardo par„ ticolarmente alla conſumata materia, che „ ci appariſce nella materia Iſtorica „ &c.

XXXI. Giudizio ſopra le Lettere dell' Eminentiſſimo Signor Cardinal Bentivoglio. Incipit: „ Per „ obbidire a chi può comandare. „ Explicit: „ Poſſono ſervire per modello, e per vera „ idea di vera amicizia, di buon Cavaliere, „ di gran Prelato, e zelante di Santa Chieſa, „ e di perfetto Miniſtro di Principe. „

XXXII. Parere ſopra le Iſtorie di Fiandra dell' Eminentiſſimo Signor Cardinal Bentivoglio. Incipit: „ Per dire quello, ch' io ſento „ &c. Explicit: „ Queſt' Opera deve reſtar conſagrata „ all' immortalità, non meno di quelle de' „ più famoſi Iſtorici, che abbiano ſcritto „ avanti lui „ &c.

XXXIII. Giudizio ſopra la terza parte dell' Iſtoria del Signor Cardinal Bentivoglio. Eſt in modum Epiſtolæ ad eundem Cardinalem Bentivolum. Incipit: „ Sprezzato quel titolo di teme„ rità.

XXXIV. Giudizio ſopra l'Ariſtocrazia conſervata, del Padre Sgualdi. Eſt Epiſtola ad eundem Sgualdum, data Ticini Regii XVI. Aug. anno MDCXXXIV. Incipit: „ Il Padre Don Hi„ lario Bologna noſtro mi ha mandato due „ de i libri compoſti da V. P. Reverendiſ„ ſima „ &c.

XXXV. Diſcorſi, ſe ſi debbano ripigliare li tre Monaſterj della Marca: Eſt ſermo valde prolixus

pagg.

Digitized by Google

pagg. integr. num. 20. reſpondetque negativè, probatque ſententiam ſuam validiſſimis rationibus. Incipit: „ Dovendo io diſcorre- „ re &c. „ Sic Armellinus.

XXXVI. Diſcorſo circa il Breve: De exemptorum privilegiis. (Eſt Gregor. XV.) Incipit: „ Io „ credo che l'intenzione di N. S. nella pub- „ blicazione del ſuo Breve: De exemptorum „ privilegiis &c. Explicit: „ Ne perderemo „ per coſa tanto lubrica i noſtri privilegj &c.

XXXVII. Tres alii Sermones, ſeu potius Tractatus de rebus ad ſuæ Congr. ſtatum, ac regimen peculiariter pertinentibus, quos ab omnibus noſtris Prælatis, ut inquit Armellinus, legi, & obſervari operæ pretium eſſet, quorum Synopſim videas in noſtris Anacletis.

XXXVIII. Carmina Italica extant in libro inſcripto: „ Orazioni, e Poeſie degl' Accademici Affidati in morte di Filippo II. 1599. in 4.

XXXIX. Alia plura in libro: „ Componimenti di diverſi „ per il Dottoramento di Gianfranceſco Sor- „ belloni. *Pavia*, 1599 *in* 12.

Hæc duo ignoravit Armellinus.

Jam verò de Pio Mutio magna cum laude egerunt Placidus Pucinellus in Chron. Glaſs. pag. 365., & in Nomenclat. Abbatum pag. 26. Hier. Ghilinus in Theatro Vir. Ill. par prima, pag. 199. fuſiſſimè, ubi eum vocat, feliciſſimo, & admirabili præditum ingenio, ſingularis prudentiæ, omniumque virtutum exemplar; Opera verò ejus varia doctrinâ, & omnigenæ eruditionis copiâ referta. Reverſum demum in Patriam an. MDCXLVII. Lectioni, & præclariſſimis Lucubrationibus impensè vacaſſe narrat; ejuſque nomen famæ immortalitatem conſequutum &c. Donatus Calvi in Scena Literar. Scriptor. Bergom. par. prima, pag. 448., ubi eum Naturæ portentum appellat, atque inter ejus Opera enumerat Epiſtolarum libros &c. in quos nimirum libros, Volumen illud Epiſtolarum in fol. ſupra recenſitum dividitur. Hilarius Bologna in Panegyrica Oratione S. Benedicti, cui titulus: „ Il Sole, e il Mondo &c. impreſſa *Venetiis*, *anno* 1647. pag. 63 de qua diximus.

In libro, cui titulus: „ Le Glorie degli Incogniti „ quorum Academiæ Venetiis inſtitutæ Mutius adſcriptus fuit, pagin. 384., & ſeqq. ubi ex inſtituto de eo agitur, dicitur que pietate, & literis nominis immortalitatem aſſequutus; viſitur ejus Effigies cum ſubjecto Diſticho:

*Impius & Tacitus, melior tamen incipit eſſe,*

*Fitque tua Muti dexteritate Pius.*

Item eum valde commendant, Hieronymus Borſerius in Supplemento cap. 12. Auguſtinus Terzagus in Carminibus, pagg. 239. & 248. Benedictus Sociacus, qui Mutio ſecundum Epigrammaton librum dicavit. Leo Allatius in Ap. Urb. pag. 288. Philipp. Picinell. in Athenæo Mediolan. pag. 469., denique Bern. Pez in Epiſtolis Apologeticis, pag. 253. Ita ex Armellini Bibliotheca, P. II. pag. 145.

## MCLXXIII.

## MUTONUS ANGELUS.

FAmiliæ Mutonæ inter Inſubres vetuſtatem nobis indicavit amiciſſimus, atque doctiſſimus Mediolanenſium Antiquitatum Inveſtigator JC. Sitonus, cujus humanitati Gentis hujus Stemma debemus. Floruit ex hac Familia Angelus, qui deſpectis terrenis rebus Deo ſe dicavit in Congregatione Lombardiæ Monachorum, qui Sancti Hieronymi nuncupari ſolent anno Virginei partus MDLXI. die II. Julii. Vir fuit non tantùm pietate, quàm in rebus agendis peritiâ apud Suos maximè habitus, ideoque Vices Generalis totius Ordinis geſſit. In Theologica facultate, præſertim verò in iis, quæ ad moderandas Fidelium conſcientias pertinent, eruditus extitit, ut facilè dignoſcere poſſunt Lectores ex titulo Operis, quod ſcripſit. Erat adhuc in vivis anno MDCLXXXIV.

De ipſo damus:

I. Tractatus de Sacramentis Eccleſiæ. Editum, an MS. fuerit hoc Opus non indicant ſequentes Auctores, qui de ipſo verba faciunt.
Nimirum Paulus Moriggia in Hiſt. Nobil. Mediol. cap. 28. lib. 3. Picinellus in Athenæo pag. 35. atque Sitonus noſter in Schedis.

## MCLXXIV.

## MUTONUS NICOLAUS.

IN Nicolao Mutono, quem nunc laudandum ſuſcipimus, præclarum habemus Phyſicæ facultatis, & Poëticæ artis nexum, ambas enim ſic dilexit, ut cujus merito magis commendari debeat, ancipites ſimus. Sanè quantùm in Medica excelluerit indicat Curtius Vir Clariſſimus, qui eum Phyſicum inſignem appellavit, cui pluribus nominibus adſtricta eſt Pharmaceutica, eam namque & ſuis, & aliorum Lucubrationibus in lucem editis illuſtravit. Atque hic Lectores optimos advertendos arbitramur, Scriptorem hunc ipſum eſſe, de quo ſub nomine tantùm Nicolai Mediolanenſis verba fecimus in Articulo Joannis de Concoregio, nondum enim eo tempore nobis notum erat Viri cognomen; qua de re nos monuit amiciſſimus JC. Sitonus. Quamvis autem in conſcribendis Phyſicis Libris totus eſſet, nunquam tamen ab amœnis Muſarum ſtudiis abhorruit, nam plura Poëtica illius ſuperſunt Opera inferiùs memoranda, è quibus patet, quo præditus eſſet ingenio. Floruit medio fermè Sæculo XVI., & ad plures migraſſe creditur ante ſubſequentis initium. Quod ad parentes, aliaque id genus attinet, altum apud omnes ſilentium.

Sibi tamen immortalitatem conciliavit iis, quæ hic damus, Operibus.

I. Luminaria duo: Majus, Auctore Joanne Jacobo de Manliis Alexandrino: Minus à Quirico de Auguſtis conſcriptum.

II. Theſaurum Aromatariorum Pauli Suardi. Hæc omnia emendavit, Appendicibus auxit Nicolaus Mutonus Mediolanenſis. *Venetiis, apud Hieronymum Scotum*, 1556. *in fol.* Sed Luminare Majus ſeorſim primùm apparuit *Venetiis, apud Lucam Antonium Junctam*, 1549. *in fol.*, & denuo 1561., *& apud Bevilaquam*, 1566. *in fol.*

III. Mithridatiotechnia, hoc eſt, de Mithridatis legitima conſtructione, Collectanea, ſub limam, & incudem revocata, polita, emaculata, Annotationibus, atque Controverſiis, utilibus juxta ac neceſſariis locupletata, & in publicum noviſſimè producta per Michaëlem Doringium Breslavienſem. *Jenæ, apud Jo. Beitmannum*, 1620. *in* 8.

IV. Joannis Seraphionis de Simplicium Medicamentorum Hiſtoria lib. VII. Interprete Nicolao Mutono Mediolanenſi Medico. *Venetiis*, 1552. *in fol.*

V. Antidotarium Mediolanenſe ordine alphabetico diſpoſitum. Extat ad calcem Lucidarii in practica Medicinæ Magiſtri Joannis Concoregii. MS. in Bibliotheca Ambroſiana ſign. A. num. 104. in fol. de quo locuti ſumus littera C. in Joanne Concoregio, ibique ad calcem legitur „ Explicit Antidotarium Nicolai „ tunc ignorabamus fuiſſe Mutonum, ideoque ad litteram N. Lectorem remiſimus; monente poſtea Sitono agnovimus Opus eſſe Mutoni noſtri, quod ignorarunt Curtius, Mangetus, Merklinus, Picinellus, aliique de Auctore iſto ſcribentes.

VI. Poeſie del Diviniſſimo Vida traddotte in verſi Toſcani ſciolti da Niccolò Mutoni, con un Trattato dell'Arte Poetica del medeſimo. *Venezia, preſſo il Giolito*, 1567. *in* 8. Ita Cinellus in Biblioth. Vol. Clariſſimus Franciſcus Ariſius in Cremona Litterata loco infra citando ſic ait: „ Nicolaus Mutonus ſuper Scacchia „ M. Hieron. Vidæ Paraphraſim Italico verſu edidit „ *Romæ an.* 1544.

VII.

VII. Policno Stratagemmi dell' Arte della Guerra traddotto da Niccolò Mutoni. *Venezia, preſſo il Valgriſi*, 1552. in 8.

Videantur de præfato Nicolao Mutono Doctore Phyſico Joannes Antonida Vanderlinden de Scriptis Medicis parte I. pag. 496. Franciſcus Ariſius in Cremona Litterata Tom. II. pag. 111. Georgius Abraham Mercklinus in Lindenio Renovato de Scriptis Medicis pag. 840. Joannes Jacobus Mangetus Biblioth. Script. Medic. Tom. III. pag. 391. Curtius in libro de Medicis Mediolanenſibus pag. 83. Picinellus in Athenæo pag. 431., & Sitonus in Schedis.

## MCLXXV.

## MUTONUS PHILIPPUS.

ANno quadrageſimo tertio mox præteriti Sæculi ex Chriſtophoro Mutono, atque Franciſca Gorina conjugibus natus eſt in hac Urbe Philippus, quem nunc recenſebimus inter Inſubres Juriſconſultos doctrinâ præſtantes. In Ticinenſi Academia, cum utrique Juri navaſſet operam, ibi anno MDCLXVI. die XI. Maji laurea honeſtari promeruit. Mox in Foro Mediolanenſi clientelam cauſarum ſuſcipiens, magni nominis famam eſt aſſecutus, nam ei muneri præter integritatem animi, ingenii quoque acumen adjungens ab Ampliſſimo Excellentiſſimi Senatus Patrum Ordine, aliiſque Magiſtratibus plurimùm ſæpe laudatus eſt. Vitam clauſit die II. Octobris, anno Salutis MDCXCIII.

Ejus Lucubrationes ſunt

I. Conſultatio pro D. Capitaneo Don Theodoro Trivultio cum D. Marchione Sigiſmundo Eſtenſe, quæ eſt Conſultatio CCCCLVII. inter illas Aloyſii Manſii Tom. V. à pag. 604. ad pag. 619.

II. Conſultationum impreſſarum Tomi XXX. extant penès Advocatum Chriſtophorum Mutonum Auctoris filium, in fol.

De ipſo agit amiciſſimus Sitonus in Schedis.

## MCLXXVI.

## MYROCLES.

MYrocles Mediolanenſis Civis, & Epiſcopus, Conſtantini, & Melchiadis Pontificis temporibus floruit. Vir fuit eruditione, & virtutibus inclytus, atque in id maximè incubuit, ut univerſam Mediolanenſem Provinciam ab impuræ ſuperſtitionis reliquiis purgatam Chriſtianæ Religionis luce perfunderet. Ejus cum laude meminit Sanctus Ambroſius in Oratione adversùs Auxentium de Baſilicis tradendis. Certam Sacrarum Precum Regulam ab Apoſtolicæ Inſtitutionis uſu derivatam præſcripſit Eccleſiæ ſuæ, atque omnes Epiſcopales virtutes coluit, in primis verò hoſpitalitatem, ejus ædibus ægris, egentibus, & peregrinis hominibus ſemper patentibus. Ex ejus proſapia originem duxiſſe Sanctum Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum in Actis ejuſdem Epiphanii teſtatur Ennodius. Emigdium natione Gallum primum Aſculanæ Eccleſiæ Epiſcopum, & Martyrem Sacerdotali Myrocles dignitate ornavit, ut teſtantur Acta ejuſdem Emigdii, quæ in Vaticana Bibliotheca cuſtodiri ait Puricell. Diſſert. Nazar. cap. 36. num. 2. Interfuit Myrocles Romano Concilio in cauſa Cæciliani Epiſcopi Carthaginienſis, ut ſcribit Optatus Milevitanus lib. I. contra Parmenſ. Corrigendus ideo ex Baronio in Not. ad Martyrol. Rom. III. Nonas Decemb. litt. G. error Chronici Mediolanenſis, ubi ponitur Myrocles obiiſſe diem anno Domini CCLXVIII. nam ex Optati teſtimonio reperitur Judex ſediſſe in cauſa Cæciliani anno CCCXIII. Quievit in Domino III. Non. Decemb. quo die in Mediolanenſi Eccleſia ejus Solemnitas celebratur, Jacet in Baſilica Portiana. Ipſum ſub Maximiano Imperatore Martyrio coronatum fuiſſe, ait Vallianus in Vitis Archiep. Mediolanenſ. ejus tamen ſententiæ ſubſcribere non poſſumus, cum Eccleſia Ambroſiana ipſius tamquam Confeſſoris, Feſtum celebret, & in nullo Martyrologio velut Martyr memoretur.

Unum ſupereſt illius ingenii Monumentum:

I. Epigramma ſcilicet quod in Æde D. Gervaſii Brixiæ ſubjecit imagini D. Anathalonis Prædeceſſoris ſui Diſcipuli B. Apoſtoli Barnabæ, quam ipſe pingendam curaverat. Illud exſcripſit Baronius in Notis ad Rom. Martyrol. VII. Kal. Octob. litt. F. ex Commentario Andreæ Alciati de Rebus Patriæ, tunc nondum edito quod erat apud Cardinalem Franciſcum Alciatum.

*D. Anathaloni Attico Secundo Epiſcopo.*

*Petri hoſpes, Sanctéque Anathalon, Domne probate,*
*Atque idem ſocius Barnabæ Apoſtolici:*
*Qui Mediolani verbi Myſteria tradens,*
*Te jubet agnatos viſere Cenomanos.*
*Dum tua membra metu rigidis ſubducta Tyrannis*
*Brixia vicino detinet in loculo:*
*Hic titulum, & picto venerandos parjete vultus*
*Mirocles reddit, præſtitit alma fides.*
*Mirocles Epiſcopus.*

II. Regula Sacrarum Precum, quæ poſtmodum à Sancto Ambroſio aucta eſt, & renovata, à Myrocle tradita Eccleſiæ Mediolanenſi. Hujus rei teſtes habemus Acta ipſius S. Myroclis, quæ ab eadem Eccleſia die ipſi ſacro leguntur, & Cæſarem Cardinalem Montium Archiepiſcopum in Epiſtola Paſtorali ad Clerum Mediolanenſem Ambroſiano Miſſali præfixa.

Ipſius cum laude meminerunt, præter jam citatos Auctores, Bonaventura Caſtillionæus in Vit. Archiepiſc. Mediol. Pucinellus in Zodiaco Eccleſiæ Mediol. parte II. pag. 152. Jo. Baptiſta Cariſius in Diario Sacro Mediolanenſ. pag. 123. & JC. Sitonus in Monument. Familiæ de Fidelibus.

Digitized by Google

# N

## MCLXXVII.

## NARDINUS STEPHANUS.

LAudatiſſimus Præſul Mediolanenſis Eccleſiæ Stephanus Nardinus in Urbe Forojulienſi nobilibus ortus parentibus, inſignis doctrinæ & pietatis eximiæ ornamentis celebratur. Magno ingenii acumine præditus, ſcientiarum emenſus curricula Clericali ſe adſcribendum dedit militiæ. Mox inter Apoſtolicæ Sedis Protonotarios recenſitus, ex Familiari Pii II. eruditiſſimi Pontificis, Legationem in Germania pro graviſſimis Eccleſiæ Romanæ negotiis obivit. Ea egregiè functus, atque in Italiam reverſus, cùm Carolus Forolivienſis, Archiepiſcopus Mediolanenſis migraſſet è vita, Stephanus noſter ad hujus Eccleſiæ adminiſtrationem aſſumptus eſt ab eodem Pio II. Sub Calixto III. Æmiliam, ſub ſæpedicto Pio II. Picænum cum imperio rexit. A Paulo item II primùm ad Ferdinandum Neapolitanum Regem Legatus miſſus fuit, tum Almæ Urbi Præfectus renuntiatus, anno demum MCCCCLXXIII. Nonis Maji à Sixto IV. apud Sanctam Mariam Majorem Cardinalis Presbyter tituli S. Hadriani (quem titulum poſtea in alium S. Mariæ trans Tyberim commutavit) creari meruit. Hinc ab eodem Sixto Pontifice Ariminum proficiſci jubetur cum poteſtate Legati à latere, ut eam Urbem in fide erga Sedem Apoſtolicam ſervanda, poſt obitum Roberti Malateſtæ, confirmaret. Summo fuit in honore apud Galeacium Mariam Sfortiam Vicecomitem Mediolani Ducem, qui eum in ſecretius Conſilium adſcivit, ut ex Codice MS. circa annum MCCCCLXXVII. conſcripto, qui ſervatur in Bibliotheca Metropolitanæ Baſilicæ, ſignat. ✠ num. 83. in fol. eruit doctiſſimus Sitonus in Chron. JCC. art. 102. pag. 23. Ambroſianam Eccleſiam ſibi commiſſam, ſummopere adamavit, atque de Ritibus ejuſdem reparandis ſollicitus, Litaniarum preces olim à Sancto Lazaro Archiepiſcopo inſtitutas, impreſſo Codice reſtituit; ut in ipſius Sancti Lazari Articulo præfati ſumus. Extra Portam, quæ Tonſa dicitur, loci amœnitate delectatus Ædes conſtruxit magnificas, quò Præſules Mediolanenſes ad levandas curas poſſent divertere, eoque loco nunc ſurgunt Ædes Pauli Montii Comitis Cæſaris Filii. Majus etiam Templum nobili ſupellectile dotavit, Manuſcripto præſertim Ambroſiano Miſſali auro, & picturis inſigni, in ejuſdem Sacrario ad noſtram hanc ætatem aſſervato. Archiepiſcopium auxit, & Eccleſiaſticam diſciplinam omni contentione revocavit. In Alma Urbe Collegium excitavit, cui de nomine ſuo, Nardini nomen impoſuit, ut ibi XXVI. Adoleſcentes familiaris rei inopiâ laborantes gratis alerentur, cujus jus poteſtatemque univerſam apud Mediolanenſes Archipræſules eſſe voluit, reſervata Abbati S. Ambroſii unius Alumni nominatione. In pauperes quoque munificus non pauca Hoſpitali Lateranenſi bona donavit, inter quæ Palatium ære ſuo Romæ extructum, quod Urbis Prætores nunc incolere conſueſcunt, præ cujus foribus non uno loco Inſcriptiones ſequentes extant.

STE. NARDINVS CARD. MEDIOL. MCCCCLXXV.
STE. NARDINVS CAR. MEDIOL. ANNO IOBILEI.

Neque minori beneficentiâ titulum ſuum Tranſtyberinum S. Mariæ eſt proſecutus; ibi enim Sacrarium impenſa ſua reſtituit, & ornavit, ſuperſtite ad Fores ipſius Nardini Elogio. In Picæno, atque in Urbe Avenione Legationis munus exercuit, & cùm plura doctrinæ, liberalitatis, ac religionis veſtigia ubique reliquiſſet, Archiepiſcopatus ſui anno XXIII. cùm interfuiſſet Comitiis, in quibus Innocentius VIII. Pontifex eſt renunciatus, Romæ mortalis eſſe deſiit, die XXII. menſis Octobris, ante horam noctis primam ex Diario Burchardi, ſive, ut Ciacconio placet, die XXI. Septembris, anno MCCCCLXXXIV. Cadaver illius conditum fuit in Baſilica Vaticana, hac adjecta Inſcriptione, in qua verus ejuſdem mortis menſis inſpicitur.

D. O. M.
STEPHANO NARDINO PATRIA FOROIVLIENSI
TITVLI S. MARIAE TRANSTYBERIM
PRESBYTERO CARDINALI
MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO
LEGATO AVENIONEN.
OBIIT ANNO SALVTIS MCDLXXXIIII.
XI. KALEND. NOVEMB.

Nunc verò ob novam ipſius Baſilicæ molitionem translatum, in Cryptis Vaticanis jacet, his litteris in fornice extantibus, ad tanti Viri ſervandam memoriam.

HIC HVMI EXISTVNT SEPVLCHRA
CARD. STEPHANI NARDINI
ET CAROLAE REGINAE HIERVSALEM
CYPRI ET ARMENIAE.

Ejus doctrinæ teſtem habemus maximum, Pium videlicet II. in Commentariis ſuis, cui etiam conſentit Cardinalis Papienſis, qui in Epiſtolis ſuis eum appellat Virum integerrimum, atque eruditiſſimum. Conjicimus tamen illius Lucubrationes plures, & ut veriùs dicamus, omnes intercidiſſe.

Hæc enim tantùm memorantur ab Eggs in Purpura docta:

I. Opuſcula nonnulla egregia Vernaculâ linguâ conſcripta.
II. Conſtitutiones Collegii Nardini ab eo Romæ excitati. Servantur MSS. in Archivo ejuſdem Collegii.



Digitized by Google

A

Extat Oratio Petri Marſi in Solemnitate Sanϛti Stephani Protomartyris. *Romæ impreſſa in 4.*, & Cardinali noſtro dicata.

Plures ad eum dedit Epiſtolas Franciſcus Philelphus inter hujus editas.

Laudatur à Hieronymo Garimberto in Vit. Pontif., & Cardinal. Ciacconio in Cardinal. Sixti IV., Ughello Italiæ Sacræ Tomo IV. in Mediolanen., Ripamontio, P. D. Gaſpare Beretta in Schedis, aliiſque pluribus.

## MCLXXVIII.

## de NASO MATTHÆUS.

B

MAtthæus de Naſo Decretorum Doϛtor, necnon Præpoſitus Imperialis Baſilicæ Sanϛti Ambroſii hujus Urbis anno recuperatæ Salutis MCCCLIII. coævus fuit Joannis ex eadem Familia Bononienſis Epiſcopi, qui in Oppido Gallaratenſi ortus, è Melphienſi anno MCCCXLVIII. deinde è Veronenſi Epiſcopatu ad eam Cathedram tranſlatus eſt à Clemente VI. Pontifice, die III. Oϛtobris, obiitque anno MCCCLXI. In Libro Clariſſimi Saxii, cui titolus: „ Poſ„ ſeſſio SS. Corporum Gervaſii, & Protaſii „ indicantur Statuta Capituli Baſilicæ S. Ambroſii ſancita à Præpoſito Matthæo de Naſo, atque eadem ſunt forſan ipſa, quæ vidit doϛtiſſimus Sormanus, ut infra; dolendum interea eſt, quod de Matthæo noſtro mihi aliud non datum ſit Leϛtoribus meis proferre; nam nec annum mortis ejuſdem, etſi diligenter quæſitum, adinveni.

C

Hæc ſunt quæ de ipſo ſuperſunt:

I. Leges pro Inſtauranda Canonica Diſciplina; Incipiunt: „ Matthæus de Naſo Præpoſitus Eccleſiæ Sanϛti Am„ broſii, univerſis, & ſingulis Canonicis Eccleſiæ ſu„ pradiϛtæ ſalutem in Domino. „ Latæ ſunt anno MCCCLIII. die XVIII. Septembris. MS. in pergameno, in fol.

II. Aliæ pro Reformatione Capituli ejuſdem Eccleſiæ anno MCCCLXVI. latæ, die VIII. Oϛtobris. MS. in fol. ut ſupra. Extant in Archivo Capituli ſupradiϛti, eademque exſcripſit Sormanus, & in Collectionem ſuam Diplomaticam typis edendam intulit.

## MCLXXIX.

## S. NATALIS.

NAtalis Civis Mediolanenſis Vir fuit ſacra eruditione, linguarumque Latinæ, Græcæ, atque Hebraicæ peritie celebris, nec minus morum pietate Venerabilis, uſque adeò ut in Sanϛtorum Confeſſorum numerum jure ſit recenſitus. In Theodori Archiepiſcopi Mediolanenſis defunϛti locum circa annum humanæ Reparationis DCCXXXIX. ſuffeϛtus, Eccleſiaſticos Ritus Ambroſianæ Eccleſiæ, quorum peritiſſimus fuit, ſummopere promovit. Pro Catholica Fide multos exantlavit labores, multiſque etiam divinè faϛtis claruit. Baſilicam S. Georgio Martyri ſacram, cui cognomen ad Palatium, excitavit, atque attributis prædiis locupletavit, ut inde Canonicorum Cœtus aleretur, cui pio operi nonnulla contuliſſe Liutprandum piiſſimum Longobardorum Regem eruitur ex ipſius S. Natalis Inſcriptione ſepulchrali inferiùs memoranda. Meritis cumulatus migravit ad Dominum Epiſcopatus ſui menſe XIV. pridie Idus Majas, ejuſque ſolemnem memoriam Ambroſiana colit Eccleſia III. Idus eaſdem. Annum illi emortualem fuiſſe Chriſti DCCLXIV. Indiϛtione IV. aſſignavit Franciſcus Caſtellus alibi à nobis laudatus, in ſuis Colleϛtaneis: advertit tamen Eruditiſſimus Muratorius loco infra citando, eo anno Indiϛtionem II. non verò IV. decurriſſe. Ordinationem illius Clariſs. Papebrochius retulit ad annum DCCXL. in Exegeſi de Epiſcopis Mediol. Tomo VII. Maji Actor. Sanϛtorum, obitum verò ad annum ſequentem. Corpus ejus ſervatur, & colitur in ſupradiϛta Eccleſia S. Georgii, ubi Epitaphium Columnæ inciſum olim fuiſſe ſcribit Franciſcus Caſtellus citatus in Quodlibeto Diverſarum Antiquitatum MS. in Bibliotheca Metropolitanæ, quam Inſcriptionem cum emendationibus ejuſdem Clariſs. Viri Ludovici Antonii Muratorii hic Leϛtoribus exhibemus.

MARMORE CONCLVSVM TEGITVR VENERABILE CORPVS
NATALIS PRAESVL QVI FVIT ORBE BONVS
GRANDIS HONOR PATRVM FVERAT NAM PASTOR ET ALMVS
NOBILITER VIXIT REXIT OVESQVE PATER
CONDIDIT HANC AVLAM CHRISTO PRAESTANTE IVVAMEN
REX DEDIT ET RECTE PLVRIMA DONA QVOQVE
VNDE QVEANT VIGILES DOMINO SERVIRE PER AEVA
PROQVE SVIS CVLPIS POSSIT HABERE PRECES
ECCLESIAM REXIT BIS SEPTEM MENSIBVS ANNOS
SEXIES ATQVE DECEM CVMQVE DVOBVS HABENS.

D

Eum ſcripſiſſe

I. Librum contra Arianos teſtatur Breviarium Ambroſianum, & ex eo Ughellus in Ital. Sacra Tom. IV. in Archiep. Mediol.

Nicolaus Brautius in Martyrologio Poëtico hoc de ipſo Diſtichon cecinit:

*Eximius Præſul ſacros depromere ſenſus*
*Eloquio linguæ triplicis aptus erat.*

Eum celebrant Ferrarius, Panvinius, Acta Eccleſiæ Mediolanenſis, Muratorius Antiquit. Italiæ Medii Ævi Tomo IV. col. 764. Boſca in Martyrol. Ambroſ. Sitonus art. 431. pag. 103. aliique innumeri.

à NATIVITATE JOSEPH ANGELUS.
V. BUSSERUS JOSEPH LUDOVICUS.

## MCLXXX.

Digitized by Google

## MCLXXX.

## NAVA JOANNES.

EX nobili Familia Nava, Andrea patre, genitus eſt in hac Metropoli Joannes, qui Legales diſciplinas ſtrenuè ſecutus, & ſummis Academicis honoribus decoratus, Collegio Juriſconſultorum in Patria nomen dedit, anno Reparationis humanæ MCCCCLXXXIX. In Juriſprudentia adeò excelluit, ut communi calculo Scriptorum ætatis ſuæ præſtantiſſimus appelletur. Patriæ quoque commodis plures inſudavit annos in Decurionum numerum cooptatus. Chariſſimus extitit Joanni Jacobo Mediceo, Melegnani Marchioni, quem haud multo ante commendavimus; atque ab eo Præſes Conſilii Juſtitiæ in Marchionatu Muſſii ad Larium lacum conſtitui meruit: qua de re juvat hîc inſerere verba ipſa Marci Antonii Miſſaliæ in Vita ejuſdem Marchionis Joannis Jacobi parte II. pag. 192. hæc de Nava ſcribentis: „ Egli amò molto la giuſtizia, e però egli teneva a Muſſo un Conſiglio di Valenti Uomini Togati, che rendeſſero ragione a' ſuoi Sudditi, al quale con onorata proviſione conduſſe per Preſidente Meſſer Giovanni da Nava per ſincerità d'animo, e per eccellenza di dottrina rariſſimo tra quanti Dottori ebbe mai il Collegio noſtro di Milano. „ Simul cum Joanne Baptiſta Vincemala, cujus Elogium, cùm tempus aderit, dabimus, quædam Gloſſemata paraverat ad Jus Municipale Mediolani illuſtrandum, quæ aucta, & in formam redacta meliorem cùm ad manus ſuas perveniſſent, ſe edidiſſe teſtatur Antonius Rubeus in Nuncupatoria præfixa Statutis Mediolani, cum appoſtillis Catteliani Cottæ, his verbis, quibus utroſque commendat: „ His tum apparabantur nonnulla, & pulchro ordine in noſtra Statuta, quæ dicuntur Gloſſemata, ſeu Gloſſæ (neque crediderim, de edendo, ii cogitarint) ea tamen tum à multis videbantur commendari. Hæc ipſa deinde ab eorum morte ad nos pervenere. Ego autem, ne tantorum non parvus Virorum labor diſperiret, & ſuus non eſſet rei fructus, curavi primò, ut hæc ipſa augerentur, complerentur &c. Deſideratus eſt tantus Vir anno Salutis MDXLIV., & apud Lancinum Curtium hæc de ipſo habemus Carmina.

Ad Joannem Navam Mediolanenſem.

*Attica ſi noſti, ſi Cretæ, aut Scita Laconum,*
*Vel veteres leges, dogmata, jura, pium;*
*Si tabulas, decreta, vices, ac juſſa Senatus,*
*Cæſaream mentem, Pontificumque tenes.*
*Nil mirum, vir docte, tibi contingit avita*
*Dos, hæres ſacri et officii, & generis*, &c.
*Nam vidua, pupillus habeat, pauperque patronum,*
*Urbs Civem, Dominum gens, ſocium Ordo Patrum.*

Superſtitem habemus ejus eruditionis memoriam in his, quæ ſcripſit, videlicet:

I. Gloſſæ plures ad Statuta Mediolani, quas edidit Antonius Rubeus, ut diximus.

II. Conſultatio pro Venerando Collegio Phyſicorum Civitatis Mediolani in ardua Controverſia contra Univerſitatem Pharmacopolarum Mediolani. MS. extat penes Comitem Ambroſium Navam, ejuſdem Authoris ex fratre trinepotis filium. Conſcripta eſt anno MDXXXI.

De eodem differit, præter citatos, Advocatus Sitonus in Monumentis Genealogicis Nobilis Familiæ de Nava, ab anno MCCCXX. ad annum MDCCXXVI. ſub numero 43. *impreſſ. an.* 1726. *in fol. penes Malateſtam*, & in Chron. JCC. pag. 69. art. 298., atque Picinellus incidenter in Athenæo pag. 49.

## à S. NICOLAO ARCHANGELUS.
## V. MOLTRASIUS NICOLAUS.

## MCLXXXI.

## de NIGRIS CÆSAR.

ALibi in hac noſtra Collectione Eruditorum Mediolanenſium Lectores docuimus, cur inter eos recenſere placuerit etiam earum artium Profeſſores, quæ ad optimè formandam adoleſcentiam conducunt. Nemo enim ſanæ mentis inficiabitur, hujuſmodi Viros pro modulo ſuo in publicum bonum natos laudem mereri. Cùmque apud bene moratas Reſpublicas choreis quoque ſua non defuerit commendatio, ut probè norunt qui veterum ſcripta pervolutarunt, etiam hujus artis peritos, aliquibus vulgatis Libris claros, inter Scriptores enumerandos eſſe liquidò conſtat. Hujuſmodi eſt Cæſar de Nigris Jacobo Antonio Patre in hac Urbe genitus, & cognomento dictus il Trombone, cujus peritiem ſatis oſtendit mox memorandum Opus, in quo, præter chorearum novos modos, publica quædam Larvatorum ſpectacula deſcripſit, Auctor recenſens etiam Equitum, ac Matronarum nomina, qui ſe in eis exercuere. Adhuc erat in vivis anno MDCIV. quo prædictum vulgavit Opus Philippo III. Catholico Regi dicatum,

Hoc titulo

I. Nuove Invenzioni di Balli diviſe in tre Trattati di Ceſare Negri, detto il Trombone. *In Milano, appreſſo Girolamo Bordone*, 1604. *in fol.* cum plurimis æneis figuris.

De eo mentio eſt apud doctiſſimum JC. Sitonum in Schedis, atque in ſerie genealogica Familiæ de Nigris.

## de NIGRIS GHERARDUS.
## Vide CACAPISTUS.

## MCLXXXII.

## de NIGRIS JACOBUS PHILIPPUS.

JAcobus Philippus de Nigris Mediolanenſis inter Clericos relatus, probitate morum non minus, quàm doctrinæ ornamentis claruit circa medium mox elapſi ſæculi. Theologicas Quæſtiones ſedulò cùm percepiſſet, in ea facultate Laureâ donari promeruit, mox in Oblatorum SS. Ambroſii & Caroli florentiſſimam Congregationem recenſitus, divinum zelatus honorem, atque animarum ſaluti proſpiciens, dignus eſt habitus, cui munus Generalis Doctrinæ Chriſtianæ Prioris demandaretur. In Collegio Helvetico Eloquentiæ præcepta Alumnis tradidit, & quantùm in ea excelleret optimè perſæpe oſtendit Cœlitum laudes è ſuggeſtu in hujus Urbis Templis pronuncians. Parochialis Eccleſiæ S. Petri, cui cognomen *ſul Doſſo*, non longè à Baſilica Ambroſiana ſitæ, adminiſtrationem exercebat vivente Picinello, qui unicam ejus Panegyrim excuſam protulit; nos verò præter illam, quæ eſt num. I. alia quoque damus, ut infra.

Sci-

Digitized by Google

Scilicet

I. L'Elogio. Panegirico per S. Antonio di Padova, detto nel Tempio di S. Franceſco li XX. Giugno MDCLII. *Milano, per il Monza, l'anno ſteſſo, in* 12.
II. Il Santo dell' Indie. Panegirico per S. Franceſco Saverio. *Milano, per lo ſteſſo*, 1653. *in* 4.
III. Volumi due di Panegirici. MSS. ſervantur apud Suos. Laudatur à citato Picinello in Athenæo pag. 242.

## MCLXXXIII.

## de NIGRIS PAULA ANTONIA.

EX Lazaro de Nigris, atque Eliſabetha Doria Conjugibus orta eſt Mediolani Virginia, quæ nomen & ſæculum reliquit, atque Angelica Paula Antonia vocari voluit. Pietate & moribus ſanctiſſimis inſtituta, etiam juvenilibus annis ſpem maximam virtutum Chriſtianarum in omnium oculis protulit, nam & Noſocomia frequenter pro ſublevandis ægrotis perluſtrabat, & ſcandala totis viribus in Urbe tollere ſtudebat. Operâ illius poſita fuerunt initia nobiliſſimi Aſceterii Monialium Angelicarum ſub Invocatione D. Pauli, in quo & ipſa nomen dedit in hac Metropoli, & quod ipſi erit perpetuus honor, & apud Deum merces optima, plura loca extructa pro fœminis reformandis, atque à vitiis auferendis, non tam in Patria, quàm Venetiis, Veronæ, atque Vicentiæ, itaut Mater Magiſtra appellaretur. Quod frequenter in extaſim raperetur, & cœleſtibus viſionibus frueretur nonnulli contendunt. Tot ferè Angelicis virtutibus ſcientias quoque addidit, nam, ut fertur, Epiſtolas D. Pauli non tantùm præ manibus frequentiſſimè habebat, ſed ipſas etiam doctiſſimè explicabat. Poſt puriſſimæ vitæ decurſum ad Chriſtum, quem ardenter ſitiebat, lætanter evolavit, anno Partus Virginei MDLV. ætatis XLVII., die verò IV. Aprilis. Ejuſdemque meminit Inſcriptio in Eccleſia Monialium S. Mariæ Ægyptiacæ, vulgo SS. Crucifixi hujus Urbis, ſequentibus Notis.

IOH. BAPTISTA NIGER
PROTONOTARIVS APOSTOLICVS
CANONICVS ORDINARIVS DOCTORALIS PRAEBENDAE
QVOD ANGELICA PAVLA ANTONIA DE NIGRIS
QVAE CALAMO SEXVM
MVNDI CONTEMPTV COELVM VICIT
IN HAC AEDE TVMVLATA EST
GENTILITIVM SACERDOTIVM
AD REM DIVINAM QVOTIDIE FACIENDAM
CONSTITVIT ANNO MDCLXXIII.

Hæc ſcripſit de ipſa Auguſtinus ab Eccleſia in libro, cui titulus: Teatro delle Donne Letterate pag. 271. „ Paola Antonia de Negri Milaneſe, Monaca in „ S. Paolo di Milano, eſſendo di ſpirito elevato, „ poſſedeva la Grammatica, avea boniſſima intelli„ genza della lingua Latina, ed ha compoſto molte „ Lettere Spirituali a ſembianza di Sermoni ſopra „ molte Solennità dell' anno, che furono ſtampate „ nel 1563.

Scripſit igitur:

I. Eſercizio particolare d'una Serva del Signore. Hoc Opus Paulæ Antoniæ tribuit Ariſius Clariſſimus in ſua Cremona Litterata loco infra citando, ſequentibus verbis: „ Cùm Romam anno Jubilæi MD„ LXXV. Nicolaus Sfondratus, poſtea Gregorius „ XIV. proficiſceretur, à Religioſo quodam Viro „ accepit librum, quem conſcripſerat devota Dei „ famula, illumque emiſit in lucem *Brixiæ, apud* „ *Turlinos, anno* 1577. cum inſigni Epiſtola, in„ ſcriptum: *Eſercizio particolare d'una ſerva del Si*„ *gnore* &c. Suſpicor, Opus eſſe Ven. Ang. Paulæ „ Antoniæ de Nigris Mediolan., quæ tunc & ſan„ ctimoniâ, & ſcientiâ clarebat, & multa divinæ „ frugis plena dictabat Mediol. in Cœnobio Ange„ licarum S. Pauli.
II. Lettere Spirituali di Paola Antonia de Negri. *Venezia*, 1547. *in* 4. *Milano*, 1563., e con la Vita della medeſima, raccolta da Gio. Battiſta Fontana de' Conti. *Roma, nelle Caſe del Popolo Romano*, 1576. *in* 8. Continet autem:
De Adventu D. N. Jeſu Chriſti.
De Nativitate D. N. Jeſu Chriſti.
De Circumciſione D. N. Jeſu Chriſti.
De Epiphania D. N. Jeſu Chriſti.
Super Epiſtola S. Pauli in Dominica Septuageſimæ.
In Die Sacrorum Cinerum.
In Dominica Paſſionis D. N. Jeſu Chriſti.
In Paraſceve de Paſſione Domini &c.
De Reſurrectione D. N. Jeſu Chriſti.
De Aſcenſione D. N. Jeſu Chriſti.
De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento &c.
De hoc tamen Opere numero II. indicato vide, quæ diximus in Articulis Joannis Petri Beſutii, atque Jacobi Antonii Moriggiæ.

Videndi quoque ſunt Paulus Moriggia in lib. III. Nobil. cap. 26. Gregorius Roſignolus in Vita Comitiſſæ Paulæ Taurellæ, Anacletus Siccus, Valerius Modius in Synopſi Clericorum Regularium S. Pauli, ſupradictus Ariſius in Vita Gregorii XIV. Tom. II. Cremonæ Litteratæ, pag. 412. Hippolytus Maraccius in Bibliotheca Mariana, Par. I. pag. 95. ſupracitatus Joannes Baptiſta Fontana de Comitibus, quem nos laudavimus littera C. Morerius in Lexico, etſi cum aliis non bene de hac Dei famula ſentiat, Sitonus in Theatro Nobil. pag. 129. Art. 543., & Picinellus in Athenæo pag. 444.

MCLXXXIV.

Digitized by Google

## MCLXXXIV.

### de NOBILIBUS CHRISTOPHORUS.

EX Conjuge ſua Juſtina Ferraria Franciſcus de Nobilibus Mediolanenſis Chriſtophorum filium ſuſcepit, qui annis puerilibus inter bonarum artium rudimenta tranſactis, in ipſo adoleſcentiæ flore Kal. Maji, anno Salutis MDCLIX. Sæculo valedixit, atque Eremitarum Nudipedum, ſub S. Auguſtini Regula Deo militantium Inſtituto ſe addixit, ac Joannis Ambroſii à S. Carolo nomen ſuſcepit. Emiſſis anno ſequenti Votis ſolemnibus, Philoſophicas Quæſtiones, atque Theologiæ arcana diligentiſſimè ſcrutatus, quæ in eis privatos intra parietes didicerat, Theſibus non ſemel publicè propugnatis, in apertum protulit non ſine adſtantium omnium commendatione, ac plauſu. Divinorum poſtea Codicum ſtudio totum ſe dedit, atque in pervolutandis Interpretum explanationibus indeſeſſus, eam inde eruditionem hauſit, quam in animarum ſalutem Verbum Dei aſſiduè populis miniſtrando, & Libros conſcribendo derivavit; donec pluribus ſibi meritis ante Dominum comparatis mortalis eſſe deſiit circa præſentis Sæculi annum decimumquintum.

Hæc publici Juris fecit:

I. Oſcula Cœleſtia, ſive Explanatio in Cantica Canticorum. *Mediol. apud Federicum Agnellum*, 1677. *in* 4. In hoc Opere dilucidè explicat Sacri ejus Libri ſenſus, atque Myſteria juxta Clariſſimos Patres, & Interpretes.

II. Prediche per l'Avvento. *Ivi, per Federico Vigone*, 1688. *in* 4.

III. Diſcorſi Sacri. *Ivi, per lo ſteſſo Vigone*, 1690 *in* 4.

IV. Prediche Quareſimali. *Ivi, per gli Agnelli*, 1696. *Tomi II. in* 4.

V. Diſcorſi ſopra i Dolori di Maria Vergine. *Ivi, per il Vigone*, 1702. *in* 4.

VI. Diſcorſi ſopra le eccellenze del Santiſſimo Roſario. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1711. *in* 4.

Hæc nobis ſui Ordinis Sodales indicarunt.

## MCLXXXV.

### de NOTTIS, ſeu NOTTIUS STEPHANUS.

INter profeſſores Ordinis Humiliatorum, quondam apud Inſubres celeberrimi, non infimum locum ob eruditionis præſtantiam ſibi promeruit Stephanus de Nottis, ſive Nottius Mediolanenſis, qui apud Suos magna in exiſtimatione habitus Præpoſituram Sanctiſſimæ Trinitatis, Suburbii Olitorum hujus Urbis appellati nunc Parochialis, in meritorum gratiam obtinuit. Nam liberalium Artium, Sacræque Theologiæ Magiſterio, & Laurea in Jure Canonico inſignitus fuerat à Joanne Antonio Sangeorgio, poſtea Cardinali, quem ſuo loco laudabimus. In ſui Ordinis Breviario emendando, atque edendo plurimùm inſudavit, ut inferiùs dicemus. Præpoſitus etiam aliquando extitit in hac Metropoli Domus ſui Ordinis, appellatæ de Canegrate. Quantum verò in ſacris Diſciplinis excelleret, apertè oſtendit Opus ejuſdem, cujus titulum mox proferemus. Cætera ad Stephanum noſtrum pertinentia dare ſuperſedemus, cùm de ipſo abundè ſcribat V. Clariſſ. Saxius



A in ſua Typographica Hiſtoria, ad quam libentiſſimè Lectorem remittimus.

En Auctoris noſtri Opus, cui titulus:

I. Tractatus de Jubilæo. In fine ſic legitur: „ Die XVI. Jan. MD. hora II. noctis. Præmiſſum Opus compoſuit F. Stephanus ex Nottis primò in alma Braydæ Domo Ordinis Humiliatorum Mediolani Profeſſor, & nunc in Domo de Canegrate ejuſdem Ordinis, & Civitatis Præpoſitus, Artium, & Theologiæ Magiſter, & Decretorum Doctor, ad laudem Omnipotentis, & æterni Dei, & ut ſalventur Animæ omnium in hoc Volumine legentium. Opus remiſſionis à pœna, & culpa ad Joannem Antonium de Sancto Georgio S. Ambroſii Præpoſitum Cardinalem Alexandrinum. *Impreſſ. Mediol. per Magiſt. Leonardum Pachel anno* 1500. *die* 1. *Decembris*.

B Aliqua pars ejuſdem Tractatus extat etiam in libro, cui titulus: „ De Anno Jubilæo, & tota Indulgentiarum materia Commentarius, quem Martinus Azpilcueta Navarrus conſcripſit, &c.

II. Brevis quædam ejus anni explicatio contexta à D. Stephano Nottio Theologo, & Juris Canonici Doctore. *Mediolani, apud Pontium*, 1573. *in* 8.

Ex citato Clariſſimo Saxio, atque amiciſſimo Canonico Irico in Hiſt. ſua Typographica Tridinenſi.

## MCLXXXVI.

### NOVATUS HIERONYMUS.

C FAmiliæ Novatæ fuit antiquitus Cognomen de Medicis de Novate, ut nos monuit doctus amiciſſimuſque Sitonus, cui etiam debemus Seriem Chronologicam Gentis iſtius ab anno Virginei partus MCCCXVIII. uſque in præſentem diem, ex qua agnovimus Hieronymum, de quo agimus, filium extitiſſe Petri J. C. C. Mediolanenſis, de quo paulo infra loquemur. Hieronymus & ipſe anno XVIII. ſupra milleſimum & quingenteſimum in J. PP. Collegium Nobilium hujus Urbis ingreſſus eſt, deinde anno MDXLVIII. Auditor S. R. R. electus, paulo poſt Epiſcopus Milevitanus in regione Africana ſub Archiepiſcopatu Carthaginenſi à Paulo III. Pontifice Maximo creari meruit. Ante verò Sacerdotium uxorem habuit filiam Bernardini Ghilii ex LX. Decurionibus hujus Urbis, ex qua tres ſuſcepit filios: de hac re

D extant apud ſupralaudatum Sitonum Tabulæ Davidis de Gluſſiano Mediolani Notarii, datæ anno MDXL. Quantum nominis Hieronymus noſter ſibi acquiſiverit apud J. CC. primarios ſuæ ætatis, facilè conjicitur ex ſuis Allegationibus pro Catharina de Auſtria Angliæ Regina, de quibus infra. Deſideratus eſt die XXIX. Novembris anno MDL.

Extant de ipſo:

I. Hieronymi Novati Mediolanenſis Advocati pro Sereniſſima Domina Catharina de Auſtria Angliæ Regina, ejuſque legitimo conjugio &c. Allegationes. *Romæ, apud Antonium Baldum*, 1532. Editio elegans ad Cardinalem de Accoltis.

E II. Deciſiones plures extant MSS. in Archivo Rotæ Romanæ ex infraſcriptis.

Legitur ad eundem Epiſtola Hieronymi Perboni, ſic inſcripta: „ Excellentiſſimo Jureconſulto Hieronymo de Novate ex Stemmate Medices „ in lib. III. Epiſtolarum ejuſdem Perboni. *Mediolani, apud Mi- dam*, 1533. *in fol. pag.* 9.

De eo agit Rubeus in Singul. Deciſion. Rotæ Romanæ. Achilles de Graſſis Deciſ. 190 Cantalmajus in Syntaxi S. Rotæ Rom. Auditorum pagg. 16. & 34. & Cl. Sitonus in Schedis.



Digitized by Google

## M C L X X X V I I.

## NOVATUS JOANNES BAPTISTA.

EX eadem Familia de Medicis de Novate ſic antiquitùs nuncupata, ut ſupra in Hieronymo jam diximus, ortus eſt Jo. Baptiſta, patre Aloyſio, qui non tantùm litteris, ſed pietati deditus Congregationem Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis amplexus eſt anno Orbis Redempti MDCVI., ibique Philoſophicas, atque Theologicas facultates non ſolùm didicit, ſed etiam Suis, aliiſque Alumnis è ſuggeſtu dictavit. Scientias quoque Mathematicas, atque Aſtronomicas ſummopere coluit, & quod plus eſt, de eminentiis Deiparæ Virginis, atque illibata ipſius Conceptione tam doctè, tam piè ſcripſit, ut magnum nomen apud poſteros ſibi acquiſiverit. Tanti quoque ipſum fecerunt Sui, ut poſt alios honores ei collatos, Præpoſitum Generalem totius Congregationis, in ordine Septimum, ipſum voluerint. Dolendum interea eſt, quod infirmæ valetudinis Vir iſte digniſſimus ferè uſque ad ejus Vitæ exitum fuerit, idque moleſtè accidit die II. menſis Auguſti anno MDCXLVIII. itaut nos mirati ſimus, quomodo tanta ſcribere potuerit, ut ex ejuſdem Operibus infra recenſendis à nobis partim inſpectis diligentiſſimè, humanitate P. D. Joſephi Muratorii ejuſdem Congregationis Presbyteri digniſſimi.

Videlicet

I. De Eminentia Deiparæ Virginis Mariæ Tomus I. ad Urbanum VIII. Pont. Max. *Romæ, apud Muſcttum*, deinde *Bononiæ, apud Montium*, 1639. *in fol.* Tomus II. ad Cæſarem Cardinalem Montium. *Bononiæ, apud Ductios*, 1656. *in fol.*

II. Euchariſtici Amores Tomus I. *Mediolani, apud Dionyſium Gariboldum*, 1645. *in fol* Ejuſdem Operis Tomus II. poſt Auctoris mortem lucem vidit *Victoriæ in Allaba, per Bartholomæum de Rieſto*, 1726. *in fol.*

III. Adnotationes, & Deciſiones Morales pro opportuno Infirmis, & Moribundis auxilio præſtando. *Bononiæ, apud Jacobum Montium*, 1638. *in* 8. Ipſæ denuo Italico Sermone ibi impreſſæ fuerunt, & *Mediolani*, 1646. *in* 12.

IV. Dilucidationes de illibata Conceptione B. V. Mariæ. Has prælo habebat paratas, teſte Maraccio, cui Auctor noſter fuit amiciſſimus, in Bibliotheca Mariana part. I. pag. 684.

V. Commentaria in Logicam. MS. in 4.

VI. Commentaria in Phyſicam. MS. in 4.

VII. De Generatione, & Corruptione. MS. in 4.

VIII. De Deo Uno, & Trino. Vol. II. MSS. in 4.

IX. De Gratia. Vol. II. MSS. in 4.

X. De Actibus Humanis. MS. in 4.

XI. De Sacramentis in genere, & in particulari. MS. in 4.

XII. De Virtutibus Theologicis. MS. in 4.

XIII. De Legibus in Communi. MS. in 4.

XIV. De Incarnatione. Vol. III. MSS. in 4.

XV. De Hæreſi.

XVI. De Prudentia.

XVII. De Amore, & Odio.

Hæc III. ſunt uno tantùm Volumine MS. comprehenſa.

XVIII. De Sacramento Euchariſtiæ. MS. in 4.

XIX. De Angelis. MS. in 4.

XX. De Vacuo, & Motu. MS. in 4.

Supradicta omnia ſervantur in Bibliotheca ſuorum Collegii Sanctæ Mariæ Salutis Mediolani.

XXI. Tractatus de Meteoris.

XXII. De Aritmetica.

XXIII. De Aſtronomia.

XXIV. De Mathematicis.

Hæc MSS. indicantur à P. Regio in Libro, cui titulus: „ Memorie Iſtoriche de' Cherici Regolari „ Miniſtri degl' infermi.

Laudatur à Leone Allatio in Libro inſcripto Apes Urbanæ pag. 152. à Picinello in Athenæo pag. 281. & à ſupradicto P. Regio ex profeſſo pag. 385.

## M C L X X X V I I I.

## NOVATUS PETRUS.

PEtrus de Medicis de Novate, dictus etiam ſimpliciter Novatus, Patrem habuit Chriſtophorum inter Decuriones Mediolanenſes adſcriptum anno MCCCCXLVII. Sicuti & noſter in eodem Cœtu enumerabatur anno MDXIII. & ex XXIV. Gubernatoribus, atque hujus Urbis Defenſoribus anno MDXV. Ad Jura ediſcenda tam ſollicitè ſe contulit, ut brevì in Collegio J. PP. Nobilium adſcribi meruerit, anno ſcilicet MCCCCLXXXIX. Patriæ Præfecturam cum laude peregit anno MDXX. Filium habuit Hieronymum S. R. Rotæ Auditorem, deinde Epiſcopum Milevitanum, de quo ſupra. Pauca nobis ſervavit ætas de Petro noſtro, ſed tam laudabiliter egerunt de ipſo Auctores infra citandi, ut dubium non ſit, ipſum plura ſcripſiſſe præter ea, quæ nos hic damus,

Scilicet:

I. Conſultationes Juridicæ; extant inter illas Jacobi Mandelli de Alba, in fol. circa finem.

II. Aliæ plures tam editæ, quàm MSS. reperiuntur in Collectionibus J. PP. Mediolanenſium, de quibus alibi dictum eſt.

De ipſo mentionem habuerunt cum laude Joannes Andreas de Prato in Continuatione Hiſt. Mediol. poſt Bernardinum Corium ad annum MDXV. MS. in fol. de quo ſuo loco. Carolus Hieronymus Cavaccius à Somalea in Alleviamento Status Mediol., & in ſerie Vicariorum Proviſ. ſub anno MDXX. Advocatus Sitonus in Chronico Colleg. J. PP. art. 297. pag. 69.

## M C L X X X I X.

## NOVATUS PETRUS alter.

EX tribus filiis, quos Hieronymus Novatus ante Sacerdotium ſuſcepit, ut diximus in eodem, unus eſt Petrus hic, de quo agimus. Vir fuit in Poëtica facultate tam clarus, ut Carmina ejuſdem à Gabriele Jolito, nec non ab Andrea Arrivabeno Collectoribus emunctæ naris impreſſa fuerint optimo ſæculo XVI. ut infra. Ex Stemmate Genealogico Familiæ Novatæ agnovimus, Petrum fuiſſe ex fratre nepotem Aloyſii, cui Reſpublica Litteraria obſtricta eſt pro Joanne Baptiſta à nobis jam laudato in lucem edito. Poëta interim noſter laudatur à Bartholomæo Taëgio in libro inſcripto: „ Dialogo della Villa „ his verbis: „ Potrei addurvi l'eſempio del generoſo Sig. Pietro „ Novato, della cui vertute mi fà de meſtieri, ch'io „ taccia, per non dir d'alto ſoggetto, & rocco, & „ poco; queſti è tanto amico della Villa, che ſolamente mette a conto di vita quegli anni, che „ ſtando ne ſuoi poderi, trapaſſa con molta ſua ſodisfazione. „ De altero Poëta Novato Mabillii nomine agit Cl. Fabricius in Tomo V. Bibliothecæ Medii Ævi, ſic: „ Mabilius Novatus Inſuber Poëta, in quem aſperiores luſus atque invectivæ Angeli Politiani in lib. Epigrammatum, Tomo tertio „ Editionis Gryphianæ pag. 303. & ſeqq. „ Sed cùm de ipſo, neque de ejus Scriptis aliquid mihi datum ſit reperire, ad meliorem ſortem alterius Collectoris poſt me ipſum amandavi. Petrus iſte florebat medio ſæculo XVI., & non ſine voluptate leguntur ejus Carmina,

Scilicet:

I. Plurima Carmina Italica extant in libro, cui titulus: „ Rime di Diverſi, raccolte dal Giolito, lib. V.

II. Alia in lib. VI. ejuſdem Collectionis poſt Jolitum, ab Andrea Arrivabeno editæ.

De ipſo agunt ſupradictus Taëgius in libro jam memorato pag. 73. Sitonus in Stemmate Genealogico Gentis Novatæ, atque ſæpecitatus Canonicus Iricus in Typographica Hiſtoria Tridinenſi, quam Typis parat.

Digitized by Google

# O

## MCXC.

## ODDONUS JOANNES BAPTISTA.

VAriſium Mediolanenſis Ducatus celebre Oppidum natale ſolum fuit Joannis Baptiſtæ Oddoni, cui nihil extitit antiquius, quàm Muſas colere, & amœna ſectari ſtudia. Cùm ſatis acre, apertumque ingenium ſortitus eſſet, res illi ceſſit ſatis feliciter. Voluntario tamen exilio patrios relinquere lares maluit, quàm imminentes ſibi calamitates ſubire, & Taurinorum Auguſtam petiit, ubi à Carolo Emmanuele Sabaudiæ Duce benigniſſimè exceptus eſt. In ea Urbe diù fuit ſemper ſtudiis intentus, & Carminibus pangendis ſedulam navans operam, donec anno Chriſti MDCXXX. peſtifera tactus lue ibi diem clauſit.

Lucubrationes illius his prænotantur titulis.

I. Le Vigilie di Marte. Harum meminit Scriptor ipſe in Nuncupatoria ſequentis Operis.
II. L'Edmondo. Tragedia. *Milano, per il Lantoni*, 1621. in 12. Dicata eſt Vincentio Mantuæ, & Montisferrati Duci, atque in Epiſtola ait, ſe paulo ante Opus à nobis num. I. ſuperius enunciatum eidem obtuliſſe.
III. Rime. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1623. in 8. Hoc ipſum Opus idem credimus, quod Picinellus inſcripſit: *Un Tomo di Sonetti, ed Idilij*, non indicato loco, anno, & Impreſſoris nomine.
IV. L'Arione. Tragicomedia. Nuncupata eſt prædicto Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci. Ex Picinello.
V. Glorie di Carlo Emmanuele Duca di Savoja. Poëma hoc imperfectum reliquit Auctor morte præventus, ut Picinellus teſtatur, at ubi nunc ſervetur nemo novit.

Ejus meminit citatus Picinellus in Athenæo pag. 281.

## MCXCI.

## OLDEPERTUS.

OLdepertus Civis Mediolanenſis, atque ſub Petro Oldrado Archiepiſcopo ejuſdem Eccleſiæ Presbyter, ipſo Petro defuncto ſucceſſor datus eſt, ut Triſtanus Chalcus teſtatur, circa annum Salutis noſtræ DCCCIV. Kal. Octobris. Arigauſo Monaſterii S. Ambroſii hujus Urbis Abbati, qui Benedicto è vivis ſublato ſucceſſerat, Templum S. Vincentii Martyris, cui cognomen in Prato, donavit, hujuſque conceſſionis Diploma datum menſe Januario, anno DCCCVI. qui erat Caroli, & Pipini in Italia Regum XXXII. & XXV. Indictione XIV. in Archivo ipſius Monaſterii autographum ſe vidiſſe Oldeperti manu ſubſcriptum aſſerit Puricellus loco infra citando. Eundem Pipinum Regem hoſpitio exceptum, è vita migrantem piiſſimis adhortationibus ad terribilem illum exitum communivit. Bernardum ejus Filium in Baſilica Modoëtienſi Italici Regni Corona ſolemniter redimivit anno DCCCXIII. Præfuit Ambroſianæ Eccleſiæ vigilantiſſimus Præſul annos IX. menſes VII. cùmque obdormiſſet in Domino V. Kal. Maji, anno DCCCXIV. in Ambroſiana Baſilica, magno cum univerſæ Urbis mœrore conditus fuit. Monemus hìc obiter, varios eſſe Scriptores in hujus Archiepiſcopi nomine, nam Oldibertus, Oldobertus, Olibertus, Odbertus, Eldebertus, Alipertus, & Alibertus, pro cujuſque libito nuncupatus eſt. Nos verò Oldepertum potiùs dicendum exiſtimavimus, Puricellum ſecuti, qui ita ſcriptum reperit ipſius manu ad calcem memorati Diplomatis.

Scripſit:

I. Librum de Sacramento Baptiſmi, ejuſque Ceremoniis. MS. in Bibliotheca Monaſterii Augienſis apud Conſtantiam, ex Oudino loco citando.
II. Epiſtolam ad Carolum Magnum Auguſtum. Eidem Operi præfixa eſt, eâque reſpondet Litteris ipſius Caroli, quæ cum ipſa Epiſtola MSS. extant etiam in Colbertina Biblioth. Cod. 3655. Epiſtolam Caroli vulgavit Clar. Mabillonius Tomo I. Analectorum pag. 21. Litteras verò Oldeberti cum ſpecimine libri ex anterioribus Patribus deſcripti idem Mabillonius refert Tomo IV. pag. 301. citati Operis.

De præſtantiſſimo Præſule meminerunt Puricellus in Monum. Baſilicæ Ambroſianæ num. XXIX. & alibi ſparſim; Caſimirus Oudinus de Scriptor. Eccleſiaſt. Tom. II. pag. 1 Dupinius Biblioth. Eccleſiaſticæ Sæculo IX. Ughellus Ital. Sacræ Tom. IV. Triſtanus Chalcus Hiſtor. Mediol. lib. V. Clar. Saxius in lib. ſuo cui titulus: „ Poſſeſſio SS. Corporum Gervaſii, & „ Protaſii Mediol. vindicata pag. 40. aliique plures.

## MCXCII.

## OLDERICUS.

OLdericus, qui à quibuſdam Scriptoribus Aldericus, & Ardericus dicitur, defuncto Hilduino Mediolanenſi Archiepiſcopo, de quo loco ſuo jam meminimus, in ejus locum ſuffectus eſt anno DCCCCXXXVII. cùm inter Ordinarios Metropolitanæ recenſeretur, atque grandævus eſſet ætate, Hugone Imperatore curante. Verùm paulo poſt adversùs Hugonem ipſum Oldericus Berengarium II. excitavit, ut illum de Italico Regno dejiceret. Rei cauſam præbuit Hugonis in Oldericum facinus indigniſſimum, cùm enim cuperet Hugo filium ſuum Manaſſem Archiepiſcopum hujus Metropolis conſtituere, ideoque Oldericum jam annis gravem ad eam dignitatem aſſumendum curaſſet, ut citò è vita migrans filio Præſulatum relinqueret, indignè ferens diutius, quàm ipſe mallet, annos ejus protrahi, cum aulæ ſuæ proceribus adversùs eum conſpiraverat, ut è medio tolleretur. Ægrè igitur, & non ſine Mediolanenſium Civium ingenti cæde, paratas ſibi cùm Archiepiſcopus declinaſſet inſidias, in eum, ut diximus, Berengarium Veronæ tunc degentem incitavit. Veruntamen Hugo tanti criminis rubore perfuſus, ac pœnitentiâ ductus Nonantulanam Abbatiam Olderico donavit. In Baſilica Sancti Ambroſii Synodum à nobis inferiùs recenſendam habuit, cui interfuere nonnullarum inſignium Urbium Præſules. Cùm Saraceni prædones Genuam diripuiſſent, divitiaſque inde ablatas in Inſulam ſinus Arabici advexiſſent, eas recuperaſſe traditur miſſa propriis impenſis claſſe. Qua re Genuenſes ſibi plurimùm devinxit, adeo ut per Oratores publicè ipſi gratias egerint, & Mediolanenſi Urbi pecuniâ ſuâ nova adjecerint munimenta. Eccleſiam Sancti Andreæ, cognomento ad murum ruptum, vetuſtate labentem reparavit, & refecit. Viduis ac pupillis opem tulit, & pauperes piiſſimè fovit. Hæreticorum hoſtis perpetuus adversùs eorum impetum ſtrenuè decertans gregem ſuum vigilantiſſimè regere ſtuduit. In Baſilica Apoſtolorum Sacellum excitavit, S. Lino Sacrum, cumque

Pape-

Digitized by Google

Papebrochius de ipſo verba faceret, ita locutus eſt, ut videatur ignoraſſe Baſilicam hanc eandem eſſe cum Eccleſia Sancti Nazarii, quod tamen Erudito extero, de rebus tam longè diſſitis ſcribenti, ignoſcendum. In eodem Sacello ſepultus eſt Oldericus, cum Præſulatus ſui anno XII. menſe II. obiiſſet III. Idus Octobris, anno Salutis DCCCCXLIX. Eum inter Sanctos antiquis etiam temporibus cultum fuiſſe, ac magnis claruiſſe miraculis, teſtatur Anonymus Scriptor Mediolanenſis in Opere inſcripto: D. Arderici Cottæ Archiepiſcopi Mediolanenſis hiſtoria: de quo meminimus in hac ipſa Collectione num. LXXXVIII. col. 55. his Verſibus:

*- - - - - - - - - - tandem poſt omnia fato*
*Extinctus, ſummum meritis conſcendit Olympum.*
*Hic erat egregium ſanari protinus ægros*
*Aſpicere. Hic greſſum claudis, & lumina cæcis*
*Reddidit: ardentis ſanavit ulcera lepræ.*
*Hic abigit febres, hunc ſumma frequentia noſtri*
*Semper adit populi, meritos & ſolvit honores.*

Quamvis autem & Anonymus iſte, & Scriptores alii Mediolanenſes Oldericum cognomento Cottam fuiſſe aſſerant, eum prout alios, abſque ulla Familiæ appellatione in medium adduximus, cum apud Eruditos ante ſæculum XI. in uſum cognomina hujuſmodi revocata nondum fuiſſe pro certo habeatur.

Laudatur Oldericus ob eam, quam memoravimus.

I. Synodum in Ambroſiana Baſilica celebratam.
Hanc inter apocryphas rejiciendam cenſuit eruditiſſimus Ludovicus Muratorius ob nonnulla, quæ hiſtoricæ veritati adverſari videntur: Eam tamen pluribus defendit Pater Euſtachius à S. Ubaldo, diluens omnia, quæ Muratorio dubiam fidem faciebant, ut optimè advertit Clariſſimus Saxius in libro ſuo de Poſſeſſione SS. Corporum Gervaſii, & Protaſii, pag. 41.
Meminerunt illius Ughellus Ital. Sacræ Tom. IV. num. LXIII. in Mediolanenſibus Archiep. Puricellus in Diſſertationibus Ambroſiana & Nazariana pluribus in locis. Gualvaneus dela Flamma in Manipulo Florum. Arnulphus in Chronico. Papebrochius in Notis adjectis Ughello loco citato. Hieronymus Montius in Oratione pro Pomponio Cotta, aliique plures.

## MCXCIII.

## OLDRADUS ALPHONSUS.

OLdradæ quoque Familiæ Mediolanenſis Geneſim Clariſſimo amiciſſimoque Sitono debemus, à Petro de Oldradis, anno Chriſti MCCCXCIII. florente, uſque ad Vitalianum, de quo ſuo loco dicturi ſumus. Hieronymus verò ex prima Conjuge ſua Victoria Alphonſum noſtrum genuit anno Orbis redempti MDLXIV. & non tam litteris, ſed pietati ſingulari deditus, Congregationi Oblatorum SS. Ambroſii, & Caroli adſcriptus extitit: iſtique Divo Antiſtiti propter egregias illius virtutes, & ingenii excellentiam chariſſimus fuit. Per plures annos illuſtriores Italiæ Urbes Evangelica Prædicatione percurrens, eximii Concionatoris ſibi famam comparavit. Divina poſtmodum vocatione Ordinem Seraphicum Minoritarum Capuccinorum ingrediens, nomen Auguſtini aſſumpſit. Ibi innocentiâ vitæ, morum elegantiâ, & virtutum ſplendore maxime coruſcavit uſque ad obitum, qui bonorum omnium cum dolore accidit anno MDXCIV. Hieronymi Patris Epitaphium viſitur in Eccleſia Monialium Sancti Ambroſii loci Canturii, quod eruimus ex Collectione Archintea.

HIERONYMO OLDRADO
VIOLANTA CANTONA OPTIMO CONIVGI
ET ANTONIVS MARIA CVM FRATRIBVS
OLDRADIS
PATRI BENEMERITO ET SIBI
S. Q. PP. ANNO MDCI.

Multa Alphonſus noſter ſcripſit typis digniſſima, aliaque imprimi permiſit ſuppreſſo ejus nomine, uti nos monuerunt Sui, illorum tamen titulum accipere non potuimus, ideoque Lectori offerimus, quod nobis datum eſt ex Moriggia, Picinello, aliiſque, ut infra,

Quæ ſunt:

I. Sermo quem primus omnium habuit in Academiâ Mediolanenſi Mutii Sfortiæ Columnæ Marchionis Caravagii.
II. Ethica Ariſtotelis ab ipſo explanata, pluribus Orationibus. Ibid.
III. De Honorum contemptu Diſſertationes ibi habitæ, in quarum ultima miſſionem petiit ab eo conſeſſu, Ordini Capuccinorum ſe ſe adſcripturus, in quo etiam elapſo vix menſe feliciter obiit. Ita Clariſſimus Saxius in Libro de Studiis Mediolanenſium.
IV. Opera quædam, teſte Moriggia, loco infra citando.
Ipſum laudarunt Carminibus Italicis, tanquam Verbi Dei Præconem eximium, Gherardus Borgogni in ſua Collectione, edita anno MDXCIX., & Franciſcus Civellus, de quo jam egimus; honorificentiſſimam mentionem de ipſo habent etiam Paulus Moriggia in libro III. cap. VI. Nobil. Mediol., & item idem Moriggia lib. eod. cap. XXXIV. pag. mihi 298, Zaccharias Boverius in Annalibus Capuccinorum, Tom. II. Part. II. pag. 153. num. 93. Italicè ad annum MDXCIV., Dionyſius Genuenſis in Bibliotheca Scriptorum ejuſdem Ordinis, edit. II. pag. 43. Carolus de Aremberg in Libro, cui titulus: „ Flores Seraph. „ Tom. II. pag. 14. apparitione ſecunda, Cl. Sitonus in Chron. Colleg. Nobil. Phyſ. Mediol. Art. 331. MS in fol penes ipſum Auctorem, & Picinellus in Athenæo pag. 18.

## MCXCIV.

## OLDRADUS JOANNES.

JOannes Oldradus in Oppido Meda, Mediolanenſis Ducatus, unde cognominatus eſt, primam vidit lucem exeunte Sæculo XII. A parentibus piè ac liberaliter educatus, in ipſo juventutis flore Clericali habitu aſſumpto, Divinis ſe obſequiis mancipavit. Sacerdotali dignitate auctus, in ſolitudinem Rondenarii ad Larii Lacus littora non longè à Comenſi Urbe ſe recepit. Florentiſſimum per ea tempora Humiliatorum Ordinem poſtmodum ingreſſus, primus fuit in eo Cœtu Presbyter, nam ante ipſum nemo niſi Laicus recipiebatur. Sanctitatem illius, & merita cum eruditione conjuncta mirati Sodales, totius Ordinis Regimini Joannem votis communibus præfecerunt. In eo munere inter alia ſapienter conſtituta illud edixit, ut abdicato Fratrum, atque Sororum nomine, Canonici deinceps appellarentur, Horas Deiparæ quotidie perſolverent, & S. Benedicti Regulam ſuſciperent. Brevì Ordinem Regularem effecit eâ traditâ vivendi formâ, quam ad extinctionem uſque tenuit. Ad ſacra Miniſteria obeunda quoſdam è Sodalibus, quos tanti gradus muneri aptos noverat, promovendos curavit. Cùm autem ſacrum Dei Verbum populis magno cum fructu miniſtraret, ingentem ſibi famam, atque exiſtimationem apud

Digitized by Google

apud omnes comparavit adeò, ut plura in Inſubria ſui Inſtituti Domicilia vel condiderit, vel ampliaverit. Hinc effectum eſt, ut tamquam Humiliatorum Parens vocitari ſoleat. Nec minor in eo fuit in ſublevandis egenorum ærumnis miſericordia, quos ſæpè neceſſariis quoque rebus ſibi ſubtractis levare conſueverat. Pluribus etiam vivens miraculis claruit, & ad præmium rectè factorum in Cœlum abiit, anno Salutis humanæ MCLIX die XXVI. menſis Septembris. Tanta fuit illius ſanctitatis opinio, ut paulò poſt obitum in Beatorum numerum ab Alexandro III. Summo Pontifice relatus fuiſſe perhibeatur. Plura de ipſo Carmina cecinit Bultius, inter quæ ſequens damus, quod conſcripſit de Angelo Sancto Joanni pecuniam porrigente.

*Multa cucullatam torquet penuria pubem :*
*Quæritur ac fruſtra tecta per ampla Ceres.*
*Anxius Annonæ dum migrat ab urbe Sacerdos,*
*Providus è Superis obvius Ales adeſt.*
*Verba ubi jucundus dixit ſolatia Cœles,*
*Intulit in vacuas aurea dona manus.*
*Aligeri ſi ſæpe darent hæc munera terris,*
*Obſequioſus homo quàm foret Aligeris?*

Scripſit :

I. Conſtitutiones Ordinis Humiliatorum ab infra citandis Auctoribus memoratas.
II. Breviarium Ordinis Humiliatorum ab eo compoſitum fuiſſe, iidem teſtantur.

Laudes illius exararunt S. Antoninus, Parte II. hiſtor. Sylveſter Maurolye in lib. inſcripto: Mare Oceano di tutte le Religioni. Tattus in Annalibus Comenſibus, Tomo II. Boſca in Martyrol. Mediol ad diem XXVI. Septembris; Clariſs. Saxius in Hiſtor. Typographica Mediol. Morerius in Lexico, aliique permulti.

## MCXCV.

## OLDRADUS JOSEPH.

Joſeph de Oldradis inter J.C. Mediolanenſes floruit ſæculo ineunte XVII., qui in eadem facultate laureatus, tam ſedulam Legum ſtudio dedit operam, ut magnum nomen ſibi aquiſiverit, maximè in opere ab eodem edito, quod infra dabimus. Reſcripta atque Deciſiones non tantùm Ampliſſimi hujus Urbis Senatus, ſed & etiam aliarum Provinciarum, Civitatumque diligentiſſimè eſt perſcrutatus, & obſervationibus ſuis eruditiſſimis exornavit, ut facilè legentibus omnibus apparebit. Nec tam in Juribus, ſed in amœnioribus litteris eruditionem ſuam oſtendit, maximè in Præfatione ejuſdem libri lectu digna. Opus ſuum Beatiſſimæ Virgini Mariæ nuncupatum eſt, & ipſius Auctoris ſunt hæc verba: „ Deiparæ Virgini in vaſtiſſimo Juris pelago, tutiſſimo, ſplendidiſſimoque Syderi, quòd Auctorem labentem fulſerit, juverit, ſervaverit à multis periculorum fluctibus intactum, inoffenſum, devotionis, gratique animi Monumentum datum, dicatum. „

Voluminis titulus hic eſt :

I. De Litteris & Mandatis Principum, & præſertim Excellentiſſimi Sacrique Senatus Mediolanenſis, ac aliorum Supremorum totius Orbis Senatuum Commentaria, in tres partes digeſta. Joſepho Oldrado J. C. Mediolanenſi Auctore. *Mediolani, apud Bidell.* 1630. *in fol.*

Adſunt in laudem Auctoris Epigrammata III. Latina, unum ſcilicet Cæſaris Burri, quod hîc damus, alterum Joannis Antonii Maſſobrii J. U. D. Alexandrini Primicerii, & al. Anonymi.

*Qui ſedet auguſta cum majeſtate Senatus*
*Deque polo Aſtrea mittere ſcripta ſolet,*
*Hiſpani pectus Jovis eſt, & Regis Iberi*
*Cor, ſapit unde, bonus quo regit ille Subres.*
*Hæc tu dum loqueris, Divum quaſi nuncius Ales*
*Ferris Atlantiadi præripuiſſe vices.*
*Sed catus uſque adeo dum pandis ſenſa Senatus,*
*Es nova de Sacro corde Minerva Jovis.*

Videatur Abbas Picinellus in Athenæo pag. 369.

## MCXCVI.

## OLDRADUS OLDRADUS.

Oldradus ex nobili Oldrada gente Mediolani genitus Vir inſignis eruditionis, atque pietatis extitit. S. Petro Martyri Ordinis Prædicatorum ſumma fuit amicitiæ neceſſitudine conjunctus, & ut videtur comes individuus, prout apertè oſtendit titulus Operis ab eo conſcripti, quod infra recenſebimus. Cumque invictus Chriſti Pugil non longè ab hac Metropoli ab impiis vulneribus confoſſus, ad Coronam abiiſſet in Cœlum, Oldradus veteris amicitiæ non oblitus Acta ejus, & certaminis ſeriem diligentiſſimè perſecutus, ad Innocentium IV. Summum Pontificem miſit. Floruit medio fermè ſæculo XIII.

Habemus ab eo conſcripta :

I. Vita, & Martyrium S. Petri Martyris. Teſte Creſcentio in Amphitheat. Romano parte II. MS. in Bibliotheca FF. Marchionum Vicecomitum; qui tamen non indicat, an editum poſtea fuerit hoc Opus, nec ne.

## MCXCVII.

## OLDRADUS OLDRADUS alter.

Alterum ejuſdem nominis atque Familiæ Virum Oldradum de Oldradis Mediolanenſem Civem nunc in ſcenam hanc Litterariam adducimus. Clericalibus muneribus addictus, poſt obitum Guillielmi Amidani Novarienſis Epiſcopi ad eam regendam Eccleſiam anno MCCCLVII. aſſumi promeruit. Gratiſſimus fuit Joanni Vicecomiti ejuſdem Urbis Domino, qui Oldrado noſtro familiariſſimè uti conſueverat. Plura ſuæ ſedis bona fiduciario jure conceſſit, & in publicis tabulis mentio ejus occurrit ad annum uſque MCCCLXXXV. Deceſſiſſe tamen videtur MCCCLXXXVIII. cùm eodem anno ſucceſſor illi datus fuerit Petrus Philargus, poſtea Mediolanenſis Archiepiſcopus, & tandem Alexander V. Summus Pontifex, de quo ſuo jam loco diximus.

Oldradi hæc ſunt Opera.

I. Statuta Ripariæ Sancti Julii, & Gaudiani: Eiſdem alia plura addidiſſe ait Cotta, ab anno MCCCLIX. ad MCCCLXXXIV.
II. Conſtitutiones Synodales.

Laudatur à citato Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 287. Ughello Ital. Sacræ, Tom. IV. num. LXVIII. à Baſilica Petri pag. 489., & Moriggia in Nobil. Mediol. lib. II.



Digitized by Google

## MCXCVIII.

### OLDRADUS PETRUS.

PEtrus Oldradus Civis Mediolanenſis à prima ætate ſtudiorum curricula, pro illorum temporum conditione ſatis laudabiliter emenſus, Hadriani I. Summi Pontificis Aulam ſecutus, eique ab Epiſtolis fuit. Defuncto Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo Thoma, qui Craſſus ab aliquibus dicitur, ſeu, ut alii malunt, Oldeberto, de quo ſupra, circa Salutis noſtræ annum DCCLXXXIII. ad Archiepiſcopalis Cathedræ faſtigium evectus, cum Leone III. Pontifice in Gallias profectus eſt, & Carolo Magno Auguſto tam charus extitit, ut ejus potiſſimum hortatu Longobardos Italiâ expulerit. Romam cum Leone reverſus, ejuſdem Caroli ſolemni inaugurationi, cùm Auguſtus appellatus eſt, interfuit. Ab eodem Cæſare ampliſſima pro Eccleſia ſua adeptus eſt privilegia, inter quæ illud præclarum, quòd Mediolanenſem politicum Principatum impetravit. Sanctum Ambroſium, Divoſque Martyres Gervaſium & Protaſium tam enixè coluit, ut prope Baſilicam, in qua eorum ſervantur Corpora, ipſo ſui Pontificatus initio Monaſterium extruxerit, cui etiam inſignem contulit dotem, datis quoque beneficentiſſimæ ſuæ voluntatis teſtibus publicis Tabulis anno DCCXC. quas Imperiali etiam Caroli auctoritate firmandas curavit. Hujus Confirmationis Diploma, datum Placentiæ, habes apud Puricell. in Monum. Baſilicæ Ambr. num. 24. Cùm autem Mediolanenſem Eccleſiam annos fermè viginti laudabiliter adminiſtraſſet, mortalitatem depoſuit circa annum Chriſti DCCCIV., & in prædicta Ambroſiana Baſilica conditus jacet. Vir fuit præſtantiſſimi ingenii, & in Arianos Hæreticos tam ſtrenuè ſcriptis & ferro pugnavit, ut à Carolo Magno malleus Hæreticorum fuerit nuncupatus. Divi Gregorii Magni Scripta temporum injuriâ diſperſa in unum corpus Hadriani Pontificis juſſu collegit, & tanti Doctoris Monumentum elegantibus verſibus exornavit.

Scripſit Petrus,

I. Contra Arrianos, ut diximus.
II. Sermones nonnullos.
III. Epiſtolas plures, inter quas eminet illa, quam dedit ad Carolum Magnum de Tranſlatione Corporis Divi Auguſtini ex Inſula Sardinia ad Urbem Ticinum, quæ ſic incipit: „ Domino Regum piiſſimo Carolo Magno, Petrus Oldradus, indignus Mediolanenſium Archiepiſcopus, perennem in Chriſto Coronam. „ In fine autem hæc ſcripta ſunt: „ Excellentiam Magnitudinis Veſtræ per multa annorum curricula Rex Regum, Chriſtus Dominus ſuâ dignetur cuſtodire potentiâ. Datum in Urbe Mediolani anno Salutiferæ Incarnationis Domini DCCXCVI. „
Hanc edidit poſt Vitam Sancti Auguſtini Frater Auguſtinus Fivizanius Romanus Apoſtolici Palatii Sacriſta. *Romæ, ex Officina Joannis Martinelli, ad ſignum Phœnicis*, 1587. *in* 4., *& primùm ibi apud Accoltum*, 1586.
Ejus Iconem ex Monumento ac vera Imagine, quæ eſt in Baſilica Sanctæ Eccleſiæ Aquiſgranenſis, ſub anno Domini DCCCXV. exhibet in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ Jo. Petrus Puricellus.
Extat ad Petrum Epiſtola Alcuini.
Agunt de eo Aymoinus Monachus libro IV. de Geſtis Francorum cap. 69. Ademarus Monachus in Annalibus Regum Francorum. Rhegino in Chronico libro II. ad annum DCCLXXIII. Baronius in Annalibus ad eundem annum. Bollandus Tom. I. Act. Sanct. XI. Januar §. V. num. 18. Paulus Diaconus in Hiſtoria Longobard. Ughellus in Archiepiſcopis Mediolanenſibus, Bartholomæus Areſius in ſerie Abbatum Sancti Ambroſii, & in Diplomatibus in calce ejuſdem Operis, de quo jam diximus, Cl. Saxius in Diſſert. de SS. Gervaſio, & Protaſio pag. 39., necnon Picinellus in Athenæo pag. 464., aliique plures.

## MCXCIX.

### OLDRADUS VITALIANUS.

VItalianus, de quo nunc dicturi ſumus, parentes habuit Oldradum de Oldradis à nobis jam laudatum, atque Prudentiam Tantiam Conjuges, avumque Hieronymum, atque Alphonſum inter Capuccinos Auguſtinum vocatum, de quo diximus, patruum. Claruit Vir noſter medio ſæculo XVII. non tam in Congregatione Oblatorum hujus Urbis, quàm inter Canonicos Ordinarios Metropolitanæ Eccleſiæ Præbenda Canonicali exornatus. Primùm verò à Cardinali Cæſare Montio Romam miſſus fuit pro Theologia è ſuggeſtu explicanda in Collegio Propagandæ Fidei; exinde Præpoſituram Eccleſiæ Arciſatis obtinuit. Munus Vicarii Generalis Monialium in hac Urbe cum laude ſuſtinuit, tranſactis inde triginta & ſeptem annis in ſupradicto nobiliſſimo Cœtu Ordinariorum Eccleſiæ Majoris, ad Superos evolavit anno humanæ Reparationis MDLXXXVIII. Scripta ejuſdem tam Rhetoricæ, quàm Theologiæ Moralis in Seminario Majori Mediolanenſi, in Canonica ejuſdem Urbis, nec non Romæ, ut ſupra innuimus, Alumnis tradita, miſerè perierunt.

Superſunt tantùm:

I. De laudibus D. Caroli Borromei. Oratio Latina habita coram Eminentiſs. Archiepiſcopo Alphonſo Litta. *Mediolani, typis Archiepiſcopalibus*, 1652. *in* 4.
II. Oratio habita in Synodo Diœceſana Mediolanenſi num. XXXV., atque in eadem impreſſa, anno 1658.
Inter Panegyres Alexandri Perlaſchæ, impreſs. *Mediol.* 1668. Extat una in Laurea Vitaliani Oldradi pag. 208.
Agunt de ipſo Trivultius in Nomenclatura Canonicorum Ordinariorum, de quo in littera T. Clariſſimus Sitonus in ſuis Schedis, atque Picinellus in Athenæo pag. 512.

## MCC.

### OLGIATUS ANTONIUS.

ANtonius Olgiatus Mediolanenſis Patritius, inter Capuccinos adſcriptus, ſanguinis ſplendori ſanctitatem, & doctrinam mirabiliter copulavit, quæ maximè enituit, dum commiſſum ſibi Philoſophiam, ac Theologiam legendi munus ſatis laudabiliter implevit; & cum uberi eloquentia, zelo, ac gratia in Verbo Dei diſſeminando ex alto indutus, ipſius Conciones, utpote animarum ſaluti accommodatæ, frequenti populorum concurſu exciperentur, fructumque inde emergentem nefarii homines moribus omni nequitia execrabilibus ad meliorem reducti frugem, & ſalutaris pœnitentiæ lavacro expiati, teſtabantur. Neque ad completum tanti Viri ornatum in regendo prudentia deſiderabatur, quare ſæpiſſimè (ut inferiores Præfecturæ prætermittantur) Deffinitor, bis Miniſter Provincialis, inſuper Procurator Generalis fuit proclamatus; multorum etiam prudentum hominum ſuffragiis dignus habitus, cui ſuprema totius Ordinis adminiſtratio conferretur. Ordinis Capuccini Generalis Hiſtoriographus conſtitutus ejuſdem acta pluribus annis contexuit, quæ poſtea in duos Tomos digeſta prodierunt, plura MSS. tenebris relinquens. Obiit in Domino Mediolani, in Conventu Capuccinorum S. Victoris, anno MDCCXXIII. Religionis LII. ætatis verò LXVIII.

Typis

Typis conſignavit :

I. Annali de' FF. Minori Capuccini, Tomo III. Parte I. *In Trento, per Gio. Antonio Brunati*, 1708. *in fol.*
II. Annali de' FF. Minori Capuccini, Tomo III. Parte II. *In Milano, per Giuſeppe Pandolfo Malateſta*, 1711. *in fol.*
Ita à Suis.

## MCCI.

## OLGIATUS HIERONYMUS.

Hieronymus Olgiatus nobili genere Mediolani ortus, Patre Jacobo Ducali Collaterali militum, ſub Franciſco I. Sfortia, & Jo. Galeacio Maria Inſubrum Ducibus, quorum extitit Aulicus, hortante Cola Montano Litterarii ludi Magiſtro, qui Olgiatum penè imberbem inani ſpe gloriæ inflaverat, ſi Galeacio ſublato Patriam in libertatem aſſereret, inito cum Joanne Andrea Lampugnano, & Carolo Vicecomite fœdere, in vitam Principis conſpiravit. Recurrentibus ergo Divi Stephani Protomartyris Solemniis, anno MCCCCLXXVI. Galeacium in ipſa Sancti Stephani Baſilica Sacris interfuturum cum Sociis adorſus pugione confodit. Tanto patrato facinore ex eo Templo profugiens, cùm fruſtra aſylum quæſiſſet, biduo poſt comprehenſus, & conjectus in vincula, tantum abfuit, ut imminens jam ſupplicium veſanam hominis conſtantiam vel paululum imminuerit, quin etiam ad Muſas converſus ſex elegantibus Carminibus defuncto Principi inſultavit. Ea ſunt ejuſmodi à Jovio in Elogio Galeacii Sforciæ libro III. pag. 147. relata.

*Quem non mille acies, quem non potuere phalanges*
*Sternere, privatâ Galeaz Dux Sfortia dextrâ*
*Concidit, atque illum minimè juvere cadentem*
*Aſtantes famuli, nec opes, nec regna, nec urbes.*
*Hinc patet humanis quæ ſit fiducia rebus,*
*Et patet hinc ſævo tutum nil eſſe tyranno.*

Se quoque in ipſa morte confirmans, dum jam ſub carnificis manu ſtaret, hæc contumaci ore protuliſſe dicitur: „ Collige te Hieronyme, ſtabit vetus memoria facti; mors quidem erit acerba, ſed tormentum breve, atque ejus fama perpetua.

Superſunt de ipſo :

I. Litteræ, in quibus Conjurationis Ordinem narrat juſſu Magiſtratuum ad Duciſſam Bonam datæ. Extant in Hiſtoria Urbis Mediol. Joſephi Ripamontii lib. VI. Leguntur etiam in Bernardini Corii Hiſtoria ad eumannum, licèt aliquantiſper diverſa, ubi etiam habetur
II. Ejuſdem Hieronymi Epiſtola ad Marcum Trottum de eodem argumento.
De ipſo Hieronymo præter Corium, Fulgoſium, Jovium, Ripamontium &c. agunt Robertus Ruſca in Hiſtoria Familiæ Ruſchæ editionis Taurini, anno 1680. in 4. cum Auctario propè finem &c. Jul. Cæſar Imbonatus in Chronico tragico &c, & Advocatus Sitonus in Monumentis Genealogicis Nob. Fam. Olgiatæ, quemadmodum & Comes Octavius Archintus in ſua eximia Collect. Monument. Famil. Mediolanenſium.

## MCCII.

## OPPICELLUS JACOBUS PHILIPPUS.

Jacobus Philippus Oppicellus patrem habuit Joannem, à quo, & ab optimis Præceptoribus tam rectè, doctiſſimèque edoctus extitit, ut Sacris addictus in Canonicum Baſilicæ Collegiatæ S. Ambroſii creari meruerit anno MDCLXIX. Charus ſummopere extitit eximio Cardinali Federico Borromæo, ita ut operâ Oppicelli noſtri pluries uſus fuerit in extruendo tam Bibliothecam, quàm Collegium Ambroſianum; de hac re teſtis eſt Opus infra à nobis recenſendum numero I. Præter ſolidiores Scientias, amœniores quoque coluit Auctor noſter, ut videre eſt ex Carminibus ſuis ſàtis eleganter ſcriptis. Specimen primum eruditionis ſuæ dedit in Seminario hujus Metropolis, in quo Rhetoricam facultatem è ſuggeſtu declaravit, deinde Theologiæ Cathedram in Eccleſia Derthonenſi aſcendit, donec in patriam reverſus, munus ſupramemoratum Canonici Baſilicæ D. Ambroſii obtinuit, & ſenio conſumptus vitam Deo reddidit.

Habemus de ipſo :

I. Monumenta Bibliothecæ, & Collegii Ambroſiani &c. *Mediolani, apud Comitem*, 1618. *in 8.*
II. Fontis D. Barnabæ ex priſcis, probatiſſimiſque Auctoribus Narratio. *Mediolani, apud Navam*, 1620. *in 4.*
III. Poëma Verſibus Exametris compoſitum in laudem Leonardi Coquei. Ext. in fronte libri, cui titulus: „ Antimorneus.
IV. Epigramma in laudem Jo. Antonii Caſtillionæi. Eſt in libro inſcripto : „ Florilegium Antiquitatum Mediolanenſium ejuſdem Caſtillionæi, de quo jam dictum.
Laudatur à Petro Paulo Boſca in libro de orig. & ſtatu Biblioth. Ambroſianæ, ab Abbate Picinello in Athenæo pag. 242., & à Sitono in Schedis.

## MCCIII.

## de OPRENO JOANNES.

Etſi Picinellus in ſuo Athenæo Joannem hunc Opremum vocaverit, & ex eo Clariſſimi Quetif, & Eccard millies à nobis citati; attamen cum in Nomenclaturis Familiarum Mediolanenſium Oprema Gens minimè indicetur; nobis, ut ſuſpicati ſunt etiam doctiſſimi ſupramemorati Scriptores, de Opreno, Oppido in Montibus Brianteis ſito, vocare ipſum placuit, eò magis quia à Patria tantùm ætate Auctoris noſtri cognomina aſſumere conſueverant Religioſi Viri Ordinis Prædicatorum, aliorumque ſtrictiorum Cœtuum. Floruiſſe igitur noſtrum aſſerunt, Sæculo XIII. vergente, ſcilicet anno Chriſti MCCLXX. omnes infra citandi Auctores, necnon ſcripſiſſe Opera quæ ſequuntur,

Videlicet :

I. Sermones de Tempore.
II. Sermones de Sanctis.
III. Sermones de B. M. Virgine.
IV. Sermones de Mortuis.
Sed ubinam ſerventur aut impreſſa ſint, aut MSS. nullus indicat.
Ex Picinelli Athenæo pag. 315. ubi Moriggia citatur in Nobil. Mediol. lib. 3. cap. 29. Taegio in Monumentis Ord. Prædic. Luſitano, Pio, Fernandez, Altamura ad annum MCCLXII., & ex ipſis ſupracitati Quetif, & Eccard in Tom. I. pag. 473. Scriptor. Ord. Prædicator.

MCCIV.

Digitized by Google

## MCCIV.

## ORDEUS ASCANIUS.

ASCanius Ordeus Mediolanenſis duodecim annos natus, in Oppido Mortarienſi, quo è Patria deductus fuerat ſub diſciplina Alberti Gentiani Creſcentini in Monaſterio Canonicorum Lateranenſium, titulo Sanctæ Crucis ejuſdem Oppidi, Grammaticas, humanioreſque litteras edoctus, quindennis anno MDXCIV. eidem Ordini adſcriptus eſt. Miſſus ad Monaſterium Frigdionariæ, ibi aliquandiu cum Aurelio fratre ſuo arctioris diſciplinæ incrementa hauſit. Inde Dialecticis, & Theologicis rebus Mediolani, Placentiæ, & Patavii operam dedit. Adhuc Diaconus prædicandi munus ſuſcepit in Templo Sancti Frigdiani Lucenſis per totum anni curriculum. Mox Sacerdos effectus in Philomatum Academiam cooptatus, ibique dictus *il Vago*, Bononiæ, Brixiæ, Arimini, Aſculi, Neapoli, Alexandriæ, Mediolani, Meſſanæ, Ravennæ, Lucæ, Novariæ, Genuæ, Romæ, Venetiis, quadrageſimales Conciones habuit. Id cum præſtitiſſet Taurini anno MDCXXXV. eum Dux Sabaudiæ inter cætera munera, magna Cruce Militaris Ordinis SS. Mauritii, & Lazari decoravit. Pluribus Cœnobiis præfuit, & in generalibus Comitiis Placentiæ habitis privilegia Antiſtitum Titularium ſortitus eſt. Obiit in Monaſterio Sanctæ Mariæ Paſſionis Mediolani XXV. Februarii MDCLI.

Edidit

I. Orazioni Sacre. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1618. *in* 4. *e* 1628. *in* 8.

II. La Vita della B. Eufroſina Monaca di Vicenza. *Ferrara, per li Stampatori Camerali*, 1619.

III. De perfecto Principatu Oratio ad Rempublicam Lucenſem. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1628.

IV. Ode Panegirica della preſa di Vercelli al Marcheſe di Leganes. *Milano, per il Malateſta*, *in* 4.

V. L'Applauſo d'Italia, Epitalamio nelle Reali Nozze de' Sereniſſimi Uladislao Jagellone Re di Polonia, e Svezia, e Cecilia d'Auſtria Sorella di Ferdinando III. Imperatore Auguſto. *Milano, per Filippo Ghiſolfi*. 1637. *in* 4.

VI. Panegirico in lode di Santa Tereſa. *Milano, nella Stampa Arciveſcovile*, 1622. *in* 4.

VII. Altro in lode de' Santi Ignazio, e Franceſco Saverio. *Ivi, per il Malateſta*, 1622. *in* 4.

VIII. Orazione in lode di S. Carlo. *Milano, preſſo il Bidelli*, 1622. *in* 4.

IX. Altra in lode dello ſteſſo. *Ivi, per il Como*, 1626. *in* 4. *e Roma*, 1627.

X. Carmen Latinum in laudem Franciſci Barberini Cardinalis, & Nepotis Urbani VIII. *Mediol apud Malateſtas*, *in* 4.

XI. De Epiſtola B. Virginis ad Meſſanenſes Concio. *Meſſanæ*, 1620. *in* 4. recenſetur ab Hippolyto Maraccio Biblioth. Marian. part. I. pag. 147.

XII. Trattenimenti Lirici parti due, quæ Manuſcripta apud ſe extitiſſe, teſtatur Picinell pag. 59. nunc ſervantur in Biblioth. S. Mariæ Paſſionis Mediol. in 4. ſignat. A. num. 123. & 124. Ea ipſa credimus eſſe, quæ Roſinus ait in unum Volumen ſatis amplum congeſta, Abbatem Tiburtium Boſſum publici Juris facere voluiſſe, ſed nequiviſſe obtinere, ut diſperſa colligeret, & ſumma manu donaret.

XIII. Rime. Parte prima, che contiene Rime d'Onore, Sacre, Morali, Funebri, Amoroſe, Varie, Propoſte, e Riſpoſte. Parte ſeconda, che abbraccia Madrigali, e Canzonette: dedicate al Conte Duca di S. Lucar, gran Privato di Spagna.

Adſunt ad eum in Parte prima Carmina Italica, vulgò *Sonetti*, variorum Poëtarum nempè Dominici Chiariti Lucenſis, Federici Caballi Anconitani, Hippolyti Pignæ Romani, Giſmundi Santi., Pandulphi Spannochii, Ambroſii Luti Senenſium, quibus omnibus reſpondet. In ſecunda verò Guidi Ubaldi Benamati Veneti, Franciſci Mariæ Gualterotti Florentini, Vincentii Trentæ Meſſanenſis, Annibalis Guaſchi Alexandrini, Ricardi Ricardi Romani, Cæſaris Burri Mediolanenſis, cum Reſponſionibus Ordei. Codex MS. Autographus prælo paratus in 4. ſervatur apud ornatiſſimum Juvenem Carolum Antonium Tantium Mediolanenſem.

Eum Carminibus celebrarunt Claudius Trivultius, Cæſar Burrus, Hieronymus Carnagus, Benedictus Soſſagus ejus affinis, Franciſcus Maria Terzagus. Subdimus hic Comitis Horatii Archinti Tetraſtichon:

*Cum celebres alios, te laudas Hordee, nunquam*
*At tua non ceſſas tradere Scripta typis.*
*Auſpicor: Aſcanii mihi parce modeſtia vatis*
*De te vis tacito fuſius ore loqui.*

Agit de eo Celſus Roſinus in Lycæo Lateran. lib. I. pag. 68. Proferens etiam Litteras Ducis Sabaudiæ ad Aſcanium Arbizanum Canonicorum Lateranenſ. Generalem, dat. Taurini XX. Apr. MDCXXXV. in quibus Ordeum commendat, & ait ſe eum inter Equites SS. Mauritii, & Lazari recenſuiſſe cum magnæ Crucis honore; itemque Picinellus in Athenæo pag. 58.

## MCCV.

## ORIGONUS ANTONIUS MARIA.

ANtonii Mariæ Origoni natale ſolum Variſium extitit ſatis clarum Mediolanenſis Ducatus Oppidum. Hic aſſidua parentum ſollicitudine liberaliter educatus, vix pueritiâ exactâ in hac Metropoli ſtudiorum perfecit curricula, & ſacris miniſteriis inter Clericos mancipatus, Alumnis primùm Seminarii, mox auditis diligenter Philoſophicis, atque Theologicis diſciplinis, piiſſimæ Oblatorum SS. Ambroſii, & Caroli Congregationi adſcribitur. Plura in Collegio S. Sepulchri hujus Urbis præclara geſſit munera, in Papienſi Borromæorum Collegio Rectoris officium adminiſtravit; tum Mediolanenſe Nobilium (priuſquam PP. Societatis Jeſu illius præfectura demandaretur) Collegium rexit. Cùm autem majora in dies pietatis, atque doctrinæ daret ſpecimina, Canonicatu, ac præbenda Theologali in Inſigni Variſienſium S. Victoris Canonicorum Cœtu meruit inſigniri. Eo in munere adhuc vivebat ſcribente Picinello, qui Origoni noſtri eloquentiam, zelum, cæteraſque Eccleſiaſtico Viro dignas virtutes multis extollit præconiis. E pluribus ejus Concionibus, & Orationibus, hanc tantùm habemus typis ſuperſtitem, aliæ verò lucem adhuc expectant,

Nimirum:

I. Il Peſcatore Apoſtolico. Panegirico recitato nella Metropolitana di Milano, in lode di S. Carlo. Hanc memorat Picinellus, & impreſſam fuiſſe teſtatur, at nullibi reperimus.

II. Concionum, atque Orationum Paneg. Volumen MS. in fol. Extat apud Suos.

Vide cit. Picinell. in Athenæo pag. 46.

## MCCVI.

## ORIGONUS CAROLUS JOSEPH.

IN Variſienſi Oppido, quod patria fuit mox laudati Antonii Mariæ Origoni, lucis accepit uſuram Carolus Joſeph eâdem familiâ progenitus, quem nunc debita laude proſequemur. Studiorum causâ in hanc Metropolim à parentibus nobilitate claris puer miſſus, ſub diſciplina PP. Societatis Jeſu, ingenium, quod perſpicuum ſatis, & ad bonas artes natum ſortitus fuerat, diligentiſſimè coluit in humanioribus litteris, & eloquentiæ præceptis. Inde Ticinum pergens in ejus Urbis Archigymnaſio legibus

ſe

ſe addixit, Doctoriſque honeſtatus inſigniis Patriam reviſit . Ibi imbecillitate virium, & corporis adverſa valetudine à legalibus ſtudiis abſtinere coactus , amœnitate Muſarum in contubernium adſcita , Italicos inter Vates emicuit . Verumtamen haud multò poſt Aſtreæ minas declinaturus , apud quem criminis alicujus reus fuerat denunciatus , tanquam ad aſylum Januam ſe contulit . In ea Urbe hiſtoriæ peritie , Poëſis jocunditate , atque eruditionis præſtantia magnam ſibi laudem peperit, adverſantem ſibi fortunam haud ægrè ferens . Obiit medio fermè ſæculo XVII.

Hæc poſt ſe reliquit Opera:

I. I Furori della peſte di Milano : Poema ; a Filippo Reſta. *Milano, per il Bidelli*, 1631. *in* 8.
II. Poeſie Eroiche. *Genova, per Giuſeppe Pavoni*, 1634. *in* 8.
III. Penſieri Poetici. *Ivi, per Pier Franceſco Calenzano*, 1636. *in* 8.
IV. Rime Liriche. *Ivi, per Giovanni Calenzano*, 1636. *in* 8.
V. Voci amoroſe. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1636. *in* 8.
VI. Diſcorſi amoroſi. *Ivi, come ſopra*.
VII. Idilj amoroſi. *Ivi*.
VIII. Epiſtole amoroſe. *Ivi*.
IX. L'Arpa Nuziale. *Ivi*, 1637. *in* 8.
X. Due Panegirici.
XI. Elogia varia Latina.
XII. Ducento Lettere di buone Feſte. *Ivi, pel Calenzano*, 1635., e 1636. *in* 8.
XIII. Voci Epitalamiche nelle Nozze d'Odoardo Duca di Parma.
XIV. L'Auſtria trionfante a Ferdinando II. eletto Re de Romani. De his tanquam editis verba fecit Picinellus, nos ea nullibi invenimus.
XV. Il Merito eſaltato. Acclamazione ad Agoſtino Pallavicino creato Duce di Genova.
XVI. Il Caduceo. Trattato Cavallereſco in materia di Duelli. MS.
XVII. Il Manuale degli Ambaſciadori. MS.
XVIII. Storie de ſuoi tempi , cominciando dalla morte di Ferdinando Duca di Mantova. MSS. Inedita hic à nobis recenſita ab infra citandis Auctoribus laudantur ; nemo tamen ſignificavit ubi nunc ſerventur.

Commendatur Auctor à Ghilino in Theatro Eruditorum, parte II. à Scriptore libri, cui titulus: Le Glorie degl' Incogniti di Venezia, pag. 92., atque à Picinello in Athenæo ; pag. 120.

## MCCVII.

## ORIGONUS JOSEPH.

AMpliſſimus Senator Mediolanenſis Hyacintus Origonus, & Magdalena Bonacina, Scriptoris laudatiſſimi Martini ſoror , Conjuges, Joſephum genuere , & educationi optimæ ipſius ita incubuerunt , ut etiam in prima ætate pietas ſingularis in eo effulſerit ; Deo igitur totum ſe dedit, dum in Congregatione nobiliſſima Clericorum Regularium, quos Teatinos vocamus , adſcribi voluit . In eadem profeſſus eſt Florentiæ die I. menſis Aprilis , Anno Chriſtiano MDCLVII. Philoſophicas , & Theologicas ſcientias , quas brevì ſibi comparavit , aliis è Cathedra ſummo cum plauſu tradidit , deinde ad Dei Verbum diſſeminandum ab alto vocatus , in variis , ac principibus Italiæ Urbibus Conciones optimas Quadrageſimali tempore habuit , & integris ſexdecim annis ſacras litteras in D. Antonii Templo hujus Metropolis tam feliciter , ac peregregiè explicavit , ut Comes de Melgar tunc toties Mediolanenſis Dominii Moderator non tantùm ſæpè audire Joſephum noſtrum voluerit in ſupradicta Eccleſia D. Antonii, ſed & in Oratorio Aulico S. Gotthardi nuncupato . Ad eumdem pro ſolutione plurium Caſuum in Morali Theologia frequenter nonnulli confluebant: uno verbo litteris, exemplo, atque prudentiâ tam claruit, ut ſui etiam Præpoſituram patrii Collegii eidem tra-

*Tom. II.*

A diderint . Amœniores quoque Scientias non neglexit , ideoque inter Academicos Faticoſos locum habere meruit . Deſideratus eſt die XIX. menſis Novembris , Anno MDCLXXXVIII.

Damus ipſius :

I. Deſcrizione dell' apparato , e feſte ſollenni fatte in Milano alli VII. di Agoſto MDCLXXI. nella Chieſa di S. Antonio per la Canonizzazione di San Gaetano. *Milano, nella Stamperia di Lodovico Monza*, 1671. *in* 4.
II. Elogia & Inſcriptiones eadem occaſione ab ipſo compoſitæ. Ext. in eod. libro.
III. Le Grandezze di Dio ombreggiate in un' Oda, dalla penna del P. D. G. O (Giuſeppe Origone) C. R., e da lui recitate nell' Accademia de' Faticoſi, li XXXI. Maggio MDCLXXVI. *Milano, nella Stampa del Beltramino*, 1676. *in* 4.
IV. Concionum , & S. Scripturæ Lectionum Vol. ingens MS.

Ita à Suis.

B

## MCCVIII.

## ORIGONUS OCTAVIANUS.

OCtavianus Origonus ex nobili & ipſe Mediolanenſi familia ortus , inter Clericos Regulares D. Pauli Decollati , vulgò Barnabitas , conſcriptus
C fuit anno poſt Virginis Partum MDCXLIII. Poſt conſueta ſtudia optimè percepta ad Oppidum Caſalis Majoris in ditione Cremonenſi , ut Adoleſcentes humanioribus litteris erudiret , à Suis miſſus eſt . Ibi quantum amoris , & exiſtimationis ſibi comparaverit non tam facilè dici poteſt ; Ex libro autem infra memorando omnibus patebit ingenium , atque eruditio maximè Oratoria & Poëtica illius ,

Sic liber inſcribitur :

I. Exercitationes quædam pro Gymnaſio S. Crucis Caſalis Majoris ; continet :
1. Caſale Majus Civitas ; Proluſio habita , die V. Decembris MDCLXII.
2. Caſale Majus Arx ; Proluſio habita, die IV. Decembris MDCLXIII.
D 3. Caſali Majori inauguratio , Poëma latinum pagg. 10. *Mediolani, apud Franciſcum Vigonum*, 1664. *in* 8.

Ita à Suis.

## MCCIX.

## ORIGONUS PETRUS ALOYSIUS.

DIligentiam Clariſſimi Bartholomæi Curtii effugit Petrus Aloyſius Origonus Phyſicus Mediolanenſis Joſephi filius , qui non tantùm ſuis virtutibus claruit medio ſæculo proximè tranſacto , ſed etiam in filio Clemente à Barbara Bizozera Conjuge ſuſcepto,
E qui & ipſe inter Phyſicos Collegiatos, atque ex XII. Proviſionum hujus Urbis, ab anno MDCLXII. uſque ad annum MDCLXXII. numerabatur. Petrus autem Aloyſius noſter Medicis litteris egregiè inſtructus non tantùm Latino ſermone , ſed etiam Italico ſummopere illuxit .

Hoc Opus ipſius habemus :

I. Diſcorſo ſopra l'abuſo del Tabacco. *Milano, preſſo Filippo Ghiſolfi*, 1643.
De eodem meminit Joſeph Dondeus in Conſil. 27., & 28. Sitonus in Chron. Colleg. Nobil. Phyſicor. Mediol. P. II. Art. 320. MS. in fol. penès Auctorem , & P. Mazzucchellus in Schedis.

Kk MCCX.

Digitized by Google

## MCCX.

### ORMANICUS PETRUS PAULUS.

PEtrus Paulus Ormanicus Mediolani ortus, & à teneris annis educatus, Brixiam ſe contulit, ibique lares ſtatuit. Juvenis ſatis eximios in litteris cùm progreſſus feciſſet, exoticaſque linguas calleret, ad Philoſophiæ arcana, Theologicas Quæſtiones, atque Utriuſque Juris Scientiam accedendum ſibi cenſuit, & in hiſce poſtremis Doctor eſt renunciatus. Florentiſſimo, atque acri præditus erat ingenio, ideoque inter Academicos aliquot Italiæ Urbium recenſeri meruit, dictus inter Occultos *il Ricettato*, inter Diſperſos *il Timoroſo*, inter Errantes *l'Aſſettato*. Cùm in hac ultima Academia, in qua plures per annos in litterariis laboribus ſe exercuit, verba faceret, ſelectiſſima ſemper ei adſtitit Auditorum corona, quibus illius eruditió ſummam creabat admirationem. Magni habitus eſt à Brixianis Civibus uſque adeò, ut revertentem ex Aula Cæſarea Ferdinandum II. Magnum Hetruriæ Ducem excepturi omni cum honoris ſignificatione, ut Venetæ Reipub. Sapientiſſimis Patribus obtemperarent, Elogia Ormanici noſtri expetierint ad pompam, ut decebat, exornandam. Regente poſtmodum Mediolanenſem Ditionem pro Catholico Hiſpaniarum Monarcha Comite Sirvellæ ad Patriam revocatus eſt; cui cauſam rei præbuit Petri Pauli doctrina; qui cùm Scripta quædam de Auguſtiſſimæ Gentis Auſtriacæ laudibus à ſe elaborata Mediolanum miſiſſet, eaque ad ejuſdem Comitis manus perveniſſent; æquum illi viſum eſt tanto Cive diutius patriam non carere. Ideo Antiquarii munere, & congruenti mercede percepta, vetuſtatis ſcrutator eximius in laudabilibus ſtudiis reliquum vitæ traduxit.

Habemus illius doctrinæ teſtimonia, ſcilicet:

I. Elogia Latina pro Ingreſſu in Urbem Brixienſem Ferdinandi II. Magni Hetruriæ Ducis. Edita fuiſſe aſſerit Picinellus, locum tamen, annum, atque Impreſſorem reticet.

II. Storie Breſciane Sacre, e Profane, particolari, ed univerſali. Ex hoc Opere pluribus Voluminibus conſtante, fragmenta quædam, atque compendia lucem vidiſſe publicam ex eodem Picinello novimus.

III. De laudibus Auguſtiſſimæ gentis Auſtriacæ. De his ſupra.

Ejus cum laude meminerunt Placidus Pucinellus in parte II. libri ſui, cui titulus: Della fede, e nobiltà del Notajo; & citatus Picinellus in Athenæo, pag. 467.

## MCCXI.

### OROBONUS ANTONIUS.

ANtonii Oroboni fruſtra quæſivi Acta, Parentes, & mortis annum, imò ſi ejus II. Lucubrationes mihi fortuitò præ manibus non occurriſſent, minimè in hac mea Bibliotheca locus ei datus fuiſſet. Ex ipſis facilè omnibus patet quantum diligentiæ & laboris Auctor impenderit in expiſcandis Eccleſiæ ſibi commiſſæ antiquitatibus, & documentis. Oratoriam quoque facultatem ſatis conſtat habuiſſe, ideoque inter Scriptores Mediolanenſes jure merito eſt recenſendus. Deſideratus eſt medio circiter ſæculo jam tranſacto.

Hæc publici juris fecit:

I. Ritrovamento della Sagra Immagine della B. V. nella Chieſa di Santa Maria Porta, ſcritto dal Rev. Prete Antonio Orobono Curato di detta Chieſa. Extat in Vol. XV. MS. Jo. Bapt. Cornei Junioris in Archivo Archiep. Mediol. de quo jam diximus.

II. Panegirico per S. Gio. Buono, detto nel Duomo di Milano. *Ivi, nella Stamperia Arciveſcovile*, 1643. *in* 4.

## MCCXII.

### OSSA MANFREDUS.

PLures ex Oſſa vetuſtiſſima apud Mediolanenſes Familia genitos Viros de Patria optimè meritos dignis extollunt encomiis Scriptores Inſubres, è quibus hos inter cæteros reperimus illuſtriores, Oſſam ſcilicet Juriſperitum clariſſimum, unde forſitan univerſa progenies cognomen traxit, qui floruit anno Salutis MCLXII. Conſul Patriæ ipſo anno cum Alberto inferiùs laudando ad pacis capitula cum Œnobarbo componenda delegatus: Guillielmum, qui cum aliis Civibus fœdus iniit cum Friderico eodem, anno MCLXXXV. Ubertum, & Alcherium an. MCLXVIII. MCXCVIII. atque MCCXVII. Mediolanenſis Reipublicæ Conſules, ut ex eorum Placitis nos certiores reddidit amiciſſimus J. C. Sitonus. Guillielmus autem prædictus annis tribus videlicet MCLXXXIX. & ſequentibus Paduæ Prætor fuit, quemadmodum & Albertus citati Oſſæ filius eodem munere functus fuerat in memorata Urbe an. MCLXXV. Narrare etiam hîc juvat Guillielmum præfatum Bononienſi quoque Reipublicæ cum Prætoris poteſtate anno MCXCIV. jus dixiſſe, ut habetur apud Bartholomæum de la Pugliola in Miſcella Patriæ meæ amatiſſimæ Hiſtoria, quæ pag. 247. prodiit typis noſtris Mediol. Palatinis in Tomo XVIII. Rer. Ital. Script. Ex eadem Familia claruit Manfredus hic, qui Conſulatum hujus Metropolis geſſit annis MCLXXII. MCCIII. & ſequenti; quibus etiam duobus poſtremis annis inter Conſiliarios Credentiæ, & ſex Poteſtates conſtitutus invenitur, ut teſtem habemus Chalcum infra citandum. Anno igitur primo Conſulatus ſui

Scripſit:

I. Statuta plura Mediolanenſi Reipub. utiliſſima.

Id ex Corio lib. XIII. hauſit Comes Octavius Archintus in perinſigni Collect. ſua Monument. Famil. Mediol. Chalcus in Hiſtor. Patriæ lib. III. pag. 264. & 266., atque de ipſo cæteriſque de Oſſa meminit cit. Sitonus in Schedis.

Digitized by Google

# P

## MCCXIII.

## PACEDIANUS NICOLAUS.

Nicolai Pacediani Viri litteratiſſimi Acta enarraturi, ejus potiſſimùm ſcriptis utemur, unde maximam vitæ ipſius partem hauſimus. Anno MCCCCLXXXVI. in hac Urbe lucem vidit primam, genitoriſque illius nomen ( quamvis ejus non uno loco meminerit ) nuſquam reperimus. Mater verò extitit Martiana Cribella Antonii Cribelli Sacerdotis Soror, qui nepotis ingenium tenera adhuc ætate ad ſacra miniſteria pronum admiratus, nihil prætermiſit, quod ad ipſius indolem formandam, excolendamque conduceret. Avunculi igitur hortatu, cùm vix VII. ætatis annum eſſet egreſſus, Ticinum litteris imbuendus mittitur. Ibi ab altero Avunculo ſuo majore Laurentio Ferrario exceptus prima doctrinæ rudimenta percepit, Jaſone Mayno JC. clariſſimo Academiæ Papienſis principe. Verùm Mater unici filii abſentis deſiderio flagrans, eum brevì in patriam revocavit; ubi fortunæ inconſtantiam ſe experiri cœpiſſe teſtatur. Mediolani ſub diſciplina Guillielmi Soncini Viri eruditiſſimi ſtudiorum curricula proſecutus eſt; cùmque Soncinus præter Europæ Provincias ferè univerſas, Syriam quoque, & ſacra præſertim Hieruſalem Loca Redemptoris noſtri pretioſo cruore conſecrata viſitaſſet, ſolebat inter prælegendum, quoties aliqua ſe obtuliſſet occaſio, monere diſcipulos, & incitare ad varias Orbis terrarum partes peragrandas, teſtatus nihil æquè, ac peregrinationem hominis ingenium inſtruere, allato etiam ex Homero Ulyſſis exemplo. Hinc Pacediano vehemens inſedit ardor exteras viſendi plagas adeò, ut quæ vigilans cogitarat, ſibi per quietem redderet ſomnus, ignotas ſcilicet urbes, atque hominum monſtra, & quoties ſibi contigiſſet Viatorem aliquem audire, ab ejus ore diu noctuque penderet. Anno Salutis MDIV. X. Kal. April. Matrem amiſit, & ob domeſticæ rei anguſtiam, honeſto lucro victum ſibi paraturus in Templo S. Thomæ, cui cognomentum eſt in Terra amara, ſacris miniſteriis ſe addicendum curavit, quo in munere luſtrum inſumpſit. Interim Ptolomæi Meltii juvenis doctiſſimi amicitiam coluit, quemadmodum etiam Nicolai, Oldradi, & Chriſtophori è Lampugnana nobili ſtirpe fratrum, à quibus ſe honeſtiſſimè habitum, pluribuſque donis cumulatum aſſerit eo tempore, quo primum Deo Sacrificium obtulit V. Non. Junii, anno MDX. Angebat interim Nicolaum noſtrum ardens peregrinationis deſiderium à teneris conceptum annis, recogitantem præſertim V. ſe jam luſtrum præteriiſſe nondum Mediolanenſis agri finibus egreſſum; detinebat tamen ipſum Guillielmi Ripaltæ eruditio, apud quem Franciſcum Tabernam, Ludovicum Curtium, & Galeacium Capellam in ſtudiis comilitones ſe habuiſſe gloriatur. Janus quoque Parhaſius latini ſermonis lepore, Alexander Minutianus dicendi proprietate, atque Demetrius Chalcondilas, & Stephanus Niger Græcis lectionibus ( hos enim omnes in præceptorum ſuorum numero recenſet ) Virum apud Inſubres remanere cogebant. Hiſce doctis laboribus intentus, aliorum amicitiam eruditorum iniit, Bartholomæi præſertim Simonettæ, quem in Landrianorum ædibus agnoverat; Verùm cum aliquando ſecundâ noctis vigiliâ domum rediens, ſe inſequentium latronum manus ægrè declinaſſet, Aronam inſigne Oppidum contendit ad Blancam Borromæam illuſtrem Matronam, apud quam aliquandiu fuit. Ibi Inſcriptiones vetuſtas duas in antiquo Sanctorum Gratiniani, & Felini Martyrum Monaſterio contemplatus, cùm plurimùm delineandi arte valeret, eaſdem exſcripſit, quemadmodum alias benè multas in Codice infra recenſendo inſertas, in quibus ne dum Siglas, ſed Ornamenta quoque, Coronides, Epiſtilia, Lemniſcos, aliaque id genus, ita oculis repræſentat, ut nihil accuratius, nihil pulchrius exhiberi poſſe videatur. Quantam labores Pacediani noſtri Litterariæ Reipublicæ utilitatem contulerint, facilè agnoſcere poſſunt Lectores, qui Volumina Clariſſimorum Virorum Ludovici Antonii Muratorii, atque Scipionis Marchionis Maphæi pervolutaverint. Interim quotquot reperire potuit in Oppidis Verbani Lacus antiquitatis Monumenta delineavit; at mortuo patre Mediolanum reverſus, à Galeacio Sfortia Piſauri Domino à Secretis aſſumptus eſt, qui in Helvetios profecturus ipſum apud Genepriam Conjugem reliquit. Galeacio è vivis ſublato cum Genepria Manfredo Pallavicino nuberet ſecum abduxit Nicolaum, qui nuptialem Orationem habuit. Secutus eſt poſtmodum Joannem Andream Comitem Gambaranam ſatis eruditum Virum Mantuam proficiſcentem, hinc cum Andrea Vicomercato Mediolanenſis Eccleſiæ Primicerio Romam ſe contulit. Anno MDXVII. jam regreſſus ad Inſubres Eleutherio Ruſchæ à Secretis fuit, quo defuncto cùm ingens de bonis ejus controverſia inter Eleonoram ipſius Conjugem, atque Galeacium Vicecomitem eſſet exorta ab ipsâ, conſilio nonnullorum hujus Urbis procerum ad Ludovicum XII. Galliarum Regem, tunc Inſubriæ dominum, miſſus eſt Pacedianus, & coram eo aliam habuit Orationem, de qua inferiùs occurret mentio. Mox Gallias, Angliam, & Belgium peragravit, in quibus Regionibus omnia ſacræ vetuſtatis rudera ſcrutatus Collectionem ſuam, quam in ferè omnibus Italiæ Urbibus pridem cœperat, abundè locupletavit. Has ſecum deferens eruditionis opes patrios reviſit lares, atque Rector efficitur Eccleſiæ tunc Parochialis Sancti Nazarii ad Petram-ſanctam nuncupatæ. Id jam munus exercebat anno MDXLV. ut ex publicis Tabulis apud ſe extantibus nos monuit doctiſſimus J. C. Sitonus. Canonicatu etiam potitus eſt in Collegiata Sanctæ Theclæ, è quo Capitulo anno MDL. translatus eſt ad Metropolitanam Baſilicam, & inter ipſius Ordinarios computari meruit. Ea in dignitate uſque ad annum MDLXVII. vitam produxit, obiitque octogenarius condito prius Teſtamento, in quo præfato Metropolitanæ Capitulo quædam legavit, ut recurrente obitus ſui die, in prædicta S. Nazarii ad Petram-ſanctam Eccleſia, cui olim præfuerat, Sacra fierent ad animæ ſuæ levamen.

Volumen ejus MS. hoc titulo:

I. Nicolai Pacediani Recordationum libri XXX. ſervatur Autographum, elegantiſſimè ſcriptum in fol. pagg. ferè 700. in Bibliotheca Ambroſiana ſignat. A. num. 105.

Opus hoc lectu digniſſimum utinam aliquando lucem videat, nam haud facilè dictu eſt, quantum ex eo Italica ejus ætatis Hiſtoria lucis acceptura foret. Quoties enim res poſtulat omnia inſerit Auctor diligentiſſimus, quæ ſuo tempore acciderunt. In eodem etiam Volumine, quod attentè inſpeximus, hæc continentur:

II. Schiſmatum omnium, quæ Chriſti vexarunt Eccleſiam à Novato, uſque ad Felicem V. nomenclatura, atque Hiſtoria breviter comprehenſa. Extat in libro I.

III. Cæſarum omnium ab Auguſto ad Carolum Magnum Hiſtoria. Habetur in lib. XIV.

IV.

IV. Mediolanenſis Urbis à fundatione, uſque ad Maximiliani Sfortiæ tempora brevis Hiſtoria. Legitur in lib. III.

V. Oratio habita in ſecundis Nuptiis GineprIæ Bentivolæ. Memoratur in lib. II.

VI. Alia ad Julium Mediceum Cardinalem, nomine Comitis Jo. Andreæ Gambaranæ Urbis Gubernatoris pro Sacerdotio adepto. Eſt in lib. XIV.

VII. Alia ad Ludovicum XII. Galliarum Regem, & Mediolani Ducem pro Eleonora Ruſca. Eſt in lib. XX.

Ex ipſo Auctoris libro, Schedis Sitonianis, & Picinelli Athenæo pag. 431.

## MCCXIV.

## PAGANUS CAESAR.

CÆſar Paganus patrem habuit Franciſcum Virum Militaribus ornamentis clariſſimum, matremque Iſabellam Foppam. Inter LX. Patriæ Decuriones locum obtinuit, nec non Regius Vicarius Juſtitiæ extitit, hinc Advocatus Fiſcalis generalis, dein Regius Ducaliſque Senator totius Mediolanenſis Provinciæ, & à Conſultationibus Sancti Officii. Tot titulis, muneribuſque effulſit, ut Sereniſſimus etiam Elector Palatinus ipſum Internuncium voluerit. Obiit anno MDCCVII. die XVIII. Novembris, ſepultuſque jacet in limine Templi Capuccinorum hujus Urbis; Funus ſine imaginibus & pompa per laudes, & memoriam virtutum ejus celebre fuit, ut dixerat de Germanico Tacitus, Annal. I. Vix poſita Epigraphe:

HIC IACET CAESAR PAGANVS.

Silendum interea non eſt, quantum Vir iſte eximius Jura Cæſarea totis viribus ſuſtinuerit, adeo ut anno V. præſentis ſæculi mutato Mediolanenſi Dominio ſub Philippo V. Hiſpaniarum Rege, ob ſuſpicionem quòd adhuc Paganus cum Cæſareis commercium ſervaſſet, in carcere detentus fuit primùm in Caſtro Portæ Jovis, deinde in arce Piceleonis ad Abduam ſita, ubi extitit uſque dum Ducatus Mediolanenſis Auſtriacæ Dominationi reſtitutus fuit, de qua re extant Litteræ Joſephi I. Imperatoris ad Cæſarem noſtrum gratulatoriæ pro ejuſdem liberatione, in
A quibus merita ipſius erga Auguſtiſſimam Domum memorat. Datæ ſunt Viennæ die V. Martii, anno MDCCVII.

Scripſit quæ ſequuntur:

I. Pſalmi Davidici Italico Carmine redditi. Hoc Opus ipſum exaraſſe dum carcere detinebatur animi ſui dolorem leniturus, nonnulli Viri eruditi fide digniſſimi nobis indicarunt, tametſi ubi nunc ſervetur nos lateat.

II. Allegationes quamplurimæ, quæ extant in Collectionibus Benaliana, Archintea, Areſiniana, inter quas eminet

III. Appendix ad allegata pro Fiſco in Cauſa remiſſionis petitæ à Regulatoribus Impreſiæ Mercaturæ, in fol. *Mediol.* 1675.

B IV. Privilegium Fori Religionis Jeroſolymitanæ ex Pontificiis, Cæſareis, ac Regiis Sacræ Catholicæ Majeſtatis conceſſionibus deſumptum, in fol. *Mediol.* 1678. *ſine Typographo*.

V. Vota plura Fiſcalia tam impreſſa, quàm MSta, inter quæ unum legitur anni MDCIXXIX. in Hiſtoria Magiſtratus Extraordinarii Joſephi Benalii, pag. 54.

VI. Carmina varia, præſertim Italica, vulgo *Sonetti*, etiam Mediolanenſi dialecto compoſita, quæ periiſſe dolemus.

Ejus meminerunt Boſellus in Auſtria Amicia, Franciſcus Sadarinus in Reſponſis pag. 272. Sitonus in Stemmate Genealogico Nobilium de Paganis, typis dato anno MDCCXXIX. in Monumentis Vicecomitum publici Juris factis MDCCXXIV., & in Chronico Nob. J. PP. pag. 225. art. 1077.

C

## MCCXV.

## PAGANUS CAJETANUS.

EX Stemmate Genealogico Gentis Paganæ à Clar. Sitono nobis oblato cognovimus Ambroſium ex ipſis floruiſſe anno Chr. MCCCL. atque ex eâdem lineâ ortum fuiſſe Joannem Antonium anno MDCXVI., qui cum ejus conjuge Lavinia Solaria genuit Franciſcum. Hic dum ſæculo valedixit, atque Congregationem Clericorum Regularium Teatinorum ingreſſus eſt, mutato nomine, Cajetanus vocari voluit. Profeſſionem ſuam egit Mediolani die VII. Februarii, annò MDCXXXV. Loco ejus Vitæ ſatis eſt Elogium referre, quod legitur ſub ejus imagine, quæ ſervatur in Cœnobio D. Antonii apud Suos.

P. D. CAIETANVS PAGANVS MEDIOL.
CLERIC. REG. PRAEPOSITVS GEN. XXV.
SACRIS LITTERIS CHARITATE
ATQVE VIRTVTVM OMNIVM GENERE
AD NOVITIOS INSTRVENDOS EXCVLTVS.
TANDEM EMENSVS OMNIA SVI ORDINIS MVNERA
OBIIT NEAPOLI
DIE XXVII. NOVEMBRIS MDCLXXXVIII.
AETATIS LXX.

Opus hoc in lucem edidit:

I. Scrutinio Spirituale compoſto dal P. D. Luigi Novarini, e ridotto ad una ſomma morale, purgato, ed accreſciuto ſecondo le più ſode, e ſicure opinioni de' Dottori. *Milano*, 1682. *Tom. II. in* 12.

II. Compendio della Bolla in Cœna Domini, col Trattato de' Caſi riſervati, e dell' irregolarita. Extat ibid.

Ita à Suis.

D

## MCCXVI.

## PAGANUS JOHANNOLUS.

PAganæ Gentis nobilitatem, de qua jam aliqua præfati ſumus, non modicùm illuſtravit Joannes, Johannolus pro ejus ætatis conſuetudine nuncupatus; cujus prudentiam ſatis perſpectam habens Luchinus Vicecomes Mediolani Dominus, in delectu doctiſſimorum Virorum, qui Municipales hujus Metropolis Leges

Leges inſtaurarent, ipſum inter eos recenſendum exiſtimavit. Principis ſpem haud fefellit Civis Optimus, nam ſedulitate, atque ſtudio commendabili commiſſam ſibi ſpartam cum Collegis ſuis, magna cum Patriæ utilitate, perfecit. Prodierunt poſtmodum ejus labores anno MCCCLI. juſſu Joannis Vicecomitis Mediolani Archiepiſcopi, & Domini.

Laudatur Joannes ob

I. Jus Municipale Mediolanenſis Urbis reformatum. Eum commendat ad cit. annum MCCCLI. Bernardinus Corius, atque ex eo Comes Octavius Archintus in Collect. ſua Monument. Familiarium Mediolanenſium.

## MCCXVII.

## PAGGIUS MATTHÆUS.

INſtituto Eremitarum Sancti Auguſtini ſeſe addixit Matthæus Paggius nobilis Mediolanenſis ( de hac Gente Gaſpar fuit inter Sapientes, & Gubernatores Mediol. medio ſæculo XV. ) in ſæpe memorato Cœnobio Sancti Marci, eo præſertim tempore viris pietate, ac doctrinâ inſignibus referto. Cùm ineſſet igitur Matthæo fervens diſcendi ardor cum ingenii acumine conjunctus, humanioribus litteris primùm, Philoſophicis deinde, Theologicisque ſtudiis adeò ſtrenuam navavit operam, ut meritò magiſterii laureâ exornatus fuerit. Virtus nihilominus Paggii noſtri in ſuggeſtu apprimè excelluit; nam cùm ad Sacras Conciones habendas longâ annorum ſerie primarias Italiæ Urbes peragraſſet, ubique Celeberrimi Oratoris famam ſibi comparavit. Apoſtolicis tandem hujuſcemodi laboribus fractus, vivere deſiit Kalendis Aprilis anni MCCCLIV. Elapſis temporibus aſſervabatur in Bibliotheca prædicti Cœnobii S. Marci Monumentum ſatis præclarum doctrinæ Matthæi noſtri, videlicet:

I. Volumen Concionum perpulchris characteribus in pergameno ſcriptarum, in fol.
De Matthæo Paggio agunt Herera in Alphab. Auguſt. Torellus in ſæcul. Auguſtin., & Picinellus in Atheneo pag. 417., qui tamen malè illum appellat Michaëlem.

## MCCXVIII.

## PAGNANUS CAROLUS.

PAgnana Familia Mediolanenſis clarebat jam uſque ab anno MCCCXL. in Gulielmo Mediolanenſi Decurione. Guidettus verò Pagnanus Decurio & ipſe, nec non Datiorum Judex anno MCCCCXLVIII. genuit Carolum, de quo nunc agimus. Iſte non tantùm inter Civitatis Mediolani Decuriones numerabatur anno MDXIII., ſed etiam fuit ex duodecim Præſidibus Officio Proviſionum hujus Urbis per triennium, videlicet pro annis MDXV. MDXVI. & MDXVII, pro ut etiam ex XXIV. Gubernatoribus ipſius Metropolis. In hac Familia à ſupradicto Gulielmo uſque ad Bartholomæum Pagnanum Mediolanenſem Senatorem, qui floruit ab anno MCCCCLXVIII. ad MCCCCLXXXVIII. numerantur XII. Urbis Decuriones, inter quos Lazarum memorabimus in articulo ſequenti.

Monumentum Litterarium Caroli noſtri ſatis utile inſpexi hoc titulo.

I. Decretum ſuper Flumine Abduæ reddendo navigabili Mediolanum uſque cum teſtificatione Chriſtianiſſimi Regis in hanc Urbem liberalitatis, ac munificentiæ. Ne pereat memoria; quæ in Ædilitio Concilio Mediolani ſunt agitata de derivando Flumine Abduæ ad Urbem per foſſam commodè navigabilem, Carolus Pagnanus Mediolanenſis Patritius memoriali hoc libello conſulit: Qui cum primis excellenti ingenio Civibus, & Architectis huic rei ſemper publica auctoritate interfuit: Quicquid ſuper eo negotio neceſſarium viſum fuit quo potuit compendio perſpicua ſerie hìc annotatum recenſuit. *Impreſſum Mediolani, per Auguſtinum de Vicomercato, anno Domini 1520. die 26. Julii in fol.*
De Pagnanis Clar. Advocatus Joannes de Sitonis de Scotia agit in Monumentis Familiæ ejuſd. pag. 34. & ſeqq. *impreſſ. an. 1722. in fol. penès Malateſtam*; tum in Stemmate Genealogico, ut diximus.

## MCCXIX.

## PAGNANUS JOANNES FRANCISCUS.

EX Lazaro Pagnano, atque Conſtantia Caluſcha Mediolanenſibus Jugalibus generis ſplendore claris in lucem prodiit Joannes Franciſcus, qui liberalibus excultus facultatibus Eruditorum albo adſcribi meruit. Sed & Patriam plurimùm juvit circa initium mox lapſi ſæculi inter XII. Viros Annonæ Præfectos recenſitus. Anno verò MDCVI. Judex Victualium electus optimè Civibus conſuluiſſe fertur. Ex Clara Sovica lectiſſima Conjuge prolem ſuſcepit eximiam, videlicet Joannem Paulum Ordinis Militaris S. Stephani ornamentis inſignem, Hieronymum Regium Cohortis peditum Ducem, atque Joannem Baptiſtam Equitum Cataphractorum turmæ Vexilliferum. Quo obierit anno hactenus ignotum, verùm ex ſupremis voluntatis ſuæ Tabulis die IX. Auguſti, anno MDCXXX. conſcriptis, cùm jam annum ætatis LXXIX. exceſſiſſet, conjicimus ipſius mortem eo anno contigiſſe. Extant binæ ex marmore Inſcriptiones ejus munificæ pietatis teſtes, videlicet: Prima in Eccleſia PP. S. Angeli Nudipedum Minoritarum P. N. Mediolani, hiſce Notis:

D. O. M.

MAGNIFICI D. LAZARI PAGNANI ET AFFINIVM OSSA
ERANT IN SVO SACELLO TITVLO SANCTI LAZARI
IN ECCLESIA SANCTI ANGELI DEMOLITA
OBIIT MCCCCLXXXXI.
IOANNES FRANCISCVS PAGNANVS PRONEPOS POSVIT
ANNO SALVTIS MDCXX.



Digitized by Google

Altera in Sacello SS. Martini, & Rochi in Eccleſia B. Virginis Mariæ PP. Servorum Portæ Orientalis Mediolani, tenoris, ut ſequitur :

MAIORVM MONVMENTVM
QVOD IN LIMINE HVIVS SACELLI EXTABAT
IO. FRANCISCVS PAGNANVS
NATVRAE DISSOLVTIONIS MEMOR
SIBI ET POSTERIS SVIS INTVLIT
ANNO SALVTIS MDCXCIII.

Compoſuit ſumma cum diligentia :

I. Tractatum Hiſtoricum, & Genealogicum de Nobilibus Pagnanis Mediolani Patriciis, ab anno MCCCXL. ad annum MDCXXV., deque aliis Nobilibus XCVI. Familiis cum Pagnana Gente per affinitatem conjunctis. MS. pagg. 109. in folio prægrandi &c. Extat penès Hieronymum de Georgiis Barzizium Patricium Ticinenſem ac Mediolanenſem.
Latiùs de ipſo agit Advocatus Joannes de Sitonis de Scotia in libro, cui titulus : „ Quadripartitæ Nobili-
„ tatis Monumenta in Stemmate Genealogico Patricii
„ Viri Hieronymi de Georgiis Nobilis Ticinenſis ;
„ obſervante J. C. & Advocato Joanne de Sitonis de
„ Scotia Ven. Collegii Nobilium Judicum, Excellentiſs.
„ Civitatis Mediolani Chroniſtâ, anno MDCCXXII., *impreſs. in fol. penès Malateſtam &c.* à pag. videlicet 24. ad pag. 39.

MCCXX.

PALLAVICINUS HORTENSIUS.

HOrtenſius Pallavicinus Joannis Petri filius, Mediolani natus eſt anno octavo Sæculi nuper tranſacti, & celeberrimæ Societati Jeſu ſe addixit anno MDCXXIV., cui etiam votorum quatuor nuncupatione ſe arctius obſtrinxit. Artem Eloquentiæ ſex annis profeſſus eſt, & Philoſophiam Scholaſticam octennio explicuit. Sermones Quadrageſimales per triennium ſingulari plauſu habuit in Templo S. Fidelis hujus Urbis, tum in Eccleſia B. M. V. prope S. Celſum, & alibi plures Orationes Panegyricas dixit in laudem ejuſdem Deiparæ, variorumque Sanctorum. Nonnullis Academiis adſcriptus extitit, inter quas numeratur illa Mauritii à Sabaudia Cardinalis. Fuit à Confeſſionibus Marchionis Caracenæ Dominii Mediolanenſis Moderatoris. Præpoſitus gubernavit Domum Profeſſam Mediolani, & totius Provinciæ Conſultoris munere exornatus, è vita migravit anno MDCXCII.

Scripſit :

I. Auſtriacos Cæſares, Mariæ Annæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ in Dotale Auſpicium exhibitos, partim vincta, partim ſoluta Oratione. *Mediolani, typis Ludovici Montiæ*, 1649. *in* 4. cum æneis tabulis.
II. Magnæ Deiparæ Vitam Encomiaſticè, & Hiſtoricè deſcriptam. *Mediolani, typis Philippi Ghiſulphii*, 1657. *Tom. II. in* 12.
III. Encomj, overo Prerogative del S. Nome di Gesù, *Milano, preſſo il Monza*, 1661. *in* 8.
IV. La Vita di chi muore, cioè Maria Protettrice degli Agonizzanti. *Milano, per il Monza*, 1669. *in* 12.
V. In Caſalenſi victoria Eridani Epicinion. Ex Picinello.
VI. I ſanti inviti del Reale Profeta. *Milano, per li Ghiſolfi*, 1687. *in* 12.
VII. La Vergine prudente. *Ivi, per li ſuddetti*, 1685. *in* 12.
VIII. Iddio amabiliſſimo all'Uomo Libri IV. *Ivi, per Federico Agnelli*, 1678. *in* 8.
IX. Lettera in riſpoſta circa il Suffragio all'Anime del Purgatorio. *Ivi, per Franceſco Vigone*, 1688.
X. Inſcriptiones poſitas in Suburbano Palatio Ducum Sabaudiæ, vulgo *il Valentino*. Ex Picinello.
XI. Inſcriptiones, Elogia, atque Impreſias in adventu Mediolanum Mariannæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ. Ex eodem.
Videndi ſunt Soutwellus in Biblioth. Scriptorum Societatis Jeſu pag. 352., & Picinellus in Athenæo pag. 437.

MCCXXI.

PALLAVICINUS JOANNES BAPTISTA :

DIes XV. Martii anno redempti Orbis MDCXXIX. prima fuit Joannis Baptiſtæ Pallavicini Mediolanenſis, qui & litteris, & pietate ſingulariter excultus inter Carmelitas Excalceatos adſcribi voluit die XI. Maji MDCXLV. aſſumpto nomine Caſſiani à S. Elia. Ibi Regularis Obſervantiæ cultor eximius extitit, vitæ innocentiſſimæ, auſteritatiſque ferè inimitabilis. Per plures annos Examinatoris Synodalis munus ſuſtinuit in Archiepiſcopatu Bononienſi. Sacris Confeſſionibus addictus, XII. quoque Quadrageſimalia in totidem Italiæ Urbibus exegit. Vir laboribus ac ſtudiis natus omnes ſuæ Religionis dignitates conſtanter reſpuit, uſquedum meritis ſummopere cumulatus ad Superos evolavit in Conventu Suorum Mediolanenſi die V. Januarii Redemptionis anno MDCCXIV.

Hæc de eo habemus

I. Centum Hiſtoriarum Examen cum Sententia deffinitiva in utroque Jure, & pro utroque Foro, in quibus pro Confeſſariis, & Pœnitentibus, ac pro Juris utriuſque Doctoribus dubia pene innumera non facilis reſolutionis copioſis doctrinis expurgatis ab erroribus propoſitionum à Pontificibus damnatarum, abunde reſolvuntur. *Bononiæ, ex Camerali Typographia Manoleſſiana*, 1682. *in fol.*
II. Arbor Opinionum Moralium, cujus Flores ſunt voces, cujus fructus ſunt centum & viginti Conciones pro totius anni Dominicis. *Venetiis*, 1688. *in fol.*
III. Arbor omnium Opinionum Moralium, totam continens Theologiam Moralem ordine alphabetico diſpoſitam, adjectis auctoritatibus Canoniſtarum, atque Juriſperitorum, cum Summorum Pontificum Decretis, Vol. VI. in fol. quorum I. & II. continentia litteras A. B. C., & D. impreſſa fuere *Bononiæ, apud Petrum Mariam Montium*, 1691. *&* 1693. reliqua IV. *Ferrariæ, apud Hieronymum Filonum*, 1705.
IV. Itinerarium Hiſtorico morale, ſeu Reſponſa quæ variis in locis, itinerando, tum oretenus, cùm in ſcriptis, cum Juribus, & Doctoribus probatis, dedit interrogantibus. *Mediolani, apud Pandulphum Malateſtam*, 1712. *in* 4.
V. Diſcorſi ſopra le Feſte mobili di tutto l'anno. *Como, per Gio. Battiſta Arcioni*, 1670. *in* 8.
VI. Il tempo eternato dell'anima, impiegandolo in celebrare le Feſte di tutto l'anno, e contiene i Diſcorſi ſopra gl' Evangelj di tutte le Feſte immobili di tutto l'anno, con atti di preparazione, e ringraziamento alla Santa Comunione. *Aleſſandria, per Giuſeppe Sbrameſe*, 1674. *in* 8.
Ita à Suis.

MCCXXII.

A

## MCCXXII.

## PALLAVICINUS PLACIDUS.

PLacidi Pallavicini Mediolanenſis Acta libentiſſimè recenſeremus, niſi omnia, quæ ad eum ſpectare poterant, nobis ætas invidiſſet. Vetuſtatem autem hujus Gentis apud Inſubres teſtatam faciunt Tabulæ Civilitatis ab Urbis hujus Decurionibus impertitæ anno MCCCXLIV. Nicolao Ducali Conſiliario, & anno MCCCCLXXXXVI. Petro, ejuſque Filiis, quarum meminit Comes Octavius Archintus in Collectaneis Inſcriptionum MSS. Placidus hic noſter plurimùm in Canonicis legibus verſatus fuiſſe videtur, quemadmodum liquet ex ejus Opere, in quo eruditionem ſummam in ſacris ſtudiis oſtendit.

Illud prodiit hoc titulo:

I. Allegazione in jure intorno alle cauſe, che ſi ricercano, acciocchè un Beato ſia eletto in Protettore, e della ſua precedenza prima del Santo canonizzato. *Milano*, ſine Typographi nomine, *in fol.*

## MCCXXIII.

## PALLAVICINUS STEPHANUS.

STephanum Pallavicinum Mediolanenſem in hanc Collectionem jure merito intulimus. Quamvis enim unica ejus ſuperſit Oratio à nobis paulò poſt memoranda, tamen quòd in ea quantùm eloquentiâ valeret oſtenderit, æquum duximus debitam ipſi commendationem non denegare. Utinam de parentibus, actis, aliiſque ad eum ſpectantibus plura proferre liceret. At nemo nobis ſuccenſeat, quaſi in hoc quicquam laboris intermiſerimus, cum omni moto lapide, nulla de tanto Oratore præter Opus oblatum fuerit.

B

Illud eſt:

I. Stephani Pallavicini in præclariſſimi J. C. Andreæ Alciati morte Oratio. MS. in fol. Extat in Bibliotheca FF. Marchionum Vicecomitum.

## MCCXXIV.

## PANCERUS FRANCISCUS.

QUod Pancera familia Mediolanenſis ſit ex altero iſtius cognominis Viro, Lector jam perſpectum habere poterit. Noſtri verò, de quo nunc dicturi ſumus, Tritavus fuit Francius, cujus memoria extabat in Inſcriptione Sepulchrali, unà cum Inſignibus Gentilitiis familiæ Panceriæ in Templo S. Franciſci hujus Urbis, antequam collapſum, & dirutum fuiſſet, dein magnificè reædificatum, ideoque ne & ipſa cum aliis jam deperditis in oblivionem tradatur, hîc repono:

C

D. O. M.

ISTE LOCVS EST DOMINI FRATRIS DE PANCERIIS
DE VARISIO COHEREDVM EIVS QVI OBIIT
MCCCLXIV. DIE SABBATI XX. MENSIS IANVARII.

Altera quoque eſt Abavi Auctoris noſtri in Eccleſia S. Mariæ Gratiarum, quæ jam jam corroſa non legitur, ſequentibus notis:

IOANNES ET AMBROSIVS CLARI FRANCISCI
PANZERII NOBILIS PROLES SIBI POSTERISQVE SVIS
HOC DEDICAVERE SACELLVM
ANNO MCCCCLXXXVIII.

D

Bartholomæus verò Pancerius, & Claudia Niguarda Conjuges Franciſcum genuerunt, qui dum Religionem D. Auguſtini profeſſus eſt inter Nudipedes, anno reparatæ Salutis MDCLIII. die II. menſis Decembris, nomen Joannis Bartholomæi à S. Claudia aſſumere voluit. Tam celeriter, optimèque facultates Philoſophicas ac Theologicas didicit, ut de eiſdem Lector Suis declarari meruerit, magnâ Viri doctiſſimi famâ ſibi acquiſitâ. Mirum eſt, quòd Religioſus iſte à Suis tot muneribus excultus, nempè Prioris Provincialis in Patria, Deffinitoris Generalis Romæ, & Commiſſarii Apoſtolici in Germania, tam multa ſcribere potuiſſet, partim publici juris facta, partim adhuc inedita, ut infra. Tandem laboribus feſſus mortalitatem depoſuit in Conventu S. Damiani hujus Urbis die XVIII. Junii MDCCXI.

Hæc verò immortalem ipſum reddunt:

I. Rinforzo dello ſpirito Religioſo, con dieci giornate di Ozio Santo, appreſo nella Scuola del Gran P. S. Agoſtino. *Milano*, *appreſſo Franceſco Vigone*, 1697. *in* 8.

II. Litteræ Apoſtolicæ, Decreta, & alia hujuſmodi pro Congregatione Fratrum Excalceatorum, nuncupatorum Italiæ, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, à primo ſuæ Inſtitutionis anno MDXCII. ad hunc Jubilæi MDCLXXV. in unum collecta. *Romæ*, *apud Cameram Apoſtolicam*, 1676. *in fol.*

III. Luſtri Storiali de' Scalzi Agoſtiniani. *Milano*, *per il Vigone*, 1700. *in fol.*
Continet integram ſui Ordinis Hiſtoriam tam in Italia, quàm in Germania, unà cum variis Apologiis contra Oppoſitores.

IV. Cronaca generale di tutta la Riforma de' Scalzi Agoſtiniani, non ſolo in Italia, e Germania, ma ancora nelle Spagne, e nella Francia. Vol. V. MSS. in fol. in Bibliotheca Suorum Mediolani.

V. Qua-

Digitized by Google

V. Quareſimale Ambroſiano, con Sermoni del SS. Roſario per il Sabbato.
VI. Quareſimale Agoſtiniano. Avvento Ambroſiano, e Romano.
VII. Diſcorſi per la Novena innanzi a Natale.
VIII. Varie Cantate Spirituali.
IX. Diſcorſi per principio di Governo, per Viſite Regolari &c.
X. Diſcorſi per Profeſſioni Religioſe.
XI. Diſcorſi ſopra la Regola del P. S. Agoſtino.
XII. Varia Prædicabilia ex S. P. Auguſtino. Hæc à numero V. ad XII. extant ibidem Vol. XII. MSS. in 4.
XIII. Chroniſmus Rerum Mediolanenſium ex probatis Hiſtoricis, ab anno Urbis conditæ MMCCLXXVII. ad annum Chriſti Redemp. MCCCCXCII. MS. in fol. ſign. D. V. num. 21. Sylva eſt ſatis copioſa, ſed indigeſta. MS in fol. Vol. II. ibid.
XIV. Rerum Mediolanenſium Inſubres, aliique Scriptores, eorumque tempora circa quæ floruerunt. Extat in magno Cod. pergitque ad annum uſque MDCXCII. MS. in fol. ibid.
XV. De Vita, & Baptiſmo S. Auguſtini, & Ordinis Eremitarum Inſtitutione, & de Schola Palatina. MS. in fol. ibid.
XIV. De Baſilica, & duobus Monaſteriis S. Petri in Cœlo aureo Papiæ, ac de Inventione Corporis S. Auguſtini, anno MDCXCV. MS. in fol. ibid.

Ita à Suis, & à Schedis Mazzucchellianis, atque Sitonianis.

## MCCXXV.

## PANCERUS JOANNES ANTONIUS.

Joannes Antonius Pancerus Mediolanenſis nobilibus parentibus natus in hac Metropoli, inter Carmelitas Profeſſionem emiſit die XVII. Junii, anno MDLXI. prudentia atque eruditione tam ſacra, quàm profana ſummopere imbutus. Regentis munus à Suis ei committitur in Conventu Mediolanenſi, ubi, atque in altero Vercellenſi, nec non in Eccleſia Archiepiſcopali Florentiæ Conciones Quadrageſimales omnibus plaudentibus habuit, ſicuti & in Cathedrali Aſtenſi, & alibi. Generalis totius Ordinis extitit à Secretis, deinde Provincialis Lombardiæ dignitate exornatus annis meritiſque honuſtus è vivis abiit die XXVII. Februarii, anno MDCCXX. Plura ſcripſit, quorum pars jam lucem aſpexit, pars verò adhuc deſideratur,

Quæ ſunt:

I. Veridici, e diſtinti Succeſſi dell'Armi Imperiali, Ribelli, ed Ottomane, ſeguiti nell'Auſtria, dall'anno MDCLXXXIII. ſino al MDCLXXXVII. *Milano, preſſo l'Agnelli, ed il Monza*, 1688. *Tom. III in* 12.
II. Caduta dell'Impero Ottomano. *Milano, preſſo il Vigone*, 1684. *in* 8.

A III. Svegliarino Criſtiano di Don Giuſeppe Barzia, e Zambrana Veſcovo di Cadice, traddotto dal Caſtigliano. *Milano, preſſo Giuſeppe Malateſta*, 1720. *Tom. III. in* 4. Compendium verò hujus Operis editum fuit *Mediolani*, inde *Venetiis, apud Malachinum*, 1727. *Vol. I. in* 4.
IV. Svegliarino Mariale del ſuddetto Autore, traddotto dal Caſtigliano come ſopra. *Milano, preſſo il ſuddetto Malateſta*, 1719. *in* 4.
V. Svegliarino Criſtiano, Divino, ed Eucariſtico, traddotto come ſopra. *Ivi, e preſſo lo ſteſſo*, 1716. *in* 4.
VI. Svegliarino Criſtiano Santoario. *Come ſopra*, 1722. *in* 4.
VII. Quareſimali due del ſuddetto Barzia, traddotti come ſopra. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1714. *Tom. II. in* 4.
VIII. Diſcorſi Scritturali del medeſimo Barzia, traddotti come ſopra. *Ivi, preſſo lo ſteſſo*, *Tom. II. in* 4.
IX. Quareſimali due del Padre Emmanuello di Guerra y Ribera dell' Ordine della Trinità, Predicatore di
B Carlo II. Re di Spagna, traddotti come ſopra. *Ivi, preſſo lo ſteſſo Malateſta*, 1713. *in* 4.
X. Diſcorſi varj, e Panegirici del ſuddetto Padre Guerra, traddotti come ſopra. Tom. III. in fol. MSS, Extant apud Suos in Bibliotheca Mediolanenſi.
XI. Diſcorſi varj del Dottore Gio. Bach, traddotti come ſopra. MS. in fol. come ſopra.
XII. Quareſimale d'incerto Autore, traddotto dal Caſtigliano come ſopra. MS. in fol. ibid.
XIII. Tradduzione dell' Opera del P. Gio Egidio de Godoj Domenicano, cui titulus: „ El mayor Guzman, de los Bonos. „ MS. in fol. Tom. III. ibid.
XIV. Vita di S. Domenico, con ſue Rifleſſioni quaſi ad ogni Capitolo. MS. in fol. ibid.

Ita à Suis, & ab Auctoribus Diarii Italici. *Venetiis impreſſi, Tom. XIV. & Tom. XX.*

## MCCXXVI.

C
## PANIGAROLA ALEXANDER.

Alexandri Panigarolæ Mediolanenſis Patritii Gabriel Joſeph, atque Margarita Vertemata Conjuges, genitores extitere. Magnæ ſpei adoleſcentem contemplati parentes, nihil omiſerunt, quod ad indolem illius excolendam conducere poſſet; idcirco inter liberalia, & natalibus ſuis digna ſtudia teneros tranſegit annos, donec jam adultus ad labores litterarios ſe contulit. Majorum ſuorum præclara geſta undique colligens, & Epiſtolas Franciſci Panigarolæ Aſtenſis Epiſcopi à nobis pauló poſt laudandi, cui Alexander ipſe erat ex fratre pronepos, in unum Volumen redigens magnam ſibi inter ſuæ tempeſtatis doctos Viros exiſtimationem promeruit. A Repu-
D blicæ quoque adminiſtratione non abſtinuit, etenim inter LX. Patriæ Decuriones aliquando ſedit. Annum illius emortualem compertum non habemus, adhuc tamen in vivis erat anno MDCXXXI., quo defunctæ Matri hoc poſuit Elogium in Templo SS. Angelorum apud Minores Obſervantes hujus Metropolis.

MARGARITAE VERTEMATAE PANIGAROLAE
PIETATIS ET PRVDENTIAE CONNVBIO
OECONOMICAE VIRTVTIS EXEMPLO
INSIGNISQVE VIDVITATIS TESTIMONIO
CONSPICVAE
ALEXANDER FILIVS MOERENS MEMOR
POSVIT
ANNO MDCXXXI. DIE XX. APRILIS.

Scripta illius hæc ſunt:

I. Lettere di Monſignor Panigarola Veſcovo d'Aſti, raccolte dal Signor Aleſſandro Panigarola. *Milano, per il Bidello*, 1629. *in* 8. cum Nuncupatoria ad Sereniſſimum Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem.
II. Hiſtoria Familiæ Panigarolæ. Hoc Opus ſe ſcripſiſſe aſſerit Alexander in Epiſtola Nuncupatoria ejus libri.

E Inter Epiſtolas editas Sigiſmundi Foliani Burmienſis legitur XXXIII. lib III. ad Alexandrum noſtrum data, in qua pluribus extollitur Encomiis.
Laudatur à Sitono in Schedis ſuis, & in Collect. Inſcriptionum Co. Archinti.

MCCXXVII.

Digitized by Google

## MCCXXVII.

## PANIGAROLA ARCHANGELA.

BEata Archangela Panigarola ; in ſæculo Margarita , anno MCCCCLXVIII. nata eſt Mediolani Patre Gothardo Joannis Galeatii Sfortiæ Vicecomitis Inſubrum Ducis Cancellario , & Matre Conſtantia de Sancto Petro eximiæ virtutis Matrona . Exactis , ſummâ cum innocentiâ , primis adoleſcentiæ annis , Deo per Viſiones prorſus ſingulares vocante , ad Cœnobium Sanctæ Marthæ , in quo plures vixere admirandæ Sanctitatis Virgines , ſe contulit annos quindecim nata , ibique die XVII. Julii MCCCCLXXXIII. ſub D. Auguſtini Regula Virginum Sponſo ſe dicavit . Vivebat eo tempore in eodem Monaſterio B. Veronica de Binaſco , ejuſque Contubernio ad perfectionis apicem adeò contendit, ut brevì Tyronibus erudiendis Præfecta , tum Vicaria , poſtremò Priorissa fuerit conſtituta . Mirum , quibus virtutibus enituerit , quibus donis à Cœleſti Sponſo donata fuerit; Prophetiæ præſertim, & Curationum. Leoni X. tunc in Minoribus agenti , cùm Mediolani captivus detineretur , Pontificatum , ad quem poſtea aſcendit , apertè prædixit . Chriſti Salvatoris, Deiparæ Virginis , Angelorum , & Cœlitum apparitionibus dignata fuit . Quin & Angelis dictantibus plura conſcripſit. Demum anno MDXXV. ætatis ſuæ quinquageſimo ſeptimo die XVI. Januarii , qua prædixerat hora , migravit ad Superos .

Scripſit :

I. Volumen Epiſtolarum ad Dionyſium Briſonettum Epiſcopum primùm Tolonienſem , tum Maclovienſem .

II. Volumen Revelationum , quòd Leo X. litteris , quæ adhuc extant in Archivo ejuſdem Monaſterii . Datæ Romæ . MDXIV. die XXX. Decembris adversùs quorumdam impugnatorum vim defendit , etiam propoſitis Eccleſiaſticis Cenſuris . Extant ambo MS. in fol in Archivo præfati Parthenonis S. Marthæ Mediol.

III. Prophetiam ejuſdem authenticam de inſtituenda Societate Jeſu , ſervari in Archivo Romano teſtatur Daniel Bartoli in Hiſtoria ipſius Societatis .

IV. Rivelazione intorno all' Anima di Suor Cherubina .

V. Collana di XII. Gemme in onore di S. Michele Arcangiolo .

Hæc duo Opera Archangelæ manu conſcripta , ſervari apud præfati Cœnobii Virgines aſſerit Pater Octavius Invitiati S. J. in Vita ejuſdem . *Edita Mediolani , apud Ghiſulphum* , 1677. *in* 12.

VI. Orazioni divote della medeſima . Extant in Cap. ultimo ejuſdem Vitæ .

VII. Ordine , ed Eſercizio de' lavori ſpirituali , i quali furono dall' Angelo inſegnati alla degniſſima Madre Arcangela , e delli quali ella ce ne laſciò un libro . Ita Anonyma Monialis S. Marthæ in Vita Victoriæ Felicis Lunieræ , quæ eſt in Cap. 43. ejuſdem Operis alibi recenſendi in addendis .

In libro , cui titulus : Coſe notate da Gio. Pietro Puricello nella Vita della Madre Arcangela Panigarola , Monaca di Santa Marta di Milano . MS. Autograf. in 4. in Archivo ejuſd. Monaſterii ſervato , hæc leguntur : „ Il Commendatore di S. Antonio di Granoble , venne a Milano l'anno , che „ vi ſi congregò il Concilio contro Papa Giulio II. , „ e fattoſi figliuolo Spirituale della M. Arcangela , „ ſi preſe carico di ſcrivere le di lei Rivelazioni , cioè „ latinamente , e cominciò dal Cap. LXVII. , e dal „ V. Maggio dell' anno MDXII. , ma dopo la di lui „ morte furono traddotte in volgare dal Magnifico „ M. Principalle da Monte , ad iſtanza di Suor Bo„ naventura , in quei tempi Vicaria del Monaſtero , „ e nell' innanzi Segretaria della Madre Arcangela . „ Veggaſi la Prefazione di quella Monaca , che poi „ traſcriſſe le dette Rivelazioni , e gliela poſe in„ nanzi . „ De hac Principallis Montii traductione in illius Articulo meminimus .

Ejus Elogium habet Torrellus Cent. 4. Cap. 62. in lib. cui titulus : Riſtretto delle Vite degli Uomini , e delle Donne illuſtri , ed altri famoſi Soggetti dell' Ordine Agoſtiniano . *Bologna , per il Monti* , 1647. *in* 4.

Scribunt de ea Card. Federicus Borromæus lib. III. & IV. de Amore virtutis , & lib. I. Cap. XII. de Chriſtianæ mentis jucunditate . Boſca in Martyrol. Med. ad diem I. Novembris . Plureſque alii ab eodem Invitiato citati .

## MCCXXVIII.

## PANIGAROLA AUGUSTINUS.

EX Franciſco Chriſtophori filio ortus eſt Auguſtinus Panigarola , fratreſque habuit Chriſtophorum & Nicolaum Viros laudatiſſimos , quorum poſtremus Juriſperitus Collegiatus extitit . Codices tam Civilium , quàm Canonicarum Legum attentiſſimè perſcrutatus , ſummos Academicos honores conſequi meruit , & ob generis nobilitatem , atque virtutis meritum & ipſe Juriſprudentum Collegio aggregatus fuit anno MDVII. At brevì ad majores aſcendit gradus , etenim primùm inter Patriæ Decuriones adlectus , ad Regii Ducaliſque Senatoris gradum provehitur , quo in munere dum ſe laudabiliter gereret , Prætorios faſces in Civitate Bergomenſi Principis Decreto adminiſtravit . Pluribus in publicis negotiis magni momenti adhibitus inſignem ſemper prudentiam , atque integritatem præſetulit , in rebus præſertim , quæ illius ætate gerebantur pro Republica Genuenſium , ut indicant Epiſtolæ infra memorandæ . Raptus eſt terris anno Salutis MDXXIX. , conditusque jacet apud Majores ſuos in Sacello Sancti Joannis Baptiſtæ in Eccleſia Sancti Petri in Glaxiate , ubi adhuc viſitur marmori inſculptum Joannis Baptiſtæ illius filii Elogium in hæc verba conceptum :

IO. BAPTISTAE PANIGAROLAE
AVGVSTINI SENATORIS FILIO
I. C. ET QVAESTORI EXTRAORDINARIO
THEODORA LANDRIANA
MARITO CARISSIMO
HIERONYMVS PROTH. APOST.
FRANCISCVS REGIVS SENATOR
ET AVGVSTINVS FILII
PATRI OPT. SIBI ET POSTERIS
P. C.



Digitized by Google

Doctrinam illius teſtantur.

I. Epiſtolæ plures ad Rempublicam Genuenſem. Eas editas fuiſſe Genuæ aſſerit Laſor à Varea.

II. Aliæ plures Latinæ ad Hieronymum Moronum, Lancinum Curtium, Thomam Platum, alioſque; harum mentio eſt in Tomo III. & IV. Epiſtolarum ejuſdem Hieronymi Moroni, qui ad Panigarolam noſtrum plures dedit ab anno MDXVI. ad MDXVIII., earum Codices MSS. laudavimus in articulo ipſius Moroni.

Ejus meminere Andreas Saraccus in Trivultiade lib. 6 Sitonus in Chron. pag. 82. art. 354., & pag. 102. art. 424., atque Puccinellus in Chron. Glaſſiatenſi pag. 336.

## MCCXXIX.

## PANIGAROLA CHRISTOPHORUS.

FRanciſcus Panigarola jam notæ apud Inſubres nobilitatis Vir Chriſtophorum, de quo nunc agendum eſt, genuit, ac tam ſtudioſè educavit, ut conceptam de filio ſpem ad effectum tandem perduxerit, quem optaverat. Etenim legalibus excultus diſciplinis, atque Doctor in utroque Jure creatus Chriſtophorus noſter, anno MDVII. Juriſprudentum Collegiatorum Cœtui nomen dedit; cùmque ad Clericalem vitam animum convertiſſet, primùm in Imperiali Baſilica S. Ambroſii Canonicus extitit, mox Abbas Commendatarius S. Julii de Dulzago in Novarienſi Epiſcopatu creari meruit. Poſtremò magni habitus eſt Patria, ubi Senatoriam dignitatem obtinuit, & in Romana Curia ob eruditionis & integritatis præſtantiam, ideoque inter Auditores Sacræ Rotæ cooptatus fuit die XIX. Januarii, anno Salutis noſtræ MDXXVI. Majora certè virtuti ejuſdem præmia parabantur, niſi præmatura morte raptus mortalis eſſe deſiiſſet die XXVIII. menſis Octobris, anno MDXXX.

Habemus ſuperſtites:

I. Deciſiones plures editas in corpore aliarum Sacræ Romanæ Rotæ.

II. Alias MSS. in Archivo molis Hadrianæ.

De ipſius virtute, atque dignitatibus honorifica mentio eſt apud Fontanam in Biblioth. legali, parte II. pag. 51. Cantalmajum in Syllabo Auditor. Rotæ Romanæ. Jaſonem Conſil. 77. Vol. III. *Edit. Francofurti* 1611. Marcum Ant. Montium in Allegat. pro Regio Oeconomatu; Gomezium Deciſ. XXII., & Sitonum in Chron. Colleg. J. CC. pag. 83. art. 355.

## MCCXXX.

## PANIGAROLA FRANCISCUS.

ANtequam de Franciſco Panigarola Viro in tota Litteraria Republica celeberrimo verbum faciam, juvat in primis aliqua proferre de Gabriele ejus Patre J. C. C., & ex LX. Patriæ Mediolanenſis Decurionibus. Hic non tantum Quæſtor extitit Magiſtratus Reddit{uum} Ordinariorum, ſed & etiam Duciſſæ Chriſtiernæ relictæ Franciſci II. Mediolani Ducis Locum-Tenens in Comitatu Derthonæ. Gloriæ, lucrique ſpretor ſtrenuus Cathedram Senatoriam, imò Præſidis ejuſdem ampliſſimi Cœtus dignitatem à Carolo V. Imperatore ultro oblatam à ſe propulſavit, renuit, recuſavit. De ipſo Marcus Litta in Libro de Urbe Mediolani, ſic cecinit:

De Gabriele Panigarola J. C. & Oratore Clariſs.

*Gloria Romanæ magna eſt Hortenſius Urbi,*
*Cui linguæ eſt partus munere ſummus honos,*
*Addidit orandi verum quia legibus artem,*
*Panigarola, ideo major habendus eo eſt.*

Dolemus interea, quod nullum ejus Litterarium Monumentum nobis ſervaverit temporis edacitas; gloria interim perpetua ei erit, una cum Eleonora Caſata conjuge nobiliſſima Franciſcum noſtrum genuiſſe, qui die VI. menſis Januarii, anno Reparationis noſtræ MDXLVIII. lucem vidit primam in hac Metropoli, nomine ei dato Hieronymi. Magiſtros habuit Viros eximios, nam Patavii Rhetoricam didicit ſub Natali de Comitibus, Logicam verò ſub Bernardino Thomitano, dein in Gymnaſio Ticinenſi in utroque Jure à Gaſpare Vicecomite, qui poſtea Inſulam Archiepiſcopalem Mediolanenſem obtinuit, edoctus extitit, tum Legum curriculum in Bononienſi Academia plaudentibus omnibus perfecit. Divino poſtea afflatu ductus Religionem Sancti Franciſci inter Minores Obſervantes Florentiæ amplexus eſt, in qua vocari voluit Franciſcus. Tunc totus Sacris Scientiis ſe dedit, & cùm felici ingenio ſummopere præditus eſſet, eruditus Philoſophus, nec non Theologus doctiſſimus breviter ita illuxit, ut in iiſdem facultatibus Lutetiæ Pariſiorum Lauream acceperit. In Sacrorum Bibliorum Libris tantopere inſudavit, ut Concionator facundus univerſi Orbis conſenſu celebratus evaſerit. Erat Franciſco liberalis facies, ſonora vox, verſatile ingenium, lingua velox, adeoque decenter articulata, ut cum in ſuggeſtu, pleno dignitatis corporis habitu, ad Populum concionaturus promineret, audientium animos uſque ad ſtuporem rapere videretur. Charus Divo Carolo Borromæo, qui ut ipſum concionantem audiret, ſocium voluit etiam dum Oppida in Regione Helvetica ſita, Diœceſi Mediolanenſi ſubjecta ſacra Viſitatione perluſtrabat. Intimus quoque ei fuit à conſiliis. Demum ipſi etiam morienti aſtitit Panigarola, atque extremos illius anhelitus excepit. Hic in perennem Franciſci noſtri laudem juvat verba ipſa referre Clariſs. Ughelli ex Tomo IV. Italiæ Sacræ:
„ Galliam per id tempus Henrici Borbonii arma
„ vexabant, cùm ſibi ſcilicet ex infelici Henrici III.
„ deceſſu Borbonius florentiſſimum illud Regnum avito jure ſponderet. Contra Pariſini Cives coierant
„ in fœdus, dixerantque Pontifici ſacramentum, nun-
„ quam ſe recepturos Borbonium, niſi prius ipſe,
„ qua à primis annis fuerat infectus hæreſim ejura-
„ ret. Ita tamen Henricianam interim obſidionem to-
„ lerabant, ut victi quandoque malis victori vide-
„ rentur ceſſuri. Quos ut confirmaret Sixtus Ponti-
„ fex, inque ſpem melioris eventus erigeret, Hen-
„ ricum Cajetanum Ampliſſimum Cardinalem ad ob-
„ ſeſſos legavit: cui præter fortium Virorum, orna-
„ tiſſimum comitatum Robertum Bellarminum ex
„ Societate Jeſu Theologum, facundumque Concio-
„ natorem, ex Ord. Minor. Epiſcopum Panigarolam
„ adjunxit. Igitur Panigarola, ut obſeſſis ſpem fa-
„ ceret, conſcenſo ſuggeſtu, illud Evangelii expli-
„ cans: *Ecce motus magnus factus eſt in mari, itaut*
„ *navicula operiretur fluctibus*, tanta Pariſienſium
„ admiratione, hoſtiumque terrore peroravit, ut
„ plus Panigarolæ articulos, nervoſque vereretur
„ Borbonius, quàm ad propugnandam lectiſſimam
„ Urbem intentatos mucrones. „ Comitiis generalibus Seraphicæ Religionis interfuit Pariſiis anno MDLXXIX., ibique pro ſuprema dignitate certatum eſt inter ipſum Panigarolam, & Franciſcum Gonzagam, iſtique libentiſſimè atque humiliter noſter ceſſit. Anno ſequenti à ſupradicto Summo Pontifice

Digitized by Google

tifice Sixto V. in Gryſopolis Epiſcopum, & Ferrarienſis Antiſtitis Coadjutorem fuit electus, inde curante Carolo Emmanuele Allobrogum Duce Aſtenſem Eccleſiam obtinuit anno MDLXXXVII., & poſt ſeptem annos nondum expletos ſui Epiſcopatus, die XXXI. menſis Maji, anni MDXCIV. hora XXII. ætatis ſuæ annorum XLVI., & menſium IV. tantorum laborum præmia recepturus ad Cœlum evolavit, & in ſua Eccleſia Cathedrali tumulatus, relicto à ſe ipſo Epitaphio, quod ſuper ejus tumulum incidi juſſit, ſcilicet:

HIC IACET FRANCISCVS PANIGAROLA
EPISCOPVS ASTENSIS
CVIVS ANIMA IN BENEDICTIONE SIT.

Varii de mortis ejus genere rumores vulgati ſunt, ipſum tamen veneno ab invidis illius objurgationes ægrè ferentibus propinato periiſſe conſtantior fama percrebuit. Sublimiores procul dubio honores adepturum fuiſſe nemo inficiabitur, niſi morte immatura terris raptus ad eos percipiendos aditum ſibi præcluſiſſet, æternis potitus, ut piè creditur, bonis. Ipſum in Funere laudarunt Georgius Manganus, cujus Oratio impreſſa fuit *Aſtæ*, 1594. *in* 4. Idem fecit Joannes Armius ex eod. Ordine S. Fr. & hoc titulo ſuam Orationem vidi: „ Orazione Funerale di Frate „ Giovanni dall' Armi Min. Oſs. in morte, e ſopra „ il Corpo di Franceſco Panigarola Veſcovo d'Aſti. *Torino*, 1594. *in* 4. Alia perelegans Oratio Anonymi in Funere ejuſd. latino ſermone conſcripta, extat in Bibliotheca Monachor. Ciſtercienſium Mediol. MS. in fol. num. 60. Virtutum tanti Viri majorem teſtem Lectoribus noſtris proferre non poſſumus, quàm verba eximii Cardinalis Federici Borromæi, uti leguntur in libro II. de Sacris Oratoribus, quæ ſunt: „ De hoc Oratore poſſumus affirmare, ne„ minem fuiſſe per eos annos majore fama, neque „ id ob Concionum tantummodo gloriam, ſed pro„ pter liberalem, & in communi conſuetudine mo„ dum agendi, quo multorum privatim animos alli„ ciebat. In id habuit ille tantùm artis, totque „ laqueos, & retia ad capiendas hominum volunta„ tes, ut cupidiſſimi aſſectarentur, cùm nobiles, „ obſcuri, docti pariter, & indocti, neque ſolùm „ ubi moraretur uſpiam; ſed etiam in itinere diver„ tentem aliquo, ac tranſeuntem fortè per Urbes. Quantum ille ſcripſerit penè incredibile eſt, Plura enim refert Ughellus loco citato, alia ipſemet teſtatur ſcripſiſſe in libro, cui titulus: „ Lettere di Mon„ ſignor Panigarola Veſcovo d'Aſti. *Milano*, 1619. In Epiſtola autem I. Libri II. ad P. Aloyſium Panigarolam legitur Index Operum Auctoris noſtri ab ipſo dum annum agebat XLV. confectus. Alia verò leguntur in Picinelli Athenæo, & tandem nonnulla adhuc inedita ſervantur apud Suos in Bibliotheca S. Angeli in hac Urbe, quorum notula nobis perhumaniter communicata fuit. Ex his omnibus nos Cathalogum ſequentem ſcripſimus, additis aliis Lucubrationibus à nobis etiam repertis, de quibus mentio alibi fruſtra eſt perquirenda, occaſione qua tot Bibliothecarum libros maximo labore pervolutavimus.

Sunt igitur:

I. Homiliæ à Dominica poſt Pentecoſten uſque ad Adventum, & in principalibus illius temporis Solemnitatibus, Romæ habitæ anno MDLXXX. *Venetiis, apud Jacobum Vincentium, & Ricciardum Amadinum*, 1604. *in* 8. Curâ, & diligentiâ Joannis Armii ejuſdem Inſtituti, ad Cardinalem Franciſcum Sangeorgium.

II. Decreti della I. e II. Sinodo Dioceſana Aſtenſe, fatti da Franceſco Panigarola, Veſcovo d'Aſti, l'anno MDLXXXVIII. con aggiuntevi da' Stampatori tutte le Lettere Paſtorali di lui, che ſino a queſt' ora ſono uſcite fuori &c. *In Aſti, per Giovanni, e Virg. Zangrandi*, 1589. *in* 4.

III. Sei Quareſimali fatti in Roma. *Ivi, per il Paolini*, 1596. *Vol. II. in* 4. De hoc libro pars aliqua lucem vidit latino ſermone ab Anonymo donata, & ſic inſcripta: „ Conciones „ Quadrageſimales Franciſci Panigarolæ. *Moguntiæ, apud Albinum*, 1602. *in* 4. Sed ſatius duco hîc exſcribere titulos, ut jacent MSS. in Bibliotheca Fratrum Min. Obſerv. S. Angeli hujus Metropolis.

1. Quareſimale fatto in Roma alla preſenza del Papa.
2. Quareſimale ſecondo fatto in S. Pietro di Roma l'anno MDLXXVII. Hoc quoque autographum MS. habet Bibliotheca olim Com. Cæſaris Montii.
3. Quareſimale terzo fatto in Roma parte prima.
4. Quareſimale terzo fatto in Roma parte ſeconda.
5. Quareſimale quarto fatto in S. Pietro di Roma l'anno MDLXXXIV.
6. Quareſimale quinto fatto in Araceli di Roma l'anno MDLXXXVI.
7. Quareſimale ſeſto fatto in S. Pietro di Roma l'anno MDLXXXVII. mentre era Veſcovo.
8. Quareſimale dalla Feria IV. delle Ceneri ſino alla Feria V. della II. Domenica; conſta di quattro, cinque, e ſei Prediche per giorno.
9. Quareſimale dalla Feria V. della Domenica III. di Quareſima ſino al fine.
10. Quareſimale dalla Settuageſima alla Domenica II. di Quareſima incluſivè.
11. Quareſimale dalla Feria II. dopo la II. Domenica di Quareſima alla Feria III. dopo la Domenica IV. di Quareſima incluſivè.
12. Quareſimale dalla Feria IV. dopo la IV. Domenica di Quareſima alla Feria III. dopo la Domenica delle Palme incluſivè.
13. Prediche diverſe la maggior parte per la Quareſima.

Non omnia certè eſſe poſſunt in II. Vol. ſupradictis typis traditis.

IV. Prediche ſpezzate, e fuori di tempo di Quareſima. *Aſti, per il Zangrandi*, 1591. *in* 4. *ed in Milano lo ſteſſo anno*. Etiam hîc juvat Lectori meo proferre MSS. Bibliothecæ S. Angeli, uti inſcripti ſunt tituli ad has Conciones melius cognoſcendas, quæ & ipſæ non omnes typis commiſſæ fuerunt.

1. Prediche per l'Avvento.
2. Prediche ſei diverſe, e varie.
3. Prediche otto diverſe.
4. Prediche otto d'Inverno.
5. Prediche dodeci diverſe de' Santi, di Domeniche, e di Ferie.
6. Prediche ſedeci diverſe, e di varie coſe trattanti.
7. Prediche ſedeci parimenti diverſe.
8. Miſcellaneo di diverſi Sermoni, ed Introduzioni a varie Orazioni.
9. Diſcorſi quattro diverſi.

V. Rhetoricæ Eccleſiaſticæ, ſive de Ratione componendæ Concionis libri III. *Coloniæ, apud Honthemium*, 1605. *in* 8.

VI. Theſes generales ex univerſa SS. PP. Theologia deſumptæ, & conſentiente R. & Illuſtriſs. Patre F. Franciſco Gonzaga Mantuano, ejuſdem Ordinis Generali, in Capitulo, cui interfuere DC. præſtantiores Patres ex omnibus nationibus, etiam Indici, ex novis Inſulis, & Hieruſalem, ad publicam Diſputationem propoſitæ. *Ingolſtadii*, 1584. *in* 8.

VII. De Maria Virgine Matre Oratio. *Aſtæ, Typis Virgilii Zangrandii*, 1591 *in* 4.

VIII. In Laudem S. Domus Beatæ Virginis Lauretanæ, Poëma Latino, atque Etruſco Carmine modulatum: teſte Maraccio loco infra citando. Italicè verò ipſum vidi, ſic inſcriptum: „ La Santa Caſa di Loreto, Poema. *Bergamo, per Comino Ventura*. 1606. *in* 4.

IX. De Sacrarum Stationum veteri inſtituto à Sixto V. revocato. Oratio in die Cinerum. *Mediolani, apud Pontium*, 1587. *in* 4.

X. Conciones Latinæ quotquot extant omnes. *Coloniæ*, 1600. *in* 8.

XI. S. Petri Vita per modum Catenæ Aureæ contexta. *Romæ, ſine anno, & Typographo, in* 4. Adeſt quoque Italico ſermone MS. in Bibliotheca Sancti Angeli.

XII. Parafraſi, e dichiarazioni ſopra i Salmi. *Venezia, per li Zoppini*, 1585 *in* 4. *Roma*, 1587. *Parigi, per Roberto Stefano*, 1610 *in* 8. & iterum *Venezia, preſſo gl' Imberti*, 1627. *in* 4.

XIII.

**XIII.** Parafraſi, ed Annotazioni ſopra le Lamentazioni di Geremia, fatte in S. Lorenzo in Damaſo. *Verona, preſſo Girolamo Diſcepolo*, 1583. *ed in Roma, preſſo il Gigliotto*, 1586. Repe（riuntur etiam MSS. in Bibliotheca S. Angeli cum aliis ejuſdem Argumenti in Eccleſia Mediolanenſi, vulgò *il Giardino* nuncupata, habitis.

**XIV.** Cento Ragionamenti ſopra la Paſſione di N. S. Parti IV. raccolti dal P. Paolo Caſtrucci da Monte Regale Domenicano. *Venezia, per il Rampazzetti*, 1585. *in* 4. *ed in Genoa, per il Bortoli*, 1590. Et traduits en françois (XXV. tantùm) par Gabriel Chapuys. *A Paris*, 1599. *& à Veniſe*, 1592. Pars ipſorum adeſt MS. in Bibliotheca Suorum S. Angeli hujus Urbis.

**XV.** Compendio degli Annali Eccleſiaſtici del Baronio. *Venezia, appreſſo la Compagnia minima*, 1593. *in* 4. con le Annotazioni. *Roma, per il Ziliotti*, 1590. *in* 4. MS. ſervatur quoque apud Suos in Bibliotheca S. Angeli Mediolani.

**XVI.** Prediche ſopra gli Evangelj della Quareſima. *Roma, per il Polini*, 1596. *Tom. II. in* 4. *ed in Milano, per l'Antonii, lo ſteſſo anno, in* 4.

**XVII.** Orazione in morte, e ſopra il Corpo del Cardinal Borromeo (poſtea *Santo*). *Milano, preſſo il Zeni*, 1583. *in* 4. *Vicenza, Bologna, e Firenze, preſſo il Sermatelli*, 1585. *in* 4.

**XVIII.** Orazione altra ne' Funerali di S. Carlo. *Milano, per il Lomazzo*, 1605. *in* 4.

**XIX.** Lezioni XX. contro Gio: Calvino. *Venezia, preſſo Pietro Duſinelli*, 1583. *in* 4. *ed in Ferrara, per Giulio Vaſſallini*, 1585. *in* 8. Has in ſermonem latinum vertit Jo. Tonſus, ut in eo littera T. dicemus. *Mediolani, apud Pacificum Pontium*, 1584. Autographæ verò Italicæ ſunt MSS. in Bibliotheca S. Angeli Mediolani.

**XX.** Tabulæ XXIV. ex variis Conciliis, & Apoſtolicis Viſitationibus depromtæ. *Papiæ, apud Vianum*, 1594. *in* 4.

**XXI.** Modo di comporre una predica trovato da Franceſco Panigarola Min. Oſſerv. per quelli che cominciano. *Milano, per Paolo Gottardo Ponzio*, 1584. *in* 12. Prodiit quoque latinè hoc titulo: „ Brevis & artificioſus Concionem „ omnibus numeris abſolutam componendi mo„ dus, ex Italica in Latinam linguam transla„ tus per Michaëlem Cremerium Ord. Prædic. „ Theol. Doct. *Moguntiæ, apud Balthaſ. Lipp* 1612. *in* 8.

**XXII.** Eſpoſizione letterale, e miſtica della Cantica di Salomone. *Milano, per il Bidelli*, 1621. *in* 8. Extat etiam MS. in Bibliotheca S. Angeli hujus Urbis.

**XXIII.** Memoriale di Medicina Spirituale. Extat in eodem Vol.

**XXIV.** Il Predicatore, o ſia Parafraſi, e Commento intorno al Libro dell' Eloquenza di Demetrio Falereo. *Venezia, per i Giunti, e Ciotti*, 1609. *in* 4. Poſtquam ipſe in Epiſtola ſæpe dicta enumeraverit Opera ab eo conſcripta, ſic de hoc Opere locutus eſt: „ Queſto è fat„ to ſinora: quello, intorno a che io ſudo adeſ„ ſo, ſe bene di Febraro, è una Parafraſe, un „ Commento, e molti Diſcorſi intorno al Li„ bro della Elocuzione di Demetrio Falereo, „ che ſarà opera di tre anni di tempo alme„ no, ma nella quale io ſpero di dover fare „ ed alla noſtra lingua, ed a' Predicatori Sacri „ ſervigio notabiliſſimo, riducendo i precetti, „ e gli eſempj del dire, dati da' Greci, alla „ pratica di ben parlare in proſe Italiane, ed „ accomodando la vana Elocuzione degli Au„ tori profani alla ſacra eloquenza de' noſtri „ Dicitori, e Scrittori Eccleſiaſtici &c. Di Aſti „ alli 5. di Febraro 1592. „ Hoc idem Opus ſervat MS. Bibliotheca S. Angeli Mediolani in IV. partes, & totidem Vol. diviſum in 4. manu Auctoris exaratum, & magni faciendum pro nova editione à Litteraria Republica ex pluribus ab hinc annis deſiderata.

**XXV.** La Quareſima in Sonetti, con le Figure. *Bergamo, per Comino Ventura*, 1606. *in* 4.

**XXVI.** De Pariſienſium obſidione. *Romæ, ſine Typographi nomine, & ſine anno, in* 4.

**XXVII.** Lezioni XXII. ſopra il Catechiſmo ad Parochos. *Milano, preſſo il Ponzio*, 1582. *in* 4. Hæc quoque in Gallicum ſermonem vertit Gabriel Chappuys. *A Lyon*, 1583. *in* 8.

**XXVII.** Sermoni ſopra la prima Parola in Croce. *Milano, per Tino, e Beſozzi*, 1601. *in* 4.

**XXIX.** Specchio di guerra. *Bergamo, per il Locarno*, 1597. *in* 4.

**XXX.** Copia di due Lettere di Monſignor Panigarola ſcritte poco avanti di ſua morte, e di ſua propria mano; una è intitolata Sereniſſimo Signore: l'altra Nipote mio Cariſſimo. Siegue pianto fatto dopo la morte di Monſignor Panigarola; *ſenza nome dell' Editore, ſtampa, luogo, ed anno, in* 8.

**XXXI.** Sagri Concetti di Franceſco Panigarola, Opera poſtuma, dedicata ad Urbano VIII. *Milano, per il Bidelli*, 1625. *in* 4.

**XXXII.** Lettere di Monſignor Panigarola Veſcovo d'Aſti raccolte dal Signor Aleſſandro Panigarola. *Stampate in Milano, per Gio. Battiſta Bidelli*, 1629.

**XXXIII.** Carmina varia Latina. Extant in Tomo VII. Carminum Illuſt. Poëtar. Italorum. *Florentiæ, apud Tartinos, & Francos pag.* 66.

**XXXIV.** Epiſtola in laudem Card. Valerii ad S. Carolum data Veronæ die XX. Septemb. MDLXXXIV. Extant in pluries laudata Collectione Epiſt. D. Caroli in Biblioth. Ambroſiana.

**XXXV.** Epiſtolæ tres Latinæ ad S. Carolum, cum ejuſdem Reſponſionibus de anno MDLXXXIV. extant ut ſupra.

**XXXVI.** Epiſtolæ plures datæ annis MDXCIII., & MDXCIV. ad Federicum Card. Borromæum. Extant in ſæpe laudata Collectione Epiſtolarum ejuſdem Card. in Biblioth. Ambroſiana.

**XXXVII.** In Aſſumptione B. Virginis Homilia I.

**XXXVIII.** In Nativitate ejuſdem Homil. I. ambæ uno Volumine. *Venetiis, apud Jacobum Vincentium*, 1604. *in* 8.

**XXXIX.** Explicatio Pſalmi Magnificat. Teſte Maraccio.

Hæc omnia partim egomet vidi, partim ex infraſcriptis Auctoribus hauſi: quæ verò ſequuntur ſunt MSS. in Bibliotheca Conventus Mediolanenſis S. Angeli apud Suos, præter ea quæ ſupra innuimus.

**XL.** Prologus Scoti, & primus uſque ad tertiam diſtinctionem.

**XLI.** Tertius Scoti à principio uſque ad ſeptimam diſtinctionem.

**XLII.** In II. Scoti à principio uſque ad XII. diſtinctionem excluſivè.

**XLIII.** In II. Scoti à XII. diſtinctione uſque ad finem.

**XLIV.** In III. Scoti à VII. diſtinctione uſque ad finem.

**XLV.** De Incarnatione, & Virtutibus Theologicis.

**XLVI.** In IV. Scoti à principio uſque ad XIII. diſtinctionem excluſivè.

**XLVII.** In IV. Scoti à XIII. diſtinctione ad finem.

**XLVIII.** Quæſtiones Theologicæ ſuper Prologum, & primum Sententiarum.

**XLIX.** Expoſitio Prologi, primi Sententiarum à prima diſtinctione ad quartam ſecundi Sententiarum, ac Quodlib. Scoti.

**L.** Expoſitio Officii Sanctiſſimæ Trinitatis.

**LI.** Quæſtiones ſuper Prologum Scoti, & ſuper primum Sententiarum à prima diſtinctione ad ſecundam diſtinctionem incluſivè.

**LII.** Varia Opuſcula Philoſophica, & alia curioſa.

**LIII.** Ars brevis ſpeculativa.

**LIV.** Homiliæ in Evangelia Dominicarum, & Feſtorum à Dominica Trinitatis ad Adventum habitæ in Conventu Aracœlitano Romæ anno MDXXX.

**LIV.** Miſcellaneum diverſarum rerum.

**LV.** Tractatus de rebus Gallicis.

**LVI.** Acta in Legatione Gallica.

**LVII.** Cenſuræ in Bibliothecam Sanctorum Patrum collectam à Margarino de la Bigne.

**LVIII.** Annotazioni copioſe, o dichiarazioni ſopra diverſi luoghi di Cornelio Tacito.

**LIX.** Cento undici luoghi della Scrittura ſpiegati in volgare.

**LX.** Iſtruzioni alle Viſite Paſtorali in II. libri.

**LXI.** Sei libri di Lettere in un Volume.

**LXII.** Compendio del Manuale del Navarra.

**LXIII.** Tractatus de ſenſibus Scripturarum.

**LXIV.** Carmina tam Latina, quàm Italica.

De his poſtremis teſtem adducimus Cl. Creſcimbenium in libro „ Commentarj intorno all' „ Iſtoria della Volgar Poesìa Vol. III. lib. II. pag. 123. ubi de Panigarola ſic ait: „ Nè „ volle eſſer privo dell' ornamento della noſtra „ Poesìa, nella quale ben ſovvente ſi eſercitò, „ e v'ebbe vena facile, e piana; ma, comechè „ componeſſe ſulla buona maniera, poco in „ alto ſi ſollevò, contento d'uno ſtile da eſpri„ mer bene i ſuoi concetti, ſenza molto lavo„ ro, come fa vedere il Saggio cavato dalla „ Corona d'Apollo di Pier Girolamo Gentili „ impreſſa in Vinegia nel 1605. ove ſi leggono „ varie ſue Rime. „

**LXV.** Eſpoſizione Letterale, e Miſtica della Cantica di Salomone.

**LXVI.** Tre Prediche fatte in Parigi.

**LXVII.** Apparato agli Annali Eccleſiaſtici.

**LXVIII.** Prolegomeni a' Diſcorſi Eccleſiaſtici.

LXIX.

Digitized by Google

LXIX. Diſcorſi Eccleſiaſtici parte II.
LXX. Molti Trattati a diverſi propoſiti.
LXXI. Miſcellaneo di diverſe coſe. Vol. Ital., à Latino num. LIV. relato, diſſimile.
LXXII. Selva di diverſe coſe, e diverſe materie.
LXXIII. Lettera longhiſſima ſcritta da Bologna ad un Prelato.

Quæ ſubter indicamus enunciantur in ſupradicta Epiſtola ad P. Aloyſium Panigarolam ab ipſo Auctore conſcripta, necnon à Picinello in Athenæo, aliiſque infra citandis.

LXXIV. Selva di tutti i libri Sapienziali ridotti in varj capi, per doverne formare un Etica, una Politica, ed una Economica Criſtiana.
LXXV. Le Fraſi del Petrarca raccolte.
LXXVI. Le Fraſi del Taſſo raccolte.
LXXVII. Dichiarazione letterale in Giobbe.
LXXVIII. La Teologia Davidica.
LXXIX. Parafraſi ne' libri della Fiſica di Ariſtotile.
LXXX. Cronologia Biblica.
LXXXI. Apparato alle Concluſioni di Parigi.
LXXXII. La Cenſura nelle Coſtituzioni Pariſienſi del Molineo.
LXXXIII. De Senſibus Scripturarum.
LXXXIV. Libro I. in forma di Predica, ma con quattro parti ſopra la Vittoria Navale, che ſi ebbe a Lepanto.
LXXXV. Trattato contra l'Ateiſmo.
LXXXVI. L'Apologia di Ginevra.
LXXXVII. Sermoni ſopra tutte le parole dette da Noſtro Signore in Croce.
XXCVIII. Trattato della memoria locale.
LXXXIX. La pubblicazione della Traslazione di S. Gregorio Nazianzeno.
XC. La Malattia fatta in Vercelli da Carlo Emmanuele Duca di Savoja.
XCI. Il Compendio di tutte le Opere Spirituali del Padre Granata.
XCII. Una doppia e nuova dichiarazione della Cantica di Salomone.
XCIII. Una Grammatichetta Italo-Franceſe.
XCIV. Trattato de' titoli de' Cardinali.
XCV. Trattato della Peſte.
XCVI. Compendio del I. e II. Tomo, e metà del III. degli Annali Eccleſiaſtici del Cardinale Baronio. Pars aliqua hujus Operis edita fuit *Venetiis anno* 1593.

Ex ſupradictis Panigarolæ Operibus à numero LXXIV. ad XCVI. forſan aliqua impreſſa fuerunt, quòd nos uſque num latet, alia verò nondum ad umbilicum producta ipſe Auctor teſtatus eſt in ſæpe relata Epiſtola.

XCVII. Vita di Franceſco Panigarola da lui medeſimo compoſta. Extat autographa manu exarata ejuſdem in Bibliotheca alibi laudata S. Angeli, & ex autographo in Ambroſiana Cod ſign. N. num. 279. in 4. pagg. 242. & in Bibliotheca Sanctæ Mariæ Gratiarum Modoëtiæ.

Præter Vitam Auctoris noſtri, quam ipſemet ſcripſit, ut diximus, alteram edidit F. Bonagratia de Varenna ejuſdem Inſtituti. *Mediol. apud Bidellum*, 1617. Bullartus quoque eamdedit, cum Scriptoris hujus effigie, in libro „ Bibliotheque des Sciences, & des Arts T. II. pag. 41.

In ditiſſima Ambroſiana Bibliotheca vidi MS. ſign. S. num 94. in fol in quo legitur Epiſtola ſatis acris in Panigarolam ob Concionem ab ipſo habitam contra Genuenſium mores; in altero verò Codice ejuſdem Bibliothecæ ſign. S. num. 79. in fol. adeſt Opuſculum inſcriptum: „ Apologia del P. Panigarola in ſua difeſa l'anno MDLXXIV. eſt paginarum 19.

In libro inſcripto „ Cento Lettere ſcritte da Muzio Manfredi *Pavia*, *per Andrea Viano* 1594. *in* 8. *pag.* 40. eſt Epiſtola ejuſdem ad Franciſcum Panigarolam Aſtenſem Epiſcopum data Nantii die XXI. Julii MDXCIII.

In Opere, cui titulus: „ Carmina Illuſt. Poëtar. „ Italor. Tom. I. pag. 366. extat Epigramma Pompeji Arnolphini Lucenſis in Franciſci Panigarolæ Conciones, & in Tomo VII. pag. 292. Epigramma Petri Pauli Plovenei ad Franciſcum Panigarolam.

Leguntur ad eum Epiſtolæ duæ Italicæ Aldi Manutii, prima data Bononiæ die XXXI. Decembris MDLXXXVI., altera Piſis I. Julii MDLXXXVII. inter Epiſtolas Aldi editas *Romæ* 1592. *apud Sanctem, & Socios*.

Annibalis Guaſchi Alexandrini ad Panigarolam Epiſtolæ V. Italicæ extant inter Epiſtolas ejuſdem Guaſchi impreſſas *Mediolani, per Pontium, & Piccaleam*, 1601.

Legitur altera ad eundem Epiſtola inter editas Equitis Baptiſtæ Guerini anno MDLXXXVIII. *Tom. II.*

Ad ipſum Epiſtolæ tres Stephani Guazzii ſunt inter Epiſtolas ejuſdem editionis *Venetæ*, 1592.

Onuphrii Panvinii Epiſtolæ plures ad Patrem Franciſcum Panigarolam datæ Modoëtiæ XVI. Junii MDLXXXII. aliæ tres MDLXXXIV. extant in Codice Ambroſ. ſign. D. num. 51. in fol.

Clariſs. Saxius ſervat in Domeſtico ſuo Muſæo Æneum Numiſma magni moduli cum imagine Franciſci Panigarolæ, inſcripto ſequenti diſtico:

HIC PIVS ORATOR TVSCO SERMONE DISERTVS
NECTAR ET AMBROSIAM PANIGAROLA DABAT.

De Franciſco Panigarola maxima cum laude locuti ſunt Ughellus in Italia Sacra Tom. IV. in Aſtenſibus, VVadingus in Annalibus Minorum, & quotquot de Franciſcanis Scriptoribus egerunt, Britius in Monument. Provinciæ Subalpinæ S. Thomæ lib. III. pag. 268., Franciſcus Auguſt. ab Eccleſia in Chronologia Præſulum Pedemontii, Creſcimbenius in Commentariis ad Hiſt. Ital. Poëſis Vol. III. lib. II. pag. 123. Cinellus in Biblioth. Vol. Pluteo I. & XIX. Marchio Maffejus in libro „ de Tradduttori Italiani „ Maraccius in Bibliotheca Mariana, Fontaninius in libro „ della Volgar Poeſia „ Picinellus in Athenæo pag. 215., & Cl. Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. art. 395. pag. 91. & 92.

## MCCXXXI.

## PANIGAROLA JACOBINUS.

Jacobinus Panigarola Beriemi filius & nobilitate, & prudentia plurimùm in hac Inſubrum Metropoli claruit ſæculo XIV. nam anno MCCCXL. publica negotia cum laude geſſit inter Decuriones Patriæ computatus; poſt quadriennium verò Sindicus hujus Urbis extitit. Mox cùm anno MCCCXLVIII. Luchinus Vicecomes, Mediolani Dominus Jus municipale in meliorem formam redigere ſtatuiſſet, inter præſtantes Viros ad hoc Opus electos recenſitus eſt Jacobinus noſter, qua in re, unà cum aliis loco ſuo in hac Collectione memoratis inſudavit ad annum uſque MCCCLI, quo Statuta ipſa publicata ſunt, jubente Joanne Vicecomite Mediolani Archiepiſcopo & Principe. Genuit Beriemolum, cujus olim in Templo Parochiali S. Victoris Martyris, cui cognomen ad Theatrum (quod apud eandem Eccleſiam olim venerandæ antiquitatis ædificium ad publica ſpectacula ſurgeret) Sepulchralis extabat Inſcriptio litteris Gotthicis exarata, quam nobis ſuppeditavit amiciſſimus Sitonus:

IN HOC SEPVLCRO IACET
DOMINVS BERIEMOLVS
DICTVS BIGIVS DE PANIGAROLIS
QVI FVIT GVBERNATOR STATVTORVM
HVIVS CIVITATIS ANNIS LXX.
ET OBIIT DIE XXIX. IVNII MCCCCXXXV.

Jacobinus autem commendatur propter

I. Leges Municipales Mediolanenſes. Ut ſupra.
Laudatur à Bernardino Corio ad annum MCCCLI. à Comite Octavio Archinto in Collect. Monument. Familiarum Mediol. à JC. Sitono in Theatro Genealog. Famil. Nob. Mediol., & in Collectaneis Inſcript. Sepulchral. Mediol., quæ Opera ambo MSS. extant apud eundem Auctorem.



Digitized by Google

## MCCXXXII.

### PARAVICINUS ALEXANDER.

ALexandro Paravicino Mediolanenſi genitores fuere Hieronymus Militum Dux, Statorque Major, atque Anna Maria Salvatorina nobiles conjuges. Ab his optimè educatus filius ad legalia ſe contulit ſtudia, in quibus laureâ honeſtatus, Juriſconſultorum Collegio aggregatus eſt anno MDCLXVIII. Forum Mediolanenſe ipſius ſæpe virtutem conſpexit in Cauſis graviſſimis, præſertim verò in ea celebri Jacobi Antonii Gallutii. Acutiſſimi fuit, ac præſtantiſſimi ingenii Vir, & legali eruditioni Oratoriam, Hiſtoricamque conjunxit, ut facilè agnoſci poteſt ex infra memorando illius Opere, quod maximam Auctori laudem peperit. Utinam egregius hic Eruditus immaturæ mortis vim non tam citò ſenſiſſet; plura enim haberemus doctrinæ Monumenta. Ab hac vita migravit anno Partus Virginei MDCXCIII.

Opus ejus hoc prænotatur titulo:

I. Meduſæ Caput, ſive Juris, & Facti Defenſiones Jacobi Antonii Gallutii Rei peracti ex Decreto Senatus Excellentiſſimi de falſa compilatione, ac fabricatione Inſtrumentorum, Diplomatum, aliarumque Scripturarum &c. Quod opus confecit de mandato ejuſdem Senatus, uti Carceratorum Patronus, cui reſpondit Comes Joſeph Puſterla J. C. Collegiatus Mediolani, prout inferius, Libro cum hoc titulo: Perſei gladius in Caput Meduſæ. Ideſt Oppugnatio Gallucianæ Defenſionis. Opus in IV. partes diviſum, pagg. 317. Impreſſa ambo in Libro, cui titulus: Reati a Giacomo Antonio Galluzio. *Mediolani, apud Philippum Ghiſulphium, anno* 1683. Uno Volumine in fol.
Meminit illius Sitonus amiciſſimus in Chron. JCC. pag. 229. artic. 1029.

## MCCXXXIII.

### PARAVICINUS ANGELUS MARIA.

INter Capuccinos floruit noſtris temporibus Angelus Maria Paravicinus Mediolani natus, de quo tam parcè ejuſdem Ordinis Sodales nos inſtruxere, ut quaſi jejunos Lectores noſtros relinquere coacti ſimus, præter noſtrum inſtitutum, quo curamus acta, atque Opera Auctorum, quos laudandos ſuſcipimus, exactè proferre. Breviter ideo nobis indicarunt fuiſſe Paravicinum iſtum Conventus Alexandrini Rectorem, & totius Religionis pro-Cuſtodem, & quod ipſius eloquentiæ eximiæ in Concionibus totius ferè Italiæ in Urbibus principibus traditis teſtes eſſent omnes, qui adhuc viventes eum ſingulari delectu, animarumque lucro audivere, adeò ut pro efficaci Sermone ejuſdem, qui inter penè innumeros, quos ille ſcripſit, impreſſus fuit, ut infra, atque in Cathedrali Alexandriæ dictus, ſex illico Hebræos fidem Catholicam amplexos fuiſſe tradatur. Alias quoque ſcientias tam ſacras, quàm eruditas Religioſus iſte coluit, ex indicatione Lucubrationum, quas MSS. reliquit in ſuo Conventu loci Herbæ, Plebis Incini, quæ melius, accuratiuſque deſcribendæ erant à Suis. Deſideratus eſt anno MDCCXXV.

Hæc tantùm de illo proferre nobis datum eſt:

I. La Luce fra l'Ombre: Predica fatta alla preſenza degli Ebrei nel Duomo d'Aleſſandria, dedicata a Monſignor Aleſſandro Taverna. *Ivi*, 1710. *in* 4.
II. Conciones, atque Panegyres. MSS. permultæ.
III. Lucubrationes variæ ad eruditionem ſacram, atque profanam ſpectantes. MSS.
Extant in ſupradicto Conventu Suorum, ut ipſimet nobis teſtati ſunt.

## MCCXXXIV.

### PARAVICINUS AUGUSTINUS.

AUguſtinus Paravicinus Mediolanenſis Petri filius non infimus inter Patriæ Hiſtoricos ſæculo XV. exeunte & ſubſequentis initio floruit. Ob integritatis commendationem charus fuit Inſubriæ Principibus, quibus etiam diù extitit à Secretis. Fratrem habuit Franciſcum Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicum Ordinarium, ac Vicedominum, qui teſtamentum condens anno MDXL. Legatum conſtituit pro annuo ſolemni Sacrificio in perpetuum celebrando ad ſolamen animæ ipſius Auguſtini fratris ſui; quas Tabulas eodem anno, die IX menſis Maji à publico Tabellione Marino Angelo de Caſtrofranco fuiſſe conſcriptas humaniſſimus J. C. Sitonus nos reddidit certiores. Inde patet, Auctorem noſtrum eo anno jam vita functum fuiſſe; certè cùm Opus ejus, de quo mox agemus, deſinat in anno MDXXIX. paulo poſt obiiſſe conjicimus.

Illud ſequens eſt:

I. Chronicon Mediolani ab anno MCCCCXCIX. ad MDXXIX. MS. cum
II. Vita S. Natalis Archiepiſcopi Mediolanenſis.
MSS. ambarum Paravicini noſtri Lucubrationum meminere citatus JC. Sitonus in Chronico Juriſperitorum pag. 103. art. 431. atque Joannes Baptiſta Cariſius in ſuis Miſcellaneis Eccleſiaſticis eruditis, Tom. II. MSS.
Laudatur etiam à Petro Paulo Boſca in Martyrologio Mediolanenſi ad diem III. Novemb. pag. 365.

## MCCXXXV.

### PARAVICINUS BALTHASSAR.

BAlthaſſar Paravicinus Alexandri filius, in hac Urbe Mediolanenſi natus, non infimum locum ſibi promeruit inter Inſubres eruditos. Sub optimis Præceptoribus excultus, cum humanioribus ſtudiis morum probitatem conjungens, gratiſſimus fuit hujus Civitatis incolis, atque in Banco S. Ambroſii Generalis Ratiocinator plures annos extitit. Ab eo officio translatus eſt die XXIII. Aprilis, anno poſt Chriſtum natum MDCXCIII. ad munus Secretarii LX. Decurionum, in quo cùm plura fidei, prudentiæ, atque doctrinæ præſtitiſſet teſtimonia, Prid. Kal. Januarii anno ſæculari MDCC. fato conceſſit. Ejus meminit Inſcriptio ab ipſo poſita in Aula magna aliàs vetuſtiſſimi Caſtri, nunc nobilis Domus, loci Paravicini, Diœceſis Mediolanenſis, juris Felicis Balthaſſaris Paravicini ejuſdem ex filio Nepotis, in qua depictæ ſunt Icones Eccleſiaſtici, & Militaris Ordinis procerum ex Gente Paravicina, tenoris, ut ſequitur:

EXCI-

Digitized by Google

EXCITATA EX LICINO FORI RVDERIBVS ARX PARAVICINA
EAQVE DIV AD PROPAGINEM PROLIS FLORENTE
POSTMODVM CIVILIBVS DISSIDIIS EVERSA
NON IACVIT
SED IN FAMILIAE DOMICILIVM REFLORESCIT
COMMVNI OMNIVM PARENTI
PRAESTANTIVM VTRIVSQVE PALLADIS IMAGINE EXPRESSA
PAVCA EIVS ANTIQVITATIS DECORA
BALTHASSAR PARAVICINVS RESTITVIT ANNO MDCLXXXVII.

Scripſit & edidit Opera hoc titulo :

I. Le Glorie di S. Ambrogio &c. da Milano ravvivate il XXIX. Novembre MDCXCVIII., traſferendo dalla ſua Baſilica alla Chieſa Metropolitana la ſua Statua d'Argento &c., deſcritte da Baldaſſarre Parravicino &c. *Milano*, *per il Malateſta*, 1698. *in fol.*

II. Milano ſempre grande nel proccurare la Promozione de' ſuoi figlj alla dignità di Paſtore, nell' ergere pomposo Apparato a riceverli, nel mantenere un figliale oſſequio dopo ricevuti, circoſtanze deſcritte nell' Elezione, ed Ingreſſo fatto in Milano dall' Eminentiſs. Sig. Federico Caccia ſuo Arciveſcovo il giorno XI. Decembre MDCXCVI. da Baldaſſarre Parravicino. *Milano*, *preſſo il Malateſta*, *in* 4. in quo Præfationis loco enumerat Auctores omnes, qui de laudibus Mediolani ſcripſere.

Videndæ ſunt Schedæ amiciſſimi Sitoni.

## MCCXXXVI.

## PARAVICINUS CASSIANUS.

CAſſianum Paravicinum Mediolanenſem, qui tertio ætatis ſuæ luſtro emenſo rigidiori Carmelitarum Nudipedum Inſtituto addictus, de S. Elia vocatus eſt, non eruditio ſolùm, verùm etiam ſingularis pietas plurimùm laudabilem effecerunt. Jam eloquentiæ præceptis fuerat imbutus, cum in Clauſtra ſe recepit, ideo vix emiſſa ſolemni profeſſione, Philoſophiam atque Theologiam auditurus Bononiæ Ludovico Mariæ Agudio, quem jam ſupra commendavimus, Viro eruditiſſimo traditur. Eo Doctore cùm non modicum profeciſſet, Romam ad ſui Ordinis Seminarium miſſus fuit, ut exoticas linguas, & eam, quæ ad Dogmata pertinet, ſacræ facultatis partem perciperet. Addixerat ſe Caſſianus emiſſo voto ad Sacras Miſſiones in Hæretica labe infectis regionibus habendas, ideo Majorum decretis paratiorem ſe exhibiturus operæ pretium exiſtimavit his diſciplinis, quæ ad rem ipſam apprimè faciunt, animum excolere. Jamque Inſubriam reviſere meditabatur, cum in itinere Generalis Ordinis Prioris ei redduntur litteræ, jubentis ut in Florentino Cœnobio ſpeculativas ſcientias Auditoribus prælegeret; verùm cognita ejus in Sacris Concionibus habendis peritie, ad Apoſtolicum Miniſterium admovetur. Venetiis ergo primùm, tum in pluribus aliis Italicis Urbibus multos per annos Verbum Domini non ſine ingenti plauſu, atque profectu Chriſtianæ Religionis populis annuntiavit. Scribente Picinello, qui pluribus eum celebrat laudibus, bina jam luſtra Concionatorio munere functus fuerat, & inter celeberrimos ſui Ordinis Oratores computabatur, frequenteſque ad eum audiendum S. R. E. Cardinales, Principes, & Proceres conveniebant.

Poſt ſe reliquit hæc eruditionis ſuæ monumenta:

I. Theologia Prædicabilis de Trinitate ad uſum Concionatorum.

II. Raſſegna delle virtù, e de' vizj, per ordine alfabetico citati &c.

III. L'anima inferma curata, ed inſinuata &c. Hoc Opus primum eſt Auctoris noſtri Quadrageſimale.

IV. Il Corpo umano con Filoſofia conſiderato.

V. Il Tempo eternato dell' Anima, Opera Spirituale.

Hæc omnia apud Auctorem ipſum MSS. prælo parata extitiſſe, teſtis eſt Picinellus in Athenæo pagg. 132, & ſeqq.

## MCCXXXVII.

## PARAVICINUS JOANNES MATTHÆUS.

PAravicina Familia nedum in hac Metropoli, verùm etiam in aliis Civitatibus Italiæ floret, atque ex eo ſanguine non pauci prodierunt Viri eruditionis gratiâ commendabiles. Novocomum celebris Inſubriæ Urbs hujus familiæ ſplendoribus illuſtratur, atque in ea nati ſunt Joannis Matthæi noſtri progenitores, ipſe verò parentibus Joanne Matthæo J. C. Collegiato Comenſi, & pro eadem Civitate Mediolani reſidente, atque Aurelia Cotta jugalibus hîc lucem vidit. Minoribus ſtudiis de more peractis, anno MDCLV. Regularium Clericorum, qui Barnabitæ nuncupantur, Inſtitutum amplecti decrevit; cùmque Tyrocinium laudabiliter conſummaſſet, anno ſequenti ſolemni profeſſione emiſſa ſe arctiùs Deo conjunxit. Mox Philoſophiam, ac Theologiam avidiſſimâ diligentiâ percurrens dignus viſus eſt Majoribus, qui Neapolim mitteretur, ut in Collegio S. Caroli ad Mortellas animarum ſaluti Concionibus, atque aliis Sacerdote dignis muneribus conſuleret. Non ſemel totius Collegii prædicti moderatio cum Præpoſiti poteſtate Paravicino noſtro commiſſa fuit. Deiparam Virginem, ejuſque cultum maximè adamavit, ut argumentum ejus Eruditorum Operum apertè demonſtrat. Apud Neapolitanum populum magno in honore vivus & defunctus habitus eſt; cùm enim anno MDCVII. migraſſet è vita, circumfuſa Cadaveri plebs univerſa inconſolabili gemitu ipſi parentaſſe perhibetur. Fratres habuit Joannem Paulum mox à nobis laudandum, & Octavium Paravicinum Nazarianæ primùm Baſilicæ in hac Urbe Canonicum, mox ad Epiſcopalem Mileti in Regno Neapolitano Sedem evectum anno MDCLXXXI., qui XIV. poſt annos deſideratus eſt.

Scripſit, atque edidit :

I. Il vero Figlio addottivo di Maria. *Napoli*, *preſſo il Debonis*, 1700. *Tom. III. in* 4., *& rurſum prodiit hoc Opus Mediolani.*

Agunt

Agunt de ipſo Doctiſſimi Viri Pater Pezius Concivis meus dilectiſſimus in Actis Cleric. Regul. Barnabit. Eruditor. MSS. atque Sitonus in Schedis.

## MCCXXXVIII.

## PARAVICINUS JO. PAULUS.

JOannis Matthæi Paravicini, cujus jam dedimus Elogium, æmulatus eſt virtutes, atque doctrinam Jo. Paulus natu minor ipſius verè germanus frater. Hic ſequenti poſt eum anno ad Regularium Clericorum Congregationis S. Pauli Inſtitutum convolans, cum anno MDCLVIII. emiſiſſet profeſſionem, ad Viennenſe Collegium Majorum juſſu contendit, ubi Tyrocinium explevit. Florebant ibi ex Sodalitate ipſa Philoſophiæ atque Theologiæ Itali Profeſſores, quibus docentibus tantùm Joannes Paulus profecit, ut emenſis earum facultatum curriculis ad alios è cathedra informandos admotus fuerit. Linguam Germanicam quoque tam bene calluit, ut perſæpe magno cum animarum lucro publicè in ſacris roſtris ad populum dixerit. Apoſtolici ad Cæſaream Majeſtatem Legati Theologus extitit, conſcientiæ Moderator, & à Conſiliis. Regularis diſciplinæ ſtudioſiſſimus Germaniæ, atque Bohemiæ Collegiis ad multos annos præfuit. Tandem magnis apud Deum meritis ſibi comparatis, piiſſimè, ut vixerat, mortalibus valedixit; anno reparatæ humanitatis MDCCXI. in Collegio Viennenſi S. Michaëlis.

Opus hoc reliquit:

I. Polianthea, ſive Coordinatio Sacrorum Canonum. *Neo-Pragæ, typis Hampellianis*, 1708. *Diviſum eſt Opus in Tomos III. in fol.*

De ipſo agit ſæpe laudatus P. Pezius, atque Sitonus amiciſſimus in Schedis.

## MCCXXXIX.

## de PARAZO JOANNES.

IN Monumentis ampliſſimis à J. C. doctiſſimo Sitono ſervatis gens iſta de Parazo Mediolanenſis quandoque dicitur etiam de Palatio, nam penes ipſum reperiuntur Placita duorum Conſulum Juſtitiæ in Republica Mediolanenſi, quorum unus dicebatur Ardericus de Palatio anno Domini MCXL., alter vero Jacobus de Parazo anno MCCCXX. Fuſiùs vero idem Sitonus agit loco infra citando de hac familia. Sors mihi obtulit MS. Bibliothecæ Ambroſianæ infra recenſendum, cujus ope cognovi Joannem, de quo agimus, fuiſſe Coadjutorem Officii vulgò Bolletarum hujus Urbis Sæculo ineunte XV. Opera celeberrimi Franciſci Petrarchæ non tantùm peregregiè ſcripſit, ſed etiam nonnullis in locis notulas ſuas adjecit, ex quibus ingenium, & eruditio Joannis noſtri facile conjicitur. Juremeritò ea de cauſa ipſum inter Eruditos Mediolanenſes conſcribere inſtitui.

Titulus Codicis eſt:

I. Opera Franciſci Petrarchæ. In fine ſic legitur: „ Completa ſunt fragmenta Petrarcæ per me Joannem „ de Parazo Civem Mediolani, ac Coadjutorem Officii „ Bolletarum Civitatis prædictæ, Anno Domini noſtri „ Jeſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo vigeſimo „ nono, die Sabati vigeſimo ſecundo menſis Octobris, „ hora decima ſeptima cum dimidia, octava Indictio„ ne. MS. in Pergameno optimæ notæ ſervatur in Bibliotheca Ambroſiana ſign. L. n. 101. in fol.

Videnda ſunt Monumenta Chronologica Familiæ de Parazo, ſive de Palatio, ab anno MCXIX. ad MDCCXXVII. edita per Cl. Advocatum Sitonum. *Mediol. apud Malateſtam, in fol.*

## MCCXL.

## PARONA CÆSAR.

NOn parum laudis ſibi acquiſivit Cæſar Parona Mediolanenſis ob opera infra citanda, in quibus ingenium, & diligentia ipſius ſummopere elucent; ideoque inter Scriptores Mediolanenſes abſque injuria omittendus non erat. Floruit ineunte Sæculo XVII. Sed nec diem obitus ejuſdem, nec parentes invenire mihi licuit.

Habemus de ipſo

I. Devote Azioni di Milano nel tenerſi il Concilio Provinciale VII. l'anno MDCIX. dal Cardinale Federico Borromeo. *Milano, preſſo Ponzio e Piccaglia*, 1611. *in* 4.

II. Feſte di Milano nel feliciſſimo naſcimento del Sereniſſimo Principe di Spagna Don Filippo Dominico Vittorio, deſcritte da Ceſare Parona, ed alla Maeſtà del Potentiſs. Rè Cattolico Filippo Terzo N. Signore dedicate. *In Milano, per Girolamo Bordone; e Pietro Martire Locarni*, 1607. *in* 4.

III. Relazione di quanto è ſucceſſo nella Città di Vagliadolid, dopo il feliciſſimo naſcimento del Principe di Spagna Don Filippo Vittorio noſtro Signore, fin che ſi finirono le dimoſtrazioni d'allegrezza, che per quel ſi fecero; tradotta di lingua Caſtigliana da Ceſare Parona. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1608. *in* 4.

IV. Ragguaglio del Donativo fatto dal Clero e Popolo della quinta Regione della Dioceſi di Milano à Santo Carlo li XIII. Aprile MDCXIV. *Ivi, preſſo il Ponzio, e Piccaglia, lo ſteſſo anno, in* 4.

Ad eum extat Epiſtola Aquilini Copini pag. 35., necnon altera Mutii Manfredi inter centum iſtius Epiſtolas Italicas *Ticini* impreſſas anno 1594. in 8., data eſt die XV. Julii MDXCIII. Nancii, ad Cæſarem Paronam Auguſtæ Taurinorum tunc degentem: Altera verò Annibalis Guaſchi extat inter Epiſtolas ejuſdem Italicas *Mediolani* editas 1601.

Ejus Opus de Concilio Provinciali Mediolanenſi VII. citat Boſca in Martyrologio, atque in Notis ad diem XXVIII. Maji; vide etiam Athenæum Mediolanenſe Abbatis Philippi Picinelli pag. 141.

## MCCXLI.

## PARUCCONUS MATTHÆUS.

MAtthæus Parucconus natus in Vico de Biguzare, Plebis Variſii, Ducatus Mediolani, anno Chriſti MDLXV. profeſſionem fecit in Carthuſia Papiæ die II. Julii, exiſtente Priore Severo Turbolo anno MDXCVIII. In ſuæ Religionis ſtrictiſſima vivendi norma Vir pietatis, ac litterarum amans diu valuit uſque ad quinquennium ante obitum, in quo cœcitatis ſuſtinens pœnam, ipſam cum morte commutavit die X. Septembris MDCXXXVIII.

Scripſit

I. Memoriale d'alcune coſe memorabili dell' antica Religione Certoſina. In eo ſunt nomina omnium Præſidum Generalium ejuſdem Ordinis, ſicut & Priorum, ac Monachorum Carthuſiæ uſque ad annum MDCXXXVI. MS.

II. Alia Opuſcula Aſcetica MSS. Extant omnia in Bibliotheca Carthuſiæ prope Papiam.

Ita à Suis.

MCCXLII.

## MCCXLII.

## PASINUS ADEODATUS.

ADeodatus Paſinus, ex Ordine Capuccinorum, Patriâ à Bornato, in Ducatu Mediolani, prope Omatum ad radices Montis Briantei, Alumnus Provinciæ Brixienſis, Vir fuit potens opere, & ſermone, nam in Rhetia Miſſionarii Apoſtolici munus per quadraginta annorum ſpatium fideliſſimè, ac indefeſſo labore ſubivit, atque in vinea Domini ſedulus operator, maxima tum in concionando, tum in diſputando animarum lucra reportavit. Quanta fuerit hujus Viri doctrina, quantus Catholicæ Religionis zelus, quantùm extiterit Hæreticorum hoſtis acerrimus, quantoque amore erga Seraphicum Ordinem exarſerit, facilè educitur ex illis tribus libris ab ipſomet compoſitis contra Joannem Benolanum, ab aliis Salluſtium de Lovinio nuncupatum, Commentatorem Petri Molinei Galli Sedunenſis, qui libro ab eodem Petro evulgato contra Religionem Capuccinorum novas calumnias, ac plurima convicia adjecit, & præcipuè calamum exacuit contra operationes Divinas Seraphici Patris Sancti Franciſci. Obitus autem ejus annum delevit oblivio.

Hujus doctiſſimi Viri Volumina hunc habent titulum :

I. Subverſio Operum Joannis Molinei à Lovinio edita, & Commentariis illuſtrata. *Brixiæ*, *apud Ricciardos*, 1656. *Tom. III. in* 8.
Ex Biblioth. Scriptor. Capuccinorum Dionyſii Genuenſis pag. 1., & ex Relat. Provinciæ Brixienſis.

## MCCXLIII.

## DE PASQUALIBUS GEORGIUS.

CUm ſemper Ludo Schaccorum ſummopere delectatus ſim, fortè fortuna in evolvendis Codicibus Manuſcriptis Bibliothecæ Minorum Conventualium S. Franciſci hujus Urbis incidi in librum ſequentis tituli, ideoque ipſum avidè perlegi, etſi charactere non tam facilè percipiendo ſcriptum. Auctorem ipſius cognovi extitiſſe Jacobum de Theſſolis; Frater verò Georgius de Paſqualibus de Mediolano non tantùm Opus hoc exſcripſit, ſed multis in locis notas plures ſuas interpoſuit in ipſomet textu; nam Auctor non ſolùm diſſerit de Schaccorum Ludo, ſed etiam ad Hiſtoriam, ad Politicam, ad Inſtitutionem Regiam, necnon ad artem Militarem plura inſeruit pertinentia, quibus noſter quoque non pauca eruditionis Sacræ, atque Profanæ ſpecimina adjecit. Quotquot novi Scriptores, qui de Viris illuſtribus Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci egerunt, pervolvi, ſed nihil inveni de Georgio iſto, qui, ut arguitur ab ætate hujus MS. certè florebat vergente Sæculo XIV., aut ineunte XV. Videant Sui an alia ſcripſerit, ut poſt me aliquis in meliorem lucem ipſum proferre poſſit.

En titulus Operis :

I. Liber de Ludo Schaccorum compoſitus per Jacobum de Theſſolis, & ſcriptus per manum Fratris Georgii de Paſqualibus de Mediolano, Ordinis Minorum, cum iſtius notis. MS. in 4. in Pergameno, litteris rubronigris. Extat ut ſupra.



## MCCXLIV.

## PASTA JOANNES.

UNicus eſt Joannes Paſta, qui inter Muſicos ab Abbate Picinello relatos in ſuo Athenæo Mediolanenſi mihi hactenus liceat inter hos Scriptores proferre, non ob Muſicæ artem, cùm in pulſandis organis peritiſſimus; id munus in Eccleſia Bergomenſi Divi Alexandri plures annos impleverit; ſed ut Poëta, atque Hiſtoricus, quod eruitur ex ejus Lucubrationibus infra citandis. Anno MDCIV. ortus eſt Mediolani, atque in Templo Sanctæ Euphemiæ Sacrum Baptiſma recepit, teſte Picinello. Deinde Canonicus Collegiatæ Sanctæ Mariæ Fulcorinæ efficitur, obiitque anno Redemptionis noſtræ MDCLXVI., ſuæ verò ætatis LXII.

Hæc ſcripſit :

I. Il Trionfante Ingreſſo in Milano del Sig. Cardinale Monti. *Bergamo*, *preſſo il Roſſi*, 1631. *in* 8.
II. Il Quadro delle tre mani. *Milano*, *nella Stamperia del Collegio Ambrogiano*, 1636. *in* 8.
III. Canzone all'Anima ritirata. *Milano*, *preſſo il Malateſta*, 1634. *in* 4.
IV. Epitalamj nelle Nozze di Don Giulio Monti, e Donna Giulia Simonetta. *Milano*, *preſſo il Rolla*, 1637. *in* 4.
V. Il Fernando, ovvero il Principe Sofferente, libri due. *Milano*, *preſſo il Ghiſolfi*, 1638. *in* 8., *indi in Napoli*, *ed in Bologna*.
VI. Le Fortune di Giuſeppe. *Ivi*, *per lo ſteſſo*, 1641. *in* 12.
VII. La Congiura. *Venezia*, *preſſo il Pinelli*, 1645. *in* 8.
VIII. La Tomba: Centuria prima d'Iſcrizioni giocoſe. *Milano*, *per il Ghiſolfi*, 1639.
IX. Vita di Guglielmo Duca d'Aquitania, libri due. *Milano*, *preſſo il Ghiſolfi*, 1663. *in* 12.
X. La Fedeltà inſanguinata: Racconto. *Ivi*, *per lo ſteſſo*, 1640. *in* 8.
XI. Morazzone, Cerano, Procaccini, Rime in loro lode. *Milano*, *nella Stamperia del Collegio Ambrogiano*, *ſenz' anno*, *in* 4.
XII. Rime nelle Nozze del Marcheſe Girolamo Talenti Fiorenza, e Donna Agneſe di Veveſi, e Cordua. *Milano*, *preſſo il Ghiſolfi*, 1650. *in* 4.
XIII. Iſtoria della Perſia, libri IV. *Venezia*, *per il Pinelli*, *e di nuovo per il Baba*.
XIV. Diſcorſo delle grandezze di Breſcia. *Ivi*.
XV. Lettere, parte giocoſe, e parte ſerie. Vol. I. *In Francoforte*.
XVI. Il Triumvirato benefico per la pace fra le due Corone. *Milano*, *per il Malateſta*.
XVII. Due Sorelle, Muſica, e Poeſia, concertate in arie Muſicali, parti due. La prima ſtampata *in Venezia*, *per il Vincenti*, la ſeconda, *per il Gardano*.
Quæ ſequuntur, aſſerit Picinellus Auctorem iſtum MSta reliquiſſe.
XVIII. Drama Muſicale per la naſcita dell'Infante di Baviera.
XIX. La Muſa faceta, cioè DC. Madrigali, Sonetti, Ottave ec.
XX. Parafraſi ſopra i Salmi di Terza.
XXI. Parafraſi ſopra l'Inno *Veni Creator Spiritus*.
XXII. Parafraſi ſopra la Sequenza de' Defonti.
Ipſum Carmine laudavit Auguſtinus Terzagus.
Videndi quoque ſunt Picinellus in Athenæo, pag. 317., atque Donatus Calvi in Libro: „ Scena Letteraria degli Scrittori Bergamaſchi „ P. I. pag. 509., etſi ejuſdem Opera ex integro ambo ignoraverint.



Digitized by Google

MCCXLV.

PATELLANUS CAMILLUS.

FAmilia Patellana Mediolanenſis Sæculo XV. jam florebat, ut agnovimus ex ſerie Genealogica Gentis illius à Laurentio, qui claruit anno MCCCC-LXX. uſque ad noſtra tempora, eamque debemus amiciſſimo Juriſconſulto Sitono. Gloriari ipſa meritò poteſt de Camillo Benedicti Ducalis Secretarii Senatus Excellentiſſimi Mediolanenſis, & Lauræ Rhobiæ conjugum filio, qui natus in hac Metropoli anno Chriſtiano MDLIX. Poëta tam celebris evaſit, ut ejus Carmina in optima Collectione Gherardi Borgogni inſeri meruerint. Plura quidem alia ſcripſiſſe facilè conjicitur, ſed & ipſa, & annum, quo Poëta noſter occubuit, temporis edacitas mihi & Lectoribus rapuit.

Superſunt tantùm:

I. Carmina Italica, vulgò *Sonetti*, num. IX. Reperiuntur in ſupradicta Collectione, cui titulus: „ Rime di diverſi Poeti. *Venezia*, 1559.
De ipſo loquuntur Schedæ Sitonianæ.

MCCXLVI.

PATELLANUS CAROLUS.

DE Patellana Gente jam egimus ſupra in Camillo. In eadem floruit quoque Benedictus Ducalis Secretarius apud Excellentiſſimum Mediolani Senatum, ab anno Chriſti MDXXVII. uſque ad MDLXIV. uti teſtatur ejus Inſcriptio Sepulchralis in Baſilica Sanctæ Mariæ Schalenſis hujus Urbis, ſequentibus litteris:

BENEDICTO PATELLANO
QVI IN EXCIPIENDIS
AC PVBLICIS DECRETIS CONSIGNANDIS
SENATVS MEDIOL. CONSVLTIS
AD ANNOS XXX.
SVMMA FIDE ATQVE DILIGENTIA
PERSEVERAVIT
LAVRA RHOBIA VXOR M. H. P.
OBIIT XI. KAL. OCTOBRIS
MDLXIIII.

Plura Carmina tam Italica, quàm Latina hujus Benedicti leguntur in Collectionibus Ticinenſibus pro Laureis excipiendis. Epigramma quoque ipſius Latinum in laudem Joannis Petri Arluni ex integro profert Bartholomæus Curtius in ſæpe laudato Opere de Medicis Mediolanenſibus pag. 69. Filium habuit alterum Benedictum poſthumum, ex Laura Rhobia conjuge, atque ab eodem ortus eſt Carolus, de quo nunc agimus, omni ævo celeberrimus, non tantùm pro eximia ejus doctrina in Legalibus Scientiis, ob quam, præter alia munera, quibus decoratus extitit, ampliſſimam Senatoriam dignitatem meritò obtinuit; ſed & etiam pro Collegio ab ejus nomine, Patellano vocato, ut ex ejuſdem ultimis Tabulis die III. Octobris, anno MDCLIII., & XIV. Decembris, anno MDCLXV. per publicum Tabellionem Petrum Jacobum Macchium ſcriptis patet, condito, pro honorificè in litteris educandis adoleſcentibus non tantùm gentis Patellanæ, ſed aliarum Nobilium quoque Mediolanenſium familiarum. Diem verò ultimam clauſit anno ſupradicto, ut ex ejus Elogio Sepulchrali, quod extat in eadem Baſilica Schalenſi his notis:

CAROLVS PATELLANVS
IN PRAECLARISSIMIS GESTIS FORI
ANNOS XX.
IN REGII FISCI PATROCINIO X.
IN SENATV XXI.
POSTQVAM EXIMIIS LAVDIBVS
DOCTRINAE IVSTITIAE VIGILANTIAE
IMPLICAVIT ANNOS LXXXI.
SIBI AETERNITATIS HAEREDITATEM
ADDIDIT
FAMAE NOMEN OPTIMVM LEGAT,
OBIIT DIE XVII. DECEMBRIS
MDCLXV.

Ejus doctrinæ hæc Monumenta ſuperſunt:

I. Defenſio Juris Regii in loco Ripariæ Hortæ, pag. 114. *Mediolani, ſine anno, & Typographo, in fol.* Extat in Bibliotheca Ticinenſi Menochiana.
II. Allegationes permultæ Fiſcales, & Juriſdictionales, partim apud Solivetam, partim apud Benaliam, & partim in Parodiaria, atque Archintea.
III. Carmina tam Latina, quàm Italica in laudem Curtii Caſati, de quo ſuo loco jam diximus. MSS. ſunt in Bibliotheca Ambroſiana, atque in Autogr. ejuſdem Caſati.
IV. Alia pro Laurea collata Marco Antonio Ferno. *Ticini*, 1617. *in 4.*
Memoratur in Schedis P. Gaſparis Berettæ, necnon in libro, cui titulus: „ Saporitæ Gentis ex Inſubribus apud Ligures præclaræ Genealogicum Stemma „ publicis è Documentis excerptum, obſervante J. C. „ & Advocato Joanne de Sitonis de Scotia Excellentiſ- „ ſimæ Civitatis Mediol. Chroniſtâ, anno MDCCXXIII. *Genuæ, ex Typographia Joannis Franchelli*, 1725. *in fol.*, & latiùs in Theatro Genealogico ejuſdem Sitoni pag. 338. MS. in fol. apud eundem.

MCCXLVII.

PAVARUS ANTONIUS MARIA.

ETſi familia Pavara adnumeretur inter Nobiles Placentinas à Creſcentio in libro, cui titulus: „ Corona della Nobiltà d'Italia; „ attamen Mediolani quoque floruit Sæculo XIII., nam penès Clariſ. Sitonum reperiuntur Placita à Buſcho Pavaro Reipublicæ Mediolanenſis Conſule emanata, annis MCC-XLIII., & MCCXLIV. Antonius Maria, de quo in præſens agimus, ſe ipſum Mediolanenſem vocat, ſicuti etiam à Jo. Baptiſta Vicecomite in diſtico ſubter proferendo, & Parœciam D. Petri in Campo Laudenſi in hac Urbe ſic vocatam rexit; præter alias Scientias, qui-

Digitized by Google

quibus noſter ſummopere exornatus fuit, Theologiam videlicet tam Scholaſticam, quàm Moralem, pro ſingulari dicendi Arte, ab omnibus ſui ævi Scriptoribus Mediolanenſibus celebratur. En diſticon Jo. Baptiſtæ Vicecomitis, inter ea impreſſa *Mediol. per Pacificum Pontium*, 1585.

Ad Ant. Mariam Pavarum Mediolanenſem Sac. pro quo Echo.

*Quid, quæſo, quid homo, ne exors Cœli foret? oret*
*Victor erit, Chriſtum ſi benè quærit? erit.*

Congregationi Oblatorum SS. Ambroſii, & Caroli adſcriptus fuit antequam animarum curam aſſumeret, ideoque charus extitit Cardinali Federico Borromæo. De ipſo præter Orationem pro reditu ſupradicti Cardinalis, quam unicam dedit Picinellus, alia vidimus,

Quæ ſunt:

I. Oratio pro reditu Mediolanum Federici S. R. E. Presbyteri Cardinalis, in Conclavi Archiepiſcopali habita, ad Carolum à Baſilicapetri Epiſcopum Novarienſem. *Mediol. apud Typographos Archiepiſcopales*, 1602. in 4

II. Oratio habita in Viſitatione Eccleſiæ ſuæ; Ludovico Beſutio Canonico Ordinario nuncupata. *Mediol. apud Pontium, & Piccaleam*, 1609. in 4.

III. Epiſtolæ plures Italicæ atque Latinæ, inter quas, Gratulatoria pro Archiepiſcopatu ad Federicum Cardinalem Borromæum. Extant in ſæpe laudata Collectione Epiſtolarum ejuſdem Card. in Bibl. Ambroſ.

Videndus eſt Picinellus in Athenæo pag. 46.

## MCCXLVIII.

## PAULINUS.

PAulinus Presbyter Mediolanenſis S. Ambroſii Diſcipulus, qui alius eſt à Paulino, Nolano Epiſcopo, ut phraſis ipſa teſtatur, in Vita Sancti Præceptoris ſui, quam petente Divo Auguſtino conſcripſit, quædam quoque de ſemetipſo litteris tradidit. Ait enim ſe, cùm ſcriberet, Clericum Minoris Ordinis militaſſe in Mediolanenſi Eccleſia ſub cura Caſti Diaconi, & ſe Divo Ambroſio fuiſſe à manu. S. Auguſtino familiaritate junctus fuit, qui Paulini tunc Diaconi Actorum in Epiſcopali judicio Carthagine habitorum in controverſia cum Cœleſtio fragmentum recitat lib. II. cap. XX. de peccato Originali contra Pelagium. S. Iſidorus Hiſpalenſis in libello, quem texuit de Viris illuſtribus, de Paulino noſtro jam Presbytero, hæc habet: „ Paulinus Presbyter „ explicuit in benedictionibus Patriarcharum triplici „ intelligentiæ genere libellum ſatis ſuccincta brevi- „ tate compoſitum. Idem etiam petente Auguſtino „ conſcripſit Ambroſii Vitam ſignis florentem, & me- „ ritis, Apoſtolorum non imparem. „ Claruit Paulinus ab anno CD. ad CDXX. & ultra. Maximè autem ab anno CDX. innoteſcere cœpit, nam anno CDXII. Carthagine agens, quò miſſus fuerat à S. Venerio Archiepiſcopo Mediolanenſi, Cœleſtium de Hæreſi apud Aurelium Epiſcopum accuſavit, eumdemque ab Ordine Sacerdotii, quem ambiebat, removit: & cùm Cœleſtius in Patrum conventu Originale peccatum nollet agnoſcere, egit Paulinus ut excommunicatione perculſus ex Africa profugus abire cogeretur. Rebus fœliciter contra Cœleſtium, & Pelagium Paulino ſuccedentibus, idem Zoſimo Papæ libellum obtulit in gratiarum actionem ob Pelagium, & Cœleſtium damnatos. Prædeſtinatus Sirmondi Hæreſi LXXXVIII. pag. 81. eum Procuratorem & Defenſorem Eccleſiæ Mediolanenſis appellat.

Scripſit

I. Vitam S. Ambroſii, quæ præfixa eſt Operibus Sancti Doctoris, quam etiam habemus apud Surium, & Joannem Bollandum ad diem IV. Aprilis. Extat quoque MS. in Collect. Michaëlis Pizolpaſſi in fol. in pergam. in Ambroſ. Cod. ſign. H. 56. de quo alibi.

II. Acta Controverſiæ contra Cœleſtium, quæ interciderunt, paucis exceptis: ipſa retulit Divus Auguſtinus lib. II. cap. XX. de Peccato Originali contra Pelagium.

III. Gratiarum actionem ad Zoſimum Papam ob Pelagium, & Cœleſtium damnatos, quam exhibet Philippus Labbeus in edit. ultima Concil. Pariſien. anni 1671. Tom. II. col. 1578. Hanc protulit etiam Petrus Conſtant in Collect. Epiſt. Rom. Pont pag. 963. ubi in Monito probat ſcriptam fuiſſe anno CDXVII.

IV. Opuſculum de Benedictionibus Patriarcharum. Habetur inter Opera Ruffini Presbyteri Aquilejenſis.

Agunt de eo Petrus Paulus Boſca in Martyrol. Mediol. in Notis ad diem III. Martii, ubi pluribus oſtendit, falli eos, qui arbitrati ſunt Paulinum noſtrum eundem eſſe cum S. Paulino Brixienſi Epiſcopo. Poſſevinus in Apparatu Tom. III. pag 5. Caſimirus Oudinus Tom. I. Sæcul. V. pag. 920. Iſid. Hiſpal. de Script. Eccl. ex Fabricio Bibl Eccl. & in illa medii ævi Tom. V. pag. 605. Guilielmus Cave ad ann. CDXX. pag. 257. aliique.

## MCCXLIX.

## PAULINUS alter.

PAulinus Mediolanenſis in Congregatione FF. Eremitarum S. Auguſtini, atque Cœnobio Sanctæ Mariæ Coronatæ in Patria Ordini nomen dedit eodem fermè tempore, quo Cœnobium ipſum arctiorem vivendi Regulam ſuſcepit. Virtutibus Religioſo Viro dignis, jejunio præſertim, Oratione, & honoris divini zelo præcipuè enituit. Sacras paginas tam frequenti ſtudio pervolutabat, ut omnes divinas res ſemper ad manus quaſi paratas haberet. Anno MCDLXII. Savonenſe Cœnobium reformavit ejuſdem Prior electus, illudque etiam ædificiis auxit. Bis Congregationem ſuam Generalis Vicarius rexit, annis videlicet MCDLXXVI. & MCDLXXIX. cùm ſepties Deffinitoris, ſexies Viſitatoris munere functus eſſet. Cùm autem Sanctæ Mariæ de Populo in Urbe Roma præeſſet, anno MCDLXXXI. in Domino quievit famâ Sanctitatis illuſtris, & ab omnibus paſſim Beatus appellatus.

Scripſit:

I. Obſervationes in Univerſam Sacram Scripturam, quarum mentio eſt in libro, cui titulus: „ Delle Memorie Iſtoriche della Congregazione Oſſervante di „ Lombardia dell' Ordine Eremitano di S. Agoſtino del „ P. Donato Calvi. Parte prima „ in ejuſdem Paulini Vita pag. 215.

A S. PAULO AUGUSTINUS.

V. BERTARELLUS JO. AUGUSTINUS.



Digitized by Google

A

MCCL.

PECHIUS CÆSAR.

MIchaël Angelus Pechius, atque Margarita Vezolia nobiles Mediolanenſes Conjuges Cæſarem noſtrum genuerunt, qui præter litteras, quas ſemper coluit, memoratur uti Stator Major Urbanæ Militiæ hujus Urbis Legionis Portæ Vercellinæ; obiit verò die XXVIII. Decembris anno Orbis Redempti MDCIC. Typis demandavit librum,

Cui titulus:

I. Origine dell' antica e nobile Proſapia dall' Orto in Milano. *Ivi, nella Stampa di Franceſco Vigone*, 1682. *in fol.* De eodem meminere Comes Galeaz Gualdus in Relatione Status Mediol. par. prima pag. 183., & Cl. Sitonus in Schedis.

MCCLI.

PECHIUS JOANNES AMBROSIUS.

ETſi parum habeamus Lectoribus noſtris proferendum, ut ingenium doctrinamque Joannis Ambroſiis Pechii oſtendamus, attamen in Oratione ipſius de laudibus iſtius Metropolis à nobis inſpecta, non tantùm ars optimè dicendi in eo elucet, ſed pro rebus quoque litterariis ad Inſubres illuſtrandos, quas continet, minimè in hac mea Bibliotheca omittendum eſſe cenſui. Carmen quoque Latinum ab eo exaratum in laudem familiæ Rhaudenſis, ex qua mater ipſius originem habuit, ut infra, ſpernendum certè non eſt. Pater igitur ei fuit Joannes Aloyſius inter Decuriones Mediolanenſes anno MDXIII. Mater verò Julia Rhaudenſis, quorum ſtudio Joannes Ambroſius in ſcientiis tam feliciter educatus extitit, ut Medicinæ Laureâ acceptâ, in Collegium iſtius facultatis cooptatus fuerit anno MDLII. Inter vivos eſſe deſiit anno MDXC. De ipſo nec verbum quidem habuit Clariſſimus Curtius in Opere ſuo de Medicis Mediolanenſibus, eo quia Lucubrationes ipſius ignoravit. Memoratur in ſubſequenti Inſcriptione, quæ viſitur in Templo Sanctæ Mariæ Gratiarum hujus Urbis, teſte Comite Octavio Archinto in ſua Collectione ampliſſima:

B

ALOYSIO PECHIO AMBROSII FILIO
EXIMIAE PIETATIS ET RELIGIONIS VIRO
IVLIAE RHAVDENSI
PIAE PVDICAE FRVGI
PVLCHRITVDINIS INCOMPARABILIS FOEMINAE
DECEM ET OCTO FILIORVM MATRI
LEODRISIVS HIERONYMVS I. C.
AEDILIS LEGATVS II.
FISCI ADVOCATVS QVAESTOR VRBANVS
BENEDICTVS I. C. PRAETOR AEDILIS LEGATVS
PETRVS FRANCISCVS
IOANNES AMBROSIVS PHILOSOPHVS ET MEDICVS
P. O. M.
ANNO A SALVTE IESV CHRISTI SERVAT. MDLXIIII.
XVI. KAL. MARTII.

Hæc de ipſo nunc primùm damus

I. Joannis Ambroſii Pechii Oratio de laudibus Urbis Mediolanenſis, MS. in fol. extat in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum pluties laudata.

II. De Gente Rhaudenſi Mediolani antiquiſſima. *Ibi, ſinè Typographi nomine*, 1573. *in* 4. Agit de ipſo Clariſſimus Sitonus in Chronico MS. Colleg. Nobilium Phyſicorum Mediol. art. 181. p. 2. penès Auctorem.

MCCLII.

PECHIUS JOANNES BAPTISTA.

GEminos eodem nomine nuncupatos, & ex ipſa familia genitos habemus, licèt non coævos, hujus Metropolis Cives eruditione præſtantes Viros; quorum primus eſt Joannes Baptiſta Pechius Hieronymi J. C. C. filius, qui Juriſprudentiam coluit, & in

C

Collegio Nob. J. PP. locum promeruit anno MDXXXII. quemadmodum & inter LX. Patriæ Decuriones recenſitus fuit, Urbiſque geſſit Præfecturam annis MDXXXIII. atque MDXLIX. Hinc Regii Fiſci generalis Patronus renunciatus, poſtremò in Ampliſſimum Senatorum Ordinem coöptatus, dum Prætorio munere in Urbe Cremona fungeretur deſideratus eſt anno MDLIV. Ejus eruditionem laudavit funebri commendatione Marcus Paulus Farteſius, quæ lucem vidit Cremonæ apud Vincentium Comitem anno ſequenti; teſtatus eum ab omnibus Italiæ Academiis Juriſconſultiſſimum habitum fuiſſe. Cadaver illius in Templum S. Dominici ejuſdem Urbis illatum hoc Elogio ſuperpoſito conquieſcit:

IOH.

Digitized by Google

IOH. BAPTISPAE PECCHIO MEDIOLANENSI PATRICIO
IVRISCONSVLTO VIRO AEDILITIO
FISCI ADVOCATO
SENATORI REGIO PRAETORI CREMONENSI
OMNIBVS MVNERIBVS QVAE DOMI AC FORIS ESSENT
HONESTISSIME FVNCTO
VIRTVTIS ERGO AD RETINENDAM
RARISSIMI VIRI MEMORIAM
LAVRA LANDRIANA VXOR PIENTISS.
CONIVGI SANCTISS. B. M. P. MDLV. DIE XIII. OCTOBRIS
VIXIT ANNOS LI.

Perquam libenter ipſius peculiari articulo mentionem facere libuiſſet, verùm cùm nihil de ipſius laboribus eruditis ad nos pervenerit, ſi excipias Vota quædam Fiſcalia, atque Allegationes plures apud Suos ſervatas, ob rationes alibi allatas ſatiùs duximus ejus tantùm hic memoriam agere, deinde ad alium Joannem Baptiſtam Pechium ſermonem convertere. Hic Prædicatorum Ordinem elegit, ut in ipſo Deo militaret, quapropter in Cœnobio Ducali Sanctæ Mariæ Gratiarum ſæculo, commodiſque renuncians, brevì ad eum doctrinæ apicem pervenit, ut quamvis juvenili adhuc ætate, ingenio tamen, doctrinæ profunditate, dicendique facundia, ſenioribus admirationi foret. In eodem Cœnobio Philoſophiæ Lecturâ expletâ, ad Theologicam promotus eſt Cathedram. Orator eximius ad majores, atque præcipuas feſtivitates, ut è roſtris diceret, certatim invitabatur. Aliquot in Italiæ Urbibus Quadrageſimales Conciones habuit, quod dum Mantuæ præſtaret circa annum MDCLIII. immaturo conceſſit fato, ævo adhuc florente.

Scripſit atque edidit:

I. La Ceraunia. Panegirico di S. Antonio da Padova, detto nella Baſilica di S. Franceſco di Milano l'anno MDCLI. *Milano, preſſo il Monza, l'anno ſteſſo, in 4.*
II. La Via Lattea. Panegirico per lo ſteſſo Santo, detto come ſopra. *Ivi, per il medeſimo, 1653. in 4.*
III. Conciones plures MSS. quæ in aliorum commodum abiere.
De eo agunt Quetif, & Eccard in Script. Ord. Prædic. Tomo II. pag. 576., & Picinellus in Athenæo pag. 282.

## MCCLIII.

## PECORELLUS ALBERTUS.

QUantumvis Alberti Pecorelli Mediolanenſis acta, parentes, & reliqua omnia ad inſtituti noſtri rationem pertinentia nullibi, diligenter licèt quæſita, nobis occurrerint, æquum tamen non judicavimus ea quæ ſuperſunt poſteris invidere. Excelluit Auctor Oratoria Facultate, cujus gratiâ dum Duciſſæ Feriæ juſta perſolverentur, dignus eſt habitus, cui Funebris laudatio publicè pronuncianda demandaretur; quod cùm egregiè præſtitiſſet, non exiguam ſibi laudem apud Concives ſuos eſt conſecutus. Plura fortaſſe tempus in apertum proferet.

Habemus ejus has II. Lucubrationes typis editas.

I. Orazione Funebre fatta nelle Eſequie dell' Eccellentiſſima Signora Ducheſſa di Feria Donna Franceſca Cardona Cordova, fatta da Alberto Pecorelli Milaneſe. *Milano, per il Malateſta, 1623. in 4.*
II. Congratulazione alla Santità d'Urbano VIII. Orazione. *Ivi come ſopra, in 4.*

## MCCLIV.

## PEDROLUS FIDELIS.

ARona Oppidum ſatis celebre ad Verbanum Lacum patria fuit Fidelis Pedroli, qui ad Sacra converſus, atque Scientiis Divinis imbutus, Eccleſiam primùm loci Homati Diœceſis Mediolanenſis, deinde alteram Concoregii obtinuit, ubi nullo poſthabito labore pro animarum ſibi commiſſarum ſolatio, diem vidit ultimam, ſex ab hinc fermè annis, ac poſt ſe monumenta ſui ingenii, & doctrinæ reliquit,

Videlicet:

I. Armatura Dei ad expugnandas aëreas tempeſtates &c. *Mediolani, apud Federicum Agnellum, 1700. in 12.*
II. Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ, Auctore Fideli Pedrolo Aronenſi S. T. D. ac Parocho. *Ibi, apud eundem, 1701. in 4.* Sic de hoc Opere agitur in libro, cui tit. „ Galleria di Minerva Tom. V. pag. 52. In queſto libro „ tratta diſtintamente l'Autore dell' approvazione ricercata nel Sacerdote per udire le Confeſſioni. Non è „ queſto libro, come molt' altri, che inſegnano il modo per ben eſercitare l' officio del Confeſſore, o per „ iſtruire il Penitente a ben confeſſarſi; ma tratta ſpecialmente delli poteſtà, dell' ordine, e della giuriſdizione, muove molte belle queſtioni, e neceſſarie da ſaperſi, e le riſolve con ragioni Morali, e Teologiche, e diſtintamente coll' autorità di molti Concilj. „

## MCCLV.

## PELLITIONUS JO. FRANCISCUS.

DE Familia Pellitiona Mediolanenſi, mentio eſt apud Bartholomæum Curtium in ejus Opere de Medicis Mediolanenſibus, dum Matriculam profert à Clariſſimo Sitono ei oblatam, quam in calce Statutorum ejuſdem Collegii anno MCCCXCVI. reformatorum ego quoque vidi MS. in Bibliotheca Fratrum



Digitized by Google

Eremitarum nudipedum hujus Urbis Conventus SS. Coſmæ & Damiani. Ibi ad annum MCDXXXVII. die IV. Septembris inſcribitur Magiſter Philippus de Pellitionibus. Noſter verò fratrem habuit Thomam Pro-Cancellarium Archiepiſcopalis Curiæ Mediolanenſis, magnum Canoniſtam, atque Theologum non infimæ notæ, cujus exemplo bonos mores, ac litteras proſecutus eſt Joannes Franciſcus Congregationem Clericorum Miniſtrantium Infirmis ingrediendo, magna ſpe ipſius ab omnibus concepta, quæ minimè fefellit; nam inter alias ejus dotes præclariſſimas, pro ſingulari pietate, inter Suos maximam æſtimationem ſibi acquiſivit. Ideo per varia munera, videlicet Cancellarii ſuæ Congregationis, Præfecti Provincialis Bononiæ, ad Officium Procuratoris Generalis aſcendit. Amiciſſimus, atque à Confeſſionibus Cardinalis Julii Romæ extitit, necnon B. Camillo de Lellis ejuſdem Congregationis Inſtitutori perquam charus. Iſtius legitur ad Pellitionum noſtrum Epiſtola, quæ fuit ultima paulo ante Lelli obitum data XV. Julii MDCXIV. in qua Congregationem ei commendat. Sponte Genuam perrexit, peſtifero morbo afflictis miniſtraturus; ubi charitatis victima obiit die XXII. menſis Auguſti anno MDCXXV., ætatis verò XLVI. ob præclara merita ſanctitatis famâ celebris; ideoque ejus ſcripta infra recenſenda, quæ extabant in Collegio ſuorum Romæ, à P. Bartholomæo de Judicibus ejuſdem Congregationis ferè omnia Mediolanum relata, voluminibus XII. comprehenſa, ob quæſtionum præſtantiam, & partim religionis ergo, quod Auctor inter Beatos eſſe credatur, à pluribus rapta ſunt. In Bibliotheca igitur ſupradicta Mediolanenſi Collegii S. Mariæ Sanitatis nil ſupereſt, quàm Tractatus Logicus, ut infra.

Opera illius ſunt:

I. Sermones Aurei pro ſacris Exercitiis peragendis.
II. Curſus Theologicus.
III. Curſus Philoſophicus.
IV. Tractatus de Logica. Vol. IV. in 4. MS juſtæ molis. Præter hunc, qui adhuc extat pænes Suos, ut diximus, alii deperditi ſunt.
V. Sermo ad Præpoſitum Generalem ſuæ Congregationis habitus, ut in ipſa admitteretur. Legitur in memoriis Hiſtoricis Camilli de Lellis, ut infra, ibique aſſeritur edidiſſe
VI. Librum aſceticum, ſed nullo indicato loco, nec impreſſionis anno.

De Philippo Pellitiono agit Sitonus in Chronico Nobilium Phyſicorum, & quæ diximus de Joanne Franciſco ex libro hauſimus, cui titulus: „ Memorie Iſtoriche del Ven. Camillo de Lellis, e „ de' ſuoi Cherici Regolari Miniſtri degl' Infermi „ di Domenico Reggi. *Napoli*, 1676. *in fol.* ad pag. 241., atque à Suis.

## MCCLVI.

## PELLIZARIUS NICOLAUS.

NIcolai Pellizarii Modoëtienſis optimum ingenium laudatiſſimus hujus Metropolis Antiſtes, & S. R. E. Cardinalis Fridericus Borromæus adeo perſpectum habuit, ut ipſum in Majori Clericorum Seminario litteris vacantem in Ambroſianum Collegium adſciverit. Græcam, Hebraicam, cæteraſque eruditas linguas optimè noverat, & plura ſibi eruditionis ornamenta diligentiſſimè comparare ſtuduerat. Inciderant interim in manus optimi Cardinalis Manuſcripti Codices Antonii Georgii Beſutii, quem loco ſuo laudavimus; cùmque illi prorſus inordinati ab Auctore morte prævento relicti fuiſſent, & ob peſſimam litterarum formam vix poſſent intelligi, ſpartam hanc tantus Præſul Pellizario demandavit, neque ſpem ejus hic fefellit, ut optimè teſtatur Codex Beſutii in lucem editus inferiùs indicandus; in ipſo enim Nicolaus noſter manca ſupplevit, disjuncta nexuit, inordinata digeſſit, & nonnulla de ſuo addidit, quo perfectiùs prodiret in lucem. Sed & plura proprio Marte compoſuit, & vulgavit; poſtmodum Parochiali Oſnagi Præfectus fuit; quo autem anno obierit ignoramus.

Scripſit, & edidit:

I. Diſcorſi di Filoſofia Militare d'Antonio Giorgio Beſozzi, dati in luce da Nicolò Pellizari. *Milano, nella Stampa del Collegio Ambroſiano*, 1629. *in* 4.
II. Panegirico ſopra la Vita di S. Carlo. *Milano, per il Ponzio, e Piccaglia*, 1625. *in* 4.
III. Plures ejus Epiſtolæ ad Jo. Petrum Puricellum lectu digniſſimæ ſervantur MSS. in Biblioth. Ambroſ. in Cod. ſign. D. num. 115.

Ex Picinelli Athenæo pag. 423.

## MCCLVII.

## PELOTTUS ANTONIUS.

ET Poëſis tam Latinæ, quam Italicæ, & Hiſtoriæ, & Oratoriæ artis ornamentis clarus emicuit ſæculo XV. exeunte, atque ſubſequentis initio, Antonius Pelottus Mediolanenſis, cujus ne dum Opera, ſed nomen quoque nos fugiſſet, niſi fortè fortuna in Codicem ipſius MS. incidiſſemus, in quo lucubrationes ipſius continentur. Cæterùm nullibi Pelottæ gentis mentio eſt apud Collectores Monumentorum Familiarum hujus Metropolis, quemadmodum & nos ipſi vidimus, & amiciſſimus JC. Sitonus monuit. Auctor autem noſter gratus fuiſſe videtur Jo. Galeacio Mariæ Sfortiæ VI. Inſubrum Duci, ut indicat Oratio ad eum habita de Poëſis laudibus, de qua num. III. agemus.

Opera illius hæc invenimus:

I. Antonii Pelotti Mediolanenſis Carmen Latinum in laudem B. Fratris Michaëlis Carcani.
II. Breve Chronicon Rerum Mediolanenſium ab anno MCCCXXXII. ad MCDII.
III. Oratio in laudem Poëſis ad Galeacium Mariam Vicecom. Ducem Mediolani.
IV. Carmina varia Latina, & Italica.
V. Moſci Carmen de fugitivo amore ab eo latinè traditum, cum Præf. ad eundem Galeacium Mariam Sfortiam.

Omnia in Cod. MS. Bibl. Ambr. in 4. ſign. T. n. 20.

## MCCLVIII.

## de PEREGO CAMILLUS.

FAmilia de Perego originem ſuam antiquiſſimam Mediolani agnoſcit, & primus, qui in ſtemmate genealogico ab amiciſſimo, atque clariſs. Sitono mihi humaniſſimè communicato legitur, Octavianus de Perego eſt, qui vivebat anno Domini MXI. ideoque etſi nonnulli ex ipſis Pereghi nuncupentur, facilè agnoſcitur de loco Perego vocato, in Collibus Brianteis ſito, cognomen aſſumpſiſſe. Noſter verò, qui Canonicus Notarius Metropolitanæ Eccleſiæ hujus Urbis extitit, curam primùm animarum habuit in Eccleſia Parochiali Sancti Viti. In Eccleſiaſtico Ambroſiano Cantu ita excelluit, ut alumnos Seminarii, & Mediolanenſis Cleri ſpatio annorum XXXV. peregregiè inſtruxerit. In ſupradicta Eccleſia Sancti Viti, vulgò *al Paſquirolo*, extabat ſequens ejus Sepulchralis Inſcriptio ex Collectione Archintea eruta.

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.
CAMILLVS PEREGVS SACERDOS
QVI HVIVS ECCLESIAE RECTOR FVI
HIC MODO IACEO
ORATE PRO ME
V. P.

Mandante D. Carolo Borromæo librum ſcripſit, quem infra damus numero I., ipſeque typis traditus fuit poſt Auctoris mortem, ut infra, juſſu Cardinalis eximii Federici Borromæi. Annum mortis illius nullibi invenimus.

De ipſo hæc proferimus :

I. Teorica, e Prattica del Canto Fermo, inſieme con il modo di Salmeggiare, intuonar Lezioni, Epiſtole, ed Euangelj, e molte altre coſe appartenenti al Rito della S. Chieſa Ambrogiana del Prete Camillo Perego; con Dedicatoria a S. Carlo data li XV. Marzo MDLXXIV. Siegue altra Lettera al Clero della Città, e Dioceſi di Milano del Canonico Franceſco Caſtello in lode dell' Autore. MS. in fol. optimæ notæ ſign. F. num. 60., extat in Bibliotheca Metropolitani Capituli. Editus vero fuit hoc titulo: „ Regola del Canto Fermo Ambroſiano. *Milano, preſſo Ponzio, e Piccaglia*, 1622 *in* 4.

II. Madrigali a quattro voci. *Venezia*, 1555. Teſte Picinello.

III. Molte Opere Muſicali, teſte eodem.

Agunt de ipſo Paulus Moriggia in libro III. Nobilitatis Mediolani cap. XXXVI. & ſupradictus Picinellus in Athenæo pag. 102.

## M C C L I X.

## de P E R E G O L E O.

Se nunc offert eximiæ hujuſce Urbis Archiepiſcopus, Leo de Perego Guilielmi filius. Hic Mediolani ortus ex nobiliſſima inſignique Peregorum familia, ut Hiſtoricorum utar verbis, Minorum Ordini ſe addixit, tantumque morum integritate, ac ſapientiâ profecit, ut cùm Theologiæ facilè princeps, tum Concionator facundus haberetur. Provinciæ Fratrum ſuorum præfuit, & Gregorio de Monte-longo Apoſtolicæ Sedis Legato, à Gregorio IX. Socius datus, plurimos labores pro Dei Eccleſia pertulit. Factum eſt autem, ut ſæculo XIII. ineunte, nobilium, ignobiliumque oriretur contentio, quæ cùm maximè non ſine modica eorumdem clade ferveſceret, unus præ ceteris præfatus Leo pro lite dirimenda laborabat, ac Patriæ ſubſidio proſpiciebat; contendebant autem pro Archiepiſcopi electione poſt obitum Guilielmi Rizolii. Tanti proinde apud Concives ſuos erat, ut quandoquidem de eligendo Paſtore agebatur, ei optio data ſit, ut quem eligendum ceſeret in medium proferret. Ipſe verò devinctis ſibi omnium animis ſe obtinet creari Archiepiſcopum, ac poſtmodum ipſe Summus Pontifex Mediolanenſis populi electionem anno MCCXLI. ſuo calculo confirmavit. Sui Ordinis alumnis Baſilicam SS. Naboris & Felicis, nunc Divo Franciſco ſacram, tradidit, quam rem Henricus Septala Archiepiſcopus inchoaverat, ſed ob Canonicorum eas incolentium ſedes contradictionem, perficere non potuerat. A Summo Pontifice ſpecialiter Delegatus extitit ad inquirendum de Miraculis Beati Petri Martyris Ordinis Prædicatorum Inquiſitoris contra Hæreticam pravitatem, paulo ante à ſicariis occiſi, cùm Como Mediolanum pergeret. Ædes Archiepiſcopales Legnani magnificenter extruxit, necnon & prædia Menſæ ejuſdem Eccleſiæ addidit. Æquitatis vindex adversùs Turrianos politicum invadere Principatum conatus eſt, ſed vis, ac ſcelus obſtiterunt, quo accidit, ut ærumnis affectus, pro pacis bono bis exulaverit à Patria, donec ad cœlos evolaturus, poſt edita nonnulla Theologiæ monumenta, in quibus doctrinæ, ſummæque pietatis ſplendor eminebat, mortuus eſt in Oppido Lignano, ſuæ juriſdictionis Caſtro anno MCCLVII. die XIV. Octobris.

Scripta illius hæc ſunt :

I. Epiſtolæ variæ ad Gregorium IX. Sum. Pontif., alioſque Italiæ Principe, eorum implorans auxilium contra Fridericum Imper.

II. Conſtitutiones Synodales.

III. Epiſtola ad Præpoſitum S. Ambroſii pro negotiis ejuſdem Capituli, dat. MCCXLIII. die VIII. Kal. Martii.

IV. Sententia anno MCCLIV. die X. Septembris lata in loco Lignani pro Canonicis Baſilicæ Sancti Ambroſii, contra Monachos in controverſia cuſtodiæ Altaris Aurei.

V. Sententia contra Chunradum Abbatem S. Celſi pro Canonicis Baſilicarum Ambroſianæ, & Nazarianæ. Dat. VI. Martii MCCLIV.

VI. Alia favore Decumanorum contra Præpoſitum Eccleſiæ de Bripia. Dat. in arce Angleriæ XIII. Kal. Novemb. MCCLV.

VII. Epiſtola ad F. Petrum de Padua Ordinis Minorum, in qua ei concedit licentiam ædificandi Eccleſiam S. Franciſci in Oppido Variſio, & primum lapidem ejus vice ponendi. Dat. Mediol. Kal. Octob. MCCXXIV. Extat marmori inciſa in Clauſtro Conventualium Variſii.

VIII. Ejus litteras pro translatione Canonicorum Baſilicæ Sanctorum Naboris, & Felicis ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Fulcorinæ, & donatione ſupradictæ Baſilicæ Fratribus Minoribus. Dat. anno MCCLVI. die XIV. Kal. Feb. Indict. XIV. exſcripſit VVadingus Tom. II. ad annum eundem pag. 151. n. 45.

Epiſtola Innocentii IV. ad Leonem Archiep. Mediol. Dat. Lugduni MCCXLVII. die VIII Kal. Novemb. ut Henrico Clerico Sanctæ Mariæ de Fulcurino Beneficium aliquod provideri curet.

Alia ejuſdem Pontificis ad Leonem. Dat. ibid. MCCIL. pro negotiis Humiliatorum. Omnia hæc MSS. habentur in Collect. Diplomat. amiciſſimi Nicolaj Sormani Ambroſiani Collegii Doctoris.

De ipſo agunt Acta Mediolanenſis Eccleſiæ in Tabula Archiepiſcoporum Mediol. part. VI. pag. 980. VVading. de Scriptoribus Seraph. Relig. Litt. L. pag. 237. Tom. II. Annalium ad annum MCCXII. §. 55. Eum inter Beatos numerat Boſca in Martyr. Mediol. in notis ad Kal. Novembris. Laudatur etiam à Picinello in Athenæo pag. 388.

## M C C L X.

## de P E R E G O L U D O V I C U S.

Ludovicum Peregum Mediolanenſem Marcus hujus Metropolis Decurio, atque Ducalis Syndicus Fiſcalis generalis, paterno prorſus affectu ad eruditionem efformavit diligentiſſima educatione, quemadmodum & alios filios, Joannem ſcilicet Oppidi Leuci Præfectum, Joannem Auguſtinum ex Ducalibus Vicariis Generalibus, & Joannem Baptiſtam Doctorem Phyſicum Collegiatum; quos omnes indicavit nobis JC. Sitonus in Pereghæ Familiæ Stemmate, quod texuit ab Octaviano, qui fuit in vivis anno MXI., ut jam in Camillo diximus, ad ætatém uſque noſtram. Prædicti Jo. Baptiſtæ meminit Inſcriptio poſita in Eccleſia S. Mariæ Scalenſis à Clariſs. J. C. Sitono nobis communicata.

CEDRIO ROMAE LEGVM INTERPRETI
ET MARCO PHYSICO EIVS FILIO
JO. BAPTISTA PEREGVS
ET FAVSTINA DE VRSINIS DE ROMA
QVI EIS SVCCESSERVNT
HIC POS.

Ludo-

Digitized by Google

Ludovicus autem noſter Juriſprudentiæ addictus, cùm Doctor in utroque Jure creatus fuiſſet, Collegium Juriſconſultorum ingreſſus eſt anno Salutis MCCCCLXXXIX. Inſigne Legum Profeſſoribus beneficium contulit, nam Baldi Conſilia collegit, edenda curavit, & alia iiſdem adjecit, ut ipſe teſtatur in Epiſtola inferiùs indicanda, his verbis: „ Tandem longis lucubrationibus, ac laboribus, hujus eximii Viri Conſilia per totum ferè orbem conquiſita explevimus ſuper ea, quæ legere conſuevimus, & quæ in aliis deſunt codicibus, nuper his noſtris addidimus &c. Eorum poſthæc Conſiliorum tabulam ita accuratè diſpoſui, ut nemo ſit, qui omnes materias quàm facillimè reperire non poſſit. Poſtremò omnium Conſiliorum capita ſuo ordine ſunt digeſta. „ Incidit ejus obitus in annum Chriſti MDXXV.

Curavit, ut diximus, editionem omnium Operum Baldi Peruſini, cui præfixit Indicem hoc titulo:

I. Tabula nova per Alphabetum conſummatiſſimi Juris utriuſque Monarcæ Domini Baldi de Peruſio, omnium ejus principalium, emergentium, incidentium, ac extravagantium dictorum, & ſæpiùs diverſis in locis repetitorum ſecundùm communem eorundem occurrentiam; ita quod quilibet Lector minimum ejus omne dictum facilimè invenire poterit; compilata per me Ludovicum de Perego Juris utriuſque Doctorem, & de Venerando Collegio Dominorum Judicum Mediolani. Implet paginas CCII. Extat inter Opera Baldi impreſſa *Tridini, per Joannem de Ferrariis*, aliàs *de Jolitis, & Gerardum de Zeys*, 1516. *in fol. max.* Eſt in principio primi Voluminis. Item prodiit *Lugduni* cum Operibus Baldi anno 1551. in fol.

II. Capita per Alphabetum Conſiliorum Baldi poſitorum in his quinque Voluminibus, ubi hæc leguntur: „ nota quòd Conſilia ſign. I. non ſunt ſtampata (*ſic*) in aliis editionibus. Nos verò ea habuimus Romæ ex Codicibus Reverendiſſimi Domini Domini Cardinalis Sabelli, qui cum longo tempore Legationis Peruſinæ officio fungeretur ab ipſius Baldi nepotibus copiam ſumpſit. Extat ibidem in editione Tridinenſi.

III. Epiſtola Latina ad eximium Artium, & Medicinæ Doctorem Nicolaum Antiquarium, & præſtantem Virum Petrum Antonium Caſtillionæum amicorum præcipuos. Extat ibid. ante primum Indicem.

Meminerunt ipſius amiciſſimi Viri JC. Sitonus jam citatus in Chronico J. PP. pag. 68. art. 290. & in Schedis, atque Canonicus Iricus in Hiſtoria ſua Typographica Tridinenſi, quam typis parat, ad annum MDXVI.

## MCCLXI.

### de PEREGO PETRUS.

CUm Petrus de Perego, antiquâ, nobilique familiâ Mediolanenſi ortus anno MDCXXXV. die XXV. menſis Aprilis, liberalium artium rudimentis perceptis, paternæ domus commodis valedicere ſtatuiſſet, ut Æterni Regis ſe manciparet obſequiis, annos natus XIX. Carmelitarum Nudipedum Inſtituto ſe addixit, aſſumpto nomine Leandri ab Annuntiatione. Solemnia emiſit Vota die IV. Octobris, anno Salutis MDCXLV. Philoſophiam, atque Theologiam edoctus, Ordinis ſui Alumnis utramque è Cathedra explicuit annos plures. Prior etiam nonnullis Cœnobiis cum laude præfuit, & Provinciæ univerſæ præluxit cum Deffinitoris officio. Obiit Mutinæ die III. Januarii anno MDCLXXXVI.

Hoc Opus elucubravit:

I. La vaga, e miracoloſa Immagine di Noſtra Signora di Conceſa. *Parma, preſſo Giuſeppe dell' Oglio, ed Ippolito Roſati*, 1686. *in* 4. Inſcriptum eſt Joanni Melio Archiepiſcopo Capuano; & continet Sermones XV. in commendationem Deiparæ Virginis, argumento deſumpto ab Imagine ipſius, quæ colitur Conceſiæ in Eccleſia ſui Ordinis, quam ſimul cum vicino Cœnobio extruxit, & dotavit Cæſar Montius S. R. E. Cardinalis, & Ambroſianæ Eccleſiæ Archiepiſcopus à nobis alibi laudatus.

Hæc ſuis debemus Sodalibus.

## MCCLXII.

### de PEREGRINIS PEREGRINUS.

CEleberrimus Architecturæ gloria Peregrinus de Peregrinis in Vico, cui nomen *Puria* Ducatus Mediolanenſis, in Valle Solida ( Feudum eſt juriſdictionis tam ſpiritualis, quàm temporalis Archiepiſcoporum hujus Metropolis ) in lucem editus, cùm ab ipſa natura propenſam ad artes ingenuas mentem ſortitus eſſet, adeò in eis excelluit, ut in univerſa fermè Europa nominis ſui laudem diffuderit. Viri famâ permotus Philippus II. Hiſpaniarum Rex ipſum in Aulam adſcitum Architecti ſui munere decoravit: „ Ibi Regis Palatium ( verba ſunt Petri Pauli Boſchæ loco citando) veteri ſtructurâ conditum cum reficeretur; Frontem molis excitavit Peregrinus de Peregrinis Archimedes Mediolanenſis, cujus ars potiſſimum eminuit faſtigio immanium Operum, quæ in Urbibus, agroque Inſubrum admiramur. „ Ejus induſtria in verè regiis ædificiis excitandis uſus eſt Sanctus Carolus Borromæus hujus Urbis Antiſtes ſæculis omnibus memorandus, inter quæ Canonicales Ædes Metropolitanæ, Clericorum Seminarium, Templum S. Fidelis, & Collegium Borromæorum Papiæ neutiquam omittenda. Ejus quoque ingenii peritiem commendant moles admiranda Laurentianæ Baſilicæ in hac Urbe ad Ticinenſem Portam, aliaque permulta ædificia, quæ ſpectatoribus miraculo ſunt. Architectus etiam fuit Ven. Fabricæ hujus Metropolitanæ Baſilicæ, in qua ipſius Sancti Caroli juſſu Confeſſionem, vulgò *Scurolo*, ambitum Odei, Canonicales ſedes, Organa, Baptiſterium porphyretica Arca nobile, & Aras aliquot delineavit. Frontem quoque ipſius Baſilicæ geminis typis expreſſit, alteram Columnis magnæ molis ſtylobatis innixis ornatam, alteram verò Columnis eiſdem è pavimento Templi abſque ſtylobatis ſurgentibus. Binas haſce delineationes hæredes illius ſervabant, quas ipſius Fabricæ Curatores, accedente etiam operâ Cardinalis Archiepiſcopi Friderici Borromæi, aliorumque, non ſine mercede congrua recuperarunt. Plures Architectonicæ Artis periti Frontem ipſam Baſilicæ excogitaverant, communi tamen calculo Peregrini delineatio ſecunda electa eſt, & operi manus admota, quod tamen imperfectum adhuc conſpicitur, quamvis ad trecenta aureorum millia aſcendiſſe feratur impenſa. Fruſtra poſtremum ætatis annum ipſius rimati ſumus, obiiſſe tamen creditur vel exeunte ſæculo XVI., vel ſubſequentis initio. Proprium ſibi Sepulchrum in eadem Baſilica elegit, & extruxit, ut nobis indicavit amiciſſimus Sitonus ex documentis publicis apud ſe extantibus.

Eruditionem tam celebris Viri præter plures ædificiorum delineationes hæc teſtantur.

I. Deſcrizione dell' Edifizio, e dell' Apparato per le Eſequie di Donna Anna d'Auſtria Regina di Spagna, celebrate in Duomo li VI. Settembre MDLXXXI. Operà di Pellegrino Pellegrini Architetto di S. M., e della Fabbrica del Duomo. *Milano, preſſo il Ponzio, in* 4.

II. Epiſtolæ plurimæ ad S. Carolum, cum Reſponſionibus ejuſdem, in quibus agitur de ædificatione Canonicalium Ædium, aliiſque, lectu digniſſimæ. Servantur in Ambroſiana Bibliotheca in Collectione Epiſtolarum ipſius S. Cardinalis.

Ipſum

Digitized by Google

Ipſius Encomia referunt Paulus Moriggia Hiſtor. Nob. Mediol. Lib. V. Cap. 2. Hieronymus Borſerius in Supplem. Nobil. Mediol. Cap. 16. Jo. Jacob. Beſutius in Deſcript. Metropolit. Mediol. Boſca de origine, & ſtatu Biblioth. Ambroſ. Lib. II. Liber etiam, cui titulus : „ Pareri per la Facciata del Duomo di Mi„ lano ; „ & J. C. Sitonus in Schedis, præter alios plurimos.

## MCCLXIII.

## PEREGROSSUS PETRUS.

PEtrus ex Illuſtri, ac vetuſtiſſima Familia Pereroſſa Mediolani ortus, magna eruditionis laude claruit ſæculo XIII. Etenim ob Sacrorum Canonum, & Theologicæ facultatis peritiem Magiſterio primùm inſigniri meruit ; mox doctrinâ illius, ac morum probitate perſpectâ ad Romanam Curiam evocatus, Vicecancellarii S R. E. munere decoratus fuit. Nicolaus Summus Pontifex Viri merita admiratus, Diaconum Cardinalem S. Georgii ad Velum Aureum ipſum creavit, deinde titulo Presbyterali Sancti Marci inſignivit, poſtea verò alium S. Clementis adeptus eſt. Florentiſſimum per ea tempora Humiliatorum Ordinem Petrus noſter egregiè fovit ; nam induſtriâ ſuâ, atque prudentiâ, accedente etiam Ottonis Vicecomitis Mediolanenſis Archiepiſcopi, & totius Provinciæ Suffraganeorum Antiſtitum conſenſu, ejus Inſtituti Sodales ab omni Epiſcoporum imperio liberos effecit, & Apoſtolicæ tantùm Sedi ſubjiciendos curavit. Neque minor erga S. Franciſci Aſſiſinatis Alumnos Cardinalis noſtri pietas extitit ; nam in Mediol. Ducatu, ſcilicet in Vico, cui nomen Pozzolum, eis Cœnobium condidit, quod etiam ex aſſe moriens hæredem inſtituit. Illud adhuc ſupereſt, & à Minoribus, quos Conventuales vulgò dicere conſueſcimus, incolitur. Univerſo quoque Ordini majus contulit beneficium, tunc cùm Nicolaus ipſe Pontifex Conſtitutionem ſuam, qua S. Franciſci Regulam explicandam ſuſceperat, priuſquam in lucem prodiret, ab eo diſcutiendam curavit. Qua in re Collegas habuit Viros præſtantiſſimos, atque doctiſſimos, Comitem videlicet de Caſate S. R. E. Cardinalem à nobis alibi commendatum, tunc Sacri Palatii Auditorem, Angelum celebrem Romanæ Curiæ Advocatum, atque Benedictum Cajetanum Protonotarium, qui poſtmodum, aſſumpto Bonifacii VIII. nomine, ad Petri Sedem evectus eſt. His, aliiſque præclarè geſtis commendabilis, & de Univerſa Dei Eccleſia optimè meritus, Kal. Auguſti, anno poſt Chriſtum natum MCCXCV. abiit è terris in Urbe Roma, tantâ cum Sanctitatis famâ, ut inter Beatos recenſeatur. Corpus ejus in Eccleſia Minorum Sanctæ Mariæ Aræcœli nuncupata conditum jacet, atque Elogium, quod Sepulchro illius affixum Ciacconius ſcripſit temporis injuriâ periiſſe, nobis ſervavit ampliſſima Collectio Architea his notis :

PETRUS PEREGROSSUS MEDIOLANENSIS
PRESB. CARD. S. CLEMENTIS
OBIIT IN KAL. AVGVSTI
ANNO DOMINI MCCXCV.

Eruditionis ejus teſtimonium ſupereſt :

I. Conſtitutio Nicolai III. explicans Regulam FF. Minorum ab eo correctam, ut diximus, quæ promulgata eſt XIX. Kal. Septembris, anno MCCLXXIX.

II. Teſtamentum ejus, & Codicillares Tabulæ autographæ in pergameno, ſervantur in Archivo præfati Cœnobii Pozzoli à me inſpectæ, penès Conventuales. Dat. die XIV. Julii, anno MCCXCV.

Laudatur à Continuatoribus Ciacconii in Vitis Pontificum & Cardinalium, Tomo II. pag. 267. à Petro Paulo Boſca in Martyrologio Mediolanenſis Eccleſiæ ad diem Kalendar. Novemb., ubi Beatus appellatur, à Comite Octavio Archinto in Collect. ſua Monument. Familiarum Mediol., & ab aliis permultis.

## MCCLXIV.

## PERLASCA ALEXANDER.

SEminarium Clericorum hujus Metropolis, atque Congregatio optima Oblatorum SS. Ambroſii & Caroli, ſæpe à nobis laudata, Theatra fuere eruditionis, ac morum elegantiæ Alexandri Perlaſcæ, nam in primo Rhetoricis rudimentis pænè receptis, ab eximio Cardinali Federico Borromæo ſelectus fuit cum V. aliis ipſius ætatis, necnon ingenii promptitudine ſummoperè præditis pro lingua Græca ediſcenda, aliiſque poſtea tradenda; nec ſpes tantum Mœcenatem fefellit; nam breviter Perlaſca noſter non ſolùm à ſupradicta provincia ei demandata peregregiè ſe expedivit, ſed curſibus Philoſophicis, atque Theologicis peractis, Cathedram Eloquentiæ aſcendere meruit in ipſo Seminario tanto cum omnium plauſu, ut Tullianæ Eloquentiæ ſectator præcipuus ſui ævi nuncupari meruerit. Me ſilente loquentur perpetuò cum laude de ipſo Lucubrationes ejuſdem eruditiſſimæ, quas partim vidit Picinellus, Perlaſca adhuc vivente, dum ſuum Athenæum Mediolanenſe ſcribebat, partim ſunt à nobis adjectæ, ut infra. Animarum curam exercuit in Parochiali Eccleſia S. Raphaëlis hujus Urbis ; ac tandem ſatis eſt de eo proferre, quod Præcones habuerit celeberrimos Viros Gaſparem Sciopium, Octavium Ferrarium, Carolum Mariam Maddium, Petrum Paulum Boſcam, alioſque, ut brevì oſtendemus.

Hæc ſunt, quæ nomen ejus immortale reddunt.

I. Scimacchia, ſive Velitatio quædam Regum, & Privatorum penès utros ſit felicitas. Orationes II., ſeu Rhetoricæ Declamationes. *Mediol apud Ghiſulphum*, 1638. *in* 4.

II. Joannis Auſtriaci Pro-Regis Siciliæ, ac totius Rei maritimæ Præfecti, Expeditio ad inſulam Ilvam, atque expugnatio Arcis Portus Longoni. *Mediol. apud Impreſſores Archiepiſc.* 1651. *in* 4.

III. De rebus geſtis Jo. Auſtriaci fragmentum Hiſtoriæ. *Mediol ex Typograph. Lud. Montiæ*, 1657. *in* 4.

IV. Panegyricus Nicolao Biſſio dictus. *Mediol.* 1658. *in* 8.

V. De tribus Capellis. *Bergomi*, *apud Hæredes Rubei*, 1657. *in* 4. Eſt Epiſtola Parænetica, in qua differit 300 modis quamdam elocutionem latinam optimè dici poſſe, occaſione cujuſdam eruditæ contentionis inter amicos de ea habitæ.

VI. Panegyrici Viris illuſtribus dicti in Laureæ litterariæ gratulatione numero XXXVI. *Mediolani*, *apud Lud. Montiam* 1668. *in* 8.

VII. Obſidio Viglevanenſis facta à Marchione de Velada ; teſte Picinello.

VIII. Inter Epiſtolas Octavii Ferrarii editionis Patavinæ, extant duæ Latino Idiomate exaratæ Alexandri Perlaſcæ, ad Octavium Ferrarium cum ejuſdem Reſponſionibus.

In fronte Libri ab Alexandro Perlaſca editi Panegyricorum, extat Epiſtola Gratulatoria Caroli Mariæ Madii à Secretis Excellentiſs. Senatus Mediol.

Legitur etiam ad eum Epiſtola Italica Franciſci Fabri Bremundani, in qua commendat ejus hiſtoriam de Joanne Auſtriaco inter Epiſtolas ejuſdem Fabri editas. *Mediolani*, 1660.

Præter ſupradictos laudatores Perlaſcæ noſtri videndi ſunt Cinellus in Biblioth. Vol. Pluteo I., & Picinellus in Athenæo pag. 11.

## MCCLXV.

## PERLASCA FRANCISCUS.

FRanciſcus Perlaſca Mediolanenſis , alius certiſſimè ab eo , quem ſequenti Articulo memorabimus in Inſcriptione Octaviani Perlaſcæ , Juriſprudentia , & Theologica facultate magnam apud Contribules ſuos famam eſt aſſecutus . Clericali addictus vitæ , Sacerdotali meruit dignitate inſigniri , tum Præpoſitura Eccleſiæ Parochialis Seveſi ornari . De tanto tamen Viro , cujus eruditio non ſacra ſolùm , ſed & profana in recenſendis inferiùs ejus Operibus apertiſſimè dignoſcitur , nihil profectò Lectoribus exhibere potuiſſemus , niſi ipſa nobis ſors obtuliſſet. Floruit, ut eadem indicare videntur, ad finem uſque ſæculi XVI.

Ipſius ſunt igitur :

I. Franciſci Perlaſchæ Theologi , & Juriſconſulti , ac Seveſi Præpoſiti de Beatiſſimæ Virginis Mariæ Morte , & in Cœlum Aſſumptione libellus , cum Epiſtola Nuncupatoria ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Sixtum V. Pontificem Maximum , data Romæ anno MDXC. MS. in 4. Extat in Bibliotheca Conventus S. Marci Mediolani.

II. De donatione Conſtantiniana Opuſculum. MS pagg. 40. in 4. Reperitur inter Miſcellanea Bibliothecæ S. Mariæ Paſſionis Mediol.

Leguntur ad eum Carmina Franciſci Civelſi , de quo jam ſuo loco.

## MCCLXVI.

## PERLASCA OCTAVIANUS.

EX Franciſco Perlaſca, atque Eleonora Burſeria Mediolanenſibus Conjugibus exortus eſt Octavianus hic , cujus nunc damus Elogium , atque Lucubrationes indicamus . Is ampliſſimo Patrum Conſcriptorum Inſubriæ Ordini diù fuit à Secretis, quod munus ſumma fide , atque integritate exercuiſſe perhibetur . Domeſticam Familiæ ſuæ , ut ſupra vidimus in Alexandro , atque Franciſco , dicendi artem , atque Poëſim ſummopere coluit , eruditionemque ipſius in Latino ſermone poſteris teſtatam reliquit. Annum mortis illius caſſo labore quæſivimus, in comperto tamen eſt ineunte ſæculo XVII. Scriptorem hunc floruiſſe , ut ex infraſcripto Elogio ab eodem parentibus ſuis poſito in Eccleſia S. Mariæ Pacis hujus Urbis , quod in Collectione Archintea reperimus.

FELICES ESTOTE ANIMAE AETERNVMQVE VALETE
EXVVIAS QVORVM CONTEGIT HIC TVMVLVS.
FRANCISCO PERLASCO ET ELEONORAE BVRSERIAE
PARENTIBVS OPTIMIS
SIBIQVE FRATRI SORORIBVS SVIS
ET FRANCISCO ET ANTONIO CHALCHIS EX SORORE NEPOTIBVS
OCTAVIANVS PERLASCA VIV. POSVIT
ANNO MDCXI.

Superſunt de ipſo

I. Senatus Mediolanenſis: Carmen Latinum ad Senatorem Regentem Corium. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1632. *in* 4.

II. Epiſtolæ Latinæ ad Philippum Medam Collegam . Extant in Onomaſtico Mediolanenſium Mercatorum &c. ejuſdem Medæ, de quo ſuo loco jam diximus.

III. Carmina varia Latina ; leguntur in eodem libro pagg. 46. & 47.

IV. Alia pariter Latina ſunt in variis Collectionibus pro Laureis accipiendis Papiæ.

## MCCLXVII.

## PEROTTUS JULIUS.

DIu anceps fui an Familia Perotta, atque Pelotta eædem fuiſſent inter Mediolanenſes, ſed re bene inſpecta duas eſſe inveni ex operum titulis tam Antonii Pelotti, quem jam laudavimus , quàm Julii Perotti , de quo nunc loquimur . In Congregatione Clericorum Regul. Divi Pauli profeſſus eſt Julius anno poſt Virginis partum MDCXLIX. In eadem ſcientiis tam ſacris, quàm eruditis totum ſe dedit, nam præter Theologiam præcipuè Moralem , quam ex profeſſo coluit, litteras humaniores è ſuggeſtu explicavit in Collegiis Mediolanenſi, Florentino, atque Aſtenſi ſuæ Religionis Alumnis . Deinde ad Verbum Dei diſſeminandum converſus, Conciones tam extemporaneas , quam Quadrageſimales , atque Panegyres Œniponti , ingenti cum plauſu audientium habuit, ibique Theologus extitit Sereniſſimi Ferdinandi Caroli Arciducis , & dum Vindobonæ degeret à Confeſſionibus fuit Auguſtiſſimæ Cæſareæ Familiæ . Poëſi quoque ſummopere claruit , ut ex infraſcriptis ſui ingenii Monumentis partim à Picinello relatis , partim à nobis inſpectis , & utinam omnia inſpicere datum fuiſſet , nam loca , atque annos impreſſionis ex more noſtro Lector haberet , quod in Picinello deſideratur . Obiit Cremonæ anno MDCLXXIX.

De ipſo damus quæ ſequuntur :

I. Oratoria dicata Sereniſſimo Ferdinando Carolo Arciduci Auſtriæ. *Viennæ Auſtriæ*, 1660. *&* *Florentiæ*, 1661. *ex Typograph. Sereniſs. Magni Ducis*, *in* 12.

II. Hoſpitis Alexii Principis Romani geſta Sacroſancta poëmate deſcripta, Celſiſſimo Principi, & Epiſcopo Brilenſi, nunc Tridentino dicata. *Viennæ Auſtriæ*, *Typis Leopoldi Voigt*, 1673. *in* 4.

III. Le Lagrime di Europa nella morte del Cattolico Re Filippo IV. alla Sacra Maeſtà dell'Imperatore Leopoldo I. *Vienna*, *appreſſo il Coſmerovio* , 1666. *in* 4.

IV. Hermeracles , ſeu ingenii , & laboris triumphus , ſub auſpiciis Sereniſs. Coſmi Magni Etruriæ Principis.

V. Palinodie Anniverſarie nella morte del Sereniſſimo Ferdinando Carlo Arciduca ec. alla Sereniſſima Arciducheſſa Anna di Toſcana.

Ejus

Digitized by Google

Ejus meminit Octavius Boldonus in ſua Epigraphica pag. 35. P. Petius in ſuo Opere de Scriptoribus Clericorum Regularium Divi Pauli, & Picinellus in Athenæo pag. 362.

## MCCLXVIII.

## PERUGIA CAROLUS MARIA.

E Cœnobio S. Marci Ordinis Eremitarum Divi Auguſtini hujus Urbis prodiit Carolus Maria Perugia Mediolanenſis, qui Vir quantùm ſacris profaniſque ſcientiis fuerit excultus, quantâve prudentiâ in rebus gerendis ornatus, indicio ſunt munera ei cùm à Comitiorum Provincialium Inſubriæ Patribus, tum à Supremis præfati Ordinis Præſulibus collata; quibus profectò ſummâ ſemper cum laude functus eſt. Philoſophiæ in primis, ac Theologiæ gymnaſiis illuſtrium ſui Ordinis Cœnobiorum ad plures annos Regens præficitur, & ob navatam egregiè operam magiſterii laureâ decoratur. Subinde Inſubricæ Auguſtinianæ Provinciæ gubernaculum concordibus ſuffragiis ipſi ſemel & iterum traditum fuit moderandum, annis videlicet MDCLXXXV., & MDCXCVII.; ſuoque in regimine quæ providi ac ferventis Antiſtitis erant, ingenti cum ejuſdem Provinciæ bono ſedulò præſtitit. Memorati tandem Eremitarum Ordinis, dum illi Prior Generalis præerat Hieronymus Valvaſorius, à Secretis fuit; ſeſeque omnibus exhibuit impigrum, vigilem, integrumque adminiſtrum, ac propterea dignum, ut ad altiora proveheretur. Hoc munus, ſicuti & jam relata, cum laudabiliter de ſuo more geſſiſſet Carolus Maria, Mediolanum reverſus eſt, ubi reliquum vitæ in piis exercitationibus religiosè tranſegit: nec tamen prætermiſit, quin de Cœnobio quoque Marciano benemereretur; illud enim auxit ædificio ſatis amplo, atque percommodo. Seniô demum, laboribuſque confectus animam Deo reddidit anno MDCC. die II. menſis Junii. In Bibliotheca enunciati Cœnobii Divi Marci cuſtodiuntur nonnullæ Caroli Mariæ Lucubrationes manuſcriptæ,

Scilicet:

I. Summulæ Theologiæ, quas Florentiæ ſcripſit anno MDCLXIV. dum moraretur in Cœnobio S. Spiritus ejuſdem Urbis. MS. in 4.

II. Epiſtolarum latino idiomate ſcriptarum pro Provinciis Germaniæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, tempore, quo erat à Secretis Ordinis prædicti, Tomi V. autographi. MSS. in 4.

III. Epiſtolarum italicè ſcriptarum pro Provinciis Italiæ pariter eodem tempore Tom. I. MS. in 4.

A Suis.

## MCCLXIX.

## PESSINA ANTONIUS.

UTinam de Antonio Peſſina Mediolanenſi Viro ob eruditionis varietatem, atque præſtantiam immortalibus digno laudibus verba facturi, plura poſſemus de geſtis illius, ac parentibus exhibere Lectoribus. Verumtamen ſummo cum dolore fateri cogimur, nihil omnino ad manus noſtras de illo perveniſſe, Operibus tantùm exceptis, è quibus ea, quæ ſequuntur, excerpſimus. Floruit Antonius noſter ſub Philippo Maria Vicecomite, qui ultimus ex ea gente Mediolanenſem Ducatum obtinuit, cui etiam chariſſimus fuiſſe videtur, cum ejuſdem Principis laudes & ſoluta Oratione, & Carminibus celebraverit. Adhuc erat in vivis anno poſt Chriſtum natum MCDLIX. ut apertè indicat Epiſtola Franciſci Philelphi Viri doctiſſimi, quam inferiùs memorabimus. Maximos tempeſtate ſua viventes eruditos Viros Peſſina coluit, inter quos præter Philelphum memoriâ dignos cenſemus Bernabovem Carcanum, Antonium Panormitam, Jacobum Modoëtienſem, Antonium Cremonam, Danielem de Concoretio, Ubertinum de Comitibus, & Bartholomæum Capram. Cùm autem Franciſcus Barbavara per ea tempora plurimùm inter Inſubres gratia, & auctoritate polleret, in ejuſdem clientelam Scriptor noſter ſe dedit, quemadmodum & fratrum illius, quorum etiam defunctam Matrem commendavit. Æqui bonique conſulant, qui in pagellas haſce noſtras inciderint, pauca hæc, quibus aliquando licebit fœliciori Collectori plura addere. Opera illius MSS. in Ambroſiana Bibliotheca diligenter pervolutavimus,

Eaque ſunt:

I. Lugubre Carmen in Funere illuſtris Nicolai Picinini per Antonium Peſſinam. Extat in Codice MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. T. num. 21. in 4.

II. Oratio in laudem Illuſtriſſimi Ducis Mediolani, una cum Epiſtola ad eundem data Mediolani die XXVIII. Octobris MCCCCXXXVII.

III. Carmen Latinum in commendationem ipſius Ducis, ad cujus calcem ſic legitur:

*Dii tibi dent Cæſar longævos vivere ſoles,*
*Ut Veneti veniant ſub ditione tua.*

IV. Epiſtola Latina Joanni Franciſco Viro diſertiſſimo (forſan Barbavariæ).

V. Alia ad Antonium Cremonam, ubi agit de matre Barbavariorum, ſub cujus clientela Peſſina aſſerit ſe dediſſe. Hæc IV. poſtrema Articula extant in MS. ſupradictæ Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. M. num. 44. in 4.

VI. Aliæ V. Epiſtolæ ad Bernabovem Carcanenſem ſcriptæ annis MCCCCXXXV. ad MCCCCXXXVIII. cum Reſponſionibus ejuſdem.

VII. Aliæ plures Antonio Panormitæ Poëtæ Clariſſimo.

VIII. Aliæ Ubertino Comiti, in quarum una ſic legitur: „ Ubertine mi ſalve. Accepi ore plurimorum te Libellum meum, quem pene deperditum habebam apud ſcribam ſplendidiſſimi noſtri Balbi redemiſſe, & tutò in manibus conſtare tuis „ &c. Optat ſi verum eſt ad eum mittat &c. data eſt Mediolani II. Aprilis MCCCCXXXVI.

IX. Alia Danieli Concoretio. Laudat ejus Orationem, & differit abundè de texendis Orationibus; ſine data.

X. Alia Franciſco de Barbavariis, & Aloyſio de Crottis parte Domini B. (ſcilicet Bartholomæi Capræ) Archiepiſcopi Mediolani, Ducalis Gubernatoris Januæ, data eſt die VIII. Aprilis MCCCCXXIX.

Extant omnes in ſupradictis Codicibus Ambroſianis, atque in aliis duobus ejuſdem Bibliothecæ ſign. H. num. 48. & 49. in fol.

In eiſdem quoque ſunt plures Epiſtolæ Franciſci Philelphi ad Peſſinam noſtrum datæ Bononiæ annis MCCCCXXXIX. & MCCCCXLI. præter eas, quæ leguntur impreſſæ inter Philelphi Epiſtolas, editionis *Venetæ*, 1502. *in fol.* datæ Mediolani annis MCCCCXL. & MCCCCXLIV.

Sunt quoque aliæ plures Antonii Cremonæ, Jacobi Modoëtienſis, Barnabovis Carcanenſis, Henrighetti Aſtenſis, Antonii Panormitæ, in quibus Orationes, & Carmina Peſſinæ noſtri ſummopere laudantur, non ſolum in ſupracitatis Manuſcriptis Ambroſianis, verum etiam in altero ſign. O. num. 57. in 4.

MCCLXX.

## MCCLXX.

## PESSINA SEBASTIANUS.

MIramur profectò Sebaſtianum Peſſinam Mediolanenſem Civem Bartholomæi Curtii Viri Cl., qui de Medicis apud Inſubres eruditionis ergo præſtantibus ſcripſit, atque Joannis Jacobi Mangeti diligentiam effugiſſe; nullibi enim in eorum Operibus mentio hujus occurrit. Eruditio tamen Sebaſtiani noſtri præclarum inter Phyſicæ Artis profeſſores locum eidem conciliat, cujus quidem Acta, & cætera ad eum ſpectantia pro Inſtituti noſtri ratione perquàm libenter daremus, niſi hæc omnia deleviſſet oblivio. Gaudemus igitur, quod omnium, ut credimus, primi tanti Viri laborem in publicam lucem revocemus.

Hic eſt liber ſic inſcriptus :

I. De Diabete, & de Cordis Polypo. *Mediolani, ex Typographia Archiepiſcopali*, 1634. *in* 4.

## MCCLXXI.

## PETRASANCTA BARTHOLOMÆUS.

ETſi Clariſs. Sitonus ſuppeditaverit Stemma Genealogicum Familiæ Petraſanctæ Mediolanenſis, à Pagano prope finem Sæculi XIV. florente uſque ad Joannem medio Sæculo XVI. viventem, attamen in eodem Bartholomæum, de quo agimus, non inveni. Inter Mediolanenſes nullatenus ipſum recenſent Auctores infraſcripti, & Sitonus etiam loco citando. Claruit Vir iſte, uti Auditor Sacræ Rotæ Romanæ anno Chriſtianæ Redemptionis MDX. Nil amplius mihi datum eſt hactenus proferre de illo. Lectores itaque humaniſſimi accipiant pauca illa, quæ à Suis enixè rogatis haurire licuit, in quibus majorem profectò diligentiam fuiſſe cuperemus.

Leguntur de ipſo :

I. Deciſiones S. R. R. in maxima Collectione earumdem *Romæ*, & *Venetiis* edita.

II. Aliæ plures MSS. extant in Archivo Molis Hadrianæ. Ita ex Chartario, & ex Joanne Baptiſta Cantalmajo in libro, cui titulus : „ Selectanea Rerum Notabilium „ ad uſum Deciſionum Rotæ Romanæ. *Romæ*, 1639. *in fol.* & Advocato Sitono in Chron. Colleg. J. PP. Attic. 325. pag. 75.

## MCCLXXII.

## PETRASANCTA CAROLUS.

CArolus Petraſancta Mediolanenſis claro genitus ſanguine, exactâ laudabiliter adoleſcentiâ, Clericis Regularibus Congregationis de Somaſcha, eorum inſtitutum amplexus, annumerari voluit; quo in Cœtu eruditionis, & optimæ indolis gratiâ plurimum enituit; nam in publico Veronenſis Urbis Lycæo multos per annos eloquentiam profeſſus eſt; cujus etiam peritiſſimus extitit, ut probè oſtendit in ſacris Orationibus, quas vel in Cœlitum commendationem, vel de aliis argumentis pronunciavit, petentibus ſæpè Inſubriæ Moderatoribus, Ducibus Venetorum, & Genuenſium, aliiſque Principibus, & Sa-
A crorum Ordinum Præſulibus. Quadrageſimali tempore ſumma cum laude Dei Verbum populis annunciavit in Patria, Venetiis, Genuæ, Parmæ, Ticini, Alexandriæ, atque alibi, adſtantibus ſimul & mirantibus Apoſtolicis Nunciis, Patriarchis, Proceribus, ac Principum Legatis. Taurini quoque, & Bergomi per Adventum publicè oravit, magni ubique habitus. Licèt autem ſacris ſemper addictus eſſet ſtudiis, à Muſis tamen Italicis non abhorruit, quarum ergo unus extitit è Conditoribus Academiæ Faticoſorum hujus Urbis, in qua Cenſoris gradum promeruit, & Litterarii Cœtus Præfecturam geſſit. Plura ſuorum Collegia rexit, ſcilicet Ticinenſe, Ripaltenſe in Inſula Fulcheria ad Abduam, & Vercellenſe. Fuit etiam à Conſultationibus Sanctiſſimæ Inquiſitionis Alexandriæ, & pro ea librorum Cenſor
B Veronæ. Cùm autem Mediolani generalia Congregationis ſuæ Comitia celebrarentur, electus eſt à Secretis, quod munus prudentiſſimè adminiſtravit. Obiit exeunte Sæculo XVII.

Vulgavit hæc Opera :

I. Panegirici Sacri del P. Carlo Pietraſanta Prepoſito, e Cancelliere del Capitolo Generale della Congregazione Somaſca. *Milano*, *per il Ghiſolfi*, 1689. *in* 12.

II. Panegirico per San Rocco detto nella Miſericordia d'Aleſſandria. Extat in libro cui titulus : „ Panegirici Sacri d'alcuni Dicitori più inſigni de' noſtri „ tempi. „ *Milano*, *per il Monza*, 1663. *in* 12.

C III. Aborti di Clio. Centuria di Sonetti in varj Argomenti. *Venezia*, *per il Valvaſenſe*, 1667. *in* 8.

IV. Centuria ſeconda. Hanc MS. apud Auctorem extitiſſe typis paratam teſtis eſt Picinellus.

V. La Pace coronata. Orazione per la concordia delle due Corone Cattolica, e Criſtianiſſima. *Milano*, *nella Stampa Arciveſcovile*, 1659. *in* 4.

VI. Orazione Funebre nell' Eſequie di D. Luigi Ponze de Leon, Governadore di Milano. Impreſſam fuiſſe cit. Picinellus aſſerit.

VII. Carmina ejus Italica duo, vulgo *Sonetti* habentur, unum in laudem Philippi Picinelli in hujus libro, cui titulus : Mondo Simbolico, alterum verò in libro Caroli Hieronymi Cavatii de Somalea inſcripto : Nuova Deſcrizione dello Stato di Milano.

VIII. L'Ingegno Maledico. In hoc Opere oſtendere nitebatur præclara ingenia alienis laboribus infenſa eſſe ſolere ; illudque MS. prælo paratum apud Auctorem fuiſſe tradit Picinellus.

D Laudatur in Athenæo ejuſdem Picinelli pag. 125.

## MCCLXXIII.

## PETRASANCTA FRANCISCUS.

EX geneſi Familiæ Petraſanctæ à Clariſs. Sitono contexta, agnovimus Franciſcum habuiſſe parentes Euſebium, atque Eliſabeth conjuges, claruiſſe verò uti Equitem Aureatum, nec non Ducalem Secretarium, itemque Camerarium ſub Galeacio Maria Sfortia Viceecomite Mediolani Duce VI. uſque ad an-
E num Reparationis noſtræ MCCCCLXXIV., uxoremque duxiſſe Joannam de Riſiis. Pauca, quæ de ipſo vidimus, Virum hunc certè in Hiſtoria Romana, atque in Poëſi Latina ſummopere eruditum oſtendit : plura ideo illum ſcripſiſſe procul dubio credendum eſt, quæ tria ferè Sæcula jam tranſacta nobis rapuerunt.

Hæc de ipſo vidimus

I. Epiſtolæ II. Romanæ Hiſtoriæ ſumma eruditione refertæ ad Petrum Candidum Decembrium. Datæ ſunt Mediol. anno MCCCCLVI. cum Reſponſionibus ejuſdem Decembrii. Extant in MS. Codice Epiſtolarum iſtius aliti à nobis jam relato Bibliothecæ Ambroſianæ in fol.

II. Epi-

Digitized by Google

II. Epigrammata V. ad ſupradictum Petrum Candidum Decembrium. Sunt in Codice MS. Operum juvenilium ipſius Decembrii in Bibliotheca Clericorum Regularium Teatinorum Collegii Divi Antonii hujus Urbis alibi citato, qui inſcribitur vigeſimus primus: utinam alii invenirentur.

Videndæ Schedæ Sitonianæ, ubi adſunt Tabulæ Joannis Molli de Belinzona Ducalis Cancellarii datæ die XXXI. Auguſti anno MCCCCLXXVI. in quibus mentio eſt Franciſci noſtri.

## MCCLXXIV.

## PETRASANCTA JO. PETRUS.

INter J. PP. Collegiatos Nobiles hujus Urbis adſcriptus fuit Joannes Petrus Petraſancta, anno poſt Chriſti Adventum MCCCCLXXXIV. Patremque habuit Stephanum. In eo non tantùm Legum peritia, atque ſingularis eruditio illuxit, ſed Poëſi quoque Italica, atque eleganti dicendi arte Tulliana ſummopere delectatus eſt, uti ex infraſcriptis, etſi paucis, ſui ingenii monumentis facilè agnoſci poteſt. Alii poſt me feliciores plura invenient de Viro iſto proculdubio inter Doctos referendo. E vivis abiit Anno reparatæ Salutis MDXIV.

Hæc interim damus de eo:

I. Carmen optimum Italicum, vulgò *Sonetto*, pro Reſponſione alterius, quod eidem dedit Gaſpar Vicecomes, cujus laudes ſuo loco Lector habebit. Sic incipit:

*Rotta è l'aſpra catena, e'l fiero nodo* &c.

eſt inter Carmine MSS. Vicecomitis, ut in eodem dicemus.

II. Epiſtolæ plures Latinæ ad Antonium Cremonam, Jacobum Modoëtienſem, atque Antonium Panormitam. Extant in Cod. MS. Ambroſ. ſign. H. num. 49. in 4.

III. Conſolatoriæ. Earundem ipſemet meminit in Epiſtola ad dictum Jacobum Modoëtienſem ſcripta, cui illas miſerat, & judicium ejus ſe expectare profitetur.

Memoratur in Schedis Mazzucchellianis, & in Chronico Sitoniano J. PP. pag. 63. art. 299.

## MCCLXXV.

## PETRASANCTA LUDOVICUS.

FRanciſcum Petraſanctam Mediolanenſem Nobilem Civem Patrem habuit Ludovicus, qui Phyſicis ſtudiis delectatus, circa medium ſeculum XVI. ægros juvando plurimùm Inſubribus profuit. Eruditionem ejus in Medica Facultate commendarunt plures inferiùs recenſendi, qui etiam Scripta ejus memorant, tametſi titulos eorum nullus indicaverit, neque aliquis locum, ubi MSS. deliteſcant, vel ubi lucem viderint, promat. Frater illi fuit Joannes Baptiſta inter Collegiatos Juriſperitos cooptatus, qui obiit circa annum MDXXV. Ludovicus autem adhuc in vivis erat anno MDXLVIII., atque Oppidum Lignani eo tempore incolebat, ut patet è publicis Tabulis apud JC. Sitonum extantibus.

Scripſit igitur:

I. Aliquot Opera Medica eruditione referta.

Agunt de ipſo Curtius pag. 55. libri ſui de Script. Medicis Mediolan. Paulus Moriggia Antiquitat. Mediol. lib. IV. cap. 21., & in Hiſt. B. M. V. Caravagii cap. 7., nec non in Nobilit. Mediol. lib. III. cap. 14. atque JC. Sitonus ſupra citatus in Schedis.



## MCCLXXVI.

## PETRASANCTA MARSILIUS.

MArſilium Petraſanctam Mediolanenſem Philippi filium quanta ornaverit Phyſicarum rerum peritiæ, Paulus Moriggia loco infra citando apertè teſtatur; ait enim ipſum apud Inſubres magna in exiſtimatione fuiſſe habitum, quòd in Medica Facultate excellentiſſimus & appellaretur, & foret. Ipſum inter Collegiatos hujus Metropolis Phyſicos recenſitum, & ſub Maximiliano Maria Sfortia Mediolani Duce, anno MDXVI. Decurionem Patriæ extitiſſe, ac poſt decennium obiiſſe, aſſerit Curtius. Fratrem habuit Paulum JC. C. Urbis Decurionem, ac tandem Ducalem Senatorem, de quo mox dicendum. Utinam autem, quemadmodum ante nos optavit Curtius ipſe, Moriggia citatus Auctoris hujus Opera laudans, vel eorum titulos indicaſſet, vel MSS. ſint nec ne poſteris ſignificaſſet, etenim nobis licuiſſet majora forſan de præſtantiſſimo Viro proferre.

Hoc tantùm interea Lectoribus exhibemus de Marſilio, ipſum videlicet ſcripſiſſe:

I. Opera Medica laudatiſſima.

Commendant illum præfati Moriggia Nobilit. Mediol. lib. III. cap. 14. Curtius de Script. Medicis Mediol. pagg. 55. & 274. JC. Sitonus in Chron. Collegii Phyſicor. hujus Urbis MS. penès eundem Auctorem, & Picinellus in Athenæo pag. 414.

## MCCLXXVII.

## PETRASANCTA PAULUS.

EX Philippo Petraſancta natus eſt Paulus Marſilii Phyſici clariſſimi mox laudati frater; lucemque vidit in Pago, cui nomen *Maccatutto*, in Agro Albairati Ducatus Mediolanenſis. Legibus præcipuè dedit operam Paulus noſter, in quibus Lauream promeruit, atque anno MDXII. Collegium Juriſperitorum hujus Metropolis eſt ingreſſus. Idcircò tamen non abhorruit ab aliis etiam amœnioris naturæ ſtudiis, Matheſeos ſcilicet, atque Poëſis, quæ litteraria ornamenta magnam Viro exiſtimationem peperere; adeo ut Franciſcus II. Sfortia Mediolani Dux, ex Patriæ Decurione, ipſum ad Senatoriam Cathedram evehendum cenſuerit circa annum MDXXV. Perpetuum otio bellum cùm indixiſſet, Carminibus utràque linguâ pangendis, & quibuſdam etiam proſâ conſcribendis inſudare conſueverat. Exceſſit anno MDXLVII.

Opera illius hæc ſunt:

I. Carmina plura tam Latina, quàm Italica. Laudantur à Picinello mox citando, qui tamen ſilet an MSS. ſint, vel edita.

II. La Coſmografia Univerſale del Mondo. Opus hoc ab Auctore Italicis heroicis verſibus conſcriptum fuiſſe, & doctiſſimis Commentariis illuſtratum, aſſerit Picinellus ipſe, citato Moriggia, verùm ambo ubi ſervetur, vel utrum in lucem prodierit, reticent.

III. Elegia ad Franciſcum I. Gallorum Regem. MS. ſervatur in Biblioth. Regia Pariſienſi Cod. 8153. ex Montfauconio in Biblioth. Bibliothecarum MSS. Tom. II. pag. 796.

Inter Epiſtolas Italicas Petri Aretini, quæ ſub nomine Parthenii Etiri prodiere *Venetiis*, 1637. in 8. geminæ leguntur ad Paulum noſtrum ſcriptæ pagg. 166., & 209.

Ejus cum laude mentio eſt apud Moriggiam in lib. III. cap. 14. Nobilit. Mediol. J. C. Sitonum in Chron. J. PP. pag. 85. art. 367., ac in Schedis, Landum de Senatu Mediol. pag. 149., & Picinellum in Athenæo pag. 454.

## MCCLXXVIII.

## PETRASANCTA PETRUS.

PEtrus Petraſancta Mediolanenſis, cujus acta fruſtra apud omnes quæſivimus, eruditionis ſuæ gratiâ à P. Mazzucchello in Schedis, ſæpè à nobis laudatis, plurimùm commendatur, qui tamen de parentibus, annoque illius emortuali omnino ſilet. Geographiæ ſtudiis ipſum addictum fuiſſe Opus infra memorandum teſtatur. Gratiſſimus fuit Eruditiſſimo Cardinali Petro Bembo, inter quem & Petrum noſtrum litterarum commercium fuit. Adhuc erat inter mortales anno poſt Chriſtum natum MDXXXVII.

Scripſit Opus hoc titulo

I. Geographia: ad Franciſcum I. Gallorum Regem Chriſtianiſſimum. MS. ſervatur in Bibliotheca Regia Pariſienſi.
Cardinalis Petri Bembi ſupralaudati Epiſtola ad eundem, data Patavii Kal. Octob. MDXXXXVII. legitur inter ipſius editas.
De eo Labbeus in Biblioth. MSS. pag. 49., & citatus Mazzucchellus in Schedis.

## MCCLXXIX.

## PETRASANCTA RICHARDUS.

RIchardus, ſeu Rizardus Petraſancta J. C. Mediolanenſis floruit annis MCCCCXCVIII., & MDXIII. Patrem habuit Paganum Petraſanctam Georgii filium, qui medio Sæculo XV. inter Decuriones Mediolani numerabatur. De ipſo parùm Picinellus ex Moriggia locutus eſt in ſuo Athenæo, ſed cùm Clariſs. P. Gaſpar Beretta in ſuis Schedis adnotaverit, ſe vidiſſe Papiæ Opus MS. Richardi de Jure Fiſci, ut infra, mihi datum eſt inter Scriptores noſtros eum proferre, & libentiſſimè.

De ipſo igitur damus

I. De Jure Fiſci à primordiis Principum, Reipublicæ, & Ducum Mediolanenſium, uſque in hæc tempora. MS. ingentis molis, teſte ſupramemorato P. D. Gaſpare Beretta in ſuis Schedis, aſſerente Opus præ manibus ſuis habuiſſe Ticini, ſed ubi nunc reperiatur ignoramus.
II. Allegationes plures Juridicæ, ex Picinello.
III. Conſultationes item Juridicæ, teſte eodem.
Ex Moriggia lib. III. cap. 14. Nobil. Mediol., ſupradictus Picinellus pag. 482.

## MCCLXXX.

## PETRASANCTA VINCENTIUS.

EX Petraſancta Mediolanenſi Familia prodiit etiam Vincentius, qui contempto ſæculo, atque paternæ domus commodis poſthabitis, Prædicatorum Ordini adſcribi poſtulavit. Id cùm ob ingenii præſtantiam, bonamque indolem haud ægrè obtinuiſſet, in eo Cœtu doctrinæ laude floruit in Theologicis præſertim diſciplinis; qua de cauſa à Scriptoribus ejuſdem Inſtituti celebratur. Inter eos Quetif, & Eccard loco inferius memorando plura diſſerunt de illius nomine atque Patria, monentes inſuper, Auctorem hunc à Lipenio in Tomo II. Bibliothecæ Theologicæ pag. 603. Franciſcum Vincentium nuncupatum fuiſſe: atque cenſent Lipenium ſiglas illas Fr. nomini præfixas perperam interpretatum eſſe Franciſcum, cùm potius Fratrem, qui regularium nominibus ſolet prænotari, intelligere debuiſſet. Cæterum ajunt, Vincentium à Rovetta inter Inſubres recenſeri, cui favere aſſerunt Leandrum Alberti nonnulla de Petraſancta Familia in Deſcriptione Italiæ, fol. 36. differentem.

Scripſit & vulgavit Opus hoc titulo

I. Tabulæ V. doctrinam ſeptem Sacramentorum complectentes. *Monachii*, 1577. *in* 8.
De ipſo meminere cit. Quetif, & Eccard in Script. Ord. Præd. Tomo II. pag. 246. Rovetta ad annum MDLXXXIII., & Altamura citatis Simlero, & Poſſevino, ad annum MDLXXVII.

## à S. PETRO AQUILINUS.

## V. SERTORIUS CÆSAR.

## MCCLXXXI.

## PETRUS.

NOn parùm honoris huic meæ Bibliothecæ affert Petrus, de quo nunc dicturi ſumus. Ejus Patriam (quidquid alii dubitarint) Mediolanum fuiſſe ſatis oſtendunt Epiſtolæ Divæ Catharinæ Senenſis, ut mox Lector ſub oculis habebit; Cognomen verò ipſius ætas invida nobis eripuit. Sancti Brunonis Regulam profeſſus eſt inter Carthuſianos, & quod Canonicus S. Salvatoris Bononienſis extiterit nonnulli contendunt. Franciſci Sadarini Volaterrani Epiſcopi, & Alexandri VI. Pontificis Max. Referendarii familiaritate, ſingularique amicitia decoratus fuit, idcirò iſtius favore fretus, Congregationem Clericorum Regularium, quam à proprio nomine S. Petri vocari voluit, in Eccleſia D. Michaëli nuncupata, in Monte Corbulo, milliario circiter XII. prope Senarum Civitatem ſito, inſtituit Sæculo XVI. ineunte. In ea viventes Alumni Apoſtolicos primævæ Eccleſiæ Clericos, charitate, paupertate, orationibus, ac ſolitudine æmulabantur, ideoque Summus Pontifex Julius II. Regulam eandem à Petro noſtro ſcriptam Apoſtolicis Litteris confirmatam voluit. Quantùm Vir iſte pietati deditus fuerit, ſatis ſuperque demonſtrant Epiſtolæ ſupradictæ D. Catharinæ Senenſis ad eum ſcriptæ, in quibus Dei Virgo filium ſuum pluries Petrum vocat, & invicem ad vitam perfectiorem, imò ſanctiſſimam profitendam contendunt. Jacet Venerabilis titulo inſignitus in Eccleſia ſupramemorata D. Michaëli ſacra, & ut homo litteratiſſimus ab infraſcriptis Auctoribus declaratur. Dolendum interea eſt, quod nobis datum ſit tantummodo hæc, quæ ſequuntur, recenſere,

Scilicet:

I. Conſtitutiones Congregationis Regularis S. Petri Apoſtoli in Monte Corbulo, teſtibus infra citandis.
II. Litteræ plures Aſceticæ ad Divam Catharinam Senenſem, ut eruitur à duabus ipſius Virginis Sanctæ ad eundem Petrum ſcriptis, quæ ſuperſunt inter Opera ejuſdem edita *Lucæ*, 1721. T. II. pagg. 389. & 497. ubi ſic: *à Pietro da Milano dell' Ordine della Certoſa*.
Ex Gabriele Pennotto in Hiſtoria tripartita. *Romæ*, 1624. *in fol.* Lib. II. cap. 54. pag. 483. Mozzagrugno lib. I. in fine. Raphaële Volaterrano in Commentariis, & ex Martyrologio Carthuſiano breviter edendo ab amiciſſimo doctiſſimoque Nicolao Sormano.

PHI-

Digitized by Google

## PHILARGHUS PETRUS.
## V. ALEXANDER V.

## à S. PHILIPPO ANGELUS MARIA.
## V. QUADRIUS.

## MCCLXXXII.

## PHILIPPUS.

PHilippus Nobilis Civis Mediolanenſis in ipſo naſcentis Chriſtianæ Religionis initio, cùm truculenta Ethnicorum rabie Fideles impeterentur, hortante Sancto Cajo hujus Metropolis Antiſtite, Evangelii luce perfuſus, cum pluribus aliis etiam è Familia ſua baptizatus eſt. Tanto autem Fidei ardore flagrabat Vir iſte ſanctiſſimus, ut Hortos, quos extra Urbis muros in ea regione, quæ ad Vercellenſem Portam ſpectat, poſſidebat, in Chriſtianorum, & Martyrum præcipuè ſepulchretum converterit. Ædes etiam illius Caſtritianus Caji in Mediolanenſi Præſulatu ſucceſſor in domum Orationis commutavit, quò Fideles ad Sacramenta ſuſcipienda confluebant. Non procul ab eis duas alias ad conveniendum, & litandum Deo ſacravit Ædes, quæ à Conditoribus omnes vocabulum ſortitæ ſunt, ita ut prima Philippi patris, ſecunda verò Portii, tertia denique Fauſtæ Filiorum ejus Baſilica nuncuparentur. Superſunt adhuc ætate noſtra, & ſacra vetuſtate, & Sanctorum pignoribus in eiſdem repoſitis venerabilia loca; Philippi ſcilicet Baſilica olim Sanctis Martyribus Nabori & Felici dicata, nunc autem nova molitione reſtituta, Sanctoque Franciſco Minorum Patri ſacra: Portiana item illa eſt, quæ nunc S. Victoris ad Corpus dicitur; Fauſtæ autem Baſilica pars illa cenſetur Ambroſiani Templi, ubi vetuſtiſſimum ſupereſt Sacellum Sancti Satyri Confeſſoris, Magni Ambroſii hujus Urbis Patroni Fratris. Ut autem ad Philippum ſermo redeat, is Sanctorum Martyrum Mediolanenſium Protaſii, & Gervaſii Corpora in ſuis Ædibus, de quibus ſupra egimus, furtim arrepta ſepelivit, Portio illius filio ſupralaudato tam pium opus juvante. Et hujus quidem loci eſſe duximus Lectores noſtros monere apud nonnullos Mediolanenſium Rerum Scriptores Philippum noſtrum appellatum cognomento Oldanum, & poſt multa ſanctè geſta in Baſilica ſua ſepultum fuiſſe, Beati titulo decoratum. Plura verò de ipſo nobis offert Chronicon, ſive potiùs Pſeudochronicon Lucio Flavio Dextro Sancti Hieronymi Coævo adſcriptum, quod anno MDCXXVII. typis Lugdunenſibus prodiit, cum Commentariis Franciſci Bivarii. Ibi Philippus noſter in hæc verba laudatur ad annum Chriſti XCI. num. 6. „ Philippus cognomento Philotheus, qui priùs Corpora Sanctorum „ Martyrum Gervaſii, & Protaſii, Civium ſuorum „ Mediolanenſium, Mediolani ſepelierat, converſuſque in Campo Laminitano à Sancto Paulo, illum „ ſecutus, adhæſit Clementi; à quo Legatus miſ„ ſus in Hiſpanias, Toleti, Barcinone, Cæſaraugu„ ſtæ, Hiſpali, Valentiæ, & in multis aliis Urbibus prædicat. „ His Flavii Dextri verbis ſua Bivarius ſubdit, quibus ait, Philippum adhuc Ethnicum à Nerone Provinciæ Arevatum Præſidem datum fuiſſe, quo in munere à Paulo Apoſtolo repertum ad Chriſtum fuiſſe converſum anno Salutis LXIV. Romæ ipſum interfuiſſe Apoſtolorum Martyrio, hinc Mediolanum regreſſum, Gervaſii, & Protaſii neci adſtitiſſe, & eorum duxiſſe funera, hiſtoriamque ſcripſiſſe à Divo Ambroſio poſtmodum cum ipſorum Lipſanis repertam. Philotheum autem dictum ob eximium in Deum amorem. Annum Legationis ejus in Hiſpanias aſſignat XCIII. Redemptionis noſtræ, citato Methodio in Vita S. Dionyſii; ac Sancto Braulione Cæſaraugustano Epiſcopo in additionibus ad M. Maximum, nec non aliis Auctoribus. Eum ſubdit Evangelium diſſeminaſſe in Gallia, Cantabria, Vaſconia, & Hiſpaniis, in quam Provinciam ter perrexiſſe ſcribit eundem, primò quidem Ethnicæ adhuc ſuperſtitioni addictum, officiumque Præſidis Arevatum gerentem; ſecundò Diaconum Leonis Epiſcopi Rothomagenſis, tertiò demum Epiſcopum, atque Clementis Pontificis Legatum. Citat etiam Julianum quendam initio Chronici ſui aſſerentem, Philippum noſtrum paulò poſt Sanctum Eugenium Toletanæ Eccleſiæ præfuiſſe Antiſtitem. Profert poſtremò, Dextrum aſſeruiſſe ad annum ipſum XCI. num. IX. Scriptorem hunc noſtrum prædicaſſe Barcinone ſub M. Mancino ejuſdem Urbis Duumviro, ibique menſes aliquot conſtitiſſe. Hæc omnia, quæ ex Flavio Dextro, atque illius interprete Bivario retulimus, intulit Jo. Petrus Puricellus in Opus ſuum, cui titulus: Diſſertatio Nazariana toto fermè capite CLXXII., & quamvis dubius jure ſit de hujus Chronici veritate, nititur tamen num. XIII. Scriptores Mediolanenſes aſſerentes Philippum à S. Cajo Epiſcopo baptizatum, cum Flavio Dextro eum à Paulo converſum narrante conciliare, ut ſcilicet ad Chriſti Lavacrum à Cajo perductus, ab Apoſtolo poſtmodum ad Sacros Ordines ſuſcipiendos inductus fuerit. De Philippo Mediolanenſi ſcripſit etiam Joannes Tamayo Salazar in Martyrologio Hiſpano, Tomo V. ad diem XI. Kal. Novemb. ubi eadem fermè repetit, quæ ex Flavii Dextri Chronico, & Bivarii Commentariis delibavimus; addens, ipſum Diſcipulum fuiſſe S. Dionyſii Areopagitæ, cùm in Athenienſi Urbe litteris daret Operam, & demum in pace quieviſſe Laminii, hodie *Montiel*, quæ Urbs eſt Carpetanorum, die prædicta XI. Kal. Novemb. anno Chriſti CVI. profertque vetuſtum Epigramma, extans in Collectione MSS. Auli Hali, licèt ad Proſodiæ rigorem non conſcriptum.

*Me Mediolanum genuit, me inſtruxit Athenæ,*
*Gallia me patrem noſcit, Ibera Sophum.*
*Hanc ter luſtravi, primùm cum agmina plebis*
*Direxi rector, dulcis Areva, tuæ.*
*Hincque Leonis poſt veſtigia ſacra ſequutus,*
*Gervaſio comite Martyre poſtque meo.*
*Denique Clementis mandata huc ſancta Magiſtri*
*Obediens, noſter Urbes amœnat amor.*
*Tuncque Tolete tuæ firmavi munera Sedis,*
*Qua Chriſtum ſemper hoſtia ſancta placet.*
*Poſtea me Populus cognovit ſæpe Magiſtrum*
*Sacratæ legis, quæ viret uſque diù.*
*Tum Mediolani Sacros conſpicere duxi*
*Propitios lares, quos veneratur amor.*
*Hinc dies undecimus, mihi lætus, noſtra Kalendæ*
*Menſe Novembris erat, grandia buſta parat.*
*Gratulor Hiſpanis, Galliſque & gratulor, Orbi*
*Catholico grates ſolvere amore cogor.*

Plures idem Auctor citat Scriptores ad ſententiæ ſuæ confirmationem, tum ſubdit Acta ejuſdem Philippi à ſe conflata, citatis etiam fontibus unde ipſa deduxit. Egerat jam de ipſo Philippo ad diem XIX. Junii pag. 558. T. III. ubi comprobat prædicationem S. Gervaſii Mediolanenſis M. in Hiſpania, quò cum Philippo contenderat

derat ex celebri ejuſdem Sancti Martyris Officio in omnibus Eccleſiis Hiſpanarum, ut ex pervetuſtis earum Breviariis apparet, nullo prorſus deficiente à Muzarabi ad ultimum. Libuit Noſtratium & Exterorum ſententias de Philippo noſtro Lectorum oculis ſubjicere, litem tamen Eruditioribus linquimus dirimendam. Priuſquam verò illius Opus memoremus illud præmittendum cenſuimus Viros Clar. Bollandi Continuatores ad diem XIX. Junii, Libellum à Philippo conſcriptum, in quo leguntur Acta SS. Martyrum Protaſii, & Gervaſii ſuppoſititium exiſtimaſſe non minus ac Epiſtolam, ubi Libellus ipſe inſertus eſt, & quæ ſub S. Ambroſii nomine circumfertur. Verumtamen cùm non defuerint Viri eruditiſſimi, qui Libellum ipſum ſuſceperint, & illius teſtimonio uſi ſint (quos inter S. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis & ſanctitate, & doctrina celeberrimus, cui Opus Philippi authenticum & genuinum adeò viſum fuit, ut ipſum veraciſſimam hiſtoriam nuncupaverit, & citaverit in Sermone de S. Vitali. & Valeria, atque jam laudatus Jo. Petrus Puricellus, qui Libellum ejuſmodi in præfata Diſſertatione Nazariana ſæpiſſimè profert ut legitimum) Scriptorem hunc debita commendatione fraudare noluimus, liberum cuilibet relinquentes quicquid placuerit arbitrandi.

Opus igitur illius eſt:

I. Libellus de paſſione SS. Protaſii, & Gervaſii Martyrum Mediolanenſium. Habetur apud Metaphraſtem, Surium, Puricellum, alioſque plures.
Memoratur Philippus noſter, præter citatos, à Ripamontio, cæteriſque Mediolanenſium Rerum Scriptoribus, & Beatus cum filiis Portio, atque Fauſta nuncupatur à Boſca in Martyrol. Mediol. in notis ad diem Kal. Novembris.

## MCCLXXXIII.

## PICINELLUS CÆSAR.

MIrandum profectò eſt diligentiam Abbatis Picinelli effugiſſe Cæſarem ſuimet cognominis, & forſan ejus gentilem, Petri Franciſci filium, cùm liber ab ipſo typis commiſſus anno MDCXLIII. ſub oculis ejuſdem eſſe potuerit. Huic Operi argumentum præſtat Tabularium publicum hujus Metropolis, vulgo dictum Officium Statutorum, ſeu Officium Panigarolarum, ubi reponi juſſerunt Optimi Principes ſupremas Teſtatorum voluntates, donationes, dotales Tabulas, Privilegia, Magiſtratuum Edicta, cæteraque hujuſcemodi ad commune poſteritatis bonum. Quod utinam ætate hac noſtra, quemadmodum olim, floreret. Huic igitur Archivo nonnullos annos præfuit Cæſar noſter publicus Tabellio, qui mente revolvens ſæpe temporis injuriâ laudabilium etiam rerum monumenta perire, optimum duxit Opus conſcribere,

Hoc titulo:

I. Monumenta Officii Statutorum (vulgo Panigarolæ) Inclytæ Civitatis Mediolani, per Notarium Cæſarem Picinellum, ejuſdem Gubernatorem collecta, atque in ordinem digeſta: ad Comitem Joannem Borromæum. *Mediolani, apud Montiam*, 1643. *in* 4.
E Schedis Sitonianis.

## MCCLXXXIV.

## PICINELLUS CHRISTOPHORUS.

CHriſtophorus Picinellus à Variſio Ord. Min. cùm fuerit diſcipulus, & ſocius S. Joannis de Capiſtrano, ſub tanto Magiſtro, & Doctore non eſt dubitandum, quin tam eximio exemplari ſimilis fuerit, eo vel maximè quia eidem Capiſtranenſi ad Regulam Seraphicam propagandam, & Obſervantiam ſtabiliendam in Germania adjutor fuit. Antequam Religionem ingrederetur, jam multâ doctrinâ clarebat, cùm fuerit in ſæculo J. U. Doctor. Seraphico Habitu indutus, fuit egregius Theologus, & Concionator magni nominis, totque virtutibus exornatus, titulum Beati apud ſui ævi fideles obtinuit. Corpus ejuſdem jacet in Templo S. Angeli hujus Urbis, atque memoria illius recolitur die XXVI. menſis Septembris.

Habemus de ipſo:

I. Declarationem ſuper Regulam S. Franciſci.
II. Ordinis Privilegia ab eo compilata, & declarata.
III. Privilegia Guardiani Montis Sion, & Fratrum in Syria & Palæſtina habitantium collecta, ſuiſque Notulis illuſtrata.
IV. Vitam S. Joannis à Capiſtrano.
Quæ omnia aſſervantur MSS. in Archivo Conventus S. Iſidori Romæ, ubi Lucas VVaddingus Annales Seraphicæ Religionis compoſuit, cùm in ſuo Catalogo Scriptorum Ordinis Minorum in pag. 90. de eiſdem Scriptis dicat, præcipuè loquendo de Vita Sancti Joannis de Capiſtrano: *Satis diffuſèque nobis uſui fuit non mediocri*. De eodem quoque ſcripſere Arturius Rothomagenſis, Franciſcus Gonzagá, Marcus Uliſiponenſis, Thomas à Mantua, Joannes Baptiſta Cariſius in Theatro Sacro, nec non Abbas Picinellus in ſuo Athenæo Litteratorum Mediolanenſium pag. 159.

## MCCLXXXV.

## PICINELLUS FRANCISCUS.

FRanciſci Picinelli natalem annum, parentumque nomina nos Lectoribus proferre vetat Abbatis Picinelli ſilentium, quod certè ab ejuſdem Familiæ Viro minimè fuerat expectandum, quodque magis mirum videtur, nec ejus Opera dedit ex integro. Accepimus tantùm ab ipſo, Franciſcum litteras humaniores in Scholis Palatinis didiciſſe ſpatio annorum XXIII. Poſtea Sacerdotali dignitate inſignitus Philoſophiam atque artem dicendi Latino, nec non Italico ſermone ſummoperè coluit. Poëſim quoque adamavit ſtylo tam ſerio, quàm jocoſo, itaut amorem exiſtimationemque Virorum doctrina præſtantium ſui ævi ſibi conciliaverit, inter quos numerantur Lellius Biſciola, Joannes Antonius Gabutius, Paulus Æmilius Terzagus, Hieronymns Boſſius, Joannes Baptiſta Saccus, Octavius Airoldus, Petrus Cantonus, Franciſcus Cagnola, Julius Cæſar Carcanus, nec non M. Antonius, & Cæſar fratres Montii, à quibus omnibus & ſignanter à Petro Vincentio Carpano, Franciſcus noſter laudatur, uti Vir eruditiſſimus atque præſtantiſſimus. Charus extitit Monachii Principi Litterarum, ac Litteratorum fautori eximio, ipſique dicavit Auctor noſter nonnullas ſuas Lucubrationes,

Quæ ſunt:

I. Opuſcula varia erudita. *Mediolani, apud Jacobum Lantonum*, 1617. *in* 8. Continet autem:
   Dialogos XVII.
   Orationes II.
   Præfationes II.
   Epiſtolas plures ad varios Viros doctos à nobis ſupra recenſitos.
   Oratiunculas XVII.
II. Dialogus de Autumni vacationibus. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1599. *in* 4.
III. Diſcorſo ſe ſia ſtata prima la Gallina, o l'ovo, *Milano, ſenza nome dello Stampatore, e l'anno, in* 8.
IV. Carmen latinum in laudem Auguſtini Gambarelli: extat in libro Oppoſitionum ejuſdem Gambarelli, de quo jam diximus.
Videndus eſt Abbas Picinellus in Athenæo pag. 218.

MCCLXXXVI.

Digitized by Google

## MCCLXXXVI.

## PICINELLUS PHILIPPUS.

Ex Vita quam ſibi metipſi texuit Abbas Philippus Picinellus, & ex eis, quæ de illo ſcripſit Clariſs. Roſinus in ſuo Lycæo Lateranenſi, pauca hæc excerpſimus ad Virum iſtum de rebus ſacris, atque de eruditione Mediolanenſium optimè meritu, ſaltem pro more ſuorum temporum. Carolus Franciſcus vocatus fuit in ſæculo, atque Mediolani natus eſt die XXI. Novembris MDCIV. Patre Fulvio Cauſidico. Litteras percepit humaniores in Scholis Arcimboldiis ſub Alexandro Rubino; Rhetoricam verò tradente Vincentio Gallo è Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli: tum Dialecticam in Academia Braydenſi ſub Alphonſo Cignata Soc. Jeſu. Annos natus duodeviginti, tertio Kalendas Junias inter Lateranenſes Canonicos, aſſumpto Philippi nomine, cooptatus eſt, Ordinem regente Celſo Dugnano. Cremonæ, & Placentiæ Philoſophicas, & Theologicas Scientias coluit ſub Gregorio Taberna Mortarienſi, & Petro Franciſco Montalerio Caſalenſi. In Generalibus Comitiis Bononienſibus donatus Laureâ tyronibus erudiendis præficitur in Cœnobio Sanctæ Mariæ Gratiarum Rhegii. Brixiæ ſacras paginas pomeridianis Concionibus è ſuggeſtu publicè interpretatus eſt in Templo Sanctæ Afræ, quod etiam per decennium in aliis Urbibus peregit. Per annos quadraginta Quadrageſimales Conciones habuit, ut plurimùm in Cathedralibus præcipuarum Italiæ Urbium Epiſcopis acceptiſſimus, præſertim verò S. R. E. Cardinalibus Roſetto, Lodoviſio, Ottobono, & Littæ. Præfuit Prior Cœnobio Sanctæ Mariæ de Paſſione per triennium. Hinc ex Privilegio Abbas, Menaſii, Creſcenzagi, & Caſoreti Monaſteria rexit. Suadente Paulo Areſio Derthonenſi Epiſcopo ſua Volumina edere cœpit, quorum mox titulos dabimus. Juvat hîc interim referre exaſticon Caroli Franciſci Capræ Comitis etiam à Roſino relatum, in Auctoris noſtri laudem.

*Sidereos Picinelle cies, & concipis auſus,*

*Myſtica dum Sancti Præſulis acta canis.*

*Hinc pia voce prius, dein profers dogmata verbis,*

*Cœlica quis facilem pandis ad aſtra viam.*

*Macte age: nam Cœlo duplex te palma manebit,*

*Vel quia tu traheris, vel quia corda trahis.*

Nunc Opera ejus recenſemus:

I. I Pregi della Ghirlanda Civica: Sacro Diſcorſo del P. D. Filippo Picinelli Milaneſe, Canonico Regolare Lateraneſe, fatto da lui nel Senato dell' Eccellentiſſima Repubblica di Lucca il IV. Sabato di Quareſima dell'anno MDCXXXV. *In Piſa, per Franceſco Fangeli*, 1635. *in* 4.

II. La Nube Sacra: Panegirico in lode della Beata Rita Vergine Luccheſe, dedicato a Filippo Fatinelli Capitano, e Cavaglier di S. Stefano. *Lucca, per Baldaſſare Giudici*, 1634. *in* 4.

III. Panegirici II. in lode di S. Petronio. *Bologna, preſſo il Tebaldini*, 1634. *in* 4. *ed ivi per Clemente Feroni*, 1639. *in* 4.

IV. L'Etna Nevoſo: Panegirico per S. Ignazio Lojola. *Piſtoja*, 1647. *in* 4.

V. L'Iride Sacra di Maria: Panegirico. *Como*, 1661. *in* 4.

VI. Il Cherubino Quadriforme: Panegirico per S. Aldobrando. *Bologna, preſſo il Ferroni*, *in* 4.

VII. Applauſi Feſtivi, o ſiano Panegirici varj. *Venezia, per il Tomaſini*, 1649. *in* 12., *ed in Milano, preſſo Dioniſio Gariboldo*, 1650. *in* 8.

VIII. Encomj Sacri, o ſia Volume II. di Panegirici. *Milano, preſſo Pontio, e Piccaglia*, 1658 *in* 8. Utrumque ſermone latino lucem vidit *Lipſiæ*, 1698. *in* 4.

IX. L'Aurora Evangelica. Panegirico per S. Siro. *Pavia, preſſo il Porro*, 1657. *in* 4.

X. Due Diſcorſi Accademici. *Milano, preſſo Pontio, e Piccaglia*, 1658. *in* 8.

XI. Tributi di lode offerti all' eroiche virtù d'alcuni Santi, o ſia Volume III. de' Panegirici. *Milano, preſſo il Vigone*, 1675. *in* 4.

XII. L'Ombrone conſolato: Epitalamio. *Piſtoja*, 1648. *in* 4.

XIII. L'Idea del Principe Repubblichiſta, o ſia Vita di Carlo Contarini Doge di Venezia. *Milano, per il Piccaglia*, 1664 *in* 12.

XIV. Il Mondo ſimbolico. *Milano, per il Piccaglia*, 1653. *in fogl. Seconda edizione. Ivi, per Franceſco Vigone*, 1669. *in fogl. Terza edizione, con aggiunte, e con un copioſo Indice fattovi dall' Autore. Ivi, per lo ſteſſo Vigone*, 1680. *in fogl.*, & latinè editus *Lipſiæ*, 1695. *in fol.*

XV. Lumi, e Rifleſſi, cioè 4000. Scritture illuſtrate con eradizioni profane. *Milano, per Franceſco Vigone*, 1667. *in fogl.* Hoc Opus in Latinum ſermonem converſum, editum eſt *Francofurti*, 1703. *in fol.*

XVI. Fatiche Apoſtoliche, o ſia Quareſimale primo, e ſecondo, e dupplicato Avvento. *Milano, preſſo il Vigone*, 1672. 1673., *e* 1674. *Tom. III. in* 4. Prodierunt etiam latino ſermone *Auguſtæ Vindelicorum*, 1711. *Tom. III. in* 4.

XVII. Feminarum Sacræ Scripturæ Elogia. *Mediolani, typis Archiepiſcopalibus*, 1657. *in* 8., *& Norimbergæ*, 1994. *in* 12.

XVIII. Atteneo de' Letterati Milaneſi. *Milano, preſſo il Vigone*, 1670. *in* 4.

XIX. Le maſſime de' Sacri Chioſtri ricavate dalla Regola di S. Agoſtino, e ſpiegate in cento Diſcorſi. *Milano, preſſo il Vigone*, 1678. *in* 4. Hæ quoque in latinum verſæ lucem viderunt *Norimbergæ*, 1696. *in* 4.

XX. Simboli Verginali, o ſiano 50. Diſcorſi in onore di M. V. *Milano, preſſo il Vigone*, 1679. in 4. & latinè editi ut ſupra.

XXI. I Prodigj delle preghiere, ſpiegati in cento Diſcorſi Scritturali, Eruditi, e Morali. *Milano, per il Vigone*, 1672. *in* 4.

XXII. Elogia extemporanea Centuria duplici contenta. *Mediolani, apud Vigonem*, 1677. *in* 8.

XXIII. Conſiderazioni Morali cinquanta ſopra Giona Profeta, Diſcorſi cento fatti in Bologna. Opus poſthumum, teſte Roſino.

XXIV. Latinam reddidit partem aliquam Operis Athanaſii Arcelli Placentini, cui titulus: „ il Davide Vangelico; „ teſte eodem.

Extant de ejus laudibus litteræ Pauli Areſii ad Polycarpum Chiozzum Abbatem Generalem Lateranenſium, quarum meminit Roſinus in Lycæo Later.

Inter Epiſtolas Laurentii legitur ad eum una, qua ſe excuſat quod parum ſcribat, laudat Boſſium, Terzagum, Ferrarium, & alios. Dat. Bergomi MDCXVI. *Impreſſ. Patavii* 1640.

Eum laudarunt Carminibus Joſeph Calciatus Novarienſis, Ludovicus Boncompagnus Verdunenſis, Petrus Adrianus Van-der-Broecke.

Pater Benedictus à Sancto Jacobo Auguſtinianus Excalceatus ei dicavit Volumen de Cœlo & Mundo, & de Ortu, & Interitu.

In Epiſtolis Miſcellaneis Joannis Franciſci Bonhomi adeſt una, quæ eſt CX. ad Picinellum noſtrum ſcripta.

Agunt de eo Abbas Ghilinus in Theatro p. II. Paulus Maria Terzagus in Muſæo Septaliano, Abbas Roſinus ſupradictus in Lycæo Lateranenſi lib. I. pag. 60., & lib. XIV. pag. 189., Cinellus in Biblioth. Vol. Pluteo VIII. Petrus Paulus Boſca de origine & ſtatu Biblioth. Ambroſianæ, aliique plures.

## MCCLXXXVII.

## PICIUS MARIUS.

DE Gente Picia Mediolanenſi ( quæ Pizia quoque appellatur ) ſuperſunt adhuc bina Sepulchralia Monumenta, unum videlicet Sæculi XVI. in Eccleſia Sancti Simpliciani, recentius alterum in Templo, vulgò *il Giardino*, in hac Urbe ſic vocato. Marius verò hîc laudandus ortus eſt anno Redemptoris Univerſi MCCCCLXXXVIII., ut ipſemet teſtatur in ſuis Poëmatibus Italico ſermone ſcriptis, ex quibus ante nos Cl. Puricellus nonnulla hauſit. In quodam igitur Capitulo Operis Auctoris noſtri MS. infra recenſendi ſic legitur :

*Era nel quarto ſeſto dì de Aprile*
*Del Mille quatrocento otto, & ottanta,*
*Ch' io venni al Mondo in queſto viver vile.*

Puerili adhuc ætate patre orbatus eſt, ut ex Carmine Italico, vulgò, ut ſupra, *Capitolo*, ad Rever. Galaranum Præpoſitum, atque Vicarium Montisfortis, anno MDXXIII. conſcripto, in quo ſic loquitur :

*Non ſo como ſin or ſia al Mondo vivo,*
*Eſſendo ( ahi laſſo ) in verd' età reſtato*
*De Patre, de Vertù, d'ogni ben privo.*

Ordinem Humiliatorum profeſſus eſt, in quo tam ſanctè, tam prudenter ſe geſſit, ut cum Præpoſiti munere Domum Sancti Marci in Urbe Florentia rexerit: deinde XXXII. annorum ſpatio idem cum ſingulari omnium laude egit in Patria in Ottaciorum Collegio. Ibi ſacrum Humiliatorum Habitum tradidit Octaviano Picio nepoti mox à nobis congruo Elogio memorando. Romam verò ſe contulit anno MDXXXIV. die II. Junii, ut ex alio Epigrammate Italico, vulgò *Sonetto*, quod in fronte Operis infra dandi legitur. Diſceſſiſſe inde anno eodem, die VIII. Septembris, teſtis eſt ſequens Carmen ejus, quod damus, cùm ſpecimen offerat Auctoris Poëſis, tum ad ejus erga Patriam amorem oſtendendum aptiſſimum ſit :

*Reſtate adietro ſacre, e torbid' onde,*
*Et voi ſuperbe, & alte, or baſſe mura :*
*Così voi ombre poſte in tomba oſcura,*
*Lo cui valor fra noi già non s'aſconde;*

*Ch' io me ne vò tutto contento : d'onde*
*Fù la partita lagrimoſa, & dura,*
*Ov' è chi porrà fine à mia ſciagura,*
*Et che con ſuoj deſiri à miej riſponde.*

*Sarete poggj or lieti de mia abſenza;*
*Più non v'annojaran gli ſoſpir miej,*
*Ch' io torno v' ſia più grata mia preſenza.*

*Voi meſti, ed io più triſto viverei;*
*Io di voi, voi di me ſtavete ſenza,*
*Ch' io non darei Milan per Rome ſei.*

Cùm autem ſui Inſtituti homines in deterius labi videret, anno MDXLII. Carmen Italicum, vulgò *Capitolo*, ſcripſit, in quo quaſi vaticinans, vitiis Humiliatorum deſcriptis, eorum imminentem prædixit ruinam his verbis :

*Doglioſo frà me ſteſſo ripenſando*
*Del grand' Ordine noſtro la ruina,*
*Verſo il Ciel drizzo gli occhj lagrimando,*
*E veggio, che la Maeſtà Divina,*
*Per la diſordinata noſtra vita,*
*A miſerabil fine lo deſtina*, &c.

Et infra :

*Ogni divoto, e umil meco s'amira,*
*Che il Paſtor noſtro General comporta,*
*Ch' il gregge al ſuo voler vagando gira.*
*Eh, ch' anche in lui la caritate è morta;*
*Al proprio ſuo guadagno è ognor intento,*
*Che un cieco l'altro guida per via ſtorta*, &c.

Aliud ſimile ſcripſit die XXIV. Januarii anni ſubſequentis. Deinde anno MDXLIV. deſcribit prolixo Carmine depoſitionem Generalis Ordinis à Clemente VII Papa annis anteactis jam factam, unde ſequentia damus :

*Clemente poi Pontefice gentile,*
*Viſto dei falli ſuoi l'alto proceſſo,*
*Tolſeli il regimento dell' Ovile;*
*Fugli il Breve intimato per me ſteſſo*
*Nelle proprie ſue man dentro Cremona,*
*Che il fin deſiavo veder a tanto ecceſſo.*
*Citato alla gran Sedia fù in perſona,*
*Ove fù gionto, ſubito condutto*
*Con vituperio prima in Tor de Nona;*
*Fù dentro del Caſtello poi ridutto,*
*E damnato, pel viver ſuo beſtiale,*
*Al Carcer di ſua vita il tempo tutto.*

Provecta ætate, licèt podagra, aliiſque infirmitatibus detentus, à Carminibus tamen ſcribendis non ceſſavit; habemus enim ipſius Poëſeos Fœtus ab anno MDIV. ſcriptos, uſque ad annum MDLIX. Tandem ad ſenectutem cùm perveniſſet, diem vidit ultimam XV. Martii, anno MDLXIV., ætatis verò LXXVI. Sepulchrum habuit in eadem Domo cum Eulogio ab Octaviano nepote erudito Latino ſermone condito, ſcilicet :

*Profeſſionis candidæ,*
*Eccleſiæ Præfectus in*
*Iſta, quam & erexit ſimul*
*Et rexit, una cum Domo*
*Ottaziorum per duos*
*Triginta & annos : vixit, &*
*Luſtris probatus quindecim*
*Cum menſibus junctis decem.*
*Ex Piciorum proditus*
*Claro Parentum ſtipite;*
*Vultu gravi ac actis pius,*
*Æquè & benignis moribus*
*Gratus relictis omnibus*
*Cœlo ſuperno gratior*
*Dormit remoto lumine*
*Hoc in Sepulchro Marius,*

Ex

Digitized by Google

*Ex quo reſurget pervigil*
*Factus tuba mirabili.*

Et in Italicum Idioma tranſlatum, ut ſequitur:

*Delle candide Squadre inclito Duce,*
*Ch' in queſta Sacra Chieſa,*
*Ch' egli ereſſe, e Prepoſto inſieme reſſe*
*Con le vicine ſtanze*
*Degli Ottaci per anni*
*Due ſopra trenta, ed innocente viſſe*
*Quindici luſtri, e dieci meſi appreſſo,*
*Dal Nobil Ceppo delli Picci uſcito*
*Per cento Avoli illuſtre,*
*Nell' opre pio, di venerando aſpetto,*
*E d'altretanto placidi coſtumi,*
*Grato a quei, che laſciò mortali in terra,*
*Ma vie più grato alli Celeſti Spirti,*
*In queſta ſacra Tomba*
*Dolcemente il gran Mario ora ripoſa,*
*Onde al mirabil ſuono*
*Della Tromba fatale*
*Deſto riſorgerà fatto immortale.*

Hæc de ipſo Lectoribus noſtris nunc primùm proferimus.

I. Volumen Carminum Italica lingua. MS. juſtæ molis, in 4. in cujus fine adeſt

II. Breve Chronicon rerum memorabilium à die X. Septembris MDXLVII. ad annum MDLVIII. Incipit à cæde Petri Aloyſii Farneſii. Extat in Bibliotheca FF. Eremitarum Sancti Auguſtini Excalceatorum, apud Templum SS. Coſmæ, & Damiani hujus Urbis.

III. Necrologium Humiliatorum, quod olim erat Domus Ottaciorum, in quo plura adnotata ſunt manu Marii Picii, per ordinem menſium diſpoſitum. Extat MS. in Ambroſiana Bibliotheca, Cod. pergameno in fol., ſign. D num. 58. litteris rubro-nigris.

Inter Carmina ipſa extant duo ad Petrum Bembum, anno MDXXVII. unum ad Petrum Aretinum anno eodem, nec non Epitaphium ad Phyſicum, & Poëtam facundum Sagazonum Mediolanenſem, aliaque lectu digniſſima.

Opere metrico Picii plurimùm uſus eſt Clar. Jo. Petrus Puricellus pro Humiliatorum Hiſtoria, uti ſuo loco dicemus, imò omnia Picii Carmina teſtatus eſt ſe obtinuiſſe à Joanne Petro Caluſco, quæ forſan ad manus noſtras minimè ex integro pervenerunt.

Videndus eſt quoque Marcus Boſſius in Chronico, aliique plures de Humiliatis tractantes.

## MCCLXXXVIII.

## PICIUS OCTAVIANUS.

JAm aliquid de familia Picia in præcedenti Articulo Marii Picii diximus, hìc verò addimus quod nobis de more perhumaniter communicavit Clar. Sitonus amiciſſimus, nempe quod anno MDVII. erat in vivis Jo. Angelus Picius Baſilicæ Sancti Ambroſii Canonicus, atque pariter anno MDXLV. Philippus Ordinis S. Jo. Hieroſolymitani Eques & Commendatarius, uti ex Documentis penès ipſum Sitonum exiſtentibus comprobatur. Octavianus noſter, qui eidem Ordini Humiliatorum adſcribere ſe voluit, in additamento Chronici iſtius Inſtituti Marci Boſſii Acta ſua tam bene narravit, ut ſatius duxerimus verba ipſius, prout jacent, hìc Lectoribus noſtris proferre.

A „ Sub iſto Magiſtro Generali (nempe ſub Hieronymo
„ Torchio) ego Frater Octavianus Picius Præpoſi-
„ tus Domus S. Joannis Evangeliſtæ Domus novæ
„ Mediolani Ordinis habitum aſſumpſi, quem Rev.
„ Frater Marius Patruus meus dictæ Domus Novæ
„ Præpoſitus in domo Ottaciorum dedit: quam ipſe
„ rexit annis triginta duobus dum eſſet commendata
„ Cardinali de Monte, & in qua domo Profeſſionem
„ meam emiſi. Sicque ſub iſto Generali inſignia Do-
„ ctoratus in utroque Jure in Papienſi ſtudio aſſum-
„ pſi, cauſaſque exercui tam à Pont. Max. commiſ-
„ ſas, quàm alio modo. Et dum Cauſas exercerem
„ Mediolani pluribus annis Jura Civilia ſum interpre-
„ tatus, Ordinarias, quæ in manè leguntur, lectio-
„ nes, & in ſero, ac Juſtiniani Inſtitutiones legendo.
B „ Et multos habebam Auditores, & erant ex nobi-
„ lioribus Urbis Mediolani; & unus in S. Eccleſiæ
„ Cardinalem per Pium IV. Pontif. Max. Mediol.
„ aſſumptus eſt, quia Pontifex ille avunculus erat
„ illi: (de Sancto Carolo loquitur) Sicque ego
„ Domum Ottaciorum rexi per certum tempus dum
„ eſſet commendata Domino Antonio de Coſcianis
„ poſt mortem Patrui mei. „ Hactenus ipſe. Præpoſitus igitur fuit Domus S. Jo. Evangeliſtæ in hac Urbe, ubi nunc Collegium Nobilium Adoleſcentium, quemadmodum eruimus ex Indice Præpoſitorum, qui interfuere Capitulo Generali die XIX. Octobris anno MDLII. celebrato, & legitur in Additamento inferiùs enunciando. In eodem Capitulo, cui præerat Cardinalis Jo. Moronus à nobis jam laudatus, Orationem habuit elegantiſſimam, de qua item infra C mentio recurret. Defuncto autem Mario Patruo ſuo, ut jam innuimus, Domum Ottaciorum præfatam annos aliquot adminiſtravit; at quo anno vivere deſierit, nos latet. Damus interim Carmen Bernardini Baldini in laudem Auctoris noſtri, quod legitur in ejus libro *Luſus* inſcripto pag. 39.

Ad Octavianum Piccium J. U. Conſultum, & Sacrificum.

*Pici quàn faciles tibi Camœnæ*
*Sint, quàm dulce tibi ſonare carmen*
*Dent vati, numeris doces facetis;*
D *Cui non horribilis lues leporem*
*Ademit, neque mortis horror ingens.*
*Qui tam dulce canis minante lethum*
*Dira peſte Deo, & tonante lævum,*
*Quanto dulcius, elegantiuſque*
*Tum te credibile eſt ciere carmen,*
*Cùm curis vacuo tibi ſerena*
*Gaudet mens, vacat & dolore acerbo.*

Hæc ab eo elaborata ſuperſunt:

E I. Additamentum ad Chronicon Ordinis ſui à Marco Boſſio ſcriptum ab anno MDXIX. ad MDLXVII. in fol. Extat MS. in Biblioth. olim Co. Cæſaris Montii. Hoc Opus in Italicum tranſtulit Jo. Petrus Puricellus, quod extat in Bibl. Ambroſ. Cod. ſign. C. num. 74. in fol.

II. Oratio ejuſdem F. Octaviani habita die XIX. Novembris MDLII. in Capitulo Generali, præſidente Cardinali Morono. Reperitur in eodem Codice.

III. Canto di cento Ottave: Prognoſtico della ruina del ſuo Ordine. Idem argumentum Patrui ſequutus. Extat in Collectione Monumentorum ejuſdem Inſtituti Jo. Petri Puricelli MS. in Ambroſiana, de quo ſuo loco dicemus.

IV. Epitaphium Marii Patrui ſui Latinis, Italiciſque Carminibus in ſuperiori Articulo impreſſum: extat ibid. Videndæ ſunt Schedæ Mazzucchellianæ, & Sitonianæ, necnon Puricellus, aliique de Actis Fratrum Humiliatorum Scriptores.

MCCLXXXIX.

Digitized by Google

## MCCLXXXIX.

### PICOLPASSUS FRANCISCUS.

MAxima cum animi voluptate proferam nunc in
medium Franciſcum Picolpaſſum hujus Metro-
polis commendatiſſimum Archiantiſtitem , & quòd
communem cum tanto Viro Patriam ſortitus ſim ,
& quòd Auctor ipſe ex nobiliſſima prodierit Lamber-
tinorum ſtirpe, numerandus propterea inter Proavos
Sanctiſſimi Domini noſtri BENEDICTI XIV. felici-
ter in Petri Cathedra ſedentis . Quamvis enim co-
gnomento Picolpaſſus , ſeu Pizolpaſſus nuncuparetur
Franciſcus noſter , teſtatur tamen Michaël Pizolpaſ-
ſus in Nuncupatoria Codicis infra memorandi , ve-
ram illius Familiam Lambertinam fuiſſe . Ait enim
ſtatim in Epiſtolæ principio : „ Michaël Pizolpaſſus
„ Reverendiſſimo in Chriſto Patri , atque Colendiſ-
„ ſimo Domino ſuo , Domino verè ſancto , Franci-
„ ſco Pizolpaſſo Bononienſi, Dei gratiâ , & ſua ſuf-
„ fragante integritate Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ
„ Archiepiſcopo ſalutem ſempiternam optat . Educa-
„ ſti me Pater optime à tenerulis unguiculis , ut
„ Græci ajunt , & pro tua innata erga me pietate ,
„ pro meaque forſan reverente , & prompta manda-
„ torum obſervantia , & fide in te , dignatus fuiſti
„ me ultro inter contribules tuos, augmenti honoris
„ mei gratiâ , cum generoſæ Lambertinorum etiam
„ Proſapiæ ſis , tum quia Prælatorum Italiæ prima-
„ rius dignoſceris , adſcribere &c. „ Optimis igitur
diſciplinis excultus , magnâque eruditionis famâ ce-
lebris Franciſcus ad plurium Eccleſiarum regimen
promotus eſt. Etenim primùm Aquenſis in Vaſconia
Epiſcopus electus eſt . Corrigendus enim Vir alio-
qui doctiſſimus Ferdinandus Ughellus, qui in Tomo
IV. Italiæ Sacræ inter Epiſcopos Aquenſes Mediola-
nenſis Eccleſiæ Suffraganeos ( Urbis ſcilicet , cui no
men Aquæ Statyellorum , in Ducatu Montisferrati)
num. XLIV. inter Matthæum , ſive Mathiam de Gi-
bertis , atque Bernardum , Franciſcum noſtrum col-
locat , quaſi eam obtinuerit Sedem ad annum uſque
MCCCCXXVII. In errorem ipſum induxit nominum
ſimilitudo in Urbibus, quibus Antiſtes præfuit Picol-
paſſus , qui non Aquis Statyellorum in Monteferrato,
ſed Aquis Tarbellis in Vaſconia ſub Archiepiſcopo
Auxitano Præſul datus fuit . Teſtem hujus rei habe-
mus Franciſcum de la Cruce Mediolanenſis Eccle
ſiæ Primicerium , qui Picolpaſſi Vicarius extitit Ge-
neralis, cujus verba inferiùs dabimus, cùm de inſigni
Codice Pontificali in hac Metropolitana Baſilica ſer-
vato mentio recurret. Eidem ſuffragantur Viri Clariſ-
ſimi Fratres Sanmarthani in Gallia Chriſtiana, editionis
Pariſienſis ex Typographia Regia anni 1716. ubi in
Tomo I. pagg. 1053. & ſequenti, num. XL. de Scri-
ptore noſtro hæc leguntur : „ Franciſcus hucuſque
„ incognitus inter Aquenſes prodit Antiſtites ex Ta-
„ bulis Sorduenſibus , in quibus notatur annis MCD-
„ XXIII. & MCDXXIV. teſte D. Edmundo Marte-
„ ne, qui Chartas hujus Monaſterii propriis uſurpavit
„ oculis . „ Dein defuncto Petro Graſſio, ſeu Craſſo,
Antiſtite Ticinenſi, ad eam translatus eſt Sedem Fran-
ciſcus die II. menſis Junii , anno MCDXXVII. Eu-
genio IV. Summo Pontifici gratiſſimus , Apoſtolicæ
Cameræ Clericus ab eodem renunciatur; comper-
tam enim habens Summus Eccleſiæ Paſtor Franciſci
prudentiam , arctiori ipſum vinculo ſibi adſtringen-
dum cenſuit , ut in turbulentiſſimis ejus ætatis nego-
tiis tanti Præſulis conſilio uti poſſet . Interfuit Baſi-
leenſi Concilio , ubi non infima dedit ſapientiæ, vir
tutumque ſpecimina , atque ut Cathedralis ſuæ Ca-
nonicos novo cumularet honore , Almutiarum uſum
ipſis indulgendum curavit . Præfuit eidem Epiſcopa-
A tui ad annum uſque MCDXXXV, quo cùm Bartho-
lomæus Capra à nobis alibi commendatus mortalibus
valedixiſſet , ad vacantem Ambroſianam Cathedram
meruit aſſumi . Inter cæteras Paſtorales virtutes ,
quibus claruit , eluxit in eo manſuetudo præcipuè ,
qua commiſſum ſibi gregem rexiſſe traditur . Erudi-
tos homines ea tempeſtate viventes benigniſſimè fo-
vit , atque eos inter Franciſcum Philelphum , atque
doctiſſimum Æneam Sylvium Picolomineum , quem
Laurentianæ Baſilicæ Præpoſiturâ decoravit . A' Leo-
nardo Aretino petierat , ut è Græco in Latinum ſer-
monem Platonis de Republica libros transferret , quo-
niam ipſos Clouceſtrienſium Duci nuncupare meditaba-
tur . Cùm autem Aretinus à ſe translatos alteri de-
dicaſſet , Petro Candido Decembrio novam ejuſdem
B Operis translationem Franciſcus demandavit , quæ
MS. ſervatur in Bibliotheca Ambroſiana , ſignat. I.
num. 104. cui etiam propriam ipſe præfixit Epiſto-
lam . Moribus fuit probatiſſimis, & ſanctitatis laude
floruit ; rerum etiam divinarum contemplandi gratiâ
ſæpe ad Monaſterium ſuburbanum Caſtellatii Mona-
chorum S. Hieronymi nuncupatorum extra Ticinen-
ſem Portam ſecundo circiter lapide poſitum , ſe reci-
pere conſueverat . Ambroſianos Ritus vetuſtate labe-
factatos diligentiſſimè reſtituit, & Eccleſiæ ſuæ Mar-
tyrologium ordinavit, ut inferiùs memorabimus . Ob
peculiarem interea eruditionis amorem inſignem col-
legit Bibliothecam , in quam antiquioris notæ pluri-
mos intulit Codices , præſertim verò Sacrorum Bi-
bliorum Libros in folio maximo ſæculi VIII. vel IX.
C MS. in pergameno , atque aliquot Sanctorum Acta
eodem charactere comprehenſa ; quorum Codicum
partem poſtmodum Cardinalis Fridericus Borromæus
anno MDCV. ad Bibliothecam Ambroſianam à ſe
conditam tranſtulit ; ibique adhuc ſervantur . Viſe-
bantur antea inter Volumina Picolpaſſi noſtri, qui Col-
lectionem ipſam Metropolitani Templi Collegio lega-
vit, quo nomine à Petro Paulo Boſca in lib. II. Ope-
ris ſui De origine & ſtatu prælaudatæ Bibliothecæ
Ambroſianæ, commendatur. Obitum laudatiſſimi Præ-
ſulis aſſignat Boſſius anno MCCCCXLI. eum tamen
ſuperfuiſſe ad annum uſque MCCCCXLIII. atque è vita
migraſſe Pontificatus ſui anno VII. menſe III. die V.
teſtis eſt citatus Primicerius , ut mox dicemus , id-
que comprobat Succeſſoris electio , ſcilicet Henrici
Rampini de Sancto Alloſio , qui eodem anno IX.
D Kal. Septemb. è Ticinenſi ad Mediolanenſem Sedem
ab ipſo Eugenio IV. translatus fuiſſe perhibetur.
Conditus eſt Franciſcus in Metropolitana ante Aram
Maximam .

Illius doctrinam hæc teſtantur :

I. Vita S. Gregorii Theologi. Codex MS. in pergameno
Bibliothecæ Ambroſianæ, ſignatus F. num. 18. in 8.
litteris rubro-nigris, atque miniaturis exornatus.
II. Vita Sancti Hieronymi. Extat in eodem Codice.
III. De Architectura Sacræ Ædis Caſtelleonis. Adeſt Epi-
ſtola ejuſdem Picolpaſſi ad piiſſimum Virum Joan-
nem Cervantem Hiſpalenſem S. Petri ad Vincula
Cardinalem, data Papiæ die V. Januarii MCCCC-
XXXII. Extat in eodem Codice.
IV. Ænnodii Epiſcopi Papienſis Epiſtolæ & Carmina cum
E Notis Picolpaſſi Archiepiſcopi. MS. in pergameno,
cum miniaturis deauratis. Extat in Bibliotheca
Ambroſiana, Cod. ſign. D. num. 117. in fol. quem
illuc , cum aliis, ut diximus, tranſtulit ex Biblio-
theca Capituli Metropolit. Eccleſiæ Card. Federicus
Borromæus an. MDCV.
V. Platonis de Republica libri à Petro Candido Decem-
brio è Græco in Latinum verſi. In fronte hujus
Operis legitur Epiſtola Picolpaſſi, cujus eſt titulus:
„ D. Franciſci Picolpaſſi Mediolanenſis Archipræ-
„ ſulis ad Illuſtriſſimum & Litteratiſſimum Domi-
„ num Hunfredum Ducem Clouceſtrenſem de Intro-
„ ductione noviſſima totius Platonicæ politiæ Epi-
„ ſtola incipit feliciter : eſt paginarum quatuor.
Non ingratum fortaſſe erit prima quoque Epiſtolæ
verba referre, quæ ſunt: „ Cùm dudum , Illuſtriſ-
„ ſime Princeps & Clariſſime Domine, pro tui no-
„ minis, & regiarum virtutum tuarum fama per-
„ celebri animus meus ad te inclinatus eſſet , &
„ de-

„ deditus, ab eo maximè tempore, quo Reveren-
„ diſſimus in Chriſto Pater præſtantiſſimus D. Ge-
„ rardus Landrianus tunc Epiſcopus Laudenſis,
„ nunc verò Cumanus amantiſſimus Frater meus
„ ad nos per id temporis, dum eram & ego Epiſco-
„ pus Papienſis, remigravit ab expeditione Brittani-
„ ca, vel ut eſt uſitatius Anglicana, deſiderabam
„ fieri vel literis notus magnitudini tuæ, tuæque
„ communicare benignitati, cujus præfers inter
„ cæteras virtutes inſigne nomen &c. „. Codex MS. ſervatur in Bibliotheca Ambroſiana, ſignatus I. num. 104 in fol., & hunc titulum præfert: „ Candidi Decembrii translatio decem librorum Platonis de Republica. „ Adſunt litteræ plures tam in principio, quàm in fine Codicis à Decembrio ad ſupradictum Principem ſcriptæ. Dat. X. Kal. Aprilis MCCCCXXXIX.

VI. Conſtitutio Archiepiſcopalis edita circa reformationem Officii glorioſiſſimi Pontificis, & Patroni noſtri Ambroſii ad divini cultus non mediocre incrementum, & evidentem animarum ſalutem, & profectum. In fine ſic legitur: „ Franciſcus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia S. Med. Eccleſiæ Archiepiſcopus. „ Dat. Mediolani in domibus habitationis noſtræ, „ ſitæ in Porta Ticinenſi in Parochia Eccleſiæ Sancti Sebaſtiani, ſub anno Nat. Domini MCDXL. „ die Sabbati, XXX. menſis Januarii, III. Indict. „ MS pergam. in Cod. ſign. ✠. num. 97. Extat in Bibliotheca Capituli Eccleſiæ Metropol. Ipſam edidit Cl. Muratorius in Diſſertatione LVII. de Ritibus Ambroſianæ Eccleſiæ Tom. IV. Antiquitatum Italiæ Medii Ævi, noſtris typis Palatinis.

Aliud exemplar depromptum ex Archivo Monaſterii Ambroſiani, apud ſe fuiſſe teſtatur Puricell. Diſſert. Nazar. cap. 39. num. 22., ibi etiam Fragmentum ejuſdem decreti recitat.

VII. Litteræ ejuſdem datæ ſub die XII. Auguſti MCCCCXXXVI. De his agit Clariſs. JC. Camillus junior Sitonus in Catalogo MS. Archiepiſcoporum Mediolanenſium.

VIII. Martyrologium Ambroſianum ab eo ordinatum anno MCCCCXL. Ita idem Sitonus loc. cit. ex Kalendario hujus Eccleſiæ ejuſdem anni.

IX. Inter Epiſtolas Æneæ Sylvii extat LXXX. Data Mediolani die IV. Februarii, anno MCCCCXLIII. Franciſci de Picolpaſſis, Dei gratiâ Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Præſulis, ornatiſſimo Viro Domino Æneæ Sylvio Poëtæ laureato; in qua laudat Fridericum Cæſarem.

Pontificale, quo uſus eſt, ſervatur in Bibliotheca Metropolitanæ, ut infra, in cujus fine ſic legitur:
„ Hoc tam ſolenne, & ita completum Pontificale eſt „ Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis, quod donavit ipſi Eccleſiæ ſuæ digniſſimæ memoriæ quondam Dominus Franciſcus de Pizolpaſſis natione „ Bononienſis Archiepiſcopus Mediol., cum multis „ aliis ſolemnium librorum Voluminibus in Sacriſtia Meridionali incatenatis, qui prius fuerat Epiſcopus Aquenſis in Vaſconia, poſtea Papienſis, „ & ultimo Archiepiſcopus noſter, Dominus ingentium virtutum, & clariſſimæ famæ, qui anno VII. ſui Pontificatus defunctus eſt; & in „ Eccleſia ſua ante Altare Majus novæ Eccleſiæ „ ſepultus MCCCCXLIII., & ſedit annos VII. „ menſes III. dies V., & ita teſtor Ego Franciſcus de la Cruce de Mediolano Primicerius, & „ Ordinarius ipſius Eccleſiæ, qui tanti Domini fui „ Vic. Generalis, & ut filius ſummè dilectus. „ Codex magnæ molis in pergam. ſæculo XIII. circ. ſignat. B. num. 21. Extat in Biblioth. Metrop. ut ſcriptus diximus.

In Biblioth. Ambroſiana adeſt Codex MS. Michaëlis Picolpaſſi, ut ſupra innuimus, continens hiſtorica monumenta Urbis Mediol. ab eodem collecta, & Franciſco Archiepiſcopo dicata. Nuncupatoria data eſt Mediolani VI. Non. Julii MCCCCXXXVIII. Codex donatus fuit à Carolo à Baſilica Petri Epiſcopo Novar. Federico Borromæo Card. ſign. H. num. 56. in fol. in pergam. optimæ notæ, cum miniaturis, & auro.

Inter Epiſtolas Franciſci Philelphi, editionis Venetæ anni 1502. in fol. extant Epiſtolæ Franciſco Picolpaſſo Archiepiſcopo Mediolanenſi directæ, pag. 27. & 28.

Legitur quoque ad eum Epiſtola ſupradicti Æneæ Sylvii, quæ eſt XXIX. libri I. ſine data.

In libro, cui titulus: Leonardi Bruni Aretini Epiſt. libri VIII. editionis *Florentinæ*, 1741. *in* 8. parte II. extat epiſtola XIV. valde prolixa ad Franciſcum Picolpaſſum Archiepiſcopum Mediolani, in qua diſtinctè reſpondit ad id, quod ſuſtinebat Alphonſus de Cartagena de modo traducendi Græcum Idioma in Latinum, & fortiter aſſerit, quòd admodum neceſſaria ſit peritia Græcæ linguæ ad intelligentiam Græcorum Authorum, atque inſuper admiratur audaciam illorum, qui abſque cognitione Græcæ linguæ audent traducere Scriptores Græcos, auxilio aliarum traductionum &c.

Agunt de ipſo, præter citatos Auctores, Acta Eccleſiæ Mediolanenſis, Clariſs. Saxius in libro de Studiis Litterariis Mediolanenſium, aliique omnes de Archiepiſcopis Mediolanenſibus ſcribentes.

## MCCXC.

## PICTORIUS ANDREAS.

Andreas Pictorius humanæ vitæ primordia aggreſſus anno MDLIX. P. D. Stephano Bareggio celebrante, vota reddidit Deo ſuo prope Papiam in Carthuſia XIV. Calendas Aprilis MDLXXXIII. Sicque in ſpiritu humilitatis, & Religionis conſtanter profecit in Ordine, ut poſt Vicarii munus in ſua domo dignè exercitum, Carthuſiæ juxta Savonam Prioris honore fuerit condecoratus, ac diu cogitans, & obſervans illud Apoſtoli monitum: „ In omnibus „ præbe te ipſum exemplum bonorum operum in „ doctrina, in integritate, in gravitate, „ has ſibi virtutes inconcuſsè coaptans, promeruit ſuæ domus, in qua profeſſus eſt, ad regimen extolli anno MDCXIV. Spontè Superioris officium quietis amore reſignavit anno MDCXXI., & Procuratorium Fabricæ munus exercens, die XI. Maji MDCXXXVIII. in Domino obiit, qualis religioſè vixit. Ejus pietatis ſimul, ac eruditionis monumenta, quibus in Cœlis ſibi acquireret præſidium ſalutis, ac ſuum in terris illuſtraret nomen, hæc ſunt,

Videlicet:

I. Sermones quamplures. MSS. in fol.

II. Alii pro diebus Dominicis, ac de Sanctis. MSS. in fol.

III. Sermones de Sacramento Euchariſtiæ numero LX. MSS. in 4.

IV. Sermones peculiarium ſolemnitatum, quæ in anno occurrunt, quos ſcripſit anno MDLXXXIV. MSS. in 8.

V. Alii Italico ſermone ſcripti pro variis Sanctorum Feſtivitatibus, alii de paupertate Religioſa, de Morte, aliique in primum, ſecundum, & tertium Symboli Apoſtolici Articulum. MSS. in fol.

VI. Alii ab eodem ſcripti, habitique annis MDCXIV., MDCXIX., MDCXX., & MDCXXI. MSS. in 4.

VII. Alii pariter Italici variis temporibus, occaſionibuſque ab eodem promulgati. MSS. in 4.

VIII. Regalis Theſaurus, in quo Salutatio Angelica fusè exponitur, ac de Laudibus Sanctiſſimæ Virginis Mariæ agitur, in ſeptem Tomos diſtributus. MS. in fol. Opus peregregium.

IX. Apologia pro Defenſione Religionis Carthuſianæ, cui adjiciuntur Sermones ſeptem pro variis Feſtis. MS. in fol.

X. Faſciculus Myrrhæ, in quo tractatur de Paſſione D. N. J. C. Libri quinque, ſinguli diviſi in ſeptem capita, glorioſam in memoriam quinque Plagarum ejuſdem, ac ſeptem B. V. Mariæ Dolorum. MS. in fol.

XI. Tractatus de Spirituali Militia in triginta capita diſtinctus. MS. in fol.

XII. Flores R. P. Thomæ de Kempis. MSS. in 4.

Extant omnes in Bibliotheca Carthuſiæ prope Papiam.

Ita à P. D. Paulo Maria Bonomio ejuſdem Ordinis ſumma mihi amicitia conjuncto.

## MCCXCI.

## PINUS CAROLUS.

FRanciſcus Pinus, atque Franciſca Luraga Mediolanenſes Conjuges Carolum filium genuerunt, qui Religionem Auguſtinianam Fratrum Nudipedum amplecti decrevit, atque in ipſa profeſſus eſt anno MDCLXIX. die XVII. menſis Septembris, nomine aſſumpto Mauri à S. Franciſco. Ibi ſtudiorum curſu peracto non ſolùm Lector efficitur, ſed ad ſacras Conciones peragendas tam feliciter, ac doctè ſe contulit, ut ad Aulam Cæſaris pluries vocatus extiterit à Piiſſimo, Auguſtiſſimoque Imperatore Leopoldo, qui frequentiſſimè Maurum noſtrum maxima cum voluptate audire voluit. Mirum eſt, quod Vir litteris, atque animarum zelo tam aſſiduè deditus, nunquam Religioni ſuæ inſervire etiam totis viribus deſtiterit, nam Procuratoris, & Vicarii Generalis muneribus inſignitus, dum Viſitationes exercebat Cœnobiorum ſui Ordinis in aſperis montibus Regni Neapolitani vitam cum morte nimis citò commutavit.

Superſunt de ipſo:

I. Orazioni Panegiriche dedicate all' Auguſtiſſimo Leopoldo I. Imperadore de' Romani. *Roma, preſſo Gio. Giacomo Komarck*, 1695. *in* 4.
II. Quadrageſimale.
III. Avvento.
IV. Diſcorſi Clauſtrali. Hæc tria prælo parata habebat, & MSS. ſervantur in Bibliotheca ſui Ordinis Conventus SS Coſmæ, & Damiani hujus Urbis.
Ita à Suis.

## MCCXCII.

## PIOLA DESIDERIUS.

PIola Familia Mediolanenſis antiquitus Piora vocabatur, ut à variis Documentis eruitur, quæ inter nobis placet Inſcriptionem hic exhibere ſatis vetuſtam, adhuc extantem in Cœmeterio propè Eccleſiam Monaſterii Charævallenſis ſequentibus litteris fermè temporis injuriâ deperditis, eamque integram hauſimus ex ditiſſima Collectione Archintea.

HIC ✠ IACET ✠ DOMINVS ✠ METELLVS ✠ DE ✠ PIORA ✠ ET ✠ DOMINA ✠ MARGARITA ✠ VXOR ✠ EIVS ✠ PRAEDICTI ✠ PATER ✠ ET ✠ MATER ✠ AMICI ✠ DE ✠ PIORA ✠ CVM ✠ FAMILIA ✠ SVA ✠ QVORVM ✠ HABITACVLVM ✠ ERAT ✠ SVB ✠ CHOOPERTO ✠ PROPE ✠ BORLETVM ✠ NOVVM ✠

In eodem Marmore ſculpta eſt Aſcia, Romanorum temporum more, de qua diſputatum eſt inter Clariſſimos Viros Ludovicum Antonium Muratorium, & Marchionem Scipionem Maffejum. Deſiderius verò Piola Monachorum, qui Sancti Hieronymi dicuntur, inſtitutum amplexus eſt, in qua Philoſophicas, atque Theologicas facultates è Cathedra Alumnos ſuos docuit, inter quos III. numerantur, qui eidem Religioni cum Generalis munere præfuerunt; unus ex his Pius de Rubeis Placentinus indicatur, qui Opera ſua edita Deſiderio noſtro nuncupavit, ac eruditioni ejuſdem plurimum ſe debuiſſe profitetur. Humaniores litteras Auctor noſter coluiſſe agnoſcitur ex pluribus Orationibus Latino ſermone compoſitis in prima juventute, ut infra. Adeò ſcientiis, atque prudentia excelluit, ut & ipſe ad ſummum apicem Generalatus aſcendere meruerit. Optandum erat quòd aliquis ex ſupradicto Monachorum Cœtu Scripta Deſiderii noſtri, atque Acta melius collegiſſet, nam ego unico Creſcentio fretus Lectoribus meis aliud exhibere non poſſum,

Præterquamquod

I. Orationum plurium Volumen Latino ſermone editarum, ut aſſerit Creſcentius in ſecunda parte Amphitheatri, quam MS. ſervat Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum, ſed ubi, & quo anno in lucem prodierint, non indicatur.

## MCCXCIII.

## PIOLTELLUS PETRUS FRANCISCUS.

PEtrus Franciſcus Pioltellus, patria Mediolanenſis, eximiæ Societati Jeſu adſcriptus anno MDCIV. ætatis XVII. Votorum in ea IV. profeſſionem emiſit. Artem eloquentiæ quinquennio, Theologiam Moralem pluribus annis docuit. Vir fuit ſingulari morum integritate, aſſiduo orationis ſtudio, egregia ſui ipſius deſpicientia illuſtris, & in corpore caſtigando frequens. Poſtulata, & impetrata à Superioribus profectione in Corſicam, multos in ea vinea excolenda annos fructuosè tranſegit, frequenteſque per aſperos illos Montes Miſſiones inſtituit, magno cum lucro animarum. Rexit ibidem Collegium Baſtienſe, & laboribus confectus migravit inde ad ſudorum præmia die XXVI. Decembris MDCXLVI.

Edidit

I. I Rimedj contra il Peccato, ed i Sette vizj Capitali. *Roma, preſſo Gulielmo Facciotto*, 1625. *in* 8.
Ex Philippi Alegambe Bibliotheca Scriptor. Soc. Jeſu, ex Sotwello pag. 673., & ex Picinelli Athenæo pag. 460.

## MCCXCIV.

## PIONNUS ALOYSIUS.

EX Ambroſio Pionno, & Blanca Gaffura conjugibus, Mediolani natus eſt Aloyſius integritatis, & doctrinæ ſuæ gratiâ hujus Urbis Decurionibus acceptiſſimus; harum enim merito commendatus ab eis electus eſt, ut Tribunali, quod Proviſionum vocant, à Secretis eſſet. Eo in munere ſumma fide plures ſe annos exercuit, & ut ſibi poſteritatem demereretur Edicta Tribunalis ipſius ab anno MDLXXX. ad MDCLVII. magno labore collegit, atque vulgavit, præfixis Nuncupatoriâ, & Præfatione latinâ non modicâ eruditione refertâ, aliaque etiam mox recenſenda conſcripſit. Ex Suſanna Bonfilia uxore Joſephum Mariam filium ſuſcepit JC. & Cauſidicum Collegiatum integerrimum, qui Mediolanenſis Ducatus Syndicus renunciatus collatum ſibi officium laudabiliter adminiſtravit. Obiiſſe videtur haud multò poſt annum MDCLXXXII.

Lucubrationum ejuſdem hi ſunt tituli:

I. Entrata Solenne in Milano di Monſignor Litta Arciveſcovo, ſcritta da Luigi Pionni Cancelliere del Tribunale di Proviſione. *Milano, per il Malateſta*, 1652. *in* 4.

II. Som-

Digitized by Google

A II. Sommario delli Ordini pertinenti al Tribunale di Proviſione della Città, e Ducato di Milano, cominciato l'anno MDLXXX. ſucceſſivamente ampliato nel MDCXIII., ed ora compito, con aggionta delli Ordini ſeguiti ſino al preſente anno MDCLVII. *Milano, preſſo G. C. Malateſta*, 1657. *in fol.*

III. Milano conſolato nell'Elezione a queſto Arciveſcovado, e Promozione alla Sagra Porpora dell'Eminentiſſimo Federigo Viſconti, con la ſua ſolenniſſima Entrata ſeguita agli XI. di Gennajo MDCLXXXII., e Funzioni antecedenti. Racconto di Luigi Pionni Cancelliere dell'Illuſtriſſimo Tribunale di Proviſione di detta Città. *In Milano, per Marcantonio Pandolfo Malateſta, in 4.*

Memoratur in Cinelli Biblioth. Volante pluteo XVIII. & in Schedis Sitonianis.

B

## MCCXCV.

## PIROGALLUS PHILIPPUS.

NOn ſemel in hoc Opere mentio incidit Academiæ Transformatorum, in Mediolanenſi quondam Urbe florentiſſimæ, in qua præcipui ſæculi XVI. Vates recenſebantur. Nunc verò calamum convertimus ad Philippum Pirogallum Gabrielis filium in eodem Cœtu plurimi habitum ob inſignem Italici pangendi Carminis peritiem, quæ fuit quoque in Franciſco Maria Pirogallo Ticinenſi inter Academicos Affidatos recenſito; diſtinguendi idcircò ſunt C Pirogalli Mediolanenſes à Papienſibus, nam de primis mentio eſt in geminis Elogiis Sepulchralibus, Franciſci nempe J. C. C. qui anno MDLVII. Cœnobitas Ordinis Servor. B. M. V. apud vetuſtam Sancti Dionyſii Baſilicam degentes ex aſſe ſcripſit hæredes, ideoque leguntur ambo in Templo, & in Clauſtro ipſius Monaſterii. Clarere verò cœpit Poëta noſter optimus anno Salutis MDXXXIII., & obiiſſe creditur circa annum MDLV. Reliqua ad ipſius Acta pertinentia, cùm oblivio deleverit, Lectoribus exhibere non poſſumus.

Habent poſteri Philippi eruditionem ſequentibus teſtatam:

D I. Carmina VIII. Italica, vulgò *Sonetti*, quæ leguntur in optima Collectione, cui titulus: Sonetti degli Accademici Traſformati di Milano. *Ivi, preſſo Marc' Antonio Borghi*, 1548. *in* 8.

E Schedis Mazzuchellianis, & Sitonianis.

## MCCXCVI.

## PIROLA THOMAS.

THomam Pirolam Mediolanenſem Monachorum Ciſtercienſium Ordini adſcriptum, facili negotio ab hac noſtra Collectione excluſum fortaſſe dolerent E poſteri, niſi ipſius nobis memoriam ſervaſſet Clariſs. Joannes Petrus Puricellus loco inferiùs indicando. Quamvis autem ejuſdem Inſtituti Viros enixè rogaverimus ſemel, atque iterum, ut Pirolæ parentes, acta, & ad conſuetudinem noſtram reliqua pertinentia Lectoribus exhibenda impertirentur, nihil amplius eo, quod Puricellus dedit, ſe inveniſſe (res mira) reſponderunt. Memorat igitur citatus Auctor Thomam vigeſimo circiter ante ſe anno floruiſſe, & in Ambroſiano Monaſterio, atque Baſilica Proſacellanum fuiſſe. Cùmque plurimùm exoptaret ſacrorum Rituum in eadem Baſilica nitorem, & antiquitatem recto tramite procedere, Opus hoc exaraſſe,

Nimirum:

I. Calendario volgare miſto Ambroſiano, Romano, Ciſtercienſe, nel quale ſi contengono tutti gli avviſamenti, che appartengono alli Reverendi Padri Sacriſtani delli Monaci di Sant' Ambroſio Maggiore di Milano. MS. apud eoſdem Monachos.

II. Catalogo delle Sacre Reliquie, che ſi conſervano, e venerano nella Baſilica Ambroſiana. Extat in eodem Codice.

Hæc hauſimus ex cit. Puricello in Monumentis Baſilicæ ſupradictæ pag. 379. ubi quædam ex ipſo Codice fragmenta leguntur.

## MCCXCVII.

## PIROVANUS ALOYSIUS.

PLura de antiquiſſima Gente Pirovana in medium proferre potuiſſemus ex ampliſſima Collectione Archintea, in qua vidimus Lazarinum, & Jacobum Patriæ Oratores, primum ſæculo XIII. ad Pontificem, ſecundùm verò medio ſæculo XV. ad Carolum V. Cæſarem, alioſque Viros dignitatibus, litteriſque inſignes, quorum memoria adhuc ſervatur in nonnullis Elogiis Sepulchralibus in Templo Sanctæ Mariæ Paſſionis hujus Urbis extantibus, atque alibi, ſed ne Lectores noſtros nimis fatigaremus, ad Pirovanos doctos nunc tranſire decrevimus. Dum verba fecimus de Cæſare Cæſariano, & ejus libro edito de Architectura Lucii Vitruvii Pollionis aliquid diximus de Aloyſio Pirovano nunc à nobis laudando, cujus eſt Epiſtola, ſeu potius Oratio Patritiis, Populoque Mediolanenſi inſcripta, de qua infra, ipſique editioni Vitruvii præfixa. Quamvis titulus ejuſdem Epiſtolæ Latino ſit idiomate, attamen ſcripta eſt Italicè pro more ſæculi, & inter alia hæc habentur: „ Et io prenominato Aloiſio della generoſa Familia, „ & antiqua Stirpe de Pirovani progenito, voſtro Cittadino Milaneſe, di Aritmetica, e Geometria in „ epſa alma Citate non infimo, aut incognito profeſſore &c. „ Narrationem progreditur ſui laboris in perficienda traductione Operis Vitruvii, nec non Adnotationibus in eundem ab eo loco, ubi deſinit Cæſarianus, ità loquendo: „ Perche Ceſare Ciſarano „ (ſic) circa il fine dell'anno MDXXI. avendo commentato, e dato alli Impreſſori per inſino al loco „ ſopraſcritto (Opera ſcilicet Vitruvii) non obſtante „ alcuna conventione ſe partite da Como, e laſsò „ l'Opra imperfecta con grande diſpendio noſtro, eſſendo conducti li detti Impreſſori à queſto effecto „ &c. „ Et parum infra. „ Furono perciò richieſti „ per nuy Agoſtino Gallo Referendario Comenſe, „ Benedicto Jovio, e Bono Mauro Bergomenſe, „ con pregarli che voleſſono ajutarci in queſto, e „ ſenza ingiuria alcuna del prefato Ceſare ivi ſi fanno alcune correzioni, e declarazioni de vocabuli „ d'Architettura &c. „ Damus igitur editionem ſupradicti Vitruvii partim ab ipſo cum ſupradictis Viris doctis elaboratam, neque aliud de eodem invenire nobis datum fuit; eſt attamen ipſa quæ legitur in Tomo I. noſtræ hujus Bibliothecæ pag. 256.

Scilicet:

I. Di Lucio Vitruvio Pollione de Architectura libri dece &c. *Como, per Magiſtro Gotardo da Ponte*, 1521. *in foglio.*

II. Epiſtolæ II. Italicæ Aloyſii iſtius: Extant in eodem libro.

Laudatur à Lancino Curtio Epigrammate in lib. XIII. fol. 36.

MCCXCVIII.

## MCCXCVIII.

## PIROVANUS GABRIEL.

GAbriel Pirovanus nobilis Familiæ Mediolanenſis germen clariſſimum, Patrem habuit Antonium Phyſicum Collegiatum, & Patriæ Decurionem, qui florebat anno Salutis humanæ MCCCCXLII. Genitoris ſtudia ſecutus Gabriel ad Medicas Artes convertit animum, eaſque percepit in Archigymnaſio Ticinenſi, cujus aliquando Rector fuit. Philoſophiæ quoque peritie commendabilis extitit, & Aſtronomiam egregiè calluit, quam etiam Scriptis infra recenſendis ſtrenuè adversùs obtrectatorum calumnias defendit. Poſt ſuſceptam Lauream Nobilium Phyſicorum Collegio aggregari meruit, & inter Decuriones Mediolanenſes recenſeri, circa annum MCDLX. Maximiliano Mariæ Sfortiæ Inſubrum Duci inter paucos acceptiſſimus fuit, cui etiam Princeps Archiatri ſui demandavit officium anno MDXII. Poſtremum ejus ætatis annum habemus incompertum.

Vivit tamen illius memoria in Lucubratione ſic inſcripta:

I. Defenſio Aſtronomiæ habita per Clariſſimum Philoſophum Gabrielem Pirovanum Patricium Mediolanenſem. *Mediol. per Leonardum de Veggiis*, 1506. *die* 28. *Maij. Apud Alexandrum Minutianum*, *in fol.* Extat etiam in libro, cui titulus: Lucii Bellantii Senenſis de Aſtrologica veritate, & Aſtrologiæ defenſio contra Jo Picum Mirandulanum. *Baſileæ*, *apud Jacobum Pareum*, 1554 *in fol.*

Eum latino Carmine celebravit Jo. Biſſius, quod legitur in editione ipſius anni 1512.

Dicatur eidem liber Iſagogicus Samuelis de Caſſinis à Franciſco Rueri Sacerdote anno MCCCCXCVIII.

De ipſo meminere cum laude Conradus Geſner. in Bibliotheca Univerſali. Clar. Saxius in Hiſt. Typograph. Mediol. Amiciſſimus J. C. Sitonus in Chron. ſuo MS. Collegii Phyſicor, & in Schedis, ac Picinellus breviſſimè in Athenæo, pag. 230.

## MCCXCIX.

## PIROVANUS OBERTUS.

OBertus Pirovanus Patricius Mediolanenſis, defuncto Roboaldo Archiepiſcopo, ſuffectus eſt anno MCXLV. ad hanc Eccleſiam regendam. Vir fuit litteris, moribus, & nobilitate conſpicuus. Fridericum I. in Baſilica Sancti Ambroſii anno MCLIV. Italici Regni Coronâ donavit, tum iterum Modoëtiæ, poſtquam eum Hadrianus IV. Papa Romæ coronaverat. Hinc exorto inter Cæſarem, & Pontificem Schiſmate, Obertus cum Mediolanenſibus pro Alexandro III. ſtetit, ad quem in Galliam proficiſcentem, cùm pleriſque ex Clero ſuo Sociis voluntarius exul Genuam confugit. Interfuit Concilio Claramontenſi, in quo Fridericus ipſe, & Victor Pſeudopapa anathemate perculſi ſunt. Interim anno MCLXII. Fridericus Mediolanum delevit; Obertus verò è Gallia cum Pontifice in Italiam reverſus exilii ſui anno IV., Archiepiſcopatus verò XXI. Beneventi mortalitatem depoſuit V. Kalendas Aprilis MCLXVI. Sepultus eſt in Eccleſia S. Sophiæ ejuſdem Urbis. Illum ſummis commendatum laudibus, lachrymis proſecutus eſt ad tumulum S. Galdinus S. R. E. Cardinalis, & ejus poſtea in Archiepiſcopatu Succeſſor, de quo jam diximus.

Hæc ſuperſunt tanti Præſulis doctrinæ Monumenta.

I. Oratio ab Oberto Archiepiſcopo Mediolanenſi habita ad Fridericum Oenobarbum in Curia celebrata in campeſtribus Roncaliæ, quæ reperitur in libro II. cap. IV. Radevici Friſingenſis Canonici de Rebus Geſtis Friderici I. Imperatoris. Ex Tomo VI. Script. Rerum Italicarum Edit. noſtræ Mediolanenſ. pag. 786.

II. Sententia anno MCXLIX. ſuper controverſia de eligendo Sacerdote Sancti Fidelis inter vicinos, & Abbatem Sancti Dionyſii, cui præter cæteros interfuit & ſubſcripſit S. Galdinus tunc Archidiaconus. Dat. menſe Julii. Extat in Collectione Sormani.

III. Tria Diplomata annorum MCLIV. MCLVIII., & MCLX. pro Monaſterio Morimondi refert Ughellus Tomo IV. poſt ejus Acta.

IV. Diploma, quo in protectionem recipit Monaſterium Sancti Dionyſii anno MCXLVI. Extat in multoties citata Collectione Sormani.

V. Sententia anno MCLII. menſe Januario inter Præpoſitos Sancti Euſtorgii, & Sancti Laurentii, cui ſubſcripſit etiam Sanctus Galdinus. Extat ibidem.

VI. Privilegium protectionis Eccleſiæ S. Mariæ de Cherſenzago, cui quoque ſubſcripſit S. Galdinus anno MCLV. Extat ibidem.

VII. Diploma eodem anno menſe Julii pro poſſeſſione Capellæ Sancti Simpliciani favore Abbatiſſæ Sanctæ Radegundis, in qua enuntiat Sententiam Milonis tunc Sacerdotis, poſtea Archiepiſcopi, cui etiam ſubſcripſit S. Galdinus. Extat ibidem.

VIII. Privilegium menſe Julii MCLVI. pro Eccleſia S. Euſtorgii, cui ſubſcripſit Milo tunc Presbyter Cardinalis Eccleſiæ Mediolanenſis. Extat ibidem.

Continet etiam eadem Collectio Litteras Guidonis de Summa Cardinalis Epiſcopi Oſtienſis Legati Apoſtolici ſub annum MCLIV. ad Ubertum Archiepiſcopum, & Galdinum Archidiaconum, quarum infra occurret mentio in Guidone de Summa.

Privilegium Alexandri III. Oberto Archiepiſcopo, in quo omnia feuda Eccleſiæ Mediolanenſis recenſentur. Dat. Turoni XIV. Octobris Pontificatus ſui anno IV. eſt ibid.

Eugenius Papa III. Bullam edidit de Vita communi inter Archiepiſcopum, & Ordinarios Eccleſiæ Mediolanenſis, eamque direxit „ Oberto Archiepiſcopo Venerabili Fratri, & dilectis filiis Ordinariis „ Eccleſiæ Mediolanenſis, eorumque Succeſſoribus „ canonicè ſubſtituendis. „ Data anno MCXLIX. Extat Autographa in Archivo Reverendiſſimi Capituli Metropol. Eccl. Capſul. 6. num. 3.

De ipſo agunt Acta Eccleſiæ Mediolanenſis, aliique omnes tam profani, quàm ſacri hujus Urbis Chroniſtæ, atque Ughellus in Ital. Sac. Tomo IV. inter Mediolanen. Archiepiſcopos.

## MCCC.

## PIROVANUS PHILIPPUS.

JOannes Franciſcus Pirovanus, ac Margarita Braſca nobiles conjuges Philippum inſignem & doctrina, & dignitate Virum in hac Urbe genuere. Poſt minora ſtudiorum curricula, quæ vix pueritiam egreſſus diligenter perfecit, ad Leges addiſcendas attentiſſimè ſe contulit, in queis Doctor renunciatus, anno MDXCII. Collegio J. PP. Mediolanenſium adſcribi meruit, atque in ejuſdem cooptatione Raphaël Fagnanus elegantem habuit Orationem. Tanti habitus eſt à Collegis ſuis Juriſconſultis, ut nondum inter Clericos recenſitus, Paulo V. Summo Pontifici invitus, atque inſcius oblatus fuerit ad Auditoris Sacræ Romanæ Rotæ munus exercendum. Admiſſus igitur in Rota die VIII. menſis Februarii, anno poſt partum Virgineum MDCX. in tam præclaro officio annos XXXIII. ſummâ cum integritatis commendatione claruit, Pontificibus, atque Curiæ univerſæ acceptiſſimus. In eadem Alma Urbe Apoſtolicam rexit Pœnitentiariam tam benè, atque prudenter, ut à Cantalmajo in Syllabo Auditorum, Vir clariſſimus, ſummaque virtute, & ingenuitate ornatus appelletur. Inter ipſum, & laudatiſſimum Cardinalem Archiepiſcopum Fridericum Borromæum magna interceſſit ami-

amicitiæ neceſſitudo, quam teſtantur Epiſtolæ inferiùs enunciandæ. Tandem cùm anno MDCXLIII. exitum vitæ ſibi inſtare ſentiret, Scripta ſua Ambroſianæ Bibliothecæ legavit ſupremis voluntatis ſuæ tabulis. Qua de re hæc habemus apud Boſcam lib. V. Operis ſui de Origine, & Statu ejuſdem Bibliothecæ. „ Inter hæc (anno ſcilicet MDCXLIII.) decedit Romæ Philippus Pirovanus, Vir cùm genere ampliſſimus, tum doctrinâ; reliquit Teſtamento multiplex autographum Bibliothecæ, quo continentur Juriſprudentiæ Oracula, ac Scita, cùm ille antecederet muneris antiquitate cæteros Auditores Rotæ, nam annos tres ſupra triginta eum judicandi honorem geſſerat. Paruit extremæ Fratris voluntati Marchio Joannes Pirovanus Eques S. Jacobi, ac Regii Magiſtratus Quæſtor, intulitque in Ambroſianam Bibliothecam ad Patriæ commodum. Scita illa nondum Typographos convenerunt, indicamus autem exteris veluti Oracula judicantis Aſtreæ. „ Hactenus Boſca. Præter laudatum Joannem, alium habuit Philippus fratrem Julium Dominicum inter Equites S. Jo. Hieroſolymitani anno MDLXXXIX. recenſitum.

Scripſit igitur Philippus noſter:

I. Deciſionum Sacræ Romanæ Rotæ in cauſis ſpatio annorum XXXIII. à ſe propoſitis, & propria manu conſcriptarum, incipientium à die I. Martii, anno MDCX. ad XXVII Junii MDCXLIII. Tom. IV. ingentis molis, in fol Servantur in Biblioth. Ambroſiana, & etiam in Archivo ejuſdem S. Rotæ.

II. B. Gregorii X. Pontificis Placentini Vitæ, Virtutum, ac Miraculorum relatio ad effectum Canonizationis ejuſdem. MS. in fol. ſign. num. 120. apud Monachos Ciſtercienſ. S. Ambroſii Mediol.

III. Relatio facta Urbano VIII. P. Max. ſuper ſanctitate Vitæ, heroicis Virtutibus, ac Miraculis B. Philippi Benitii Florentini Ord. Servorum B. M. V. MS. in fol. ſign. num. 129. Ibid.

IV. Epiſtolæ plures ad Federicum Cardinalem Borromæum annis MDXCV., & MDCI. extant in ſæpè laudata Collectione ejuſdem Card. in Biblioth. Ambroſ.

Annibalis Guaſchi ad eum Epiſtolæ duæ Italicæ leguntur inter Epiſtolas Guaſchi editas *Mediolani, apud Pontium, & Piccaleam*, 1601.

Præter citatos Auctores, ejus mentio eſt apud amiciſſimum atque Cl. JC. Sitonum in Chron. JC. C. pag. 175. art. 717. ac Picinellum in Athenæo pag. 194.

## MCCCII.

## PIUS IV.

JOannes Angelus Medices parentibus Bernardino, atque Cæcilia Sorbellona nobiliſſimis Jugalibus, Prid. Kal. Aprilis, ipſo Paſchatis die, anno Redemptionis MID. primam in hac Metropoli Inſubriæ vidit lucem non longè à Parochiali Æde S Martini, cui cognomen ad Nuxigiam. Optimum à natura ſortitus ingenium liberalia coluit ſtudia, atque inter illa Philoſophiam, Medicinam, & Juriſprudentiam plurimùm adamavit, quibus diſciplinis operam dedit Ticini primùm, tum Bononiæ ſub Carolo Ruino. Laureæ honore decoratus, annos natus XXV. J PP. Mediolanenſium Collegium eſt ingreſſus. Ardebant interim per ea tempora inter Mediolani Proceres non parvi momenti controverſiæ, in queis communi partium conſenſu Judex electus, eas feliciter compoſuiſſe perhibetur. Diſcordiam quoque Franciſci II. Sfortiæ Ducis Inſubrum, cum Fratre ſuo Joanne Jacobo Mediceo ſupra à nobis laudato ſapienter diremit; atque hoc pacto inſperatam Civibus ſuis pacem reſtituit. Clericalem poſtea vitam amplecti ſtatuit, ac Romam profectus eſt anno Chriſti MDXXVII. Ibi à Clemente VII. Summo Pontifice inter Apoſtolicæ Sedis Protonotarios cooptatus tam laudabiliter ſe geſſit in Aula, ut ſub Paulo III. Urbes Eccleſiaſticæ Ditionis Aſculum, Tiphernum, Anconam, aliaſque cum imperio recturus eligeretur. Virtutibus illius pleniùs cognitis miſſus eſt ſemel, atque iterum in Pannoniam Pontificii exercitus adversùs Turcas, ac Lutheranos collecti Quæſtor, vulgò Commiſſarius, cùmque ab ea expeditione reverſus Romam repedaſſet, Archiepiſcopalem Epidaurenſem Eccleſiam obtinuit. Hinc Prolegatus Bononiæ præfuit, atque Peruſiam moderatus fuit. Paulus interim Pontifex cum Ampliſſimum Cardinalium Collegium eruditione, atque virtute præſtantibus Viris ornare ſtatuiſſet, die VIII. Aprilis, anno MDXLIX. inter cæteros Joannem Angelum abſentem ad Purpuram aſſumpſit, collato primùm Presbyterali titulo Sanctæ Pudentianæ, mox Sanctæ Anaſtaſiæ, Sancti Stephani in Cœlio Monte, ac poſtremo, ut aliquibus placet, Sanctæ Priſcæ. Tum ſub Julio III. Romandiolæ, atque Eccleſiaſticorum militum Legatione functus, Caſſanenſem in Calabria Epiſcopatum, atque Gratiæ & Juſtitiæ Præfecturam adminiſtravit; cùmque à Paulo IV. anno MDLVI. Fulginatenſis Eccleſiæ Præſulatu fuiſſet ornatus, eam innumeris muneribus ac beneficiis auctam, decoratamque Joanni Antonio Sorbellonio Nepoti ſuo poſtmodum reſignavit. Ferunt Sylvium Antonianum, tunc undennem puerum miro ingenio præditum, Supremum Apoſtolatus Apicem Joanni Angelo noſtro Carminibus Italicis apertiſſimè prædixiſſe, tanto cum adſtantium Cardinalium plauſu, ut vaticinantis Sylvii collum Chriſtophorus Madrucius Tridentinus Cardinalis aureo torque cinxerit. Neque omen inane fuit, nam defuncto Paulo Pontifice, poſt diuturnam quatuor menſium Purpuratorum Patrum diſſenſionem, ad Apoſtolicum Munus non ſine cœleſti auſpicio electus eſt VII. Kal. Januarii, ineunte anno Chriſti MDLX. aſſumto Pii IV. nomine. Mira fuit morum ſimplicitate, ac lenitate præditus, uſque adeò, ad clementiam pronus, ut Chriſtianæ Reipub. atque Urbi per ea tempora afflictis illius electio neceſſaria Patribus videri potuerit. Sequenti Epiphaniæ Feſto, die ante Vaticanam Baſilicam Pontificatus ſuſcepit inſignia, mox Populum Romanum ſibi clementiâ demeruit. Ferdinandum electum Auguſtum confirmavit, tum Carolum Cardinalem Caraffam Majeſtatis reum damnavit; atque in illius Conſanguineos, & Correos ſeverè animadvertit. Carolum Borromæum, Sanctorum poſtea faſtis adſcriptum, ſuum ex Sorore Margarita Nepotem, Fratremque ejus Fridericum Aronæ Comitem ob præclara amborum merita ſummopere dilexit, quorum primò Sacram Purpuram, & omnia Eccleſiæ negotia gerenda contulit, alteri verò ſummum Pontificii exercitus imperium demandavit. Abdiſu Orientalium Chriſtianorum trans Euphratem degentium Patriarcham, qui Romam venerat, benignè ſuſcepit, & doctrinam illius in Arabicis, Chaldæis, atque Aſsyriis litteris, quodque majus eſt in Catholica Fide conſtantiam admiratus, Pallio exornavit; doniſque pretioſis affectum in oras ſuas remiſit. Tridentinum Concilium jampridem cœptum, ſæpius intermiſſum, & magno cum Eccleſiæ detrimento fermè diſſolutum, ſumma contentione revocavit, miſſiſque Legatis Apoſtolicis Joanne Morono, Hercule Gonzaga, Hieronymo Seripando, Stanislao Hoſio, Ludovico Simonetta, Bernardo Navagerio, & Marco Sitico de Altaemps S. R. E. Cardinalibus, anno Chriſti MDLXIII. maxima cum Orbis Chriſtiani exultatione perfecit; illiuſque decreta ſequenti anno VII. Kal. Feb. Diplomate confirmavit. Fidelium moribus ad pietatem compoſitis, Urbem ornare ſtatuit, vias idcircò veteres reſtituit, novaſque munivit; Aquam Virginem olim dictam, nunc Saloniam, intra mœnia reduxit, tùm Romæ partem, quam Leoninam Urbem appellant, muro cinxit, Molem Hadriani propugnaculis fulſit, Vaticanas Pontificias Ædes pluribus auxit, Viam de ſuo nomine Piam nuncupatam extruxit, & in Capitolio Prætorium ſta-



Digitized by Google

ſtatuit. In Diocletiani Thermis Templum ſub titulo Sanctæ Mariæ Angelorum proprio ſumptu excitavit cum vicino Cœnobio, quod Carthuſianis Monachis donavit. Principis Apoſtolorum Baſilicam, quam Julius II. nova molitione reſtituere cœperat, perficiendam curavit. Tum effuſâ extra Urbis mœnia beneficentiâ Centumcellas, atque Arcem Oſtiæ muro portubuſque, Ravennam Vallo munivit, & Archigymnaſium Bononienſe inſtauravit. In hac etiam Metropoli Juriſperitorum Collegium, cui, ut ſupra diximus, nomen dederat, magnificis ædificiis, ac privilegiis exornavit, inter quæ illud eminet, quod ex eorum numero Auditor Romanæ Rotæ, & Conſiſtorialis Aulæ Advocatus perpetuò eligeretur. Grati animi teſtandi gratiâ, Beneficentiſſimo Patrono, atque Collegæ inſigne Marmoreum Elogium adhuc extans Juriſperiti Mediolanenſes poſuere in Sacello Collegii, quod Pius ipſe condidit, & dotavit. In Sacram Lauretanam Domum beneficus, Canonicorum, aliorumque Miniſtrorum numerum auxit, ibique Societatis Jeſu Collegium Diplomate ſtabilivit, & cenſu ditiore donavit, veterique Xenodochio novum adjecit ædificium. Plures Romæ Sodalitates ad pia opera exercenda vel inſtituit, vel firmavit. Armenis Urbem advenientibus Eccleſiam S. Laurentii *de Cavalluzzi* appellatam conceſſit, Domumque Piam pro recipiendis puellis excitavit. Urbinum in Metropolim, & Montem-politianum in Cathedralem erexit. Equites Pios numero DXXXV. inſtituit, plurimaſque Romanas Eccleſias vetuſtate labefactatas reſtauravit. Litteratos homines clementiſſimè fovit, atque ut univerſæ Eruditorum prodeſſet Reipublicæ, Paulum Manutium Aldi filium adſcivit, ut Sanctorum Patrum Volumina diligentiſſimè cuderentur, quam provinciam Viris doctiſſimis, atque inter alios M. Antonio Amulio Cardinali demandavit. Græcos in Sicilia tam citra, quàm ultro Pharum, & alibi commorantes, qui Epiſcoporum Latinorum mandatis obtemperare detrectabant, ſalvis Orientalis Eccleſiæ Ritibus ab Apoſtolica Sede approbatis, Ordinariorum localium juriſdictioni parere juſſit. Tridentini Concilii Interpretum Cardinalium Congregationis Auctor fuit, auditaque Melitenſis Inſulæ obſidione, quam Solymanus Turcarum Tyrannus totis viribus in ſuam redigere poteſtatem conabatur, præter effuſas ad Dominum exercituum preces & lachrymas, milite, comeatu, omnique ſubſidio communis hoſtis impetum retundere ſategit, miſſo Pompejo Columna cum peditibus DC., quem ſanguine illuſtres Viri non pauci nullo ſtipendio, ſed ſolo gloriæ, atque religioſæ pietatis fervore ducti comitabantur; partâque de Turcis in turpiſſimam fugam converſis victoriâ publicis indictis ſupplicationibus Omnipotenti Deo gratias egit. Verùm haud multò poſt febri correptus, ſuſceptiſque S. Caroli Nepotis ſui manu Sacramentis, cùm annum ageret ætatis ſuæ LXVI. menſes IX. Pontificatus ſui anno V. menſe XI. die XV., anno Chriſti Redemptoris MDLXV. in illis verbis: ***Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace***, ſpiritum Deo reddidit V. Id. Decembris. Cadaver illius lateritio primùm tumulo in Baſilica Principis Apoſtolorum reconditum juxta Sacellum Innocentii VIII. poſtmodum anno MDLXXXIII. die IV. menſis Januarii ad Eccleſiam prædictam Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ab eo conditam translatum eſt; impoſita marmorea mole elegantiſſima cum hoc Elogio:

D. O. M.
PIVS IIII. PONT. MAX.
MEDICES. MEDIOLANENSIS.
SEDIT. ANN. V. MENS. XI. DIES. XV.
VIXIT. ANN. LXVI. MENS. IX.
OBIIT. V. IDVS. DECEMB. MDLXV.
IOANNES. ANTONIVS. SORBELLONVS.
EPISCOPVS. PRAENESTINVS.
CONSOBRINO.
CAROLVS. BORROMAEVS. S. PRAXEDIS.
MEDIOLANENSIS.
M. SITICVS. DE. ALTAEMPS. GERMANVS.
CONSTANTIEN. S. MARIAE. TRANSTIB.
TITT. PRESBB.
AVVNCVLO.
S. R. E. CARDDD. POSVERE.

Vir fuit eruditione, atque facundia præſtantiſſimus, & hæc doctrinæ illius monumenta ſuperſunt.

I. Oratio Romæ habita coram frequentiſſimo Cardinalium conſeſſu de Decretis Concilii Tridentini, morumque Reformatione confirmandis. *Romæ, & Lovanii*, 1564. *in* 4.

II. Epiſtola ad Danielem Archiepiſcopum & Electorem Moguntinum de uſu Calicis laicis quoque nonnullis concedendo. Data Romæ die XVI. Aprilis, MDLXIV. Edita eſt in Tomo IV. *Amœnit.* Litterar Schellonii pagg. 501. & ſequentibus.

III. Ecloge Bullarum, & Motu-propriorum Pii IV. cum aliis quoque Pii V., & Gregorii XIII. *Lugduni, apud Carolum Peſnot*, 1582. *in* 8., *& Flavio-brigæ*, 1583. *in* 4. Eminent inter has Reformatio Officii Sacræ Pœnitentiariæ data anno MDLXII. IV. Non. Maji. Reformatio Sacræ Rotæ Romanæ data eodem anno VI. Kal. Januarii. Confirmatio Tridentini Concilii data anno MDLXIII. VII. Kal. Februarii, & Conſtitutio ſuper formulam Juramenti Fidei data anno MDLXIV. Idib. Novembris.

IV. Epiſtola Italica ad Coſmum Florentiæ Ducem. Extat inter Epiſtolas Principum à Hieronymo Ruſcellio collectas, in Tomo I. pag. 177.

V. Alia ad eundem de Portu Herculis capto, data Romæ die IV. Junii, MDLV. Extat impreſſa in eodem Tomo I. pag. 186.

VI. Alia Latina Joanni Cardinali Riccio de adminiſtratione Eccleſiæ Montis-politiani. In Tomo I. Italiæ Sacræ Ferdinandi Ughelli, col 1075.

VII. Alia pro Canonicis Piſanis. Ibid. Tomo III. col. 582.

VIII. Indicem Librorum prohibitorum à delectis Concilii Patribus confectum à ſe diligenter examinatum, cum regulis ſuper eiſdem perfectis, probavit, & edidit.

IX. Epiſtola latina ad Regem Catholicum: data die X. Octob. MDLXIII. in qua dolet de Comite Lunæ Tridentini Concilii concluſionem impediente. Extat MS. in Cod. Bibliothecæ olim Comitis Cæſaris Montii.

X. Alia ad ejuſdem Concilii Legatos: data die IX. Januarii MDLXIII. Extat ibid.

XI. Alia ad Nuncium Regis Catholici: data die VI. Octob. MDLXIV. ibid.

XII. Alia ad Aloyſium Lippomanum Epiſcopum Veronenſem ſuper proceſſu Epiſcopi Vratislavienſis: data die XXII. Decembris, MDLV. ibid.

XIII. Epiſtolæ plures ad Diverſos Italicæ de Tridentini Concilii negotiis. Leguntur in Cod. MS. in fol. ſignat. R. num. 122. in Biblioth. Ambroſiana. Habentur in eodem Codice Reſponſiones ad ipſum Ferdinandi Imperatoris, Ducis Bavariæ, Guillelmi Ducis Clivienſis, & Philippi II. Hiſpaniarum Regis. Codex ſpectabat ad S. Carolum, qui poſtillas plures propria manu adjecit.

Supremas voluntatis ejus Tabulas, in quibus multa notabilia, & ſcitu digna reperiuntur, receptas die VIII. menſis Febr. anno MDLXIV per Alexandrum Peregrinum Civem Comenſem Rever. Cameræ Apoſtolicæ Notarium, ſervat in Muſeo ſuo amiciſſimus JC. Sitonus.

Vitam

Vitam illius ſcripſit Ducheſnius, aliique ut infra.
Oravit in ejus Funere Cardinalis Sylvius Antonianus prælaudatus.
Alias inſuper Orationes de ipſius laudibus habemus, nempè
Antonii Comitis Melitei, de quo jam diximus:
Ambroſii Spinulæ nomine Reipublicæ Genuenſis, quæ laudatur ab Oldoino in addit. ad Ciacconium loco citando.
Alexandri Leonardi, quæ inſtante Petro Antonio Alciato Latinè, & Italicè *Patavii, anno* 1565. in lucem prodiit, S. Carolo dicata.
Joannis Barbo à Burdeſia Galli, nomine Franciſci Galliarum Regis coram Pio habita: hanc in vulgus emiſſam fuiſſe cit. Oldoinus aſſerit.
Pomponii Cottæ Mediolanenſis pro Collegio J. C. C. Oratio coram ipſo pronunciata, in ipſius Cottæ Articulo à nobis eſt indicata.
Extant plures Epiſtolæ ad eundem Cardinalis Franciſci Alciati in MS. cui titulus: „ Variæ litteræ ad „ Alciatos, & eorum ad alios, in Biblioth FF. Marchionum Vicecomitum.
Epiſtolam latinam Julii Peruſci, qua eidem Pontificatum gratulatus eſt, edidit Oldoinus in notis ad Ciacconium, ut infra citabimus; atque alias Aurelii Porcellagæ ad Vincentium Gonzagam diei XXV. Octobris, anni MDLXI., in quibus Pii mores deſcribuntur.
Epiſtolæ III. Ferdinandi I. Imp. ad eum; quarum prima gratulatoria eſt de aſſumptione ad Pontificatum data die XVI. Januarii anno MDLX. Secunda monet ne Concilium Tridentinum ſuſpendi, aut abrumpi patiatur, data anno MDLXII. Tertia demum ut Clericis conjugium, Laicis Calicis uſum permittat, data anno MDLXIV. Alia etiam Maximiliani II. Auguſti de hoc poſtremo Argumento data prædicto anno. Extant omnes in libro: „ Litteræ Procerum Europæ à Jo. Chriſtia„ no Lunig collectæ. Tomo I. *Lipſiæ* 1712. pagg. 777. 782. 786. & 804.
Aliæ Epiſtolæ Helvetiorum ad Pium IV. Pont. pro gratulatione ipſius aſſumptionis, & de Religionis negotio in eorumdem diſtrictu agentes, Italico idiomate exaratæ, & anno MDLX. ſcriptæ. Extant in Cod. MS. Biblioth. Ambroſianæ, ſign. B. n. 101. in fol.
Petri Donati Ceſii Epiſcopi Narnienſis de laudibus Pii IV. libri tres; in quibus illuſtriora Pontificis facta, cum typis eorumdem expreſſa ſunt atque effigie Pontificis ex minio. MS. in fol. opt. notæ, ſignat. A. num. 111. dono dedit Bibl. Ambr. Comes Antonius Borromæus Ceri Dux, anno MDCLXIV.
In Libro, cui titulus: Carm. Illuſt. Poët. Ital. Tom. III. pag. 391. extat Carmen Antonii Cerruti Novarienſis ad Joan. Angelum Mediceum nuper Cardinalem factum.
In Tomo autem VII. ejuſdem Operis pag. 66. extat Dyſticon Franciſci Panigarolæ in mortem Pii IV.
In Tomo XI. pag. 240. extat Epigramma Franciſci Vinthæ Volaterrani ad Pium IV. Pont. Max. de Concilio.
Publius Franciſcus Spinula plura Carmina Latina edidit in ejus laudem, nempe inter Odas adeſt una pag. 28. in libro Epodon, alia pag. 24., necnon Elegia prima pag. 1., & Diſticon de Morte Jo. Jacobi fratris inter Epigrammata pag. 16.
Celeberrimi ſuæ ætatis eruditi Viri Pium Lucubrationibus, quas typis tradebant, Patronum quaſi certatim adſciſcere ſolebant; inter quos Paulus Manutius eidem inſcripſit Tractatum de Concilio Reginaldi Poli Cardinalis: Marianus Victorius Reatinus Opera omnia S Hieronymi cum Notis: Thomas Campegius Bononienſis, Epiſcopus Feltrenſis librum ſuum: De auctoritate Sacrorum Conciliorum.
Meminerunt tanti Pontificis Ciacconius in Vitis Pont. & Card. Tomo III., & Oldoinus in addit. ad eundem, ubi etiam multi citantur de illo ſcribentes; J. C. Sitonus in Chron. Collegii J. C. C Mediol. Art. 413. pag. 95., & alibi: Picinellus in Athenæo pag. 471., aliique innumeri.

## MCCCII.

## PLANTANIDA ALOYSIUS.

IN Oppido Ferno vocato, prope Galleratum ſito, Gens Plantanida antiquitus etiam floruiſſe perhibetur non tam ex Aloyſio, qui nunc à nobis laudatur, quàm ex aliis hujus cognominis, ut infra. In evolvendis verò Codicibus Bibliothecæ Monachorum Olivetanæ Congregationis, Cœnobii Sancti Victoris hujus Urbis, incidi in Carminum Volumen optimo ſtylo Latino conſcriptorum ab Aloyſio Plantanida, qui ipſum Abbati Joanni Franciſco Foſſato, de quo jam egimus, nuncupavit, ideoque jure merito & inter Poëtas Latinos non infimæ notæ ſæculi XVII., & in numero Scriptorum Mediolanenſium, ipſum recenſendum eſſe duximus.

En Libri titulus:

I. Carminum Libellus, ad Abbatem Joannem Franciſcum Foſſatum MS. in 4. juſtæ molis, ſign. G num 3. Extat in ſupradicta Bibliotheca Sancti Victoris Mediolani.

## MCCCIII.

## PLANTANIDA JO. BAPTISTA.

IN Seminario Clericorum hujus Urbis Alumnus extitit Joannes Baptiſta Plantanida, ibidemque ſtudiis peractis Lauream Theologicam adeptus eſt. Dein ſæpe laudatam Congregationem Oblatorum SS. Ambroſii & Caroli ingreſſus, Sacros Canones, necnon Conciliorum Hiſtoriam tam attentè ſolidèque perlegit, ut brevì famam non modicam apud Doctos ſibi acquiſiverit. Oratoriam quoque facultatem ſummo cum plauſu proſecutus eſt, nec à Muſis etiam abhorruit. Eccleſiam Præpoſituralem Sancti Donati obtinuit, & anno Chriſti MDCXXXII. ad Canonicatum Metropolitanæ Eccleſiæ meritò promotus fuit; è vivis autem exceſſit anno MDCXXXIX.

Hæc typis mandavit:

I. Orazione detta nel Duomo di Milano nell'aprirſi de i Tribunali. *Ivi, preſſo gl' Impreſſori Arcbiepiſcopali*, 1629. *in* 4.
II. La Miſtica Colomba, Panegirico per le glorie di San Carlo. *Milano, preſſo il Ghiſolphi*, 1635. *in* 8.
III. Poëmata varia in Laurea Patris Marcheſii, à Hieronymo Villa collecta, alibi à nobis memorata.
IV. Alia in Collectionibus pluribus Ticinenſibus, nempe pro Laurea collata Hieronymo Meltio, aliiſque.
Videndum Athenæum Picinelli pag. 283.

## MCCCIV.

## PLANTANIDA JOSEPH.

ALter ex Gente Plantanida à Ferno nunc eſt memorandus, qui Capuccinorum Religionem ingreſſus vocari voluit tantùm Joſeph à Ferno, in Bononienſi verò Provincia Vicarius Provincialis, ac totius Ordinis Diffinitor Generalis electus anno MDLII. Vir fuit eximiæ perfectionis, & altiſſimæ contemplationis: toto enim vitæ ſuæ tempore extitit auſteriſſimus, Seraphicæ Regulæ ſedulus excultor, arctiſſimæ paupertatis exemplar, Orationis amator, ac totius Evangelicæ perfectionis integer æmulator; doctrinâ quoque, ſapientiâ, ac prudentiâ plurimùm excelluit: Congregationes, ſeu Religiones S. Pauli Decollati, qui vulgò Barnabitæ vocantur, & Clericorum Regularium de Somaſcha nuncupatorum, magnoperè ſuo conſilio juvit: illarum enim Præfecti in Viſitationibus peragendis eum ſemper ſibi comitem adjungebant, nec unquam, abſque ejus conſilio, quidquam agebant. Eximius quoque, ac verè Apoſtolicus fuit ſua ætate Concionator, & Orationis Quadraginta Horarum primus auctor, & inſtitutor; eâque mediante admirabiles, ac penè incredibiles in hominum animis impetus divini amoris, ac mutationes effecit, præſertim Mediolani, Ticini, Senis, Biturgiæ, Eugubii, & in aliis Italiæ Civitatibus, in quibus tam pia inſtitutio ab illo relicta, uſque ad hodiernum diem perenni religione per totum anni circulum devotiſſimè percolitur. Spondanus in Continuatione Annalium Eccleſiaſt. Baronii Tom. II. ad annum MDLVI. de illo ſic ſcribit: „ Mortuus eſt „ hoc anno Mediolani Joſephus Fernenſis Capucci„ nus,

Digitized by Google

„ nus , Vir Theologia apprimè excultus , quem Au-
„ ctorem , & Inſtitutorem fuiſſe volunt utiliſſimæ
„ Orationis 40. Horarum, cùm Urbs Mediolanenſis,
„ ob graſſantia Cæſaris , & Regis Francorum bella,
„ maximè conſternata jaceret ; in ea Joſephus præ-
„ dicationi vacans Civibus perſuaſit Orationem inſti-
„ tuere , ex qua futurum pollicebatur , ut ab hujuſ-
„ modi ærumnis liberarentur . Quare communi Ur-
„ bis conſilio ea primò in Eccleſia Cathedrali, dein-
„ de in aliis per totum anni circulum inſtituta fuit ;
„ unde poſtea hæc pia inſtitutio in univerſum Chri-
„ ſtianum Orbem diffuſa fuit „ . Hæc ille . Clarus miraculis, ac ſanctis laboribus in prædicatione Verbi Dei , ac converſione animarum ferè conſumptus , ad præmia evolavit Mediolani , anno ſupradicto MDLVI.

Scripſit :

I. Methodum , ſive Inſtructionem celebrandi devotè, & cum fructu ſupradictam 40. Horarum Orationem . *Mediolani anno 1571., & alibi diverſo tempore.*

II. Conciones plures , quæ ob venerationem hujus Viri Dei à devotis raptæ fuerunt .

Ejus geſta copiosè deſcribuntur à Boverio Tom. I. Annal. Capuccinor. ad annum prædictum ex MSS. ibi allegatis . De eo etiam meminerunt Auctor Manipuli FF. Minorum in cap. 7. Carolus de Aremberg in Florib. Seraphicis , Tom. I. pag 43. Regulæ S. Franciſci . Arturus à Monaſterio in Martyrologio Franciſcano ſub die V. Januarii, anno MDLVI. ubi eum nuncupat Beatum Joſephum Fernenſem ( videlicet de Plantanidis à Ferno . ) Diploma Leopoldi Auſtriaci Imperatoris , dat. Lintzii ſub die XIV. Novembris, an. MDCLXXX. *impreſſ. in fol.*, quos omnes allegat Clar. Advocatus Sitonus in Monumentis Familiæ Nobilium de Plantanidis . *Mediol. apud Joſephum Mlateſtam*, 1717. *in fol.*

## MCCCV.

## de PLATEA CAROLUS BARTHOLOMÆUS.

CArolus Bartholomæus Piazza, ſive de Platea in Mediolanenſi Ditione , an. MDCXXXII. XVII. Kal. Febr. honeſtis Parentibus natus eſt , & in Collegio Clericali , quod Majus Seminarium appellant , in Urbe Mediolanenſi humanas , divinaſque literas optimè didicit . In ipſa adoleſcentia ſedulam Philoſophiæ , atque Theologiæ navavit operam adeò, ut Divinarum Rerum Magiſter publicè ſit renuntiatus . Inter Sacerdotes , qui Oblati dicuntur , cooptatus , dignus ab Alphonſo Litta Archiepiſcopo, & S.R.E. Cardinali habitus eſt, qui Collegiis, aliiſque à Divo Carolo inſtitutis piis operibus præficeretur. In Templo Maximo Epiſtolas Divi Pauli publicè interpretatus , Monialium Aſceteriis, Cleri comitiis, frequentique Populo Conciones plures habuit . Hinc Archicatechiſtæ , atque Sodalitatum in compitis Urbis Crucem colentium Præfecti munus exercens, Joſephi Franciſci Burri venenata Dogmata , ut teſtem habemus Alexandrum Perlaſcam in Orationibus , primus ad Archipræſulem detulit . Franciſcum Saleſium Gebennenſem Antiſtitem recèns inter Beatos recenſitum eloquentis Panegyris laudatione eſt proſecutus , quam etiam typis publici juris fecit . Spiritualium Ambroſiani Cleri exercitationum Præfectura, à Gregorio Barbadico Cardinali Epiſcopo Patavino Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ad Ordines promovendorum, & Divini Verbi Præconum examinis in Patavina Diœceſi cura ipſi eſt demandata , & poſtmodum ipſius Antiſtitis nomine univerſam luſtravit Provinciam . In Urbe Patavio Clericorum Collegium, in Diœceſi verò Adoleſcentium alterum erexit , indeque Oblatorum Sodalitium , cui primus Generalis Præpoſitus ipſe præfuit. Ab ipſo Archiepiſcopo Litta in Patriam revocatus Theologicâ Præbendâ in Inſigni Mediolanenſis Diœceſis Oppido decoratus , à Barbadico annuo cenſu , & rectè factorum præconiis muneratus, vix munus obierat , cùm tuendæ valetudinis tantis fractæ laboribus ergo, Præbendam ipſam reſignavit . Interim Eccleſiaſticam Valerii Cardinalis Rhetoricam & Joannis Bonæ itidem Cardinalis Manuductionem ad Cœlum nomini ſuo ſacras typis evulgatas aſpexit . Sub Clemente X. Romam profectus à Carpineo Cardinali ea tempeſtate Urbis Vicario ad Cœnobia Virginum , Parochialium Templorum, Sodalitatum, & hujuſmodi negotia curanda electus eſt . Recurrente Jubilæi anno , qui fuit Salutis noſtræ MDCLXXV. Menologium Romanum protulit , quod ut publico voto ſatisfieret denuò impreſſum fuit, inſcripto Emerologii Romani titulo ; Id opus tam gratè excepit Pontifex , ut Auctori Monaſterium in Agro Ticinenſi commendaverit , & inter Sacræ Congregationis Indicis Conſiliarios cenſeri juſſerit. Ab Innocentio poſtmodum XI. primùm Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Præfectus , hinc Apoſtolicus Viſitator , poſtremò Sanctæ Mariæ in Coſmedin Archipresbyter conſtitutus , Ludoviſio Cardinali Epiſcopo Sabinenſi morem gerens , ejus Diœceſim inviſit , quod petente Cardinali de Comitibus ſecundò , & Innocentio XII. jubente tertiò præſtitit . Tiburtinam quoque Albitii , Præneſtinam Raggii , Tuſculanam Cybo , Oſtienſem & Velletrinam Facchinetti , & Portuenſem bis ejuſdem Cybo Cardinalium juſſu Diœceſes viſitans peragravit; & in Portuenſi per ſeptennium Vicarii Generalis munus exercuit. Oſtienſem quoque Eccleſiam, ipſo Cardinali Cybo mandante, per octennium Vicarius rexit, aliaque ejus generis officia ſumma cum laude ſuſtinuit . In Vaticana Baſilica totius Cleri Urbani anno MDCXCVIII. Theſaurarius, ( Camerlengum vulgò dicunt) lectus eſt, Catechiſmi, Hoſpitii Armenorum, Puellarum ad Templum Pacis Partenodochii regendi munus ſuſcepit , & Evangelicos Operarios per univerſum Latium , ſimulque Nationalem Inſubrum Eccleſiam D. Caroli, cognomento ad Curſum, moderatus eſt. Majorum Dignitatum gradus pro animi ſui demiſſione conſtanter recuſavit , ſemper litterarum ſtudiis deditus , Voluminibuſque conſcribendis intentus uſque dum mors invida ipſum rapuit , anno MDCCXIII. Jacet poſt Aram maximam D. Caroli in Urbe , ubi Pontifex Maximus Clemens XI. Sacra ei celebrari voluit in ipſius Funere .

Quæ ſcripſit partim edita , partim adhuc deſiderata , ut typis tradantur , hæc ſunt :

I. Panegirico in lode di S. Franceſco di Sales. Dedicato all'Eminentiſſimo Cardinal Litta Arciveſcovo di Milano. *Ivi, per il Cardi*, 1661. *in* 4.

II. Iſtoria della Vita di S. Franceſco di Sales.

III. Euſebiologio Romano , ovvero dell' opere pie di Roma, con due Trattati dell' Accademie, e Librerie celebri di Roma. *Ivi per Giovanni Andreoli*, 1679. *in* 4. *Et iterum cum additionibus*, 1699. *in* 4.

IV. Eortologio, ovvero le Sagre Stazioni di Roma, e Feſte Mobili. *Roma, per Gaetano Zenobj*, 1702. *in* 8.

V. Emerologio Sagro di Roma Criſtiana, e Gentile. *Roma, per Domenico Antonio Ercole*, 1690. *tom.* 2. *in* 12. *Et iterum ibidem, tertia editio cum additionib.*

VI. Cherologio, ovvero diſcorſo dello ſtato vedovile ſpiegato colle memorie illuſtri di S. Paola Vedova. *Roma, per il Bernabò*, 1708. *in* 4.

VII. Santuario, ovvero Menologio Romano perpetuo. *Roma, per il Tinaſſi*, 1675. *in* 12.

VIII. Hieroxenia, ovvero Sagra Pellegrinazione alle ſette Chieſe di Roma. *Ivi, per gli Eredi del Corbelletti*, 1694. *in* 8.

IX. Efemeride Vaticana per i Pregj Eccleſiaſtici d'ogni giorno dell'auguſtiſſima Baſilica di S. Pietro in Vaticano. *Roma, per gli Eredi del Corbelletti*, 1687. *in* 4.

X. Della Gerarchia Cardinalizia, cioè de' ſei Veſcovadi, de' Titoli, e Diaconie Cardinalizie. *Roma, per il Bernabò*, 1703. *Libri III. in fol.*

XI. L'Iride Sacra de' colori Eccleſiaſtici. *Roma*, 1682. *in* 8.

XII. La Settimana Romana, in 12.

XIII. Dell' uſo, miſtero, ed antichità appreſſo diverſe Nazioni, de' Riti, e Cerimonie nell' Eſequie, e Funerali paſſati, ſino a' Secoli noſtri Criſtiani, in 4.

XIV. Annotazioni allo Statuto del Clero Romano, MSS.

XV. Effemeride Lateranenſe, MS.

XVI. Effemeride Liberiana, MS.

XVII. De' Faſti Romani, Gentili, ed Eccleſiaſtici, MS. in fol.

XVIII. Dell' uſo antichiſſimo della Chieſa, e miſtero de' lumi, e delle lampadi, MS.

XIX. Dell' uſo, miſtero, e prerogative della tonſura Eccleſiaſtica, MS. in 4.

XX. Del ſignificato degli abiti del Sommo Pontefice, de' Cardinali, e dell' ordine tutto, Eccleſiaſtico, e Regolare. MS. in 4.

XXI. Delle Cerimonie e Riti nella adorazione del Sommo Pontefice, MS. in 4.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Delle Campane, dell' Incenſo, e dell' uſo venerabile del Canto Gregoriano. MS. in 4.
XXIII. Delle Sacre Pitture, ed Immagini contro la profana licenza de' Pittori nel farle: e de' Fedeli nel tenerle nelle loro Caſe Criſtiane. MS. in 4
XXIV. Dell' antichiſſimo coſtume del velarſi le Donne nella Chieſa per riverenza degl' Angeli, e del ſepararſi in eſſa dagli Uomini. MS. in 4.
XXV. Rerum Myſtagogicarum Biblioteſſera, ſive de recta Sacrorum Rituum, ac Cœremoniarum norma. MS.
XXVI. De privata, ſive Chorali Divini Officii ritè perſolvendi diſciplina. MS. in 4.

Hæc hauſimus ex Libro, cui titulus: „ Elogj Accademici della Società degli Spenſierati di Roſſano, deſcritti dal Dottore Don Giacinto Gimma. *Napoli*, 1703. pag. 60. „ Nobis attamen incompertum eſt, an nonnulla, quæ ibi indicantur MSS., ſint poſtea in lucem edita nec ne. Videndus etiam Picinellus in Athenæo pag. 107.

## MCCCVI.

## de PLATEA FRANCISCUS.

Franciſcus de Platea Patrem habuit Joannem Petrum, cujus adhuc extat Monumentum in Eccleſia Sancti Angeli hujus Urbis ſic breviter inſcriptum:

IO. PETRI PLATEAE
SVCCESSORVMQVE SVORVM
ANNO MDCIV.

Sacris noſter initiatus Canonicatum in Regia Collegiata Scalenſi hujus Metropolis adeptus eſt anno poſt Virginis Partum MDCXIV., litteriſque deditus, ingenium laboremque ſuum vertit ad expiſcanda antiqua Documenta pro Hiſtoria Archiepiſcoporum Mediolanenſium texenda apprimè utilia. Rem tamen ſatis difficilem aggreſſus eſt, ut facilè agnoſcitur, eo quia uſque ad hodiernam diem provinciam hanc minimè ad umbilicum productam habemus, etſi plures Viri doctiſſimi ad eam perficiendam non modicum inſudarint. Ex Franciſci attamen noſtri fœtibus infra recenſendis plurimùm luminis haurire poſſunt, aut jam potuere illi, quibus cordi eſt tam præclaram Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ partem pertractare. Obiit Vir iſte de Patria ſummè meritus citò nimis, ideſt anno MDCXXX., dum plura ab ipſo expectanda erant.

Hæc de eo damus:

I. Franciſci Plateæ Canonici S. Mariæ Scalenſis Adverſaria in modum Abecedarii digeſta, ad efformandam diffuſam Hiſtoriam Archiepiſcoporum Mediolanenſium. Adeſt primus Quaternio ſic ab eo inſcriptus: „ De Vita ac Geſtis S. Barnabæ Apoſtoli, & primi Mediolanenſium Archiepiſcopi. Caput I. de ortu, pueritia, fama, & geſtis ab eo uſque ad profeſſionem ſuam Mediol.
II. Dubia quædam circa celebrationem Feſti S. Honorati Archiep.
III. Excerpta varia ex Hiſtoriarum libro Arnulphi.
IV. De Geſtis in Urbe Mediolani ab exordio Urbis ad ann. Chriſti MCXXI.
V. De Archiepiſcopis Mediolanenſibus. Opus imperfectum, quod Teſtamento legavit Auctor Card. Cæſari Montio. Extat in Bibliotheca Ambroſiana MS. in fol. ſign. T. num. 159. Sed plura alia ad idem Opus perficiendum ipſiuſmet Auctoris extant uno Volumine in fol. MS. penès J. C. Jo. Angelum de Cuſtodibus amiciſſimum, ac alibi laudatum.

Agunt de eo Schedæ Sitonianæ, necnon Picinellus in Athenæo Mediolanenſi pag. 217.

## MCCCVII.

## PLATUS ANASTASIUS.

Etſi Abbas Picinellus duos tantùm fratres Anaſtaſio Plato, de quo nunc ſermo eſt, in ſuo Athenæo Mediolanenſi dederit, Theodorum nempe, atque Petrum Antonium, quorum ſuo loco laudes dabimus meritas, tamen haud ſatis ſibi conſtans in Articulo Platini Plati, tres Anaſtaſii germanos enumerat. Hi omnes Georgii J. C. Collegiati, atque Agnetis Muzzanæ filii extiterunt, Georgius ipſe inter hos Scriptores enumerabitur infra, & ex eodem lumen ſatis ſplendidum tota gens Plata, ut videbimus, procul dubio accipit. Anaſtaſius interim noſter utriuſque Juris Profeſſor non infimæ notæ, in Collegio J. PP. Nobilium Mediolanenſium cooptatus eſt anno Orbis redempti MCCCCLXXV. Muſas quoque adamavit, & laudatores habuiſſe Philelphum, Georgium Merulam, alioſque ſui ævi Viros eruditiſſimos ſatis perpetuò erit ad illum doctiſſimum oſtendendum, etſi parum de ipſo nobis ſervaverit ætas. Obiiſſe dicitur anno Chriſti MDVI. atque hæc de ipſo damus,

Scilicet:

I. Quæſtio diſputata per eximium J. U. Doctorem Dominum Anaſtaſium Platum Mediolanenſem. In ea ſatis eruditè agitur; an liceat his, qui nefandi criminis notâ infames ſunt, teſtamentum condere, & negativam tenet Platus noſter ſententiam. Edita eſt inter Conſilia Andreæ Barbatiæ, Volumine I. poſt Conſilium LXIV., quæ prodierunt *Tridini, per Joannem de Ferrariis, aliàs de Jolitis, ac Gerardum de Zejis*, 1517. *in fol. max.* Opus hoc laudavit Platinus Auctoris frater pluribus Carminibus, quæ in ejus Articulo memorabimus. Idipſum præſtitere Joannes Baptiſta Boſſius Tridinenſis Poëta, & Joannes Græcus Clericus Placentinus Verſibus, & demum Georgius Merula Alexandrinus Epiſtolâ latinâ ad Anaſtaſium ipſum data; quæ omnia in eodem Codice leguntur. Inſcriptum eſt Opus ipſum Joanni Jacobo Balſamo, & Joanni Henrico Pechio Juriſconſultis.
II. Epiſtolæ plures latinæ ad Platinum fratrem, datæ annis MCCCCLXXXVI. ad MCCCCXCVII. Extant inter Epiſtolas Platini, de quibus ſuo loco, ſicuti Epiſtolæ Platini ad Anaſtaſium.

In Libro, cui titulus: Carm. Illuſt. Poët. Ital. Tom. VII. pag. 279. extat Epigramma Platini Plati, ad Anaſtaſium Platum fratrem optimum.

In lib. VI. Epigrammatum Lancini Curtii, edit. Mediol. anni 1521. pag. 90. legitur Carmen in laudem Anaſtaſii noſtri.

Laudatur, ut diximus, à Philelpho in Oratione pro Theodoro Plato J. C. pagg. 48. & 71. à Moriggia in lib. 3. Nobil. Mediol. cap. 9., à Sitono in Chronico J. PP. Mediol. pag. 58. Art. 238., & in Append. pag. 29. ab amiciſſimo Canonico Irico in ſua Typographica Tridinenſi, quam typis parat, nec non à Picinello in ſuo Athenæo, pag. 24.

## MCCCVIII.

## PLATUS DOMITIUS.

Domitium Platum Mediolanenſem nobili progenie ortum Hieronymus, & Antonia Vincemala de Aragonia Conjuges, quos ipſe parentes habuit, unà cum fratribus ejus paulò poſt memorandis, ſummâ diligentiâ educarunt. Quamvis autem liberalibus ſtudiis ab ipſa ineunte ætate ſedulò vacaſſet, adoleſcentiam tamen ingreſſus arma ſecutus eſt. Itaque fervente celeberrimo Cretenſi bello, ſub auſpiciis



Digitized by Google

ciis Comitis Martinenghi eò ſe contulit, ubi non infima dedit bellicæ fortitudinis ſpecimina anno MDLXXX., quæ ipſe fuſiùs recenſet in Codice MS. infra memorando, quem Flaminio fratri ſuo tunc J. C. poſtea verò S. R. E. Cardinali, inſcripſit. Inde reverſus, eximiæ Societati Jeſu nomen dedit, in qua anno Salutis MDLXXXIX. ætatis ſuæ XXXIII. profeſſionem trium Votorum nuncupatam emiſit. In Domo Profeſſa Urbis Romæ maximam tranſegit vitæ partem, ubi domeſticæ diſciplinæ, reique œconomicæ curam geſſit, animarumque ſalutem piis promovit artibus. Viri apprimè religioſi, & Regularum obſervantiſſimi nomen ſibi acquiſivit uſque adeò, ut cum octogenario major anno Chriſti MDCXLIII. migraſſet è vita die XXXVI. menſis Decembris, ad Beatorum requiem tranſiſſe à Scriptoribus perhibeatur.

Pietas ejus, atque Doctrina in Lucubrationibus illius ſuperſunt, quæ ſunt:

I. Della Paſſione del Salvatore, con la Pratica dell' Orazione per meditare con frutto la Paſſione medeſima. *Roma, preſſo Bartolomeo Zanetti*, 1607. *in* 4.
Hoc ipſum Opus in latinam tranſtulit linguam Antonius Dulken Monachus Carthuſianus, editumque eſt *Coloniæ, apud Bernardum Gualtherum*, 1610. *in* 8.

II. Pratica dell' Orazione per meditare &c. Hanc ſuperioris Operis partem alteram ſeorſim prodiiſſe, in 12. ait Sotwel loco citando, ſed locum, atque Typographum non indicat.

III. De Rebus in militia à ſe geſtis in Regno Cretenſi, anno MDLXXX. ſub auſpiciis Comitis Martinenghi, cum Epiſtola dedicatoria ad Flaminium fratrem ſuum tunc J. C., poſtea S. R. E. Cardinalem. Codex MS. ex Authographo, qui erat in Bibliotheca Cardinalis prædicti. Extat in Archivo Monachorum S. Ambroſii hujus Urbis, Cod. ſign. A. num. 40. paginarum 190.
Ipſum commendant Sotwel pag. 180. Alegambe in Biblioth. Societ. Jeſu, Sitonus amiciſſimus in Schedis, atque Picinellus in Athenæo pag. 165. monens eum laudari in additionibus ad Biblioth. Sanctam Xiſti Senenſis, licèt ibi perperam pro Domitio Dominicus appelletur.

## MCCCIX.

## PLATUS FLAMINIUS.

Flaminius Platus Domitii mox à nobis memorati frater, Hieronymum, atque Antoniam Vincemalam de Aragonia parentes habuit, è quibus anno MDXLVIII. in hac Metropoli primam aſpexit lucem. Nobilitatem generis, quo Sfondratam Familiam attingebat, virtutum, doctrinæ, ac dignitatum ſplendore clariorem reddidit. Minoribus ſcientiarum curriculis diligentiſſimè exactis, Juris utriuſque ſtudiis ſe addixit, Doctorque renunciatus, anno Salutis MDLXXV. Juriſperitorum Collegio adſcribi meruit. In Palatinis poſtmodum Scholis Cæſareum Jus ſummo cum plauſu Auditoribus tradidit; ſacriſque initiatus, Gregorio XIII. in Petri Cathedra ſedente, Romam petiit, à quo anno MDLXXXIII. inter Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatos aſſumptus eſt. Eò in munere cùm ſe laudabiliter exercuiſſet, à Sixto V. Gregorii ſucceſſore Romanæ Rotæ Auditor creatus, admiſſus fuit die VII. Februarii anno MDLXXXVI., atque in officio perſeveravit etiam ſub Urbano VII. quo defuncto Gregorius XIV. loco ſuo à nobis laudatus Summum nactus Pontificatum, Flaminii doctrinâ magis, quàm affinitate permotus, anno MDXCI. Prid. Non. Martii, eum Purpurâ honeſtavit, Diaconumque Cardinalem Sanctæ Mariæ in Dominica conſtituit. Agitabantur interea in Urbe Ducis Ferrarienſis negotia, cùmque ipſa jure tractari, ac definiri Pontifex cuperet, plures elegit ex Ampliſſimo Patrum Ordine, quibus hujuſmodi Provinciam demandaret. Hi fuere Geſualdus, Palæottus, Alexandrinus, Madrucius, Fachinettus, Valerius, Salviatus, Laureus, Lancellottus, Aldobrandinus, Matthæius, & Columna, hiſque addidit Platum noſtrum. Gravia quæque, necnon maximi momenti res ipſi committere Gregorius conſueverat, quòd ſummam in eo integritatem, continentiam, mores optimos, cum gravitate, prudentiâ, & ſingulari dicendi libertate admiraretur. Minor autem illi non fuit gratia apud Innocentium IX. atque Clementem VIII., à quorum poſtremo anno MDXCII. è priori Diaconia ad alteram SS. Coſmæ & Damiani tranſlatus eſt. Sequenti anno Presbyter Cardinalis, tituli S. Clementis, tum anno MDXCVI. die X. menſis Junii tituli S. Onuphrii fuit renunciatus, è quo paulò poſt ad illum Sanctæ Mariæ de Pace tranſiit. Cooptatus fuit inter Patres Sacræ Conſultæ, Interpretes Concilii, Præfectos negotiis Epiſcoporum & Regularium; & Canonicorum Regularium Congregationis Protector extitit. Inſigne toreuma, quod pars fuerat Tumuli Gaſtonii Foxii, Auguſtini Buſti Mediolanenſis opus, ducentis aureis nummis emit. Hoc Abbas Cæſar Platus, filius Horatii, & Hieronymæ Lomenæ Conjugum, & Flaminii ex Fratre Nepos, & hæres, Ambroſianæ Bibliothecæ donavit, qua de re agit Petrus Paulus Boſca lib. V. de origine, & ſtatu ejuſdem Bibliothecæ. Iſtius porrò munificentiæ ſacer Auguſtinenſium Patrum Nudipedum Cœtus debet extructionem Cœnobii SS. Coſmæ, & Damiani in Oppido Turris Cottarum, vulgò *Turbico*, Mediolanen. Diœceſis; pro ut in Sacrario ejuſdem Templi poſito grati animi monumento, iidem Patres teſtati ſunt: Eccleſiam ipſam Divorum Reliquiis locupletatam, & præſertim Corpore Sancti Polycarpi Presbyteri & Martyris decoravit, ut aſſerit citatus Boſca in Martyrol. Mediol. ad diem XXIII. Februarii in Notis. Inter illius virtutes emicuere æquitas, animique tranquillitas, in omnes ad ſe accedentes humanitas, in egenos beneficentia, & humilitas eximia. Deſideratus eſt præſtantiſſimus Præſul ſedente Paulo V. ætatis ſuæ anno LXIII. Chriſti verò MDCXIII. die II. Novembris, tumulatuſque fuit in Templo Auguſtiſſimi Nominis Jeſu in Urbe Roma, ubi hoc marmori inciſum Elogium Cadaveri illius impoſitum conſpicitur:

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.
FLAMINII PLATI PATRICII MEDIOLANENSIS
S. R. E. PRESB. CARD.
OSSA HIC IACENT
CVIVS PERITIAM LEGVM
OPPORTVNITATEM CONSILIORVM STVDIVM RELIGIONIS
NON HIC DISCES SEPVLCHRALI FIDE POSTHVMAQVE FAMA
DISCES SI ID CVRAS
AB ROMANAE ROTAE IVDICIBVS
A PVRPVRATORVM PATRVM SENATV
APVD QVOS COLLEGAE INCOMPARABILIS ADMIRATIO
IN PERPETVVM VIVET
QVOD AVTEM VIRO MORTALE FVIT
HIERONYMVS PLATVS COMES CARPINIANI
EQVES S. IACOBI A SPATHA
IN HOC SVAE ERGA OPTIMVM PATRVVM PIETATIS MONVMENTO
COMPOSVIT
OBIIT ANNO DOMINI MDCXIII.
AETATIS SVAE LXIII.

Scripta Flaminii noſtri his prænotantur titulis:

I. Deciſiones S. Rotæ Romanæ. Has humilitatis cultor eximius in lucem edi non eſt paſſus; ſervantur tamen MSS. in Archivo molis Hadriani.

II. De Renunciationibus in Jure Civili.

III. De Oppoſitione compromiſſi. Hæc duo Opera hauſimus ex infra recenſendis Scriptoribus, quorum nullus ubi deliteſcant indicavit.

IV. Relazione dell' Illuſtriſſimo Piatti a Noſtro Signore ſopra le differenze Giuriſdizionali tra il Foro Eccleſiaſtico, ed il Secolare di Milano. MS. in 4. Extat in Archintea Bibliotheca.

V. Iſtruzione data al Padre Carlo Maſtrilli dall' Illuſtriſſimo Sig. Cardinale Piatti. Agitur de eodem argumento. MS. in 4. ibidem.

VI. Altra Informazione a noſtro Signore ſopra lo ſteſſo Argomento. MS. ibidem.

In eodem Codice reperiuntur Capitula à Principe Mediolani cum Epiſtola ſua tranſmiſſa Egregio & Sapienti Viro Domino Poteſtati Mediolani, ſub data Mediol. die XVIII. Auguſti MCCCLIX., in quibus agitur de modis tenendis, ne Laici ſub Eccleſiaſtico Magiſtratu fruſtrentur indebitis laboribus, & è converſo quod Clerici non poſſint conqueri, quod libertate Eccleſiæ priventur. MS. ibidem.

Parere del Vicario Generale ſopra le Appellazioni del Foro Eccleſiaſtico ordinario di Milano, e circa i Conſervatori delle Religioni. MS. ibid.

Propoſitiones cujuſdam Anonymi pro componendis Controverſiis inter Laicos & Eccleſiaſticos agitatis. MS. ibidem.

VII. Epiſtolæ plures ad Federicum Cardinalem Borromæum, datæ annis MDXCIII. & MDXCVIII. Extant in ſæpelaudata Collectione Epiſtol. ejuſdem Cardinalis, in Bibliotheca Ambroſiana.

VIII. Carmen illius laudatur à Benedicto Sociaco pag. 35. Sylvarum, ubi una legitur hoc titulo prænotata: In Carmen Flaminii Plati Cardinalis.

Funebri Oratione commendarunt Flaminium in Farneſiano Templo, diſertus quidam illius Societatis Orator, & in Sancti Caroli Æde Mediolanenſium dicta, Andreas Victorellus, quam typis editam fuiſſe, ait Ciacconius.

Ejus Teſtamentum extat in Cod. MS. ſign. A. num. 66. in fol Archiv. Monachor. Ciſterc. Sancti Ambroſii Mediol.

Ei dicavit Opus ſuum de rebus à ſe geſtis in Regno Cretenſi Domitius ejus Frater, de quo ſupra diximus.

Item Conciones ſuas de laudibus Martyrum Thebæorum, & de pretioſiſſimo Chriſti Sanguine. Editas *Vercellis, apud Alarium*, 1608. Eugenius Carabragiotus Vercellenſis.

Habemus ad eum Epiſtolas Franc. Panigarolæ in Collect. Alexandri Panigarolæ alibi à nobis relata. Juliani Goſelini gratulatoria pro Auditoratu Rotæ eidem collato legitur inter Epiſtolas ipſius Goſelini pag. 145. Aliam Goſelini ad eundem edidit Zucchius in libro ſuo, cui tit. Scelta di Lettere. *Venezia*, 1595. *in 4. pag.* 236. *Parte II.*

De ipſo agunt Petramellarius, Hieronymus Platus, Ughellus, Carolus Torniellus, aliique plures, inter quos amiciſſimus J. C. Sitonus in Chronico Juriſperit. pag. 156. art. 629.

## MCCCX.

## PLATUS GEORGIUS.

ANtonius Platus, atque Ambroſina de Modoëtia nobiliſſimi Jugales, Georgium, quem nunc laudamus, genuere ineunte fermè ſæculo XV. Gloria tanti Viri perpetua erit, quatuor habuiſſe filios in litteris præſtantiſſimos, ac in noſtra Bibliotheca jure merito recenſitos. Ipſe unus extitit inter Incolas Portæ Jovis, qui juramentum præſtitere die I. Martii, anno MCCCCXLVIII. in manibus Balthaſſaris Capræ pro libertate populi Mediolanenſis. Eodem anno ad Lecturam ordinariam Juris Civilis electus fuit in Patria, conſtituto ſtipendio Florenorum CCL. Jam verò inter Nobiles J. PP. Collegiatos numerabatur anno MCCCCXLI. Sed quod magis virtutem tanti Viri in dubio minimè relinquit, Oratio ejus graviſſima eſt ad Populum hujus Metropolis habita, quæ legitur apud Corium, alioſque Hiſtoricos Mediola-

Digitized by Google

diolanenſes , inter quos Ripamontius , cujus verba libri VI. juvat hîc proferre. Agebatur enim de reficienda Arce Jovis , quamobrem Sfortia Dux verebatur ne Civium animi turbarentur , ideoque Parochis perſuaſerat, ut popularibus quiſque oſtenderent hoc ad dignitatem, & præſidium Civitatis pertinere; hæc itaque ſubdit Ripamontius : „ In D. Georgii Æde „ præcipuè congregabantur . Ibi Georgius Platus „ Juriſconſultus notæ facundiæ Vir , prudenſque „ idem & modeſtus, atque vitæ ſuæ fama nactus au- „ ctoritatem inter Cives , quanta maxima privato „ cuiquam contingere poſſet : is igitur exiſtimans , „ ea , quæ pararentur munimenta , damnoſa fore „ Urbi , arcemque ipſam , veluti Sepulchrum omnis „ publicæ libertatis interpretatus , adverſus eam rem „ diſſeruit in hunc modum : *Viri Mediolanenſes . Si* „ *Deus Opt. Max. aliquo ſingulari beneficio & indul-* „ *gentia erga Patriam hanc &c.* Summa omnium „ attentione Platus eſt auditus , ac vera eſſe quæ di- „ ceret , fatebantur . Sed vicit paucorum auctori- „ tas & gratia , quos Sfortia ſibi in id præparatos „ habebat , atque in eodem D. Georgii Templo de- „ cretum de reficienda arce eſt factum &c. „ Poëſim quoque Latinam coluiſſe videtur ex Epigrammate , in quod fortuitò incidimus ; nam reliqua ferè tria ſæcula nobis de Viro iſto procul dubio doctiſſimo jam tranſacta rapuerunt . È vivis exceſſit , juxta Schedas Sitonianas , anno MCCCCLXIV.

Superſunt tantùm de eo :

I. Oratio ab omnibus laudatiſſima populo Mediolanenſi dicta, ut ſupra innuimus.

II. Carmen Latinum ad Petrum Candidum Decembrium: Extat in MS. Codice Epigrammatum & Epiſtolarum juvenilium ejuſdem Decembrii , in Bibliotheca PP. Teatinorum D. Antonii hujus Urbis , ubi legitur etiam inter alia Epigrammata in laudem Georgii noſtri ab ipſo Decembrio compoſita hoc, quod excripſimus.

In Georgium Platum Juriſconſultum .

*Qui virtute ſua carus patriaque verendus*
*Civis erat legum ſplendor dum vita manebat .*
*Membra reliquit humi claudenda Georgius iſto*
*Sub tumulo Platus cognomine Stirpis avitæ ,*
*Gratus amore pio natis , domuique propinquis*
*Omnibus , & cauſas inopum miſeratus , iniquas*
*Non lites coluit , non prætulit utile honeſto*
*Conſiliique fuit fautor , rectique bonique .*
*Nominis alma ſui vivit nunc fama ſuperſtes ,*
*Et quantum terras ſuperat cœleſtia cernit .*
*Flet ſpoliata ſuo jam lex civilis alumno ,*
*Sacraque jura ſimul mœrent , tutore relicta .*

Inter Epiſtolas Franciſci Philelphi , editionis Venetæ, 1502. in fol. extat una ad Georgium Platum J. C. pag. 43.

Præter ſupradictos laudatur à Bugato in Hiſtoria Univerſ. ad annum MCCCCXLIV., atque à Sitono in Chronico J. PP. Colleg. pag. 41. art. 131.

## MCCCXI.

## PLATUS HIERONYMUS.

Hieronymus Platus Hieronymi , atque Antoniæ Vincemalæ de Aragonia illuſtrium Conjugum Mediolanenſium filius, in Alma Urbe Inſtitutum eximiæ Societatis Jeſu ſuſcepit die XXIV. Aprilis , an. Salutis MDLXVIII. , mutato nomine Octavii , quo prius vocabatur , in Hieronymum , cùm eſſet adoleſcens forma , ingenio , modeſtia , morumque ſuavitate præſtans ; poſtquam verò animum bonarum litterarum cognitione complevit , P. Claudius Aquaviva Præpoſitus Generalis ipſius Societatis ejus opera uſus eſt in Latinis litteris ſcribendis ad Provincias Germaniæ , & Galliæ , quod munus dum egregiè ſuſtinet , & Novitiorum , qui in Domo profeſſa verſantur, curam gerit, ad Cœleſtem Patriam evocatus eſt die XIV. Auguſti , an. reparatæ Salutis MDXCI. ætatis XLIV. Societatis XXIV. ab emiſſa profeſſione quatuor Votorum IX. Vir celeberrimâ virtutis , & tantùm non ſanctimoniæ famâ clarus .

Scripſit :

I. De bono ſtatus Religioſi lib. III. pietate , atque eruditione refertos, qui primò *Romæ* 1580. , deinde auctiores , *Ingolſtadii* 1590. *Venetiis* , *apud Franciſcum de Franciſcis* 1591. , *Lugduni* 1592. *Auguſtæ Trevirorum* 1593. , *Coloniæ* 1608. *in* 4. , & alibi prodierunt ; in alias quoque linguas tranſlati ſunt , nempe in Gallicam per Philippum le Bel , ad Archiepiſcopum Pariſienſem de Gondi . *à Paris* , 1607. *in* 4.

II. De Cardinalis dignitate , & officio : ad Flaminium Platum Cardinalem fratrem ſuum . Hoc Opus poſt obitum Hieronymi ab aliis vulgatum eſt . *Romæ* , *apud Facciottum* , 1592. *in* 4. , *& Moguntiæ apud Strooecker* 1621. *in* 8.

Laudatur à Hieronymo Borſerio in Supplem. Cap. 12. ab Alegambe , & Sotwello in Scriptoribus Soc. Jeſu , à Miræo de Scriptoribus ſæculi XVI. apud Fabritii Bibliothecam Eccleſiaſticam , p. 2. pag. 332. , à Picinello in Athenæo pag. 347. ( ubi etiam memorat Jo. Baptiſtam Platum ex Ordine Prædicatorum , uti Virum Sacræ Theologiæ profeſſorem in Cathedris Mediolanenſibus & Bononienſibus , atque Comenſibus ), nec non à Clariſs. Sitono in ſuis Schedis .

## MCCCXII.

## PLATUS JOANNES THOMAS.

Optimè de patria , atque de latinis litteris meritus eſt Joannes Thomas Platus , ab eruditis Mediolanenſibus hactenus Thomas tantùm vocatus , Antonii , & Ambroſinæ de Modoëtia Conjugum filius , nec non Georgii jam laudati frater Ducaliſque Secretarius , nam anno Redemptionis noſtræ MCCCCXCIX. publicum Gymnaſium aperuit in ſuis Ædibus , ſtatuens ut ſingulis diebus , deſignati idonei Præceptores alternis horis Arithmeticam , Dialecticam , Aſtronomiam , Geometriam , Litteraſque Græcas docerent ; Quin etiam inviolatam hanc legem indixit hæredi ſuo , Noſocomio videlicet majori hujus Urbis , ut qui hujuſmodi Magiſteriis præficiendi forent , probatiſſimorum hominum examen ſubirent , nec modò diſciplinis , quas profitebantur , ſed etiam moribus ac vita præſtarent . Nec parva hujus Scholæ gloria eſt , habuiſſe Hieronymum Cardanum ſcriptis , & fama ubique celebrem , ibidem Mathematicam docentem . Partem ultimæ voluntatis Joannis Thomæ noſtri recitat Clariſſimus Curtius ad hanc Inſtitutionem ſpectantem in ſuo Opere de Claris Medicis Mediolanenſibus , pag. 185. Charus extitit Ludovico Mariæ Mediolani Duci , & præter Epiſtolas ad Platinum patruum ab ipſo ſcriptas nobis ſors obtulit præ manibus Orationem eleganti ſermone latino ſcriptam ut infra , ideoque locum meritò obtinet inter hos Mediolanenſes Scriptores . Annum verò , quo è vivis obierit , nullibi invenimus , contenti interim Lectores ſint de eo , quod hîc damus , forſan nunc primùm de Joanne Thoma Plato ,

Videlicet :

I. Oratio latina de laudibus Mediolani habita in Gymnaſio Ticinenſi coram Profeſſoribus , Scholaribus , aliiſque penè innumeris Viris , anno MCCCCLXXVIII. die XIV. menſe Decembrio , *ſine loco* , *anno* , *& Typographi nomine* , *in* 4. Extat in Bibliotheca S. Mariæ Coronatæ hujus Urbis .

II. Epi-

II. Epiſtolæ VII. latinæ ad Platinum Platum patruum. Leguntur inter Epiſtolas Platini editas *Mediolani*, *apud Gotbardum de Ponte*, cum Reſponſionibus Platini. A

In Libro IX. Sylvarum Lancini Curtii, extat Ode ad Joannem Thomam Platum pag. 168.

In Opere, cui titulus: Carmina Illuſtrium Poëtarum Italorum *Florentiæ* edito, extant Epigrammata Platini Plati ad eundem Joannem Thomam patruum optimum. Tom VII. pagg. 261. & 268.

Memoratur in Schedis Sitonianis, à Joanne Petro Puricello in MSS. Biblioth. Ambroſ. ab Advocato Camillo juniore Sitono in Collectan. de ædificiis Mediol. &c. pag. 1474. MS. in fol. autogr. penès Advoc. Joannem filium.

## MCCCXIII.

B

## PLATUS PETRUS ANTONIUS.

PEtrus Antonius Platus Mediolanenſis Georgii, de quo jam diximus, filius, cujus vix nomen inſeruit Picinellus in Articulo Platini ipſius Fratris, à nobis debita commendatione infra laudandi, Muſarum cultoribus ſæculo XIII. in finem vergente apud Inſubres florentibus non injuriâ annumerandus eſt. Pauca quidem illius ſuperſunt Carmina latino ſcripta Idiomate, verùm tantæ eruditionis lumine conſperſa ſunt, ut vel ex his Plati noſtri doctrina apertiſſimè dignoſci poſſit. Petri Candidi Decembrii fuit amiciſſimus, quemadmodum ex infra dandis eruitur, atque Lancinus Curtius magno eum in pretio habuit, quod C teſtatum habemus in Carmine hujus mox promendo. Plura de ipſo proferre nos vetat aliorum ſilentium, ſentit tamen Cl. Sitonus, eum circa Salutis noſtræ annum MD. è vita migraſſe.

Superſunt hujus Scriptoris

I. Carmen latinum ad Octavianum Vicomercatum J. C. legitur poſt Epiſtolas Famil. Ciceronis Commentariis illuſtratas ab Ubertino Clerico, anno MCDLXXXV.

II. Carmen ſatis longum ad Petrum Candidum Decembrium, cum altero pro reſponſione ejuſdem Petri Candidi: extat in Codice MS. Epigrammatum, & Epiſtolarum juvenilium Petri Candidi Decembrii apud PP. Teatinos D. Antonii Mediolani.

In libro ſexto Epigrammaton Lancini Curtii editionis Mediolanenſis, anno MDXXI. extat Carmen latino ſermone ſcriptum ad formam Italici *Sonetto* dictatum, pag. 90. in laudem Petri Antonii Plati. D

Videndæ ſunt Schedæ Clariſſimor. Viror. Joſephi Ant. Saxii, atque Advocati Sitoni.

## MCCCXIV.

## PLATUS PLATINUS.

PLatinus Platus Georgii jam à nobis laudati, atque Agnetis Muzzanæ Conjugum filius fuit, frater autem Anaſtaſii, Petri Antonii, & Theodori, quorum omnium vel dedimus ſupra, vel infra dabimus Elogia. Interim de Platino ipſo paucis nos ex- E pediemus, ne crambem recoquere videamur, cùm jam Clar. Saxius in Typographica Mediolanenſi Hiſtoria ſatis ſuperque de ipſo agat. Ad doctiſſimum igitur illud Opus Lectores perquam libenter amandamus, Lucubrationes tantummodo, quæ tanti Vatis labores fuere, hîc exhibentes,

Ea ſunt:

I. Libellus de Carcere ad Magnificum Thomam Thebaldum Bononienſem, Equitem Auratum, ac Ducalem Senatorem. *Mediolani*, *ex Officina Zarotti*, 1483. *Kal. Martii*, *&* *iterum* 6. *Id. Januarii* 1484. *in* 4. Non agit de Carcere, ſed plura Epigrammata ſunt à Carcere miſſa ad varios.

II. Diſtica varia moralia. Extant in eodem libro.

III. Epigrammaton, Elegiarumque liber I. ad Sereniſſimum, & Chriſtianiſſimum Francorum Regem Carolum Invictiſſimum, Platini Plati Patricii Mediolanenſis reſtituti (videlicet è tolerato per ſeptennium exilio.)

IV. Epigrammaton, Elegiarumque lib. II. Cùm tamen tempore præcedat, ſed eò ſecundus quia ſit ille Sereniſſimis Carolo, deinde Ludovico Francorum Regibus Chriſtianorum inſcriptus. In fine ſic legitur: „ *Mediolani*, *apud Alexandrum* (nempe *Minutianum*, cujus etiam paucas ante folia perhonorifica legitur ad ipſum Epiſtola:) „ Pridie Kal. Se„ ptembres, anno à Chriſtiano Natali Milleſimo „ quingenteſimo ſecundo, Ludovico Francorum „ Rege Potentiſſimo Mediolanenſium Duce. „ Vol. II. in 4.

Altera editio hunc titulum profert:

„ Ad Chriſtianiſſimum Galliæ Regem Ludovicum, „ & Invictiſſimum Mediolani Ducem, Platini „ Plati Patricii Mediolanenſis Regii Servuli lib. „ Epigrammaton, Elegiarumque Palæonios à „ novis incipiens: *Impreſſus fuit Mediolani*, *per Gotbardum Pontium*, *anno* 1508. *Kalend. Maji*, curante Presbytero Andrea Cannobigena, qui his verbis Platinum laudat: „ cujus Divinum inge„ nium, & dicendi genus latiniſſimum ſimul & „ magnificum, plurima per eum elucubrata, & „ in lucem edita Volumina teſtantur. „

V. Ritus Papienſis Gymnaſii in decorandis iis, qui in Litteraria Palæſtra ſe ſtrenuè gerunt. Extat ibidem.

VI. Federici Urbinatis laudes, & geſta compendio decantata. Ibidem.

VII. Veneti Senatus honorificentiſſimus apparatus cùm Herculem Ferrariæ Ducem poſt initam cum illo pacem in Urbem excepit. Ibidem.

VIII. Epiſtolarum libri duo ad Principem Joannem Jacobum Trivultium Viglevani Marchionem, & Regium Mareſchallum. *Mediolani*, *apud Gotbardum Pontium*, 1506. *in* 4.

IX. Dialogus inter Platinum, & Librum ſuum. Extat ibid.

X. Epithalamium in Sponſalibus & Nuptiis Illuſtrium Jugalium Jo. Nicolai Trivultii Comitis Muſochi, nec non Paulæ Gonzagæ Viglevani ſimul magnificentiſſimè celebratis. Ibidem.

XI. Oratio in Funere Magnifici Viri Philippi Vicecomitis. Extat ibidem.

XII. Oratio Didaſcalica ad Auditores in principio Saluſtii de Conjuratione Catilinæ, habita Garlaſchi. Ibidem.

XIII. Carmen ad Laurentium Medicem. Ibidem.

XIV. Eulogium, quod eſt in Bibliotheca Collegii J. C. C. pro Joanne Jacobo Dugnano J. C. C. ac Senatore pro pecunia collata ad abſolvendam Bibliothecam. Ibidem.

XV. Tetraſticum pro Franciſco Sfortia Duce Mediolani, ut Lapidario detur. Ibid.

XVI. Carmen ad clariſſimos, & præſtantiſſimos Juriſconſultos Dominos Jo. Jacobum Balſamum, & Jo. Henricum Pechium, quibus mittit Opus adverſùs Sodomitas à fratre ſuo Anaſtaſio compoſitum, editumque *Tridini*, *per Joannem de Ferrariis*, *aliàs de Jolitis*, *&* *Gerardum de Zejis*, 1517. *in fol. max.* ut diximus in Anaſtaſio.

XVII. Carmen alterum in eos, qui ſecus ac frater judicarunt, extat in eodem Codice.

XVIII. Carmina plura extant in Tomo VII. Carminum Illuſtrium Poëtarum Italorum pagg. 256. & 268. inter quæ ſequens cecinit de ſemetipſo:

*Romanos veteres imitatus, ad arma Platinus*
*Contulit Aoniam, proſequiturque lyram;*
*Et libros, & tela manu quo tempore tractat;*
*In Caſtris alacer, Gymnaſiiſque bonus.*

XIX. Carmina alia plura in laudem Magnifici, ac præſtantiſſimi Militis Domini Vercellini Vicecomitis, ac Ducalis Commiſſarii, Tritiique Caſtellani. Sunt in Codice MS. Galvanei Flammæ Manip. Florum, anno MCCCCLXXXIII. ſcripto à Presbytero Joanne de Monte, juſſu ejuſdem Vercellini, in pergameno in fol. parvo, cum miniaturis & auro. Extat in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium Sancti Ambroſii Mediolani, ſignat. A. num. 40 ut alibi diximus.

XX. Carmina X. ad Petrum Candidum Decembrium, cum aliis iſtius ad Platinum Platum. Extant in Codice MS. Epiſtolarum & Carminum juvenilium ipſius Decembrii in Bibliotheca PP. Teatinorum D. Antonii hujus Urbis.

XXI. Epigrammata alia extant in libro inſcripto Anteras Baptiſtæ Fulgoſii, ubi inducitur Platinus, loquens per Dialogum. Ita Cl. Saxius in Hiſt. Typographica ad annum MCCCCXCVI.

Ipſum laudavit Lancinus Curtius in libro X. Sylvarum pag. 189. & in VI. Epigrammaton pagg. 90. & 92.

Plura extant ad eum Epigrammata Nicolai Seratici in MS. ejuſdem ſuo loco proferendo, nec non P. Franciſci Tantii, ut dicemus littera T.

Videndi ſunt Puricellus in Diſſertatione Nazariana cap. 2. num. 14., Iricus in Typographica Hiſtor. Trid., atque Picinellus in Athenæo Mediolanenſi pag. 471. & Schedæ Sitonianæ.

## MCCCXV.

## PLATUS THEODORUS.

SÆpe memorati Georgii Plati J. C. Collegiati, atque Agnetis Muzzanæ Conjugum filius extitit Theodorus Platus Juriſperitorum ſuæ tempeſtatis facilè princeps, qui fratrum ſuorum eruditione præſtantium, ut ex his, quæ in hac Collectione noſtra leguntur, apparet, imitatus mores, ac doctrinam, & Principum meruit benevolentiam, & Virorum litteris illuſtrium Elogia. Legibus cùm diligentiſſimè vacaſſet, & Doctoris inſignia eſſet conſecutus, inter Collegiatos Juriſperitos Mediolanenſes ſedem obtinuit anno ſalutiferæ Incarnationis MCCCCLVI. Orator etiam magni nominis fuit, quâ famâ inter Inſubriæ Litteratos emicuit. Fiſcalis Ducaliſque Cameræ Advocatus tam bene ſe geſſit, ut à Ludovico Sfortia Mediolanenſium Duce in Conſilium adſciſceretur. Abbas Philippus Picinellus perperam Theodoro tribuit Inſtitutionem Scholarum, quæ Platinæ à Conditore nuncupantur, de eo verba faciens in Articulo Anaſtaſii illius fratris, Athenæi ſui pag. 24. Nam, ut monuimus, eas inſtituit & dotavit Joannes Thomas Scriptoris noſtri Patruus, qui Nepoti triennio ſuperſtes tam proficuam poſteris rem ſupremis Tabulis datis, ut in ejus Articulo memoravimus, anno MCCCCXCIX. condidit. Theodorus verò anno MCCCCXCVI. è vita migravit, hoc Elogio à Lancino Curtio collaudatus.

*Juris honos, fama inſignis, ſuper æthera notus*
*Hic Platus eſt ſacri gloria prima fori.*
*Urna tegit cineres, rapitur Theodorus olympo;*
*Pupilli hoc nunquam vindice cauſa perit.*
*Si non viventi livor jam parce ſepulto;*
*Non hæc defunctos, ſed graviora movent.*
*Non famæ, non laudis inops Theodore ſepulchro*
*Conderis, antiqui es num memor officii?*
*Te fora, te viduæ lachrymis flevere profuſis;*
*Te puer amiſſo perditus auxilio.*
*Oſſa tenet tumulus, ſed non piger exit ad auras*
*Spiritus, æternum miſſus in Imperium.*

Eruditionem illius hæc teſtantur:

I. Theodori Plati J. C. & Pontif. Doctoris Oratio annua in celebritate IV. Mediolanenſis Imperii Illuſtriſſimorum Principum Franciſci Sfortiæ, & Blancæ Mariæ habita. MS optimæ notæ pagg. 50. in 4. Extat in Biblioth. Eccl. Metrop. Mediol. Cod. ſign. K. num. 10.

II. Elogium editum in laudem Patris ſui Georgii. De eo meminit Petrus Candidus Decembrius, ipſum commendans, aliudque proprium mittens, cum Epiſtola ſua data menſe Novembri anno MCCCCLXIV. quæ legitur inter alias Epiſtolas MSS. Decembrii in Biblioth. Ambroſiana.

Eidem dedit Epiſtolas latinas Platinus ipſius frater, inter hujus editas.

In ejus Nuptiis cum Eliſabetha Vicecomite Orationem habuit Franciſcus Philelphus, die V. Auguſti anno MCCCCLX.

Alia ejuſdem Philelphi pro Theodoro Plato ad Sixtum IV. Oratio. Extant ambæ inter ejus Orationes.

Librum, cui titulus: Æmilii Probi Viri Clariſſimi de Vita excellentium: ei dicavit Epiſtolâ Nuncupatoriâ Petrus Cornerius, in qua ipſum laudibus eximiis extollit. In eodem adſunt II. aliæ Epiſtolæ, altera nempe Jacobi Becheti Illuſtriſſimæ Bonæ Mariæ Inſubrum Ducis Secretarii, ac Gubernatoris, altera Franciſci Philelphi, nec non Epigramma ſupradicti Petri Cornerii ad eumdem Platum, cum ſequenti Antonii Peloti, de quo ſuo loco egimus, ſic inſcripto:

Antonius Pelotus de Theodoro Plato liberaliſſimo Jureconſulto, ac optimo Patritio.

*Quod Platus ingenti Theodorus poſſidet ære,*
*Id totum ſancta vovit amicitiæ.*
*Dignus ob ingenium pylios qui vivat in annos,*
*Dignus ab æterna poſteritate coli.*

In libro notatum reperi nec locum, nec Typographum, nec annum. Apud Marchionem Theodorum Alexandrum Trivultium, litterarum, Litteratorumque cultorem optimum ſervatur.

Aliud, præter ſupraſcriptum Epigramma in illius commendationem, ſcripſit citatus Lancinus Curtius, quod habetur lib. III. pag. 40.

Laudatur etiam à Bernardino Corio Hiſt. Mediol. ad ann. MCCCCLXXX. Moriggia Hiſt. Nobil. Mediol. lib. III. cap. IX. & XXXV. atque in Theſauro Locor. Pior. Mediol. cap. XLIX. Creſcentio in Amphitheatri ſui parte II MS. apud Marchiones Vicecomites, & amiciſſimo Sitono pag. 47. art. 187. Chronici J. PP. nec non in Schedis.

## MCCCXVI.

## POGIANUS JULIUS.

SUna Vicus Novarienſis Diœceſis, ſed in Ducatu Mediolanenſi ad Verbani Lacus litora ſitum, Julii Pogiani nunc laudandi patria fuit. Mirum profectò, Picinellum in Athenæo ſuo inſeruiſſe Joannem Baptiſtam Pogianum in hoc ipſo Vico natum, & Julium præteriiſſe, cui ob eruditionis præſtantiam majora certè debentur encomia. Et ille quidem, ut teſtis eſt Moriggia, docta quædam Opera ſcripſiſſe fertur, nullo tamen indicante, cujus argumenti ea fuerint, vel utrum edita ſint ſeu MSS. ob eam rem ipſum alibi duximus collocandum, alteri debitas interim laudes tribuentes. Julius igitur doctrinis tam ſacris, quàm profanis egregiè cultus, & tam Latini, quàm Græci ſermonis peritiſſimus, in Aula Romana, ſedente in Petri Cathedra Sanctiſſimo Pontifice Pio V. ſic claruit, ut ab eo electus fuerit, qui ſibi à Secretis eſſet. Cùmque de reformando Romano Breviario ageretur, eamque provinciam Pius ipſe multis peritis, & idoneis Viris demandaret, Julius quoque noſter in Cœtum præſtantiſſimum aſſumptus eſt: atque ob Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſingularem, qua pollebat, eruditionem, Lectiones, quæ in ſecunda Officii Nocturni parte pronunciari ſolent, & ut plurimùm ad Hiſtoriam pertinent, vel Acta Sanctorum continent, ejus diligentiæ aut ex integro formandæ, aut ad veritatis lancem librandæ commiſſæ fuerunt, ut infra. Neque minorem in Catechiſmo Romano condendo famam ſibi comparavit, nam inter eruditos Viros ad id munus electos etiam locum obtinuit. Romam miſſus fuerat à Sancto Carolo Borromæo, cujus inter familiares anteà computabatur. De ipſo ſic ſcribit Carolus à Baſilica Petri: „ Quoniam verò de Suna hîc dicimus, etiam „ Julii Pogiani Sunenſis mentio rectè habebitur. „ Dandum eſt hoc Viri inſigniter literati memoriæ, „ cujus opera Eccleſiæ Dei utilis fuit: Cùm enim „ Romæ in eorum numero eſſet, quos Carolus ille „ Borromæus Sanctus Archiepiſcopus, & Cardina-

lis

Digitized by Google

„ lis litteris, doctrinâque claros ex omnibus fami-
„ liaribus delegerat, cùmque denique in familia Pii
„ V. collocatus, & ejus Epiſtolis latinis conſcriben-
„ dis addictus eſſet &c. Plurimum etiam eidem Sancto Carolo profuit in Mediolanenſis Eccleſiæ regimine, nam doctiſſimus Præſul Decreta Concilii Provincialis I. à ſe condita, Julii ſtylo ornanda, & Latinitate donanda commiſit. Annum illius poſtremum nullus Scriptorum, quos vidimus, poſteris dedit.

Ejus doctrinæ fœtus hi recenſentur:

I. Concilii Mediolanenſis I. Decreta.
II. Romani Breviarii Hiſtoriæ, quæ in manibus habentur ejus ſtylo magna puritatis, ac facilitatis laude conſcriptæ.
III. Catechiſmi Romani Pars.
IV. S. Joannis Chryſoſtomi liber de Virginitate. *Pariſiis*, 1588. Hunc tranſtulit è Græco ante Jo. Lucinetum.
V. Laudatio pro Marcello II. Papa ad Sacrum Coll., teſte Cotta loco citando.
VI. Epiſtolæ IV. latinæ, quarum tres ad Octavianum Maggium, altera ad Paulum Manutium, datæ Romæ, anno 1560. Extant inter Epiſtolas Claror. Virorum, editas *Venetiis*, 1568. *fol.* 127.

Præter citatos, de ipſo meminere Antonius Poſſevinus in Appar. Sacro, Tomo II. Ludovicus Jacob in Biblioth. Pontificia pagg. 159. & 380., atque Cl. Cotta in Muſeo Novarienſi pag. 195.

POPEUS FLAVIUS. V. FOPPA JULIUS.

## MCCCXVII.

## PORRONUS ANNIBAL.

Annibal Porronus Mediolanenſis ſatis claro natus genere die XIII. Septembris, anno MDCXXIII. (ab initio enim ſæculi XV. nobis ejuſdem familiæ Geneſim ſuppeditavit amiciſſimus J. C. Sitonus in Antonio cœptam, & ad Annibalem uſque deductam) parentes habuit Marchionem Baſſianum Cohortis peditum Ducem, atque Theodoram Panigarolam Nobiles Conjuges. Adhuc puer Patrem amiſit, & diligenter nihiloſecius educatus, duodennis inter honorarios Ephebos Philippi IV. Regis Catholici meruit recenſeri; ſed viæ difficultate perterrita Clara Brebbia Panigarola Theodoræ Mater, ſub cujus tutela vivebat Annibal, ſatiùs duxit ipſum ad Aulam Ferdinandi Magni Hetruriæ Ducis mittere, in qua triennio vixit. Inde Romam ſe contulit, poſtmodumque reverſus in patriam, militiæ ſe totum dedit, & non infima præbuit roboris argumenta. Miro fuit ingenio, nam præter ea, quæ bellicoſum Virum decent, Muſicam, Picturam, Architecturam, militarem præſertim, & omnes Mathematicæ partes optimè calluit. Verumtamen ſenſim à percepta educatione dilapſus in vitia, injuriarum impatiens, adſcitis in familiam facinoroſis hominibus, reum ſe apud Principem criminum quorundam effecit. Plura ideò perpeſſus eſt infortunia, quæ narrare ſupervacaneum ducimus, cùm fuſiùs à Scriptore noſtro recenſeantur in Opere ſuo infra memorando. In his vitam traduxit ad annum fermè MDCLXIII. ſæpe conquiſitus ad necem, non raro carceribus incluſus, quandoque profugus. At cùm circa eum annum ad Joannis Caſimiri Suecorum, & Poloniæ Regis Aulam contendiſſet, primùm ei fuit à Cubiculis, mox Vigiliarum Præfectus Major Generalis. Regreſſus anno MDCLXVIII. in Italiam, ad Cretenſem Inſulam ſtatuit voluntarius miles proficiſci, quam hominis alacritatem tam gratam habuit graviſſimus Venetæ Reipublicæ Senatus, ut præter munus nummorum, quos Ducatos appellant, mille, geminas Cohortes tranſalpinorum peditum ejus imperio ſubjecerit in Cretam tranſvehendas. Cùm appulcuiſſet, Urbem Inſulæ Metropolim obſidentes Barbaros, & mœnium parte disjectâ, jam pène victores, totis viribus ſtuduit propulſare, nihil unquam ad generoſum, fortemque Virum pertinens agere prætermittens. Ideò non raro in præſentiſſimum vitæ diſcrimen incidit, vulneraque etiam virtutis ſuæ ſigna certiſſima reportavit. Anno expleto, fideque ſuâ liberatâ, cùm Venetias meditaretur regredi, peditum Italicorum, & Corſorum Præfectus Generalis inopinatò renunciatur à Franciſco Mauroceno ejuſdem Belli Cretenſis Imperatore, die XVIII. menſis Januarii, anno MDCLXVIII. Verùm inſurgentibus inter Annibalem, alioſque Proceres quoſdam diſſidiis, ægrè obtinuit, ut rediret anno ſequenti, Prid. Kal. Februarii. Edidit interim Opus ſuum à nobis numero I. inferiùs indicandum, illudque Ludovici XIV. Galliarum Regis Primogenito dicavit, à quo muneribus, & Epiſtolâ honorificentiſſimâ donatus eſt. Ludovicus quoque ipſe Francorum Rex ob impertitam liberalium artium, atque eruditionis profeſſoribus beneficentiam, totque aliis innumeris titulis jure Magnus appellatus, laborem Porroni in hujuſmodi Opere conſcribendo uſque adeò probavit, ut etiam datis ad eum Regiis Litteris eundem commendaverit. Quietam poſtea vitam Venetiis agere decreverat, ubi graviſſima Poloniæ Regis negotia ſibi perſæpe commiſſa adminiſtrabat; at cùm inter tot adverſæ, dextræque fortunæ vices ad ſenium perveniſſet, paulò poſt annum MDCLXXXIV. proditoriè occiſus eſt in eadem Urbe.

Hæc habent poſteri ejus ingenii monumenta:

I. Trattato univerſale militare moderno, del Marcheſe Annibale Porrone Generale maggiore del Regno di Polonia, diviſo in 6. libri, e dedicato al Delfino di Francia. *Venezia*, *per il Nicolini*, 1666. *in fol.*, & iterum *ibid. anno* 1677. Diviſum eſt Opus in libros VI. in quorum primo agitur de Arithmetica practica, de Geometria practica, de Trigonometria practica. In ſecundo de Architectura militari. In tertio de Præfectis, & Obſidionibus Arcium. In quarto de Militaribus Præfecturis. In quinto de Præliis, Turmis, & Re Tormentaria. In ſexto verò leguntur Dialogi ſex de variis ad Militiam ſpectantibus; & tandem de Prudentia Principis in conſtituendis Generalibus exercituum Ducibus.
II. La Verità ſvelata, e la Bugia flagellata, del Barone Enrico Enea Spalma libri tre; nel primo ſi deſcrivono, e ſi difendono le azioni del Marcheſe Generale Annibale Porrone, con alcuna parte de' Succeſſi ad eſſo ſeguiti, nel ſecondo ſi moſtrano le Maſſime Criſtiane, e Cavalereſche, dal medeſimo ſcritte, e praticate, che ſervir poſſano di norma in ogni emergente a qualunque perſona d'onore, coll'aggiunta di un Diſcorſo ſuo morale aſſai profittevole, nel terzo ſi riſponde apologeticamente alle univerſali, colle maledicenze prodotte dall'Incognito Autore, che ſcriſſe la Vita del Conte Bartolomeo Areſe Preſidente del Senato di Milano, (etſi plures contendant, ut in Bartholomæo Areſio diximus, Porronum ejuſdem Vitæ Scriptorem fuiſſe, quod vix credibile videtur) l'anno MDCLXXXI. con data di Colonia. *Venezia*, *per Giambattiſta Tramontini*, 1684. *in* 4. Opus hoc Apologeticum ipſe Annibal compoſuit, quamvis alienum nomen eidem inſcripſerit, in quo etiam ſequentia Opuſcula vel reperiuntur, vel indicantur.
III. Della maniera di far levate di gente con avantaggio del Principe, e degli Officiali sì d'Infanteria, come di Cavalleria, il modo di pagare, l'ordine delle marchie, ne' tranſiti, alloggi, moſtre, riforme, reclute, e ſimili. Opus hoc MS in publicis Comitiis Poloniæ lectum fuiſſe, atque in publicis ejuſdem Regni Tabulariis repoſitum Auctor ipſe teſtatur; libro I. pag. 137.
IV. Diſtinta Relazione del Marcheſe Generale Annibale Porroni di quanto è ſeguito nell' ultimo attacco di Candia, cominciato li XXIV. Maggio MDCLXVII. fino li XXXI. Gennajo MDCLXIX, quand' egli ſi partì da quella Piazza, con diverſi ſuoi diſcorſi, e pareri in ordine alla difeſa, e ſue obbiezioni. Edita eſt in eodem lib. pag. 168. ad 178.
V. Del Soldato di commando. Rifleſſioni otto. Extant in lib. II. pag. 278. ad 304.
VI. Diſcorſo Morale. Habetur, ut ſupra, in eod. lib. II. à pag. 304. ad 314.

VII.

Digitized by Google

VII. Dialogo del Duello. *Coloniæ, per il Vorſager*, 1692. *in* 8.

Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, ei tribuitur in Vita Præſidis Bartholomæi Areſii, de quo alibi diximus, extatque etiam impreſſum in lib. I. pag. 5. Operis Auctoris noſtri, de quo egimus num. II. Verùm pag. 9. num. 16. ipſius libri, hæc de Carmine illo ſcribit Porronus: „ Che faceſſe il Sonetto in lode „ della ſua Amata mentre ſtava ritirato in S. Eu„ ſtorgio; devo credere, che queſto Cavaliere (ſic in tertia perſona loquitur, quaſi de alio, ut propoſuerat, verba facere pergeret) „ ſi lagni ſom„ mamente di non poter dire che ſia ſuo; poichè „ ne' Perſonaggi qualificati tal virtù rieſce d'ador„ namento; tutta volta conviengli forzoſamente „ confeſſare, non eſſer mai ſtato ſuo cibo la Poe„ ſia. „

Epiſtolæ plures Principum vel ad eundem, vel in ejus commendationem, leguntur ſparſim impreſſæ in eodem Opere num. II. laudato.

Agit de eo Sitonus amiciſſimus in Schedis.

## MCCCXVIII.

## PORRUS ALEXANDER.

Ex Alexandro Porro, atque Lucretia Caccia Conjugibus lucis uſuram accepit in hac Metropoli Joannes, qui perfectioris vitæ deſiderio ductus Congregationi Clericorum Regularium, vulgò Teatinorum ſe addixit, ſolemniter emiſſis Votis die XXII. menſis Septembris, anno Redemptionis MDCIX. aſſumpto Alexandri nomine, cùm vix ætatis annum XVI. excederet. Ingenio fuit florentiſſimo præditus, atque non in minoribus tantùm, ſed in gravioribus etiam diſciplinis cæteros anteire conſueverat. Sacram Oratoriam facultatem, quam ad animarum ſalutem annos plures exercuit, auditorum plauſibus ſemper exceptam vidit, & inter Alumnos Inſtituti ſui Scholaſticas cum laude tradidit Quæſtiones. Ob ſingularem poſtmodum prudentiam negotiis peragendis adhibitus à Suis, præcipua Congregationis munera adminiſtravit, Præpoſituras videlicet Collegiorum plures, & alia hujuſmodi. Franciſcus interea Cardinalis Barberinus, qui, ſedente Urbano VIII. Pontifice, rerum potiebatur, de illius virtute confiſus, Alexandrum in Germaniam ablegavit, ut cum ejus Regionis Principibus magni momenti negotia tractaret, quam rem Porrus pro voto confecit. Theodoro Cardinali Trivultio acceptus in paucis extitit, eoque curante, dum Procuratoris Generalis officium in Urbe exerceret, ad Bobienſem Epiſcopatum (cùm è vita migraſſet Franciſcus Maria Abbiati Mediolanenſis ex Canonico Regulari Lateranenſi ejuſdem Eccleſiæ Antiſtes) evectus fuit ab Innocentio X. Summo Pontifice die V. Decembris, anno MDCL. Commiſſum ſibi gregem accuratiſſimè rexit, Templumque Cathedrale inſtauravit; Epiſcopales etiam Ædes auxit, & ornamentis decoravit. Decennio poſt menſe Septembri, cùm Mediolanum veniſſet, in Clauſtro Canonicali Sanctæ Mariæ Scalenſis piiſſimè in Domino obdormivit. Cadaver illius ſolemni Funere ad Templum S. Antonii Teatinorum Collegio vicinum deductum fuit, & ante maximæ Aræ Cancellos tumulatum jacet, hac Inſcriptione impoſita:

ALEXANDRO PORRO
EX CLERICIS REGVLARIBVS EPISCOPO BOBIENSI
QVI SVVM ORDINEM LAVDE INGENII AC VITAE CVLTV
INFVLAM RELIGIONE AC MORIBVS PERINDE EXORNAVIT
ANTONIVS PORRVS CANONICVS SCALENSIS
GERMANO FRATRI VNANIMI
POST ACERBA LACRYMARVM SOLATIA
DIVTVRNI MONVMENTVM DOLORIS P.
OBIIT AETATIS AN. LXVIII. DIE SEPTEMBR. XV. AN. MDCLX.

Eandem Eccleſiam ſtatis Ceremoniis Deo dicarat, ſub nomine SS. Antonii Abbatis, & Nicolai Myrrenſis Epiſcopi, die XIII. Septemb. MDLIV. cùmque nondum Epiſcopus Mediolanenſi Collegio præeſſet, in ipſa S. Antonii Eccleſia, quam perficiendam curaverat, poſt feralem annum MDCXXX. peſtifera labe inſignem, preces publicas pro Defunctorum ſuffragio inſtituerat. Addiderat etiam Collegio non pauca ædificia, ſcalas videlicet, & pro Alumnorum commoda plura cubicula.

Opera illius erudita ſunt:

I. Oratio habita in Funere Theodori Cardinalis Trivultii. *Mediol. apud Montiam*, 1616. *in* 4.

II. Synodus Diœceſana Bobienſis habita in Cathedrali Eccleſia XII. Kal. Maji, MDCLIII. *Mediol. ex Typographia Ludovici Montiæ*, 1653. *in* 8.

III. Il Maſſimo Trivulzio, cioè la Vita di Teodoro Cardinale Principe Trivulzio Governatore di Milano, oratoriamente deſcritta, e rappreſentata da Monſignor Porro Veſcovo di Bobbio nella funebre feſtività celebrata in S. Pietro Geſſate li XII. Marzo MDCLVII. *In Milano, per Gio. Pietro Cardi, in* 4.

IV. Litteræ Paſtorales plures Eccleſiaſtica eruditione refertæ, ſparſim *Mediolani* impreſſæ.

Mentio illius habetur apud Silos in Catalogo Scriptor. Teatinorum, & in Hiſtoria Parte III. apud Ughellum in additionibus Tomo IV. Ital. Sacræ, in Bobienſibus num. XL., & Picinellum in Athenæo pag. 12.

## MCCCXIX.

Digitized by Google

## MCCCXIX.

### PORRUS BERNARDUS.

ORdinem Servorum B. M. non parùm illuſtravit B. Joannes Angelus Porrus Mediolanenſis, ut infra dicemus, cujus Corpus per plura incorruptum ſæcula apud ſui Inſtituti Alumnos in Patria ſervatur. Quemadmodum autem hic ſanctitatis gloriâ, ſic Bernardus eodem genitus ſanguine doctrinæ laude inter ipſius Ordinis Profeſſores enituit. Scriptoris hujus Acta ſatis jejunè Picinellus tradidit, nos tantùm edocens, ipſum nobili natum ſanguine, regularis diſciplinæ obſervantiſſimum, & ad litterarios labores pronum ingenium fuiſſe ſortitum. Quo vixerit tempore eruimus ab Annalibus Ordinis Servorum, in quibus breviter indicatur anno MDLII. inter Viros Doctos illius Cœtus floruiſſe. Sperabamus, Sodales illius ſæpe ſæpius rogatos plura ſuppeditaturos, verumtamen ſpem noſtram deceptam fruſtrà dolemus, non in Scriptore iſto ſolùm, ſed in aliis quoque ejuſdem religioſæ familiæ, cui aliquando diligentiores in colligendis ſuorum eruditorum monumentis Viros obvenire ſummopere cupimus.

Doctos hujus labores hoc notatos titulo invenimus:

I. De miſeria hominis Libri II.
II. De falſo cultu Deorum.
III. De cultu Feſtorum. Laudatus à Poſſevino:
Meminerunt igitur Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro, Archangelus Gianius in Annalibus ſupradictis Tom. II. pag. 121. Creſcentius in Amphyt. parte III. lib. III. num. 11. & cit. Picinellus in Athenæo pag. 90.

## MCCCXX.

### PORRUS BRANDA.

MIramur profectò, quod Clariſſimus Curtius ex libro ſatis Mediolanenſibus obvio, cui titulus: „ Eugenia familiare della Caſa Porra „ de quo ſermonem habebimus in Articulo Petri Pauli Porri, Brandam non viderit Achilini Junioris atque Margaritæ Cinuſculæ Conjugum filium inter Phyſicos Collegiatos Mediolanenſes meritò adſcriptum. Hæc ſunt verba, quæ leguntur in eodem libro pag. 81. „ Fu egli ſenza niuna conteſa chiamato Principe de' „ Filoſofi del ſuo tempo, poichè con le lettere con „ corſe con il Cardano, e con molti altri grandi „ Uomini di valore, come le di lui Opere al Mondo „ hanno laſciato chiaro teſtimonio, e del quale „ Branda ſpero che in breve debba uſcire al pubbli„ co un dotto, e ſottiliſſimo Trattato *de Anima*, „ che per ora fra gl' altri ſuoi Componimenti pieni „ di maraviglioſi concetti, ed abbondanti di pro„ fonde ſcienze, queſto ſi vede compito, e perfetto. „ Anno igitur Salutis noſtræ MCCCCLXXXVII. diem vidit primam, litteriſque tam ſedulò ſe dedit, ut Cathedram in facultatibus Medicis, ac Philoſophicis aſcendere meruerit in Gymnaſiis Patavinis, Bononienſibus, Ticinenſibus, ac poſtea Piſanis ſtipendio CCCCC. Scutorum annualium. Seriem Genealogicam iſtius doctiſſimi Viri nobis pro more libentiſſimè communicavit Clar. Sitonus ab Achilino Porro Seniore ineunte ſæculo XV. in hac Urbe florente, cujus adeſt Sepulchrum in Eccleſia Sanctæ Mariæ Carmelitarum ſic inſcriptum:



SEPULCHRUM AQUILINI DE PORRIS
ET HAEREDUM SUORUM.

Uſque ad Joannem Ambroſium J. C. C. anno MDCXLV. Amœniores quoque litteras minimè reſpuit Branda; ideoque inter Academicos Affidatos Papienſes adſcriptus fuit ſub nomine *l'Irocodro*. Obiit anno MDLXXI. octuagenario major. Interim dolendum eſt, quod aliorum Operum ſaltem titulum non ſervaverit Auctor ſupramemorati libri de Viris illuſtribus Familiæ Porræ;

Ideoque damus tantùm:

I. Tractatum de Anima.
In libro inſcripto: „ Emblemi del Sole di Gio. Battiſta „ Porro „ de quo in eodem, habetur Carmen Italicum in obitu Brandæ Porri Lectoris eximii pag. 96.
Agunt de ipſo, præter ſupradictum Petrum Paulum Porrum, Antonius Riccobonus de Gymnaſio Patavino pag. 22. Paulus Moriggia in Hiſt. Nobil. Mediol. lib. III. cap. VI. Lucas Contilis in Impreſiis Academiæ Affidatorum Papienſium pag. 74. Clar. Sitonus in Chron. Colleg. Phyſicorum Mediol. p. 2. art. 194. MS. in fol. penès Auctorem, atque in articulo Aloyſii Porri Auctoris noſtri filii in Chron. J. PP. pag. 126. art. 529. necnon amiciſſimus Canonicus Iricus in Hiſtoria ſua Tridinenſi.

## MCCCXXI.

### PORRUS CAMILLUS.

CAmillum Porrum Mediolanenſem Ludovicus JC. Collegiatus & Senator, atque Iſabella Caſata nobiles Jugales genuerunt. Legum peritia clarus & Doctor renuntiatus, anno MDLIV. locum & ipſe meruit in Collegio Juriſperitorum. Tum anno MDLXII. Urbis Præfecturâ laudabiliter functus, Regii Ducaliſque Senatoris dignitatem obtinuit circa annum MDLXIV. Mox Prætorio munere functus eſt quadriennio in Urbe Cremona. Eoque expleto ab eis Civibus, ob ſingularem æquitatem, inter Suos eſt cooptatus. Poſtremò Magiſtratus Redditiuum Extraordinariorum Præſes electus, & inter Secretiores Conſiliarios adſcitus, ſummæ integritatis, atque doctrinæ laude apud omnes commendatus eſt. Oratoria quantum excelleret arte ſatis enunciat Oratio infra memoranda ab ipſo in Metropolitana Baſilica pronunciata tunc cùm Iſabellæ Hiſpaniarum Reginæ haud pridem defunctæ juſta ibidem luctu celebri perſolverentur. Abiit è vivis Vir integerrimus an. poſt Chriſtum natum MDLXXXI.

Hæc poſt ſe reliquit:

I. Oratio in Funere Iſabellæ Hiſpaniarum Reginæ; ex Ariſio, & Picinello locis citandis. In hujus Orationis commendationem Epigramma compoſuit Bernardinus Baldinus, quod legitur in hujus libro inſcripto: Carmina.
II. Allegationes Fiſcales plurimæ. Servantur in Collectionibus Archintea, Benaliana, aliiſque apud Juriſperitos Mediolanenſes.
III. Reſponſum Camilli Porri. Extat inter alia de ultimis voluntatibus. Vol. II., & ab Alexandro Rhaudenſi laudatur.
IV. Motiva de legitima ſucceſſione in Portugalliæ Regnum. Commendatur ab eodem Rhaudenſi in Reſponſo ſuo I. ſuper eodem argumento num. 154., ubi Porrum tunc Magiſtratus Extraordinarii Præſidem Virum maturi judicii, & ſolidæ eruditionis appellat.
Præter jam indicatum Epigramma aliud quoque Baldinus idem cecinit de Camillo Furio, & Camillo Porro; extatque in altero ejus libro, cui titulus: Luſus.
Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, quo Uxor Camilli noſtri Æmilia commendatur, habemus in libro Joannis Baptiſtæ Porri inſcripto: Emblemi del Sole, pagina 88.



Digitized by Google

Mentio honorifica Scriptoris noſtri occurrit apud Ariſium in Cremona Litterata, Tom. II. pag. 308., & in ſerie Prætorum Cremonæ, pagg. 44. & 46. Sitonum amiciſſimum in Schedis, & in Chron. J. PP. pag. 123. artic. 508., & Picinellum in Athenæo, pag. 103.

## MCCCXXII.

## PORRUS DANIEL.

DOleo inter hos Scriptores vitâ functos recenſendum eſſe Danielem Porrum, mihi dum erat in vivis ſingulari amicitia conjunctum, nam ab erudito ejuſdem contubernio plurima in dies ad ſuppellectilem litterariam Mediolanenenſem ediſcenda erant. Ex Joanne Baptiſta, & Laura Conjugibus ortus eſt Vir iſte ſummoperè litteris deditus, & in colligendis undique rebus, præcipuè ſacris ad patriam ſuam amatiſſimam ſpectantibus nunquam feſſus. Unus ex Cancellariis Archiepiſcopalibus extitit, atque in eodem munere eximio Cardinali Joſepho Archinto Mediolanenſi Archiepiſcopo inſervivit, non tantùm in ſuæ Archidiœceſis Viſitationibus, ſed etiam cùm Legatus à Latere Niciam perrexit. De Ritibus Ambroſianis optimè meritus eſt non tam ex Collectione ampliſſima MSS., quàm infra dabimus, ſed ob libros quoque editos undique ab ipſo coacervatos. Proinde Canonicatus in Baſilica Laurentiana ei collatus fuit à ſupradicto Eminentiſſimo Archinto, in qua dignitate obiit anno MDCCXXXV. die XXVI. menſis Julii.

De ipſo ſuperſunt, quæ ſequuntur:

I. Viſitatio Plebis Abbiati-Craſſi per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Joſephum Archintum S. R. E. Cardinalem, & Archiepiſcopum Mediolanenſem, ubi de origine & fundatione Eccleſiarum, Parochialium, aliorumque Monaſteriorum agitur, nec non de Privilegiis earundem Eccleſiarum, de Reliquiis, aliiſque Rebus Sacris, & Decretis Synodalibus, ejuſdem Loci, per Danielem Porrum Cancellarium Archiepiſcopalem. MS. in fol. magnæ molis.

II. De Eccleſia & Ritibus Mediolanenſibus Collectio ex variis Auctoribus Franciſci Porri, Jo Baptiſtæ filii, Baſilicæ S. Laurentii Canonici &c. Vol. V. MSS. in fol.

III. Collectio variarum Antiquitatum Mediolanenſium ex pluribus Manuſcriptis opera & ſtudio Danielis Porri &c. MS. in fol.

Extant omnes pænes Carolum Jacobum Porrum J. C. & Advocatum, Auctoris ex Fratre nepotem.

## MCCCXXIII.

## PORRUS FRANCISCUS BERNARDINUS.

JOannes Ambroſius Porrus Franciſcum Bernardinum non tantùm genuit, ſed & optimè educavit, itaut Juribus tam ſedulò, ſeriòque iſte ſe dederit, ut Advocatus magni nominis breviter evaſerit. Patria ipſa multum ei obſtricta eſt pro Collectionibus Reſcriptorum atque Senatus Deciſionum, necnon pro aliis Elucubrationibus ad Civilia, & Criminalia pertractanda ſatis utilibus, ideoque à Benedicto Sociaco ſequenti Epigrammate laudatur:

*Ede tuum tandem doctiſſime Porre libellum,*
*Hunc Patria expectat, ſollicitatque reus.*
*Pœnarum minuit, tormentorumque timorem,*
*Si cui ferrata compede crura ſonent.*
*Non meus aſcendet ligna infelicia Civis,*
*Nec ſævo dabitur victima crebra mari.*
*Quin ſi tartarea liber ediſcatur in Aula,*
*Æquior in Manes & Rhadamanthus erit.*

Floruit Vir iſte uſque ad finem ſæculi XVII. atque etiam in principio ſubſequentis ex publicis Tabulis penes Clariſs. Sitonum. Annum verò ejus emortualem undique quæſitum non invenimus. Vivit tamen adhuc in ejus Operibus partim jam editis, partimque deperditis, ut ipſe aſſerit in libro, quem nunc cum aliis numero I. nos damus,

Scilicet:

I. Faſciculus rerum Criminalium ad uſum Fori Mediolanenſis, ad Petrum Franciſcum Corium Senatorem. *Mediolani, apud Bidellum*, 1621. *in* 8.

II. Reſponſa XI. ad Decretum in quibus caſibus criminaliter procedi non poſſit.

III. Adnotationes ad Tractatum de Cambiis. Hæc duo reperiuntur in libro, cui titulus: „ Tractatus Criminalis Joannis Baptiſtæ Cavatii J C. Bononienſis, & „ Advocati Mediolanenſis, cum variis Elucubrationibus Franciſci Bernardini Porri J. C. Mediol. „ *Mediolani, apud Comum*, 1612. *in fol.*

IV. De Facinore in filium Fernandez Joannis Comeſtabilis Mediolani patrato. *Sine loco, Typographi nomine, atque anno, in* 4.

V. De pœnis remittendis. Hoc Opus laudavit ſupra relato Carmine Benedictus Sociacus, verumtamen utrum impreſſum fuerit, nec ne Picinellus non dixit.

VI. Allegationes plures tam editæ, quàm MSS. extant in Collectionibus J. PP. Mediolanenſium, atque Papienſium alibi indicatis.

Extat in ejus laudem Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, Petri Pauli Porri inter ipſius Poeſes pag. 56. de quo ſuo loco.

Videndæ ſunt etiam Schedæ Sitonianæ, atque Athenæum Picinelli pag. 201.

## MCCCXXIV.

## PORRUS GREGORIUS.

POrræ nobilis Mediolanenſis Familiæ, ex qua plures prodierunt Eruditi, ſplendorem auxit Gregorius eodem ſanguine genitus, cujus Parentes fruſtrà quæſivimus. Is Monachorum Congregationis Montis Oliveti Inſtituto ſuſcepto, ſtudiis tam diligenter vacavit, ut brevì ad Philoſophicas, Theologicaſque diſciplinas auditoribus è Cathedra tradendas electus fuerit. Mox ob cognitam ejus doctrinam, prudentiamque ad regenda nonnulla Ordinis ſui Monaſterii Abbas creari meruit, & Viſitatoris munere decorari, quod ab anno MDCCXI. exercere cœpit. Plura dedit virtutis ſuæ ſpecimina ad annum uſque MDCCXXVII., qui illi poſtremus fuit.

Fœtus ejuſdem Litterarii hos præferunt titulos:

I. Curſus Philoſophicus, & Theologicus. MS. in fol. Tom. IV.

II. Diſputationes de Sacra Scientia Dei. MS. in fol.

III. De Deo Uno & Trino. MS. in 4.

IV. In primam, & ſecundam Partem Divi Thomæ. MS. in 4. Tom. II.

Omnes in Bibliotheca S. Victoris Mediolani.

Mentio illius habetur in Chronologia Cœnobiorum, Virorumque illuſtrium Congregationis Montis Oliveti Michaëlis Angeli Belforti. *Mediol.* 1720. *in* 4. pag. 138.

MCCCXXV.

Digitized by Google

## M C C C X X V.

### PORRUS HIERONYMUS.

JOannem Petrum Mediolanenſem Cauſidicum, & Domninam Porram Parentes habuit Hieronymus Porrus Mediolanenſis, qui Matheſim, Poëticam, atque Oratoriam Facultates ſummo ſtudio coluit. Petrum Aretinum, atque Nicolaum Francum non infimi nominis eruditos Viros coævos ſuos Scriptis exagitavit, cùmque Joannem Boccaccium ſibi ad imitandum propoſuiſſet, Opus aggreſſus eſt illius Decameroni ſimile, ut infra dicemus, & in eodem de omnibus diſſerit bonis artibus, quas ſibi ſtudioſo labore comparaverat. Carolo V. Auguſto, ejuſque fratri Ferdinando Romanorum Regi tam gratus fuit, ut Joanni Jacobo Mediceo Melegnani Marchioni, cujus Elogium loco ſuo dedimus, ſupremam copiarum Præfecturam obtinuerit, ex Epiſtola latina ipſius Ferdinandi Regis, data Viennæ die XXVI. Decembris MDXLIV., quæ in ſuperius enunciato libro legitur. Acceptiſſimus quoque fuit Paulo IV. Summo Pontifici, eidem Melegnani Marchioni, atque Cardinali Granuelæ ſeniori, quemadmodum & aliis Principibus. An. MDXL. ætatis ſuæ XXIX ad munus Cæſarei Syndici Fiſcalis in Mediolanenſi Dominio electus fuit, & non multo poſt ſcilicet anno MDXLVIII. occubuit. Cadaver illius tumulo mandatum eſt in veteri Sancti Fidelis Eccleſia olim Parochiali, nunc verò eximiæ Societatis Jeſu Alumnis attributa.

Operum illius titulos hauſimus ex libro Petri Pauli Porri loco ſuo laudandi, inſcripto: Eugenia Familiare della Caſa Porra, pag. 82. nimirum:

I. Le Novellaccie. Sic appellavit Auctor noſter librum, de quo jam diximus, ad imitationem Decameronis Joannis Boccaccii.
II. Carmina plura. Ea Italica ſint, an Latina citatus Scriptor non indicat.
III. Aliqua adverſùs Petrum Aretinum, & Nicolaum Francum. Hæc Opera omnia utrum MSS. vel edita ſint ex enunciato libro eruere nobis datum non fuit.

Præter laudatum Petrum Paulum Porrum, de Hieronymo mentio eſt in Hiſtor. Magiſt. Extraordin. Joſephi Benalii, Cap. XVIII. pag. 184., & in Schedis Sitonianis.

## M C C C X X V I.

### PORRUS HIPPOLYTUS.

JOanne Baptiſta J. C., quem infra ſuo commendabimus loco, genitore in lucem venit Mediolani Hippolytus Porrus, Vir & Litterarum gloria, & militari robore illuſtris. Neque minor in eo fuit pietatis ardor, ut ſatis oſtendunt ejus Lucubrationes infra memorandæ. Friderico Cardinali Borromæo, hujus Urbis commendatiſſimo Archipræſuli, chariſſimus extitit, cui etiam Corneliæ Lampugnanæ Rhaudenſis Acta diligenter à ſe conſcripta, quemadmodum & alia nuncupavit. Perſpectam habens interim Cardinalis optimus Hippolyti noſtri in Deum religionem, & in animarum ſalute curanda fervorem, inter pios Viros, qui SS. Ambroſii & Caroli Oblatorum Congregationem in hac Urbe & Diœceſi florentiſſimam, licèt Sacris non addicti, operâ tamen juvare ſolent in his, quæ ad Dei cultum pertinent, & Chriſtianam Doctrinam præſertim ſpectant, ideoque Oblati ſæculares dicuntur, Porrum cooptavit. Hujus loci non eſt ipſius zelum pluribus commendare; ſatis enim ſuperque eundem laudant tanti Præſulis electio, & inferiùs recenſendi non litterarii ſolùm, ſed pietate quoque referti labores. Quo anno occubuerit, incompertum nobis eſt, illudque tantùm non latet, adhuc in vivis fuiſſe anno poſt Chriſtum natum MDCXLVI., quo unà cum Uxore ſua Sepulchrum in Eccleſia Parochiali S. Victoris, ad Theatrum dicta, ſibi paravit, ubi hæc inſcripta voluit, ex Collectione Archintea à nobis eruta:

D. O. M.
HIPPOLYTVS PORRVS I. C.
ET TRANQVILLA ISACA IVGAL.
SEPVLCHRVM POSVERVNT
SIBI ET POSTERIS
ANNO MDCXLVI.

Illius hæc ſunt Opera:

I. Vita, e morte della Signora Cornelia Lampugnana Rhò. *Pavia, per il Magri*, 1624. *in* 4. Inſcripſit Opus hoc, ut diximus, Cardinali Friderico Borromæo, prout etiam ſequens.
II. Diario d'Eſercizj Spirituali. *Milano, preſſo il Bidello*, 1629. *in* 12.
III. Origine, e Succeſſi della Dottrina Criſtiana. *Milano*, 1640., & cum additionibus. *Ivi, per il Malateſta*, 1703.
IV. Vita del B. Angelo Porro. *Pavia*, 1623. *in* 8. Hanc ſe ſcripſiſſe Auctor teſtatur ob familiæ ſuæ honorem, in Epiſtola nuncupatoria Operis num. II. laudati, quemadmodum etiam ibidem aſſerit ſua eſſe, quæ ſequuntur.
V. Giornale per dar gloria a Dio, dedicato alla Signora Conteſſa Giovanna Ceſi Borromei Nipote del Sig. Cardinale Federico. *Milano*, 1629. *in* 12.
VI. Origine, e Genealogia della Caſa Porra. Hoc Opus apud ſe tunc MS. brevì tamen in lucem edendum indicat Scriptor ipſe loco cit.

Cùm ei dicatus fuiſſet Aſceticus liber inſcriptus: *Porta.* Auguſtinus Terzagus Epigramma cecinit, quod legitur inter ejus Carmina Latina pag. 37. Aliud quoque de ipſo Epigramma Terzagi habemus pag. 34 in commendationem libri, quem dedimus ſupra num. V.

De ipſo meminere Sitonus amiciſſimus in Schedis, atque Picinellus in Athenæo pag. 382.

## M C C C X X V I I.

### PORRUS JOANNES ANGELUS.

PRotaſius Porrus, qui anno Virginei Partus MCDXXX. Mediolani florebat, Joannem Angelum genuit pietatis, ac veræ Sanctimoniæ exemplum optimum. Nam ab ipſa ineunte ætate ſummæ erga Deum, atque Mariam Sanctiſſimam devotionis ſpecimina plurima dedit, quæ in dies tam ſedulò fovit, auxitque, ut Ordinem perilluſtrem ipſius Deiparæ Servorum amplecti voluerit. Mirum eſt dictu, quantum ab illo ſibi pollicerentur Præſules, & Alumni tam eximii Cœtus, nec ipſos fefellit concepta ſpes, nam auditâ à Joanne Angelo noſtro famâ eorum, qui in Sanario, aliis Senario, Monte diſtrictiùs Beatæ Virgini inſerviendo vitam ducebant, Patriâ poſthabitâ illuc ſe tranſtulit, & ut verus Eremita per annos viginti meditationibus, macerationibus, & vigiliis totum ſe dedit, uſque dum ad Novitios regendos in Conventu Sanctiſſimæ Annunciationis Florentiæ à Superioribus miſſus fuit, quod accidit etiam ſecunda vice ex Ordinis totius Generalis mandato, ab Eremo Clanti Jo. Angelo noſtro, quò ſe contulerat, revocato. Immò à Suis inter ſe diſſentientibus pro eligendo Priore in Sanarii Montis Conventu, idem Angelus ad id officium promotus lites compoſuit; quod munus non tantùm apud Religioſos moderatione ac vigilantia, quantum apud Villicos miraculorum ſignis percelebriter adminiſtravit. Sed Vir Dei hu-

humilitatis ſectator, ut vanam Mundi gloriam fugeret, vix expleto Prioratus anno, ad Eremum Clanti iterum profectus eſt, cui Monaſterio anno MCCCCLXX. Prior eſt deſignatus. Ut autem exiſtimationem vicinorum eluderet, Mediolanum repedavit, ubi eamdem vitæ auſteritatem retinens, id in primis ſibi propoſuit, ut Divina Myſteria, & Chriſtianorum Dogmatum ſcientiam diebus feſtis pueros edoceret, atque ad morum caſtigationem non modicùm inſudaret, eâ potiſſimùm ætate, qua liberiùs in vitia homines proruebant. Neque hîc tantummodo conſtitit Jo. Angeli ſollicitudo, nam cùm à Generali Ordinis Moderatore, unà cum tribus aliis probatis Fratribus jamdudum ad reformandos in meliùs, juxta normam primæ Inſtitutionis, Religioſorum mores ſelectus fuiſſet; id potiſſimum præſtitit Corvariæ Placentinæ Diœceſis, ubi non verbis minùs, quàm exemplo priſtinum vitæ inſtitutum reſtituit, ita planè, ut decennio poſt nonnulli ex iiſdem integerrimæ ac caſtigatioris vitæ ab ipſo propoſitæ exemplum ſequuti, Congregationem ſub nomine Obſervantiæ Servorum B. M. V. efformarint. Cavacurtæ Laudenſis agri laboribus, ac vigiliis fatigatus ægrotare cœpit, unde Mediolanum rediens in morbum incidit graviorem, nec diu poſt apparentibus modò Novitiorum habitum indutis Angelis, modò juvenum in ſpeciem, pelle tantùm atque oſſibus conſtans in Domino placidiſſimè obdormivit IX. Kal. Novembris, anni à Virginis Partu MDVI. ut Gianio placet in Annalibus ſui Ord., Moriggiæ, aliiſque Scriptoribus; Auguſtinus verò Alevazolus ejuſdem Ord. in Vita, ut infra, Petrus Paulus Porrus in libro, cui titulus: Eugenia, ſæpe à nobis citato, aliique, eum obiiſſe aſſerunt anno MCDXCVI. Id profectò mirum omittere nolumus, quod Cadaver Joannis Angeli nuſquam terræ mandari potuit, quoniam grave & pene immobile videbatur: atque ab eo tempore ob frequentia beneficia, quæ in Mediolanenſes, ad illius tumulum confluentes diffudit, Beati nomen eſt aſſequutus; brevique ſolemnibus ceremoniis Cœlitum Faſtis adſcribendus creditur. Illius Corpus adhuc incorruptum in Capſa argentea, atque chryſtallina ſervatur & colitur in Sacello marmoribus, atque auro elegantiſſimè ſtructo in Eccleſia Servorum iſtius Urbis; ibique ad latera ſub affabre pictis imaginibus, ſequentia Elogia ſculpta videntur:

COMMVNI SEPVLCRO TVMVLARI
IMPROVISO PONDERE
CADAVER RESISTIT
COELO SCILICET VETANTE
ANGELICI CORPORIS RELIQVIAS
VVLGARI TERRAE MISCERI.

---

FRATER VIRTVTI SVAE
QVOD LATERE NESCIRET
SECVRIOREM IN SOLITVDINE
SOLITVDINEM QVAERIT.
SIC
HOMINES DVM FVGIT QVOS TRAHIT
TRAHIT QVOS FVGIT.

Gianius citatus ad commendationem Jo. Angeli hoc edidit Epigramma:

*Angelus eſt nomen, mirari deſine, ſi re*
*Ipſa actus fuerint, Angelicique modi:*
*Si botrum viti copulat; ſi cernitur orans*
*Elatus terra; unde parabat iter;*
*Si adſunt Cœlicolæ ægroto, & (mirabile dictu)*
*Tympana ſponte ſonant ipſo obeunte ſua.*

Scripſit ex Auctoribus infra citandis:

I. Maſſime propoſte al Religioſo Clauſtrale. Hoc Opus elucubravit, cùm Magiſtri Novitiorum munere fungeretur, teſte Gianio loc. cit.

II. Orazione elaborata, in cui inſegna il modo più degno di ſervire alla B. V. Ex eod. & infra citandis Auctor.

Vitam ipſius, & Miraculorum ſeriem ex profeſſo ſcripſerunt

Auguſtinus Alevazolus Ordinis Servorum B. M. V., quæ prodiit primùm latinè *Alexandriæ*, 1691., deinde Italicè *Mediolani*, *apud Malateſtam*, 1694., & denuò *apud Richinum*, 1725. *in* 4.

Joannes Baptiſta Corneus, de quo jam egimus, Italicè edidit 1649.

Hippolytus Porrus, item Italicè, ut diximus in eodem. *Papiæ*, 1623.

Paulus Maria Palearius ejuſd. Ordinis. *Mediolani*, *anno* 1639.

Memoratur ab Archangelo Gianio in Annalibus Ord. Servor. B. M. V. T. II., cæteriſque omnibus de eod. Cœtu agentibus; à Moriggia in Nobil. Mediol. lib. I. cap. 11. & 24. à Galeatio Gualdo in Relat. Civit. Mediol. p. p. pag. 50., aliiſque permultis.

## MCCCXXVIII.

## PORRUS JOANNES BAPTISTA.

IN ea hujus Urbis parte, quæ inter Orientalem, ſive Argenteam, & Tonſam Portas ſita eſt, atque Montisfortis nomen ſortita fuit, extitit olim Monachorum Ordinis Sancti Baſilii, quos Armenos nuncupabant, Cœnobium, illudque idem eſt, quod nunc ſub SS. Martyrum Coſmæ & Damiani vocabulo incolunt religioſi Eremitæ Nudipedes S. Auguſtini Regulam profitentes. Cùm ergo Baſiliani Aſcetæ ibi florerent, eorum numero aggregari voluit Joannes Baptiſta Porrus in Oppido Aplani Mediolanenſis Ducatus ortus. Hic ad Poëticam artem propenſam ſortitus indolem, naturæ donum tam diligenter excoluit perpeti ſtudio, atque labore, ut ſive Latinè, ſive Italicè Carmina condere aggreſſus fuerit, ſumma facilitate, quæ ſibi propoſuerat, conficere ſoleret. Coævus extitit eruditiſſimi Viri M. Antonii Majoraggii, & Vatis celeberrimi Publii Franciſci Spinulæ Mediolanenſium, quibus clarum ſatis locum in hac Collectione noſtra meritò aſſignavimus; & eorum amicitiam mutuis verſibus cultam ex infra dandis facilè cognoſcent Lectores optimi. Aliorum quoque doctorum Virorum merita Scriptor noſter laudavit, ut ſæpe in hoc Opere meminimus. Ordini ſuo cum Generalis munere præfuit; quo autem anno deſiderium ſui poſteris reliquerit, ignotum eſt nobis.

Scripſit Porrus noſter:

I. Emblemi del Sole. Sunt Epigrammata Italica. *Milano, per il Ponzio*, 1589. *in* 4.

II. Poëma Latinum ad M. Antonium Majoraggium. Legitur inter Carmina Publii Franciſci Spinulæ, pag. 48. de quo agemus in Spinula.

III. Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*. Extat inter Carmina pariter Italica Petri Pauli Porri, ubi alterum ejuſdem legitur ad Scriptorem noſtrum. De hoc Opere agemus in Petro Paulo.

IV. Alia Carmina Italica, vulgò *Ottave*. Memorantur à Picinello loco citando.

V. Plura alia Opera, quorum tamen titulum non indicat, idem Picinellus Porro noſtro tribuit, quæ fortaſſe ſunt MSS. à Joanne Petro Creſcentio in Præſidio Romano lib. III. num. 22. laudata.

De

Digitized by Google

De ipſo habemus præfati Majoraggii Carmen latinum impreſſum in libro Hendecaſyllaborum citati Spinulæ num 43. quod ſic incipit:

*Flos Porre Inſubrium, bonis amice,*
*Amice Aonidum Choris,*
*Qui duris quoties ſeveriorum*
*Vacat muneribus negotiorum,*
*Libris invigilas ſacris libenter* &c.

Aliud inſuper Majoraggius Carmen ad eum dedit de Davidis Pſalmis à Spinula verſibus ſcriptis, & ſcribendis, illudque eſt inter imitationes Catullianas ipſius Spinulæ, pag. 47.
Plura etiam Spinulæ Carmina latina in Porri commendationem inter ejus editos verſus reperiuntur.
Laudatur quoque à Petro Paulo Porro in toties citato libro inſcripto: Eugenia della Familia Porra, pag. 85., & à Picinello in Athenæo pag. 283.

## MCCCXXIX.

## PORRUS JOANNES FRANCISCUS.

JOannes Franciſcus Porrus, qui aliquando etiam ſimpliciter Franciſcus nuncupatur, Parentes habuit Joannem Angelum atque Catharinam Homodeam illuſtres Mediolanenſes Conjuges, qui ad Sacra initiatus Canonicatum in Regia Collegiata Scalenſi anno MDLXXVI. obtinuit, utriuſque Signaturæ Referendarius Apoſtolicus extitit, necnon Vicarii Generalis munus in Patria peregregiè ſuſtinuit, & quod erit perpetuò in ejus laudem recenſendum, à Clero Mediolanenſi Orator miſſus fuit ad Gregorium XIV. P. M., cui Orationem ſatis elegantem pronunciavit, ut infra. Charus etiam fuit D. Carolo Borromæo, ut ex Epiſtolis eidem Sancto ſcriptis facilè conſtat. Obiit verò anno MDXCVIII. die XII. menſis Aprilis, & de ipſo,

Quæ ſequuntur damus:

I. Orationes plures tam Italico, quàm Latino Sermone exaratæ, inter quas excellit illa coram Gregorio XIV. Pontifice Maximo, dum à Clero Mediolanenſi miſſus fuit Orator ad ſupradictum Pontificem. Ita legitur in libro, cui titulus: „ Eugenia familiare di Caſa „ Porra „ pag. 109. de quo agimus in Articulo Petri Pauli Porri ſenioris.
II. Epiſtolæ num. XXX. ad D. Carolum Borromeum ſcriptæ annis MDLXXIX. MDLXXX. & MDLXXXI. Extant in ſæpe laudata Collectione Epiſtolarum D. Caroli in Biblioth. Ambroſiana.
Agit de ipſo, præter ſupradictum Petrum Paulum Porrum loco citato, Clariſſimus Sitonus in ſuis Schedis.

## MCCCXXX.

## PORRUS JULIUS.

DE Julio Porro paucis verbis me expediam, nam præter ejus parentes mihi ab amiciſſimo doctiſſimoque Sitono indicatos, ſcilicet Bartholomæum, atque Cæciliam Vicomercatam Jugales, necnon Patriam, Oppidum videlicet Caſſanum ad Abduam flumen, ubi Julius editus eſt in lucem, ex pluries citato libro inſcripto: „ Eugenia Familiare della „ Caſa Porra, nil amplius inveni. Floruiſſe attamen videtur medio Sæculo XVI., & has ejus Lucubrationes forſan nunc primùm ex laboribus noſtris Lector accipiet,

Videlicet:

I. Julii Porri Patritii Mediolanenſis in Latinam Linguam Methodus omnia omnium tum veterum, tum recentium Grammaticorum præcepta ſummatim complectens. *Mediolani, apud Moſchenium*, 1561. *in* 8.
II. Tractatus de Liberalibus diſciplinis. Ita aſſerit Petrus Paulus Porrus in libro ſupramemorato pag. 85.
De ipſo cit. Sitonus in Schedis.

## MCCCXXXI.

## PORRUS LUDOVICUS.

LUdovicus Porrus Antonii filius in Collegium Nobilium J. PP. Mediolanenſium cooptatus eſt anno MDXX., atque jam pridem inter LX. Urbis Decuriones numerabatur, Ducalis quoque Cæſareuſque in Patria Senator à Franciſco II. Mediolani Duce. Ex Joanna Iſabella Caſata filium Camillum ſuſcepit, qui Præſes Magiſtratus Extraord. extitit. Tantâ excelluit noſter Juriſprudentiæ famâ, ut ſupremus Arbiter Controverſiarum maximi momenti in Cauſa Confinium inter Ferdinandum Romanorum Regem, & Rempublicam Venetam aſſumptus fuerit, noviſque Mediolanenſis Dominii Conſtitutionibus compilandis juſſus incubuerit. Memoratur Ludovicus in Mnemoſyno Ludovico juniori ſupradicti Camilli filii poſito in Eccleſia SS. Angelorum his litteris, quod damus, ne tantorum Virorum illuſtrium memoria pereat.

D. O. M.
OCVLOS ATTOLLE QVI LEGIS
LVDOVICVS PORRVS
LVDOVICI NEPOS
SENATORIA TOGA ILLVSTRIS
CAMILLI FILIVS
MAGISTRATVS PRAESIDIS
SPECTATA FIDE ET PROBITATE INSIGNIS
AVITAE DIGNITATIS IN MORTE
NON IMMEMOR
SVPREMVM HOC HONORIS MONVMENTVM
CHRISTI SVPPLEX AD PEDES
SIBI AC HAEREDIBVS P.
OBIIT DIE XX. OCTOBRIS MDCLXI.

Hæc de ipſo damus:

I. Acta, Tractatus, Conſultationes, & Dubia, cum Reſolutionibus uſque ad Sententiam Ludovici Porri Senatoris deffinitivam in Cauſa Confinium inter Ferdinandum Regem Romanorum, & Rempublicam Venetam. MS. in fol. Vol. II. penès Ludovicum Porrum juniorem.
II. Epiſtolæ quamplurimæ ad ſupradictum Ferdinandum Regem, ad Ducem Reipublicæ Venetorum, ad Franciſcum II. Mediolani Ducem, ad Cardinalem Tridentinum Chriſtophorum Madrucium, alioſque Principes ſuper eadem Controverſia, extant in ſupradictis Codicibus MSS.
III. Conſtitutiones Dominii Mediolanenſis ab eo collectæ, & recenſitæ, quas Carolus V. Imperator confirmavit anno MDXLI.
Eum laudant Petrus Juſtinianus in hiſtoria Veneta lib. III. pag. 255. Franciſcus Archeſius Caravigienſis Poëmate Latino, quod extat in libro, cui titulus: „ Eugenia familiare della Caſa Porra deſcritta da „ Don Pietro Paolo Porro „ pag. 80. à quo hæc excerpſimus. Videndus quoque Clar. Sitonus in Chron. J. PP. pag. 94. art. 495.



Digitized by Google

## MCCCXXXII.

## PORRUS PETRUS PAULUS.

ILle, de quo jam toties mentio incidit, Petrus Paulus Porrus ex Gabriele, ſeu Gabrio Mediolanenſis Ducatus Syndico Fiſcali Generali, atque Dariâ Campſiragâ jugalibus natus eſt. Optimas artes edoctus ab ineunte ætate tam proſa, quàm carmine non modicam ſibi peperit famam, atque anno MDLXXIV. inter Equites Ordinis Militaris SS. Mauritii, & Lazari meruit cooptari. Ex Cæcilia de Comite, quam uxorem duxerat, Hieronymum genuit anno MDXCII. qui poſtmodum Ciſtercienſis Monachus effectus paternum nomen aſſumpſit, de quo mox dicendum. Copioſam, ſelectamque Bibliothecam in propriis ædibus magno ſumptu collegit, unde in rem ſuam Theologorum, Chroniſtarum, Vatum, Philoſophorum, Juris Utriuſque Profeſſorum, & hujuſmodi eruditionem derivabat perpeti lectione, atque labore. Familiæ ſuæ Monumenta undique collecta poſteris ſervavit, ut infra dicemus, nec etiam militarem artem inſalutatam reliquit. Adhuc inter mortales agebat anno Redemptionis MDXCIV.

Hæc doctrinam illius indicant:

I. Sonetti, Madrigali, Canzoni, e Seſtine. *Milano, per il Ponzio*, 1573. *in* 4. Dicatus fuit Liber Cardinali Alciato.

II. Le Lagrime Criſtiane. Opus heroicis Italicis Verſibus exaratum, in quo plura è Petrarcha deſumpta inſeruit. Laudatur à Picinello loco citando; ibi tamen non indicatur utrum impreſſum fuerit, necne.

III. Egloghe. Hoc etiam Opus Italicum eſt, & inter reliqua illa eminet, cui titulus eſt *l'Amaranta*, ubi Paſtorem inducit de Nymphæ ſuæ crudelitate dolentem. MS. ſit an editum, nemo docet Scriptorum, quos mox citabimus.

IV. Eris d'Amore. *Milano, per il Ponzio*, 1575. *in* 4. Dialogus eſt Pedemontium Principi nuncupatus, in quo quæſtionem diſcutit de vero, & laudabili amore, Italica ſoluta oratione conſcriptus.

V. Carmina duo Italica. Habentur in libro Joannis Baptiſtæ Porri jam commendati, cui titulus: Emblemi del Sole, pagg. 60. & 120.

VI. Eugenia Familiare della Caſa Porra di Don Pietro Paolo Porro Cavaliere de' SS. Maurizio e Lazaro. *Cremona, per Gio. Pietro Zanni*, 1649. *in* 4.
Opus poſthumum, ubi de Porris illuſtribus agit. Illud edidit Paula Hieronyma Porra, Auctoris ex filio neptis; ac dicavit Petro Paulo Porro juniori Scriptoris ejuſdem filio, de quo agemus in Articulo ſequenti.

VII. Miſcellanei Militari. Centurie III. Opus MS. eruditiſſimum; quod apud Auctorem ætate ſua viventem ſe vidiſſe teſtatur Paulus Moriggia loco citando.
De ipſo cum laude meminerunt jam dicti Picinellus in Athenæo, pag. 468. Moriggia Nobil. Mediol. lib. 3. cap. 17. necnon Ghilinus in Theatro Litterat. parte II., & amiciſſimus Sitonus in Schedis.

## MCCCXXXIII.

## PORRUS PETRUS PAULUS alter.

EX Petro Paulo in præcedenti Articulo commendato, atque Cæcilia de Comite, ut ibi monuimus, vitam traxit Hieronymus Porrus anno MDXCII. die X. menſis Novembris. Mox ſæculo valedicens Ciſtercii leges amplecti ſtatuit, & inter ejus Inſtituti Monachos genitoris ſui nomine voluit appellari. Quemadmodum autem tanti Viri vocabulum aſſumſerat, ſic doctrinam quoque imitari ſtuduit. Quocirca non modici fructus Librum conſcripſit, ac ejuſdem Ordinis eruditiſſimo Abbati Hilarioni Rancato, cujus laudes congruo dabimus tempore, illum nuncupavit. Mortalis adhuc erat anno quadrageſimo nono ſupra milleſimum ſexcenteſimum.

Opus illius ſic prænotatur:

I. Immagine dell' Abate, di Don Pietro Porro, al Padre Abate Don Ilarione Rancati. *Roma, per Nicolò Caprani*, 1647. *in* 8.

II. Epiſtolæ plures eruditione ſacra refertæ ad Abbatem Hilarionem Rancatum. Ext. in MSS. illius, de quo ſuo loco.
Memoratur in Schedis Sitonianis.

## MCCCXXXIV.

## PORTA BERNARDINUS.

VEtuſtiſſimum Inſubriæ Oppidum Oſcella, vulgò Domo d'Oſſola nuncupatum, in Ducatu Mediolanenſi Bernardini Portæ patria fuit. Hic cùm primos juventutis annos ſtrenuè militando tranſegiſſet, quietam, tranquillamque vitam militiæ laboribus præoptans, anno MDXXVIII. cùm ſeptendecim annorum ſpatio ſtipendia meruiſſet, in patria Cauſis dicundis vacare ſtatuit. Quoniam verò Vallis Oſcellæ ſuperioris variis bellorum, quæ ipſe viderat, & quorum pars magna fuerat, vicibus afflicta, nunc Gallorum, nunc Sedunenſium, nunc Helvetiorum, nunc Germanorum, nunc rurſus Helvetiorum armis impetita, ſæpius etiam ad naturalis Principis ſui manus pervenerat, optimum duxit Bernardinus tot bellorum Commentarios conſcribere, qui ad poſterorum eruditionem, & Hiſtoriæ præſertim Inſubris adjutorium conducerent. Id præſtitit circa annum Salutis humanæ MDXXXV. Extremum tamen ejuſdem vitæ annum ignotum habemus.

Opus ab eo compoſitum hoc prænotatur titulo:

I. Sommario di memorie di guerre, e fatti d'armi ſeguiti nella Val d'Oſcella. MS. Hujus Codicis partem intulit Joannes Capis in Monumentis Curtis Mattarellæ, pagg 9. 36. 46. 47. 53. 55. 58. 59., & alibi.
Ex Muſeo Novarienſi Cl. Lazari Auguſtini Cottæ pag. 86.

## MCCCXXXV.

## PORTA JOANNES BAPTISTA.

PAtriæ ſuæ Mediolanenſi non parùm ſplendoris addidit Joannes Baptiſta Porta Franciſci Bernardini J. C. & Cauſidici Coll. atque Angelæ de Leva Conjugum filius. Legum amplexus ſtudia, & aſſecutus Lauream, in Collegium Cauſidicorum & ipſe adſcriptus fuit; ac eruditionis virtutumque merito Advocatus Fiſcalis Sanctiſſimæ Inquiſitionis Officii creari meruit. Noſocomii Maximi hujus Metropolis Præfectis viſum fuit Joanni Baptiſtæ munus Syndici Generalis ejuſdem piæ Domus demandare. Illud dum exerceret, contigit, ut quidam facinoroſi homines ex Capitalium rerum Præfecti Carceribus anno MDCCXXI. ipſo Paſchalis Solemnitatis die aufugientes ad præfatum Noſocomium ſe conferrent. Verùm Comitis Colloredi juſſu inde abducti, in Caſtrum Portæ Jovis ſecurioris cuſtodiæ gratiâ, miſſi ſunt, donec diſcuteretur, utrum aſyli privilegio frui poſſent. Porta igitur noſter ſuum eſſe putavit ſacri Loci immunitatem tueri, dum interim Comes Gabriel Verrus, Eques, & Commendatarius Ordinis Militaris Sancti Stephani, J. C. C. ac Sacræ Inquiſitionis Conſultor, & per ea tempora carceribus incluſorum Pro-

te-

Digitized by Google

A tector, nunc Regii Fiſci Patronus, doctiſſimam Diſſertationem circa reorum capacitatem aſyli privilegio gaudendi, quoad delicta, exaravit, quæ quidem Comitis Verri Lucubratio lucem vidit eodem anno. Opus autem Scriptoris noſtri, infra denuò memorandum, eruditione plurima redundat; etenim variorum hujus Metropolis Noſocomiorum vetuſtatem ſcrutatus (è quibus in unum redactis Diplomate Pii II. Summi Pontificis, dato V. Id. Septembris anno MCCCCLVII. petente Franciſco Sfortia hujus nominis I. Mediolani Duce conflatum eſt illud, quod nunc jure Maximum nuncupatur) Canonicas, Cæſareaſque Sanctiones, Exempla, Edicta, aliaque id genus adducit, quæ ad rem facere videbantur. Aliud etiam Opus non minoris ponderis habebat in
B manibus, quod tamen, ſumma prudentiæ, & probitatis laude, ad extremum uſque vitæ ſpiritum Noſocomio prædicto inſerviens, plenuſque dierum, anno MDCCXXVI. morte præventus, imperfectum relinquere coactus eſt.

Hæc igitur illius habent Opera poſteri:

I. Juridica Relatio de Immunitate Eccleſiaſtica, & libertate alienandi Bona adventitia cum aliis prærogativis inſignis Hoſpitalis Magni Mediolani ex fundatione, & qualitatibus Hoſpitalium unitorum, anno MDCCXXI. XXV. Auguſti juſſu ejuſdem Vener. Capituli typis mandata. *Mediolani, in Curia Regia, per Joſeph Richinum Malateſtam*, 1721. *in* 4.

C II. Relazione Storica, e Giuridica dell' Inſigne Spedale Maggiore di Milano MS. imperfectum, ut ſupra innuimus.

Agit de ipſo amiciſs. Sitonus in Schedis.

## MCCCXXXVI.

## PORTABOS SERAPHINUS.

VAriſienſe Oppidum Ducatus Mediolanenſis ſatis nobile, & aliorum in hac Collectione laudatorum Virorum Patria, Seraphinus Portabos natalibus ſuis illuſtrius effecit, qui Minorum Obſervan-
D tium, quos Reformatos à ſtrictiori vivendi genere nuncupare conſueſcimus, Inſtituto ſe devovens, poſt minora ſtudia Theologicam facultatem adeò diligenter percepit, ut acutiſſimus & doctiſſimus in ea fuerit appellatus. Munera quoque plura inter ſui Ordinis Alumnos præclarè geſſit, totique Provinciæ aliquando magna cum laude præfuit. Spirationem activam in divinis realiter à Paternitate Patris, atque Filiatione Filii diſtinctam, in quibus domeſticis Colloquiis ſtrenuè defendere ſolitus, ea ſuper re Opus compoſuit & edidit num. I. infra recenſendum. Cùmque alia meditaretur non minoris ponderis, morte præventus occubuit circa an. Salutis MDCLXXIV.

E

Habemus illius:

I. Scoticum Sanctiſſimæ Trinitatis Teloſcopium. *Mediol. apud Joannem Petrum Cardum*, 1657. *in* 4.

II. De Reformatione Ordinis Minorum etiam S. Franciſci temporibus inducta, & cœpta. Opus hoc incompletum reliquit.

Id hauſimus è Picinelli Athenæo pag. 490.

## MCCCXXXVII.

## PRANDONUS PAULUS.

DE Familia Prandona Mediolanenſi extant adhuc monumenta varia in Sepulchralibus Elogiis Eccleſiarum hujus Urbis, nempe S. Mariæ Pacis apud Minores Obſervantes S. Franciſci, S. Mariæ Secretæ Clericorum Regularium Somaſchenſium, & S. Mariæ prope S. Celſum, ut vidimus in Collectione Archintea. Ex eadem gente ortus eſt Paulus Prandonus, qui pietati deditus Religionem ampliſſimam D. Franciſci inter Minores Obſervantes amplexus eſt, ibique tam ſedulò litteras ſacras coluit, ut Concionator diſertiſſimus evaſerit, atque ſummâ prudentiâ præditus, Commiſſarius Viſitator in Provincia Sancti Didaci, nec non in ſua Mediolanenſi Provincialis & Diffinitor extitit. Spiritum Deo reddidit in Conventu S. Mariæ Pacis hujus Urbis die VIII. Januarii, anno MDCCIII.

Hæc ejus ingenii ſunt teſtimonia:

I. Vita della Venerabile Beata Maria d'Agreda, ſcritta in lingua Spagnola da Monſignor Giuſeppe Ximenes Samaningo, ora Arciveſcovo di Palenza, traddotta in Idioma Italiano dal P. F. Carlo Prandone Milaneſe Min. Oſſ. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1712. *in* 8. Extat etiam MS. in Biblioth. Suorum Sanctæ Mariæ Pacis Mediol.

II. Prologo Galeato ſopra la Vita di Maria Santiſſima. MS. ibidem.

III. Vita della ſteſſa, eſtratta dal Volume I. e II. della Miſtica Città di Dio di Suor Maria d'Agreda. MS. ibidem.

IV. Prediche Quadrageſimali, e Panegirici varj. MS. ibidem.

Ita à Suis, & ab Auctoribus Diarii Italici *Venetiis impreſſi Tom. XIII.*

## MCCCXXXVIII.

## PRANDONUS PAULUS ANTONIUS.

FRanciſcus Prandonus Phyſicus Mediolanenſis, atque Cæcilia Areſia Nobiles conjuges in lucem produxerunt Paulum Antonium Prandonum, die XVIII. menſis Julii, anno poſt Chriſti Adventum MDCXXII. Prima Litterarum rudimenta recepit in Univerſitate Braydenſi ſub optimo Præceptore Ludovico Ghiringhello è Societate Jeſu, aliis deinde ſolidioribus ſtudiis, ſcilicet Philoſophicis, & Phyſicis breviter exactis, ad Jura ediſcenda ſe contulit in publico Ticinenſi Gymnaſio, ubi Antonium Merendam, atque Henricum Arſagum celebres illius ævi Legum Doctores audivit; ita ut anno MDCXLIII. Lauream in eadem facultate, plaudentibus omnibus, adeptus ſit, deinde in Mediolanenſi Foro celebris Advocatus claruit, atque in Ticinenſi, & Cremonenſi Prætorio Judex, Civitatiſque Alexandriæ Prætor Regius efficitur. Pluribus Delegationibus à Principe, ſummiſque Magiſtratibus egregiè perfunctus eſt. Craſſante peſte anno redempti Orbis MDCLVIII. in diſtrictu Mediolanenſi ultra Padum illuc delegatus miſſus fuit cum poteſtate necis, & vitæ. Mirum eſt, quod Vir totus ad Legalia deditus, & in arduis negotiis quotidie implicitus ad amœniora quoque ſtudia ſe vertere potuiſſet, ut videre eſt à libro, quem num. I. infra dabimus, ſed mors invida nimis citò ipſum litteris, & vivis eripuit anno ſcilicet MDCLXXVI. Vivit tamen adhuc in ejus Operibus,

Quæ

Digitized by Google

Quæ ſunt :

I. Dialoghi raccolti da Polidoro Virgilio, e da altri. Verità, e Bugia, Pazienza, Vita perfetta ec., ridotti nella lingua volgare da Paolo Antonio Prandoni. *Milano, preſſo il Monza*, 1645., & iterum 1648. *in* 12.

II. De Parentum in liberos Diſciplina, libri quinque. *Mediolani*, 1649. *in* 8.

III. Pro D. Matthæo de Roſales Equite S. Jacobi Comite Vaylati, Marchione Caſtrileonis, Maximi Regum Domini noſtri à Secretis, Quæſtore Redditūum Extraordinariorum, & in Secretiori Conſilio Provinciæ Mediolanenſis Conſiliario, Defenſio Juridica eruta ex ſolo Offenſivo, in qua demonſtratur non poſſe agi de aliquo delicto doli, nec culpâ.

IV. Non poſſe ad pœnam, minuſque ad damna. In D. Co. de Vaylate ob culpam.

V. Lata culpa quando ſufficiat ad privandum feudo Vaſſallum.

VI. An pro culpa levi in criminali Judicio poſſit aliquis damnari ad reſarctionem damnorum.
Omnia uno Volumine. *Mediolani*, 1663. *in fol.*

VII. Dimoſtrazione dell' inſufficienza de' Carichi eccitati dal Sig. Generale Don Fernando Garcia Ravanal Governatore d'Aleſſandria per S. M. C. N. Sig., ſotto il dì IX. Febbrajo MDCLXXII. Vol. I. in fol. ſine Typographi nomine.

VIII. De Jure Tertii Quæſtiones centum. MSS., teſte Picinello.
De eodem Paulo Antonio agit Hieronymus Ghilinus in Annalibus Alexandriæ ſub an. MDCLXIV. pag. 305., Picinellus in Athenæo pag. 446., & latiùs Clariſsimus Advocatus Joannes de Sitonis de Scotia in Monumentis Genealogicis Familiæ Prandonæ pag. 34. *Impreſſ. Mediol. an.* 1725. *apud Malateſtam*, *in fol.*

## MCCCXXXIX.

## PRATA JOANNES ANDREAS.

JOannes Andreas Prata, ſive de Prato Mediolanenſis, Chriſtophori filius, anno MCCCCLXXXVIII. in lucem editus eſt, ut ipſemet in Opere ſuo infra memorando ſcribit. Abbas Philippus Picinellus loco citando aſſeruit, Scriptori huic noſtro fratrem fuiſſe Inſubriæ Senatus Præſidem, cujus nomen reticet; verùm, ut nos monuit amiciſſimus J. C. Sitonus, emendandus eſt illius error. Nam fuit quidem Senatus Præſes Joannes Antonius de Prato coævus Auctori, anno MDXVI., ſed cùm eo tempore alius vixerit Joannes Antonius ejuſdem cognominis Vir tunc Regiæ Ducalis Cameræ Ratiocinator, huncque non illum fratrem ſuum Scriptor appellet, patet, ſimilitudine nominum & cognominum in ſphalma inductum fuiſſe Picinellum. Id confirmatur publicis Tabulis, quas Joannis Andreæ frater conſcribi mandavit per Julianum Piſſinum Tabellionem Mediolanenſem, die XIX. menſis Novembris, anno MDXXXVII. extantibus apud eundem J. C. Sitonum, ubi ſic legitur: „ Spectabilis Dominus Joannes An„ tonius de Prato Imperialis Cameræ Ratiocinator „ Generalis, filius q. Spectabilis Domini Chriſto„ phori &c. „ Sui temporis hiſtoriam proſecutus eſt Joannes Andreas, ab eo tempore, quo Bernardinus Corius celeberrimus Mediolanenſium rerum Chroniſta deſiit, nam incipit ab anno MID., & perducit Opus ad annum MDXIX. Quo deſideratus fuerit tempore nos latet, conjicimus tamen haud multò poſt obiiſſe.

Scripſit igitur :

I. Chronicon Mediolanenſe ab anno MCCCCXCIX. MS. in fol. juſtæ molis. Illud vidimus apographum apud Comitem Conſtantium de Abdua litteratum, & Litteratorum fautorem benigniſſimum, & Monumentorum Patriæ ſuæ diligentiſſimum Collectorem, exſcriptum ex Autographo Bibliothecæ olim Principis Antonii Theodori Trivultii, collatum, & ſubſcriptum ab amiciſſimo Sitono jam ſupralaudato, menſe Februario, anno MDCCVII.
Ex Schedis Sitonianis, atque Athenæo Picinelli, pag. 260.

## MCCCXL.

## PRATA ISAIAS.

PRata Familia, jam ab anno MCCCLXXXVII. teſte Creſcentio loco citando, inter Nobiliores hujus Metropolis recenſita, Iſaiam protulit, cujus parentes nos latent. Acta quoque illius, atque ſupremum ætatis annum nemo indicat. Hoc unum invenire datum fuit, ipſum Magno Joanni Jacobo Trivultio, alibi à nobis celebrando, à Secretis fuiſſe. Ejuſdem etiam fidei ærarii cuſtodiam Trivultius demandavit, atque in laborum præmium munus pretium rei frumentariæ conſtituendi ab ipſo tunc Inſubriæ Moderatore conſecutus eſt. Officium illud ad ea uſque tempora Nobiliſſimi Cives exercuerant, Vicecomites ſcilicet, Puſterlæ, Puteobonelli, Gluſſiani, & id genus alii. Majora de Scriptore noſtro proferet fortè poſt nos felicior Collector.

Interim hæc Lector accipiat :

I. Storia della Caſa Trivulzia d'Iſaia Prata. Hanc MS. in fol. holoſerico villoſo viridi contectam apud Principem Herculem Trivultium olim extitiſſe, teſtatur Creſcentius.
Videndus idem in ſecunda parte Amphitheatri ſui in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum.

## MCCCXLI.

## PRATA MARCUS.

AD Familiæ Pratæ Mediolanenſis antiquitatem comprobandam multa ſuperſunt Sepulchralia Monumenta in hujus Metropolis Templis, inter ea verò recenſere voluimus, omnium quæ hujus Gentis apud Collectores vidimus, antiquiſſimum, illud ſcilicet, quod adhuc cernitur in Parochiali Eccleſia Sanctæ Mariæ, vulgò la *Paſſarella*, in hæc verba conceptum :

HIC IACET VENERABILIS D.
PRESBITER GOTTARDVS DE PRATA
OLIM RECTOR HVIVS ECCLESIAE
AC ORDINARIVS ECCL. MAIORIS MEDIOL.
QVI OBIIT DIE XXVII. SEPTEMB.
MCCCCLXXXIII.
PRESB. FRANCISCVS EIVS FRATER
SVCCESSOR IN HAC ECCLESIA
POSVIT H. SEPVLCHRVM.

Eadem genitus eſt Familia Marcus Prata, cujus memoriam unà cum Parentibus, Actis, cæteriſque ad Inſtitutum noſtrum pertinentibus oblivio certè deleviſſet, niſi Auguſtinus Terzagus in lib. ſuo, cui titulus: Poëſis, ſequentis ejus Operis meminiſſet; quod cùm ad Medicam artem ſpectet, innuere videtur, Scriptorem hunc Phyſicæ profeſſorem extitiſſe. Nullibi de ipſo Curtius agit in libro ſuo de Claris Medicis Mediolanenſibus, ex quo conjicimus, Opus Marci noſtri MS. tantùm fuiſſe, & nunquam in lucem edi-

Digitized by Google

editum, addendum idcircò Scriptoribus Medicis Mediolanenſibus à Cl. Curtio omiſſis.

Ejus hic eſt titulus:

I. Tractatus de tuenda ſanitate.
Laudat illum Auguſtinus Terzagus Epigrammate Latino in citato libro, cui titulus: Poëſis.

## MCCCXLII.

## de PRIMIS PETRUS FRANCISCUS.

PEtrus Franciſcus de Primis Mediolanenſis, cujus Parentum nomina nullus, quod ſciamus, poſteritati ſervavit, poſt minorum facultatum ſtudia Clericis adnumeratus, tam ſedulò Theologicis Quæſtionibus addiſcendis ſe tradidit, ut Doctoris inſignia promeruerit. Cardinali Friderico Borromæo, Clariſſimo Litteratorum hominum Mœcenati acceptiſſimus extitit, cui etiam Opus infra memorandum, mole quidem exiguum, ſed Sacrarum Paginarum ſtudioſis apprimè utile, nuncupavit. In Eccleſia Collegiata Sancto Thomæ Apoſtolo in hac Urbe dicata, cui cognomentum eſt in Terra-amara, animarum curam cum laude geſſit; quo verò anno mortalis eſſe deſierit, nos latet.

En libri titulum:

I. In Pſalterii Davidici difficiliores Verſiculos Expoſitio, ad Cardinalem Federicum Borromæum, Auctore Petro Franciſco de Primis Doctore Theologo, ac S. Thomæ in Terra-amara Rectore. *Mediolani, apud Bidellum*, 1624. *in* 12.

## MCCCXLIII.

## PROSERPIUS CAROLUS.

CArolus Proſerpius Mediolanenſis prima litteraria rudimenta didicit in Scholis Braydenſibus Patrum eximiæ Societatis Jeſu; deinde ad Legum ſtudia ſe contulit; quamobrem in Univerſitate Ticinenſi Lauream ejuſdem facultatis meritò obtinuit. Ingenio, morumque probitate ſummopere præditus, à Vincentio Gonzaga Equeſtris Militiæ Mediolanenſis Præfecto ſibi à Secretis, atque œconomicis rebus eligitur, in quo munere ſummo candore, nec non ſollicitudine perfecta ſe exercuit ſpatio annorum XIII., ita ut Vincentius ipſe annis MDCXLVII. & MDCXLIX. ad Aulam Matritenſem properans, Proſerpium noſtrum ſecum duxerit, ibique à Rege Catholico non tantùm annuo cenſu donatus eſt, ſed munus etiam obtinuit Secretarii in Secretiori, ut vocant, Cancellaria Dominii Mediolanenſis. Muſas quoque proſecutus eſt, ut facilè eruitur à Carminibus latinis infra recenſendis. Vivebat adhuc ſcribente Athenæum Mediolanenſe Abbate Philippo Picinello, diemque illius, & annum ultimum nos ignoramus.

Edidit quæ ſequuntur:

I. Portus Longonis obſidio cœpta à Catholicis armis anno ſacro MDCL. *Mediol. ſine Typographi nomine*, *in* 4.
II. Panegyricus Comiti Bartholomæo Areſio dictus. *Mediol. typis Philippi Ghiſulphii*, 1654. *in* 4.
III. Elogia & Epigrammata in Funere Philippi IV. Hiſpaniarum Regis. Teſte Picinello.
IV. Carmina latina in laudem Aloyſii Guzmani Ponze Leon totius Mediolanenſis Dominii Moderatoris. Teſte eodem.
Ex Athenæo ſupradicti Picinelli, pag. 126.



## MCCCXLIV.

## PROSERPIUS FEDERICUS.

ETſi Federicus Proſerpius noſtris fermè temporibus inter JC. Mediolanenſes numeratus fuerit (ſcribebat enim, ut infra, anno MDCLXIII.) nullus tamen indicavit parentes, acta, nec emortualem ejuſdem annum, ideoque ſi in illius Lucubrationes manuſcriptas, lectu certè digniſſimas, non incidiſſem, quas ſervat Bibliotheca labore, & ſumptu non parvo à Marchione, & Senatore Didaco de Roſales ſuo loco meritò laudando confecta, in hoc meo Scriptorum Mediolanenſium Syllabo locum minimè obtinuiſſet. Si plura mihi oblata fuiſſent de hoc Viro, procul dubio inter Doctos recenſendo, reliqua ejuſdem acta, & labores, ab alio poſt me Collectore expectare Lectores neutiquam cogerentur.

Hæc igitur vidi de hoc Proſerpio

I. Collectio variorum Tractatuum Juris ex pluribus Auctoribus, à quibus excerpti ſunt, cum eorum Indice in unoquoque Volumine: Tomi IV. MSS. juſtæ molis, in fol.
II. Conſtitutiones Dominii Madiolanenſis typis datæ cum adnotationibus, atque additionibus JC. Federici Proſerpii, ſcriptæ anno MDCLXIII.
Cuſtodiuntur in præfata Bibliotheca Marchionis Caroli Gaſparis de Roſales ſupradicti Didaci filii, JC. Coll., litterarumque amantiſſimi.

## MCCCXLV.

## PROSERPIUS JO. BAPTISTA.

JOannes Baptiſta Proſerpius Mediolanenſis Parochus Eccleſiæ Verani, apud Oppidum inſigne hujus Ducatus, cui nomen Decium, ſive Deſium (ſic fortè dictum, quod X. ab Urbe diſtet lapide) licèt animarum curâ maximè occupatus, ut ipſe profitetur in Epiſtola ad Lectorem, caſu tamen quodam permotus, ad utilitatem Proximi, librum Italicâ linguâ elucubrare conatus eſt hoc titulo prænotatum.

I. Senato Accademico, cioè l'origine de' Poveri e Ricchi. *Milano, per il Malateſta*, 1620., & iterum. *Ivi, per l'Alciati*, 1627. *in* 8.
Ex Schedis Mazzucchellianis.

## MCCCXLVI.

## PROTASIUS.

PRotaſius Mediolani ortus, liberalium, ſacrarumque litterarum Præceptorem habuit Miroclem ejuſdem Urbis Antiſtitem, quo Magiſtro quantum profeciſſet, Populi, & Cleri Vota ſatis apertè comprobarunt, cùm Julio Epiſcopo vitâ functo, communibus ſuffragiis Succeſſor electus eſt, anno Salutis circiter CCCXXXVII. Corrigendus igitur Vallianus, qui aſſerit eum S. Miroclis Succeſſorem immediatum fuiſſe, cùm inter Miroclem, & Protaſium, Profius, ſeu Oroſius, Euſtorgius hujus nominis I., & Julius ſederint, ut ſatis clarè probat Ughellus. Cæterùm Protaſius in Sardicenſi Concilio tam egregiè Athanaſium Alexandrinum Antiſtitem ab Arrianorum calumniis defendit, ut Sanctus Doctor gratum teſtaturus

turus animum in Sermone ad Conſtantem Imperatorem honorificè Protaſii meminerit, tamquam illius, qui paulò ante vivere deſiiſſet. Incidit Beati hujus Antiſtitis mors in annum CCCLVI., ut aſſerit Ripamontius, quod tamen veroſimile non eſt, cùm Succeſſor ejus Dionyſius Concilio Mediolanenſi anno CCCLV. interfuerit; credendum idcircò, ante annum à Ripamontio aſſignatum obiiſſe. Eum colloquio ſuo cum Conſtante interfuiſſe, S. Athanaſius aſſerit. Subſcripſit Epiſtolæ Concilii Sardicenſis ad Julium Papam apud Hilarium in fragmentis, quamvis ibi corruptè legatur: „ Partaſius ab Italia de „ Mediolano. „ In Baſilica Portiana Sacrum Protaſii Corpus congruo honore ſervatur, ejuſque memoria colitur die XXIV. Novembris. Poëtica arte excultum fuiſſe teſtantur Carmina ab eo appoſita Fonti, qui D. Barnabæ dicitur, ad Ticinenſem Portam, quæ in Urbis excidio deperdita à Fontana exſcripta ſunt ex Volumine quodam Saxonico in Germania ab eo reperto, ut teſtes habemus Andream Alciatum, & Carolum à Baſilica Petri in ſuo Opuſculo de Metropoli Mediolanenſi. A vero abſimile non videtur, Sanctum Antiſtitem multa ſcripſiſſe, quæ Barbarorum incurſionibus totiès vexata Inſubriæ Metropolis amiſerit. Ideo ab hac Collectione tantum Virum excludere piaculum duximus, quamvis

Superſit tantùm illius

I. Epigramma inſcriptum, ut diximus, Fonti, ubi Sanctus Barnabas, ejuſque Diſcipuli primi Mediolanenſes Antiſtites non paucos Chriſto genuiſſe perhibentur, illudque hìc exhibere Lectoribus noſtris juvat:

*Hunc Fontem tibi dedicat, atque Deo ſuper undis,*
*Conſecrat impoſitam famulus Protaſius Aram,*
*Qua Ticina ſilex, & Martia Porta, Beate*
*Barnaba, te Ligures advectum nuper in oras,*
*Audiit hortantem cœtus, & rite lavantem*

Deeſt Verſus:

*- - - - - - - - - - - - - - - - - - Flamine victo*
*Ut per te tua plebs luſtrali admota Sacello.*
*Quam facies eſt alba Urbi, quam candida genti,*
*Tam niveis animis colat intra mœnia Chriſtum.*

Poſtremos hos duos verſus ita legit Alciatus, Fontana verò ut infra:

*Atque hæc præcipue colat inter mœnia Chriſtum*
*Urbs Mediolani ante Italas ingentior Urbes.*

Agunt de eo Boſca in Martyr. Mediol. VIII. Kal. Decemb., & fuſiùs in Notis ad eam diem. Ughellus, Panvinius, Beroldus, Sigonius, Puricellus, Ricciolius, & alii.

## MCCCXLVII.

## PURICELLUS ALEXANDER.

ALexander Puricellus, Joannis Petri Viri Clariſſimi, de quo mox agemus, ex fratre nepos, & Petri item ſuo loco laudandi frater, Gallarati primam vidit lucem. Patrui eruditionem proſecutus, non modico ipſi fuiſſe videtur adjumento, ex infra citandis Epiſtolis, quæ ſanè dignæ lectu ſunt. Ab eodem Patruo Romam miſſus eſt, ut æmulorum, qui editionem quorumdam ejus Operum fraudulentis artibus impedire ſatagebant, conatus eluderet. Spartam hanc intrepidè ſuſcepit Alexander, feliciterque confecit, qua in re non Joannem Petrum tantùm, ſed poſteritatem quoque ſibi plurimùm demeruit. Dum in ea Urbe moram traxit, ſacras Martyrum Criptas frequenter inviſens, quicquid ad aliorum eruditionem aptum invenerat, exarato Codice, ſervare ſtuduit, de quo inferiùs recurret mentio. Hæc ea ſunt, quæ ex Alexandri Epiſtolis mox indicandis haurire licuit; nam cætera illius acta, imò & ſupremum vitæ annum irrito labore quæſivimus.

Opera illius, quæ novimus, ſunt ſequentia:

I. Epiſtolæ V. ad Patruum ſuum ſcriptæ. Dat. Romæ annis MDCXLIV. & ſequenti, in quibus eidem ſignificat, P. Lucam VVadingum ab eo præſtolari Reſidua Triſtani Calchi, & pro editione Operum ejuſdem Patrui ſui plurimùm laborare, ut æmulorum ejus oppoſitiones eludat. Extant Autographæ in Biblioth. Ambr. Cod. MS. Jo. Petri Puricelli, ſign. D. num. 115. in fol.

II. Aliæ IV. eruditæ ad eundem. Dat. Romæ anno MDCLVI. Extant inter laud. MSS. ejuſdem Jo. Petri patrui in Biblioth. Ambr. Cod. ſign. C. num. 278. in fol.

III. Diſſertatio de Cryptis Martyrum Romæ extantibus, ab ipſo diligentiſſimè perſcrutatis. MS. in fol. pagg. 87. apud memetipſum.

## MCCCXLVIII.

## PURICELLUS FRANCISCUS.

FRanciſcum Puricellum Mediolanenſem Carolus Franciſcus Senatus Ampliſſimi Cancellarius genuit circa annum Salutis MDCLVII. Prima litterarum rudimenta in Univerſitate Braydenſi ſub doctiſſimis Societatis Jeſu Alumnis percepit, tum majora etiam ibidem ſtudia aliquando tranſegit, donec annos natus circiter XXIII. Romam perrexit, ubi reliqua ad eruditionem ſpectantia ſibi labore perpeti comparavit. Ibi ejuſdem eximiæ Societatis Inſtitutum amplecti ſtatuit; at nondum expleto Tyrocinii menſe fermè ſexto, ob corporis infirmitates, quæ minus aptum ad ipſius Cœtus Chriſtiano Orbi tam proficuos labores illum oſtenderunt, invitus ſuſceptum vitæ genus reliquit, cui tamen ſemper fuit addictiſſimus, ut etiam ex infra dicendis liquet. Sacerdotii poſtmodum dignitate inſignitus, in Patriam reverſus eſt, ubi Eruditorum ætatis ſuæ, & Procerum Urbis conſuetudine floruit. Inter alias, quibus pollebat, Scientias, Poëſi emicuit, præſertim in eo genere, quod appellatur *Bernieſco*; taleſque ſales proferre conſueverat; qui omnes oblectarent, neminem læderent. Inter Academicos Faticoſos Mediolanenſes locum obtinuit, quemadmodum etiam inter Arcades Romanos, ubi cognominatus eſt Nerinus Latrineates. Hujus quoque Academiæ Arcadicæ Coloniam Mediolanum deducendam unà cum aliis præſtantiſſimis Viris curavit. Poſtremis tamen ætatis ſuæ annis paralyſi correptus eſt, donec die XVII. Octobris, an. MDCCXXXVIII. in Oppido Decii, ubi Autumnali tempore degere ſolebat, deſideratus eſt, atque in Collegiata Eccleſia, Sepulchroque Canonicorum tumulatus jacet, nulla Inſcriptione impoſita. Supremis voluntatis ſuæ Tabulis ſelectam librorum copiam magno ſumptu à ſe collectam Braydenſis Collegii ampliſſimæ, ornatiſſimæque Bibliothecæ legavit, & patrimonii ſatis luculenti partem Pio Loco Concordiæ in Templo Deiparæ à Fonte nuncupato ad Tonſam Portam ſito, quibuſdam adjectis oneribus, reliquit, Avorum ſuorum veſtigia ſecutus, qui eidem Templo jam plura donarant. At quamvis nullo, ut diximus, Elogio doctiſſimi Viri Tumulus decoretur, juvat hìc Monumentum ære perennius dare, quod in amici cujuſdam id enixè petentis gratiam exaravit V. Clariſs. Ludovicus Antonius Muratorius in hæc verba: „ La ſtretta amicizia paſſata fra l'Abate Pu- „ ricelli, e me, e l'averlo praticato continuatamen-

„ te

„ te ne' ſette anni, ch' io dimorai in Milano, mi
„ diede agio di poter ben conoſcere tutte le ſue
„ egregie doti negli anni migliori di ſua età. Pochi
„ dì paſſavano, che non foſſimo inſieme; le noſtre
„ poſate erano d'ordinario preſſo il buon Segretario
„ Carlo Maria Maggi, il quale ſopra gli altri inge-
„ gni felici de' Milaneſi ſtimava quello del Puricelli.
„ Sapeva queſti mirabilmente deſcrivere i coſtumi,
„ e le paſſioni degli Uomini, perchè ben provvedu-
„ to de i lumi della moral Filoſofia. Sapeva pu-
„ gnere, ma con delicatezza, con amenità, e con
„ leggiadria. Con tutto queſto non cercò mai glo-
„ ria da' ſuoi Componimenti, che pur tanto la meri-
„ tavano; ſiccome nè pure cercò mai ricchezze, o
„ poſti d'onore. Contento de i comodi a lui perve-
„ nuti dall' eredità paterna, ad altro non penſava,
„ che a mantenere la tranquillità dell' animo, ſola-
„ mente converſando con Amici dotti, e in qualche
„ Caſa Nobile, dove era ben veduto, anzi ricerca-
„ to; perchè d'umore allegro, ma ſavio, dava un
„ bel condimento alle Converſazioni. Grande era
„ in lui la pietà, ſomma l'illibatezza della Coſcien-
„ za; e l'oneſte ſue maniere il rendevano caro a tut-
„ ti, ſenza ch' egli o col ſuo parlare, o colle ſue
„ azioni ſi guadagnaſſe mai l'odio d'alcuno. Tale
„ era la ſua placidezza, che la collera difficilmente
„ il prendeva, e poco poi tardava ad andarſene:
„ finiſſimo verſo gli Amici, riſpettoſo verſo tutti; e
„ d'una incomparabile onoratezza ornato. Per dir
„ tutto in poco, egregiamente ſeppe, e più egre-
„ giamente praticò ſempre mai quella Filoſofia, che
„ giova per queſta vita, e per l'altra. „ Utinam
verò liceret nobis hoc loco exactam ejus Operum ſeriem dare, ſed, ut ſperamus, eam brevì Lectores habebunt in editione eorundem, quam non exiguo labore colligit Comes Joſeph Imbonatus inter Arcades Veſalnus Acrejus, Vir litterarum cultor, & Eruditorum amantiſſimus.

Damus interim:

I. Carmina plura tam Italica, quàm Latina MSS. partim in præfatis Academiis, partim in privatis Litteratorum Cœtibus ab eo variis ſuper argumentis pronunciata, quorum Collectionem, atque editionem aggreſſus eſt præfatus Comes Imbonatus.

II. Carmina III. Italica, vulgò *Sonetti*, extant in libro, cui titulus: Applauſi Poetici per le glorioſe impreſe del Sereniſs. Principe Eugenio di Savoja.

III. Corona prima in morte del Segretario Carlo Maria Maggi. Extat in hujus Vita à jam laudato Muratorio conſcripta.

IV. Ejus Carmen Italicum poſthumum, vulgò *Capitolo*. Legitur in libro inſcripto: Lagrime in morte d'un Gatto. *Milano, per il Marelli*, 1741. *in* 8.

## MCCCXLIX.

## PURICELLUS JOANNES PETRUS.

INter primarios Mediolanenſes Eruditos omnium calculo certè recenſendus eſt Joannes Petrus Puricellus, Patre Balthaſſare, ſatiſque honeſta familia in prænobili Gallaratenſi Oppido natus die XXIII. menſis Novembris, anno MDLXXXIX. Primis etiam pueritiæ annis qualis, quantuſque Vir futurus eſſet, oſtendit, nam condiſcipulos omnes aſſiduitate ſtudii, & acris ingenii laude ſuperavit, nunquam ſine libris viſus, & ſæpe lectioni intentus adeò, ut non raró à Genitoribus vi traheretur è pluteo ad menſam. Ex Patria, ubi prima litterarum rudimenta perceperat, Mediolanum miſſus, doctiſſimæ Societatis Jeſu Alumnis in Braydenſi Archigymnaſio erudiendus traditur, ubi ſub Optimis Præceptoribus humanitatis & eloquentiæ dogmata audivit tanto cum progreſſu, ut etiam Magiſtris admirationi eſſet. Mox Clericali adſcriptus militiæ, ac in Seminarium majus receptus, Philoſophiam didicit, & Theologicam facultatem percepit, cujus Teoremata annos natus XX. publico litterario certamine cunctis ſtupentibus propugnavit, adſtante quoque Clariſſimo Cardinali, atque Antiſtite Friderico Borromæo, qui emeritam Viri frontem Laureâ redimivit. Ad exoticas poſtmodum linguas, Græcam ſcilicet & Hebraicam convertit animum tam felici eventu, ut earundem adjutorio fretus Sacras Paginas, & Eccleſiæ Doctorum ſcripta in ſuam derivarit eruditionem, ad omnes refellendas paratus cavillationes, quibus Eterodoxi Fidem convellere illa maximè tempeſtate nitebantur. Presbyterali inſignitus dignitate, ab eodem Friderico Theologali Præbenda Collegiatæ Eccleſiæ S. Thomæ in Terra amara nuncupatæ decoratus fuit, & Alumnorum Seminarii ſtudiis Præfectus, quos per octennium Philoſophiam, Theologiam, & Eloquentiam docuit, atque ut Adoleſcentes ad Litterarios labores incitaret in eodem Seminario Hermathenaicorum Academiam inſtituit. At majoribus tanta virtus præmiis honeſtari meruit anno MDCXXIX., nam Archipresbyter Laurentianæ Baſilicæ renunciatur; cùmque ſequenti anno peſtifera lue Metropolis hæc laboraret, intrepido ſemper animo morbo tactis miniſtrare nunquam deſtitit, quo in pietatis officio ſibi præſens Numinis ſenſit auxilium, unus ex omnibus ejuſdem Templi Miniſtris ſuperſtes. Plura ad hujus Archidiœceſis utilitatem munera geſſit, Examinatoris videlicet Synodalis, Conſultoris Congregationis Pœnitentiæ, Librorum Cenſoris, Sacrarum Virginum Confeſſarii & Protectoris. At quamvis tot implicitus curis, & quotidiano Baſilicæ ejuſdem miniſterio addictus, nunquam à conſcribendis Voluminibus ceſſavit, in quibus tam ſolidum oſtendit judicium, ut primus omnium fuiſſe perhibeatur, cujus critice Mediolanenſes hiſtoricos à mendis, fabuliſque purgaverit. Id compertum habens Borromæus Antiſtes, Operâ Puricelli uſus eſt pluribus in magni momenti rebus, præſertim verò in reformandis, edendiſque Miſſali, & Breviario Ambroſianæ Eccleſiæ. Illud etiam non omittendum cenſemus, Puricello in animo fuiſſe Mediolanenſem Hiſtoriam, eodem, quo Triſtanus Chalcus ſecutùs fuerat, ordine, conſcribere. Jam multa ad eam paraverat ſpartam, ut inter illius Lucubrationes infra recenſendas Lector videbit; ſed aliis diſtractus eruditis laboribus, quod cogitaverat, non perfecit. Ad eum confluebant Conſilii gratiâ Cives eruditionis illius famâ allecti, neque hæc intra Inſubriæ fines retinebatur, nam in exteras etiam gentes diffuſa Eruditos quoque temporis illius Clariſſimos adduxit, ut Puricellum per litteras conſulerent. Eos inter numerare libet Lucam Wadingum, Leonem Allatium, Melchiorem Inchnoffer, Caſſianum Cajetanum Sedis Apoſtolicæ Scriptorem, aliis non minoris exiſtimationis prætermiſſis. Ille tamen tantâ præditus erat modeſtiâ, ut in Litterariis Cœtibus ultimo ſemper conſideret loco. Adversâ ferè ſemper fortunâ preſſus conſtantiſſimum ſe præbuit, boniſque, & Eccleſiaſtico Viro dignis moribus ornatus apparuit, donec laboribus, & annis gravis die XVII. Novembris, ætatis ſuæ anno LXX Incarnationis verò Dominicæ MDCLIX. dum plura ad Patriæ honorem moliretur, vitâ deceſſit. Opera illius tam edita, quàm inedita à nobis diligentiſſimè perſcrutata hæc ſunt, nec Lectores pigebit, Documenta, aliaque à tanto Viro collecta pro conficiendis doctiſſimis ſuis Lucubrationibus hìc expoſita videre, curſim verò à nobis non ſine delectu perſpecta, non ſecundùm ordinem Manuſcriptorum, in quibus reperiuntur, ſed per aliquam materiarum ſeriem diſpoſita,

Sci-

Scilicet :

I. Ambroſianæ Mediolani Baſilicæ Monumenta. *Mediol. apud Ramellatum*, 1648. *in fol.* Et in Tomi IV. p. I. Antiquitatum Ital. Jo. Georgii Grævii. Autographus verò hujus Operis ext. in Biblioth. Ambroſiana, Cod. MS. ſign. ſt. num. 3.

Quæ ſequuntur ad eamdem rem pertinent.

Diplomata Friderici I. Imperatoris, aliorumque Cæſarum ad Baſilicam Ambroſianam ſpectantia, partim à Puricello in ſupradictum ſuum Opus ex integro inlata, partim tantùm indicata: ſunt in Cod. MS. Bibliothecæ Ambroſianæ, ſign. C. num. 76.

II. De antiquitate Canonicorum Eccleſiæ S. Ambroſii majoris Mediol. ſupra Abbatem, & Monachos Monaſterii ejuſd. Eccleſiæ, Diſſertatio. MS. in Cod. Bibliothecæ Ambroſ. ſign. S. num. 89. in fol.

III. I Contraſti ſuperati ſopra il Libro intitolato *Monumenta Baſilicæ Ambroſianæ*. MS. in fol. pagg. 200. in Bibliotheca Ambroſ. ſign. D. num. 156. in fol.

IV. Laurentii Littæ Civis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis Vita. *Mediolani, apud Impreſſores Archiepiſcopales*, 1653. *in* 4.

V. De Sanctis Martyribus Nazario & Celſo, ac Protaſio & Gervaſio Mediolani ſub Nerone cæſis, Hiſtorica Diſſertatio. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1656. *in fol.*

De Sanctis Gervaſio & Protaſio. De Paſſione Sanctorum Martyrum Nazarii & Celſi MS. in Cod. Biblioth. Ambroſianæ, ſign. ſt. num. 4. in fol.

VI. De Sanctis Martyribus Arialdo Alciato, & Herlembaldo Cotta. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1667. *in fol.*

Adverſaria in conſcribendam Vitam S. Arialdi, & Teſtimonia pro Sanctitate ejuſdem. MS. in Ambroſiana, ſign. D. num. 36.

VII. S. Satyri Confeſſoris, & SS. Ambroſii, & Marcellinæ Tumulus, ad Cardinalem Littam Archiepiſc. *Mediol. apud Malateſtam*, 1658. *in* 4.

VIII. Joannis Petri Puricelli Diſſertatio: Utrum Sanctus Ambroſius Clero ſuo Mediolanenſi permiſerit, ut virgini nubere ſemel poſſet, ex Vita Sancti Herlembaldi denuo excuſa in Tomo IV. Rerum Italicarum Scriptor. poſt Landulphi Hiſtoriam Mediolanenſem, pag. 121.

IX. Regola del P. S. Benedetto per le Monache Umiliate, conforme che fu appropriata all' Ordine loro, nuovamente traddotta da Gio. Pietro Puricelli. *Milano, per il Malateſta*, 1657. *in* 4. Ibi eſt diſertiſſima ejuſdem Præfatio.

X. Collectio Chronicarum de Ordine Humiliatorum. MS. in fol. Bibliothecæ Ambroſianæ, ſign. I. num. 125.

XI. Hiſtoria Ordinis Humiliatorum, ex diverſis Chronicis, unà cum Præfatione Jo. Petri Puricelli. Ext. in Cod. MS. Bibliothecæ Ambroſianæ, ſign. C. num. 74. Ibi etiam hæc reperiuntur:

1. Regula Humiliatorum, & nonnulla alia ad eos pertinentia, cum Præfatione Jo. Petri Puricelli.
2. De parvo B. M. V. Officio ab Humiliatis recitando.
3. De Monialibus ejuſdem Ordinis, quæ Romanum Breviarium ſuſceperunt.
4. Degli Santi, e Beati dell' Ordine degl' Umigliati.
5. Della declinazione del detto Ordine, e loro eſtinzione, ſalve le Monache.
6. Pronoſtico della ruina degl' Umigliati. Cento Ottave d'Ottaviano Pizzi, de quo jam egimus.

XII. Rationes, quibus demonſtratur Moniales Ordinis Humiliatorum teneri Breviarium Romanum, non illud ejuſdem Ordinis, recitare. MS. in fol. pagg. 798. in Bibliotheca Ambroſiana, ſign. D. num. 87.

XIII. Alia argumenta, quæ cogunt Moniales Ordinis Humiliatorum pſallere more Romano. MS. in fol. ejuſdem Bibliothecæ, ſign. D. num. 113.

XIV. De origine & progreſſu Ordinis Humiliatorum juxta diverſos MSS. in Cod. Biblioth. Ambroſianæ, ſign. C. num. 65. In eodem hæc ſunt etiam:

1. Regola dell' Ordine degli Umigliati, appropriata alle ſue Monache.
2. Della Regola di S. Benedetto, conforme che gli Umigliati ſè l'acconciarono.
3. Di alcuni Santi dell' Ordine degli Umigliati, cioè:
   Del P. Guido da Milano,
   Del B. Uberto da Milano,
   Di S. Gio. da Meda, detto il Prete,
   Del B. Luca Mantoli da Firenze,
   Di S. Omobono da Cremona.
   Di S. Picinino.
   Di S. Coſtanzo da Breſcia, o ſia da Stampa.
4. Altre Regole del medeſimo Ordine.
5. Memorie cavate dalla Chieſa de' SS. Pietro, e Paolo di Vico-Boldono intorno all' Ordine degli Umigliati.
6. Inſtrumentum Humiliatorum, ex quibus aliqua ad eorum Ordinem pertinentia dignoſci poſſunt.

Omnia ſunt notulis Puricelli noſtri adſperſa.

XV. Obſervationes variæ de Ordine Humiliatorum. In Cod. MS. ejuſdem Bibliothecæ Ambroſianæ, ſign. S. num. 89. in fol. ubi hæc quoque reperiuntur:

1. Excerpta per Archipresbyterum Puricellum ex Archivo Monaſterii S. Mariæ in Vallo Mediolani, cum diplomatica Collectione.
2. De Monaſterio S. Catharinæ de Brayda Mediolani Ordinis Humiliatorum excerpta per D. Puricellum.
3. Unio Domus Ordinis Humiliatorum in Burgo Merati cum Monaſterio S. Catharinæ Mediolani.
4. Unio Præpoſituræ S. Matthæi in loco Caſſani ſupra Abduam cum Domo Humiliatorum S. Catharinæ de Blaſſono Mediolani, facta per Capitulum generale Ordinis Humiliatorum in Domo S. Michaëlis Parmæ, anno Domini MCCCCXCI. Autograph. F. Hieronymi de Landriano Humiliatorum tunc Præpoſiti Generalis.
5. Duciſſæ Mediolani commendatio pro Præpoſito S. Matthæi Ordinis Humiliatorum in loco Caſſani ſupra Abduam, anno MCCCCLIII.
6. Exemptio à Franciſco Sfortia Vicecomite Mediolani Duce conceſſa Monaſterio Ord. Humiliatorum S. Catharinæ Mediolani, anno Domini MCCCCLX.
7. Formula creationis Miniſtri Domus S. Matthæi ſupradicti MCCCCL.
8. Formula creationis Præpoſiti Domus S. Matthæi ſupradicti MCCCCLIII.
9. Ludovici Francorum Regis, & Mediolani Ducis confirmatio, ſive ampliatio exemptionis pro Monaſterio Ord. Humiliatorum S. Catharinæ Mediolani, anno MDIX.
10. Caroli V. Imper. confirmatio exemptionis ſupradictæ, anno MDXLI.
11. Petri Joannis Perpiniani de vita, & moribus D. Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ libri tres.

Omnia cum notulis Joannis Petri Puricelli.

XVI. Adverſaria ad Humiliatorum Hiſtoriam pertinentia, cum nonnullis eorundem Privilegiis ad trutinam revocatis per Jo. Petrum Puricellum. MS. in Ambroſiana Bibliotheca, ſign. D. num. 99.

XVII. Diſſertazione della B. Aldobrandeſſa Umiliata, col diſegno del ſuo Sepolcro. MS. in fol. Extat in Cod. Bibliothecæ Ambroſ. ſign. D. num. 115.

XVIII. Chronica del Monaſtero delle Monache di Santa Marta dell' Ordine di S. Agoſtino di Milano, raccolta da Gio. Pietro Puricelli, Dottore di S. T., ed Arciprete della Chieſa Collegiata di S. Lorenzo Maggiore. MS. in fol. ſign. C. num. 75. in Bibliotheca Ambroſiana.

XIX. Vita della B. Veronica, compoſta dalla Madre Suor Benedetta da Vimercato, Monaca del medeſimo Monaſtero di Santa Marta in Milano, appreſſo di cui ſi conſerva tal Vita. MS. pagg. 18., con le aggionte fatte nell' anno del Signore MDCXXXVIII. da Gio. Pietro Puricelli alla ſuddetta Vita. MS. extat ibidem.

XX. Vita della Nobiliſſima Matrona, ed Abbadeſſa S. Begga Ducheſſa di Brabanza, e Sorella di S. Gertruda, dello ſteſſo Puricelli. MS. ibidem.

XXI. Vita delle due Sante Sorelle Gertruda e Begga, con alquanti altri Perſonaggi SS. loro Parenti, ed inſieme aſcendenti di Carlo M. Re di Francia, e primo Imperadore d'Occidente, raccolta Cronologica di Gio. Pietro Puricelli, con ſua Prefazione. MS. ibidem.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Catalogus Archiepiſcoporum Mediolanenſium à Sancto Barnaba ad Aicardum, anno Chriſti MCCCXXXIX. cum notis Joannis Petri Puricelli. Extat in Cod. MS. Ambroſianæ Bibliothecæ, ſign. D. num. 114. in fol., unà cum ſequentibus Opuſculis.
1. Reliquiæ SS. quæ Mediolani adſervantur.
2. Excerpta aliqua ad Mediolanenſem Eccleſiam ſpectantia, ex Manip. Florum Gualvanei de la Flamma, aliiſque.
3. Chronologia Sacri Ritus Ambroſiani.

XXIII. De Decumanis Eccleſiæ Mediolanenſis, Diſſertatio Hiſtorica XCI. Capitulis diſtributa. MS. in fol. in Ambroſiana, ſign. D. num. 136.

XXIV. De antiquis Membranis Archivi Beneficiatorum Metropolitanæ Mediolanenſis Baſilicæ, qui Decumanis ejuſdem Eccleſiæ ſubrogati denique fuerunt an. Ch. MCCCXXII. die XXIII. Aprilis, Diſſertatio. Extat in Codice MS. Ambroſianæ Bibliothecæ, ſign. C. num. 76. in fol.

XXV. Interdicti Mediolanenſis, anno MDCXXXII. Sede Archiepiſcopali vacante promulgati, aliorumque interim pro Eccleſiaſtica Immunitate geſtorum narratio. Codex MS. in fol. pagg. 324. Authographus apud Clariſs. Saxium Collegii, & Ambroſ. Biblioth. Præfectum, nec non in Bibliot. hæredum Co: Cæſaris Montii.

XXVI. Conſultatio pro Archiepiſcopo Mediolani, & pro Breviario Ambroſiano corrigendo, à Jo. Petro Puricello ſcripta anno MDCLVII. pagg. 100. in fol. Extat in Vol. VIII. MSS. Jo. Baptiſtæ Cornei Junioris in Archivo Archiepiſcopali Mediolani, de quo diximus littera C.

XXVII. Obſervationes ſuper VI. Eccleſias, quæ circumſtabant Eccleſiæ majori S. Teclæ olim Metropolitanæ, unà cum delineationibus earumdem MS. in fol. extat in Cod. Biblioth. Amb. ſign. S. num. 89.

XXVIII. Obſervationes, & Notæ in Teſtamentum Attonis Epiſcopi Vercellenſis de diſpoſitione Vallium Blexii, Lucentinæ, & Auguſtæ pro IV. Comitibus Ordinariis Canonicis Eccleſiæ Metropolit. Mediol. ext. in eod. Cod., & adjiciuntur ſequentia:
1. Teſtamentum ejuſd. Attonis, de quo Puricellus noſter dubitavit.
2. Lettere due di Difendente Lodi al ſuddetto Puricelli, concernenti lo ſteſſo Teſtamento.
3. Nonnulla excerpta è Scripturis, Actis, &c. Capituli Beneficiatorum Metropolitanæ Baſilicæ Mediolani, ad Coronam Ferream præcipuè ſpectantia.
4. Privilegium Joannis Galeaz Mariæ Sfortiæ Vicecomitis concedentis DD. Ordinariis Eccleſiæ Majoris Mediolani annuum reditum librarum 500. ſuper fructibus in Plebe Caſtri Seprii naſcituris in perpetuum vice prædictarum Vallium DD. Uranienſibus in Archivo in Feudum perpetuum dimiſſarum, anni MCDLXXXIV. die XXVI. Septemb. Extat quoque in Codice altero Ambr. ſign. S num. 89. in fol.

XXIX. Diſſertatio de S. Arſatio Mediolani Archiepiſcopo. MS. in fol. extat in Cod. Ambroſianæ Bibliothecæ, ſign. C. num. 76.

XXX. Diſſertatio de Joanne Vicecomite Mediolani Archiepiſcopo, anno Chriſti MCCCCIX. MS. in Codice Ambroſ. ſignat. D. num. 115. in fol.

XXXI. Diſſertatio de Vita & Martyrio S. Calimerii. MS. in Cod. Ambroſ. Bibl. ſign. ſt. num. 4.

XXXII. Diſſertatio de S. Calocero, ubi etiam plura de Sanctis Fauſtino & Jovita. Ibidem.

XXXIII. Reſponſio ad Quæſitum Philippi Malabaylæ de S. Calimero. MS. Ibidem.

XXXIV. Alia ad Quæſitum ejuſdem Malabaylæ de Alrici Aſtenſis Epiſcopi electione, & de ipſis Aſtenſibus, an adhæſerint non ſolùm Federico Ænobarbo, ſed etiam Antipapæ. Pro quibus ſequitur Diſſertatio Malabaylæ ad Puricellum, cum Hiſtorico Fragmento de Eccleſia SS. Apoſtolorum, & actis Sancti Secundi Aſtenſium Patroni. MS. ibidem.

XXXV. Reſponſio Puricelli ad ſupradictam Diſſertationem.

XXXVI. Diſſertatio an Conſtantinus Magnus Imp. apud Aſtam cum exercitu Maxentii pugnaverit. MS. ibidem.

XXXVII. De Celſiano Monaſterio Mediol., de Abbatia ejuſdem, & de Imagine B. M. V., quæ in Celſiana Baſilica reperitur, ad Cardinalem Theodorum Trivultium, ubi plura quoque in ejus laudem. MS. in fol. in Bibliotheca Ambroſiana, ſign. ſt. num. 3.

XXXVIII. Collectio Monumentorum ad Abbatiam Sancti Celſi ſpectantium ex Archivo ejuſdem Monaſterii, & altero Cardinalis Theod. Trivultii tunc Commendatarii, unà cum animadverſionibus Puricelli, ex quibus plura ad Hiſtoriam Diplomaticam ipſius Abbatiæ, & ad cognitionem variorum Mediolanenſium Virorum illuſtrium erui poſſunt; inter alia ſunt:
1. Concordia inter Abbatem S. Celſi, & Lanfrancum Plebis Brebbiæ Præpoſitum, anno Chr. MCLII.
2. Confirmatio Privilegiorum ejuſdem Abbatiæ per Alexandrum VI. Pont. M
Extant in Cod. Bibl. Ambroſ. ſign. C. num. 76. in fol.

XXXIX. De Eccleſia S. Laurentii majoris Mediol Diſſertatio, cum Documentis è libro Proviſionum ejuſdem Urbis, ab anno MCCCLXXXIX. ad MCCCXCVII. MS. in Cod. Ambroſ. Biblioth. ſign. C. num. 76. in fol.

XL. De Sancto Aquilino Sacerdote, & Martyre, patria Herbipolenſi. MS. in fol. ibidem.

XLI. Sentimenti, e diſegni ſopra la formazione della Storia di Milano. MS. in Cod. Bibliothecæ Ambroſianæ, ſign. D. num. 115. in fol.
Pro hac formanda Vir iſte magni faciendus plura collegit, quæ breviter à nobis hìc recenſenda non incongruum eſſe conjicimus.
1. Extracta ex Indiculo Alphabetico, qui penès Secretarium Civitatis Mediolani cuſtoditur, collecto è variis ejuſdem Civitatis Codicibus MSS., ſive Diariis, ſive Regiſtris, quibus ipſius Acta, & aliæ multæ res memorabiles deſcriptæ ſunt. Extracta verò inde fuerunt à me Joanne Petro Puricello, anno Domini MDCLII., die XXVI. Maji. MS. in Codice Biblioth. Ambroſ. ſign. C. num. 76. in fol.
2. Excerpta ex MS. Cod. in fol. magno Euſtorgiani Conventus FF. Prædicatorum Jo. Petro Puricello communicato per F. Thomam Orticam ejuſdem Conventus aliquoties Priorem, & denuo anno Chriſti MDCXLVI. quo Puricellus exſcribebat. MS. in fol. ibidem.
3. Excerpta ex Archivo Hieronymi Vaſſalli Cauſidici Coll. Mediol. Feudatarii Caſtri Montis Boni, Diœceſis Aquenſis, Ducatus Montisferrati, quo in Caſtro idem Archivum reperitur (aut reperiebatur) ex Codice antiquiſſimo pergameno; plura de Confaloneriis hauſit Puricellus, qui inter alias Chartas profert Diploma Rodulphi Regis, datum Papiæ XV. Kal. Auguſti, anno CMXVI. Indict. XIII. & ſuum judicium profert; cum Cl. Sigonio errorem eſſe Amanuenſis in anno ſupradicto XVI. pro XXV. MS. ibid. cum aliis rebus lectu digniſſimis, ſicuti etiam ſunt plura ad hanc rem attinentia in Cod. Ambroſiano, ſign. ſt. num. 3. in fol.

XLII. Joannis Petri Puricelli Sacræ Theologiæ Doctoris, & Laurentianæ Mediolani Baſilicæ Archipresbyteri Conſultatio, & ex auctoritate Declaratio de annua librarum mille Imperialium diſtributione pauperibus Caſoratenſibus à quond. Rev. Domino Bernardo Bellono legata &c. Extat MS. in Cod. Bibliothecæ Ambroſ. ſign. ſt. num. 4. in fol.

XLIII. Conſultatio pro Dominis Brippiis, ideſt de eorum obligationibus in Eccleſia S. Firmi Mediolani. MS. ibid.

XLIV. Conſultatio pro Præfecto, & Coadjutore Eccleſiæ Sanctorum Bernardini, & Martæ loci Rancati. MS. ibid.

XLV. Conſultatio pro Abbatibus emeritis Congregationis Ciſtercienſium S. Bernardi in Italia. MS. ibid.

XLVI. Conſultatio pro Hieronymo Bonoreno Capellano ad altare Sanctorum Petri, & Pauli erectum in Eccleſia S. Alexandri in Columna Civitatis Bergomenſis. MS. ibid.

XLVII. Conſultatio de duabus Miſſis in ſingulas hebdomadas, ex Teſtamento celebrandis. MS. ibidem.

XLVIII. Deciſione di un dubbio propoſto da' Curati di S. Martino, e S. Stefano in Noſiggia ſopra un Legato. MS. ibidem. In eodem Cod. ſunt quoque alia à Puricello collecta, ſcilicet:
1. Teſtamentum Franciſci Mariæ Tovaliatii Parochi in Eccleſia Metropolitana Mediolani. Ib.
2. Bulla Urbani Papæ in favorem Jo. Mazzucchelli pro percipienda penſione 34. Ducatorum ex fructibus Eccleſiæ Parochialis Caſtani. Ibid.

3. Lettere di Filippo Malabayla al ſuddetto Puricelli ſopra alcuni dubbj Storici, dat. anno MDCXLIX. Ibid.

XLIX. Vita S. Sigiſmundi Regis & Martyris. MS. in eodem Codice.

L. Oratio in laudem Reverendiſſimi Domini Clementis Geræ Laudenſis Epiſcopi, pagg. 10. Extat in Cod. Bibl. Ambroſ. ſign. D. num. 115. in fol.

LI. De Antichriſto, liber Apologeticus contra Libellum Italicum à Calviniano Miniſtro editum, ſub hoc titulo: Vero Ritratto della Divina Perſona di Gesù Criſto. „ Con queſto ancora ſi deſcrive il vero modello di Anticriſto. MS. in fol. Biblioth. Ambroſ. ſign. D. num. 145.

LII. De Myſterio Tranſubſtantiationis in Euchariſtiæ Sacramento adverſùs Impanatores Lutheranos in XXIV. Capita digeſtum. MS. Authogr. in Ambr. Cod. ſign. C. num. 278. in fol.

LIII. Berengarii Turonenſis Hæreſiarchæ tandem converſi, & famam Sanctitatis aſſecuti Vita pro Catholica Euchariſtiæ Fide contra Sacramentarios, & Panitas hæreticos opportuniſſima, diviſa in Capp. XXXIII. Extat ibid. In altero Cod. ejuſdem Bibliothecæ Ambroſ. ſign. ſt. num. 3. adeſt Puricelli noſtri Epiſtola nuncupatoria ad quemdam Regem, de eadem Vita, typis parata.

LIV. Ruperti Tuitienſis Abbatis germana, & Catholica de Sacramento Euchariſtiæ Sententia pravis ab interpretationibus vindicata, cum ejuſdem Ruperti Vita: extat ibidem.

LV. Jo. Petri Puricelli de ſatisfactione pro pœna temporali poſt remiſſam culpam. MS. in Cod. Biblioth. Ambroſ. ſign. ſt. num. 12. in fol.

LVI. Apologiæ II. pro Romani Pontificis legitima poteſtate tuenda, aliiſque Catholicæ Fidei Capitibus. MSS. ibid.

LVII. De nomine Epiſcopi, & Presbyteri. MS. ibidem.

LVIII. De Extaſi. MS. ibidem.

LIX. De Juſtitia imputativa. MS. ibidem.

LX. Quàm ineptè Sectarii Solitidiani fundamentum fidei ſtatuant in eo teſtimonio, quod Spiritus Sanctus præſtare juſtis dicitur (ad Rom. 8.) *Quicumque Spiritu Dei* &c. MS. ibidem.

LXI. Contra aliud Solitidianorum fundamentum deſumptum à diſcrimine inter legem Judaicam & Evangelicam. MS. ibidem.

LXII. Collectio Variarum Inſcriptionum antiquarum cum animadverſionibus. Extat in eadem Biblioth Cod. MS. ſign. ſt. num. 4. in fol.

LXIII. Paſtoralis Tragicomedia. Hanc eruitur Puricellum compoſuiſſe ex Epiſtola Latina Jacobi Antonii Buſſeti, data Mediolani VII. Id. Octobris MDCXIV., quæ extat in ſupradicto Codice Ambroſiano, ſign. D. num. 115.

LXIV. Appendix ad Horatium Landum de Senatu Mediolanenſi. MS. in fol. Extat in Catalogo MSS. Bibliothecæ P. Abbatis D. Hilarionis Rancati, in Tom. XIX. Operum ejuſdem.

LXV. Ragionamenti, e Lezioni Morali ſopra diverſe materie Aſcetiche, partim Latino, partim Italico Sermone ſcriptæ. MSS. in fol. in Bibliotheca Ambroſiana, ſign. C. num. 277.

LXVI. Varj Diſcorſi Morali ſopra le Solennità principali del Signore, e de' Santi, pariter tam Latino, quàm Italico Idiomate. MSS. in eadem Bibliotheca, ſign. C. num. 280. in fol.

LXVII. Prælo paraverat Hiſtoriam Mediolanenſem Landulphi à S. Paulo, quæ MS. in fol. cum Præfatione lectu digna, & Indice ab eodem elaboratis, extat in Bibliotheca PP. Eremit. Diſcalc. S. Aug. apud Templum SS. Coſmæ & Damiani. Vidi quoque ejus Notas ad Landulphum in Codice Bibliothecæ Metropolitani Capituli Mediol. ſign. E. num. 24.

LXVIII. Scripta Theologica Antonio Thoëſchio dictata dum erat Clericus in Seminario hujus Metropolis annis MDCXLVIII. & MDCXLIX. Vol. IV. in 4. MSS. extant in Bibliotheca ſupradicta SS. Coſmæ & Damiani.

LXIX. De Guillema Boëma, vulgò Guilelmina, deque Secta ipſius, fidelis, & verax, Diſſertatio; Hoc Opus innuerat Picinellus in Athenæo, de more reticens, quo loco ſervaretur. Extat igitur MS. in fol. Biblioth. Ambroſ. ſign. C. num. 2. In altero autem MS. in fol. exemplari apud Canonicum Iricum mihi amiciſſimum, hic eſt titulus: De Guillelma &c. Diſſertatio multis multorum fabulis honeſtati Mediolanenſium contumelioſis oppoſita: Opus excerptum eſt è Proceſſu per Fidei Inquiſitores contra Guillelmam, ejuſque Diſcipulos formato, quem Puricellus eidem Diſſertationi attexuit.

LXX. Epiſtolæ plures tam Italicæ, quàm Latinæ ad Varios, & quamplurimæ ad eum ſcriptæ, quas inter præſertim memorandæ, quæ ſequuntur nobis videntur; ſcilicet II. Latinæ ipſius Puricelli ad P. Joannem Ferrandum è Societate Jeſu, datæ anno MDCL., in quarum prima ſpondet ſe miſſurum libros ſuos de Monumentis Ambroſianæ Baſilicæ, & Vitas Sanctorum Arialdi, & Herembaldi, aitque ſe manum appoſuiſſe Vitæ Berengarii, mandato Cardinalis Federici Borromæi: In altera data die XII. Martii MDCLI. gratias agit de libris ejuſdem Ferrandi ad ſe miſſis, & poſtulat notitiam quandam circa SS. Martyres Nazarium, & Celſum; Aliæ plures ad Matthæum Valerium, in quibus agit de rebus ad Humiliatos ſpectantibus, & ad Monumenta S. Arialdi; datæ ſunt annis MDCXXXV., MDCXL., XLIV., & XLV. Aliæ plures ad Lucam VVadingum, in quibus agit de Reſiduis Triſtani Calchi, aliiſque rebus ad eruditionem Sacram, & Profanam pertinentibus, ſicuti & ad alios doctos Viros, nempe Leonem Allatium, Melchiorem Inchnofer, Abbatem Cajetanum Sedis Apoſtolicæ Scriptorem, Joannem Donatum Ferrarium, Nicolaum Pelizzarium, Mauritium Bimium, Jacobum Antonium Buſſetum, Nicolaum Arrigonum, Franciſcum Pontium Canonicum ejus Conſobrinum, Alexandrum Puricellum fratrem, Defendentem à Laude, Joannem Ludovicum Mazentam Congregationis Divi Pauli, Carolum Septalam, alioſque. Partim ſunt Latino, partim Italico Idiomate ſcriptæ, cum Reſponſionibus eorumdem, inter quas ſequentes brevitatis causâ juvat tantùm enunciare, videlicet: P. Ferrandi ſupradicti, datæ Lugduni anno MDCLI., plurima ad Berengarii Vitam, atque ad SS. Nazarium, & Celſum ſpectantia continentes, Defendentis à Laude, Joannis Ludovici Mazentæ, & Bartholomæi Zucchii, datæ annis MDCXXVIII., MDCXXIX, & MDCXXXIII. cum Monumentis ad Hiſtoriam Humiliatorum pertinentibus, inter quæ Beatæ Brunæ, & Beati Origi ejuſdem Ordinis, Matthæi Valerii, & Lucæ VVadingi de rebus Mediolanenſibus. Majori ex parte extant in Codice Ambroſiano, ſignato D. num. 115., nec non in aliis, ſign. D. num. 113., & C. num. 76., à nobis ſupra memoratis.

Scripſit ad eum Simon VVagnereckius Societ. Jeſu Epiſtolam eruditiſſimam, datam Monachii XXII. Novembris MDCL. ubi plura de Officio Græcorum die feſto Sanctorum Martyrum Nazarii, Gervaſii, Protaſii, & Celſi, qui in ea Eccleſia coluntur die XIV. Octobris. Extat in Diſſertat. Nazar. ejuſdem Puricelli Cap. LXXXI. num. IV. & ſequentibus. Aliam quoque ejuſdem VVagnereckii Epiſtolam, datam ibidem die XXVIII. Novembris MDCLI. ad eundem de ipſo Argumento. Vide loco citato num. 12. & ſequentibus.

Nemo eſt, qui de rebus Litterariis Mediolanenſibus ſcripſerit ſæculo decimo ſeptimo, qui non memoret Joannem Petrum Puricellum uti Virum doctiſſimum, in cujus laudem integrum Poëma Latinum ſcripſit Auguſtinus Terzagus in ſuis Carminibus pag. 246. Videndi quoque ſunt Petrus Paulus Boſca in libro de origine, & ſtatu Bibliothecæ Ambroſianæ, nec non Picinellus in Athenæo pag. 323.

## MCCCL.

## PURICELLUS PETRUS.

JAm laudati Jo. Petri Puricelli ex fratre nepos, & Alexandri ſuperiùs commendati frater, extitit Petrus, & ipſe Gallarati ortus. Strictioris Obſervantiæ Sancti Franciſci Inſtituto ſe addixit, ac in eo ſacræ Facultatis Lectorem aliquandiù egit, & non raró publicè ad Populum Conciones habuit. Mox in Gallias pergere ſtatuit, quò ſe contulit, Franciſco Cardinale Barberino Ordinis Minorum Protectore beni-

Digitized by Google

benignè annuente . Immo apud eundem tanta habitus fuit in exiſtimatione, ut ejus juſſu à Recollectis, ut vocant , Lugdunenſis Cœnobii receptus fuerit , interim quæ neceſſaria ipſi erant Cardinali eodem ſuppeditante , & Lugdunenſi Cœnobio aureos duos ſingulis menſibus illius intuitu perſolvente . Adhuc ibidem commorabatur anno MDCL. ut patet ex infra dandis , & ex eadem Urbe Libros P. Joannis Ferrandi Societatis Jeſu ad Patruum miſit . Reliqua ad eum pertinentia Lector à nobis ne quærat , quos optantes , & magno labore conquirentes ætas bonis plerumque invida , jejunos vacuoſque dimiſit .

Monumenta illius Litteraria ſunt :

I. Tractatus de Joanna Viragine Aurelianenſi , quem cum Epiſtola Italica ad Patruum miſit Lugduno die XXII. Maji anno MDCL. MS.
II. Epiſtola Latina eruditiſſima ad Cardinalem Antonium Barberinum , ſine die , & anno . MS. Extant ambo in Biblioth. Ambroſ. inter Opera Jo. Petri Puricelli Cod. ſign. D. num. 115. in fol.
III. Altera Italica ad Patruum , die VI. Novemb. MDCL. MS. ibid.
IV. Altera item Italica , die XIII. Novembris ejuſdem anni , qua ei ſcribit , Cardinalem Antonium Barberinum ſibi ſuppeditare , quæ neceſſaria ſunt , & aureos duos ſingulo menſe Cœnobio largiri intuitu ſui . MS. ibid.
V. Altera ad Jo. Petr. Puricell. Lugduni die X. Septembris MDCL. cum qua mittit libros Patris Johannis Ferrandi Societ. Jeſu . MS. ibid.

Extat ibid. Epiſtola Lucæ VVadinghi ad eundem tunc Mediolani Theologiæ Studentem in Cœnobio Sanctæ Mariæ del Giardino , Romæ data die XII. Septembris MDCXLIII. reſpondet ejus litteris pro Archipresbytero Jo. Petro Puricello ad ſe datis .

## MCCCLI.

## PURINELLUS ANGELUS.

QUantùm in conſtruendis Scriptorum illuſtrium Bibliothecis neceſſe fuiſſet Epiſtolas nuncupatorias , necnon Præfationes Operum ſaltem in lucem editorum , de quibus agendum eſt , diligenter inſpicere , facilè omnibus patebit , ſed non tantùm labor improbus , at temporis quoque immenſa eſſet jactura , quamvis inde plura haurire liceret . Id præ aliis mihi ad ſenectutem vergenti accidit in evolvendis penè innumeris Codicibus in hanc meam Bibliothecam inductis . Nihilominus magnam eorundem partem inſalutatam minimè dimittere volui , ut Lectoribus meis frequenter apparebit . Dum interim præ manibus habui Opuſculum Stephani Franciſci Galli ſic inſcriptum : „ Il Curato in Pratica „ quem inter breviores amandare ſtatuimus , in ipſius Epiſtola ad Lectorem Viros doctos Caſtelletti ſupra Ticinum natos inveni , quos inter eſt Angelus Purinellus ex Ordine Capuccinorum , quem Gallus citatus aſſerit ſcripſiſſe Annales Fratrum ipſius Sacri Inſtituti , Codicemque ſervari apud Suos , & in publico ejuſdem Oppidi Archivo . Nos verò certiores fieri de hac re enixè cupientes , Religioſos Viros ipſius Cœtus rogavimus , ut diligentiam omnem pro humanitate ſua alibi nobis exhibitam renovarent , quod benignè præſtiterunt , ſed ( bone Deus ! ) fruſtra , nam nec de Auctore , nec de Manuſcripto Codice ulla ſupereſt memoria . Fide igitur ſupradicti Galli Lectoribus noſtris damus :

I. Angeli Purinelli è Caſtelletto ſupra Ticinum , & ex Ordine Fratrum Capuccinorum Annales ejuſdem Inſtituti . MSS. in fol. Extabant penès Suos , & in Archivo Oppidi Caſtelletti antedicti , in Ducatu Mediolanenſi .

## MCCCLII.

## PUSTERLA ALEXANDER.

GRadus nunc nobis faciendus eſt ad vetuſtæ æquè ac nobilis Familiæ Puſterlæ , ſeu , ut aliquando ſcriptum reperimus , Puſterulæ Viros eruditos , qui Mediolanenſem Urbem doctrinæ ſplendoribus illuſtrarunt . Alios togâ , ſagoque celebres eodem genitos ſanguine plurimos exhibent à vetuſtiſſimis Sæculis Inſubricæ Hiſtoriæ Scriptores omnes , nos tamen doctos commendare contenti , à cæterorum laudibus ſuperſedere ſtatuimus , ne extra metam vagari videamur . At quoniam in hac Collectione noſtra elementarium hactenus ſervavimus ordinem , primus idcirco inter Puſterlæ Familiæ eruditionis nomine claros ſe offert Alexander , quem non una de causâ Litteraria ſuſpicit Reſpublica . Nam utriuſque Juris Laureâ , Muſarum cultu , atque Oratoriæ facultatis merito id ſibi promeruit . Cauſarum patrocinium in utroque Foro non ſine ingenti famâ Sæculo XVI. in finem vergente exercuit , clientibus utilis , & Magiſtratibus acceptiſſimus . Ex infra memorandis adſcriptus fuiſſe videtur inter Academicos Affidatos Ticinenſes , quos luculenta Oratione Italica celebravit . Supremum , quo inter mortales vivere deſiit , annum incognitum habemus , attamen nondum fato conceſſerat anno MDXC.

Illius eruditionem poſteris notam faciunt ,

I. Oratio in laudem Illuſtriſſimi , ac Reverendiſſimi Cardinalis Franciſci Alciati . MS. in fol. pagg. XI.
II. Orazione in lode degli Accademici Affidati . MS. in fol. pagg. IX.
III. Carmen ſatis prolixum ad Cardinalem Alciatum . Extant omnia MSS. in Biblioth. Fratrum Marchionum Vicecomitum .
IV. Juris & facti Allegationes pro Multùm Rever. D. Abbate , & Monachis Monaſterii , & Eccleſiæ Sancti Ambroſii Majoris Mediolani , contra Rever. Dominos Præpoſitum , & Canonicos Divina celebrantes in eadem Eccleſia , ac Illuſtriſſimum , & Reverendiſſimum D. D. Archiepiſcopum Mediolani ; incipiunt : „ Ut Reverendi Domini Præpoſitus , & Canonici S. Ambroſii „ Majoris Mediolani ſe eximant &c. „ & deſinunt ; „ prout conſtat ex authentico Inſtrumento dictæ Benedictionis . *Mediolani , ſine Typographi nomine* , 1590. *in fol.* extant penès Clar. Advocatum Joannem de Sitonis de Scotia .
V. Aliæ plures legali , atque hiſtorica eruditione refertiſſimæ habentur in ſæpè citatis Collectionibus J. PP. Mediolanenſium .

De eo Schedæ Sitonianæ .

## MCCCLIII.

## PUSTERLA ANGILBERTUS.

ANgilbertus Puſterla nobiliſſimis in hac Urbe Parentibus ortus , Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtes anno DCCCXXIV. alteri Angilberto Archiepiſcopo ſucceſſor electus , Ludovico Pio Auguſto , ejuſque filio Lothario chariſſimus fuit . Confirmationem Privilegiorum , quæ Carolus Magnus Auguſtus Mediolanenſi Eccleſiæ contulerat , ab eodem Ludovico Pio impetravit . Ejus etiam juſſu Eccleſiaſticarum rerum ſtatum cum Andrea Patriarcha Aquilejenſi recognovit . Angilberto petente Lotharius anno Chriſti DCCCXLI auctoritate ſua Ambroſiani Monaſterii privilegia corroboravit Diplomate dato Papiæ in Palatio Regio III. Nonas Maji . Munificentiſſimus hic Præſul Aram Maximam Baſilicæ Ambroſianæ ſolidis aureis laminis , gemmiſque exornavit , quo in opere triginta aureorum millia impendit . Adhuc ſupereſt

Digitized by Google

pereſt piiſſimi Antiſtitis præclarum donarium, cujus imaginem, & cætera inſignia exhibet Puricellus in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ num. 57. Sancti Caloceri Martyris Reliquias tranſtulit, & Gaudentium Abbatem Monaſterii Sancti Vincentii, cui cognomen in Prato, ad regendos Ambroſianos Monachos evocans, eos ad Regularis Vitæ Inſtitutum ſtudioſiùs proſequendum incitare ſategit. Cum Ludovicus Imperator Lotharium filium Regno Italico præficiendum deſignaſſet, eum ſtatis ceremoniis Coronâ redimivit, habita prius de more in Urbe Ticino Epiſcoporum, & Principum Italiæ Synodo, cui ipſe præſedit pro ſuæ Cathedræ dignitate, ac privilegiis. Præfato Monaſterio S. Vincentii (quod Cluniacenſis Congregationis Monachi poſſidebant, nunc autem amotis Aſcetis in Fiduciarii Abbatis poteſtatem redactum eſt) plurimùm decoris, atque lucri adjecit, nam Monaſterium Sancti Petri in Oppido Mandelli ſitum anno DCCCXXXIII. Angilberto jubente, in unum cum Vincentiano coaluit. Rexit Mediolanenſem Eccleſiam annos triginta quinque, menſes quinque, dies decem & ſeptem. Obiit Idibus Decembris, anno DCCCLXI. Tumulatus eſt in Baſilica Apoſtolorum, quam Sancti Nazarii appellamus. In præfato autem Altari aureo piiſſimi Antiſtitis adhuc extat Monumentum his conſcriptum verſibus:

EMICAT ALMA FORIS RVTILOQVE DECORE VENVSTA
ARCA METALLORVM GEMMISQVE CVMPTA CORVSCAT
THESAVRO TAMEN HAEC CVMPTO POTIORE METALLO
OSSIBVS INTERIVS POLLET DONATA SACRATIS
EGREGIVS QVOD PRAESVL OPVS SVB HONORE BEATI
INCLYTVS AMBROSII TEMPLO RECVBANTIS IN ISTO
OBTVLIT ANGILBERTVS OVANS DOMINOQVE DICAVIT
TEMPORE QVO NITIDAE SERVABAT CVLMINA SEDIS
ASPICE SVMME PATER FAMVLO MISERERE BENIGNO
TE MISERANTE DEVS DONVM SVBLIME REPORTET.

Quantæ fuerit eruditionis, ac pietatis indicat

I. Epiſtola de ſtatu rerum Eccleſiaſticarum ad Ludovicum Pium Imperatorem, data ex Synodo Papienſi, cui Angilbertus, ut diximus, præſedit. Ad calcem ejuſdem Epiſtolæ ſunt Capitula XIX. in ea Synodo condita. Extat apud Baluz. Tom. II. Capitular. Regum Francorum edit. Regiæ pagg. 351. & ſequentibus.

II. Privilegium ab eo conceſſum Monaſterio Ambroſiano, extat apud Ughellum Tom. IV. in Archiepiſcopis Mediolanenſibus num. 56., & Puricell. in Monum. Baſil. Ambr. num. 44.

Apud Puricellum ipſum extant Carmina quædam Italica, in quibus fit mentio Angilberti, & Altaris aurei ab eo in eadem Ambroſiana Eccleſia conſtructi, in Monum. ejuſdem Baſil. num. 51.

De eo Scriptores omnes Inſubriæ cum honoris ſignificatione loquuntur, citatus præcipuè Puricellus tam in prælaudatis Ambroſianæ Baſilicæ Monumentis, quàm in aliis quoque illius Operibus.

## MCCCLIV.

## PUSTERLA ANTONIUS.

Antonius Puſterla Mediolani parentibus nobilitate conſpicuis ortus, non minorem ſuo nomini famam eruditione peperit; nam Alexandro Perlaſca, quem jam commendavimus, præceptore, Rhetoricam in majori hujus Metropolis Seminario didicit; mox Philoſophicis, ac Theologicis quæſtionibus vacans, dum actu Hermathenaicorum Academiæ principatu fungeretur, in ſacra facultate Laureâ donatus eſt. Hinc Ticinum ſe contulit legibus daturus operam, ubi & Caſtillionæi Collegii Rector extitit, & perfectis ſtudiorum curriculis tam Pontificii, quàm Cæſarei Juris Doctor renunciari meruit. His honoribus decoratus cum rediiſſet in patriam, Oratoriæ totum ſe dedit, cujus ſæpè præclara protulit ſpecimina tam Italico, quàm Latino ſermone in primariis Baſilicis ad populum verba faciens. Interim Alphonſus Litta S. R. E. Cardinalis, & Mediolanenſis Archipræſul, Cleri eruditionem promovendi gratiâ, in prælaudato Seminario Legalis diſciplinæ Cathedram conſtituit, quod munus Antonio demandavit. Exinde Congregationis, quam Criminalem dicunt, pro Eccleſiaſtico Foro Aſſiſtens creatur; & demum Doctoralem Præbendam inter Metropolitanæ Ordinarios obtinuit anno MDCLXXII. Joanni Mabillonio Viro Clariſſimo amicitiæ fœdere junctum fuiſſe teſtes ſunt Epiſtolæ viciſſim inter eos conſcriptæ, neque ſibi turpe duxit tantus Scriptor dubia quædam, quæ infra memorabimus, ob ſolutionem ad Puſterlam mittere, qui tunc Capituli ſui Bibliothecæ Præfectus erat. Exceſſit è vivis anno MDCLXXXI.

Scripta his prænotantur titulis:

I. Conſultationes Legales. Has editas fuiſſe teſtem habemus Picinellum loco citan. verùm ubi, quando, & quo prælo prodierint, reticet.

II. Oratio in Laurea Jo. Andreæ Rhaudenſis. *Mediolani*, 1660. *in* 4.

III. Reſponſiones ad Clar. Mabillonium, circa quædam dubia de Chronico Datii, quod Sancto Dario Mediolanenſi Antiſtiti tribuitur (de quo pluribus in V. *Datius* diſceptavimus) habentur inter Analecta Mabillonii prælaudati, edit. *Pariſienſis* 1723. pagg. 487. & ſequentibus. Ibi tamen corrigendum ſphalmâ Typographi, nam in ſubſcriptione, loco Puſterlæ, *Puſtulam* ſuppoſuit.

IV. Lecturæ Legales Clericis in Seminario traditæ. Has MSS. prælo paratas apud Auctorem extitiſſe, aſſerit citatus Picinellus; ubi nunc ſerventur nos latet.

V. Diſſertazione ſopra il Queſito d'un Anonimo, ſe ſia lecito ad un Sacerdote di rito Ambroſiano celebrare la Meſſa ne' Venerdì di Quareſima nelle Chieſe de' Regolari, e ſe i Regolari in detti giorni poſſino celebrarla nelle Chieſe di rito Ambroſiano. MSS. juſtæ molis extat apud amiciſſimum Canonicum Joannem Andream Iricum. Opus eſt typis digniſſimum, multa enim continet eruditiſſima Argumenta è ſacrorum Canonum fontibus eruta, nec deſunt Auctorum de ritibus ſcribentium ſententiæ ad hujus Eccleſiæ, ea die ſacrificium Deo non offerentis, conſuetudinem illuſtrandam.

Agunt de ipſo Petrus Paulus Boſca de Orig. & ſtatu Biblioth. Ambroſ. Sitonus in Schedis, & Picinellus in Athenæo pag. 47.

## MCCCLV.

Digitized by Google

## MCCCLV.

### PUSTERLA BARTHOLOMÆUS.

BArtholomæus Puſterla ex nobiliſſimâ Familiâ natus Mediolani, doctiſſimam Societatem Jeſu ingreſſus eſt anno ætatis ſuæ decimo nono. Peracto Philoſophiæ magiſterio Rector primùm Collegii Montis Regalis; idem dein munus agens in Collegio Mediolanenſi, ubique ſingularem oſtendit dexteritatem in dirigendis ad perfectam virtutem ſubditorum animis. Hinc tranſgreſſus ad Domum Probationis, per plures annos curam habuit Novitiorum, quo in officio ita ſe geſſit, ut matris planè animum omnibus exhiberet. Hæc cauſa fuit, ut illi in reliquum vitæ ſpatium, veluti ipſi maximè congrua, rerum Spiritualium Præfectura in maximo Provinciæ Collegio Mediolanenſi commiſſa ſit. Monumenta duo Caritatis ejus inſignia extant in præſens: Alterum eſt in Patrio Collegio Sodalitium Beatæ Virgini ab Angelo ſalutatæ ſacrum, quod ejus indefeſſâ induſtriâ, & vigilantiſſimâ curâ in eximiæ pietatis fervorem excrevit, ſemperque magis in dies hactenus præclariſſimis virtutum exemplis refulgens clariſſimam ſui famam in vicinas etiam Provincias latè diffundit: Alterum verò eſt Morbini in Valle-Tellinâ, Cœnobium ſcilicet ſacrarum Virginum, quas ipſe ad religioſæ vitæ normam convocavit. Et ne quid à propoſito prolaberentur, optimis conſtitutionibus, conſiliiſque munivit: In cujus beneficii gratam, atque perpetuam recordationem amantes filiæ ſuperſtitem optimi patris imaginem diligentiſſimè ſervant. In ſenectute, cœcitate, vigiliâ, paralyſi, aliiſque acerbiſſimis exagitatus morbis, admirabilem patientiam oſtendit; donec dierum, & meritorum plenus octogeſimum ſeptimum ætatis ſuæ annum agens, ſuſceptis ritè ultimis Eccleſiæ Sacramentis, obiit in eodem Collegio Mediolanenſi anno Salutis MDCCXL. XIII. Kal. Septembris.

Hæc ſcripſit:

I. Regole delle Suore della Preſentazione di Morbegno, del Padre Bartolomeo Puſterla Geſuita. *Milano, per il Malateſta*, 1679. *in* 8.
II. Della perfezione Criſtiana. MS. in fol.
III. Penſieri ſacri. Vol. II. MSS. in fol.
IV. Sermoni morali. Vol. V. MSS. in 4.
Servantur in eximia Bibliotheca Collegii Mediolanenſis in Brayda Societatis Jeſu.
Ita à Suis.

## MCCCLVI.

### PUSTERLA BONIFORTUS.

VEſtigia majorum ſuorum proſecutus eſt Bonifortus Puſterla Vir ætate ſua magni habitus apud Concives ſuos Mediolanenſes, apud quos vigebat adhuc memoria Gulielmi, de quo infra, annis MCXCVI., & MCCIV. Gufredi anno MCXCVIII., & Ubertini anno MCCXX. Conſulatu Juſtitiæ in Mediolani Republica functorum, ut ex MSS eorum Placitis, de quibus in Collectione ſua Conſulari item MS. agit amiciſſimus JC. Sitonus. Prudentiæ verò Boniforti noſtri fama etiam apud exteros innotuit; etenim anno MCCLXXXIV. Vercellenſis Reſpublica cum Gulielmo Montisferrati Marchione pacem initura Bonifortum rogavit per Gerardum Caſtellum, tunc Vercellarum Rectorem, ut Conventionum capita conſcriberet. Inter pacta verò id præcipuè continebatur, ut à Turrianorum, quos Gerardus habebat maximè inviſos, amicitiâ Marchio diſcederet. Rem poſtulatam Bonifortus perfecit non modica dignus commendatione

Propter ab eo ſcripta

I. Capita Conventionum inter Rempublicam Vercellenſem, & Gulielmum Marchionem Montisferrati.
De quibus agit Comes Octavius Archintus in copioſiſſima Collectione ſua Monumentorum Famil. Mediol. centies à nobis citata, & Canonicus Iricus in Hiſt. ſua Tridinenſi.

## MCCCLVII.

### PUSTERLA CAMILLUS.

BAlthaſſaris Puſterlæ, & Joannæ Borromeæ illuſtrium conjugum filius extitit Camillus, de quo agimus. Anno MDLXXIII. creatus fuit Eques ſacri Ordinis Militaris SS. Mauritii, & Lazari, ac Nobilis Cubicularius Sereniſſimi Emmanuelis Philiberti Ducis Allobrogum, atque diu ſtipendia meruit maritima in Triremibus ejuſdem Sacri Ordinis. Vivebat adhuc anno MDCXX. uti nos monuit Clariſs. Sitonus ex Documentis apud ſe exiſtentibus.

Habemus de eo

I. Sommario delle Antichità di Caſa Puſterla, giuſtificato con Scritture da preſentarſi al Sereniſſimo Sig. Duca di Savoja, con una Lettera dedicatoria allo ſteſſo. MS. juſtæ molis in Bibliotheca Ambroſiana ſign. G. num. 65. in fol.
De eo Advocatus Sitonus in Monument. Familiæ de Puſterla MS., & in Theatr. Genealogico Famil. Nobb. Mediol. pagg. 364. 365. 367. MS. in fol. penès ipſum Auctorem.

## MCCCLVIII.

### PUSTERLA FABRICIUS.

FAbricius Aloyſius Puſterla parentes habuit Joſephum, atque Claram de Ponte nobiles conjuges, qui ſuorum exempla proſecutus in utroque jure doctiſſimus evaſit, ita ut anno Chriſti MDCLXVII. in Fiſci Patronum creari meruerit, deinde Senator in toto Mediol. dominio renunciari anno MDCLXXII. Filium habuit ex Anna Cæcilia de Sanctopetro Joſephum publicum Juris Civilis Interpretem in Scholis Palatinis, de quo dicemus infra. Plura Fabricius Aloyſius ſcripſit, quæ ſub oculis nos non habuimus præter ſequentia. Diem verò clauſit extremum anno MDCXCVIII.

Hæc vidimus igitur

I. Regii Mediolanenſis Fiſci Vindiciæ Juriſdictionales adversùs attentata per Archiepiſcopales Adminiſtros circa Domum, & Mulieres converſas nuncupatas Sanctæ Valeriæ, in fol. juſtæ molis.
II. Allegationes plures extant in Collectionibus Archintea, Soliveta, aliiſque alibi relatis.
Videndi ſunt Clariſſimi Pater Beretta in Schedis, & Sitonus in Monumentis Senatus Mediolani pag. 10. art. 164. *Mediolani*, 1706. *in fol.*, tum in Theatro Genealogico Famil. Nobil. Mediol. pag. 364. MS. in fol. penès ipſum Auctorem.

## MCCCLIX.

### PUSTERLA GULIELMUS.

GUlielmus Puſterla, ut in Boniforti articulo jam diximus, annis MCXCVI. atque MCCIV. Juſtitiæ Conſulatu in Republica Mediolanenſi functus, Vir fuit æquitatis amantiſſimus; & quamvis nunquam Juriſ-

Juriſprudentiæ dediſſet operam, tanto præditus extitit ingenio, conſilio, prudentiâ, tantaque in judicandis cauſis facilitate, ut ſuæ tempeſtatis præſtantiſſimum quemque Juriſconſultum antecelleret: Ideo ferè certatim à præcipuis Italiæ Urbibus expetitus eſt ad Poteſtatis officium exercendum. Id munus geſſit Tarviſii annis MCXCIII. MCIC. MCCXVIII. & Alexandriæ MCXCVII. quo anno die IX. menſis Octobris fœdus inter Alexandrinos Cives, & Aſtenſes ſancivit, unde plura exſcripſit Capitula Hieronymus Ghilinus loco citando. Prætorios deinde faſces rexit anno MCCI. in Urbe Placentia, & poſt biennium in patria mea dilectiſſima Bononia, ubi eodem anno concordiam iniit cum Salinguerra Ferrarienſi Poteſtate, cujus tabulas nomine utriuſque Civitatis conſcriptas edidit Clariſs. Muratorius in Tomo IV. Antiquit. Ital. Medii Ævi. Mox Vicentiæ eundem adminiſtravit Magiſtratum anno MCCVII. Poſtremò dum Poteſtas eſſet Vercellarum anno MCCXXI. die VII. Kal. Octobris ab Amizone Sacco Mediolanenſium Rectore Vercellenſes in hujus Metropolis Cives conſcribendos curavit, & viciſſim Vercellenſium nomine Mediolanenſes ad Vercellarum Civilitatem recepit, publicis ea de re conſcriptis Tabulis, quas ex inſigni Collectione diplomatica Vercellenſis Archivi lib. II. ut vocant *de Biſcioni* jam alibi laudata erutas, communicavit nobis humaniſſimus JC. Sitonus. Supremi illius anni memoriam ætatis injuria poſteris invidit.

Commendabilem reddunt eundem:

I. Statuta plura Mediolanenſi Reipublicæ apprimè utilia, anno MCXCVI. ab eo condita.

Memoratur Vir immortali dignus nomine apud Corium ad annum MCXCVI. Chalcum hiſt. Patriæ lib. XII ad eundem annum; Umbertum Locatum de Origine Placentiæ ad an. MCCI. Burchelatum hiſt. Tarviſinæ lib. III. pag. 547. Joannem Bonifacium hiſt. Tarviſinæ lib. IV. pagg. 188. & 195. & lib. V. pag. 218. Ghirardacium hiſt. Bononienſ. lib. IV. pagg. 109. 115. 116. & lib. V. pag. 129. Paliarinum Chron. Vicent. lib. I. pag. 32. MS. in Biblioth. Ambroſ. Sanſovinum in Icone Urbium celebrior. Ital. pag. 69. & Sitonum in Schedis.

## MCCCLX.

## PUSTERLA JOSEPH.

EX Fabritio Aloyſio Puſterla Regio Senatore, jam ſupra laudato, atque Anna Cæcilia de Sancto Petro nobilibus Jugalibus, in hac Urbe lucis accepit uſuram Joſeph, quem minoribus excultum ſtudiis, Legum amor ad Canonicas Cæſareaſque Sanctiones diligenter pervolutandas impulit. In utriſque donatus laureâ, anno MDCLXXIII. inter Juriſperitos Mediolanenſis Collegii meruit numerari. In Urbe Ticino Proprætoris officium geſſit, & in patria S. Ambroſii Banco, ut vocant, Provicarius præſedit. Sanctiſſimæ Inquiſitionis Officio à Conſultationibus extitit, & in Palatino Gymnaſio publicus Civilis Juris Interpres conſtitutus eſt; ubi plurimos erudivit inſignes Legum auditores, inter quos memorandus mihi contingit Sitonus noſter. Seriis etiam ſtudiis amœniora nonnunquam miſcere conſueverat, ut ex ejus Latinis Carminibus liquidò patet, quæ inferiùs laudabimus. Cùm agitaretur in Mediolanenſi Senatu Cauſſa illa falſarii Jacobi Antonii Gallutii cunctis notiſſima, atque Alexander Pallavicinus J C. C. alibi commendatus Defenſiones Gallutii ejuſdem edito libro, cui titulus: Meduſæ Caput: vulgaſſet, Scriptor noſter aliud Volumen publici Juris fecit, quo Defenſionem ipſam oppugnavit, cujus etiam titulum infra dabimus. Tanti habitus eſt ab ampliſſimo Conſcriptorum Inſubriæ Patrum Ordine Puſterlæ labor, ut tandem in perditiſſimum caput lethalem pronunciarit Sententiam. Et ea quidem meritò lata eſt in hominem falſario patre ortum (fuit is Carolus Scripturarum confictor, anno MDCLXXII. in carceribus defunctus) qui ingenioſiſſimè Diplomata, atque id genus publica Documenta mentiebatur adeò, ut à veris ſecerni non poſſent. Galluciæ porrò familiæ Tridento Oriundæ Stemma Genealogicum ex altero Jacobo Antonio Tridentino hujus, de quo ſermo eſt, Abavo deductum, nobis humaniſſimus Sitonus conſcripſit. Ut verò ad rem ſermo redeat, Puſterla obiit, ineunte anno MDCXCIII, atque tumulatus jacet in Templo Deiparæ, cui cognomen de Caſtello, inſignis Oppidi Tradati apud magnificas ædes à præfato Fabritio Scriptoris noſtri genitore ibidem excitatas ſito, ubi vivens ſequens poſuerat Monumentum:

TEMPLUM HOC
A THOMA PUSTERLA ARDICII FILIO
MEDIOL. ECCLES. CANONICO ORDINARIO
CIMILIARCHA VICARIO GENERALI
CONDITUM ET IURE PATRONATUS INSIGNITUM
ANNO MCCCCLVIII.
FEDERICO VICECOMITI
CARDINALI ARCHIEPISCOPO
OBSEQUENS
COMES JOSEPH PUSTERLA
EX NOBILIUM I. PP. COLLEGIO
COMITIS FABRITII ALOYSII SENATORIS FILIUS
VACANTIS SACERDOTII PROVENTIBUS
EX CONDITORIS GENTILIS SUI MENTE
INSTAURABAT
ANNO MDCLXXXIX.

Hujus

Digitized by Google

Hujus Opera hæc ſunt:

I. Perſei Gladius in caput Meduſæ: hoc eſt Oppugnatio Gallutianæ Defenſionis. *Mediol. apud Philippum Ghiſulphum*, 1683. *in fol.* Dignis de Cauſis nomen ſuum libro non inſcripſit Auctor, notorium tamen eſt in Foro Mediolanenſi ejuſdem Opus fuiſſe. Hoc ibi legitur Diſticon:

*Macte Aſtrea; tuo te Perſeus enſe tuetur,*
*Quo fleat abſciſſum ſæva Meduſa caput.*

II. Applauſi alla Paſtorale vigilanza del Cardinal Federico Viſconti Arciveſcovo di Milano. *Milano, per il Ghiſolfi*, 1687. *in* 4.

III. Elogia plura, & Epigrammata Latina in ejuſdem Cardinalis laudem; Extant in eodem libro.

Agit de ipſo laudatus Sitonus in Chron. J. PP. pagg. 232. artic. 1053. atque in Schedis.

## MCCCLXI.

## PUSTERLA PETRUS.

EX Joanne Puſterla, & Catharina item Puſterla nobilitate inſignibus Jugalibus natus eſt Petrus inter Juris Conſultos Mediolanenſes ſæculi XV. ſatis clarus; nam anno reparatæ Salutis MCCCCLV. Aulicus erat Franciſci Sfortiæ Mediolani Ducis IV., à quo Principe Oppidum Fregarolii in provincia Alexandriæ in Feudum obtinuit. Jam antea ipſius Civitatis Gubernator extitit annis nempe MCDXLIV. & MCDXLV., deinde Cathedram Senatoriam in hac Metropoli obtinuit anno MCDLIII. Ad Chriſtianiſſimum Galliarum Regem Ducalis Legatus miſſus fuit anno MCDLXI. & demum idem munus egit apud Ferdinandum Aragonenſem Neapolitanorum Regem anno MCDLXV. Ultimum diem ſuum undique quæſitum non reperimus, ſed cùm Teſtamentum ab eo conditum die ultima Februarii, anno MCDLXXXIV. ſervetur apud Sitonum noſtrum in ampliſſima chartarum ſuppellectili undique ſummo ſtudio, labore, atque expenſis per plures annos ab ipſo collecta, facilè conjicitur obiiſſe eodem anno, vel circiter. Præter Jus Civile, atque Oratoriam facultatem, quas artes Petrus noſter coluit, amœniora quoque ſtudia adamaſſe cognovimus ex MS. Ambroſiano à nobis infra recenſendo,

Videlicet:

I. Facetiæ: MS. in Bibliotheca Ambroſiana, ſign. H. num. 48. in fol., ubi hæc leguntur verba: „ Infraſcriptæ „ ſunt Facetiæ editæ, & compilatæ à Magnifico Pe„ tro Puſterlenſi pro animi ſui relaxatione in mediis „ curis æſtuanti, laborantique, anno MCDLXIII. „ Sunt ad inſtar Decameronis Boccaccii.

II. Orationes plures latinæ elegantiſſimæ, teſte Creſcentio, loco infra citando.

Agunt de ipſo Corius in Hiſtoria Mediolani, ſub annis MCDXLVII. MCDXLIX. MCDLXI., & MCDLXXIX. Donatus Boſſius in Chron. Mediol. ad annos MCDLIII., & MCDLXXIX. Landus in libro de Senatu Mediol pag. 87. Creſcentius in ſecunda parte Amphitheatri Rom. MS. apud Fratres Marchiones Vicecomites; Hieronymus Ghilinus in Annalibus Alexandriæ annis MCDXLIV., & MCDXLVII. Advocatus Sitonus in Syllabo Senatorum Mediol. pag. 15. art. 327. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1606. *in fol.*, & in Theatro Geneal. Famil. Nobil. Mediol. pag. 364. MS. in fol. penès ipſum Auctorem.

## MCCCLXII.

## PUTEOBONELLUS BERNARDUS.

FAmiliam Puteobonellam, jam ab anno MCXLII. in hac Metropoli floruiſſe oſtendit Sententia eo anno XIII. Kalendas Junii in Broleto ante Eccleſiam S. Barnabæ edita per Gulterium Judicem, Ciccum Burrum, Obertum de Orto, cæteroſque Mediolanenſis Reipub. Conſules à Faniano relata in Monument. Familiæ Ferrariæ, fol. 65. à tergo, teſte Comite Octavio Archinto in Collect. ſua Inſcriptionum MSS. pag. 391. Nam ibi inter teſtes enumeratur Gotifredus de Puteobonello. Sequenti verò ſæculo memoratur Bernardus eodem genitus ſanguine, Gotifredi fortè nepos, qui in celeberrima Sancti Joannis Baptiſtæ Baſilica Modoëtienſi Inſulatus Archipresbyter extitit. Hic Fratribus Humiliatis Tertii Ordinis id expoſcentibus indulſit, ut Eccleſiam conderent in Oppido illo inſigni, Sanctæ Virginis & Martyris Agathæ nomini ſacrandam; quæ ipſa eſt nunc Sanctæ Mariæ Corrobioli nuncupata. Ignotus eſt ſupremus, quo vixit, annus; certiſſimum tamen, ante annum MCCXXXV. Bernardum fato functum fuiſſe, quod patet ex Sententia Conſulum Mediol. diei XII. Januarii eodem anno in quadam Cauſa Modoëtienſi lata, ubi alius Archipresbyter enunciatur.

Habemus illius:

I. Statuta impoſita hominibus Caſtri Cremellæ, tanquam Feudo Eccleſiæ Modoëtienſis. Extant in Juramento fidelitatis ab eiſdem hominibus præſtito die IV Auguſti, anno MCCXXXII., cujus Tabulas datas Cremellæ ſervat doctiſſimus Nicolaus Sormanus Ambroſiani Collegii Doctor in ſua Collectione Diplomatica, cujus meminimus alibi.

II. Ejus Diploma pro Conceſſione facta Fratribus Humiliatis, ut ſupra. Dat. ex Palatio Modoëtiæ, die XVIII. Octobris anno MCCXXXIII. reperitur ibidem.

## MCCCLXIII.

## PUTEOBONELLUS FRANCISCUS.

INter Viros Claros Familiæ Puteobonellæ meritò locum tenet Franciſcus Joannis Franciſci, & Hippolytæ Caſtelletæ nobilium Conjugum filius, qui primis ſtudiorum rudimentis in Univerſitatibus Piſana, Bononienſi, Ticinenſi, atque Patavina perceptis, ad Leges ediſcendas ſe contulit tam ſeriò, ut breviter in Collegium J.PP. Mediolanenſium cooptari meruerit. Deinde Patriæ Præturam ſumma cum laude egit anno poſt Virginis Partum MDCXXVI., hinc Regii Fiſci Patronus, deinde Senatoriam Cathedram Provinciæ Mediolanenſis aſcendit, ubi moribus, ſapientia, integritate nemini ſecundus habebatur. Prætura Cremonenſi peregregiè functus, Regius Legatus mittitur ad Imperialia Comitia Ratiſponenſia pro rebus Status Mediolanenſis pertractandis. Demum Regius Conſiliarius extitit in Supremo Italicarum Rerum Conſiſtorio apud Catholicam Majeſtatem. Vir certè magni faciendus è vivis abiit in Aula Matritenſi die XI. menſis Septembris anni MDCXL. Sepulcrumque obtinuit in Ecleſia Imperialis Collegii Societatis Jeſu in eadem Urbe. Præter ejus Allegationes, ac Vota Fiſcalia, Lucubrationes Franciſci noſtri ex Epiſtolis Aquilini Coppini eruimus,

Quæ ſunt :

I. Exercitationes variæ, ex Aquilini Coppini Epiſtolis, pag. 75.
II. Epiſtolæ ad eundem Coppinum ſcriptæ, ex ejuſdem lib. VI. pag. 68.
III. Quædam de Jo. Baptiſta Marino, ex eodem Coppino, pag. 138.
IV. Carmina Latina in Ticinenſi Academia recitanda, quæ Aquilino miſerat. Ex eodem, pag. 161.
V. Allegationes plures Juridicæ tam impreſſæ, quàm manuſcriptæ. Extant in Collectionibus J. PP. Mediolanenſium alibi citatis.
VI. Vota Fiſcalia. Extant apud eoſdem, præcipuè in Collectione Benaliana.

Ad eum Epiſtolas X. dedit memoratus Aquilinus Coppinus, quæ ſunt inter ejuſdem impreſſas, ut jam ſuo loco diximus.

Videndi ſunt, quoque Landus de Senatu Mediol. pag. 24., Sitonus in Chron. J. PP. art. 816., nec non Schedæ Patris D. Gaſparis Berettæ.

## MCCCLXIV.

## PUTEOBONELLUS JACOBUS.

Jacobus Puteobonellus, quo anno Mundi limina attigerit, non reperitur, primùm fuit Sacri Ordinis Carmelitarum Aſceta, ac Sacrarum Litterarum Magiſter, deinde in exactiori Deo ſerviendi percupidus inſtituto, idem eſt teſtatus ſe fuiſſe nactum, cùm Carthuſienſi ſe ſuaque omnia dedit Ordini anno Chr. MCCCCXIV. circiter ſub B. Stefano Macono Sanctæ Catharinæ Senenſis olim Amanuenſi, ejuſque poſt obitum Monacho Carthuſiano, ac Pontinianæ apud Senas, Mediolani, & prope Papiam Carthuſiæ Moderatore, imò ab anno MCCCXCVIII. uſque ad MCCCCX. ſupremum totius Ordinis Regentem clavum, cujus Corpus adhuc incorruptum in Ticinenſi Carthuſianorum Cœnobii requieſcit Cœmeterio. Jacobus verò noſter tranſcripſit ante annum MCCCCXXII. Librum primum S. Joannis Chryſoſtomi de Reparatione lapſi hominis, reliquos tres ſperans, & promittens, ſi ratum foret, ſe tranſcripturum, ſed aliis præpeditus officiis, & poſtmodum univerſæ viam carnis ingreſſus circa annum MCCCCLXXV. ſuo nequivit ſatisfacere deſiderio.

Habemus igitur :

I. S. Jo. Chryſoſtomi lib. de Reparatione lapſi hominis, cum continuis Notis ejuſdem Patris Puteobonelli. Extat MS. in Biblioth. Carthuſiæ prope Papiam. In fine ſic legitur: „ Joannis Chryſoſtomi de Reparatione lapſi hominis lib. I. explicit; ſecundus verò liber ejuſdem de Cordis compunctione incipit feliciter Deo dante; pro tertio autem: quod nemo poteſt lædi, niſi à ſemetipſo; pro quarto autem & ultimo libro, in quo ponuntur Sermones ejuſdem de Pœnitentia. „ *Cætera deſiderantur*.

Ita à P. D. Paulo Bonhomio ejuſdem Ordinis alibi laudato.

## MCCCLXV.

## PUTEOBONELLUS JOANNES CLAUDIUS.

Ex Marchione Joanne à Puteobonello hujus Urbis Decurione, atque Innocentia Coria Jugalibus nobiliſſimis ortus eſt Mediolani Claudius, de quo nunc dicturi ſumus, qui inter Clericos Regulares Divi Pauli Barnabitas vocatos connumeratus eſt. Ingreſſus Congregationem anno humanæ Salutis MDCLXXI., vocari voluit Joannes Claudius. Philoſophiam, & Theologiam in Patria, deinde Papiæ, ac Romæ didicit. Primùm Romano Collegio, hinc Mediolanenſi præfuit. Poſtmodum verò Viſitatoris generalis dignitate inſignitus extitit. Vir fuit ſingulari eruditione Theologica refertus, quod facilè eruitur ex Voluminibus ab eodem editis, ubique magno cum plauſu exceptis. In Collegio Sancti Alexandri hujus Urbis obiit anno MDCCXVIII. ætatis verò LXIII.

Hæc ſunt ejus ingenii monumenta :

I. In primam partem D. Thomæ Quæſtiones ſelectæ. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1703. *in fol.*
II. In primam ſecundæ Divi Thomæ. *Mediolani, apud eundem*, 1705. *in fol.*
III. In ſecundam ſecundæ D. Thomæ. *Mediolani, apud eundem*, 1707. *in fol.*
IV. In tertiam partem D. Thomæ. *Mediolani, ut ſupra*, 1708. *in fol.*
V. Moralia de Sacramentis in genere, & de Euchariſtia. *Mediol. per Pandulphum Malateſtam*, 1710. *in fol.*
VI. Moralia de Sacramento Pœnitentiæ. *Mediolani, apud eundem*, 1714. *in fol.*
VII. De Caſibus reſervatis MS. in fol. extat in Bibliotheca Collegii S. Alexandri.
VIII. Conſultationes variæ. MS. in fol. Ibid.

Agunt de eo P. Petius in ſuo Opere de Scriptoribus ejuſdem Congregationis alibi à nobis laudato, nec non Auctores Diarii Italici, *Venetiis editi*, *T. XIV.* pag. 503.

## MCCCLXVI.

## PUTEOBONELLUS MANFREDUS.

Manfredi Puteobonelli prudentiam, niſi aliunde perſpectam haberemus, ſatis oſtenderent nobis frequentes Conſulatus, quibus in Mediolanenſi Republica functus fuiſſe perhibetur. Eo enim munere inſignis extitit annis ab Orbe redempto MCLXXII. & ſequenti, atque poſtremo MCXCV. Primi autem Conſulatus ſui anno cum Collegis XII., quorum ſtudio hujus Urbis Pomœrium amplificatum eſt, & majori ambitu mœnia producta, non paucos labores pro Patria ſuſtuliſſe fertur. Et quoniam Fridericus Oenobarbus Mediolanenſium hoſtis infenſiſſimus Comitatus plures erexerat, ut renaſcentem hanc Metropolim undique premeret, imminebantque Civibus potentes adverſarii, electiſſimam pubem arma capeſſere juſſerunt prudentiſſimi Patriæ Patres, cujus robore & Comitum potentia reſtingui, & hoſtiles impetus retundi poſſent. Hæc ſunt, quæ de præclaro Viro poſteris ſervarunt Inſubriæ Chronologi, reliqua nullus memoravit.

Habentur tamen illius :

I. Statuta plurima ad Patriæ utilitatem, cum Collegis condita, inter quæ memorabilis lex, ne quis Friderici nomen proferret, amputationis linguæ pœnâ propoſitâ.
II. Leges pro novo Militiæ genere conſcribendo latæ.

De eo Bernardinus Corius ad cit annum MCLXXII. Chalcus ad annum eundem, & ſequentem. Comes Octavius Archintus in Collect. Monument. Familiar. Mediol. & Sitonus humaniſſimus in Schedis.



Digitized by Google

## MCCCLXVII.

## PUTEUS de PEREGO CAROLUS.

EX Equite Carolo Puteo de Perego, atque Eleonora Caſtillionæa conjugibus, ortus eſt Albertus, qui dum inter Clericos Regulares D. Pauli Decollati Barnabitas nuncupatos enumeratus eſt, Carolus vocari voluit. In Collegio Modoëtiæ profeſſus, ſui Inſtituti obſervantiam coluit perpetuò. Politiores Litteras priùs docuit, poſtea Quadrageſimales habuit Conciones in quampluribus Italiæ Urbibus. Collegium Neapolitanum S. Mariæ Portæ Novæ prudenter rexit. Quietæ vitæ deſiderio Cremonam petiit, ubi ſexagenario major extremum attigit diem, anno Domini MDCCXXX.

Hæc piè, & eruditè ſcripſit:

I. Il Povero alla caſa del Ricco. *Milano, per il Malateſta*, 1727. *in* 8.
II. La Dama in caſa, e fuori di caſa. *Pavia, per il Rovedino*, 1727. *in* 12.
III. Queſiti Sacri attinenti ad alcune azioni maraviglioſe di Gesù Criſto ſciolti, e moralizzati da D. Carlo Pozzo Milaneſe Barnabita, e conſagrati al Medeſimo. MS. in 4. juſtæ molis, quem mihi perhumaniter communicavit Cl. Joſeph Antonius Saxius. Extat apud D. Lucam Octavium Puteum de Perego Abbatem Canonicorum Regularium Lateranenſium, Auctoris fratrem.
De eo videndæ ſunt Schedæ Sitonianæ, in quibus adeſt Stemma Genealogicum hujus Familiæ, necnon ejuſd. Chron. Colleg. J. PP. Mediol. art. 11., & art. 1103. pag. 238.

## MCCCLXVIII.

## PUTEUS EMMANUEL.

GEnitoribus Hieronymo Puteo, atque Hippolyta Vincemala nobilibus Jugalibus Mediolanenſibus ortus eſt Carolus, qui Militarem Ordinem Equitum Hieroſolymitarum, nunc Melitenſium, ingreſſurus, jam Nobilitatem generis productis Tabulis comprobaverat, cùm mutato conſilio, die VI. menſis Auguſti, anno à Salvatoris Natali MDCXLI. ad Clericorum Regularium, quos vulgò Teatinos nuncupamus, Inſtitutum complectendum ſe contulit, aſſumpto nomine Emmanuelis. Studiorum labores ſic amplexus eſt, ut brevì ad Scientias cæteris tradendas idoneus fuerit habitus. Interim Verbi Dei Miniſter eximius variis in Urbibus animas Chriſto lucrari ſtuduit. Recenſetur etiam inter primos ſui Ordinis Viros, qui Matriti, & Niciæ Collegia condidere. Tyronibus erudiendis præfectus aliquando fuit, mox ad Præpoſituram Pragenſis, aliarumque ſuæ Religionis Domuum aſſumi promeruit. Generali fuit à Conſiliis in Urbe Roma, indeque regreſſus Mediolanum, annum agens ferè LXII. in Collegio Sancti Antonii ad plures abiit die V. Decembris MDCLXXXV.

Doctrinæ ſuæ ſpecimen non vulgare dedit Opere ſic inſcripto:

I. Ordo judicialis aliis Religioſis Hiſpanicè exhibitus, nunc Latinè Clericis Regularibus, compendioſior, & ad formam ipſarum Conſtitutionum expoſitus. Addito proceſſu formato ad faciliorem directionem Prælatorum, non tantùm Clericorum Reg., ſed omnium Religioſorum. *Romæ, typis Ignatii de Lazaris*, 1678. *in* 8.
Ita accepimus ab humaniſſimo Patre D. Cajetano Crucejo ejuſdem Congregationis Socio.



## MCCCLXIX.

## PUTEUS GHEZERA.

GHezera Puteus, ab aliquibus Ghezen nomine appellatus, filius fuiſſe videtur Guillielmi, quem an. MCCXX. in Mediolanenſi Repub. Conſulatus officium, inter eos, qui Juſtitiæ nuncupabantur, geſſiſſe patet ex publicis Tabulis apud doctiſſimum Sitonum ſervatis. Magnæ prudentiæ, atque exiſtimationis Vir extitit Ghezera, nam anno MCCLXVIII. dum Nappus Turrianus, favente Carolo I. Siciliæ Rege, Mediolanenſibus dominaretur, atque Otto Vicecomes Archiepiſcopus exularet, Conrado Lavizario Novocomenſi hujus Metropolis Prætori Collega datus fuit. Plurimùm in eo munere Patriæ utilis extitit Scriptor noſter, nam præter quotidianos in Jure dicundo labores

Condidit, ac promulgavit:

I. Edicta laudatiſſima plura ad publicum Ærarium pertinentia.
De ipſo Corius ad annum MCCLXVIII. atque Comes Octavius Archintus in Collectione ſua Monument. Famil. Mediol. ſæpiſſimè à nobis laudata.

## MCCCLXX.

## PUTEUS JULIUS.

JUlius Puteus, dum Religionem Carmelitarum Excalceatorum amplecti voluit, nomen, quod in Baptiſmo accepit die III. menſis Januarii, anno Redemptionis Chriſtianæ MDCXCVII. commutavit in aliud Federici à Sancta Roſa. Profeſſus eſt die XXIV. menſis Septembris, anno MDCCXIII. Alumnos ſuos in Facultatibus Philoſophicis & Theologicis per plures annos edocuit, deinde Verbum Dei peregregiè in pluribus Italiæ Urbibus diſſeminavit. Excelluit quoque in Orationibus Panegyricis, quas Mediolani, Laudæ, Cremonæ, Mantuæ, & Ferrariæ ſummo omnium plauſu dixit. Theologus fuit Philippi Lantgravii Darmeſtat Mantuæ Moderatoris, ibidemque à Conſultationibus S. Inquiſitionis extitit. Præter ea, quæ edidit, ut infra, plura ſcripſit, quæ nobis minimè indicata fuerunt, immo ſcribendo mortem adinvenit in eadem Urbe, die XVII. menſis Februarii, anno MDCCXXXI.

Hæc tantùm vidimus typis evulgata.

I. Vita di S. Giovanni della Croce. *Mantova, preſſo Alberto Pazzoni*, 1729. *in* 12.
II. Vita di S. Giovanni Nepomuceno. *Ivi, preſſo lo ſteſſo*, 1729. *in* 8.
III. Opera Aſcetica in lode di Santa Tereſa. *Ferrara, per Giuſeppe Barbieri*, 1733. *in* 12.
IV. Opera varia MSS., quorum ſeriem adhuc expectamus. A Suis.



Digitized by Google

## MCCCLXXI.

## PUTEUS MELCHIOR.

MElchiorem Puteum Mediolanenſem, ut ipſemet teſtatur in Titulis ſuarum Lucubrationum infra recenſendarum, nunc proferimus, ſilente Abbate Philippo Picinello, qui tamen in Bibliotheca Ambroſiana aliqua iſtius Putei Opuſcula inſpicere potuerat, ſed non tantùm, ea de cauſa, nobis incompertum eſt totum id, quod ad ſtudia, nec non ad acta Melchioris noſtri ſpectat, præterquamquod Præpoſitus fuerit Eccleſiæ Gorgonzolæ prope Caſſanum ad Abduam, verùm quod plus eſt, irrito labore, alia quæſivimus ad inſtitutum noſtrum pertinentia; Lector igitur contentus ſit ea libenter accipere, quæ præ manibus habuimus hujus Scriptoris, & plura ab aliis expectet.

I. L'Eroe, Panegirico di Melchior Pozzi Milaneſe nell' arrivo del Cardinale Ferrante Taverna Veſcovo di Novara. *Milano*, *per il Ponzio*, 1616. *in* 4.
II. Poema Italiano per l'arrivo del Cardinale Ceſare Monti. *Milano*, *per il Malateſta*, 1613. *in* 8.
III. La Tomba, Panegirico nella morte di Aleſſandro d'Eſte. *Milano*, *per il Malateſta*, 1624. *in* 8.
IV. Decreti, ricordi, doni, &c. pubblicati in Parnaſſo intorno alle glorie della Caſa d'Eſte. *Ivi*, *per lo ſteſſo*, 1625. *in* 8.
V. Coſe notabili di Noſtra Signora di Conceſa. *Milano*, *per il Ghiſolfi*, 1642. *in* 8.

## MCCCLXXII.

## PUTEUS UBERTUS.

UBertus Puteus Mediolanenſis anno MCCXLVII. floruit prudentiæ laude apud Cives ſuos illuſtris. Martino Turriano in hac Metropoli præpotenti magnâ fuit amicitiæ neceſſitudine junctus, quemadmodum etiam charus extitit Conrado de Conceſa, cui, procurante Gregorio de Montelongo Apoſtolicæ Sedis Legato, Prætoris officium in hac eadem Urbe fuerat eo anno demandatum. Cordi erat per ea tempora publicæ rei Moderatoribus municipale Jus tot bellorum, & viciſſitudinum injuriâ labefactatum reſtituere, quò Civitatis vulneribus mederentur. Eam provinciam Ubertus noſter, atque Turrianus libentiſſimè aſſumpſerunt, ipſoque anno MCCXLVII.

Plurima ediderunt

I. Statuta Mediolanenſi Reipub. perquam utilia.
Ex Corio ad annum eundem, & Comite Octavio Archinto in Collectione ſua MS. Monument. Famil. Mediol.

## MCCCLXXIII.

## PYLEUS.

QUod Pyleus Juriſconſultus magni nominis ſæculi XII. natus ſit Modoëtiæ, abundè probat Clariſſimus Guidus Pancirolus in libro de Claris Legum Interpretibus contra celeberrimi Gravinæ aſſertionem in ſuo Opere de Ortu & Progreſſu Juris Civilis, ubi Pyleus natus aſſeritur in Pago Mutinenſis agri. Joannes Andreas etiam in Additionibus ad Speculum Juris, Trithemius in Opere de Scriptoribus Eccleſiaſticis, aliique permulti Modoëtienſem ipſum faciunt, & ita quoque ipſemet ſe inſcribit variis in locis ſuarum Lucubrationum, etſi ex Patre Mutinenſi natus fuerit. Bononiæ Jus Civile an. Chriſti MCLXX. docuit, pluresque Gloſſas condidit. Mirificè Diſputationibus delectatus, ſingulis diebus Sabbati, propoſita Quæſtione, quam argumentis hinc inde adductis confirmabat, diſceptare conſuevit, ob idque Sabbatinæ Quæſtiones, quarum Volumen edidit, dictæ fuerunt, & ſæpius ab Accurſio Sabbatina Quæſtio, pro ea, quæ à Pyleo diſputata eſt, citatur. In ea exercitatione illa, quæ à Jure-Conſultis Brocarda appellantur, primus invênit, quorum etiam libellum Diſputationum ab eo ſic nuncupatum compoſuit. Cùm diu Bononiæ profeſſus Pyleus magnâ nominis famâ clareſceret, à Mutinenſibus, qui tum & ipſi Gymnaſium erexerant, amplo ſtipendio ad docendum invitatur. Id ſubodorati Bononienſes, eum juramenti religione obſtrinxerunt: ne unquam extra Bononienſem Academiam doceret; ſed rurſum ſolicitatus centum Marchis argenti ſibi oblatis, Mutinæ, ubi Civis factus eſt, aliquot annis Jus interpretatus eſt. Summam in tres poſtremos Codicis libros, quam Placentinus inchoaverat, perfecit. Librum quoque de Ordine Judiciorum inſcriptum, qui tunc temporis ante aureum Gulielmi Duranti Speculum maximè utilis habebatur, inſtar Compendii, quod Summam vocabant, ſatis eruditè compoſuit. Poſtremò in uſus Feudorum gloſſas edidit. Uti Vir miræ probitatis, ingenio ſubtilis, ſcientia clarus, & conſilio cautus laudatur ab Auctoribus coævis.

Scripſit quæ ſequuntur, ſcilicet:

I. De Ordine Judiciorum, quem Tractatum auxit & correxit Juſtinus Gobler. *Baſileæ*, 1543. *in* 8.
II. Quæſtiones diverſimodè deciſæ. Extant in Vigelii Centuriis VIII. ex Fontana. Ipſas quoque ego vidi in ditiſſima Bibliotheca Braydenſi PP. Soc. Jeſ. *Lugduni*, *ſine anno & Typog. nomine*, *in fol.*
III. Quæſtionum illuſtrium Centuriæ. *Francofurti*, 1600. *in* 8.
IV. Quæſtiones aureæ, per Vincentinum Porticum Lucenſem S. Carolo dicatæ. *Romæ*, *per Antonium Bladum*, 1560. *in* 4.
V. Gloſſæ in jus Feudorum, teſte Pancirolo.
VI. Summa in III. poſteriores Codicis Libros, poſt Placentinum, perfecta. Teſte eodem.
Ipſum laudant Catellianus Cotta in Memorabilibus pag. 480. Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis, apud Fabricium in Bibliotheca Eccleſiaſtica, Pancirolus citat. in Libro II. de Claris Legum Interpretibus. Cap. 21. pag. 108. Gravina in Libro de Ortu & Progreſſu Juris Civilis. Cap. 149. Fontana in Biblioth. Legali, aliique.

## MCCCLXXIV.

## PYRABOS JACOBUS.

JAcobo Pyrabovi pluribus obſtrictum eſt nominibus clariſſimum hujus Ducatus Oppidum Variſium, in cujus Republica ad annum Chriſti Salvatoris MCC. Conſiliarius extitit, & princeps. Prudentiſſimè hoc munere functus eſt Jacobus; non enim verbo ſolùm, ſed etiam ſcriptis contribulibus ſuis prodeſſe curavit; quæ tanti habita fuerunt, ut tot poſt ſæcula adhuc in publico Tabulario celebris illius Municipii ſerventur, tanquam poſteros edocendi gratiâ, quid laudis ille vivens promeruerit. Acta ejus reliqua nullus indicavit.

Ha-

Digitized by Google

Habentur illius

I. Conſilia plurima. MSS. in Archivo publico Variſienſi. Ex Hiſt. Variſien. Nicolai Sormani Ambroſiani Collegii Doctoris, apud ipſum Auctorem MS. in fol. ad cit. annum.

## MCCCLXXV.

## PYRABOS JACOBUS alter.

JAcobi Pyrabovis mox laudati Nepos ex filio fuiſſe videtur Jacobus hic junior, qui Avi prudentiam, atque in Patriam amorem æmulatus eſt. Quemadmodum enim ille Conſilia laudatiſſima conſcripſit, ſic iſte Juri municipali Variſienſis Reipublicæ in unum colligendo volumen vacavit. Hæc ſolùm de tanto Viro poſteritas habet, reliqua, cùm ætas deleverit, à nobis quærat nemo.

Commendatur ob

I. Statuta Variſienſis Municipii, quæ compilavit anno MCCLXXXIX. Codex Autographus ſervatur in Archivo Variſii MS.
Id teſtatur doctiſſimus Nicolaus Sormanus in Hiſt. Variſien. MS. apud eundem Auctorem, in fol. ad ipſum annum.

# Q

## MCCCLXXVI.

### QUADRIUS ANGELUS MARIA.

PEtri Martyris Quadrii, ac Blancæ de Mazziis Mediolanenſium Jugalium filius extitit Angelus Maria, qui Deo ſe devovens, retento nomine, dictus eſt Angelus Maria à Sancto Philippo inter Nudipedes Eremitas, quorum aſſumſit Habitum, & Profeſſionem emiſit Kal. Maji, anno Reparationis humani generis MDCLXXXIX. ætatis verò ſuæ XVII. Ingenium ejus in ſtudiorum curriculis enituit, nam ſupra acerbos annos multò eminentius in admirationem ſui traxit, præcipuè tum cùm recurrentibus Provincialibus, vel Generalibus Comitiis unus inter omnes electus, quæ in umbra didicerat Scientiarum Teoremata, publicè propoſita ſummâ, profundâque eruditione defendit tam in Patria, quàm Romæ. Philoſophicas Quæſtiones, & Theologiæ ſcita Ordinis Alumnis è Cathedra cum plauſu expoſuit Mediolani annos integros novem. Sacrorum Canonum peritiem, cum Matheſi, Oratoria facultate, atque Poëſi conjunxit. Pluribus in Academiis meritò recenſitus fuit, inter Phiſiocriticos Senenſes, atque Faticoſos Mediolanenſes cooptatus. In hoc poſtremo Eruditorum Cœtu multa tam ſolutâ, quàm adſtrictâ numeris Oratione pronunciavit, non ſine auditorum plauſu. Utinam doctiſſimum Virum immatura mors terris non invidiſſet, anno hujus ſæculi III. dum Venetiis Sacras haberet Quadrageſimales Conciones, quo munere jam functus fuerat in primario Templo Aronæ, atque in Baſilicis Protomartyris, & Nazariana hujus Metropolis. Annum tunc agebat Scriptor noſter tertium ſupra trigeſimum. Cadaver illius in Veneto S. Stephani majoris Templo apud ſui Ordinis Profeſſores, qui Conventuales S. Auguſtini nuncupantur, humo traditum eſt.

Superſunt ejus ingenii ſequentes fœtus:

I. Panegirici. *Milano, per il Malateſta*, 1699. *in* 4. Opus inſcripſit Comiti Joanni Borromæo Areſio. Tomus hic primus eſt, de altero poſthumo inferius agemus.

II. Storia di S. Calocero Martire. *Ivi, per l'Agnelli*, 1693. *in* 8.

III. Vita della Ven. Serva di Dio Virginia Alardi Fondatrice in Arona del Moniſtero, che preſe poi l'Iſtituto della Viſitazione. *Ivi, per lo ſteſſo*.

IV. Quareſimale. *Milano, per il Vigone*, 1704. *in* 4.

V. Panegirici. Tomo II. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1708 *in* 4. Hæc duo poſtrema Opera poſt Auctoris obitum prodiere.

VI. Vita di Suor Colomba Suardi Monaca in S. Marta, Diſcepola della Beata Arcangiola Panigarola. MS. in fol. Autograph. Extat in Biblioth. PP. Eremit. Diſcalceat. SS. Coſmæ, & Damiani Mediol. Cod. ſign. S. Ab aliquibus dicitur hic Liber impreſſus, quod nos hactenus ignoramus.

VII. Collectanea Carminum utraque lingua, Latina ſcilicet, & Italica MS. Ibid.

VIII. Orazioni, e Poeſie Italiane recitate nell' Accademia de' Faticoſi. MS. in 4. magnæ molis. Ibid.

Ita à Suis.

## MCCCLXXVII.

### QUADRIUS JO. PETRUS.

IN Joanne Petro Quadrio Mediolanenſi, qui Joannis Petri Puricelli coævus, amiciſſimuſque fuit, non pietatis tantùm, ſed etiam ſacræ eruditionis ſplendores emicuere; prima enim ſtudiorum curricula peregit inter Clericos, qui ad Eccleſiaſticam parantur militiam in majori hujus Metropolis Seminario apud Orientalem Portam ſito. Philoſophiam poſtea, atque Theologiam, Latinæ, Græcæque linguæ ſtudiis adjecit. Celeberrimæ Oblatorum Congregationi exinde nomen dedit, in qua ſic eluxit, ut libeat hìc verba ipſa Puricelli jam laudati exſcribere ſic de eo in Ambroſianæ Baſilicæ Monum. num. CCLXXXIX. loquentis: „ Amiciſſimus noſter Joannes „ Petrus Quadrius Theologia ſimul, ac politioribus „ litteris naviter excultus, præterea verò etiam celeberrimi in hac Urbe Seminarii regimine alias, ac „ demum Sancti Sepulchri, & Oblatorum Congregationis Præpoſiturâ per annos multos laudabiliter „ adminiſtratâ perinſignis. „ Subdit verò idem Auctor, debere ſe Quadrii humanitati publicas Tabulas reſtaurationis, atque conſecrationis ejuſdem Templi S. Sepulchri ab Anſelmo Archiepiſcopo factæ, quas ibidem profert. Utiliſſimum quoque Chriſtianæ Doctrinæ inſtitutum in hac Archidiœceſi florentiſſimum plurimùm Quadrius juvit, tunc cùm Decreto majorum Catechiſtarum generalis, ut vocant, Prior annos aliquot extitit. Mox Collegio Canonicorum vetuſti Templi Sanctæ Mariæ Pedonis in hac Urbe Præpoſitus meruit renunciari, tanti habitus apud hujus Eccleſiæ Præſulem laudatiſſimum Cardinalem Montium, ut inter XII. ſelectos Eccleſiaſticos Viros, qui correctioni Breviarii Ambroſiani iterum tunc typis dandi inſudabant, locum obtinuerit, qua de cauſa rurſus eum commendat citatus Puricellus in Diſſertatione Nazariana Cap. I. num. IV. pag. 3. ad annum MDCXLVII. Picinello Athenæum ſuum ſcribente, adhuc inter mortales degebat; quo verò exceſſerit anno, nemo nos docuit.

Commendabilem ſe præſtitit ob infraſcripta Opuſcula:

I. Diſſertatio de Obitu S. Martini Turonenſis Epiſcopi, & an S. Ambroſius ejus Funeri per ſpiritum interfuerit. MS. Autograph., licèt imperfecta, in fol. Servatur apud amiciſſimum pluries laudatum Canonicum Iricum, unà cum permultis Congregationis Rituum hujus Eccleſiæ Actibus impreſſis, ſine anno, & Typographi nomine, Quadrii MSS. adnotationibus marginalibus pro reformatione Breviarii Ambroſiani adjectis. Quæ omnia Iricus ipſe in Collectionem ſuam Monumentorum Ritus Ambroſiani intulit, ſperans eandem aliquando in lucem prodituram.

II. Eſercizj Spirituali da farſi d'avanti il Santo Natale. Ea Picinellus indicavit, addens ab Auctore compoſita fuiſſe petentè quadam nobili Matrona, ſed locum, annum, & Typographum de more tacuit.

Agit de ipſo præter citatos, Picinellus in Athenæo pag. 325.

MCCCLXXVIII.

Digitized by Google

A

## MCCCLXXVIII.

## QUATTROCASE CELSUS.

EX Carolo Vincentio Quattrocaſe, & Margarita Vicomercata Jugalibus in lucem venit Mediolani Julius Cæſar, qui poſtmodum anno MDCXXXIX. die IV. Martii vota emiſit in Eccleſia Sancti Sylveſtri ad Quirinalem Urbis Romæ in Congregatione Clericorum Regularium, quos communiori vocabulo Teatinos appellare ſolemus, & Celſi nomen aſſumſit. Inter ſuperioris ſæculi primarios Verbi Dei Miniſtros computatus ad præcipuas Italiæ Urbes certatim vocatus eſt, ut Quadrageſimali tempore ſacras haberet Conciones, idque magnâ cum auditorum laude, & animarum lucro præſtitit Ticini, Laudæ, Novocomi, Bononiæ, Caſali, Venetiis, Piſis, Novariæ, Taurini, Veronæ, Mutinæ, & alibi. Quamvis autem tam ſeria coleret ſtudia, non ideo tamen à Muſis abhorrebat; Poëticos enim ſæpe ingenii ſui fœtus in Academia Mediolanenſi Faticoſorum, cui annos præſedit aliquos, recitavit. Eum hiſce verbis commendavit Silos in Catalogo Scriptorum ſui Ordinis: Hiſtor. parte III. pag. 558. „ Non mediocri „ Vir ingenio, & qua ſacra, qua profana eruditio„ ne inſtructus. Dat publicis Concionibus operam „ non ſinè Auditorum aſſenſu. Expedita illi, ac „ promta dicendi facultas; facilè quippe ingenio „ reſpondet linguæ copia: planè ut ab extempora„ li, ac ſubitaria ejuſdem dictione plauſum aliquan„ do tulerit non vulgarem. „ Deſideratus eſt Mediolani in Collegio S. Antonii apud Suos anno MDCXCIV. ætatis LXXIII. agens annum, XII. Kal. Auguſti.

Hæc habemus litteraria monumenta:

I. Orazione Panegirica del SS. Sagramento. *Bologna, per il Monti*, 1671. *in* 4.

II. Il Nume tutelare della Liguria, Orazione recitata nel Duomo di Genova nell' anniverſario dell' unione Genoveſe l'anno MDCLXVII alla preſenza del Sereniſſimo Duce Ceſare Gentile, e delli Sereniſſ. Collegj della Repubblica di Genova, dedicata all' Illuſtriſſimo Sig. Pietro Maria Gentile. *Genova, per Pietro Giovanni Calenzani*, 1667. *in* 4.

III. Altra Funebre nell' Eſequie di Monſignor Porro Veſcovo di Bobbio, celebrate in S. Antonio, con la deſcrizione dell' Apparato. *Milano, per gli Eredi di Giorgio Rolla.*

IV. Altra pur Funebre nelle Eſequie celebrate in Cremona nel MDCLVI. al Padre Maeſtro Gio. Antonio Giuſſano Carmelitano. *Cremona, per Gio. Pietro Zanni*, 1656. *in* 4.

V. Altra per la Incoronazione del Doge di Genova Ceſare Gentile. *Ivi, per il Calenzani*, 1667. *in* 4.

VI. Racconto delle Feſte fatte in Vicenza per la Cannonizazione di S. Gaetano, colli Elogj, ed Epigrammi eſpoſti. *Vicenza, per Giacomo Livizari*, 1671. *in* 4.

VII. Racconto delle Feſte fatte in Vicenza, quando fu eletto San Gaetano Protettore della Città, colli Elogj, ed Epigrammi in tal occaſione eſpoſti. *Vicenza, per gli Eredi di Giacomo Amadio*, 1674. *in* 4.

VIII. Racconto delle Feſte fatte in Bergamo per la Cannonizazione di S. Gaetano, colli Elogj, ed Epigrammi. *Bergamo, per gli Figliuoli di Marc' Antonio Roſſi*, 1676. *in* 4.

IX. Cattalogo delle Pitture inſigni di Milano. *Ivi, preſſo il Majetta.*

X. Pitagora illuſtrato, cioè i Simboli di Pitagora ſpiegati con Diſcorſi Politici, e Morali. Hoc etiam, eodem Picinello teſte, prælo dandum cudebat. Extat MS. in Biblioth. Suorum Mediol.

XI. Vite de' Pittori Milaneſi. MS. Ibid.

XII. Conciones Italicæ Quadrageſimales. MS. Ibid.

Extat ad eum Epiſtola Franciſci Fabri Bremundani inter Epiſtolas ejuſdem Fabri, impreſſas *Mediolani*, 1660.

B C D E

De ipſo agit Picinellus in Athenæo pag. 134., & plura quoque nobis humaniſſimè, ſicuti de aliis ſui Ordinis eruditis, ſuppeditavit P. D. Cajetanus Crugejus ejuſdem Congregationis Alumnus.

## MCCCLXXIX.

## QUESTA M. AURELIUS.

MArcus Aurelius Queſta Mediolanenſis ab ineunte ætate ſtudiis operam navans diligentiſſimam, non mediocrem de ſe Civibus ſuis expectationem creaverat, quam non fallacem fuiſſe exitus comprobavit; Philoſophiam etenim, & Medicinam adeò calluit, ut Laureâ digniſſimus habitus fuerit. Seriis hiſce diſciplinis amœniora quoque miſcere conſueverat, atque inter Academicos Faticoſos cooptatus, in eo Cœtu Oratoriæ, & Poëticæ Facultatis plura dedit ſpecimina, quorum etiam pars aliqua publicam in lucem prodiit, quemadmodum infra dicemus. Obtrectatores ægrè ferentes, licèt perperam, cordatos ſerioſque Viros Carminibus pangendis operam dare, erudita Diſſertatione mox recenſenda compeſcuit. Quo currentis ſæculi anno migrarit ad plures nos latet.

Hæc ſuperſunt ab eo elucubrata:

I. La Galleria di Marte: Panegirico di Marco Aurelio Queſta Dottore di Filoſofia, e Medicina, ed Accademico Faticoſo, conſacrata alla Sacra Ceſarea Real Maeſtà di Leopoldo I. Imperadore ec. con Aggiunta d'altre compoſizioni. *In Milano, per Ambrogio Ramellati, in* 12. ſine anno, qui tamen fuit 1689. Eſt Poëma, vulgò *in Seſta Rima* 372., ut dicunt *Stanze* conſtans, & ad calcem adſunt

II. Carmina varia Italica, vulgò *Sonetti*.

III. Se ſi poſſa biaſimare in un Uomo ſavio l'applicazione alla Poeſia. Diſcorſo Accademicò recitato li XXVII. Gennajo MDCXCIX. da Marcaurelio Queſta, Dottore di Filoſofia, e Medicina, ed Accademico Faticoſo nell' Accademia de' medeſimi. *Milano, per Carlo Giuſeppe Quinto*, 1699. *in* 12.

Memoratur à Clariſſ. P. Quadrio Societ. Jeſu in libro „ Storia, e Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 509.

## MCCCLXXX.

## QUINTIANUS JOANNES FRANCISCUS.

QUintianæ Familiæ nobilitatem in hac Inſubriæ Metropoli vetuſtioribus floruiſſe temporibus, liquet ex publicis Tabulis anni MDXIII. die VIII. menſis Januarii apud Advocatum Sitonum noſtrum ſervatis, unde apparet, Joannem Angelum Quintianum Mediolanenſem Decurionem electum fuiſſe, ut univerſæ Urbis nomine, unà cum nonnullis primariis Civibus fidelitatis ſacramentum Maximiliano Mariæ Sfortiæ Vicecomiti Inſubriæ Duci præſtaret. Ex hac igitur Familia progenitus eſt Joannes Franciſcus Quintianus, cujus ætatem, acta, parentes divinanda reliquit Abbas Picinellus, nihil de ipſo proferens, præter inanes bullas, & nudum Operis titulum,

Nempe:

I. Mulierum memorabilium. Ubi verò, quo anno, quo ex prælo, Oedipus novit.

Vid. cit. Picinellum in Athenæo pag. 301.



Digitized by Google

# R

## MCCCLXXXI.

### RABBIA FLORAVANTES.

AD Scriptores Mediolanenſes litteræ XVII. juxta ordinem alphabeticum, Deo juvante, jam pervenimus, poſt Vitas eorundem numero MCCCLXXX. improbo fermè labore, quomodocumque ſit, deſcriptas. Ad Rabbias igitur ſermonem nunc vertimus, Gens quorum in hac Metropoli à remotis uſque Sæculis florere cœpit, uti cognovimus ex ſerie genealogica nobis de more perhumaniter communicata à Cl. Sitono, quæ incipit in Mirano Rabbia vivente Sæculo XIV., & progreditur uſque ad Joannem Baptiſtam, quem parùm infra laudabimus. Floravantes, de quo nunc agimus, patrem habuit Auguſtinum inter Decuriones hujus Urbis, qui filium voluit eruditum in Ticinenſi Gymnaſio, ubi breviter Philoſophiam, ac Medicinam tam rectè didicit, ut poſt Rectoris munus in eadem Univerſitate optimè geſtum, in iiſdem facultatibus Laureâ decorari meruerit. Paulo poſt Cathedram Theoricæ plaudentibus omnibus aſcendit, pluresque diſcipulos habuit, qui magnum nomen in re Medica ſibi acquiſiverunt. Amœniora quoque ſtudia ſummoperè coluit maximè Poëſim, non tantùm linguâ Italicâ, ſed etiam vernaculo ſermone Mediolanenſi, ita ut inter Academicos Affidatos Papienſes locum meritò obtinuerit, atque in ipſa *il Tranquillo* vocari voluit, cum Caduceo pro Inſigni accepto, & Lemmate *Cupiditatum quies*. Vir certè fuit honorum, divitiarumque inimicus, nam ſibimetipſi & ſtudiis vivens, gratis, ut plurimùm, inſerviebat ægrotis. Inter alia ornamenta, quibus animus ejus delectabatur, muſica quoque adnumeratur. Floruit anno Redemptionis noſtræ MDLXI. ſed diem ultimam ejus ignoramus.

Superſunt ipſius

I. Carmina XXVII. Italica. Extant inter illa Academie Affidatorum Ticinenſis, impreſſa anno 1565. à pag. 186. ad 207.

II. Poëmata varia Italica. Teſte Picinello, ſed ubi ſint, non indicat.

III. Carmina alia ſunt in libro, cui titulus: „ Il Sepolcro „ della Illuſtriſſima Signora Beatrice di Dorimbergo. *Breſcia, appreſſo Vincenzo di Sabbio*, 1568. *in* 8.

Laudatur à Creſcimbenio in libro „ dell' Iſtoria della „ Volgar Poesia „ Vol V. art. 204. pag. 244. à Luca Contili Carmine Italico inter illa Affidatorum, & latius in Impreſiis eorumdem Academicorum pag. 59., necnon à P. Quadrio Soc. J. in Tomo II. libri „ Storia, „ e Ragione d'ogni Poesia „ *Milano*, 1741. pag. 676., & à Picinello in Athenæo pag. 195.

## MCCCLXXXII.

### RABBIA HIERONYMUS.

BErnardinus Rabbia Hieronymum noſtrum in lucem edidit, qui ſacris initiatus, inter Canonicos Ordinarios Eccleſiæ Metropolitanæ hujus Urbis locum obtinuit anno MDLXXI., & dignitate Pœnitentiarii Majoris paulò poſt decoratus extitit. Divus Carolus Borromæus pietate, ac doctrina hujus Viri optimè cognitis, in Vicarium generalem Monialium ipſum elegit. Parentis, atque Avi ipſius extat Mnemoſynon in Eccleſia Parochiali S. Stephani ad Nuxigiam appellatâ his litteris ſculptum:

MDXVIII. DECIMO IANVARII
AMBROSIO RABBIAE PATRICIO MEDIOLANENSI
GENITORI OPTIMO
BERNARDINO, ANTONIO AC ANGELO FRATRIBVS
HORTENSIAE FILIOLAE DILECTAE
ANTONIVS RABBIA MEDIOLANENSIS
PRAESENS INTER HVMANOS AGENS
POSVIT.

Plura ſcripſit tam ſtricta, quàm ſoluta Oratione; omnia verò ad animarum ſalutem optimè congruentia, ut facilè Lector infra agnoſcet. E vivis abiit die XVII. Februarii anno MDXCIV. ætatis verò ejuſdem LXIII.

Hæc ſunt quæ de ipſo prodierunt:

I. Il Trionfo della Verginità: Opera, nella quale brevemente ſi tratta dell'eccellenza dello ſtato verginale, fatta per le Vergini della Compagnia di S. Orſola, dal Rev. Gerolamo d'Arabia, Ordinario della Chieſa Maggiore di Milano. *Ivi, per Michel Tini*, 1585. *in* 8. Opus eſt verſibus exaratum.

II. Dialogo della Verginità. *Milano, per il ſodetto*, 1591. *in* 8.

III. Sermone in lode della Verginità. *Milano, come ſopra.*

IV. Rovina del Carnovale: Dialogo dedicato a Monſignor Gaſpare Viſconti. *Milano, per lo ſteſſo*, 1592. *in* 8.

V. Varie Sentenze Morali in verſi. Teſte Picinello.

VI. Eſercizj dell' Umiltà. *Milano, per il medeſimo*, 1592. *in* 8.

VII. Eſercizj Spirituali per l'Advento del Signore, per la Feſta del Santo Natale, per la Quadrageſima, per la Reſurrezione, per l'Aſcenſione, per la Pentecoſte, e per l'Aſſunzione della Madonna, libri IV. con varie Rime. *Milano, per il ſopraccennato*, 1590. *in* 8.

VIII. Dialogo dell' utilità delle Scuole della Dottrina Criſtiana di Milano. *Ivi, per il ſopradetto*, 1592. *in* 8.

IX. Altri Trattati Spirituali. Teſte eodem Picinello.

Memoratur à Moriggia in lib. 3. cap. 37. Nobil. Mediol., in Catalogo Canonicorum Ordinariorum Eccleſiæ Metropolitanæ à Theodòro Trivultio confecto, de quo ſuo loco, necnon à ſupradicto Picinello pag. 348.

MCCCLXXXIII.

## MCCCLXXXIII.

### RABBIA JOANNES BAPTISTA.

JOannem Baptiſtam Rabbiam Mediolanenſem claro ſanguine ortum Franciſcus, & Cornelia Gambarana nobiles conjuges genuere. Vix adoleſcentiam ingreſſus, jamque ſtudiorum rudimenta edoctus, Deo famulari ſtatuit, idque ut perficeret ad Clericorum Regularium, quos Teatinos vulgò dicimus, Congregationem convolavit. Majoribus ibi excultus ſcientiis magni haberi cœpit uſque adeo, ut ad regenda ſuorum Collegia inſigniora aſſumptus fuerit. Præfuit enim Ordinis domibus Ravennæ, Bononiæ, Mediolani, atque Romæ. Hinc Generali Capitulo fuit à ſecretis, & Deffinitor; & in Collegiis Lombardiæ Viſitatoris munere functus eſt. Sed quod magis ingenium dexteritatemque tanti Viri oſtendit, Legatio eſt, quam pro Statu Mediolanenſi egit ad Catholicam Majeſtatem. Migraverat interim è vita anno MDCLXXI. Seraphinus Corius Mediolanenſis ex eadem Congregatione, Laudenſis Eccleſiæ Antiſtes præſtantiſſimus, vix biennio regiminis expleto, cùmque novus illi gregi Paſtor ſufficiendus eſſet, tanto honore dignus eſt habitus Scriptor noſter die XXVIII. menſis Septembris, ejuſdem anni. Verumtamen mors acerba, nondum initâ Epiſcopatus poſſeſſione, paulò poſt ipſum terris invidit.

Hæc illius Opera laudantur:

I. Viſitationes Collegiorum ſui Ordinis in Lombardia, ubi plura leguntur prudentiſſimè condita Decreta. MS. in fol.
II. Litteræ Paſtorales ad Clerum, & Populum Laudenſem ſacra eruditione refertæ. Servantur in Biblioth. Sancti Antonii apud Suos Mediolani.
De eo agunt Ughellus Ital. Sacræ Tom. IV. in Laudenſibus, atque Sitonus humaniſſimus in Schediis.

## MCCCLXXXIV.

### RACCHETUS CHRISTOPHORUS.

CHriſtophoro Raccheto Ordinis Carmelitarum Alumno, in hac Metropoli nato, pater fuit Joſeph Thomas, qui filium dum ſacris ablueretur undis Joannem Baptiſtam appellaverat. Hic autem divino ſe mancipaturus obſequio præfati Ordinis Congregationem Mantuanam elegit, habitumque ſuſcepit die VI. Julii, anno reparationis humanæ MDCLIX., qui ætatis illius erat XVI. Scientias avidiſſimè didicit tam divinas, quàm humanas; Philoſophus enim, Theologus, atque Orator non infimi nominis extitit. Humilitatem interea ſic coluit, ut præter Studiorum Præfecturam, quam prudenter exercuit tam Mediolani, quàm Bononiæ, & alibi, Cœnobiorum regimen, aliaſque inter Suos dignitates invicto ſemper animo, ne à Sapientiæ amplexibus abriperetur, recuſaverit. Anni vitæ illius poſtremi ſumus inſcii, adhuc tamen mortalis erat anno Chriſti MDCXC.

Lucubrationes poſt ſe reliquit his prænotatas titulis:

I. Vicentina Exemptio pro Regularibus Confeſſariis approbatis, Allegatio Juris. *Vicentiæ, apud Amadeum*, 1681. *in fol.*
II. Summulæ Logicales.
III. Quæſtiones in Logicam.
IV. Quæſtiones in Metaphyſicam.
V. Explanationes in Phyſicam.
A VI. Commentaria in quatuor Libros Inſtitutionum.
VII. De Actibus humanis.
VIII. De Vitiis, & Peccatis.
IX. De voluntate Dei.
X. De Gratia, & Prædeſtinatione.
XI. De Attributis.
XII. De Viſione Beata.
XIII. De Incarnatione.
XIV. De Scientia Dei.
XV. De Angelis.
XVI. Lexicon Theologicum.
Omnia XII. Voluminibus MSS. comprehenſa. Extant in Bibliotheca ſui Ordinis Sancti Joannis in Concha Mediolani.
XVII. Prediche varie, e Panegirici. MSS. Vol. I. in fol. extant ut ſupra.
Hæc à Suis accepimus, ac vidimus.

B

## MCCCLXXXV.

### RADAELLUS ANDREAS.

ORdinem Minorum, qui Obſervantes audiunt, amplexus Andreas Radaëllus (quod cognomen alii ſcribunt de Regibus de Ello) Mediolanenſis, ſtudiorum ſic perfecit curricula, ut ad Philoſophicas primùm, mox etiam Theologicas Quæſtiones ſui Inſtituti Sodalibus tradendas è Cathedra, Majorum juſſu, fuerit admotus. Populis quoque variorum Oppidorum, imo & Urbium Sacrum Chriſti Evangelium non ſine ingenti fructu miniſtravit, Quadrageſimæ præſertim
C tempore. Toti Provinciæ Præfectus datus eſt die XVII. menſis Februarii, anno Redemptionis MDCLXII. habitis in Cœnobio Sanctorum Angelorum hujus Metropolis Comitiis. Impoſitum ſibi munus prudentiſſimè rexit, tantâ cum ſuorum exiſtimatione, ut ad Deffinitoris totius Ordinis gradum promoveri meruerit. Ad majora quoque conſcendit officia, electus in Romana Curia Procurator generalis, & apud Urbem hanc tantam acquiſivit famam, ut cum anno MDCLXVIII. pro graviſſimis Status Mediolanenſis negotiis ad Carolum II. Catholicum Regem Legatus mittendus foret, nullus Radaëllo noſtro viſus fuerit aptior ad eam provinciam. Illam patriæ amantiſſimus Civis libentiſſimè ſuſcepit, ſtatimque viam ingreſſus ad Matritenſem contendit Aulam, at vix tribus evolutis menſibus, morbo correptus vitæ
D curſum abſolvit. Cadaver illius illatum eſt in Eccleſiam Conventus Sancti Franciſci Matriti, ibique jacet.

Illius hæc habemus erudita Monumenta:

I. Commentarii in libros Confeſſionum S. Auguſtini.
II. Catholicæ Lucubrationes in Epictetum.
III. Concordantiæ Pſalteriorum Romani, & Ambroſiani.
IV. Apologia pro ſuis Theſibus Romæ propugnandis.
Hæc Opera hactenus recenſita laudavit Abbas Picinellus loco citando; verum ſilet utrum edita fuerint, vel MSS. Nos ſequentes hujus Viri Lucubrationes adjicimus:
V. Prediche Quareſimali MSS. in juſtæ molis Volumine
E ſervantur in Biblioth. Suorum Cœnobii SS. Angelorum hujus Urbis.
VI. Tragedia ſopra la Vita di S. Margarita da Cortona. MS. ibid. Opus poëticum eſt.
VII. Orazioni, e Panegirici diverſi MS. ibid. Horum aliquæ typis datæ ſunt, ut nos monuere illius Inſtituti Viri, ſed ſparſim, variiſque in locis, quas inter in ſequentes incidimus.
VIII. Orazione per la pace fra la Francia, e la Spagna. *Milano, per il Monza*, 1659. *in* 4.
IX. Altra per la naſcita del Sereniſſimo Principe delle Spagne Filippo Proſpero. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1658. *in* 4.
De ipſo meminit præfatus Picinellus in Athenæo pag. 31.

MCCCLXXXVI.

Digitized by Google

## MCCCLXXXVI.

## RADAELLUS ANGELICUS.

RAdaëllus hic, cujus nomen in ſæculo etiam à Suis ignoratur, Mediolanenſis, Strictiorem Sancti Franciſci Obſervantiam, in Cœtu, quem Reformatorum appellamus, amplexus, ubi vocari voluit Angelicus à Mediolano, Deo plures per annos famulatus eſt. Haud parum quidem profuit ſui Inſtituti Alumnis, quibus Theologicas Quæſtiones è Cathedra diu tradidit; at majora hujus Metropolis populo præſtitit, cùm annos XVIII. Divinos Codices in Templo Maximo explicaverit, magna animarum lucra reportans. Canonum etiam peritiſſimus fuit, ut non ſemel conſilii ergò ad eum primarii quoque Eruditi confluerent, nec minor fuit in ipſo Moralis, ut vocant, Theologiæ doctrina, prout ſatis liquet ex Operibus infra laudandis. Exceſſit è vivis die XX. menſis Martii, anno poſt Salvatoris Natale MDCCXXXVII.

Iſtis notantur titulis hujus Scriptoris Lucubrationes:

I. Allegazione per il Beato Andrea Conti da Anagni ſopra il titolo, che non ſe gli competeva di Conventuale, ſine loco, anno, & Calcographi nomine, in 12. Impreſſa tamen dicitur *Mediolani* annis ab hinc viginti.

II. Compendium de Caſibus reſervatis Oliverii Mazzucchelli (de quo jam diximus) nunc Diſputatione ſecunda ad hodiernam praxim concinnata, & pluribus doctrinis aucta (ſine Auctoris nomine) *Mediolani*, *apud Agnellum*, 1735. *in* 12.

III. Lezioni ſopra il Sagro Libro de' Proverbj di Salomone recitate nel Duomo di Milano. MS. in Biblioth. Suorum Cœnobii S. Mariæ vulgò *del Giardino*.

A Suis.

## MCCCLXXXVII.

## RADAELLUS FRANCISCUS ANTONIUS.

FRanciſcus Antonius Radaëllus Mediolanenſis Clericale ab ineunte ætate Inſtitutum ſecutus, ſeriam Philoſophiæ dedit operam in majori patriæ Seminario. Verùm cùm ad Muſas colendas ſenſim raperetur poëticis ſtudiis ſe addixit. Romam poſtmodum petiit, ubi Academiæ Cœtum ingreſſus eſt, aſſumto Indefeſſi nomine, & ſic carminibus tam Latinis, quàm Italicis emicuit, ut magnam ſibi conciliaverit famam. In patriam regreſſus plures ingenii ſui fœtus protulit, de quibus infra meminimus, ſed ſacra potiſſimum argumenta ſelegit. Memorabilis eſt illius Hymnus in Sancti Sebaſtiani Martyris commendationem Jambico metro compoſitus, tantique habitus, ut in nova editione Breviarii Ambroſiani anno MDCXLVI. juſſu Cæſaris Cardinalis Montii Archiepiſcopi, inſertus fuerit, & hodie quoque inter divinas laudes concinatur ab hujus Eccleſiæ Clero. Curationem poſtea animarum in Vico Carugati plebis Vicomercati in Mediolanenſi Diœceſi exercens adhuc in vivis erat tunc cum Picinellus Athenæum ſuum publici juris fecit.

Scripſit præter Carmina plura Italica, & Latina, quæ perierunt:

I. Feſte Natalizie. *Milano*, 1645. Sacra ſunt Carmina Italica in Templo S. Sebaſtiani hujus Urbis canenda eodem anno, dum ibidem pia exercitia peragerentur.

II. Hymnus de Sancto Sebaſtiano Martyre. Habetur in Breviario Ambroſiano ad diem XX. Januarii. Incipit: Sebaſtiani Martyris &c.

Mentio illius occurrit in Vol. II. Operis P. Quadrii Soc. Jeſu, inſcripti „ Storia, e Ragione d'ogni Poeſia „ pag. 315., atque in præfato Picinelli Athenæo pag. 199.

## RAINERIUS. V. RAYNERIUS.

## RAINOLDUS. V. RAYNOLDUS.

## RAINONUS. V. RAYNONUS.

## MCCCLXXXVIII.

## RAMELLUS AUGUSTINUS.

CLariſſimi inter Mathematicos nominis Auguſtinus Ramellus primam vidit lucem in Pago Mazanzanæ Plebis Vallis Travalliæ in Diœceſi, atque Ducatu Mediolanenſi. Vix pueritiam egreſſus bonas artes ſic coluit, ut cùm mirabili præditus eſſet ingenio, jam tum quid eſſet futurus oſtenderet. Verumtamen, ubi poſt prima litterarum rudimenta, ad Matheſim convertit animum, tantum brevi profecit, ut inclareſcente peritiſſimi hominis famâ illum experierit Henricus Galliarum, & Poloniæ Rex, atque eximia mercede propoſita, ad Aulam ſuam acciverit. Ubi illuc pervênit, conceptam de ſe ſpem operibus longè ſuperavit. Quocirca militum Ducis honore à Chriſtianiſſimo Rege cumulatus, non pauca dedit bellicæ quoque fortitudinis argumenta. In Rupellenſi obſidione, lethali vulnere ſaucius cum ab hoſtibus captus eſſet, ipſum Rex magno redemit pretio, filiumque ejus interea Pariſiis fovit ſummæ benignitatis in patrem indicium præbens. Quin etiam, ut apertiùs oſtenderet, quanti apud ſe Ramellus eſſet, dum in Polonia moraretur ad ejus Regni Coronam evocatus, ad ipſum frequentes dedit Litteras, quarum Scriptor noſter in Nuncupatoria Operis ſui infra laudandi meminit. Studiis interea ſemper intentus Auguſtinus plura tam ad Machinamenta Hydraulica, quàm ad Militarem Architecturam pertinentia, aliaque id genus delineaverat; hæc plagiarii quidam domeſtici (ut ipſe conqueritur in Epiſtola ad Lectorem eidem Operi præfixa) clam ſurripientes, & inutilibus quibuſdam rebus marte ſuo vel additis, vel immutatis in lucem emiſere, nullâ Auctoris mentione factâ, imò alienos labores ſibimet ipſis tribuentes. Ea res Scriptorem impulit ad Opus ſuum edendum, atque oh utinam nobis datum eſſet de actibus quoque illius reliqua promere! Verùm, cùm fato ceſſerit (ut credimus) in Gallia, ne poſtremum quidem illius annum ſcire potuimus.

Damus igitur Operum ejus titulum:

I. Le diverſe, ed artificioſe Machine del Capitano Agoſtino Ramelli dal Ponte della Treſia, Ingegniero del Criſtianiſſimo Re di Francia, e di Polonia, nelle quali ſi contengono varj, ed induſtrioſi movimenti, degni di grandiſſima ſpeculazione, per cavarne beneficio infinito in ogni ſorte d'operazione: Compoſte in lingua Italiana, e Franceſe. *A Parigi*, *in Caſa dell' Autore*, 1588. *in fol.* Verſa Frontiſpicii pagina Auctoris effigiem refert, ſtantibus hinc inde Marte, ac Pallade; ſupernè verò hæc legitur Inſcriptio:

AVGVSTINVS DE RAMELLIS DE MAZANZANA

AETATIS SVAE ANNO LVII.

Poſt Nuncupatoriam legitur eruditiſſima Diſſertatio hoc titulo:

II. Dell' eccellenza delle Mattematiche, ove ſi dimoſtra quanto elle ſiano neceſſarie all'acquiſto di tutte l'Arti liberali.

III. Di-

XII. Diſegni intorno alle Fortificazioni. Harum delineationum librum prelo jam paratum, ſibi raptum fuiſſe, dolet Auctor in citata Epiſtola ad Lectores in eodem Opere.

Cæterum Codex iſte verè inſignis Tabulas continet æreis formis expreſſas num. CXCV. in queis neque ingenium Scriptoris, qui explicationes addit utraque lingua Gallica ſcilicet, atque Italica, neque Inciſoris ſtudium deſideratur.

Agit de ipſo Lazarus Auguſtinus Cotta in Chorographia Verbani Lacus ad Maccaneum lib. II. cap. 2. pag. 39. art. 50. & Sitonus noſter in Schedis.

## MCCCLXXXIX.

### RAMPINUS CAROLUS STEPHANUS.

MAgnum ſibi nomen acquiſivit inter J. PP. Mediolanenſes Carolus Stephanus Rampinus Benedicti Cauſidici Collegiati, ac Civitatis Mediolani Syndici, necnon Lauræ Antoniæ Olivatiæ conjugum filius; nam Cauſarum Patronus eximius florebat annis proximè elapſis, & elegantiſſimam Bibliothecam ſibi magno ſumptu comparavit non tantùm Codicibus Legalibus, ad quorum marginem ut plurimùm leguntur notæ Rampini noſtri ſatis proficuæ, ſed etiam hiſtoricis, atque eruditis ſummopere refertam, cujus partem acquiſivit Ambroſiana Bibliotheca poſt ejus deceſſum. In materia Feudorum maximè inſudavit, ita ut Conſilia ipſius de rebus Juriſdictionalibus ſint magni facienda, & utinam cum aliis ejuſdem Juris Allegationibus in lucem aliquando prodiiſſent! In rebus arduis etiam à ſummo rerum Italicarum Cæſaris Arbitro adhibitus fuit, & ſignanter pro Comitatu Novellariæ. Obiit annorum plenus anno MDCCXXXIV.

Hæc de ejus doctrina ſuperſunt:

I. Repertorium Legale à pluribus Auctoribus excerptum etiam ad Hiſtoriam Legum, ad Jus publicum, & ad materiam Feudorum præcipuè ſpectans. MS. optimæ notæ Volumina X. in fol. extant in Bibliotheca Ambroſiana.

II. Allegationes plures tam MSS. quàm impreſſæ. Extant pro majori parte apud Marchionem Paulum Emilium Olivatium Regii Fiſci Patronum, & in Collectionibus J. PP. Mediolanenſium à nobis pluries citatis, de quibus Volumen integrum edi potuiſſet.

A

## MCCCXC.

### RAMPINUS de S. ALOSYO HENRICUS.

HEnricus Franciſci de Sancto Alodio, ſeu Aloſyo filius, quem alii meliùs Rampinum, alii Scotum cognomento fuiſſe tradunt, in Urbe Derthonenſi primam vidit lucem. Multâ eruditione tam ſacrâ, quàm profanâ excultus fuit, & divinis obſequiis inter Clericos ſe devovens, ad plures regendas Eccleſias aſſumi promeruit. Nam primùm anno MCCCCXIII. ſedente in Apoſtolico Throno Joanne XXIII. Pontifice VI. Id. Martii Derthonenſis Epiſcopus eſt

B

renunciatus, qua dignitate dum fungeretur, Philippo Mariæ Vicecomiti Caſtrum Surlæ cum pertinentiis, mero & mixto imperio, juriſdictione, & regalibus, feudali nomine olim à Joanne Epiſcopo anno MCCCLXXXVI. Joanni Galeacio conceſſum, confirmavit, cujus rei Tabulas vulgavit Ughellus loco citando. Præfuit eidem Eccleſiæ ad annum uſque MCCCCXXXVII Mox ad Papienſem translatus eſt Sedem, ſuccedente ſibi in Epiſcopatu Derthonenſi Joanne Barbavaria Mediolanenſi. Defuncto poſtmodum laudatiſſimo Ambroſianæ Eccleſiæ Præſule Franciſco Piccolpaſſo (de quo jam ſupra egimus) anno Salutis humanæ MCCCCXLIII. Pontifice Eugenio IV. illi ſufficitur IX. Kal. Septembris. Ob ſpectatam deinde morum integritatem, atque in Jure Canonico, &

C

Theologia doctrinam, ab eodem Eugenio IV. die XVI. menſis Decembris, anno MCCCCXLVI. Henricus ad Sacram Purpuram evocatur, collato Sancti Clementis titulo Presbyterali. Fuit in pauperes munificus adeò, ut domeſticam ſuppellectilem pretioſiſſimam eis alendis in ſumma egeſtate contulerit poſt ſæviſſimam peſtem, quæ ipſo ſedente Mediolanum vexaverat. Apoſtolicam illius Legationem Ripamontius loco citando refert, eaque commendat, quæ de Xenodochiis, ac Noſocomiis conſtituit, ut infra dicemus. Romæ cum degeret die IV. Julii, anno Chriſti MCCCCL. ætatis ſuæ LX. migravit è vita. Conditus jacet in Eccleſia tituli ſui, hoc celebratus Elogio, ex quo patet quantæ fuerit pietatis Vir, quidque reſponderit flagitantibus, ut morti vicinus Teſtamentum conderet.

HEV DECVS HEV LVMEN TIBI NVNC DOMVS INCLYTA SANCTO
DE ALLOSIO PERIIT TVVS IPSE COLENDVS HENRICVS
HAC REQVIESCIT HVMO PRIMVM QVI TEMPORE LONGO
PRAESVL IN VRBE FVIT TERDONAE DEHINC-QVE PAPIAE
POST MEDIOLANI SACER ARCHIEPISCOPVS INDE
PRO VIRTVTE SVA RVBEO FVIT ECCE GALERO
PER PAPAM EVGENIVM DONATVS IN ORDINE QVARTVM
HIC PIVS HIC SAPIENS HIC IVSTVS CASTVS HONESTVS
SERVORVMQVE DEI PROTECTOR IN OMNIBVS ARDENS
HIC TESTAMENTVM RENVIT SIBI CONDERE DICENS
CVNCTA FORE ECCLESIAE SE CVNCTA RELINQVERE CHRISTO
QVI DEDIT AC TANDEM CVM SEXAGINTA SVBISSET
ANNORVM AETATEM IVBILEI TEMPORE SANCTI
MILLE QVADRINGENTIS ET QVINQVAGINTA SVB ANNIS
ATQVE DIE QVARTA IVLII DEVOTVS ET ALMVS
SPIRITVS ILLE SVVS FELIX SVPER ASTRA VOLAVIT.



Digitized by Google

Ipſi quoque funus ſolemne celebravit in Eccleſia SS. Petri & Pauli, cui cognomen *in Glaſſiate*, hujus Urbis Monachorum ibi degentium Cœtus, ut teſtem habemus Pucinellum loco inferiùs citando. Cùm verò Mediolani reſideret, habitare conſueverat in Canonica S. Stephani Protomartyris.

Laudatur ob

I. Leges, & Inſtituta, quæ petentibus Urbis hujus Decurionibus pro Xenodochiorum regimine tulit. Illa Nicolaus V. confirmavit, & approbavit. In his etiam omnis piarum domuum adminiſtratio Archiepiſcopo tribuebatur, qui per tempora deligeret è Patriciis Viros XL. quibus earum regimen demandaretur. Hæc hauſimus è Ripamontio.
Meminerunt tanti Præſulis Ughellus Ital Sacræ Tomo I. in Papienſ. & Tomo IV. in Derthon. & Mediolanen. Ciacconius Tomo II. inter Cardinales Eugenii IV. Spelta de Epiſcopis Papien. Pucinellus in Chron. Glaſſiatenſ. pagg. 85. & ſequentibus. Ripamontius in Hiſt. Urbis Mediol. lib. VI. aliique plures.

## MCCCXCI.

## RAMPONUS ANTONIUS.

ANtonii Ramponi Mediolanenſis, quamvis omnem excuſſerimus quercum, nobis non licuit parentes, idque genus alia, quæ in cæterorum hujus Collectionis Eruditorum Elogiis dedimus, invenire. Verùm illius eruditionem ex infra citando Opere ſatis perſpectam habuimus, ubi pro Sæculi, quo vixit, more, non ſpernenda reliquit doctrinæ veſtigia. Plurimùm coluit nobilem Mazentarum Familiam, cujus Viros eruditos loco ſuo jam commendavimus. Ideo cùm Guidus eodem genitus ſanguine ad Infocatorum Academiæ principatum evectus eſſet anno MDCXXXVIII. ut obſequium ſuum teſtaretur Antonius noſter, ſequens vulgavit Opus, in quo tam Guidi, quàm aliorum ejuſdem Gentis merita proſecutus eſt.

Hoc prænotatur titulo:

I. Virtutis Templum, & Honoris. Sermo Panegyricus habitus in renunciatione Guidi Mazentæ principis Academiæ Infocatorum. *Mediolani, apud Gariboldum*, 1638. *in* 8.
II. Elogia XII. Illuſtrium Mazentarum. Habentur in eodem libro.
De eo breviſſimè Picinellus in Athenæo pag. 48.

## MCCCXCI.

## RAMPONUS HIERONYMUS.

EX Joanne Antonio Rampono Mediolanenſi, honeſtæ Familiæ viro, natus eſt Hieronymus nunc laudandus, qui à teneris, ut ajunt, unguiculis bonis inſtructus artibus, utrique Juri ſedulam navavit operam; meritò propterea laureæ ornamento inſignitus. Inter Clericos relatus, atque Sacerdotium adeptus, in Apoſtolorum vetuſtiſſima Baſilica, quæ Sancti Nazarii nuncupatur, Canonicalem præbendam obtinuit; neque tamen à Foro, præſertim Eccleſiaſtico, abſtinendum ſibi duxit; quidquid à divinis laudibus, & Templi miniſteriis ſupererat temporis, ſcribendo, & libris evolvendis impendens. Varia elaboravit ad clientium ſuorum commodum, verùm inter ſcripta illius excellit, quod ad defendendam Eccleſiaſticam libertatem, immunitatemque tuendam exaravit, ut infra memorabimus. Celeberrimi igitur, atque egregii jure cognomen ſibi comparavit, quamdiu in terris floruit, ab anno ſcilicet MDCXXXII. uſque ad MDCLXXVII. quo migravit è vita.

His poſt ſe relictis:

I. Celeberrimi, ac egregii J. U. Conſulti Hieronymi Ramponi Mediol. U. J. Conſilium, & Reſponſum deciſivum pro Eccleſiaſtica libertate, & immunitate ab oneribus ſuper portione colonica. *Romæ, ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ*, 1630. *in fol.* Extat etiam in Catena Aurea Hieronymi Gattici Tom. II. pag. 621.
II. Allegationes plures apud JCC. Mediolanenſes in eorum Collectionibus ſæpe citatis.
De eo humaniſſimus Sitonus in Schedis.

## MCCCXCII.

## RANCATUS CAROLUS.

CArolo Rancato natale ſolum fuit inſigne Oppidum Variſienſe, in Ducatu Mediolanenſi, ubi etiam litterarum tyrocinium poſuit. Cùmque jam plurima daret in minoribus ſtudiis doctrinæ ſpecimina, Ticinum miſſus, inter Alumnos celeberrimi Collegii Ghisleriorum, quod Sanctiſſimus Pontifex Pius V. ibidem excitavit, computatus eſt. Cæſareo, Canonicoque Juri in ejuſdem Urbis Archilyceo diligentiſſimè vacavit ſub laudatiſſimis Præceptoribus Antonio Merenda, atque Aloyſio Franco Carillo tunc illius Archigymnaſii Profeſſore primario, ac poſtmodum Regio Inſubriæ Senatore, qui etiam Rancatum eloquenti Oratione commendavit tunc cùm emeritæ illius fronti adorea decreta fuit. Sacris exinde Scriptor noſter ſe mancipavit, mox Apoſtolici Protonotarii dignitate cumulatus, & Inſigni Canonicorum S. Victoris Variſienſi Collegio Præpoſitus præfuit, atque ſacris in Roſtris frequentiſſimè cum laude dixit ad populum, præcipuè verò cum Panegyres Cœlitum recitaret. Adhuc mortalis erat Athenæum ſuum ſcribente Picinello,

Illius hæc ſunt Opera:

I. Il buon Romeo, o ſia il Pellegrino Apoſtolico. *Milano per il Monza*, 1666. Hanc Rancatus habuit in Metropolitana hujus Urbis Baſilica die Feſto S. Caroli, eodem anno. Dicata fuit Alphonſo Cardinali Littæ Ambroſianæ Eccleſiæ Archiepiſcopo.
II. Panegirico nella promozione al Cardinalato dell' Eminentiſſimo Signor Conte Vitaliano Viſconti. Utrum edita fuerit, necne Picinellus non indicat.
III. Impreſe in gran numero. Inſertæ ſunt in Opere ejuſdem Picinelli, cui titulus: Mondo Simbolico.
IV. Carmina plura Italica, ad earundem Impreſiarum elucidationem. Habentur ibidem.
V. Sacri diſcorſi da lui compoſti, e recitati. MSS. apud Auctorem, unde juſtæ molis Volumen effici potuiſſet ipſo Picinello teſte.
Videndum Picinelli cit. Athenæum pag. 127.

MCCCXCIII.

Digitized by Google

## MCCCXCIII.

## RANCATUS HILARION.

Hilarion Rancatus natus eſt Mediolani ex honeſtis parentibus, anno Incarnationis Dominicæ MDXCIV. IV. Nonas Septembris, ipſo meridie. Ciſtercienſium Monachorum habitum in Cœnobio Charævallenſi ſuſcepit. Confecto autem tyrocinio ad Sancti Ambroſii Aſceterium Mediolanenſe translatus, Philoſophiæ, & Græcæ, atque Hebraicæ linguæ operam dedit. Salmanticam poſtea ſe contulit ad altiora Theologiæ ſtudia perdiſcenda, & quadriennii curſum eo progreſſu confecit, ut miraculi loco apud omnes ipſe haberetur. Quare Magiſter deſignatus in patriam remeavit. Munus tamen implere per valetudinem nequaquam potuit. Romam inde profectus linguis Arabicæ, & Syriacæ, Victorio Scialæ Accorenſi Maronita præceptore operam navavit. Per Urbem cœpit emanare fama tanti Viri, & ad aures Pauli V. Pontificis Max. pervenit, ſtatimque eum Paulus aggregavit celeberrimo ſummorum Theologorum conventui, inſtituto ad examinandos nonnullos Syriacos libros de ratione formuliſque precandi. Cœtui præerant tres inſigni eruditione præditi Cardinales, ſcilicet Octavius Bandinus, Robertus Bellarminus, & Alexander Urſinus. Hìc autem Rancatus tot tantaque ingenii ſpecimina exhibuit, ut omnibus ſtupori eſſet, ac præcipuè Bellarmino, qui tanti eum faciebat, quanti ejus ætatis neminem. Exinde cœptus eſt adhiberi ad maximas Eccleſiæ curas, & ſuper ipſis ſententiam rogari, regnantibus Gregorio XV., & Urbano VIII. Ab hoc primùm adſcitus eſt cum aliis peritiſſimis Viris ad verſionem Vulgatæ latinæ in Arabicum Idioma, & in arduo Opere diu præ ceteris inſudavit noſter Hilarion. Hinc Sancti Officii Qualificator renunciatus, diligentiam, ſcientiam, prudentiamque ſuam Orbi toti mirè probavit. Quare ad extraordinarias Sacræ Theologiæ Controverſias, quæ ſæpè intercurrebant, ab Eminentiſſimo Franciſco Barberino aſſiduè vocabatur, & Abbas Monaſterii S. Crucis in Jeruſalem, Urbano id jubente Pontifice creatus eſt. Verùm cùm non modò ſcientiarum gloriâ, ſed etiam ſanctimoniæ famâ inclareſceret Rancatus, ipſi demandata eſt ab eodem Urbano provincia luſtrandi cum cenſorio munere Camaldulenſem Eremum ſitam in jugis Appennini. Paucos etiam poſt annos præfuit eorumdem Patrum Camaldulenſium Comitiis generalibus. Capitulo quoque generali Patrum Auguſtinianorum, qui Excalceati dicuntur, præſedit loco Eminentiſſimi Cardinalis Pallotti, ejus Ordinis Protectoris, graviſſimis aliò curis diſtenti. Primus poſtea Sacræ Rituum Congregationis Conſultor inſtitutus eſt ab Urbano, & mortuo Ulpiano Ulpio inter S. Officii Conſultores A adlectus. Quin inter Prælatos Apoſtolicæ Viſitationi præpoſitos numeratus, & decedente Buccabella Auditore Rotæ, qui erat à Secretis Congregationis Cardinalium ſuper Eccleſiæ Britannicæ negotiis, in ejus locum ſuffectus eſt. Cùmque Viſitatores Apoſtolici Innocentio X. multi in Urbe graveſque eſſent, ipſe nullo vacante loco, inter eos extra ordinem eſt cooptatus; quod tertium ei maxima cum laude contigit ſub Alexandro VII. In ea autem celeberrima, quæ Innocentii tempore de Janſenii erroribus Congregatio fuit inſtituta, Hilarion primas inter Theologos tenuit, & Suffragii prærogativam tulit. Illud ſummæ vertendum eſt laudi, quod Hilarionis ſententia in qualibet quæſtione vim apud omnes haberet, ponduſque præjudicii. Fuit etiam Hilarion Procurator Generalis B ſuæ Congregationis in Urbe: fuit & Præſes, & mirum eſt quantum ſemper Ciſtercienſi Ordini profuerit. Una ei defuit proſpera valetudo. Contraxit quippe ex nimia contentione ſtudendi, dicendi, & diſputandi hypocondriacos primùm morbos, deinde Podagram, & Chiragram, quæ eum ſemper vexabat, & interdum ſcribendi uſum auferebat. Patebant tamen illius fores conſultantibus, nam ad eum graviores illuſtrioreſque cauſæ afferebantur. Rarò exibat dies, quin ad eum aut Cardinalis, aut Orator, aut Princeps vir aliquis veniret. Nemo ferè fuit Catholicus in Europa Princeps, qui eum aut per Litteras non ſalutaret, aut per ſuos Oratores non conſuleret. Ipſæ integræ, ſeveræque Reſpublicæ, Patrum Conſiliis abundantes, ſæpe eum de domeſticis, C & graviſſimis rebus conſuluerunt. Quodque in primis animadvertendum, ipſimet Pontifices Romani, viva fidei oracula, Hilarionem frequenter ad ſe vocare, ſua ei ſenſa aperire, & judicium ſuper graviſſimis cauſis poſcere, eumque dicentem audire, & dicentis probare ſententiam ſingulari in eum dignatione voluerunt. Et quidem Alexander VII. multum eo utebatur, ſæpe ad ſe venire jubebat, & cum voluptate audiebat, detinebatque apud ſe diu, atque magna cum ſignificatione benevolentiæ dimittebat. Inclytus ſanè antiquitatis amator fuit Rancatus, & novitatis oſor acerrimus. Donata ſibi à Catholico Rege congiarii ſacri nomine millia octo aureorum ex integro Monaſterio Sanctæ Crucis ad expenſas extructionis Eccleſiæ, & Domeſticos paratus aſſignaD vit. Graviſſimo correptus morbo, octoginta integros dies cum ipſo luctatus eſt, & incredibili pietate mortem ſubiit, inter Suorum S Crucis in Jeruſalem (quod quidem Monaſterium tunc Abbas moderabatur) Cœnobitarum manus animam reddens, anno MDCLXIII. die XVII. Aprilis: annos natus LXIX. menſes ſeptem, dies quindecim. Tertio poſt obitum die in Cœnobii ſui Eccleſia ſolemni pompa ipſi juſta perſoluta ſunt, univerſa penè Urbe, ac ex omnium ordinum Viris, ac Prælatis adſtantibus. Funebrem Orationem habuit diſertiſſimus P. Franciſcus Macedo, Luſitanus, Minoris Obſervantiæ Lector Jubilatus, quæ Romæ quoque edita eſt typis *Philippi Mariæ Mancini*. Tandem in ſubterraneo S. Georgii Sacello conditus eſt ſub hac Inſcriptione:

XPΩ
PRIMOGENITO MORTVORVM
H. S. E.
D. HILARION RANCATVS
MEDIOLANENSIS MONACHVS CISTERCIENSIS
HVIVS COENOBII ABBAS
ET TANTVM NON AVCTOR
PIETATE DOCTRINA LINGVARVM PERITIA
INSIGNIS
SALMANTICAE ERVDITVS ROMAE INNOTVIT
IN CONGREG. S. OFFICII AC SACRA RITVVM
CONSVLTOR
CONGREG. SVPER ECCLESIA BRITANNIAE A SECRETIS
SVI ORDINIS PROCVRATOR AC PRAESES GENERALIS
CAMALDVLENSIS EREMI VISITATOR
IN EIVS FAMILIAE COMITIIS GENERALIBVS PRAEFVIT
IN RECOGNITIONE LIBRORVM SYRIACORVM
VERSIONE ARABICA BIBLIORVM
EXPLICATIONE CONTROVERSIARVM FIDEI
QVINQVE SVMMIS PONTIFICIBVS
PAVLO V. GREGORIO XV.
VRBANO VIII. INNOCENTIO X.
ALEXANDRO VII.
EXIMIE PROBATVS
VIXIT ANNOS LXIX.
OBIIT XVII. APRILIS AN. MDCLXIII.
CONGREG. ORD. CIST.
OFFITII ERGO H. EI M. P.

Hanc porrò Inſcriptionem antequam lapidi incideretur, Alexander VII. Pontifex Maximus, non tantum legere voluit, quàm etiam nonnullis ſuo marte additis, ac propria manu ſcriptis, illuſtriorem reddere. Juvat autem hîc aliqua oculis ſubjicere, quæ Macedo in citatâ Oratione protulit, ubi inter reliqua pag. 12. hæc habentur: „ Equidem in clariſſimam Ciſtercienſem „ Familiam mentis oculos conjiciens, & quos illa „ multos, & præclaros doctrinâ, & religione Viros „ tulit, memoriâ repetens, illud confirmo, uno ex„ cepto Bernardo, divino, planè, & extra omnem „ comparationis aleam poſito, paucos eam in tanta „ multitudine pares Hilarioni noſtro tuliſſe, ſupe„ riorem neminem. „ Animadvertendum quoque illud eſt, quod pag. 11. & 12. ait: „ Verùm cùm „ tam multa, tamque præclara ſcripſiſſet, nihil ta„ men typis mandavit; cujus mihi rei cauſas inqui„ renti occurrunt duæ: altera, quod ei graviſſimis „ ſemper curis occupationibuſque diſtracto, ad eden„ da opera otium non fuit: altera, quod cùm ea, „ quæ ſcribebat, ſecretiora, & ſacratiora eſſent, „ non licuit publici juris facere &c. „ Scripta hujus Doctiſſimi Viri non tantum nos vidimus Voluminibus

A

B

XXXVI. comprehenſa in fol. in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium D. Ambroſii hujus Urbis, verùm & alia quoque ab Abbate Franco Ferrario, de quo jam egimus, collecta, necnon apud Suos in Oppido Caravagii diligentiſſimè cuſtodita, quæ perattentè deſcripta hîc voluimus, ut infra:

Vol. I. pagg. 615. conſtans, hæc continet

I. De varia Pontificis electione; ad Onuphrium Panvinium, cum reſolutione variarum Quæſtionum de eadem materia.

II. De prærogativa Patriarchalium Sedium Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ.

III. De redditibus Eccleſiaſticis.

IV. De Matrimonii indiſſolubilitate, atque diſpenſatione.

Vol. II. pagg. 688. continet

V. Examen Controverſiæ de Conceptione B. M. V. cum Teſtimoniis Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum.

Litteræ Regis Hiſpaniarum ad Auctorem, cum aliis Documentis, pro cognitione ſtatus prædictæ Controverſiæ ab Auctore, inſtante Rege, agitatæ coram Summo Pontifice, & Sacra Congregatione.

Vol.

Digitized by Google

A

Vol. III. pagg. 500. continet.

VI. De Efficacia Divinæ Gratiæ contra Janſenium; examinatur Doctrina Antonii Arnaldi, cum variis librorum Cenſuris in eadem cauſa; coram Summo Pontifice, & Sacra Congregatione.

Vol. IV. pagg. 507. continet.

VII. Confutatio libri Janſenii Yprenſis Epiſcopi, cui titulus *Auguſtinus*, unà cum Epiſtola Joannis Bollandi contra Janſenium, necnon Oratione DD. Pariſienſium in Cauſa V. Propoſitionum de Gratia coram Pontifice habita die XIX. Maji MDCLIII. additis Bullis, Decretis, Epiſtolis, atque Documentis ad eam Controverſiam ſpectantibus.

Vol. V. pagg. 532. continet.

VIII. Varia circa præcedentiam inter Conſultores S. Officii Romæ: de præcedentia Inquiſitorum, & de Dignitate Abbatiali, aliaque ad Officium S. Inquiſitionis pertinentia.

B

Vol. VI. pagg. 602. continet.

IX. Animadverſiones ad Liturgias favore Euchologii Græcorum; nonnulla etiam pertractantur circa unionem Eccleſiæ Græcæ, aliarumque Schiſmaticarum cum Romana.

Vol. VII. pagg. 652. continet.

X. Caſus plures pro Evangelica prædicatione in Imperio Sinenſi, & Japponenſi, qui examinantur, & reſolvuntur.

XI. Diſcutiuntur etiam plura ad Hæreſim Neſtorii, & aliorum Orientalium Hæreticorum ſpectantia.

XII. Diſſertationes duæ circa Verſiones Bibliorum in linguas Orientales.

XIII. Cenſuræ variorum librorum tam Hebræorum, quàm Armenorum.

Vol. VIII. pagg. 426. continet.

XIV. Grammatica Syriaca, & Arabica, necnon Lexicon Arabicum, & Syriacum.

C

XV. Varia ad Monaſterium Charævallenſe ſpectantia.

Vol IX. pagg. 551. continet.

XVI. Quæſtiones ad Regulares pertinentes, præcipuè in materia Contractuum, cum earumdem Reſolutionibus.

XVII. Cenſuræ variorum librorum in eadem materia.

Vol. X. pagg. 534. continet

XVIII. Notæ in Regulam S. Benedicti, atque plura ad Monachos Ciſtercienſes pertinentia, unà cum variis Privilegiis, atque Decretis Summorum Pontificum ad eumdem Ordinem ſpectantibus.

XIX. De Correctione, & uſu Breviarii Ciſtercienſis.

Vol. XI. pagg. 565. continet.

XX. Tractatus in pr. part. D. Thomæ.

XXI. Miſcellanea varia, inter quæ Inſtructio pro Comite Carolo Archinto Senatore Mediolanenſi ad Dietam Germanicam pro Rege Catholico

D

deſtinato, ab Auctore, jubente Pontifice, compoſita. De ea in Archinto jam diximus.

XXII. Cenſuræ diverſorum librorum.

XXIII. Relationes variarum Provinciarum pro Congregatione de Propaganda Fide.

XXIV. Quædam ad Præmonſtratenſes, Carmelitas, Cœleſtinos, alioſque Ordines Regulares ſpectantia.

Vol. XII. pagg. 512. continet.

XXV. Documenta pro Canonizatione F. Andreæ Pepoli Ordinis Minimorum, B. Felicis Capuccini, Glicerii Landriani Mediol., B. Stanislai Koſtkæ, aliorumque plurium.

Vol. XIII. pagg. 509. continet.

XXVI. Alia Documenta pro Canonizatione aliorum Beatorum, inter quos B. Gregorii Vicecomitis Papæ X. Joannis à Capiſtrano, & Alexandri Sauli.

Vol. XIV. pagg. 515. continet.

E

XXVII. Alia Documenta pro Canonizatione aliorum, præcipuè B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Franciſci Borgiæ, & Philippi Benitii.

XXVIII. Diſſertatio de Adventu S. Jacobi Apoſtoli in Hiſpaniam.

XXIX. Alia pro Correctione Breviarii Romani, &c.

Vol. XV. pagg. 573. continet.

XXX. Tractatus de Juramento fidelitatis Regi præſtando.

XXXI. Plura ad Eccleſiam Anglicanam ſpectantia.

XXXII. De Epiſcopis Angliæ.

Vol. XVI. pagg. 578. continet.

XXXIII. De Facultate Miſſionariorum in Anglia, cum Viſitationibus Auctoris, jubente Pontifice, in eodem Regno factis.

Epiſtolæ Gregorii Panzani Commiſſarii Apoſtolici in Anglia, partim ad Auctorem, partim ad alios Curiæ Romanæ.

Vol. XVII. pagg. 531. continet.

XXXIV. Viſitatio Monaſterii S. Pudentianæ in Urbe, aliaque ſpectantia ad Reformationem Camaldulenſium in Hetruria; Auctor tunc erat annorum XXXIII.

Vol. XVIII. pagg. 550. continet.

XXXV. Conſultationes variæ pro negotiis Ordinis Ciſtercienſis, cum pluribus Epiſtolis ad idem attinentibus.

Vol. XIX. pagg. 528. continet.

XXXVI. Varia Examina pro Congregatione Ciſtercienſium Lombardiæ.

XXXVII. Viſitationes Monaſteriorum quorumdam.

XXXVIII. Tractatus de reverentia Templis debita.

XXXIX. Conſultationes variæ.

Documenta pro Auctoris Vita.

Varia Elogia in ejus commendationem tam Italica, quàm Maronitica lingua conſcripta Academiæ Induſtrioſorum Montis Oliveti Majoris.

Index ipſius Bibliothecæ, in quam pluſquam tria millia Codicum intulerat, inter quos eminent variæ Editiones Bibliorum rariſſimæ, aliæque MSS. quas inter una linguâ Syriacâ, duobus magnis Voluminibus, alia Arabica, alia Antiochena, alia Alexandrina. Plurima Miſſalia, atque Breviaria Maronitarum, & Syrorum Manuſcripta, ſicuti & vetuſtiſſimum Miſſale Ambroſianum, aliud Carmelitarum, atque Ciſtercienſe, & variarum Hiſpaniæ Eccleſiarum: Conſtitutiones ferè omnium Ordinum Regularium. Legi etiam inter alios MSS. Codices hujus Indicis Jo. Petri Puricelli Appendicem ad Horatium Landum de Senatu Mediolanenſi, de quo jam in Puricello diximus.

Vol. XX. pagg. 490. continet.

XL. Tractatus de Juſtitia, & Jure.

XLI. De Incarnatione.

XLII. Variæ Diſſertationes, inter quas una de Sanctis Gervaſio, & Protaſio.

Vol. XXI. pagg. 480. continet.

XLIII. Alvari de Ocha libellus contra Pontificiam Poteſtatem, cum Auctoris Cenſuris.

XLIV. Diſſertatio an Papa ſit ſupra Concilium.

XLV. De Forma Baptiſmi Chaldæorum, Neſtorianorum, aliorumque Hæreticorum ad ſinum Eccleſiæ convolantium.

XLVI. Aliæ Cenſuræ librorum variorum.

XLVII. Varia ad Religionem in Anglia pertinentia.

Vol. XXII. pagg. 550. continet.

XLVIII. Conſultationes nonnullæ ad Ordinem Ciſtercienſium ſpectantes, cum Privilegio Tadonis Archiepiſcopi Mediolanenſis favore Abbatiæ Sancti Ambroſii Majoris, anno DCCCLXVI.

Bullæ, & alia ad Monaſterium Morimundi pertinentia.

XLIX. Cenſuræ variarum propoſitionum.

Vol. XXIII. pagg. 365. continet.

L. Epiſtolæ octo Monachorum Ciſtercienſium Galliæ ad Auctorem, cum ejuſdem reſponſis.

LI. Variæ Viſitationes Monaſteriorum ejuſdem Ordinis.

Vol. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. & XXVII. continent.

LII. Epiſtolæ num. MLXIV. variorum ad Rancatum, & ejuſdem ad varios. Plures verò ſunt Alexandri VII. Summi Pontificis, Leopoldi Cæſaris, Philippi IV. Hiſpaniarum, Uladiſlai IV. Bohemiæ, Joannis Caſimiri Poloniæ Regum, plurimorum Cardinalium, & Præſulum, atque Eruditorum, nempe Lucæ Vadinghi, Theophili Raynaudi, Joannis Morini, &c.

Vol. XXVIII. XXIX. XXX. & XXXI. continent.

LIII. Repertorium Univerſale: primum Vol. conſtat pagg. 429. ſecundum 480. tertium 658. quartum 398. ſingulis annexus eſt Index.

Vol. XXXII. & XXXIII. continent.

LIV. Repertorium Scripturale: pagg. 1028. cum Indice.

Vol. XXXIV. pagg. 738. continet.

LV. Auguſtinus, ſive Repertorium de Gratia. Opus verè aureum.

Vol. XXXV. continet.

LVI. Nomenclator Syriacus.

Vol. XXXVI. continet.

LVII. Repertorium Theologicum ex D. Thoma.

Hæc omnia ſunt in ſupradicta Bibliotheca Suorum Mediol. ſequentia verò ſunt in Bibliotheca Caravagii, ut diximus, inter MSS. Franchi Ferrarii.

LVIII. Annotationes in L. Cum Vir. 31. Cod. ad L. Juliam de Adulteriis. MSS.

LIX. Cenſuræ ad Vitam S. Auguſtini Auctore P. Joanne Riccio Soc. Jeſu.

LX. Vota Sacræ Congreg. pro Dubiis Miſſionariorum, cum Notis Hilarionis noſtri.

LXI. Cenſura d'una Predica, che pare a favor di Gianſenio.

LXII. Cenſura ad Doctrinam Arabicam Roberti Bellarmini.

LXIII. Cenſura ad Calvinum de Inſtitutione Chriſtianæ Religionis, Cap. XVII. quod eſt de Sacramentis.

LXIV. De Scientia Dei Tractatus.

LXV. Annotationes in librum D. Hieronymi de Auxiliis.

LXVI. Nova Europæ Deſcriptio.

LXVII. Mandragora quid ſit.

LXVIII. De Linguarum, ac Vocabulorum variatione.

LXIX. Votum pro Pontificatu Alexandri VII. in Conclavi habitum.

LXX. Italorum infamiæ nota apud Gallos.

LXXI. Quomodo Regulares ab eorum regulis differant.

LXXII. De obligatione Commemorationis B. Mariæ.

LXXIII. De ſanctitate Ordinis Ciſtercienſis, anno MCCXL.

LXXIV. De Divo Beltramo Abbate Cerreti.

LXXV. De quibuſdam Clericis ſanctitatem ſimulantibus.

LXXVI. Quomodo citetur Jus Canonicum.

LXXVII. De Mammea Imperatrice Alexandri Severi matre.

LXXVIII. De uſu Calceamentorum clavis ferreis confixorum.

LXXIX. Ad Illud Lucæ Cap. II. *Et erat ſubditus illis.*

LXXX. Ad Laminas Granatenſes.

LXXXI. Ad Monaſticum Ciſtercienſe Animadverſiones.

LXXXII. De Scriptoribus Eccleſiarum Mediolani.

LXXXIII. Notæ de Cardinalibus Titularibus Sanctæ Crucis in Jeruſalem.

LXXXIV. De Privilegio Abbatis Ciſtercienſis, & quatuor primorum Abbatum conferendi Subdiaconatum, & Diaconatum.

LXXXV. Encœniare quid ſit.

LXXXVI. Utrum Regulares extra Clauſtra poſſint validè confiteri Confeſſario.

LXXXVII. Additiones, & Poſtillæ ad Ciacconium de Cardinalibus in Tom. I. & II.

LXXXVIII. Paradoxus homo quis ſit.

LXXXIX. De Monaſterio, & Abbatia Charævallis Mediolani.

XC. Euchariſtiam ſumere per ſemetipſum an liceat.

XCI. An Sacerdos, qui tenetur ex ſtipendio ad ſolam præſentiam, poſſit aliud ſtipendium accipere pro Sacrificio.

XCII. Super uſufructu Bonorum Religioſo per Summum Pontificem collato non habenti proprietatem.

XCIII. Diſtinctio Juris, & Facti pro Janſenio.

XCIV. Acta Capitularia, & Viſitationis habita Parmæ annis MDCXXXVI., MDCXXXVII., MDCXLV., & MDCLIX.

XCV. Acta Capitularia habita Ferrariæ annis MDCXXXVIII., & MDCXLVIII.

XCVI. Acta in Monaſterii Sancti Ambroſii Mediolanenſis Regimine MDCXXXIX.

XCVII. Acta in Monaſterio Charævallenſi MDCXL., & MDCLIX.

XCVIII. Acta in Monaſterio Florentiæ MDCXLI.

XCIX. Iſtuzione al Preſidente del Capitolo di Calabria l'anno MDCXLVI.

C. Epiſtola ejuſdem typis edita, extat inter Antonii Arnaldi Epiſtolas Tom I. pag. 359. ſcripta die XXIX. Octobris MDCLXI., in qua deſiderium explicat, quod idem Arnaldus Conſtitutionibus Pontificiis aſſenſum præſtet, hujuſque characterem, & motiva, quibus in parte Janſenii detinebatur, exponit.

Exercitium Spirituale à Fidelibus Orientalibus amplectendum, & frequentandum, à quodam Religioſo Obſervantiæ Strictioris Sancti Franciſci, ad Abbatem D. Hilarionem Rancatum, impreſs. in 8. in quo ipſe dicitur verſatiſſimus in Linguis Arabica, Chaldaica, Syriaca, Græca &c. Liber eſt totus Arabicus.

Indicem omnium MSS. quos Auctor noſter poſſidebat, collegit Vol. I. in fol. P. Abbas Don Francus Ferrarius Mediolan. anno MDCCVI.

In mentem venerat Clariſs. P. Mazzucchello Acta, & Scripta tanti Viri recenſere, ſed morte præventus id perficere minimè potuit; nobis itaque beneficio, humanitateque P. Magiſtri Georgii, alibi meritò laudati, & ex Schedis ſupradictis Mazzucchellianis datum eſt nunc primùm Auctorem iſtum celeberrimum inter Mediolanenſes, magna cum voluptate, litterariæ Reipublicæ exhibere.

## MCCCXCIV.

## RAPHAEL.

RAphaël Mediolanenſis, cujus cognomen deſideratur, atque parentes ignorantur, perfectioris vitæ deſiderio flagrans Congregationem Feſulanam S. Hieronymi nuncupatam, amplexus eſt. In hujuſmodi piorum hominum Cœtu laudabiles præſetulit mores, & religioſo Viro digniſſimos; cumque ſacra præſertim eruditione ornatus eſſet, ad animarum ſalutem curandam ſe convertit Opere conſcripto inferiùs laudando. Tempus quo fuit in vivis nemo indicavit. Cum tamen ea Congregatio ab Eugenio Papa IV. ſub Regula S. Auguſtini anno MCCCCXL. die VIII. Junii fuerit confirmata, non ante eum annum vixiſſe videtur.

Habemus illius Aſceticum librum hoc titulo:

I. Regola di Penitenza. Editum fuerit nec ne, quis novit? Moriggia enim & Picinellus, è quibus hæc hauſimus, omninò ſilent.

Videndi citati Moriggia lib. III. cap. 28. Nobil. Mediol. & lib. I. cap. 59. Hiſtor. Mediol. atque ex eo Picinellus in Athenæo pag. 478.

## MCCCXCV.

## RAPHAEL alter.

ALter nunc proferendus eſt Raphaël Mediolanenſis Sacri Carmelitarum Ordinis, in Mantuana Congregatione Alumnus. Cognomen ejus nobis eſt ignotum, nam vetuſto Aſcetarum more, illud in Religionis ingreſſu depoſuit, deinceps à Mediolano tantummodò nuncupatus. Vir fuit & vitæ ſanctimonia, & doctrinæ laude inſignis, & poſt minora inter Suos officia, pro Obſervantibus Carmelitis primùm an. MCCCCXXIX. mox iterùm an. MCCCCXLIV. in Romana Curia Procuratoris Generalis munus exercuit. Hoc expleto, cum litteris vacantium Alumnorum ſtudiis plurimùm profuturus eſſe à Majoribus cenſeretur, anno MCCCCLII. in Delphinatum miſſus eſt, atque in Cœnobio Girundæ (ubi prima Congregationis Mantuanæ prædictæ fundamenta à Thoma Conecto jacta fuere) in Diœceſi Sedunenſi inter Alpes ſito, Regens præfuit. Hæc de præclaro Viro novimus ex ſuæ Congregationis Scriptoribus, reliqua ad ipſum ſpectantia nemo ſignificavit.

Opera illius ſic inſcripta reperimus:

I. In Libros Ariſtotelis de Phyſico auditu Commentarius integer. MS. in fol. juſtæ molis. Extat in Bibliotheca Conventus S. Joannis ad Concham hujus Urbis.

II. In ejuſdem libros de Cœlo Commentarius. MS. in fol. Ibid.

III. De Anima. MS. in fol. ut ſupra.

Laudatur à Vagho in Comment. ſuæ Congreg. Mant. pag. 332.

MCCCXCVI.

Digitized by Google

## MCCCXCVI.

## RAPHAELLIUS HIERONYMUS.

Hieronymus Raphaellius Mediolanenſis initio ſuperioris Sæculi floruit, atque in Oppido Parabiaghi XIV. ab hac Metropoli lapide, ad Occidentem plagam ſito, Coadjutoris in animarum curatione munus exercuit. Hic ſecum recogitans notiſſimam illam pugnam, quæ anno MCCCXXXIX. die XXI. menſis Februarii inter Actium, atque Leodriſium Vicecomites de Metropolis hujus Dominio contendentes accidit, cùm Sanctus Mediolanenſium Patronus, & Catholicæ Eccleſiæ Doctor clariſſimus Ambroſius minax in hoſtes apparuiſſe perhibetur; optimam ſe rem facturum arbitratus eſt, ſi veram tanti eventus hiſtoriam vulgaret. Quocirca plura ad Opus illud concinnandum congeſſit, Carmina ſcilicet Italica Gaſparis Vicecomitis de bello ipſo conſcripta (de quibus & nos ſuo agemus tempore) Orationes quoque, Lectiones, Præfationes, aliaque id genus in Breviariis, Miſſalibuſque vetuſtis Ambroſianæ Eccleſiæ inſerta, & quæ S. Caroli Cardinalis Archiepiſcopi juſſu in eorundem reformatione ſublata ſunt, atque demum varia monumenta marmori inciſa, & ad hanc uſque diem in Eccleſia Sancti Ambroſii, cui cognomen de Victoria, loco ipſo condita, ubi prœlium accidit, ad poſteritatis memoriam ſervata.

Ex his Opus ſuum condidit inſcriptum:

I. La vera Iſtoria della Vittoria qual ebbe Azzo Viſconte Prencipe di Milano l'anno MCCCXXXIX. nel dì XXI. Febraro in Parabiago contro Lodriſio Viſconti, ſcritta da Girolamo Rafaelli Coadjutore Curato di Parabiago, *Milano, per Giacomo Maria Meda*, 1609. *in* 8. Citatur à Puricello in Diſſertat. Nazar. cap. 54. num. 15.

## MCCCXCVII.

## RASINUS BALTHASSAR.

Balthaſſarem Raſinum Mediolanenſem, Equitem Auratum, Ambroſii filium, pluribus de cauſis medium fermè Sæculum XV. ſuſpexit. Magna enim in eo fuit Cæſarearum, Pontificiarumque legum peritiés, in queis laureâ meruit honeſtari. Moralem quoque Philoſophiam ſic calluit, ut ad eam ſimul cum Rhetoricæ præceptis auditoribus prælegendam primùm in publica Mediolanenſi Academia anno MCCCCXLVIII. deinde in Archigymnaſio Ticinenſi ab anno MCCCCL. ad MCCCCLXVIII. electus fuerit. Ibi dum profiteretur quantùm excelleret in Oratoria facultate ſatis oſtendit elegantiſſimâ illâ Oratione, quam paulò poſt memorabimus. Et quidem plures alias ab eo compoſitas, publicèque dictas memorat Creſcentius in Amphitheatri ſui MS. parte II. quæ, ut millies ferme jam ſcripſimus, ſervatur in Bibliotheca fratrum Marchionum Vicecomitum, ſed miſerè periiſſe ſuſpicamur, unam hanc ſi excipias. Terris ſublatus VI. Kal. Novembris præfati anni MCCCCLXVIII. apud Prædicatores in Templo Sancti Thomæ Papiæ tumulatus fuit, his Carminibus Sepulchro impoſitis, quæ Sæculum ipſum redolent.

ELOQVII PRINCEPS MILES IVRISQVE PERITVS
RASINVS IACET HIC BALTHASSAR ATQVE COMES.
OBIIT DIE XXVII. OCTOBRIS MCCCCLXVIII.

Eruditus ejus labor hunc præfert titulum:

I. Oratio de celeberrimis Franciſci Sfortiæ Liguriæ Ducis laudibus, Ticinenſem apud Academiam in ſacro D. Franciſci Delubro feliciter habita. Extat MS. in Biblioth. Vaticana Cod. 1807. & ibidem inter MSS Reginæ Suecorum Cod. 1876. quemadmodum etiam in Laurentiana Medicea Plut. 13. Cod 14.

Hujus Scriptoris mentio eſt apud Franciſcum Philelphum in Epiſtolis ſub ann. MCCCCLII. Antonium Mariam Speltam in Epiſc. Papienſ. pagg. 416. & 417. ad annum MCCCCL. & amiciſſimum Sitonum noſtrum in Epiſtola ſua appoſita ad Opus de Script. Medicis Mediol. Bartholomæi Curtii pag. 284. & in Schedis.

## MCCCXCVIII.

## RASIUS JOSEPH.

Joſeph Raſius Mediolanenſis Vir fuit eruditione præſertim Eccleſiaſtica celebris Sæculo mox elapſo. Nam cum Clericali militiæ adſcriptus eſſet, minoraque ſtudia peregiſſet, Theologiæ ſcita ſic pervolutavit, ut in ea Facultate lauream fuerit aſſecutus. Mox ob eam, qua præditus erat, Ambroſianæ Eccleſiæ Rituum peritiem, dignus habitus eſt, ut ad Ceremoniarum in Metropolitana Baſilica Magiſtri Officium aſſumeretur. Ejus doctrinam optimè perſpectam habens laudatiſſimus hujus Eccleſiæ Præſul Cardinalis Cæſar Montius, cùm anno MDCXLVII. Breviarii Ambroſiani reformationem aggreſſus eſſet, & Congregationem eruditiſſimorum Virorum inſtituiſſet, quibus hujuſmodi provinciam demandavit, inter eos ſedere juſſit Raſium noſtrum, cui Collegæ fuerunt Franciſcus Turrius Archiepiſcopalis Vicarius Generalis, Antonius Ruſca Metropolitanæ Præpoſitus, Antonius Buſſola Pœnitentiarius Major, Gabriel Pionnius, atque Franciſcus Dardanonus Canonici Ordinarii; Joannes Baptiſta Corneus Lectorum Primicerius, & Chori Magiſter, Joannes Paulus Mazzucchellus è quatuor Maximi Templi Parochis unus, Gaſpar Gattus Ambroſianæ, Carolus Ghioldus Nazarianæ Baſilicarum Canonici, Joannes Petrus Puricellus Laurentianæ Archipresbyter, demumque Joannes Petrus Quadrius Congregationis Oblatorum per id tempus Præpoſitus, quorum ferè omnium Nomina Collectionem hanc noſtram exornant. Neque verò hac tantùm in ſparta laudabilem ſe præbuit Scriptor noſter, at aliis quoque de cauſis commendatur, nimirum ob morum pietatem, & Opus, quod vulgavit

Hoc titulo:

I. Joſephi Raſii S. T. D. & Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis Cæremoniarum Magiſtri variæ Allegationes Juriſdictionales, ac Præcedentiæ Eccleſiaſticæ. *Mediolani, apud Impreſſ. Archiep.* 1645. *in fol.*

Laudatur à Jo. Petro Puricello in Diſſert. ſua Nazariana cap. 1. pag. 3. atque à Sitono humaniſſimo in Schedis.

MCCCXCIX.

Digitized by Google

## MCCCXCIX.

### RASTELLUS ALPHONSUS MARIA.

ALphonſus Maria Raſtellus Alphonſi Doctoris Phyſici filius, natus eſt Mediolani, & Congregationem Clericorum Regularium Barnabitarum ingreſſus, anno reparatæ Salutis noſtræ MDCXLVI. in ipſa profeſſus eſt, ubi non mediocrem nomini ſuo laudem comparavit; nam Vir præſtantiſſimi ingenii in Scholis Arcimboldiis Philoſophiam docuit per triennium, ſuiſque Alumnis Theologiam è ſuggeſtu tradidit. Ad ſacras Conciones diſſeminandas converſus per duodecim vices plaudentibus omnibus hoc egit. Dum Utini idem munus perageret, præclariſſimi ejus Urbis Cives ſingulari ejus dicendi vi allecti ſtatuerunt erudiendæ Juventutis curam Clericis Regul. ejus Inſtituti tradere, quibus è Mediolano vocatis numero VII. ipſe Raſtellus Rector præfuit. Prælo dedit plures Orationes Panegyricas, obiitque in Collegio S. Barnabæ Mediolani.

Ex his tamen has tantum invenimus:

I. Panegirici per la Santiſſima Sindone, per S. Gaudenzio Veſcovo di Novara, per S. Antonio di Padova. *Novara, appreſſo Lodovico Monza*, 1662. *in* 4.
Ita à Suis.

## MCCCC.

### RATAGGIUS AMBROSIUS.

AMbroſius Rataggius ex honeſta Mediolanenſi familia natus, vitam Monaſticam in Ordine Ciſtercienſium profeſſus eſt anno redempti Orbis MDCLXXIII. Romæ Philoſophicis, atque Theologicis ſtudiis eruditus, in patriam reverſus, in Foro tam Eccleſiaſtico, quàm Sæculari verſatiſſimus evaſit. Demum Abbas titularis obiit anno MDCCXXVII. Sequentes Codices MSS. reliquit, qui in Bibliotheca Monachorum S. Ambroſii Mediolani ſui Ordinis adſervantur. Et hi quidem ad Baſilicas hujus Metropolis vetuſtiſſimas pertinent, nam de ipſarum origine ſituque luculenter agit Scriptor diligentiſſimus, quemadmodum etiam de antiquo Parthenone S. Michaëlis è regione Ambroſianæ Baſilicæ ad hæc uſque tempora ſuperſtite.

His notantur titulis:

I. Specchio naturaliſſimo, nel quale ſi comprende quali ſiano le vere Baſiliche fatte edificare da Porzio, e Fauſta Oldani, e da loro donate a S. Caſtriziano Arciveſcovo di queſta Città, l'una chiamata Porziana, e l'altra di Fauſta, come ſi vedrà in quale di queſte ſia ſtato ſepolto il Corpo del glorioſo S. Vittore Martire, detto il Moro, e quello di S. Satiro. MS. in fol. ſign. num. 157.
II. Diſſertazione del luogo, ove le ſagre Spoglie del glorioſo Martire della Cattolica Fede S. Vittore il Moro da S. Materno Veſcovo di Milano ſiano ſtate depoſitate. MS. in fol. ſign. num. 158.
III. Diſſertazione dell'origine della Chieſa, e Moniſtero di S. Michele ſopra il Doſſo di queſta Città di Milano. MS. in fol. ſign. num. 159.
Hæc vidimus apud Suos utſupra.

## MCCCCI.

### RAVENATINUS GEORGIUS.

PLures Mediolanenſes familiæ agnomen ſuum à variis Italiæ Urbibus hauſerunt, ut videre eſt ex hac etiam mea Bibliotheca, nempe Comi, ab Urbe Comenſi, illique de Florentia, de Laude, de Placentia, & hujuſmodi: Id quoque contigit in Ravenatinis, quorum Proavi ab Urbe Ravenna huc lares tranſtulere. Dubium igitur Clariſſimorum Quetif, & Eccard in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum minimè admittendum eſt, ſcilicet utrum Georgius noſter fuerit Mediolanenſis, nec ne: nam Gentis Ravenatinæ adſunt adhuc nonnullæ ſepulchrales Inſcriptiones in variis Eccleſiis hujus Metropolis, in Collectione Archintea relatæ. De tribus Georgiis Mediolanenſibus ex Ordine Fratrum Prædicatorum jam egimus in Tom. I. Col. 676. ad quam Lectorem noſtrum remittimus. Inter ipſos enumeravimus noſtrum, qui domus Sanctæ Mariæ Gratiarum in Patria Alumnus fuit, Vir Sæculo XVI. ineunte clarus, Orator, Poëta, Philoſophus, Theologus, omnibus his nominibus illuſtris, magis autem Operibus, quæ ipſi tribuuntur,

Videlicet:

I. De Viris illuſtribus ſui Ordinis in Provincia Romana.
II. Opus Quadripartitum, quo Hiſtoriam Cœnobii Sanctæ Mariæ Gratiarum Mediolanenſis complexus eſt.
III. Dialogus cujus Interlocutores S. Dominicus, & S. Petrus Martyr, quorum eo pacto vitam deſcripſit.
IV. Tractatus de vita Cœnobitica.
V. Interlocutio mœſta ſuper novis, & inauditis rerum mutationibus.
VI. Apologia pro Bartholomæo Quarterio, qui impubes ordinem profeſſus erat.
VII. Quæſtio àn impubes ante annum quintum decimum poſſit profiteri in Ordine Prædicatorum.
VIII. Carmen ad dictum Bartholomæum, qui ab Ordine defecerat, & ut redeat exhortatorium.
IX. Hymnus de Aſſumptione B. Virginis.
Videndi ſunt ſupradicti Quetif, & Eccard in Tom. II. Script. Ord. Prædic. pag. 42. aliique ab ipſis citati de eodem Ordine ſcribentes, inter quos Taegius, qui in P. II. Monumentorum ipſius Cœtus, aſſeruit ſupradicta Auctoris noſtri Opera ſervari in Bibliotheca Conventus S. Mariæ Gratiarum Mediolani, ſed cum aliis quampluribus miſerrimè evanuerunt. Voſſius de Hiſtoricis Latinis pag. 813. Poſſevinus in Apparatu Sacro, Maraccius in Bibliotheca Mariana P. I. pag. 482. Moriggia in lib. III. Nobil. Mediol. cap. 29. & tandem Picinellus in Athenæo pag. 213.

## MCCCCII.

### RAVERTA CAMILLUS.

CAmillus Raverta parentes habuit Fabricium Regium Feudatarium Caſtri & Oppidi Ovilliarum in Comitatu Alexandriæ, necnon Annam Luciam Simonettam nobiliſſimos conjuges; claruit Patriæ Decurio ab anno MDCVII. ad annum MDCXXI. quo deceſſit, & tumulatus fuit in Eccleſia SS. Petri, & Pauli de Glaxiate Mediolani, in Sepulchro erecto per D. Ambroſium Revertam ejuſdem Camilli proavum præſeferente hanc Inſcriptionem:

SEP. DOMINI AMBROSII DE REVERTIS
ET HAEREDVM SVORVM
QVI OBIIT DIE XI. DECEMBRIS MDIV.
VIXIT AN. LVII.

Quan-

Digitized by Google

Quantum Geometricâ facultate emicuerit ſatis declarat liber titulo ſequenti,

Videlicet :

I. Geometricum Problema ad lineas cuicumque rectæ datæ æquidiſtantes unica operatione, perſpectivæ beneficio inveniendas à Camillo Raverta Mediolanenſe, quo ad praxim nuper inventum. Geometrica autem ratione demonſtratum per Curtium Caſatum Mediolanenſem Mathematicarum publicum profeſſorem Mediolani. Cui adnectuntur aliquot non injucundæ praxes ad Provinciarum deſcriptiones valdè opportunæ ab ipſo Curtio Caſato excogitatæ, & geometrica ratione demonſtratæ. *Mediolani, per Pacificum Pontium, & Jo. Baptiſtam Piccaleam*, 1602. *in* 4.

Uberiorem hìc damus Operis hujus titulum, quod tantùm indicavimus in Curtio Caſato.

Videndus Clariſs. Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. art. 880. pag. 204.

## MCCCCIII.

## RAVERTA OCTAVIANUS.

OCtavianus Raverta Mediolanenſis ( quem Ferdinandus Ughellus loco citando perperam Roveram cognominavit ) & Poëſis Italicæ peritie, & ſacræ eruditionis merito, & Oratoriæ facultatis laude celebratur. Cùm Altaris miniſterio inter Clericos ſe mancipaſſet, ab Octaviano Maria Sfortia item Mediolanenſi, olim Laudenſis Eccleſiæ Epiſcopo, mox anno MDXL. ad Tarracinenſem Epiſcopatum translato, Coadjutor electus fuit. Ei defuncto ſucceſſit die XX menſis Novembris, anno Salutis noſtræ MDXLV. Magni habitus eſt à Julio III. Summo Pontifice, cujus Legatus extitit ad Helvetiorum Rempublicam. Id etiam præſtitit Pauli IV. nomine, cujus in Interregno Leoninæ Regioni præfectus eſt renunciatus. Illum quoque Pius IV. qui Concivem ſuum præclariſſimum noverat, ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem miſit, apud quem elegantiſſima Oratione Apoſtolicæ Sedis jura tutari ſtuduit. Fama eſt, Pontificem Octaviano noſtro purpuram paraſſe, ſed fatum Pii Ravertæ tantum honorem eripuit. Obiit Præſul doctiſſimus in Hiſpania anno Redemptionis MDLXV. magnum poſteris ſui deſiderium relinquens.

Laudabilem ſe præbuit ob

I. Carmina plura Italica, quæ ſe vidiſſe in Collectionibus generalibus Sæculi XVI. teſtatur Creſcimbenius loco citando.

II. Oratio habita ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem pro Apoſtolica Sede; laudatur ab Ughello mox promendo.

Agunt de Octaviano citati Ughellus Ital. Sacræ Tomo I. in Tarracinenſibus num. LXX. Creſcimbenius „ Com- „ ment. intorno alla Volgar Poesìa „ Tomo V. pag. 103. itemque Joſeph Betuſſi in Imaginibus Templi Joannæ Aragonenſis Italico ſermone conſcripti, à quo etiam Auctore introducitur loquens in Dialogo, quem de Ravertæ noſtri nomine nuncupavit. Editum eſt hoc Opus *Venetiis, apud Gabrielem Jolitum de Ferrariis*, 1545. *in* 8.

## RAUL SIRE. V. RHAUDENSIS SIRE.

## MCCCCIV.

## RAYNERIUS ANTONIUS FRANCISCUS.

INter Poëtas optimi Sæculi decimiſexti ab omnibus meritò celebratur Antonius Franciſcus Raynerius Mediolanenſis, qui à Secretis extitit Cardinalis Verulani à Latere Legati in Urbe Placentina, deinde à Conſiliis Petri Aloyſii Farneſii, qui operâ Raynerii pacem cum Pontifice inſtituit, ſed & etiam ſponſalia inter Victoriam Farneſiam, & Urbini Ducem pepigit. Apud iſtum noſter ſe contulit poſt ſupradicti Petri Aloyſii infortunia ſatis nota. In Aula ejuſdem Urbini Ducis honorificentiſſimè habitus eſt donec Octavius Farneſius, necnon Margarita Auſtriæ Parmæ, & Placentiæ Duces apud ſe illum voluere, & inter charos eorundem ita extitit, ut in pluribus magni momenti negotiis Raynerio uſi fuerint. Mirum eſt, quod tot rebus politicis implicitus nunquam amœniora ſtudia reliquerit, ut videre eſt à Carminibus ſuis tam Latino, quàm Italico ſermone peregregiè compoſitis, inter quæ numerantur illa pro aſſumptione ad Pontificatum Julii III. qui inter familiares nepotum ſuorum Poëtam noſtrum recenſuit. Annus verò, quo è vivis abierit, nobis incompertus eſt. Quæ ſcripſit interim diligentiſſimè indicamus, ut Lector infra videbit; plura verò ejuſdem Carmina in variis Collectionibus leguntur, nec aſſerere audemus, utrum ea ſæpiùs repetita fuerint. Onus hoc fortaſſe erit alicujus Collectoris, cui ea in unum recudere, ut optandum foret, in mentem veniret.



Hæc ſunt :

I. Cento Sonetti di Meſſer Anton Franceſco Raineri Gentiluomo Milaneſe, all' Illuſtriſſimo, ed Eccellentiſſimo Signor Fabiano da Monte. *Milano, per Gianantonio Borgi*, 1553. *in* 4. *ed in Venezia, per Gabriel Giolito*, 1554. *in* 12.

II. Alia Carmina Italica, vulgò *Sonetti*, præter ſupradicta, ad Varios, præcipuè Carolum Vicecomitem, Julianum Goſelinum &c. cum reſponſionibus eorumdem : extant in eodem libro.

III. Canzoni, Seſtine, Stanze, e Madrigali; extant ibidem.

Expoſitio, & Argumenta eorumdem Carminum per Hieronymum Raynerium fratrem, de quo infra dicemus, ibidem.

IV. Alia Carmina Italica, vulgò *Sonetti* num. L. extant in primo Volumine, cui titulus: „ Rime ſcelte „ di diverſi eccellenti Autori, raccolte dal Gio- „ lito. *Venezia*, 1562.

V. Alia num. XXI. ſunt in ejuſdem Collectionis Volumine II.

VI. Alia num. XLIII. extant in libro inſcripto: „ I Fiori „ delle Rime de' Poeti Illuſtri raccolti, ed ordi- „ nati da M. Girolamo Ruſcelli. *Luca*, 1729.

VII. Alia num. XXV. extant in Vol. II. inſcripto „ Scel- „ ta di Sonetti, e Canzoni de' più eccellenti Ri- „ matori d'ogni Secolo. *Bologna*, 1718.

VIII. Aliud Carmen Italicum, vulgò *Canzone* : extat ibidem.

IX. Carmina III. Italica, vulgò *Sonetti*, leguntur in libro „ Il Tempio alla Divina Signora Giovanna „ d'Aragona fabbricato da i più gentili ſpiriti. *Venezia*, 1565. *in* 8.

X. Epigrammata tria Latina; extant in eodem libro.

XI. Carmina varia Italica, vulgò *Stanze*: ſunt in primo Volumine libri, cui titulus „ Scelta di Stanze „ di diverſi Autori Toſcani, raccolte da M. Ago- „ ſtino Ferentilli. *Venezia*, 1584

XII. Altiglia Comedia. *Mantova, preſſo il Ruffinelli*, 1550. *in* 8.

XIII. Carmen aliud Italicum, vulgò *Canzone*, in libro „ Ri- „ me di diverſi nobili Poeti Toſcani, raccolte „ da Meſſer Dionigi Atanagio lib. I. *Venezia*, 1565.

XIV. Le Pompe, Rime. *Milano*, 1553. *ed in Venezia, per il Giolito*, 1554. *in* 12.

XV. Carmina nonnulla ad ampliſſimum, & ſacroſanctum Cardinalium Cœtum pro Summo Pontifice deligendo. *Romæ*, 1555. *in* 4.

XVI. Carmina de Sanctiſſimi, & Beatiſſimi Pauli IV. Coronatione, extant in eodem libro.

XVII. Carmina alia Latina in Creatione Julii III. Pontificis Maximi; teſte Creſcimbenio loco citando.

XVIII. Carmina alia Latina extant in Tom. VIII. Carminum illuſtrium Poëtarum Italorum. *Florentiæ, apud Tartinos, & Francos.*

In obitu ejuſdem compoſuit Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, Philippus Taſſinus, ad Philippum Binaſcum, in Collectione Affidatorum.

Leguntur ad ipſum Epiſtolæ tres Italicæ Claudii Tolomæi. *Venetiis*, 1572.

Ipſum laudant Creſcimbenius in libro „ Iſtoria della „ Volgare Poesìa Tom. I. pag. 372. & Tom. II. pag. 405. Antonius Maria Salvini in Vol. I. „ Di-



Digitized by Google

„ ſcorſi Accademici pag. 345. Annibal Carus in Tom. III. Epiſtolarum pagg. 230. & 231. editionis *Patavinæ*. Ziliolus in Hiſt. MS. Poëtarum Italorum, quæ ſervatur in Bibliotheca Aproſiana, Auctores Veneti Diarii Italici Tom. II. pagg. 108. & 397. P. Quadrius Soc. Jeſu in ſuo Opere inſcripto „ Storia, e Ragione d'ogni Poeſia Vol. II. pag. 242., Iricus noſter in Hiſt. Typogr. Tridin., necnon Picinellus in Athenæo pag. 44.

## MCCCCV.

## RAYNERIUS HIERONYMUS.

Hieronymus Raynerius Mediolanenſis Poëta extitit non ignobilis Antonii Franciſci mox laudati coævus, & gentilis; cùmque hic, ut jam præfati ſumus, centum ediddiſſet Italica Carmina vulgò *Sonetti*, gratam ſe eruditis rem facturum exiſtimavit, ſi cui que expoſitionem adderet. Spartam hanc diligenter perfecit Hieronymus, imò & propria quædam adjecit inferiùs memoranda. Hæc illa ſunt, quæ de ipſo nobis licet referre, cætera enim Acta illius deſiderantur.

En eorum, quæ ſcripſit, tituli:

I. Eſpoſizione di Meſſer Hieronimo Rainerio Gentiluomo Milaneſe, ſovra li cento Sonetti, ed altre Rime aggiunte loro di Anton-Franceſco Rainerio. Extant in lib. præfati Antonii Franciſci, ut diximus in eodem.

II. Elogio della Città di Milano. Ibid.

III. Sonetti due, uno in lode dell' Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Sig. Innocenzo Cardinale de Monti, con Lettera dedicatoria del Libro al medeſimo; l'altro in lode della detta Città. *Milano, per Gianantonio Borgi*, 1554. *in* 4.

Agunt de eo Creſcimbenius in libro „ Iſtoria della Volgar Poeſia „ Vol. V., P. Franciſcus Xaverius Quadrius Soc. Jeſu in Tomo II. Operis ſui Italici inſcripti „ Della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia. *Milano*, 1741. *in* 4., & amiciſſimus Iricus in ſua Hiſtoria Typographica Tridinenſi, quam prælo parat.

## MCCCCVI.

## RAYNOLDUS ALPHONSUS.

Alphonſum Raynoldum Pauli Mariæ Comitis Palatini, atque Barbaræ Carcanæ jugalium Mediolanenſium filium, ob Juris civilis & Pontificii peritiem, Sæculum XVI. meritò ſuſpexit. Laureâ enim honeſtatus anno MDLXXVIII. Collegium Juriſperitorum hujus Urbis ingreſſus eſt. Decurio quoque inter LX. Viros publica negotia curantes recenſeri meruit; immo Patriæ Præfecturam geſſit anno MDLXXXV. Regius etiam Juſtitiæ Vicarius, poſtmodum Laudenſis Civitatis prætorios faſces ſummâ integritate geſſit. Electus fuerat anno MDXC. Summus Pontifex Gregorius XIV. quem ſuo commendavimus loco, cumque Civi ad tantum gradum evecto gratulatura Inſubriæ Metropolis Viros ſex delegiſſet, inter eos Alphonſum noſtrum tanquam Legationis caput conſtituit. Cæteri fuere ex primaria nobilitate Proceres, nimirum Aloyſius Meltius JC., Coriolanus Vicecomes, Comes Renatus Borromæus, Marchio Guidottus Cuſanus, atque Comes Joannes Baptiſta Serbellonus. Ubi Romam pervenere patriæ obſequia Pontifici obtulerunt, atque Raynoldus Orationem diſertiſſimam pronunciavit, de qua mox ſermo recurret. Superfuit Alphonſus ad annum uſque MDCVI. quo, cùm fato ceſſiſſet, illatus eſt in paternum tumulum, qui adhuc extat in Ducali Templo Sanctæ Mariæ Gratiarum Mediolani, ubi Joannes Jacobus Scriptoris frater hæc marmori juſſit incidi ad poſteritatis memoriam.

PAVLO MARIAE RAYNOLDO COMITI PALATINO
BARBARAE CARCANAE FOEMINAE LECTISSIMAE
PARENTIBVS OPTIMIS
ALPHONSO I. C. COLLEGIATO VRBIS PRAEFECTVRA
ET ALIIS DIGNITATIBVS INSIGNITO
AC LEGATO
AD GREGORIVM XIV. PONT. MAX.
ET CAESARI FRATRIBVS OPTIME MERITIS
VIRIS OMNI VIRTVTE PRVDENTIA
AC MORVM PROBITATE PRAEDITIS
HORTENSIAE VICOMERCATAE DEFVNCTAE
CONIVGI DVLCISSIMAE
IOH. IACOBVS DECVRIO SIBI
DOROTHEAE ALCIATAE VXORI FIDISSIMAE
LIBERIS POSTERISQVE V. M. P.
ANNO MDCXVI.

Sequens vulgavit Opus:

I. Oratio ad Sanctiſſimum D. N. Gregorium XIV. Pontificem Max. habita dum unà cum quinque aliis Viris primariis, ſexaginta Virorum Conſilii generalis Civitatis Mediolanenſis nomine, eidem ad Summum Pontificatum aſſumto, in publico Conſiſtorio gratularetur, die XII. Februarii, anno MDXCI. *Romæ, apud Vincentium Accoltum*, 1591. *in* 4. *& Mediol. apud Jacobum Piccaleam*, *& Gratiadeum Feriolum*, *eodem anno*, *in* 4.

II. Epiſtolæ illius eruditæ plures latinæ memorantur à Franciſco Cicerejo in reſponſionibus ad eundem datis, quæ habentur in Codice MS. Epiſtolarum iſtius ſervato in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum.

Agunt de Scriptore noſtro Moriggia Hiſt. Antiqu. Mediol.

Digitized by Google

diol. lib. I. cap. 46. Cavatius in Alleviam. Stat. Mediol. in principio , atque amiciſſimus Sitonus noſter in Chronico Juriſperit. pag. 160. art. 645.

## MCCCCVII.

## RAYNOLDUS GEORGIUS.

GEorgius Raynoldus , alterius Georgii Comitis , & hujus Metropolis Decurionis , & Aureliæ Cavenaghæ nobilium conjugum filius , Monaſticæ ſe addixit vitæ inter Ciſtercienſes Aſcetas anno poſt Chriſti Natale MDCLXIII. , ſolemnibuſque votis ſequenti anno emiſſis, perpeti diligentiâ ſtudiorum perfecit curricula, Philoſophicas , ac Theologicas quæſtiones Romæ in Cœnobio S. Crucis in Hieruſalem ſub optimis præceptoribus diſcens . Ad primarios in Ordine honores per gradus omnes aſcendit , & infulatus Præſul Charævallenſe in agro Mediolanenſi , & Locedienſe in Ducatu Montisferrati Cœnobia rexit . Huic poſtremò dum præeſſet plura contulit beneficia, nam Odeum vetuſtiſſimæ Baſilicæ jam jam ruiturum ferè à fundamentis refecit , picturis , & auro decoravit , maximamque aram , cum primariis hinc inde Sacellis plaſtico Opere exornavit . Tabularium etiam ſcrutatus , quæcumque ibi Pontificum, Cæſarum , Regum , atque Marchionum Montisferrati ejuſdem Monaſterii Conditorum Diplomata bellorum injuriis ſuperfuerant, ne & ipſa peſſum irent collegit , atque publici juris fecit , ut mox dicemus . Abbas etiam extitit Monaſterii Veneti , ubi collapſam diſciplinam ſummâ prudentiâ, & ſuavitate reſtituit, civibus omnibus inclytæ illius Urbis plaudentibus. Catholico Regi Carolo II. fuit acceptiſſimus ejuſque nomine apud Ferdinandum Carolum Mantuæ, & Montisferrati Ducem per novennium Orator ſedit . Eo expleto munere, à præfato Duce, atque ab Inſubriæ Moderatore Philippo V. Hiſpaniarum Regi per Litteras eſt commendatus . Emortualis tanti Abbatis annus fuit MDCCXXXIV.

Habemus illius , quæ hìc damus :

I. Nonnulla Privilegia Summorum Pontificum , ac Imperatorum ex autenticis antiquis Monumentis deprompta favore Monaſterii S. Mariæ de Locedio Ordinis Ciſtercienſis Collectore Georgio Raynoldo . *Mantuæ, apud Albertum Pazzonum*, 1699. *in* 4.

Prodierunt etiam „ Lettere ſcritte dal Sereniſſimo Duca di Mantova , e dal Principe di Vaudemont Governadore di Milano a Filippo V. Re di Spagna a favore di Don Giorgio Rainoldi dopo la Carica di Reſidente per nove anni eſercitata in Mantova, date l'anno MDCCI. in fol. ſenza nome di Stampadore , e luogo . „

Agunt de ipſo cum laude amiciſſimi nobis JC. Sitonus in Schedis, atque Canonicus Iricus in Diſſertatione ſua de tempore , quo S. Abbas Oglerius Locedienſi Monaſterio præfuit , quæ actu imprimitur , hiſtoriæ Tridinenſi ejuſdem Irici attexenda .

## MCCCCVIII.

## RAYNOLDUS JOANNES BAPTISTA.

EX Joanne Jacobo Raynoldo Comite Palatino, & Magiſtratus Ordinariorum Reddituum Quæſtore, atque Helena Ghilia conjugibus ortus eſt Joannes Baptiſta Vir & Latinâ, & Græcâ linguâ doctiſſimus. Neque defuit illi Juris & Civilis , & Pontificii peritia, in quibus Doctor renunciatus Collegio Juris Conſultorum in patria nomen dedit anno MDXLII. Poſt biennium Urbis præfecturâ ornatus civibus ſuis profuit , ſed majora patriæ præſtitit , cum Decurionis munere percepto ad Philippum II. Catholicum Regem ejuſdem nomine Legatione functus eſt . Tantam ſibi apud Philippum ipſum exiſtimationem comparavit , ut inter Inſubriæ conſcriptos Patres locum meritò obtinuerit . Cremonenſem poſtea Præturam integerrimè adminiſtravit, ideoque Viri famâ invaleſcente Extraordinariorum Reddituum Magiſtratui Præſes dari meruit , mox Secretioris in Mediolanenſi Dominio Conſiliarii auctus honore , demum anno MDLXIX. ad ſupremam Senatorii Cœtus Cathedram evehitur . Magni etiam Cancellarii officium , atque Inſubriæ Moderatoris vices geſſit, tantâ cum prudentiæ commendatione , & juſtitiæ laude , ut in Deum piiſſimus , legum cuſtos acerrimus , & Patriæ pater ab omnibus paſſim nuncuparetur . Juvat hic verba proferre , quibus eum extollit Joannes Antonius Zavattarius loco mox citando: „ Joannis Baptiſtæ Raynoldi Præſidis noſtri excellens in legum facultate judicium , egregia erga Regem fides , & ſumma in Patriam charitas in ſpem nos vocant &c. „ Conſtantinus quoque Luca Ticinenſis Profeſſor, cùm Mediolanenſi Senatui Expoſitiones ſuas in Avicennæ capita de Phlebotomia dicaret , in nuncupatoria, Scriptoris noſtri doctrinam laudat , eum inſigni ſapientia donatum teſtatus. Eruditorum ſui temporis Mœcenas extitit benigniſſimus adeò , ut quaſi certatim ei labores ſuos offerrent , & non ſe tantùm , ſed alios quoque illius patrocinio commendarent . Anno Salutis humanæ MDLXXXVII. cum omnium mœrore fato conceſſit , atque apud avorum cineres in Templo Sanctæ Mariæ Gratiarum hujus Urbis tumulatus conquieſcit , ubi vivens hoc Elogium Parentibus , Fratribus , Conjugi , Filiis , ſibique poſuerat .

IOHANNI IACOBO RAYNOLDO
QVAESTORI ORDINARIO
PRAEFECTO REI FRVMENTARIAE
ET HELENAE GHILIAE
PARENTIBVS OPTIMIS
PAVLO MARIAE ET IACOBO PHILIPPO
FRATRIBVS CHARISSIMIS
ALEXANDRO FILIO DVLCISSIMO
SIBI ANTONIAE CVSANAE VXORI
LIBERIS POSTERISQVE SVIS
V. F.
IOHANNES BAPTISTA
SENATVS PRAESES
ANNO MDLXX.

Hæc ſunt quæ ſuperſunt tanti Viri Opera :

I. De Jure Municipali, Principum placitis, atque Senatus conſultis liber. Hunc editum fuiſſe anno MDLXXX. teſtatur P. D Gaſpar Beretta in Schedis, nobis tamen hactenus eſt incompertus.

II. Allegationes plures in Collectionibus ſæpè citatis JCC. Mediolanenſium , quas inter eminet ſcripta pro Theodoro Principe Trivultio.

Habentur ad eum Litteræ Latinæ Franciſci Cicerei pro Joanne Petro Marcheſonio ejuſdem Cicerei Collega, in Codice Epiſtolarum iſtius MS. in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum .

Aliam ad ipſum dedit Epiſtolam latinam ex Academia Taëgiana Sigiſmundus Folianus Burmienſis , quæ eſt num. XVI. libri IV. inter hujus impreſſas , ubi totus eſt in eo laudando .

Editum eſt etiam *Lucæ* anno 1645. in 4. Poëma Panegyricum Joannis Cardelii in ipſius commendationem, inſcriptum *Oraculum* , atque Hieronymus Boſſius Ticinenſis in Muſa Juvenili pag. 61. Epigramma de Raynoldo noſtro cecinit .

Dicata fuerunt ipſi Opera hìc recenſenda, videlicet : Petri Rebuffi de Re judicata ; impreſſ. *Novariæ* . Joannis Antonii Zavattarii Praxis Fori Mediolanenſis, de quo ſuo loco . Bartholomæi Taëgii liber inſcriptus : *L'Eſi-*

Digitized by Google

*L'Eſilio*, de quo etiam alibi dicemus, & Menochii de adipiſcenda poſſeſſione, dum eſſet Præſes anno MDLXXXI.

Ejuſdem meminere Ruginellus de Senatoribus Tomo II. num 57., & Sitonus noſter in Chronico Juriſperitorum art. 457. pag. 110. pluribus citatis.

## MCCCCIX.

### RAYNOLDUS JOANNES BAPTISTA alter.

JOannes Baptiſta Raynoldus Antonii Mediolanenſis Urbis Decurionis, ac Margaritæ Ponzonæ filius, Joannis Baptiſtæ Senatus Præſidis, de quo in ſuperiori meminimus articulo, ex filio nepos, anno MDCIII. natus eſt, cùmque renaſceretur è luſtralibus Sacri Fontis undis ſuſcepit eum Mutius Sfortia Caravaggii Marchio, quem debito laudabimus loco. Emenſus in patria minores ſcientias, Archigymnaſium Ticinenſe petiit, ubi Leges Imperatorias, ſacroſque Canones ita percepit, ut Doctoralibus ſuſceptis inſigniis, Collegio Juriſconſultorum Mediolanenſium anno MDCXXVI. fuerit aggregatus. In Sanctiſſimæ Inquiſitionis Tribunali Conſultor, & Patriæ Decurio, Urbis poſtea geſſit Præfecturam anno MDCXXXII. atque deinde Vicarius Prætorius, & Regius Generalis Vicarius conſtituitur. Ad ſacra poſtmodum convertit animum, Clericuſque factus, Doctoralem præbendam in cœtu Ordinariorum Metropolitanæ Baſilicæ obtinuit, tam gratus Cæſari Cardinali Montio Ambroſianæ Eccleſiæ Archipræſuli commendatiſſimo, ut in cauſis civilibus Generalis Vicarius ab eo renunciaretur. Aſſumptus fuerat interim ex Advocato Conſiſtoriali ad munus Auditoris Sacræ Romanæ Rotæ Hieronymus Meltius & ipſe Mediolanenſis, qui poſtmodum ſacrum Ticinenſi Eccleſiæ jus dixit, ut ſuo jam loco memoravimus. In ejuſdem igitur locum, anno MDCXLIII. ſuffectus eſt Raynoldus noſter, quem etiam anno MDCXLV. Innocentius X. Summus Pontifex Utriuſque Signaturæ Referendarium pronunciavit. Mox Lucenſem Epiſcopatum reſignante M. Antonio Franciotto S. R. E. Cardinali, ejuſdem Urbis Inſulas eidem contulit Innocentius ipſe anno ſequenti, pridie Kal. Sextilis. Præfuit Lucenſi gregi Paſtor vigilantiſſimus annos IV., & in pervigilio Nativitatis Dominicæ anno MDCXLIX. ſacris peractis apoplexi tactus occubuit. Cadaver illius in Cathedrali ſua conditum eſt, nullo, quod ſciamus, appoſito Monumento. Illius tamen extat memoria in Templo Sanctæ Mariæ Gratiarum Mediolani in eo, quod hìc damus, Elogio:

ANTONIO RAYNOLDO
IOH. BAPTISTAE SENATVS PRAESIDIS FILIO
DECVRIONATV
CAETERISQVE POTIORIBVS PATRIAE MVNERIBVS
PEREGREGIE PERFVNCTO
MARGARITAE PONZONAE LECTISSIMAE FOEMINAE
CONIVGIBVS PIENTISSIMIS PARENTIBVS
FRANCISCO FRATRI DILECTISSIMO OPTIME MERITO
IPSORVM POSTERIS
IOH. BAPTISTA EX ICC. MEDIOLAN. COLLEGIO
DECVRIO DEMVM LVCENSIS EPISCOPVS
VIVENS PONERE DECREVIT
ANNO SALVTIS MDCXLIX.
ABBATES D. IOSEPH CISTERCIENSIS ORDINIS
ET PHILIPPVS CANONIC. ORDINAR. METROPOL. RAYNOLDI
ANTISTITIS FRATRES
EXPRESSAE VOLVNTATI OBSEQVENTES
PERFICI CVRARVNT.

Laudatur ob infraſcripta, quæ damus, ſcilicet:

I. Vota Conſiſtorialia, quæ ſervantur MSS. in Archivo Molis Hadrianæ.

II. Relatio pro Beatificatione Bernardi Tolomæi Senenſis Olivetanæ Monachorum Congregationis Fundatoris, quam pronunciavit in publico Conſiſtorio, anno MDCXLV. die XXI. Februarii. Ex Carthario loco infra citando.

Auguſtini Terzaghi Carmen ad Jo. Baptiſtam Raynoldum Lucenſem Epiſcopum extat in ejuſdem Poëſi impreſſa *Mediolani* anno 1656. pag. 53.

Commendant illum Ughellus in Tomo I. Italiæ Sacræ in Lucenſib. num. XCIV. Cavatius in Alleviamento Status Mediol. ſtatim in princ. citatus Cartharius in Syllabo Advocator. Sacri Conſiſtorii, edit. *Romanæ* pag. 274. & JC. Sitonus noſter in Chron. Coll. J. PP. pag. 203. art. 877.

## MCCCCX.

### RAYNOLDUS JOANNES JACOBUS.

JOannes Jacobus Raynoldus Georgii ex LX. Patriæ Decurionibus, atque ad exteros Principes Legati, necnon Aureliæ Cavenaghæ filius, exempla majorum ſuorum proſecutus ad Jura Civilia, & Canonica ediſcenda ſe contulit tam seriò, ut in Collegio Nobilium J. PP. ſuæ Patriæ cooptari meruerit anno Chriſtiano MDCLX., deinde Cathedram aſcendit in publicis Palatinis Mediolanenſibus Scholis, ubi Leges diſcipulorum ſingulari cum profectu explicavit.

Digitized by Google

vit. Artem quoque dicendi ſummopere coluit, ita ut dolendum ſit, quod inter ipſius Orationes illa tantùm legatur, quæ typis tradita fuit, ut infra, magis tamen quod tam citò è vita migraverit, nempe circiter annum MDCLX.

Damus de ipſo:

I. Orationem in Laurea Aloyſii Trotti. *Mediolani*, 1654. *in* 4.
II. Alias plures MSS. quæ laudantur à Creſcentio in II. par. Amphitheatri MS. centies à nobis citata.
III. Proluſiones nonnullas in Scholis Palatinis recitatas coram Excellentiſſimo Senatu &c. MSS. teſte eodem.
Laudatur à Putheo in Catalogo Equitum Hieroſolymitanorum pagg. 68., & 76., & à Sitono in Chron. Colleg. J. PP. pag. 222. art. 990.

## MCCCCXI.

## RAYNOLDUS PHILIPPUS.

PHilippum Raynoldum Mediolanenſem Aymonis filium, atque Hieronymi Scalenſis Baſilicæ Canonici fratrem, cùm ſedulam legibus navans operam, in utroque Jure lauream promeruiſſet, Juriſperitorum Collegium excepit anno MDXLII. Tanta fuit nominis, & virtutis illius fama, ut poſt geſtam anno MDLVIII. Patriæ Præfecturam, à Pio IV. Summo Pontifice, cui conſobrinus erat, Urbis Romæ Senator renunciari meruerit. Eum certiſſimè Pius ſacrâ donaſſet Purpurâ, niſi conjugii vinculo præpeditus fuiſſet. Exceſſit è vivis immortalitate digniſſimus Vir anno redemptæ humanitatis MDLXXXVII. Oratoriâ quantùm facultate excelluerit indicat Oratio ejus perelegans, quam infra dabimus, habita in Templo S. Mariæ Braydenſis, de qua hæc leguntur in fine Deſcriptionis Pompæ Funebris Marchionis Joannis Jacobi de Medicis, quam MS. ſervat apud ſe Canonicus Iricus noſter in fol. atque à nobis citata eſt in articulo ipſius Medicei: „ Il Lune ſequente „ furno fatti in Brera li Officii, & fù recitato una „ Oratione latina dal Signor Filippo Raynoldo Dot„ tor di Collegio ſuo cugino compoſta con mirabil „ arte.

Eam invenimus hoc titulo

I. Philippi Raynoldi JC. Mediolanenſis Oratio in Funere Joannis Jacobi de Medicis Melegnani Marchionis manu Auctoris correcta. MS. in fol. pag. 14. Extat in Biblioth. Fratrum Marchionum Vicecomitum.
Extat ad eum Epiſtola Bartholomæi Taëgii de Amicitia in libro, cui titulus: Le Riſpoſte, pag. 33.
Ipſum hoc Diſtyco laudavit Bernardinus Baldinus in Poëmatis.

*Pro meritis Tyrio Raynoldius iret amictu*
*Cinctus: ſi ſineret connubiale thorum.*

Commendatur ab amiciſſimo Sitono in Schedis, atque in Chronico J. PP. pag. 113. art. 461.

## MCCCCXII.

## RAYNONUS BARIZALDUS JOANNES.

TRivilii natus eſt Joannes, de quo agimus, ex Raynona Gente, atque ex Familia Barizaldorum. Quippe Raynonii Sæculo XI. Vicentiâ Trivilium venerunt, in quo Municipio ſtirpem ſuam in quindecim Familias propagarunt. Ii autem orti cenſentur ab eo Raynone, qui Gibellinas partes ſecutus, ut Hiſtoria Tuſculanorum teſtatur, Alexandro III. Summo Pontifice ſedente, Romanos ingenti clade cæcîdit. Joannes verò patre Hieronymo, matre Mágdalena Fenarolia, anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo octavo editus in lucem eſt; puer autem matrem amiſit fato functam, unde Hieronymus genitor aliam uxorem duxit Dorotheam Battaleam. Hæc autem Joannis indolem mirum in modum admirata, non odio eum novercali, ſed materno amore complexa eſt, cum ipſe litteris exerceretur in pueritia. Sexdecim annos natus in Civitate Laude Pompeja, ex animi Religione Franciſcanis adſcribi voluit, quos Obſervantes vocamus, exactoque tyrocinio Philoſophiæ primùm, mox Theologiæ ſtudiis excultus eſt tanto profectu, ut ſupra cæteros ſodales emineret. Inde ad Philoſophiæ Cathedram, nondum adoleſcentiam egreſſus, ex merito admotus eſt, atque in ea plurimùm floruit, ut multorum admirationem, atque invidiam etiam ad ſe traheret. Hinc illi fuit animus ingens, & majores ſpiritus gerens, ut optaret primariam inter Suos Mediolani Cathedram obtinere. Verùm voti compos non effectus, atque impos repulſæ, obtinuit Neapolim amandari, in qua Urbe admirabili ſe præditum ingenio tum in Metaphyſicis, tum in Theologicis explicandis demonſtravit, plurimorumque commendatione ita probatus Regi Philippo IV. Hiſpaniarum fuit, ut ab eo renunciatus ſit Materanenſis Cathedræ Epiſcopalis candidatus, ad ipſum Epiſcopatum, annuente Pontifice, proximè promovendus. Itaque cum ſeceſſiſſet è Cœnobio in Avellini Principis ædes, poſt quartum diem ſubita febri antequam dignitate potiretur, properata morte correptus eſt, anno ætatis ſuæ trigeſimo octavo.

Scripſit:

I. Commentaria juxta Scoti mentem in octo præcipuos Theologiæ Tractatus.
II. Metaphyſicæ Libros de Deo, ubi probat ex natura rerum, quarum nulla ſine alia eſſe poteſt, ac neque mentes Angelicas ſine loco, unde neceſſe eſſe immobilem mentem, quæ virtute ſua omnia condat, exiſtere, Opus planè acutiſſimum.
III. Obſervationes in S. Franciſci Regulam.
Ea omnia inedita ſcripta apud Suos Trivilii aſſervantur, Neapoli miſſa.
Hæc debemus Clariſſ. amiciſſimoque Canonico Barizaldo Trivilienſi.

## MCCCCXIII.

## RAYNONUS THOMAS.

THomas Raynonus notâ ſatis familiâ Trivilii editus, litteris, ac bonis artibus à pueritia excultus fuit. Itaque cum Galeacius Maria Franciſci filius, Mediolanenſium Dux, Militiæ Cataphractorum ſuorum nobiliſſimos juvenes adſcriberet, Thomam quoque in eum ordinem cooptavit, Rhaudioque in Oppido vigiliis præfecit. Ex ea Præfectura Thomas opibus auctus prædia non contemnenda in agro Triviliate, ex caſtrenſi peculio coëmit. Mox Duce à conjuratis occiſo, ejuſque uxore à tutela filii amota, Ludovicus Barienſium Dux rerum Mediolani potitus, Thomam inter armigeros ſuos adlegit. Verùm Ludovico poſtea à Gallis tota regione ſpoliato, atque in Celticum carcerem miſſo, cum Trivilium, totaque Fulcheria in poteſtatem Venetorum ex fœdere cum Gallo veniſſent, Raynonus relictâ militiâ, in patriam rediit, ex ruina Sfortiæ Domus mœſtiſſimus. Ibi, ut dolorem leniret, litterarum ſtudiis, quæ ne in militia quidem intermiſerat, ſe intenſius addixit, primuſque originem Trivilii ex antiquis documentis ſcrutatus eſt. Obiit anno MDVII. paucis menſibus ante direptionem, ſtragemque ejus Municipii à Venetis patratam.



Digitized by Google

Scripſit accuratè libellum Italicum

I. De Origine Trivilii, qui hodieque aſſervatur in publico Triviliatum tabulario. MS.
Etiam hunc nobis dedit humaniſſimus doctiſſimuſque Canonicus Barizaldus Trivilienſis.

## MCCCCXIV.

## RECENATES ANTONIUS.

QUantumvis Antonii Recenatis Mediolanenſis acta, parentes, & reliqua omnia, quæ in aliorum Scriptorum Elogiis proferre conſuevimus, invida oblivio poſteros celaverit, ejus tamen nomen in hanc Litterariam Scenam producere libuit illis ornatum verbis, quæ Triſtanus Chalcus in Præfatione Hiſtoriæ Mediolanenſis de ipſo exaravit. Enumeratis enim pluribus aliis Viris eruditis, quorum Operibus uſus erat Georgius Merula ſubdit: „ Sed his ego „ addo Antonium Recenatem Notarium Mediolanen- „ ſem, qui quadraginta annorum res ſuæ memoriæ „ complexus eſt. „ Oh! utinam ætatem illius ſaltem Chalcus, vel alius quiſpiam enunciaſſet, non enim tam jejunos dimittere Lectores noſtros cogeremur.

Scripſit igitur Recenates noſter

I. De Rebus, quæ ſuo tempore acciderunt annis quadraginta. MS. fuiſſe conjicimus, cùm nullibi editus occurrat, teſte citato Chalco.
Ex quo etiam Picinellus in Athenæo pag. 48.

## MCCCCXV.

## REGIUS MATTHIAS.

EX parentibus in Riparia Sancti Julii in Comitatu Novarienſi natis, ortus eſt Mediolani Matthias, cognomento Regius, cùmque die XVII. menſis Junii, anno redemptionis MDCXLVII. ad Carmelitarum Nudipedum Inſtitutum convolaſſet, relicta familiæ nuncupatione, à Sancto Franciſco dictus fuit. In ipſo adoleſcentiæ flore maturitatem ingenii præſetulit ſingularem adeò, ut ad omnia natus videri potuerit. Præter enim ſacra ſtudia, in quibus excelluit, Architectonicen, Matheſim, Medicam, atque Leges ita calluit, ut admirationi eſſet univerſis. Cùm verò Dei Verbum populis annunciandi munus ſuſcepiſſet magnam nomini ſuo famam peperit. Conciones Quadrageſimali tempore habuit primùm in Forolivienſis Urbis Templo Maximo, tum in Cremenſi Cathedrali, tertiò verò in Eccleſia SS. Apoſtolorum Venetiis. Mirâ præditus fuit memoriâ, atque intra unius diei ſpatium eloquentiſſimas Panegyres aliquando & compoſuit, & habuit. Verumtamen tantum Virum ætatis ſuæ annum XXXIII. agentem mors nimis acerba in patria ſuſtulit die IV. menſis Octobris anno gratiæ MDCLXIII.

Elaboravit Regius, quæ hic damus:

I. Panegirici Sacri. *Parma, per Mario Vigna*, 1660. *in* 12. *e Bologna, per gli Eredi del Dozza*, 1661.
II. Le Oſcurità rivelate, cioè quaranta Profezie ſpiegate a favore di Caſa d'Auſtria. *Milano*, 1662. Hanc Orationem breviſſimo unius diei ſpatio compoſitam publicè dixit in Templo Deiparæ ad Sanctum Celſum hujus Metropolis, tantique habita eſt, ut in Hiſpanias uſque delata fuerit.
III. Prediche Quareſimali. MSS. ſervantur apud Suos in Cœnobio Bononienſi S. Mariæ Lachrymoſæ.
IV. Altri Panegirici. MSS. extant ibidem.
Ipſum Carmine celebravit Laurentius Longus, cujus initium Picinellus dedit loco citando.
Laudatur à Martiali de Sancto Joanne Baptiſta in ſua Bibliotheca Carmelit. pag. 292. Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 232. atque Picinello in Athenæo pag. 421.

## MCCCCXVI.

## REGIUS THEODORUS.

THeodorus Regius Mediolani honeſtis ortus parentibus magnum ingenii ſpecimen præbuit; cùmque minoribus diſciplinis excultus Clericalem amplexus fuiſſet vitam, ſacram Theologicam facultatem contentione didicit ſummâ, dignus idcirco habitus, qui Doctor in ipſa renunciaretur. Sanctorum Ambroſii, & Caroli Oblatorum Congregationi adſcriptus in Collegio Helvetico præcepta Rhetoricæ auditoribus tradidit, & pluries tam Latinè, quàm Italicè verba ad populum fecit non ſine ingenti plauſu. Ambroſianæ quoque Bibliothecæ præfuit annos aliquot, donec à Friderico Vicecomite S. R. E. Cardinali, atque Mediolanenſi Archiepiſcopo à nobis alibi laudando, ab eo munere ad Theologicam Cathedram, ſtudiorumque præfecturam in Seminario majori hujus Metropolis evocatus, nondum incœpto officio migravit è vita anno poſt Chriſti Natale MDCLXXXII.

Superſunt ejus, quæ ſequuntur:

I. Oratio, quam Theodorus Regius Sanctorum Ambroſii, & Caroli Oblatus, S. T. D., & in Collegio Helvetico Rhetoricorum Interpres, habuit in Laurea Theologica Jo. Stephani Ranzanici. *Mediolani, apud Montiam*, 1669. *in* 4.
II. La Verga d'Aronne, Panegirico per S. Carlo. *Milano*, 1674. *in* 4.
III. Curſus Theologicus. MS. in fol. Tomi II. autograph. Extat in Biblioth. Clericorum Regul. Miniſtr. Infir. Mediol.
IV. Tractatus de Anima. MS. in fol. in Bibl. Ambr. ſign. B. num. 50.

## MCCCCXVII.

## REGNA, ſive REYNA ANTONIUS.

GEns Regna, quæ Reyna, & Reina Sæculis recentioribus inſcribitur, antiquiſſimam ſedem in hac Metropoli habuit, ut videre eſt à pluribus vetuſtiſſimis Sepulchralibus Inſcriptionibus, quas nobis ſervavit ampliſſima Collectio Archintea, olim in D. Franciſci Templo extantibus, partim nunc deperditis. Vetuſtior eſt illa à Lanzarotto Regna MCCCCVIII. Joanni Vicecomiti uxori ſuæ poſita. Anno item MCCCCXLVII. Raphaël Regna unus extitit à Capitaneis, & Defenſoribus Libertatis Mediolanenſis electus ad ritè ac æquè taxandos Cives tam Sæculares, quàm Eccleſiaſticos pro ſumma ducentorum millium ducatorum, ut ex tribus Documentis in ſæpius memoratam Collectionem Co. Octavii Archinti inlatis. Antonius interim noſter patrem habuit Gothardum Regnam Mediolanenſem Senatorem, de quo paulò infra, matremque Martham Vicecomitem nobiles conjuges, à quibus optimè educatus, & litteris excultus, in Collegium Phyſicorum hujus Urbis cooptatus eſt anno MDLXXXVIII. die XXVI. Februarii. Locum etiam habuit inter Patriæ Decuriones, ſed mors nimis citò terris ipſum rapuit, anno ſcilicet MDCXI., ſepultuſque in ſupradicto Franciſcano Templo cum ſequenti Eulogio conquieſcit:

AN-

Digitized by Google

ANTONIO REGNAE CIVI MEDIOLANENSI NOBILISSIMO
LVCRETIA CRASSA VXOR MESTISSIMA
PETRVS FRANCISCVS ET IOANNES BAPTISTA FILII
PATRI BENEMERENTI POSVERVNT
QVI VIXIT ANNOS XLV.
SIBI DIV PATRIAE NVMQVAM SATIS.

Opus ejus infra recenſendum debeo amiciſſimo olim atque patrono meo Equiti Pio Nicolao Garelio, alibi à me laudato, ideoque locum habet Antonius humanitate ipſius erga me in hac Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium.

Videlicet:

I. Lectiones Anathomicæ in privata domo habitæ annis MDXC., MDC., & MDCI. MS. in fol. penès ſupradictum Equitem Pium Nicolaum Garelium olim Caroli VI. Cæſaris Archiatrum, & Bibl. Vindobon. Præfectum.
Ei dicavit Joannes Baptiſta Carcanus Epiſtolam de ſua Anathome in Gymnaſio Ticinenſi habita anno MDLXXXV., ut in eodem jam diximus.
Memoratur in Opere Bartholomæi Curtii de Claris Medicis Mediolanenſibus pag. 111. à Paulo Morigia in Hiſt. antiquit. inter Decurion. Mediol. cap. 10., & Hiſt. Nobilit. Mediol. lib. 6. cap. 19. & latiùs à Clariſs. Advocato Sitono in Chron. Coll. J. PP. art. 490. 665., & 716., & in Chron. Colleg. Phyſic. Mediol. parte II. artic. 246. MS. in fol. penès Auctorem.

## MCCCCXVIII.

## REGNA CÆSAR.

INter Juriſconſultos, atque Poëticæ Artis cultores locum ſibi promeruit Cæſar Regna Mediolanenſis Lanfranchi Patriæ Decurionis, atque Beatricis Paganæ conjugum filius. Cæſareas Leges ſacroſque Canones edoctus laureæ percepit honorem, ac Juriſperitorum Mediolanenſium Collegium ingreſſus eſt anno reparatæ Salutis humanæ MDLX. Egenorum patronus eximius ſummâ pietate eorum cauſas in Foro tueri conſueverat, neque tamen Muſarum neglexit ſtudia; cùm enim laudatiſſimæ Transformatorum Academiæ nomen dediſſet, plura in ea Carmina hetruſco ſermone recitavit, è quibus, præter inferiùs memoranda, apud poſteros nulla ſuperſunt. Qui tamen hæc perlegerit, facili negotio illius cognoſcere poterit ingenium. Migravit è vita die XVII. menſis Septembris, anno MDXCIII. funuſque illius Bernardinus Baldinus hoc Epigrammate proſecutus eſt, quod legitur in Appendice Carminum ejuſdem:

*Quamquam te ſenio confectum, Cæſar, ademit*
*Civibus arquata falce tremenda Dea;*
*Haud tamen infletum patriæ te ſuſtulit; immo*
*Exitium lachrymant fœmina, virque tuum.*
*Conſiliis etenim conſultus juris egeno*
*Cuique ſalutiferis auxiliator eras.*

Commendatur ob

I. Carmina Italica, vulgò *Sonetti*, numero VII. quæ leguntur in libro inſcripto: „ Sonetti degli Academici „ Trasformati di Milano. *Ivi, per M. Antonio Borgi*, 1548. *in* 8.
De eo agit Sitonus pag. 126. art. 527.

## MCCCCXIX.

## REGNA CAROLUS JOSEPH MARIA.

IN Vico Ducatus Mediolanenſis, cui nomen Motta Vicecomitum, natales habuit Carolus Joſeph Maria Regna, qui ſacris miniſteriis inter Clericos ſe addicens, Sacerdotii dignitatem eſt adeptus. Nondum emenſa trium luſtrorum ætate conſcribendis libris manum admovit, opuſque elaboravit, quod numero I. laudabimus. Geographiam, & Hiſtoriam in his præſertim, quæ ad Inſubriam ſpectant, adamavit, & coluit, quemadmodum ea, quæ vulgavit, oſtendunt. Reliqua illius Acta, & emortualem annum ignoramus.

Scripſit, & edidit:

I. L'Origine, corſo, e fine del Pò. *Milano, per il Malateſta*, 1700. *in* 12. In hoc Opere omnes deſcribit Urbes ad Padi fluminis littora poſitas, & Amnes memorat fluvium eundem ingredientes.
II. Deſcrizione Corografica, ed Iſtorica della Lombardia. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1714. *in* 12. Hanc incipit à Scultenna fluvio, vulgò *Panaro*, & deſinit ad Padi Fontes.
Laudatur in Ephemer. Ven. Litteratorum Italiæ T. XIV.

## MCCCCXX.

## REGNA GOTHARDUS.

LAnfrancus Regna Mediolanenſis Decurio, necnon Beatrix Pagana conjuges, Gothardum, de quo agimus, genuerunt, qui Juribus ediſcendis totus deditus, in Ticinenſi Academia ita claruit annis MDLXIII., ut MDLXXIX. ejuſdem Conſervator inſtitui meruerit. Deinde Patriæ Præfecturam optimè geſſit, & Regius Ducaliſque Senator totius Mediolanenſis Dominii efficitur. Ejus memoria erit perpetua ob reſtaurationem Sepulchri celeberrimi Baldi in Templo Divi Franciſci Papiæ, ſequentibus litteris in eodem ſculptis:

BALDVS
EDITIOREM LOCVM SORTITVS
HIC OCTO ET DECEM SVPRA CENTVM ANNIS
OBDORMIVIT
GOTHARDVS REGNA MEDIOLANENSIS
TICINENSIS GYMNASII RECTOR
INSTAVRAVIT ANNO MDXLVIII.

Vir

Digitized by Google

Vir fuit non tam in Legalibus ſcientiis eximius , ſed & in rebus politicis , ac in arte Oratoria ſummopere excultus , ut à coævis Scriptoribus eruitur . Obiit verò nimis citò ſcilicet anno Redempti Orbis MDLXXXV. , ſepultuſque jacet in ſacra Æde Divi Franciſci hujus Urbis, cum ſequenti Inſcriptione:

D. O. M.

GOTHARDO REGNAE I. C. VRBIS PRAEFECTO

REGIO SENATORI

ET MARTHAE VICECOMITI

PARENTIB. OPTIMIS P.

IOH. BAPTISTAE ET LVDOVICO I. C.

ANTONIO CHRISTOPHORO, GALEATIO

PETRO FRANCISCO ATQVE OCTAVIO

FRATRIBVS

LANFRANCVS I. C. PROTON. APOSTOLICVS

AEDIS AMBROSIANAE PRAEPOSITVS

ANNO MDCXIV.

Habemus de ipſo :

I. Decreta Senatus Mediolanenſis , unà cum Obſervationibus Gothardi Regnæ ab anno MDL. ad MDLXXV. Vol. II. MS. in fol. memorantur à P. D. Gaſpare Beretta in ſuis Schedis, ſed ubi ea vidiſſet, non indicavit, addita tantùm poſtilla A. num. 37.

II. Epiſtola, ſeu Elogium de Gente Bimia Jo. Petro Bimio J. C. Mediolanenſi præfixa Tomo I. Conſultationum ejuſdem Bimii . *Venetiis*, 1588. *in fol.*

III. Allegationes plures inſignes , quæ ſunt tam in Collectionibus J. PP. Mediolanenſium , quàm Ticinenſium alibi citatis .

In ejus obitu duo cecinit Epigrammata Baldinus.

De eo loquitur Alexander Rhaudenſis de Equivocis, & Analogis .

Videndi etiam Curtius in Opere de Medicis Mediolan. pag. 86., & Clariſs. Sitonus in Theat. Nobil. Colleg. Mediol. pag. 119. artic. 490.

MCCCCXXI.

## REGNA THOMAS.

Thomas Regna parentes habuit Petrum Franciſcum Cæſareum Comitem Palatinum ex Diplomate Caroli IV. Imp., anni MCCCLXXXVIII. Suis conceſſum, necnon Octaviam de Comitibus nobiles conjuges, qui filium non tantùm litteris, ſed ſingulari etiam pietate imbuerunt . Celeberrimam Societatem Jeſu amplexus eſt , ibique , poſt Rhetoricæ , aliarumque majorum ſcientiarum præcepta in Scholis tradita , ad Verbum Dei diſſeminandum totus ſe contulit . Vir fuit vivaci ingenio, ac ſingulari eruditione ſummopere præditus; mirum igitur non eſt , ſi ad præcipuas Italiæ Urbes certatim vocatus extiterit per triginta vices ad Conciones Quadrageſimales ſummo ſemper cum plauſu recitandas . Satis eſt in ejus laudem proferre , quod etſi Sæculo parum in litteris felici , medio ſcilicet XVII. ſcripſerit , attamen adhuc Orationes illius non ſine voluptate , ac profectu leguntur .

Publici juris fecit

I. Prediche Quadrageſimali; all' Eminentiſs. Signor Cardinale Roma. *Roma, appreſſo il Corbelletti*, 1649. *T. II. in 4.* Eas latinè reddidit Jacobus Emans Carmelita .

II. Prediche Quadrageſimali poſtume . *Milano , appreſſo gli Eredi di Filippo Ghiſolfi*, 1671. *in 4.*

III. Orazione nella Coronazione del Sereniſſimo Durazzo Doge di Genova.

Celebratur Epigrammate ab Andrea Blanco in Lib.VI.

Videndi ſunt etiam Paulus Moriggia in Hiſt. LX. Decurion. Mediol. cap. 10. Alegambe & Sotwellus in Bibliothecis Scriptorum Societatis Jeſu , necnon Advocatus Sitonus in Theatro Genealog. Sitoniano pag. 375. MS. in fol. penès Auctorem.

MCCCCXXII.

## RENOLIUS FRANCISCUS XAVERIUS.

Franciſcus Xaverius Renolius primam vidit lucem Mediolani anno MDCLXXXIII. die XII. menſis Septembris , & Joannem Baptiſtam JC. Urſulamque Caſatam conjuges habuit genitores . Ingreſſus poſtmodum Eremitarum Nudipedum ſub Sancti Auguſtini regula viventium Cœtum , appellatus eſt Bonaventura à Sancta Roſalia . Vota emiſit ſolemnia in Cœnobio Suorum Sanctæ Franciſcæ Viduæ Romanæ dicato , extra Orientalem Portam , mox ad Philoſophiam , atque Theologiam addiſcendam miſſus fuit , in quibus plurimùm profecit . Quamvis modeſtiæ , humilitatiſque cultor eximius publicum ſemper effugerit conſpectum , laborum ſuorum teſtem unum cupiens Deum , tamen fervido zelo, & in Deiparam Virginem pietate cunctis innotuit . Conciones ſæpè habuit variis in locis, ſuorumque Cœnobia rexit non rarò , immo toti Provinciæ præfedit . Tyronibus quoque erudiendis admotus, eos ad perfectionis apicem ſanctiſſimis monitis invitare conſueverat . Mirâ fuit memoriâ præditus , & improbo certè labore , quæ infra memoranda ſunt, conſcripſit. Illud de ipſo perhibetur , quod aliquando recurrentibus Pentecoſtes Solemniis , audiens in Odeo Hymnum pronunciari , quo Paraclyti Spiritus poſtulatur Adventus , ex illis verbis *Veni Creator Spiritus* , cum tribus ſequentibus verſiculis , puriſſimum hoc Anagramma in Virginis laudem memoriter compoſuerit : *Veniſti præcipuè totus raptus amore Virginis ter intactæ, terque prorſus immaculatæ* . Obiit , ut vixerat, religioſiſſimè in Cremonenſi Aſceterio .

Habentur ipſius :

I. Anagrammi puri, Sillabici, Latini ,e Volgari. MS. Codex in 4. magnæ molis , ſervatur in Bibliotheca Suorum Cœnobii SS. Coſmæ, & Damiani hujus Urbis. Continentur eo Volumine Anagrammata ſupra X. millia , quorum pleraque in laudem Immaculatæ Conceptionis.

Digitized by Google

nis . Ex his VII. millia, & D. è ſolis verbis Salutationis Angelicæ *Ave Maria gratia plena* , *Dominus tecum* , eduxit .

II. Elogia plura , & Carmina , in ejuſdem Deiparæ commendationem . Ea variis in Cœnobiis Suorum inciſa, vel ſcripta reperiri ab eiſdem audivimus .

Ejus Vitam cum Specimine nonnullorum puriorum Anagrammatum Syllabicorum tam Latino , quàm Italico idiomate concinnatorum , contexuit ejuſdem Ordinis ac Provinciæ Religioſus , & prodiit in lucem *Milano , nella Stamperia di Pietro Franceſco Malateſta* , 1741. in 4.

## MCCCCXXIII.

## De REPOSSIS PETRUS.

QUantumvis eruditiſſimi , & non de Prædicatorum Ordine tantùm , ſed de tota etiam Litteraria Republica benemeriti Viri Quetif , & Eccard in Bibliotheca ſua non meminerint Petri de Repoſſis Mediolanenſis , qui medio XV. Sæculo floruit ; tamen danda eis eſt venia , cùm nobis quoque idipſum evenire potuerit tam in hoc , quàm in aliis Scriptoribus , quorum MSS. Codices cum blattis , tineiſque luctantur . Oblatum nobis eſt Opus ejus, pro Sæculi , quo vixit , genio ſatis nobile , quod infra indicabimus , hocque unum fuit , unde ipſum Auctorem novimus in Ordine Prædicatorum recenſitum . Et quamvis ibi ſe Mediolanenſem apertè non profiteatur, nihiloſecius eum cæteris hujus Metropolis eruditis Viris duximus adjiciendum, cùm Familia ipſa hìc floreat, & vetuſtis etiam floruerit Sæculis, ut plura indicant ejuſdem Gentis nomina in publicis Tabulis ad rem noſtram non facientibus recenſita . Reliqua ad Scriptorem pertinentia ætas fortè aliquando in apricum proferet .

En Operis Inſcriptionem :

I. Tractatus de Caſibus Conſcientiæ , ordine alphabetico diſpoſitus , per Fr. Petrum de Repoſſis Ord. Prædic. MS. pergamen. in 4. cum miniaturis, & auro ſign.H. num. 6. in Biblioth. Ambroſiana pagg. 630. In fine ſic legitur : „ Finitum fuit hoc Opus per Fr. Petrum „ de Repoſſis Ordinis Prædicatorum , die X. menſis „ Januarii, anni MCCCCLIX. Opus cum fine, mer„ ces ſine fine . „ Codex iſte fuit quondam , ut in prima legitur pagina , Cœnobii Sanctæ Mariæ Coronatæ hujus Urbis , ad uſum F. Marcellini de Mediolano .

## MCCCCXXIV.

## RESTA ANTONIUS, ſeu ANTONIOLUS.

REſta Familia Mediolani admodum clara , olim Venetiis quoque inter Optimates adſcripta fuit, ut patet ex pervetuſto quodam Anonymi Auctoris Codice Archetypo in Bibliotheca perinſignis Abbatiæ S. Georgii, ut ajunt, Majoris Venetiarum aſſervato . Sunt enim in eo Venetarum Familiarum nomina exarata unà cum gentilitiis earum inſigniis , immo & præcipuis ſingulorum geſtis . Ibi pag. 55. propria ad rem noſtram verba vulgari Veneto ejus ætatis Dialecto leguntur : *Di Reſti . Queſti vene da Milan* &c. In alio etiam Codice MS. antiquiſſimo cum tabulis nigri coloris ibidem exiſtente circa medium hæc habentur : „ Di Reſti . E la Caſada del „ Magnifico M. Marco di Reſti Milaneſe , el qual „ fù aſſonto , e fatto del noſtro mazor Conſegio del „ MCCCLV. per haver così parſo alla noſtra Si„ gnorìa de honorarlo , attento i ſui boni meriti ver„ ſo el Stado noſtro, imperochè inſieme con M. Ben„ intendi Cancellieri della Signorìa noſtra fù media„ tor della Paſe trà la Signorìa , Zenoeſi , e la Caſa „ de Viſconti ; la qual Caſada mancò in Marco , o „ Mattìo de Reſti &c. „ Inter Mediolanenſes verò floruit eximiâ laude digniſſimus Antonius, ſive , ut communiùs eo tempore nuncupabatur , Antoniolus Reſta Alberti Domini Caſtri Novillii in Plebe Roſati filius . Felicibus illis vixit annis , quibus celeberrimus Franciſcus Petrarcha Mediolanenſem Urbem domicilio ſuo nobilitavit , tantoque Viro chariſſimus extitit , nam locum obtinuit inter XXX. ſelectos juvenes , qui Petrarchæ Academiam Linterni IV. ab hac Metropoli lapide ſitam, quò ille ſtudiorum cauſa ſecedere conſueverat, frequentabant . Coram Leonello Clarentiæ Duce, Anglorum Regis filio , cui tunc matrimonii vinculo juncta fuerat Violans Galeacii Vicecomitis filia, aliiſque plurimis Europæ Principibus , qui ad nuptiarum ſolemnitatem convenerant , jubente Petrarchâ , perelegantem habuit Antonius Orationem ; quod per vices XXX. alii quoque Academici feciſſe perhibentur . Neque tamen humanioribus ſolum diſciplinis emicuit Scriptor noſter , verùm etiam legibus dedit operam , atque in eis lauream eſt conſecutus ; tanta cum prudentiæ commendatione, ut cùm Joannes Vicecomes hujus Urbis Archipræſul , & Dominus , XII. Juriſperitis adhibitis Municipale Jus emendari anno MCCCXLVIII. imperaſſet , Reſta noſter inter eos fuerit computatus . Adhuc in vivis erat anno MCCCL.

Memorantur illius :

I. Oratio de Nuptiis Leonardi Clarentiæ Ducis , & Violantis Vicecomitis, de qua ſupra jam diximus, habita juſſu Franciſci Petrarchæ.

II. Jus Municipale Urbis Mediolanenſis , cum aliis Collegis ab ipſo emendatum .

De eo agunt Placidus Puccinellus in Chronico Glaſſiatenſi , Corius ad annum MCCCL. Comes Octavius Archintus in Collect. Monument. Famil. Mediol. , & Sitonus noſter in Schedis , cui etiam debemus Reſtarum geneſim ab Alberto , qui vivebat anno MCCC, ad Joannem Baptiſtam alibi laudandum deductam .

## MCCCCXXV.

## RESTA JOANNES.

JOannes Reſta Jacobo patre , matreque Cæcilia Rovidia nobilibus conjugibus ortus eſt in hac Metropoli, atque Franciſci nomine adeptus in ſacris undis, à parente Viro clariſſimo optimè educatus, humaniores litteras didicit à Joſepho Ripamontio, infra à nobis meritò laudando , qui tunc temporis Mediolanum accedens, illius domum, virtutum altricem aliquibus annis habitavit , ex quo & ipſum Jacobum litterarum ſemper amantiſſimum , plurimùm poſtea coluit , quippe qui ſub Viro tanto ad ſtudia jugiter illum excitantem , plurimùm ſe profeciſſe oſtendit. In Cœnobio Monachorum Caſſinenſium S. Petri in Glaſſiate inter Aſcetas adſcriptus fuit anno Mundi redempti MDCXV. die VIII. Junii, aſſumpto nomine Joannis . Virtutum deinde gradibus ad honores viam ſibi parans , Abbatiâ honeſtatus eſt in Comitiis Generalibus anno MDCXLIV. Poſtea in Viſitatorem primarium per Cœnobia Ciſalpinæ Provinciæ electus extitit , necnon Sancti Honorati Lirinenſis in Gallia Narbonenſi , ac Sancti Chryſogoni Jadrenſis in Ditione Dalmatina , eoque munere præclarè functus eſt . Innocentius X. Pontifex Max. inter charos habuit Joannem noſtrum. In Auguſtiſſimo Venetorum Collegio , illius virtutibus , ac meritis maturè perpenſis , à Sereniſſimo Principe Franciſco Erizo Privilegio donatus omnibus fruendi gratiis , favoribus , ac prærogativis, quibus gaudere ſolent oriundi à Dominio, & Veneta Civitate . Ad plures Italiæ Principes à Religione Orator ablegatus , ex voto omnia perficere ſolitus fuit. Hinc præclara de eo à Primatibus Mediolanenſis Civitatis exiſtimatione concepta, dignus eſt habitus , qui Orator ejuſdem Civitatis ad Catholicum Regem amandaretur ; exinde ad Abbatiam S. Simpliciani regendam tranſiit . Poſt obitum Abbatis Deſiderii Valle , iterum præficitur Mona-



Digitized by Google

naſterio Glaſſiatenſi Abbas anno MDCLII. Regimine hocce reſumpto, cuncta prænitenti prudentiâ, ac ſingulari providentiâ, frugalique aſſiduitate, omnibus & admodum gratâ adminiſtrabat. Inde Venetias ad Comitia Generalia contendit, ſupremoque in Magiſtratu, qui Deffinitoris dicitur, confirmatus, ſpem reliquit, ut anno futuro in Præſidem Generalem eligeretur. In Patriam periculoſo itinere magnos ob imbres reverſus, cùm eſſet propter exantlatos labores putrida febri oppreſſus, tertium poſt diem, III. Idus Julii MDCLIV. obiit, paupertatis religioſæ verè exemplum relinquens.

In obitu tanti Præſulis P. D. Primus Aloyſius de Tattis Congregationis Somaſchæ hoc Epigramma cecinit:

*Fundite perpetuos mœſtiſſima lumina rivos:*
*Extincta, heu, virtus, hìc jacet in Tumulo.*

Hinc meritò, jureque optimo Sebaſtianus Reſta, defuncti noſtri Præſulis fratris filius, lachrymas obortas cum gaudio ſic expreſſit:

*Concidit. Heu quiſnam! columen virtutis, bonorque,*
*Quem tellus laudum pondere preſſa tulit.*
*Concidit. Heu quantas expectant alta ruinas!*
*Dicite: An hic tumulus, fata, coloſſus erit?*
*Siccine funeſtas accendet gloria tædas,*
*Quemque tulit virtus, famaque, fata prement?*
*Quid video? Triſti miſcentur gaudia luctu,*
*Et dare jam lachrymas Præfica nulla poteſt.*
*Quis nunc mœſta vetat meritis dare corda ſepultis?*
*Quis tumulos lachrymis nunc cumulare vetat?*
*Exceſſit Terris (reſpondent facta Joannis*
*Reſtæ) immortali fax rediviva rogo.*
*Funera læta vigent? O compedis inſcia Virtus*
*Sic gaudes tumulis, funeribuſque tuis!*

Reliquit doctrinæ ingenii ſui fœtum, ſcilicet:

I. Lectiones in Cantica Canticorum.

De obitu ejuſdem extat etiam aliud Epigramma, atque Elogium ejuſdem Sebaſtiani Reſtæ, & pariter Diſty-ca varia Ferdinandi Puſterlæ.

Videndi ſunt Abbas Placidus Puccinellus in Chronico Glaſſiatenſi pagg. 279. & ſeqq. atque Marianus Armellinus in Bibliotheca Benedictino-Caſinenſi part. II. pag. 16, & Puricellus in Diſſertatione Nazariana cap. 9. num. 7. & cap. 158. num. 12.

## MCCCCX̃XVI.

## RESTA JOANNES BAPTISTA.

JOannem Baptiſtam Reſtam, nobili apud Mediolanenſes ſanguine ortum, Philippus ex Urſula Maria Coria uxore ſuſcepit. Quam à natura indolem hauſerat optimam, diſciplinis ſic coluit, ut Græcâ, Latinâ, ſacrâ, atque profanâ eruditione emicuerit. Legum etiam ſtudia adamavit plurimùm, in quibus Doctor renunciatus Collegio Juriſprudentum Mediolanenſium nomen dedit anno gratiæ MDCLXIII. Eloquentiæ laude clariſſimus fuit, & quantùm eminuit ingenio, ſic morum integritate præluxit. Nuptiarum inſcius, & à dignitatibus alienus vixit, quæ Juriſconſultis, & clarâ natis proſapiâ tantùm conferri ſolent. Cauſas in Foro non ſine laude tractavit, cùmque aliquando in Aula Collegii ſui abſque Togæ amictu ſententiam pronunciaſſet, Juriſperitus quidam id ægrè ferens, verba nonnulla pronunciavit, quibus ſignificabat id non decere Collegam. Hoc ut audivit Reſta, ſtatim reſpondiſſe fertur; præſtare abſque Doctoris inſigniis Cauſas diſcutere, quàm Togam perperam, factis dedecorare. Mox inopinatò forenſibus curis valedicens, ſibi tantùm, atque litteris inpoſterum vivere ſtatuit, deinde ingraveſcente jam ætate in Cœnobium Prædicatorum apud Euſtorgianam Baſilicam ſe recepit, quod etiam moriens ſupremis tabulis ex aſſe ſcripſit hæredem. Deſideratus eſt anno Salutiferæ Incarnationis MDCXCIX.

Ipſius hæ ſunt Lucubrationes:

I. Oratio habita in cooptatione Caroli Camilli Carcani in Collegium Juriſconſultorum, anno MDCLXIII. ex Hiſtoria MS. Familiæ Carcanæ, de qua jam diximus.

II. Tractatus Juridicus ſic inſcriptus: Mater per tranſitum ad ſecunda vota amiſit proprietatem lucrorum favore filiorum, iis præcedentibus non reacquirit proprietatem amiſſam, ſed tranſmittitur ad filiorum hæredes, ſive fratres ſint, ſive extranei, ſive teſtati, ſive inteſtati decedant, niſi pacto in tabulis matrimonialibus aliter conventum ſit. Quidnam ſit pactum, quo tempore Juſtiniani *taliter* conveniebatur. An hoc pactum poſſit *Mediolani* conſiderari, vel ex diſpoſitione Statutorum, vel ex ſolito modo nuptialium conventionum. ***Mediolani*, *per Carolum Federicum Gagliardum*. 1688. *in* 4.**

Opus hoc conſcripſit, ut ipſe teſtatur, juvenili ætate, ſed provectior illud typis tradidit. Talis verò hìc elucet eruditio, atque doctrina, ut Viri oſtendatur ingenium acre quidem, & vivax, & in hujus libri gratiam Æreo Numiſmate Imago Auctoris expreſſa in præfata Collegii Aula ad poſteritatis memoriam poſita fuerit.

III. Orazione Congratulatoria per la pace, recitata nella Cappella Reale del Palazzo di Milano, con l'aſſiſtenza del Conte di Fuenſaldagna Governatore dello Stato. *Milano, nella Regia Ducal Corte, per Giulio Ceſare Malateſta*, 1660. *in fol.*

IV. Sylva ingentis molis; quam collegerat, ut magnum Mediolanenſibus Juriſconſultis beneficium impenderet; recogitans enim ſecum unicum habere Inſubres Municipalis Juris ſui Commentatorem Horatium Carpanum à nobis jam commendatum, cujus ſcripta ſæculi vitio barbarie quadam redundant, ſibi propoſuerat Reſta noſter præcipuas Statutorum Quæſtiones elucidare, & germanam eorum interpretationem ſubjicere in Fori Mediolanenſis commodum. Ampliſſimam hanc, laborioſiſſimamque Collectionem MS. unà cum Bibliotheca ſua cæteriſque ſcriptis legavit Auctor Petro Paulo Curiono Juriſconſulto, atque Advocato.

V. Allegationes plures, è quibus Volumen unum, aut duo effici poſſet. Servantur impreſſæ, & MSS. in Collectionibus Archintea, aliorumque Juriſperitorum Mediolanenſium, à nobis perſæpè citatis.

De ipſo agit Sitonus noſter in Chron. Collegii JCC. pag. 224. art. 1000. & in Schedis, atque Placidus Puccinellus in Chron. Glaſſiatenſi pag. 308.

## MCCCCXXVII.

## RESTA JOANNES JACOBUS.

JOannes Jacobus Reſta, qui aliquando Jacobus tantùm dictus reperitur, parentes habuit Joannem Baptiſtam, atque Blancam Seronam, nobiles conjuges Mediolanenſes. Liberales inter diſciplinas diligentiſſimè educatus, ſic politiores amavit litteras, ut anno MDCI. ad eloquentiæ Cathedram in Scholis Palatinis regendam fuerit aſſumptus. Celeberrimos ſui ſæculi Eruditos coluit, quos inter memorare juvat Erycium Puteanum, Juſtum Lipſium, Joſephum Ripamontium, Benedictum Sociacum, atque Trajanum Boccalinum. Mecœnas etiam fuit doctorum Virorum adeo, ut ipſis ædes illius ſemper paterent, & hoſpitibus litteris excultis redundarent. Hujus Me-

tro-

Digitized by Google

tropolis Regiis Moderatoribus acceptiſſimus, ſcilicet Carolo de Aragonia Terræ novæ Duci, Ferdinando Velaſco Comeſtabili Caſtellæ, atque Petro Enriquez Fontium Comiti, & in graviſſimis negotiis eſt adhibitus. Præfuit anno MDXC. molitioni Curiæ rerum Capitalium Præfecti, in cujus fronte illius gentilitium Stemma inter alia Regiorum Miniſtrorum, atque Inſcriptio ab eo compoſita viſuntur. Plura quoque geſſit pro Patria munera; nam inter XII. Ædiles anno MDLXXXVII. computatus eſt. Annonæ Judex annis MDXCV. atque MDCII. electus, integritatem ſummam præſetulit. Ex Cæcilia Rovidia nobili matrona, quam ſibi connubio junxerat, Joannem genuit antea laudatum, cùmque VI. Kal. Septembris anno Chriſti MDCXIII. ætatis ſuæ LIII. mortem obiiſſet, in Baſilica Euſtorgiana apud avorum cineres tumulatus fuit. Præter alia infra memoranda, hoc ei condidit Epitaphium præfatus Benedictus Sociacus, quod publici fecit juris Joannes Petrus Puricellus in Diſſertatione ſua Nazariana Cap. CLVIII. numero XI.

*Inſubrum flos hic Procerum, flos unicus ævi:*
*Patria quem Civem, Gens Reſtia ſanguinis unum*
*Magnanimis adnectit Avis, ut amabile numen*
*Nomine quemque ſuo donavit Divus Iberum,*
*Cum veterem ablueret maculam luſtralibus undis:*
*Hic jacet. Ulteriùs mores ne quære Viator,*
*Virtuteſque Viri. Meruit, non Urbis haberi*
*Deliciæ unius, ſed totius Orbis amores.*
*Nam cui tantus amor Patriæ? Cui tanta fovendis*
*Gratia in hoſpitibus, vel amicis cura juvandis?*
*Cui tantus fuit oris honos? Cui gratior unquàm*
*Vox imitata favos, vox placatura colubros?*
*Olli Grajugenum ne ſe, ne conferat ullus*
*Romulidum: ſive urbanis condiverit omnes*
*Sermones ſalibus: ſeu mobile vulgus habenis*
*Flexerit eloquii. Nulli torrentior unquàm*
*Copia dicendi: nulli vis acrior unquàm*
*Vis animi memoris viguit, ſeu mente fideli*
*Facta renarraret veterum, ſeu dicta referret.*
*Blandus, dulce loquens: nulli conceſſa facultas*
*Ingenii major, varium dum Carmen hiaret,*
*Hetruſcaque lyræ fidicem, fidicemque Latinæ.*
*Sparge pias lachrymas, pacemque precare ſepultis*
*Oſſibus: hoc ſaltem Manes cumulentur honore.*

*Benedictus Sociacus Viro clariſſimo,*
*& omni immortalitate digniſſimo.*

Scripſit:

I. Epigrammatum libros II. hos verò MSS. fuiſſe conjicimus, cùm nuſquam eos reperire nobis datum fuerit. Id poſterorum memoriæ commendavit citatus Benedictus Sociacus lib. VII. Epigram. pag. 257. hæc ſcribens:

*Reſtam ſic jubeo, patrem leporum*
*Dulces hendecaſyllabi rogate,*
*Ut duplex Epigrammatum Volumen*
*Mittat continuò, quibus reguſtem*
*Grajorum Veneres, Cupidineſque,*
*Et poſſim nova mella mutuari &c.*

Quibus ex Carminibus eruitur etiam Epigrammata Reſtæ vel omnia, vel ſaltem aliqua Græcâ linguâ conſcripta fuiſſe; quod etiam confirmare videtur ſupra jam relatum Epitaphium.

II. Inſcriptiones XII. ad Statuam Philippi II. Hiſpaniarum Regis in fronte Collegii JCC. ſub maxima campanaria Turri erigendam. Eas edidit Placidus Puccinellus in libro mox citando pagg. 293. & ſequentibus.

III. Alias Inſcriptiones plures; quas inter commendantur una impoſita tumulo Hieronymi Caſoni Opitergini amici ſui dilectiſſimi, quam idem Puccinellus dedit pag. 292. Altera marmori inciſa in magnifico Templo Deiparæ ad Sanctum Celſum hujus Urbis, ad Sepulchrum celeberrimi Sculptoris Annibalis Fontanæ Mediolanenſis. Tertia verò & ipſa marmori inſculpta imminet Valvis laudatæ Curiæ Præfecti rerum capitalium.

IV. Prolixam Epiſtolam, ſeu potiùs, ut videtur, Diſſertationem ad Juſtum Lipſium, de qua Lipſius ipſe in reſponſione data Lovanii Kal. Aprilis MDCII. hæc ſcribit: „ Amica, atque diffuſa ſcriptio tua, etſi in „ morbo, ad reſpondendum impulit &c. Prudentia, „ & virtus tua (non blandior) ex ipſo charateriſmo „ ſcriptionis tuæ innotuit, neque opus teſtimoniis, „ vel productione Puteani noſtri fuit &c. „ Integra legitur in ejuſdem Lipſii Centuria IV. miſcellanea; Epiſtola IX.

Alias ad Reſtam noſtrum dederunt Litteras Hieronymus Boſſius Ticinenſis, cujus habemus VII. inter hujus editas, & Erycius Puteanus ſatis prolixam in commendationem hiſtoriæ, datam Francofurti anno MDCI. & eſt XCIV. inter ipſius impreſſas.

Plura Epigrammata ſparſim ad ejus laudem leguntur inter Carmina citati Benedicti Sociaci, aliorumque.

Commendant illum Placidus Puccinellus in Chronico Glaſſiatenſi; Joannes Petrus Puricellus in Diſſert. Nazariana loc. cit. Sitonus humaniſſimus in Schedis, & Picinellus in Athenæo pag. 246.

## MCCCCXXVIII.

## RESTA LAZARINUS.

Simon Reſta, Civitatis Mediolani Decurio, anno MCCCLXXXVIII. filium habuit Lazarinum noſtrum, qui Ducalis Aulicus ſub Duce Joanne Galeacio Vicecomite claruit anno MCCCC. necnon Pontificius à Secretis ſub Alexandro V. Pontifice Maximo extitit anno MCCCCIX. Cæſareuſque Comes Palatinus creatur, unà cum Joanne Jona, & Jobo ejus fratribus anno MCCCCX. Lazarini hujus nomen occurrit in pluribus Gaſparini Barzizii litteris infra recenſendis, ex quibus apparet, Danieli Victurio, Andreæ Juliano, & Franciſco Cardinali Zabarellæ ipſum chariſſimum fuiſſe, litteriſque eleganter excultum, & exſcribendis Codicibus ſummopere deditum. Parum ſupereſt de ipſo, ſed ſatis ad ejus doctrinam agnoſcendam, ut infra. Annum verò, quo inter vivos eſſe deſiit, ignoramus.

Hæc de ipſo damus:

I. Epigrammata varia Latina; extant inter illa Petri Candidi Decembrii in MS. iſtius pluries à nobis citato, apud Patres Teatinos hujus Urbis.

II. Epiſtola Lazarini Reſtæ Scriptoris Apoſtolici Petro Candido Decembrio data I. Octobris MCCCCIII. Eſt in Collectione Epiſtolarum ejuſdem Decembrii, in Bibliotheca Ambroſiana, alibi à nobis enunciata.

III. Epiſtolæ plures ad Gaſparinum Barzizium ſcriptæ, ſicuti à ſequentibus ejuſdem Barzizii eruitur, nempe:

Epiſtola ad Joannem, & Lazarinum de Reſtis data Patavii IV. Kal. Junias MCCCCX. de morte Summi Pontificis Alexandri V. Incipit „ Redditæ ſunt mihi „ litteræ veſtræ, inſignes, & optimi Viri, quæ an „ plus mœroris, quàm gaudii attulerint, non facilè „ dixerim. „ Extat in Libro, cui titulus „ Gaſpa„ rini Barzizii Bergomatis, & Guiniforti filii Opera. *Romæ*, 1723. pag. 93.

Ejuſdem altera Epiſtola ad Lazarinum Reſtam, data Patavii V. Kal. Julias MCCCCXL. Dolet de morte Catharinæ Sororis: Incipit „ Quamvis tardè mihi „ redditæ fuerint litteræ ſuper morte Catharinæ So„ roris tuæ fœminæ optimæ &c. „ ibid. pag 95.

Ejuſdem Epiſtolæ aliæ ad eundem Lazarinum datæ Patavii X. Kal. Decembris MCCCCX. VIII. Kal. Januanua-

nuarias ibid. & MCCCCXI. altera ejuſdem anni, extant pagg. 111. 113. & 133.

Memoratur in Diatriba Præliminari ad Franciſci Barbari Epiſtolas, Auctore Cardinali eximio, doctiſſimoque Quirino, *Brixiæ*, 1741. *in* 4., necnon in pluribus Documentis Gentis Reſtæ à Clariſſ. Advocato Sitono collectis anno 1731.

## MCCCCXXIX.

## RESTA MARCELLINUS.

Marcellinus Reſta Mediolanenſis, quem nos omnium primi in hanc litterariam ſcenam adducimus, Vir fuit omnigenâ eruditione ornatus, ut ſatis oſtendit Opus illius infra recenſendum. Ordini Minorum, in eorum Cœtu, qui Reformati appellantur, adſcriptus fuit, & ſuperiore Sæculo in finem vergente floruit. In Nuncupatoria ad Inſubriæ Moderatorem, data Mediolani die II. Junii, anno Salutis MDCLX. Eruditos ſui temporis ſæpe cum eo ſermones miſcuiſſe ſcribit de politicis præſertim rebus ad Statum Italiæ ea tempeſtate pertinentibus. In opere verò magna ſe familiaritate olim conjunctum fuiſſe aſſerit cum Archiepiſcopo Urbinate eo tempore, quo cum munere Nuncii Apoſtolici ad Venetam Rempublicam hic miſſus fuerat ab Urbano VIII. anno ſcilicet MDCXXXIV. Hæc ex ipſius hauſimus Opere, cætera verò ad eundem Scriptorem pertinentia, fruſtra etiam à Suis quæſivimus.

Scripſit Opus hoc titulo:

I. Le Forze d'Italia: Diſcorſi Politici del P. Marcellino Reſta Reformato Franciſcano. MS. in fol. juſtæ molis, extat apud humaniſſimum, nobiſque apprimè charum Canonicum Joannem Andream Iricum.

## MCCCCXXX.

## RESTA MICHAEL.

Breviter cum Abbate Picinello nobis verba ſunt facienda de Michaële Reſta Mediolanenſi Patricio, nam præter nudum titulum, immo reſectum Libri infra recenſendi, nil amplius nobis in ſuo Athenæo dedit, nihilque ultra invenire licuit, etſi nullo labore poſthabito, ut inſtitutum meum proſequendo Lectores inſtruere de hoc Reſta ultra poſſem. Accipiant igitur quod licet, nempè deſcriptionem Opuſculi Michaëlis noſtri, ut jacet in Chronico Glaſſiatenſi Abbatis Placidi Puccinelli, qua occaſione idem memorat alios duos Viros præſtantiſſimos Gentis Reſtæ, ſcilicet Raymundum, qui, ut ſcribit Corius anno MCCCLXXVII., ſimul cum Gabriele Corio, uti omnium Mediolanenſium ditiſſimus fidejuſſor fuit Bernabovis Vicecomitis pro centum millibus aureis florenis, quos Bernabos aſſignabat Antoniæ Valentiæ filiæ, uxorique Petri Regis Cypri eodem anno, & Antonium Reſtam Præpoſitum Domus Portæ Vercellinæ Mediolani, Ordinis Humiliatorum, Virum magni conſilii, ac ſapientiæ, qui interfuit Concilio Piſano anno MCCCCIX.

En uti inſcribitur Michaëlis Reſtæ liber:

I. Compendio di Lettere di belle, e ſottiliſſime finzioni, con le alte, e belle allegoriche eſpoſizioni, coſe morali, virtuoſe, e dilettevoli. *Venezia*, *preſſo Domenico Ferri*, 1566. *in* 12.

II. Il Capriccio, nel quale ſi contengono degne Poeſie, Allegorie, Dizioni Morali ec. Extat in eodem Libro, qui Chriſtianiſſimo Regi Francorum Carolo IX. nuncupatur.

Videantur citatum Chronicon Glaſſiatenſe, & Abbas Picinellus in Athenæo pag. 488.

## MCCCCXXXI.

## RESTA SEBASTIANUS.

Sebaſtianus Reſta Philippi Jacobo geniti, necnon Mariæ de Abdua nobilium conjugum filius, ortus eſt Mediolani anno redempti Orbis MDCXXXV. Prima litterarum rudimenta in Seminario Majori recepit, ibidemque publicè Theſes Philoſophicas tam ſolidè defendit, ut in eadem facultate à Cardinali Archiepiſcopo Litta laureâ inſigniri meruerit; deinde in Collegium Ticinenſe Borromæum ſe contulit, ad Jura tam Cæſarea, quàm Pontificia ediſcenda, & tam feliciter hoc egit, ut anno MDCLX. inter J.PP. Nob. Patriæ Collegii adſcriptus fuerit. Romam inde profectus, ibi Congregationem celeberrimam S. Philippi Nerii ingreſſus eſt anno MDCLXV. ibidemque non tam morum integritate, quàm vitæ probitate claruit. Scientias quoque nunquam deſeruit, immo Architecturam, atque Picturam ſingulariter adamavit, ideoque amicos habuit celeberrimos in hac Arte Viros Carolum Marattam, Joannem Baptiſtam Morandum, atque Cirum Ferrum, quorum ultimus, Sebaſtiano noſtro inſtante, periſtromata delineavit pro Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris Bergomi. Inſignium Virorum delineamenta undique & ingenti ſumptu collegit, ut ex iis duo integra Volumina confecerit, quorum unum ad Catholicum Regem Philippum V. dono miſit. Rerum ad Litteras pertinentium ſcrutator aſſiduus fuit uſque ad vitæ ejus exitum, qui accidit anno noſtræ Redemptionis MDCCXIV. ætatis verò ſuæ LXXIX.

Eruditionis ipſius Monumenta hæc ſunt:

I. Epigrammata duo in Funere Joannis Reſtæ Patrui de quo egimus.

II. Elogium eadem occaſione compoſitum.

III. Epigrammata duo Latina, & alterum Italicum in laudem Abbatis Placidi Puccinelli, extant in fronte Chronici Glaſſiatenſis.

IV. Maria Vergine Legislatrice: Panegirico detto in Santa Maria Porta, all'Eminentiſſimo Cardinal Melzi Arciveſcovo di Capua. *Milano*, *preſſo il Malateſta*, 1658. *in* 4.

V. Orazione Funebre detta in Roma l'anno MDCCIX. per le Eſequie dell'Eminentiſſimo Cardinale Colloredo. MS.

VI. Inſcriptiones II. altera in Funere ſupradicti Cardinalis Colloredi, altera occaſione, qua depoſitum fuit cadaver Svecorum Reginæ anno MDCLXXXIX. in fronte Eccleſiæ S. Mariæ Novæ expoſita. MS.

VII. Adnotationes plures ad Opus Academiæ nobiliſſimæ Artis Pictoriæ Jacobi Sandrar. MSS.

VIII. Vita di Carlo Agazzi Sacerdote Bergamaſco. MS. Extant omnes apud Suos in Alma Urbe.

Partim eruimus ex ſupradicto Chronico Glaſſiatenſi, in quo reperitur etiam Epiſtola ejuſdem Puccinelli data menſe Januario MDCLV. ad nobilem ac eruditum adoleſcentem Sebaſtianum Reſtam, unà cum Arbore Genealogico Familiæ Reſtæ, partim ex Athenæo Picinelli pag. 488., & ex Sitoni Chronico Colleg. J.PP. pag. 222. art. 992. reliqua verò à Suis nobis perhumaniter ab Urbe Româ ſcripta fuere.

MCCCCXXXII.

Digitized by Google

## MCCCCXXXII.

## RHAUDENSIS ALEXANDER.

Alexander nobili Rhaudenſi Familia, quæ ab Oppido Rhaude in Ducatu Mediolanenſi cognomen eſt ſortita, in hac Urbe genitus, parentibus Carolo, atque Paula Vicecomite jugalibus, ita ſcientias, Legales præſertim, coluit ſub Cœphalo Inſtitutore peritiſſimo, ut Doctoralibus perceptis inſigniis in Collegium Juriſconſultorum anno ſalutiferæ Incarnationis MDLXX. jure fuerit cooptatus. Ejus doctrinâ perſpectâ primariam obtinuit Juris Civilis Cathedram in Archigymnaſio Ticinenſi, ubi veſpertinis horis magnâ cum laude annos aliquot Cæſareas leges interpretatus eſt. Diſcipulum habuit Melchiorem Alciatum à nobis alibi commendatum. Inde Piſam evocatus, ut in ejus Urbis Lycæo prælegeret, conceptam de ſe ſpem non fefellit. Ibi, ut ipſe refert Auctor noſter Conſil. lib. VI num. LI. & memorat quoque prælaudatus Alciatus in Tractatu de Præcedentia pag. 78. num CIC. quamvis extaret Decretum, quo cavebatur ſeniores Lectores aliis eſſe præferendos, tamen Ferdinandus Mediceus, Alexandro ſingulari privilegio præcedentiam omnium Lectorum conceſſit. Quod ideo retulimus, ut pateat quanta eſſet tanti Viri exiſtimatio, cui & Princeps tam magnum honorem impertiretur, & reliqui anteceſſores libentiſſimè cederent. Ipſum etiam expetiere XL. Senatores dilectiſſimæ Patriæ meæ Bononiæ, ut clariſſimum illud toto terrarum Orbe Archilycæum Alexandro docente illuſtrius fieret, jamque ſedente in Petri Solio Gregorio XIII. Pontifice Maximo, ad hoc munus ab eis Rhaudenſis fuerat electus, ſed dum illud negotium ageretur, nunciatum eſt repentè Catholicum Regem in Ampliſſimo Patrum Conſcriptorum Inſubriæ Ordine Rhaudenſem collocaſſe. Noverat Viri præſtantiam Matritenſis Aula; cùm enim ad eam ſe contuliſſet, ibi Trivultiorum cauſam coram Leonardo Errera, Julio Claro, Franciſco Ernando de Levano, Scipione Cutenario, & Auguſtino Ghiſulphio Regentibus, prima vice doctiſſimè diſputavit. Munus ſibi commiſſum integerrimè rexit ad annum uſque MDCXXVII. ætatis ſuæ LXXXIV. quo ſemper victurus interiit. Tumulatus eſt in Templo Divi Barnabæ Mediolani ſub hoc Elogio:

ALEXANDRO RHAVDENSI
MEDIOLANENSI
IVRISCONSVLTO COLLEGIATO
BVRGHETTI DOMINO
QVI VNDIQVE CONSVLTISSIMVS
TICINI PISISQVE EDOCENS
AD SVMMOS MAGISTRATVS MVLTOS INSTRVXIT
SCIENTIA BONI ET AEQVI CONTENTVS IPSE
CVRIS SECVLARIBVS ABDICATIS
IN FACILI SENECTVTE SIBI QVOQVE VIXIT
VT AETERNVM FELICIOR VIVERET
OBIIT ANNO AETATIS SVAE LXXXIV.
ANSELMVS NEPOS
EX TESTAMENTO PAVLI PATRIS SENATORIS
ANNO MDCXXXII. F. C.
FERVIDA MOTV
( *Hic viſitur Rota*, *Stemma Familiæ* )
LABIMVR PVNCTIS.

Ex Livia Raggia Fliſca, quam uxorem duxerat, celebres filios ſuſcepit, Paulum ſcilicet Senatorem, Jacobum, & Joannem ambos è Societate Jeſu, quos locis ſuis laudabimus.

Hæc ſunt, quæ ſcripſit, à nobis accuratiſſimè collecta:

I. Tractatus de Analogis Univocis, & Equivocis. *Venetiis*, *apud Somaſchum*, 1587. *in fol.* In Appendice aſſerit Auctor, ſe expleviſſe hoc Opus die XXV. Octobris anno MDLXXXVI.
Idem Opus cum Notis MSS. ab incerto Auctore, qui eas incœpit dum Papiæ publicè doceret anno MDLXXXV., & finem eis dedit Mediolani anno MDCXV. extat penès Comitem Ludovicum Archintum Quæſtorem Magiſtratus Reddituum Ordinariorum hujus Urbis.



II. Conſiliorum, & Deciſionum Vol. II. *Venetiis*, *apud Somaſchum*, 1595. *&* 1596. *in fol.*

III. Piſanæ Deciſiones, in quibus maxima quæque juris diſcrimina circa Principum ſucceſſiones, privatorum contractus, & ultimæ voluntatis terminantur. *Francofurti*, 1600. *in* 4. *Spiræ*, 1602. *in fol.* *&* *Mediol.* 1603. *in fol*

IV. Variæ Reſolutiones Legales. *Mediolani*, *apud Locarnum*, 1608. *in fol* *&* *Venetiis*, *apud Societatem.*

V. Juris Utriuſque Deciſiones ampliſſimi Senatus Mediolani, & aliorum Supremorum Magiſtratuum. *Mediolani*, *in* 4. *&* *Francofurti*, 1600. *in* 4.

VI. Tractatus de Contractibus emphyteoticis Eccleſiarum. *Papiæ*, *apud Vianum*, 1550. *in* 4.

VII. Conſilium ad Cauſas ultimarum voluntatum, extat inter illa Ziletti. Vol. I. Conſ. CXLI. pag. 275.

VIII. Species Facti declarationis in cauſa inter Collegium Borromæorum, & Annibalem de Curte. *Papiæ*, 1591. *in* 4.

IX. Oratio habita coram Senatu, & Magiſtratibus in cooptatione Jo. Baptiſtæ Caſtillionæi. *Mediolani*, *apud Pontium*, 1575.



Digitized by Google

X. Reſponſum I. II. III. & IV. de legitima ſucceſſione in Portugalliæ Regnum. *Mediolani*, 1579. *&* 1580. necnon *Papiæ*, *apud Bartholum*, 1581. *in* 4.

XI. Informatio Juris, & Facti in Cauſa Banchi Sancti Ambroſii pro aſſerenda ejus juſtitia, ac omni ſuſpicione uſurariæ labis abſtergenda. *Mediolani ſine anno, & Typographi nomine*, *in fol.*, & iterum ibi *apud Malateſtas*, 1608. *in* 4.

XII. Reſponſum concernens præcedentiam Auditoris ad Tribunal Sanitatis: citatur in Statutis Collegii J. PP. num. 84.

XIII. Origine, ed Antichità della Famiglia Rhò.

XIV. Epiſtolæ plures ad Federicum Cardinalem Borromæum datæ annis MDXCV., MDXCVI., & MDXCIX. Extant in ſæpè laudata Collectione ejuſdem Card. in Biblioth. Ambroſ.

XV. Allegationes V. pro Feudis Scaramporum contra Comites de Valperga. *Ticini*, 1583. *in fol.*

XVI. Aliæ plures extant Mediolani apud J. CC., & Papiæ in Archivo S. Salvatoris.

Laudatur à Paulo Moriggia Nobil. Mediol. lib. 3. cap. 4. à Fontana in Bibliotheca Legali part. II. pag. 142. à Laſor à Varea, à Sitono in Theatro J. PP. Coll. Mediol. pag. 148. art. 597., & à Picinello in Athenæo pag. 13., necnon à Patre Beretta in ſuis Schedis.

## MCCCCXXXIII.

## RHAUDENSIS ANTONIUS.

ANtonius Rhaudenſis in Oppido Rhaude Mediolanenſis Ducatus in lucem editus puer adhuc ſub Matthæo Cremonenſi grammaticæ rudimenta percepit, mox inter optima diſciplinarum ſtudia adultus Minorum Regulam amplecti ſtatuit, & in eo Cœtu ſacras litteras diligenter didicit, adeo ut ſuæ tempeſtatis celeberrimos Theologos æquaret. Oratoriam etiam & Poëſim adamavit, immo publicus eloquentiæ Profeſſor extitit in hac Metropoli ſub Philippo Maria Mediolani Duce. Geometriam, Analyticam, Aſtronomiam, ac Leges quoque ſe didiciſſe teſtatur in Apologia à nobis infra num. XI. recenſenda. Cùm à ſtudiis vacaret amicos colere ſolebat, quos ipſe eodem loco numerat, ſcilicet Hippolytum Stuppanum, & Leonardum Cremonenſem eximios ſui Ordinis Theologos; Bartholomæum Capram Mediolanenſem Archiepiſcopum, atque Franciſcum Regatium Bergomenſem Antiſtitem conſodalem ſuum. Petrum quoque Candidum Decembrium, quem vocat Papalem, Ducalemque Secretarium, inter amicos ſuos enumerat, alioſque illius ævi doctiſſimos Viros. Laurentio etiam Vallæ fuit aliquando amiciſſimus, atque ab eo in Dialogis tribus de Voluptate, & vero Bono primas obtinuit; at Vallæ poſtmodum indignationem incurriſſe traditur, quod in latino ſuo Opere aliquo ipſius elegantias contemſiſſe viſus fuiſſet. Ingens propterea inter eos exorta ſimultas eruditis omnibus nota, ob editas à Valla adnotationes in errores Antonii Rhaudenſis, quæ ad Joannem Lucinum Alphonſi Regis Secretarium miſſæ, publici juris ſæpè factæ ſunt cum elegantiis prælaudati Vallæ. Orationibus habitis claruit Rhaudenſis noſter, atque magnam ſibi comparavit famam apud Cives Mediolanenſes. De Orationibus autem ipſis his verbis loquitur in præfata Apologia: „ Habui poſt hæc (ſtudia videlicet jam enun„ciata) ætate vegetiore Orationes compluſculas, & „ eas ſolutas quidem, nunc in Sanctorum laudibus, „ nunc in patriciorum Virorum funeribus, atque „ præſertim aliquot pro Clementiſſimo Principe Phi„lippo Maria Mediolani Duce &c. Addens ſæpè ſe publicè dixiſſe coram Senatu, Magiſtratibus, atque Archipræſule. Tum ſubdit: „ His coram Orationn„culis habitis cœpi Religionum ritu in Eccleſiis con„cionari &c. Exiſtimavit Camuſatius in Obſervationibus ad Ciacconium pag. 869. alium floruiſſe Antonium Rhaudenſem noſtri coævum, quem ille Grammaticum vocat, & eloquentiam Mediolani profeſſum fuiſſe affirmat, cui etiam tribuit Librum de Imitatione. Verùm (tanti Viri pace dictum ſit) allucinatus eſt, & quidem vehementer, nam inferiùs proferemus Coſmæ Raymundi Exhortatoriam ad F. Rhaudenſem Theologum, ut Librum edat de Imitatione eloquentiæ. Ex quo eruitur ſphalma Camuſatii, & Moriggiæ noſtri, qui in Hiſt. Mediol. lib. I. cap. 59., & lib. III. de Nobilit. Mediol. cap. 30. Auctorem hunc Franciſcum appellat, arbitratus Litteram F. Franciſcum innuere, cum potiùs legendum ſit *Fratrem*, ut Cœnobitæ ſolent nuncupari. Quis fuerit Rhaudenſi annus ſupremus nemo hactenus indicavit.

Quæ ſequuntur partim ab aliis de Auctore noſtro jam prolata fuere, partim verò nunc primùm exhibere nobis datum eſt:

I. Lactantii Firmiani Errata, quibus ipſe deceptus eſt, per Fratrem Antonium Rhaudenſem Theologum collecta, extant in editione ejuſdem Lactantii. *Romæ*, 1478. *in fol.* & alibi cum ipſo impreſſa. Caſtigatus autem fuit Antonius ipſe à Fratre Adamo Genuenſi Epigrammate Latino, quod legitur in Magna Bibliotheca Eccleſiaſtica loco ſubter indicando, ubi hæc verba quoque ſubjiciuntur: „ Sexagin„ta ſunt errata, quæ in Lactantio deprehenderat „ Antonius, eorumque Indicem Capitum indici „ ſubjunxit. Nonnulla reperies, in quo Lactantii „ fidem ſubleſtam facere aggreſſus, ipſe non pa„rum peccat, ut obſervat Rivetus in Tract. de „ Patrum Auctor. pag. 58. ante Criticum ſacrum. „ Iis etiam verbis Rhaudenſi ſcripſit Philelphus „ lib. V. Epiſt. pag. 38. quæ intempeſtivam ejus cri„ticem parum probaſſe, immo, & maximoperè „ vituperaſſe teſtatum faciunt: eumque, ut ſincerè „ errorem ſuum agnoſcat, atque etiam retractet, „ adhortatur. Cùm autem hæc Epiſtola ad III. „ Kal. Jan. A. MCCCCXLIII. ſcripta ſit, veriſimil„limum putat Vir eruditus Dion. Camuſatus in „ Obſerv. ad Ciacconium pag. 869. eundem eſſe „ hunc indicem, ſaltem quoad Errata in Lactan„tio animadverſa, cum Libris tribus Dialogorum „ in Errata Lactantii Firmiani ad Eugenium IV. „ ab Ant. Rhaudenſi ſcriptis, & etiamnum in Bi„blioth. Regia extantibus Cod. 3980. „ Extat quoque MS. in Ottoboniana.

Laurentius Valla edidit etiam Adnotationes in errores Antonii Rhaudenſis, ut jam diximus.

II. Fratris Antonii Rhaudenſis ex profeſſione Minorum Theologi de Imitatione Eloquentiæ liber. Extat in Codice MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. H. num. 49. in fol. cui præfigitur Coſmæ Raymundi Exhortatoria ad Fratrem Antonium Rhaudenſem Theologum, ut librum cudat *de Imitationibus Eloquentiæ*. Extat quoque in Biblioth. Cathedralis Patavinæ Plut. XVI. incipit „ Sæpiùs videbam &c. ad Cardinalem Comenſem. MS. in fol ex Thomaſino.

III. Epiſtolæ II. altera „ perinſigni ac ſplendidiſſimo Viro „ Mapheo de Muzzano Ducali Secretario F. Antonius „ Rhaudenſis ex Profeſſione Minorum Theologus ſa„lutem, quæ in Chriſto vera eſt optans dicit &c. Eſt pagg. 10. eruditiſſima; altera Andreæ Imperiali ex Ducalibus Conſiliariis, Philoſophica, & erudita pagg. 10 Extant in eodem Codice.

IV. Orationes II. pro Illuſtriſſimo Principe Philippo Maria Mediolani Duce; altera edita fuit per ipſum Rhaudenſem, & acta in die anniverſaria Principatus ſui; Altera pro eodem Principe ab ipſo Auctore pronunciata. Adſunt in duobus MSS. Ambroſianæ Bibliothecæ ſign. M. num. 44. in 4., & H. num. 48. in fol.

V. Epiſtola ad Bartholomæum Bayguerram Virum pyerium, quæ ſic inſcribitur: „ Frater Antonius Rhau„denſis ex Profeſſione Minorum, ac Sacræ Theo„logiæ Magiſter. Ex Clauſtro Brixienſi Kal. Sexti„libus ſine anno. Extat ad calcem MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. A. num. 6. in fol. cui titulus: „ Itinerarium Bartholomæi Bayguerræ Brixienſis. Eſt Carminibus expreſſum Sæculi circiter XIV. quod commendatur in ſupradicta Epiſtola ab Auctore noſtro.

VI. Metrica Commendatio Summi Pontificis Martini V. per F. Ant. de Rhaude Ordinis Minorum compilata, ad Dominum Bartholomæum de Capra Mediolani Archiantiſtitem deſtinata. In fine „ Scripta „ Secundæ Romæ prid. Kal. Januarias per tuæ Re„verentiæ filium F. Ant. de Rhaude Ord. Min. „ pagg. 5. Extat in MS. Cod. Biblioth. Ambroſ. ſign. B. num. 116. in fol.

VII.

Digitized by Google

VII. Oratio de laudibus Illuſtriſſimi armorum Principis Nicolai Picinini, MS. in Codice Ambroſiano ſign. B. num. 124. in fol. inter eos in 4. pagg. 12.

VIII. De numero Oratorio libellus. MS. Extat in eodem Codice.

IX. Oratio acta in funebribus exequiis pro Ambroſina Fagnana Conſorte Vitaliani Bonromei anno MCDXLI. de menſe Novembri, vel circa. MS. in Codice Ambroſiano ſign. H. num. 48. in fol.

X. Epiſtola ad Virum inſignem Mapheum Vegium. Extat in eodem Codice.

XI. Apologia Fr. Antonii Rhaudenſis adversùs Archidiaconum quempiam, compliceſque ſycophantas teterrimos, ſcripta ad Antonium Maſſam Minorum Generalem MS. in 4. Bibliothecæ Ambroſianæ in pergameno, cum miniaturis, & auro, autographus ſign. M. num. 49. in 4. de qua diximus in vita Scriptoris noſtri.

Defenſio pro Fr. Rhaudenſi ad P. O. contra calumniatorem incognitum per Coſmam Raymundum Cremonenſem, Carmine heroico conſcripta. Eſt in Codice Ambroſiano ſign. B. num. 124. in fol. inter eos in 4.

XII. Hiſtoria Philippi Mariæ Ducis Mediolani. Hanc MS. ſe vidiſſe Laude aſſerit in ſuis Schedis P. D. Gaſpar Beretta.

XIII. Genealogia Scipionum, & Catonum. MS. in Bibliotheca Sluſiana. Ex Montfauconii Bibliotheca MSS. pagg. 62. & 186. reperitur etiam in Ottoboniana.

XIV. Homeri Vita in Latinum tranſlata. Ex Epiſtola Petri Candidi Decembrii ad Antonium Rhaudenſem in Codice Epiſtolarum ejuſdem MS. in Ambroſiana Bibliotheca.

XV. Carmen ejuſdem ſatis longum in laudem Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolani Ducis. Extat inter Opera MSS. Petri Candidi Decembrii in Biblioth. PP. Teatinorum S. Antonii Mediolani.

XVI. Commentaria in libros de Fortuna, atque de bonis, & malis fœminis Bonini Mombritii. Ex Schedis meis, ubi ſic adnotatum invenio. „ Antonio da Rhò gran Teologo, e Poeta, quale commentò „ molti libri, e fra gli altri quelli della fortuna, „ a Galeazzo Maria Duca di Milano, quale fù „ molto grato ad eſſo Duca; ed un'altro delle „ buone, e cattive Donne à Bona Ducheſſa Mo„ glie del ſuddetto Duca; ſed undè hoc hauſerim excidit.

Epiſtola Antonii Panormitæ Antonio Rhaudenſi in defenſionem Operis ſui inſcripti: Hermaphroditus, qui MS. eſt in Ambroſiana Cod. ſign. G. num. 89. in 4. Altera item Epiſtola ejuſdem Panormitæ, in qua Rhaudenſis vocatur Theologus celeberrimus. Eſt duobus in Codicibus Ambroſianis ſign. M. num. 44., & H. num. 49.

Inter Epiſtolas Franciſci Philelphi editionis *Venetæ* anni 1502. in fol. extant Epiſtolæ duæ pagg. 32. & 38. Antonio Rhaudenſi Theologo.

In MS. Bibliothecæ Fratrum Marchionum Vicecomitum, qui continet varia Miſcellanea Latina, & Græca, olim ſpectante ad Gualterium Corbettam, legitur Anonymi cujuſdam Eulogium Magiſtro Antonio Rhaudenſio Theologo.

Extat ad eum Epiſtola Latina Alberti Sarthianenſis, in qua probat nihil ad virtutem nocere humili loco naſci. Data ex Gallarata pridie Kalendas Julias MCCCCXLV. *Cum per imbecillitatem corporis à prædicandi munere biduo vacarem* &c. Eſt num. vigeſima inter Epiſtolas ejuſdem Alberti in Tomo III. Collect. Monum. Martene, & Durand.

Toſſignanus libro III. Hiſtoriæ Seraph. eum laudat, ut inſignem Poëtam, & Theologum, omnique diſciplinarum genere excultum.

De ipſo Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro, Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Mediæ, & Infimæ ætatis pag. 342. T. I. Auctores Magnæ Bibliothecæ Eccleſiaſticæ Genevæ editæ Tom. I. pag. 505. VVadingus in Annalibus Minorum, qui aſſerit alia Scripta Antonii noſtri periiſſe, necnon Picinellus in Athenæo pag. 48.

## MCCCCXXXIV.

## RHAUDENSIS CAMILLA.

Camilla nobili Rhaudenſi Familia Mediolani exorta, in ipſo juventutis flore mundum deſpiciens, unà cum Sorore ſua in celeberrimo Parthenone Sanctæ Marthæ, Ordinis Sancti Auguſtini, ejuſdem Urbis, Deo ſe dicavit anno poſt Virginis partum MDVI. Auſteritate vitæ, & in ſe ipſam rigoris virtute magnam ſanctitatis famam apud omnes adepta, ſanctimonialibus ſuis Antiſtita præfuit annos XXX difficillimis temporibus, cùm ſacer ille Virginum Cœtus à ſæcularibus Viris undique premeretur. Quocirca hujus Metropolis Moderatorem adire coacta, tam prudenter ipſum eſt allocuta, ut non modo Sororibus auxilium impetrarit, verùm etiam maximam pietatis, & ſapientiæ exiſtimationem nacta fuerit. Inter Cœnobii curas nihil de priſtinæ vitæ inſtituto immutavit, orationis, ſilentii, aliarumque virtutum cunctis exemplum præbens, donec meritis, anniſque cumulata quievit in Domino anno gratiæ MDLXXVIII.

Poſt ſe reliquit Opus hoc titulo:

I. Vita della Veneranda Vergine Sor Arcangela Panigarola. MS. in fol. pagg. 106. ſervatur in Archivo ejuſdem Monaſterii.

Ex MS. Codice, cui titulus: „ Vite d'alcune Monache „ con altre coſe notabili del Monaſtero di S Marta „ in Milano, raccolte da una Monaca dello ſteſſo Mo„ naſtero, in 4. Cap. 18. pag. 118. qui ibidem extat.

## MCCCCXXXV.

## RHAUDENSIS CAMILLUS.

Alexandri Rhaudenſis, cujus haud multò antè dedimus Elogium, frater fuit Camillus filius & ipſe Caroli, atque Paulæ Vicecomitis jugalium. Quemadmodum autem Alexander ſeria legum ſtudia dilexit, atque in eiſdem magnam nomini ſuo peperit laudem; ſic Camillus noſter amœnas coluit diſciplinas, Muſaſque plurimùm adamavit. Quocirca in eruditiſſimo Cœtu Academicorum Mediolanenſium, qui Transformati dicebantur, & Sæculo XVI. patriam decorarunt, cooptatus, plurima carmina condidit, & pronunciavit.

Ex his habemus:

I. Carmina Italica, vulgò *Sonetti*, numero XV. in libro, cui titulus: „ Sonetti degli Academici Traſformati di „ Milano. *Ivi per M. Antonio Borgi* 1548. *in* 4.

De eo Sitonus noſter in Schedis.

## MCCCCXXXVI.

## RHAUDENSIS FRANCISCUS MARIA.

Inter alios Inſubres Eruditos, qui Rhaudenſem nobilem Familiam doctrinæ ornamentis illuſtrarunt, enumeratur etiam Franciſcus Maria Octavii, & Margaritæ Cagnolæ jugalium filius. Illius Acta, anniſque vitæ ultimus nos latet, idque unum ad noſtram pervênit notitiam, ipſum eruditionis ſibi comparandæ gratiâ Romam ſe contuliſſe, ubi litteris dedit operam in Romano Collegio. Quantùm profecerit in Poëſi præſertim latinâ facilè cognoſcere poterunt quicumque Opus illius pervolutarint,

Scilicet:

I. Franciſci Mariæ Rhò Mediolanenſ. Carmen in laudem Virginis Deiparæ in Montana, ut Eliſabetham inviſeret, abeuntis. *Romæ, apud Franciſcum Caballum*, 1630. *in* 4.

Laudatur in Cinelli Biblioth. Volante Pluteo III.

MCCCCXXXVII.

Digitized by Google

## MCCCCXXXVII.

## RHAUDENSIS GULIELMUS.

ERuditis Viris Mediolanenſibus è Rhaudenſium Familia genitis Abbas Philippus Picinellus in ſuo Athenæo annumerat etiam Gulielmum Juriſprudentiæ laude celebrem, cujus commendat Opus de Alienationibus, de quo nos infra. Uſus eſt Picinellus idem teſtimonio Pauli Moriggiæ, cùm tamen Opus Gulielmi nobis inſpicere non licuerit, altumque de ipſo ſilentium ſit apud Scriptores de Rhaudenſi gente tractantes, nihil amplius Lectoribus noſtris poſſumus exhibere præter nudum omnino titulum,

Videlicet:

I. Tractatus de Alienationibus Vol. I. in fol. impreſſ. ſed annum, & Typographi nomen Picinellus non dixit. Videndi igitur Moriggia lib. III. cap. IV. Nobil. Mediol., & citatus Picinellus in Athenæo pag. 324.

## MCCCCXXXVIII.

## RHAUDENSIS JACOBUS.

ALexander Rhaudenſis JC. & Inſubriæ Senator, quem paulò ante debita laude fuimus proſecuti, atque Livia Raggia Fliſca conjuges Jacobum genuere, cujus nunc dandum eſt Elogium. Minoribus in pueritia ſtudiis diligenter exactis, jam adultus Eloquentiam, Philoſophiam, Theologiam, atque Matheſim ſub optimis percepit Magiſtris, magnum indolis egregiæ ſpecimen præbens. Vigeſimo primo ætatis anno Societatem Jeſu ingreſſus, vix peracto tyrocinio ceteris erudiendis majorum juſſu manum admovit. Sed anno MDCXI. ad Apoſtolicos in Sinenſi Imperio labores exantlandos electus, primùm Romæ à Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinali celeberrimo Sacerdotalem dignitatem ſuſcepit, mox unà cum Nicolao Trigantio Miſſionis ad Sinenſes præſide in Orientem perrecturus ex Italia ſolvit. In Urbe Goa Theologiæ curſum perfecit, atque inde Machaum ſe conferens, ibi conſiſtere coactus eſt, in exilium pulſis univerſis ſociis à quodam Regio Miniſtro jurato Chriſtianæ Religionis hoſte. Magno interim Oppidanis adjumento fuit; arcem enim à validiſſimis hoſtibus impugnatam ſtrenuè defendere, & tormenta manuaria, atque currulia tractare ipſos edocuit, quinimo nova mœnia, & propugnacula ad Caſtri tutelam delineavit. Hujuſmodi egregiè facto aditum ſibi in Sinenſes aperuit provincias, cujus Gentis idioma magno labore tam egregiè didicit, ut plura poſtmodum ea dialecto ſcripſerit. Dum Evangelii Præco per vaſtas Regni oras magno cum animarum lucro vagaretur, in Urbe Regia Pechini conſiſtere juſſus eſt, ubi gratam Imperatori facturus rem, adjutore Joanne Adamo Sciall ejuſdem Societatis Viro, Sinenſe Kalendarium reformavit, quo in laborioſiſſimo munere plures inſumſit annos, nunquam dilatandæ fidei oblitus, quam totis viribus ſemper diſſeminavit. Tantum Opus interim gratiſſimum Princeps habuit, ambos propterea eruditiſſimos, & de toto Imperio benemeritos homines ad primarias dignitates evexit, quas cùm illi modeſtè recuſaſſent, quod eas cum Evangelica humilitate, inſtitutoque ſuo pugnare aſſererent, & ſibi ſufficere teſtarentur Chriſto famulari, annuum eis Imperator cenſum attribuit, tantumque pecuniæ

A perſolvi juſſit, quantum condendo Templo ſatis eſſet. At in medio tot laborum curſu Jacobus noſter mœrentibus Chriſtianis omnibus, quos ad veram lucem è falſæ religionis tenebris adduxerat, vel jam Chriſto genitos confirmaverat, die XXVII. menſis Aprilis, anno Redempti Orbis MDCXXXVIII. quievit in Domino. Cadaver illius Chriſtiano ritu ſepultum eſt, funus honoris gratiâ comitantibus è Regia Aula Optimatibus plurimis, & Eunuchis, qui etiam Imaginem ejus affabrè pictam poſteris ſervarunt.

Plura ſcripſit Italicè, atque Sinicè, videlicet:

B

I. Lettere due della ſua Navigazione, e delle coſe dell' India. *Milano, per il Bidelli*, 1620. in 8. Harum primam in Navi ſcripſit, alteram Goæ.
II. Volumina CL. Sinicè pro reformatione Kalendarii Sinenſis. Hæc ſcripſit, ut diximus, adjuvante præfato Joanne Adamo Sciall.
III. De Oratione librum I.
IV. De Jejunio, & Mortificatione libros IV.
V. De Eleemoſyna librum I.
VI. Commentariorum in Orationem Dominicam Vol. II.
VII. De Bonis Conſiliis.
VIII. De Operibus Miſericordiæ lib III.
IX. Diarium Spirituale, in quo diebus ſingulis Scripturæ Sacræ Sententiam, & alteram ex alicujus Eccleſiæ Doctoris Operibus deſumptam aſſignat.
X. Monita C. excerpta è libris Sanctæ Thereſiæ ab eo in Sinicam linguam converſa.
XI. Tabulas motus Solaris. Tomis VIII.
XII. Tabulas motus Lunaris. Tomis VIII.
XIII. De dimenſione Cœli, & Terræ. Tomis II.
C XIV. De motu quinque Planetarum, cum eorum Tabulis libros II.
XV. Compendium Reformationis Kalendarii Sinici.
XVI. Regulas proportionum.
XVII. De Arithmetica librum I. Omnia Sinico Idiomate. Eum laudarunt Sotwellus, & Philippus Alegambe in Biblioth Scriptorum Societatis Jeſu, Daniel Bartoli in ſua Sinenſi hiſtoria lib. IV. fol. 1100 Kircher. in China illuſtrata fol. 119. Sitonus in Schedis, atque Picinellus in Athenæo pag. 247.

## MCCCCXXXIX.

## RHAUDENSIS JOANNES.

D GLoriari meritò poteſt Alexander Rhaudenſis Senator, à nobis jam laudatus, de prole tam eximia à Livia Raggia Fliſca conjuge ſuſcepta, ut diximus, ſcilicet de Paulo & ipſo Senatore, Jacobo, & Joanne Soc. Jeſu Alumnis, omnibuſque in hac mea Bibliotheca recenſeri digniſſimis. Joannes igitur noſter ætatis annorum XVI. ſupradictam doctiſſimam Societatem ingreſſus eſt, ubi Rhetoricam in Univerſitate Braydenſi peregregiè docuit. Zelo fidei propagandæ ductus pluries Mutium Vitelleſcum ejuſdem Societatis Præpoſitum Generalem rogavit pro Miſſione ad Indos, ſed Orator tam celebris evaſit, ut ipſo Italiam privare minimè Sui voluerint; idcirco Conciones Quadrageſimales per annos integros XXXV. omnium plauſu in principibus Italiæ Urbibus habuit, E videlicet Romæ, Neapoli, Mediolani, Bononiæ, Genuæ, Panormi, Meſſinæ, Melitæ, ac alibi. Prudentiâ quoque, aliiſque animi dotibus tam apertè claruit, ut non ſolum pluribus ſuæ Societatis Collegiis præfuerit, ſed Provincialatus munere tam Romano, quàm Neapolitano inſigniri meruerit. Totus ad animarum ſalutem intentus, vitam exemplariſſimam duxit, nec unquam ſtudia reliquit, ita ut ob puritatem Linguæ Latinæ à Patre Coſvino Nichel ejuſdem Societatis Jeſu Generali, ad ſcribendos Societatis Annales electus extiterit. Acerrimus quoque ſui Cœtus defenſor, geminas Apologias edidit in detractores malignos. Tandem meritis ſublimioribus, anniſque plenus obiit in Alma Urbe die IX. menſis Novembris MDCLXII.

Hæc

Digitized by Google

Hæc verò ipſum immortalem reddunt :

I. Conſiderationes de Paſſione Domini ; ſine loco, anno, & Typographi nomine.

II. Ad Joannem Baptiſtam Caſtaldum Clericum Regularem Interrogationes Apologeticæ , in quibus Fundatoris Societatis Jeſu, cum B. Cajetano Ticneo colloquentis , atque ab eo Teatinorum Ordinem poſtulantis , rejicitur Fabula . *Lugduni , apud Petrum Proſt*, 1641. *in* 4.

III. Achates ad D. Conſtantinum Cajetanum Monachum adversùs ineptias, & malignitatem libelli Pſeudoconſtantiniani de Sancti Ignatii Inſtitutione , atque Exercitiis . *Ibid. apud le-Borde*, 1644. *in* 4.

Hæc duo Opuſcula memorantur in Indice Librorum prohibitorum.

IV. Exempla virtutum. *Romæ Tom. II. in* 4.

V. Orazioni Panegiriche. *Bologna*, 1647. *in* 12.

VI. La Bontà : Panegirico in lode di S. Omobono. *Cremona, preſſo il Zanni*, 1651. *in* 4.

VII. Orazione della neceſſità della Sapienza ne' Magiſtrati . *Milano, preſſo il Bidelli*, 1650. *in* 8.

VIII. Orazioni ſopra il Santiſſimo Sagramento . *Roma , preſſo il de Lazzari*, 1657. *in* 4.

IX. Orazioni ſopra l'Eſamerone . *Venezia , preſſo il Baba*, 1651. *in* 4.

X. Orazioni in lode della B. Vergine . *Milano , preſſo il Ghiſolfi* , 1668 *in* 4.

XI. Orazioni ſopra gli Uomini Illuſtri del Teſtamento Vecchio, e Nuovo Vol. VIII. *Modena*, 1672.

XII. Orazione nell' Incoronazione di Andrea Spinola Duce di Genova . *Milano, nella Tipographia Ambroſiana* , *in* 8.

XIII. Sermoni detti nella Chieſa del Gesù di Roma ogni Sabbato . *Roma, preſſo il de Lazzari*, 1655. *in* 4.

XIV. Quareſimali IV. *Milano , preſſo il Ghiſolfi* , 1671 *e preſſo il Remenolfi*, 1683. *Vol. IV. in* 4.

XV. Orazioni ſopra la Divina Scrittura . *Milano, preſſo il Ghiſolfi*, 1671. *in* 4.

XVI. Dell' Armonia, in cui conſiſte la felicità d'una Repubblica : Orazione detta al Senato di Luca. *Ivi*, 1648. *in* 4.

XVII. Deſcriptio Imaginis Chriſti, extat in eodem libro .

XVIII. Panegirico in lode della Beata Cattarina da Bologna. *Ivi, preſſo il Benazzi*, 1648 *in* 4.

XIX. Lezioni ſopra il Libro de' Rè . *Milano , preſſo Federico Agnelli, Vol IV.*

XX. Atti di varie Virtù, Centurie X. in dieci libri diſtinti . *Milano, preſſo il Ghiſolfi*, 1643 *in* 4

XXI. Eſempj della B. Vergine . *Roma, appreſſo il de Lazzari* , 1656. *Tom. II. in* 4.

XXII. Aſſemblea Aſtronomica ſopra le Comete ; teſte Placcio in Theatro Anonymorum , & Pſeudonymorum , loco infra cit.

XXIII. Martyrium trium Beatorum è Societate Jeſu, Pauli Michi, Joannis Goto , Jacobi Ghiſai , Japonum crucifixorum . *Florentiæ , apud Simonem Ciottum* , 1628. *in* 8. Hunc librum edidit ſub nomine *Joſephi Buſoni* .

XXIV. Elogium Ferdinando II. Auſtriaco-Rom. Imp. verè pio, verè maximo. *Romæ , apud Corbellettum*, 1634.

XXV. Joannis Rhò Societ. Jeſu de ejuſdem anno Sæculari Diſſertatio . *Romæ , apud Corbellettum* , 1639. *in* 4.

XXVI. Vita di San Lindano Abbate Benedettino. *Roma, nella Stamperìa Camerale*, 1641. *in* 4.

XXVII. Elogj degli Uomini Illuſtri del Secolo XVII. MS. in fol.

XXVIII. Orazioni cento ſopra i Riti Sacri della Chieſa . Vol. II. MS.

In Opere , cui titulus : Carm. Illuſtr. Poët. Ital. Tom. VII. pag. 439. Extat Carmen Alexandri Pollini Florentini ad Joannem Rhò Societatis Jeſu , eloquentiſſimum Divini Verbi pro Concione interpretem .

Ipſum laudant Andreas Blancus Epigrammate XLVII lib. VI., Leo Allatius in Apibus Urbanis pag. 164. Placcius in Theatro Anonymorum, & Pſeudonymorum Tom. I. pag. 59. & 646. Tom. II. pag. 147. Alegambe Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu pag. 269. Sotwellus pag. 495. & 496. necnon Athenæum Picinelli pag. 327.



## MCCCCXL.

## RHAUDENSIS JOANNES ANDREAS.

JOannem Baptiſtam Rhaudenſem genitorem habuit Joannes Andreas Mediolanenſis, magno Vir ingenio, qui cùm in ipſo adoleſcentiæ flore Altaris miniſteriis ſe addixiſſet, inter Clericos relatus, omnia diſciplinarum ad Eccleſiaſticum hominem efformandum pertinentium ſtudia in Majori Seminario peregit; Humaniores enim litteras , Rhetoricam , Philoſophiam, atque Theologiam ſub optimorum Præceptorum cura ſic didicit , ut Leges quoque Imperatorias , Sacroſque Canones in ſuam eruditionem derivaverit , quocirca ab Alphonſo Litta S. R. E. Cardinali , atque Mediolanenſi Archipræſule commendatiſſimo, Doctoris in utroque Jure ſuſcepit inſignia . In Hermathenaicorum Academia principatum eruditionis merito obtinuit , & ſæpiùs è ſuggeſtu dixit ad populum, ſeu Cœlitum laudes pronuncians , ſeu Evangelii præcepta interpretatus . Anno ſalutiferæ Incarnationis MDCLXV. præbendam Canonicalem in Baſilica Metropolitana inter Ordinarios adeptus eſt , adhuc ſuperſtite patruo ejus Carolo, Viro & ipſo laudatiſſimo, utpote qui Philoſophicas in Majori Seminario, Theologicas in altero appellato *la Canonica* ſcientias Auditoribus tradiderat , toti Oblatorum Congregationi, & Collegiatis Eccleſiis Applani , & Variſii Præpoſitus datus fuerat , atque poſtremò Ordinarius Metropolitanæ , & Archiepiſcopalis Cancellarius obiit anno MDCLXXVIII. At verò Joannes Andreas non degener Caroli Nepos ſtudiis ſemper intentus , anno poſt Chriſtum natum MDCXCIII. viam univerſæ Carnis ingreſſus, magnum ſui reliquit deſiderium.

Celebratur ob

I. Orationes diverſas in laureis conferendis .

II. De præſtantia Canonicorum Eccleſiarum Cathedralium. Hæc duo Opera Picinellus loco citando commemoravit, & primum quidem typis datum fuiſſe tradit , quamvis de more annum , prælumque reticeat. Alterum verò actu cudebat Rhaudenſis tunc cùm ille Athenæum ſuum conſcribebat ; verumtamen, cùm nullibi nobis occurrat, MS. deliteſcere ſuſpicamur.

Laudatur à Boſca in lib. de Origine, & Statu Biblioth. Ambroſianæ, à JC. Sitono in Schedis, atque à Picinello ſupradicto in Athenæo pag. 260.

## MCCCCXLI.

## RHAUDENSIS PAGANUS.

QUamvis Alexander Rhaudenſis Vir commendatiſſimus , de quo egimus paulò ante , Familiæ ſuæ monumenta diligentiſſimè perſecutus fuerit , illuſtriumque doctrina , & cæteris titulis Virorum gentis ejuſdem memoriam poſteritati ſervaverit , Paganum tamen , quem nunc laudandum ſuſcipimus , nec de nomine ſalutavit . Id tamen nemini mirum eſſe debet, cùm Manuſcriptum illius Opus in Bibliotheca Ambroſiana ſervatum Alexandro , ut videtur , fuerit incognitum , & nobis fortè fortuna oblatum ſit , quos etiam Auctoris effugiſſet nomen . Mirati ſumus jure Codicis elegantiam, quamquam enim papyraceus cum formoſiſſimis membranaceis contendere poteſt , ſive character , ſive charta ipſa perpendatur. E verbis autem Scriptoris noſtri ad calcem libri appoſitis collegimus, eum per Italiam peregrinatum diu fuiſſe, nunquam tamen feriatum à ſtudiis. Opus enim cœptum in Marſis anno MCCCCL. expletum eſt Mo-

doëtiæ poſt biennium; Annotationibus verò, ſive Gloſſis auctum fuit Mediolani anno MCCCCXCIII. Id unum de Pagano ex libro ipſo novimus, Acta ejus reliqua, ſupremumque vitæ annum nemo indicat.

En Opus ipſum:

I. Doctrinale; in cujus fine hæc leguntur: „ Explicit per „ Paganum Rhaudenſem Modoëtiæ. Facto fine piè „ laudetur Virgo Maria.
„ Liber hic cœptus eſt apud Marſos juxta Fucinum La„ cum anno MCCCCL. cum magnum Jubilæum per „ omnes Chriſti fideles ingenti frequentia ſub Nico„ lao Pontifice Summo Romæ celebraretur. Quo qui„ dem anno Sanctus Bernardinus ibidem in Eccleſia „ Beati Petri Apoſtoli, in feſto Paracleti Spiritus San„ cti, in Cathalogo Sanctorum Chriſti mira ſolemni„ tate adſcriptus. Dehinc Modoëtiæ apud Inſubres „ expletus anno MCCCCLII. de menſe Novembri. „ Idem Paganus. Poſtea verò per eundem Paganum „ gloſſatus eſt in Urbe Mediolano MCCCCXCIII.
„ Vale qui legiſti in Chriſto.
Servatur Codex autographus in Biblioth. Ambroſiana MS. in fol. ſignat. I. num. 86.
Contulimus eum cum Doctrinali Alexandri Grammatici, quod unà cum felici interpretatione noviſſimo candori, atque integritati reſtitutum, Opus adoleſcentibus litteris initiandis apprimè conducibile ſic prætitulatum, prodiit *Brixiæ, apud Jacobum, & Polycretum de Turlinis*, 1578. *in* 4. atque reperimus Doctrinale à Pagano noſtro conſcriptum idem eſſe, ac illud, verùm tamen diverſiſſima ſunt Gloſſemata, & quantum apparet copioſiora.
De priori autem editione Mediolanenſi ſupradicti Doctrinalis, anni 1481. agit Clariſs. Saxius ad eum annum in Hiſtoria Typographica.

MCCCCXLII.

## RHAUDENSIS PAULUS.

Alexandro Rhaudenſi, quem non ſemel commemoravimus, feliciter evenit, ut ternis liberis ex ſe genitis propenſa ad liberalium artium ſtudia ingenium natura donaret. Jacobum quidem, atque Joannem tanti Viri non degeneres filios jam protulimus, ſupereſt nunc ut de Paulo quoque verba fiant. Hic præter minores diſciplinas, quas ſedulo ſtudio didicit, Jura præſertim adamavit; nam ſic Cæſarum, Pontificumque Sanctiones pervolutare ſtuduit, ut tandem optatâ donatus adoreâ, anno ſalutis humanæ MDCII. Juriſperitorum Cœtui meruerit aggregari. Decurio Urbis renunciatus, cujus etiam Præfectura cum laude functus fuit anno MDCXX. & in publico Palatino Gymnaſio Jus Imperatorium interpretatus eſt. Mox ad majora promovendus munera generalis Regii Fiſci Patronus eligitur, cùmque annos aliquot pro Catholici Hiſpaniarum Monarchæ negotiis pertractandis Romæ traxiſſet moram, demum ad Senatoriam Cathedram eſt evectus, de cujus electione ſic Landus ſcripſit: „ Paulus Rhaudenſis demortuo „ Maynoldo ſufficitur, Fiſci Patronus præſtantiſſimus, „ Romæque ab Rege diù verſatus, Vir præter ex„ quiſitam Juris civilis ſcientiam, ſingularis eruditio„ nis. „ Prætorios etiam Cremonenſis Urbis Faſces non ſine ingenti fama integritatis rexit; at in medio honorum curſu terris ereptus eſt anno reparatæ ſalutis MDCXXXI.

Elucet Scriptoris hujus ingenium in his, quæ habent poſteri, videlicet:

I. Dell' Origine, e progreſſi della Famiglia Rhò Milaneſe. *Milano, preſſo Giambattiſta Paganelli*, 1620. *in fol.* Extat etiam MS. autographus in Biblioth. Ambroſiana ſign. D. num. 103. in fol.

II. Allegatio pro Immunitate Eccleſiaſtica: An Coloni, Partiarii, Fictabiles, ac Cenſuarii Eccleſiarum reſervari debeant immunes ab hoſpitatione militum &c. Extat in Catena Aurea Hieronymi Gattici Vol. I. pag. 46.

III. Aliæ plures, cum Votis Fiſcalibus, ſuper Octoginta habentur in Collectionibus Parodiana, Solivetæ, Archintea, aliiſque Juriſperitorum Mediolanenſium à nobis ſæpè citat. Has inter duæ eminent, quarum prima in cauſa Fratrum de Homate cum Civitate Mediolani, altera verò in cauſa Oeconomatus.

IV. Diſcorſo in fatto, e in jure circa le ragioni di S. M. (Filippo III.) come Duca di Milano, ſopra la Valtollina, e circa la giuſtizia della ſollevazione fatta da' Valtollineſi nel MDCXX. contro i Griggioni loro Tiranni. MS. in fol. apud Marchionem Hieronymum Puteobonellum, litterarum cultorem.
Epiſtolas num. XIII. ad eum dedit Sigiſmundus Boldonus, de quo jam diximus, quæ leguntur inter hujus impreſſas *Mediol. Typis Montiæ*, 1651. inſcriptæ Paulo Rhaudenſi Senatori, & Cremonæ Prætori.
A Hieronymo Boſſio in ejus commendationem conditum eſt Epigramma, quod extat in hujus libro, cui titulus: Muſa juvenilis. Eſt numero XXIX. pag. 19.
Ipſi nuncupata eſt Epitome Hiſtoriæ Mediolanenſis Triſtani Chalchi.
De ipſo, præter Landum citatum de Senatu Mediol., Sitonus noſter in Schedis, atque in Chronico Collegii JCC. pag. 187. art. 769.

MCCCCXLIII.

## RHAUDENSIS PETRUS.

Petri Rhaudenſis memoriam ſervavit poſteris Petrus Creſcentius loco mox citando, ac poſt eum Ambroſius Borronus in Epiſtola ad Lectores præfixa Vitæ S. Fauſti Martyris, de quo jam ſuo loco diximus. Ambos hos Scriptores & nos ſequimur, ut tanti Viri quantulamcumque licet commendationem texamus. Ipſum inter primos è Mediolanenſi Urbe S. R. E. Cardinales citati Auctores enumerant, & ſub Alexandro III. Pontifice Maximo Apoſtolicæ Bibliothecæ Præfectum fuiſſe autumant. Et ſanè inter illius Pontificis Cardinales tres reperiuntur hoc nomine nuncupati, Petrus ſcilicet antea Meldenſis Epiſcopus, tituli S. Chryſogoni, Petrus Sanctæ Sabinæ Presbyteri, ac demum Petrus Tuſculanus Epiſcopus; At cùm primus, ut conjicimus, Gallus natione fuerit, tertius verò patria Papienſis extiterit, ſupereſt ut Petrus noſter Rhaudenſis ille fortè fuerit, qui anno Chr. MCLXXIII. quemadmodum Ciacconio placet, vel ut mavult Panvinius MCLXXI. Anagniæ quatuor temporibus menſis Septembris ab eodem Alexandro S. Sabinæ presbyteralem titulum obtinuit. Hic adversùs Albigenſes Hæreticos in agro Toloſate tunc graſſantes Apoſtolicus Legatus miſſus fuit anno poſt Chriſti Natale MCLXXVIII. ut eos doctrinæ, qua præditus erat egregiè, jaculis confoderet. Altum de ipſo ſilentium apud Panvinium, Baronium, & Aubery; ſed de eodem meminit Ciacconius loco inferiùs indicando, quamvis Inſigne gentilitium illi aſſignet, à Rhaudenſis Familiæ Stemmate valdè diverſum, & genus illius, patriamque non ſignificet. Hæc interim protulimus in tantæ vetuſtatis tenebris, donec clariora proferat ætas.

Memoratur

I. Opus illius, quod citatus Borronus laudat, quamvis Argumentum libri, & titulum quoque reticeat, neque indicet editusne fuerit, vel MS. lateat. Credimus tamen Opus hoc nihil aliud eſſe, quam Acta Legationis ſuæ adversùs Albigenſes Eterodoxos, quæ fortè in Archivo Apoſtolico ſunt repoſita.
Ex Ciacconio de Vitis Pontif. & Card. Tomo I. pag. 1094. Creſcentio Amphitheatri Romani parte I. pag. 269. & Sitono noſtro in Schedis.

MCCCCXLIV.

Digitized by Google

## MCCCCXLIV.

### RHAUDENSIS SIRUS, ſive RAUL SIRE.

MUltis conjecturis in medium adductis Clariſs. Vir Ludovicus Antonius Muratorius loco mox citando, arbitratus eſt, Scriptorem nunc laudandum, qui in Codicis ſui inſcriptione appellatur Sire Raul, Radulphum eſſe vocandum, liberum tamen cuicunque relinquens pro arbitrio de illius nomine pronunciare. At ſi nobis etiam poſt tantum Virum, quid hac de re ſentiamus, exponere licet, arbitramur nomen ejus verè fuiſſe Sirum, ut ipſe etiam Muratorius ſuſpicatur, & inter Rhaudenſes numerandum, cum ita nobiſcum ſentiant plures hujus Metropolis viventes Eruditi, quorum ſenſui repugnare mihi extero, ideoque de Inſubricis Cognominibus minus edocto, piaculum foret. Quod verò ad acta illius pertinet, ex Collectione Conſulari Sitoni noſtri humaniſſimi, cognovimus eum Conſulatu Juſtitiæ functum fuiſſe in Patria anno ſalutis humanæ MCLXI. Accidit per ea tempora memorabilis illa, & Mediolanenſibus Civibus heu! quàm funeſta Friderici I. cognomento Œnobarbi obſidio, quare ipſo anno dum Urbem hoſtes impeterent, ſummâ laborabant Incolæ commeatuum caritate. Conſules igitur, ut Patriæ neceſſaria compararentur alimenta, XVIII. Viros, advocatis binis è ſingulis Parochiis, & inopiâ Urbis expoſitâ, elegerunt, quibus cura eſſet Civibus ſubvenire. Inter eos locum promeruit Auctor noſter, ut ipſemet in Opere ſuo teſtatur. Cæterùm horrendam Patriæ everſionem, quæ obſidionem præfatam eſt ſubſecuta, non deflevit ſolùm, ſed poſteritatis quoque memoriæ ſervavit, eique Scriptori videlicet coævo, qui à ſe viſa narrat, magna certè fides eſt habenda. Codicem inferiùs memorandum, in Braydenſi Bibliotheca ſervatum mihi nedum inſpicere, ſed etiam exſcribere licuit humanitate Viri doctiſſimi Joannis Baptiſtæ Muſchæ Societatis Jeſu Presbyteri, atque ipſi Bibliothecæ Præfecti, ut illum prælaudato Clariſs. Muratorio ſuppeditarem. Eum ipſe intulit in Tomum VI. Scriptorum Rerum Italicarum medii ævi, qui Typis noſtris Palatinis publici juris eſt factus anno MDCCXXV. Quæ verò ſuperiùs de nomine, atque cognomine Siri Raul produximus, non ita dicta volumus, ut aliis quoque licitum non ſit diverſam profiteri ſententiam, etenim non ſumus neſcii olim in Portiana Baſilica (ut Chalcus ſcribit) Sepulchralem Inſcriptionem extitiſſe, quam tamen Puccinellus in Monumentis Antiqu. Mediol. pag. 71. in Templo Sancti Franciſci locatam aſſerit, his verbis inciſam:

IOANNES RAVLE DE BVSTI ARSICIO
OBIIT MCCC. XI. IANVARII.

ex quo marmore erui poteſt, verbum illud Raule cognominis loco habendum, niſi fortè, quod probabilius videtur, ex *Rhaude*, prout olim Rhaudenſes appellabantur, corruptè effectum fuerit *Raule*.

At jam ipſum Operis titulum demus:

I. Sire Raul de rebus geſtis Friderici I. in Italia. Opus hoc MS. ſervatur, ut præfati ſumus, in pereleganti Bibliotheca Braydenſi, atque in fronte hæc habet ſcripta: Sire Raul; in fine verò verſiculus iſte rudis, & à Proſodiæ legibus valde remotus legitur:

*Qui fecit hoc Opus Sire Raul nomine dictus.*

Continet autem, quæ in Italia contigerunt ab anno MCLIV. ſaltem uſque ad annum MCLXXVII. Sequitur in eodem Codice narratio de poſtrema ejuſdem Friderici I. expeditione in Orientem pietatis causâ. Styli diverſitas apertè quodammodo clamat alium à noſtro hujus eſſe narratiunculæ Scriptorem. Inſunt etiam Fragmenta aliquot ad annum uſque MCCIII. deducta. Item Epiſtola Alexandri III. Summi Pontificis, qua Chriſtianis Principibus ordinem electionis ſuæ ſignificat. Hiſtoria verò tantummodo edita fuit, quemadmodum diximus, in Tomo VI. Scriptor. Rer. Italicar. cum Clar. Muratorii Præfatione fol. 1169.

De ipſo agunt cum laude Chalcus in præfat. hiſt. Patriæ, atque in lib. X. pag. 207. P. Mazzucchellus, atque Sitonus noſter humaniſſimus in Schedis.

## MCCCCXLV.

### RICHINUS FRANCISCUS MARIA.

FRanciſcus Maria Richinus Mediolanenſis Architecturæ profeſſor egregius, & inter ſui ſæculi primarios habitus, jure merito Eruditorum Inſubrum albo à nobis adſcribitur; ſuperſunt enim aliqua illius Scripta poſteritatis memoriâ digniſſima, quæ infra recenſebimus. Interim ad ejus gloriam æternitati commendandam ſufficere videntur præclara ædificia non pauca Urbem hanc paſſim ornantia, inter quæ non omittenda ducimus Noſocomii Majoris ampliſſimum Periſtylium, Collegium Braydenſe Societatis Jeſu, & Seminarii, atque Helvetici Collegii frontes, ut de minoribus aliis ſileamus. Tanti habitus fuit à Præfectis fabricæ Baſilicæ Metropolitanæ, ut cum de Frontiſpicio ejuſdem perficiendo ageretur, inter alios Architectos ipſe quoque conſultus fuerit; ut ſententiam ſuam proferret in medium. Delineationem excogitavit, atque perfecit elegantem ſatis, & nobilem, quæ adhuc ſupereſt in Opere mox indicando. Apud Magiſtratus Inſubriæ munus Regii Architecti obtinuit, quo dum fungeretur Caſtrum Portæ Jovis majorum juſſu luſtravit, unà cum Gaſpare Beretta militum Præfecto, cujus viſitationis Acta vulgata ſunt, ut num. II. dicemus. Neque enim contemnendum videtur hoc Opus exactiſſimam totius Arcis, atque adjacentium munimentorum ſtructuram exhibens, agenſque de modo ea reparandi, augendi, & tutandi. Nec deſunt de re tormentaria adnotationes perutiles, quemadmodum etiam de inſtrumentis ad eam ſpectantibus. Adjectæ ſunt notitiæ aliquot lectu digniſſimæ de illius temporis rebus, alibi fruſtra quærendæ. Quo deſideratus fuerit anno nemo nos docuit.

Superſunt illius:

I. Oppoſizioni al Diſegno della Facciata del Duomo di Milano di Franceſco Caſtelli. Datæ ſunt die VI. Maji anno MDCXLVIII. In libro cui titulus: Pareri per la Facciata del Duomo di Milano in fol. ſine anno, & Typographo.

II. Relazione generale della Viſita, e Conſegna della Fabbrica del Caſtello di Milano fatta da Franceſco Maria Richino, e Capitano Gaſpare Beretta; ſine loco, & impreſſoris nomine, 1652. in fol. juſtæ molis, de quo jam diximus.

Agit de ipſo Carolus Turrius in lib. ſuo cui titulus: Il Ritratto di Milano, pluribus in locis, ubi diligenter enumerantur ædificia à Richino delineata.

## MCCCCXLVI.

### RIGHINUS CLAUDIUS.

CLaudius Righinus patrem habuit Carolum JC. Mediolanenſem, cui cordi ſummopere extitit prolis educatio, non tam in pietate, quàm in litteris; ideoque ſub optimis Præceptoribus Claudius noſter peregregiè inſtructus, breviter JC. & ipſe efficitur, necnon ad

ad Jus dicendum in Patriis Prætoriis Sedibus tam ſub Signo Galli, quàm ſub Signo Equi adlectus fuit, deinde Cauſarum Patronus non infimi nominis in Foro eluxit medio Sæculo proximè tranſacto. Annum verò ejuſdem mortis ignoramus, atque illius Scripta tantùm ſub oculis noſtris venerunt,

Videlicet:

I. Diſcorſo giuridico politico di Claudio Righino Giuriſconſulto per l'eſenzione de' Signori Medici aggregati della Città di Milano; dedicato agli Illuſtriſſimi Signori della Real Giunta. *Milano, preſſo il Ghiſolfi*, 1664. *in* 4.

II. Allegationes plurimæ; extant in Collectione Archintea, atque in aliis J. PP. Mediolanenſium, & Ticinenſium dignæ ut ſimul edantur.

Memoratur in Schedis Sitonianis.

## MCCCCXLVII.

## RINCIUS CÆSAR.

Bernardinus Rincius Phyſicus Collegiatus Mediolanenſis, & Clara Carcaſſola conjuges parentes fuerunt Cæſaris, de quo agimus, qui veſtigia patris peregregiè proſequendo, Collegium Phyſicorum hujus Urbis ingreſſus eſt anno Virginei partus MDXXXII. inter quoque Duodecim Proviſionum Viros ter conſedit, ſcilicet annis MDLVIII., MDLXVIII., & MDLXXVIII., magnumque nomen in re Medica apud omnes ſibi acquiſivit. Filium habuit Pomponium, fratremque Marcum Marcellum infra laudandum, Patriæ Decuriones, & JCC. In Eccleſia Monialium Sanctæ Mariæ Annuntiatæ hujus Urbis ſibi vivens Sepulchrum elegit ſequenti Inſcriptione, in eodemque apud majores ſuos tumulatus eſt anno MDLXXX.

DEFVNCTIS SVIS
SIBI ET POSTERIS
CÆSAR RINCIVS
DONEC RESVRGANT P.
ANNO MDLXIIII.

Habemus tantùm de ipſo:

I. Conſilium de Peſte, quod extat in libro, ſic inſcripto: „ Synopſis Commentariorum de Peſte, Auctoribus „ Hieronymo Donzellino, Joanne Philippo Ingraſ„ ſia, Cæſare Rincio, Joachimo Camerario *Norimbergæ, apud Catharinam Gerlachiam*, 1583. *in* 8.

Clariſſimus Bartholomæus Curtius in Opere de Claris Medicis Mediolanenſibus optimè advertit Paſqualem Gallum, atque Abbatem Picinellum allucinatos eſſe: primus, eo quia credidit hanc Synopſim cum aliis Medicis ſcriptam fuiſſe; ſecundus verò quod Rincius Tractatum compoſuiſſet ſermone Italico, & ab aliis in Latinum verſum extitiſſet, nam auctoritate Equitis Centorii in libro „ Avvertimenti, Or„ dini, Gride ec. in ejus Articulo jam à nobis indicato, profert verba ipſius occaſione, qua officium Sanitatis hujus Urbis providere ſtudebat tempore peſtis ſaluti Civium Mediolanenſium anno MDLXXXIII. Hæc ſunt verba Centorii „ Studiatoſi diligentemente „ e dal molto onorato Fiſico Ceſare Rincio, e Filo„ ſofo, come uno de' primarj Medici della Città, eſa„ minatoſi il caſo con ogni ſottilità, ed aſſiduità di „ ſtudio, fu al Tribunale rappreſentato un Diſcorſo „ belliſſimo, che fu da tutti i Medici infinitamente „ collaudato „ Præfatum Conſilium ſic incipit „ Cum „ peſtis à primo ſuo ſtatu &c. „ & ſic explicit „ Sum„ mi Dei ante omnia juſtam ob peccata &c.

Laudatur à Joanne Antonida Vander-Linden in libro de Scriptis Medicis, à Bartholomæo Curtio in Opere jam citato pag. 116. à Joanne Jacobo Mangeto in Bibliotheca Scriptorum Medicorum Tom. I. pag. 154 à Picinello in Athenæo pag. 142. à Paulo Moriggia in Hiſt. LX. Decurion. cap. I. pag. 6., & aliis, quos allegat Clariſs. Advocat. Joannes de Sitonis de Scotia in Chron. Colleg Phyſicor. Mediol. parte II. art. 164. MS. in fol. penès Auctorem.

## MCCCCXLVIII.

## RINCIUS MARCUS MARCELLUS.

Ex ſupra memorato Bernardino Rincio Phyſico Collegiato Mediolanenſi, & Clara Carcaſſola ortus eſt Marcus Marcellus, de quo agimus, Cæſaris jam laudati frater. Jura tam Cæſarea, quàm Pontificia tam aſſiduè coluit, ut inter JCC. Mediolanenſes non ſolùm enumerari, ſed anno Chriſtiano MDLII. in Collegium Nobilium J PP. Patriæ adſcribi meruerit, dein Auditor Rotæ Januenſis efficitur, necnon hujus Metropolis Præfecturam obtinuit anno MDLXXXI. Unus jam erat LX. Decurionum; hinc ad ſacra converſus Sacerdotii munus aſſumpſit. Obiit fama Viri integerrimi anno Redemptionis noſtræ MDCXII.

Damus de ipſo:

I. Leges, & Statuta Collegii Juriſperit. ab eo collecta, ut ex Præfatione ejuſdem Libri Statutorum, ubi ſic legitur: „ De ea re ità cenſuerunt Alexander Piola, & Ho„ ratius Crucejus Duumviri: M. Marcellum Rincium „ Collegam noſtrum inchoatum ab aliis Decreto no„ ſtro difficillimum opus, temporibus intermiſſum „ ad exitum rectè, atque Ordine pro Collegii noſtri „ dignitate perduxiſſe &c.

II. Deciſiones Rotæ Genuenſis MSS. extant in Archivo ejuſdem Tribunalis.

De ipſo agit Clariſſimus Sitonus in Chronico Colleg. J. PP. Mediol. pag. 121. art. 499.

## MCCCCXLIX.

## RIPA BONVICINUS.

Viri Clariſs. Quetif, & Eccard, in ſua Scriptorum Ordinis Prædicatorum Bibliotheca Tomo I. pag. 479. Bonvicinum Ripam Mediolanenſem ſub Sancti Dominici Inſtituto inter Tertii Ordinis Profeſſores inſeruerunt, dubii tamen an potiùs ad Minores pertinere poſſet. Verumtamen neque Prædicatoribus, neque Minoribus adſcribendum eſſe Bonvicinum noſtrum ille tantùm ambigere poterit, qui Sepulchralem ipſius Inſcriptionem à nobis infra dandam ignoraverit. Ex illa enim apertiſſimè patet, Scriptorem hunc Ordinem Humiliatorum ingreſſum eam ſuſcepiſſe Regulam, quæ Tertii Ordinis dicebatur. Venia danda eſt Viris alioqui doctiſſimis, quibus utpotè Tranſalpinis minus nota fuere Humiliatorum apud Inſubres præſertim olim florentium, & quorum Cœtus in tria erat membra diviſus, monumenta. In poſterum tamen credimus Gallos, alioſque trans Alpes agentes de Mediolanenſium incuriâ in perſcrutandis Scriptorum ſuorum Actis, atque Operibus, conqueri non poſſe, ut de Bonvicino Auctores citati aſſeruere, ipſum vel incognitum, vel neglectum dolentes. Quo autem ipſe vixerit tempore ſatis eruitur ex teſtimonio Gualvanei de la Flamma Mediolanenſis alibi jam laudati, quique Ripæ hujus Operibus uſus eſt in Chronico ſuo concinnando. Is enim ſic de ipſo loquitur: „ Anno Domini MCCLXXXVIII. ſub Do„ minio Matthæi Vicecomitis, ſedente Ottone (Ar„ chiepiſcopo) favente Rodulpho Imperatore, ipſe „ Matthæus Vicecomes fit CXXV. Poteſtas Medio„ lani, & poſt eum Jacobinus Peruſinus. Eodem „ anno quidam nomine Bonveſinus Frater Tertii Or-



Digitized by Google

„ dinis Chronicon de Magnalibus Civitatis Mediolani compoſuit, cujus tenor talis eſt &c. Erat adhuc Scriptor ipſe noſter in vivis anno MCCXCI. ſic enim legitur in Cap. XXX. Hiſtoriæ Ordinis Humiliatorum MS., de qua verba fecimus in Articulo Marci Boſſii: „ Anno Domini MCCXCI. die IX. „ menſis Maji per Ven. DD. Fratres Humiliatos Ordinis S. Patris Benedicti celebratum fuit eorum „ Capitulum generale in eorum Domo, ſeu Conventu SS. Trinitatis ſit. in ſuburbio extra Portam „ Cumanam Mediolani, tempore Fratris Bonveſini „ de Ripa Tertii Ordinis Humiliatorum. „ Hæc autem Eccleſia ſuppreſſo Humiliatorum Inſtituto à Sancto Carolo Cardinali Archiepiſcopo in Parochialem erecta fuit pro ſuburbio Olitorum nuncupato. Ut autem eò ſermo redeat, unde tantiſper deflex imus, tenebroſis illis ſæculis Bonvicinus Grammaticam in

A Palatinis Scholis docuit, atque in Oppido Legnano in Agro hujus Metropolis Xenodochium hodie quoque ſuperſtes excitavit; cùmque ſingulari cultu Deiparam Virginem proſequeretur, piiſſimum, & toto terrarum orbe venerabilem ritum, quo ad æris campani tinnitum humanæ ſalutis initium religioſâ memoriâ colitur, primus omnium in hanc Urbem, atque Provinciam invexit. Cupiens quoque juventutis mores ad pietatem componere tam Ephœbis, quàm Præceptoribus utiliſſima ſcripſit monita, è quibus pro ſæculi illius genio multùm Poëſi valuiſſe cognoſcitur. Quo anno migraverit è vita ſilent Auctores de ipſo agentes inferiùs memorandi, ſepultum tamen fuiſſe in Clauſtro Minorum, qui Conventuales nuncupantur, hujus Urbis, nos docet Elogium, quod ibidem adhuc extabat hoc ineunte Sæculo, in hæc verba conceptum:

IOH. RIPA P.

LEGE TVI CARO VIVA FVI QVI VIVIS AMICE
VIVA FVI NVNC STRATA FVI CLAVA DOMITRICE
ES QVOD ERAM QVOD NVNC ES ERAM CANO TE MORITVRVM
ILLVD IDEM QVOD SVM SIQVIDEM TE NOSSE FVTVRVM
ERGO PAVE VENTVRA CAVE FVGE CARNIS AMORES
ATQVE ANIMAE VIVENDO TIME CVMVLARE DOLORES
NVNC VADENS CRAS FORTE CADENS SVBITO MORIERIS
QVARE DEVM VENERERIS EVM DVM VIVVS HABERIS.

✠ HIC IACET
F. BONVICINVS DE RIPA
DE ORDINE TERTIO HVMILIATORVM
DOCTOR IN GRAMMATICA
QVI CONSTRVXIT HOSPITALE DE LEGNIANO
QVI COMPOSVIT MVLTA VVLGARIA
QVI PRIMO FECIT PVLSARI CAMPANAS AD AVE MARIA
MEDIOLANI ET IN COMITATV
DICATVR AVE MARIA PRO ANIMA EIVS.

B Superfuere doctrinæ illius hæc Monumenta:

I. F. Bonvicini de Ripa Mediolanenſis de Diſcipulorum, Præceptorumque moribus. Opus Metricum pluribus prôſis interjectis. *Impreſſo in Milano per Joanno Antonio da Borgo, che ſta a mezzo il Corſo de Porta Tonſa nell' anno del Signor MDXXXIII. de Agoſto*; prodierat jam *Venetiis*, 1507. *in* 4., & poſtea *Brixiæ*, *per Ludovicum Britannicum*, 1542. *in* 8.

II. Chronicon de Magnalibus Urbis Mediolanenſis. Illud extabat olim apud Fratres Prædicatores Cœnobii Euſtorgiani hujus Urbis, at in præſentiarum deſideratùr. Summarium tamen illius habemus in cap. 326. Chronici Minoris Mediol. Gualvanei Flammæ, ut ſupra diximus.

III. Menſura, & Status Mediolanenſis Urbis, anno MCCLXXXVII. MS. in fol. Extat in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum; item penès Advocatum Joannem Sitonum MS. in pergamena litteris Gothicis, in fol.

C De ipſo meminerunt non ſine commendatione Ericius Puteanus, qui eum perperam vocat Bonvicinum Rivium, in hiſtorica Diſſertatione de Rhetoribus, & Scholis Palatinis Mediol. Puricellus in Diſſert. Nazariana cap. LXIV. num. XXXIV. Quetif & Eccard loco cit. Sitonus noſter in Chron. Collegii J. PP. pag. 5. art. XII., & pag. 89. art. CCCXC., atque in Schedis, Placidus Puccinellus in Memor. Antiq. Mediol. cap. XVII. num. XCII. Mazzucchellus in Schedis, ac tandem Picinellus in Athenæo pag. 98.



## MCCCCL.

## RIPA CHRISTOPHORUS.

De aliis Variſienſis Oppidi Municipibus, qui eruditionis laude claruerunt, pluribus jam in locis hujus noſtræ Bibliothecæ verba fecimus, atque de his præſertim, qui Jus municipale Contribulum ſuorum vel condiderunt, vel in meliorem ordinem redigere ſtuduerunt. His attexendus nunc venit Chriſtophorus Ripa, qui Conſulatum geſſit in eo inſigni Oppido anno poſt Chriſti Natale MCCCLXXXIX. quo etiam anno ſparſa municipalia populi ſui Statuta unà cum aliis prudentibus Viris collegit, atque digeſſit. Acta illius reliqua, imò ſupremi, quo vixit, anni memoriam delevit oblivio.

Ejus diligentiæ Variſienſes debent:

I. Statuta Reipublicæ Variſienſis collecta, & in ordinem redacta anno MCCCLXXXIX. die II. Januarii.

Ex Hiſtoria Variſienſi Nicolai Sormani MS. penès Auctorem.



Digitized by Google

## MCCCCLI.

## RIPA HIERONYMUS.

Hieronymus Ripa Mediolanenſis in Monaſterio D. Hieronymi ejuſdem Urbis Jeſuatorum Inſtitutum amplexus eſt, ſubque B. Luca Cribello tyrocinium poſuit, quem etiam egregiè imitatus fuit. Primus è Concivibus ſuis eidem Cœnobio Prior præfuit, quem gradum prudentiſſimè annos ferè triginta adminiſtravit. Viſitatoris etiam Generalis munere egregiè functus eſt. Clauſtrum ante Templum ſui Monaſterii ædificavit, & aliis molitionibus Cœnobium auxit. Dum Venetiis eſſet Prior Eccleſiam ſui Ordinis extruxit. Multa etiam Ordini Privilegia obtinuit, & Monaſteria adjunxit, inter quæ S. Hieronymi Alexandriæ. A Papa Julio II. Romam accerſitus ejus Nuncius ad Rempublicam Genuenſem mittitur. Ter Romam petiit vel pro Religionis ſuæ, vel pro Eccleſiæ negotiis. Eum Julius Papa unicè dilexit, & coram Cardinalibus ipſius prudentiam, doctrinamque laudavit. Obiit anno Salutis MDXIX. Ejus Vitam recenſet Moriggia lib. II. Hiſt. Jeſuatorum, & in Paradiſo Jeſuat. lib. IV. ubi plura miracula ab eodem patrata narrat, & inter Beatos recenſet.

Scripſit eo teſte:

I. Vitam B. Lucæ Cribelli Magiſtri ſui: Subdit hoc Carmen:

Hieronymus de Ripa Mediolan.

*Miraris quis ſit? Nomen miracula pandunt;*
*Ejuſque laus æquatur Orbis termino.*
*Cætera jam taceo, porrecta venena loquentur,*
*Serpenſque prodat innocentiam Viri.*
*Qui dapibus latitans tandem caput exerit, atque*
*Prabendit auctorem doli, & morſu petit.*

Ex Moriggia loco citato.

## MCCCCLII.

## RIPA ISIDORUS.

Niſi fortuitò in quodam libro apud Religioſum Virum, de quo nunc agimus, olim ſervato, ſcriptum inveniſſem: *Eſt mei Fr. Iſidori Ripæ de Mediolano*, cognomen ipſius adhuc lateret in tenebris, nam Genuæ inter Fratres Eremitanos Sancti Auguſtini Excalceatos ſacrum habitum aſſumpſit antequam Provincia Mediolanenſis initium ſumeret, ideoque ſolo nomine Iſidori à Mediolano prætitulatur in libris ſui Ordinis. Vir fuit probitate morum, & fidei zelo ſummopere præditus, ideoque in magna exiſtimatione habitus eſt non ſolum apud Alumnos ſuos, ſed & apud alios in utraque Provincia, quibus magna cum laude præfuit. Sacris Concionibus indeſinenter deditus, plura Quadrageſimalia in Civitatibus ferè omnibus Italiæ, cum animarum fructu, uſque ad vitæ exitum habuit; idque moleſtè accidit anno Chriſtianæ Reparationis MDCCV. die XII. menſis Junii in Conventu SS. Coſmæ, & Damiani hujus Urbis, ætatis ſuæ LXXV.

Superſunt de ipſo:

I. Vita di Santa Roſalia. *Milano, per Franceſco Vigone*, 1696. *in* 12.

II. Applauſi Poetici per la gran Romita, e Vergine Santa Roſalia di Palermo. *Milano, preſſo lo ſteſſo Vigone*, 1691. *in* 8.

III. Prediche Quadrageſimali. Vol. II. in fol. MSS. Extant in ſeleciſſima Bibliotheca ſupradicti Conventus ſui Ordinis Mediol.

IV. Diſcorſi varj. MSS. in fol. extant ibidem.

V. Miſcellanea varia tam Latino, quàm Italico ſermone MSS. in fol. extant ibidem.

Ita à Suis.

## MCCCCLIII.

## RIPA POLYDORUS.

Polydorus Ripa Anaxarchi JC. Mediolanenſis filius, in Juribus tam Cæſareis, quàm Pontificiis ita excelluit, ut in Academiis Ticinenſi, Piſana, atque Taurinenſi publicus Legum Interpres, ſummo cum plauſu extiterit. Imò in hac poſteriori Urbe Senatorum in Ordinem adſcitus eſt. Poſtmodum in Hetruriam à Magno Duce revocatus, ut pingui ſtipendio Piſis doceret, ibi fato functus eſt die XXIII. menſis Decembris, anno à Virginis partu MDCXIII. Vir fuit de Republica Litteraria ſummopere meritus, ut ex Operibus infra recenſendis, facilè dignoſcitur: mirum quoque eſt, cùm tot lectionibus continuò deditus extiterit, tempus ei fuiſſe ſcribendis Operibus magni faciendis, & ab eruditis in utroque Foro libentiſſimè acceptis, atque probatis. Muſas quoque minimè reſpuit, ut infra videbitur. Scripta ipſius nunc damus diſtinctiùs, & copioſiùs, quàm in Picinelli Athenæo,

Videlicet:

I. Polydori Ripæ, olim in Piſano, nunc in Ticinenſi Gymnaſio Juris Civilis Interpretis Ordinarii, Tractatus de Nocturno tempore. *Ticini, apud Petrum Bartolum, & Octavium Bordonum*, 1601. *in fol. & Francofurti* 1602. *in* 8.

II. Tractatus de Dividuis, & Individuis. *Venetiis, apud Societatem*, 1612. *in* 4.

III. De Actis in mortis articulo Commentarii, quibus Canonicæ, Civiles, Feudales, Emphiteuticæ, Criminales, ceteræque materiæ continentur. *Ticini, apud heredes Bartoli*, 1590. *in fol. & Francofurti*, 1600. & 1624.

IV. Singulares Obſervationes: Centuriæ IV. *Venetiis, apud Petrum Duſinellum*, 1605. *in fol.*

V. Cato Taurinenſis Polydori Ripæ Mediolanenſis JC. primarii Juris Civilis Interpretis, & Senatoris. *Mediolani, apud Bordonum*, 1611. *in* 4.

VI. Carmina plura Latina, extant in libro, cui titulus: „ Componimenti di diverſi per il Dottoramento di „ Gianfranceſco Sorbellone. *Pavia*, 1599.

Ejus obitum deflevit Epigrammate Andreas Alciatus junior.

Epiſtola Hieronymi Boſſii Ticinenſis ad eundem ſcripta legitur inter hujus Epiſtolas pag. 156.

Laudatur à Hieronymo Borſerio in Supplemento cap. 11. à Ghilino in Theatro par. I., à Sitono in Schedis, in quibus adeſt etiam Geneſis Auctoris noſtri à Beltramo Ripa ejus Avo uſque ad Angelum Felicem cohortis peditum ducem ejus fratrem; necnon à Picinello in Athenæo pag. 473.

## MCCCCLIV.

## RIPAMONTIUS JOSEPH.

Inter Hiſtoricos Mediolanenſes magnum nomen jure merito ſibi conquiſivit Joſephus Ripamontius Bartholomæi filius, qui in obſcuro Pago ad Brianteos Colles natus, egregiam indolem ſortitus, pubeſcente vix ætate, Clericali militiæ nomen dedit. Mediolanum ſtudiorum causâ profectus, Linguas Latinam, Græcam, & Hebraicam adeo calluit, ut eis quoties opus eſſet, quaſi naturali idiomate uteretur. Admiratione eloquentiſſimi Viri capti ſunt plures, quòd cernerent eum vix adoleſcentiam egreſſum ſcien-

Digitized by Google

ſcientias omnes aſſecutum; Federicus in primis Borromæus Cardinalis Archiepiſcopus, qui Doctoribus Ambroſiani Collegii aggregatum juſſit Mediolanenſis Eccleſiæ monumenta undique collecta conſcribere. Inter Canonicos Scalenſes à Catholico Rege cooptatus, à Decurionibus Urbis Chroniſta Patriæ renunciatur, & à Leganeſſio Marchione Inſubriæ Moderatore Regius Hiſtoriographus eligitur. Non pauci Principes Ripamontium magnis propoſitis præmiis ad eorum res conſcribendas invitarunt, ſed Federicus obſtitit, quominus Inſubriæ Vir tantus eriperetur. Annum agens ſexageſimum octavum in tabidam febrim incidit, intumeſcentibus paulatim ventre, & cruribus. Cùm publico Decreto Medicorum peritiſſimi fruſtra adhibiti eſſent, & morbi contumacia omnes artis conatus eluderet, cœlum, ſub quo lucis primordia viderat, ſalubrius ſibi ſperans, eò ſe deferri voluit; vano tamen conatu, ibi enim mortalitatem explevit, magno cum Urbis, atque Litteratorum mœrore. Eum unicè dilexit Benedictus Sociacus, qui ipſum ſæpè verſibus celebravit, & ſecundum Odarum librum eidem nuncupavit. Inter Epigrammata Jacobi Valerii, quæ extant MS. in Bibliotheca Patrum Teatinorum S. Antonii Mediolani legitur Epitaphium Joſephi Ripamontii Hiſtorici, his verbis:

*Siſte gradum; ſitus eſt hic Ripamontius ille*
*Sublimis Patriæ conditor Hiſtoriæ*
*Inſubrum generoſa patrum qui facta diſerto,*
*Et prope divino condidit eloquio.*
*Tu Patriæ venerare decus, quod fulget in aſtra*
*Ut Titus, ut Criſpus: care viator abi.*

Obiit tantus Vir anno Incarnationis Verbi MDCXLI. ipſum verum immortalem reddunt, quæ ſcripſit optimè,

Scilicet:

I. Hiſtoriæ Eccleſiæ Mediolanenſis Pars I. Lib. X. *Mediolani, ex Typographia Collegii Ambroſiani*, 1617. *in* 4.

II. Ejuſdem Pars altera, Libri XVIII. *Mediolani, ut ſupra*, 1625. *in* 4.

III. Ejuſdem Pars III. de Origine, & Pontificatu Divi Caroli, Libri VIII. *Mediolani, ut ſupra*, 1628. *in* 4.

IV. Hiſtoriarum Patriæ in Continuationem Triſtani Chalchi, uſque ad mortem Federici Cardinalis Borromæi, Libri XXIII. *Mediolani, apud Malateſtas*, 1641., *&* 1643. *Vol. III. in fol* Libros X. priores edidit Auctor, reliquos verò, poſt illius deceſſum, Stephanus Sclatter.
Extant quoque in Theſauro Antiquitatum, & Hiſtoriarum Italiæ Joannis Georgii Grævii. *Lugduni Batavorum*, 1708. *Tom. II.* pag. 537.

V. Hiſtoriarum Patriæ Libri VIII. *Mediolani, apud Malateſtas*, 1648. *in fol.* Hos poſtremos edidit Horatius Landus Epiſtolâ nuncupatoriâ Præfecto, & LX. Urbis Decurionibus præfixâ. Ad calcem verò Libri VIII. adeſt Elogium Ripamontio compoſitum à Hieronymo Legnano, deinde

VI. Fragmenta varia in Schedis Ripamontii reperta, quæ ſunt:
1. De Regentis Carreræ morte.
2. Addenda de Arialdo Martyre.
3. De Fonterabia obſeſſa Galliſque inde ſubmotis anno MDCXXXVIII.
4. Effigies privati Chriſtiani Virgilii Malvetii.
In eodem Volumine, inter alia, adeſt obſidio Bremæ à Didaco Philippæo Guzmano captæ, quæ ſeorſim impreſſa fuit, in 4. Omnia quoque reperiuntur in eod. Tom. II. Antiqu. Ital. pag. 1089.

VII. De Peſte Mediolani. *Ibidem, apud Malateſtam*, 1640. *in* 4.

VIII. Litteræ ad Federicum Cardinalem Borromæum datæ anno MDXCVIII. Extant in ſæpè laudata Collectione Epiſtolarum ejuſdem Card. in Biblioth. Ambroſiana.
Inter Epiſtolas Hieronymi Boſſii Ticinenſis extat una ad Joſephum Ripamontium pag. 29.
Ipſum laudarunt Carminibus latinis ſupramemorati Benedictus Sociacus, atque Jacobus Valerius, præter loca citata, primus Epigrammate lib III. pag. 96. atque ſecundus in Codice MS. alio Epigrammate inſcripto „ de Ripamontio Hiſtorico, & Cardinali „ Federico Borromæo. „ Jo. Baptiſta Ruſca, & Auguſtinus Terzagus, quæ videri poſſunt in fronte Decadis V. Hiſtoriar. Patriæ Auctoris noſtri, & inter Carmina ipſius Terzaghi pag. 54.
Agunt etiam de eo Boſca de Origine, & Statu Biblioth. Ambroſ. & Ghilin. in Theatro parte I. pag. 262. Morerius in Lexico Tom. III. necnon Picinellus in Athenæo pag. 370.

## MCCCCLV.

## De RIPARIA CÆSAR.

Cæſar de Riparia Mediolanenſis patrem habuit Julianum Ripariæ in Gallia Dominum, qui Caroli Borbonii è Chriſtianiſſimi Regis Aulâ profugi fortunam ſecutus, cùm in Inſubriam perveniſſet, militari Turmæ à Cæſare præfici meruit; matrem verò illuſtrem matronam è clariſſimâ Bentivolâ Familiâ ortam. Obierat Julianus die III. menſis Aprilis anno ſalutiferæ Incarnationis MDLIX. qua ipſa die inter Gallos Hiſpanoſque pacis fœdus initum fuerat. Cæſar idcirco paternas opes recuperaturus è patria in Galliam perrexit; cùmque omnia à conſanguineis occupata reperiſſet, artibus nobili Viro dignis, atque litteris totum ſe dedit. In Pariſienſi Urbe Platonicam Philoſophiam, & Hermetis Teoremata ſic coluit, ut ad ſummum in eis apicem perveniſſe feratur. Et ſanguinis, & eruditionis ergò primariis ætatis ſuæ Principibus extitit acceptiſſimus, Vincentio ſcilicet Mantuæ, & Montisferrati, & Carolo Emmanueli Sabaudiæ Ducibus, quibus Opus ſuum inſcripſit. Ab hoc poſtremo Pontis-Calerii Marchionatu, & Magnæ Crucis Ordinis SS. Mauritii, & Lazari honore ornari meruit. Nec minor illi gratia fuit apud Fontium Comitem, & Marchionem de Inojoſa hujus Ditionis Regios Moderatores; horum enim ultimus à Catholico Hiſpaniarum Monarcha menſtruum cenſum ſcutorum CC. Cæſari impetravit, fratrique illius Georgio C. Romam, Neapolim, aliaſque Urbis ſæpè adiit, ubique omnibus gratus, cùmque tandem graviſſima inter Hiſpanos, & Sabaudos bella tantiſper remiſiſſent, ad Taurinenſem Aulam Cæſar rediit, novo munere ab ipſo Duce donatus, Caſtro videlicet Caſellarum in Subalpinis. Hic ſtabiles fixit ſedes Scriptor noſter, ut negotiorum tumultus declinans liberiùs litteris vacare poſſet, donec die XXI. menſis Octobris, anno Jubilæi MDCXXV. mortalibus valedixit.

Edidit:

I. Il Mondo Magico degli Eroi. *Milano, preſſo il Locarno*, 1605. *in* 4. Primam impreſſionem dicavit citato Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci, ſecundam verò, quam Picinellus laudat, annum tamen, Impreſſorem, locumque ſilens, nuncupavit Vincentio Mantuæ Duci. Ex Picinello in Athenæo pag. 142.

## MCCCCLVI.

## RISIUS ODOARDUS.

Odoardus Riſius Sacripantis, & Gabrielæ Boſſiæ Simonis dudum J. C. Collegiati, ac Senatoris, dein utriuſque Magiſtratus Præſidis genitæ filius, puerulus in Collegio D. Simonis ſub Aquilino Coppino educatus, inde decennis ad Nobilium Collegium Parmenſe translatus, cùm per luſtrum humaniores litteras didiciſſet, mox biennio Philoſophiæ operam dedit. In Archigymnaſio Bononienſi Legum ſtudiis exultus, lauream promeruit in Academia Ticinenſi. Clericali militiæ jam adſcriptus, cùm Romam

Digitized by Google

mam peteret, audita Bononiæ Concione Cardinalis Archiepiſcopi Alexandri Ludoviſii, qui poſtmodum Summus Pontifex Gregorius XV. appellatus eſt, de perfectioris vitæ ſtatu capeſcendo ſecum deliberare cœpit. Igitur Canonicorum Regularium Lateranenſium in Monaſterio Caſoreti habitum ſumpſit, atque expleto tyrocinio, Theologiam profeſſus, & Papiæ ad Sancti Petri in Cœlo Aureo Philoſophiæ, & Theologiæ magiſterio inſignitus, eas docuit in Cœnobiis Placentino, Brinatenſi, & Patavino. Moleſtiſſimâ poſtmodum correptus ægritudine, ſtudiis valedicere coactus eſt. Orator etiam non contemnendæ facundiæ, in comitiis Ravennatibus ſermonem habuit, quod etiam præſtitit diebus Feſtis totius anni in Templo Paſſionis.

Scripſit:

I. Dialecticarum Speculationum libros quinque.
II. Naturalium principiorum libros quatuor.
Hæc de eo habemus apud Roſini Lycæum Lateranenſ. lib. XIII. pag. 103., qui ſubdit Carmen ſuum in laudem Odoardi; agit quoque de ipſo Clariſs. Sitonus in ſuo Theatro Genealogico Familiar. Mediol. ubi adeſt ſtemma Riſiæ Gentis à Lazarolo florente anno MCCCXXX. uſque ad Auctorem noſtrum, ſcilicet ad annum MDCXVIII. circiter.

## MCCCCLVII.

## RIVOLA FRANCISCUS.

INter eos Viros eruditione, pietateque clariſſimos, quos immortalis memoriæ Fridericus Cardinalis Borromæus bonarum artium in hac Metropoli reſtitutor adlegit, ut Collegium Ambroſianum conderet, non poſtremum ſibi vindicavit locum Franciſcus Rivola Mediolanenſis, Vir omnigenæ Litteraturæ, & Orientalium Linguarum peritiſſimus. Doctrinam, qua pollebat Scriptor noſter, ab optimis hauſerat Magiſtris in Majori Seminario hujus Urbis, cujus inter Clericos relatus diù alumnus fuit. Ibi enim poſt humaniores Litteras Philoſophiam, & Divinitatis arcana didicit, tantum ingenii acumen præſeferens, ut eum ſapientiſſimus Præſul Borromæus plurimi ſemper fecerit, & Præbendâ Canonicali in Templo Sancti Thomæ cognomento in Terra-amara inſigniverit; cùmque præfati Collegii ſui Doctoribus provincias divideret litterarias, Italicæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, atque Armenæ linguarum cultura Franciſco obtigit. Multos in exoticis præſertim idiomatibus habuit diſcipulos, ac inter cæteros Jacobum Philippum Butium Virum à nobis alibi laudatum. Cardinalis ipſius juſſu plura conſcripſit Volumina, de quibus inferiùs agemus, ac præter illa, teſte Petro Paulo Boſca, eo imperante cudendas ſuſceperat Grammaticas Inſtitutiones Linguæ Abiſſinæ, quas tamen an perfecerit nemo innuit. Scripſit Italicè Cardinalis Mecœnatis ſui Acta elocutionis merito commendata, quamvis Criticorum judicium non effugerit Auctor, quod minutiora, & à gravitate hiſtoriæ plus nimio aliena ſectatus fuerit. Tot nondum fractus laboribus ad ſummum pervênit ſenium, diviniſque ſemper miniſteriis, libriſque intentus Mediolani mortalitatem depoſuit circa medium ſuperioris ſæculi.

Habemus hæc illius reliqua:

I. Grammatica Armena lib. IV. comprehenſa.
II. Dictionarium Armeno-latinum. Hæc duo Opera ſimul impreſſa prodierunt *Pariſiis*, 1633. *in* 4. Dictionarium verò ſeorſim jam fuerat editum *Ibid.* 1613. *in* 4. iterumque *Mediolani*, *ex Typographia Collegii Ambroſiani*, 1621. *in fol* quemadmodum rurſus *Pariſiis impenſis Societatis Typogr. Librorum Officii Eccleſiaſtici juſſu Regis conſtitutæ annis* 1630., *&* 1633. & Grammatica item ſeorſim *Mediolani*, 1624. *in* 4.
III. Vita di Federico Cardinal Borromeo libri VI. *Milano*, *per il Gariboldi*, 1666. *in* 4. Inſcriptum fuit hoc Opus Alexandro VII. Pont. Max.
Meminerunt illius Colomeſius in Italia Orientali pag. 190. edit. *Hamburgenſis* 1730. ubi alii citantur. Item Petrus Paulus Boſca jam laudatus lib. III. pag. 103. de Orig. & Statu Biblioth. Ambroſ. & Picinellus in Athenæo pag. 219.

## MCCCCLVIII.

## RIZOLIUS GUILLELMUS.

DEfuncto laudatiſſimo Præſule Ambroſianæ Eccleſiæ Henrico Septala, quem ſuo commendabimus loco, ei ſuffectus eſt Guillelmus Rizolius, ſive de Rizollo Mediolanenſis ob inſignem morum probitatem, atque eruditionem clariſſimus. Dignum tanta Sede Virum cenſuit hujus Metropolis Clerus, cui perſpecta fuerant ipſius merita jam tunc cùm Archilevitæ munere fungeretur ab anno MCCXX. Ut autem Cleri electionem percepit Gregorius IX. Pont. Max. ipſam auctoritate ſua confirmavit anno poſt Chriſtum natum MCCXXXI. Invictam animi conſtantiam præſeferens Antiſtes optimus ab eodem Gregorio dignus eſt habitus, cui Apoſtolicam Legationem ad Fridericum II. Auguſtum committeret, qua illud potiſſimùm expetebatur, ut adversùs Saracenorum vires arma communi Fidelium conſenſu collatis conſiliis ſuſciperentur. Plurimùm in eo negotio peragendo laboris pertulit Guillelmus, irrito tamen conatu. Quocirca Mediolanum reverſus in Fridericum ipſum tanquam Eccleſiæ hoſtem Anathematis telum intorſit, atque Cruceſignatos ad transfretandum paratos, & in plures Myriadas collectos, in Cæſarem ipſum arma convertere juſſit accedente Pontificis ipſius imperio. Miſerandum interim in modum fœdaverant Mediolanenſem Eccleſiam Eterodoxi homines è colluvie Catharorum; Patarinorum, Pauperum de Lugduno, Arnaldiſtarum, & hujuſmodi furfuris permulti. Ideo Paſtor vigilantiſſimus gregem ſibi commiſſum à Luporum rabie tutari ſtuduit, & nedum Sancto Petro Martyri Ordinis Prædicatorum adversùs hæreticam pravitatem Inquiſitori plurimùm præſtitit auxilii, ſed ne latiùs ſerperet peſtis, Edicto propoſito ſanxit, ne quis in poſterum ſacris non initiatus ordinibus clam, palamve de divinis rebus concionari auderet. Papienſes interea Morimundenſe Cœnobium in tutelam ſuam ante receptum, per ſummum nefas, anno MCCXXXVII. miſerè vaſtare non erubuerunt. Id ut ad Guillelmum delatum eſt, impios ſacræ domus temeratores diris devovit, profugoſque Monachos pecuniâ fovit, datis etiam ad Apoſtolicam Sedem litteris, de quibus infra mentio recurret. Ipſum immo Cœnobium & Præſulis hujus, & piorum Mediolanenſium Civium ſuppetiis penè extinctum recepiſſe ſplendorem teſtis eſt Ughellus loco citando, ubi etiam vaſtationis hujus hiſtoria ex MS. Septimiani Monaſterii Florentini ab oculato teſte conſcripto vulgata legitur, adjunctis quoque litteris Beltrami de Grecho Poteſtatis Mediolanenſis & Conſilii, & Communis Civitatis ejuſdem ad Clementem IV. datis Mediolani die Dominico I. menſis Maji adversùs Papienſes, multos poſt annos ſcriptis, quos neque Apoſtolicæ minæ, neque tanti facinoris conſcientia ad ſatisfactionem erga Monachos adegerat. Ut autem ad Rizolium noſtrum revertamur, in hujus Metropolis Cœnobia tam Virorum, quàm Mulierum beneficus fuit, nam privilegiis Humiliatorum Ordinem auxit, ſacris Virginibus Parthenonis Sancti Apollinaris prædia donavit, aliaque multa piè patravit, quorum memoriâ apud poſteros commendatur. Politicum principatum, cujus poteſtas tunc apud Archiepiſcopos erat, juſtiſſimè adminiſtraſſe perhibetur. Sedit annos X. menſes

Digitized by Google

ſes V. dies XV. cùmque magno hujus populi mœrore migraſſet è vita: Cadaver illius ad Charævallis Monaſterium delatum fuit, conditumque in marmoreo tumulo, „ quod (Ughelli verba ſunt) ex miſe„ rabili cujuſdam Abbatis Charævallenſis inſcitia di„ rutum, ac dilaceratum cum aliis plurimis illuſtrium „ Virorum Mediolanenſium monumentis ad perpe„ tuam oblivionem traditum referunt. „ Servavit tamen nobis Inſcriptionem Franciſcus Cicerejus in Collectaneis ſuis Inſcript. Antiquar. & Sepulchralium, quæ habentur MSS. in fol. apud Sitonum noſtrum, in hæc verba:

HIC IACET DOMINVS GVLIELMVS DE RIZOLLO
MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPVS
VIR IN SCRIPTVRIS ADMODVM ERVDITVS
QVI OBIIT IN MCCXLI. DIE QVARTO
EXEVNTE APRILI.

Addimus hìc quoque rudia licet Carmina, quæ de tam laudato Præſule habentur in Catalogo Beroldi, de quo in ipſius articulo diximus.

*Anni tunc currebant mille ducenti,*
*Ad quos jam denus conjunxit quartus & unus*
*Cum die quarta quæ venerat ante Calendas*
*Illius menſis, qui dicitur Aperienſis.*
*Cum de Rozzolio Guillelmus Pater amandus*
*Ex iſto mundo migravit arce perenni,*
*Qui per luſtra duo Cathedrali Sede triumphans,*
*Nec non & menſes per quinque fideliter ultra*
*Aſtitit & junctis ſuper hæc ter quinque diebus.*

Ex his colligitur Guillelmum obiiſſe anno MCCXLI. die XXIX. menſis Martii.

Satis laudatur ob

I. Litteras ad Gregorium IX. quibus de Papienſium feritate in Monachos Morimundenſes conquerebatur. Ex Ughello loco citando.
II. Confirmationem Privilegiorum Monaſterii S. Apollinaris Mediolani ſubſcript. ✠ Ego Vilielmus de Rozolio S. Mediol. Eccleſiæ per Dei gratiam Archiepiſcopus ss. Dat. Mediol. die XXIV. menſis Maji MCCXXXI. ex Archetypo Archivi ejuſdem Monaſterii exſcripſit amiciſſimus Sormanus Ambroſiani Collegii Doctor, atque in Collectionem ſuam Diplomaticam intulit cum ſequentibus.
III. Confirmationem Exemptionis à Juriſdictione Epiſcopali ejuſdem Monaſterii circa eundem annum ſubſcript. à Vilielmo, & à pluribus Ordinariis. Ibid.
IV. Donationem Campi cujuſdam à VVillielmo Archiepiſcopo facta eidem Monaſterio; Incipit: „ VVillielmus de Rizolio Dei gratia S. Mediol. Eccleſiæ Venerabilis Archiep. volens reverenter, & devotè preces Domini Papæ exaudire, & adimplere. „ Actum in Palatio Veteri Domini Archiepiſcopi Civit. Mediolani.
V. Privilegium à VVillielmo Humiliatorum Ordini factum habendi Cœmeteria, & Sacerdotes Miniſtros Sacramentorum, XII. Octobris MCCXXXVI.
VI. Litteras pro Monialibus Sancti Apollinaris datas anno MCCXXXV. teſtatur Sitonus in Catalogo MS. Archiepiſcoporum apud ſe extitiſſe Tom. II.

Extat Gregorii IX. Epiſtola ad VVillielmum electum Mediol. Dat. Laterani III. Kal. Martii Pontif. ſui anno IV. in qua ei commendat Moniales Sancti Apollinaris. Hanc etiam, ut ſequentes Sormanus citatus habet in Collectione antedicta.

Alia ejuſdem Pontificis ad VVillielmum, in qua rogat, ut Campum quemdam dictis Monialibus donet. In ea hæc leguntur: „ Fraternitatem tuam rogamus in „ Domino, quatenus pro Divina, & noſtra reveren„ tia gratiæ gratiam ſuperaddens prædictum Campum „ concedas liberaliter &c. „ Dat. Anagniæ VII. Kal. Martii Pontif. anno VI.

Alia ejuſdem Pontificis ad eundem, ut aſſignet Beneficia in Eccleſia S. Apollinaris vacantia Monialibus dicti Monaſterii. Dat. Peruſii XXXI. Martii MCCXXXV.

Agunt de ipſo Ughellus Italiæ Sacræ Tom. IV. inter Archiep. Mediol. num. XCI. Acta Eccleſiæ Mediolanenſ. pag. 980. Sitonus noſter in Schedis, aliique permulti.

## MCCCCLIX.

## ROBALDUS, ſive ROBOALDUS.

Robaldus, ſive Riboaldus, vel Roboaldus patre Roberto, matre Aldegarda ex Comitibus Gebennenſibus, primùm Mediolanenſis Eccleſiæ Archidiaconus, tum anno MCXXIV. ad Albenſem Cathedram, in Ducatu Montisferrati, aſſumptus, interfuit Synodo Piſanæ, in qua ipſo agente, Thealdus de Landriano Archipresbyter, Amizo de la Sala Archidiaconus, Anſelmus de Rhode, vel de Rhaude Levita, & alii plures Mediolanenſis Eccleſiæ Ordinarii, & cum Primicerio Decumani Sacerdotes Innocentio II. Papæ fidelitatem juraverunt. Mediolanenſibus etiam Auctor fuit, ut ii ſacrorum communione interdicti, veniam à Pontifice peterent. Hoſpitales ædes Brolii à Gothofredo de Buſſero extruendas curavit. Judex quoque ſedit in cauſa Anſelmi Puſterlæ Archiepiſcopi, eoque depoſito, cùm Populus Mediolanenſis Sanctum Bernardum Claræuallenſem Abbatem, cui Robaldus ipſe in hujus Eccleſiæ componendis rebus adjutor fuerat, ad Archiepiſcopales Infulas poſtularet; eo tantùm onus ſubire detrectante, Robaldus ad eam dignitatem aſſumitur, cujus electionem, quæ facta eſt anno MCXXXIV. Innocentius Pontifex in eodem Concilio Piſano confirmavit, hac etiam conditione adjecta, ut Albenſem ſimul Eccleſiam adminiſtraret. Hujus Archiepiſcopi temporibus inſigne Charævallis Cœnobium tertio ab Urbe Mediolano lapide extra Romanam Portam, in latifundio, quod ad illud condendum Manfredus Archintus ex prænobili, & vetuſta gente munificentiſſimè donavit, ab ipſo Sancto Bernardo excitatum fuit. Aliud quoque ejuſdem Ordinis Monaſterium Sanctæ Mariæ de Morimundo in Diœceſi Mediolanenſi ipſius Roboaldi auctoritate conditum eſt anno MCXXXV. Lothario, & Conrado Auguſtis chariſſimus fuit, atque in ſumma rerum varietate annos circiter decem hanc rexit Eccleſiam. Deceſſit pridie Kalendas Januarii MCXLIV., ejuſque Corpus in Eccleſia Hyemali juxta Pulpitum ſepultum fuit. Ejus memoriam renovarunt Morimundenſes Monachi anno MDCL. hac Inſcriptione in Abbatiali Templo poſita.



Digitized by Google

D. O. M.

MAGIFREDVS ET BONONVS DOMINI DE OZANO
PIISSIMI ATQVE CLARISSIMI
NOBILES MEDIOLANENSES
MONACHIS CISTERCIENSIBVS
A CORONAGO IN HVNC LOCVM TRANSLATIS
ROBALDO ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSE APPROBANTE
MONASTERIVM HOC MORIMVNDI PROPE TICINVM
GVALGHETTO ABBATE
SAL. AN. MCXXXV. FVNDARVNT
ANTONIVS LIBANORIVS ABBAS ET COMES
MONACHIQVE MORIMVNDENSES
OMNIBVS SVIS BENEFACTORIBVS
HOC GRATITVDINIS ARGVMENTVM
P. C. MDCL.

Vetuſtior tamen Inſcriptio, ubi de Robaldo mentio eſt, adhuc viſitur in Templo SS. Petri & Pauli cognomento in Sala, extra Vercellenſem hujus Metropolis Portam, in qua hæc leguntur :

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI MCXLI.
RESIDENTE IN ARCHIEPISCOPALI CATHEDRA
ROBALDO ARCHIEPISCOPO
ET MONASTERIVM B. AMBROSII REGENTE
ABBATE VVIFREDO
ARIBERTVS DE PASSILVANO PRAEF. MONASTER. MONACHVS
HANC ECCLESIAM
AD HONOREM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI
REAEDIFICAVIT.

Scripſit Robaldus :

I. Epiſtolam ad Cœleſtinum II. Summum Pontificem pro Canonicis Baſilicæ Ambroſianæ, datam circa annum MCXLIII. Extat in Collectione Diplomatica Mediol. humaniſſimi Nicolai Sormani, Ambroſiani Collegii Doctoris, qui etiam eam cum ſequentibus vulgavit in Allegatione ſua pro ipſius Eccleſiæ Capitulo.

II. Aliæ duæ ad Guidonem, ſeu Goizonem S. R. Eccleſiæ Cardinalem, & Sedis Apoſtolicæ per Italiam Legatum pro eiſdem circa eundem annum ſcriptæ.

III. Sententia inter Canonicos, & Monachos ejuſdem Baſilicæ lata anno MCXLIV. menſe Novembri, cui ipſe ſubſcripſit unà cum Sancto Galdino tunc Ambroſianæ Eccleſiæ Cancellario, poſtmodum Archiepiſcopo. Extat in Puricelli Monument. Baſil. Ambroſianæ.

IV. Extat apud Ughellum Tom. IV. num. 80. Diploma dat. menſe Aprili MCXXXVI., in quo Robaldus confirmat donationem factam ab Anſelmo Pancia prædii Coronagi Cœnobio Morimundenſi.

V. Ejuſdem Epiſtola circa annum MCXXXIV. data ad Clerum Mediolanenſem, qua confirmat Abbatiſſam quandam ſibi ab eodem Clero commendatam, & committit vices ſuas pro ejuſdem Abbatiſſæ Benedictione duobus Ordinariis, Vicedomino, & Primicerio; in cit. Collect. Sormani.

VI. Diploma Robaldi Archiepiſcopi, quo componit litem inter Monaſterium Cremellæ, & Eccleſiam Modoëtienſem, anno MCXXXV. in Collect. citata Sormani.

VII. Aliud ejuſdem, quod abſolvit Sanctimoniales de Montano (nunc translatæ ſunt ad Monaſterium S. Mariæ, quæ dicitur in Valle) à præſtatione Decimarum vi Decreti Innocentii II. in Conciliis Piſano, & Romano, anno circiter MCXL. in eadem Collect.

VIII. Ejuſdem Sententia dictante S. Galdino lata ſuper controverſiis, quæ erant inter Canonicos Sancti Alexandri, & Canonicos S. Vincentii in Urbe Bergomenſi. Dat. in Palatio Mediolani Non. Aug. MCXLI. Subſcrip. ✠ Ego Robaldus Dei gratia Mediolanenſ. Archiepiſc. ſubſcripſi, & affirmavi. Sequuntur variæ ſubſcriptiones Presbyterorum, & Diaconorum. In fine ✠ Ego Galdinus Cancellarius à me dictato ſubſcripſi; apud Ughell. in Bergom. num. XXXIV.

IX. Ejuſdem Diploma pro Monaſterio S. Petri de Cereto prope Laudem Pompejam, quo appoſita anathematis pœna coërcet malos homines ab invaſione bonorum ejuſdem Monaſterii, dat. anno MCXLIV. cui S. Galdinus quoque ſubſcripſit. Ex Ughello in Laudenſibus num. XX.

X. Epiſtola ad Gregorium Epiſcopum Bergom. de Controverſia Canonicorum S. Vincentii, & S. Alexandri apud Ughell. in Bergomenſibus loco cit.

Vulgavit etiam præfatus Sormanus in prælaudatâ Allegatione Lucii II. Pontificis Max. ad Robaldum Epiſtolam pro eiſdem Canonicis, datam VI. Kal. Septembr. ſine anno; necnon

Ubaldi S. R. E. Cardinalis, & per Italiam Legati pro eiſdem Epiſtolam ſcriptam ad eundem circa annum MCXLIII.

Extat

Digitized by Google

Extat ad Robaldum ſine data Epiſtola Civitatis Aquenſis de ejuſdem Eccleſiæ negotiis, præſertim de Conſecratione V. (Villelmi, qui Actio ſuffectus eſt ad Vercellenſem Cathedram tranſlato anno MCXXXI.) noviter Electi. Scripta creditur eodem anno; in Collectione Sormani.
Agunt de eo Landulphus, Henricus ab Eccleſia in ſuis Commentariis, Zucchius in Hiſtoria Coronæ Ferreæ, Ughellus, & alii.

## MCCCCLX.

## De ROBIATE PETRUS.

PEtrus cognomento de Robiate, quæ Gens ab Oppido ejuſdem nominis in Collibus Brianteis ſito nuncupationem traxiſſe videtur, circa annum MCCCXLVIII. magnam in hac Metropoli famam prudentiæ adeptus fuit. Tantam enim Jurium peritiem in eo cognovit Luchinus Vicecomes Mediolani Dominus, & Imperialis Vicarius, ut cùm de Municipalibus Legibus reformandis ejuſdem Luchini juſſu ageretur, Virique eruditionis, atque integritatis laude florentes ad eam ſeligerentur provinciam, Petrus quoque noſter inter eos fuerit recenſitus. Reliqua ad eum ſpectantia, nemo à me quærat.

Celebratur ob

I. Jus Municipale Mediolanenſis Urbis reformatum, atque collectum, & ſub Joanne Archiepiſcopo anno MCCCLI. editum.
Ex Collectione Comitis Octavii Archinti.

## MCCCCLXI.

## ROBIUS ALBERTUS.

EX Familia Robia Mediolanenſi ſatis antiqua, ſicut eruitur à Sepulchralibus Inſcriptionibus in Eccleſiis SS. Franciſci, Alexandri, atque Eraſmi in hac Urbe extantibus (in quarum ultima adeſt una Jacobo Robio, Caroli V. Imperatoris à Secretis, poſita anno MDXLVI., ut ex Collectione Archintea didicimus) ortus eſt Albertus, qui Congregationem Clericorum Divi Pauli Barnabitarum communiter dictam ingreſſus, ibi inter ſtudia ſubtiliſſima omnem ſuam ætatem traduxit. Triennium impendit tradendis Philoſophicis Quæſtionibus, quo abſoluto, ſacris Concionibus animum applicuit, ideo inter Concionatores egregios adnumerabatur. Pollebat enim facundiâ naturali, atque arte acquiſitâ. Mors ipſum nimis citò ſuſtulit, nempe die VII. menſis Novembris anno MDCC. ætatis ſuæ XLVIII.

Hæc edidit, & ſcripta poſt ſe reliquit:

I. Il Sagro Eroe: Panegirico per S. Aleſſandro Protettore di Bergamo. *Milano, per Franceſco Vigone*, 1682. in 4.
II. Panegirici, e Sermoni per varie Feſte dell'Anno. MSS. in fol.
III. Prediche Quadrageſimali. MSS. in fol.
Iſta Suis debemus.

## MCCCCLXII.

## ROBIUS BENEDICTUS.

SUpradictæ Robiæ Familiæ Mediolanenſis Litteratis addendus eſt Benedictus, qui inter Clericos Regulares Teatinos nuncupatos adſcriptus, in Matritenſi Urbe profeſſus eſt; ibique Philoſophiæ, ac Theologiæ explanationes habuit, plaudentibus omnibus, è ſuggeſtu. Deinde in patriam reverſus, ad proximorum ſalutem totum ſe contulit, tam in Confeſſionibus excipiendis, quàm in Concionibus peragendis; in his tantam ſibi famam acquiſivit, ut à Viris Eruditis, & dignitate eximiis (inter quos Comes de Melgar, Dominii totius Inſubriæ Moderator) frequentiſſimè auditus fuerit. Neque à Muſis abhorruit, ut infra videbimus, itaut inter Academicos Faticoſos adnumerari meruerit. Obiit in Collegio Suorum hujus Metropolis die XXVII. menſis Januarii, anno Salutis noſtræ MDCXCVIII., ætatis verò LXIII.

Ejus ingenii hæc Monumenta reperiuntur:

I. Prediche, e Panegirici varj, fra' quali alcuni in lode di S. Gaetano. MSS. apud Suos.
II. Carmina varia Latina, extant inter Miſcellanea Poëtica P. Meazzæ, de quo diximus.
III. Alia tam Latina, quàm Italica, partim in Collectionibus variis impreſſa, partim MSS. in Bibliotheca Suorum Sancti Antonii Mediolani.
Ita ab alibi laudato, amiciſſimoque P. D. Cajetano Crucejo ejuſdem Congregationis Alumno.

## MCCCCLXIII.

## RODELLUS ROMANUS.

OLim celebris in Inclyta Venetiarum Urbe Congregatio Canonicorum Regularium ſub titulo S. Gregorii in Alga, nunc ab Apoſtolica Sede ſuppreſſa, plurimùm debebat Romano Rodello Mediolanenſi Civi. Is enim circa annum à partu Deiparæ MCCCCIV. Inſtitutum illud amplexus eſt inter primarios ejuſdem Conditores, videlicet S. Laurentium Juſtinianum (qui poſtmodum ipſius Urbis primus Patriarcha renunciatus, morum ſanctitate, ac paſtorali ſollicitudine toti præluxit Eccleſiæ Dei) Matthæum Stradam, Hieronymum Muſſum, & Auguſtinum Caſtaldum Papienſes, Antonium Corarium Jeſuatum, poſtea S. R. E. Cardinalem, Joannem Picenardum, & Angelum Donatum Cultrum, atque Simonem Perſicum Cremonenſes. Collatis autem inter ſe conſiliis homines Dei, naſcenti Congregationi leges ſtatuêre piiſſimas, atque ad perfectionem accommodatiſſimas. Acta reliqua Rodelli noſtri unà cum ipſo Ordine periiſſe dolemus, nullus enim ea poſteris ſervavit.

Scripſit igitur cum præfatis

I. Conſtitutiones Congregationis Venetæ S. Georgii in Alga.
Teſte Hieronymo Boſſio in Collectaneis Virorum, & Mulierum Ticinenſium pietate atque ſanctitate inſignium MS. in Bibliotheca Comitis Ludovici Archinti Magiſtratus Ordin. Reddit. Quæſtoris. Hæc collegerat Boſſius ad Papienſis Urbis hiſtoriam condendam; Codex eſt chartaceus in fol. juſtæ molis, &, ut videtur, autographus.

ROMA

Digitized by Google

ROMA JULIUS.
Vide URSINUS DE ROMA.

A S. ROSA JOANNES FEDERICUS.
Vide PUTEUS JULIUS.

## MCCCCLXIV.

## De ROSALES DIDACUS ORDONIUS.

Didacus Ordonius de Roſales parentes habuit Marchionem Balthaſſarem, Regium Quæſtorem Magiſtratus extraordinariorum RedditUum, Excelſi Secretioris Conſeſſus à Conſiliis, atque ad diverſos Italiæ Principes pro Rege Hiſpaniarum extraordinariis Legationibus perfunctum, necnon Mariam Antoniam de Roſales nobiliſſimos conjuges. In hac Metropoli inter vivos eſſe cœpit die VII. Junii, anno MDCLXXXI. Philoſophiæ, ac Theologiæ in Collegio Clementino operam dedit, amœnioreſque litteras peregregiè etiam coluit, itaut in Arcadum Academia adſcriptus, nomen Jelli Cinurii in eadem obtinere meruerit. Mediolanum reverſus legibus vacavit, & Ticini in eiſdem laurea donatus eſt anno MDCCIII. ſequenti verò cooptatus fuit in Patriæ J. CC. Collegium. In Academia Nobilium Procerum, quàm in Ædibus ſuis Comes Carolus Archintus à nobis jam meritò laudatus inſtituerat, plures habuit Diſſertationes, de quibus infra. Anno verò MDCCVII. inter LX. Patriæ Decuriones electus extitit, & poſt quinquennium apud Caroli VI. olim Romanorum Imperatoris Auguſtiſſimi uxorem pro Patria ipſa Legatus Brixiam contendit. Quæſtor deinde Magiſtratus Redditdum extraordinariorum efficitur anno MDCCXXIV, & poſt triennium Cathedram Senatoriam aſcendit, in qua Præſes perpetuus Regiæ Congregationis pro Mercimonio renunciatus plures Conſultationes optimas pro ipſo promovendo conſcripſit. Idque egit etiam dum Tribunali Sanitatis præfuit anno MDCCXXXII. Graviſſimis in cauſis pro Nobilium Jurgiis componendis ſæpè à Moderatoribus hujus Dominii Mediolanenſis Delegatus electus eſt, necnon ab exteris quoque ejus Conſilium expetitum fuit in ſimilibus, quocirca in hac materia nonnulla edidit. Poëſim Italicam minimè reſpuit, ut plura teſtantur Carmina à nobis infra recenſenda. Judex quoque pro Sacra Religione Jeroſolymitana deligitur, & mirum eſt Virum tot negotiis publicis, atque privatis implicitum nunquam à ſtudiis amœnioribus vacaſſe. Pluribus ſcientiis imbutum fuiſſe, ſatis eruitur à Bibliotheca optimorum Codicum tam in Juribus, quàm in Politicis, in Hiſtoria, ac in Eruditione tam ſacra, quàm profana rariorum, magno ſumtu à Suis condita, ab ipſo verò duplo aucta. È vivis abiit cum omnium bonorum, clientumque, inter quos & ego, ingenti mœrore die VI. menſis Septembris, anno MDCCXXXVI. ætatis verò ejuſdem LV. menſe II. die XVII. Jacet in ſarcophago majorum in Templo Pacis hujus Urbis.

Hæc ingenium ac ſcientias tanti Viri oſtendunt:

I. Conſultationes, ac Diſſertationes pro Mercimonio Mediolani promovendo. MSS. in Bibliotheca ejuſdem, quam diligentiſſimè ſervat Marchio Carolus Gaſpar J. C. C. Scriptoris noſtri filius.

II. Conſultationes plures Juridicæ pro Sanitatis Tribunali, inter quas eminet illa, quod nemini alteri ipſum ſubjaceat. MSS. ibidem.

III. Conſultationes, & Deciſiones variæ pro Nobilium Jurgiis componendis. MSS. ibidem.

IV. Cum Marchio Cevoli de Caretto in lucem Tractatum quendam edidiſſet ad Chriſtianos mores pertinentem, Roſales libellum conſcripſit argumenta continentem, quibus comprobat, eum qui verum, ſed tamen occultum proximi crimen patefecit nullo modo teneri dicta revocare, ſed Jure Juſtitiæ commutativæ famam proximo reſtituere, verbis quidem veritatem non lędentibus, ſed modis à Theologis traditis. Servatur MS. ibid.

V. Ea de re alium libellum edidit addito calculo plurimorum Theologorum variorum Ordinum. 1708. *ſine loco, & Typographi nomine.*

VI. Diſſertatio Juridica, Theologica, atque Moralis: An ob Sacerdotis defectum valeat Laicus morientem à Cenſuris abſolvere. MS. in fol. ibid.

VII. Diſſertazione ſopra il primo Concilio fatto dagli Apoſtoli in Geruſalemme. MS. in fol. pagg. 18. ibid.

VIII. Diſſertazione ſopra il primo Concilio Niceno. MS. in fol. pagg. 18. ibid.

IX. Diſſertazione ſopra il primo Concilio Conſtantinopolitano. MS. in fol. pagg. 16. ibid.

X. Della Filoſofia Morale Diſſertazioni II. MSS. extant apud Co. Jo. Maximilianum Stampam, Marchionem Soncini.

XI. Opus quoque laborioſum inchoaverat de Origine, Hiſtoria, & Progreſſu Juris Canonici, quod morte præventus perficere non potuit. MS. in fol. Extat apud ſupradictum Marchionem Carolum Gaſparem Auctoris filium.

XII. Carmina plura Italica, vulgò *Sonetti*, *Canzoni* ec. MSS. Extant in ſua Biblioth. ut ſupra.

## MCCCCLXV.

## De ROSALES GASPAR.

Comes ac Quæſtor Matthæus de Roſales ad Rempublicam Genuenſem ablegatus, necnon Apollonia Facina conjuges Mediolani Gaſparem, nunc laudandum, genuere, qui præter Ordinem Equeſtrem Sancti Jacobi, quo inſignitus fuit anno redempti Orbis MDCLXIII. Fiſci Patronus extitit in toto Mediolanenſi Dominio, & tantam probitatis doctrinæque famam ſibi promeruit, ut Catholicæ Majeſtatis ad Sereniſſimos Archiduces Œnipontanos Legatus miſſus fuerit, dein anno MDCLXXIII. Generalis Præfectus, atque Præſes Juſtitiæ Militaris in Mediolanenſi Provincia adlectus, inter Patres conſcriptos Excell. Senatus locum obtinuit anno MDCLXXXIII. Vir fuit in Legalibus Scientiis ſummæ prœditus, ut facilè quoque patebit à Scriptis ejuſdem, quæ vidimus, ut infra. Mortalitatem incidit anno MDCXC. Sepultuſque jacet in Eccleſia Sanctæ Mariæ Pacis hujus Urbis in avito Sacello Sancti Didaci apud Proavos, ubi legitur hæc Inſcriptio è Collectione Archintea eruta.

D. O. M.
PROXIMO IN SACELLO
DIVI DIDACI COMPLVTENSIS
MEMORIAM SVI CONSECRAVERE
FRATRES DE ROSALES HISPANI NOBILES
MELCHIOR
STIPENDII MILITARIS IN PROVINCIA MEDIOL.
QVAESTOR
SEPVLCHRO SIBI SVISQVE DELECTO
GASPAR
EQVES SANCTI IACOBI
A SECRETIS CONSILIISQVE CIVILIBVS ET BELLICIS
PRIMVM
APVD COMITEM MONTISREGII
PRO REGEM NEAPOLIS
INDE
APVD PHILIPPVM IV. HISPANIARVM REGEM
TRANSLATIS ALEXANDRIA CINERIBVS
PIORVM PARENTVM
LESMI AVAYLLO CASTELLAE VETERIS
ET BARBARAE DE EGVRZA AB AZPEITA
PROVINCIAE GVIPVZCOAE
QVI EX HISPANIA IN ITALIAM CATHOLICI REGIS
GRATIA CONVENERANT
MATTHAEVS
IN IPSA PROVINCIA MEDIOLANENSI
POTENTISSIMO PHILIPPO A CONSILIIS ARCANIS
ET MARCHIONE DE LEGANES
PROVINCIAM GVBERNANTE
A CONSILIIS BELLICIS
SEPVLCHRO EX PIETATE FRATERNA ABSOLVTO
ANNO DOMINI MDCXXXVI.

Se-

Digitized by Google

Sequentia elaboravit :

I. Viſita del Lago Maggiore. Ita incipit: „ Con queſta avranno le Signorie Loro Illuſtriſſime compito ragguaglio di quello ſi è eſeguito nella viſita da me fatta ſopra il Lago Maggiore nel meſe di Settembre proſſimo paſſato, con l'aſſiſtenza del Sindaco Fiſcale Vincenzo Riva ec., ed intenderanno inſieme quello riſulta dalle informazioni preſe ſopra la Peſcaggione a tratto per tratto lateralmente di detto Lago, quanto ſii dalla bocca di Ticino verſo Cicognola nel Territorio di Seſto, ſino al Borgo di Canobbio, e confine de' Signori Svizzeri. *Mediolani, ſine Typographi nomine*, 1649. *in fol.*

II. Vota Fiſcalia partim edita, partim MSS. Tom. VII. in fol.

III. Repertorium Juris ab ipſo Auctore conſcriptum Tom. I. MS. in fol. ingentis molis.

IV. Ad ſingulos, & omnes novarum Mediolanenſis Dominii Conſtitutionum libros, Titulos, §., Capita, Verſic. &c. Adnotationes variæ ex variarum legum Pontificiarum, & Cæſarearum, ac ferè omnium Orbis Terrarum Urbium, & Provinciarum Municipalium Conſtitutionum, Ordinum, ac Decretorum, Deciſionum, & Proclamatum Teſtibus, inſigniumque Juriſconſultorum auctoritatibus, ſententiis, ac doctrinis, omni ſtudio, & cura collectæ. Quorum titulorum omnium Rubricas ſequentes primæ paginæ demonſtrant, ſolito ordine alfabetico diſpoſitas. Tom. IV. in fol. prælo parati. Extant MSS. apud Auctoris nepotem Marchionem Carolum Gaſparem, ſicuti & antedict.

Ei Felix Bartholomæus Quinzanus librum Bartholomæi Sertorii, cui tit. „ Adnotationes ad Juſtinianei Codicis priores libros IX. „ prælo paratum, nuncupavit. Extat MS. ut ſupra.

Hippolytus Airoldus Ordines Senatus magis memorabiles, ejuſque Decreta ſcitu digniora à ſe collecta ipſi dicavit. Extant MSS. ibidem.

De eo Clariſſimus Sitonus in Monumentis Senatus Mediol. art. 188. pag. 11. MSS. apud eundem.

## A S. ROSALIA BONAVENTURA.
Vide BENALIUS FRANCISCUS XAVERIUS.

## MCCCCLXVI.

## ROSANUS GINESIUS.

Gineſius Roſanus Mediolanenſis Ordinem Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo ingreſſus, cùm plurimùm valeret ingenio, & ſacris eſſet excultus ſcientiis, ad Oratoriam facultatem animum convertit. Quapropter pluribus in locis Conciones habuit laudatiſſimas, præſertim in Oppido Angleriæ, ubi cùm Apoſtolico fungeretur miniſterio anno Salutis MDLVI. inter Auditores ſuos Sanctum Carolum Borromæum tunc adoleſcentem habere meruit; qua de re ſic Roſanus ipſe ſcribit in Nuncupatoria Operis ſui, de quo infra, Sanctum Cardinalem alloquens: „ Cùm annis ferè octo Angleriæ apud omnium eximiarum virtutum, ac ſanctæ pudicitiæ verè coronam nobiliſſimam, & clariſſimam Amitam tuam concionarer, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Præſul, ibique in te viderem diuturnam quandam ſitim, & inexhauſtam cœleſtis Evangelii audiendi cupiditatem, quod plerique noſtræ miſerrimæ ætatis adoleſcentuli planè negligere videntur, quodam bono mentis meæ præſagio neſcio quid magni ac præclari de te cœpi benè augurari &c. „ Poëſim etiam coluit, cujus ſpecimen optimum dedit tunc cùm Joannes Angelus Mediceus ea tempeſtate Cardinalis, ac poſtmodum Summus Pontifex Pius IV. nuncupatus, de quo ſuprà cum laude meminimus, Româ Mediolanum ſe contulit. Nam ubi Melegnanum pervênit, eò præfatus Sanctus Carolus, tunc in Archigymnaſio Ticinenſi legibus vacans, Avunculi ſui inviſendi gratiâ convolavit. Roſanus interim Rythmum quemdam in utriuſque commendationem compoſuit, eiſque obtulit, in cujus poſtremo verſu Mediceo Pontificatum, Borromæo ſacram purpuram quaſi vaticinans prædixit. Magni apud Suos eſt habitus, atque electus fuit, ut in Comitiis Generalibus anno MDLXIV. Romæ habitis, in quibus Joannes Baptiſta Rubeus Ravennas Generalis Carmelitarum renunciatus fuit, Orationem publicè haberet. Hæc hauſimus ex ipſa Orationis Nuncupatoria; reliqua verò ad eundem ſpectantia fruſtra quæſivimus.

Commendantur illius :

I. Rythmus in laudem Joannis Angeli Medicei tunc Cardinalis, poſtea Pontificis Maximi, ut ſupra, & Sancti Caroli.

II. Oratio habita in Comitiis Generalibus Carmelitarum Romæ celebratis anno MDLXIV. die XX. Maji. *Romæ, apud Antonium Bladum, eodem anno, in* 4. Hanc dicavit Auctor ipſe, ut jam præfati ſumus, Sancto Carolo Borromæo tunc ejuſdem Ordinis Protectori.

Memoratur etiam in Schedis Mazzucchellianis, & in Parad. Carmel. Decor. pag. 409.

## De ROSATE. Vide VARISIUS.

## MCCCCLXVII.

## ROSSIGNOLUS BERNARDINUS.

Oppidum Intræ ad Verbani Lacus littora in Mediolanenſi Ducatu ſitum patria fuit Bernardini Roſſignoli, quem genuere Petrus, Comes Palatinus, & Civitatis Caſtri in Regno Neapolitano Gubernator, atque Catharina Applana nobiles conjuges. Cùm autem Bernardinus legibus aſſiduè vacaſſet, & Doctoris inſignia percepiſſet, à Comite Renato Borromæo Auditor creari meruit, quod munus eidem quoque demandatum fuit à Comite de Altaemps, atque à Thoma de Avalos de Aquino Marchionis Piſcariæ Inſubriæ Moderatoris filio. Agebatur interim ab eodem Comite Borromæo de recuperatione Caſtri Aronæ, quocirca negotium illud commiſſum eſt Bernardino noſtro, cujus rei gratiâ ad Catholicum Regem Philippum II. profectus, in Hiſpania diuturnam traxit moram, à tanto Monarcha honoribus auctus, & in reditu Mediolanenſi Gubernatori per regias Epiſtolas commendari promeruit. Anno MDLXIII. ab ampliſſimo hujus Metropolis Senatu Juſtitiæ Vicarius apud rerum Capitalium Præfectum in Mediolanenſi Ditione electus fuit, quod munus decennio geſſit, arduis quandoque in negotiis ab eodem Senatu delegatus. Tres ſuſcepit liberos ex Lavinia Vicomercata uxore, Julium videlicet Phyſicum Collegiatum, Herculem Oppidi Valentiæ Regium Prætorem, ac Joannem Petrum JC. & Baſilicæ Metropolitanæ Canonicum Ordinarium. Nemo ſupremum vitæ illius annum promit.

Laudatur ob

I. Additiones ad Julii Clari Practicam Criminalem, & Civilem ſæpiùs impreſs. Noviſſimè autem *Genevæ, apud Hæred. Cramer, & fratres Filibert*, 1739. *in fol.*

## MCCCCLXVIII.

## ROVELLUS CAROLUS FRANCISCUS.

Carolus Franciſcus Rovellus Mediolanenſis, Congregationem Clericorum Regularium, qui de Somaſcha nuncupantur, ingreſſus, non minora ſolùm ſtudia diligentiſſimè didicit, ſed ſacris etiam litteris præſertim Theologiæ operam dedit, & in ea Magiſter renunciari meruit. Quoniam verò eruditionis illius fama in dies augebatur, dignus viſus eſt Mediolanenſi Senatui ampliſſimo, qui ad docendi munus in Archigymnaſio Ticinenſi aſſumeretur. In eo igitur



Digitized by Google

Lycæo, anno ætatis ſuæ XLII. Logicam primùm auditoribus tradere cœpit, mox ad Phyſicæ Cathedram evectus eſt, donec ſexagenarius, fractis ſtudio viribus, & adverſâ corporis valetudine preſſus honeſtam miſſionem, quam vulgò Jubilationem dicimus, petiit, atque impetravit, translato legendi officio in Carolum Curtium Ticinenſem ex eadem Congregatione; cùm in publici Anteceſſoris gradu annos XVIII. inſumpſiſſet. Totidem quoque annos tranſegit Sacræ Inquiſitionis Tribunali cum munere Conſultoris inſerviens. Apud Innocentium XII. Pontificem Maximum tantâ fuit in exiſtimatione, ut ad Epiſcopalem dignitatem ab eo advocaretur, quod certò eveniſſet, niſi oblatam Sedem Rovellus modeſtiſſimè recuſaſſet. Vitam deinde in pietatis operibus ſibi tantùm vacans præteriit, donec meritis cumulatus migravit à ſæculo anno circiter MDCCXV.

Habemus hæc illius:

I. Imago Principis optimi in Sereniſſimo Hieronymo Lotharingico Principe Valdemontii: Oratio Panegyrica, cum Carminibus variis Latinis. *Mediolani*, *apud Joſephum de Clericis*, 1705. *in* 4.

II. Orationes aliæ plures in Aula Epiſcopali Ticinenſi habitæ, dum ſtudioſis adoleſcentibus ſupremi Academici honores decernerentur. Harum meminit Scriptor ipſe in precibus Mediolanenſi Senatui oblatis, pro Jubilatione obtinenda; quamvis, ubi nunc ſerventur, nos lateat.

## MCCCCLXIX.

## ROVIDIUS ALEXANDER.

ALexander Rovidius Galeacii, & Cæciliæ Craſſæ filius, Cæſaris Phyſici Collegiati, & in Ticinenſi Academia publici Philoſophiæ Interpretis præſtantiſſimi, de quo mox dicemus, frater fuit. Collegium Nobilium J. CC. hujus Urbis ingreſſus eſt anno MDXCI. Mox Reg. Advocatus Fiſcalis, deinde Mediolanenſis Provinciæ Senator renunciatus, ſummæ Vir prudentiæ ad S. Sedem Apoſtolicam, ad Chriſtianiſſimum Regem, Catholicæ Majeſtatis nomine, Orator, graviſſimas inter eoſdem diſcordias ingenio ſedavit ſuo. Ad Jacobum Magnæ Britanniæ Regem Legatus, inter eundem, & Hiſpanum Monarcham, maximo cum Chriſtianæ Reipublicæ bono fœdus ſancivit. Demum Matriti in Aula Regia Supremi Italicarum rerum Conſiſtorii Conſiliarius, vulgò Regens, mortalitatem depoſuit anno noſtræ Salutis MDCV. Ejus exuvias in patriam reductas pientiſſima mater, & filius in Baſilica Collegiata D. Stephani in Brolio hocce Eulogio decoratas condidêre, propè gentilitiam D. Ambroſii aram:

ALEXANDRO ROVIDIO G. F.
EX COLLEGIO MEDIOLANENSI
IVRIS ET IVSTITIAE CONSVLTISSIMO
ORATORI MAXIMO
OB EFFICACIAM FIDEM ET PRVDENTIAM
AD FISCI ADVOCATIONEM
SENATORIAM DIGNITATEM PROMOTO
LITIGANTIVM PARENTI POTIVS QVAM IVDICI
PRO HISPANIARVM ET NOVI ORBIS MONARCHA
GRAVISSIMIS LEGATIONIBVS
AD CLEMENTEM VIII. P. M.
HENRICVM IV. GALLIAE REGEM
PRVDENTER FELICITERQVE FVNCTO
AD IACOBVM MAGNAE BRITANNIAE REGEM
PROPVGNATO IVRE STABILITO FOEDERE
VT TANDEM HISPANIAM THEATRVM
VIRTVTVM SVARVM FACERET
ET PATRIAM MVNERIBVS CVMVLARET
REGIO IN IIS QVAE PERTINENT AD RES ITALAS
IN HISPANIIS CONSILIARIO
CAECILIA CRASSA FRANC. I. C. EX SYNDICORVM COLLEGIO
POLIANI DYNASTAE F.
MATER CONTRA VOTVM
IO. BAPTISTA FILIVS COMES MONTIS OLDONI
PARENT. OPT. MOESTISS. P.
VIXIT ANNOS LI. MENSES III.
DECESSIT VI. NON. OCTOBR. MDCV.

Hæc

Digitized by Google

Hæc invenimus ab ipſo cum laude ſcripta :

I. Oratio habita per Senatorem Alexandrum Rovidium Londini, reſpondens Comiti de Hartanton in prima conferentia Tractatus pacis . *Mediolani*, denuoque *Novariæ*, *apud Hieronymum Seſallum*, 1604. *in* 4.

II. Ad Sacram Catholicam Majeſtatem Informatio de Contentionibus Juriſdictionalibus cum Archiepiſcopo, & Epiſcopis Mediolanenſis Provinciæ. *Mediol. ſine anno, & Typogr. nomine.*

III. Informazioni , e Pareri dell' Avvocato Fiſcale Aleſſandro Rovida mandate alla Corte di Spagna ſopra le Monete, e modo di regolarle nello Stato di Milano . MS. in fol. & partim impreſs. anno 1596. Extat apud Marchionem Jo. Baptiſtam Rovidium.

IV. Diſcorſo circa il ponto della Religione Cattolica in Inghilterra notato dal Regente Aleſſandro Rovida, mentre fu in quel Regno a trattare le Paci tra le due Corone di Spagna , e d'Inghilterra . MS. in fol. pagg. 24. ſign. num. 155. extat in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium D. Ambroſii Mediolani.

V. Carmina Latina extant in libro, cui titulus: „ Academiæ Animoſorum Plauſus in Laurea Jo. Mariæ Sicci de Aragonia. *Mediolani*, *in* 4.

VI. Orazione in lode di Margarita d'Auſtria . Extat in libro inſcripto : „ Orazioni , e Poemi dell'Academia Affidata per le Nozze di Margarita d'Auſtria con Filippo Re di Spagna . *Pavia* , *per il Viani*, 1599. *in* 4.

VII. Allegationes plures juridicæ. Extant apud J. PP. Mediolanenſes, & Ticinenſes, ut diximus alibi.

VIII. Politico-Legalia , de hoc Opere teſtis eſt Picinellus loco infra cit.

IX. Propemticon Joanni Fernandeo Velaſchio Gubernatori Mediolani . *Ibi*, *ſine Typographi nomine*, 1600. *in* 4.

Extat ad eum Epigramma Bernardini Baldini in Appendice Carminum .

Annibalis Guaſchi ad eundem Epiſtola Italica, extat inter Epiſtolas Guaſchi editas *Mediolani* , *apud Pontium* , *& Piccaleam*, 1601.

Alia Erycii Puteani ad eund. Eſt in Centuria III. Epiſtolarum , cui titulus *Bellaria* ejuſdem Puteani pag. 43.

De eo Creſcentius in Amphitheatro pag. 274. Picinellus in Athenæo pag. 13. , Melchior Alciatus in Tractatu de Præcedentia pag. 78. num. 103. , Dionyſius Simon in Bibliotheca Hiſtorico-Legali , P. D. Gaſpar Beretta in ſuis Schedis, & Clar. Sitonus in Theat. Nobil. Coll. J. PP. pag. 274. art. 715.

## MCCCCLXX.

## ROVIDIUS CÆSAR.

GAleacius Rovidius , atque Cæcilia Craſſa jugales nobiles Mediolanenſes Cæſarem , ut in ſuperiori diximus articulo , genuere Virum ad omnem eruditionem natum . Tanto is fuit à naturâ donatus ingenio , ut ea ætate , qua vix reliqui adoleſcentes ſcientiarum curricula ſolent incipere , ipſe jam metas attigiſſe videretur ; Philoſophiam enim, atque Medicam facultatem adhuc penè impubes ita calluit , ut de illo Joannes Baptiſta Sylvaticus hæc ſcribere non dubitaverit loco inferiùs citando : „ Adoleſcentis adhuc non laureati conſiliis , & „ doctrina utebantur profitentium multi , difficiliorum in Hyppocratis , Ariſtotelis , & Galeni „ Codicibus, locorum explanationem ab eo quærentes . „ Quæ res neminem in admirationem adducere debet, nam, ut citatus Sylvaticus, ait: „ Nulli „ ſanè ſuorum æqualium ætate noſtra , cùm græcæ , „ tum latinæ eruditionis majores opes contigerunt; „ nullus perpetuis Lucubrationibus adeo addictus „ fuit : nullus majore memoriâ à naturâ præditus . „ Totius Italiæ Gymnaſia Philoſophiæ causâ perluſtravit : ſingulos , omneſque Philoſophos , & Medicinæ primarios profitentes audire voluit: omnium graviores potioreſque ſententias ſcriptis excepit . Octaviano tamen Ferrario , omnium ſui & „ alterius ſæculi Philoſophorum ſine controverſia „ Principe, præceptore uſus eſt perpetuò . „ Ita comparatis ſibi tot eruditionis opibus Lauream in Phyſica facultate percepit , mox die XIV. menſis Julii anno MDLXXV. in Medicorum Collegium hujus Metropolis eſt cooptatus . Vix Doctor renunciatus ad Medicinæ Cathedram in Ticinenſi Archigymnaſio aſſumptus fuit, magnâ cum nominis celebritate adeo, ut incredibilis Auditorum numerus ad percipiendas ejus lectiones undique conflueret . Inter diſcipulos illius plures recenſiti ſunt Viri in Litteraria Republica celebres , præſertim verò Jacobus Antonius Phrygius Scriptor laudatiſſimus Commentariorum in Prognoſtica Hyppocratis, qui erga Rovidium Præceptorem ſuum gratum teſtaturus animum, hæc habet in Nuncupatoria ad Carolum à Baſilica-petri Novarienſem Epiſcopum , præfixâ Operi ſuo edito *Ticini* , *apud Grigium*, *anno* 1608. *in* 8. „ Quibus propterea arti- „ bus Ticini cùm totos octo annos non inſtrenuam „ operam dediſſem , ibique à Cæſare Rovidio Me- „ diolanenſi Viro optimo , & docto inter paucos , „ olim amantiſſimo præceptore meo, inſignia Medici „ ſuſcepiſſem &c. „ Virtus Rovidii noſtri per Italiam , atque exteras etiam Provincias nota plures Academias in ejus traxit deſiderium , ideoque magnis propoſitis præmiis perſæpè ſollicitatus eſt , ut relictâ Ticinenſi Cathedrâ alibi doceret, verumtamen Mediolanenſis Senatus tanti Viri jacturam ægrè ferens , ut ipſum arctiori vinculo detineret, primariam Medicinæ Lectionem eidem contulit . Cæſar interim Eruditorum Cœtum , inſignemque Academiam ad excolendum adoleſcentium ingenium propriis in ædibus Ticini inſtituit, eaque annis MDLXXXI. & ſequentibus florebat adeo, ut Athenæ, teſte citato Sylvatico , rediiſſe viderentur . Juvat hìc Academicorum nomina recenſere , quorum pleroſque in hac Collectione inſertos Lectores habent . Hi fuerunt igitur Hieronymus Camerus , Alexander Dardanonus , Petrus Antonius Gambarellus, Joannes Maria ab Eccleſia, Annibal Delfinonus, Jacobus Baſſus , Chriſtophorus Moronus, Hercules Vincemala, Antonius Regna, Maphæus Cicerejus, Joannes Antonius Valla, Julius Cæſar Burrus , atque Nicolaus Caſtillionæus; ex his aliquorum habentur in MS. inferiùs indicando Carmina, & Epigrammata ad Rovidium, quibus ejuſdem verſibus reſpondent . Mirum eſt , qua contentione Scriptor noſter lectioni optimorum Codicum daret operam ; quos notis ad marginem adjectis aſpergere conſueverat , ut nobis videre licuit in inſigni eorum copiâ nunc inter libros Ambroſianæ Bibliothecæ ſervatâ , quorum præcipuos haud multò poſt indicabimus . Græcos præſertim Auctores hujuſmodi marginalibus additionibus à Rovidio locupletatos pulcherrimo charactere offendi . Rursùs autem adducemus verba Phrygii jam ſupra laudati , qui in lib. I. textu II. pag. 33. ſic loquitur : „ Cæſar Rovidius amantiſſi- „ mus Præceptor meus , in litteris Græcis juxta, ac „ Latinis doctiſſimè eruditus , boniſque omnibus ar- „ tibus ornatus , qui luculentiſſimis , lectiſſimiſque „ Operibus edendis immortale nomen erat adepturus, „ niſi poſteritatis utilitatì , ac illius creſcenti gloriæ „ mors invidiſſet . „ Meditantem igitur plura in lucem edere , & illa præcipuè in libros Ariſtotelis à ſe elaborata, fatum oppreſſit, quapropter omnia Alexandro fratri ſuo Senatori, à nobis jam commendato, reliquit , quæ ille profectò typis tradidiſſet , ut ſupplices amici deprecabantur , doctique omnes ſperabant , niſi & ipſe inopinatâ morte correptus interiiſſet . Cæſar autem annos natus vix XXXV. è vita migraſſe traditur anno Salutis noſtræ MDXCIV. quamvis id in dubium revocet Bartholomæus Curtius loco citando , vix credibile arbitratus eum ante annum XVI. in Collegium Phyſicorum locum obtinuiſſe jam peragratis Academiis Italiæ , & Medicinæ laureâ perceptâ . Citiùs quoque vivere deſiit Rovidius noſter ; nam ſuper ejus imaginem eleganter pictam , quæ ſervatur ſub interiori porticu Bibliothecæ Ambroſianæ, ita inſcriptum legitur: „ Obiit MD- „ XCI. die VII. Auguſti . „ Cadaver ejus in gentilitio

litio Sepulchro, quod adhuc extat in Baſilica Protomartyris hujus Metropolis, repoſitum conquieſcit.

Hæc illius ſunt Opera:

I. Cæſaris Rovidii Poëmata varia, ideſt Elegiarum libri III.

II. Eglogæ variæ amatoriæ ad Lycen.

III. Epigrammata, & Carmina ad varios Academicos, cum Reſponſionibus eorumdem occaſione Academiæ, quæ in domo ſua habebatur annis MDLXXXI., & ſequentibus. Eorum nomina jam dedimus in Vita Scriptoris noſtri. MS. in fol. Extat in Bibliotheca Ambroſiana ſignat. A. num. 166.

IV. Tractatus varii Philoſophici, ſed non in ordinem digeſti. MS. autographus magnæ molis in fol. Extat in ſupradicta Bibliotheca Ambroſiana ſign. D. num 142.

V. Commentaria in Ariſtotelis Politicam. MS. autographus, ut ſupra. Extat ibidem, in fol. ſign. B. num. 8. pagg. 318.

VI. Commentaria in Ethicam Ariſtotelis, cum Textu Græco, Vol. II. MSS. in fol. ſign. G. num. 747. & 748. autographa ibidem.

VII. Expoſitio Librorum III. Ariſtotelis, qui poſteriores Analytici nuncupantur. Vol. III. MSS. in fol. ſign. G. num. 748. 749. & 750.

VIII. Procli Explicationes in Sympoſium Platonis, cujus adeſt Textus Græcus, cum Verſione Latina, & Adnotationibus Cæſaris Rovidii. MS. in fol. ſign. G. num. 741. ibid.

IX. Heſiodi Opera & Dies, cum Notis tam Græcis, quàm Latinis. MS. in fol. ſignat. G. num. 735. ibid.

X. De Interpretatione Vocum. MS. in fol. ſignat. G. num. 742. ibid.

XI. De Potentium, & Tenujum inter ſe amicorum officiis Joannis Caſæ, cum Notis Rovidii. MS. in fol. ſign. G. num. 745. ibid.

XII. Expoſitio Iterata in II. Lib. poſteriorum Ariſtotelis. Extat in Cod. MS. ſign. G. num. 744. in fol. ibid.

XIII. De Inductione. MS. in ſupradicto Codice.

XIV. De Cauſa obſcuritatis Ariſtotelis. In eodem.

XV. Quæ ſint principia Actu ingredientia in Syllogiſmo demonſtrativo. MS. in eodem Codice.

XVI. Quædam Medica ex variis Auctoribus Græcis collecta. MS. in fol. ſign. G. num. 731. in ſupradicta Bibliotheca Ambroſiana.

XVII. In Librum Fabricii Philoſophi, ac Medici de Voluptate Commentarius. MS. in fol. ſignat. Q. num. 119. inter eos in 4. ibid.

XVIII. De Generatione Syllogiſmorum Commentarius ad Auditores ſuos. MS. in fol. ſign. ſt. num. 16. ibid.

XIX. Lettera, nella quale dà giudizio ſopra alcuni luoghi d'Oribaſio, e di Galeno. MS. in fol. ſign. ſt. num. 4. ibid.

XX. Altra del medeſimo ſopra lo ſteſſo Argomento, ſcritta da Pavia li XVII. Giugno MDLXXXIX. In eodem Codice.

XXI. Plauti Comœdiæ editionis *Aldi*, 1522. cum Notis MSS. Cæſaris Rovidii. Extant in ſupradicta Bibliotheca Ambroſiana inter impreſſos ſignat X. num. 501 in 4.

XXII. Catulli, Tibulli, & Propertii Opera: editionis *Griphii*, 1537. cum Notis marginalibus, & variantibus Lectionibus MSS. Cæſaris Rovidii. In Ambroſiana inter impreſſos ſign. V. num. 256.

XXIII. Porphyrii Opera. Editio Græca *Aldi*, 1495. *in fol.* cum Notis MSS. pluribus Latinis, atque Græcis Cæſaris Rovidii. Eſt in Ambroſiana inter impreſſos.

XXIV. Iſtoria di Troja compoſta per Guido Giudice di Colonna di Meſſina; in fine ſic legitur: „ Queſta „ preſente opera è ſtata impreſſa per Antonio „ de Alexandria della Paglia, Bartolomeo da „ Foſſombrone della Marca, e Marcheſino di Savione Milaneſe, nell'inclita Città di Vinexia, „ nelli Anni del Incarnacione 1481. „ cum Notis marginalibus latinis ſcriptis manu propria Cæſaris Rovidii. Extat in Biblioth. Ambroſiana ſign. H. num. 127. in fol. inter impreſſos.

XXV. Terentii Comœdiæ, ex emendatione Moreti. *Lugduni*, *apud Rovilium*, *in* 8., cum pluribus Notis MSS. Rovidii. Extant in ſæpedicta Bibliotheca Ambroſiana.

Vidimus ad eum Litteras Franciſci Cicereji ad Academiam ejus ſpectantes, MSS in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum, & alias plures ad Marcum Maphæum Cicerejum ipſius Franciſci filium ejuſdem argumenti, & ad illius ſtudia pertinentes. Ibid.

Bartholomæus Curtius in libro de Claris Medicis Mediolanenſibus agit de Cæſare Rovidio, ſed opera illius ſatis parcè profert pag. 122. parciſſimè verò Philippus Picinellus in Athenæo pag. 143., aliique ab ipſo Curtio citati, inter quos Joannes Baptiſta Sylvaticus, atque Antonius Phrygius, nec mirari ſatis poſſumus, Auctorem iſtum inſalutatum fuiſſe à Clar. Mangeto in ſua Biblioth. Scriptorum Medicorum, poſtquam in eadem totum Curtii Opus exſcripſerat; memoratur etiam in Schedis Sitonianis.

## MCCCCLXXI.

## ROZZONUS BARTHOLOMÆUS.

BArtholomæus Rozzonus Trivilienſis, nobili atque antiquâ imprimis Familiâ editus eſt. Rozzoni enim poſt everſum à Friderico Œnobarbo Cæſare Auguſto Mediolanum, Trivilii ſedem, domiciliumque delegerant. Cùm verò florerent opibus præclaraque famâ, Caſtrum ea tempeſtate ad Bergomatum fines condiderunt, ut Triviliatem agrum ab incurſionibus Guelfæ Civitatis tuerentur. Illud hodieque extat, atque in vicum non ſpernendum increvit, Rozzonumque Caſtrum appellatur, quatuor turribus munitum, ornatumque Templo ſatis culto. Poſterioribus ætatibus Rozzoni in Fulcheria regione Gibellinæ Factionis ferè principes extitere, memorantque Bergomatum Annales, ab eis captum ſuæ Civitatis Suburbium, quod Divæ Catharinæ nunc dicitur, item Ghiſalbam vetus Oppidum, ac Romanæ antiquitatis monumentis illuſtre, mox Faram in Fulcheria Longobardorum veteri religione Fanum, Caſtrumque non mediocri abactâ prædâ. Editus ex hac Familia Bartholomæus filius Martini ex Condominis Caſtri Rozzoni, & pro Triviliatibus anno MCCCCLIII. Legati apud Franciſcum Sfortiam Vicecomitem Mediolani Ducem; fratrem habuit Joannem Stephanum Rozzonum anno MCCCCXCIII. ex primariis à Cubiculis Excellentiſſimi Joannis Galeacii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Ducis Mediolani; prout vidimus in Serie genealogica Gentis Rozzonæ à Cl. Sitono contexta ab anno MCCCLXX. uſque ad noſtra tempora. Inter litterarum ſtudia noſter adoleſcentiam exegit, mox Ludovici Sfortiæ Mediolanenſium Ducis Aulam ſecutus, ejus Curiæ ſe addixit, inter Scriptores à Secretis Principis cooptatus. Ludovico à Gallis Novariæ capto, atque in Gallicanum carcerem abducto, Bartholomæus, ut fidem probaret ſuam, Ducis filios Maximilianum, ac Franciſcum Mariam in Germaniam ſecutus eſt profugos, eiſque egregiam navavit operam. Gallis mox, poſt Ravennate prœlium, in quo victores extiterant, Helvetiorum ope ex Inſubrica terra ejectis, Rozzonus Maximilianum Ducem reducem ſecutus, Mediolanum cum ingenti gloria rediit. Verùm poſt Mediolanenſe prœlium, ubi de Helvetiis Galliæ Rex Franciſcus triumphavit, Maximiliano Duce exauctorante ſe, atque inita pactione ditionem ſuam Gallis remittente, Bartholomæus Trivilium ſeceſſit, unde aliquot poſt annos, cùm jam Caroli V. Cæſaris arma Gallos ex Italia ejeciſſent, Mediolanum redux, eâ in Civitate morbo correptus, diem obiit extremum. Non pauca reliquit ingenii ſui, ſeu fidei potius, prudentiæque monumenta. Cineres Bartholomæi Rozzoni in Templo D. Mariæ vulgò *Giardini* Mediolani, hoc Monumento illuſtres conquieſcunt.

BAR-

Digitized by Google

BARTHOLOMAEO ROZZONO
PATRICIO MEDIOLANENSI
APVD IOH. GALEATIVM ET LVDOVICVM
DVCES MEDIOLANI
PRAECLARISSIMIS MVNERIBVS PERFVNCTO
ATQVE A FRANCISCO II.
IN PRIMARIVM A SECRETIS ADSERTÓ
CVIVS CINERES HVC PIE TRANSLATI SVNT
FEDERICVS ROZZONVS
FREQVENTIBVS SACRIFICIIS ET ASSIDVIS ORATIONIBVS
RR. PATRVM REFORMATORVM D. FRANCISCI
SACELLVM HOC
EXCITANDVM ET MONVM. EXTRVENDVM
PATRVO DILECTISSIMO
SIBI POSTERISQVE
VIVENS CVRAVIT MDCXII.

Habemus de ipſo :

1. Litteras de rebus occurrentibus ad Maximilianum Mediolani Ducem, cum reſponſis ejus Principis, quæ authenticæ habentur apud P. Innocentium Rozzonum è Soc. Jeſu Mediolani . MSS.

De ipſo Cl. Sitonus in Theat. Nob. J. PP. Colleg. Mediol. pag. 111. art. 460., necnon in Schedis ; reliqua debemus doctiſſimo , amiciſſimoque Canonico Barizaldo .

## MCCCCLXXII.

## ROZZONUS HIERONYMUS.

Hieronymus Rozzonus Franciſci filius , & unus ex LX. Decurionibus hujus Urbis , ex Triviliate Municipio, Franciſco Mariæ Sfortiæ Mediolanenſium Duci à Secretis fuit , eidem acceptiſſimus familiari prope conſuetudine . Namque Principem ſuâ à Gallis ejectum terrâ , vel inter arma ſecutus Rozzonus, reducem eum aliquando in Inſubrium Imperium vidit, Pontificiis, Cæſarianiſque armis reſtitutum. Mox Antonio de Leyva Hiſpanorum Præfecto eum de rebellione contra Cæſarem accuſante, cogenteque reddere Joviam Arcem , atque ad fœdera cum Gallis, Venetiſque ineunda vi prope compellente; Hieronymus integrâ in ipſum fide Trivilium in patriam ſuam ſe recepit. Cùm autem in Civitate Laude Pompeja Dux Sfortia ſe contineret , datis ſæpè ad Hieronymum Litteris , ejus conſiliis , ac pecuniæ etiam ſubſidiis adjutus eſt . Verùm Leyva , militibus ſuis Trivilium miſſis , cùm acerbiſſimè ibi vexaret Oppidanos , quos ad extorquendam pecuniam tormentis etiam ita afflixit , ut ſi in Venetorum propinquam regionem ad evitandam injuriam fugerent , immiſſis ſæviſſimis ſatellitibus eos retraheret majori pœnâ afficiendos , id in cauſa fuit , cur Hieronymus Trivilio in Villam ſuam Gernetium ſecederet, Modoëtiâ ad Lambrum non admodum diſſitam . Eo loci multos Triviliatum è patria profugos tutatus , ſuis eos auxiliis ſuſtentabat . Verùm cùm Carolus Cæſar in Italiam veniſſet ad Imperii coronam , Bononienſi fœdere reddita Inſubribus pace in majorum ſuorum ditione Dux Sfortia reſtitutus eſt . Inde Hieronymus apud Principem ſuum Mediolanum rediit, magnoque in honore habitus ab eo , Triviliatum jura , immunitateſque obtinuit confirmari . Verùm poſt annos vix dum quinque , improviſa morte correpto Duce , nec ulla ſobole relictâ , indeque Inſubri ditione ad Cæſarem devolutâ , Hieronymus Imperatori à Secretis fuit , ac patriæ pater à Triviliatibus habitus in urbe Mediolano deſiit vivere anno MDLV. menſe Decembri , conditusque eſt in Templo SS. Angelorum cum ſequenti Epitaphio .



Digitized by Google

D. HIERONYMO
CELLAM CLATHRATAM ARAM TABVLAM PICTAM
VIVENS HIPPOLYTA BOSSA FACIEBAT
SEPVLCHRVM LAPIDEMQVE LITERATVM
SIBI ET
HIERONYMO ROZZONO CONIVGI
VIRO OPTIMO
PRINCIPVM MEDIOLANENSIVM AB EPISTOLIS
QVO CVM VIXIT ANNOS XXV.
COLLEGII MISERICORDIAE SODALES
EX EIVS TESTAMENTO ABSOLVERVNT
ANNO MDLXV. XVII. KAL. OCTOBRIS.

Supereſt de ipſo:

I. Epitome litterarum ſuarum ad Franciſcum Mariam Sfortiam Mediolani Ducem, cum authenticis aliquot ad eas reſponſis, quæ apud Patrem Innocentium Rozzonum Soc. Jeſu Mediolani ad Divi Fidelis aſſervantur MSS.

Hæc debemus Clariſſimis Viris Canonico Barizaldo Triivilienſi alibi laudato, atque Joanni Sitono, qui de Rozzono iſto agit in Chronico Colleg. J. PP. Mediol. pag. 411. artic. 460., & in Serie Chronologica Familiæ Rozzonæ, quam nobis perhumaniter communicavit.

## MCCCCLXXIII.

## ROZZONUS POMPONIUS.

EX præclara Rozzonorum Gente, quæ in tres Familias in Trivilii Municipio diviſa fuit, ortus eſt Pomponius, patre Martinolo Rozzono Juniore, in Vico Caſtri, iſtius nominis à majoribus ſuis cum Arce conditi, in ultimis finibus Triviliatis Agri Bergomum versùs. Patruos habuit Bartholomæum, de quo jam diximus, atque Joannem Stephanum Ducalem Camerarium Joannis Galeacii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis, ejuſque Donatarium, ut ex Diplomate dato Papiæ die XXV. Septembris anno MCCCCXCIII. penès Clariſſimum Sitonum. Hujus poſtremi meminit Sepulchralis Inſcriptio in Eccleſia Sancti Franciſci Civitatis Mantuæ per Conſtantiam Suardam conjugem primo loco Joannis Mariæ Gonzagæ, deinde Joannis Stephani noſtri, & utriuſque viduam anno MDXXXV., poſita ſequentibus litteris, quas exſcripſimus à Laurentio Scradero in Monumentis Italiæ pag. 338.

IOHANNI MARIAE GONZAGAE
ET IOHANNI STEPHANO ROZZONO
CONIVGIBVS
GALEATIOQVE ET HIPPOLYTAE FILIIS
CONSTANTIA SVARDA VXOR
ET MATER INFOELICISSIMA SVPERSTES
POSVIT ANNO MDXXXV.
VT QVI VNA CARO EXISTENTES
ET QVIETE VIVENTES VNANIMES
VNO CLAVSI QVIESCANT SEPVLCRO.

In ſupradicta Civitate Bergomenſi Pomponius præclarâ indole præditus, atque acri ingenio, Grammaticæ primùm, mox Rhetoricæ, ac Philoſophiæ ſtudia confecit. Deo ut ſe dicaret, ac Religioſi Ordinis amore ſe ſe accendi ſentiens, inter Auguſtinianos Patres adſcribi voluit; ubi Theologiæ impenſiùs animum addixit, Sacræque Scripturæ arcana altiùs contemplatus eſt, Sanctorum Patrum lectionis ductu, magna cum omnium ejus pietatis, atque eruditionis exiſtimatione auditus tum è Cathedra, tum è ſuggeſtu, quibus in exercitationibus ad extremam ſenectutem pervênit, vitamque cum æternitate commutavit anno Redempti Orbis MDXCVII.

Extat ejuſdem

I. Contemplatio in Divinam, & Symbolicam Viſionem Rotarum Ezechielis Prophetæ. *Bergomi, apud Cominum Venturam*, 1556.

Hæc etiam debemus amiciſſimo, doctiſſimoque Canonico Barizaldo, alibi laudato; agit quoque de ipſo Sitonus noſter, ut ſupra jam diximus, de Gente Rozzona in ſuo Theatro Genealogico MS. penès Auctorem pag. 290.

## MCCCCLXXIV.

## RUBEUS ANTONIUS.

ANtonius Rubeus Franciſci filius in Oppido Gallarati primam vidit lucem. Litteris autem excultus in hac Urbe, ad Jura ediſcenda ſe totum convertit, ſuadente Clariſs. Viro Joanne Baptiſta Pecchio J. C. eximio ſui ævi, ideoque Antonius & ipſe magnum nomen ſibi promeruit, itaut Regius Capitaneus Juſtitiæ in toto Mediolanenſi Dominio renunciatus fuerit anno MDLXXXIII. Memoratur in ſequenti Epitaphio adhuc extante in Eccleſia Parochiali S. Pauli in Compito vocata hujus Metropolis, ſequentibus litteris:

SO-

Digitized by Google

SOPHIAE CASTILLIONEAE VXORI BENEMERITAE
ANNOS XXXIV. NATAE
IN DOMINO MORTVAE
ET HAC DIE VI. IANVARII DEPOSITAE
ANTONIVS RVBEVS MOESTISSIMVS PIEN. M. P.

A Amorem Mediolanenſium, atque exiſtimationem ſibi meritò acquiſivit ſuis illuſtrationibus ad Statuta Mediolani appoſitis poſt illas Joannis Navæ, Joannis Baptiſtæ Vicemalæ, atque Catteliani Cottæ, & librum edidit hoc titulo :

I. Statuta Mediolani cum appoſtyllis Catteliani Cottæ, inde in meliorem formam redacta, & novis adnotationibus aucta ab Antonio Rubeo ex Gallarato. *Mediolani, per Joannem Antonium Caſtellionum*, 1552. *in fol. & iterum* 1594. *ibidem*, necnon *Bergomi*, *apud Cominum Venturam*.

II. Adeſt in prima editione Epiſtola ejuſdem Rubei Nuncupatoria ad Juriſperitos Collegii Mediol. in qua rogat Joannem Baptiſtam Pecchium, ut librum Collegio offerat, & ipſum Pecchium, necnon Joannem Baptiſtam Navam, & Jo. Baptiſtam Vicemalam in Jure doctiſſimos laudat. B

In ejus obitu Carmen compoſuit Bernardinus Baldinus, quod legitur in libro *Luſus* inſcripto.

Videndum Picinelli Athenæum pag. 48.

## MCCCCLXXV.

## RUBEUS JOANNES BAPTISTA.

JOannes Baptiſta Rubeus, ſive de Rubeis Mediolanenſis, cujus acta, atque parentes nemo nobis indicavit, Juriſprudentiæ, & Poëſis ornamentis emicuit Sæculo ſuperiore, prout indicant poſteritati quæ illius habemus. C Placidum Puccinellium Piſcienſem Benedictini Ordinis Monachum de Mediolanenſi Urbe optimè meritum (cui debemus Chronicon vetuſtiſſimi Cœnobii Sancti Petri in Glaſſiate, Collectionem Sepulchralium Inſcriptionum, & Acta Archiepiſcoporum aliquot Mediolanenſium, è quibus Operibus plura in hujus Bibliothecæ uſum derivavimus) Scriptor noſter inter primos coluit, & Carminibus Italicis pro ſæculi genio non ſpernendis commendavit. In Foro etiam cauſas perſæpe egiſſe traditur non ſine laude, quemadmodum liquet ex his quæ numero II. dabimus. Annus illius emortualis latet.

D Habemus igitur ipſius :

I. Carmina Italica in laudem præfati Placidi Puccinelli, quæ typis edita ſunt in memorato Chronico Glaſſiatenſi ejuſdem Auctoris ; impreſſo *Mediol. apud Julium Cæſarem Malateſtam*, 1655. *in* 4.

II. Diſcorſo nella Cauſa di Nobiltà, che pende tra il Signor Marcheſe Agoſtino Cuſano, ed il Signor Gaſpare Surrigone Gentiluomini Milaneſi. *Mediol. ſine nomine Impreſſoris*, 1619. *in fol.* extat apud amiciſſimum JC. Sitonum, & eſt pagg. 42.

Memoratur in Schedis Sitonianis.

## MCCCCLXXVI.

## RUBINUS FRANCISCUS.

ALexander Rubinus Bergomenſis, ideoque inter Exteros, qui Mediolanenſem Urbem doctrinæ ſuæ ſplendoribus illuſtrarunt à nobis amandatus, Franciſcum in hac Metropoli genuit, qui Clericalem vitam amplexus, virtutum inſigne ſpecimen dedit, & eruditionem in humanioribus præſertim litteris ſingularem oſtendit. Ab Archiepiſcopis Ambroſianæ Eccleſiæ, atque primariis Optimatibus magni habitus eſt, ideoque ab eis electus, ut adoleſcentibus eloquentiæ præcepta traderet in Collegiis Aſconæ ad Lacum Verbanum, atque Helvetico Mediolanenſi. Id etiam præſtitit in Scholis Arcimboldiis, ac in Seminariis Aronæ, & Novariæ, atque demum in Academia nobilium Ephœborum Bergomi. Philippus Picinellus eum Præceptorem ſuum in humanis litteris fuiſſe ſcribit. Plures habuit publicè Orationes utrâque linguâ, Italicâ ſcilicet, & Latinâ, in quibus facundiæ ſuæ non contemnenda protulit argumenta. Obiiſſe videtur Bergomi, quo autem anno id acciderit hactenus ignoramus.

Illius hæc memorantur Opera :

I. Gratiarum Actio ad Julium Areſium Mediolani Præſidem. *Mediol* 1626. *in* 4.

II. Oratio in laudem Lycæi Mediolanenſis. *Ibi*, *apud Navam*, 1623. *in* 4.

III. Alia in funere Gregorii Montii. *Ibid. apud eundem*, 1625. *in* 4.

IV. Alia in funere Pauli Belloni Senatoris. *Ibi*, *apud eundem*, 1625. *in* 4.

V. Alia de Laudibus Scientiarum, auctore Franciſco Rubino, habita à F. David Maria Maleta Carmelita. *Ibi*, *apud Feriolum*, 1626. *in* 4.

VI. Icon hominis. *Ibi*, 1627. *in* 8.

VII. L'Aurora : Panegirico per S. Carlo. *Ivi*, 1627. *in* 4.

VIII. Epiſtola Latina de morte Aquilini Coppini, & de illius, aliorumque Mediolanenſium ſtudiis ; ad Senatorem Joannem Baptiſtam Vicecomitem, data V. Id. Februarii MDCXXIX. *Mediol. ſine Impreſſoris nomine, & anno*, *in fol.*

IX. Aliæ plures Latinæ partim MSS., partim editæ, ad varios, inter quos ad Carolum Antonium de Magiſtris, & Michaëlem Angelum Cacciam Senatores, ad Nicolaum Laizaldum, alioſque : ſervantur in Biblioth. Eremitarum Nudipedum Cœnobii SS. Coſmæ, & Damiani hujus Urbis.

De eo cit. Picinellus in Athenæo pag. 220.

## MCCCCLXXVII.

## RUBINUS NICOLAUS.

NIcolaum Rubinum Joannes Antonius, atque Lucia Arrigona jugales in hac Urbe genuerunt. E Inter bonarum artium ſtudia primos adoleſcentiæ tranſegit annos, mox inter Clericos relatus humanioribus litteris Philoſophiæ, atque Theologiæ ſedulus vacavit. Oblatorum Congregationi nomen dedit, inter quos adeo laudabiliter vixit, ut univerſo illi pio-

Digitized by Google

A piorum ſimul, & doctorum Virorum Cœtui præeſſe meruerit. Ob eruditionis præſtantiam Ambroſianæ Bibliothecæ præfecturâ decoratus eſt, quod munus exercebat jam anno MDCLXXXIII. Oratoriæ facultatis laude claruit, ejuſque non ſemel dedit ſpecimina in primariis Mediolani Baſilicis; quin etiam Orationum illius aliquæ in lucem ſunt editæ, ut mox memorabimus. Anno tandem MDCLXXXVIII. ad Theologalem Præbendam in Metropolitana aſſumptus eſt à Cardinali Friderico Vicecomite Archiepiſcopo, cui pro collato beneficio euchariſticam nuncupavit Orationem. Monialium Vicarius annos plures extitit, & in præcipuis Congregationibus, quæ Ambroſianis Præſulibus in regenda Archidiœceſi ſunt adjumento, recenſitus, Cleri diſciplinam, Mediolanenſis Eccleſiæ Ritus, & hujuſmodi promovere ſtuduit; donec anno MDCCXVII. defunctus magnum ſui deſiderium reliquit. Cadaver illius in Communi Ordinariorum Poliandro in Baſilica Metropolitana requieſcit.

Ejus hæc ſunt erudita monumenta:

I. Orazione Panegirica in lode di S. Carlo, detta nel Duomo di Milano li IV. di Novembre MDCLXXVII. *Milano, nella Stampa Arciveſcovile, lo ſteſſo anno, in 8.* Dicata eſt Cardinali Archiepiſcopo Alphonſo Littæ.

II. Epiſtola gratulatoria pro Purpura, & Archiepiſcopatu Mediolanenſi Cardinali Federico Vicecomiti collatis. *Mediol. apud Montiam*, 1681. *in fol.*

III. Oratio euchariſtica ad Cardinalem eundem. *Mediol. apud Gagliardum*, 1688. *in 4.*

## MCCCCLXXVIII.

## RUBINUS PETRUS JACOBUS.

Ex Jacobo Rubino, atque Pantaſilea Airolda conjugibus lucis accepit uſuram in Oppido Derbii ad Lacum Larium Ducatus Mediolanenſis Petrus Jacobus & doctrinæ, & pietatis commendatione celebratus, anno Salutis humanæ MDCXLV. In Urbe Novocomo, unde trahebat originem, poſt emenſa ſtudiorum curricula, perceptamque legalem lauream Juriſconſultorum Collegio eſt aggregatus. Cùm verò tutandis clientum cauſis plures in Foro annos tranſegiſſet, ad Regii Fiſci patrocinium aſſumptus, ſic B munus illud adminiſtravit, ut Senatoriam dignitatem in ampliſſimo Patrum conſcriptorum Inſubriæ Ordine promeruerit. Mox in Supremo rerum Italicarum Conſilio Regentis munere honeſtatus eſt, acceptiſſimuſque fuit Catholico Regi Carolo II. apud quem Magni Camerarii officium laudabiliter geſſit. Ab eodem quoque Monarcha ſacro Neapolitano Conſilio Præſes datus fuit, ubi plura tam in materia Juriſdictionali, quam in graviſſimis aliis negotiis conſcribens, doctrinam ſuam ſatis ſuperque ſignificavit. Defuncto poſtmodum Carolo II. ſub ſucceſſore Carolo III., qui Cæſaream adeptus Coronam Carolus VI. appellatus eſt, revocatus Mediolanum, jamque Senatus Præſes deſignatus, mortalitatem exuit die VI. C menſis Auguſti, anno Æræ Chriſtianæ MDCCXXVIII. Jacet in Templo Sancti Caroli Excalceatorum Carmelitarum Mediolani, in Sepulchro Familiæ, cum hac Epigraphe, quam ſibi vivens conſcripſit.

D. O. M.

PETRI IACOBI RVBINI COMITIS COLLICI
EX CONSILIO SECRETIORI DOMINI AVGVSTISSIMI
A SENATV MEDIOLANI AD SVPREMVM RERVM
ITALICARVM CONSILIVM REGENTIS
REGE HISPANIARVM POTENTISSIMO
CAROLO II.
EX MAGNI CAMERARII DEINDE PRAESIDIS
SACRI CONSILII NEAPOLIS
CAROLO III. HISPANIARVM REGE
MOX VI. IMPERATORE
PATRIAE CVM HONORE RESTITVTI PRAESIDIS SENATVS
DESIGNATI
MEMORIA ET REQVIES
ANNO DOMINI MDCCXXVIII. MENSIS AVGVSTI.

D Quæ ſequuntur reliquit:

I. Conſilium in puncto immunitatis ab oneribus ob numerum duodecim liberorum coram Excellentiſſimo Senatu Mediolani, extat inter Conſultationes Aloyſii Manſii Tomo VI. Conſult. 494. pag 92.

II. Trattato quando, e come gli Eccleſiaſtici debbano concorrere alli Carichi del Regno di Napoli. Opus mira eruditione refertum.

III. Vota Fiſcalia. Volumina VII. in fol.

IV. Allegationes variæ tam Mediolani, quàm in Regno Neapolitano. Vol. II. in fol. partim MSS., partim impreſſa.

V. Conſultationes variæ pro Annona reſtituenda in Ducatu Mediolanenſi, ex Mandato Auguſtiſſimi Cæſaris Caroli VI. conſcriptæ. Volumen magnæ molis in fol.

VI. Conſultationes in Re Monetaria. Vol. in fol. vaſtæ molis.

VII. Conſultationes in materia Juriſdictionali, aliorumque gravium negotiorum dum eſſet Præſes Conſilii Sanctæ Claræ Neapolis. MSS. in fol. Vol. I.

Extant omnes MSS. penès Comitem Didacum Rubinum Auctoris ex Fratre Nepotem.

Memoratur in Schedis Sitonianis.

MCCCCLXXIX.

Digitized by Google

## MCCCCLXXIX.

## RUBINUS VALENTINUS.

ETſi Abbas Picinellus inter Scriptores Mediolanenſes ſui Athenæi adnumerare voluerit Alexandrum Rubinum Bergomi natum, eo quia per plures annos in hac Metropoli non tantùm ſedem ſuam fixerit, ſed Cathedram eloquentiæ in Scholis Palatinis publicè aſcenderit; nos ex inſtituto, ut præfati ſumus, ad alium indicem Alexandrum amandamus, ſicuti jam alibi monuimus. Filium verò ipſius Valentinum, utpote Mediolani natum, hîc laudandum ſuſcipimus, nam Congregationem Clericorum Regularium Divi Pauli Decollati ingreſſus, Rhetoricam & ipſe in Lycæo D. Alexandri cum plauſu docuit. Muſas quoque amiciſſimas habuit, ut facilè agnoſcitur ab his, quæ infra de ipſo dabimus. Intimus amicus Præſulis Broliæ Aſtenſis Epiſcopi extitit, eidemque inſervivit in condendis Synodalibus Conſtitutionibus illius Diœceſis. Præfuit Collegio Bononienſi Suorum D. Pauli nuncupato, & tam feliciter, ut non tantùm Virorum ſui Cœtus, quàm exterorum ſingularem ſibi exiſtimationem meruerit. Annum illius deceſſus adhuc ignoramus.

Hæc ſcripſit:

I. Orationes Latinas in Synodo Aſtenſi habitas. *Aſtæ, Typis de Zangrandis*, in 4.
II. Proluſiones Litterarius de præſtantia Martyrii. *Aſtæ*, in 12.
III. De D. Jacobo Hiſpaniarum Apoſtolo. *Ibidem*, in 12.
IV. Poëma de Laudibus Joannis de Mendoza. *Mediolani*, 1614. in 4.
Videndus Picinellus in Athenæo pag. 507.

## MCCCCLXXX.

## RUFFINUS GULIELMUS.

PAuca ſunt admodum illa, quæ de Gulielmo Ruffino Mediolanenſi nobis invenire licuit, & quidem ex Operibus illius infra memorandis depromta, nam alibi, etiam in Collectionibus monumentorum Familiarum hujus Metropolis, Scriptoris certè non contemnendi mentio non occurrit. Patrem habuit Jacobum Virum pietate inſignem, nam Gulielmus ad Ambroſium fratrem ſuum ita de communi parente ſcribit in Epiſtola mox indicanda: „ Mio Padre Ja„ como Ruffino devotiſſimo della ſancta Religione, „ e tutto dato, como tu ſai, a le opere de la pietà. „ Meminit etiam eodem loco Gulielmus aliorum è Familia ſua Virorum illuſtrium, eamque pro ſæculi, quo vivebat, genio à Ruffino S. Ambroſii coævo deducit, ait enim: „ Al tempo del glorioſo patrone „ Sancto Ambroſio Ruffino Cavallero &c. „ Hinc ad viciniora deſcendens tempora, alterum Jacobum commendat, fortaſſe Abavum ſuum, de quo hæc habet: „ Uno Jacomo Ruffino inſiema con certi altri devoti „ homini è ſtato principio de quelo pio offitio de „ quattro Marie, e queſto è in uno libro appreſſo „ detto offitio. „ Perſeverat ſub eodem nomine in hac Urbe pia domus, ubi pauperibus ad hanc uſque diem plura ſuppeditantur, & inter primaria Mediolanenſis in egenos charitatis loca recenſetur. Deſcendit poſtea Scriptor ad gentis ſuæ adverſam fortunam, eamque multis exprimit verbis, ſolamen etiam ſibi ac fratri quærens ex aliorum ærumnis, è quibus verbis libet excerpere illa, quæ de Turrianis habet, ubi quoque Mediolanenſem Urbem ſibi patriam fuiſſe apertiſſimè docet: „ Quelli de la Torre in la Cita „ noſtra za potentiſſimi con la calida aſtutia de Ve„ ſconti caziati da la Patria, ove ſono? „ Quod verò ad Chronicon pertinet, cujus titulum numero I. recenſebimus, Opus eſt ſatis eruditum, & multa lectione collectum, quod judicium eſto de Actis quoque Virorum illuſtrium, quæ numero II. dabuntur. Sanè de primo Opere ſic Fratrem monet in jam citata Epiſtola: „ Sappii, che in queſta Opera mi ſono „ ſforzato inſerire ſolamente delle coſe, le quali ho „ trovato in li auctori autentici. Favole, e fictione „ de Poete nule, o poche troverai. Donde Fratel „ mio ti prego, che legendo, ſe tu trovi alchuna „ coſa deviare dal vero, e mal ornata, volii emen„ dare &c. „ Quibus ex dictis apparet Ambroſium quoque eruditum fuiſſe Virum, cùm ejus judicio Scriptor noſter Opus ſuum committere corrigendum non ambigat. Qua verò ætate floruerint ambo, haud difficulter eruitur ex Actis citatis Virorum Illuſtrium, quæ Philippum Mariam Vicecomitem Inſubriæ Ducem non excedunt, quapropter recenſendi ſunt inter Mediolanenſes Eruditos medio fermè Sæculo XV. viventes.

En Opera Gulielmi noſtri:

I. Chrónica da la Creatione del Mondo fino ad Auguſto. In calce ſic legitur: „ G. natus Jacobi Ruffini præ„ cedentia à pluribus Codicibus traxit, & in vul„ gare convertit. Quæ verò ſequuntur etiam à Co„ dicibus per eum tracta ſunt, quorum pars Aucto„ rum ſequitur ſtylum, reliquum mutato ſtylo Au„ ctorum tamen ſententiam tenet. Mox ſubduntur
II. Fatti di homini illuſtri da Adamo fino a Filippo Maria Duca di Milano ridotti in compendio.
III. Epiſtola Italica ad Ambroſium Fratrem ſuum eruditiſſima, unde ſupra quædam delibavimus, & in qua præſertim agit de Ruffinorum Mediolanenſium Familia. Omnia uno Volumine in fol. juſtæ molis MS. ut videtur, autograph. litteris rubro-nigris, optimæ notæ, in Bibliotheca Archintea ſervantur.

RUFUS VIRGINIUS. Vide VIRGINIUS.

## MCCCCLXXXI.

## RUGERIUS FRANCISCUS.

FRanciſcus Rugerius Mediolani natus, in Sodalitio Clericorum Regularium Somachenſium hujus Urbis ſolemnia vota emiſit anno MDXCVI. die IX. Junii. Vir fuit omni facultatum ac ſcientiarum genere ornatiſſimus. Ad multos annos docuit Romæ in Collegio Clementino litteras humaniores. Ravennæ verò, & Venetiis in Seminario Patriarchali, ac Papiæ in Collegio S. Majoli Philoſophiam tradidit incredibili auditorum concurſu, ſummaque omnium admiratione. Mediolani tandem Theologiam docuit non modò Alumnos ſuos, verùm etiam Monachos Ciſtercienſes, qui ad ipſum audiendum in Collegio S. Mariæ Secretæ, ejuſque lectiones ſcribendas ab inſigni Monaſterio S. Ambroſii ſe ſe quotidie conferebant. Anno poſtea MDCXXIX. die XII. Novembris ſuſcepit onus docendi moralem Theologiam in eodem Collegio S. Mariæ Secretæ, quo in munere permanſit, donec vitam piiſſimè clauſit anno MDCXXX. die X. Decembris, hora quinta noctis imminente.

Edidit inter alia:

I. De Philoſophi Pedia liber unus. *Venetiis*, 1620.
II. Declamationes Oratoriæ ad ſtylum dicendi exercendum pro ſtudioſa juventute accommodatæ. *Venetiis, apud Thomam Ballionum*, 1620.
III. Trutina Delpho-Ludrici Tabellionatus Trajani Boccalini. *Compluti, apud Nicolaum Herreram*, 1622. *& Monachii, apud Enricum*, 1622. in 4.



Digitized by Google

IV. Hermathena, ſive Aſſertiones ex triplici Philoſophia Rationali, Naturali, & Morali. *Papiæ, apud Joannem Baptiſtam Rubeum*, 1624.

V. Declamationum Oratoriarum pars altera. *Mediolani, apud Typographos Curiæ Archiepiſcopalis*, 1625.

VI. Gratulatio Collegii Gallii Patrum Somaſchenſis Congregationis Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Lazaro Caraſino Novocomenſis Urbis Antiſtiti, cùm eandem in Urbem exceptus eſt. *Mediolani, apud Carolum Antonium Malateſtam*, 1626.

VII. Meletæ Pomeridianæ: continent Poëmata, Elegias, Odas, & Epigrammata varia. *Mediolani, apud eundem Malateſtam*, 1627. *in* 4.

VIII. Vita Divi Baſſiani Laudenſis Epiſcopi. *Mediolani, apud Philippum Ghiſulphium*, 1633. *in* 8.

IX. Vita, ed Azioni di San Baſſano Veſcovo, e Protettore della Città di Lodi. *Ivi, preſſo Carlo Calderini*, 1641. *in* 4.

X. Vita di Donna Maria Cattarina Brugora. *Milano, preſſo il Ghiſolfi*, 1648. *in* 4. Hæc duo Opuſc. edita ſunt poſt mortem Auctoris.

XI. Carmina varia Latina, extant in libro, cui titulus: „ Vita, e Morte della Signora Cornelia Lampugnana Rhò ſcritta da Ippolito Porro.

Partim ex Picinelli Athenæo pag. 221. & partim ex Schedis Mazzucchellianis.

## MCCCCLXXXII.

## RUGINELLUS BALTHASSAR.

QUantùm debeat Ruginella Familia, cujus Eruditos nunc promimus, Balthaſſari Alumno ſuo Mediolanenſi, facilè patet ex illius Opere, quod titulo tenus infra memorabimus. In eo enim monumenta habet omnia, quæ tam ad vetuſtatem, quàm ad nobilitatem illius poſteritati ſervandam pertinere poſſunt. Nihil tamen, quod dolentes referimus, dum alios laudat, de ſe Scriptor ipſe tradidit; quapropter undique acta ejus, parentes, vel ſaltem ſupremum vitæ annum ſcrutati, vacui prorſus dimiſſi ſumus. Hoc tantùm conjicere licèt, ipſum vixiſſe Sæculo XVII. ad finem vergente.

Scripſit:

I. De antiquitate, & nobilitate Familiæ Ruginellæ Patriciæ Mediolanenſis à Balthaſſare Ruginello compilata. *Mediol. apud Beltraminum*, 1681. *in* 4.

## MCCCCLXXXIII.

## RUGINELLUS JULIUS CÆSAR.

JUlium Cæſarem Ruginellum magni nominis JC. Mediolanenſis Urbs meritò ſuſpicit. Is enim minoribus excultus ſtudiis, cùm in Ticinenſi Archigymnaſio ſedulam Juribus Pontificiis, atque Cæſareis ediſcendis navaſſet operam, ſupremos Academicos honores promeruit. In ſacro Fidei Tribunali Fiſci patrocinium diu geſſit. Apud Concives ſuos magnam uſque adeo prudentiæ, atque doctrinæ famam obtinuit, ut graviſſimis de rebus ad Philippum IV. Regem Catholicum annis MDXCVII. & ſequenti Legatus miſſus fuerit, quo in munere ſummis laboribus, & perenni diligentiâ conceptam de ſe ſpem non eluſit. Majus tamen Mediolanenſibus contulit beneficium, cùm præter alia inferiùs memoranda Volumina, quæ ut plurimùm de Municipali eorum Jure agunt; alterum ſcribere contendit Opus de Feudis. Illud enim ex Inſubriæ Conſtitutionibus hauſit, quas Carolus V. Auguſtus anno MDXLI. tanquam publici Juris fundamenta promulgari juſſit, adhibitâ, ut alibi diximus, diligentiâ Franciſci Craſſi, atque Ægidii Boſſii. Ingenium illius, atque eruditionem, legalem præſertim, quotquot Opera pervolutaverint certiſſimè judicabunt. Abiit è vita anno gratiæ MDCXXVIII.

Hæc illius habemus litteraria monumenta:

I. Commentarii ad Cæſareas Conſtitutiones Provinciæ Mediolanenſis in tit. de Appellationibus. *Venetiis, apud Somaſcum*, 1604. *in fol.* & iterum *Mediol. apud Bidellum*, 1619. *in fol.*

II. Practicarum Quæſtionum rerum judicatarum. *Mediolani*, 1605. Et iterum *ibid. apud Quintum*, 1671. *in fol.* Huic novæ editioni poſthumæ Michaël Angelus Nepos plura additamenta è MSS. Schedis Patrui adjecit.

III. De Arboribus controverſis, ad Joannem Baptiſtam Trottum Præſidem Magiſtratus Ordinarii. *Mediolani, apud Navam*, 1624. *in* 4.

IV. De Senatoribus, ſeu Commentaria ad Novas Conſtitutiones Mediolani hoc titulo: ad Lucam Pertuſatum Senatus Præſidem. *Mediol. apud Quintum*, 1697. *in fol.*

V. De Reſcriptis. Laudatur hoc Opus à Hieronymo Borſerio in Supplemento Nobilit. Mediol. cap. XI. Illud tamen nunquam lucem vidiſſe credimus, neque novimus, ubi MS. deliteſcat.

VI. De Feudis. MS. in fol. juſtæ molis ſervatur in eximia Bibliotheca Co. Pertuſati Senatus Præſidis.

Extat ad eum Epiſtola Erycii Puteani data V. Eid. Sext. MDCI. inter Epiſtolas ejuſd.

Agunt de ipſo Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 143. Borſerius loco cit., & Picinellus in Athenæo pag. 360.

## MCCCCLXXXIV.

## RUGINIUS FRANCISCUS.

FRanciſcus Ruginius in pago Agri Mediolanenſis, cui nomen Colonium VII. ab hac Urbe lapide natus (non autem Cotonii, quod Oppidum eſt Comitatus & Diœceſis Laudenſis, ut perperam aſſeruit F. Dionyſius Genuenſis infra citandus) vix adoleſcentiam egreſſus, relicto ſæculo, ad Capuccinorum Inſtitutum convolavit. Seraphicum induit habitum in Romana provincia, cùmque optimis naturæ dotibus eſſet prædìtus, & acri ſatis polleret ingenio, per ſtudiorum curricula ad ſacram eruditionem ſic anhelavit, ut Oratoriam facultatem, Theologicas Quæſtiones, & quod mirum magis in tam auſteri piique Cœtus Viro, Poëſim Latinam egregiè calluerit, dignus propterea habitus, quem Docti ætate ſua viventes plurimi facerent & litterarum, & virtutum gratiâ. Inter eos autem, quibus ſummoperè fuit acceptus Franciſcus noſter, prætereundus non videtur Dominicus Gynnaſius S. R. E. Cardinalis eximius, quem viciſſim ille tanquam Mecœnatem optimum coluit. Quo migraverit è vivis anno ſui Ordinis Scriptores reticent.

Vulgavit

I. Epigrammata varia, & Dyſtica ad Eminentiſſimum D. D. Dominicum Gynnaſium (non Gymnaſium) S. R. E. Cardinalem, ut diximus. *Romæ, apud Gulielmum Facciottum, anno* 1625.

Eum laudarunt Bartholomæus Zucchius in Nuncupatoria Libri ſui, cui titulus: „ De æterna felicitate Paradiſi: ad Franciſcum de Nigro Genuenſem Capuccinum, cit. F. Dionyſius in Biblioth. Scriptorum Ord. Capuccinorum edit. II. pag. 124. atque Sitonus amiciſſimus in Schedis.

MCCCCLXXXV.

Digitized by Google

## MCCCCLXXXV.

### RUSCA ANTONIUS.

ANtonius Ruſca Mediolanenſis ſacris à pueritia addictus, & inter Clericos cooptatus, ſic minora peregit ſtudia, ut quaſi per gradus ad majora conſcendens, Theologiæ tandem lauream cunctis eruditionem illius mirantibus percipere meruerit. Inter primos autem doctrinæ illius cultores emicuit præcipuè Mecœnas optimus litteratorum omnium Fridericus Cardinalis Borromæus immortali dignus nomine, qui Ruſcam Sacerdotali dignitate jam auctum in Ambroſianum Collegium adſcivit. Mox in dies magis ipſius virtute perſpectâ dignum cenſuit, cui Theologalem Præbendam in Metropolitana conferret anno MDCXXXI. Illud munus laudabiliter cum exercuiſſet integro decennio, Præpoſiturâ ipſius Templi Maximi ornatus fuit. Neque mirum cuiquam videatur, Scriptorem hunc noſtrum apud Clariſſimum Antiſtitem Borromæum tantùm gratiâ valuiſſe. Noverat optimus Præſul Viri ingenium, immo noverant omnes Provinciæ Mediolanenſis Epiſcopi, qui cùm anno MDCIX. ad Synodum celebrandam conveniſſent, IX. Kal. Junias, Ruſcam in Pontificali Palatio Philoſophicas, atque Theologicas Quæſtiones ſingulari peritia defendentem audivere, juxta methodum à Cardinali prælaudato Ambroſiani Collegii Alumnis traditam. Juvat hìc inſerere Elogium, quod ipſi texuit ad finem libri IV. de Origine, & Statu Bibliothecæ Ambroſianæ Petrus Paulus Boſca „ Antonii Ruſcæ virtus „ honores omnes ferè geſſit; cùm eſſet Theologiæ „ doctiſſimus, illum Ædis primariæ Theologum „ creavit Federicus. Urbanus autem Pontifex ſummus ſingulari honore Virum auxit, ac Præpoſitum „ Templi Maximi renuntiavit; cùm tamen Sacerdotium illud ſit gentilitium Familiæ Marchionis Vercellini Mariæ Vicecomitis. Movit verò Urbanum „ non modo majeſtas ipſa hominis digna infulis, verùm ſcientia rerum, ac orationis maturitas quædam, & ſenecta, cùm ad Apoſtolorum limina profectus exponeret ea, quæ inito Pontificatu Mediolanenſi geſſerat Cæſar Montius Cardinalis. Præfuit „ etiam Ruſca vitæ integerrimus ſacris Virginibus „ Urbis, ac Diœceſis: immo Eccleſiam ipſam Inſubrum matrem adminiſtravit ſæpè, Cardinalis ipſius „ Montii vices obeundo. „ Hactenus Boſca de geſtis Antonii noſtri diſſerens, neque minoribus extollit laudibus ipſius Lucubrationes, nam in libro III. ejuſdem Operis ad annum MDCXXI. ſic eas deſcribit, atque commendat: „ Sequenti anno Antonius Ruſca „ caligantes damnatorum manium ſedes coëgit ſubire „ inviſam lucem, diſputans de Inferno, & ſtatu Dæmonum; quod Ruſcæ Opus feliciter emerſit, atque ſine aureo ramo ſcribentem impunè deduxit „ ad Orcum. Aliæ quidem ipſius Authoris Lucubrationes jam ſpongiæ ereptæ, & prælum cogitantes corripiuntur flammis; in iis diſſerebat Scriptor „ de Voluntate Numinis; quæ res cùm ad aures Federici perveniſſet, ferunt ab eo dictum, abnuiſſe „ divinam voluntatem, ne quidquam de voluntate „ arcana Numinis ederetur. „ Igne quoque Muſæum illius abſumptum eodem fuiſſe tempore novimus ex Ode prima Benedicti Sociaci, cujus titulum infra dabimus. Raptus eſt terris Vir inclytus anno MDCLV.

En Operum illius Inſcriptiones:

I. De Inferno, & ſtatu Dæmonum ante Mundi exitium libri V. *Mediolani, Typis Ambroſianis*, 1621. *in* 4.

II. De Voluntate Numinis. MS. ut diximus exuſtum. Hujus Operis jacturam deflet Sociacus Ode prima inter iſtius editas hoc titulo inſcripta: „ In Aureum Antonii Ruſcæ Collegæ Auctoris de Voluntate divina „ Volumen, & Muſæum temerè flammis abſumptum. De eo meminerunt cum laude, præter citatos, Marcus Matthæus Lobetanek in Diſſert. 149. Tomi VII. Miſcellaneor. Lipſienſ. de Scriptis Eruditorum promiſſis pag. 122. Picinellus in Athenæo pag. 49. atque Sitonus noſter in Schedis.

## MCCCCLXXXVI.

### RUSCA FRANCISCUS.

EX Abbatis Picinelli fide in Litteratorum Mediolanenſium ſerie Franciſcum hunc Ruſcam recenſeo, etſi parentes ipſius nemo mihi indicaverit, attamen cùm de Ritibus Ambroſianæ Eccleſiæ optimè meritus ſit, atque rebus Sacris in hac Urbe educatus, piaculum foret nullis in contrarium mihi ſuppeditatis, eum Mediolanenſibus Litteratis eripere.

Scripſit igitur:

I. Rito Ambroſiano. Grandezza della Chieſa Milaneſe *à Milano*, 1641. Ita Picinellus pag. 221.

## MCCCCLXXXVII.

### RUSCA JOANNES BAPTISTA.

SUb optimo Præceptore Joanne Baptiſta Quadrio Seminarii hujus Urbis Rectore, prima ſtudiorum rudimenta percepit Joannes Baptiſta Ruſca, qui moribus optimis, litteriſque peregregiè excultus, in Congregationem SS. Ambroſii, & Caroli adſcribi meruit anno Virginei partus MDCXXXVI. Ibidem, Præpoſito ipſo Quadrio, Præfecturam Collegii Rhaudenſis ipſius Cœtus obtinuit; deinde idem munus in Eccleſia Sanctæ Mariæ prope Sanctum Celſum ſumma cum laude ſuſtinuit tam in Concionibus ibi peragendis, quàm in Emblematis, aliiſque Carminibus condendis, quæ adhuc publicè diebus feſtis ibi exponuntur. Vir fuit Latinis, & Græcis litteris edoctus, facundia quoque non vulgari ſummoperè præditus. In Metropolitana etiam Baſilica pluries concionatus eſt, ſed quod illi erit perpetuus honor in Litteraria Republica, facilè agnoſcetur ex Operibus infra recenſendis, ab eodem maximo labore, atque frequentiſſimè ægrotante ſcriptis, quorum titulos minimè Picinellus indicavit, etſi palam in Ambroſiana Bibliotheca videri poſſent in XXVI. Tomos digeſta,

Videlicet:

I. De uſu Oſculi in Eccleſia, Libri V. MSS. in Ambroſiana in 4. ſign. N. num. 301. 302. 303. 304. 305. & 306.

II. De Geſtu ſacro, ſive de manuum in ſacris Cæremoniis uſu, & in Oratione, Libri IV. MSS. in 4. ſign. N. num. 307. 308. 309. & 310. ibid.

III. De Geſtu ſacro in Miſſæ Sacrificio, Libri IV. MSS. in 4. ſign. N. num. 311. 312. 313. & 314. ibid.

IV. De vitiis oculorum, & narium in Eccleſiaſtico, Liber. MS. in 4. ibid.

V. De Oleo Sacro, Liber. MS. in 4. ibid.

VI. De Lucernis veterum Hebræorum, & Chriſtianorum, Liber. MS. in 4. ibid.

VII. De Ritibus publicæ, & privatæ Orationis, Libri VII. MSS. in 4. ſign. N. num. 315. 316. 317. 318. 319. 320. & 321. ibid.

VIII. De Ritibus publicæ, & privatæ Orationis, Libri VII. MSS. in 4. ſign. N. num. 322. 323. 324 325. & 326. ibid.

IX. De Cantu Eccleſiaſtico, Liber. MS. in 4. ibid.

X. De Pſalmis, Hymnis, Canticis, Verſiculis, Antiphonis &c. eorum Uſus, Etymologia, Antiquitas &c. Liber. MS. in 4. ibid.

XI.

Digitized by Google

XI. De Vocibus Amen, Alleluja, Kirieleyſon, Pax vobis, Liber. MS. ibid.

XII. De Litaniis, Proceſſionibus, Stationibus, XL. Horarum, Expoſitione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ &c. Liber. MS. in 4. ſign. N. num. 213.

XIII. Ragionamento Morale ſopra la Paſſione di Gesù Criſto, MS. in 4. pagg. 54 ibid.

XIV. Carmina varia tam Latina, quàm Italica edita *Mediolani, anno* 1649. Teſte Picinello.

XV. Carmen ſatis longum in laudem Petri Franciſci de Primis, & Federici Cardinalis Borromæi. Extat in libro ejuſdem Primi, de quo jam ſuo loco.

Agunt de ipſo Petrus Paulus Boſca in libro de Origine, & Statu Bibliothecæ Ambroſianæ, & ſupradictus Picinellus in Athenæo pag. 284.

## MCCCCLXXXVIII.

## RUSCA ROBERTUS.

INter Litteratos Viros Familiæ Ruſcæ Mediolanenſis meritò locum tenet Robertus, qui ex Cæſare, & Calidoniâ Ferrariâ nobilibus conjugibus ortus eſt in hac Metropoli die VII. menſis Februarii anno Chriſti MDLXV. in Sacris Undis nomine ei dato Petri Antonii, quod in Robertum commutavit, dum in Cœtu Monachorum Ciſtercienſium cooptari inſtituit in Monaſterio Charævallenſi die XXIX. Aprilis MDLXXIX. in feſto Sancti Roberti ejuſdem Ordinis Inſtitutoris. Vir ad litteras natus poſt ea, quæ ad vitam Monaſticam optimè conveniunt, totus in ſcribendo ſe exercuit, ut ex Operibus infra recenſendis facilè videbitur. Inter Academicos Innominatos Parmenſes locum obtinuit, nomine dictus *il Riſorgente*. Vivebat adhuc, teſte Picinello, anno MDCXXIX., & etiam, ut eruitur ex Epiſtola Abbati Caveſio inſcripta eodem anno, quod infra in Operibus oſtendemus,

Quæ ſunt:

I. Santità, e Dottrina Ciſtercienſe, coll' origine di cinque ordini di Cavalieri, che veſtono abito, e oſſervano Coſtituzioni Ciſtercienſi: Al Sereniſſimo Alberto d'Auſtria. *In Milano, per Franceſco Paganello*, 1598. *in* 4.

II. Lezione della Nobiltà recitata nell' Academia Innominata di Parma il dì XIV. Giugno MDC. *Ivi*, 1603. *in* 4.

III. Vita di S. Lutgarde Monaca Ciſtercienſe. *Venezia, per Franceſco Rampazetto*, 1608. *in* 4.

IV. Deſcrizione del Monaſtero d'Acqua Fredda, e del ſuo vago ſito. *Lodi, preſſo Paolo Barboetti*, 1619. *in* 4. Hujus libri ſecundam Auctor paraverat editionem, ut videre eſt in Codice, quod ſervat Bibliotheca Monachorum S. Ambroſii hujus Urbis, cum pluribus Additionibus, atque Documentis manu ipſius Auctoris.

V. Il Verde Ruſco fregiato di Privilegj, e Lodi della B. V. Maria. *Lodi*, 1620 *in* 8.

VI. Deſcrizione del Monaſtero di S. Ambrogio Maggiore di Milano, e ſua Chieſa de' Monaci Ciſtercienſi. L'Origine della Congregazione Ciſtercienſe di Lombardia, con la deſcrizione del Monaſtero di Chiaravalle di Milano, e la Vita del Cardinale Aſcanio Maria Sforza Commendatario ec. *Bergamo, per Valerio Ventura*, 1626. *in* 4. Secunda editio ab Auctore inſtituebatur, ut apparet in exemplari manu ipſius Roberti, Additionibus, Correctionibus, atque Documentis aucto. Extat in Bibliotheca ſupradicta S. Ambroſii.

VII. Relazione ſommaria della Chieſa della Madonna del Molo d'Elimonte, di neſſuna Dioceſi, ſuoi miracoli ec. *Bergamo, preſſo Valerio Ventura*, 1624. *in* 4. Secundam editionem jam paratam Auctor habebat multis Additionibus ipſius manu locupletatam. Extat in ſupradicta Bibliotheca S. Ambroſii.

VIII. Deſcrizione d'Elimonte, ſuo vago ſito, Privilegj, ed Iſtoria, con quella di Civenna, ed altri luoghi circonvicini. *Bergamo, per Valerio Ventura*, 1624. *in* 4.

IX. Deſcrizione del Borgo di Campione, ed altri luoghi circonvicini, e particolarmente di Lugano, col trionfante Ruſco. Diſcorſo dedicato a Girolamo Ruſca Veſcovo di Capo d'Iſtria. *Bergamo, preſſo Valerio Ventura*, 1625. *in* 4. Auctor hujus Operis quoque ſecundam editionem paraverat, cum quamplurimis Additionibus manu propria exaratis, in exemplari impreſſo penès Monachos Ciſtercienſes S. Ambroſii Mediolani.

X. Diſcorſo ſopra il nome di Ciſtercio. *Milano*, 1626. *in* 4.

XI. Il Ruſco, o breve Deſcrizione del Contado, e Veſcovado Comaſco, con varj Documenti Morali ec. *Piacenza, per Giacomo Ardizzone*, 1629. *in* 4. Secundam editionem in promptu habebat Auctor, plurimis Documentis, & Additionibus auctam, uti in Codice, qui ſervatur in Bibliotheca ſupradicta Monachorum S. Ambroſii, in quo legitur etiam Epiſtola laudatoria MS. Reverendiſs. Præſulis Areſii, data Derthonæ VII. Februarii MDCXXIX.

In Deſcriptione Campilioni nonnulla alia Opuſcula ſua enumerat noſter Auctor; ſcilicet

XII. Deſcriptiones plurium Cœnobiorum ſui Ordinis.

XIII. Volumen Concionum.

XIV. Volumen Annalium.

In Additamento quoque, quod fecit tertio libro Hiſtoriæ Familiæ Ruſcarum pag. 184. recenſet

XV. Libros aliquot Elogiorum à ſe exaratos, inſcribendos imaginibus multorum Heroum ex Familia Ruſca, quos ipſe dicavit Marchioni Petro Lunato; verùm hi in lucem editi non ſunt, ſed MSS. tranſierunt in manus Patris Magiſtri Jo. Alex. Ruſcæ Taurinenſis ex Ordine Prædicatorum, & Vicarii S. Officii, ut aſſerit P. Mazzucchellus in ſuis Schedis.

Laudatur noſter Auctor ab Angelo Manriquez in Appendice ad Tomum IV. Annal. Ciſtercienſ. pag 671. num. 11., à Jo. Petro Puricello in Monum. Baſil. Ambroſianæ num. 476., ab Armellino in Bibliotheca Benedictino-Caſſinenſi, in Appendice pag. 20. etſi parùm nimis, & in Schedis Mazzucchellianis, & Sitonianis.

## MCCCCLXXXIX.

## De RUSCONIBUS AMBROSIUS.

E Ruſcona Familia Novocomenſi ortus eſt Mediolani Ambroſius, qui ad retinendam antiquæ originis memoriam cognominatus fuit de Ruſconibus de Cumis. Hic celeberrimo Caſſinenſium Monachorum Cœtui aggregari cupiens, in Parmenſi S. Joannis Evangeliſtæ Aſceterio voti compos effectus eſt die II. menſis Martii, anno ſalutiferæ Incarnationis MDXCI. Patriamque ſimul & Ordinem tam ſacræ, quàm profanæ eruditionis luminibus exornavit. Nam magnus extitit Theologus, in divinis litteris, ſacriſque Conciliis, necnon omnigenis hiſtoriis apprimè verſatus, Græcæ inſuper linguæ haud mediocriter peritus, & nihilominus eâ modeſtiâ præditus, ut de ſe nonniſi demiſsè admodum ſentiret, & loqueretur, dubium omninò relinquens, doctrina ne, an voluntaria animi demiſſio in eo primatum obtinuerit. Ipſum Bernardus Pez Monachus Mellicenſis, loco infra memorando, inter inſignes hæreſum expugnatores, qui ex Sancti Benedicti Alumnis prodierunt, jure meritò recenſet; cùm in mox indicando Opere ſolidâ, atque verè Catholicâ doctrinâ omnes eorum ſententias mirum in modum exagitet, ac profliget. Quo autem anno mortalis eſſe deſierit, ignoramus.

Ejus Opera ſic prænotata leguntur:

I. Triumphus Catholicæ veritatis adverſùs omnes hæreſes, ac eorum Auctores à Simone Mago uſque ad Marcum Antonium de Dominis feliciter ſummâ curâ deportatus, omnibus Scholaſticis, Sacræque Scripturæ ſtudioſis, ac Hiſtoriographis Opus nedum utile, ſed & neceſſarium. *Venetiis, apud Andream Baba*, 1619. *in* 4. Paulo Scotto Caſſinenſi Abbati dicatum, in quo libro collegit vitas omnium Hæreticorum, & ſummam hæreſum eorumdem, quas omnes ſingillatim auctoritatibus Sacræ Scripturæ, Conciliorumque nervosè confutat.

II. Compendium in univerſam ſalutarem praxim Fori pœnitentialis Valerii Reginaldi Societatis Jeſu Tom. III. magno labore, ac fideli diligentiâ ad Confeſſariorum utilitatem confectum. Additionibus utiliſſimis ampliatum, & duplici Indice ornatum. *Venetiis, apud eumdem Baba*, 1621. *in* 8.

Meminerunt ejuſdem citatus Bernardus Pez in Epiſtolis Apologeticis Epiſt. VIII. pag. 166. Armellin. in Biblioth. Benedictino-Caſſin. parte I. pag. 15. & Picinellus in Athenæo pag. 24.

MCCCCXC.

Digitized by Google

## MCCCCXC.

## RUSTICUS.

Licèt Ruſtici Mediolanenſis Viri clariſſimi & Conſularibus faſcibus, & eruditione celeberrimi nihil fermè præter nomen, & pauca admodum ingenii monumenta ſuperſint; piaculum tamen arbitramur ab hac Collectione ipſum excludere. Barbaros enim Italiâ eo vivente potitos in cauſa fuiſſe certiſſimè credimus, cur illius perierint Opera, atque illa præſertim, quæ ad Oratoriam facultatem pertinebant. Difficilè enim eſt, Ruſticum noſtrum, quem Ennodius Ticinenſis Epiſcopus in omni dicendi genere exercitatiſſimum nuncupavit, plura non ſcripſiſſe, quæ interciderint. Cæterùm Scriptor hic noſter, anno poſt Salvatoris Natale CCCCLXIV. qui U. C. fuit MCCXVI. unà cum Fl. Anicio Olybrio Conſul proceſſit; cujus Magiſtratus ab eo geſti ſupereſt Monumentum Romæ in Templo S. Sabinæ, quod recens vulgavit V. Cl. Ludovicus Antonius Muratorius in Tomo I. Theſauri Novi Veterum Inſcript. pag. CDIX.

PACE PRAETEST. MIP. CO
AVG CONSS. RVSTICI ET OLIBRI
PACE DEP V. ID MART
ET HERMINERIC

Non ab re forſan videbitur hoc loco, quandoquidem de Ruſtico agimus, referre vetuſtum aliud marmor, quod olim viſebatur in Baſilica S. Franciſci hujus Urbis, teſte Andrea Alciato in Antiquario ſuo MS. unde illud hauſit Gruterus, inſeruitque in Tomo II. Inſcript. pag. MLIX. num. 2.

RVSTICA. PERPETVAE. NON. TE. SORS
PALLIDA. VITAE. SVSTVLIT. IN
TERITVM. NEC. TIBI. MORTE. DEDIT
PVRIOR. AETHERIAS. GRADERIS
SINE. CARNE. PER. ARCES. NAM. VITAM
CASTAE. FVNERA. NOBILITANT
QVOD. MIRVM. VIDVATA. TIBI. SAT
CONSTITIT. AETAS. CONIVGIS. AD. NA
TVM. CVM. BENE. IVNCTVS. AMOR

Diſtinguendum monet Sirmundus loco citando Ruſticum noſtrum Mediolanenſem ab altero ejuſdem nominis coævo in Gallia florente, atque Burdegalenſi Cive, ad quem Sidonius Apollinaris dedit Epiſtolas. Quo tempore autem Ruſticus noſter migraverit è vita, nemo prodit.

Supereſt ejuſdem

I. Oratiuncula, qua reſpondet S. Criſpino Ticinenſi Epiſcopo, qui cùm paulò ante mortem Mediolanum veniſſet, in Nobilium Virorum conſeſſu Eccleſiam ſuam, & Civitatem commendavit, ſimul cum S. Epiphanio illius poſtea in Epiſcopatu Succeſſore. Eam ſervavit laudatus S. Ennodius in Vita ipſius S. Epiphanii ex edit. Sirmundi Tom. I. col. 1656.

Meminerunt Ruſtici omnes Faſtorum Conſularium Scriptores, & Sirmundus laudatus in notis ad locum indicatum.

## MCCCCXCI.

## RUSTICUS ELPIDIUS.

Ruſticus Elpidius Mediolanenſis nobili ſtirpe genitus, Diaconus, & Theoderici Italiæ Regis Medicus, Quæſtoris etiam Officio ab eodem Principe honeſtatus, plurimùm apud eum gratiâ valuit. Ipſi enim porticum cum areola poſt Turaſii thermas in Civitate Spoletina donavit Theodericus, ut ibi ædificium quoddam excitaret, ut ex litteris, quas infra dabimus. Ennodii Ticinenſis Epiſcopi amicitiâ floruit, qui eruditionis Elpidii cum laude meminit. Quàm familiariter à præfato Rege Theoderico haberetur, indicat Procopius libro I. Belli Gothici, aſſerens ipſum communicatis cum Elpidio, quæ ſibi acciderant poſt Symmachi & Boëtii cædem, admiſſum in tantos Viros facinus deflere cœpiſſe. Floruit circa annum Chriſti DXX. Poëticâ etiam Arte claruit, & Heroico Carmine plura ſcripſit,

Videlicet:

I. Hiſtoriam Veteris, & Novi Teſtamenti.
II. Tractatum de Chriſti Redemptoris Actis.
Ea edita ſunt à Georgio Fabricio, & extant, teſte Sirmundo in Notis ad Epiſtolam VIII. lib. VIII. Ennodii, in Collect. Sacror. Poëtar.
III. Meminit Elpidius ipſe Operis ſui *de Conſolatione Doloris*, quod eodem Carmine ſcripſerat, id tamen nunc deſideratur.
IV. Epiſtolæ plures ad Ennodium, quarum mentio eſt in hujus reſponſis, ut infra dicemus.
Extat ad eum Epiſtola Theoderici Regis, qua reſpondet petitioni Elpidii poſcentis loca quædam ad ædificandum in Civitate Spoletina, ubi hæc leguntur: „ Quod nos, reſpectu meritorum tuorum, & impenſi „ lunga ſedulitate ſervitii, libenti animo duximus „ annuendum &c. Eſt XXIV. lib. IV. Variar. apud Caſſiod.
Extat etiam ad eundem Ennodii Epiſtola VIII. lib. VIII., in qua eum amicè arguit, quod ad ſe ſcribere differat, & ejus eruditionem commendat.
Altera XIV. Libri IX., in qua meminit de litteris Elpidii ad ſe datis, de ſollicitudine ejuſdem, qua Ennodium & ſuos Theoderico Regi commendaverat, & rogat, ut ſæpius ſcribat, & an Rex in Liguriam venturus ſit, indicet.
Altera XXI. ejuſdem Libri, in qua Elpidium Mediolanenſem fuiſſe indicat, ut advertit loco citato Sirmundus, & nunciat ſe recepiſſe legitima documenta de Suburbano Mediolanenſi, quod Fauſtus conceſſerat.
De eo mentio eſt apud citatos Auctores.



Digitized by Google

# S

## MCCCCXCII.

## SACCUS CÆSAR.

PErvenimus, Deo favente, ad Mediolanenſes Eruditos, quorum cognomina per S litteram inchoantur; primuſque inter eoſdem memorandus occurrit Cæſar Saccus vetuſtâ in hac Urbe Familiâ natus; ex ea enim gente florebant jam anno Salutis MCCCLXXX. gemini Decuriones Thomas, & Ambroſius, quemadmodum nos monuit humaniſſimus JC. Sitonus, qui eos laudat in Syllabo Decurionum à ſe collecto, & apud ipſum MS. Cæſar igitur eruditione claruit, atque coævus fuit Bernardini Corii celeberrimi Mediolanenſium rerum Chroniſtæ. Oratoriam facultatem cum Poëſi conjunxit, cùmque optimè noſſet Philoſophiam plurimùm ad facundiam conferre, ita ejuſdem teoremata calluit, ut cum ſuæ tempeſtatis eruditiſſimis Viris non raro de ipſius Arcanis diſputaverit; præſertim verò cum Facio Cardano alibi à nobis commendato. Cæſarem propterea Archangelus Madrignanus loco mox indicando inter doctiſſimos Mediolani cives recenſere non dubitavit. Hæc ea ſunt, quæ de actis hujus Scriptoris inveni, reliqua diligentiam noſtram feſellerunt.

Habemus illius:

I. Orationem de Animi conceptu habitam coram Jafredo Caroli Delphinatus Præſide, & Mediol. Senatus Vicecancellario, ut aſſerit Archangelus Madrignanus in Epiſtola præfixa Itinerario Portugallenſium, de quo ſuo loco diximus.

II. Diſceptationem de Natura, & Fato cum Facio Cardano. Ejus meminit ibidem Madrignanus ipſe.

III. Poëma Latinum in laudem libri Bernardini Corii, cui titulus: „ Utile Dialogo amoroſo „ de quo diximus in Corio. Extat in eod.

Leguntur Lancini Curtii ad Cæſarem Saccum Epigrammata lib. 11. fol. 7., & lib. 20. fol. 139.

Agit de illo Sitonus amiciſſimus in Schedis.

## MCCCCXCIII.

## SACCUS JOANNES BAPTISTA.

INter Litteratos Mediolanenſes ineuntis Sæculi XVII. ab eruditis coævis laudatos Joannes Baptiſta Saccus Aloyſii filius adnumeratur, ob Latini ſermonis elegantiam, necnon rerum ad Patriam, atque Senatum, cujus à Secretis ſumma cum laude extitit, pertinentium, peritiem magnoperè commendatus. Epiſtolare commercium habuit cum Erycio Puteano, Henrico Farneſio, Hieronymo Boſſio, aliiſque Viris doctis infra recenſendis, itaut facilè Lector agnoſcat quantâ in exiſtimatione apud ipſos fuerit. Juvat ideo hìc referre verba ejuſdem Erycii Puteani, quæ leguntur in Epiſtola data Lovanii XI. Kalend. Junias anno MDCVII., in qua de elocutione Ciceroniana diſſerit, & detractores ſuos irridet; de Litteris autem Sacci, ſic habet: „ In tuis potiùs nitor, roburque eſt (ita ſentio) & gravitas „ cum amœnitate conjuncta, quæ omnia eò pluris „ facio, quòd tam facilè pangantur. Meæ delitiæ „ tuæ litteræ, & ſuavis mihi ille dies, quo adferun- „ tur &c. tuus enim ille ſermo Romanus eſt, caſtus „ eſt, promptus eſt, & quod ego miror, vel ſilen- „ tio exercitatus. „ Fauſtum filium Erycius Sacco noſtro commendatum reliquit, ut videre eſt in ipſius Epiſtolis infra citandis, è quibus etiam eruitur quanti habuerit Puteanus Auctorem noſtrum, nam nonnullas Lucubrationes ſuas ad eum tranſmittere non dedignatus eſt, ut judicium promere Saccus vellet; idque patet ab aliis infraſcriptis Puteani Litteris, ad quas Lectorem remittimus. Charus etiam fuit Cardinali eximio Federico Borromæo, qui de re Litteraria frequenter Saccum noſtrum conſulebat. Scientiis autem morum elegantiam ſuavitatemque adjecit, quodque majus eſt, pietas illius, necnon Bonifacii fratris, ſatis elucet in extruendis binis Sacellis, altero nempe in Eccleſia Sancti Alexandri in Carcere Zebedeo D. Joanni Baptiſtæ nuncupato, altero in Baſilica Sancti Euſtorgii B. V. Mariæ Annunciatæ Miraculorum, ubi adeſt etiam gentilitium Sepulchrum, ut refert Placidus Puccinellus in memoriis antiquis Mediol. pag. 94. Nos interim damus Inſcriptionem, quæ legitur in Collectione Archintea:

CELLAM HANC ET ARAM
IOH. BAPTISTA SACCVS
A SECRETIS SENATVS
ET BONIFACIVS
ADNOTATOR REGII CENSVS
FRATRES VNANIMES
AERE SVO FVNDITVS EXCITARVNT
ORNARVNT CONSVMMARVNT
ANNO SALVTIS MDCXVIII.
MILLENIS INSVPER AVREIS ELARGITIS
RELIQVAE TEMPLI SVBSTRVCTIONI
PROMOVENDAE
PIIS PATRVM SVFFRAGIIS
SE SVOSQVE PERPETVO
COMMENDARVNT.

Templum quoque ære ſuo à fundamentis excitavit in Oppido Lunati nomine, quod S. Mariæ ſub titulo Angelorum dicatum voluit, ideoque ob hanc animi ſui magnificentiam Poëmate integro ipſum laudavit Auguſtinus Terzagus. Annum verò mortis ejuſdem ignoramus. Interim quæ de ipſo vidimus tam typis data, quàm MSS. nunc proferimus,

Videlicet:

I. Trium Clariſſimorum Virorum Didaci Salazar, Joannis Baptiſtæ Sacci, ac Henrici Farneſii Epiſtolæ. *Mediolani, apud Angelum Navam*, 1621. *in* 4. Editionem curavit Aquilinus Coppinus.

II. Epiſtolæ aliæ plures Latinæ ad Philippum Medam. Sunt in Onomaſtico Italico-Latino Mediolanenſium ejuſdem Philippi Medæ, de quo diximus.

III. Aliæ ſeorſim editæ, & aliæ MSS. ad Varios, inter quos tres Regenti Corio, duæ Lælio Biſciolæ, Senatori Melzio, aliiſque, ſervantur in Bibl. Eremit. Diſcalc. SS. Coſmæ, & Damiani hujus Urbis, cum una Senatoris Jo. Baptiſtæ Arconati ad eundem Saccum.

IV. Aliæ permultæ ad Cardinalem Federicum Borromæum, & ex eis una, qua mittit Juſti Lipſii litteras (fortè prælo paratas) cum Nuncupatoria ad S. Carolum Borromæum, data anno MDCI. Extant in ſæpe laudata Collectione Epiſtolarum ſupradicti Cardinalis Federici in Ambroſiana.

V. Ver-

Digitized by Google

V. Verſio Litterarum à Perſia Hiſpanicè ſcriptar. ad Marchionem Bedmarii à Domno Garzia Sylva Figueroa, ad Regem Perſarum Legato, à Regum maximo Philippo, die XXVIII. Decembris MDCXVIII. ſine anno, loco, & Typographo, in fol. cum Epiſtola Sacci noſtri ad Joannem Cavalchinum Comi Prætorem.

VI. Epiſtola Latina Paulo Bellono ſcripta. Extat in libro, cui titulus: „ Pauli Belloni Tractatus de po„ teſtate eorum, quæ incontinenti fiunt. *Mediolani*, 1623.

VII. Aliæ plures ad Erycium Puteanum ſcriptæ, ut ex Reſponſionibus ejuſdem Puteani.

VIII. Deſcriptio Hyemis, quam ſupradicto Puteano miſit Saccus, ut ex Epiſtola illius ſubter promenda.

IX. Diſſertatio de Antiloco. Et iſtam à Sacco noſtro accepiſſe aſſerit Puteanus in alia Epiſtola, quam infra memorabimus.

Supradictus Aquilinus Coppinus plurimas dedit Epiſtolas Sacco noſtro, in quarum una ei mittit Carmina, & Diſſertationem de modo, necnon difficultate condendi Poëmata Italica; in altera verò deſcribit Subalpinam Regionem, quæ data eſt Taurini XV. Kal. Octob. MDCIX.

Extat quoque ad eum Epiſtola Cardinalis Barberini de controverſiis pro immunitate Eccleſiaſtica inter Archiepiſcopum Mediol. & Regios data anno MDCXXIX. latina. Reperitur in Biblioth. Monachor. S. Ambroſii hujus Urbis in Cod. ſign. A. num. 58.

Hæ verò ſunt Epiſtolæ, quas diligenter à Collectione Epiſtolarum ſupradicti Erycii Puteani eruimus, nempe

1. Data eſt III. Nonas Martias MDXCIX., & cum ipſa Puteano mittit Comœdiam, ſeu potiùs Centonem ex Plauto, & judicium Sacci expectat. Eſt in Centuria I. Promulſis inſcripta pag. 42.
2. Data eſt Patavii XVI. Kal Novemb MDC. Ibi apud Vincentium Pinellum Puteanus degebat, rationemque reddit de ſuo receſſu Mediolano. Sacci imaginem petit, ut in Collectione Virorum illuſtrium, ad inſtar Jovii, poni poſſit. Extat in Centuria II. pag. 65.
3. Lovanii XI. Kal. Junias MDCVII. in qua, præter ea, quæ jam ſupra dedimus in Vita Auctoris noſtri, Fauſtum ſuum illi commendat, & Ludovico Septalio. Adeſt inter Bellaria, nam ſic inſcripta eſt Centuria III. Epiſtolarum pag. 91.
4. VI. Eid. Septemb. MDCVII. Diſſerit de Hilaritate, & Saccum hortatur, ut aliquando à curis ſe ſublevet. Ibid. pag. 101.
5. Kal. Maji MDCVII. Laudationem Funebrem Lypſio actam à Puteano, ipſe Sacco noſtro mittit. Ibidem pag. 105.
6. Prid. Kal. Decemb. 1607. Filio orbatus, nunciat Puteanus ſe vocatum eſſe à Bononienſibus, cum quibus agit de conditionibus. Extat in Centuria IV., quæ vocatur Apophoreta, pag. 23.
7. Alia eſt ibidem ſine data pag. 27.
8. Prid. Kal... MDCVIII. Deſcriptionem Hyemis ab Auctore Sacco noſtro receptam, laudat his verbis: „ut „ ſtyli tui fœlicitas, & majeſtas eſt, vereor, niſi à „ judicio diſcedas, ne meas haſce litteras quiſqui„ lias interpreteris. Etenim legi cum ſumma vo„ luptate Deſcriptionem Hyemis „ &c. ei mittit Librum ſuum de Luxu, ut Sacci, & Cardinalis Federici Borromæi judicium habere poſſit. Extat ibidem pag. 41.
9. Lovanii III. Eid. Aprilis MDCVIII. Conſolatoria pro morte filiæ dulciſſimæ Sacci noſtri, Lauræ nomine. Ibid. pag. 57.
10. Alia ſine data, cum qua mittit Librum alterum ſuum de Luxu Conviviorum, judiciumque Sacci petit. Extat ibidem pag. 83.
11. Anni MDCIX. IV. Eid. Martii. Mittit Syntagma de Laconiſmo, & Sacci, ac Septalii ſententiam poſcit. Ibidem pag. 94.
12. XIV. Kal. Septiles MDCVII. erudita nimis; eſt in Centuria V. Epiſtolarum pag. 11.
13. XIV. Kal. Quintilis MDCX. Petit Epiſtolas Sacci, quem iterum laudat. Ibidem pag. 33.
14. Poſtrid. Nonas Januarii MDCXI. Diſſertationem de Antiloco à Sacco miſſam commendat, & commendatam eſſe ab omnibus eruditis Lovanienſibus aſſerit. Ibid. pag. 43.
15. Poſtrid. Eid. Octobris MDCXI. Palæſtram bonæ mentis mittit Sacco, data eſt Bruxellæ. Ibid. pag. 85.
16. Poſtrid Nonas Junii MDCVIII. Cum Senatu Bononienſi conveniſſe nunciat, & veniam Principis expectat. Ibid pag. 111.
17. Poſtrid Kal. Decembr. MDCXI. Dolorem ſuum pandit pro morbo Cardinalis Federici Borromæi, extat ibid pag. 54.

Sex aliæ Epiſtolæ ad Saccum ſcriptæ à Hieronymo Boſſio Ticinenſi, leguntur inter Epiſtolas ejuſdem Boſſii.

Auguſtinus Terzagus, Bernardinus Baldinus, Franciſcus Rugerius, & Benedictus Sociacus Auctorem noſtrum Carminibus Latinis laudarunt: illud Sociaci hìc dare nobis viſum eſt; alia verò Lector inſpicere poteſt inter Poëſes ſupradictorum Auctorum.

*Emiſi, fateor, mendoſum Sacce libellum,*
*Fortè deeſt plagis, vulneribuſque locus.*
*Horribili macie tamen, ulceribuſque pudendis*
*Acceleres medicas flagitat uſque manus.*
*Ulcera, proh divum pietas! informia totos*
*Deturpant artus, horribiliſque lues.*
*Tu ſanare potes laceros crudeliter artus,*
*Tu ſanare meâ vulnera facta manu.*
*Exanimes te fama canet revocaſſe ſub auras,*
*Hippolyti lacerum funus amice vides.*

Memoratur etiam in Athenæo Picinelli pag. 285., & in Schedis Sitonianis.

## MCCCCXCIV.

## SADARINUS FRANCISCUS.

FRanciſcum Sadarinum inter Mediolanenſes J. PP. clari nominis Virum Paulus, atque Margarita Faccina jugales in lucem emiſerunt. Ab infantia minora coluit ſtudia, magnumque illâ etiam ætate præſetulit ingenium. Acceſſit poſtmodum ad leges addiſcendas, in quibus Doctor eſt renunciatus, mox ob ſatis cognitam prudentiam, atque integritatem anno MDCLX. ab Ampliſſimo Inſubriæ Senatu à Secretis eligi meruit. Eo dum fungeretur munere omnia diligenter collegit tanti Cœtus Oracula, quo ex labore non modicum utilitatis haurire poſſunt quotquot in Foro verſantur. Eruditionem illius magni fecerunt Mediolanenſes Conſcripti Patres, in his etiam rebus, quæ ad controverſias inter Romanam Aulam, atque Senatum ſuper locali Immunitate agitatas pertinebant. Amiciſſimus fuit Octavii Ferrarii, & Cæſaris Burri, quorum jam Elogia dedimus. Neque à Latinis, Italiciſque Muſis alienus extitit, ut cognoſcunt poſteri ex ejus Carminibus mox recenſendis. Deceſſit Chriſtianæ Salutis anno MDCLXVI. condituſque jacet in gentilitio Sepulchro in Templo SS Angelorum ad Portam hujus Metropolis, quæ Nova dicitur. Illud extruxerat Joannes Ambroſius Scriptoris noſtri Avus hac impoſita Epigraphe, quam mihi ſuppeditavit Collectio Comitis Octavii Archinti.

D. O. M.
IOANNES AMBROSIVS SADARINVS
QVI VNA CVM GENEPRA CORDESELLA
CONIVGE AMANTISSIMA
REQVIESCAT IN PACE
SIBI ET SVCCESSORIBVS SVIS
PONENDVM CVRAVIT
ANNO DOMINI MDCIIII.
DIE XXI. FEBRVARII.

Eruditionis illius monumenta ſunt:

I. Franciſci Sadarini JC. Mediolanenſis Reſponſorum, rerumque à Senatu etiam judicatarum Libri, quibus amœnæ Quæſtiones explicantur, & eruditione ornantur, habetque Lector quæ faciant, cùm ad Fori praxim, tum ad Theoriam, & jucunditatem; nunc primùm in lucem prodeunt, cum Indice locupletiſſimo: Excellentiſſimo Senatui Mediolani dicat. *Mediol. apud Federicum Agnellum*, 1671. *in fol.*

II. De

Digitized by Google

II. De Bulla Gregoriana, ejuſque admiſſione, & de controverſiis agitatis, & adhuc vigentibus ſuper Immunitate locali, & de exceptione caſuum, & temperamentis propoſitis Romæ, accurata Informatio ad Senatum Mediolani Secretarii Sadarini. MS. in fol. pagg. 14. Extat apud Comitem Ludovicum Archintum Ordinariorum RedditUum Magiſtratus Quæſtorem.

III. Carmina Latina, atque Italica, extant in Collectione pro laurea Comitis Caroli Corii.

IV. Poëma Latinum in laudem Operis Cæſaris Burri de Incendio, in eodem libro.

V. Allegationes tres in Biblioth. Monach. S. Ambr. Cod. ſign. C. num. 494.

VI. Aliæ plures in Collectione Archintea, & alibi.

VII. Inter Epiſtolas Octavii Ferrarii editionis *Patavinæ*, extat una Franciſci Sadarini data Mediolani Idibus Decembris MDCLXXI. ad Octavium Ferrarium, cum ejuſdem Reſponſione.

Cum ſupradicta Epiſtola Sadarinus mittit Ferrario Reſponſa ſua, quæ recens publici juris fecerat.

Agit de Sadarino Sitonus noſter in Theatro ſuo Genealogico MS. penes eundem pag. 395. atque in Schedis.

## MCCCCXCV.

### De SALA PAULUS.

PAulus de Sala Mediolanenſis, inter vetuſtiſſimos hujus Metropolis Chronologos jure merito eſt recenſendus; etenim ante Gualvaneum de la Flamma Ordinis Prædicatorum Alumnum, quem loco ſuo debitis celebravimus laudibus, floruit. Quod evidentiſſimè patet ex pluribus Gualvanei Operum locis, in quibus Pauli de Sala teſtimonia proferuntur. Præſertim verò in Chronico Majori cap. CCXCI. ubi fragmentum recitat ſatis prolixum, ad cujus finem iſta leguntur verba: „ Hæc Chronica Pauli de la Sala. „ Illud etiam inſeruit Joannes Petrus Puricellus in Monumentis Baſilicæ Ambroſianæ num. DXXVI. Cùm autem ibi agatur de reditu Mediolanenſium in Urbem antea à Frederico Œnobarbo dirutam, facilè conjici poteſt, Paulum quoque noſtrum inter Patriæ reſtauratores numerandum eſſe. Opus quidem illius in præſentiarum deſideratur, verumtamen laude ſua fruſtrandum non fore cenſuimus tantum Virum, qui ab ipſius renaſcentis Urbis temporibus monumenta vetuſtatis poſteritati ſervare ſtuduit.

Scripſit igitur:

I. Chronicon Rerum Mediolanenſium. Ex Gualvanei teſtimonio jam citato.

Commemoratur etiam in Collect. Monument. Famil. Mediol. Comitis Octavii Archinti.

## MCCCCXCVI.

### SALMATIA ANTONIUS.

PRæclariſſimus ille Purpuratorum Patrum ſplendor, & Ambroſianæ Eccleſiæ Præſul Fridericus Borromæus, Vir ſæculorum omnium memoria laudibuſque digniſſimus, inter eruditione præſtantes Alumnos Collegii ſui, quod à ſe conditæ Bibliothecæ addidit, Antonium Salmatiam elegit, qui Mediolani ortus, & ab ipſa penè infantia ſacris profaniſque diſciplinis eruditus, jam in ſortem Domini aſſumtus fuerat, atque Oblatorum SS. Ambroſii, & Caroli Inſtituto ſe addixerat. Optimè noverat ejus ingenium doctiſſimus Cardinalis, qui ſuſpiciebat in ipſo Theologicam ſcientiam, & eloquentiæ ubertatem, cujus per annos aliquot in Seminario Majori hujus Metropolis præcepta tradiderat. Nec minor erat in Salmatia noſtro Græcarum litterarum peritia, quam ſatis oſtendit in infra recenſendis Operibus. Agebatur interim de locupletandâ exoticis mercibus Ambroſianâ Bibliothecâ jam ſupra laudatâ; quocirca cùm inſignes doctrinâ homines à Cardinali ipſo in exteras Terras mitterentur, ut inde librorum copiam ſelectam afferrent, Antonio obtigit Oriens. Profectus ergo in Græciam jam declinante anno MDCIX. Dominicum Hieroſolymitanum Rabbinum difficillimè peregrinationis comitem habuit, ut faciliùs Hebraicæ linguæ Volumina compararentur. Corcyram Inſulam, Macedoniam, & Epirum vel peragravit, vel per internuncios ſcrutatus, Codices rariſſimos mercatus eſt. Eum procedere meditantem, ut Byzantium, tum Hieroſolymam, Ægyptum, atque Babylonem adiret, adverſa ventorum vis, & barbarorum tumultus exorti, quorum gratiâ non ſemel capitis diſcrimen iniit, à propoſito deterruerunt. In Inſubriam reverſus à Ferdinando Mantuæ Duce expetitus eſt, ut Græcam linguam in recens extructo Collegio profiteretur, atque in eadem Urbe tanti eſt habitus, ut ipſi Generalis Vicarii munus in Foro Epiſcopali fuerit demandatum. Nonnullos poſt annos patriam repetiit, ubi Fridericum Borromæum juniorem poſtmodum è Patriarchali Sede Alexandrina ad Sacram Purpuram aſſumptum Cæſarei, & Pontificii Juris ſanctiones docuit. Mox in Metropolitana Baſilica Pœnitentiarii officium piiſſimè geſſit ad extremam uſque ſenectutem. Poſtremum vitæ illius annum nemo eſt, qui nobis tradiderit.

Opera hæc poſt ſe reliquit:

I. Joannis *Zonaræ* Commentarios in ſexdecim Conciliorum Canones, in quibus tum OEcumenica ſeptem, tum novem Provincialia continentur, Latinitate donatos, plurimiſque locis ex MS. inter ſe collatione emendatos Notis illuſtravit. Extat in edit. *Zonaræ Pariſienſ.* 1618. pag. 45.

II. Sancti Cyrilli Alexandrini Archiepiſcopi Sermones Paſchales XXX. ex interpretatione Antonii Salmatiæ Græcè, & Lat. *Antuerpiæ, apud Hæred. Martini Nutii*, 1618. *in fol.*

III. Antonii Salmatiæ Pindari Olympia, Pythia, Nemea, Iſthmea, cum perpetuis Græcis Commentariis Antiquioribus, nunc primùm editis. Adjecta eſt vita Pindari ab eodem Salmatia ſcripta. MS. in Ambroſiana ſign. O. num. 64. in 4.

IV. Interpretatio ex Græca lingua in Latinam Orationum Conſtantini Acropolytæ. Teſte Picinello.

V. Epiſtolæ plures eruditiſſimæ ad Cardinalem Fridericum Borromæum citantur à Petro Paulo Boſca in Opere inferiùs memorando.

VI. Carmina Latina in lib. cui titulus: „ Componimenti „ di diverſi per il Dottoramento di Gianfranceſco Sorbellone. *Pavia*, 1599. *in* 12.

Memoratur cum laude à Petro Paulo Boſca in libro de Origine, & Statu Bibliothecæ Ambroſianæ.

## MCCCCXCVII.

### SALODIUS PAULUS.

PAulum Salodium Mediolanenſem eruditionis ad Eccleſiaſticas res præſertim Ambroſianæ Eccleſiæ pertinentis ornamenta plurimùm commendant. Inter Clericos enim relatus divinas humanaſque litteras ſedulò didicerat, ideoque utriuſque Juris adoreâ inſignitus, inter Canonicos Metropolitanæ Baſilicæ, qui Ordinarii appellantur, Doctoralem Præbendam obtinuit anno partus Virginei MDLXXXV. Eâ potitus fuit ad annum uſque MDXCIII. quo, ut liberiùs litteris vacare poſſet, Joanni Jacobo Terzago Sacerdotium reſignavit. Annus illius ſupremus nobis eſt hactenus incompertus.

Habemus illius ſequens Opus:

I. Formula deſcribendi Viſitationes in Civitate, & Diœceſi Mediolanenſi: Auctore Paulo Salodio Canonico Ordinario. *Mediol. apud Impreſſores Archiepiſcopales*, 1649. *in* 8. cum additionibus. Editio poſthuma.

Ex Theodori Trivultii Indice Canonicorum Baſil. Metropol. Mediol.

MCCCCXCVIII.

Digitized by Google

## MCCCCXCVIII.

## SALVATERRA JOANNES.

JOannes Salvaterra Hieronymi Regii Quæſtoris Magiſtratus Reddituum Ordinariorum , atque Barbaræ Vicecomitis de Sarono, conjugum filius, Mediolani natus eſt ; dumque in ſalutari lavacro renaſceretur , Avum ſuum item Quæſtorem nomine reddidit . Inter bonas artes , litteraſque adultus , tandem clariſſimæ Societati Jeſu ſe addixit . Cùm in ea vota quatuor emiſiſſet , Rhetoricam quinquennio , Philoſophiam ſeptennio , Theologiam ſcholaſticam altero quinquennio , Matheſim plures annos Genuæ docuit. Fuit uſque ad obitum ſuum à Confeſſionibus Excellentiſſimis Principibus de Auria , magno cum eorum amore , & reverentiâ ſingulari. Pluribus ibidem morbis afflictus , dum à nativi aëris clementia in Oppido Saroni expectat virium reparationem , gravi languore oppreſſus , Sanctiſſimis Sacramentis ritè munitus , & ad cœleſtem patriam deſideriis ſuſpiriiſque anhelans, piiſſimè obiit die IV. Septembris, anno MDCLXXXVIII. Vir fuit non ſolùm perſpicaciſſimi ingenii, omnibus ſcientiis, & pluribus linguis inſtructus , ſed etiam eximiæ probitatis , & ſingularis erga Deum , & proximos charitatis . Joannis autem præfati , qui Scriptoris noſtri Avus fuit, adhuc ſupereſt Elogium Sepulchrale in Baſilica Scalenſi hujus Metropolis, his inſculptum litteris :

IOHANNES SALVATERRA REGIVS QVAESTOR
BRIGIDAQVE PEREZ DE MORA
EX ILLO GEMINI QVAESTORIS PARENS
QVAESITVM SIBI ET SVIS IMMORTALITATIS ADITVM
VIVENTES P. P. ANNO DOMINI MDCXLV.

Vulgavit :

I. La Storia delle Monache Turchine dal cominciamento dell'Ordine . *Genova , per Anton Giorgio Franchelli* , 1681. *Tomi II. in fol.*
II. La Verità Maſcherata libri II.
III. Politicorum Evangelicorum Volumen.
IV. Opera alia prælo parata , quorum argumenta fruſtra quæſivimus . Hæc MSS. ſervari in Collegio Genuenſi à Suis didicimus.
Videndæ Schedæ Sitonianæ.

## MCCCCXCIX.

## SALVATORINUS JOANNES BAPTISTA.

JOannes Baptiſta Salvatorinus parentem habuit Joannem Jacobum , de quo mox nobis ſermo erit . Inter J. PP. Mediolanenſes florebat medio Sæculo XVI., immo Regius Vicarius Prætorius hujus Urbis extitit annis MDLIV. & ſequenti. Non parum nominis ſibi quoque acquiſivit in condendis Carminibus latino ſermone optimè ſcriptis , ut facilè videbitur ab iis , quæ ad manus noſtras pervenerunt, ut infra. Inter ea numeratur illud , cui titulus eſt *Somnium* , & MS. ſervatur Florentiæ in Bibliotheca Marchionis Canonici Riccardi , ut me perhumaniter monuit Clariſſimus Joannes Lamius Præfectus Bibliothecæ Riccardinæ , & Operibus editis de Republica Litteraria ſummè meritus . Idem Poëma legitur in Tomo VIII. Carminum illuſtrium Poëtarum Italorum , ſed ibi deeſt Epiſtola Nuncupatoria Auctoris noſtri , qui Somnium mittit ad Amicum è Mediolano XII. Kal. Novembris MDXLIII., necnon Hendecaſyllabum Coſerni ad Salvatorinum diſcipulum , quod ſic incipit :

*Vix tamdem numeros tuos dediſti ,*
*Quos tibi cecinit novem ſororum*
*Chorus &c.*

His verſibus Coſernus Salvatorinum monet , ut non ad ſolas Muſas ſe conferre ſtudeat, ſed etiam vel ad Jura, vel ad Medicinam ſe vertat, nam ex his facultatibus divitiæ prodeunt . Obiit Vir iſte anno Chriſti MDXC. & hæc interim de eo vidimus ,



Scilicet :

I. Ad Sereniſſimum Principem Joannem Auſtriacum Jo. Baptiſtæ Salvatorini JC. Mediolanenſis Epinicium de Victoria Navali, Poëma . *Mediolani , apud Pontium* , 1571 *in* 4.
II. De Deo O. M. ejuſque Providentia , & in humanum genus amore , Poëma . *Mediolani , apud Pontium* , 1586. *in* 4. In eod. eſt Carmen Epiſtolare nuncupatorium Franciſco Panigarolæ Epiſcopo Chryſopolis, cum aliis duobus, altero Lectori, altero in argumentum Operis.
III. Lachrymæ Peccatoris pœnitentis, Carmen in uſum piè vivere volentium . *Mediolani , apud Pontium* , 1586. *in* 4.
IV. Somnium : Poëma heroicum Verſibus exametris, de quo ſupra . Extat in Opere, cui titulus: „ Carmina illu- „ ſtrium Poëtarum Italorum Tom. VIII. pag. 260.
De eo agit Clariſſimus Sitonus in Theatro Genealogico pag. 395., & in Syllabo Vicariorum Prætorii Mediolani MSS. ambo in folio penès Auctorem.

## M D.

## SALVATORINUS JOANNES JACOBUS.

EX Joanne Baptiſta Salvatorino ſeniore ortus eſt Joannes Jacobus , qui inter Cancellarios Excellentiſſimi Senatus Mediolanenſis numerabatur anno MDXXVIII., poſtmodum idem munus apud Annonæ Magiſtratum agebat annis MDXLIX., & MDLXIII. Ingenium hujus Viri ſatis elucet ex libro infra recenſendo , cujus Eruditorum approbatio in cauſa eſt , quod difficillimè reperiatur venalis . In eo Carmina Franciſci Petrarchæ Italica ad CCCCXXX. redegit, & ſacris Sententiis exornavit, indicatis ad marginem Codicum divinorum locis , unde ſententiæ ipſæ deductæ ſunt :

En titulus

I. Teſoro di Sacra Scrittura ſopra le Rime del Petrarca : *Venezia , per Comin da Trino , ſenz' anno , in* 8.
Memoratur à Joſepho Benalio in Hiſtoria Magiſtratus Extraordinarii pag. 72., ab Advocato Sitono in Theatro Genealogico pag. 395. MS. penès eundem, atque ab amiciſſimo Canonico Irico noſtro in Hiſtoria ſua Typographica Tridinenſi jam toties memorata.



Digitized by Google

## M D I.

## SAMARUGA HIERONYMUS.

AD Samarugæ Mediolanenſis Familiæ vetuſtatem oſtendendam, ſatis eſt nomenclatura variorum Patriæ Decurionum Sæculo XIV. exiſtentium, uti mihi videre licuit in Schedis Sitonianis infra recenſendis. Ex eadem Gente ortus eſt Hieronymus, qui ad ſacras litteras totis viribus converſus, in ipſas tantùm profecit, ut Congregationi Oblatorum SS. Ambroſii, & Caroli adſcribi meruerit; deinde animarum curam ſuſcepit in Eccleſia Parochiali S. Mariæ Beltradis. Inter alia, quæ ipſe excogitavit utilia Parochis, Confeſſariiſque, novam editionem, etſi in compendium redactam, Operis Oliverii Mazzucchelli de Caſibus reſervatis inſtruxit, additis Propoſitionibus damnatis, quæ adeò probata fuit, ut noviter anno MDCCXIV. in lucem prodierit. E vivis abiit Hieronymus anno reparatæ Salutis MDCLXVIII.

Liber legitur hoc titulo:

I. Compendium tractatus de Caſibus reſervatis in Diœceſi Mediolanenſi M. R. D. Oliverii Mazzucchelli Oblati, S. Theolog., & J. U. D. Auctore Hieronymo Samaruga Oblato, adjunctis ſuo loco Propoſitionibus damnatis; editio noviſſima. *Mediolani, apud Marellum*, in 12. Secunda editio prodiit operâ, & ſtudio alterius Sacerdotis Oblati, diligentiùs emendata, ac novo Indice, noviſque Additionibus illuſtrata, cui adjecta eſt Tabula Cenſurarum Diœceſis Mediolanenſis, & Inſtructio Parochorum pro Caſibus occultis Sedi Apoſtol. reſervatis. *Mediolani, apud Joſephum Quintum*, 1714. in 8.

De Gente Samaruga loquitur Clariſſimus Sitonus in cit. Syllabo Decurionum, & Duodecim Proviſionum Urbis Mediolani. MS. in fol. penès Auctorem.

## M D I I.

## SANBENEDICTUS BENEDICTUS.

EX Familia Sanbenedicta Mediolani prodiit in lucem Benedictus, qui, ut arctiùs ſe Deo conjungeret, in provincia Inſubriæ Minorum Ordinem amplexus eſt, inter eos, qui Capuccini appellantur. Cùm ſacra Theologiæ ſtudia emenſus fuiſſet, Concionibus habendis totum ſe dedit, quo in munere aliquot annos tranſegit. Apud ſui Inſtituti Alumnos in ſingulari extimatione fuit, atque Deffinitoris officium obtinuit. Alias plures dignitates in Ordine meritò acquiſitas modeſtè reſignavit, ut liberiùs litteris daret operam; Conſultoris videlicet apud Generalem Suorum Præſidem, cùm priùs Mediolanenſis provinciæ Cœnobia cum Viſitatoris poteſtate luſtraſſet. Juvat hìc Elogium ejus inſerere, quod vulgavit loco citando Dionyſius Genuenſis; ait enim: „ Ob ſingularem ejus doctrinam, morum probitatem, & eloquii ſuavitatem, ſatis notus; cui acceſſit modeſtia ſingularis, veneranda auctoritas, ſolidum judicium, prudentia ſumma in agendis, & obſervantiæ regularis zelus ingenuus. „ De fratre illius Maria Angelo poſtea dicemus.

Eruditionem ipſius hæc teſtantur:

I. Annali de i Padri Cappuccini del Padre Zaccaria Boerio traddotti dal Latino in Italiano Vol IV. in 4. Prima duo prodierunt *Taurini, apud Joannem Dominicum Tarinum*, 1641. Reliqua *Venetiis, apud Junctas*, 1645.

A II. Il terzo Volume de' ſuddetti Annali ſcritti dal Padre Marcellino da Piſa traddotto dal Latino in Italiano. *Lugduni*, 1676. *Tom. II in 4.*

III. Vita del Venerabile Frà Bernardo da Corleone Cappuccino. *Milano, e Genova preſſo il Franchelli*, 1683. in 4.

De eo mentio habetur in VVadingo de Scriptoribus Ordinis Minorum, & in Bibliotheca FF. Capuccinorum à Dionyſio Genuenſi contexta edit. II. pag. 54.

## M D I I I.

## SANBENEDICTUS FRANCISCUS.

B INitio fermè mox elapſi Sæculi XVII. florere cœpit in hac Metropoli Franciſcus Sanbenedictus notâ ſatis Familiâ genitus, ex qua plures prodierunt Viri docti. Ille verò erudiendæ in eloquentiæ præceptis Juventuti deditus nonnullos in hoc munere annos ſe exercuit. Facundiæ, quâ præditus erat, ſpecimen dedit perſpicuum in mox laudando Opere, in quo à ſe compoſitas diverſis temporibus Orationes in nobilium Adoleſcentium vel laudem, vel commodum, collectas tandem publici juris facere voluit. Cætera illius acta ignoramus.

Scripſit & vulgavit:

C I. Orationes, quas Franciſcus Sanbenedictus in nobiles Adoleſcentes ad pronunciandum diſperſas collegit. *Mediolani, apud Pandulphum Malateſtam*, 1625. in 4.

## M D I V.

## SANBENEDICTUS MARIA ANGELUS.

JAm ſupra laudati Benedicti Frater extitit Maria Angelus Sanbenedictus, cujus tametſi acre eſſet ingenium & ad ſcientias aptiſſimum, adverſa tamen fortuna perenni quadam infelicitatis conſtantiâ
D ipſum exagitavit. Litterarum rudimenta adoleſcens percepit in Archilyceo Braydenſi, mox ſub Gaſparis Scioppii diſciplinâ, unà cum Petro Paulo Caravaggio, de quo jam egimus, majora percepit eruditionis incrementa, in queis quantùm profeciſſet agnoſcere Lectores poſſunt ex infra laudando illius Opere. Amiciſſimus fuit Alberici Septalii, Pauli Joſephi Meroni, Auguſtini Maſcardi, Lucæ Holſtenii, Octavii Ferrarii, quibus omnibus Operis ipſius partes ſingillatim inſcripſit. Plurimi quoque apud Regios Miniſtros habitus eſt, quorum favore fultus ad ingenio ſuo digna munera evehendus erat; etenim agentibus eorum nonnullis à Secretis electus à Comite de Walſtain Cæſarei exercitus Duce ſupremo in Germaniam profectus fuit. Ægrè tamen ferens grave hujuſce Domini ſupercilium, ab eo haud multò poſt receſſit;
E cùmque adhuc in illis degeret regionibus peſte ſublatus occubuit florenti ætate.

Vulgaverat jam tamen:

I. Auctarium ad Grammaticam Philoſophicam Gaſparis Scioppii, ejuſque rudimenta. *Mediolani*, 1629. in 8.
Ex Picinelli Athenæo pag. 413.

MDV.

Digitized by Google

## M D V.

## SANGEORGIUS JOANNES ANTONIUS.

QUamvis non deſint Scriptores Clariſſimi, quorum aliquos inferiùs citabimus, aſſerentes Joannem Antonium Sangeorgium, ſive de Sancto Georgio, patriâ Placentinum fuiſſe, eorum tamen auctoritas nos minimè movet, ut ab hac Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium tantum Virum excludamus. Neque verò eruditiſſimos homines reprehendimus, quaſi mendacium litteratis obtrudere voluerint, eos etenim in fraudem induxit agnomen *de Placentia* Familiæ Sangeorgiæ Mediolanenſi ſuperadditum eâ de cauſſâ, quod à Placentia Urbe ducerent originem noſtri Scriptoris Avi, quemadmodum in aliquibus aliis Familiis præſenti adhuc ætate cernimus, prout alibi dixiſſe meminimus. Communicavit nobis humaniſſimus, atque doctiſſimus JC. Sitonus Sangeorgiæ Gentis Stemma deductum à Gulielmo, qui fuit in vivis anno MCCCLV. uſque ad Claram de Sancto Georgio de Placentia filiam unicam Joannis Baptiſtæ Comitis Palatini, quæ hæreditatem Patris adiit circa annum MDCII. nupſitque Franciſco Siccoborello Vicomercati Comiti, in qua nobiliſſimæ Gentis virilis Proſapia defecit. Eminet inter cætera Sangeorgiæ Familiæ germina Petrus nobilis Civis Mediolanenſis Joannis Antonii noſtri Avus, cui Sigiſmundus Imper. Aug. Diplomate dato Poſſonii die XIX. Januarii, anno MCCCCXXIII. Comitis Palatini contulit dignitatem, quæ in poſteros quoque hæreditario jure transfunderetur. Hic ex Eliſabeth Trivultia Antonii Ducalis Quæſtoris Ærarii filia, quam ſibi conjugem adlegerat, Jacobum genuit patriæ Decurionem, ex quo Joannes Antonius nunc commendandus ortus fuit. Quocirca non eſt cur in poſterum ſibi blandiri poſſint Placentini Cives, quaſi apud eos lucis uſuram hauſerit doctiſſimus iſte Scriptor, quem adeò certum eſt Mediolanenſibus obtigiſſe, ut nihil certius videri poſſit. Igitur in hac Metropoli natus Joannes Antonius Sangeorgius de Placentia dictus, à teneris, ut ajunt, unguiculis magnum portendit ingenium, quapropter piè ac liberaliter educatus in eruditiſſimum Virum evaſit. Præter Oratoriam artem, in qua excelluit, leges tam civiles, quàm ſacras plurimùm adamavit uſque adeo, ut ejus ſcripta hodie quoque Juriſtarum terantur manibus, atque in utroque Foro magno ſint uſui. Clericali militiæ dato nomine, ſic claruit, ut Imperialis Baſilicæ Ambroſianæ Præpoſiturâ fuerit inſignitus, cùm jam anno MCCCCLXXIII. Juriſperitorum Mediolanenſium Collegio adſcriptus eſſet. Mox annos ſex in Ticinenſi Academia leges Imperatorias, ſacroſque Canones interpretatus eſt, quod munus cœpit anno ætatis ſuæ XXVII. legitque ibidem ad annum uſque XXXIII. ut ipſemet ſcribit in fine Operis ſui ſuper Uſibus Feudorum, de quo infrà dicendum. Ibi quoque recenſet Lecturas ſuas, nimirum anno primo ſuper Clementinas per viam repetitionum, uſque ad Clementinam: *Ne Romani*. Secundo autem anno, & tertio pariter legit ſuper titulum: *De Appellationibus*. Quarto, & quinto Decretalium librum IV. explicavit. Sexto demùm ſuper Uſibus Feudorum Commentaria tradidit auditoribus. Ea ſe aſſerit præſtitiſſe ultra ordinarias Lectiones, quas ſine intermiſſione diebus ſingulis ad tres fermè horas habere conſueverat. Mirum igitur nemini videatur, ſi Bernardinus Landrianus jam loco ſuo laudatus in Epiſtolâ ad Luchinum Landrianum præfixâ Lecturæ Dominici de Sancto Geminiano, hiſce verbis Sangeorgium jam ſacrâ Purpurâ ornatum commendaverit: „ Inter eos Juris Pontificii Soles ætate „ iſta Dominum Cardinalem Præpoſitum Divi Ambroſii nuncupatum, & Dominum Felinum Auditorem Apoſtolicum, quorum ego corrigiam calceamentorum ſolvere dignus non eſſem; & de quibus „ in jure id meritò dici poteſt, quod de Scipionibus „ in armis Virgilius ſcribit: Geminos duo fulmina „ belli Scipiadas „. Hæc ille. Plures habuit Sangeorgius eruditione inſignes diſcipulos, è quibus iterùm memorandus venit Stephanus de Nottis Humiliatorum Ordinis alumnus, cujus Elogium jam dedimus. Fama igitur celeberrimi Scriptoris, & Juriſconſulti longè latèque diffuſa Sixtum IV. Summum Pontificem movit, ut eum ad Epiſcopales vocaret Infulas: eapropter Alexandrinæ Sedis in Inſubria Præſul eſt renunciatus XV. Kal. Maji, anno Salutis MCCCCLXXIX. Ut verò ad commiſſam ſibi Eccleſiam acceſſit, Cathedralem exornavit, ſacrarium nobili auxit ſuppellectile, atque ut Canonicorum Collegio commodas pararet Ædes, ſolum iis extruendis propè maximum Templum ſuo comparavit ære. At non multò poſt Sixtus eum Romam accitum Sacræ Romanæ Rotæ Auditorem conſtituit, dolentibus Alexandrinis tam pii prudentiſque Paſtoris abſentiam. Summæ æquitatis ſpecimen præbuit in Auditoris munere ſub eodem Sixto, Innocentio VIII. atque Alexandro VI. à quo in ſecunda Cardinalium creatione, quæ incidit in annum Chriſti Domini MCCCCXCIII. diemque XII. Kal. Septemb. inter Purpuratos S R.E. Patres cum Presbyterali titulo Faſciolæ, vulgò SS. Nerei, & Achillei, adlectus fuit. Mediolanenſibus etiam Ducibus acceptiſſimus extitit, quorum nomine ante Cardinalatum ad Matthiam Corvinum Hungariæ Regem Legationem obierat. Fato interim ceſſerat anno MCCCCXCIX. Stephanus Taberna Patricius Mediolanenſis Parmenſium Epiſcopus; ideo Sangeorgius ab Alexandrina ad hanc tranſiit Cathedram anno ſæculari MD. Vix eam adeptus totus in id incubuit, ut non ſolùm optimis moribus gregem imbueret, verùm etiam Epiſcopium ferè à fundamentis inſtauraret, & Cathedralem Baſilicam donariis exornaret. Deinde Patriarcha Hieroſolymitanus eſt conſtitutus, atque anno MDIII. ad Tuſculanæ Eccleſiæ Epiſcopatum aſcendit die XXII. menſis Decembris; quem poſtea cum Albanenſi, & Præneſtino anno MDVII., & ſequenti anno cum Sabinenſi commutavit. Pio III. cujus Comitiis interfuerat, gratiſſimus fuit, nec minor illi extitit gratia apud Julium II. cui ad Pontificatum promovendo ſuffragium tulit. Imò quemadmodum ſub Alexandro VI. Legationem egerat Apoſtolicam Scriptor noſter in Urbe Roma ad componendam populi ſeditionem, ſic ſub Julio II. prædicto iterum eodem auctus eſt honore, tunc cùm hic Pontificatus ſui anno III. Joannem Bentivolum dilectiſſimæ Patriæ meæ Bononiæ Dynaſtam indè expulit, copiis poſtulatis à Ludovico XII. Galliarum Rege ea tempeſtate Mediolani Duce. In utraque tamen Legatione eâ fuit modeſtiâ Joannes Antonius, ut ob Apoſtolicæ Sedis reverentiam nunquam Crucem ſibi præferri, ut Legationis inſigne, pati voluerit. Anno demùm ætatis ſuæ LXX. Salutis verò noſtræ MDIX. die XIV. menſis Martii, doctrinæ præclareque geſtorum nomine clariſſimus, hærede ex aſſe relictâ Societate Salvatoris in Lateranenſi Baſilica, deſideratus eſt. Elatus fuit magnifico funere ad Ædem S. Celſi, atque in ejus exequiis Vir graviſſimus Camillus Porcarius luculentiſſimam habuit Orationem. Tumulus verò hac Epigraphe ornatus cernitur:

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

HIC SEPVLTVM EST CORPVS R. DOMINI
IO. ANTONII DE S. GEORGIO
MEDIOLANEN.
EPISCOPI SABIN. S. R. E. CARDI.
ALEXANDRINI NVNCVPATI
SOCIETAS SALVATORIS AD SANCTA SANCTORVM
HAERES EX TESTAMENTO B. M. POSVIT
MDX. VII. KAL. DECEMBRIS.

Optimè viderunt Ciacconius, Ughellus, aliique locis citandis, quantum lapis iſte Tumulo impoſitus, doctiſſimi Cardinalis patriam indicaret, quoniam verò ad Placentinorum potius partes propendebant, non uno ſubjecerunt loco, mirum non eſſe, ſi in Epitaphio Mediolanenſis appelletur, cùm Inſcriptionis Auctor reſpexiſſe viſus fuerit ad Præpoſituram S. Ambroſii, quâ ante adeptam Purpuram Præſul iſte fulgebat, cujuſque nuncupatio adeò Sangeorgio adhæſerat, ut etiam Cardinalis per ora mortalium ſub appellatione Præpoſiti volitaret. At ſi quæ nos ſupra protulimus, cum his quæ in editionibus mox indicandis occurrunt ſimul conjunxerit Lector, nullus amplius erit ambigendi locus, utrum Auctor laudatiſſimus verè Mediolanenſis, vel Placentinus extiterit. Liquet etiam ex Opere loco I. indicando Referendarii Apoſtolici dignitate auctum fuiſſe Sangeorgium noſtrum, quod nemo hactenus commemoravit.

En tandem eruditionis illius fœtus:

I. Commentaria utiliſſima Præpoſiti ſuper quarto Decretalium, cum Appoſtyllis Domini Benedicti de Vadis de Foroſempronii. *Tridini, apud Joannem de Ferrariis, aliàs de Jolitis, & Gerardum de Zejis*, 1515. *in fol. max* Prodierant jam *Lugduni*, 1490. *Venetiis, apud Bernardinum de Tridino, dictum Stagninum*, 1493 *in fol* tum *Romæ*, & iterum *Venetiis*, 1494. In fine editionis *Tridinenſis*, ſic legitur: „ Explicit „ Lectura ſolemnis ſuper quarto Decretalium: de „ Sponſalibus, & Matrimoniis, edita per Reve„ rendum, ac excellentiſſimum Dominum Joannem „ Antonium de Sancto Georgio Patricium Medio„ lanenſem Sacri Palatii Apoſtolici Auditorem, nec „ non Alexandrinum Epiſcopum, ac Referenda„ rium Apoſtolicum digniſſimum, deinde Cardina„ lem Reverendiſſimum.
Præfixam habet Præfationem, ſive Nuncupatoriam Epiſtolam ad Aſcanium Mariam Sfortiam Vicecomitem, tunc Apoſtolicum Protonotarium, poſtea S. R. E. Cardinalem.

II. Carmen ad eundem Aſcanium Mariam ab eodem Auctore conſcriptum, & ſatis elegans: extat in fine ejuſdem Codicis.

III. Præpoſiti Divi Ambroſii, necnon Cardinalis Alexandrini ſuper Uſibus Feudorum Commentaria nuperrimè caſtigata. *Tridini, apud eoſdem*, 1511. *in fol. max*. Extat etiam cum Baldi de Uſu Feudorum lib. I. *& Venetiis*, 1498 *in fol.*

IV. Commentaria Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini Joannis Antonii Eccleſiæ Divi Ambroſii Mediolanenſis Præpoſiti, & Cardinalis Alexandrini digniſſimi, utriuſque juris Doctoris clariſſimi, ſuper Decretum, noviſſimè haud ſine exactiſſimo labore recognita, necnon Additionibus, Annotationibuſque perutilibus decorata per excellentem Virum Magiſtrum Joannem de Gradibus utriuſque juris Profeſſorem benemeritum. *Lugduni, per Joannem Cleyn Alemannum, impenſis Joannis de Ferrariis, aliàs de Julittis, & Vincentii de Portonariis*, 1511. *in fol. max*. Prodierant jam *Mediol. apud Scinzenzeller, die* 18. *Julii* 1493. *in fol max. & Papiæ*, 1497. In fine ſic legitur: „ Expliciunt Commentaria De„ cretorum; Volumina non minus utilia, quàm „ optimo ſtylo correcta Reverendiſſimi in Chriſto „ Patris, & Domini D. Joannis Antonii de San„ cto Georgio, dicto de Placentia, Patricii Medio„ lanenſis, aliàs Eccleſiæ Divi Ambroſii Mediolani „ Præpoſiti nuncupati, J. U. Interpretis clariſſimi, „ nunc peculiari virtute Cardinalis Alexandrini di„ gniſſimi. Anno Salutis Dominicæ (ſic) *Papiæ impreſſa per Leonardum Gerla MCCCCXCVII a dì* 12. *di Marzo* (ſic) tum recuſa ſunt *Venetiis Tomis III. per Junctas*, 1579. *in fol.*

V. De Appellationibus. *Venetiis*, 1497. *in fol.* citatur etiam in Bibliotheca Claſſica Draudii, his verbis: „ In tit. ſecundi Decretal. de Appellationibus, at„ que in earundem quartum Commentaria, erudi„ tiſſimorum hominum Annotationibus illuſtrata. *Venetiis*, 1579. *fol. regali*.

VI. Lecturæ ſuper Decretales. *Papiæ*, 1497. *in fol.*

VII. Oratio habita in Exequiis Cardinalis Tornacenſis Federici de Cluniaco. *Romæ*, 1483. *in* 4. extat etiam MS. in Ambroſiana Bibliotheca, ſicque inſcribitur: „ Joannis Antonii de Sancto Georgio Epiſcopi Ale„ xandrini, & Sacri Palatii Auditoris Oratio in „ exequiis Reverendiſſimi Domini Cardinalis Tor„ nacenſis habita, atque edita XVII. Kal. Novem„ bris, anno MCCCCLXXXIII. Pontificatus SS. „ D. N. Sixti Papæ V. anno ejus XIII. Cod. ſign. G. num. 89. in fol.

VIII. Ejuſdem Oratio facta in Dominica V. Quadrageſimæ, quæ dicitur de Paſſione, in Capella SS. D. N. Papæ. Extat MS. ibid.

IX. Tractatus multi in varios utriuſque Juris Titulos. Ex Draudio. Hos tamen credimus ipſiſſimos eſſe, qui ſequenti numero recenſentur, ſcilicet

X. De alienationibus, recuſationibus, & relationibus Lecturæ Reverendi Domini Domini Joannis Antonii de S. Georgio; in fine ſic legitur: „ Expliciunt „ Lecturæ Extraordinariæ per Reverendum Domi„ num Præpoſitum S Ambroſii de Mediolano, vo„ catus nomine proprio Joannes Antonius de San„ cto Georgio de Placentia J. U. D eximius, in„ choatæ anno Domini MCCCCLXXII. die XIII. „ Julii, ac ſcriptæ per me Fr. Aloyſ. de la Cruce „ Mediolanenſem Charævallis Monachum iſtis tem„ poribus ejuſdem in Studio Papienſi Auditorem in „ utilem proprium, & Scholarium &c. & finitæ „ anno Domini MCCCCLXXIII. die V. Julii ad „ laudem Omnip. Dei, & V. Matris M. ac totius „ Curiæ Cœleſtis Triumphantis, Amen „ MS. in fol. juſtæ molis litteris rubro-nigris ſignat. S. num. 86. extat in Biblioth. Metropol. Mediol.

XI. Deciſiones plures Sacræ Rotæ; extant autographæ in Archivo Molis Hadrianæ.

Eidem nuncupavit laudatus Stephanus de Nottis Opus remiſſionis à pœna, & culpa; de quo in ejuſdem Stephani articulo verba fecimus.

De ipſo cum laude meminerunt Guidus Pancirolus de Claris Legum Interpretibus pag. 373. Cattellianus Cotta in Recenſion. Jurisinterpretum, in eod. Pancirolo pag. 530. Leander Alberti in Deſcript. Ital. Sanſovinus in Deſcript. Mediol. pag. 439. Boſca de Origine, & Statu Biblioth. Ambroſ. lib. III. Moriggia de Antiquit Mediol. lib. I. cap. 57. num. 23. & in Nobilit. Mediol. lib. II. cap. 2. Iſidor. Iſolanus in Panegyr. Urbis Mediol. pag. 37. Ciacconius in Vit. Pontif. & Card. Tomo III. col. 80. Ughellus pluribus in locis Ital. Sacræ, Sitonus noſter in Chron. J. PP. pag. 55. art. 227. atque in Schedis, Canonicus Iricus in Hiſtoria Tridinenſi, ac in Typographica ſua, & demum Picinellus, aliis etiam citatis, in Athenæo pag. 267.

MDVI.

Digitized by Google

## M D V I.

### SANSONIUS ANTONIUS.

ANtonium Sanſonium, ſive Sanſonum, Nicolaus nobili ſanguine in hac Metropoli ortus genuit, non ad patriæ tantùm, ſed ad aliarum quoque Urbium commodum. Cùm enim ſedulò educatus Juris utriuſque adeptus eſſet Lauream, anno MDXLII. Collegium Juriſperitorum ingredi meruit. Mox eruditionis famâ apud exteras quoque Gentes notus, pingui conſtitutâ mercede ad Patavinum Lyceum evocatus eſt, ubi Leges publicè interpretaretur. Id munus doctiſſimè geſſit non ſine ingenti ſui nominis gloriâ. Cauſarum in Foro patrocinio functus eſt, quare clientum ſuorum utilitati conſulens ſibi quoque perpetuum decus conquiſivit. Multa ſcripſit in Jure, quibus tamen, ne in publicum prodirent, Auctoris obſtitit modeſtia; quamvis ab aliis, ut ita dixerim, rapta nonnulla typis edita fuerint teſte Moriggia mox citando. Obiit in patria anno MDLXXVII. tumulatuſque jacet in Templo SS. Angelorum hac Inſcriptione appoſitâ:

ANTONIO SANSONO I. C.
ET ADVOCATO CELEBERRIMO
SACELLI FVNDATORI
VITA FVNCTO
PRID. ID. NOVEMBR. MDLXXVII.
ANTONIVS VICECOMES SANSONVS
EX FILIA NEPOS P.

Habentur illius:

I. Conſilia Legalia. Hæc ab aliis vulgata laudat Moriggia ut infra.
II. Conſilium in materia Duelli, extat apud Antonium Sanſonium Mediolanenſem, incip. Primo dubitatur. Ex Draudii Bibliotheca Claſſica pag. 689.

De ipſo Moriggia præfatus lib. III. cap. II. in fine Nobilit. Mediol. Sitonus in Chron. Juriſperitorum pag. 111. art. 458. & Picinellus in Athenæo pag. 51.

## M D V I I.

### SANSONIUS HIERONYMUS.

HIeronymus Sanſonius Mediolanenſis, cujus parentum nomina fruſtra hactenus quæſivimus, Deo famulari deſiderans, in Charævallis Suburbano hujus Metropolis Monaſterio celeberrimo Ciſtercienſis Ordinis habitum ſuſcepit. Eidem Cœnobio præfuit infulatus Præſul circa finem Sæculi XV. ut patet ex publicis tabulis locationis bonorum ejuſdem Abbatiæ conſcriptis anno MCCCCXCVI. quæ in Archivo ipſius Aſceterii ſervantur. Cujus eruditionis, in his præſertim rebus, quæ ad ſacros pertinent Ritus, eſſet, optimè noverant majores Ordinis, ideoque demandarunt Hieronymo provinciam ſatis arduam editionis novi Ciſtercienſis Breviarii, atque Diurni, in qua ſparta quid ille præſtiterit facilè Lectores percipient ex verbis in calce ejuſdem Breviarii appoſitis. Reliqua ejus Acta deſiderantur, nam de ipſo Armellinus, aliique Ciſtercienſium Scriptores ne verbum quidem faciunt.



Opera ejus ſunt:

I. Breviarium Ciſtercienſis Ordinis; in fine ſic legitur: „ Breviarium nuper impreſſum o Ciſtercienſes hilariter ſuſcipite. Quæ enim inculta in eo, ac inordinata vertebantur, optimè diſpoſuit Don Hieronymus Sanſonius Congregationis Divi Bernardi Lombardiæ Charævallenſis filius: & quæ per nonnullos jam diu veteres Impreſſores depravata fuerant ſolerti cura caſtigavit, necnon officia quamplurima (ut in præſenti tabula conſpicienti patebit) accuratiſſimè addidit. Valete. „ *Venetiis, apud Franciſcum Ghyrardengum*, 1494. *die ultima Maji*. In membrana, litteris rubro-nigris, & miniaturis auro pictis, extat in Bibliotheca Monachor. Ciſtercienſ. S. Ambroſii hujus Urbis.
II. Diurnum Ciſtercienſe ejuſdem Auctoris, & ejuſdem ætatis, atque Impreſſoris. In pergameno, litteris rubro-nigris, ut ſupra. Ibid.

## M D V I I I.

### SANSONIUS HIERONYMUS alter.

HIeronymum Sanſonium Mediolanenſem Antonius JC. Collegiatus genuit, cùmque optimum filii noſſet ingenium, bonis eum artibus excolendum curavit. Igitur cùm poſt minora litterarum ſtudia Legum tam Cæſarearum, quàm Sacrarum peritiem ſibi comparaſſet Hieronymus, ſummoſque Academicos percepiſſet honores., Juriſperitorum Collegio anno MDLXIV. nomen dedit. Plura geſſit munera, quibus prudentiam ſuam, cæteraſque virtutes magno dignas homine ſatis oſtendit. Etenim Præfectus Urbis extitit anno MDLXXXIX. iterumque anno MDXCVI. tantâ cum laude, ut Pater Patriæ nuncupari meruerit. Grave interim negotium in Urbe Roma, in quo præfati Collegii dignitas periclitari videbatur, agitandum erat; cùmque in eo Cœtu clariſſimo non deeſſent illa tempeſtate, quibus non ſine felicis eventus ſpe provincia hujuſmodi poterat demandari, nullum tamen Sanſonio aptiorem judicarunt Collegæ, quem ad Gregorium XIII. ablegarent. Summam Viro conciliaverat exiſtimationem in foro diuturni laboris perſeverans conſtantia, quæ trepidis clientibus opem ſæpè præſentiſſimam attulerat; ſcientia item ſingularis, & quædam in Principum gratiâ ſibi conciliandâ felicitas. Nec fefellit Collegii expectationem Hieronymus; etenim re ex voto peractâ, communi exceptus gaudio in Patriam remigravit. Præfectus poſtmodum generalis Annonæ in Cremonenſi Provincia conſtitutus eſt, demumque ad Senatoriam dignitatem in ampliſſimo Inſubriæ Patrum Ordine evehi promeruit anno MDXCVIII. Inter ſeria tamen tanti gradus officia Muſas non eſt oblitus, nam Academiam Affidatorum Ticinenſem, cui adſcriptus jam pridem fuerat, doctiſſimâ Oratione inferiùs memorandâ, in nuptiis Margaritæ Auſtriacæ cum Philippo Hiſpaniarum Rege habitâ illuſtravit anno ſequenti. Vitam produxit ad annum uſque MDCVI. quo mortalis eſſe deſiit ultimâ Octobris die. Tumulus ejus adhuc viſitur in Sacello gentilitio magnificè tabulis auroque decorato, in Templo Sanctorum Angelorum hujus Urbis, cum hoc Elogio:



Digitized by Google

HIERONYMO SANSONO REGIO SENATORI
IVRISPRVDENTIA ET ADVOCATIONE PRAESTANTISSIMO
QVI A COLLEG. I. C. AD GREG. XIII. PONT. MAX. LEGATVS
GRAVE NEGOTIVM FELICITER TRANSEGIT
VRBIS PRAEFECTVRA ITERVM GESTA
PARENTIS PATRIAE NOMEN EXCEPIT
SENATORIVM ORDINEM ADEPTVS
EXIMIVM INTEGRITATIS SPECIMEN RELIQVIT
AVVNCVLO AMANTISSIMO
ANTONIVS VICECOMES SANSONVS HAERES
SACELLO T. I. EXORNATO P.
OBIIT. PRID. KAL. NOVEMBR. MDCVI.

Habet poſteritas doctrinæ illius hæc monumenta:

I. Oratio latina in laudem Margaritæ Auſtriacæ. Extat in lib. cui titulus: „ Orazioni, e Poemi dell' Academia Affidata per le Nozze di Margarita d'Auſtria „ con Filippo Re di Spagna. *Pavia*, *per Il Viani*, 1599. *in* 4.

II. Allegationes LXXX. in Collectionibus Solivetæ, aliorumque J. PP. hujus Metropolis, & Ticini.
Laudatur à Melchiore Alciato de Præcedentia pag. 78. num. 103. à Lando de Senat. Mediol. pagg. 202. & 213. à Sitono noſtro art. 556. pag. 131. Chronici J. PP. Colleg. atque à P. D. Gaſpare Beretta in Schedis.

## MDIX.

## SANSONIUS PAULUS.

PAulus Sanſonius Mediolanenſis, quem alii Joannem Paulum dicunt, Minorum, qui Conventuales appellari ſolent, Ordinem ingreſſus, in eo ſic claruit moribus, & ſapientia, ut perinſignem nomini ſuo famam conciliaverit. Summus enim Philoſophus, ac Theologus cùm diſcendo evaſiſſet, Alumnos ipſius Inſtituti præclaras haſce docuit facultates plures per annos in patria. Indicta ſunt anno MDLXXVIII. Generalia Ordinis Comitia Aſſiſii celebranda; cùmque Sanctus Cardinalis, & hujus Metropolis Paſtor optimus Carolus Borromæus per ea tempora Conventualium Protector eſſet, Sanſonium ad illud Capitulum, unà cum Santuccio inſigni ejuſdem profeſſionis Viro, ablegavit. Anno poſtmodum MDXCVII. in Urbe Tarviſio adversùs Hæreticam pravitatem Orthodoxæ Fidei vindex conſtituitur, omniumque primus Prædicatorum Ordinis Alumnis Conſultoris munus in ſacro illo Tribunali conceſſit, quæ dignitas apud eoſdem perpetuò poſtea perduravit. Inſigni ſumptu anguſtas nimium Inquiſitorum Ædes ampliavit, redditusque ad eorum commodum paratos è litibus vindicavit in tutum. Abſens interim in Provinciali Vercellenſi Capitulo anno MDCIV. ipſis Januariis Kalendis habito ad totius Provinciæ Præfecturam aſſumitur, acceptoque electionis ſuæ nuncio,
D primùm datis ad Ordinis ſupremum Moderatorem litteris honori ceſſit, at paulò poſt amicorum precibus victus, novâ conſcriptâ epiſtolâ abdicationem ſtuduit revocare, electo inſuper Commiſſario, quem vocant, Mediolanenſi Provinciæ ſuo nomine præfuturo. Cùm tamen id non jure factum cenſuiſſent Generalia Comitia anno ſequenti Aſſiſii congregata, ad annum uſque MDCXIV. Quæſitor Fidei Tarviſii ſe-
A dit. Inde translatus eſt Patavium, ut ibidem Tribunal ipſum regeret, quod laudabiliter præſtitit donec anno MDCXXII. vitam cum morte commutavit Hydrope aſcite correptus. Qualis fuerit in munere Inquiſitoris, dum Patavii conſtitit, teſtis eſt Jacobus Philippus Tomaſinus Æmonienſis Epiſcopus loco mox citando; ait enim: „ Translatus ipſe ad Sacræ Inquiſitionis munus Patavii, illud arduis temporibus ſummâ prudentiâ exercuit, ob inſignem comitatem gravitati conjunctam Senatoribus Venetis, & primoribus, totique Urbi chariſſimus. „ Hinc proſequitur doctiſſimus Præſul plura de corporis illius ſpecie, adverſaque valetudine, morbum, quo ſublatus eſt, accuratè deſcribens. Notandum hìc obiter, Scriptorem hunc noſtrum à Frehero appellatum fuiſſe
B *Paulum Sanſonium Ordinis Sancti Antonii Monachum*, ideoque non deeſſe, qui eidem ſuccenſeant, quaſi alium pro alio litterariæ Reipublicæ obtruderit. Verumtamen mirari deſinet quicumque adverterit, Minores Patavini Cœnobii ob repoſitum ibi S. Antonii Corpus toto Orbe celeberrimi Alumnos, in ea Urbe paſſim appellari Fratres S. Antonii. Communem igitur vulgi nuncupationem Freherus ſecutus eſt, neque ideo Sanſonium Minoribus rapuit, ut Aſcetis illis origine vetuſtiſſimis, qui Patrem habuerunt Antonium Magnum Ægyptium laudatiſſimum Monachorum Archimandritam, ipſum donaret, ſed à Sancto Antonio, qui Patavinus dicitur, non Fratrem, ſed Monachum, ut puriùs loqueretur, appellavit.

C Scripſit Paulus:

I. Commentaria præclariſſima in Ariſtotelem.

II. Alia in Univerſam Theologiam. Hæc ambo Opera MSS. ipſum adhuc viventem Mediolanenſi ſuorum Cœnobio donaſſe tradit citatus Tomaſinus:
Qui Auctorem laudat in Elogiis Virorum litteris & ſapientia illuſtrium ad vivum expreſſis imaginibus exornata, quæ prodierunt *Patavii*, 1654. *in* 4. quod etiam præſtitere Freherus Tom. I. parte I. pag. 411. Franchinus in Biblioſoph. pag. 547. & P. Mazzucchellus in Schedis.

MDX.

Digitized by Google

## M D X.

## SANTAUGUSTINUS THOMAS.

THomas Santauguſtinus Mediolanenſis & in patria, & alibi ſedulam navavit bonis litteris operam. Inter alias facultates, quibus excultus fuit, Leges potiſſimùm coluit, peractoque earum curriculo in Academia Ticinenſi, cùm repentino bello Urbs illa turbaretur, nec ullus litteris jam ſupereſſet locus, lauream ſuſcepit in Aula Collegii Juriſconſultorum hujus Metropolis. Utramque interim Minervæ artem ſecutus Catholici Regis ſtipendia meruit, tum pluribus in negotiis etiam arduis ab Ampliſſimo Conſcriptorum Patrum Ordine adhibitus, Caſtrileonis præturam biennio geſſit tanta cum integritatis, & prudentiæ commendatione, ut in officio confirmari meruerit. Præter Juriſprudentiam, Hiſtoriæ, atque Matheſis peritiſſimus fuit, Geographiam, & Aſtrologiam egregiè calluit. Tam gratus fuit Chriſtinæ Alexandræ Suecorum Reginæ, ut ingenium ejus admirata Princeps laudatiſſima Thomam inter familiares ſuos adſciverit. Emortualem hujus Scriptoris annum nemo prodit; cùm tamen Reginæ anno MDCLXXXIX defunctæ ſuperſtes fuerit, & Picinello ſcribente trigeſimum ætatis annum non excederet, facilè patet, eum è vita migraſſe poſt præſentis ſæculi initium. Sanè ex infra dicendis, id clariùs evincitur.

Ejuſdem Opera ſic inſcripta reperimus:

I. De Sportulis Cavalcatæ, ſive de Impenſis Equeſtris acceſſus Tractatus Thomæ Santauguſtini J. C. Mediolanenſis Duodecim Concluſionibus, quo diſſeritur de Sportulis in genere; de Eſculentis, & Poculentis; de Salario diurno; de Honorariis; de Xeniis; de Delegatis Principis; de Judicibus Ordinariis; de Judicibus Pedaneis; de Juriſdictione delegata; deque variis, & extraordinariis Executoribus. Duabus autem poſtremis Concluſionibus quando, & à quibus impenſæ Equeſtris acceſſus debeantur. Utilis Judicibus, & aliis omnibus in foro Criminali verſantibus, & eruditionibus nondum fortè diſcuſſis exornatus, cum Epiſtola Nuncupatoria Excellentiſſimo Viro Franciſco Moles Duci de Parete &c. & Mediolani Supremo Cancellario, necnon approbatione Petri Pauli Bonetti -- ſic „ Opus hoc legi, atque perlegi, & „ non ſpernendæ utilitatis illud exiſtimo; gratu„ lorque auctori tam ingenioſo, & erudito. An. „ MDCLXXXII. „ MS. in fol. magnæ molis prælo paratus penès Co. Gabrielem Verrum, in toto Mediolanenſi Dominio Fiſci Patronum, in cujus fine Scheda legitur his verbis concepta: „ Libri, che „ Stampa, ed ha preparato per le Stampe in „ Venezia il Dottor Tomaſo Santagoſtini Aſtro„ nomo, e della Famiglia nobile della fu Criſti„ na Aleſſandra Regina di Svezia.

II. L'Impoſſibile fatto poſſibile ſopra la dimoſtrazione del vero Anno, Meſe, Lunazione, e Giorno della Santiſſima Crociſſione, e Morte di Gesù Criſto; ſua Naſcita nell'anno XLII. di Ceſare Auguſto, e ſuo ſanto Batteſimo ſeguito nell' anno decimoquinto dell'Imperio di Tiberio Ceſare, contra l'aſſerzione di moltiſſimi Teologi, Cronologi, e Scrittori di pubblica fama nel Mondo Letterario.

III. Il Mondo creato nella Primavera dell'anno MMMML. avanti la naſcita del Redentore, ond'ebbe il ſuo principio l'Era volgare Dioniſiana, con un Compendio Cronologico de' Santi Patriarchi, che viſſero avanti, e dopo il Diluvio Univerſale, veri tempi d'Abraamo, Iſaac, Giacobbe, Repubblica Giudaica ſotto li Giudici, Re d'Iſraele, di Giuda, ſino all'ultimo de' Maccabei, cui ſucceſſe Erode Aſcalonita, che fu al tempo del nato Redentore.

IV. Il Mondo Criſtiano, con un Compendio de' Sommi Pontefici ſucceſſori di S. Pietro, Sciſmi, Antipapi, Concilj Generali, Riti di S. Chieſa, Perſecuzioni del Criſtianeſimo; Eretici, ed Ereſie loro; Ordini de' Religioſi, Uomini grandi, e coſpicui per ſantità, e per dottrina, ed altre coſe notabili, e degne veramente d'Iſtoria.

V. Compendioſa Serie degli Patriarcati di Coſtantinopoli, Aleſſandria, Antiochia, Geruſalemme, ed altri affari delle Chieſe d'Oriente, col Riſcontro degl'imperadori Orientali incominciando dal Magno Coſtantino, ſino al Gran Turco regnante, con altri avvenimenti rimarcabili notati dalli più famoſi Iſtorici che viſſero, e ſcriſſero dopo la naſcita di Criſto.

VI. Gli quattro Regni della Spagna, Francia, Scozia, ed Inghilterra, incominciando da' Viſigotti, Re di Leone, di Navarra, Caſtiglia, Aragona; da Feramondo, Pipino, Carlo Magno, Ugo Capetto, ed Enrico IV. di Navarra; da Fregoſo I. Re di Scozia, Cerdicio I. d'Inghilterra, Normanni, Conti d'Angiò; unione delle Roſe Bianche di Jorch, e Roſe di Lancaſtre, e delli due Regni d'Inghilterra, e di Scozia, ſino al tempo preſente.

VII. Miſcellanee de' Gotti, Oſtrogotti, Unni, Vandali, Ongari, Caſa Auſtriaca, Ottomana, Saſſonia, Venezia, Savoja, Fiandra, Borgogna, Normandia, Baviera, Luneburgo, Lucemburgo, Lorena, Brabante, Boemia, o Baden, Sicilia, Napoli, Moſcovia, Svizzeri, Milano, Ferrara, Modena, Vittemberga, Tranſilvania, Mantova, Fiorenza, Parma, Ollanda, ed altri Stati, e Ducee dell' Europa ec.

VIII. Della Coſmografia dell'Univerſo, Sfera Armilare, Geografia del Globo Terraqueo, Concordanza della Sfera Celeſte con la Terreſtre, e Maritima; Situazione, e diſtribuzione delle Provincie cognite, con la pratica delle loro miſure, e diſtanze, mediante i paralelli delle dichiarazioni dell'Equatore, latitudini dell' Eclitticà, elevazioni Polari, Orizonti, e Meridiani, con un Diſcorſo ſopra il Buſſolo Navigatorio.

IX. Del Moto regolare, ed inalterabile de' Pianeti dall' Oriente all' Occidente, confutazione del moto ratto del primo Mobile; quiete perpetua delle Stelle dell' ottava Sfera, Stampelle Copernicane delle Proſtafereſi, o ſianſi Equazioni di giorni naturali, ed anticipazioni degli Equinozj, con le tavole Metro-Armoniche de' ſecondi Mobili ſupputati al Meridiano di Roma.

X. Della noviſſima Epatta Luni-Solare regolata dall' anno MMMML. avanti la naſcita di Criſto conſtantiſſima, e perpetua ſino alla poſſibile durazione del Mondo creato, con il Riſcontro di varie Eccliſſi, onde ſi ricavano avanti la Redenzione i veri anni Greci delle Olimpiadi, d'Aleſſandro Magno, de' Seleucidi, Egizj di Nabovaſſare, Romani di Romolo, e Numa Pompilio, Ebraici della Riforma di Eleazaro, ed altri ſino all'anno Tropico Solare di Giulio Ceſare.

Exhibet poſtmodum ſe Auctor ad proſequendum Ephemerides Andreæ Argoli ab anno Sæculari MDCC. ad annum MDCCC. ſupputatis horis & minutis omnium aſpectuum Lunæ cum Sole, aliiſque Planetis, ipſorumque Planetarum inter ſe, ad inſtar earum quæ prodierunt Lugduni, cum exactiſſima ſupputatione Eclipſium, ſublatis Aſtronomorum controverſiis.

Hactenus, pergit citata Scheda. Addimus laudatis Operibus ea, quæ profert Picinellus, aſſerens actu in Correctorum manibus fuiſſe dum ipſe Athenæum concinnaret, videlicet:

XI. Lira ſepticorde celeſte. Continebantur hoc opere plurium vaticiniorum explicationes ex caballiſticæ doctrinæ arcanis deſumtæ: eruuntur enim ex ſeptennario numero quæcumque accidere poterant ab anno MDCLXVI. in poſterum.

XII. Manuale Prætorium. Conciliabantur in hoc Volumine Municipalia hujus Metropolis Jura, Moderatorum Regionum Edicta, & Senatus Inſubriæ Sanctiones, & Prætoria Praxis oſtendebatur.

Hæc dum ſcriberem ab amiciſſimo, ſtudiorumque præſertim poëticorum amantiſſimo Carolo Antonio Tantio, qui ob ſuum in patriam bonaſque artes amorem, egregium parat Opus, Monumenta ſcilicet, atque Specimina Poëtarum Mediolanenſium magno ab ſe labore, miraque diligentia undique collecta, monitus fui Thomam hunc Santauguſtinum ſub anagrammatico nomine *Sottogiſnio Manaſta* hæc partim edidiſſe, partim verò prælo paraſſe.

XIII. Non v' ha miel ſenza Moſche, Comedia. *Milano*, *in* 12.

XIV. Il Gerione amoroſo. *Milano*, *preſſo il Monza*, 1670. *in* 12.

XV. Chi ha Donna, ha Danno, Comedia, *in* 12.

XVI. Il Titolo non ſi ſa; Comedia. *Milano*, *preſſo il Monza*, 1673. *in* 12.

Hæc typis erant in promtu.

XVII.

XVII. Chi la fa l'aſpetta; Comedia ricca di molti intrecci.
XVIII. Il Matrimonio nel Duello; Dramma per Muſica.
XIX. Un Gruppo di XII. Intermedj giocoſi in verſi.
XX. La Sala degli Incanti; Operetta aggiuſtata ſenza mutazione di Scena, con VI. Perſonaggi, che poſſono eſſere recitati da tre ſoli Perſonaggi.
XXI. Eſercizj Spirituali divotamente ſtimolati dall' Oratoria, e dal Metro. MS. in fol. penès ſupradictum Co. Verrum Patronum meum eximium.
XXII. Omelia ſopra il Salmo LIII. di Davide. MS. penès eumdem.

Laudatur ab Abbate Boſello in lib. ſuo de Monarchia Auſtriaca, à P. Meazza de Academia Faticoſorum, in qua Auctor noſter appellabatur *l' Aggravato*, à Joanne Baptiſta Blanchinio in nobilitate Collegii Cauſidicorum, & Tabellionum Mediol. atque à citato Picinello in Athenæo pag. 506.

## MDXI.

## De SAPIA, ſeu de SAVIA ANRICUS.

ANricus de Sapia, ſive de Savia cognomento dictus, atque, ut videtur, in perinſigni Oppido Variſienſi natus, Sæculo XIII. in finem vergente floruit. Relatus inter Clericos ob doctrinæ morumque præſtantiam anno MCCLXV. ſedente in Ambroſiana Cathedra Othone Vicecomite, Collegiatæ Eccleſiæ prælaudati Oppidi, quæ Sancto Martyri Victori eſt conſecrata, Præpoſituram obtinuit. In eadem Eccleſia à primo juventutis flore ad extremum uſque ſenium divinis miniſteriis ſe vacaſſe, in quibus annos LXX. jam inſumſerat, cùm Opus mox memorandum conſcripſit, Auctor idem teſtatur; ex quo etiam colligi poteſt, Variſii ipſum diem primam vidiſſe. Mirum quantùm luminis afferat ad cognoſcendas nedum Collegii ſui conſuetudines vetuſtiſſimas, ſed etiam ad Ritus eo tempore ab Eccleſia Ambroſiana ſervatos elucidandos; quæ omnia diligentiſſimè perſecutus eſt Anricus noſter. Incidit obitus illius in annum Reparationis humanæ MCCLXXXVII.

Scripſit autem:

I. Relationem ad laudatum Otthonem Vicecomitem Archiepiſcopum Mediolanenſem. Narrat in ea, ut diximus, Conſuetudines varias Eccleſiæ Variſienſis, & recenſet quoſdam Canones annuos ab ea Archiepiſcopis pendendos. Item Canones, quos viciſſim Archiepiſcopi Capitulo Variſienſi perpendebant. Extat MS. in Collectione Diplomatica humaniſſimi Nicolai Sormani Ambroſiani Collegii Doctoris.

## MDXII.

## De SAPORITIS GUILLELMUS.

ALbertonum de Saporitis, qui etiam Albertus, & Ubertus pro Scriptorum libito dictus reperitur, quique Conſulari munere anno MCCXI. in Mediolanenſi, ac Prætorio officio in Placentina Urbe anno MCCXXVIII. functus eſt, Patrem habuit Guillelmus Vir in gerendis publicis negotiis ſummâ prudentiâ præditus, & prout illa ferebat ætas eruditionis, & eloquentiæ non infimæ. Geſſit & ipſe in hac Patria ſua Conſulatum anno MCCXXI. quo etiam maximi ponderis legationem ad Vercellenſes obivit. Eo Conſule, ejuſque mandato Guillelmus de Puteo Civis Mediolani judicialem poſſeſſionem iniit; legitur enim in quibuſdam tabulis receptis per Tabellionem publicum Girardum filium qu. Petri de Roncho die X. Maji ejuſdem anni: „ Anricus Mancaſſia Servitor Communis Mediolani ex præcepto „ Domini Gullielmi Saporiti Conſulis Mediolani de-
„ dit corporalem poſſeſſionem Domino Gullielmo de „ Puteo iſtæ Civitatis &c. prout teſtatur Cl. Sitonus loco inferiùs enunciando. Tum anno MCCXXIX. dum Placentino Populo Jus diceret, ejuſdem nomine ad Mediolanenſes Legatus adfuit, tunc cùm coràm Henrico Septalio Ambroſianæ Eccleſiæ Præſule commendatiſſimo, atque Sedis Apoſtolicæ Legato, XII. Langobardiæ Civitates pro Sancta Romana Eccleſia adversùs Cremonenſes, Parmenſes, ac Mutinenſes fœdus ſanxere. Ex Placentina Prætura reverſus in Patriam multos poſt annos ſcilicet MCCXLIX. pro Mediolanenſi Republica ad Novocomenſes Legatus mittitur; initoque cum eiſdem fœdere commiſſam ſibi provinciam feliciter abſolvit; nam XVIII. Kal. Auguſti, inſtauratâ pace, ſublatum eſt bellum, quod inter geminas haſce Urbes undecim annos, magna cum hominum ſtrage, crudeliter exarſerat. Collegas in hac poſtrema Legatione habuit Guillelmus Amizonem Maynerium, Muſam Muſatium, Provinum Incoardum, Jacobum Terzagum, Guillelmum Serazonum, Burrum de Burris, atque Petrum de Richis. Filios habuit Guillelmns noſter Conradum, Rolandum, Caſtellinum, atque Lodriſium, qui adverſæ fortunæ caſibus agitati, ob mutuas Vicecomitum, & Turrianorum diſcordias ex natali Inſubrico ſolo in Liguſticum commigrarunt, firmatiſque in Urbe Genuenſi laribus nobiliſſimæ Gentis adhuc ætate noſtra ibi florentis propagarunt ſobolem, idque accidit labente jam Sæculo XIII. Latet extremus Guillelmi annus, cæteraque tanti Viri geſta memoriam poſterorum effugerunt.

Eloquentiæ autem illius teſtimonia ſuperſunt in Orationibus ab eo habitis occaſione Legationum, quas inter memoratur

I. Oratio anno MCCXXIX. Placentinæ Reipubl. nomine recitata Mediolani, cùm ſancitum eſt fœdus, de quo jam diximus; cujus meminerunt Scriptores aliquot infrà laudandi.

Ejus memoriam non ſine commendatione ſervarunt poſteritati Gualvaneus de la Flamma in Chron. Minori. & in Manip. Flor. cap. 261. Bernardinus Corius in Hiſt. Mediol. ad ann. MCCXXIX. Umbertus Locatus in Chron. Placent. pag. 35. Petrus Maria Campus in Hiſt. Eccl Placent. Tom. II. lib. 17. pag. 143. Primus Aloyſius Tattus in Annal. Sacris Civit. Comi Tom. II. lib. 9. pag. 651. num. 27. Raphaël Fannianus Tom. VII. pag. 263. Comes Octavius Archintus in Collect. Monument. Famil. Mediol. litt. S. & noviſſimè JC. & Advocatus Joannes de Sitonis de Scotia in lib. ſuo, cui titulus: „ Saporitæ Gentis ex Inſubribus apud Ligures præclaræ Genealogicum „ Stemma „ edito *Genuæ, apud Joannem Franchellum*, 1725. *in fol. pagg.* 12. & ſequentibus.

## MDXIII.

## à SARTIANO ALBERTUS.

ALbertus à Sartiano dictus, ſeu ut alii ſcribunt de Sarthiano, quòd in eo Oppido Seraphicum aſſumſerit Inſtitutum, Mediolanenſem Urbem, in qua natales habuit, plurimùm decoravit; etenim eruditionis, ac ſanctitatis laude præfulgens toti profuit Eccleſiæ Dei. Adhuc puerulus à Patre oblatus eſt Ordini Minorum; quapropter cùm inter bonarum artium ſtudia adoleviſſet, ſub diſciplina Guarini Veronenſis in Latinis, atque Emmanuelis Chryſoloræ in Græcis litteris eruditus, ingenii ſui, quod ſatis acre ſortitus fuerat, plura dedit ſpecimina. In præfato Oppido Sartiani in Thuſcia, quò deductus fuerat à Patre, Conventualium ſuſcepit habitum, ſed perfectioris vitæ deſiderio ductus, trigeſimo ſuæ ætatis anno, ad Obſervantes tranſire decrevit. Id ubi geſſit, inter Minores vitæ integritate, atque eruditio-

nis

Digitized by Google

nis commendatione floruit, atque Sacras Litteras à Divo Bernardino Senenſi didicit. Interim Poggium Florentinum celebrem in Litteraria Republica Virum, qui Minores Obſervantes nuncupatos graviter, & publicè laceſſebat, heroico Carmine confutavit, & Antonii Panormitæ librum, ex quo plurimùm Juventuti damnum imminebat, omnino ſupprimendum, obliterandumque curavit. Fœminarum in veſtibus luxum, impetrato ab Eſtenſi Principe decreto, cohibuit. Verbum Dei ſummo zelo accenſus diſſeminavit pluribus in Urbibus Italiæ etiam primariis, in quibus magnam adoleſcentium multitudinem à ſæculi abſtractam illecebris, ad amplectendam Ordinis ſui Regulam, felici prorſus eventu, hortatus eſt. Plurima quoque Cœnobia à fundamentis excitavit non in Italia ſolùm, ſed etiam in Oriente, videlicet in Cretenſi Inſula, Hieroſolymis, Byzantii, in Ægypto, aliiſque Eois regionibus. Eas in oras contenderat ab Eugenio IV. cum Apoſtolici Legati poteſtate miſſus, ut Hieroſolymis præſertim conſiſtens Catholicæ Religionis negotia curaret, atque Infidelium motus obſervans, opportunè moneret Pontificem, impendentibus calamitatibus conſulturum. Noverat Eugenius Alberti noſtri probitatem cum pari doctrina conjunctam, anno idcirco MCCCCXXXI. ei dederat in mandatis, ut adversùs Turcas ſacram expeditionem è ſuggeſtu proponeret; quod munus ſic geſſit, ut non rarò ad ejus conciones audiendas L. & ampliùs hominum millia confluxiſſe perhibeantur. Septennio poſt ejuſdem Pontificis Eugenii juſſu legationem obivit, cum XL. aliis ſui Ordinis Viris, ad Æthiopum, ſeu Abyſſinorum Monarcham. Tum ad Orientales Indos, & circumpoſita Regna ipſo Eugenio mittente perrexit, ubi fuit biennio, plurimoſque Schiſmaticos, & Hæreticos ad ſanam perduxit mentem. Exinde anno MCCCCXL. reverſus in Italiam Concilio Florentino interfuit, unà cum Andrea Ægyptio S. Antonii Monaſterii Abbate, & præfati Abyſſinorum Imperatoris Legato. Adſuerunt etiam Jacobitæ, Armeni, Græci, aliique, multitudinem quorum ſatis inſignem Albertus ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam, unitatemque perduxerat. Ob linguarum peritiem, inter Orientales, atque Occidentales conſtitutus eſt Interpres, mirantibus univerſis Concilii Patribus profundiſſimam in eo Theologiæ, & exterorum Idiomatum ſcientiam. Celebrandum poſtea Generale ſui Ordinis Capitulum erat Patavii, quaprópter Eugenius Pontifex ipſi Præſidem dedit Albertum, ut ex infra laudandis Epiſtolis patebit, è quibus etiam cognovimus eundem Vicarii Generalis ſuorum munus ab Apoſtolica Sede ſibi demandatum geſſiſſe. Habuit in eo Capitulo Sermonem elegantiſſimum, cujus inter Opera illius recurret memoria. Demum toti notus Catholico Orbi, totque pro Fide Chriſtiana laboribus exantlatis illuſtris, cùm reverſus eſſet in patriam, XV. Auguſti menſis die, Æræ Chriſti anno MCCCCL. piiſſimæ vitæ curſum conſummavit, totque miraculis claruit, ut apud Suos Beati vocabulo nuncupetur. Corpus illius in Conventu S. Angeli, tunc extra Urbis mœnia ſito, conditum fuit, mox intra Civitatis ambitum tranſlato Cœnobio, oſſa illius quoque ad novam Ædem deportata fuiſſe conſtans apud Minores traditio eſt. Locus tamen, ubi nunc requieſcant, ignoratur. Monemus hìc obiter à Clariſſimis Viris Bollandi Continuatoribus in Tomo I. Act. Sanctor. menſis Aprilis die VI. hæc adnotata fuiſſe pag. 646. „ In Conventu „ S. Angeli Mediolani duos hoc tempore Albertos „ concionatores floruiſſe Wadingus dicit, & ab Ar„ turo referuntur in Martyrologio Franciſcano; al„ ter Morigius cognomento XXVI. Junii, qui flo„ ruit circa annum MCCCCXLVIII. alter Sartia„ nenſis à patria dictus, cujus ibidem ſepulti etiam „ miracula memorantur, anno MCCCCL. XV. Au„ guſti mortui, ad quem Mediolani audiendum ad „ LX. hominum millia aliquando confluxerint. Suſ„ picamur unum, eundemque eſſe &c. „ Verumtamen eos diſtinguendos eſſe mortis dies, annuſque diverſi apertiſſimè clamant, & Scriptores doctiſſimi allucinati ſunt, exiſtimantes Albertum patria Sartianenſem fuiſſe, cùm verè Mediolani natus ſit, ut plurimi inferiùs citandi teſtantur; cùmque Albertus Moriggia nunquam in Orientem ſe contulerit, ut patet ex his quæ de ipſo habet conſanguineus illius Paulus Moriggia; agens enim de Alberto affine pluribus in locis Operum ſuorum, præſertim verò in Nobilit. Mediol. lib. I. ac in Summario Rerum Memorabilium Civitatis Mediol. cap. III. nuſquam, aliis actibus ejus relatis, hujuſmodi itinerum meminit, quod certè feciſſet contribulem ſuum laudaturus. Sed de his jam ſatis. Nunc ad Alberti noſtri Opera gradum facimus.

Ea ſunt:

I. Tractatus de Pœnitentia.

II. Tractatus de Euchariſtiæ Sacramento ad Patres Ordinis.

III. Tractatus de Conditione amicitiæ, & de malitia invidentiæ.

IV. Tractatus, quod nihil nocet ad virtutem humili loco naſci. Ad Antonium Rhaudenſem, ut in ejus articulo diximus.

V. Tractatus de Inſolentibus corripiendis.

VI. Tractatus contra Martyrum vituperatores. Ad Eugenium IV. Summum Pontificem.

VII. Sermo habitus in Comitiis Generalibus Ordinis Patavii celebratis anno Domini MCCCCXLIII.

VIII. Plures Epiſtolæ ad eundem Eugenium IV., & ad varios Antiſtites; maximè verò ad Chriſtophorum Epiſcopum Ariminenſem eidem Eugenio ab intimis conſiliis. Mixtæ ſunt è Latinis, & Græcis.

Hæc omnia MSS. in Collegio Fratrum Minorum Hibernenſium S. Iſidori aſſervantur, ex S. Angeli Mediolanenſis Civitatis Fratrum eorundem Obſervantium Bibliotheca erepta, ac Romam tranſmiſſa. Sic VVading. in ſuo Cathalogo Scriptorum Ord. Minor. pag. 6. Tom. V. Annal. ad annum MCDL. §. 12. Picinellus verò ſcribit ea ſervata fuiſſe in Conventu Capiſtranenſi.

IX. Epiſtola ad Franciſcum Barbarum Venetum, in qua nunciat ſe Cives Brixienſes ad pacem revocaſſe. Data Brixiæ V. Id. Januar. MCCCCXLVI. Extat apud cit. VVading. Tom. XI. Annal.

X. Alia ad Flavium Blondum tunc Eugenii IV. à Secretis: Rogat, ut faveat fratribus duobus, quos ad Pontificem mittit pro licentia excitandi Monaſterium Sacrarum Virginum in Urbe Brixia. Data ibidem XX. Januar. MCCCCXLVI. Extat loco cit.

XI. Altera ejuſdem ad Fratres de Obſervantia, quibus nunciat Eugenium IV. ſibi reſpondiſſe, licere eiſdem uti Calicibus, Crucibus, Sacris Veſtibus, & aliis pretioſis ad Divina ſpectantibus. Data ex Loco Sancti Stephani extra Ferrariam XIII. Julii MCCCCXXXV. Extat ibid. Tom. X.

XII. Apologia contra Poggium Florentinum heroico compoſita Carmine

Opera verò omnia prodierunt *Romæ*, *apud Patricium Duffium*, 1688. quibus præfixa eſt Auctoris Vita à Franciſco Haroldo conſcripta. Teſtibus Bollandiſtis in Tom. III. Auguſti in Appendice ad diem XV. ejuſdem menſis, pag. 199.

Eugenii IV. ad eundem, quem conſtituit Commiſſarium Apoſtolicum in partibus Orientalibus Indiæ Æthiopiæ, & Hieruſalem Epiſtola. Data Florentiæ II. Kal. Septemb. MCCCCXXXIX. Extat apud VVading. Tom. XI.

Alia ad eundem, quem creat Præſidem Capituli Generalis. Data ibidem XVI. Kal. Auguſti MCCCCXLII. Extat ut ſupra.

Alia ad eundem, quem eligit Vicarium Generalem Ordinis ſub eadem data. Extat ibidem.

Agunt de ipſo Rodulphinus Tuſſianenſis in hiſt. Seraph. Relig. lib. I. pag 72. Henricus Villot in Athenis Orthodox. Sodalitii Franciſcani pag. 8. Martyrol. Franciſc. ad diem XV. Auguſti; VVadingus in Annal. Minor. pluribus in locis; Poſſevinus in Appar. Sacro litt. A. pag 35 Boſca in Martyrol. Mediolanen. in notis ad diem XV. Auguſti num. 2. ubi plures citantur de ipſo ſcribentes; Baptiſta Cariſius in Theatro Sacro, & Picinellus in Athenæo pag. 8.

## MDXIV.

## SAULIUS ALEXANDER.

Alexander Saulius origine Januenſis ex Dominico (qui anno MDXXXIII. creatus eſt Mediolani Civis ex Inſtrumento penès Clariſsimum Sitonum) & Thomaſina Spinula nobiliſſimis conjugibus, Mediolanum habitantibus, ut Franciſco II. Sfortiæ Inſubrium Duci morem gererent, in hac Urbe anno Salutis humanæ MDXXXV. die XV. menſis Februarii primam hauſit lucis uſuram. Infantiam egreſſus celeberrimis in Litteraria Republica Viris Julio Camillo Delminio, atque Joanni Baptiſtæ Raſario erudiendus traditur. Sub optimis hiſce Præceptoribus Italicam, Latinam, & Græcam linguam edoctus, ad Theologicas Quæſtiones, & Sacrorum Voluminum ſtudia animum, atque ingenium, quo erat acutiſſimo præditus, diligentiſſimè præparavit. Eloquentiæ quoque præcepta ſedulus audivit, tum paternis è laribus ad Ticinenſem Academiam perrexit, ibique Philoſophiæ, atque Juri Cæſareo, ac Pontificio vacavit. Anno ætatis ſuæ XVII. die XV. Auguſti Aſſumptæ in Cœlum Virgini Sacro Clericis Regularibus Congregationis Sancti Pauli Decollati in Collegio Sancti Barnabæ adſcriptus fuit. Sancti Thomæ Aquinatis Summam tam attentè pervolutabat, ut eam fermè totam memoriæ commendaſſe perhibeatur. Emenſis ſtudiorum omnium curriculis publicè Theſes Logicas, Phyſicas, Metaphyſicas, atque Theologicas adſtante Senatu ampliſſimo propugnavit. Sancti Pauli Epiſtolas in eodem Collegii ſui Templo pomeridianis Feſtorum dierum horis populo explicavit, confluentibus ex Urbe univerſa Auditoribus, è quibus non paucos ad melioris vitæ tramitem non eloquentia ſolum, ſed etiam exemplo traxit. In Urbe Ticinenſi Collegium Inſtituti ſui ſub titulo Sanctæ Mariæ de Canevanova excitavit, & in ejuſdem Civitatis Archigymnaſio Sacræ Theologiæ Doctor eſt renunciatus. Supradicto Papienſi Collegio maximè profuit; nam Templum ſtructura nobile perficere ſtuduit, atque Bibliothecam lectiſſimis voluminibus auxit. Eum Hippolytus Rubeus, tunc Ticinenſis Epiſcopus, poſtmodum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Theologum ſuum, & Synodalem Examinatorem conſtituit, neque unquam ſine Saulio aut Diœceſim luſtravit, aut Concilia celebravit. Anno MDLXVII. Generalis Præpoſitus toti Congregationi præficitur, quod Sancto Carolo Borromæo fuit acceptiſſimum, qui eundem anno MDLXV. Mediolanum acciverat, ut ejus opera in Provinciali primo Concilio uteretur; quemadmodum etiam in graviſſimis aliis negotiis vigilantiſſimo Præſuli Alexander adſtitit. Epiſtolas S. Pauli iterum ipſo Sancto Carolo jubente in Metropolitana interpretatus eſt, tantique fuit apud Sanctiſſimum Cardinalem, ut eum in Confeſſarium ſuum elegerit. Templum ſæpè dictum Sancti Barnabæ plaſtico opere auroque decoravit, ſacriſque Reliquiis exornavit, quas ab eodem S. Carolo dono ſuſceperat. Ejus virtutum atque doctrinæ fama permotus Sanctus Pontifex Pius V. ad Alerienſem Eccleſiam in Inſula Corſica promovit, & illum ipſe S. Carolus die XII. Martii anni MDLXX. ſtatis ceremoniis in Baſilica Metropolitana Epiſcopum conſecravit. Ad ſuam ut pervenit Eccleſiam, paſtorali ſollicitudine, & perenni labore eam ſic rexit, ut illius Inſulæ Apoſtolus jure merito fuerit appellatus. Archiepiſcopatum Januenſem, & Derthonenſis Urbis Epiſcopatum oblatos humiliter recuſavit. Sed jubente Gregorio XIV. Papienſem Cathedram aſcendere coactus fuit anno MDXCI. Eam Eccleſiam brevi licet tempore adminiſtraverit, multa tamen in univerſa Diœceſi ſanctitatis reliquit veſtigia, dumque eam luſtraret in Oppido Calozzi die XI. Octobris anno ſequenti piiſſimè evolavit in Cœlum. Corpus, ut ipſe tabulis ſupremis mandaverat, in Cathedralem ſuam illatum ante Majoris Aræ cancellos repoſitum fuit hac Inſcriptione impoſita:

ALEXANDRO SAVLIO
CLERICO REG. S. PAVLI
ALERIENSI PRIMVM
DEINDE TICINENSI EPISCOPO
DOCTRINA ET RELIGIONE EXCELLENTI
COLLEGIVM S. MARIAE CORONATAE
PATRI AC FRATRI B. M. P.
OBIIT ANNO AETATIS SVAE LVIII.
V. IDVS OCTOBRIS
MDXCII.

Aliam ipſe ſibi paraverat, priuſquam ad Ticinenſem Eccleſiam transferretur, in hæc verba:

ALEXANDRI EPISCOPI ALERIAE CINERES
VSQVE AD DIEM RESVRRECTIONIS.

Optimum, numeriſque omnibus collaudandum Præſulem Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. Pont. Maximus, quem ad Eccleſiæ ſuæ decus, & utilitatem diutiſſimè Deus ſervet incolumem, Beatorum albo die XXIII. Aprilis, anno MDCCXLI. adſcribendum decrevit.

Ipſum laudavit in funere Jacobus Antonius Caroli ex eadem Congregatione Sancti Pauli Decollati, & Sancti Philippi Nerii, Alexandri noſtri amiciſſimi, Alumnus. Dominici ejus Patris Epitaphium viſitur in Templo Sanctæ Mariæ Gratiarum hujus Urbis, eamque exſcripſimus ex Collectione Comitis Octavii Archinti.

D. O. M.
DOMINICVS SAVLIVS GENVENSIS
FRANCISCO II. MEDIOLANI DVCI
SAPIENTISSIMO
OB PERPETVVM ET SINGVLARE
IN SE STVDIVM
CHARISSIMVS
QVI AMICI PRINCIPIS
VT APVD SE ESSET
ROGATV
IN HANC VRBEM COMMIGRAVIT
MONVMENTVM HOC SIBI
DILECTISSIMAE VXORI
POSTERISQVE V. P.

Scripta illius hæc ſunt:

I. Coſtituzioni del Veſcovo di Aleria. *Genova, preſſo Antonio Belloni*, 1571. *in* 4.

II. Iſtruzione compendioſa, e breve, per quelli, che ânno ad eſſere Ordinati, ed ammeſſi alle Confeſſioni. *Genova*, 1571. e con aggiunta, *ivi*, 1578. *in* 4. ſeconda impreſſione, & denuò *Milano, per il Malateſta*, 1699.

III. Iſtruzione breve delle coſe neceſſarie alla ſalute: *Pavia, per il Bartoli*, 1577. *in* 8.

IV. La ſteſſa con nuove aggiunte. *Genova*, 1578. *in* 4.

V. Dot-

V. Dottrina del Catechiſmo Romano (in Dialogi formam). *Pavia*, 1581 *in* 8. Seconda impreſſione *Milano*, *per il Malateſta*, 1699. *in* 4.
VI. Lettera Paſtorale alla Città, e Diocesi di Pavia, 1591. *in* 4.
VII. Lettera Paſtorale al Clero della Città e Diocesi di Pavia. *Ivi*, 1591. *in* 4.
VIII. Lettera Paſtorale alle Monache della ſteſſa Città e Diocesi. *Pavia*, 1592. *in* 4.
IX. Tractatus Theologicus. MS. in fol.
X. Tractatus de vera Hominis felicitate lib. IV. MS. in fol.
XI. Tractatus de Juſtificatione. MS. in fol.
XII. De Officio, & Moribus Epiſcopi. MS. in fol.
XIII. De Officio Sacerdotis Parochi. MS. in fol.
XIV. De Cambiis. MS. in fol.
XV. Animadverſiones in VIII. primos Pſalmos David. MS. in fol.
XVI. De his, quæ loquitur Deus ad animam fidelem in verſiculo Pſalmi XLIV. *Audi filia*. MS. in fol.
XVII. Sermones Quadrageſimales. MS. in fol. oblongo.
XVIII. Sermones à prima Dominica Adventus ad Quadrageſimam. MS. in fol. oblongo.
XIX. Sermones à prima Dominica poſt Pentecoſten ad XXIV. incluſivè. MS. in fol. oblongo.
XX. Sermones de variis SS. de Beatitudinibus &c. MS. in fol.
XXI. Summula Caſuum Conſcientiæ. MS. in fol. Ibid.
XXII. Catechiſmus Latino Sermone conſcriptus. MS. in fol.
XXIII. Inſtructio Sacerdotalis. MS. in fol.
Opera ſupradicta MSS. ex fide P. Seraphini Curtii; reliqua III. quæ ſequuntur ſervat Bibliotheca S. Barnabæ hujus Urbis.
XXIV. De Spirituali profectu, & perfectione. MS. in 4.
XXV Adnotationum Variarum Tomi VII.
XXVI. Epiſtolæ ejuſdem permultæ. MS. in fol.
XXVII. Epiſtola Italica ejuſdem Alexandri ad Cardinalem Juſtinianum gratulatoria pro promotione ad Cardinalatum, extat in libro, cui titulus: „ Scelta „ delle Lettere Memorabili raccolte dall' Abbate „ Michele Giuſtiniani. *Napoli*, 1683. *in* 12. pag. 136.
XXVIII. Alia ad Præpoſitum S. Barnabæ dat. Romæ die XXVI. Febr. MDLXXV.
XXIX. Plurimæ illius Epiſtolæ ad Sanctum Carolum, cum hujus Reſponſionibus, extant in Collect. Epiſt. ejuſdem S. Caroli in Biblioth. Ambroſiana.
Inter Epiſtolas Hieronymi Boſſii Ticinenſis adeſt una ad Alexandrum Saulium, pag. 95.
De Triumphali Ingreſſu Alexandri Saulii Papiæ Epiſcopi Henrici Farneſii Eburonis J. C. & Artis Oratoriæ Interpretis Regii ad Antonium Mariam Speltam politiorum Litterarum ſtudioſiſſimum Apparatus. Extat in Hiſtoria Papiæ ejuſdem Antonii Mariæ Speltæ pag. 553.
Ejus Vitam edidit Valerianus Maddius anno MDCLXXXIII. tum Innocentius ab Eccleſia, Jo. Auguſtinus Gallizius, Petrus Graziolius, & alii noviſſimè poſtquam inter Beatos cenſetur.
De eo fusè agit Boſca in notis ad diem XII. Octobris, ubi plura de eo, ſanctiſque illius geſtis commemorat, Ughellus in Alerienſ. Tom. III. Ital Sacræ, & in Papienſ. Tom. I. Raphaël Sopranus inter Script. Liguriæ, & Picinellus in Athenæo pag. 15., atque amiciſſimus doctiſſimusque P. Pezius in ſuo Opere MS. alibi memorato, nec non Clariſs. Sitonus in Schedis.

## MDXV.

## SAXIUS FRANCISCUS HIERONYMUS.

Parentibus Aſcanio, ac Maria de Cumis editus eſt Mediolani in lucem Franciſcus Hieronymus Saxius, qui fratrem inter cæteros natu minorem ſortitus eſt Clariſſimum Joſephum Antonium Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectum, cujus meminiſſe, ſatis laudaſſe eſt ob præclaram bonarum artium culturam, & omnimodam eruditionem, quâ non apud Italos modò, ſed & exteros Scientiarum cultores magnam ſuo nomini, ob editos Literarios fœtus, exiſtimationem conciliavit. Ut verò de Franciſco Hieronymo ſermonem inſtituamus, adoleſcens admodum inter Alumnos Seminarii majoris adnumeratus, tam ſedulam ſtudiis navavit operam, ut primas inter Rhetores, ac Philoſophos, quin minus & inter Theologos feliciſſimi ingenii famam ſibi comparaverit. Vix emenſo ſtudiorum curriculo, Congregationi Oblatorum SS. Ambroſii & Caroli nomen dedit, cùm non adhuc ob annorum defectum Sacerdotii dignitatem aſſequi poſſet; tanta tamen pollebat, licèt juvenis, dexteritate, prudentia, atque doctrina, ut ei inſtituendæ in Rhetorica facultate juventutis in eodem Seminario provincia perdifficilis mandaretur; hac optimè maximoque cum diſcipulorum profectu adminiſtrata, Philoſophiæ, & Theologiæ inſtituta in eodem Athenæo non minus feliciter, quàm eruditè dictavit, ita planè, ut poſtmodum Studiorum Præfectus declarari meruerit. Cùm anno MDCC. Præpoſitus Generalis præfatæ Oblatorum Congregationis S. Sepulchri eligendus eſſet, Saxius noſter majoribus ſuffragiis eſt declaratus. Ibidem Confeſſionibus audiendis, necnon Divino Verbo enuntiando cùm in privatis Matronarum conventibus, tum è ſuggeſtu, ſedulam navavit operam, majorem in dies animarum fructum colligens, quemadmodum ſatis dilucidè patet legenti conciones ſacras, quas infra indicabimus. Demum inter Canonicos Ordinarios Eccleſiæ Metropolitanæ, alter ex quatuor Comitibus trium Vallium Leventinæ, Blenii, & Riperiarum, necnon Synodalis Examinator, ac Viſitator ſecundæ Regionis Mediolanenſis Diœceſis declaratus fuit ab Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali Benedicto Erba Odeſchalco Archiepiſcopo, quem adoleſcentem Theologicis facultatibus inſtituerat. Diſcipulum etiam habuit in Arte Oratoria Gibertum Borromæum Novarienſi Epiſcopatu, ac Sacrâ Purpurâ poſtea donatum. Introducendæ in hanc Metropolim Congregationi Monialium Viſitationis S. M. ſub Regula S. Franciſci Saleſii adjutorem ſe præſtitit, & eidem Aſceterio quoad vixit protectionem ſedulam impendit. Mirum ſanè dictu eſt, quomodo Vir tot curis implicitus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & Choro intentus, litteris vacare poſſet, & ſcribendis tum ſoluta, tum ſtricta oratione libris incumbere. His omnibus non contentus, cùm per otium licebat, rerum naturalium ſtudia adamavit, quibus ut faciliori negotio inſudare valeret, in privatis ædibus Muſæum non modica induſtria ac ſumptu collegit, quod vivens doctiſſimus frater ſuus Joſephus Antonius & augere pergit, & exornare. Charum omnibus, atque ab omnibus exoptatum paucorum dierum infirmitas maligna febri è vivis eripuit die II. Novembris Anno Æræ vulgaris MDCCXXXI., ætatis ſuæ LXVIII., & ejus cadaver depoſitum fuit in Sepulchro Canonicorum Ordinariorum Eccleſiæ Majoris.

Superſunt tamen ejuſdem non interitura monumenta in Operibus ab ipſo compoſitis, quæ ſunt:

I. Chriſti laudes, quibus carmine elegantiſſimo Vitam, Miracula, Paſſionem, & Mortem Servatoris noſtri deſcribit; & S. M. Clementi XI. Pontif. Max. dicat. *Mediolani*, *apud Dominicum Bellagattam*, 1712. *in* 4.
II. Mariæ laudes, ſeu Hiſtorico-Poëtica ejus puriſſimæ Vitæ Deſcriptio, additis SS. Scripturarum ac Patrum teſtimoniis, ac Notis. Pars I. Eminentiſſimo Cardinali Archiepiſcopo Benedicto Erbæ Odeſcalcho dicata. *Mediolani*, *apud Joſeph Richinum Malateſtam*, 1719. *in* 4.
III. Mariæ laudes Pars altera Eminentiſſimo Cardinali Barbadico Epiſcopo Patavino dicata. *Ibid. apud Heredes Dominici Bellagattæ*, 1724. *in* 4.
IV. Funebris apparatus, quo ſolemnes exequiæ Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Principis Federici Tit. S. Pudentianæ Presb. Cardin. Caccia Archiep. Mediol. in Templo Maximo ejuſdem Urbis celebratæ ſunt X. Kal. Februarii MDCXCIX. in 4.
V. Laudis argumentum Archintea laudi ex virtutibus, & dignitatibus Joſephi explicatum in ſolemnibus exequiis, quæ Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. Joſepho Tit. S. Priſcæ Presb. Card. Archinto Archiep. Mediol. celebratæ ſunt X. Kal. Maji MDCCXII. *Mediolani*, *ex Typographia Dominici Bellagattæ*, *in* 4.

VI. La

VI. La Nobiltà e Virtù trionfanti del Tempo, accolte nel Campidoglio della Sapienza dagli Illuſtriſſimi Abbati e Collegio de' SS. Conti, e Cavalieri Giureconſulti per l'ingreſſo nel loro Collegio dell'Eminentiſſimo Cardinale Arciveſcovo Erba Odeſcalco. *Milano, per Carlo Federico Gagliardi*, 1714. *in* 4.

VII. Orazione Funebre nelle ſolenni Eſequie di Monſignor Girolamo Archinto Veſcovo di Vigevano. *Milano, per il Gagliardi*, 1710. *in* 4.

VIII. Divote Memorie dell' inſigne Tempio di Noſtra Signora detta de' Miracoli preſſo il Borgo di Rò. *Milano*, 1712. *in* 4.

IX. Defenſio Cardin. Sfondrati pro libro ab eodem edito cum hoc titulo: „ Nodus Prædeſtinationis, quan„ tum licet homini, diſſolutus „ quem nonnulli ex Gallicanis Epiſcopis improbabant, Innocentio XII. Pontif Max. oblata. MS. penès Clariſs. Joſeph Antonium ejus fratrem.

X. Tractatus brevis De neceſſitate Confeſſionis Auricularis. MS. apud eundem.

XI. Diſſertatio contra gliſcentem apud aliquos opinionem, quod ſimplex fornicatio non eſſet prohibita. MS. apud eundem.

XII. Hymni de Sanctis Breviario Ambroſiano accommodati tum in particulari, tum in communi. MS. ibidem.

XIII. Diſſertatio de Corona Ferrea Modoëtienſi. MS. ibid.

XIV. Curſus Philoſophicus, ac Theologicus. MS. ibid.

XV. Conciones XII. habitæ in Templo S. Sepulchri de SS. Euchariſtiæ Sacramento. MS. ibid.

XVI. Conciones plures diverſis temporibus ibidem habitæ. MS. apud eundem.

Ejus cum laude meminerunt Scriptores Diarii Lipſienſis ad an. 1714. & Diarii Litterator. Italiæ Tom. II. pag. 516.

### MDXVI.

## SAYTA ALMERICUS.

ALmericus Sayta Mediolanenſis, ut ipſe in Operibus infra dandis teſtatur, Ordinem Prædicatorum amplexus, in Philoſophicis, atque Theologicis ſtudiis tantùm profecit, ut in ipſa Urbium principe Roma erudiendis ſui Inſtituti Alumnis ab Ordinis Præſidibus electus fuerit. Eruditum hunc Virum ignoraſſem & ego, quemadmodum accidit Clariſſimis Quetif, & Eccard, qui nuſquam ejus meminerunt, niſi fortè fortuna hæc apud Suos reperiſſem. Florebat medio Sæculo XVI. ut in MSS. infra recenſendis adnotatum invenitur. De hac verò Familia Mediolanenſi adeſt Inſcriptio Sepulchralis in Eccleſia D. Hieronymi hujus Urbis, quam in ſequenti Articulo dabimus.

Hæc interim de Almerico invenimus:

I. Tractatus de Trinitate. MS. in 4. in Biblioth. S. Mariæ Gratiarum, Ord. Prædicatorum hujus Urbis.

II. De Angelis. MS. in 4. extat ibid.

### MDXVII.

## SAYTA JACOBUS.

PArum habemus de Jacobo Sayta, nam ſupereſt tantum ejus ſermo habitus in Synodo Mediolanenſi XXXVI. Sed cùm inter Oblatos SS. Ambroſii, & Caroli adſcriptus fuerit, necnon Sacræ Theologiæ laureâ decoratus, atque in Baſilica Ambroſiana Canonicatus munere inſignitus, facilè credendum eſt plura ſcripſiſſe, quæ ob negligentiam aliorum periere. Supereſt adhuc Tumulus Jacobi Scriptoris noſtri Avi in Templo S. Hieronymi cum hoc Elogio, quod è Collectione Archintea eruimus.

IACOBVS SAYTA MORTEM RECOGITANS
LOCVLVM DONEC CANAT TVBA
SIBI ET SVIS PARAVIT
ET FVIT PARATVS
ANNO MDCVI.

De eo tantùm non ſine mœrore damus:

I. Ragionamento nello Sinodo XXXVI. di Milano nell' anno MDCLXIX.
Memoratur à Maderno in Syllabo Canonicorum Baſilicæ Ambroſianæ.

### MDXVIII.

## SCACCABAROZZIUS HENRICUS.

JEjunè nimis Abbas Picinellus locutus eſt de Henrico Scaccabarozzio, qui ab aliis nuncupatur Honricus, Orricus, ſive Olricus. Mirum tamen eſt Picinellum ipſum in teſtem adductum fuiſſe à Clariſſimis Quetif, & Eccard quaſi Scaccabarozzium in numerum Fratrum Ordinis Prædicatorum intulerit, nam ne verbum quidem de hac re legitur in Athenæo ejuſdem, ſed coævum tantùm extitiſſe Divi Petri Martyris ejuſdem illuſtris Cœtus. Certo certius eſt Henricum Scaccabarozzium Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archipresbyterum fuiſſe, & cum Capitulo vices geſſiſſe Archiepiſcopatus Sede vacante, ut ex Litteris ejuſdem infra recenſendis. Id quoque eruitur ex Inſtrumento menſis Decembris anno MCCLXXXIX. Indictione III. rogato per Mayfredinum de Cera filium Ser Guarneri Civitatis Mediolani Notarium, in quo ſic legitur: „ Actum Mediolani. „ Teſtes fuerunt ibi Dominus Honricus de Scacca„ barozziis Archipresbyter Majoris Eccleſiæ Medio„ lani &c. „ Extat autenticum in pergamena penès Clariſs. Sitonum noſtrum. Memoratur etiam à Gottifredo de Buſſero in libro memorabilium Urbis, & Diœceſis Mediol. num. 192. MS. in hæc verba „ ille „ qui dignus eſſet fieri Papa ſcilicet Domnus Orri„ cus Scaccabarozzius Archipresbyter Mediolani. „ Ejuſdem porrò Epitaphium Arcæ Siliceæ inciſum in veteri Franciſcano Mediolanenſi Delubro nobis ſervavit, etſi litteris quamplurimis exciſis, diligentiſſimus Advocatus Sitonus, ut infra adnotabimus, ſed illud ex integro nobis licuit exſcribere è Collectione Franciſci Cicerei his notis:

IN ISTO SEPVLCHRO IACET R. P. D. HENRICVS SCACCABAROZZVS ARCHIPRESBYTER MAIORIS ECCLESIAE MEDIOLANI, QVI FVIT MAGNVS DEVOTVS ORDINIS MINORVM, ET ISTIVS CONVENTVS BENEFACTOR NAM ANNO DOMINI MCCLXXXVII. SCHOLAS NOBIS CONSTRVXIT, ET MVLTA ALIA TAM SPIRITVALIA, QVAM TEMPORALIA VT PIVS PATER CONCESSIT.

Imminet Sepulchro Henrici Imago Sacerdotalibus ornamentis induta, & in Arca viſuntur Stemmata duo cum Cruce, ex quibus omnibus apparet nunquam Ordinem Prædicatorum amplexum fuiſſe; fortaſſe

Digitized by Google

taſſe in errorem adducti ſunt, qui ita ſenſerunt ex verbis illis *Reverendus Pater*, quæ tamen appellatio Clericorum Ordinis peculiaris quondam fuit, nunc ad Clauſtra migravit. Juvat hic addere quod Clariſſimus Ludovicus Antonius Muratorius in Diſſertatione LVII. *de Ritibus Ambroſianæ Eccleſiæ* in Tomo IV. Antiquitatum Italiæ Medii Ævi de Scriptore noſtro exaravit: „ Poſtremo tandem loco monebo, Ambroſianum Officium multa debere *Orrico*, ſive *Olrico Scaccabarozzio*, qui in ejuſdem Metropolitanæ Bibliothecæ Codice appellatur *Eccleſiæ Majoris Mediolanenſis Archipresbyter, & Præpoſitus Baſilicæ Apoſtolorum, ſive Sancti Nazarii in Brolio Mediolani*. Is enim anno MCCLXXX. uti ex eodem Codice conſtat, multa Officia Sanctorum *tam in dictamine, quàm in cantu compilavit*. Leguntur ibi eadem Officia, uti & ipſius Auctoris Epitaphium, nempe

*Orricus dictus cognomine Scaccabarozzus*
*Mediolanenſis tunc Archipresbyter Urbis*,
*Arcâ de petrâ jaceo qui clauſus in iſtâ*,
*Sanctorum ſtudui cum cantu ſcribere laudes*;
*Nomina ſunt quorum Nazarius, atque Sophia*,
*Et Marcellinus, Petrus, Maurilius, Anna* &c.

„ Anno MDCV. uſi ſunt Codice iſto, qui reſtaurationi, ac novæ editioni Miſſalis, ac Officii Ambroſiani præfecti fuere. Ibi ejuſdem Orrici Epiſtola legitur ad *Dominum Comitem* (erat ex Familia Caſata, ut nos in Articulo CCCCLVII. jam diximus in hac Bibliotheca) *Dei gratiâ Sanctorum Marcellini, & Petri Presbyterum Cardinalem*. Cernitur quoque idem Orricus ibi pictus; Veſtis candida uſque ad pedes defluit. Supra illam rubea cappa cum capuccio, & ſine manicis, à tergo cadit uſque in terram; in anteriori verò parte inter brachia deſcendens uſque ad femora prolabitur. Corona Clericalis non minor iis, quas rigidiores Aſcetæ nunc deferunt. Cardinalem S. R. E. diceres. Et revera *Cardinales* etiam appellabantur olim Canonici Mediolanenſis Eccleſiæ. „ Obiit verò anno redempti Orbis MCCXCIII.

De ipſo igitur memorantur

I. Privata Monumenta de Vita, & Cæde Sancti Petri Martyris, teſte Triſtano Calcho.
II. Officia Sanctorum, ex Codice Bibliothecæ Metropolitanæ Eccleſiæ olim ſign. ✠. num. 97. in pergameno, inſerto alteri Codici membranaceo, in quo ſcriptæ ſunt Conſtitutiones de Reformatione Officii Ambroſiani, ut monebat Cl. Muratorius; nunc verò aliò translatus diligentiam noſtram non ſine mœrore effugit.
III. Epiſtola ad Dominum Comitem de Caſate Dei gratia SS. Marcellini, & Petri Presbyterum Cardinalem. Extat in eodem Codice ut ſupra.
IV. Litteræ patentes, quæ ſic inſcribuntur „ Onricus Scaccabarozzius Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archipresbyter, & Capitulum ejuſdem Eccleſiæ gerentes vices Archiepiſcopatus, Sede vacante, (vacabat enim Sedes ob mortem Leonis de Perego jam ab anno MCCLVII.) Dilectis in Chriſto &c. Datæ Milleſimo Ducenteſimo Sexageſimo primo, die Jovis duodecimo ante Kalendas Novembris, Indictione quinta, cum ſigillo pendenti ex Cera alba, & cum effigie S. Ambroſii. Extant, ut ſupra diximus, in pergamena penès Clariſſimus Advocatum Sitonum.
Videndi ſunt, ſi libet, præter citatos, Abbas Picinellus in Athenæo pag. 170., ac Theodori Trivultii Series Ordinariorum Metropolitanæ Eccleſiæ, & Clariſs. Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. pag. 44. art. 146.

## MDXIX.

## SCAMNUS ANGELUS.

Religionis illuſtris Carmelitarum Congregationis Mantuanæ, ornamentum extitit Angelus Scamnus Mediolanenſis, inter Doctores Theologos Collegii Bononienſis adſcriptus, & à Scriptoribus ſui Ordinis laudatus ut rectus, & prudentiſſimus Præſul in patria, in arduis conſtans, in proſperis moderatiſſimus; Deffinitoris munere inſignitus fuit anno MDCIV. Litteris ſummopere deditus, vitam ſcribendo conſumpſit uſque ad diem XXXI. menſis Maji, anno redempti Orbis MDCXIII., qui fuit illi ſexageſimus & ultimus.

Hæc ſunt, quem de ipſo vidimus:

I. Diſputationes in Univerſam Philoſophiam Ariſtotelis Vol. IV. in 4. ingentis molis optimè ſcripti. Servantur in Bibliotheca ſui Ordinis Sancti Joannis ad Concham hujus Urbis.
II. Dilucidatio in Libros Poſteriorum Analyticorum, cum Tractatu de Scientia. MS. in fol. extat ibidem.
III. Commentaria in primam, ſecundam, & tertiam partem D. Thomæ. MS. in 4. ibidem.
IV. Tractatus de Incarnatione. MS. in 4. ibid.
V. Quæſtiones variæ Theologicæ. MS. in 4. ibid.
VI. Tractatus varii, in quibus continetur doctrina de Furto, de Contractibus, de Uſura, & de Reſtitutione. MS. in fol. juſtæ molis, extat ibidem.
VII. Oratio in laudem S. Hieronymi edita anno 1574.
VIII. Oratio de Mutinenſium Civium laudibus edita *Cremonæ* anno 1583.
Laudatur à Joanne Baptiſta Guarguanto, à Clemente Maria Felina, à Carolo Vagho, ab Abbate Picinello, etſi ſobriè, pag. 16.

## MDXX.

## SCANTIUS JOANNES FRANCISCUS.

Joannes Franciſcus Scantius Petri Martyris, & Claræ Cuſanæ nobilium Mediolanenſium conjugum, filius, Protonotarius Apoſtolicus, U. S. Referendarius, Abbreviator de Parco majori in alma Urbe, & Juriſconſultus Collegiatus, in Patria eloquentiâ floruit uſque ad annum Chriſti MDLXXV. Dolendum eſt, quod de iſto nulli cordi fuerit ejus Scripta, atque acta colligere, ut nobis datum eſſet de eo fuſiùs agere; ſed oh nimia ſuorum & Civium, & affinium vecordia! Damus igitur quod poſſumus, ſcilicet ex Schedis Mazzucchellianis, ex Theatro Colleg. Nob. J. PP. Clariſs. Sitoni pag. 124. art. 516. & Picinello pag. 222.

I. Oratio de Morte Jeſu Chriſti triumphantis, quam habuit coram Pio IV. Pontif. Max., & dicavit Scipioni Rebibæ Cardinali ampliſſimo; *ſine loco, anno, & Typographi nomine*, in 4.
II. De Cœleſti exercitu triumphante: Oratio habita in Sacello Pontificio, pleno Cardinalium Collegio aſſiſtente, ſolemniſſima omnium Sanctorum die, Maximiliano Auſtriaco Imperatori Cæſari optimo conſecrata. *Romæ, apud Antonium Baldum, Impreſſorem Cameralem*, an. 1565. in 4.
III. De Fragilitate humana: Oratio habita in Sacello Pontificio, Purpuratis Patribus aſſiſtentibus, Philippo ab Auſtria Hiſpaniarum Regi potentiſſimo conſecrata. *Romæ, apud eundem*, 1565. in 4.



Digitized by Google

## MDXXI.

## SCARAMPA CAMILLA.

CAmillam Scarampam Mediolanenſem, quam alii Scalampam appellare voluerunt, ſed perperam, Scarampus de Scarampis Juriſconſultus & Eques, & jam ab anno MCCCCLXXVI. Ducalis in hac Urbe Senator genuit. Magnam in filia conſpicatus indolem pater nihil non egit, ut eam bonis excoleret artibus. Votis ejus arriſit proſpera ſors, nam Camilla utramque linguam Latinam videlicet, atque Hetruſcam didicit, tantumque in eis profecit, ut expeditiſſimè ambabus uteretur, ſive loqui, ſive ſcribere oporteret. Nupſit Ambroſio Guidobono Ducali Quæſtori Ordinariorum Redditùum Magiſtratus. Neque ingenio minor in ea fuit corporis ſpecies, quam dignam putavit Clariſſimum illud Poëſis lumen Jacobus Sannazarius commendatione ſua. Namque hoc de ipſa cecinit Epigramma, quod extat inter alia ejuſdem in Tom.VIII. Carm. Illuſtr. Poëtar. Italor. pag. 464.

*Fumantem ambuſtis olim Phaëtonta quadrigis*
*Excepit rapidis fluctibus Eridanus.*
*Ecce recens, Ticine, tibi de Sole trophæum*
*Erigit auratis culta Camilla comis.*
*Nam Deus ille tuis auſus concurrere ripis,*
*Majoris numen ſenſit adeſſe Deæ.*
*O fatum fluviorum! ergo nova fabula veſtris*
*Semper erunt Nymphis aut Pater, aut Phaëton?*

Floruit inſignis hæc Fœmina circa initium Sæculi XVI.

Illius memorantur

I. Carmina plura Italica apud Eruditos magno in pretio habita, teſte Franciſco Auguſtino ab Eccleſia Salutienſi in Subalpinis Epiſcopo, in Opere ſuo Italico de Fœminis Litteratis pag. 114. Ignoramus tamen an unquam fuerint edita, quocirca, ut ſpecimen Poëſis illius demus, hîc proferimus ejus Carmen, vulgò *Sonetto*, quod fortuitò reperimus ad calcem Codicis MS. verſuum Italicorum Marii Piccii alibi jam laudati.

*Miſera Italia; il Ciel par te minaccia:*
*Una voce me intona nell' orecchia,*
*Che ſe non ſveglj tua virtute vecchia,*
*Convien, ch' ogni tua pompa ſi disfaccia.*

*Sciolta non ſei ancor dell' un de braccia*
*De barbari, che l'altro s'apparecchia;*
*Chi vuol veder miſeria in te ſi ſpecchia,*
*Poi lagrimando per pietà s'agghiaccia.*

*Che per le noſtre tante adverſe voglie,*
*De ſti rabidi Can ſei fatta preda,*
*Che van ſtracciando le tue belle ſpoglie.*

*Or tal lo proverà, che par nol creda;*
*Saran commune tante amare doglie.*
*Chiudemi gli occhj Dio, che ciò non veda.*

Cæterum quanti haberentur ejus ingenii fœtus apud primarios ſui Sæculi Eruditos, liquet ex his, quæ Julius Cæſar Scaliger in Poematiis editis *Lugduni* anno 1546. pag. 349. de Camilla ſcripſit in Epigrammate, quod ipſius præfert nomen, ubi inter alia ſic legitur:

*Divinis labiis Hymettia mella liquantur,*
*Scribentiſque Erato mulcet amica manum*, &c.

Commendatur etiam, præter citatos, Scarampa, ab Advocato Sitono noſtro in Theatro ſuo Geneal. MS. penès ipſum Auctorem in fol. pag. 242.

## MDXXII.

## SCARAVAGGIUS JOANNES BAPTISTA.

VEtuſtatem Familiæ Scaravaggiæ in Mediolanenſi Urbe ſatis oſtendunt & ſeries Decurionum humaniſſimi, atque doctiſſimi JC. Sitoni, quam apud ſe MS. magno labore & diligentia collectam ſervat, & Inſcriptiones aliquot in Eccleſiis S. Petri in Glaſſiate, atque S. Sebaſtiani, quarum prima poſita eſt anno MDVI. altera verò communi Scaravaggiorum tumulo imminet, & eas intulit Comes Octavius Archintus in Collectionem ſuam. In laudato autem Syllabo Decurionum Sitoniano reperiuntur Ruglerius Scaravaggius, qui eo munere fungebatur anno MCCCXL. aliique plures uſque ad Martinum ipſa dignitate auctum anno MDXIII. Huic coævus extitit Joannes Baptiſta Scaravaggius, quem nunc commendandum ſuſcipimus. Eum Sacerdotali unctione perceptâ ſacris miniſteriis plures per annos vacaſſe, atque inter familiares Joannis Petri Vicecomitis ob doctrinæ præſtantiam computatum fuiſſe ex Operibus ipſius mox memorandis agnovimus. Aliquos tamen ante annos Cavanagi morabatur, & Grammaticas Inſtitutiones tradebat, ineunte ſcilicet anno MCCCCXCV. ut eruimus ex illius Epigrammate ad Joannem Biffium alibi jam commendatum, cum Epiſtola Latina data ipſo anno, die XXII. menſis Februarii, de quibus etiam inferiùs dicemus. Poëſim inſuper, & Oratoriam artem egregiè calluit, ſacroſque Canones ita didicit, ut in eis magiſterio fuerit inſignitus. Amicitiam coluit non Biffii tantùm, ſed Cæſaris quoque Cæſariani, ad quem plura dedit latina Carmina, queis ipſum hortabatur ut aliquot Opera ederet. Neque minor ei fuit cum Petro Leone Vercellenſi, & Baſilicæ Scalenſis in hac Urbe Canonico familiaris conſuetudo, quod indicabunt ejuſdem Petri ad Auctorem noſtrum ſcripta. Plura daremus libentiſſimè, ſi ea reperire conceſſum fuiſſet.

Nunc Lucubrationes recenſebimus:

I. Epiſtolæ plures Latinæ ad Jo. Petrum Vicecomitem; de quo ſuo loco.
II. Rime divotiſſime dell' alma Natività del Redentore, Capitolo in Terza Rima di quindici Strofe. Incipit:

*Celeſte gaudio, e ſalutar memoria* &c.

III. Epigrammata Presbyteri Scaravaggii Mediolanenſis Muſarum Cultoris, ac Joannis Petri Vicecomitis Familiaris, pro Cæſare Cæſariano Architecto, in quibus eum impellit edere librum de Templo Majore.
IV. Carmina alia varia Latina.
Omnia extant in Cod. MS. ſign. E. num. 48. in 4. in Biblioth. Metropol. hujus Urbis.
V. Inter Carmina Jo. Biffi *Mediolani* 1512. extat Epigramma cum Epiſtola Latina data Cavanagi die XXII. Febr. MCCCCXCV. ad Jo. Biffum Poëtam haud ignobilem, & Oratorem illuſtrem.
VI. Epigramma in laudem Petri Leonis Canonici Scalenſis; extat ad calcem Operis iſtius, de quo Clariſſ. Saxius in ſua Hiſt. Typographica.

MDXXIII.

Digitized by Google

## MDXXIII.

### SCLAFENATUS CAMILLUS.

CAmillum Sclafenatum Virum eruditione, & natalibus illuſtrem commendaturi, pro inſtituti noſtri ratione à parentibus ordiemur. Fuerunt illi Albertus Patriæ Decurio, atque Laura Landriana conjuges, quorum curâ ſedulò educatus, poſt minora ſtudiorum curricula diligenter exacta, Legibus tandem addiſcendis totum ſe dedit. Lauream ubi percepit, Juriſperitorum Collegio adſcriptus fuit anno MDLXXVII. Percrebeſcente interim famâ eruditionis ipſius, primùm in Archilycæo Ticinenſi Jura interpretaturus Cathedram aſcendit, mox ad munus idem in Firmana Academia meruit aſſumi. Anconam Urbem Gubernator conſtitutus pro S. R. E. prudentiſſimè rexit, atque tam Juriſprudentiâ, quàm Oratoriæ facultatis laude præclarus migravit è vitâ anno Æræ Chriſtianæ MDCXXVII.

Habemus illius editos ſequentes litterarios labores:

I. Camilli Sclafenati Mediolanenſis Patricii, & in Ticinenſi Gymnaſio Legum Profeſſoris, Orationes duæ. Altera Ticini habita Kal. Novemb. anno MDLXXIX. pro felicibus ſtudiorum ejus anni auſpiciis. Altera biennio ante Mediolani, cum in ampliſſimum illud Juriſconſultorum Collegium eſſet cooptatus. *Ticini, apud Hieronymum Bartolum*, 1579. *in* 4.
Huic Operi præfixa ſunt Epigramma Herculis Vincemalæ JC. Mediol. Duo alia prius latinum Scipionis Guaſchi, & alterum italicum, vulgò *Sonetto* Annibalis Guaſchi Alexandrini, poſtremum verò latinum Joannis Baptiſtæ Carlii. Ex his eruitur Camillum noſtrum Poëſim etiam coluiſſe. Inſcriptum eſt Opus hoc Hieronymo Montio, quem ſupra commendavimus.

II. Oratio pro cooptatione in Collegium Fabricii Boſſii. *Mediol. apud Paganellum*, 1594. *in* 4.

III. Epiſtola ad Cardinalem Fridericum Borromæum ſatis erudita, data anno MDXCIX. Extat in ſæpe laudata Collectione Epiſtolarum ejuſdem Cardinalis in Bibliot. Ambroſiana ſervatâ.

In Cod. MS. Epigrammatum Jacobi Valerii Biblioth. PP. Teatin. D. Antonii Mediolani, extat Carmen in Nummiſma Philippi Sclafenati Camillo J. C. ejuſdem Familiæ donatum.

Annibalis Guaſchi ad eundem Epiſtolæ Italicæ tres, extant inter Epiſtolas Guaſchi editas *Mediolani, apud Pontium, & Piccaleam*, 1601.

De ipſo agunt amiciſſimus Sitonus in Chronico J. PP. pag. 158. art. 637. & in Theatro Genealog. ſuo MS. Famil. Mediol. pag. 400. atque Picinellus in Athenæo pag. 103.

## MDXXIV.

### SCLAFENATUS JOANNES BAPTISTA.

ANdreas Sclafenatus Thomæ, & Catharinæ Zerbæ jugalium filius Joannem Baptiſtam genuit, quem utriuſque linguæ, Græcæ videlicet, atque Latinæ perities poſteritati commendabilem reddidit. Poëſim verò, inter cætera ſtudiorum ornamenta, dilexit Scriptor noſter, in qua plura condidit Latina, atque Italica tantâ cum eruditionis famâ, ut inter optimos Vates Sæculi XVI. computari meruerit. Multa proprio marte compoſuit, nonnulla quoque tranſtulit è Græco. Neque prætereunda eſt ad hujus Auctoris laudem Patrui ejus memoria. Is fuit Joannes Jacobus Sclafenatus S. R. E. Cardinalis, & Parmenſis Epiſcopus, de quo Ciacconius, & Ughellus plura narrant egregiè facta, quamvis nihil, quod ſciamus, ad eruditionem pertinens ſcriptum reliquerit. Tanti autem Cardinalis aliorumque Joannis Baptiſtæ noſtri Patruorum mentio occurrit in Sepulchrali Inſcriptione gentilitii Tumuli in Templo Canonicorum Lateranenſium S. Mariæ Paſſionis hujus Metropolis in hæc verba:

IESV CHRISTO DEO O. M.
IOHANNI AVGVSTINO SCLAFENATO
TOMASINI FILIO
IOHANNIS IACOBI S.R.E. PRESBYTERI CARDINALIS FRATRI
AVO SVO
IOH. PETRO SCLAFENATO PATRI
IOHANNI ALVISIO SCLAFENATO FRATRI
PATRICIIS MEDIOLANENSIBVS
QVORVM CORPORA IN HOC SCLAFENATORVM SEPVLCRO
CONDITA SVNT
IVLIVS SCLAFENATVS REFERENDARIVS APOSTOLICVS
ET CAESAR FRATRES POSVERE
CALENDIS OCTOBRIS MDLXXVIII.

Nunc Jo. Baptiſtæ Opera recenſebimus:

I. Elegiæ, & Epigrammata. *Venetiis, apud Hieronymum Scottum*, 1541. *in* 8.

II. Carmina plura Latina. Edita ſunt in Tomo IX. pag. 1. Illuſt. Poet. Ital.

III. Italicum Carmen, vulgò *Sonetto*, extat in libro, cui titulus: „ Torricella, Dialogo d'Otto Lupano. *Milano*, 1540. *in* 4.

Laudatur à Paulo Moriggia lib. III. Nobil. Mediol. cap. 16. in Schedis Mazzucchellianis, ab humaniſſimo JC. Sitono in Theatro Genealogico ſuo MS., ex quo hauſimus Familiæ Sclafenatæ Stemma, deductum ab Uberto Auguſtini anno MCCCCXV. Ducalis Quæſtoris Patre ad noſtra uſque tempora, atque à Picinello in Athenæo pag. 287.

## MDXXV.

Digitized by Google

## MDXXV.

### SCOTTUS BERNARDINUS.

PAtriam Familiamque, etſi omnino illuſtrem, ſummopere exornat Bernardini Scotti nomen, qui ex Ludovico alterius Bernardini genito, & Livia Boſſia nobiliſſimis conjugibus in lucem editus, inter Juris Peritos Collegiatos Mediolanenſes adnumeratus eſt anno MDLVIII. deinde Gregorii XIV. ſanctione, Alexandro Litta ad Romanæ Rotæ Tribunal evecto, Conſiſtorialis Advocatus anno MDXCI. promulgatus his verbis: „ Nos dilecto filio Bernardino Scotto J. U. D. „ & de Collegio Juriſperitorum Mediolanenſium, ad „ id etiam per dilectos filios Collegium hujuſmodi „ nominato, ſpecialem gratiam facere volentes &c. Floruit J. C. eximius, Hiſpaniarumque Regis Jura in Urbe patrocinio juvit, illius Advocatus, ut eruitur ex Conſ. 94. inſerto inter Conſilia Farinaccii, ad cujus calcem hæc habentur: „ Ego Bernardi„ nus Scottus Sacræ Aulæ Conſiſtorialis, & Ca„ tholicæ Majeſtatis in Curia Advocatus. „ Romani Gymnaſii Rectoratum adminiſtravit. Anno MDXCVIII. Clemente VIII. Summo Romano Antiſtite Ferrariæ degente, ad Apoſtolicam Sedem Ferrarienſi Ducatu devoluto, Bernardinus (qui illuc ex Decreto Collegii, unà cum duobus Conſiſtorialibus Advocatis contenderat) pro Purpura dimittenda, nomine Alberti Auſtriaci Archiducis Auſtriæ, Maximiliani II. filii, & Rodulphi II. Imperatoris fratris, præſente Ferdinando Archiepiſcopo Biſuntino ſpeciali Nuncio in Conſiſtorio de more Orator fuit: hic ille eſt Albertus, qui Cardinalatu depoſito, cum Iſabella Clara Eugenia, Philippi III. Hiſpaniarum Regis ſorore, eodem Pontifice ſolemni pompa nuptias Ferrariæ celebrante, matrimonium iniit. Anno MDC. dieque XVI. Decembris Bernardinus in publico Conſiſtorio Beati Raymundi de Peñafort Barcinonenſis, Ordinis Prædicatorum, miras virtutes uberi, elegantique Oratione explicavit, ſupplexque pro eo Aris imponendo interceſſit: circumfertur impreſſa ipſius Oratio in vita ejuſdem Sancti, à Franciſco Peña Rotæ Auditore notis illuſtrata, & duobus libellis aucta. Anno MDCIV. ut Beatum Carolum Borromæum publico fideles cultu venerari poſſent exoravit; quamvis Canonizatio (ut vocant) ad annum MDCX. protracta fuerit. Commendabili virtutum ſerie Scottus cumulatus, anno MDCVII. die IX. Maji inter ſapientiſſimos Romanæ Rotæ Auditores fuit adſcriptus: demum anno MDCVIII. die XXVIII. Julii mortalem cum immortali vita commutavit. Tumulus autem Bernardini ſenioris Auctoris noſtri Avi in ſacra Pacenſi Æde hujus Urbis, teſte Jacobo Valerio, hac Epigraphe decoratus eſt:

DEO OPT. MAX.
BERNARDINO SCOTTO
VIRO SVMMA VIRTVTE ET INTEGRITATE
GRATO DVM VIVERET DEO HOMINIBVSQVE
QVI PERAGRATO FERE TOTO TERRARVM ORBE
ADORATISQVE SACRI SEPVLCHRI MONVMENTIS
ANNO EIVS NONAGESIMO VITA FVNCTVS EST
FILII PIENTISS. POS. MDXXXVII. KALEND. AVGVSTI.

Juvat quoque audire verba Theodoſii Rubei de Auctore noſtro in Singular Tom. I. pag. 462. ſcribentis: „ Qui de anno MDXCVII. die XXIV. Martii cùm eſſet „ Advocatus Conſiſtorialis, fuit meus Promotor ad „ J U. lauream Doctoratus, cui poſtea de anno „ MDCVIII. Pragæ decedenti, Auditore Rotæ facto, cum eò profectus eſſet cum Card. Millino „ Legato de Latere (Datarii munere exornatus) ad „ Rodulphum II. Cæſarem Auguſtum, ſucceſſit R.P.D. „ meus Philippus Pirovanus, doctrina, vita, ac mo„ rum integritate nemini ſecundus. „

De ipſo igitur damus:

I. Orationem ab eo dictam anno MDXCVIII. coram Clemente VIII Ferrariæ degente, ut ſupra.
II. Aliam ad eundem Pontificem pro Canonizatione B. Raymundi *Romæ, ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ*, 1601. *in* 4.
III. Aliam pro Canonizatione Divi Caroli Borromæi, ut ſupra innuimus, actam anno MDCIV.
IV. Deciſiones; extant in Archivo Molis Hadrianæ, & in Corpore Rotæ Romanæ.
V. Conſil. extat inter ea Farinaccii.

Legitur de eo Carmen Italicum inter Emblemata Joannis Baptiſtæ Porri lib. I. pag. 89.

Agunt de ipſo Carthariu in Syllabo Advocat. Sacri Conciſtorii, editionis Romanæ pag. 207., Cantalmajus pag. 19. num. 171., & Sitonus in Chron. Coll. J.P.P. pag. 169. art. 694.

## MDXXVI.

### SCOTTUS BERNARDINUS alter.

COmitis Vincentii, atque Theodoræ Cuſanæ Borromeæ conjugum filius extitit Bernardinus Scottus alter prioris conſanguineus, qui Patriam ſuam Mediolanum æquè ac ille optimis moribus, eruditione illuſtravit, atque dignitatibus etiam majoribus, ad quas meritò aſcendit. Prima igitur ſtudiorum curricula peregit in Braydenſi Archilycæo, mox ad majora ſe contulit in Academia Ticinenſi. Ibi legibus tam Sacris, quàm Imperatoriis excultus promeruit laureæ honores, mox Collegio Juriſconſultorum in patria nomen dedit anno Æræ Chriſtianæ MDCLXXX. Deo poſtea famulaturus Clericalem amplexus eſt militiam, & haud multo poſt geminæ illi commendatæ ſunt Abbatiæ; prima ſcilicet, cui titulus S. Joannis in Deſerto Gervatinenſis Diœceſis, altera verò S. Cothardi Modoëtiæ. Ut autem Romam petiit Conſiſtorialis Aulæ Advocati munus obtinuit, & Utriuſque Signaturæ Referendarius renunciatus ſic ſe geſſit, ut dignus habitus fuerit, cui Judicis exterorum officium demandaretur. Congregationis Aquarum à Secretis extitit, & Petri Ottoboni Cardinalis, Summi Pontificis Nepotis, Auditor, deinde ex Votantibus Signaturæ Juſtitiæ. Ab Innocentio XII. inter Sacræ Romanæ Rotæ Auditores ſedere juſſus tam laudabiliter emi-

emicuit, ut Clemens XI. Urbis eum Præfectum elegerit hoc etiam addito, ut Auditoris gradum retineret. Verumtamen majori honore digniſſimus ab eodem Pontifice judicatus, primùm Datarius Cardinalis Legati Caroli Barberini Neapolim, & Cardinalis item Legati Joſephi Renati Imperialis Mediolanum miſſus eſt, atque poſtremo Sacrâ Purpurâ ornari meruit die XXIX. menſis Maji anno poſt Chriſtum natum MDCCXV. quo nuncio accepto Juriſperiti Collegæ Mediolanenſes inſigni pompâ Bernardino collatam dignitatem ampliſſimam gratulati ſunt anno ſequenti die XXII. Aprilis, Orationem habente Julio Dugnano JCC. quæ, ut infra dicemus, edita eſt, unà cum Apparatu Litterario eam ob rem à Clariſs. Joſepho Antonio Saxio elaborato. Dolendum interea eſt laudabilem antiquorum morem in Orationibus aut gratulatoriis, aut funebribus pangendis relictum fuiſſe, ſcilicet de ſtudiis ſcriptiſque Viri celebrandi diligenter agere, ut poſteri inſtruerentur de re inprimis tam neceſſaria Reipublicæ Litterariæ. In Cardinalatu modeſtiſſimè vixit, quamvis apud omnes magna in exiſtimatione eſſet, & Vicecamerarii officio fungeretur. Ultimus illi annus fuit MDCCXXVI. quo Romæ menſe Octobri piiſſimè obdormivit in Domino.

Commendantur illius:

I. Deciſiones Sacræ Rotæ Romanæ, quæ MSS. ſervantur in Archivo Molis Hadrianæ.

Deſcriptio autem Apparatus ſupralaudati, quam Clar. Saxius elucubravit, hoc titulo inſcribitur: „ Gli onori della Sapienza ſpiegati in publica pompa dagl' „ Illuſtriſſimi Signori Abbati, e Dottori dell' Illuſtriſ„ ſimo Collegio per congratulazione della Sagra Por„ pora conferita da Clemente XI. all' Eminentiſſimo „ Bernardino Scotto. *Milano*, *per il Nava*, 1717. *in* 4.

De ipſo agit amiciſſimus Sitonus noſter in Chron. J.PP. Mediol. art. 1075. pag. 235., & in Schedis.

## MDXXVII.

## SCROSATUS CÆSAR.

CÆſar Scroſatus parentes habuit Ludovicum, atque Hortenſiam Vicomercatam illuſtres conjuges. Ad Jura tam Cæſarea, quàm Pontificia diſcenda totus ità ſe contulit, ut in Collegio Nobilium Juriſconſultorum patriæ cooptari meruerit anno Æræ Chriſtianæ MDCXVIII. Muſas quoque minimè reſpuit, ut videre eſt ab ejus Carminibus tam Latino, quàm Italico ſermone ſcriptis infra recenſendis. Floruit Vir iſte ætate doctiſſimi Theodati Hoſii, de quo jam diximus, atque illius amiciſſimum extitiſſe facilè conjicitur ex variis Poëmatis Italicis Hoſii ſupradicti Cæſari Scroſato inſcriptis, quæ leguntur in Codice Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. L. num. 5. in 4. cum aliquibus etiam Auctoris noſtri, ut infra. Doctiſſimus Pater Quadrius Carmina omnia ipſius MS. Scroſato noſtro tribuebat in ſuo Opere „ della Storia, e „ della Ragione d'ogni Poesìa Tom. II. pag. 306. „ Sed revera Auctor eorundem eſt Theodatus Hoſius, ut in Addendis demonſtrabimus; præter Carmina Scroſati iſtius, alia quoque ſunt Caroli Vicomercati, Hieronymi Dugnani, aliorumque, cum quibus Hoſius ſupradictus Poëticè frequenter agebat, unà cum Scroſato, ut à reſponſionibus variorum Carminum, vulgò *Sonetti*, ejuſdem Hoſii ad Scroſatum: interim dolendum eſt non reperiri in ſupracitato Codice omnia Poëmata Scroſati, de quibus ibi mentio fit, ideo & Acta, & Monumenta ejus ingenii præter pauca, quæ vidimus, nobis offerre Lectoribus humaniſſimis non licere.

Hæc ſunt:

I. Carmen in Auguſtinum Lampugnanum, cujus ſpecimen refert Armellinus in Bibliotheca Benedictino-Caſſinenſi pag. 65. ex Biblioth. Aproſiana pag. 292.

II. Carmina Italica ad Theodatum Hoſium; partim extant in Codice Ambroſiano ſupradicto ſign. L. num. 5. partim in eodem citantur.

Præfato Cæſari Scroſato Clariſſimus olim Jatroſophus Joannes Baptiſta Sitonus Tractatum quintum Jatroſophiæ Miſcellaneorum pag. 23. & 28. impreſs. *Monaſterii Einſidlenſis an.* 1669. *in* 4. in hæc verba nuncupavit: „ Inſigni Poëtæ, Egregioque JurisPerito Me„ diolanenſis Collegii D. Cæſari Scroſato S. P. D. „ De Hydropis rudimento, & febre longa à men„ ſium ſuppreſſione originem ducentibus laborante. Et infra: „ Vale ſalutique tuæ præſit Carminis, & „ Medicinæ Deus Apollo, ſub cujus auſpiciis nos „ ambos vivere juſſit fatum. Vale iterum & me „ ama. Dat. Mediolani ex Lycæo noſtro Sept. Id. „ Octobris MDCXXXIII.

Videndi ſunt quoque P. Quadrius loco ſupracitato, & Sitonus in Chron. Coll. J.PP. pag. 197. art. 837.

## MDXXVIII.

## SEPTALA AMBROSIUS.

AMbroſius Septala (quæ Gens vetuſtis temporibus dicta eſt etiam de Septara, ſive de Setara, Viroſque protulit dignitatibus, & Patriæ navatâ operâ inſignes pluribus etiam ab hinc Sæculis) nobiliſſimo inter Inſubres ſanguine genitus, Equitem Lanfrancum patrem habuit. Inter optimarum artium ſtudia liberaliter educatus ſic ad Rempublicam adultus acceſſit, ut Juriſprudentiæ laude clarus, jamque in Collegium JPP. cooptatus ab anno MCCCXLVIII. Decurionis Patriæ dignitatem jure merito obtinuerit. Luchinus interea Vicecomes, ut ſæpè jam diximus, Municipale Mediolanenſium Jus in unum corpus redigendum, corrigendumque curavit, cujus ardui quidem negotii provinciam Viris præclariſſimis demandavit, quorum Elogia ſparſim in hac Bibliotheca Lector reperiet. Memorandus nunc ſe offert Ambroſius noſter, qui hanc cum cæteris ſuſcepit ſpartam Luchini mandatis obſecuturus. At Luchino defuncto tantus labor Joanne Archiepiſcopo, & Principe jubente, anno tandem MCCCLI. auctoritatis pondus obtinuit, atque in mores deductus eſt. Superfuit Ambroſius ad annum uſque MCCCLXXXVI. qui ei fuit extremus.

Commendatur igitur

I. Ob Statuta Mediolanenſium cum aliis Collegis in Volumen unum redacta, atque correcta.

De ipſo Corius ad annum MCCCLI. Creſcentius in Amphith. Rom. part. I. pag. 296. Comes Octavius Archintus in Collect. Mouument. Famil. Mediol. atque amiciſſimus JC. Sitonus in Chronico art. 33. pag. 30.

## MDXXIX.

## SEPTALA BENEDICTUS.

BEnedictus Septala Mediolani nobili Familiâ natus, ibidem in Monaſterio Sancti Simpliciani Religionis Cœnobiticæ jugum libenter ſubivit anno MDXCIII., die VII. Martii. Toto autem vitæ decurſu veræ pietati, ac cœleſtium rerum contemplationi vacavit impenſiſſimè, quod etiam ſatis indicant ejus quædam Opera ſpiritualia, quæ ſcripſit, ab Armellino olim viſa in ejuſdem Aſceterii Bibliotheca, quæ in Chriſtiana diſciplina, ac perfectione abſolutè homi-



Digitized by Google

minem inſtituunt. Quo migraverit è vivis anno, nullus mihi indicavit.

Opera illius ſic prænotantur :

I. Eſercizio dell'anima contemplativa ſopra il Salterio : Opus diviſum in capita L., ſuntque pulchra, ac valdè utilia in Pſalmum I. Comment.; tomus ingens in fol. MS. compoſitus anno MDCXXIX. Procemium incipit : „ All'Anima deſideroſa di entrare per la „ porta della Contemplazione ec.„ Ipſum Opus incipit : „ Chi brama entrare per la porta della Con„ templazione ec.

II. Delle coſe memorabili a ſuoi tempi accadute. MS. in 4. In ejus Operis parte præcipuâ de rebus agit ad pietatem, atque Chriſtianam perfectionem pertinentibus.

III. Dialoghi della Vita purgativa. MSS in 4.

IV. Della grandezza, e Miſericordia di Dio, e della miſeria dell'Uomo. MS. in 4. Hæc duo Opuſcula licet Benedicti noſtri nomen non præferant apertè, quia tamen ejuſdem ſunt characteris, dubio locum non relinquunt quin Septalæ fœtus & ipſa fuerint.

De ipſo hæc tradit citatus Armellinus in parte I. pag. 101. Biblioth. ſuæ Benedictino-Caſſinenſis.

## MDXXX.

## SEPTALA CAROLUS.

LUdovicus Septala Vir clariſſimus, cujus Elogium loco ſuo dabimus, inter XVIII. liberos, quos ex Anna Arona conjuge ſuſcepit, Carolum quoque, ſeu, ut Creſcentius loco inferiùs citando ipſum appellat, Carolum Andream genuit omnium poſtremum. Hic non indignum tanto patre ſortitus ingenium, minoribus primùm ſtudiis vacavit in patria, mox Legibus Ticini, & Piſis operam dedit. Laureâ in utroque Jure honeſtatus, in Juriſperitorum Mediolanenſium Collegio locum meruit anno MDCXXXIII. atque S. C. publicus Civilis Juris Interpres in Palatinis Scholis eſt conſtitutus. Cùm verò ſacris ſe miniſteriis addixiſſet, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Tribunali fuit à conſiliis, annoque MDCXLIII. Doctoralem Præbendam in Metropolitana Baſilica obtinuit, atque ſequenti anno à Cardinali Cæſare Montio hujus Urbis Archiepiſcopo dignus eſt habitus, cui vices ſuas in civilibus demandaret, & Archipresbyteratum ejuſdem Baſilicæ conferret, ac demum Generalem Vicarium ſuum conſtitueret. Utriuſque Signaturæ Referendarius creatus, & Sacræ Congregationis Indicis à Conſultationibus renunciatus diù Romæ conſtitit, tantâ apud exteros quoque probitatis & doctrinæ famâ celebris, ut Lucenſis Reipublicæ Moderatores de Joannis Baptiſtæ Raynoldi Mediolanenſis olim ſuæ Urbis Antiſtitis morte dolentes ſupplices ad Innocentium X. litteras dederint, quibus petebant ut ſibi Carolum noſtrum Paſtorem præficeret. Id verò Pontifex detrectans, ne tantum Virum Inſubriæ raperet, Septalam Mediolanum remiſit, ut à Metropolitanæ Canonicis poſt laudati Cardinalis Montii obitum Capitularis Vicarius electus, Antiſtitis ſolatio deſtitutam Archidiœceſim moderaretur. Neque profectò minoris prudentiæ Virum per ea tempora Mediolanenſis Eccleſia expoſcebat; nam exortis inter Clericos, Regiſque Miniſtros graviſſimis de Juriſdictione controverſiis, homine opus erat, qui & Deo ſervaret ſua, & quæ Cæſaris ſunt Cæſari redderet. Id quàm egregiè præſtiterit Carolus non eſt cur hoc loco memoremus, cùm facti memoria apud poſteros etiam vivat, idque ſatis comprobaverit Alphonſus Cardinalis Litta Montii ſucceſſor digniſſimus, qui vix Archiepiſcopatum iniit, non alterum quàm Septalam ſibi Generalem Vicarium adeſſe voluit. Verumtamen eo citò carere compulſus eſt, etenim præcitatus Innocentius X. audita morte Franciſci Foſſati Mediolanenſis, qui vivens Derthonenſem Eccleſiam laudabiliter adminiſtraverat, ad eas Infulas Carolum aſſumſit anno MDCLIII. Vix credibile eſt, quæ intra paucorum annorum ſpatia contulerit Antiſtes optimus credito ſibi populo beneficia. A Clero enim exorſus, undè potiſſimum gregis univerſi diſciplina, ſaluſque pendet, Seminarium bellorum injuria labefactatum reſtituit, additis humaniorum Litterarum, Logicæ, & Moralis Theologiæ gymnaſiis. Epiſcopales Ædes inſignibus auxit molitionibus, Templi Maximi frontem inſtauravit, Sacrarium ejuſdem locupletavit, ac Baſilicæ ipſius Aram principem, parieteſque exornavit. Hinc ad populi mores reformandos converſus duas Synodos habuit annis ſcilicet MDCLIX., & MDCLXXIII., in qua ſalutares condidit Leges typis poſtmodum traditas, de quibus infra ſermo redibit inter illius Opera. De Juribus etiam Epiſcopalibus tutandis ſollicitus, tam ad Catholici Regis Aulam, quàm ad Inſubriæ Senatum idoneos ſæpè Miniſtros ablegavit, & proventus Eccleſiaſticos auxit ad ſucceſſorum commodum. Tot tamen diſtentus curis nunquam à Voluminibus conſcribendis ceſſavit, in quibus & Legalis eruditionis, & Oratoriæ facultatis, & Paſtoralis ſollicitudinis, & ſacrorum Rituum doctrinæ, & Hiſtoriæ quoque ſpecimina poſteris admiranda reliquit. Amiciſſimus fuit Ferdinandi Ughelli, quo hortante cùm adhuc eſſet Metropolitanæ Mediolanenſis Archipresbyter Litteras eruditiſſimas de emortuali S. Galdini anno ad Joannem Petrum Puricellum dedit anno MDCXLIX. quo etiam anno adhuc Romæ degebat. Eidem quoque Puricello, dum Nazarianæ Baſilicæ Monumenta conſcriberet, Codicem MS. Matutinas Sanctorum lectiones ex eorum Hiſtoriis depromptas, quæ olim Eccleſiæ Ambroſianæ in uſu erant, & in Collegiatis ſaltem Templis recitabantur, continentem ſuppeditavit, ut Puricellus ipſe ad gratum animum oſtendendum teſtatus eſt in laudata Diſſertatione cap. CXXII num. I. Demum tot egregiè factis illuſtris mortalibus valedixit in Urbe Roma menſe Majo, anno poſt Chriſtum natum MDCLXXXII.

His laudatur Operibus :

I. Analogia Titulorum Juris. Tabulæ legales ſunt, quas Typis traditas fuiſſe teſtis eſt Picinellus, locum, annum, & Impreſſoris nomen reticens.

II. De Aquis emiſſoriis.

III. Allegationes L.

IV. Conſilia Legalia de ſelectis Argumentis agentia. Hæc tria poſtrema ſimul edita fuiſſe idem Picinellus autumat.

V. Orationes duæ in quorundam Juriſconſultorum cooptatione. Ex eodem.

VI. Orazione in lode della Giuſtizia.

VII. Altra in lode di S. Carlo. Ambas in Metropolitana pronunciatas, & impreſſas aſſerit idem Picinellus.

VIII. Synodus Diœceſana Derthonenſis habita anno MDCLIX. *Dertbona, apud Violam, eod. anno*, *in* 4.

IX. Altera celebrata anno MDCLXXIII. *Ibid. apud eundem*, *in* 4.

X. Ricordi alle Monache. *Tortona*, *per lo ſteſſo Viola*, 1656. *in* 4.

XI. Miſterj della Meſſa Romana, ed Ambrogiana; col ſignificato de i Riti Ambrogiani. *Ivi*, *per lo ſteſſo*, 1672. *in* 4.

XII. Tripartita Commentatio in Breviarium Romanum Tomi IV. Opus hoc, ut etiam ea, quæ ſequuntur, ſcribebat Carolus tunc cùm Picinellus Athenæum Mediolanenſe concinnabat, quæ nunquam edita fuiſſe ſuſpicamur, & ubi nunc MSS. deliteſcant non didicimus.

XIII. Il Paſtorale. Sylva erat argumentorum, atque eruditionum, unde Parochis facilior fieret ſingulis feſtivis diebus Verbi Dei annunciatio.

XIV. Il nuovo Veſcovo. Opus in fol. ſacris Præſulibus per quam utile, in eo enim Scriptor Concionum in Synodorum initio, ad Vicarios Foraneos, ad Clerum, ad Confeſſarios, ad minores Clericos, ad ſacras Virgines, atque ad Chriſtianæ Doctrinæ Auditores habendarum methodum præſcribebat. Quin etiam formulam Edictorum, & rationem, qua poſſent cum ſæcularis Fori miniſtris bene ſe gerere, aliaque hujuſmodi oſtendebat.

XV. Tortona Sacra, e profana. Volumen in fol. in quatuor partes diſcretum, quarum prima ſacra & profana illius Urbis monumenta hiſtorica : ſecunda

Digitized by Google

cunda Epiſcoporum, qui Carolum ipſum præceſſerant, Acta, & Leges: tertia Diœceſis Deſcriptionem, cum hiſtoricarum, & naturalium rerum accuratiſſima recenſione: quarta demum Monumenta, & Cœmenta antiquitatum referebat.

XVI. Nobilitas Septaliæ Gentis. Prodiit in 4. ſine anno, loco, & Typographo.

XVII. Epiſtola doctiſſima de anno emortuali S. Galdini data Romæ die III. menſis Julii, anno MDCXLIX. ad Joannem Petrum Puricellum hortante Ughello, ut ſupra diximus. De hac Puricellus meminit in laudata Differt. Nazariana cap. CVI. num. XV.

XVIII. Tractatus de Expeditione Terræ Sanctæ ab Henrico Septala olim Mediolanen. Archiepiſcopo conſcriptus, cui addidit Carolus noſter Appoſtillas, & Indices, illumque edere meditabatur teſte Picinello in articulo laudati Henrici, de quo ſuo loco.

XIX. Inſcriptiones II. ab eo poſitæ una in Templo S. Euphemiæ ad ſervandam S. Senatoris Gentilis ſui memoriam, altera in Baſilica S. Franciſci, quæ Cœnotaphium eſt prælaudati Henrici Archiepiſcoporum Mediolanenſium.

Mirabuntur aliqui, & meritò, quod de iſto Scriptore ſæculi vix præteriti teſtem, ut plurimùm adducam in ejuſdem Operibus tam editis, quàm MSS. Picinellum. Sperabam ego illa inſpicere in Bibliotheca Suorum gentilium, ſed nec officia, nec preces id mihi obtinere potuerunt.

Commendatur ab Ughello eodem in Tomo IV. Italiæ Sacræ inter Derthonenſes in Appendice num. LXXXVI. Tatto in Annal. Comenſibus lib. VI. num. 15. Alexio Ledeſma in Tabella Epiſcopor. Derthonen. Curtio de Scriptor. Medicis Mediol. pag. 144. JC. Sitono in Chron. Juriſperitor. pag. 209. art. 901. atque in Schedis: Comite Octavio Archinto in Collect. Monument. Famil. Mediol. Creſcentio in Amphith. Rom. part. 1. pag. 298. ac demum à Picinello in Athenæo pag. 128.

## MDXXXI.

## SEPTALA CLAUDIUS FRANCISCUS.

CArolum jam ex pluribus liberis à Ludovico Septala ex Anna Arona conjuge ſuſceptis, qui eruditionis ergo apud poſteritatem ſibi laudem promeruere, commendavimus; nunc verò occurrit nobis Claudius Franciſcus inter eos omnes primogenitus. Hic paternæ domus commodis Dei obſequia præponens, tenerâ adhuc ætate Societati Jeſu ſe addixit. In eâ ſic claruit, ut humanioribus Litteris, atque Eloquentiæ præceptis Auditoribus tradendis admotus, id munus optimè geſſerit; interim Philoſophiæ, moraliſque Theologiæ curricula conficiens, alias etiam ſcientias ſummo ſibi labore, diligentique ſtudio comparavit, adeo ut Romam miſſus annos ibidem nonnullos degerit omnibus ob doctrinæ meritum non minus notus, quàm acceptus. Regreſſus in Patriam, ſolemnibus votis emiſſis, Divinæ ſe arctiùs mancipavit ſervituti; cùmque toto pectore ad perfectiora ſemper anhelaret, humilimis precibus, ut tertium probationis annum ſibi perficere liceret, impetravit. Aronenſe Collegium ejus rei gratiâ obtinuit, ubi tanquam à mundanis rebus omnibus ſejunctus, & Deo tantum adhærens, annos natus L. mortalibus valedixit.

Opera hæc poſt ſe reliquit:

I. De Coloribus. Tractatus in libros V. digeſtus, Opuſque eſt eruditiſſimum, ex intimis Philoſophiæ arcanis petitum, in quo non tantùm de naturâ, & quantitate colorum, cauſis eorum efficientibus, mixturis, uſibus, ſignificationibus, & hujuſmodi, ſed etiam incidenter de coloribus apparentibus, & refractis, de ſono, de Iride doctiſſimè agit. MS. imperfectus ſervatur in Bibliotheca Familiæ ſuæ Septaliæ Mediolani, ut aſſerit Picinellus, nam mihi aditus ad eam perſcrutandam minimè datus fuit.

II. Acta B. Manfredi Septalæ Presbyteri, & Eremitæ. Hujus Operis meminit Tattus in Martyrologio Novocomenſi ad diem XXVII. Januarii pag. 13. ſed non indicat utrum editum fuerit, vel adhuc MS. deliteſcat.

Laudatur ab amiciſſimo JC. Sitono in Schedis, & à Picinello in Athenæo pag. 149.

## MDXXXII.

## SEPTALA FRANCISCUS MARIA.

DE Patria, & nomine Scriptoris mox à nobis laudandi convenit inter Auctores, qui de ipſo egerunt, nemo enim dubitavit an Mediolanenſis fuerit; at verò de illius cognomine varii ſunt adeo, ut nihil ampliùs. Is eſt Franciſcus Maria, quem Ferdinandus Ughellus loco citando cognominavit de Scellonibus, Wadingus appellavit de Vicecomitibus, de Stellonibus, & de Scallonibus, Picinellus autem de Septala. Si tamen quis advertat Stemma, quod citatus Ughellus aſſerit hactenus ſpectari in Sacello Cathedralis Viterbienſis à Scriptore noſtro condito, in quo adſunt ſupernè Aquila, inferiùs verò ſeptem Alæ, præferet omnium ſupralaudatorum ſententiæ Picinelli dictum, nulli enim eſt incompertum hanc eſſe Septaliorum, ſive Septalarum Mediolanenſium gentilitiam parmam. Franciſcus Maria noſter igitur cùm Minorum S. Franciſci Regulam fuiſſet amplexus ſic doctrinæ, atque pietatis ſplendoribus emicuit, ut Sixti IV. Summi Pontificis benevolentiam ſibi conciliaverit. Obierat interim Petrus Franciſcus Viterbienſis Epiſcopus, quocirca Sixtus Septalam noſtrum digniſſimum cenſuit, qui ad eam promoveretur Eccleſiam gubernandam. Hanc ipſi dignitatem contulit Prid. Kal. Octobris anno Chriſti Redemptoris MCCCCLXXII. Quin etiam Pontifex Viri prudentiam optimè perſpectam habens honorem honoribus cumulans Umbriam Sedis Apoſtolicæ nomine regendam ipſi commendavit. Creditum ſibi gregem Scriptor noſter piè regere ſtuduit, Sacellum, ut ſupra tetigimus, in Templo ſuo Cathedrali ſuo ſumptu excitavit, cui etiam Baſilicæ plura contulit. Epiſcopium nova molitione ampliavit, fontemque dirutum reſtituit. Beneficus quoque fuit in ſui Ordinis Alumnos, & Cœnobio Sancti Franciſci de Vetralla plurima dona impertitus eſt. Fato ceſſit anno Salutis MCCCCXCII.

Elaboravit:

I. Vitam Sixti IV. cum his, quæ ſub ejus Pontificatu acciderunt. Hujus Operis Antigraphum, cum pluribus Summorum Pontificum Actis à Luca Holſtenio collectis, aliiſque hujus MSS. in Bibliotheca Franciſci olim Cardinalis Barberini aſſervabatur, teſte Picinello.

De hoc Antiſtite verba faciunt VVadingus in Annal. Minor. Tomo XIV. ad annum MCCCCLXXII. num. LXXXI. Ughellus Ital. Sacr. Tomo I. in Viterbienſibus num. XXXIII. Sitonus noſter in Schedis, & Picinellus in Athenæo pag. 213.

## MDXXXIII.

## SEPTALA HENRICUS.

HEnricus Septalius clariſſimo ſanguine ortus Mediolani, Vir ſpectatæ virtutis, poſt obitum Gerardi Seſſæ anno MCCXI. ex Subdiacono Apoſtolico, & hujus Eccleſiæ Cimiliarcha, ad Archiepiſcopales Infulas evectus eſt. Innocentius III., qui ob diſcordes Cleri Mediolanenſis ſententias Henricum elegerat, ad Clerum ipſum, & Populum litteras, quæ adhuc extant, dedit, ut ipſum electum Virum probum benignè, humaniterque ſuſciperent. Cum primariis Civibus Eccleſiaſticæ juriſdictionis defenſor acerrimus diù ſtrenuè depugnavit, & nondum inauguratus Urbem hanc diris devovit, quam etiam Summus Pontifex Metropoliticâ dignitate ſpoliavit, ſed in Henrici gratiam Honorius III. rebus tandem compoſitis eâ rurſus dignitate exornavit anno MCCXVII. Romam deinde Pontifex ipſe per litteras Henricum vocavit, & menſe Decembri MCCXIX. propriis manibus Archiepiſcopalibus Inſigniis decoravit. Homobonum Cremonenſem Epiſcopum Suffraganeum ſuum refra-

Digitized by Google

refractarium dicto audientem eſſe coëgit. Divos Franciſcum Minorum, & Dominicum Prædicatorum Patriarchas Mediolani ſuſcepit, quorum poſtremo Regum Baſilicam, quæ Sancti Euſtorgii dicitur, translatis ad Laurentianam Canonicis; alteri verò SS. Naboris, & Felicis Baſilicam, deductis ad Sanctam Mariam Fulcorini Canonicis, attribuit. Annos fermè viginti, quibus præfuit, optimi Paſtoris munera ſemper exercuit. Hæreticos tunc per Italiam graſſantes paſtorali ſollicitudine à grege ſuo ſemper avertere ſtuduit, Eccleſiaſticam diſciplinam conditis etiam præclariſſimis legibus reparavit. Pluribus Templis patrimonia largitus divinum promovit cultum, cùmque per ea tempora Chriſtiani Principes ſacro afflati Numine, hortantibus Summis Eccleſiæ Pontificibus Viriſque Sanctiſſimis promoventibus ad recuperandum Chriſti Salvatoris Sepulchrum, ſolvendaque Fidelium ſub Paganorum jugo gementium vincula laudabili conatu transfretarent, Henricus cum electa Mediolanenſium Civium, Procerumque manu navigavit in Syriam, atque Regibus Hungariæ, & Cypri, Duci Auſtriæ, Pelagio Nicoſiæ Archiepiſcopo, nec non Joanni de Columna S. R. E. Cardinali ſe comitem addidit, adfuitque obſidioni Urbis Damiatæ. Eccleſiam Monaſterii Beatæ Mariæ Charævallis jam pridem conditi ſtatis ceremoniis conſecravit, quemadmodum etiam Templum Sancti Gottardi ad Montem-Tremulum. In Oppido Brebiæ non procul Variſio migravit è vita die III. menſis Octobris MCCXXXI., ejuſque Corpus in candido Tumulo marmoreo à dextris januæ majoris olim conditum, nunc jacet ante cancellos Aræ maximæ in ſupralaudato Templo SS. Naboris, & Felicis, nunc S. Franciſci, cum hac Epigraphe:

HENRICO SEPTALAE
MEDIOLANI ARCHIEPISCOPO
SERAPHICI HVIVS ORDINIS
BENEFACTORI EXIMIO
POST RESTAVRATVM TEMPLVM
A PATRIBVS HVC TRANSLATO
GRATI ANIMI MONVMENTVM
AN. D. MDCCXVIII.

Cœnotaphium verò ipſi poſuit à nobis alibi jam laudatus Carolus Septala tunc Archipresbyter Metropolitanæ, poſtea Derthonenſis Epiſcopus cum Elogio, quod adhuc viſitur in eadem Baſilica Sancti Franciſci propè januam minorem è regione Templi S. Valeriæ, quod hìc exſcribimus, tametſi in eo nonnulla ſint, quæ limam exigant, præſertim in enunciando obitus Henrici die, atque anno.

AETERNITATI.
HENRICVS. SEPTALA.
MEDIOLANI. ARCHIEPISCOPVS.
DOCTRINA. PIETATE. AC. RERVM. GESTARVM. GLORIA.
INCOMPARABILIS.
AD TANTAE. REGIMEN. ECCLESIAE.
AB INNOCENTIO. III. ELECTVS.
AB HONORIO III. CONSECRATVS.
COMES. REGVM. AC. DYNASTARVM.
CVM. EGREGIA. MEDIOLANENS. NOBILIVM. ET. MILITVM. MANV.
HIEROSOLYMITANAM. SVSCEPIT. EXPEDITIONEM.
METROPOLITANI. IVRIS. MIRVS. VINDEX. FVIT.
INSTITVTO. INQVISITORE. IVGVLAVIT. HAERESES.
DOMINICANVM. ET. FRANCISCANVM. ORDINES.
IN HANC. VRB. PRIMVS. EXCEPIT. EISQVE. DOMICILIA. CONSTITVIT.
PLVRIBVS. ECCLESIIS. PATRIMONIVM. NON. MEDIOCRE. ADDIDIT.
MEDIOLANENSI. ECCLESIA. PER. ANNOS. XVI. ET. MENSES. X.
LABORIOSISSIME. ADMINISTRATA.
QVIEVIT. ANN. SAL. MCCXXX. XVI. KAL. OCTOBRIS.
ELATVSQVE. PIO. ET. VERO. VNIVERSAE. ITALIAE. DOLORE.
HIC. IACET.
CAROLVS. SEPTALA. IVRISCONSVLTVS. COLLEGIATVS.
SANCTISSIMI. DOMINI. NOSTRI. INNOCENTII. X.
VTRIVSQVE. SIGNATVRAE. REFERENDARIVS.
ET. METROPOLITANAE. MEDIOL. ARCHIPRESBYTER.
BENE. MERITO. PROPATRVO. TRITAVI. MAXIMO.
ANNO. MDCLII. P.

Huic

Digitized by Google

Huic liceat vetuſtiſſimum marmor adjicere , quod A
ſub interiore porticu Monaſterii Charævallis prope januam Eccleſiæ muro inſertum conſpicitur . In eo hæc leguntur :

ANNO ✠ GRATIAE ✠ MCXXXV. ✠ XI. ✠ KAL. ✠ FEBRVARII ✠ CONSTRVCTVM ✠ EST ✠ HOC ✠ MONASTERIVM ✠ A ✠ BEATO ✠ BERNARDO ✠ ABBATE ✠ CLAREVALLIS ✠ MCCXXII. ✠ CONSECRATA ✠ EST ✠ ECCLESIA ✠ ISTA ✠ A ✠ DOMINO ✠ HENRICO ✠
MEDIOLANENSI ✠ ARCHIEPISCOPO ✠ B
VI. ✠ NONAS ✠ MAII ✠ IN ✠ HONOREM ✠ SANCTAE ✠ MARIAE ✠ CAREVALLIS ✠

Scripſit , ut teſtatur Stradenſis in Chronico , & Godefridus in Annalibus :

I. Tractatum de Expeditione Terræ-Sanctæ , & ſingulariter contra Soldanum Ægypti , cujus exemplum in pergameno, teſte Picinello, extabat apud Carolum Septalium Epiſcopum Derthonenſem, qui adjectis apoſtillis , & Indicibus , ut in ejus articulo memoravimus, illum edere meditabatur. Nonnulli
verò mihi aſſerunt reperiri in Bibliotheca Regis C
Chriſtianiſſimi Codice pergameno magnifaciendo .

II. Henrici Sanctiones , & Decreta pro reformanda Eccleſiaſtica Diſciplina in XIX. Capita diſtributa. Incipit : „ Henricus Miſeratione Divina Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Dilectis filiis „ Præpoſito , & Capitulo . „ Dat. Laude XII. Kal. Junii circa annum MCCXI. MS. in Collect. Diplomat. Nicolai Sormani Ambroſiani Collegii Doctoris .

III. Ejuſdem Epiſtola ad Nobiles Viros Arnulphum , Ardiricum , & Naſciguerram Demanum , & Algiſium de Vetederio. Monet ut deſiſtant ab injuriis illatis Eccleſiæ S. Ambroſii , alioquin minatur Anathema. Sine data . MS. Ibid.

IV. Ejus Diploma , quo Baſilicam Sancti Euſtorgii Prædicatorum Ordini confirmavit ; ex Archivo Baſilicæ Laurentianæ deprompſit Puricell. & edidit Diſſert.
Nazar. cap. CIX. num. 25. D

V. Aliud de re ipſa à Marchione Vercellino Maria Vicecomite Archetypum ſibi oſtenſum idem edidit num. 26. Ibid.

VI. Ejus Diploma datum MCCXXIII. die Lunæ XV. ante Kal. Auguſti , Indictione XI., quo Diplomate Lectoribus Eccleſiæ Metropolitanæ nonnulla bona perpetuò aſſeruit , ac ſolemni ſtipulatione firmavit . Illud edidit Ughellus Tomo IV. Ital. Sacræ Col. 178.

VII. Donatio Henrici Archiepiſcopi Eccleſiæ Sancti Apollinaris Abbatiſſæ , & Monialibus Ordinis Spolitani cum annuo Canone cereorum duorum librarum duarum Archiepiſcopo , & ſucceſſoribus perſolvendo in Feſto S. Apollinaris in perpetuum . Dat. in Caſtro Bribiæ in Palatio Domini Archiepiſcopi die II. Novembris MCCXXIV. Ex Archivo S. Apollinaris exſcripſit laudatus Sormanus , & in Collect. ſuam Diplom. intulit .

VIII. Exemptio Monaſterii ejuſdem ab omni Epiſcopali Ju- E
riſdictione ab Henrico facta , reſervata ſibi & ſucceſſoribus Dedicatione Eccleſiæ , Conſecratione Altarium , Benedictione Abbatiſſæ & Monialium , ſi ab Abbatiſſa , & Monialibus fuerint requiſiti ; & reſervato etiam cenſu cereorum duorum . Dat. IV. Febr. MCCXXV ex eod. Arch. ut ſupra .

IX. Henrici Unio Capitulorum Sanctorum Euſtorgii , & Laurentii , in qua enunciat Ubertum Marinonum tunc Sancti Euſtorgii Præpoſitum , Rolandum , Lanfrancum , & Airoldum Canonicos refutaviſſe Eccleſiam , Domos , & cætera ipſi Eccleſiæ adjacentia in manus Ugonis Cimiliarchæ Mediol. Vicarii ſui . „ Qui tunc eramus in partibus transmarinis in ſervitio Crucifixi „ & tradit Eccleſiam ipſam S. Euſtorgii , cum Sedimine , & Brayda inſimul ſe tenente ad faciendum Hortum , & Brolium , & Domos ædificandas Priori , & Conventui Prædicatorum , anno MCCXXVII. Ext. in Collect. Sormani .



X. Henrici Donatio facta Monaſterio S. Apollinaris quorumdam Hortorum ſui Juris . Incipit : „ Nos Henricus Miſeratione Divina Sanctæ Mediol. Eccleſiæ „ Archiep. Divinæ Pietatis intuitu , & ad preces „ Domini Gregorii Summi Pontificis , & animæ „ noſtræ remedio &c. „ Act. Reate XXVI. April. MCCXXVIII. accedit Gregorii IX. Confirmatio ejuſdem Donationis „ Hortum quem Venerabilis „ Frater noſter Mediolanenſis Archiep ſcopus vobis „ ad preces noſtras pia , & provida liberalitate „ conceſſit &c. „ Dat. Reate XXVIII. Aprilis eodem anno . Extant in Archivo prædicto , unde exſcripſit , & in Collect. ſuam intulit Sormanus .

XI. Edicta plura contra Concubinarios Clericos . Horum meminit Comes Octavius Archintus in Collect. ſua Monument. Famil. Mediol.

Adſunt Epiſtolæ Innocentii III. quibus monet Archiepiſcopum Mediol. ut Henrico tunc Apoſtolico Subdiacono , & Canonico Metropol. Cancellarii munus demandaret . Datæ Peruſii IX. Octob. in lib. I. Decretalium .

Epiſtola ejuſd. Innocentii ad Capitulum Mediol. Dat. Later. VII. Id. Novemb. in qua concedit eis Archiepiſcopum „ Henricum Cimiliarcham Eccleſiæ „ veſtræ Virum providum , & honeſtum „ ex Collect. cit. Sormani .

Alia Honorii III. ad Henricum , quâ confirmat Tranſlationem Sacerdotum ab Eccleſia S. Apollinaris ad Eccleſiam S. Joannis in Brolio ab eo factam . Dat. XVI. Aug. MCCXXV. ex eod. Arch. & Collect.

Altera Gregorii IX. ad eundem de Humiliatorum Regula , dat. Later. VIII. Kal. Jan. Pont. ſui anno I.

Oldeberti Novarienſis Epiſcopi circa annum MCCXII. Epiſtola ad Henricum , in qua petit licentiam locandi Caſtellaniam Mattarellæ , & gratias agit , quod Rainerio Vicecomiti conſanguineo ſuo Caſtellaniam Ferioli tradiderit , ſine data .

Sententia Ugonis Apoſtolicæ Sedis Legati , qua ferit Anathemate Prætorem , & Magiſtratus Mediolani , quòd Henricum Archiep. proſcripſiſſent . Dat. Bononiæ II. Kal. Aug. MCCXXI. Extant omnes in præfata Collect. Sormani .

Ejus meminerunt , præter omnes Mediolanenſium rerum Scriptores , Laurentius Bejerlinck in Magno Theatro tit. Epiſcopus . Ughellus in Tom. IV. Italiæ Sacræ in Mediolanen. num. XC. amiciſſimus Sitonus in Schedis , atque Picinellus in Athenæo pag. 170. , aliique plurimi .

## MDXXXIV.

## SEPTALA HIERONYMUS.

FRanciſcum Septalam , atque Juliam Ripam de Sancto Nazario conjuges habuit parentes , fratrem verò celeberrimum Ludovicum paulo poſt commendandum , Hieronymus Septala Mediolanenſis , Vir omnigenâ litteraturâ , præſertim verò Eccleſiaſticâ , illuſtris . Vix adoleſcentiam ingreſſus Clericos inter relatus eſt , mox ſtudiis minoribus diligenter perfectis , ad Legum tam Pontificiarum , quàm Cæſarearum ſanctiones pervolutandas ſe convertit . In utroque igitur Jure ſummos Academicos honores promeruit , tum juvenili adhuc ætate Vicarius Generalis Novarienſis Epiſcopatus conſtitutus fuit à Carolo à Baſilica Petri , quo in munere ita ſe geſſit , ut Imperialis Templi S. Joannis Baptiſtæ in Oppido Modoëtiæ Infulatus Archipresbyter renunciari meruerit . Inde ad Metropolitanam hujus Urbis translatus eſt anno MDCXVIII. , in qua & Canonicalem inter Ordinarios Præbendam , & Pœnitentiarii Majoris officium geſſit . Gratiſſimus extitit Cardinali Friderico Borromæo hujus Metropolis commendatiſſimo Præſuli , cui maximo fuit adjumento in componendis graviſſimis controverſiis inter Eccleſiaſticum Forum , Regioſque Miniſtros exortis . Urgebat interea Mediolanenſis Clerus Caroli Borromæi haud pridem defuncti Apotheoſim , atque ad eam in Romana Curia promovendam inter alios Viros clariſſimos omnium votis Hieronymus noſter ſelectus eſt , diuturnamque ideo in Urbe moram traxit . Reverſus in patriam benè confecta re , ſcriptis , piiſque operibus plurimum

huic Archidiœceſi profuit ad annum uſque MDCXXX. quo meritis cumulatus deceſſit .

Scripta illius hiſce notantur titulis :

I. Molte antiche autorità del Fonte di S. Barnaba, *Milano*, 1622. ex Picinello, qui Impreſſorem reticuit, & libri formam .

II. Notizie, e Miſcellanee Iſtoriche attinenti a Milano, ed alcune altre Città di Lombardia . MS. in Biblioth. Septaliana teſte eodem Picinello .

III. De Ritibus , & Ceremoniis Eccleſiæ Mediolanenſis . MS. ibid. & in Biblioth. Comitis Pauli Montii .

IV. Tractatus de Virginitate MS. Ibid.

V. Alius de Caſtitate . MS. Ibid.

VI. Alius de Martyrio SS. MS. Ibid.

VII. Alius de Virtutibus, & Vitiis . MS. Ibid. & in cit. Biblioth. Montia.

VIII. Alius de libero Arbitrio. MS. Ibid.

IX. Alius de Noviſſimis . MS. Ibid.

X. Alius de Vita Spirituali . MS. Ibid.

XI. Alius de Cultu Feſtorum . MS. Ibid. & in Biblioth. præfati Comitis Montii .

XII. Alius de Indulgentiis . MS. Ibid.

XIII. Alius de Eſſentia, & Gratia Dei . MS. Ibid.

XIV. Diſcorſi ſopra ciaſcuna parte dell' Uomo viſibile, ed inviſibile, vita, morte, reſpirazione, ſonno, memoria ec. MSS. Ibid

XV. Sermones in ſolemnitatibus SS. MSS Ibid.

XVI. Alii de Paſſione Chriſti . MSS. Ibid. Italicè & Latinè .

XVII. Alii de Beata Virgine. MSS. Ibid. Italicè & Latinè .

Hactenus Picinellus . His tamen hæc addimus :

XVIII. Tractatus de Sacrificio Miſſæ . MS. in fol. in Biblioth. Comitis Pauli Montii .

XIX. Alius de Sacramentis . MS. in fol. Ibid.

XX. Alius de Breviario, & Officio. MS. in fol. Ibid.

XXI. Miſcellanea pro Reformatione Breviarii Ambroſiani . MS. in fol. Ibid.

XXII. Acta multorum Sanctorum, & præcipuè Mediolanenſium Archiepiſcoporum . MS. in fol. Ibid.

XXIII. Miſcellanea ſpectantia ad Forum Archiepiſcopale Mediol. MS. in fol. Ibid.

XXIV. Tractatus IV. de Sacrificio Miſſæ à ſuperioribus diverſi . MSS. in fol. Volumine juſtæ molis apud amiciſſimum Canonicum Joannem Andream Iricum . In cujus MS. fine extat Index aliorum plurium Codicum MSS. ipſius Septalæ , inter quos , præter jam relatos , numerantur Opera , quæ hic recenſemus .

XXV. Relazioni, e Scritture pertinenti alla Canonizzazione di San Carlo , ſendo uno de' Condelegati del Clero a procurarla in Roma .

XXVI. De Dierum Ferialium, Dogmatum, Ceremoniarum , Rituum præcipuè Eccleſiæ Mediolanenſis, Divinorum Origine, Cultu &c. Tractatus varii .

XXVII. Relatio ad Limina Apoſtolorum pro Archiepiſcopo Mediolani , & Epiſcopo Novarienſi . Hujus poſtremi fuit Vicarius Generalis , ut diximus .

XXVIII. Tractatus de Benedictione , & Dedicatione Eccleſiæ .

XXIX. Sermones ſacri de Vita Spirituali .

XXX. Sylvæ Latinæ ad ſacras Conciones in ſolemnitatibus Sanctorum .

XXXI. Sermones in Evangelia Italici, & Latini .

XXXII. Iſtoria , e Conſiderazioni ſopra il Teſtamento Vecchio .

XXXIII. Hiſtoria à Noë uſque ad Chriſtum .

XXXIV. Miſcellanea Hiſtorica, & præcipuè Civitatis Mediolani, ubi de Sacro Clavo .

XXXV. Iſtoria ſacra dal principio del Mondo ſino alla morte di Criſto .

XXXVI. Iſtoria ſacra dalla morte di Criſto ſino al DCCC. dopo quella , ove molte coſe pertinenti a Milano .

XXXVII. Opere di Dio dalla Creazione ſino al Diluvio .

XXXVIII. Conſilium pro erectione Collegii Notariorum in Curia Archiepiſcopali Mediolani .

XXXIX. Monita Communia pluribus Officialibus, & Congregationibus Fori Archiepiſcopalis Mediolani .

XL. Facultates Vicariorum Generalium declaratæ per S. Carolum anno MDLXXVIII.

XLI. De Officio Advocati Fiſci Curiæ Archiepiſcopalis Mediolani .

XLII. De Vicarii Foranei Officio.

XLIII. Communia de Viſitatione Epiſcopali.

XLIV. De Epiſcopo, & ejus munere.

XLV. Ricordi dell' Autore all' Eminentiſſimo Sig. Cardinal Borromeo .

XLVI. Altri a Monſignor Melino Veſcovo d'Imola .

XLVII. Scritture , e memorie pertinenti alla Fabrica del Duomo , e ſuoi Ufficiali .

XLVIII. Volumen continens Caſus Sacræ Inquiſitionis Domino Septalæ tranſmiſſos ad Conſulendum.

XLIX. Volumina quatuor Conſiliorum .

L. Volumen Conſiliorum circa cauſas Matrimoniales .

LI. Volumen Conſiliorum pertinentium ad portionem Colonicam .

Agunt de ipſo Theodorus Trivultius in Serie Canonicorum Ordinariorum Mediol. Comes Octavius Archintus in Collect. Monument. Famil. Mediol. Sitonus in Theatro Genealogico MS. penès eundem Auctorem , atque in Schedis , necnon Picinellus in Athenæo pag. 350.

## MDXXXV.

## SEPTALA JOANNES BAPTISTA.

JOannem Baptiſtam Septalam Benedictus Cancellarius Magiſtratus Extraordinariorum Reddituum hujus Ditionis Mediolanenſis genuit . Patris veſtigiis inhærens & filius , Tabellionatus ſuſcepit officium anno à Deo homine MDLV. Mox Benedicto ipſi in officio Cancellarii ſuffectus eſt circa annum MDLXI. in eoque perduraſſe fertur annos plus minus XXVI. Eruditionem ſuam ſequenti commendavit Opere , in quo diligentiſſimè collegit omnia , quæ ad geminas navigabiles foſſas à fluminibus Ticino, & Abdua deductas , & Mediolanenſem agrum rigantes pertinent , miroque ordine ipſarum ſitum , originem , utilitatem , & hujuſmodi expoſuit . Inſuper Flumina ipſa deſcripſit , & Oppida vicoſque ripis vicina proſecutus , vectigalia , & cenſus annuos inde ad Principis Ærarium provenientia enumeravit. Obiit anno MDLXXXVII.

Scripſit igitur :

I. Relazioni del Naviglio grande, e di quello della Marteſana . *Milano , ſenz' anno , e Stampatore* ; & iterum , *ivi , preſſo il Malateſta* , 1603. *in fol.*

Laudatur à Joſepho Benalio in hiſtor. Magiſtr. Extraordin. pag. 18. & alibi , atque à Sitono noſtro in Schedis, necnon à Picinello in Athenæo pag. 287.

## MDXXXVI.

## SEPTALA JOANNES GEORGIUS.

JOannes Georgius Septala Mediolanenſis alterius Joannis Georgii, atque Urſinæ Sclafenatæ filius, Geographiam, necnon Architecturam Artes prænobiles inter cæteras Scientias adamavit. Circa annum Chriſti Salvatoris MDXLV. florere cœpit in Patria, mox Carolus V. Auguſtus , cùm Italiam adveniſſet , juvenis adhuc Viri famâ commotus, ipſum ad ſe accerſitum in Hiſpanias ſecum deduxit, ubi Uxorem habuit, multoſque vixit annos , Imperatori ſemper acceptiſſimus , utpote quem Mœcenatem laboribus ſuis delegerat , ut infra dicemus . Cæterùm non modicum debet Septalæ tam Inſubria, quàm Hiſpania, magnaque illius laus eſt, Abrahamum Ortelium Virum Clariſſimum , & ob Geographicos Codices editos toto Orbe notiſſimum, tanti eum feciſſe, ut in Lucubrationibus ſuis aliqua ejus inſeruerit mox à nobis memoranda . Patris illius Sepulchrum in Eccleſia Sanctæ Mariæ Pacis Mediolani adhuc viſitur cum hoc Elogio :

HOC

Digitized by Google

HOC EST SEPVLCRVM
SPECTAB. ET EGREG. VIRI
D. IOH. GEORGII DE SEPTALA
ET VRSINAE SCLAFENATAE
ET HAERED. EIVS
QVI OB. ANNO MCCCCXCIV.
DIE XVII. APRILIS.

Scripſit igitur Jo. Georgius noſter, quæ hîc damus:

I. Deſcriptio Ducatus Mediolanenſis, & vicinarum Regionum, *Antuerpiæ, apud Hieronymum Cock*. ex Draudii Biblioth. Claſſica pag. 1173., & apud Ortelium *item Antuerpiæ, anno* 1595. ex Laſor à Varea.
II. Hiſpania Univerſa Tabulis expreſſa. Prodierunt Carolo V. Cæſari, ut ſupra tetigimus, inſcriptæ.
Laudatur à Jo. Jacobo Friſio in Biblioth. Joſepho Benalio in Hiſt. Magiſtrat. Extraordin. Cap. 9. pag. 77. Comite Octavio Archinto in Monument. Famil. Med. Sitono noſtro in Schedis, atque Picinello in Atheneo pag. 303.

## MDXXXVII.

## SEPTALA LANFRANCUS.

Septaliorum Gens Mediolani vetuſtâ Nobilitate illuſtris, ſæculo XIII. præter alios & B. Manfredum Presbyterum & Eremitam, qui ſanctiſſimè obiit circa annum Domini MCCX., & Henricum, de quo ſupra diximus, Mediolanenſem Archiepiſcopum, edidit quoque Lanfrancum, qui exemplo, ac fortaſſe ſuaſionibus ejuſdem B. Manfredi conſanguinei ſui, Deo addictiùs famulari decrevit. Paulò igitur poſt annum MCCXVIII. Eremitarum D. Auguſtini Habitum induit eos inter, qui ſtrictioribus legibus, & regimini ſeſe ſubdiderant B. Joannis Boni de Mantua, cui per ea tempora tum Mediolanenſe, tum alia plura Italiæ Cœnobia obtemperabant. Scientiarum ſtudiis, poſt exactum tyrocinium, felici ſucceſſu impensè vacavit; ſubindeque prædicationis munus obire coactus, in vinea Domini opere ac ſermone ſtrenuè adlaboravit, ut criminum ſpinas, tamquam bonus agricola, penitùs eradicaret. Solitudinem nihilominus perpetuò colere ſatagebat; quod ſui Concellitæ animadvertentes, ac ſuſceptam reformationem, ſi Vir tantus deliteſceret, paulatim evaneſcere arbitrati, eum pluries Cœnobiis moderandis, & ſignanter S. Jacobi ad fluvium Savenam extra Bononiæ meæ muros anno MCCXLIX. præfecere: quinimmò univerſus Jambonitarum Cœtus, (ſic enim vulgò appellabantur hujuſmodi Auguſtinenſes Eremitæ) cui explorata jam erat Lanfranci ſanctitas & prudentia, eumdem præ cæteris an. MCCLII. in ſupremum ſibi Præſulem adſcivit. Plures tunc temporis Eremitarum D. Auguſtini Congregationes exi-

A ſtebant, quæ diverſis titulis, legibus, Prælatiſque inter ſe diſcernebantur: hanc verò diſcordem vivendi formam, utpote filios ejuſdem Patris minùs decentem, Alexander IV. Pont. Max. è medio tollere, agente præſertim Lanfranco, Eremitaſque omnes Auguſtinenſes ſub unico Generali Moderatore, ac Inſtituto colligere decreverat. Ipſius igitur juſſu, cunctorum eorumdem Eremitarum Comitiis habitis, anno MCCLVI. Romano in Aſceterio Sanctæ Mariæ de Populo, in iis præfatorum D. Auguſtini aſſeclarum unio ſancita fuit; electuſque deinde Lanfrancus totius Eremitici Auguſtinienſis Ordinis primus Generalis Antiſtes: cui profectò maxima laus hinc acceſſit, quod ipſe unus Univerſitati hujuſmodi regendæ, quæ viros complectebatur moribus, inſtitutiſque diſparibus aſſuetos, cunctis aliis aptior opportuniorque ſit B viſus. Ut itaque impoſito ſibi oneri pro debito, ac dignitate reſponderet, præterquamquod laboribus vigiliiſque numquam pepercit, nonnulla etiam Statuta (quæ poſtea Conſtitutiones appellavere) mirâ ſapientiâ concinnavit, ut infra memorabimus, tum augendo divino cultui, tum diſciplinæ uniformiter tenendæ utiliſſima, Sodalium quoque calculo comprobata. Familiæ ſibi creditæ, quam in ſanctæ converſationis propoſito firmare ſedulò curavit, octo annis laudabiliſſimè præfuit. Immò ut eam in exteras etiam gentes propagaret, Albertinum Veronenſem Virum Sanctitate illuſtrem, cum aliis religioſis hominibus in Angliam ablegavit. Mediolani tandem in Cœnobio S. Marci, morbo ſenioque confectus, at C meritis plenus, anno MCCLXIV. obdormivit in Domino. Religioſiſſimam Chriſtianæ virtutis imaginem, ſuis in dictis geſtiſve egregiè adumbratam, exhibuit ſemper Lanfrancus; eâque de cauſsâ poſt obitum Beati titulo decorari meruit, cujus rei fidem facit nedum imago, quæ Genuæ viſitur uſque ab anno MCCCCLXVI. in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Cella ad Sanctum Petrum de Arena, ſcilicet in Ara Sancti Nicolai Tolentinatis, titulo, ac radiis Beatorum nobilitata cum hac Inſcriptione: *Beatus Lanfrancus de Mediolano*; ſed & quæ ſimilibus inſigniis tum ligno ſculpta in Sacrario, tum picta in Bibliotheca memorati Cœnobii Marciani conſpicitur; ac ulteriùs propè januam minorem ejuſdem D. Marci Templi in hac Urbe extat nobilis marmoreus Sarcophagus, in quo Venera- D bilis hujus Viri Oſſa requieſcunt. Conſtat hic pario lapide, in cujus fronte plures apparent ſui Ordinis Sodales, & Lanfrancus inter eos in Cathedra ſedens librum manu præfert. In geminis autem lateribus Urnæ ſtant Icones Sanctarum Virginum, & Martyrum Catharinæ & Agnetis. Imminet verò Tumulo Lanfranchi Statua, & circumſtant in angulis Levitæ quatuor in orantium morem compoſiti. Hic Sarcophagus, dum ampliaretur Chorus, ex illius ſiniſtro latere hùc translatus fuit, cui appoſita legebatur antiquitùs hæc Inſcriptio:

HIC SITA SVNT OSSA
BEATI LANFRANCI SEPTALAE MEDIOLANENSIS
QVI
OB MAGNVM VIRTVTVM SPLENDOREM
TOTI AVGVSTINIANO ORDINI PRAEFECTVS PRIMVS
ITA SE GESSIT
VT OMNIA PENITVS COLLAPSA
IN PRISTINVM STATVM REDIGERET
OBIIT
ANNO DOMINI MCCLXIV.

Nunc

Digitized by Google

Nunc verò hæc conſpicitur :

VENERABILIS VRNA B. LANFRANCHI SEPTALAE
PATRITII MEDIOLANENSIS
QVI PRIMVS AVGVSTINIANO ORDINI
AB ALEX. IV. VNITO ET AMPLIFICATO PRAEFVIT
NOVVM SANCTITATE ET VIRTVTIBVS SPLENDOREM
ATTVLIT
ANTIQVVM ZELO ET VIGILANTIA DECVS
RESTITVIT
SANCTISSIME OBIIT ANNO SAL. CIↃCCLXIIII.

Scripſit :

I. Conſtitutiones Ordinis Eremitarum. *Romæ, apud Hæredes Bartholomæi Zanetti*, 1625.

Diffuſè agunt de Lanfranco noſtro Taurellus in Sæc. Auguſt., & præcipuè Tom. IV. pag. 690. & ſeqq., cæterique Hiſtorici præfati Ordinis. Puccinellus in Zodiaco Mediol., Piccinellus in Athenæo Litterat. Mediol. pag. 386 Creſcentius in Anfit. Rom. Boſca in Martyrol. Mediolan. pag. 356., & alii quamplures.

## MDXXXVIII.

## SEPTALA LUDOVICUS.

EX Franciſco Septala, atque Angela Caſata nobilibus conjugibus ortus eſt Ludovicus, de quo nunc agimus. Illuſtrium ſuorum veſtigia ſecutus Lite-
A ris ſe erudivit, ita ut breviter magnum nomen inter J. PP. ſibi conquiſiverit. Ingreſſus igitur Collegium eorundem anno reparatæ Salutis MDVII. Cathedram in Univerſitate Ticinenſi aſcendit pro jure Cæſareo interpretando anno MDXVIII. Pro Patria ad Franciſcum Regem Francorum primùm Legationem optimè geſſit, cùmque à DCCCC. ad LX. ejuſdem Regis juſſu reducerentur Urbis hujus Decuriones, eum inter primarios Rex adſcivit, deinde Quæſturam in Magiſtratu Ordinariorum Reddituum obtinuit, poſtea Regius Senator in toto Mediolanenſi Dominio electus eſt anno MDXXIV., quo Contagioſo morbo miſerè periit. Ejus Patris Franciſci extat adhuc mentio in Eulogio ſequenti, quod legitur in Baſilica Sanctæ Mariæ Scalenſis hujus Metropolis ad Marmoreum Sepulchrum his literis :

D. MAGDALENAE DE CAPELLIS MATRI
SIBI POSTERISQVE SVIS
PRESBYT. DIONYSIVS
S. MARIAE SCALENSIS ECCLESIAE CANONICVS
ET ANDREAS AC FRANCISCVS FRATRES DE SEPTALA
POS. ANN. MCCCCLXXXIX.

B De Ludovico noſtro ſatis eſt dicere, eum laudatum fuiſſe à Soncino juniore Juriſconſultiſſimo, præter alios Viros doctos infra recenſendos, quos inter adnumerandus eſt Curtius item junior, ſic loquens in Conſ. 112., „ Ita etſi ſubtilia motiva Clariſs J. U. D. D. Ludo- „ vici Settaræ olim Diſcipuli mei cordatiſſimi &c. „ Idque ſuper Teſtamento Pauli de Raude, anno „ MCCCCLV. præmiſſo Conſ. 111. „ Dolendum interea eſt, quod tam pauca de hoc doctiſſimo Juris Conſulto proferenda ſint, nam præter Conſilia à Picinello, aliiſque relata, ſors mihi nil obtulit præ manibus contra votum, ideoque aliud à fortunatiori Collectore expectandum eſt.

Habemus de ipſo :

I. Conſilia Juridica. Extant inter Conſilia diverſorum, & memorantur à Curt., juniore ſupradicto, ab Alexandro Rhaudenſi in Reſponſo 37., aliiſque.

II. Conſilium pro Monaſterio Padolyronenſi Monaſterii Sancti Benedicti in Agro Mantuano ; extat in Archivo ejuſdem Aſceterii pagg. 38., teſte P. D. Gaſpare Beretta in ſuis Schedis.

III. Oratio Ludovici Septalii ad Franciſcum I. Francorum Regem. MS. de quo mentio eſt in Indice Bibliothecæ ejuſdem Regis alibi indicato.

Extat in ejus laudem Epigramma Lancini Curtii lib. 14. fol. 58.

Agunt quoque de hoc Ludovico Cavatius in Alleviam. Stat. Mediol. Puccinellus in Zodiaco in Vita Sancti Senatoris pag. 35. Advocatus Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. Art. 353. pag. 82., nec non in Theatro Genealogico pag. 410. MS. in fol. pænes Auctorem, & Picinellus in Athenæo pag. 397.

## MDXXXIX.

## SEPTALA LUDOVICUS alter.

C FRanciſcus Septala, necnon Julia Ripa celeberrimi Joannis Franciſci J. C. Papienſis filia parentes fuere Ludovici, qui lucis uſuram accepit die XXVII. menſis Februarii, anno reparatæ Salutis MDLII. Magiſtrum habuit Clariſſimum Antonium Mariam Venuſtum in humanioribus litteris, è quibus breviter expeditus Philoſophicis facultatibus eruditus extitit à Felice Vico Societatis Jeſu Viro inſigni, ac ſub ejuſdem diſciplina, ætatis annorum pænè XVI. publicas Theſes in eadem facultate omnium plauſu coram Divo

Digitized by Google

vo Carolo Borromæo anno MDLXVIII. habuit; dein in Gymnaſium Ticinenſe ſe contulit, ubi Paulum Cigalinum Comenſem primarium Medicinæ Profeſſorem, & Philelphum Amaltheum Philoſophum audivit: poſt hujus ad Cathedram Taurinenſis Lycæi acceſſum, ſub Octaviano Ferrario Lectiones Philoſophicas ſcripſit, uſque dum & iſte ad Scholas Canobianas Mediolanenſes tranſierit; inde Balthaſſarem Gambarinum Ferrarii ſucceſſorem, & Nicolaum Boldonum, poſt Cigalini obitum ſecutus eſt. Denuo Theuremata Philoſophica ſpatio trium dierum publicè defendit, unicuique arguendi ad libitum facultate exhibita, quod non parum nominis ei conciliavit. Laureâ deinde acceptâ, in Collegio Phyſicorum Mediolanenſium locum obtinuit die V. menſis Aprilis, anno MDLXXIII., ideoque in Patriam redux cum ſupradicto Octaviano Ferrario ſingulari amicitia junctus, ex ejus doctrina multùm noſter profecit, ſcripſitque librum, cui titulus: „ Solutionum apparentium Contradictionum Hippocratis, & Galeni; „ ſed ad Lecturam practicæ in Univerſitate Ticinenſi erectus, illum perficere minimè potuit. Zelo Patriæ poſtmodum ductus idem munus reliquit ob inſerviendum ægrotis tempore Peſtis anno MDLXXVI. Divum Carolum Borromæum in illa teterrima occaſione imitatus eſt, ut ipſemet teſtatur in Epiſtola Nuncupatoria ſui Tractatus de Peſte, ſequentibus verbis: „ Quo tempore ſcilicet ille, ad Orbis admirationem „ Mediolanenſium animis tabe pereuntium Divina „ charitate medebatur, me egregii laboris ſocium „ adſciſcere pro incredibili ejus facilitate voluit. „ Idem egit Ludovicus dum pro ſecunda vice Mediolanum contagioſo morbo affligebatur an. MDCXXX. Trigeſimum verò ſuæ ætatis annum attingebat, quod teſtimonium eruditionis ſuæ in literis Græcis illuſtre dedit Translatione, & Notis ad librum de Aëre, Aquis, & locis Hippocratis. Quinquageſimum tertium annum agens Lecturam Philoſophiæ Moralis in Scholis Canobianis obtinuit, omnium votis; quamobrem fama tanti Viri ubique ſic percrebuit, ut Sereniſſimus Bavariæ Dux anno MDCVIII. Cathedram primariam Philoſophiæ in Univerſitate Ingolſtadienſi ei obtulerit. Id etiam egit Magnus Ætruriæ Dux pro Piſano Archigymnaſio, nec non Senatus Patriæ meæ dilectiſſimæ anno MDCX., qui Septalam anxiè quæſivit, honorario MCC. Aureorum ei oblato; ſed quod plus eſt & duplò aliud ſtipendium à Venetis ei policitum conſtanter reſpuit amore Patriæ ductus. Cathedram verò Lycæi Patavini Senatus Venetus minimè providere inſtituit, niſi conſulente Septalio, qui doctiſſimum Sanctorium laudavit. Idem exemplum ſecuti ſunt Senatus Mediolanenſis, aliique Principes in ſeligendis Profeſſoribus ſuarum Univerſitatum. Anno MDCXXVII. die IX. Januarii à Rege Catholico totius Mediolanenſis Dominii Protophyſicus inſtituitur. Tot curis implicitus, ut ipſe aſſerit in libro IX. Cautionum, nunquam deſtitit à variorum Operum ſcriptione in univerſa literarum Republica commendatorum. Mirum igitur non eſt, ſi & apud Suos, & apud Exteros maximam ſibi famam comparaverit uſque dum morte correptus an. Chriſti MDCXXXIII. die XII. menſis Septembris octuagenario major Tumulum in Baſilica Apoſtolorum, vulgò Sancti Nazarii Majoris, apud Suorum Cineres habuerit, cum ſequenti Inſcriptione:

D. O. M.

LVDOVICO SEPTALAE

GENERI AC DOCTRINAE LVMINIBVS CLARISSIMO

PHILIPPI IV. HISPANIARVM REGIS

ARCHIATRO

VRBIS MEDIOLANENSIS CIVI ET AVERVNCO

QVI MORTEM QVOTIES VOLVIT VICIT

VICIT QVOTIES REMEDIA ATTVLIT

POST DOMITAM PESTEM

LVCVBRATIONIBVS ADHVC SVIS

CVM MORBIS ET LIBYTHINA PVGNANTI

PARENTI SVO AMANTISSIMO ATQVE LITTERATISSIMO

FILII CAROLVS DERTHONENSIS ECCLESIAE ANTISTES

ET ANTONIVS VRBANIS HONORIBVS

SAEPE AVCTVS

VECTIGALES LACHRYMAS PENDVNT

MANFREDVS VERO HVIVSCE ECCLESIAE CANONICVS

IN MORTALITATIS IPSIVS DOMICILIO

MONVMENTVM IMMORTALE P.

PRIDIE IDVS SEXTIL.

ANNO INTERCALARI MDCLXXXXII.



Digitized by Google

Vir fuit gravi amabilique aſpectu, ſingulari prudentia præditus, itaut à Principibus jam ſupra memoratis, nec non ab aliis pluribus, ſcilicet à Ducibus Sabaudiæ, Mantuæ, atque Urbini, nec non à plerisque S. R. E. Cardinalibus, & à celebrioribus ſuæ ætatis in Literis hominibus ſingulari in exiſtimatione habitus fuerit, & cum eis commercium Epiſtolare frequentiſſimè ſervaverit, inter quos fuit Erycius Puteanus, ut infra demonſtrabimus.

Hæc ſunt ejus Opera jam ab aliis relata, ſed non ex integro, ut facilè conferentibus patebit.

I. Animadverſionum, & Cautionum Medicarum libri VII. ad Carolum Boſſium. *Mediolani*, 1614. *in* 8.

II. Animadverſionum, & Cautionum Medicarum libri II. Septem aliis jam editis additi, quæ ad vulnera curanda, & quæ ad componenda. *Mediolani, apud Bidellum*, 1629. *in* 8., *& Patavii, apud Paul. Frambottum*, 1630. *in* 8. Simul deinde hi libri novem ſunt editi, à J. Perio recogniti, & in hac poſtrema editione expurgatis quamplurimis mendis, novo nitori reſtituti. Quibus acceſſit Auctoris liber de Nævis. *Drodrechti, apud Vincentium Caimax*, 1650. *in* 8. *Patavii, apud Paulum Frambottum*, 1652 *in* 8. *Ibidem*, 1659. *in* 8. Quibus poſtremis duabus Editionibus additæ ſunt Notæ Joannis Rhodii.

III. De Nævis liber unus, ad Hieronymum Caymum Conſilii Italici Regentem. *Mediolani, apud Bidellum*, 1626. *in* 8. *Ibid. apud Petrum Martyrem Locarnum*, 1628. *in* 8., *Lugd. apud Jo. Thuilium*, 1628. *in* 8., *Argentorati*, 1629. *in* 12., *Patavii, apud Paulum Frambottum*, 1651. *in* 8. Idem Opus Italicè ſcriptum extat in libro, cui titulus: „ La Fiſonomia del Porta. „ *Venezia, per il Tommaſini*, 1644. *in* 4.

IV. De Peſte, & peſtiferis effectibus, libri quinque. *Mediolani, apud Jo. Bapt. Bidellum*, 1622. *in* 4.

V. De Morbis ex Mucronata Cartilagine evenientibus, liber unus. Opus novum, & de noviter cognitis morbis editum, ad Præſidem Senatus Jo. Bapt. Trottum. *Mediol. apud Georgium Rollam*, 1632. *in* 8. Ibi Cap. VI. pag. 23. laudavit Codrunchium de eadem re agentem, ſed aſſerens ibidem, Mucronatæ elevationem ſibi ſoli compertam fuiſſe.

VI. In librum Hyppocratis Coi de Aëribus, Aquis, & Locis Commentarii. Appoſitus eſt Græcus Hippocratis contextus, ope antiquorum Exemplarium reſtitutus, & in multis locis emendatus, unà cum nova ejuſdem in latinum verſione. *Coloniæ, apud Jo Baptiſtam Ciottum*, 1590. *in fol.*, *& Francof. apud Jo Beyr*, 1645. *in fol.*

VII. In Ariſtotelis Problemata Commentaria, ab eo latinè facta. *Hanoviæ, apud Claud. Marinum*, 1602. *in fol.*, *& Lugduni, apud Claud. Landry*, 1632. *T. II. in fol.*

VIII. De Margaritis nuper ad nos allatis judicium. Ad Collegas ſuos Collegii Mediolanenſis Medicos. *Mediolani, apud eundem*, 1628. *in* 8.

IX. Analyticarum, & Animaſticarum Diſſertationum libri duo. *Mediolani, apud Joannem Baptiſtam Bidellum*, 1626 *in* 8. His acceſſerunt ejuſdem liber de Nævis tertiò impreſſus, & de Margaritis nuper ex India ad nos allatis, ejuſdem judicium, iterum impreſſum, & ipſius judicii aſſertio. Doctore Ildefonſo Nuñez Authore, tertia editio. *Mediolani, apud Jo. Baptiſtam Bidellum*, 1626 *in* 8.

X. Della preſervazione dalla Peſte. Al Senatore Franceſco Arconati. *Milano, per Gio. Battiſta Bidelli*, 1630. *in* 8.

XI. De ratione inſtituendæ, & gubernandæ familiæ, ad Julium Areſium Senatus Mediolanenſis principem. *Mediolani, apud Bidellum*, 1626. Liber quidem rarus, & cujus editio minimè nota fuit Cl. Curtio. Joannes Georgius Schelhornius in Tomo I. Amœnitatum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Literariæ. *Lipſiæ*, 1737. *in* 8. Diſſertationem integram præfert librorum quorundam rariorum, & inter eos hunc Ludovici Septalii, de quo dat Specimen.

XII. Della Ragion di Stato libri VII. *Milano, per il Bidelli*, 1627. *in* 4. Opus hoc latinè verſum *Francofurti* editum fuit *anno* 1679. *in* 4.

XIII. Lettera in cui ſi ſpiega la mobilità della Paſqua. Hanc ſcripſit ad Angelicam Agatham Sfondratam Gregorii XIV. Pontificis neptem, nec non in Monaſterio Mediolanenſi Divi Pauli Monialem. *Mediolani, ſine anno, & Typographi nomine, in fol.*

XIV. Epiſtola ad Paulum Zacchiam, in qua Opus ejuſdem Quæſtionum Medico-legalium ſummopere commendat, extat in Alatii Apibus Urbanis pag. 215.

XV. Antidotario Romano &c. aggiuntovi le Avvertenze, e l'Oſſervazioni appartenenti alla Compoſizione de' Medicamenti di Lodovico Settala. *Milano, preſſo il Bidelli*, 1635. *in* 4.

XVI. Cura locale de' Tumori peſtilenziali. *Milano, preſſo il Bidelli*, 1629. *in* 12.

XVII. Solutiones apparentium contradictionum Hippocratis, & Galeni. MS.

XVIII. De morbo Gallico. MS.

XIX. Tractatus de Riſu. MS.

XX. Litteræ de Morali, & Politica Ariſtotelis. Vol. II. MSS.

XXI. Diſcuſſiones Peripateticæ. MS.

XXII. Exercitationes in Galenum. MS.

XXIII. Conſultationum Medicarum. Vol. II. MSS.
De ſupradictis Operibus MSS. teſtes habeant Lectores Curtium, & Picinellum.

XXIV. Judicium de Octimeſtri Partu ad quæſitum Federici Bonaventuræ, cum iſtius Reſponſione. MS. in Bibliotheca Ambroſiana, ſign. Q. num. 118. in fol., inter eos in 4.

XXV. Opinione di Lodovico Settala ſopra la parola Comitio, o Senacolo di Aſconio, non *Auſonio*, ut malè in Curtio. MS. in Bibliotheca Ambroſiana, ſign. S. num. 81. in fol.

XXVI. Epiſtolarum Latinarum ad Viros doctos Volumen integrum MS., quod apud Auctoris hæredes ſe vidiſſe aſſerit Cl. Curtius loco infra citando.

XXVII. Aliæ plures ad Erycium Puteanum ſcriptæ, ut eruitur ab iſtius Reſponſionibus, atque ab aliis ejuſdem Puteani ad Septalium noſtrum, quæ ſunt:

1. Data Gallarati VII. Kal. Quintilis MDXLVIII., in qua agit eruditè de modo ſcribendi Epiſtolas. Eſt in Centuria I., Promulſis inſcripta, pag. 36.
2. Hieronymo & Ludovico Septalio; in ipſa Nobiſitatem Septaliæ Gentis facilè agnoſci à ſeptem alis ejus Stemmatis ob res fortiter geſtas. Sine data. Ibid. pag. 39.
3. Data Patavii VIII. Eid. Novemb., in qua ei gratias agit de Litteris receptis. Ibid. pag. 59.
4. Data Patavii XIV. Kal. Martias MDLX., qua amicitiam iniiſſe nuntiat cum Sadelero, & Ludovico noſtro, atque Epiſtolam illius Septalio mittit. Ibidem pag. 81.
5. Data eſt XIII. Kal. Septemb. MDCII., in qua iter ſuum deſcribit ab Oppido Rhaude ad Lacum Verbanum, cujus eſt integra, atque amœna narratio; adeſt in Claſſe II. pag. 116.
6. Sine Data, & in ipſa Septalium rogat, ut ſaltem una vice qualibet hebdomada ei ſcribat. Ibi notat quoque errorem Galeni & Caſſiodorii, cùm de morte Antonini Imperatoris agunt, auctoritate Hiſtoricorum, unà cum Inſcriptione veteri, quam refert & Nummos, ſicque deſinit: „ Tu „ Septali judica, qui veterem, novamque Hiſto„ riam perluſtraſti. „ Extat in Centuria II. pagina 99.
7. Alia data eſt Patavii XIII. Kal. Aprilis MDCI. cum qua antiquam Inſcriptionem Æſculapio poſitam Septalio mittit, ut explicationem Erycii approbet. Ibidem pag. 23.
8. Lovanii XV. Kal. Decembres MDXCIX. Reſpondet Litteris Septalii, quas eruditas vocat, atque in ipſa loquitur de Studiis Frederici Quincti, Juſti Lipſii, Joannis Baptiſtæ Sacci, Fulvii Urſini, atque Vincentii Pinelli. Ibid. pag. 48.
9. Alia data Lovanii poſtrid. Eid. Februarii MDCX. Agit cum Septalio de morbo ſtomachi, quo liberatus extitit in quodam itinere maritimo Bataviam verſus; extat in Centuria tertia pag. 88.
10. Alia laudationum Septalii plena, ut diſerti Græcis, & Latinis Litteris, & ſic deſinit: „ Somnium tibi meum placuiſſe equidem gaudeo. Fra„ tris tui vulnus, Viri optimi, & immortalitate „ digni, tenerrimo affectu planxi. Vale, VIII. Kal. „ Majas MDCIX. Quid ſcribis, quid doceas ſcire „ cupio, & quæ frequentia Canobianas Muſas æſti„ met.

XXVIII. Labyrintus Medicus extricatus, ſive Methodus vitandorum eorum, quæ in praxi occurrunt, demonſtrantibus Guil. Ballonio, & Lud. Septalio. *Genevæ*, 1687. *in fol.*

Ludovicum noſtrum Benedictus Sociacus, Joſephus Maria Ciria Cremonenſis, Guilielmus de Montolon, necnon Jacobus Valerius Carminibus celebrarunt. Primus in libro tertio pag. 115. ſuorum Epigrammatum, & lib. IV. pag. 159. Secundus & tertius in Tomo III. Carminum Illuſtrium Poëtarum Italorum pag. 406. Quartus verò in Codice MS. Epigrammatum, quem poſſidet Bibliotheca PP. Teatinorum D. Antonii hujus Urbis.

Elogium Auctoris noſtri ſcripſit Laurentius Craſſus in

Digitized by Google

in Tomo II. Elogiorum de Viris Illuſtribus Italicè. *Venetiis*, 1666. *in* 4.

Ei dicavit Baptiſta Codronchius librum de Morbis veneficis. *Mediolani*, 1618 *in* 8. Sicut & Joſeph Laurentius Diſſertationem XVIII. lib. I. ſuæ Polymathiæ.

Videndi quoque ſunt Ripamontius, Paſchalis Gallus in Bibliotheca Medica, Petrus Paulus Boſca in libro de Origine & Statu Bibliothecæ Ambroſianæ, Abbas Ghilinus in ſui Theatri parte I. Joannes Jacobus Mangetus in Bibliotheca Scriptorum Medicorum, Tom. IV. pag. 253., ubi Elogium ſatis inſulſum de Auctore noſtro profert, ex Labyrintho Medico extricato jam à nobis relato num. XXVIII., & ſatis jejunè de ipſius Operibus agit, quæ in Curtio, & in Picinello perſpicere potuerat: ſupradictus Cl. Curtius in ſuo libro de Medicis Scriptoribus Mediolanenſibus pag. 52. 137. & 143. Picinellus in Athenæo pag. 398., & Sitonus in Schedis.

## MDXL.

## SEPTALA LUDOVICUS alter.

EX Senatore Septala Phyſico Collegiato Mediolanenſi, cui ob eruditionis præſtantiam honeſtiſſimum locum in hac Bibliotheca aſſignabimus infra, atque Iſabella Caluſcha conjugibus editus eſt in lucis auras Ludovicus alter Eccleſiaſticis dignitatibus meritò adeptis clariſſimus. Hic alterius Ludovici Avi ſui ſupra commendati nomen è Sacro Fonte ſortitus, quamvis ad omninò diverſa ſtudiorum genera converterit animum; nihiloſecius ingenium quoque illius referre viſus fuit. Vix enim adoleſcentiam ingreſſus, auditiſque jam eloquentiæ præceptis, legibus ſibi vacandum cenſuit tam Imperatoriis, quàm Pontificiis, quarum conſummato curriculo Togam induit, & in patrio Juriſprudentum Collegio ſedem obtinuit anno Incarnati Verbi MDCLXI. Cùm autem non ingenuas minus doctrinas, quàm pietatem coleret, aſſumptus in ſortem Domini ſacris Aris ſe devovit, pauloque poſt Canonicali Præbenda inter Ordinarios Templi Maximi eſt honeſtatus. Regebat per ea tempora Derthonenſem Eccleſiam Patruus ejus Carolus, de quo pluribus ſupra diximus, cùmque ad Paſtoralis ſollicitudinis partes Vicarium ſibi Generalem electurus eſſet, neminem ad id munus aptiorem Nepote judicavit; quocirca accitum Derthonam, impetrata prius ab Apoſtolica Sede veniâ, vices ſuas obire juſſit. Non paucos in officio traduxit annos, æquitatis ſemper obſervantiſſimus; donec Archipresbyter Metropolitanæ renunciatus in patriam rediit; omnium gratulatione exceptus, præſertim verò à Collegis, apud quos tanti fuit, ut defuncto Alphonſo Litta Cardinali Archiepiſcopo anno MDCLXXIX. eum communibus ſuffragiis Capitularem, ut vocant, Vicarium elegerint. Cùm biennio illo munere laudabiliter functus eſſet, anno MDCLXXXI. à ſanctæ memoriæ Innocentio XI. Pontifice Maximo evectus eſt ad Cremonenſis Eccleſiæ Cathedram poſt obitum Auguſtini Iſimbardi Epiſcopi vacantem. Sibi commiſſum populum verbo, & exemplo paſcere ſtuduit, conditis etiam in Diœceſana Synodo, de qua recurret inferiùs mentio, ſaluberrimis legibus. Neque Epiſcopalis menſæ jurium curam neglexit; bona etenim illius adauxit, ædibus vel de novo conditis, vel vetuſtatis ſquallore deterſis. Sancti Homoboni Cremonenſis Civis, & Patroni ejus Urbis præcipui Templum, Præpoſiturali dignitate, atque decentiſſimo Canonicorum Collegio decorandum curavit. Meritis tandem, annisque gravis ad mercedem, ut piè creditur, æternam evolavit prid. Kal. Junias, anno poſt Chriſtum natum MDCXCVI. Cadaver illius Mediolanum relatum, apud Avorum cineres in Baſilica Apoſtolorum, Sancti Nazarii nuncupata, requieſcit.

Eruditionem illius, quæ hìc damus, oſtendunt:

I. Synodus Diœceſana Cremonenſis ab Ughello loco inferiùs memorando laudata.

II. Sermone della Giuſtizia, detto in Duomo nell' aprirſi de' Tribunali, li XII. Novembre MDCLXII. *Tortona, per il Viola, in* 4.

Commendant ipſum cit. Ughellus in Ital. Sacr. Tom. IV. in Cremonenſibus num. LXXXVI. Mazzucchellus in Schedis, atque Sitonus noſter in Chronico J. PP. pag. 223. art. 994.

## MDXLI.

## SEPTALA MANFREDUS.

INter cæteros Ludovici Septalæ, atque Annæ Aronæ conjugum liberos, quorum aliquos, ſicut & patrem in hoc Opere commendatione debita proſecutos Lector optimus ſuis locis inveniet, non infimam occupat ſedem Manfredus, qui anno ſæculari MDC. dieque VIII. Martii in lucem editus fuit. Ejus ingenium optimè noverat Ludovicus genitor ad bonas artes univerſas aptiſſimum, quapropter puerulum primis ſtudiorum rudimentis excultum Ticinum miſit, deinde Senas, ubi condiſcipulum habuit Fabium Chiſium, poſtea Alexandrum VII. Summum Pontificem, apud quem magni ſemper habitus fuit, atque inter primos dilectus. Cùm verò quindennis Mantuæ in Ducali Palatio Muſæum contemplatus fuiſſet, Mathematicas diſciplinas, & thoreumata elaborandi artem adeo cœpit diligere, ut dum adhuc Piſis, docente Acarigio Senenſi Viro litteratiſſimo legibus vacaret, ubi etiam lauream ſuſcepit, à Magno Etruriæ Duce eam ob rem cognitus fuerit, & amatus, præcipuis ſemper quoad ipſe vixit ab ipſo Duce ejuſque conjuge Sereniſſima benevolentiæ argumentis honeſtatus. Cupiens interim quæ curioſa ſunt naturæ portenta in Inſula Siciliæ coram inſpicere, eò contendit præfati Ducis triremibus vectus, initaque conſuetudine cum Equite Vincioli Claſſis Præfecto, eo hortante Orientem adire ſtatuit. Hydrunto igitur ſolvens, Cyprum petiit, & Syriæ littora prætergreſſus, Alexandriam in Ægypto vidit, indeque tranſiit in Cretam, atque Eubœam Inſulas, magnis exantlatis periculis inter pyratarum inſidias, aliquando etiam à barbaris telo transfixus. Ex Creta Smyrnam, Ephœſum, & tandem Byzantium perrexit, ac ibi binos inſumſit menſes profana Agarenorum Templa, Ædificia, vetuſtatis reliquias, aliaque hujuſmodi diligenter inviſens. Ut autem è plagis Orientalibus regreſſus eſt Mediolanum anno MDCXXX., eruditionem ſuam Civibus patefecit. Optimè namque Italicè, Gallicè, Hiſpanicè ſcribebat, ac loquebatur, ſatiſque noverat Anglorum Idioma, Græcum etiam, Armenum, & Indicum. His ornamentis adjecerat Philoſophiæ, atque Matheſeos peritiem inſignem, Opticus, Thoreumaticus, Sculptor, Chimicus, Muſicus excellens ab omnibus habitus. Hujuſmodi illius animi dotibus permotus Fridericus Cardinalis Borromæus, inter Clericos jam pridem relatum, Hypodiaconum creavit, & Canonicali Præbenda in Apoſtolorum Baſilica, vulgò Sancti Nazarii dicta, decoravit. Ut autem Manfredus Alexandrum VII. olim, ut ſupra innuimus, condiſcipulum ſuum, ad Apoſtolicæ Sedis faſtigium evectum audivit, gratulaturus amico ſupremam Chriſtiani Orbis dignitatem, Romam petiit, ubi Pontificis pedes exoſculatus, humaniſſimèque ſuſceptus aliquam traxit moram, ut Urbem, & tot in ea tam novæ, quàm veteris magnificentiæ monumenta, & Chriſtianæ præſertim religionis, quæ ad Eccleſiæ pertinent initia, antiquitates veneraretur. Sacras præſertim Cryptas, ubi Martyrum lipſana requieſcunt,

adire

Digitized by Google

A

adire ſolebat, earumque inter ambages, ac, ut ita dixerim, Meandros aliquando viæ exitus incertus conſiſtere plures coactus eſt horas non ſine præſenti vitæ diſcrimine. Italiam quoque ferè omnem peragravit, cum adjacentibus Inſulis, ut æquoris miracula cerneret. A præcipuis Europæ Academiis inter Collegas concupitus fuit, Florentiæ ſcilicet, Mantuæ, Patavii, Genuæ, præſertim verò inter Eruditos Londinenſes locum obtinuit, ubi Principes tantùm Viri, & ex primaria Nobilitate proceres recenſeri conſueſcunt. In Academia Pictorum à prælaudato Cardinali Borromæo inſtituta Præfecturam geſſit, atque privatis in ædibus Muſæum condidit inſigne ad hanc uſque diem ſuperſtes, de quo libet verba Petri Pauli Boſchæ referre, quæ in libro V. de Origine, & Statu Bibliothecæ Ambroſianæ leguntur: „ Commendant

B

„ Cives, ac peregrini homines excellentiam Septaliani ingenii: verſat ille in omnes partes artificia ſingula; condit ex chalybe ſpecula, qualia inveniſſe dicitur Archimedes ad incendendas Romanorum naves, cùm cingerentur obſidione Syracuſæ, glandes perpetuo curſu, recurſuque commeantes, theleſcopia, ac microſcopia, gemmas, novas canendi fiſtulas, ſpectra, & icunculas arcanis greſſibus mobiles; quæ omnia ſuo marte excogitavit, & cum reliqua ſupellectile numiſmatum, tabularum, magnetis, ac barbari amictus domeſtico Muſæo incluſit ad artis miraculum, atque Urbis ornamentum. „ Hiſce artibus intentus, & tam in Cives, quàm in Exteros Viros humaniſſimus vitam traduxit Manfredus noſter ad annum uſque MDCLXXX. quo ſublatus eſt terris die XVI. menſis Februarii, cujus exequialem pompam in præmemorata Apoſtolorum Baſilica celebratam deſcripſit, ut infra dicemus, Marchio Joannes Maria Vicecomes. Cadaver illius in eadem Baſilica conditum requieſcit, ubi Sepulchrum ſibi vivens paraverat cum hoc humili Elogio:

PLVRES EDOCTVS ARTES
VNAM NESCIENS VIVVS
AB HOC SEPVLCHRO CONDITO DISCO MORI.

Muſæum ſuum memoratum Ambroſianæ Bibliothecæ ſupremis legaverat Tabulis, atque in hujus beneficentiæ perpetuum Monumentum Ambroſianæ Bibliothecæ Conſervatores ſequentem Inſcriptionem paraverant; verùm cùm hæredibus contradicentibus numquam ea ad Bibliothecam pervenerit, gratum Poſteris animum ſuum ſaltem declaravere.

MANFREDVM SEPTALIVM
GENERE ET INGENIO CLARISSIMVM
BASILICAE NAZARIANAE CANONICVM
ARCHIMEDEM MEDIOLANENSEM
BIBLIOTHECAE AMBROSIANAE AMANTISSIMVM
LAPIS HIC BENEFICENTIAE MEMOR
A CONSERVATORIBVS EIVSDEM BIBLIOTHECAE
COLLOCATVS ANNO MDCLXXX.
DONAT IMMORTALITATE.

C

Habent verò poſteri eruditionis illius hæc monumenta:

I. Libro di Secreti. Opus hoc arcanis naturæ refertum Typis paratum habebat Manfredus noſter ſcribente Athenæum ſuum Abbate Picinello, qui etiam ſequentium meminit, ſed nil de eorum editione.

II. Viaggi del Sig. di Loire traddotti dal Franceſe. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1681. *in* 12. Editio poſt mortem Auctoris habita, & abſque ejus nomine.

III. Viaggi d'Anghilterra traddotti dal Franceſe. Hæc verò an edita fuerint nos latet.

Oravit in ejus Funere Joannes Baptiſta Paſtorinus Presbyter Societatis Jeſu, qui & Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, vulgavit, quod qui cupit adeat Clariſs. Curtium de Script. Medicis Mediol. pag. 145. Exequias verò illius, ut ſupra diximus, expoſuit præfatus Marchio Vicecomes, ſicut etiam editus eſt anno 1680. *Mediolani, Typis Archiepiſcopalibus, in* 4. liber ſic inſcriptus: „ Manfredo Septalio Academia funebris habita in Collegio Braydenſi. Comes Joannes Andreas Aliſer digeſſit in ordinem.

D

Vitam illius hiſpanico Idiomate edidit Alphonſus Bernardus de Yriſſarri hoc titulo: „ Compendio de la Vida de Manfredo Settala, con la deſcripcion de ſu celeberrima Galeria, y la Traduccion de la Oracion funebre que ſe dixo en ſus exequias, por Don Alfonſo Bernardo de Yriſſarri. *En Milan, por Marco Antonio Pandulfo Malateſta*, 1681. *in* 4.

Muſæi illius deſcriptionem latinè conſcripſit Paulus Maria Terzagus, de quo ſuo loco, quod Opus Petrus Franciſcus Scarabellus italicè reddidit.

Juvat etiam hìc addere verba Clariſs. Bonanni Soc. J. in Micograph. cap. 3. pag. 17. in laudem ipſius. „ Non minus claruit in Italia, ut aliarum rerum Scientia, & Muſæo toto Orbe celeberrimus D. Manfredus Septala Mediolani Urbis Sydus ſplendidiſſimum opticorum inſtrumentorum fabricâ.

Ejuſdem magna cum laude meminerunt Philippus Maria Bonini in libro inſcripto: „ L'Uomo Evangelico. Dominus de Monconys in ſuo Itinerario, Olaus Borichius: Curtius de Script. Medicis Mediol. pluribus in locis, præſertim verò pagg. 8. 144. & 188., ac tandem Picinellus in Athenæo pag. 407.

## MDXLII.

## SEPTALA SENATOR.

SAncti Senatori Mediolanenſis Archiepiſcopi Elogium auſpicaturi monendos prius Lectores duximus, de illo inter ſe decertare, quemadmodum teſtis eſt Ripamontius mox citandus, Septalios, atque Villanos, quarum Familiarum ſingulæ tantum Antiſtitem ſibi vendicare ſtudent. Nos verò litem dirimere non audentes, liberum unicuique relinquimus ſententiam ſuam tueri, dum communiorem ſecuti nuncupationem Septalam ipſum cognominamus. Neque minor de illius patria concertatio eſt, nam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ parens Cardinalis Cæſar Baronius in Notis ſuis eruditiſſimis, quibus Martyrologium Romanum illuſtravit, ad diem VI. Kal. Octobris ſub littera F. referens Legationem Byzantium miſſam à Sancto Leone Magno, arbitratus eſt Senatorem, qui eo functus eſt munere (quodque de noſtro affirmant Rerum Inſubriæ Scriptores omnes) non Mediolani ortum fuiſſe, ſed Romæ. Id tamen facilè conciliabit, qui cum Boſca loco citando dixerit, Senatorem hunc fortè Mediolano oriundum Romæ natum, vel Roma oriundum Mediolani natales habuiſſe. Illud confirmat Vir doctiſſimus adducto teſtimonio S. Euſebii Mediol. Antiſtitis, qui in Epiſtolâ ſuâ ad præfatum S. Leonem è Synodo Comprovincialium Epiſcoporum ſcriptâ, Senatorem Compresbyterum ſuum

Digitized by Google

ſuum appellat, quemadmodum Abundantium, ſive mavis Abundium, Coëpiſcopum dixit, ut alter ad Provinciam, alter ad Eccleſiam Mediolanenſem pertinere videatur. Qui autem plura cupit de Sancti Senatoris cognomine, adeat Clariſs. Bollandi Continuatores ad diem XXVIII. Maji pag. 770 ubi integram reperiet de hac controverſia Diſſertationem. Interim enim juvat potius ipſius Sancti Antiſtitis acta breviter exhibere. Senator igitur adhuc Mediolanenſis Eccleſiæ Presbyter tantæ virtutis, doctrinæ, atque prudentiæ laude floruit, ut à Sancto Leone Magno, quod ſupra innuimus, ad Theodoſium II. Imperatorem cum Sancto Abundio Comenſi Epiſcopo, quem alii Abundantium vocant, & Aſterio, incertæ hactenus Sedis Epiſcopo, atque Baſilio Presbytero miſſus fuerit Apoſtolicæ Sedis Legatus, Valentiniano VII. & Avieno Coſs. anno ſcilicet Æræ Chriſtianæ CCCCL. Cauſam verò Legationis exponit Sanctus Pontifex hæc ſcribens ad Theodoſium Auguſtum in Epiſtola ad eum data, quæ inter illius impreſſas viſitur num. XXXIII. „ Ut ſalubribus curis „ velocior, pleniorque, auxiliante Domino, per ve„ ſtræ clementiæ fidem præſtetur effectus: ad pieta„ tem veſtram Fratres, & Coëpiſcopos meos Abun„ dium, & Aſterium, ſed & Baſilium, & Senato„ rem Presbyteros, quorum mihi devotio eſt pro„ bata, direxi: per quos quæ noſtræ forma ſit fidei, „ manifeſtatis inſtructionibus, quas miſimus, poſſitis „ dignanter agnoſcere. „ Sunt qui putent, horum ſtudio, atque opera collectum fuiſſe Concilium Conſtantinopolitanum, atque Senatorem noſtrum Chalcedonenſi etiam Synodo interfuiſſe anno ſequenti celebrato videntur innuere, qui tradunt eum Mediolanum reverſum Sanctæ Virgini, & Martyri Euphemiæ Templum propè paternas Ædes excitaſſe, quòd tumulum illius Chalcedone poſitum religioſè frequentaſſet. Supramemorati autem Bollandi Continuatores ſentiunt, eum è Conſtantinopolitana Legatione Italiam verſus adveniſſe, & apud Leonem Pontificem Concilii tempore conſtitiſſe, cujus Epiſtolam ad Euſebium Mediolanenſem ſcriptam detulerit, nam ita incipit ejuſdem Euſebii reſponſio: „ Recens Epiſto„ lam Beatitudinis Veſtræ in Sacerdotum Domini „ Concilio, quam Sanctus Frater & Coëpiſcopus „ noſter Abundantius, & Compresbyter meus Sena„ tor detulerant &c. „ ex qua etiam eruitur, Sanctum Senatorem Mediolanenſi Provinciali Synodo tunc habitæ interfuiſſe. Mortuo Euſebio ſucceſſit Sanctus Geruntius, huic Sanctus Benignus, quo etiam in Cœlum evocato, communi Cleri Ambroſiani, populique Mediolanenſis conſenſu ad Inſulas Senator evocatus fuit anno Redempti Orbis CCCCLXXVII. Porro in Tabula Archiepiſcoporum ex Decreto Concilii Provincialis IV. conſcripta, aſſeritur hujus Eccleſiæ gubernacula ſuſcepiſſe Nonis Decembris die Feſto S. Ambroſii, & annos ſediſſe IV. Gelaſio Pontifice. Id tamen improbant prælaudati Bollandiſtæ, advertentes, & rectè, Feſtum S. Ambroſii non celebrari Nonis Decembris, ſed VII. Id. ejuſdem menſis, & Gelaſium anno CCCCXCII. tantummodo Pontificatum iniiſſe, quo tempore jam Senator in Cœlum migraverat. Corrigunt iidem Scriptores doctiſſimi aliud Ughelli ſphalma, qui Simplicium Papam Senatori Archiepiſcopalem dignitatem contuliſſe teſtatus eſt; id enim nulla ratione fieri potuit, cùm eruditis omnibus notiſſimum ſit, nondum ea tempeſtate Romanos Pontifices hoc muneris extra Urbem, ſuæque Ordinationi ſubjectas ſuburbicarias Diœceſes aſſumpſiſſe. Senator igitur vix Ambroſianam aſcendit Cathedram, Paſtoralibus ſic emicuit virtutibus, ut inter laudatiſſimos non litterarum tantum, ſed pietatis etiam laude Antiſtites jure meritò cenſeatur. Sacrum Mediolanenſibus Jus dixit annos circiter tres. Cùmque migraſſet ad Dominum, in præfata Eccleſia S. Euphemiæ conditus fuit, ejuſque memoria III. Kal. Junii ſolemni Officio quotannis in univerſa hujus Metropolis Archidiœceſi recolitur. Etenim ob præclarè geſta inter Cœlites recenſitus creditur: quamvis longè diſtent, qui meliori utuntur criterio, ab eorum ſententia, qui ſcripſere, ipſum ab Anaſtaſio II. Pontifice Max. Sanctorum albo adſcriptum fuiſſe, cùm Eruditis omnibus compertum ſit plura poſt ſæcula in morem inductum, & quidem non ſine cauſa, ut nemini liceret in poſterum, uno excepto Romano Antiſtite, quemquam inter Cœlites referre.

Eruditionem illius teſtantur quotquot ejus meminerunt, è quibus didicimus multa eum ſcripſiſſe, præſertim:

I. Interpretationes Oraculorum Prophetarum, in quibus latentes, involutaſque res explicuit.
Illud præcipuè apertè indicavit Sanctus Ennodius in Epigrammate, quod in ejus commendationem cecinit:

*Qui vincit trabeas, Solium, cinctumque Gabinum,*
*Conſulibus præſtans, ecce Senator adeſt.*
*Ingenium velox, Sermonis cura rotundi,*
*Virtutum pretium, forma pudicitiæ:*
*Abdita Librorum myſteria clauſa Prophetæ*
*Qui dedit in lucem, ſchemate, quo voluit.*
*Orbis ad extremi miſſus ſecreta, verendis*
*Curavit ſtudiis, quod fuerat lacerum.*
*Tunc Oriens victum peregrino lumine faſſus,*
*Hæſit ad aſpectum lampadis alterius.*

Eum laudarunt etiam Sanctus Leo Magnus in cit. Epiſt. ad Theodoſium, S. Euſebius Mediolanenſis Antiſtes in Epiſtola ſua ad eundem S. Leonem, Acta Eccleſiæ Mediol. in Tabula Archiepiſcoporum, Bollandi Continuatores ad diem XXVIII. Maji, quemadmodum & Baronius ad eandem diem in Martyrologio Romano, & Boſca in Martyrol. Mediol. Ughellus in Ital. Sacræ Tomo IV. in Mediolanenſibus, aliique quamplures.

## MDXLIII.

## SEPTALA SENATOR alter.

INter doctiſſimos filios Ludovici Septalæ à nobis jam laudati jure merito numerandus eſt etiam Senator, qui & ipſe Phyſicis Collegiatis hujus Metropolis adſcriptus fuit die XXIV. menſis Martii, anno MDCXVI. Parum de ipſo datum mihi eſt proferre, nam nimis citò mors invida ipſum è vivis ſuſtulit, quod moleſtè accidit die XXIX. menſis Octobris, anno Chriſtiano MDCXXXVI. Ipſi nihilominus editionem debemus variorum Operum parentis optimi, quibus Præfationes ſuas, Indiceſque exactiſſimos adjecit. Alia quoque ſui ingenii monumenta protulit, atque in his, qua polleret eruditione in Medica facultate ſatis patefecit, ſcrutatus præcipuè ad Theriacæ compoſitionem pertinentia non è recentiorum tantummodo, ſed veterum quoque Scriptorum auctoritate;

Ea ſunt:

I. Breve Compendio delle Virtù della Teriaca di Andromaco il Vecchio, e del Mitridate di Damocrate. Opera del Senator Sett'ale. *Milano, per il Rolla*, 1633. *in 4.*

II. Allegazione, con la quale ſi prova non eſſer ſtato errore nè di commiſſione, nè di ommiſſione l'aver pigliato le Vipere del Regno di Napoli nelle Teriache paſſate, con tanta diligenza compoſte a' noſtri tempi in Milano, ma ſi bene arguire perfezione. E perciò a volerla comporre di nuovo, ſi doverìa mantenere tal ſtabilimento, onde, con tale occaſione, nel fine vengono propoſti alcuni dubbj rilevanti contro li tro-

ciſci riformati Quercetanici, che fanno riſplendere meglio la perfezione delli trociſci viperini, ſecondo la deſcrizione vecchia, e vera di Andromaco. *In Milano, per il Rolla*, 1633. *in* 4.

III. Præfationes, & Indices ad Ludovici patris Opera, ut ſupra innuimus.

De eo agunt Clariſſimi Curtius in libro de Medicis Mediolanenſibus pag. 144., & Sitonus in Chronico Colleg. Phyſicor. Mediol. par. II. art. 294. MS. in fol. penès Auctorem.

## MDXLIV.

## SERATICUS NICOLAUS.

EX Leonardo Seratico genitus eſt in hac Urbe Nicolaus præſtanti Vir ingenio, qui proavos habuit militari gloria celebres Nicolaum ſcilicet ſeniorem Caſtri Ticinenſis Præfectum Sæculo XV. ineunte, Antonellum item Præfectum Arcis Jovis hujus Metropolis eodem Sæculo florentem, aliosque, de quibus non ſine commendatione agit Corius ad annum MCCCCXIII. Igitur Nicolaus hic noſter ſub diſciplina Laurentii Vallæ Viri undequaque doctiſſimi eruditus, eam hauſit à tanto Magiſtro eruditionem, ut Præceptorem hujuſmodi nunquam diſcipuli pœnituerit. Coævus fuit Platini Plati, qui amicitiæ ſuæ erga Seraticum inſigne dedit ſpecimen in Epigrammate ipſius Operi infra memorando præfixo. Aloyſium Terzagum Mediolanenſis Ducis à Secretis, à nobis loco ſuo laudandum, inter primos coluit, eumque Operis ejuſdem, quod ſcripſit, patronum delegit. Cùm autem Leonardus pater Auctoris jam ſenex æmulorum preſſus invidia, tanquam patrati criminis reus apud Ampliſſimos Patres conſcriptos Mediolanenſis Senatus accuſatus fuiſſet, cauſam ejus intrepidè tutatus eſt Nicolaus, elegantiſſimo Carmine conſcripto, quod hìc juvat integrum exhibere, tum ut ſpecimen Poëſis illius habeant, qui has pagellas pervolutarint, tum ut ſummam ejus in genitorem pietatem ſignificemus. En illud:

Ad Senatum querela.

*Fabricius quot opes, Thebanuſque Epaminondas*
*Conflarunt, tot habet nunc pater ipſe meus.*
*Inſubris huic Arcis Genitor Præfectus, Avuſque*
*Militia inſignis, jure graviſque fuit.*
*His neque degenerans Ticini præfuit Arci,*
*Illius & laudis Adua pignus habet.*
*Nam Tricium medio ſervavit turbine rerum,*
*Quo tuta è Venetis Inſubris ora manet.*
*Intrepidus Cuſtos, doniſque infractus, & auro,*
*Ingrato patriæ ſceptra relicta dedit.*
*Hinc variis curis, ſemperque laboribus actus,*
*Conſenuit primo tempore pauperior.*
*Pro meritis inopem Fiſcus modo torquet, & ultra*
*Quæritur in precium languida vita ſenis.*
*Non pietas, non priſca Fides, non jura laborum*
*Penſantur, meritum concidit omne ſimul.*
*Livida ſic penitus fidos oblita Clientes*
*Curia Lethæi gurgitis inſtar habet.*

Quem exitum cauſa hujuſcemodi ſortita fuerit æquè nobis incertum eſt, ac reliqua Nicolai acta. Certè adhuc ſuperſtes erat anno MCCCCLXXXVII. quo Leonardo patri defuncto hoc Epitaphium poſuit adhuc extans in Ducali Templo Sanctæ Mariæ Gratiarum hujus Urbis, in hæc verba conceptum:

LEONARDO SERATICO
PATRICIO OPTIMO
PAPIAE HINC TRICIANIS PRAEFECTO
QVI VIXIT ANNOS LXXV.
NICOLAVS FILIVS PIENTISSIMVS
SIBIQVE ET POSTERIS
POSVIT ANNO SAL. MCDLXXXVII.
CAL. MAII
VITAE CANDOR MORTIS SECVRITAS.

Scripſit

I. Inſigne Volumen Carminum, quod Epiſtolâ nuncupatoriâ dicavit, ut jam innuimus, Aloyſio Terzago Ducali Secretario, unde pauca hæc ad ejus Vitam ſpectantia eruimus. In fine verò Codicis hæc leguntur: „ Mediolani VI. Kal. Januarii MCCCCLXXXI. Servatur MS. optimæ notæ in Bibliotheca Ambroſiana ſignat. Q. num. 31.

De ipſo agit Sitonus noſter in Schedis.

## MDXLV.

## SERAZONUS MANFREDUS.

SErazonæ Gentis in Mediolanenſi Urbe vetuſtatem ſatis, ſuperque notam facit poſteritati Anrigatii ex eadem Familia progeniti memoria, qui anno MCCCLXVIII. inter J. PP. Mediolanenſis Collegii recenſebatur, ut ex publicis Tabulis apud ſe extantibus nos monuit J. C. Sitonus noſter. Verùm majorem illi ſplendorem peperit Manfredus Serazonus, qui Anrigatium ipſum ætate præceſſit; Etenim ſuſceptâ Togâ, Juriſque tam Cæſarei, quàm Pontificii profeſſor renunciatus, in Collegium ipſum cooptatus jam fuerat anno MCCCXLIV. Magnum hic, unà cum aliis Collegis, quorum nomina non ſemel occurrunt in hac Bibliotheca, Patriæ contulit beneficium, nam reformandis, & ex multis Voluminibus in unum colligendis Municipalibus legibus diligentem navavit operam juſſu Luchini Vicecomitis, qui tunc Mediolanenſibus præerat. Ad eam electus eſt curam an. MCCCXLVIII. cùmque non ſine ingenti labore ad optatum tandem fidem perductus fuiſſet Codex, in publicam emerſit lucem anno MCCCLI. accedente Joannis Vicecomitis Mediolanenſis Archiepiſcopi, & Principis authoritate. Nec minoris laudis ſibi meritum comparavit Manfredus noſter, cùm prædicto an. MCCCXLIV. in XII. Ædiles electus integritatis eximiæ ſpecimen dedit. Deſideratus eſt anno MCCCLVI.

Laudatur Serazonus propter

I. Jus Municipale Mediolanenſium ab eodem cum Collegis, ut ſupra, recognitum, & collectum.

Agunt de ipſo Corius ad præfatum annum MCCCLI. Comes Octavius Archintus in Collect. Monument. Famil. Mediol., Sitonuſque noſter tam in Chronico J. PP. pag. 28. art. 26., quam in Schedis.

MDXLVI.

Digitized by Google

## MDXLVI.

### SERBELLONUS CHERUBINUS.

DOctrinis, moribuſque in Scholis Braydenſibus optimè excultus Cherubinus Serbellonus inter Monachos Armenos D. Baſilii adſcribi poſtulavit, ubi facultates Philoſophicas & Theologicas publicè, & plaudentibus omnibus defendit in Conventu tunc Suorum Sancti Damiani; deinde ad Sacras Conciones diſſeminandas converſus, tam feliciter, & cum animarum ingenti profectu ſe geſſit, ut non ſolum in patria Mediolanenſi quater Quadrageſimali tempore libentiſſimè auditus extiterit; ſed etiam Ferrariæ, Novariæ, Venetiis, Bononiæ, atque in aliis Italiæ Urbibus. Ita felici ingenio prædıtus fuit, ut Quæſtionibus in qualibet Sacra Doctrina ex improviſo ei oblatis illicò non tantùm reſponſa doctiſſima traderet, ſed Diſſertationes integras ſine mora tam doctè ac eruditè dictaret, ut ipſæ typis tradi potuiſſent. Muſas quoque adamavit, & pro more ſæculi Carmina illius tam Latino, quàm Italico ſermone minimè ſpernenda fuere. Ad ipſum quoque pro arduis caſibus Conſcientiæ evolvendis, ac declarandis plures frequentiſſimè confugerunt, tantaque in ipſo erant Theologiæ moralis fundamenta, ac facilitas in eis explicandis, ut quaſi Oraculum à Profeſſoribus ipſis nuncuparetur. Religione Baſiliana ab Urbano VIII. antiquata Cherubinus noſter ad Carmelitas Congregationis Mantuanæ ſe contulit in Conventu S. Joannis ad Concham hujus Urbis, mutato nomine Cherubini in Franciſcum Mariam, ibique poſt biennium, ſcilicet anno Chriſti MDCXLIX., ætatis ſuæ quinquageſimo, vitam cum morte piiſſimè commutavit. Vaghus inter Scriptores ſui Ordinis Serbellonum noſtrum laudat ſequentibus verbis à Felina mutuatis: „ Vir Eruditus, ac in divinis & humanis litteris Clariſſimus, „ primi nominis Concionator, eruditis ſalibus, & ornatiſſima facundia refertus, animabus tamen valde proficuus. „ In Nechrologio ejuſdem Conventus Sancti Joannis ad Concham ejus obitus hoc ſignatur Encomio, quod integrum ad ejus commendationem addere liceat: „ Rev. P. Magiſter Franciſcus Maria „ Serbellonus de Mediolano, ex Ordine Sancti Baſilii Armenorum ad Congregationem noſtram evocatus, Concionator celebris, diſertus, & facundus, „ Vir manſuetiſſimus, præſtantiori ingenio, ac præclaris naturæ dotibus ornatus. Hic cùm clariſſimis vitæ exemplis per biennium Congregationem „ (Mantuanam) exornaſſet, Sacramentis ſumma „ cum devotione acceptis, vitam cum virtute initam „ pio fine concluſit die XXIII. Septembris MDCXLIX., ætatis ſuæ L. „ Picinellus in ſuo Athenæo aſſerit Cherubinum, dum ad Carmeli Religionem tranſiit, Opera, quæ ſequuntur, ſecum tuliſſe.

I. Prediche, Diſcorſi, Panegirici. MSS. Ego verò evolvens, quæ adhuc ſuperſunt in ſupradicto Conventu Sancti Joannis ad Concham, nil aliud inveni de Cherubino Serbellono, præterquamquod II. Panegyres hoc titulo: „ Panegirico fatto in Duomo nell' Apertura de' Tribunali, ed altro nella Feſta di S. Tommaſo d'Aquino; „ reliqua verò in aliorum commodum forſan derivata fuere.

II. La Suſanna: Rappreſentazione in verſi Italiani. MS. apud P. Gaſparem Majoccum Ordinis Prædicatorum, quam recitatam fuiſſe Laudæ Pompejæ à Clericis Seminarii ejuſdem Urbis ſcripſit idem Picinellus.

III. Rime di Cherubino Serbelloni. *Milano, preſſo il Pagnelli*, 1614. *in* 4.

Ex Caroli Vaghi Commentariis Fratrum, & Sororum Ordinis Beatiſſimæ Mariæ Virg. de Monte Carmelo Congregat. Mantuanæ *Parmæ*, 1735. *in fol.* pag. 334., ex Felina quoque pag. 115., qui Serbelloni ſub nomine Franciſci Mariæ meminerunt, & ex Picinello pag. 145.

## MDXLVII.

### SERBELLONUS FRANCISCUS.

SErbellonæ Gentis nobilitatem, quæ & Sorbellona quandoque dicitur, non eruditione tantùm, ſed etiam armis illuſtrem teſtantur Inſubriæ Rerum Scriptores omnes. Vetuſtam tamen in ea litterarum gloriam ſatis evincit memoria Franciſci Serbelloni, quem Theologiæ peritiæ inſignem fecit, & poſteritati memorabilem. Erat ille inter Vivos anno MCXXX. pluraque ſcripſit ad Divinas Quæſtiones tam Myſticas, quàm Scholaſticas pertinentia. Et illa quidem diligentiam noſtram fefellerunt, atque nullibi ſive edita, ſive manu exarata reperire datum fuit. Fidem tamen negare noluimus infra memorandis Scriptoribus, quorum teſtimonio fulti Opera illius mox proferemus. Quandoquidem verò de Franciſco Serbellono agimus, monere volumus Lectores, alium eodem nomine Virum in hac Familia floruiſſe Juriſprudentiæ Laurea honeſtatum. Is fuit Gabrii Regii Senatoris, de quo mox agemus, filius, Lauream promeritus, anno MDXCIX., quem laudatum novimus Epigrammate Jacobi Valerii, quod reperimus in Codice MS., extante in Bibliotheca Clericorum Regularium, qui Teatini dicuntur, Collegii S. Antonii hujus Urbis.

De Doctoratu Abbatis Franciſci Serbellonii.

*Cùm genus illuſtri clarum de Stemmate ducas,*
*Sacra tamen generi nectere jura paras.*
*Sic Franciſce decus gemini te nominis ornat,*
*Quod capis ex atavis, quod paris ipſe tibi.*
*At tum Romuleam venias nunc Præſul ad urbem,*
*Dii faciant, ut ſis, qui, puto, prorſus eris.*
*Ut cito purpureo ſedeas virtute Senatu,*
*Et per te patrui tum renovetur honos.*

Prodiit etiam eodem tempore liber ſic inſcriptus: „ Componimenti di Diverſi nel Dottorato di Leggi „ dell' Abate Franceſco Sorbellono &c. „ *In Pavia, per gli Eredi di Girolamo Bartoli*, 1599. *in* 8. Quod Opus commendat P. Franciſcus Xaverius Quadrius in libro ſuo „ della Storia, e della Ragione d'ogni „ Poeſia. „ Tomo II. pag. 516. Franciſci nunc Senioris litterarios labores indicamus,

Nempe

I. De Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterio, & divinarum, humanarumque combinatione.

II. De rebus temporalibus Liber.

Ita aſſerunt Moriggia in lib. III. Cap. I. Nobilit. Mediol., quemadmodum etiam in Hiſtor. Mediol. lib. I. Cap. LIX. Petrus Creſcentius in Amphitheatro, part. I. pag 293., è quibus etiam Picinellus in Athenæo pag. 223.

## MDXLVIII.

### SERBELLONUS GABRIUS.

INter Litteratos nobiliſſimæ Gentis Serbellonæ, quæ & Sorbellona dicitur, enumerandus venit Gabrius Eques Hieroſolymitanus, magnus Prior Regni Hungariæ, Pro-Rex Regni Tunetani, atque Medio-

Digitized by Google

A diolani Senator. Patrem habuit Joannem Petrum, Matremque Eliſabeth Rainoldam illuſtres Conjuges, & Frater fuit eximii Cardinalis Jo. Antonii parum infra à nobis celebrandi. Extitit quoque Præfectus Generalis Tormentorum Bellicorum. Vir iſte à pluribus infra recenſendis celebratiſſimus, diem vidit primam in hâc Urbe anno à Virgineo Partu MDIX., obiitque anno MDLXXX.

In ejus Funere Bernardinus Baldinus
hoc Epigramma cecinit.

*Innumeris claret ſtellis innubilus Æther,*
*Tantum uno dives ſydere fulſit humus.*
*Hoc fuſcis etiam terris invidit Olympus;*
*Auxit & hos nitidas, quas gerit, igne faces.*
*Luce tua, Gabri, Tellus modo clara, tenebris*
*Nunc latet, hac ardens purius Æthra micat.*

De eo partim fortuito nos vidimus, partim ex Fontaninii Libro infra citando eruimus,

Videlicet

I. Memorie di guerra. MS. in fol. pagg. 80. in fine ſic legitur: *Io Pietro Gabrio Sorbellone, MDLXIII.* Extat in Bibliotheca Monachor. Ciſtercienſ. Morimundi, in quodam Vol. Miſcellaneor. in 4.

II. Relazione del Succeſſo di Tuneſi. MS. in fol., extat in Bibliotheca Comitis Pauli Montii, & eadem forſan eſt quæ à Cl. Fontaninio in libro, cui titulus: „ Della Eloquenza Italiana pagg. 349. tertia editionis enunciantur his verbis: „ Nel terzo Tomo delle Lettere de' Principi, raccolte da Girolamo Ruſcelli, *ſtampate in Venezia, per Giordano Ziletti*, 1577. *in* 4., nel fine dopo la Lettera di Antonio Tiepolo ſiegue la *Relazione di Gabrio Serbellone* della preſa di Tuniſi, dedicata da *Orazio Toſcanella a Giantommaſo Coſtanzo* Collonello de' Veneziani, e Governatore della nuova Fortezza di Corfù.

De eodem plurima mentio eſt in Vita Jo. Jacobi Medices, edita à Marco Antonio Miſſalia, pag. 112., & 88., apud Henricum Farneſium Hiſt. Inſubric., & Cl. Sitonum in Schedis.

## MDXLIX.

## SERBELLONUS JOANNES ANTONIUS.

JOannes Antonius Serbellonus Mediolani natus anno Domini MDXIX. parentibus Joanne Petro, atque Eliſabetha Raynolda, moribus, ac ſcientiis ſummopere claruit, itaut ex Epiſcopo Fulginate, ſedente Morono, Novarienſis Epiſcopus evaſerit anno MDLX. die XV. menſis Februarii, quam Eccleſiam abſens ferè ſemper adminiſtravit uſque ad annum MDLXXIV., quo illam renunciavit. Cæterùm parvulâ illâ morâ, qua ſibi creditam perluſtravit Eccleſiam, ad mentem Tridentini Concilii Seminarium ibi inſtituit, celebrata ſaluberrima Synodo, latiſque opportunis legibus, Eccleſiaſticam diſciplinam ad rationem
B ſeveriorem revocavit in Clericis anno MDLXVIII, eaque de re librum edidit ab iis magni faciendum præcipuè, qui in Eccleſiaſtica vita puriores mores ſequuntur. Canonicis S. Gaudentii condita à ſuis anteceſſoribus ſtatuta prolixè auxit, confirmavitque, nihil omittens, quod Gregi, præſertim abſente Paſtore, videretur conducere. Eodem anno MDLX. die Mercurii pridie Kal. Februarii à Sanctiſſimo Pontifice Pio IV. cujus erat Amitinus S. R. E. Cardinalis efficitur, titulo S. Georgii in Velabro, dein ad alium S. Mariæ in Thermis tranſiit, veruntamen primum ſemper retinuit. In omnibus ſui Pontificatus negotiis Pius à Conſiliis Serbellonum noſtrum adhibuit, ejuſque operâ poſtremum cum Cardinale Vitellotio Vitellio in fraudibus Apoſtolicæ Sedi factis judicandis uſus eſt. Sub
C Pio V. Sancti Petri ad Vincula, deinde S. Clementis, demum S. Angeli in Foro Piſcium diverſis temporibus titulos obtinuit: à Gregorio XIII. eidem Epiſcopatus Albanus, Præneſtinus, ac Tuſculanus; à Sixto V. Portuenſis, demum Oſtienſis datus eſt. Rediit deinde Romam, ubi piè, ſanctèque vitam traduxit; Thermaſque Dioclètianas in domicilium Carthuſianorum vertit, addito Templo, quod non ita pridem idem Pius IV. exorſus fuerat ædificare. Fulginas Epiſcopus fuit, Legatuſque Peruſiæ, ac Umbriæ. Interfuit pluries Comitiis Pontificiis Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. Urbani VII. & Gregorii XIV. ſub quo anno primo Pontificatus, ſalutis verò MDXCI. ætatis LXXII. die Veneris XV. Kal. Aprilis hora XXIII. Romæ Sacri Collegii Decanus è vita migra-
D vit. Corpus ejus honorifico Tumulo in Eccleſia Sanctæ Mariæ ad Thermas è regione nobiliſſimæ memoriæ, quam ipſe vivens ſimul cum Carolo Borromæo, & Marco Altempſio Pio Papæ IV. poſuerat, inſcripto in Marmore, hoc Encomio donatum eſt:

D. O. M.
IOH. ANTONIVS SORBELLONIVS MEDIOL.
PII IV. PONT. MAX. AMITINVS
CARD. S. GEORGII EPISC. OSTIENS.
SACRI COLLEGII DECANVS
VIR CIVILI PRVDENTIA NATIONVM NOTITIA
MVLTOQVE RERVM VSV PRAESTANS
PERSONAE DIGNITATEM APVD SVMMOS PONTIFICES
AVCTORITATE CONSILIO PVBLICI BONI STVDIO
PER ANNOS II. ET XXX. SVMMA CVM LAVDE SVSTINVIT
VIXIT ANNOS LXXII.
OBIIT XV. KAL. APRIL. MDXCI.
FABRICIVS SORBELLONIVS IOH. BAPTISTAE FIL. GABRII NEP.
TESTAMENTO HAERES PATRVO MAGNO B. M. FECIT.

Romæ

Digitized by Google

Romæ in regione Parionis palatium conſtruxit, ſeu potius ampliavit, ornavitque; noſtris hiſce temporibus Prætores Urbani ſolent illud incolere; extant etiam hodie aureis characteribus ad januas hæ notæ:

IO. ANT. SORBELLONIVS CARD. S. GEORG.

De illo hoc edidit Epigramma Vincentius Robardus in quinquennalibus Sixti V. quod habes apud Ciacconium.

*Ætherio ſociate Patri virtutis avitæ*
*Munere, quæ Supero fulget amœna Polo,*
*Inclyte Purpurei Dux Sorbellone Senatus,*
*Dum Pater Imperii fulmina Sixtus habet:*
*Accipe cum tenui juvenilia Carmina plectro;*
*Accipe, ſunt animi ſymbola parva mei.*
*Sic te, quem rutilans evexit ad æthera virtus,*
*Et ſacer eximiæ Relligionis honos.*
*Nam ſacra ſiderea redimitus tempora mitra*
*Primus honorati ſceptra tuere ſoli,*
*Quamlibet exiguis ſit deſpumata caminis*
*Transfert in rutilum noſtra Camœna Polum.*

Hæc de ipſo damus:

I. Synodus Novarienſis celebrata die IX. Maji MDLXVIII. *Novariæ*, 1571.
II. Monita ad Confeſſionum Sacrarum Miniſtros inſtituendos.
III. Statuta pro Canonicis S. Gaudentii, aucta & affirmata.
IV. Epiſtola Italica ad Clericos Barnabitas de Epiſcopatu Aleriæ Alexandro Saulio, eorundem Propoſito, collato: Extat in libro, cui titulus: „ Scelta delle Lettere „ memorabili, raccolte dall' Abate Michele Giuſtiniani. *Napoli*, 1683. *in* 12. pag. 102.
V. Epiſtolæ plures ad Divum Carolum Borromæum, cum iſtius Reſponſionibus: Extant in pluries memorata Collectione Epiſtolarum Divi Caroli in Bibliotheca Ambroſiana.
In libro, cui titulus: „ Scelta di Lettere di diverſi „ Eccellentiſſimi Autori di Bartolomeo Zucchi. *Venezia*, 1595. *in* 4. Legitur Epiſtola Cardinalis Nicolini, ad Cardinalem S. Georgii, pag 428.
Laudatur ab Andrea Victorello in Additionibus ad Ciacconium, Petramellaria, Auberio, Joanne Petro Gluſſiano in Vita S Caroli, ab Ughello in Italia Sacra, à Carolo à Baſilica-Petri in Novaria Sacra, à Petro Juſtiniano in Hiſtoria Veneta, à Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 151., à Sitono in Chronico J. PP. pag. 160. art. 643., ab Oldoino in Athenæo Romano pag. 381., ab aliiſque.

## MDL.

## SERBELLONUS SIGISMUNDUS.

Sigiſmundus Serbellonus Mediolanenſis genere illuſtris, ingenio conſpicuus, Inſtitutum Clericorum Regularium Divi Pauli ſuſcepit anno redempti Orbis MDCXXXV. Gravioribus excultus diſciplinis univerſam Philoſophiam ſcripto & voce tradidit, imò dupplici Volumine expoſuit cum Titulo Philoſophiæ Ticinenſis in grati animi teſtimonium erga illam Civitatem, quæ ipſum in Suorum Collegio Philoſophiæ Expoſitorem, & jam per decennium Sacræ Theologiæ Profeſſorem humaniſſimè amplexa eſt. Præfuit etiam non ſine laude eidem Collegio, ſed mors nimis citò eodem tempore præclariſſimum Virum rapuit vegeta adhuc ætate.

Ejus Opus ſic prætitulatur:

I. Philoſophia Ticinenſis. *Mediolani, apud Ludovicum Montiam*, 1657. *Tom. II in fol.* Primum Tomum typis edidit Scriptor dum inter vivos eſſet, ſub auſpiciis ampliſſimi P. Joannis Auguſtini Galicii Præpoſiti ſui Generalis, ſecundus verò poſthumus eſt, editus anno MDCLXII. à Præpoſito Collegii Ticinenſis, ſub auſpiciis Hieronymi Meltii ejuſdem Urbis Epiſcopi. Præfata Philoſophia denuò prodiit recuſa in unum Volumen à Præfecto Collegii Viennenſis, & Cardinali Carolo Caraffa nuncupata.
Agunt de ipſo Picinellus in Athenæo pag. 493., nec non doctus amiciſſimuſque Pater Petius in ſuo Opere pluries à me citato.

## MDLI.

## SERENIUS ALEXIUS.

Alexium Serenium, ſeu de Serenio Mediolanenſem nobili familia ortum in Dei famulatu fervor, ad Minorum, qui Obſervantes vocantur, Inſtitutum amplectendum impulit, quo in Cœtu ſic claruit non eruditione ſolùm, ſed piiſſimis etiam moribus, ut an. MCCCCIV. VI. Kal. Octob. ab Innocentio VII. Summo Pontifice ad Eccleſiæ Bobienſis Cathedram aſſumtus fuerit. At Alexander V. ex eodem Ordine Minorum ad Petri Sedem evectus, Alexium anno MCCCCIX., ſeu ut aliis placet anno ſequenti ad Vapincenſem regendam Diœceſim tranſtulit, quæ in Aquenſis Metropolis Provincia continetur; eumque ſic dilexit, ut infra memorandas Litteras ad eum dederit, quibus ipſius petitionibus favens indulgebat, ut ei liceret quatuor ſui Inſtituti Sodales apud ſe retinere. A Joanne autem XXIII. reſignante Placentinæ Sedis adminiſtrationem Branda Caſtillionæo à nobis jam commendato Alexius noſter ipſi præficitur an. MCCCCXI. die VI. menſis Septembris. Eam rexit annos perplures, ad annum ſcilicet MCCCCXLVIII., quo die Kalendarum Januarii migravit è vita in Urbe Cremonenſi. Cadaver Placentiam delatum in Cathedrali Templo depoſitum conquieſcit. Theologiæ peritiſſimus fuit, Sacriſque Concionibus per Italiam habitis magnam ſibi comparavit eruditionis famam. Baſileenſi Concilio interfuit cum ſingularis doctrinæ exiſtimatione, quamvis Locatus parùm ſinceram de' tanto Præſule narrationem inſtituerit, quem Wadingus ſolidè confutavit. In ſui Ordinis Cœnobium Sanctorum Angelorum Mediolani beneficus, plures eidem MSS. donavit Codices, inter quos Quadrageſimale Bartholomæi de Piſis, Volumine membranaceo ante annum MCCCCXLIV. conſcriptum.

Reliquit hæc ingenii ſui monumenta:

I. Quadrageſimale. Quod MS. apud Conventuales hujus Urbis extitiſſe, teſtis eſt VVadingus in Catalogo Script. Ord Min.
II. Orationes multas, de quibus meminit Moriggia libro III. Cap. 30. Nobilit. Mediol.
Ad eum adhuc Epiſcopum Vapincenſem extat Epiſtola Alex. V. data Piſis XV. Kal. Octob. anno I. Pontif. ſui, qui fuit Chriſti MCCCCIX. ex Regiſtro Vaticano exſcripſit VVadingus in Tomo IX. Annalium Minor edit. Rom. MDCCXXXIV.
Ipſum laudarunt memoratus VVadingus in Tomo IX. Annal. prædictorum, & in Catalogo jam citato, Ughellus in Bobienſibus, & Placentinis, Fratres Sanmarthani in Gallia Chriſtiana, Tomo I. col. 469., & Picinellus in Athenæo pag. 18.



Digitized by Google

## MDLII.

## SERENIUS BASILIUS.

BAſilius Serenius Mediolanenſis, dictus in ſæculo Joſeph, anno Reparationis humanæ MDLXV. Parentibus Georgio, atque Iſabella de Urſinis de Roma natus eſt. Cùm adhuc juvenili floreret ætate, XVIII. ſcilicet anno, inter Canonicos Lateranenſis Congregationis cooptatus fuit in Monaſterio Sanctæ Mariæ Paſſionis in patria. Inde miſſus Ravennam in Suorum Portuenſi Cœnobio Philoſophiæ primùm, B tum Patavii Sacris Litteris tam ſedulam dedit operam, ut in Theologia Magiſterium brevì obtinuerit. Cùm autem per ea tempora Canonicus Ordo maledictis laceſſeretur, ille ſibi duxit in id potiſſimum incumbendum, ut Congregationem ſuam ab invidorum calumniis ſartam, tectamque ſervaret. Quapropter Scriptis eruditiſſimis in lucem editis, de quibus inferiùs recurret mentio, eam ſpartam ſuſcepit, & feliciter confecit. Fuit in eo ſingularis prorſus doctrina, ſublime ingenium, & tanta ad dicendum aptitudo, ut etiam extemporaneè de quocumque ſibi propoſito argumento facundiſſimè verba faceret. Evangelicam prædicationem, mandantibus Ordinis Præſulibus ſuſceptam, magna cum laude exercuit. Federico Cardinali Borromæo in primis charus ob ſingularem eruditionem fuit, C cùmque Ordinis Canonici reformationem Baſilius aggredi ſtatuiſſet, præclarum facinus Cardinalis commendavit, & datis Literis ad Paulum Camillum Sfondratum, & Odoardum Farneſium Purpuratos Patres egregiè adjuvit. Pinacothecam Ambroſianam inſigni munere ornavit Serenius, Arcula ſcilicet phrygia arte ornata, in qua Sacræ Pallæ condebantur ad Liturgiam Joannis XXIII. Pont. Max., quæ etiam emicat margaritis. Plurimos Authorum Congregationis ſuæ Codices, vel Typographorum incuriâ, vel temporis edacitate labefactatos, magno labore reſtituit, quorum præcipuos inter ejus Opera recenſebimus. Jubente Celſo Dugnano Ordinis Generali Præſide, cujus Elogium loco ſuo dedimus, Congregationis privilegia in unum collegit Volumen. Non parum quoque laboris impendit, ut Ca- D nonici Congregationis Rhenanæ S. Salvatoris Bononiæ cum Lateranenſibus coaleſcerent, quod quamvis perficere non potuerit, ſua tamen laude fraudandus non videtur. Primarios ſui ſæculi Eruditos non Italos tantùm, ſed Gallos, Hiſpanos, Belgas, Germanos quoque per litterarum commercia ſibi devinxit. Inter cætera ejus ingenii ornamenta Poëſis etiam numeratur, in qua fœtus non contemnendos protulit. Præfuit Canonicæ Sancti Caroli in Caſtro Miniacenſi ad Lacum Larium recens erectæ primus Præpoſitus; Tum Monaſteriis Mortarienſi, & Brinatenſi. Hinc Abbatiam Caſoretanam adminiſtravit. In Generalibus Comitiis Bononienſibus anno MDCXXX. Generalis Abbas ex privilegio renunciatus, ipſo anno Epidemiâ ictus deceſſit Mediolani. E

Ipſius hæc habemus Litteraria Monumenta:

I. De antiquitate, & dignitate Ordinis Canonici, hoc eſt Propugnaculum ejuſdem Ordinis, ab Auguſtino de Novis Ticinenſi olim editum, emendavit, & illuſtravit. *Mediolani, ex Typographia Jacobi Mariæ Medæ*, 1603.

II. Roſetum Exercitiorum Spiritualium Joannis Mauburni Bruxellenſis Canonici Regularis emendatum, & illuſtratum. Ad Seraphinum Merlinum Ordinis Moderatorem. *Mediolani, apud Auguſtinum Tradatum, anno* 1603. Huic addidit Declarationes, Adnotationes, & Indicem.

III. Sermones in præcipuas Chriſtiani cultus Solemnitates Abſalonis Abbatis Spinckirsbacenſis emendati, & illuſtrati. Ad Celſum Dugnanum Abbatem Generalem. *Mediolani, apud Auguſtinum Tradatum*, 1605. *in* 4. A

IV. Indulta, ac Privilegia Pontificia Canonicorum Regularium S. Salvatoris Lateranenſis in unum collecta, & illuſtrata. Ad eundem Generalem Rectorem Celſum Dugnanum. *Mediolani, ex Officina Hæredum Pacifici Pontii, & Joannis Baptiſtæ Piccaleæ*, 1606.

V. Allegationes, ſeu Conſilia, & Reſponſiones ad nonnulla Quæſita circa Epiſcopalia inſignia, atque functiones Prælatis Canonicorum Regularium indulta. Ad Petrum Franciſcum Malletum Generalem Rectorem. *Papiæ*, 1616. cum approbationibus plurium Theologorum, & Canoniſtarum.

VI. Parænesis de excelſo Salvatoris, Almæque Genitricis nomine reverenter enunciando. Ad Sereniſſimum Principem Cardinalem Mauritium de Sabaudia *Mediolani, apud Jacobum Lantonum*, 1617.

VII. Æthicus Stylobates Coloſſi Sancti Cardinalis Caroli, ſeu Illuſtriſſimæ Borromæorum Familiæ Elogium. Ad Federicum Borromæum Cardinalem Archiepiſcopum, Libri VII. *Mediol. ex Typographia Joannis Angeli Navæ*, 1618. *in* 4.

VIII. Canon Vitæ Canonicæ, Deuteronomium, & Speculum Clericorum, quod Apoſtolicam Regulam dicunt, eximii Doctoris S. Auguſtini, cum aſſertione, & notis Baſilii Sereni. *Mediolani, apud Lantonum*, 1612. *in* 4. Editio elegans.

IX. Replica civilis ad Allegationes Canonicorum Nicitanorum pro Canonicis Frigdionariis adversùs Joſephum Mozzagrugnum. *Mortarii Inſubrum*, 1623.

X. De ineundo, ſeu legitimè conferendo Canonicatu Diſſertatio. Ad Marcum Antonium Mannettum à Maſſa Generalem, cum adjecta Formula initiandorum, conſcribendorumque Canonicorum. *Mediolani, apud Jo. Bapt. Columnam*, 1627.

XI. De Sancti Cardinalis Caroli Magnalium Patratoris fulgenti lampade conſpicuo loco ſurrigenda Oratio. Ad Urbanum VIII. Pont. Max. *Mediolani, apud Jo. Bapt Columnam*. 1629.

XII. Carmen Dies iræ, dies illa, quod Sequentiam Mortuorum dicunt, tranſtulit Italico Carmine. Ad Beatricem de Abdua Comitiſſam. Editionem non profert Picinellus.

XIII. Carmina Italica in libro, cui titulus: Mauſoleo di varie Poeſie Latine, ed Italiane in morte di Giuliano Goſelini. *Milano*, 1588. *in* 12.

XIV. Carmen ejuſdem in laudem Celſi Dugnani, extat in libro Benedicti Cochorellæ, cujus titulus: Deſcriptio Tremitanæ Inſulæ. Huic editioni præfuit Serenius ipſe.

XV. Idea Chriſtiani Sacerdotis. De hoc Opere fides ſit apud Moriggiam, qui in libro III. Nobil. Mediol. illud cum ſequenti memorat.

XVI. Homiliæ in Evangelia, juxta Ritum Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ.

Eum laudarunt Carminibus Philippus Riccius, Gregorius Brunellus, Auguſtinus Terzagus, cujus juvat hìc Epigramma ſubdere:

*De Cælo flammas auſus rapuiſſe Prometheus,*
*Compoſitum poſſet queis animare lutum.*
*Hæc Solis virtus, terræ qui jungere formas*
*Adjuvat, & Superis copulat ima plagis.*
*Sit procul audacis nomen; ſecreta Baſili*
*Evulgas, Divûm quæque fuere ſapis.*
*Dum Carolum celebras, Superi plauſere Quirites,*
*Ordo coccineus vel tua Scripta probat.*
*Externi exultant, grates tibi Patria reddit,*
*Auſpice te terris Numina nota videt.*
*Eſt tibi virga potens, qua tangas aſtra Sereni,*
*In fuſca rutilat nocte ſerena dies.*

Agunt etiam de ipſo Pennottus Lib. III. Hiſtoriæ Tripartitæ Cap. 55. num. 2., Roſinus in Lycæo Lateranenſi., Moriggia loco cit. Cap. 28., Petrus Paulus Boſca de Origine, & Statu Biblioth. Ambroſianæ, Franciſcus Xaverius Quadrius in Libro ſuo inſcripto: Della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia, Tom. II. pag. 678., Sitonus noſter in Schedis, atque Picinellus in Athenæo pag. 75.

MDLIII.

Digitized by Google

## MDLIII.

### SERENIUS JOANNES.

EX Familia Serenia Mediolanenſi aliquos protulimus, & infra dabimus eruditione memorabiles Viros, nunc Joannem commendabimus, nomine tenus poſteritati notum, quem niſi Corius celebris Mediolanenſium rerum Scriptor laudaſſet, ipſe quoque cum his quæ exaravit, oblivionem incurriſſet. Nullus indicavit nobis genitores illius, nullus acta, nullus ſupremum vitæ annum. Exſcribemus igitur ea, quæ Corius de Serenio narrat ad annum Chriſti Salvatoris MCCCXL. „ Nelli medeſimi tempi in Venetia ap-
„ parſe uno Ariminese nominato Paulozo homo ſim-
„ plice: il quale piu quatrageſime ſtette ſenza man-
„ giare veruna coſa ne bevere: excepto aqua calda:
„ Coſtui piu volte da Veſcovi & Inquiſitori fu tenu-
„ to recluſo: come increduli di tanta coſa: il che
„ finalmente trovarono eſſere vero. E dice Giovan-
„ ne Sereno che in quello tempo ſcriveva molte coſe
„ che achadevano: & anche in quegli giorni dimo-
„ rante in Venetia: haverlo veduto: e ſeco parlato:
„ ſogiungendo che doppuo la quatrageſima oltra il
„ modo humano mangiava: Hæc ille.

Scripſit igitur

I. Chronicon Rerum ſui temporis. Ubi nunc illud ſervetur, cùm reticeat Corius, nos etiam ſilere cogimur.

## MDLIV.

### SERENIUS MAXIMUS.

OCcurrit nunc inter Mediolanenſis Urbis Eruditos è Serenia Familia procreatos Maximus, qui paternæ domus poſthabitis commodis, ut arctiori vinculo Deo ſe conjungeret, ſub Regula Sancti Benedicti Congregationis Caſſinenſis, Cucullam induit. Satis jejunè de ipſo verba faciunt ſui Ordinis Chronologi, quod in cauſa eſt, ut & nos uberioribus deſtituti monumentis pauca admodum dare cogamur. Illum tamen unà cum Petro Maria Campi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Placentinæ Scriptore reprehendit Pe- A trus Aloyſius à Turre in Præfatione Vitæ Sancti Columbani Abbatis Bobienſis Monaſterii Fundatoris, pagg. 32. atque 37., quod Cardinalis Cæſaris Baronii, & Caroli Sigonii authoritate poſthabita, emortualem ejuſdem Sancti Archimandritæ annum aſſignantium DCXIV., vel DCXV. ipſi eum ad Superos migraſſe ſcripſerint anno DCIV. Verùm Turrius in Jonam potius Abbatem excandeſcere debuerat, quàm in Maximum; hìc enim nihil aliud egit quàm Jonæ Latinum Opus in Italicum vertere. Vixiſſe videtur medio elapſo ſæculo.

Ex Latino Abbatis Jonæ tranſtulit in Italicum

B I. La Vita, e Miracoli di S. Colombano Abate. *Venezia, per Evangeliſta Deucbino*, 1628., & poſtmodum *Milano, per Giuſeppe Riccbino Malateſta*, 1730.
De ipſo Armellinus in Biblioth. Benedictino-Caſſinen. pag. 107.

## MDLV.

### SERENIUS VINCENTIUS.

PArente Bernardino, Aloyſii filio, editus eſt in lucem Mediolani Vincentius Serenius. Hic ad bonas artes aptiſſimum ſortitus ingenium ſub optimis Præceptoribus Sculpturæ operam dedit tam ſedulam, ut inter primarios hujus artis Profeſſores recenſeretur. C Architecturam etiam ita didicit, ut admirabili Templi Maximi hujus Urbis ædificationi præfici meruerit. Frontem Eccleſiæ Sanctorum Angelorum, quæ vicinum habet Cœnobium Minorum Obſervantium, delineavit, aliaque plura tam privata, quàm publica ædificia, inter quæ primarium obtinet locum in ipſo Urbis meditullio verè magnificum Juriſperitorum Collegium Pii IV. Pontificis Maximi beneficentiâ, & ſumptibus excitatum. Ad Vaticanæ Baſilicæ molitionem idem Pontifex magnis propoſitis præmiis Romam Vincentium noſtrum advocaverat; oblatum ille tamen honorem, ampliſſimamque mercedem Patriæ amori poſthabuit, in qua diem vidit extremam anno poſt Chriſtum natum MDXCIV. Prid. Id. Januarias. Conditum jacet illius Cadaver in Ducali Templo D Sancti Joannis ad Concham appellato, cujus Tumulum Vitruvius filius ad poſteritatis memoriam hoc exornavit Elogio:

VINCENTIO SERENIO MEDIOLANENSI
NOBILI STATVARIO ATQVE EGREGIO ARCHITECTO
TEMPLI MAXIMI AEDIFICATIONI PRAEFECTO
QVI CVM SVAM IN PVBLICIS PRIVATISQVE AEDIFICIIS
ARCHITECTANDIS DOMI FORISQVE PROBASSET INDVSTRIAM
IN TOTA GALLIA CISALPINA
COMMVNI ARCHITECTORVM CONSENSV
PRIMAS CONSECVTVS EST
ROMAM A PIO IV. PONTIFICE MAXIMO
AD FABRICATIONEM BASILICAE S. PETRI PROSEQVENDAM
EXPETITVS EST
AMPLISSIMIS PRAEMIIS INVITATVS
CHARITATE PATRIAE RETENTVS
IN EXTRVENDO IVRISCONSVLTORVM COLLEGIO
A SE PVLCHERRIME DESCRIPTO
CIVIBVS SVIS QVAM COMMODIS SERVIRE MALVIT
DENIQVE CVM IN BENEMERENDO DE ARCHITECTVRA
DEQVE PATRIA
CONSENVISSET
CLARVS BENEFACTIS ET CARVS OMNIBVS
EXCESSIT E VITA PRID. IDVS IANVAR.
ANN. SALVT. MDXCIV. AET. SVAE LXXXV.
VITRVVIVS FILIVS ARCHITECTVS
PATRI OPT. M. POSVIT ANNO MDIC.

Scri-

Digitized by Google

Scripſiſſe eum inde cognovimus Opus, quod hìc damus:

I. Deſcriptio Collegii Juriſconſultorum Mediolani. Latet nos an prodierit, vel inter Anecdota deliteſcat.
II. Plura MSS. Architectonicæ Artis ab ipſo condita apud Suos reliquiſſe, teſtantur infraſcripti;
Videlicet Sitonus noſter in Schedis, atque in Chron. ejuſdem Collegii pag. 11. art. 43., & Carolus Turrius in libro ſuo, cui titulus: Ritratto di Milano; pluribus in locis.

## MDLVI.

## SERONUS HORATIUS.

FAmilia Serona Mediolani florebat jam à Sæculo XIV., ut videre licet ex Serie Decurionum hujus Metropolis pænes J. C. & Advocatum Sitonum millies à nobis laudatum, nam poſt Paulinum Seronum Urbis Decurionem anno reparatæ Salutis MCCCXL. alii XV. in hac dignitate numerantur uſque ad Aloyſium ejuſdem Gentis Seronæ ad annum MCCCCLXXIV. Claruit quoque Laurentius Maria Seronus inter XII. Præſidentes Tribunalis Proviſionum Mediolani anno MDLX. Horatius verò, de quo agimus. laudatur à Scriptoribus coævis infra recenſendis, uti Vir corporis, animique dotibus præclariſſimus, ingenio autem promptiſſimus, ideoque pluribus Academiis adſcriptus extitit, inter quas illa Inquietorum celebris in hac Urbe ipſum, ſub nomine *l'Imperfetto*, peramanter coluit. Opera illius Poëtica, quæ in manus noſtras pervenerunt, ſatis oſtendunt Horatium noſtrum optimum componendi genus adhuc ſervaſſe Sæculi XVI. etſi ſua ætate jam ferè obſoletum. Annum ejus vitæ extremum nemo nobis indicavit.

Vidimus de ipſo

I. Fede, e Religione. Poema in ottava Rima in lode del Cardinale Federico Borromeo Arciveſcovo di Milano. *Venezia*, 1599., *e Milano*, *nella Stamperìa Arciveſcovile*, 1604 *in* 4.
II. La Fida Armilla Paſtorale. *Venezia*, *preſſo Evangeliſta Deuchino*, 1610. *in* 4 Hanc dicavit Auctor Joanni Ferdinando de Vellaſco Caſtellæ Comeſtabili, ac Dominii Mediolanenſis Gubernatori.
III. Aliud Carmen Italicum. Extat in Libro, cui titulus: Lo Artemidoro, Poema di Gio. Soranzo. Al Conte Franceſco Dadda. *Milano*, 1611. *in* 4.
Videantur Hieronymus Boſerius in Supplemento Nobil. Mediol. Cap. XII., Picinellus in Athenæo pag. 435., atque ſupradictus Sitonus in Syllabis Decurionum, & XII. Proviſionum Mediolani MSS. in fol. apud eundem.

## MDLVII.

## SERPONTUS BERNARDUS.

DIvi Franciſci de Paula Inſtitutum piiſſimum amplexus eſt Hercules Serpontus Bernardi, & Eliſabeth Manzonæ Conjugum Mediolanenſium filius, mutato nomine Baptiſmali ſupradicto in illud Bernardi, quo in Religione ipſa Minimorum vocari voluit. In eadem pietate & litteris peregregiè illuxit, itaut poſt omnes ſui Cœtus dignitates ſummo cum plauſu habitas, ad ſupremam Præpoſiti Generalis meritò aſſumptus fuerit. Etſi tot curis implicitus Vir iſte indefeſſus à Concionibus, aliiſque piis officiis, nec non ab Operibus ſcribendis deſtitit unquam, uſquedum meritis anniſque onuſtus, ad Superos evolavit anno redempti Orbis MDCCXIII.

Hæc de ipſo proferimus:

I. Il Taumaturgo dell' Occidente, o ſia la Vita di San Franceſco di Paola. *Milano*, 1668. *in* 12. In Epiſtola ad Lectorem primum eſſe hunc ſuum fœtum Auctor aſſerit.
II. Vita, e Miracoli di San Franceſco di Sales. *Milano*, 1668. *in* 12. Hanc ſcripſit Serpontus dum Conventui Sanctæ Mariæ *della Fontana* nuncupatæ ſui Ordinis præerat, extra Portam Comenſem hujus Urbis, occaſione qua in Templo ejuſdem Cœnobii Canonizatio ipſius S. Franciſci Saleſii celebraretur.
III. L'Ombra di Criſto. Panegirico de' SS. Pietro d'Alcantara, e Santa Maria Maddalena de Pazzi. *Milano*, *preſſo il Monza*, 1690. *in* 4. Hanc Auctor nuncupavit Seraphino Corio Laudenſi Epiſcopo.
IV. Panegirici varj. Vol. I. in fol. MS., quod prælo paratum habebat, Picinello teſte.
Eidem Pater Renatus Thuillier nuncupavit Diſſertationem de Poteſtate Correctorum Localium; *impreſſ. Pariſiis*, *in* 8.
Videatur idem Picinellus in Athenæo pag. 90., necnon Sitonus in Schedis.

## MDLVIII.

## SERPONTUS GEORGIUS.

JOannes Petrus Serpontus, & Radegunda Schena Conjuges Mediolanenſes, Georgium hunc à nobis memorandum genuerunt, qui veſtigia Patris proſecutus, Galeni atque Hippocratis dogmata peraſſiduè coluit, itaut inter Phyſicos Collegiatos Patriæ adſcriptus extiterit an. Salutis humanæ MDCXXXVI. in quorum numero fuit quoque Pater ipſius. Clariſſimus Curtius parum de Georgio noſtro locutus eſt, nam, adducto teſte Sebaſtiano Bado, nil aliud de eo profert, quam Conſultationem de uſu Chinæ Chinæ. De eodem argumento, eodemque tempore egerunt etiam alii Mediolanenſes Medici, nempe Chriſtophorus Paravicinus, Joannes Honoratus Caſtillionæus, Joannes Paulus Cambiagus, Hieronymus Cardanus Junior, Franciſcus Gradignanus, nec non Sebaſtianus Calvus, jubente Joanne Stephano Dongo S. R. E. Cardinali. Apud nos verò extat aliud Opus ejuſdem Georgii, quod cum aliis MSS. libenter aquiſivimus anno MDCCXXXVIII., cujus Titulum infra dabimus. Fuit Auctor noſter Regius Protophyſicus in Exercitu Catholicæ Majeſtatis in Italia, ſed mors ipſum nimis citò è vivis rapuit, anno ſcilicet MDCLXIII. ſepultuſque fuit in Eccleſia Sanctæ Mariæ Pacis Minorum Obſervantium hujus Urbis.

Damus de eo:

I. Conſultationem de uſu Chinæ Chinæ; teſte Clariſſimo Curtio, ut infra.
II. Dell' uſo del Salaſſo, maſſime nelle Febri terzane doppie, e quando poſſa uſarſi nel pericoloſo male del Vajolo. MS. in fol. pagg. 180. penès me, in cujus fine legitur, anno MDCLVIII.
De eo ſupradictus Curtius in Libro: „ Notizie Iſtoriche intorno a' Medici Scrittori Milaneſi „ pag. 114. & latius J. C. & Advocatus Jo. Sitonus noſter in Chronico Collegii Phyſicorum Mediol. Part. II. art. 308. MS. in fol. penès Auctorem.

## MDLIX.

## SERTORIUS BARTHOLOMÆUS.

BArtholomæus Sertorius, qui primùm in Foro claruit Advocatus magni nominis, deinde Fiſci Patronus diligentiſſimus, inter Patres conſcriptos Senatus Excellentiſſimi Mediolanenſis adſcriptus extitit anno

Digitized by Google

anno Æræ Chriſtianæ MDCXLVIII. die V. menſis Decembris, in locum J. C. C. Fabii Franciſci Dugnani prædefuncti. Vir fuit inter Juriſperitos ſui ævi laudatiſſimus, ut palàm faciunt ea, quæ ſcripſit, partim à nobis nunc prima vice reperta. Dolendum interea eſt, quòd parum in ipſa Senatoria dignitate vixerit Auctor noſter, nam è vivis exceſſit anno MDCLI. menſe Januario, memoratur tamen in binis Inſcriptionibus à Comite Octavio Archinto in ſua ampliſſima Collectione relatis, ac in Eccleſia Sancti Petri *in Sala*, vulgò dicta, exiſtentibus; una nempe in Sacello à Presbytero Joanne Ambroſio Sertorio illius Templi Parocho conſtructo, & opera Bartholomæi noſtri ejuſdem nepotis dotato, altera verò Sepulchrali ipſius Joannis Ambroſii, quam tantùm damus, his litteris:

REVER. PRESBYTER IO. AMBROSIVS SERTORIVS
CVRATVS HVIVS ECCLESIAE
QVI EAM REXIT ANN. XXIII.
ET BARTHOLOMAEUS SERTORIVS EIVS NEPOS
REGIVS DVCALIS SENATOR
HANC SIBI SEDEM
ET POSTERIS POSVERVNT MDCLI.

Hæc poſt ſe ſui ingenii teſtimonia reliquit:

I. Reſponſum Juris in materia Haſtæ Fiſcalis. Extat ad calcem Reſponſorum Franciſci Sadarini. *Mediolani*, 1671. *in fol.*
II. Aliud ad Statut. Mediol. Cap. 305. *Aſcendens*. Extat inter Conſilia Rhaudenſis, & eſt num. 90. ad pag. 725.
III. Aliud adverſùs Redenaſchum Conſil. 82., & Carenam Reſolut. 213. Ipſum cum laude refert Eques Franciſcus Putheus de Perego in Tractatu de Antedotalia natis, & legitimatione per ſubſequens &c. *Mediolani, apud Carolum Joſeph Ghislandum*, 1741. Ipſumque Sertorii Conſilium typis datum ſervatur penes eundem Putheum de Perego, in fol.
IV. Alia plura Conſilia Juridica reperiuntur inter Merendæ Controverſias.
V, Alia item ſunt pænes Calvinum de Æquitate.
VI. Adnotationes ad Juſtinianæi Codices priores libros IX. MSS. in 4., quem Felix Bartholomæus Quintianus prælo paraverat, & Gaſpari de Roſales Senatori dedicaverat, de quo jam diximus in eodem, extant apud Marchionem, & J. C. C. Gaſparem de Roſales.
VII. Allegationes plures Fiſcales ejuſdem. *Mediolani impreſſæ*; extant apud Benaliam, Solivetam, & in Parodiana, atque Archintea Collectionibus.

De eo agunt ſupracitati Auctores, necnon Clariſſimus Sitonus in Sillabo præmiſſo Chronico Coll. J. PP. Mediol. num. 122.

## MDLX.

## SERTORIUS CÆSAR.

Aquilinus à S. Petro, Ordinis Excalceatorum S. Auguſtini Sodalis, in ſæculo Cæſar Sertorius, Jo. Baptiſtæ, & Annæ de Cadenaciis filius, Religionis Habitum aſſumpſit in Conventu SS. Coſmæ & Damiani Turbici, die XX. Maji, anno Redemptionis noſtræ MDCXLV., ibique curſu probationis expleto Profeſſionem emiſit. Præerat Religioſiſſimus Vir anno MDCLXXVI. Conventui Sanctæ Franciſcæ Romanæ Mediolani. Cùm Sacerdos aliquis acceſitus fuit, ut fœminæ ex acuta & maligna febre morienti aſſiſteret. At metuens optimus Superior, ne ſi quem ſubditorum ſuorum mitteret, morbum lethalem incurreret, acceſſit ipſe, contractaque febris malignitate obiit in eodem Conventu die XXXI. Auguſti, anni parùm ſupra memorati, ætatis verò ejuſdem penè XLIX. Totius ferè vitæ ſuæ religioſæ curſum in ſacris Concionibus ad populum habendis inſumſit.

In lucem edidit, tacito ſuo nomine

I. Divozioni, ed Eſercizj Spirituali, conforme il modo di vivere de' PP. Scalzi di S. Agoſtino. *Milano, preſſo Franceſco Vigoni*.
II. Sermoni varj, e Panegirici. Vol. in fol. magnæ molis MS. apud Suos.

Ita ab eiſdem, & ex Schedis Mazzucchellianis.

## MDLXI.

## SESSA FRANCISCUS BERNARDINUS.

Præter inanes bullas nihil fermè protulit in Athenæo ſuo Picinellus de Franciſco Bernardino Seſſa Mediolanenſi. Eum verò filium fuiſſe Joannis Petri, jamque inter vivos extitiſſe anno poſt Chriſti Domini Natale MDLXXIX. ex publicis Tabulis apud ſe ſervatis monuit nos amiciſſimus æquè, ac doctiſſimus JC. Sitonus. Suæ integritatis commendatione promeruit, ut Excelſi Secretioris Conſilii Ditionis Mediolanenſis à Secretis eligeretur, quod munus adhuc adminiſtrabat anno Æræ Chriſtianæ MDCXXVI. Inter alias præclaras artes, quibus excultus fuit, principem ſibi comparavit locum Poëſis Italica, in qua plura ſcripſit Carmina ſtylo feliciſſimo (ſi Picinello jam citato credimus) qui prope ad Guarinum accederet.

Habent poſteri ejus eruditionis Poëticæ hæc documenta:

I. Rime di Bernardino Seſſa de' Regj Segretarj del Conſiglio Segreto di Milano. *Ivi, per il Bidelli*, 1623. *in 4.*
II. Carmina plura Italica in libro inſcripto: „ Componimenti di Diverſi per il Dottoramento in ambe le leggi di Gio. Franceſco Serbellone „ 1559. in 12.
III. Alcuni Madrigali. Extant poſt Carmina Italica Scipionis Cellæ Genuenſis.

Laudatur à Hieronymo Borſerio in Supplemento Nobil. Mediol. Cap. 12. pag. 38., à Franciſco Xaverio Quadrio in libro: „ Della Storia, e Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 300. à Sitono in Schedis, atque Picinello in Athenæo pag. 202.



Digitized by Google

## MDLXII.

## SESSA, ſeu SESSIUS GERARDUS.

GErardus ex Nobili Gente Seſſa, ſive, ut aliis placet, Seſſia Regii Lepidi in Æmilia natus, ab ineunte ætate Sacris deditus, & Clericalem profeſſus Vitam, Canonicatum obtinuit in Cathedrali Parmenſis Urbis Eccleſia. Cùm tamen ſolitariæ vitæ cupiditate flagraret, ad Sacrum Ciſtercienſium Ordinem convolavit, ubi tam laudabilem duxit, numeriſque omnibus commendabilem vitam, ut Cœnobii Sanctæ Mariæ de Tilieto Aquenſis Diœceſis in ea Liguriæ parte, quæ Monsferratus dicitur, Archimandrita fuerit renunciatus. Diù tamen inter Clauſtra latere non potuit tanti Viri pietas, atque doctrina; quocirca Novarienſi Eccleſiæ, poſt obitum Petri Epiſcopi, qui anno MCCX. diem clauſerat, vacanti, ab Innocentio III. Summo Pontifice, cui probè notus erat, præfici meruit. Vix electus eſt litteras ab eodem Innocentio ſuſcepit, quibus ei in mandatis dabat Pontifex, ut Oberti Albingaunenſis Epiſcopi, qui ob nimiam in latronibus puniendis ſævitiem ab Altaris miniſterio fuerat ſuſpenſus, causâ cognitâ, eum ſi juſtum foret Officio reſtitutum pronunciaret. Legatus etiam Apoſtolicus per Inſubriam univerſam ab Innocentio ipſo conſtituitur, ut & prudentiâ, & facundiâ, quibus in primis pollebat, adversùs Othonem IV., qui à Fidelium communione fuerat ſegregatus, populos ad arma capeſſenda incitaret, & Civitates Apoſtolico dicto non audientes Sacris arceret. Interim Gerardum Pontifex anno MCCXI. ad Albanenſem Sedem, & Dignitatem S. R. E. Cardinalis aſſumpſit, quem Epiſcopatum, unà cum Novarienſi retinuit. Iterum quoque Apoſtolicæ Legationis functus eſt munere tunc cùm in Urbe Placentia, defuncto Grumerio, ſive Grimerio Præſule, de Succeſſoris electione agebatur. Cùm autem inter Electores non conveniret, in eam tandem itum eſt ſententiam, ut ille jure cenſeretur ad Epiſcopalem dignitatem evocatus, quem Gerardus noſter ad eum honorem evehendum cenſuiſſet. Is igitur Inſulis digniſſimum pronunciavit Fulconem Virum ſanctitate celeberrimum, qui rectè adminiſtratâ Placentinâ, anno poſtmodum MCCXVII. ad Papienſem Eccleſiam translatus, tam commendabili virtute præluxit, ut inter Cœlites cum Chriſto regnare credatur. Ut autem collapſam in Placentino Capitulo Eccleſiaſticam diſciplinam reſtitueret, optimum duxit Gerardus Synodum cogere, latiſque ſaluberrimis legibus, quod meditabatur, perfecit; atque in primis communem convictum Canonicis imperavit. Obierat interim laudatiſſimus Ambroſianæ Eccleſiæ Archipræſul Ubertus II. Pirovanus, cùm Gerardus, in Urbe Cremona tunc conſtitutus, communibus Electorum ſuffragiis in demortui Antiſtitis locum ſuffectus eſt eodem anno MCCXI. At, proh dolor! die ab electione ſua XXX. adhuc Cremonæ degens vitam cum morte commutavit, ibidemque ſepultus fuit. Fratrem habuit Ugonem Vercellenſis Eccleſiæ commendatiſſimum Epiſcopum fraternæ virtutis æmulatorem, doctrinâ, Apoſtolicis Legationibus, & pietate clarum.

Scripſit verò Gerardus:

I. Epiſtolas plures ad Innocentium III. Summum Pontificem, quæ forſitan in Vaticanis ſcriniis deliteſcunt. Harum aliquot memoriam ſervavit ipſe Pontifex in Reſponſionibus ad eundem Gerardum, ſuntque ſequentes:

1. De negotio, & cauſa memorati Oberti Epiſcopi Albingaunenſis; Reſponſio Innocentii eſt num. CLXXXVII. libri XI. Epiſtolarum ejuſdem, quas Cl. Baluzius collegit, emendavit, & edidit *Pariſiis*, *apud Franciſcum Muguet*, 1682. Tomis II. in fol. Hæc data eſt Laterani Id. Decemb. Pontif. ſui anno X.

2. Alia de ipſius Epiſcopi cauſa. Huic reſpondit Innocentius ſub data Laterani Kal. Octobr. eodem anno, cùm jam Gerardus electus eſſet Novarienſis Epiſcopus: eſt CXXXIV. libri XIII.

3. Alia, qua referebat Innocentio ſtatum quarundam Eccleſiarum Lombardiæ. Hujus meminit in reſponſo dato ibid. III Non. Decemb. cùm jam Gerardus ad Albanenſem Sedem electus Apoſtolica Legatione fungeretur. Eſt num. CXXX. lib. XIV.

II. Synodum habitam Placentiæ, in qua, ut diximus, ſaluberrimas condidit leges, quarum initium dedit Ughellus in Tomo IV. Ital. Sacræ in Novarienſibus num. LVII.

III. Synodum aliam Novarienſem, in qua plura Decreta ſtatuit, laudat Cotta in Muſæo Novarienſi num. CCCXXII., ſervarique aſſerit in Tabulario Gaudiani.

IV. Decreta circa diſtributionem Blavæ, mulctam abſentium à Choro, cuſtodiam Clauſtri, rerum conſervationem &c. condita anno MCCX. ex eodem Cotta.

V. Ejus ſententia, cùm adhuc eſſet Abbas Tilieti, quam cum Lothario Epiſcopo Vercellenſi, & Uberto Preſbytero Mantuano Collegis Delegatis ab Innocentio III., protulit XVI. Junii MCCVI. in cauſa Philippi Archiepiſcopi, & Milonis Cimiliarchæ Mediolanenſis. Extat in Collectione Diplomatica alibi laudati Sormani.

VI. Diploma pro unione Monaſteriorum S. Solutoris Taurinenſis, & S. Michaëlis Cluſini, quod dedit jam electus Novarienſis; Inſertum legitur in Epiſtola ſæpe jam memorati Innocentii III. Abbati, & Conventui S. Michaëlis prædicti, data Signiæ Kal. Septemb. anno XV. eſtque CLVII. libri XV.

Præter ſupradictas autem plures alias ad eum ſcripſit Litteras idem Pontifex, ut infrà:

1. Gerardo adhuc Abbati de Tilieto, Archiepiſcopo Mediolanenſi, & Epiſcopo Yporienſi. Eſt CLXXV. lib. XI. data Later. X. Kal. Decemb. in qua eis narrat exceſſum Placentinorum in Epiſcopum, & Clerum ſuæ Diœceſis; datque in Mandatis, ut de hac cauſa cognoſcant.

Hujus autem delegationis Apoſtolicæ mentio eſt in Epiſtola alia ipſius Pontificis ad Præpoſitum, & Capitulum Placentinum, quæ eſt CCXXII. libri X.

2. Eidem adhuc Abbati ut ſupra, qua ipſum hortatur, ut electioni de ſe factæ ad Novarienſem Cathedram conſentiat. Eſt XV. libri XII. Data Laterani anno ſui Pont. XII.

3. Ad eundem Albanenſem electum, & Apoſtolicæ Sedis Legatum, atque ad Epiſcopum Cremonenſem, necnon ad Abbatem de Columba, ut Ferrarienſi Eccleſiæ idoneum Paſtorem præficiant. Dat. Later. VII. Id. Junii, anno XIV. eſt LXXVI. libri XIV.

4. Ad eundem. De innovanda excommunicationis Sententia in Ottonem Imperatorem: ſub eadem data. Eſt LXXVIII. ejuſdem libri.

5. Ad eundem. Scribit ut pro ſua prudentia ſtatuat quod ſibi ad honorem, & profectum Eccleſiæ videbatur expedire ſuper precibus Marchionis Eſtenſis petentis licentiam ædificandi Caſtrum in Civitate Ferrariæ: ſub eadem data. Eſt LXXX. ipſius libri.

Gerardi verò jam defuncti mentionem facit Summus ipſe Pontifex in variis Epiſtolis ſuis, ubi aliquot recenſentur ex illius Legationibus acta. Hujuſmodi ſunt CLX. libri XIV. ad Epiſcopum, & Canonicos Parmenſes, ubi meminit reſervationis à Gerardo factæ cujuſdam Præbendæ in favorem G. nepotis ſui. Item CXLII. libri XV. Ad Epiſcopos Cremonenſem, & Vercellenſem Legatos Apoſtolicos, atque Electum Reginenſem, ubi agit de Joanne Brixienſi Epiſcopo, qui Præſulatui ceſſerat in manibus Gerardi noſtri. Inſuper CCXXIII. ejuſdem libri de actis coram eo in cauſa Præpoſiti, & Canonicorum Plebis de Bripio & Sal. Clerici ad Vercellenſem Epiſcopum, & Archidiaconum Pergamenſem. Tandem CLXXXIV. libri XVI. ad Archiepiſcopum Ravennatem, & Epiſcopum Cremonenſem, quibus committit ut ad effectum perducant reſignationem Epiſcopatus à Bononienſi Præſule ad conſilium, & ſuggeſtionem Gerardi olim factam.

Ipſum laudant citatus Ughellus in Albanenſibus, & Novarienſibus, ac demum in Mediolanenſibus. Ciacconius, Corius, Panvinius, Caſtillionæus, Iricus etiam noſter in Hiſtoria ſua Tridinenſi, atque in Diſſertatione de tempore, quo S. Abbas Oglerius Locedienſi Monaſterio præfuit, eidem Hiſtoriæ annexa, aliique plures.

MDLXIII.

Digitized by Google

## MDLXIII.

## SESSA PAULA.

ITalicæ Poëſis aureum ſæculum quicumque dixerit illud, quod poſt Chriſtum natum XVI. computatur, profectò multos, qui aſſentiantur inveniet. Id porrò ad Italiæ noſtræ decus æternum memorare lubet non paucas ea tempeſtate eruditiſſimas vixiſſe fœminas, quæ ſexum, ejuſque illecebras oblitæ, in id toto pectore incubuere, ut Muſas colerent, & apud poſteros immortalem nominibus ſuis vitam compararent. Has inter non infimum certè locum promeruit Paula Seſſa, ſive, ut Ringhierio Concivi meo ipſam placuit nuncupare, Seſſia. Hanc Patriâ Mediolanenſem fuiſſe apertiſſimè profitetur Cl. Franciſcus Xaverius Quadrius Presbyter Nobiliſſimæ Societatis Jeſu, de Italica Poëſi optimè meritus iis Voluminibus, quos actu in hac Inſubrum Metropoli Typis tradit. Poëtriam ille noſtram liberalibus excultam diſciplinis, mirâ præditam eloquentiâ, formâque dotatam non mediocri, ſæculo ſuo inter primaria Italicæ Linguæ ornamenta exiſtimatam fuiſſe ſcribit. Tot illuſtris nominibus eâ tamen fuit modeſtiâ, ut Carminibus, & quidem optimis à ſe elucubratis paſſa non ſit nomen ſuum inſcribi, ſed initiales tantummodo litteras P. S. M., quas rectè Quadrius laudatus interpretatus eſt *Paola Seſſa Milaneſe*. Oh utinam, quod nobis erat in votis, pluribus licuiſſet de parentibus, actis, atque emortuali ejus anno Lectores reddere certiores! Veruntamen nudum proferre nomen cogimur, ſatis tamen illuſtre ob

Ea, quæ ſcripſit, videlicet:

I. Carmina Italica, vulgò *Rime*. Extant in libro, cui titulus „ Rime diverſe di alcune nobiliſſime, e virtuoſiſſime Donne, raccolte per M. Lodovico Domenichi. *Luca, per Vincenzo Buſdrago*, 1559. *in* 8.
Laudatur ab Innocentio Ringhierio in libro ſuo inſcripto „ Cento Giuochi d'ingegno, edito *Bononiæ*, 1551. *in* 4. pag. 137., ubi enumerat alias fœminas Poëſi celebratiſſimas ſui ævi, & à citato Quadrio „ Della Storia, e Ragione d'ogni Poeſia „ Tomo II. pag. 362.

## MDLXIV.

## de SEXTO GUIDOTUS.

GUidotus de Sexto Mediolani ortus, priuſquam Ordini celeberrimo FF. Prædicatorum nomen daret, inſignis erat Decretorum Doctor, munuſque Auditoris contradictoriarum in Curia Summi Pontificis egerat. S. Dominico autem anno MCCXIX. Galliis relictis, Italiam petente, & ex itinere Mediolanum menſe Julio, vel Auguſto divertente, ejus Concionibus, quas plures ibidem habuit, excitatus Guidotus, totum ſe ei commiſit, ac veſtem Ordinis ex ipſius manibus induit, unà cum Amizio de Solario, & Rogerio de Merate Viris omni exceptione majoribus, & in utroque Jure Doctoribus etiam famoſiſſimis. Guidotus itaque cum duobus Sociis Sanctum Patriarcham Bononiam progreſſum ſecutus eſt, & cum eo reliquæ ejus vitæ plures annos converſatus, duplicem ejus ſpiritum charitatis erga peccatores, & zeli adverſùs hæreticos imbibit pleniùs; hinc, teſte Taëgio pluries citato, unus fuit ex primis Inquiſitoribus Hæreticæ pravitatis in Lombardia, à Gregorio IX. circa annum Chriſti MCCXXXIV. conſtitutus. Eodem munere functum adhuc anno MCCLII. ſcribit Ballarinus in Chronico Comenſi, citatus à Fontana in Monumentis ad annum MCCLIII., ac juſſu Innocentii IV. in Auctores cædis S. Petri Martyris inquiſiviſſe. Quandiu autem poſtea vixerit, nemo refert, Euſtorgianorumque (nam ex legibus tunc in Ordine ſervatis eorum Conventui, licèt anno ſequenti tantùm erecti XV. Martii MCCXX. Alumnus fuit adſcriptus) Sodalium diligentiæ eſt diem & annum mortis tanti Viri ex veteribus ſuis Chartulariis depromere, noſque docere. Ita ſcripſerunt Clariſs. Quetif, & Eccard, qui adhuc hoc expectant, ſicut & nos, & forſan Poſteri quoque expectabunt. Ejus meminit Oldoinus in Athenæo Liguſt. Ligurem fortè ariolatus a cognomine de Sexto, quaſi fuerit à pago illo celebri in ora Liguſtica, *Seſtri di Ponente*, vernaculè dicto oriundus, ſed cùm Mediolanenſem Guidotum ipſum aſſerant Chalcus, & Taëgius, è Sexto potius Inſubriæ ad lacum Verbanum, aut ab alio ejuſdem nominis Oppido, ſexto ab Urbe lapide diſſito, Modoëtiam verſus, nomen, & ſi velis, originem traxiſſe, proculdubio cenſendus eſt. A Rovetta ad annum MCCXXVI. dicitur Guido de Bononia, fortè quod Bononiæ aliquandiu verſatus fuerit, ſed certum eſt Mediolani in Ordinem adſcitum fuiſſe Sancto Dominico tunc apud Sanctum Nazarium hoſpitante, ſub ſpe Domus in ipſa Urbe Ordini brevì erigendæ.

Idem Rovetta hæc ei adſcribit Opera.

I. Volumen eruditum, & grande adversùs Hæreſes ſui temporis.
II. Opuſcula alia.
Supererat indicandum à quo, & ubi viſa, licèt de re vix dubitem: ſaltem alicubi extent adhuc, aut aliquando extiterint ejus
III. Acta adversùs hæreticos, Inſubriam ſua ætate vexantes.
Ita ſupradicti Quetif, & Eccard in Tomo I. Scriptor. Ord. Prædicator. pag. 141.

## MDLXV.

## de SEXTO JO. BAPTISTA.

JOannes Baptiſta de Sexto, ſive Sextius Mediolanenſis non vulgari famâ celebratus ob militarem fortitudinem, atque Architecturæ præſertim militaris, quam in primis adamavit, peritiem, locum ſibi promeruit in hoc Litterario Theatro Eruditorum Inſubriæ Metropolis. Opus enim illius, quod infra laudabimus, non Iconographiam tantùm Urbium, atque Arcium Mediolanenſis Ditionis exhibet, ſed Auctor ſingularum Originem, & Hiſtorica addidit Monumenta, quæ res ſatis oſtendit quantùm ille hujuſmodi ſtudiis oblectaretur. Plura meruit ſtipendia, ideoque vices obire juſſus eſt ſupremi Copiarum Præfecti, quem vulgò *Tenente Generale* nuncupant; gratiſſimuſque extitit Eugenio illi Sabaudiæ Principi, qui reportatis de Fidei hoſtibus victoriis, nulla unquam oblivione delendum nomen tranſmiſit ad Poſteros, cui etiam Opus ſuum inſcripſit,

Hoc titulo prænotatum

I. Piante delle Città, Piazze, e Caſtelli fortificati in queſto Stato di Milano, colle loro dichiarazioni, del Tenente Generale, ed Ingegnier militare Don Gio. Battiſta Seſti; al Sereniſſimo Principe Eugenio di Savoja. *Milano, preſſo l'Agnelli*, 1706. *in fol.*

MDLXVI.

Digitized by Google

## MDLXVI.

## de SEXTO MATTHIAS.

QUod mihi proculdubio accidit in hac Collectione mea, qualiſcunque tandem ea ſit, ut ſcilicet plures exciderint Eruditi, quorum hìc Opera locum merebantur, illud ipſum ante me contigit aliis, qui ſimiles aſſumſere labores, quod quidem mihi omnium minimò excuſationem prætendet, præſertim cum extero homini id facilius evenire poſſit, quàm iis, qui vel ex eadem prodierunt Patria, vel communem cum Scriptoribus iiſdem profeſſi ſunt Ordinem. Id præfari libuit, cùm nunc occurrat mentio Matthiæ de Sexto Mediolanenſis, qui Sancti Dominici amplexus Inſtitutum ſæculo XV. in finem vergente floruit. Hunc enim Viri Clariſſimi Quetif, & Eccard, aliique ejuſdem Ordinis Scriptorum Collectores, & Picinellus noſter, nec de nomine ſalutarunt. Gaudens igitur ipſum Mediolanenſibus ſuis reddo, quamvis dolens acta illius deperiiſſe. Tempus tantùm, quo erat in vivis cognovi ex MS. Codice Ambroſianæ Bibliothecæ, cujus titulum poſt ipſius Matthiæ Opus editum dabo.

Scripſit Author noſter

I. Conciones pro omnibus Dominicis Adventus Domini, & pro Feſtis Sanctorum Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum principalium totius anni. *Venetiis*, *apud Octavianum Scottum*, 1498. *in* 4. Memoratur in Indice Biblioth. Domini de Hondt, & Colbertinæ inter Sactos. Servatur autem in Bibliotheca Ambroſiana MS. Codex ſign. B. num. 37. in 4. litteris rubro-nigris, qui ſic prænotatur: „ Incipit Egregius, & valde devotus „ Tractatus de Glorificatione ſenſuum in Paradiſo, „ qui aſcribitur Reverendiſſimo Domino, & Sacræ Paginæ Excellentiſſimo Profeſſori D. Fratri Bartholomæo Epiſcopo Coronenſi, & Sanctiſſimi Ordinis Fratrum Prædicatorum. „ In fine ſic legitur: „ Completum per me Fratrem Matthiam de Sexto Mediolanenſem Fratrem Ordinis Prædicatorum, anno Dominicæ Incarnationis MCCCCXCVI. die II. menſis „ Januarii in Conventu Ferrarienſi, pagg. 78. litteris „ rubro-nigris.
Opus hoc Authorem habet Bartholomæum Lapaccium, qui etiam dictus eſt Rambertinus, Rimbertinus, ſive Ubertinus, de quo laudati Quetif, & Eccard in Biblioth. Script. Ord. Prædicat. pagg. 834., & ſequentibus. Editum fuit *Venetiis*, 1498. *in* 8., ut ibi fuſius refertur.

## MDLXVII.

## SFONDRATA ANGELICA AGATHA.

GEns Sfondrata tot illuſtris nominibus, originem ſuam ab Urbe Cremona proculdubio antiquitus traxit, uti ex ſerie Chronologica Clariſs. Viror. Franciſci Ariſii, & Joannis Sitoni noſtri facilè conjicitur; ex eadem verò Joannes Baptiſta Senatoriam Cathedram Mediolani adeptus, anno Chriſti MCCCCLXXV. in hac Metropoli ſedem ſuam fixit, Margaritâ Homodeâ celeberrimi J.C.C Signoroli Senatoris à nobis laudati filiâ in Conjugem acceptâ, prout etiam infra uberiùs repetemus. Ex iiſdem Franciſcus item Senator, & dein S. R. E. Cardinalis, aliique Viri & Fœminæ ob litterarum gloriam encomio digniſſimi orti ſunt, ideoque nos juremerito omnes poſt Joannem Baptiſtam ſupramemoratum, ex eadem linea inter Mediolanenſes Scriptores recenſebimus. Ordine igitur alphabetico de more ſervato ab Angelica Agatha Sfondrata incipiemus. Parentes ipſa habuit Paulum Comitem & Ordinis S. Jacobi à Spatha Equitem, Vallis Aſſinæ Baronem, Regiumque Mediolani Senatorem, nec non Sigiſmundam Marchioniſſam Eſtenſem Conjuges, atque in Fonte Baptiſmali nomen Barbaræ ſortita eſt. Pietate non minus quàm litteris inſtructa, Antoniæ Mariæ ejus Amitinæ amantiſſimæ, inter Angelicas Monaſterii Sancti Pauli hujus Urbis degentis, veſtigia proſequendo idem Aſceterium ingreſſa eſt die Dominico VIII. Januarii MDLXXXI. Religionis Habitum ex manibus Sancti Caroli excipiens, qui eam antea Sacro Chriſmate inunxerat, & poſtea emiſſa ab eadem ſolemnia Vota approbavit; quum eidem Cœnobio præeſſet Angelica Paula Antonia Sfondrata ipſius altera Amitina, quæ deinde tyrocinii ſui inſtitutrix, ſeu Novitiarum ut vocant Magiſtra, eſt conſtituta. In commendationem Agathæ noſtræ hæc ſcripta reliquit Auguſtinus ab Eccleſia loco inferiùs ſignando: „ Angelica Agata, figliuola del Baron Sfrondrato Milaneſe, e Sorella del Cardinal di Santa Cecilia, „ Abbadeſſa di S. Paolo di Milano (in hoc Aſceterio Antiſtitæ non Abbatiſſæ, ſed Prioriſſæ nomine „ appellantur) non meno nobile di ſangue di quel, „ che ſia di tutte le virtù, che adornano le Signore „ illuſtri, eſſendo ſtata da fanciulla incamminata dal „ Padre, ch' era letteratiſſimo, al ſtudio delle lettere, riuſcì sì eccellente in quelle, maſſime nella „ Proſa Italiana, che i Scritti ſuoi per i concetti, e „ per la dolcezza della lingua, ſono tenuti in gran „ conto da i Virtuoſi. „ Ea profectò memoriæ facilitate, atque ingenui acumine prædita erat, ut ab ore loquentis Sancti Caroli, qui pluries Monaſterium adibat, Sacro Pane, & Divini Verbi ſuaviſſimo cibo Nobiles illas Virgines refecturus, ipſa integras Conciones exciperet, & fideliter ſcripto mandaret. Has in unum Volumen redactas publici juris fecit Cajetanus Vulpius, qui in Epiſtola ad Lectorem Operi præmiſſa, digna profectò, quæ legatur, ſatis innuit quantùm in Latinis Litteris Agatha emineret, addens etiam, Hiſtoriam, ſive Chronica Monaſterii Sancti Pauli ab eadem fuiſſe conſcriptam, his potiſſimùm verbis hoc exprimens: „ La Raccoglitrice „ dotta ed intelligente della Lingua Latina, e molto „ benemerita dello ſteſſo Monaſtero, per averne „ ſcritte diligentemente le Cronache. „ Non ſegnes fuimus in perquirendo à Nobilibus illis fœminis, num alia prælaudatæ Agathæ Opera, iſtæ penès ſe haberent, quapropter eâ, qua præditæ ſunt, humanitate, MStum Codicem Sermonum S. Caroli exhibuerunt, in cujus calce permultos alios deprehendimus, atque eos inter XIV. de Oratione, quos ſtylus & dicendi gravitas à Cardinali Archiepiſcopo Friderico Borromæo recitatos fuiſſe, ſatis clarè demonſtrant. Hinc invaluit non contemnenda ſuſpicio, iſtos quoque ab Agathâ auditos, & memoriæ mandatos in ſcriptis fuiſſe redactos. Ob integritatis prudentiæ, ac cæterarum virtutum ſplendorem, quo inter tot pietatis lumina, quot fuerant illius Congregationis Virgines, Agatha effulſit, ab eiſdem quater ad ſupremæ auctoritatis gradum fuit promota. Tamdem die XXIX. Januarii Æræ Chriſtianæ MDCXXXI. carnis debitum ſolvit, perennia nominis ingeniique ſui monumenta relinquens in ejus Scriptis;

Ea ſunt, quæ ſequuntur:

I. Diſcorſi familiari di S. Carlo Borromeo fatti alle Monache dell' Inſigne Moniſtero di S. Paolo raccolti dalla viva voce del Santo da Agata Sfondrati, ed ora per la prima volta da' MSS. per opera di D. Gaetano Volpi pubblicati. *Padova*, *preſſo il Comini*, 1720. *in* 4. Sermones ſeptem ſunt ultra decimum, quos inter ſecundus & tertius recenſent ingreſſum, & vota emiſſa ab eadem Agatha in prælaudato Monaſterio.
II. Lettera dedicatoria alla M. R. M. ſua Zia Paolantonia Sfondrata, de qua infra, ed alle altre Angeliche del Monaſtero di San Paolo. Data eſt III. Auguſti MDLXXXV., ideſt novem poſt menſes, ex quo S. Cardinalis ad Superos evolavit. Epiſtola

nem-

Digitized by Google

nempe unica, ſed digna lectu, continens mirabilia de eodem Sanctiſſimo Cardinali.

III. In fine ejuſdem libri pag. 133., & ſeqq. alia ejuſdem Agathæ prolixa Epiſtola legitur, exarata die VIII. Decembris MDLXXXIV. hoc titulo: Alle Molto Reverende Madri mie in Gesù Criſto Oſſervandiſſime le Madri Priora, ed Angeliche del Monaſtero di Santa Marta di Cremona „. Hac iiſdem Monialibus nunciat extremam ſui animi turbationem, ex morte Sanctiſſimi Cardinalis Borromæi, & ſeriem funebris luctus accuratè omnino exponit.

IV. Epiſtolæ plures ad Cardinalem Federicum Borromæum ab anno MDXCV. ad annum MDCIV. Extant in ſæpe laudata Collectione Epiſtolarum ejuſdem Cardinalis in Bibl. Ambroſ.

V. Ragionamenti familiari ſopra l'Orazione, e la Vita Religioſa del Cardinale Federigo Borromeo Arciveſcovo di Milano, fatti alle Angeliche di S. Paolo, aſcoltati, ed eſpoſti dalla M. Angelica Agata Sfondrati. MSS. in eodem Monaſterio, ut ſupra innuimus.

VI. Chronicon, ſive Monumenta hiſtorica Monaſterii Sancti Pauli Mediolani. De quo MS. in Vita ſupra jam egimus.

In Parte ſecunda Epiſtolarum ſelectarum Bartholomæi Zuchii, *Edit. Venet.* 1595. una extat ad Agatham ſcripta die 1. Januarii 1593.

Altera Annibalis Guaſchi ad Herculem Sfondratum, & ad Angelicam Sfondratam inter editas *Mediolani apud Pontium & Piccaleam*, 1601.

Ad ipſam Ludovicus Septala, celebris inter Mediolanenſes Medicus, Epiſtolam miſit: „ Della Mobilità della „ Paſqua „ uti de hoc agentes jam ſupra indicavimus. Memoratum in quibuſdam Schedis invenimus, Agathæ Vitam fuiſſe ex integro ſcriptam; non diu poſt ejus mortem, quam tamen Angelicæ S. Pauli penès ſe non ſervant, ſed apud quendam invidum nimis cuſtodem deliteſcere, calculis ſuis comprobaverunt.

Ejuſdem mentionem fecere Auguſtinus ab Eccleſia in libro „ delle Donne Letterate pag. 84. Ephemerides Litteratorum Italiæ T. XXXV. art. I. Acta Lipſ. T. VIII. ex Supplem. Sect. I. pag. 16. & 19. Atque Ariſius in Cremona Litter. Tom. II. pag. 397., & Tom. III. pag. 1.

## MDLXVIII.

## SFONDRATA ANTONIA MARIA.

Antonia Maria Sfondrata, cujus in ſuperiori jam meminimus articulo, Franciſcum Sfondratum Virum celeberrimum, qui, poſt Annæ Vicecomitis ſuæ Conjugis obitum, Sacrâ Purpurâ ornatus inter S. R. E. Cardinales, ut pleniùs infra dicemus, cùm de ipſo agendum erit, effulſit, Patrem habuit; Sororque extitit laudatiſſimi Pontificis Maximi Gregorii XIV., cujus Elogium jam ſupra exhibuimus. Fuit ultra fœmineum morem acri, docilique ingenio, cui cùm Patris curâ adhibita fuiſſet ea, quæ hujuſmodi nobilitatis germen deceret, cultura, Latinis litteris adeò ſedulam dedit Operam, ut non contemnendos in eis progreſſus fecerit. In Nobiliſſimo Parthenone S. Pauli hujus Urbis Chriſto Regum Regi teneris adhuc annis deſponſata, ſub diſciplina celebris Angelicæ Mariæ de Nigris, quam alibi debitis ſumus laudibus proſecuti, perceptam in ſæculo eruditionem æquè ac pietatem auxit. Has animi dotes ut impenſiùs coleret, optimum ſibi Magiſtrum elegit, fulgidum illud, ſcilicet, Sanctæ Eccleſiæ Sydus Mellifluum Doctorem S. Bernardum, cujus Opera nedum ſedulò pervolutabat, ut inde ſpiritus hauriret pinguedinem, ſed etiam Sermones in Italicum idioma convertit, ut Latinæ linguæ ignaris paterent. His aliiſque præclarè geſtis illuſtris à cœleſti Sponſo evocata eſt ad meliorem vitam anno reparatæ humanitatis MDCII. die XIII. menſis Octobris.

Laudatur ob

I. Verſionem Italicam Sermonum S. Bernardi Claravallenſis Abbatis. Hæc propediem edenda erat, typiſque in publicum producenda, ſcribente Campio, loco inferiùs citando, at nunquam id evênit. MS. ſervatur in eodem Cœnobio S. Pauli.

De ea cum laude egerunt Antonius Campi ſupradictus in Hiſt. Cremonenſi lib. III. pag. 50. Moriggia in initio Hiſt. Mediol. Ariſius in Cremona Litterata T. II. pag. 330. & Necrologium præfati Monaſterii Sancti Pauli Mediolanenſis, ex quo Indicem earum, quæ ex Sfondrata progenie ibidem Domino famulatæ ſunt, nobis texuit humaniſſimè Mariana Antonia Ciconia ejuſdem Sanctimonialis, atque Sitonus noſter in Schedis.

## MDLXIX.

## SFONDRATA PAULA.

Joannem Baptiſtam Sfondratum integerrimum Mediolanenſis Senatus Patrem, Ducalemque Conſiliarium, qui ex Urbe Cremona, ut jam innuimus, & infra dicemus uberiùs, in hanc Metropolim lares tranſtulit, atque Margaritam Homodeam è ſatis nota Nobilitate Matronam, Genitores nacta eſt Julia Sfondrata Franciſci Cardinalis Soror, atque Gregorii XIV. Pontificis Maximi Amita. Hæc liberaliter, ſummâque diligentiâ educata Nobiliſſimo primùm è Gonzaga Familia Viro nupſit, eodemque defuncto ad ſecunda Vota cum Cleto Picenardo Equite Aurato convolavit. Hanc hiſce verbis penè expreſſit Jacobus Crottus infra citandus, Franciſcum ejus fratrem alloquens: „ Sororem habes Juliam „ vivacem, cœleſtis virtutis tuæ, integritatiſque „ morum maternorum imaginem; cui nulla fœmina„ rum gloria in omni & pulchritudinis, & pudi„ citiæ, & gravitatis laude conferri poteſt: „ Verùm præclaram hanc Fœminam ſibi Deus elegerat; quocirca poſt ſecundi Viri obitum, Veronæ pietatis officiis toto pectore dedita, bina ibidem præcipua Xenodochia condidit, tum ſæculi pompis, commodiſque penitùs abdicatis ad inſigne Sancti Pauli Mediolanenſe Monaſterium ſe contulit, Septembri menſe anni MDXXXVIII., ubi inter Religioſas illas Nobileſque Fœminas diu verſata, eorum moribus & vitæ ad normam Evangelicæ perfectionis traductæ diſciplinâ admodum illecta, ibi tandem die VIII. Decembris, quo Immaculatæ Conceptionis memoria decurrebat, Sacrum Habitum induit Salutis anno MDLV. cùm LX. ætatis attingeret. Die tertia Maji in Solemnitate Inventionis S. Crucis, anno MDLXII. Religionis vota emiſit, & Paula voluit nuncupari. Fuit Poëſis arte inſtructiſſima, adeo ut Muſarum Alumna, atque inſignis totius fœminei ſexus ornamentum à Scriptoribus infra citandis nuncupetur. In eodem Parthenone piiſſimè vixit ad annum uſque MDLXXV. ætatis ſuæ LXXIX. quo die VI. Octobris viam univerſæ Carnis ingreſſa eſt.

Scripſit:

I. Carmina plura. Hæc utrum Latina fuerint, vel Italica, aut ubi MSS. deliteſcant (edita enim nunquam vidimus) nemo hactenus indicavit. Ea tamen proferimus nomine tantùm tenus, fulti teſtimonio Ariſii Viri Clariſs. in Cremona ſua Litterata, Tomo II. pag. 255., qui & alios ſequentes citat, videlicet: Jacobum Crottum in Oratione ad laudem Franciſci Sfondrati. Antonium Campi Hiſtor. Cremon. lib. 3. pag. 50. Octavianum Picenardum in Orat. habita pro Sigiſmundo Picenardo. Breſcian. in Corona &c. lib. I. Part. I. his autem nos addimus Sitonum noſtrum in Schedis, ac Necrologium ipſius Monaſterii S. Pauli Mediolanenſis jam alibi citatum.



Digitized by Google

## MDLXX.

## SFONDRATA PAULA ANTONIA.

INter liberos , quos Franciſcus Cardinalis Sfondratus non ſemel jam memoratus, ante Sacros Ordines , ex Anna Vicecomite Conjuge legitimè ſuſcepit, hìc meritò locum obtinet Paula Antonia . Hanc ad optimas artes toto amplectendas pectore , Franciſcus Genitor , & Nicolaus Frater poſtea ad Pontificatum Maximum ſub nomine Gregorii XIV. evectus, imò & Sorores litteratæ ſuis exemplis ita incitarunt , ut virtutis , & doctrinæ ſemitam non ſine ingenti laude initam fuerit proſecuta . Cùm autem adoleviſſet, Cœleſtis Sponſi Nuptias Paternæ Domus commodis præoptans, in ſæpe jam laudato S. Pauli Mediolanenſi Parthenone Religioſis ſe Votis obſtrinxit . Vivebat per ea tempora inter Virgines illas Paula Antonia de Nigris crebrò jam à nobis commendata , atque hujus potiſſimum ſedulò imitata mores Paula Antonia noſtra pietatem , humilitatemque , ac ceteras virtutum dotes adepta eſt . Tantum conceperat animo Divini Spiritus fervorem , ut non ſolùm ſe,at alios quoque ad perfectionis apicem ſanctiſſimis monitis adducere ſtuduerit . Hos inter Seraphinus Acetus de Portis Firmanus Canonicus Lateranenſis non eſt prætereundus , quem Virginis hujus colloquia plurimùm juviſſe ad optimæ vitæ genus amplectendum teſtatur Roſinus infra citandus . Huius rei memor Seraphinus non tantùm in Præfatione Problematum ſuorum de Oratione , ceteriſque ſuis Opuſculis meminit illius, ſed gratum erga ipſam animum profeſſus, eidem dicavit librum ſuum de vera Converſione inſcriptum. Quod verò ad eruditionem pertinet, ſubjicimus libentiſſimè verba Franciſci Auguſtini ab Eccleſia Salutiarum in Subalpinis Epiſcopi , quibus Sfondratam noſtram commendat pag. 84. libri ſui , cui titulus : „ Theatro delle Donne „ Letterate „ Ea ſunt: „ Vive anco nella medeſima „ Città , e dell' iſteſſa famiglia Angelica Paola An„ tonia , Signora molto prudente , e letterata , la „ quale oltre al giudicio , e maturità nelle coſe , hà „ tanto cognitione di quelle , che ſi chiamano belle „ lettere , che pare haver in eſſe conſumato gl' anni „ ſuoi . „ Ob ſpectatam prudentiæ commendationem Tyronibus dirigendis præfecta fuit , atque inter ceteras ſub diſciplina habuit Angelicam Agatham Neptem ſuam , quæ , ut in ipſius Articulo diximus , Sermonum Sancti Caroli Codicem à ſe conſcriptum Amitinæ huic dilectiſſimæ, optimæque Magiſtræ ſuæ dicatum voluit . Quater etiam univerſis Sororibus Antiſtita præfuit ingenti cum laude non præeſſe minus, quàm prodeſſe ſtudens . Mortalis eſſe deſiit anno humanæ Reparationis MDCIII. die XV. menſis Januarii magno cum Virginum ſui Monaſterii luctu.

Qua fuerit eruditione , & pietate prædita indicant poſteris :

I. Epiſtolæ plures religioſi fervoris plenæ , in quibus aliquæ extant Bonifacii Vannocii Piſtorienſis Presbyteri Sæcularis , à Secretis primùm Baronis Sfondrati , deinde Cardinalis Pauli ſub eodem Gregorio XIV. Reſponſiones Tom. II. Epiſtolarum Illuſtrium Scriptorum à Bartholomæo Zucchio ſelectarum , editarumque *Venetiis , apud Societatem minimam* , 1595. *in* 4.

II. Aliæ ad S. Carolum Borromæum . Extant in pluries commendata Collectione Ambroſiana.

Sub ejus nomine extant Carmina Elegiaca inter Heroidum Epiſtolas Aurelii Albutii , de quo loco ſuo jam diximus .

Laudatur inſuper ab Ariſio in Cremona ſua Litteraria Tomo II. pag. 417. à Moriggia in Hiſt. Mediolani , à Sitono noſtro in Schedis , à Roſino in Licæo Lateranenſi lib. XVI. pag. 225., & in Necrologio ſæpe citato Monaſterii prænominati Sancti Pauli Mediolani .

## MDLXXI.

## SFONDRATUS CŒLESTINUS.

VAlerianum Sfondratum Gregorii XIV. Summi Pontif. Nepotem , ac Paulam Camillam Marlianam nobiliſſimos Conjuges Cœleſtinus in hac Urbe Mediolanenſi genitus parentes habuit , atque in lucem editus fuit anno Salutiferæ Incarnationis MDCXLIX. In Monaſterio Sancti Galli , quo erudiendi gratiâ miſſus fuerat admodum puer , tantùm profecit pietate ac litteris , ut adultus , ab ejuſdem Cœnobii Monachis in fratrem admiſſus , Sancti Benedicti Regulam profiteretur. Docendis poſtmodum aliis jam maturus Theologiam Campidonæ publicus Anteceſſor auditoribus tradidit , quam etiam in præfato Monaſterio ſuo cum Philoſophia , & Jure Canonico interpretatus eſt . Ejus interim doctrinæ famâ commoti Salisburgenſis Academiæ Moderatores Cœleſtinum evocarunt , ut ibidem Pontificias leges è Cathedra explicaret . Emanaverant ea tempeſtate à Gallicano Clero propoſitiones aliquot, quas acceptas Salisburgenſis Antiſtes , pro ſua in Apoſtolicam Sedem reverentia, ad Univerſitatis ſuæ Doctores refutandas tranſmiſit . Ea provincia Cœleſtino noſtro communibus obtigit ſuffragiis, libroſque edidit inferiùs recenſendos, quibus Pontificiam Dignitatem ſtrenuè defendit . Majorum exinde juſſu animarum curationem ſuſcepit in Oppido , cui nomen Roſacum , in Sacello videlicet à Monaſterio Roſacenſi leucâ Germanicâ diſſito in prærupto, & penè invio Monte conſtituto; ubi ſolitudinis tœdium, conſcripto nobili Philoſophiæ Tractatu, mox laudando, fefellit. Patientiam tandem illius admiratus Abbas eum ad S. Galli Monaſterium revocavit, ſuumque in Spiritualibus Vicarium conſtituit . Defuncto Joſepho Maria Mirabilia , quem loco ſuo memoravimus, Novarienſi Epiſcopo, à ſanctæ memoriæ Innocentio XI. eidem Eccleſiæ præfectus eſt , quamvis invitus , ut ex ejus Epiſtolis tam ad Pontificem , quàm ad Cardinalem Cybo ea ſuper re datis ſatis apparet , præoptabat enim Infulis Cœleſtinus Monaſterii ſui quietem , mandatis tamen Apoſtolicis obedire compulſus humiliter acquievit . At dum iter in Italiam pararet, à Sodalibus ſuis revocatus eſt ad Clauſtrum ; ipſum enim, defuncto Archimandritæ ſuo ſucceſſorem delegerant . Quocirca , bonâ cum Pontificis veniâ, Epiſcopatu dimiſſo, eò ſe contulit Sacrum Jus Cœnobitis dicturus ; ubi etiam pluribus cudendis Operibus inſudavit . Tantum poſtremò Virum Innocentius Pontifex hujus nominis XII. anno MDCXCV. abſentem evocavit ad Purpuram , adjecto Presbyterali titulo S. Cæciliæ. Urbem igitur Romam petiit , ibique adversâ ut plurimùm valetudine conflictari cœpit, & intra ſex menſium ſpatium ſanctiſſimè , ut vixerat , migravit ad Dominum, ætatis ſuæ anno LII. Funus illius Apoſtolicæ Cameræ expenſis celebratum fuit , nam cuſtos acerrimus religioſæ paupertatis , unum hoc ſupremis expetivit votis , ut aliquid ſibi eſſet ad manus , quo ſuam in familiares beneficentiam teſtaretur . Jacet Cadaver illius in Eccleſia ſui Tituli , illatum tumulo eidem , ubi Paulus ejus Patruus item Cardinalis conquieſcit. Hoc humillimum Epitaphium Sarcophago incidi juſſit :

COELE-

Digitized by Google

COELESTINVS TIT. S. CAECILIAE
S. R. E. PRESBITER CARDINALIS SFONDRATVS
MISERRIMVS PECCATOR
ATQVE EIVSDEM VIRGINIS HVMILIS SERVVS
AD CVIVS PEDES HIC HVMILITER REQVIESCIT
VIXIT ANNOS LII.
OBIIT PRIDIE NONAS SEPTEMBRIS
ANNO MDCXCVI.
ORATE DEVM PRO EO.

Satisfactum quidem fuit piiſſimi Cardinalis voluntati, decentius tamen Elogium Affines poſuere; in hæc verba conceptum :

D. O. M.
HIC IACET
COELESTINVS TIT. SANCTAE CAECILIAE
PRESB. CARDINALIS SFONDRATVS MEDIOLANENSIS
GREGORII XIV. PAPAE ABNEPOS
EX PRINCIPE ABBATE MONASTERII S. GALLI
ORDINIS S. BENEDICTI NVLLIVS DIOECESIS
PROVINCIAE MOGVNTINAE
CARDINALIS RENVNCIATVS
AB INNOCENTIO XII. PONT. MAX.
PRIDIE IDVS DECEMBRIS MDCXCV.
VIXIT ANN. LII. MENS. VII. DIES XXV.
OBIIT PRIDIE NON. SEPTEMBRIS MDCXCVI.

A

Scripſit, & cum ſui nominis ingenti gloria evulgavit :

I. Regale Sacerdotium Romano Pontifici aſſertum, & quatuor Propoſitionibus explicatum, Auctore Eugenio Lombardo S. Theologiæ, & J. U. Doctore, (ſcilicet Cœleſtino Sfondrato) *ſine loco*, *apud Sebaſtianum Trogum*, 1684. *in* 4., *&* *per Cyriandrum Donatum*, 1693. *in* 4. Extat quoque in Tomo XI. Biblioth. Pontificiæ Roccaberti, pag. 307. Contra hunc librum ſcripſerunt quinque Epiſcopi Galliæ. Videſis Journal des Sçavans Tom. XLVI. ad ann. MDCVIII.

II. Tractatus Regaliæ contra Clerum Gallicanum. *Sine loco, & Typographi nomine*, 1682. *in* 4. Prodiit quoque Idiomate Gallico, *ſine loco*, *anno*, *& Typographi nomine*, aliquibus tamen in locis à ſupradicto Latinè exarato difert.

B

III. Gallia Vindicata, in qua Teſtimoniis, Exemplisque Gallicanæ præſertim Eccleſiæ, quæ pro Regalia ac quatuor Pariſienſibus Propoſitionibus à Ludovico Maimburgo, aliiſque producta ſunt, refutantur, Auctore R. P. Cœleſtino Sfondrato. Ad Innocentium XI. Chriſti Vicarium. *Typis Monaſterii Sancti Galli*, 1687., 1688., *&* 1702. Iterum editio aucta *Mantuæ*, *apud Albertum Pazzonum*, 1711., & in Roccaberti Biblioth. Pontificia T. VI. pag. 109.

IV. Legatio Romam Marchionis Lavardini, & ob eandem Regis Chriſtianiſſimi diſſidium, ubi agitur de Jure, Origine, Progreſſu, & Abuſu Quarteriorum Franchiſiarum, ſeu Aſyli &c. Refutantur rationes à Lavardini Advocato productæ in Libello Gallico, cujus initium: „ Si l'Auteur &c „ *Sine loco, atque Typographi nomine*, 1688. *in* 8.

V. Innocentia Vindicata de Immaculato Conceptu B.M.V. *Typis Monaſterii S. Galli*, 1695. *in fol.* cum Emblematibus ære inciſis.

VI. Nodus Prædeſtinationis, ex Sacris Litteris, Doctrinaque SS. Auguſtini, & Thomæ, quantùm homini licet, diſſolutus. Auctore Cœleſtino S. R. E. Cardinali Presbytero Sfondrato. *Romæ*, 1696., *& Venetiis*, *apud Albritium*, 1698. *in* 4. Liber hic ſub prælo erat dum ultimo morbo laborabat Auctor, ejuſque editionem commendavit enixè Coſmo III. Hetruriæ Duci, ac eximio Cardinali Leandro Colloredo. Contra verò eundem ſcripſerunt Doctores Sorbonici poſt Auctoris mortem, ſed Defenſorem habuit Clariſs. Joannem Mariam Gabrielem, poſtea S. R. E. Cardinalem.

VII. Diſputatio Juridica de Lege fundata adversùs Probabiliſmum. *Sine loco*, *& Typographi nomine*, 1681. Ex Journal des Sçavans. Tom. XLVI. ad ann. MDCCVIII.

VIII. Baptiſmi neceſſitas ex Sacris Litteris evidenter aſſerta, & contra nuperam Reformati cujuſdam Doctoris Apologiam defenſa. *Sine loco*, *& Typographi nomine*, 1694. *in* 4.

IX. Curſus Philoſophicus Monaſterii S. Galli. Auctore Cardinali Cœleſtino Sfondrato. *Ex Typographia ejuſdem Monaſterii S. Galli*, *per Jacobum Müllerum*, 1699. *T. III in* 4.

X. Curſus Theologicus.

XI. De Atheiſmo.

XII. De Divinis Officiis.

XIII. Diſſertationes contra peſtilentem Librum Heidegerii Tigurini, cujus titulus: „ Meretrix Babylonica. „

XIV. Commentaria in Jus Canonicum. Vol. III. MSS. De his V. poſterioribus Articulis teſtes ſunt Clariſs. Viri Eggs in ſua Purpura Docta, & Cotta in Muſæo Novarienſi locis infra citandis.

XV. Nepotiſmus Theologicè expenſus. *Typis Jacobi Mülleri*, *ſine loco*, *& anno*, *in* 12.

Joannes Palatius in ſuo Opere de Geſtis S. R. E. Cardinalium refert Carmina in laudem Cœleſtini noſtri ex Muſis Salisburgenſibus.

Ipſum

Digitized by Google

Ipſum laudarunt ſupradictus Eggs in Vol. VI. Purpuræ Doctæ, pagg. 533. 538. 539., & 540. Cotta in Muſæo Novarienſi, pag. 94. Galleria di Minerva Tom. II. pag. 252. Placcius in Theatro Anonymorum, & Pſeudonymor. Tom. I. pagg. 291. 338. 340. Tom. II. pagg. 265., & 422. Acta Eruditorum Lipſiæ ad annos MDCXCIV. & MDCXCVII., nec non in Supplementis. Auctores Diarii Italici Venetiis editi, Tom. VI. pag. 507., & ad ann. MDCCXXXII. pag. 319, Baldaſſarri Vite di Perſon ggi Illuſtri Bened. pag. 92., Morerius in Lexico, Laſor à Varea, Sitonus in Theatro Nobil. J. PP. pag. 208. art. 897., aliique permulti.

## MDLXXII.

## SFONDRATUS FRANCISCUS.

MEminimus jam in articulo Agathæ Sfondratæ nos Lectores monuiſſe, Joannem Baptiſtam Sfondratum nobiliſſimo apud Cremonenſes ſanguine genitum, in hac Metropoli, in qua Senatoriam Dignitatem obtinuit, ſtabile fixiſſe domicilium, ut nobis indicavit Sitonus noſter, aſſerens Ædes illius in Parœcia Sanctæ Euphemiæ in Via, cui nomem *Rugabelli*, ſitas fuiſſe. E primaria quoque Nobilitate Mediolanenſem Matronam Margaritam, videlicet Signoroli Homodei, quem loco ſuo commendavimus, filiam ſibi conjugio copulaverat Jo. Baptiſta ipſe, è qua plures ſuſcepit liberos, quorum aliqui Mediolani, aliqui Cremonæ lucem viderunt. Inter hos computatur Franciſcus, aliis Jo. Franciſcus, cujus nunc facienda mentio; quem Cremonæ quidem natum non inficiamur, ſed Mediolanenſibus eripere non audemus, cùm ibi prodierit fortuitò ad vetuſtam generis ſui Patriam Joanne Baptiſta identidem divertente, qui jam, ut diximus, lares Mediolanum tranſtulerat. Juvat interim inſigne ſphalma Julii Cæſaris de Solis Poëtæ alioquin non inconcinni corrigere; cùm enim hìc præclariores aliquot Orbis terrarum Urbes octometris laudandas ſuſcepiſſet in Libro ſuo edito *Bononiæ, apud Benatium*, 1589. hæc de Cremona cecinit:

*Tra le prime d'Italia in pregio ſale*
*Queſta bella del Pò Donna, e Regina,*
*Dal cui grembo gentile, alma, e reale*
*Prole diſceſa n' è rara, e divina.*
*Quì nacque l'uno, e l'altro Cardinale*
*Sfondrati, al cui valor Palla s'inchina &c.*

Nam quantum verè de Franciſco noſtro id potuit aſſerere, tam falsò idem ſcripſit de Nicolao, qui poſtmodum in Apoſtolica Sede Gregorius XIV. eſt appellatus. Etenim, quemadmodum in ipſius articulo demonſtravimus, Nicolaus non in Cremonenſi Urbe, ſed in Oppido Summæ Agri Mediolanenſis primam vidit diem. Et hæc quidem idcirco dicta eſſe voluimus, ne quis arbitretur gratiam nos Mediolanenſium aucupari conſarcinatis undique Scriptoribus, ut quidam fecere aliarum Urbium Eruditos recenſentes, quorum ſuſcipimus nomina, laboremque laudamus, ſed tamen (abſit injuria verbo) ſententiam improbamus. Franciſcus igitur, cùm Genitores ejus ſupra recenſiti per autumnales Ferias Cremonam divertiſſent, die XXV. menſis Octobris, anno Æræ Chriſtianæ MCCCCXCIII. vitales auras ibidem haurire cœpit. Paulò poſt è vivis Pater abiit, ejuſque per veſtigia gradiens Filius ſic educatus eſt, ut ipſi prudentiâ, & doctrinâ non inferior aliquando futurus viſus fuerit. Cremonæ igitur ſub doctiſſimis Viris Daniele Cajetano, & Nicolao Lucaro humaniores didicit litteras tam Latinas, quàm Græcas, quemadmodum etiam Artem Poëticam. Mox Juri Cæſareo, atque Pontificio in Ticinenſi Archigymnaſio ſedulam navavit operam, ubi Togam indutus effulſit. Præceptores habuit in laudata Academia Jaſonum Maynum, Philippum Decium, & Ruinum Clariſſimos Juris Interpretes, quorum duo priores honeſtiſſimum in hac Mediolanenſi Bibliotheca jam locum obtinuere. Suſcepto Doctoris gradu Collegio J. PP. Cremonenſium anno MDXX. die XI. menſis Septembris nomen dedit, & vix quintum excedens luſtrum, haud ita multò poſt in Patavino Lycæo ad Juris Cathedram evectus fuit, quo in munere Collegam nactus eſt Petrum Paulum Pariſium poſtmodum Cardinalem. Nominis ejus, & ſapientiæ famâ longè latèque diffusâ, in Gymnaſiis Ticinenſi, Bononienſi, & Romano ad interpretandas leges ſucceſſivè vocatus, ubique de ſe conceptæ ſpei ſic reſpondit, ut nedum Juriſconſulti conſummatiſſimi vocabulo fuerit nuncupatus, verùm etiam tanquam ad Oraculum ad ipſum undique Conſultores accurrerent etiam Principes, & Urbium Proceres. Caroli III. Allobrogum Ducis gratiâ initâ, ab eodem expetitus Taurinum ad Juris Quæſtiones auditoribus explicandas ſe contulit, à quo etiam Duce primùm Conſiliariis, mox etiam, Senatoribus ſuis adſcribi meruit. Ejus etiam operâ Carolus ipſe in arduis ſæpe negotiis uſus eſt; Verùm inde Franciſcus II. Inſubrum Dux Sfondratum evocavit, & inter Conſcriptos Mediolanenſes Patres recenſuit, illiuſque prudentiam in graviſſimis Legationibus ſibi adeſſe vidit. Apud eundem Principem tantùm authoritate valuit, ut ab ejus nutu, æquè ac à Ducis imperio Reſpublica tota pendere videretur. Devoluto poſtmodum ob Franciſci Principis mortem ad Carolum V. Auguſtum Mediolanenſi Ducatu, ab eodem Imperatore in Senatum iterum, & in Conſilium accitus fuit. Noverat Sfondrati prudentiam Carolus Cæſar, tunc cùm à præfato Mediolanenſi Duce Orator ad eum miſſus Chriſtiernæ Danorum Regis Filiæ nuptias cum ipſo Duce conciliavit. Quocirca non Senatoris tantùm & Conſiliarii honorem ipſi cenſuit conferendum, ſed inſuper ad Sabaudiæ Ducem pro ſe Legatione fungi juſſit, Comitemque Orientalium Larii Lacus littorum, & Vallis Aſſinæ Comitem creavit. Ex Anna Vicecomite Conjuge nobiliſſima liberos ſex, binos ſcilicet maſculos, quatuorque fœminas genuit, Paulum nempe, & Nicolaum poſtea Summum Pontificem, atque Antoniam Mariam, Paulam Antoniam, Paulam Franciſcam, & Paulam Mariam, quæ omnes non pietate ſolùm, ſed etiam eruditione illuſtres inter ſacras Virgines Aſceterii Sancti Pauli Mediolanenſis Chriſto Regi Regum Sponſas ſe conſecrarunt. Anna Uxore demortua à Carolo V. Senas miſſus eſt Franciſcus collatâ Cæſareæ poteſtatis plenitudine, ut Rempublicam illam civilibus turbatam diſcordiis componere ſtuderet. Quàm feliciter impoſitum ſibi munus geſſerit indicat Senenſium S. C., quo Civitate donatus eſt, & Patris Patriæ nuncupatione honeſtatus. Clericis interim Sfondratus adſcribi voluit, cùmque Paulus Pontifex hujuſce nominis III. Viri famâ permotus eum Romam vocaſſet, Apoſtolici Refferendarii dignitatem ipſi contulit, poſtmodum Sarnenſi Eccleſiæ dedit Antiſtitem, hinc Amalphitanæ Sedis Archiepiſcopum renunciavit. Ad Spirenſem poſtea Conventum Romanæ Sedis nomine Nuncius miſſus eſt, & paulò poſt eodem munere functus eſt apud præfatum Carolum V., ut ei initam cum Franciſco Galliarum Rege pacem gratularetur. Abſens interim die XXVII. Octobris, anno Redemptionis MDXLIV. ab eodem Paulo III. Presbyter Cardinalis primùm tituli Faſciolæ, vulgò Sanctorum Nerei & Achillei, mox Sanctæ Anaſtaſiæ creatus fuit. Quin & vetuſtum Sancti Mauri Monaſterium ad Padi fluminis litus in Ora Pedemontana non procul Auguſta Taurinorum ſitum Fiduciario nomine regendum obtinuit. Acceptis Romæ Cardinalatus Inſigniis iterum ad Carolum Cæſarem Legatus perrexit,

Digitized by Google

xit, ſummoque ſtudio contendit, ne ipſius Decretum, *Interim* dictum, in publicum prodiret: & adversùs Lutheranæ Sectæ defenſores plurimùm profecit. In Anglia poſtmodum alteram obivit Legationem, in id incumbens, ut ad Eccleſiæ gremium errantem gregem reduceret. Ab eodem Paulo Pontifice, ut Italiam reviſit, Peruſinæ Urbi Præfectus eſt, donec poſt obitum Benedicti Accolti S. R. E. Cardinalis, anno MDXLIX. die IX. Novembris Cremonenſi Infula donatus, traditam ſibi ſimul à ſupremo Hierarcha Laquedonenſis, & Caputaquenſis Eccleſiarum adminiſtrationem ſuſcepit. Sequenti anno, A qui fuit Chriſti MDL. die XV. Junii Cremonæ incredibili Civium lætitia ſolemniter exceptus fuit, cùm prius interfuiſſet Comitiis poſt Pauli mortem celebratis, in quibus parùm abfuit, quin ad ſupremum Eccleſiæ apicem eveheretur. Dum igitur optimi Paſtoris officium exequeretur, inopinatæ mortis ictu concidit Prid. Kal. Auguſti ejuſdem anni MDL. nondum expleto LVII. ſuæ ætatis anno. Cadaver illius magnifico Funere elatum in Templo maximo Cremonenſi ad fores Sacelli Sanctiſſimi Corporis Domini conditum jacet in inſigni Tumulo, cui hoc inciſum eſt Elogium:

FRANCISCVS SFONDRATVS HIC QVIESCIT
BAPTISTAE ILLIVS F.
QVI ET SENATOR ET CONSILIARIVS
LVDOVICI SFORTIAE
VALDE FVIT CLARVS OB MVLTAS NOBILES LEGATIONES
QVAS IVSSV IPSIVS OBIIT AD OMNES ET REGES
ET ILLVSTRES RESP.
HIC COMES LITTORIS LARII AD ORIENTEM
VERGENTIS
BAROQVE ASSINAE VALLIS OB EGREGIAM FIDEM
PRVDENTIAMQVE IN REP. ADMINISTRANDA
ET OB ADMIRABILEM INTELLIGENTIAM IVRIS
A CAROLO ALLOBROGVM DVCE SENATOR CREATVS EST
POSTEAQVE A FRANCISCO SECVNDO INSVBRIVM DVCE
IN ORDINEM SENATORIVM MEDIOLANI ADSCRIPTVS
IN EA DIGNITATE A CAROLO V. IMPERATORE
CVM IN IPSIVS DITIONEM CIVITAS REDIISSET
RETENTVS FVIT
AVCTVSQVE CONSILIARII GRADV
MORTVA VERO VXORE ANNA VICECOMITE
LECTISSIMA FOEMINA
AB EODEM SVMMA CVM POTESTATE SENAS MISSVS EST
VT EORVM REMP. DISCORDIIS VEXATAM
CONSILIO SVO REGERET
A QVIBVS OB EGREGIA IPSIVS MERITA
ET CIVITATE DONATVS EST
ET PATER PATRIAE APPELLATVS
POSTEA ROMAM A PAVLO III. PONT. MAX.
EVOCATVS
IN GERMANIAM PAVLO POST MISSVS FVIT
AB EODEMQVE IN AMPLISSIMVM CARDINALIVM
ORDINEM COOPTATVS
AD CAROLVM QVINTVM IMPERATOREM MAGNIS DE REBVS
LEGATVS EST
ORNATVS DEMVM A SAPIENTISSIMO ACERRIMIQVE
IVDICII SENE OMNIBVS HONORIBVS
QVIBVS SVMMI ANTISTITIS PERSONA DECORARI POTEST
MORTEM OBIIT ANNO MDL.
CREMONAE PATRIAE EPISCOPVS
NICOLAVS ET PAVLVS EXIMIA PIETATE PRAEDITI FILII
HOC MONVMENTVM
P. P.
VIXIT ANNOS LVI. MEN. IX.
DIES VII.

Aliud inſuper Sepulchrum in Templo Sancti Pauli Sanctimonialium, quæ Angelicæ nuncupantur, Mediolani juſſerat parari Franciſcus noſter, ubi ad hanc uſque diem legitur Inſcriptio ſculpta, quam in Pauli Sfondrati Articulo mox proferendo dabimus.

Eruditionem Viri Clariſſimi hæc apud poſteros teſtatam faciunt.

I. De Raptu Helenæ Poëma Heroicum. Libri III. *Venetiis*, 1595. *in* 4., & inter Carmina Illuſt. Poëtarum Ital. Tom. IX. pag. 42. Hoc Opus in duo perperam diſcerpſit Picinellus loco citando. Super quo luſit fortaſſe Joannes Brodeaux in ſuo Colutho de Raptu Helenæ. Legitur & in Farragine Poëtarum ſelecta per Laodegarium à Quercu *Pariſiis*, 1560. nec non in Delitiis Poëtarum Italorum Ranutii Gherii, Tom. II.

B

II. Orationes plures in Legationibus habitæ. Teſtibus Ariſio, & Picinello.

III. Conſilia varia.
Ex his unum in materia Subſtitutionum, cum aliis de eodem ſubjecto Conſiliis Caroli Ruini, Joannis Mayroni, & Hugolini de Ruſpo in unum congeſtis, ex Bibliotheca Antonii Auguſtini Doctiſs. J. C. Hiſpani. MS. citat Joan. Freymonius pag. 96. Elenchi J. U. Scriptorum, in Indice Conſiliorum Vagantium.

IV. Epiſtolæ plures MSS. cùm eſſet Legatus Apoſtolicus in Germania. Servantur in Bibliotheca Vaticana.

V. Aliæ ad Varios, inter quos aliquot ad Federicum Nauſeam; ex his ea præcipua, quæ data eſt ad ipſum Nauſeam, Auguſtæ, die II. menſis Auguſti anno MDXLVII., & occurrit libro X. Epiſtolarum Miſcellanearum ad Frid. Nauſeam Blaneicampianum edit. *Baſileæ*, 1550. *in fol.* pag. 424., & docet, Franciſcum ad Cæſarem miſſum, ut negotium univerſalis Conſilii arduum, atque difficile cum eo pertractaret.

VI. Alia, quâ reſpondet Decurionibus Cremonenſibus, qui collatum ei ſuæ Urbis Epiſcopatum gratulati fuerant.

rant. Data eſt Romæ die XV. Feb. MDL. Ram ex Autographo vulgavit Ariſius in Cremona Litterata. Tomo II. pag. 184.

VII. Fragmenti importanti delle due Nunziature, e della Legazione a Latere del Card. Co. Sfondrati, mandato all' Imperatore Carlo V. da Papa Paolo III. per i Negozj del Concilio di Trento, ed altri molto importanti. MSS. apud Comitem Joſephum Sfondratum.

Iſtruzione a Monſignor Reverendiſs. Sfondrati per la andata a S. M. Ceſarea Legato, per la reduzione dell' Inghilterra alla Cattolica Religione. Extat in libro, cui titulus: *Teſoro Politico*, Tom. II. pag. 418.

Oratio habita à Joanne Jacobo Crotto J. C. Cremonenſi, III. Id. Septemb. MDCXX., qua die Franciſcus in Collegium J. PP. Cremonenſium eſt cooptatus. Prodiit primùm *Papiæ*, 1522. *apud Jacobum de Burgo Franco*, mox in Ariſio loco citato pagg. 174. & ſequentibus.

Ei dicavit Gaudentius Merula librum ſuum inſcriptum: Bellum Eraſmicanum. Item Paulus Jovius Deſcriptionem ſuam Larii Lacus, editam *Venetiis apud Zilettum*, 1559. *in* 4.

De eo Ciacconius, Ughellus, Riccobonus in Gymnaſio Patavino, Cardanus de Exemplis geniturarum, Leander Alberti, Marcus Antonius Majoraggius in Antiparadoxis, aliique plures apud citatum Ariſium recenſiti; quemadmodum etiam Moriggia in Hiſt. Mediol., & Picinellus in Athenæo pag. 222., tandemque Sitonus noſter in Schedis, ubi plures citat publicas Tabulas, quod initio hujus Articuli diximus, approbantes.

## MDLXXIII.

## SFONDRATUS JOANNES.

MArchio Franciſcus Sfondratus Eques Commendatarius Ordinis Calatravenſis, Romanæ Arcis Sancti Angeli, ac Pontificiæ Claſſis Præfectus, Nobiliſque Venetus, nec non Blanca Vicecomes illuſtres Conjuges Mediolanenſes Joannis noſtri Parentes extitere. Veſtigia ſuorum proſequendo totum ad ſtudia ſe contulit, itaut Cathedram Juris Civilis in Salmanticenſi Univerſitate aſcendere meruerit, immò ejuſdem Academiæ omnium plauſu Moderator effectus fuerit; deinde Regius Conſiliarius, atque totius Provinciæ Mediolanenſis Senator electus eſt anno à Virginis Partu MDCXXXI. Jam antea inter J. CC. Patriæ adnumerabatur. Parùm verò de hoc Viro, ſine dubio inter Literatos recenſendo, nos habemus, ut infra, in ſui ingenii teſtimonium, eo quia vix in ampliſſima Senatoria dignitate annis tribus ſupervixerit, & quod magis veritati conſonat, quia illius ſcripta, atque acta nemo ſervavit. Obiit igitur anno MDCXXXIV. & de tot ejus laboribus ad manus noſtras ſolummodo hic liber pervênit,

Videlicet

I. Domini Joannis Sfondrati Mediolanenſis Juris Civilis apud Salmanticenſes Publici Profeſſoris, Diſputationes duæ: Una de Confuſionibus, altera ad Tex. In L. Frater à Fratre 38. D. de Cond. Indeb. Ad Cardinalem Franciſcum Barberinum Legatum à Latere. *Salmanticæ, apud Antonium Ramirez*, 1626. *in* 4.

De ipſo agunt Salvator Vitalis in ſuo Theatro, Putheus in Cathalogo Equit. Hieroſol. pag. 64., Comes Gualdus in Elogiis, Landus in Senatu Mediol. pagg. 239., & 240., nec non Advocatus Sitonus in Chron. Coll. J. PP. Mediol. pag. 207. art. 897.

## SFONDRATUS NICOLAUS.
## V. GREGORIUS XIV.

## MDLXXIV.

## SFONDRATUS PAULUS.

MEmorandus nunc nobis occurrit Paulus Sfondratus, qui filius & ipſe ſæpius laudati Franciſci S. R. E. Cardinalis, ante Sacros Ordines, ex Anna Vicecomite Uxore progenitus, non ſanguinis tantùm, ſed doctrinæ quoque ſplendoribus emicuit. Vallis Aſſinæ Toparcha fuit, vulgari titulo Baro nuncupatus. Magnam illius litteraturam, & mentis cultum pluribus deſcripſit Moriggia loco citando, ubi etiam Pauli noſtri promptum argutumque in reſponſionibus ingenium commendatur. Prudentiâ, atque in rebus agendis dexteritate ſummâ prǽditus ita fuit, ut Senatoria dignitate in ampliſſimo hujus Mediolanenſis Dominii Patrum Conſcriptorum Cœtu exornari meruerit, hoc non animadvertente Clariſs. Ariſio, etſi in libro, cui titulus: „ Ordines, ac Decreta &c. ab Excellentiſs. Senatu, editoque *Novariæ, apud Seſſalium*, 1583. id videre potuerit. Nec minor eluxit in eo vitæ probitas, & incomparabilis morum ſuavitas. Plurimùm gratiâ valuit apud Carolum V. Cæſarem, atque Philippum II. Hiſpaniarum Regem, qui Paulum inter Equites S. Jacobi recenſuit, Legatumque ſuum ad Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem conſtituit, in cujus Aula plures tranſegit annos; ubi etiam Catharinæ Sabaudiæ Principis, cum Philippo ipſo Rege nuptias conciliarit. Ex Sigiſmunda Eſtenſi Conjuge plures ſuſcepit liberos, & inter eos Angelicam Agatham in Articulo MDLXVII. jam laudatam, & Paulum Æmilium, cujus Elogium haud multò poſt dabimus. Florente adhuc ætate raptus eſt è vivis Kal. Maji, anno Æræ Chriſtianæ MDLXXXVII. Cadaver illius, ut credimus, jacet in Sepulchro, quod adhuc viſitur in Templo Monaſterii S. Pauli hujus Metropolis, ubi hæc legitur Inſcriptio, unà cum Sfondratæ Gentis Inſigniis:

FRANCISCI SFONDRATI CARDINALIS
ET CREMONENSIS EPISCOPI
NICOLAVS ET PAVLVS FILII
LEGITIME NATI
IVSSV PATRIS HIC SIBI M. P.
M D L I I.

Aliqua ſcripſiſſe fertur, nobis verò, quemadmodum & Clariſſimo Ariſio, nihil aliud occurrit, quàm

I. Lettera al Cavalier Battiſta Guarini di ragguaglio, e di conſolazione nella ſimilitudine de' caſi ad ambedue ſeguiti. Data Taurini VI. Non. Maji MDLXXXVI. Extat in Tomo II. Selectarum à Bartholomæo Zucchio, edit. *Venetiis apud Societatem Minimam*, 1595. *in* 4. pag. 467.

II. Lettere al Conte Ottavio Affaitati. Datæ ſunt ibidem XVIII. Decembris MDLXXXVI., & XX. Martii MDLXXXVII. Habentur in libro inſcripto: „ Raccolta di Lettere di diverſi Prencipi, ed altri Signori, „ fatta da Paolo Emilio Marcobruni. *Venezia, preſſo Pietro Duſinelli*, 1595. *in* 4. pagg. 238. & 241

Extat ad eum Epiſtola Lucæ Contilis; data Mediolani die X. Aprilis MDLXI. in lib. IV. Epiſtol. Contilis ejuſdem, edit. *Venet.* 1564. *in* 4. Item alia Hieronymi Cuſani, data Mediol. die III. Octobris MDLXXXV. inter Epiſtolas Zucchii ſupralaudati, parte III. pag. 35. Alia demum Sigiſmundi Foliani Burmienſis, quæ eſt I. lib. II. inter ejus editas.

Conſolatoria de ipſius morte ad Nicolaum tunc Cardinalem, poſtea Gregorium XIV. Pontif. Max. Pauli noſtri fratrem à Baptiſta Guarino ſcripta legitur inter eas Zucchii pag. 274., quod etiam fecit Darius Boccarinus ejuſdem Nicolai à Secretis, datâ Epiſtolâ ad Co-

Digitized by Google

A Comitem Octavium Affaitatum, quæ edita legitur inter collectas à Marcobruno pag. 253., & in Libro Bartholomæi Zucchii jam toties memorati, cui titulus: Idea del Segretario. Parte IV. pag. 505.

Eum etiam Carmine celebravit Publius Franciſcus Spinula Mediolanenſis à nobis loco ſuo laudandus, cujus Ode ad Paulum noſtrum edita habetur numero XXIV. pag. 32.

Præfatum Comitem Paulum Sfondratum, Regium Senatorem Mediolani, anno ſignanter MDLXXXIII. laudant Franciſcus Seſſalius in Nuncupatoria Ordinum Senatus Mediol. pag. 4. *Novariæ*, 1583. *in* 4., Joannes Petrus Ayroldus Marcellinus in Dedicatoria Orationum Marci Antonii Majoraggii. *Venet.* 1582. *in* 4. Paulus Moriggia in Dedicatoria Hiſtoriæ Antiquitatis Mediolani. *Venet.* 1592. *in* 4., Item in Hiſt. Progeniei Gregorii XIV. *Mediol.* 1591. *in* 4., Salvator Vitalis in Theat. Magnal. Urb. Mediol. in §. ad LX. Decuriones, ſub numero LX. in Verbo Comes B Don Valerianus Sfondratus Commiſſarius Generalis LX. pag. 2. *Mediol.* 1644. *in fol.*, Joannes Petrus Creſcentius in Amphitheatro Romano, Parte prima, pag. 290. *Mediol.* 1648. *in fol.*, & Comes Galeaz Gualdus Prioratus in Elogio Comitis Herculis Sfondrati Ducis Montis-Marciani. *Viennæ*, 1674. *in fol.*, Ariſius in Cremonæ Litteratæ Tom. II. pag. 396., & demum JC. & Advocatus Sitonus in Syllabo Senatorum Mediol. pag. 15. num. 320., & in Chron. Colleg. J. PP. pag. 207. art. 897. *Mediol.* 1707. *in fol.*, nen non P. Mazzucchellus in Schedis.

## MDLXXV.

## SFONDRATUS PAULUS alter.

C Petrus Sfondratus, filius Marchionis Franciſci Equitis Jacobæi, & Blancæ Vicecomitis Conjugum, inter Equites Ordinis Sancti Joannis Hieroſolymitani cooptatus fuit anno Chriſti MDCXI. Pietate ductus, Congregationem Clericorum Regularium, quos Teatinos vocamus, amplexus eſt, atque in ipſa Profeſſionem ſuam Romæ in Collegio Sancti Sylveſtri die XXIV. menſis Februarii, anno MDCXXII. publicè emiſit, & mutato nomine Petri, in Sacris Undis accepto, ſe vocari inſtituit Paulum. Vir fuit in Græcis, atque Latinis Litteris, nec non in Hiſtoria Eccleſiaſtica doctiſſimus, teſte Leone Allatio, qui in Epiſtola Nuncupatoria ſuæ Diſſertationis de Hebdomadibus Græcorum ſic de eo locutus eſt: „ Scribo „ verò ad te, non ut inſtruam: quomodo enim Ma„ D giſter à diſcipulo diſcet? Sed res ſacræ ad homi„ nem ſacris rebus addictiſſimum, & in ritibus Ec„ cleſiaſticis verſatiſſimum, à me utique mittendæ „ erant, ut ſqualore, ſi quem ex mea imprudentia „ contraxerint, depoſito, meliorem faciem induant, „ approbatæque à ſolertiſſimo Viro, in hominum „ manus veniant. „ Fuit quoque Scrutator acerrimus antiquorum Codicum MSS., ut idem Allatius aſſerit in Diatriba de Georgiis pagg. 82., & 129. Commercium Litterarium cum nonnullis aliis Viris doctis frequentiſſimè habuit, inter quos adnumerandus eſt Cl. Nicolaus Heinſius, cujus Epiſtola data Florentiæ anno MDCLII. ad Paulum noſtrum Sfondratum, extat in Archivo Collegii Suorum Divi Antonii hujus Urbis. In ipſa agitur de inſigni Bibliotheca E Valeriana, & copiâ antiquiſſimorum Numiſmatum in ea exiſtentium, & ſic ſubdit; „ Sed ex Numiſmatis Va„ lerianis ne meliora jam ſint ablata metuo, ut in li„ bris evenit. „ Verùm de Scriptore iſto ſatis eſt verba hìc exſcribere Patris Silos Teatinorum Hiſtorici celeberrimi, quæ ſunt: „ Vir fuit ingenio quodam, ut „ ſtudiis, ita & libris comparandis addictus . . . . . . „ planè ut ab ejus poſtea Muſæo adaucta non mini„ mum Bibliotheca noſtra Mediolanenſis fuerit. Po„ litioribus præſertim, ac latinis litteris operam da„ bat, neque vulgaris profectò illi ſtyli facultas. Ma„ triti aliquandiu commoratus, ubi nil propiùs fuit, „ quàm ut Inſulâ honeſtaretur. Mediolanum dum „ revertitur, in itinere ſupremo ſtratus morbo, fato „ conceſſit: „ Id accidit menſe Novembri anni MDCLIV. ætatis ſuæ LII. in Urbe Barcinonenſi.

Scripſit:

I. Vitam Epiſcopi Derthonenſis Pauli Areſii. Extat in fronte Velitationum in Apocalypſim ejuſdem Areſii. *Mediolani*, 1647. *apud Jo. Petrum Cardum, in fol.*

II. Elogium Paulo Areſio Epiſcopo Derthon. Extat in Opuſculis P. Aloyſii Novarini C. R. Tom. II. pag. 21. *Veronæ, typis Rubeanis*, 1647. *in fol.*

III. Figuræ Horologiorum à Petro Sfondrato delineatæ, in fol. oblungo, cum titulo picto, & Inſignibus Familiæ Sfondratæ. Cod. MS. extat in Biblioth. PP. Teatin. D. Antonii Mediolani.

Videantur, præter ſupradictos, Allatius locis citatis, & Silos Par. III. pag. 312. Picinellus in Athenæo pag. 454. Sitonus in Stemmate Genealogico Familiæ Sfondratæ; multa quoque debemus diligentiſſimo P. Crucejo ejuſdem Congregationis Alumno ſtudioſiſſimo.

## MDLXXVI.

## SFONDRATUS PAULUS ÆMILIUS.

Pauli, cujus haud multò ante Elogium dedimus, atque Sigiſmundæ Eſtenſis Nobiliſſimorum conjugum filius extitit Paulus Æmilius, ſive, ut alii malunt, Paulus Camillus Sfondratus, Gregorii XIV. Pontificis Maximi, qui Genitoris illius Frater erat, Nepos. Natalis illi annus fuit Æræ Chriſtianæ MDLXI., & inter pueritiæ crepundia haud mediocris ingenii præbuit argumenta. Domeſtica ſecutus exempla non pietatem minus, quàm ſtudia litterarum adamavit. Romam à Patruo evocatus apud Presbyteros Congregationis Oratorii Sanctæ Mariæ in Vallicella ad Eccleſiaſticos mores formatus, piiſſimorum hominum ſpiritum toto hauſit pectore. Mox utriuſque Juris diſciplinis excultus, Abbatis dignitate auctus, & Sacerdotii honore clarus, cùm fortè Româ abeſſet, anno Partus Virginei MDXC. XIV. Kal. Januarii, annos natus XXX. tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis eſt renunciatus. Contulit poſtmodum ei Gregorius Bononienſem Legationem, atque Juſtitiæ Præfecturam. His muneribus addidit Pontifex Sanctæ Inquiſitionis Officium, quod egregiè adminiſtravit. Omne inſuper Chriſtiani Orbis regimen vivente Patruo non ſine laude ſuſtinuit, tanta apud eundem authoritate præditus, ut univerſa ferè negotia in manibus habere videretur. Inſigni tamen adeò fuit humilitate, ut fictilibus patinis uteretur, vilique contentus ſupellectili, Eccleſiaſticos proventus, quibus abundabat, in pauperum levamen refunderet. Viros pietate præſtantes ſummo diligebat affectu, ex quorum conſuetudine cœleſtium rerum deſideria ſolebat augere. Memorantur inter eos præcipuè Julius Sanſedonius Groſſetanæ Eccleſiæ Præſul, & Joannes Baptiſta Vitelius Fulginas Sancti Philippi Nerii diſcipulus ſanctitate celebris. Gregorio defuncto, totus in Divinorum Codicum ſtudia incubuit; & Tituli ſui Templum inſtaurare, quod vetuſtatis injuriâ collabeſceret, magno ſumptu cœpit; cùmque hæc agerentur, Sanctæ Virginis & Martyris Cæciliæ, aliorumque Cœlitum, qui cùm ea Chriſto teſtimonium fortiter dedere, Corpora reperta ſunt, ibidem in Arcis Marmoreis DCCC. ante annos à Paſchali Papa I. repoſita. Id accidit anno MDXCIX. die XX. Octobris, inventioniſque modum deſcripſit eruditè ſatis, & accuratè Antonius Boſius, qui etiam Cardinalis noſtri in S. Virginem prælaudatam pietatem fuſiùs enarrat. Confeſſionem ejuſdem Eccleſiæ, & Monumentum, quo Sacrum Corpus B. Cæciliæ cum ſociis clauditur, mirum in modum ornavit. Multa inſuper obtulit pretioſa donaria, & Sacerdotum ibidem Domino famulantium numerum dato cenſu conſtituit, quin & Sacrarum Virginum Templo vicinum Monaſterium novis ædificiis inſtauravit. Patronus fuit Congregationis Monachorum Montis Oliveti, & religioſam in ea diſciplinam nedum ſervaſſe, verùm etiam auxiſſe perhibetur. Die VII. menſis Septembris anno MDCVII. ad Cremonenſis Eccleſiæ Epiſcopatum à Paulo V. miſſus, ſic eum rexit gregem, ut inter opti-

Digitized by Google

optimos ejus Urbis Antiſtites computetur. Nam Sanctum Carolum Borromæum imitatus, Sacerdotum, qui Mediolanenſium Oblatorum veſtigiis inhærerent, Congregationem inſtituit. Cùm à negotiis Epiſcopalibus vacaret ad Teatinorum Clericorum Cremonenſe Collegium ſolebat divertere, ibique dies plures ſibi tantùm vivens traducere. Munificus fuit in Lauretanæ Deiparæ Simulachrum, quod pluribus pretioſiſſimis donis affecit. Sanctum Philippum Nerium viventem unicè dilexit, eumque orantem, atque in extaſim raptum videre meruit. Translatus eſt poſtmodum ad Albanenſem Eccleſiam, quam ex Apoſtolico privilegio ſimul cum S. Cæciliæ titulo regendam ſuſcepit, ſibique in ea gubernanda adjutorem delegit, annuente Paulo Pontifice, Raphaëlem Invitiatum, antea Zacynthi Epiſcopum. Eruditionem illius plurimi fecit idem Paulus V. cùm enim Romanum Rituale conficiendum edendumque foret, tam inſignem laborioſamque provinciam Sfondrato Cardinali aſſignavit. Ille verò ſummâ diligentiâ Operi præfuit ſingula librans, & expendens, atque ad incudem, ubi opus eſſet, revocans. Primam Græci Menologii partem, jubente Baſilio Porphyrogenito Orientis Imperatore olim conſcriptam, & menſes Septembrem, Octobrem, Novembrem, Decembrem, Januarium, & Februarium amplectentem ſæpe memorato Paulo V. donavit in Bibliotheca Vaticana collocandam. Hæc Byzantio Mediolanum delata fuerat ad Ludovicum Mariam Sfortiam Inſubrum Ducem, cujus poſtea munere ad Joannem Baptiſtam Sfondratum Gregorii XIV. Avum tranſierat. Noſtris autem temporibus ex tam illuſtri Codice, & ab altero Monaſterii Cryptæ Ferratæ, qui ſecundam Menologii partem continet, magnificentiſſimam editionem inſtituit Eminentiſs. S. R. E. Cardinalis Annibal Albanus *Urbini*, 1737. *T. III. in fol.* cujus Præfatio digna eſt ut legatur, nam inter alia perhonorifica mentio eſt Auctoris noſtri. Paulus autem Æmilius noſter tot præclarè geſtis illuſtris, condito prius Teſtamento, in quo multa dedit piiſſimæ liberalitatis ſpecimina, Tibure in Cœnobio S. Auguſtini morbo breviſſimo conſumtus, naturæ debitum ſolvit die XIV. Februarii, anno Chriſti Redemptoris MDCXVIII. ætatis ſuæ LVII. Cadaver in Urbem delatum in Sepulchro, quod ſibi vivens paraverat, conquieſcit in ſæpedicto Templo S. Cæciliæ, ubi & hoc Epitaphium incidi juſſerat:

PAVLVS TITVLI S. CAECILIAE S. R. E. PRESB.
CARD. SFONDRATVS MISERIMVS PECCATOR
ATQVE EIVSDEM VIRGINIS HVMILIS SERVVS
HIC AD EJVS PEDES HVMILITER REQVIESCIT.
VIXIT ANNOS LVII. MENSES X. DIES XXV.
OBIIT ANNO MDCXVIII. MENSE FEBR. DIE XIV.
ORATE DEVM PRO EO.

Humilitati ipſius ſatisfactum fuerat tam pia Inſcriptione; at verò Teſtamenti illius Curatores in minori ad lævam ipſius Eccleſiæ navi Cœnotaphium ſpecioſiſſimum, cum hoc decentiori Elogio erigendum curarunt:

DEO. TRINO. VNI.
PAVLO SFONDRATO CARD. EPIS. ALBAN.
GREG. XIV. FR. FIL. BONONIEN. LEGATO
CREMONEN. PRAESVLI PIETATE IN DEVM
DIVOSQVE
ANIMARVM STVDIO CHARITATE IN PAVPERES
PLANE MEMORANDO
QVOD SANCTAE CAECILIAE CORPVS
INSIGNI SEPVLCHRO
LVMINIBVS AD CENTVM PERPETVO COLLVCENTIBVS
TERRESTRI PROPE COELO DECORAVIT
TEMPLVM EXORNATVM
SACERDOTIBVS MINISTRIS PRETIOSIS VASIS
ET RELIQVIIS AVCTVM HAEREDEM EX ASSE RELIQVIT
QVODQVE OMNEM EIVSMODI RERVM MEMORIAM
VIVENS REPVLIT
DEMORTVO ANNO AETATIS LVII. SAL. MDCXVIII.
ODOARDVS CARD. FARNESIVS
ET AVGVSTINVS PACCINELLVS SENEN.
TESTAMENTARII EXECVTORES
P. P.

Super-

Digitized by Google

Superſunt illius doctrinæ argumenta illa, quæ ſcripſit, nempè :

I. Rituale Romanum Pauli V. Pontificis Max. juſſu editum. Hoc Opus Eccleſiæ Dei perquam utile, eo curante, & præſide, in lucem prodiit, in quo & plurimum laboris inſumſit, & non paucas de ſuo caſtigationes adjecit.

II. Sermones multi magna pietate referti. Hos habuiſſe credimus Cremonæ, ſed utrum editi ſint, necne, Scriptores infra citandi reticent.

III. Epiſtolæ variæ. Harum aliquæ leguntur in libro Franciſci Cionchi, ubi de Vita Ven. Servi Dei Joannis Baptiſtæ Vitellii Fulginatis, de quo in articulo egimus.

IV. Panegyris in laudem S. Caroli Borromæi.

V. Acta SS. MM. Cæciliæ Virginis, & Sociorum.

Hæc profert Eggs in Purpura Docta, qui ex Ciacconio Vitam Cardinalis hujus ferè ad verbum exſcripſit. Quod verò attinet ad Epiſtolas, eas damus fulti teſtimonio Clar. Ariſii loco infra citando.

Geminas ad eundem ſcripſit Epiſtolas Bonifacius Vannoccius, datas Venafri die XIX. Septemb. MDXCIII. pag. 478., & die VIII. Auguſti MDXCV. pag. 481. Leguntur in II. Parte Collectionis Epiſtol. Bartholomæi Zucchii edit. *Venet.* 1595.

Aliam Auguſtini Bonacinæ, quâ Sfondrato Cardinalatus dignitatem gratulatur (Camilli nomine tantùm ipſum vocat) editam *Mediolani*, *anno* 1591. *Nonis Januarii*, profert idem Cl. Ariſius.

Cum poſſeſſionem iniit tituli S. Cæciliæ die XXV. Januarii MDXCI. Orationem habuit Fulvius Fulvius Romanus, quam extare ait Ciacconius citandus. Eo etiam teſte didicimus ipſa die Carmina plura in eodem Templo affixa fuiſſe, auctore Julio Roſcio Hortino, quæ Typis tradita ſe vidiſſe idem Scriptor affirmat.

In Idylio Italico Fabii à Cruce, ſic inſcripto: „ Ville di „ Tivoli deſcritte dall'Arciprete Fabio Croce:„ plura reperiuntur Carmina in morte Pauli Æmilii Cardinalis Sfondrati.

Eidem inſcripſere Vincentius Blaſius Garzias Orationem à ſe habitam in funere Gregorii XIV. Joannes Baptiſta Alaleo aliam de Trinitate, & Panegyrim S. Caroli Borromæi. Thomas Bozius Eugubinus librum ſuum de Signis Eccleſiæ, atque Andreas Victorellus Opus ſuum de Extrema Unctione.

Agunt de ipſo, præter alios permultos, Ciacconius Tomo IV. col. 225. in Vitis Pontif. & Cardinal. Eggs in ſua Purpura Docta; Baronius Tomo IX. Annal. Ughellus Ital. Sacræ Tomo I. in Albanenſibus, & Tomo IV. in Cremonenſibus; Ariſius in Cremona Litterata Tomo III. pag. 251., & Mazzucchellus, atque Sitonus noſter in Schedis ſuis.

## MDLXXVII.

## SFORTIA ASCANIUS MARIA.

EA, quâ uſi ſumus hactenus, Cognominum ſeries, nos tandem perducit ad celeberrimos Sfortiæ Familiæ Principes, quorum nonnulli & imperio, & eruditione quoque illuſtres fuerunt. Primus inter ipſos enumeratur Aſcanius Maria Sfortia Franciſci Inſubrum Ducis, & Blancæ Mariæ Vicecomitis ipſius Conjugis, filius. Non ignoramus Aſcanium Cremonæ editum fuiſſe in lucem die XXIII. menſis Martii anno Reparationis noſtræ MCCCCLV. cùm tamen hoc fortuitò acciderit, dum Mater eam ad Urbem ſe contulerat, ut Sacris Virginibus Ordinis Sancti Auguſtini, quæ de Obſervantia nuncupantur, Parthenonem conderet; iniquum duximus tanti Viri memoriam taciti præterire, & ex albo Mediolanenſium Eruditorum Cardinalem tam clarum expungere. Grammaticam, atque humaniores litteras ſub diſciplina Bartholomæi Petronii Cremonenſis aſſiduè percepit. Mox in Urbe Roma majores didicit ſcientias, in quibus, adjuvante ingenii promptitudine, ſummopere excelluit. Muſas quoque minimè reſpuit, ut infra videbimus. Cùmque jam Apoſtolici Protonotarii munere decoratus fuiſſet, à Sixto IV. Summo Pontifice die VI. menſis Martii, anno Salutis humanæ MCCCCLXXXIV. Diaconus Cardinalis SS. Viti, & Modeſti in Macello Martyrum renunciari meruit. Cùm autem ab eodem Pontifice, qui paulò poſt migravit è vita, collatæ dignitatis non ſuſcepiſſet inſignia, ancipites fuerunt aliquandiu Purpurati Patres, an liceret Aſcanio Comitiis intereſſe; verùm Sacri Senatus Conſulto in Conclave admiſſus ſuffragium tulit in electione Innocentii VIII. Papienſi præfuit Eccleſiæ ferè ſemper abſens ad annum uſque MDV. quippe qui modò Bononienſi, Patriæ noſtræ amatiſſimæ, Legatione, modò gravibus Romæ fuit diſtentus negotiis. Nec defuerunt, quæ Aſcanium Ticino raperent, Mediolanenſis Ducatus infortunia, quibus afflictus vix ſibi, nedum aliis ſufficere poterat. Inſignem tamen Cathedralis molem inchoavit, cujus primarium poſuit lapidem ſolemni ritu benedictum die XXIX. menſis Junii MCCCCLXXXVIII. ipſiuſque Templi Sacrarium pretioſa Sacerdotalium Veſtium ſupellectile ditavit. Piſaurenſem ſimul, Cremonenſem, atque Novarienſem Epiſcopatus adminiſtravit; & Apoſtolicæ Sedis nomine Legatus præfuit Provinciæ Patrimonii, Bononiæ, Ravennæ, & Romandiolæ, quo etiam munere functus eſt apud Galliæ Regem tunc in Italia commorantem. Avenionenſem quoque Legationem cum Vicecancellarii Romanæ Eccleſiæ officio obtinuit. Abbatias inſignes Charævallis, & Sancti Ambroſii Mediolanenſis fiduciario nomine ſibi traditas ſic rexit, ut Monaſticam in earum Cœnobiis diſciplinam reſtituendam curaverit, & memorabili munificentiâ earum proventus ampliſſimos in Monachorum commodum reſignaverit. Divitiis affluentes Ædes ſuas in Urbe Roma egenis hominibus, atque Eruditis Viris ſemper patere voluit; cùmque Principi propior, quàm Sacerdoti videretur, regio ſumptu nobiliores aucupii exercitationes perpetuò tutatus eſt. Poſt obitum Innocentii Comitiis Cardinalium præfuit, ejuſque potiſſimùm curâ Alexander VI. Pontificatum obtinuit. Malam tamen à Borgia gratiam promeruit, etenim ut Cæſarem filium ad ſummas opes, & potentiam eveheret Pontifex, cum Ludovico XII. Galliarum Rege in perniciem Sfortianæ, atque Aragoniæ Gentis conſpiravit. Aſcanius eam ob rem, cum Ludovico Duce Mediolani fratre Germaniam profugus petiit; cùmque mox Helvetiorum armis fretus Mediolanum reverſus fuiſſet, capto apud Novariam à Gallis Ludovico fratre, ipſe fugam arripuit. Verùm proditione Conradi Landi Placentini à Venetis primùm detentus fuit, deinde repetente Ludovico Rege in Galliam vinctus perducitur. Alexander inſuper Pontifex, ut ejus calamitatem, quà poterat, augeret, ſacrâ illum Purpurâ ſpoliavit; quamvis re poſtmodum maturiùs perpenſâ, Prid. Kal. Feb. anno MCCCCXCV. ablatam eidem dignitatem reſtituerit. Cùm verò triennio poſt idem Alexander è vivis ereptus fuiſſet, quod in Comitiis peragendis plurimùm ad concilianda Purpuratorum ſuffragia aptus videretur, Romam à Georgio Amboſio Cardinali deductus fuit, qui ſupremum Apoſtolicæ Sedis culmen ſibi expetebat. Irrita fuerunt hominis vota, & Pius hujuſce nominis III. Pontificatum nactus eſt, cui intra paucos dies mortuo ſuffectus fuit Julius II. Hoc renunciato Pontifice Amboſius Gallias meditabatur, & Aſcanium ſecum reducere volebat; rem tamen Julius vetuit, indignum prorſus exiſtimans, Virum ſupremi inter Clericos Ordinis, & paterni principatus fortunâ dejectum rursùs vinculis mancipari. Igitur libertati reſtitutus, Mediolanenſis Imperii recuperationem totis viribus tentare cœpit, jamque Conſalvo Magno conſcio, & Liviano adjutore, bellum in Gallos moliebatur. Obſtitit ejus conſiliis, atque votis mors; veneno enim, ſive, ut alii probabilius malunt, peſte interiit Romæ die XXVII. vel ſequenti menſis Martii anno partus Virginei MDV. non ſine magno Eruditorum luctu, quibus præſens ſemper & humaniſſimus fuerat Mecœnas. Cadaver illius in Templo Deiparæ ad Fluentanam Urbis Portam tumulatum idem Julius II. marmoreo ſarcophago, atque ſequenti decoravit Elogio:



Digitized by Google

D. O. M.

ASCANIO MARIAE SFORTIAE VICECOMITI
FRANCISCI SFORTIAE INSVBRVM DVCIS FILIO
DIACONO CARDINALI S. R. E. VICECANCELLARIO
IN SECVNDIS REBVS MODERATO
IN ADVERSIS SVMMO VIRO
VIXIT ANN. L. MENS. II. DIES XXV.
IVLIVS II. PONTIFEX MAXIMVS
VIRTVTVM MEMOR
HONESTISSIMARVM CONTENTIONVM OBLITVS
SACELLO A FVNDAMENTIS ERECTO POSVIT
M. D. V.

A Orationem habuit in ejus funere Thomas Fedrus, quæ typis data fuit *Catanæ*, 1522. *in* 4. lectu digniſſima. Superſunt adhuc Cardinalis noſtri documenta, quæ ſequuntur, litteraria, etſi juvenilia, majori tamen numero, quàm ab aliis uſque adhuc relata,

Videlicet:

I. Oratio Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Aſcanii Sfortiæ Vicecomitis, Apoſtolici Protonotarii, habita coram Beatiſſimo Papa Sixto IV, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus in pleno, & publico Conciſtorio Romæ, de anno MCCCCLXXI. de menſe Octobri, dum nomine Illuſtriſſimi D. D. Ducis Mediolani fratris ſui, unà cum reliquis Oratoribus obedientiam præſtaret. Extat in Cod. Ambroſianæ Bibliothecæ ſign. O. num. 57. in 4. atque in altero ſign. S. num. 21. in 4. B

II. Oratio altera ad Sereniſſimum Regem, Imperatoremque Romanorum Federicum III. nomine parentum. Incipit „ Arbitror quidem minimè te mirari &c. Ext. ibid.

III. Oratio altera ad Sacroſanctum Eccleſiæ Romanæ Pontificem Paulum II. pro gratiarum actione Protonotariatus eidem collati. Incipit „ Cùm jam pri„ dem inſtituiſſem &c. Ext. ibid.

IV. Oratio altera ad Illuſtriſſimum Patrem Ducem. Incipit „ Summus quondam Philoſophus &c. Extat ibidem.

V. Oratio altera ad illuſtrem, & eccellentem Comitem Galeacium fratrem ſuum obſervandiſſimum, in cujus fine ſic legitur: „ Ego Aſcanius Sfortia Viceco„ mes hanc Orationem pronunciavi illuſtri, atque „ excelſo fratri meo Comiti Galeaz, & manu pro„ pria ſcripſi, anno Nativitatis Domini noſtri Jeſu „ Chriſti MCCCCLXV. Natalis autem mei anno C „ XIII. menſibus novem, diebus octo, & viginti. Ext. ibid.

VI. Alia publicè habita. Incipit „ Cum per hoſce dies „ inſignis Prætor, Legum eximii Doctores, cæteri„ que Patres honorandiſſimi &c. Ibidem.

VII. Alia item publicè dicta. Incipit „ Solent, Excellentiſ„ ſime Præſul, eximii Legum Doctores, Viri inſi„ gnes &c. Ibidem.

VIII. Alia coram ipſius parentes de inauguratione annuali Principatus. Incipit „ Decreveram Illuſtriſſimi pa„ rentes &c. Ibid.

IX. Alia ad eoſdem de eodem argumento. Incipit „ Cum „ viderem Illuſtriſſimi parentes &c. Ibidem.

X. Alia de Domino Illuſtri Franciſco Gonzaga facto Marchione Mantuæ. Incipit „ Etſi tanta majeſtate „ tantoque admirabili Cœtu &c. Ext. ibid.

XI. Alia de laudibus Philoſophiæ. Incipit „ Mentio eſt „ Magnifici Patres quanto ſtudio ſit &c. Ibidem.

XII. Carmina varia Latina ad Ducem Mediolani Patrem. D Extant ibid.

XIII. Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, quod ut Specimen Poëſis Auctoris noſtri profert Cl. Creſcimbenius in libro inſcripto „ Iſtoria della Volgar Poesìa, Vol. II. part. II. lib. VI. pag. 310. additis his verbis: „ Aſca„ nio Maria Sforza Viſconti Cardinale di Pavia fu „ altresì dotto, e gentil Signore, e grandemente af„ fezionato alle Lettere, e a' Profeſſori di quelle; „ dal cui eſercizio non potè mai diſtoglierlo il peſo „ della dignità, e delle cariche. Trà gli altri ſuoi „ Studj, molto diletto prendeva dalla noſtra Poesìa; „ e tanto ſi compiaceva de' volgari Poeti, che gradi„ va anche quelli più ſcempiati, e di niun nome; „ di maniera che, eſſendogli ſtato l'anno MCCCC„ LXXXVI. dedicato da un Bettino Tricio un ſuo „ Poema in terza rima, o, per dir meglio, guazza„ buglio ſciocchiſſimo di volgare, e di latino, ſopra „ la Peſte, tanto l'ebbe a grado, che ne ringraziò „ l'Autore con un Sonetto, che va ſtampato coll' „ Opera, e noi il diamo per Saggio. Il ſuo ſtile ſi „ conformava col guſto del Secolo; ma non tanto „ che arrivaſſe alla viltà, ove per lo più ſi cadeva, „ eſſendo egli anzi famigliare, che abbietto. „ Nos verò brevitatis gratiâ Lectorem ad Creſcimbenii Opus remittimus. Monemus tamen Lectores, cautè legendum Creſcimbenium, Virum alioqui Eruditum, tunc cum de Inſubribus præſertim Vatibus verba facit. Nam nulla habita ratione temporis, quo illi vixere, carpit eorum Opera, cum phraſis infœlicitas ætati potiùs quàm Auctoribus imputanda foret.

XIV. Epiſtolæ plures Latinæ ad Petrum Martyrem de Angleria, ut eruitur à reſponſionibus iſtius numero XXIII. ab anno MCCCCLXXXVIII. ad MCCCCXCVIII.

XV. In lib. cui titulus: „ Roſella Caſuum per F. Bapti„ ſtam Troamalam Ord. Minorum Obſer. „ adeſt Epiſtola reſponſoria Aſcanii Mariæ Card. Sfortiæ Vicecom. tunc Bononiæ Legati, in laudem Operis, & ipſius Auctoris, qui ad Cardinalem librum miſerat pro ſuo judicio; in fine libri ſic: „ Expletum die „ S. Luciæ, in loco noſtro, apud Levantum S. Ma„ riæ Annunciatæ nuncupato, an. MCCCCLXXXIII. *Impreſſ. Papiæ, anno* 1489. *in* 4.

Ejus meminit Theophylus Raynaudus celeberrimus inter PP. Soc. Jeſu in libro „ De Vitæ, ac Mortis „ humanæ terminalibus „ Puncto VI. num. 7. citans Diarium MS. Blaſii Baroni Martinelli Sacellani Pontificis, & aliorum, in quo narratur Aſcanium anno MDV. peſte periiſſe. Hinc pergit deſcribens magnificum ejus funus, quod tametſi graſſante lue, proſecuti ſunt Cives permulti, & plebs copioſiſſima. Plures intrepidos manibus, & faciei Cardinalis, licet ex peſte demortui, oſcula impreſſiſſe, veluti conteſtantes fieri non poſſe, ut manus adeò in egenos beneficæ dum vixerat, noxiæ fierent in mortuo &c. Diarium hoc MS. legato Cardinalis Toleti, ſervari in Biblioth. Collegii Romani idem Auctor teſtatur.

Eidem adhuc Protonotario dicavit Joannes Antonius de Sancto Georgio, tunc Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Ambroſii, poſtea Cardinalis, de quo jam diximus, Commentaria ſua ſuper quarto Decretalium, ut ex ejus Epiſtola, & Carmine ibidem relato.

Epiſtola ad eundem Cleri, & Populi Cremonenſis data die XXII. Septemb. MCCCCLXXXVI. extat apud Ariſium loco citando.

In libro I. Poëmatum Publii Franciſci Spinulæ Mediolanenſis legitur Carmen ad Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. D. Guidonem Aſcanium Sfortiam Cardin. S. R. E. Camerarium, pag. 8. Extat aliud ſatis lungum ad eundem pag. 12. Ei dicat etiam libros IV. Elegorum de variis argumentis; In libro autem II. Epi-

Epigrammaton extat unum de Duello ad eundem Cardinalem ampliſſimum, atque alia quatuor in libro III.
Ei dicantur Opuſcula S. Thomæ à Paulo Soncinate Ordinis Prædicatorum anno MCCCCLXXXVIII. ſicuti & Elegia edita *Romæ anno* 1484. pro gratulatione Purpuræ à Jo. Biſſio Presbytero, de quibus V. Clariſs. Saxius in Hiſt. Typogr.
Ei dicatur à Flaminio Muſico Opus de Muſica arte eleganti Codice in membrana MS. quod extat apud Co. Paulum Montium. Codex eſt auro, & picturis inſignis.
Litteras ad eum datas ab Angelo Politiano anno MCCCCLXXXV., quibus ejus clementiam, & humanitatem commendat, refert Ciacconius.
Carminibus quoque celebratur à ſequentibus, nempe à Paulo Amanio Cremenſi hoc titulo „ In effigiem „ ipſius Card. Aſcanii Poëma „ quod eſt in Tomo I. Carminum Illuſt. Poëtar. Italor pag. 185. ab Achille Bocchio Epigrammate de Spe auguſta Aſcanii Sfortiæ: in eod. Opere Tom. II. pag. 340. à Franciſco Vintha Volaterrano. Ibid. Tom. XI. pag. 235.
Ejuſdem meminere Jovius in Elogiis, Panvinius de Roman. Pontif. Ughellus Tom. IV., ubi de Epiſc. Novariæ, Cremonæ, & Papiæ, & alii plures, præſertim verò Thomas Fedrus in Oratione ſupradicta Funebri eidem facta, quæ ſervatur etiam MS. in Bibliotheca Ambroſiana, Cod. ſign. S. num. 210., Petrus Lazaronus Brixienſis, Artis Oratoriæ in Ticinenſi Gymnaſio Publ. Lector, in Poëmatio de Nuptiis Imperatoris Maximiliani; Ariſius in Cremona Litterata Tom. I. pag. 374., & Tom. III. pag. 353. Eggs Purpura Docta Tom. III. pag. 251. Ciacconius col. 87. P. Quadrius Soc. Jeſu in libro „ Storia, e Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 214. Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 75. aliique penè innumeri.

## MDLXXVIII.

## SFORTIA BLANCA FRANCISCA.

Natalium ſplendorem, quem ex Franciſco Sfortia, atque Blanca Maria Vicecomite Mediolanenſibus Ducibus hauſerat Blanca Franciſca, tam pietatis, quàm prudentiæ, atque eruditionis commendatione cumulavit. Ab ipſa penè infantia non obſcura dedit futuræ virtutis indicia; jamque adulta poſthabitis paternis opibus, Avorumque Stemmate magnanima humilitate contemto, ad Monaſterium Auguſtiniani, ut vocant, Ordinis de Obſervantia in Urbe Cremona à Matre ipſius condito, ut jam diximus, convolavit. Ibi ſanctiſſimè ætatem traduxit annos XLVII. ſibi tantùm, & Cœleſti Sponſo vivens. Quantùm autem ſacris illis Virginibus, Cœnobioque profuerit, teſtem habemus Peregrinum Merulam loco mox citando. Scribit enim, eadem die, XIV. videlicet menſis Maji, anno Redemptionis MCCCCLXXIII. ſimul cum ea Chriſto ſe dicaſſe Puellas alias quatuor è primariis Mediolanenſium Familiis ortas, primam ſcilicet è Vicecomitibus, ſecundam è Trivultiis, tertiam ex Borromæis, quartam denique è Lampugnanis. Sororibus etiam præter morum exempla, ſalutares tradidit leges, quibus ad rectè, congruenterque vivendum uti poſſent. Anno demum ætatis ſuæ LX., qui fuit Chriſti Salvatoris MDXVI. piiſſimè obdormivit. Jacet in eodem Cœnobio, ubi Elogium illius marmori inciſum viſitur in hæc verba compactum, quorum tamen aliqua Œdipo indigent:

BLANCAE FRANCISCAE
F. FRANCH. VIC. DVC. MED.
QVAE PR. BEAT. MON. SAC.
FOCIS VII. ET XL. ANN.
ANT. SEP. SINE LABE
EXCVBVIT. ATQ; COM. DIVI
IO. BVRG. S. D. BENED. ABB.
PERP. DICAVIT AVGVSTIN.
VIRGIN. CHORVS VIX.
ANN. LX. OB. ANN. CHRISTI
IESV M. D. XVI.

Eruditis Mediolanenſibus inclytam Viraginem addimus ob

I. Leges pro recto, compoſitoque regimine Sororum ſui Monaſterii Cremonenſis. Has MSS. in Archivo ejuſdem ſervari credimus, cùm eas laudet Clariſs. Ariſius, à quo tamen non didicimus, utrum editæ fuerint aliquando, vel adhuc deliteſcant.
De ea non ſine commendatione agunt Philippus Elſius in Encom. Auguſtin. de Herrera de Perſonis illuſtr. litt. B. Peregrinus Merula in ſuo Sanctuario Cremonenſi pag. 118., atque citatus Ariſius in Cremona Litterata. Tom. I. pag. 307.

## MDLXXIX.

## SFORTIA GABRIEL.

Etſi valdè diſcrepent inter ſe Scriptores in aſſerendis Gabrielis noſtri Parentibus, nihilo tamen minus certum eſt, illum fuiſſe filium Jacobi Attenduli, aliàs Mutii Sfortiæ de Cotignola, ſtrenuiſſimi ſuo tempore Militis, & Mariæ Martianæ, Sueſſani Reguli filia, tertiis nuptiis ſibi legitimè copulatæ; atque fratrem natu minimum Franciſci hujus nominis primi Mediolani Ducis, Alexandri Piſauri Principis, & Boſſii quoque primi Comitis Sanctæ Floræ, diverſis ex mulieribus præfato Jacobo, ſive Mutio communi Parenti natorum, ut accuratiſſimè ſcribit Paulus Jovius in Vita ejuſdem Mutii Sfortiæ. Fallitur propterea Ughellus, qui in Tomo IV. Italiæ Sacræ, ubi agit de Archiep. Mediolan., Gabrielem ex Boſio Comite Sanctæ Floræ, & Antonia de Salimbenis Conjugibus ortum affirmat, ac aliunde germanum Fratrem aſſerit Franciſci Sfortiæ Mediolani Ducis, cùm pariter liquidò conſtet Franciſcum hunc fuiſſe Fratrem præfati Boſii; ergo & noſtri etiam Gabrielis. Eumdem in errorem impegit Gandulphus in Diſſertatione Hiſtorica de ducentis Scriptor. Auguſtinianis. Joannæ igitur Neapolis Reginæ juſſu, de Genitoris ſui Regis defuncti nomine in Baptiſmo Carolus appellatus eſt, & nihil ſubinde omiſſum, quod liberalem, ingenuamque Pueri educationem decere viſum fuit. Poſtmodum adoleſcentiam egreſſus, paternæ voluntati obſecundaturus, militiam ſtrenuè geſſit aliquot annis; verùm ingenio ipſe mitis, corporiſque ad id viribus deſtitutus, nec non peſte, ac fame commotus, quibus tunc Italia miſerè vexabatur, ſcilicet anno Chriſti MCCCCXLVII., mutatô conſiliô, arma deponere, ac in humili ſui abnegatione Crucis Vexillum intra Clauſtra ſequi propoſuit. Ut autem voti compos fieret, ad Hiſcetanum Sancti Salvatoris Aſceterium, non longè à Senarum Urbe diſtans, ac medio in nemore ſitum convolavit, ibique ab Cœnobii Præſule B. Hieronymo Bonſignorio eremiticâ Divi Auguſtini cucullâ indutus eſt anno ſupradicto, die XXIX. menſis Januarii, abdicatoque Caroli in-

ſæ-

Digitized by Google

ſæculo nomine, Gabriel vocatus. Solemni emiſſa pro- A
feſſione clareſcere ſtatim cœpit nedum vitæ ſanctitate, ſed & quarumcumque laudabilium artium diſciplinis, quibus de more operam dedit; at in habendis Concionibus doctrina, zeluſque illius mirificè reſplenduere: ideoque Gabrielem undique circumſtabant effuſi hominum plauſus, quos tamen declinare ſemper, & execrari conſuevit, quippe qui optimè noverat, non ſibi, ſed Supremo bonorum Datori gloriam unicè deberi. Hinc ſolitudinem perpetuò coluiſſet, rerum cœleſtium contemplationibus vacaturus, niſi Congregationis Hiſcetanæ Patres eum tyronibus in Schola Chriſti formandis præfeciſſent; & quidem conſultè, nam nullus à beati hujus Viri magiſterio eruditus diſceſſit, quin regularis obſervantiæ tenaciſſimus evaſerit, hoſque inter ſatis emicuit B Anſelmus Lolli de Mandextris B
à Montefalco, poſtea totius Eremitici Auguſtiniani Ordinis Prior Generalis. Interea Franciſco ejus fratre, qui jam Ciſalpinæ Galliæ imperio potitus erat, etiam atque etiam inſtante, Nicolaus V., non Pius II., ut perperam nonnulli aſſeruere, Gabrielem noſtrum, licèt renuentem, Mediolani Archiepiſcopalem Cathedram, tunc vacantem, aſcendere juſſit anno MCCCCLIV. XI. Kalend. Julii. Tribus annis totidemque ferè menſibus commiſſum ſibi Gregem Paſtor verè providè ſanctèque pavit: Fratrem quoque in adminiſtrando Mediolanenſi Principatu conſultiſſimè juvit; eique præcipuus fuit Author, ut ampliſſimum, quod etiam nunc extat, Xenodochium erigeret, aliaque plura & inſignia præſtaret pietatis opera. Ex hac vita demùm religioſiſſimè migravit; ſepultuſque eſt in Templo Sancti Nicolai Tolentinatis hujus Urbis, alteri Deiparæ Virginis Coronatæ contiguo, à ſe ritu ſacro ſolemniter dedicato, & Blancæ Mariæ Mediolani Duciſſæ, Franciſci fratris uxoris, liberalibus impenſis extructo. Viſitur ejus Effigies in Lapide Sepulcrali, Pontificalibus indumentis ornata, manu tenens Librum, in quo hæc verba leguntur: *Vivit in me Chriſtus, quem amavi, quem quæſivi*. Circa Lapidem verò Inſcriptio ſequens:

MCCCCLVII. DIE XII. SEPTEMBRIS OBIIT
REVERENDISSIMVS PATER GABRIEL DE COTIGNOLA
ARCHIEPISCOPVS MEDIOLANI
ORDINIS OBSERVANTIAE
FRATRVM EREMITARVM S. AVGVSTINI
AC FRATER GERMANVS
ILLVSTRISS. D. D. FRANCISCI SFORTIAE DVCIS MEDIOL.

Ceterùm Gabriel ab Hiſtoricis (ut ſcribit Picinellus in Athenæo) „ Scientiæ, & profeſſionis C
„ Theologicæ eruditiſſimus, divinique eloquii præco „ celeberrimus; „ & à Donato Boſſio contemporaneo „ Vir ſanctiſſimus „ nominatur. Joſeph autem Ripamontius in Hiſt. Eccleſ. Mediol. de eo hæc habet: „ Nota Pontificis probitas, famaque illa, quam attulerat è Clauſtris, dictis, factiſque omnibus „ addebat authoritatem &c. „ Denique Ughellus Tom. IV. Ital. Sac. „ adeò autem Gabriel ſanctè ſe „ geſſit, ut Hiſtorici Auguſtiniani in ſuorum illum „ Beatorum album retulerint: „ & revera in Sacrario Cœnobii Divi Marci hujus Urbis extat ipſius imago ligno ſculpta Beati titulò decorata. Plura ſcripſit teſtibus Viris doctiſſimis infraſcriptis,

D

Scilicet

I. Super Grammaticam libros.
II. Alios ſuper Humanitatem.
III. Alios ſuper Rhetoricam.
IV. Alios ſuper Logicam.
V. Alios ſuper Hiſtorias.
VI. Alios ſuper Epiſtolas.
VII. Alios ſuper Orationes.
VIII. Commentaria Phyſicorum, & de Anima.
IX. Tractatus Morales varios.
X. Mediolanenſes Hiſtorias.
XI. Opera aliqua Spiritualia.
XII. Conciones, & Sermones plures.
XIII. Commentaria ſuper quatuor Evangelia.
XIV. Commentaria ſuper quatuor Libros Sententiarum.
XV. Ex Græco in Latinum protulit novam Paraphraſim Ariſtotelis. E

Præter allatos, ejuſdem cum laude meminere Onuphrius Panvinius, Eugenius Cattaneus, Jo. Franciſcus Beſutius, & Jo. Petrus Puricellus, & inter alios Moriggia lib. III. Nobil. Mediol. cap. 28. circa finem; Torellus Tom. VII. Sæcul. Auguſtinian. Gandulphus in Diſſertat. Hiſtor. pag. 127., & Vaglianus in Summar. Vitar. Archiep. Mediol. pag. 320., ac Herrera in Alphab. Auguſtin. Par. I. pag. 208. ſcripſit, teſte Petro Creſcentio, in Præſid. Roman. Par. II. lib. III. narrat. I. num. VI. Joannes Baptiſta Cariſius, & Picinellus ſupradictus in Athenæo pag. 230.

## MDLXXX.

## SFORTIA GALEACIUS MARIA.

Ex Franciſco Sfortia Mediolanenſi Duce, & Blanca Maria, Philippi Mariæ Mediolani item Ducis, nec non Agnetis del Mayno filia, natus eſt Galeacius Maria Sfortia die XIV. menſis Januarii, anno Redemptionis noſtræ MCCCCXLIV. Prima Militiæ rudimenta in Gallia Tranſalpina poſuit, nam à Patre cum veteranis copiis, ſub nomine Papiæ Comitis, in auxilium Ludovici XI. miſſus fuit. Ibidem Oppidis nonnullis fortiter expugnatis, dum in Avernos penetrat, Patris mors eidem nunciatur, ideoque per infeſtas Allobrogum gentes, non ſine vitæ diſcrimine, Mediolanum redire coactus eſt. Favore Venetorum, Ligurum, Florentinorum, nec non Ferdinandi Regis Neapolis avitum Dominium ſuſcepit, atque per integros decem annos, ſplendidiſſimo rerum omnium apparatu uſque ad Regalem Faſtum, peregregiè adminiſtravit. Anno MCCCCLXVI. Dorotheam, Ludovici Gonzagæ Mantuæ Marchionis filiam in matrimonium ſumpſit, qua è vivis ſublata, poſt biennium Bonam Ludovico Sabaudiæ Duce genitam in matrimonio ſibi copulavit, ex qua præter alios liberos Joannem Galeacium Mariam, de quo mox ſermo erit, in Ducatu Mediolanenſe ſucceſſorem ſuum ſuſcepit. Etſi Clariſs. Viri Paulus Jovius, atque Antonius Maria Campi nullum verbum faciant de Legatione ad Venetos ab eo habita, attamen ex Orationibus Galeacii infra recenſendis tam editis, quàm MSS., facilè conſtat ab ipſo revera actam fuiſſe. Vir fuit magnificentiæ, liberalitatiſque amantiſſimus, nam præter veteranorum peditum cohortes, Alas Equitum ex omni Italiæ Nobilitate lectiſſimas, & perpetuis ſtipendiis inveteratas, ea conſuetudine in hybernis continebat, ut adulto Vere in campos produceret, ſolemnique luſtratione inſpectas, ad Equeſtres Ludos committeret, propoſitis opimis præmiis. Equi-

Equitatu, qui MM. Cataphractorum numerum ſuperabat nil ſplendidius, nil comptius videri poterat. Mirum dictu, quantum iſtius Principis familia, quæ ex delectu nobilis juventutis per ſingulas ditionis Urbes accuratè habito, conſtabat, ſuper omnes alias Italiæ ſplendidiſſimè emineret. Ceterùm Galeacius recti & honeſti amans, juſtitiæ uſque ad ſeveritatem tenax erat. Litteras quoque, ac Litteratos ſummopere coluit, contendebatque gravi ſumptu ut Ticinenſe Gymnaſium Profeſſorum celebritate, ac ſtudioſæ juventutis frequentiâ ceteris omnibus antecelleret. Eo regnante Græca Typographia Mediolani incunabula habuit, ut videre eſt apud Clariſs. Saxium in libro de Studiis Mediolanenſibus, atque in Hiſtoria ſua Typographica. Uno verbo, harum majorumque laudum digniſſimus fuit, niſi fortè in nimiam libidinis licentiam incidiſſet, ideoque Allobrogico bello victor, è Caſtris Mediolanum rediens, ut Natalis Chriſti diem ſolemni hylaritate cum Uxore & liberis, amiciſque celebraret, à conjuratis Andrea Lampugnano, Carolo Vicecomite, & Hieronymo Olgiato Principis cubiculo adſcriptis, in Templo Divi Stephani pugionibus trucidatur, recurrente ejuſdem Protomartyris feſto, anno MCCCCLXXVI. ætatis verò ſuæ XXXIII. De tanto facinore jam in ſupradicti Olgiati Articulo ſermonem habuimus, quod & ab Hiſtoricis Mediolanenſibus abundè recitatur. Galeacii Elogium habetur à Clariſſimo Jovio compoſitum, nos verò alterum damus ex vetuſtiſſimo Codice MS. deſumptum ab amiciſſimo Sitono, nobilque perhumaniter communicatum.

*Qualemcumque Ducem me fama fuiſſe loquatur,*
*Accipe inauditum, Lector, in Orbe ſcelus.*
*Qui mea debuerat defendere viſcera ſervus*
*Transfodit ſævus ſævior ipſe manu.*
*Hinc liquet humanis quæ ſit conſtantia rebus:*
*Lubrica ſub fato cum Duce regna cadunt.*

Hæc de ipſo invenimus:

I. Oratio ad Summum Pontificem Pium II. à Galeacio Sfortia Mediolanenſium Ducis filio pronunciata. De hac ſic legitur in Gobellini Commentariis Pii Papæ II. lib. II. pag. 37. „ Anno MCCCCL. dum Carthuſiam peteret Pontifex, Faventinum, Forolivienſem, „ & Cornelienſem Vicarios occurrentes invenit, & „ paulò poſt Galeacium primogenitum Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium Principis. Adoleſcentulus hic „ egregia ſpecie nondum ſextum decimum impleverat „ annum &c. Hunc genitor ex Mediolano cum quingentis equitibus ſplendido, & ornatiſſimo comitatu „ Florentiam uſque miſit Pontifici obviam, qui ad „ tertium lapidem paulò citra Carthuſiam ei occurrens, „ & ab equo deſiliens, ſacros de more pedes exoſculatus eſt. Reperitur ſupradicta Oratio inter Opera Gaſparini, & Guiniforti Barzizii, editionis Romanæ pag. 57. uti ab eorum ultimo compoſita.

II. Orationes II. habitæ coram Senatu Veneto, altera die XVIII. Novembris, anno MCCCCLV. de perſuaſione pacis, & concordiæ; Franciſci Sfortiæ Ducis Mediolani, parentis nomine, altera die XI. Decembris ejuſdem anni de eodem argumento. Extant in Codice MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſignat. T. num. 12. in 4., & in altero ſignat. L. num. 69. in 4. in pergameno. Ex eiſdem una legitur impreſſa in libro, cui titulus: „ Margareta Poëtica Alberti de Eyb „ *Norimbergæ*, 1480. *in fol.*

III. Oratio quâ gratum animum, obſequiumque Franciſco Sfortiæ, & Blancæ Vicecomiti parentibus ſuis profitetur. Extat in ſupradicto Codice Ambroſiano, ſign. L. num. 69. in 4.

IV. Epiſtolæ II. ad Summum Pontificem Paulum II. Altera pro Abbatiis Charavallenſi, & S. Petri in Cœlo Aureo Papiæ. Data Mediol. die XXII. Maji MCCCCLXVI. Altera reſponſoria de modo regendi Ducatum ei commiſſum, data eodem anno. Extant in Codice MS. Biblioth. Ambroſianæ, ſign. O num. 57. in 4. in quo legitur quoque Epiſtola Pontificis Sixti IV. reſponſoria ad Galeacium de gratulatione aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum. Data eſt die XVI. Auguſti, anno MCCCCLXXI.

V. Epiſtola ad Pontificem Max. Calixtum III. Extat in eodem Cod. Ambr. ſign. O. num. 57.

Nuptias ejuſdem deſcripſit Stephanus Dulcinius Cremonenſis Canonicus Scalenſis. V. Sax. ad ann. MCCCCLXXXIX.

Epicedion Illuſtriſſimi Principis Galeacii Sfortiæ ad Illuſtriſſimam ejus Conjugem Bonam, per Franciſcum Puteolanum Poëtam Parmenſem ex tempore compoſitum. Carmen eſt elegantiſſimum, dignumque lectu. Extat MS. in Bibl. Ambr. Cod. ſign. E. num. 124. in fol.

Quædam de arte Grammatica ſcripſit pro eodem Gabriel Paverus Fontana. V. Cl. Sax.

In Indice Librorum MSS Franciſci I. Regis Chriſtianiſſimi, de quo idem Cl. Saxius, legitur Oratio Latina in pergamena, dicta à Lancelloto de-Puis Galeacio Vicecomiti.

Imbreviatura Fidelitatis præſtitæ per Civitatem Mediolanum Galeacio Mariæ Sfortiæ Duci. Extat in Du-Mont Corp Diplomat. Tom. III. pag. 416.

Ei dicavit Roglerius Comes Veterum Imperatorum, atque Virorum illuſtrium Dicta quædam, & Facta memoratu digna. MS. in Ambroſiana, de quo jam dictum.

Extat Oratio Chriſtophori Cambiagi, ad Imperatorem pro Galeacio Maria Sfortia Mediol. Duce, in MS. Biblioth. Ambroſ. num. 262. in 4. Ex Ariſii Cremona Literata Tom. III. pag. 352. qui tamen litteram, quâ ſignat. eſt Codex, non indicat.

Ad Illuſtriſſimum Principem, & Excellentiſſimum Dominum Galeacium Mariam Ducem Mediolani &c. Petri Candidi Decembrii Oratoris de Laudibus Mediolanenſium Urbis in comparatione Florentiæ: Panegyricus MS. in 4. in pergameno litteris rubro-nigris, ac miniaturis deauratis, pagg 42. optimæ notæ; & in fine ejuſdem Carmina varia Auctoris in laudem Mediolanenſium. Extat in Biblioth. FF. Marchionum Vicecomitum.

Ad Galeacium Mariam Vicecomitem Franciſcus Lucanus Parmenſis: De Regimine Principum. Erat Lucanus Vicarius Domini Capitanei Juſtitiæ Mediolani. Extat inſignis Codex in Biblioth. Ambroſ. à Thoma Curtio Presbytero Mediolanenſi egregiè ſcriptus anno MCCCCLXXII. cum litteris, atque miniaturis deauratis, nec non Figuris pro more ſæculi egregiè pictis.

Ipſum laudarunt Paulus Jovius, Antonius Maria Campi, nec non Phil. Bergomas in Supplem. Chronicor., ſed non tam favorabiliter, ceterique Hiſtorici.

## MDLXXXI.

## SFORTIA HIPPOLYTA MARIA.

Inter præclariſſimos liberos Franciſci Sfortiæ, & Blancæ Mariæ Vicecomitis Mediolani Ducum, quorum nonnulli in hac Bibliotheca locum jure obtinuerunt, emicat etiam Hippolyta Maria, cujus natalis incidit in diem XVIII. menſis Aprilis, anno poſt Chriſtum MCCCCXLV. Liberaliter pro ſanguinis ſui nobilitate educata, litteris, præſertim Latinis, tam ſedulam dedit operam, ut eo Idiomate non loqueretur modò expeditiſſimè, ſed eleganter etiam, & ſtylo, qui magnos non decederet Oratores, ſcriberet; qua de re dabimus infra omni exceptione majorem teſtem, Pium videlicet II. Pontificem Maximum in Reſponſione extemporanea ad Orationem Hippolytæ noſtræ. Eam hæc habuit in Urbe Mantuana, Blanca Maria genitrice ſua adſtante, coram ipſo Pontifice, dum ibidem ageretur de fœdere inter Chriſtianos Principes adversùs Turcarum Tyrannum ſanciendo. Neque verò humanas tantùm, ſed divinas etiam literas optimè calluiſſe fertur, & liberales artes ceteras ita edoctam fuiſſe, ut cunctis admirationem afferret. Philoſophicis quoque imbuta diſciplinis eruditiſſimorum ſuæ ætatis Virorum plauſus promeruit; tamque ſpecioſis caracteribus Codices exarabat, ut Paulus Moriggia ingenti cum voluptate ſe vidiſſe aſſerat librum Tullii de Senectute, litteris, quæ typis expreſſas imitarentur, ab Hippolyta ſcriptum, illumque extitiſſe apud Darium Majettam Mediolanenſem Civem teſtatur. Tam præclaris ornata dotibus inclyta Princeps Alphonſo Ferdinandi Aragonenſis Neapolitani Regis filio, tunc Calabriæ Duci, & poſtmodum Patris in Regno ſucceſſori nupſit, atque So-



Digitized by Google

ceri, Virique exemplis incitata, immò veriùs propriæ virtutis hortatu ducta, eruditos homines humaniſſimè fovit, donec die XX. menſis Auguſti, anno Salutis MCCCCLXXXVIII. ætatis ſuæ XLIII. præcoci fato ſublata vivere deſiit, antequam Alphonſus ad Solium perveniret. Id enim accidit non ante annum MCCCCXCIV. Quapropter emendandus jam citatus Moriggia, qui Hippolytam Reginam nuncupat Neapolitanam, cùm tantummodo Calabriæ Duciſſa fuerit.

Extant

I. Oratio Illuſtris, & Inclytæ Dominæ Hippolytæ Mariæ Sfortiæ Vicecomitis, edita & recitata in laudem Illuſtriſſimæ & Excellentiſſimæ Dominæ Matris ſuæ Dominæ Blancæ Mariæ Mediolani Duciſſæ. Legitur in Cod. MS. Bibl. Amb. ſign. L. num. 69. in 4., & eſt paginarum 11.

II. Oratio Illuſtriſſimæ Dominæ Hippolytæ Mariæ Vicecomitis Duciſſæ Calabriæ &c., habita Mantuæ coram Sanctiſs Domino Pio II. cum reſponſione ex tempore reddita per eundem Pontificem, in qua ſic legitur: „ Habuiſti dilecta Filia coram nobis Ora-
„ tionem elegantem, terſam, & magno Oratore di-
„ gnam. Admiramur te, ingenium, & virtutem tuam.
„ Gaudeat Mater tua præſens, & Pater tuus abſens,
„ qui te talem genuere Parentes &c. Extat ibid. & in altero Cod. ſign. S. num. 21. in 4.

Eam laudarunt Jacobus Philippus Bergomenſis in libro ſuo de Claris, ſelectiſque Mulieribus. Moriggia in Nobil. Mediol. lib. III. Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in ſuo Theatro Mulierum eruditarum pag. 182. atque Sitonus noſter in Schedis.

## MDLXXXII.

## SFORTIA JOANNES GALEAZ MARIA.

Galeacii Mariæ Sfortiæ, atque Bonæ Sabaudæ Conjugum, & Mediolani Ducum filius extitit Joannes Galeaz Maria, qui anno MCCCCLXVII. in lucem editus, poſt infauſtum Patris obitum (de quo alibi verba fecimus, cùm ejus texeremus Elogium) novennis ad Ducalis dignitatis faſtigium evectus eſt, anno ſcilicet MCCCCLXXVII. in Solemnitate Epiphaniæ. Rem hiſce verbis narrat Philippus Bergomenſis in Supplemento Chronicorum, libro XV.
„ Jo. Maria Vicecomes Sextus Mediolanenſium Dux.
„ Galeacio enim Patre, anno ſuperiore in feſto San-
„ cti Stephani multis confoſſo vulneribus interem-
„ pto, in feſto Epiphaniæ, ætatis ſuæ anno nono,
„ Patr. Decreto, Dux declaratur. Statim in Templo
„ B. V. Mariæ delatus, univerſo ſpectante populo,
„ aſtantibuſque Patruis omnibus, cum univerſo Re-
„ gni Magiſtratu, Birreto, & reliquis Ducalibus or-
„ namentis inſignitus eſt. „ Et primùm quidem ſub Bonæ Matris tutela vixit, cui fidus aſtitit Ciccus Simonetta Vir egregius, de quo plura dabimus in Elenco Eruditorum, qui alibi nati Metropolim Inſubriæ ſuâ doctrinâ illuſtrarunt laribus hùc translatis. Mox ſub regimine Ludovici Mariæ Patrui, cui cognomen Maurus fuit, infra quoque à nobis laudandi, Matre connivente, retento Ducali nomine, ferè ſub cuſtodia ſervatus diù, ſemper ea vetitus eſt exercere, quæ ad ſupremam Principis dignitatem pertinent. Conjugio ſibi copulaverat anno MCCCCLXXXIX. die II. Februarii Iſabellam Alphonſi Siciliæ Regis filiam, ex qua Franciſcum filium ſuſcepit anno ſequenti, atque Bonam anno MCCCCXCI., quæ poſtea anno MDXVIII. Siglſmundo Poloniæ Regi nupſit. Ludovicus autem Patruus Imperii Inſubrum capeſſendi cupiditate flagrans, propinato, ut fama eſt, virulento poculo, quod Nepotem lenta morte conſumeret, ipſum ſuſtulit in Urbe Ticino, die XXI. menſis Octobris anno MCCCCXCIV. Ajunt paulò ante obitum, cùm viſitationis gratiâ ad eum Carolus VIII. Gallorum Rex acceſſiſſet (ipſum enim in Italiam evocaverat Maurus, ut in ejus Articulo pleniùs narrabimus) Joannem Galeacium, non ſine Caroli ipſius lachrymis, ſummis ab eodem precibus poſtulaſſe, ut filium ſuum commendatum haberet. Iſabella igitur Mater Franciſcum à Patrui furore ſervatura, Viri ſui voluntatis memor, poſtmodum Ludovico XII. tradidit anno MID. à quo perductus in Gallias, ſacriſque initiatus, ibidem occubuit, anno MDXI. Inter infauſtæ fortunæ vices Princeps infelix litteras coluit amœniores, Uxorem etiam nactus, quæ Muſarum ſtudiis delectabatur. Superſunt aliquot amborum Carmina Italica, ut plurimùm conjugalis àmoris plena; quamvis Joannis Galeacii Mariæ nomen non præferant, quæ illius ſunt, ſed tantùm prænotentur Italicè hujuſmodi titulo, *Il Duca*: Eruditionem hauſerat à Matthia Triviano, ut infra dicemus uberiùs, cùm de Inſtructione pro illius educatione à Philelpho ſcripta ſermo recurret. Poëſim verò à clariſſimis Vatibus, qui per ea tempora in Aula Ducum Mediolanenſium verſabantur, didiciſſe potuit; ibi enim moram trahebant Seraphinus Aquilanus, Philotheus Achillinus, Benedictus Cingulanus, Vincentius Calmeta, aliique complures. Gratam interea rem nos facturos Lectoribus arbitramur, ſi ſequens Epigramma ex Archintea Collectione tam ſæpe laudata exhibuerimus, ubi vocatur Epitaphium, quod tamen nunc deperiit. Illud eſt:

*Proditus occumbo Patruo tribuente venenum*

*Mi cui jam fuerant debita ſceptra Ducis.*

*Me Regno ſpoliat Patruus, ſpoliatur & ille*

*Imperio, & duro carcere preſſus obit;*

*Nec queror: hæc meruit noſtri mala vita parentis,*

*Perfidiâ at propriâ tu Ludovice cadis.*

Occurrunt igitur:

I. Carmina nonnulla Italica, vulgò *Sonetti*, inter ea Bernardini Bellincioni impreſſa, uti ad calcem legitur: „ Nella Inclita Cittate di Milano nell' anno
„ della Salutifera Nativitate del Noſtro Signor Jesu'
„ Chriſto Mille quattrocento norantatre, adì quindici
„ de Julio per Maeſtro Philippo de Mantegatij dicto el
„ Caſſano, alle ſpeſe di Guglielmo de Rolandi di San-
„ cto Nazaro, grato alevo del Auctore dell' Opera,
„ in 4. „ In eodem etiam Codice leguntur ſupralaudatæ Iſabellæ Duciſſæ Carmina alia ſimilia.

II. Ejus & Ludovici Patrui Epiſtola ad Regem Ferdinandum. Data Mediol. die XI. Julii MCCCCLXXVIII. legitur inter Epiſtolas Principum, & Rerumpubl. editas *Venetiis* 1574. *in* 12. pag. 334.

III. Alia eorundem ad Januenſes. Data XIV. Septembris eod. anno. Extat ibid. pag. 338.

In Bibliotheca Ambroſiana vidi Codicem MS. ſign. T. num. 20. in 4., in quo adeſt Opuſculum ſic inſcriptum: „ Franciſci Philelphi ad Matthiam Trivianum
„ de educatione Joannis Galeacii Mariæ Principis pri-
„ mogeniti Galeacii Mariæ. In fine hæc habet: „ Hæc
„ ſunt Matthia Triviane, quæ mihi pro tempore quo
„ Romam verſùs jam eram equitaturus, occurrerunt,
„ ad inſtituendum litteris, & moribus Regulum no-
„ ſtrum Papiæ Comitem Joannem Galeacium, quæ tu
„ poteris pro tua prudentia vel cumulatiùs augere,
„ vel moderari elimatiùs. Vale. Ex Mediolano, Kal.
„ Octob. anno à Natali Chriſtiano MCCCCLXXV.

Ad eundem Antonius Pelotus, ſuo loco jam à nobis laudatus, ſcripſit Epiſtolam contra deſpicientes Poëſim, occaſione qua ei obtulit Carmen græcum Moſci Poëtæ ab ipſo Peloto in Latinum, & Italicum verſum; Epiſtola ipſâ ſic incipit: „ Ad Illuſtriſſimum
„ Principem & Excellentiſſimum D. D. Jo. Galeacium
„ Mariam Sfortiam VI. Mediol. Ducem Antonius Pe-
„ lotus. Delirant plurimi &c. „ Sequitur Epigramma ad eundem Principem, poſtea verſus Græci Moſci ſupradicti, inde Verſio eorundem metrica tam Latina, quàm Italica ipſius Peloti. Extat in Codice Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. T. num. 20. in 4.

Illius

Digitized by Google

Illius mentio eſt apud omnes Mediolanenſium Rerum Scriptores, Moretium in Lexico, & Franciſcum Xaverium Quadrium Soc. Jeſu Presbyterum in libro ſuo, cui titulus: „ Della Storia e Ragione d'ogni Poeſia. „ Tomo II. pag. 211.

## MDLXXXIII.

## SFORTIA LUDOVICUS MARIA.

OPtandum certè foret, ut quantùm valuit ingenio Ludovicus Maria Sfortia Mediolanenſium Dux, pari commendatione nobis de illius moribus loqui liceret. Parentes illi fuere Franciſcus Sfortia, atque Blanca Maria Vicecomes Mediolanenſium Duces jam non ſemel laudati, è quibus ortus eſt die XXIII. menſis Auguſti, anno poſt Redemptoris Natale MCCCCLI. Maurus cognomento dictus fuit, non, ut quidam ferunt, ab oris colore, quod æquò pallidior eſſet, & in ſuſcedinem verteret, ſed potius à Moro arbore, qua uſus eſt pro Inſigni. Aliud etiam cognomen geſſit, Anglus enim dici voluit, ab Angleria non ignobili ad Verbanum Lacum Oppido, quod Urbis nuncupatione, & honore ornandum curavit, percuſſo etiam Numiſmate, qua de re fuſiùs agit Clariſs. Saxius noſter in Appendice libri ſui, cui titulus: „ Poſſeſſio SS. Corporum Gervaſii & Protaſii „ Mediolanenſibus vindicata „ & in Hiſtor. Typog. Mediol. Sedulæ Parentum curæ, qui eum optimis doctiſque Viris erudiendum tradidere, ſatis reſpondit; nam vigebat in eo illuſtris facundia, nec defuerunt liberalium diſciplinarum ornamenta, ſermo gravitatis plenus, & utriuſque Orationis numeris ſcilicet adſtrictæ, atque ſolutæ mira facilitas. Adultus ad Ducatum Barrenſem à Neapolitano Rege evectus fuit. Defuncto verò Galeacio Maria, de quo jam diximus, fratre ſuo, hærede Ditionis relicto Joanne Galeacio Maria, ut jam ſupra narravimus, poſt varias vices, Bonâ pueri Matre connivente, tutelam illius ſuſcepit, imò veriùs poteſtatem eripuit omnem, nudo Ducatus titulo ipſi ſervato. Id iniquiùs ferebat Alphonſus Aragonius Joannis Gal. Socer, & Neapolitanus Rex, jamque ex hiſce anguſtiis eum eripere decreverat; quapropter veritus Ludovicus ne loco moveretur, Carolum VIII. Gallorum Regem ad expeditionem Italicam evocavit, ut Alphonſum Solio dejiciens, poteſtatis ſuæ ſolidiſſima poneret fundamenta. Quod quidem facinus majori ſcelere cumulans, propinato veneno Nepotem ſuſtuliſſe fertur. Interim ut ad uſurpandam Mediolanenſem Ditionem ſibi gradum faceret, Blancam Mariam Neptem, olim Philiberti Sabaudiæ Ducis Conjugem, Maximiliano Auguſto in matrimonium tradidit, à quo viciſſim Diploma (Inveſtituram barbari dicunt) impetravit, cujus vi Dux Mediolani renunciabatur, excluſo penitus Franciſco infante ſublati Principis filio tunc quinquenni. Igitur die XX. menſis Octobris, anno MCCCCXCIV. Ducatus poſſeſſionem iniit. Urbem præclaris ædificiis ornavit, Templum enim Sanctæ Mariæ Gratiarum non procul à Vercellenſi Porta, à Franciſco Patre inchoatum, extructo Pinnaculo perfecit, & Prædicatorum Ordinis Alumnis jam ibi degentibus, dotis nomine conceſſit Vicum apud Viglevanum, quem ex Largitoris vocabulo hodierna etiam die *La Sforzeſca* nuncupant. Ipſius Sacræ Ædis Atalicis pretioſiſſimis Veſtibus locupletavit Sacrarium Beatrix Eſtenſis Ludovici Conjux, quæ quidem Veſtes ad Sacerdotum ornamentum adhuc ſuperſunt. Portam Urbis inſuper aperuit Ludovicus ipſe, cui de ſuo nomen fecit, ut commodius iter Civibus pateret ad colendam Deiparæ Virginis Imaginem prope Baſilicam Sancti Martyris Celſi, in verè Regio Templo collocatam. Metropolitanæ Baſilicæ admirabilem molitionem plurimùm promovit, redditúſque ad eam rem paratos auxit, adjecto cenſu Cataractæ

A Foſſæ navigabilis, non longè à Porta Ticinenſi, quam Fiſco obnoxiam & vectigalem, ejuſdem Templi Fabricæ largitus fuit. Sanctorum Regum, qui Chriſto Infanti munera obtulere, olim à Sancto Euſtorgio Archiepiſcopo ex Oriente Mediolanum translata Corpora, & à Federico Œnobarbo Coloniam delata, tunc cùm Metropolim hanc ſolo æquavit, recuperare ſtudens, tam apud Alexandrum VI. Pontificem, quàm apud Colonienſem Archipræſulem per litteras egit, ut tandem ad Sedes priſtinas quaſi poſtliminio quodam reverterentur. Quod quidem quamvis irrito conatu tentaverit, ſuâ tamen eam ob rem laude fraudandus non videtur. Amantiſſimus fuit doctorum Virorum Mecœnas; ſummâ enim comitate, profuſiſque largitionibus ſapientiâ præſtantes Viros
B proſequi adeò conſueverat, ut ex longinquis etiam regionibus, veluti ad doctrinæ emporium, Mediolanum convolarent. Artes liberales egregiè fovit, nam Muſices Gymnaſium in hac Urbe aperuit, Franchinum Gafurum Laudenſem magni nominis Profeſſorem, ut hìc Eccleſiaſticum Cantum doceret, luculenta mercede invitans. Picturæ quoque, & Architecturæ novam aperuit Academiam, cui præfecit Leonardum Vincium, Florentiâ accitum, & annuo D. aureorum ſtipendio donatum. Quin Græcas litteras ut Inſubriæ Juventus diſceret, Demetrium Calchondilam advocavit, cui etiam pingue Minerval attribuit. Teſte quoque Vincentio Calmeta in Vita Seraphini Aquilani egit, ut Laurentius Mediceus Italicam Poëſim in Urbe Florentia priſtinæ dignitati reſtituendam curaret. Gaudentium Merulam Alexandrinum Virum
C eruditione celebrem ſibi à Secretis elegit, commendatione ductus Angeli Politiani, cum quo litterarium commercium Principem hunc habuiſſe ex his, quæ infra dicemus, patebit. His porrò pacis artibus clariſſimus, utinam à cædibus & præliis abſtinuiſſet, quarum quidem rerum alia ſuperiùs commemoravimus, alia nunc referre cogimur inſtituto noſtro ſatiſfacturi. Depreſſis Helvetiis, & Sedunis, qui in Domumoſſulam irruperant, partâque non ſine ſævis periculis honeſtiſſimâ ſibi atque Italiæ pace, Principatu, unde Nepotem, ut ſumus præfati, detruſerat, potiebatur. Cùm Carolo VIII. Gallorum Rege, jam ſupra memorato, defuncto, audiens Maurus noſter Regiam poteſtatem ad Ludovicum XII., quo cùm
D veteres habebat inimicitias, devolutam fuiſſe, ingenti metu correptus eſt, qui tamen in eo mentis rationem non eliſit. Nihil enim intentatum reliquit, ut imminentes jam Alpibus Gallicas copias arceret Italiâ. Veruntamen cònatus omnis illius concidit; Rex enim ad totius Italiæ imperium anhelans, cum Alexandro VI. Pontifice, Venetoque Senatu funeſtum nimis Italis æquè ac Gallis fœdus iniit. Neceſſario igitur, tametſi prorſus impio conſilio Ludovicus noſter Bajazetem Turcarum Tyrannum adversùs Venetos incitare coactus fuit: nam nihil prorſus auxilii à Maximiliano Auguſto ſperare poterat, cùm is Gallis agentibus Helvetico premeretur bello. Regi Ludovico, ut pacem redimeret, gravis tributi pactionem obtulit, modò ſibi liberiſque ſuis paternæ ditionis poſſeſſio relinqueretur. At conditionibus rejectis,
E Galli primùm Alexandriâ potiti ſunt, tum Maurus multorum è ſuis perfidiam expertus, cum natis, ac Fratre ſuo Aſcanio Maria Cardinali in Germaniam confugit. Quocirca Galli Mediolanum, Veneti Cremonam in poteſtatem redegerunt ſuam; at comprobante Aſcanio Maurus, cùm à Cæſare lenta nimis auxilia, nec ſine ingenti ſumptu expediri poſſe cerneret, ad Helvetios & Rhetos ſe convertit, ut mercenariis Legionibus eum reducerent, quandoquidem Gallicum nomen Inſubribus jam odio eſſe cœperat; & primo quidem impetu cum equitatu etiam Sequanico in Italiam deſcendens à Comenſibus primùm, mox à Mediolanenſibus læta fronte exceptus eſt, Gallis nihil obſiſtentibus, imò ultra Ticinum profectis. Novariam interim expugnare aggreſſus aliquot in obſidione dies inſumſit; cùm ecce novæ Gallorum

copiæ

Digitized by Google

copiæ ſuperveniunt Tremulio Duce, quibus junctæ erant Helvetiorum cohortes multò plures, atque fideliores illis, quæ ſub Sfortia militabant. Depravati ab his Gallicâ pecuniâ omnes ferè Duces Ludovici noſtri, nullo pudore, poſthabitâ militaris ſacramenti fide, ante receptæ Novariæ mœnia, miſerum Principem gregarii militis ſpecie inter ordines latentem Gallis prodidere. Igitur anno ſæculari MD. in Gallias captivus deductus eſt, & à Ludovico Rege in Loeenſem Turrim haud procul Lugduno conjectus, ibidem anno MDVIII. die XVII. Maji migravit è vita. Ajunt ipſum virili prorſus animo tantam calamitatem pertuliſſe, eamque veteribus delictis debitam humiliter agnoviſſe. Subjicere nunc juvat, quam ex vetuſtiſſimo Codice MS. nobis ſuppeditavit amiciſſimus Sitonus noſter Inſcriptionem, olim à Ludovico Maria Filio, & Joanne Galeacio Nepote, Franciſco Sfortiæ Patri, & Avo poſitam, nunc verò penitus ſublatam, ne ipſius memoria prorſus pereat. Ea eſt:

BELLI FVLMEN ADEST IDEM QVOQVE PACIS AMATOR
FRANCISCVS PATRIAE SFORTIADVMQVE DECVS
HIC SOCERI SCEPTRVM TENVIT TVTATVS ET ARMIS
REGNA INTER DIVOS NVNC PIVS EXCOLITVR
DIGNA PATRIS LVDOVICVS AVI MONVMENTA IOHANNES
HAEC MERITIS GALEAZ AMBO DEDERE DVCES.
IOHANNES GALEAZ DVX INSVBRIVM NEPOS
ET LVDOVICVS FILIVS PIENTISS.
AVO ET PATRI VIRTVTIS MONVMENTVM
POSVERE.

Plures aliæ ſuperſunt Inſcriptiones Ludovici nomen proferentes tam in hac Urbe, quàm alibi, quas dare ſuperſedemus, cùm omnibus obviæ ſint; præcipuè verò ſunt in Fornice Portæ Ludovicæ, atque ad prædictam Cataractam Navigabilis Foſſæ propè Ticinenſem Portam.

Quæ verò pertinent ad Eruditionem Ludovici noſtri oſtendendam, hîc promimus; videlicet:

I. Oratio Ludovici Sfortiæ Duci Franciſco Patri. Incipit: „ Cùm mecum animadvertam, Illuſtriſſime „ Princeps, & Pater Excellentiſſime &c. „ Extat in Cod. Bibliot. Ambroſianæ MS. ſignat. S. num. 21. in 4

II. Epiſtola Latina ad B. Bernardinum Feltrenſem Ord. Minor., qua rogat, ut Parmæ Quadrageſimales Conciones habeat. Data Mediol. die X. Januarii MCCCCLXXXVI. Extat apud VVadingum in Tomo XIV. Annal. ejuſdem Ordinis.

III. Alia ad Angelum Politianum, qui ei Gaudentium Merulam commendaverat, referens ſe ipſum à Secretis ſibi delegiſſe. Data Viglevani die II. Martii, anno MCCCCXCIV. Extat in libro, cui titulus: Illuſtrium Virorum Epiſtolæ. Edit. *Baſileæ*, 1499. *in fol.*

IV. Alia ad eundem, qua Politiano reſpondet ad ſe ſcribenti de morte ipſius Merulæ. Legitur in eodem libro.

V. Alia ad eundem, qua eidem nunciat, ſe Merulæ ſcripta adversùs ipſum Politianum occultaſſe, verùm ipſo Politiano petente ea produxiſſe. Ibidem. Has Epiſtolas publici juris factas vidimus etiam inter alias ipſius Politiani editas *Argentorati*, 1513., ubi plures hujus extant ad Ludovicum eundem.

VI. Ejus, & Joannis Galeacii Mariæ Litteræ ad Ferdinandum Regem Neapolitanum. Datæ Mediol. die XI. Julii MCCCCLXXVIII. Habentur inter Epiſtolas Principum, & Rerumpublicarum editas *Venetiis*, 1574. *in* 12. pag. 334.

VII. Altera ad Januenſes Epiſtola. Data Mediol. die XIV. Septemb. ejuſdem anni. Ibid. pag. 338.

VIII. Alia ad Joannem Biffium, qua ei gratam ſe habuiſſe teſtatur Elegiam ejuſdem de numero ſeptenario ad ſe miſſam. Data ex Villafranca die II. Novembris MCCCCXCIV. Extat inter Carmina ipſius Biffii, de quibus in ejus Articulo diximus.

IX. Epiſtolæ Ludovici Mariæ Sfortiæ ad Colonienſem Archiepiſcopum pro recuperandis Corporibus SS. Magorum.

X. Aliæ ejuſdem Ludovici ad Alexandrum VI. Pontificem, ut mandaret Hermanno de Eſſe, eo tempore Colonienſi Archiepiſcopo, ut reſtitueret Corpora SS. Regum Magorum Eccleſiæ Mediolanenſi; Epiſtola autem Alexandri VI. Data die ultima Januarii MCCCCXCV. extat in Archivo Cœnobii Euſtorgiani. Hæ omnes memorantur in jam citato Libro, cui titulus: Poſſeſſio SS. Corporum Gervaſii & Protaſii, à Clar. Saxio noſtro vindicata in Append. pagg. 50. & 51.

XI. Ludovici Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Oratio ad Cultum divinum exhortatoria. MS. in Biblioth. Regia Pariſien. num. 6422. ex Biblioth Biblioth. MSS. Cl. Montfauconii, Tomo II. pag. 762. Hæc fortè illa eadem eſt, quæ memoratur in Indice Bibliothecæ Bleſenſis (du Bloys) Franciſci I. Gallorum Regis Clariſs. Joſepho Antonio Saxio à Marchione Sanctæ Chriſtinæ communicato, priuſquam Bibliothecæ Seren. olim Principis Eugenii à Sabaudia inferretur. Ibi enim laudatur: Oratio Latina recitata & compoſita à Ludovico Maria Sfortia, ad ſuum Patrem Franciſcum Sfortiam exhortatoria ad ſervitutem divinam.

XII. Alia ejus Oratio imperfecta. MS. in eadem Biblioth. Regia Pariſien. num. 6423. ex cit. Montfauconio. Ibid.

XIII. Ejus Inſtructio ad Legatos ſuos proficiſcentes ad Bajazetem Turcarum Tyrannum auxilium adversùs Venetos petitum. Legitur apud Ripamontium in lib. VII. Hiſtoriarum Mediol.

XIV. Carmina ejuſdem Italica, edita ſunt inter ea Bernardi Bellincioni Florentini, impreſſa *Mediol.* 1493.

XV. Epigramma Italicum, vulgò *Sonetto*, quo reſpondet Franciſco Tantio poſtulanti, ut in Capellanum Sforzerchæ eligeretur. Extat in eadem Carminum Bellincioni editione, quam Tantius Ludovico noſtro nunçupavit. De ea rurſus agemus in ipſius Tantii Articulo.

XVI. Oratio ad Comenſes, tunc cùm in Germaniam profugus contendit. Laudatur à Paulo Jovio in ejus Elogio infra memorando; qui eam ſe audiviſſe teſtatur.

De ipſius Natali die ſcripſit Carmen Joannes Biffius, cui titulus; Parcarum Promantheuſis; de quo jam diximus. Cujus etiam Auctoris plura Epigrammata ad Ludovicum noſtrum leguntur inter ejus Carmina edita. Vidimus etiam in Ambroſiana Bibliot. De ejus laudibus & Operibus libellum impreſſum *Mediol. anno* 1493., inſertum inter Carmina Biffii ſign. Z. num. 262. in 4.

De Ludovico Sfortia Principe Clariſſimo, qui proditus eſt per Helvetios Petri Criniti Ode. Extat inter ejus Poëmata lib. I.

Fauſti Poëtæ de Captivitate Ludovici Sfortiæ Opus Latinum, ad Regem Ludovicum XII. miſſum. Memoratur in jam citato Indice Bibliothecæ Bleſenſis.

Bartholomæi Crotti Presbyteri Regienſis Carmina in ejus laudem, cùm Gallos debellaſſet. Extant in Ambroſiana, Cod. ſign. O. num. 363. in 4.

De

Digitized by Google

De ſingulari Ludovici in Eruditos, & Litteras amore plura habet Philippus Beroaldus in Oratione Panegyrica ad eundem. Edita *Bononiæ*, *anno* 1491. cum Epiſtola, & Epigrammate ipſius Beroaldi.

Oratio Bonifacii Bembi Brixiani in Sapientiſſimi Principis Ludovici laudes in Scholis Papienſibus habita, anno MCCCCXC. IV. Kal. Decemb. Hanc editam apud ſe extare aſſerit Clariſs. Ariſius in ſua Cremona Litterata, Tom. III. pag. 331.

Leguntur ad ipſum Baptiſtæ Mantuani Carmen Sylvarum lib. III. num. 116. Lancini Curtii plura Sylvarum lib. II. & lib. V. pagg. 46. & 97. edit. *Mediol.* 1521. Pauli Jovii Junioris Carmen in eundem inter Carmina Illuſt. Poëtar. Ital. Tom. V. pag. 433.

Carmina item IV. Latina in ipſius laudem cecinit Petrus Leo Vercellenſis, & Baſilicæ Sanctæ Mariæ Scalenſis in hac Urbe Canonicus, quæ occurrunt inter alia ejuſdem impreſſa, alibi à nobis indicata.

In Libro, cui titulus: Bonifacii Simonetæ Abb. Ciſterc. Perſecutionum Chriſtianarum Hiſtoria, Pontificumque Commentarii, impreſſo *Mediolani*, 1492. Extat Epiſtola XLVII. Libri VI. Divo Ludovico Sfortiæ Inſubrum Dictatori, in qua ipſe Ludovicus mirè laudatur.

Altera ejuſdem Libri ad eundem, num. XLVIII. in qua agit de Felicitate Nuptiarum Ludovici Sfortiæ, cum prognoſtico futuræ ſobolis.

Epiſtola Gaudentii Merulæ ad Ludovicum, in qua ſe purgat ab accuſatione, quod contra Politianum ſcripſiſſet. Data Mediol. IV. Kal. Martii MCCCCXCIV. legitur inter Epiſtolas Illuſtrium Virorum, editas *Baſileæ*, 1499. *in fol.*

Præclarum ei texuit Elogium Paulus Jovius Epiſcopus Nucerinus, quod videſis inter alia ipſius impreſſa, neque minoribus eum laudibus extulit Julius Æmilius Ferrarius Medicus Novarienſis in Epiſtola ſua Auſonio præfixa, ad Ambroſium Variſium Ludovici noſtri Archiatrum.

Plures etiam eruditi Viri ſuas ei Lucubrationes nuncuparunt, & inter ipſos Hieronymus Baldung Opus ſuum de conſervanda valetudine, quod MS. in pergameno ſervatur in Biblioth. Ambroſiana, litteris rubro-nigris cum miniaturis, Cod. ſignat. F. num. 35. in 4. Sed & Paulus à Monte-Pico ſuas Repetitiones. *Papiæ*, 1493. *in fol.*

Innumeri ſunt Scriptores, qui de ipſo egerunt, ii præſertim omnes, quibus curæ fuit Italicas res conſcribere, & præcipuè Inſubres, & Galli, quibus addimus Sitonum noſtrum humaniſſimum in Serie Chronologica Principum, & Ducum Mediolanenſium, ab anno MCCLIX. ad MDCCXL. MS. penès eundem Authorem, & Franciſcum Xaverium Quadrium Soc. Jeſu Presbyterum in Libro ſuo „ Della „ Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia „ Tomo II. pag. 210., nec non Cl. Saxium locis jam citatis.

## MDLXXXIII.

## SFORTIA MUTIUS.

Mutius Sfortia Franciſci Marchionis Caravaggii, & Conſtantiæ Columnæ Conjugum filius, in Aula Philippi II. Hiſpaniarum Regis à pueritia verſatus, ab eo inter Secretioris Conſilii Italici Miniſtros cooptatus eſt. Cùm litteris plurimùm oblectaretur, anno Redemptionis noſtræ MDXCIV. celebrem Academiam ſub Inquietorum nomine in hac Metropoli, ac in propriis Ædibus inſtituit die X. menſis Junii, qua de re fuſiùs agit Joannes Jarkius, citatis Moriggia, & Curtio. Inter LX. Decuriones adnumerabatur anno MDXCV. atque ab Urſula Peretta, Sixti V. Pontificis Maximi Nepte, quam ſibi in matrimonium copulavit, Joannem Paulum, & Franciſcum Mariam liberos ſuſcepit. De Latina, & Italica Poëſi Vir ſummè meritus ab infra recenſendis facilè dignoſcitur. De ejus laudibus ſatis eſt percurrere Orationem Michaëlis Doneſani in commendationem ipſius, editam *Mediolani*, *anno* 1618. *in* 4. Plura expectanda erant à tanti ingenii felicitate, niſi mors invida præcoci fato illum rapuiſſet, quod cum eruditorum omnium luctu accidit an. MDCXXII. ætatis ſuæ quadrageſimo quinto. Quæ ſcripſit, etſi majori ex parte typis edita, ſub oculis non habuimus, ideoque nonnulla quæ ſeparatim damus, an ſint in Collectione à Viris doctis infraſcriptis indicatæ, nec ne, incerti ſumus; non ingratum tamen Lectoribus fore exiſtimamus editiones, quæ raræ ſunt, hîc inſpicere.

I. Rime Sacre di Muzio Sforza. Vol. I. II. e III. *Venezia*, *per Altobello Salicata*, 1590. *in* 4.

II. Altre Rime Profane del medeſimo Autore. Vol. I. II. III. *Venezia*, *preſſo il Guerra*, 1590. *in* 4., *ed in Roma*, *per il Facciotti*, 1594. *in* 4., unà cum adnotationibus, & argumentis.

III. Oratio habita in Academia Inquietorum, ſuper quodam dubio, ab Annibale Guaſco Alexandrino propoſito, memoratur in Epiſtola ejuſdem Guaſchi. Vol II. edit. *Alexandriæ*, *apud Philippum Mottum*, 1607.

IV. Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, extat in libro, cui titulus: „ Mauſoleo di Poeſie in morte di Giuliano „ Goſelini. „ *Milano*, 1588.

V. Della Iſtituzione della Vergine conſecrata a Dio. *Venezia*, *preſſo il Salicata*, 1589. *in* 8.

VI. Elegiæ plures. *Mediolani*, *apud Feriolum*, 1604. *in* 4.

VII. Canzone di Muzio Sforza, all'Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Monſignor Federico Borromeo. Extat in Codice MS. Bibliothecæ Ambroſianæ, ſign. I. num. 69. in 4. pagg. 8.

Habetur Ode Benedicti Sociaci in laudem ejuſdem.

Inter Carmina Auguſtini Terzaghi leguntur Carmina plura Mutio Sfortiæ Caravaggii Marchioni.

Extant ad eum Carmina Gherardi Borgonii (qui inter alios Viros doctos Academiæ Inquietorum numerabatur) in Collectione ejuſdem. MDXCIX.

Eidem inſcripſit Joannes Talentonus, Opus ſuum, cui titulus: „ Diſcorſo ſopra il quarto Canto del Pur„ gatorio di Dante. „ *Milano*, *per il Paganello*, 1593. *in* 4. Erat tùnc Sfortia Princeps Academiæ Inquietorum.

Tres ad eum ſcripſit Epiſtolas Italicas laudibus plenas Stephanus Guazzius, quæ leguntur inter hujus editas *Venetiis*, *apud Baretium*, 1592. *in* 8. pagg. 45. 47. & 138.

Videndi ſunt de ipſo Creſcimbenius in Libro: „ De' „ Commentarj intorno all' Iſtoria della volgar Poe„ ſia. Vol. V. lib. II. pag. 295. „ P. Quadrius in ſuo Opere inſcripto „ Della Storia, e della Ragio„ ne d'ogni Poeſia, Tom. II. pag. 273. „ Saxius in Libro „ de Studiis Litterariis Mediolanenſium „ & citatus Jarkius in Specimine Hiſtor. Academiar. Italiæ pagg. 19. & ſeq. ubi Lector inveniet non tantùm prælaudatæ Academiæ Inquietorum inſtitutionem, & OEconomiam, verùm etiam omnium Academicorum Catalogum, & Elogia, reſque alias ſcitu digniſſimas hauſtas potiſſimum ex Paulo Moriggia noſtro, ac Sitonus in Schedis.

## MDLXXXIV.

## SFORTIA PHILIPPUS MARIA.

Quantùm curæ, & diligentiæ adhibuerint in educandis liberis ſuis Franciſcus Sfortia, atque Blanca Maria Vicecomes optimi Inſubriæ Duces, ſatis jam, ut arbitramur, noſſe potuerunt Lectores ex his, quæ hactenus recitavimus; clariùs autem ex dicendis patebit. Secundus natu (poſt Galeacium Mariam paterni principatus hæredem) fuit eis Philippus Maria nunc memorandus, cujus natalis incidit in annum Salutiferæ Incarnationis MCCCCXLVIII. Pueruli ingenium doctiſſimi Viri, quorum numero Franciſci Ducis Aula per ea tempora redundabat, excolendum ſuſcepere, inter quos recenſendus venit omni procul dubio Georgius ille Valaguſſa Mediolanenſis, quem opportuno loco laudabimus. Inter alias tamen liberales artes, quibus cum fratribus imbuebatur, Poëſim Latinam coluit. Adultus cum Maria Sabauda anno MCCCCLIX. Sponſalia de futuro contraxit, Matrimonium tamen in irritum ceſſit. Comes fuit Corſicæ, & Dux Barenſis, atque adhuc erat inter vivos anno Chriſti MCCCCLXXXIX., quemadmodum nos monuit amiciſſimus Sitonus noſter fultus publicarum teſtimonio Tabularum, quod nobis placuit adnotare ad emendandum Morerii ſphalma, qui obitum hujus Principis aſſignat anno MCCCCLXXIX.



Digitized by Google

Doctrinam illius produnt :

I. Carmina latina ad Illuſtriſſimum Mediolani Ducem. Hunc non fratrem Galeacium Mariam, ſed Franciſcum Patrem Scriptoris noſtri fuiſſe credimus. Extant in Codice Bibliothecæ Ambroſianæ MS. ſign. S. num. 21.

II. Alia in laudem ipſius Franciſci Ducis Patris ſui. Habentur in alio Cod. MS. ejuſdem Bibliothecæ ſign. T. num. 10. in 4.

Inducitur etiam colloquens cum Sfortia Maria fratre ſuo, mox laudando, à Georgio Valaguſſa ſupradicto in Dialogo de Origine, & Cauſis Ceremoniarum, quæ celebrantur in Natalitiis. In Cod. memorato Bibliothecæ Ambroſ. MS. ſign. S. num. 21. in 4.

In Indice librorum Franciſci I. Regis Chriſtianiſſimi (de quo MS. Cod. Clariſs. Saxius noſter fuſiùs agit) recenſetur Liber metro, & proſa Latina de Philippo Maria Sfortia.

De ipſo præter citatum Morerium, Triſtanus Chalcus in Nuptiis Ducum Mediol., & Sitonus præfatus in ſuo MS. Theatro Genealogico pagg. 34. & 483., nec non Mazzucchellus in Schedis.

## MDLXXXV.

## SFORTIA SFORTIA MARIA.

FRatres ſuos ponè ſequitur Sfortia Maria Sfortia, qui editus eſt in vitales auras, anno Redemptionis MCCCCXLIX. Parentum monitis, germanorum exemplis, & præceptorum diligentiâ optimè excultus non contemnendos in eloquentia progreſſus fecit, cujus ſpecimen præbuit ſatis nobile in mox recenſenſenda Oratione, quam coram Patre ſuo Franciſco Duce pronunciavit. Ex ea quidem aliiſque jam laudatis, quas fratres illius habuere, apparet conſueviſſe adoleſcentes hos Principes ingenium ſuum exercitatione publica parentibus commendare, recurrentibus eorum natalitiis, vel ſuſcepti Imperii diebus annuis. Ceterùm Sfortia Maria ab Alphonſo Aragonio Neapolitano Rege Barrii Dux creatus fuit, cùm ei Neptem ſuam Eleonoram Conjugem deſpondiſſet. Variis fortunæ vicibus unà cum ceteris fratribus ſuis involutus eſt poſt Galeacii Mariæ primogeniti cædem, atque ad plures abiit anno Gratiæ MCCCCLXXIX.

Superſunt illius :

I. Oratio de Virtute per Sfortiam Mariam, Illuſtriſſimo Mediolani Duci Franciſco Sfortiæ Patri. Incipit: „ Cùm „ hiſce diebus cogitarem &c. „ Extat in Codice MS. Bibliothecæ Ambroſianæ, ſign. S. num. 21.

II. Epiſtolæ ejuſdem ad Franciſcum Philelphum, ut eruitur à reſponſionibus III. iſtius, datis Mediolani, prima, & ſecunda anno MCCCCL., tertia MCCCCLI. pagg. 147. & 148. in libro, cui titulus: „ Epiſtolæ Principum Rerumpublicarum &c. „ *Venetiis*, 1574.

Eum, ut jam diximus ſupra, Georgius Valaguſſa Mediolanenſis Interlocutorem cum Philippo Maria fratre exhibet in Dialogo ſuo de Origine, & Cauſis Ceremoniarum, quæ celebrantur in Natalitiis.

Ipſum laudat Morerius in Lexico, aliique plures, hi præcipuè, qui de rebus Inſubriæ ſcripſerunt.

## MDLXXXVI.

## SICCUS HORATIUS.

EXpletis Sfortiæ Gentis Nobiliſſimæ Viris eruditis, gradum facimus ad eos, qui ex Familia Sicca prodierunt. Præfari tamen aliquid neceſſarium arbitramur de ejus Origine ab Oppido Caravaggii hujus Mediolanenſis Ducatus deducta. Humaniſſimus etenim, æquè ac in Inſubriæ Antiquitatibus verſatiſſimus J. C. Sitonus copiam nobis fecit Genealogici Siccorum Stemmatis, quod incœptum à Bertholino de Siccis anno MCCCXX. in eodem Oppido vivente cum Conjuge ſua Franciſca Pirovana, procedit ad annum uſque MDLVIII. Præfatorum Jugalium filius extitit Jacobus de Siccis, cognominatus *il Roſſo*, quem anno MCCCXL. inter Collegiatos hujus Metropolis publicos Tabelliones enumeratum fuiſſe teſtatur prima Matricula ipſius Collegii in ejuſdem Archivo ſervata, ubi hæc verba leguntur exarata. „ Ego Jacobus di„ ctus Rubeus, filius quondam Domini Bertholini „ Sichi de Burgo Caravazio Notarius mea propria „ manu ſcripſi, meumque ſignum conſuetum appo„ ſui, Milleſimo treceteſimo quadrageſimo, octava „ Indictione, die Mercurii, duodecimo Januarii. „ Ex prædicto autem Jacobo, Uxoreque illius Iſabella Turriana ortus fuit Marcus Siccus ex Condominis Calcii, quod Oppidum in ea parte Ducatus Mediolanenſis ſitum eſt, quæ proximè attingit Brixianum agrum. Ea de cauſa frequenter accidit, ut è natali ſolo quidam lares Brixiam tranſtulerint, retento etiam nedum Caravaggii, ſed etiam in hac Metropoli domicilio, ut apparet è pluribus Sepulchralibus Elogiis adhuc extantibus tam in Templo Sancti Petri in Glaxiate, quàm in aliis Mediolani Sacris Ædibus. Hoc genitus eſt ſanguine Nicolaus Vir eruditione Clariſs., quem jure hîc collocare liceret, niſi poſt alios Eminentiſſimus & doctrinâ, & Purpurâ Angelus Maria Quirini Brixienſis Antiſtes, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius eum ſuæ Urbis Eruditis adnumeraſſet. Quod quidem nos cogit, pro ea, qua ſapientiſſimum Præſulem reverentiâ ſuſpicimus, Nicolaum ipſum ad alteram Seriem amandare, in qua doctos Viros alibi ortos, qui Mediolanum ſuis eruditis laboribus decorarunt, enunciabimus. Ex illis autem Siccis, qui apud Avorum patriam conſtitere, occurrit Horatius Vincentii, & Dorotheæ Pratæ Conjugum filius, computatus & ipſe inter Condominos Calcii. Hic Juriſprudentiæ ſedulam dans operam, laureâ donari meruit; mox anno MDXCII. in Collegium Juriſconſultorum hujus Metropolis eſt cooptatus. Seriis tamen legum ſtudiis amœna Muſarum otia miſcuit, Italica, & quidem non injucunda, Carmina ſcribens, de quibus mox agemus. Extremus illi annus fuit primus poſt Milleſimum ſexcenteſimum. Vincentii autem illius Genitoris Tumulus adhuc ſupereſt in Eccleſia Archipresbyterali ſupramemorati Oppidi Calcii hoc inſcripto Elogio.

D. O. M.
VINCENTIVS SICCVS EX ILLVSTRIBVS
CONDOMINIS CALCII
SIBI ET POSTERIS SVIS POSVIT
DIE XX. IANVARII MDCI.

Habemus illius :

I. Carmina Italica, vulgò *Sonetti*, numero XLVIII. Impreſſa leguntur in Collectione Gherardi Borgonii, quæ prodiit *Venetiis*, *apud Societatem Minimam*, 1599. in 12.

Laudatur à Gualdo in Elog. Comitis Jo. Antonii Sicci, & à Sitono jam citato in Chronico Collegii J. PP. art. 719. pag. 175., atque in Schedis.



Digitized by Google

## MDLXXXVII.

## SICCUS-BORELLA JOANNES BAPTISTA.

Cùm nunc tranſeundum ſit ad Doctos Viros, qui ex Familia Sicca-borella Mediolanenſi traxerunt Cognomen, jucundum erit Lectoribus noſſe, unde hujuſmodi vocabulum emanarit. Et ipſa quidem eadem eſt cum Sicca, ſuperaddita nuncupatione *Borella* ex Feudo hujus nominis olim conceſſo Joanni Antonio Sicco, cujus Sepulchrale Elogium in Ducali Templo Sanctæ Mariæ Gratiarum hujus Urbis poſitum, exhibet Clariſs. Sitonus in ſuo Chronico Collegii J. PP. Mediol. pag. 115. art. 472. Eo ſanguine genitus Joannes Baptiſta Siccus-borella parentes habuit Franciſcum, & Claram de Sancto Georgio de Placentia Conjuges, ex quibus diem primam nactus eſt anno Orbis reparati MDCIV. die XV. menſis Septembris. Comes extitit Oppidi Vicomercati, & ſic in Jure tam Cæſareo, quàm Pontificio ſe exercuit, ut Lauream meritò adeptus fuerit, in Univerſitate Ticinenſi octava die Junii, anno MDCXXVIII. atque in eadem publicus Legum Interpres extiterit anno MDCXXXIV. Uxorem habuit Catharinam Cuſanam, Marchione Aloyſio Senatus Principe genitam; filios autem Federicum V. S. Referendarium Apoſtolicum, Metropolitanæ Baſilicæ Mediolanenſis Canonicum Ordinarium anno MDCXXXI., & Forolivii, ac Arimini Moderatorem; alterum Joannem Antonium V. S. & ipſum Referendarium, nec non Montis-alti Gubernatorem. Noſter verò poſt adeptam utriuſque Magiſtratus tam Extraordinarii, quàm Ordinarii, ut vocant, Quæſturam, in primo eorum die X. Januarii, anno MDCXLIV. in ſecundo verò die II. Junii anno MDCLI. ad Senatoriam Mediolanenſem Sedem elatus eſt die XVI. Novembris, anno MDCLXII., qua in dignitate ferè octogenarius deceſſit anno Chriſti MDCLXXXIII.

Hæc de ipſo memorata invenimus:

I. De Jure Cæſareo Lecturæ in Gymnaſio Ticinenſi habitæ. Vol. II. in fol. MSS., quæ ſe præ manibus habuiſſe aſſerit Clariſs. P. D. Gaſpar Beretta in ſuis Schedis, ſed ubi nunc reperiantur, minimè indicat.

II. Decreta Senatus Mediolani ab anno MDC., ad annum MDCLXXX. à Joanne Baptiſta Sicco-borella Regio Ducalique Senatore collecta, & notis marginalibus illuſtrata. Cod. MS. in fol. olim penès Advocatum Carolum Stephanum Rampinum, ex Indice ipſius Bibliothecæ à me inſpecto.

III. Allegationes Juris plurimæ tam editæ, quàm MSS. reperiuntur in Collectionibus J. PP. Mediolanenſium à nobis multoties indicatis.

De eo Joſeph Benalius in Hiſt. Magiſtrat. pag. 32. Hieronymus Boſſius in Hiſt. Familiæ Siccæ. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1708. *in 4.* pagg. 120., & 121., nec non Clariſs. Sitonus in Theat. Coll. J. PP. Mediol. pag. 228., & 229. art. 1027., & 1028., & in Syllabo Senatorum Mediolani pag. 13. art. 261. Tandemque in Theatro Genealogico ejuſdem Gentis MS. in fol. pag. 403. penès ipſum Authorem.

## MDLXXXVIII.

## SICCUS-COMNENUS MARCUS ANTONIUS.

Marcus Antonius Siccus-Comnenus, Soccino Sicco-Suardo, & Virginia item de Siccis ex Condominis Calcii Jugalibus genitus, ſanguinis nobilitatem eruditione, atque aliis præclarè geſtis cumulavit. Bellici enim roboris toto vitæ ſuæ decurſu dedit argumenta; nunquam tamen ſtudiorum oblitus, etiam in ſenium vergens quædam ſcripſit, & vulgavit, ut mox dicemus, quæ ad optimè formanda filiorum ſuorum ingenia non ad pietatem ſolùm, ſed ad civiles mores conducere arbitrabatur. Id ut præſtaret cumulatiùs, Vincentium Curionum Caſalenſem Ordinis Prædicatorum rogavit, ut Pſalmos XV. Davidicos, qui Graduales dicuntur, exponeret. Hoc perfecit Curionus, utroque ſenſu litterali & myſtico Regii Vatis ſententias explicans, atque in id maximè incumbens, ut Juventuti pia ſimul, & ad nobiliter vivendum neceſſaria monita pararet. Hujus autem Codicis poſt pauca mentio recurret. Marci verò Antonii emortualem annum apud neminem invenimus memoratum; claruiſſe tamen certum eſt medio fermè ſæculo XVII.

Ejus Liber hunc habet titulum:

I. Il Cavalier Criſtiano. *Milano, preſſo il Monza*, 1664. *in* 8. Opus ad inſtruendum Nobilem Juvenem aptiſſimum, & in Capita ſupra XC. diviſum.

Alium Librum vidimus MS. hoc titulo: „ Eſpoſizione „ de i XV. Salmi Graduali, ſecondo i due Senſi litterale, e miſtico, fatta dal Rev. P. Lettore Vincenzo „ Curione di Caſale, dell' Ordine de' Predicatori, per „ ſoddisfare alla divozione dell' Illuſtriſs. Sig. Marc' Antonio Secco, Uomo di tutte le doti, che ſi deſiderano in un ottimo Cavaliere, e ricco di tutte le virtù „ neceſſarie per vivere politicamente Criſtiano. „ Codex eſt in 4. in Bibliotheca FF. Minorum Conventualium Sancti Franciſci Mediolani adſervatus. Auctor hic ignotus extitit Clariſs. Quetif, & Eccard, ideoque addendus eorum Bibliothecæ Ord. Prædicat.

Memoratur M. Antonius in Athenæo Picinelli pag. 411., & à Sitono in Theatro ſuo Genealogico MS. pag. 406., & in Schedis.

## MDLXXXIX.

## SIMONETTA ALEXANDER.

Quandoquidem nunc verba facienda ſunt de Viris eruditione illuſtribus, qui Mediolani ex nobili Simonetta Familia prodierunt, operæ pretium exiſtimamus nonnulla præfari, ut facilè cognoſcant Lectores, cur aliquot Doctos Simonettas in primo hoc Catalogo inſeruerimus, quoſdam verò in ſecundum Indicem reſervare libuerit, ubi diligenter enumerandi ſunt homines ſcientia commendabiles, qui alibi nati Mediolanenſem Civitatem diuturnæ moræ gratiâ nacti fuere. Originem igitur ducit Gens Simonetta ex Calabria, ideoque nonnunquam loco proprii cognominis dicti ſunt Calabri illorum aliqui, etiam poſt lares in hanc Metropolim indè translatos. Id accidit cùm anno MCCCCL. Franciſcus Sfortia, poſt obitum Philippi Mariæ Mediolanenſis Ducis è Vicecomitum familiâ poſtremi, juribus Blancæ Mariæ ejuſdem Philippi Mariæ filiæ, quam ſibi conjugio copulaverat, fultus, Urbem hanc, atque ditionem veluti ſibi debitam regendam ſuſcepit. Agnoverat Franciſcus Angeli Simonettæ Gentile patre geniti probitatem, atque ingenium, tunc cùm plura in Calabria Oppida, quæ in dotem data fuerant Polixenæ Ruffæ uxori ſuæ primæ, in ſuam redegit poteſtatem; ideoque jam ab anno MCCCCXXVI. illum in nobile famulitium ſuum adſciverat, quemadmodum paulò poſt in Aulam recepit, ac muneribus, & dignitatibus decoravit Andream, Cicchum, & Joannem, ex Antonio ejuſdem Angeli Fratre Nepotes, ab ipſo Franciſco Duce anno prædicto MCCCCL. die XV. Maji Mediolanenſi Civilitate donatos, de quibus alibi agemus. Angelus autem præfatus, qui aliquando etiam de Policaſtro dicitur, Ducalis primùm à Secretis, & ad Venetos pro Franciſco Sfortia Legatus, tum Præfectus Arcis Cremonæ, in Conſilium adſcitus, necnon Senatoria dignitate ornatus emicuit, atque de mandato ejuſdem Franciſci Sfortiæ anno MCCCCXLIX. in loco Rivoltellæ firmavit pacem cum eiſdem Venetis, interve-

Digitized by Google

veniente cum plena auctoritate Paſquale Malipiero Sancti Marci Procuratore, quemadmodum legitur in Regeſto ſignato FF. qui extat in Archivo Caſtri Portæ Jovis hujus Urbis. Hic etiam apud Galeacium Mariam, qui Franciſco Patri ſucceſſit, ſummâ fuit in æſtimatione; cùm enim anno MCCCCLXIX. filius ei ortus eſſet, Angelus noſter die XXI. Julii ſelectus eſt à Principe, ut ad regenerationis lavacrum infantem ſuſtineret, ac proprio nomine ſuſciperet; ut ex antiquis Scriptorum fontibus hauſit Comes Octavius Archintus in Collectione ſua Monumentorum Familiarum Mediolanenſium, ubi etiam memoratur Angeli ad Ferdinandum Neapolitanum Regem, cum Nicolao Arcimboldo Legatio. Obiit anno Salutis MCCCCLXXII. die XX. Aprilis, conditusque jacet in Templo S. Mariæ de Monte Carmelo hujus Urbis, marmoreæ affabrè inſculptæ arcæ incluſus, Inſigniis Simonettarum, atque Scaligerorum, ex quorum nobiliſſima Gente Franciſcam ſibi in uxorem duxerat, ornatæ, quæ etiam bina Stemmata in fornicibus ejuſdem Templi conſpiciuntur. Inſcriptio autem his verbis concepta eſt:

ANGELVS HIC SITVS EST INTER CLARISSIMVS OMNES
SIMONETTA VIROS MERITIS ET LAVDIBVS VNVS
QVI OBIIT DIE XX. APRILIS MCCCCLXXII.

Inſignia ſupramemorata, quibus imminet Stemma Franciſci Sfortiæ Ducis Mediolanenſis, viſuntur etiam ſupra majorem Januam ædium, quas extruxit, & incoluit præfatus Angelus, in Porta Comenſi intra fines Parochialis Eccleſiæ Sancti Marcellini hujus Urbis. Quamvis tamen ad Inſubriam Simonettæ migraverint, familiæ tamen pars è Calabria Neapolim ſe contulit, qua in Urbe, noſtrâ etiam tempeſtate, ſupereſt nobilitate clariſſima Gens, ſub nomine Marchionum Sancti Criſperi, eiſdemque cum noſtra adhuc inſigniis gentilitiis utitur. Ut autem à primo incipiamus, qui elementario ordine occurrit, memorabimus Alexandrum Simonettam, anno MDC. Mediolani natum, quem ætate ſua viventem ſeptuagenarium laudavit Picinellus. Societatem Jeſu amplexus eloquentiæ præcepta, ac Philoſophiam Parmæ, & Ravennæ Auditoribus tradidit. Annos quatuor Bononiæ Theologicas Quæſtiones è Cathedra enucleavit, ubi etiam ſtudiorum Præfecturam obtinuit; ſed adverſæ valetudinis causâ eo ſe munere abdicare coactus eſt. Triennio poſtmodum è ſacris roſtris Verbum Dei populis explicavit, quod etiam Apoſtolicum Miniſterium infirmitatum ergò, licet invitus, depoſuit. Ne verò otioſus eſſet, Sacræ Scripturæ volumina ſtudioſis Alumnis ſtrenuè ac diligenter interpretatus eſt, atque annos XX. in tam præclaro inſumſit labore. Interim illuſtriora aliquot munia à Societatis ſuæ Moderatoribus oblata modeſtiſſimè recuſavit, totus ſtudiis, totus religioſis virtutibus intentus; Tandem meritis plenus obiit in eadem Urbe Bononienſi die VI. menſis Octobris, anno MDCLXXI.

Litterarii ipſius labores hi ſunt:

I. Plura Volumina Philoſophicarum, ac Theologicarum Quæſtionum.

II. Commentaria in Sacram Scripturam.
Hæc duo MSS. ſe apud Auctorem vidiſſe aſſerit Picinellus, addens Simonettam noſtrum pro innata modeſtia nunquam permiſſurum, ut in lucem ederentur.

III. Rhetoricorum Synopſis Auctore P. Alexandro Simonetta Soc. Jeſu, in ſecundum M. T. Cic. lib. de Oratore, Commentationes, univerſæ Rhetoricæ cognitioni conducentes. MS. in fol. Extat Florentiæ in Biblioth. Riccardina, ut me perhumaniter monuit doctiſſimus & amiciſſimus Jo. Lamius alibi memoratus.

IV. Nido della Fenice. *Bologna, per il Ferroni*, 1665. *in* 8.
Hoc Opus in quinque partes diſtributum dicavit Auctor Chriſtinæ Suecorum Reginæ, cum Bononiâ primùm tranſiret, Romam pergens, ſedente Alexandro VII., in eoque cœleſtibus flammis incenſus Chriſtianus moriens, Cœlo renaſcitur.
Laudatur Alexander à jam cit. Picinello in Athenæo pag. 16. & à Suis. De Angelo autem cum laude meminere Franciſcus Philelphus in Orationibus pag. 54. & in Epiſtolis pagg. 116., & 213. Corius ſub annis MCCCCXLVI. MCCCCXLVIII., & MCCCCL. Boninus Mombritius in Nuptiis Triſtani Vicecomitis, MS. in Ambroſ. Sitonus in Monum. Senatus Mediol. pag. 7. ſub num. 74. & in Chron. J.PP. art. 98. atque in Monum. Vicecomitum pagg. 35. & 36.

## MDXC.

## SIMONETTA BARTHOLOMÆUS.

Ex Joanne Simonetta Viro nobiliſſimo, atque doctiſſimo, cujus alibi laudes recitabimus, atque Catharina Barbavaria conjugibus in hac Metropoli ortus eſt Bartholomæus, qui inter plurimos Fratres habuit Alexandrum Ducalem Collateralem, & Caroli V. Imperatoris munificentiâ Comitem Palatinum, Bernardinum in publico Gymnaſio Bononienſi Juris Pontificii Interpretem, uti etiam Jacobum S. R. E. Cardinalem infra commendandum, atque claruit ab anno MCCCCXCIV. uſque ad MDXXI. ut nos monuit amiciſſimus Sitonus. Amœniora Bartholomæus ſecutus eſt ſtudia, adeoque Latino Carmine excelluit, ut Andreas Alciatus, inter alias ingenii dotes immortales Poëta clariſſimus, non tantùm plura ad eum Epigrammata ſcripſerit, verùm etiam ipſius Carmina ſuis inſeruerit, ut inter opera paulò poſt memorabimus. Viros ætate ſua litterarum commendatione ſpectabiles adamavit, iiſdem viciſſim chariſſimus, inter quos prætereundus non eſt Nicolaus Pacedianus, qui de Bartholomæi noſtri Viri, ut ejus verbis loquamur, undequaque doctiſſimi amicitiâ gloriatur in lib. I. Recordationum ſuarum MS. in Ambroſiana Bibliotheca, ut in ejuſdem Articulo jam diximus. Haud equidem dubium eſt plures Simonettæ noſtri verſus periiſſe, eos præſertim quos ad Alciatum dedit, neque tamen laude ſua fraudandum duximus; ex his enim, quæ ſuperſunt, ſatis elucet, quam excelluerit poëtica eruditione. Mortis ejus annus nos latet; ſepultus tamen fuiſſe videtur apud majores ſuos in Templo S. Mariæ Gratiarum hujus Metropolis, ubi Prædicatorum Ordinis Alumni Ducalis illius Cœnobii incolæ, ut ſupremis ejus Tabulis ſatisfaciant, quotannis ſolemniter ad Aram litant in Bartholomæi ſuffragium, quemadmodum & idem peragunt in levamen animæ Catharinæ Barbavariæ ejuſdem matris.

Carmina illius ſunt:

I. Octoſticon in commendationem Bernardini Corii editum ab Alexandro Minutiano anno MDIV. ad calcem Hiſtoriæ Mediolanenſis ejuſdem Corii.

II. Decaſticon in laudem libri Equitis Antonii Filaremi Fregoſii, cui titulus: *La Cerva Bianca*.

III. Exaſticon extat in libro V. Epigrammaton Andreæ Alciati. MS. in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum, de quo in Alciato ipſo jam diximus. In eo etiam Codice leguntur aliquot Carmina Alciati ejuſdem ad Bartholomæum noſtrum.
Agit de eo Sitonus in Schedis.

MDXCI.

Digitized by Google

## MDXCI.

## SIMONETTA FRANCISCUS.

SCipio Senator, de quo mox dicemus, è nobili
Simonetta progenie, atque Margarita Brippia
conjugés, Franciſcum Mediolani genuerunt, præter
alios plurimos liberos, inter quos eluxere Hierony-
mus Eques S. Jacobi, Octavius, & Pius Juriſcon-
ſulti. Franciſcus autem Ludovici Patrui ſui, quem
Sacrâ Romanâ Purpurâ, & Tridentini Concilii Præ-
fecturâ toti Chriſtiano Orbi notiſſimum loco ſuo com-
mendabimus, exemplo ductus Clericalem amplexus
eſt militiam, ad quam ut optimè ſe formaret, li-
beralibus ſtudiis minoribus exactis, utriuſque Juris
ſanctiores aditus ingredi ſtatuit, quod quidem animi
votum tantâ diligentiâ, tanto ſtudio, tantâ alacri-
tate perfecit, ut Doctoris brevî adeptus fuerit no-
men, & Inſignia, mox etiam cæteris Juriſperitis in
patrio Collegio cooptari meruerit anno à Deo Ho-
mine MDLXXX. A Gregorio XIII. Pontifice Maxi-
mo cognita Franciſci virtus, atque doctrina fuit;
quocirca eum utriuſque Signaturæ Referendarium
conſtituit. Cùm verò anno MDXCI. Alphonſus Vi
cecomes Inſulatus Præpoſitus Baſilicæ Scalenſis ad
Cervienſis Eccleſiæ Epiſcopatum fuiſſet aſſumptus,
ea dignitas Simonettæ noſtro obtigit, qua potitus eſt
ad annum uſque MDCVI. quo die XVII. Julii à Pau-
lo V. Pontifice Fulginatenſis Urbis Antiſtes electus
fuit. Sacræ Unctionis munus percepit Franciſcus die
XXIII. menſis Julii ejuſdem anni in Urbe Roma à
Hieronymo Bernerio Epiſcopo Albanenſi S. R. E.
Cardinali Aſculano, commiſſæque ſibi Eccleſiæ poſ-
ſeſſionem iniit per Joannem Franciſcum Bonavoglia
Cathedralis ejuſdem Priorem, cui vices ſuas hac in
re commiſerat, Prid. Kal. Auguſti ipſius anni. Obti-
nuerat jam Scriptor noſter Commendationem Mona-
ſterii S. Barnabæ de Grataſolio extra Ticinenſem
hujus Metropolis Portam, IV. circiter lapide, eam
reſignante Alexandro altero Patruo ad Aulam Nea-
politanam S. Sedis Nuncio, cujus rei publicæ extant
Tabulæ datæ V. Id. Aprilis, anno MDCV. Paulus
verò Pontifex vix inauguratum Epiſcopum ob gra-
viſſima Chriſtianæ Reipublicæ negotia ad Sigiſmun-
dum III. Poloniæ Regem, Apoſtolicæ Sedis Nuncium
pergere juſſit, quo factum eſt, ut Fulginatenſem
Gregem, cui præerat, vix in tranſitu ſalutaverit. At-
tamen licet abſens, & tantâ legatione diſtentus, ſibi
traditæ Paſtoralis ſollicitudinis non oblitus, Severi-
no Elmio, qui poſtmodum utriuſque Signaturæ Re-
ferendarii munus obtinuit, atque poſt eum Joſepho
Untio, ipſius Cathedralis Canonico, curam Eccle-
ſiæ tradidit. Cùm igitur in Poloniam pergeret, Pon-
tifex ad Sigiſmundum Regem in ejus commendatio-
nem graviſſimas dedit litteras, è quibus nonnulla
juvat exſcribere ad tanti Viri perennem gloriam;
nam inter cætera hæc leguntur: „ Quæ res in cauſa
„ fuit, ut in deligendo ejus Succeſſore (ſcilicet Epi-
ſcopi Regienſis, quem Paulus à Polonica legatione
revocaverat) „ diutiùs immoraremur, cupiebamus
„ namque talem ei ſufficere, qui æquè, ac ille Ma
„ jeſtati tuæ gratus futurus eſſet, & negotia hujus
„ Sanctæ Sedis, ac noſtra pro dignitate apud ſe au-
„ gere poſſet. Hoc certè aſſecutos etiam facilè no-
„ bis perſuademus in electione Venerabilis fratris
„ Franciſci Epiſcopi Fulginatenſis, quem modò mit-
„ timus ad te noſtrum, & hujus Sanctæ Sedis Nun-
„ cium Apoſtolicum, à quo litteras has indices præ-
„ cipuè amoris, quo Majeſtatem tuam in Domino
„ proſequimur, accipies. Multa quidem ei inſunt,
„ quæ juremeritò nos in hanc ſententiam inducere
„ potuerunt. Inſignis pietas, atque religio, integri-
„ tate vitæ, ac doctrinæ probata prudentia, uſu re-
„ rum, diuturnâ in Urbe commoratione acquiſita,
„ dexteritas, humanitas, fides in negotiis pertra-
„ ctandis digna homine nobili, atque religioſo, quæ
„ ornamenta cùm ipſius naturæ bonitate, tum præ-
„ ſtanti diſciplinâ integerrimi Viri laudatæ memoriæ
„ Cardinalis Simonettæ ejus patrui aſſecutus eſt.
„ Itaque eum valdè diligimus, ſicuti re ipſa decla-
„ ravimus, nam ſuperioribus diebus illum Eccleſiæ
„ Fulginatenſi præfecimus, & inter Prælatos noſtros
„ domeſticos, & familiares cooptavimus; „ & paulò
poſt: „ Quod cùm à nobis habeat præcipuè in man-
„ datis faciet ſanè, per quàm diligenter, propenſio-
„ ne quadam naturali. Eſt enim è primaria Medio-
„ lanenſium nobilitate ortus, & conſanguinitatis ne-
„ ceſſitudine conjunctus Sfortianis Ducibus progeni-
„ toribus Bonæ Reginæ Poloniæ Illuſtris, & propter-
„ ea Majeſtati tuæ, ac rebus Regni Poloniæ valde
„ addictus. „ Quàm gratus extiterit Simonetta no-
ſter Regi ſimul, atque Pontifici, ſatis ſuperque de-
monſtrant utriuſque ad eum Epiſtolæ inferiùs recen-
ſendæ; graviſſimaque gerenda negotia ab eodem
Pontifice ipſi demandata; nam præter Roſam auream
ejus manu Conſtantiæ Reginæ traditam ipſo anno
MDCVI. arduam ſanè provinciam Pauli V. juſſu
exantlavit. Diſceptabatur anno MDCVII. inter Re-
gem, & Monachos Turiecenſes, Ordinis Sancti Be-
nedicti, Cracovienſis Diœceſis, ſuper jure eligendi
Abbatem Monaſterii, cùmque ad contentioſum Fo-
rum res deducta fuiſſet, eamque controverſiam idem
Paulus V. ad ſe evocaſſet, nullus aptior viſus eſt
Pontifici, qui rem cognoſceret, Franciſco, ad quem
idcirco ſcripſit Epiſtolam, de qua infra ſermo recur-
ret. Quàm benè, atque prudenter Judicis partes
obierit, oſtendit apertè Regis in eum ſumma bene-
volentia, qua vivum defunctumque eſt proſecutus.
In ejus etiam commendationem hæc ſcripſit ad præ-
laudatum Pontificem Paulum V. Palatinus Cracovien-
ſis: „ Quare fretus, & adnixus amore, & benevo-
„ lentiâ Sanctitatis Veſtræ, non ambientem, nec qui-
„ dem cogitantem Illuſtriſſimum Dominum Epiſco-
„ pum Fulginatenſem in Regno Poloniæ Nuntium
„ Sanctitati Veſtræ commendo. „ Et poſt nonnulla:
„ Merentur id præclaræ virtutes ejus, & zelus pro
„ domo, & gloriâ Dei, quem in hoc ampliſſimo
„ Regno cum ſumma laude, & omnium Catholico-
„ rum incredibili voluptate in hac præfecturâ à San-
„ ctitate Veſtra ſibi demandatâ intrepidè tuetur, ea-
„ que omnia præſtat, quæ à laudatiſſimo Viro expe-
„ ctari meritò vel poſſunt, vel debent. Manebit apud
„ bonos Viros, & Majeſtatis Pontificiæ in hoc Re-
„ gno obſervantiſſimos tanti beneficii Sanctitatis Ve-
„ ſtræ memoria ſempiterna „ quibus ex verbis patet,
quantos in Legatione ſua labores ſuſtulerit. Neque
verò illud omninò prætermittendum videtur apud
alios quoque Principes famam ſibi, amoremque
ſummum comparaſſe Simonettam, quos inter memo-
randus occurrit Matthias II. Hungariæ, & Bohemiæ
Rex, poſtmodum Romanorum Imperator Auguſtus;
mittens enim ad prælaudatum Poloniæ Regem Lega-
tos ſuos Georgium Epiſcopum Lindenſem Suffraga-
neum Wratislavienſem, atque Joannem Lochticskii,
eiſdem in mandatis dedit, ut graviſſima quæque Chri-
ſtianæ Reipublicæ negotia cum Franciſco priùs com-
municarent, ejuſque potiſſimùm conſiliis uterentur,
prout etiam humaniſſimis litteris ipſum rogavit, ut
faceret, eaſque infrà referemus. Magno tandem cum
Regis mœrore migravit è vita die XIX. Januarii,
anno Æræ Chriſtianæ MDCXII. in Urbe Varſavia,
ibique conditus jacet.

Scripſit quæ ſequuntur:

I. Litteræ Paſtorales ſacrâ eruditione refertæ ad Clerum, & Populum Fulginatenſem, datæ ipſa die Conſecrationis ſuæ, & Romæ impreſſæ.

II. Epiſtola Latina ad Sigiſmundum III. Poloniæ Regem, data Vilnæ die XXVIII. Novembris anno MDCIX.

Ei mittit Jubilæum à Pontifice conceſſum pro felici eventu belli per Regem ipſum ſuſcepti adversùs Tartaros, & Moſcos, quos ex Smolenſci Arce tandem feliciter depulit. Paucas quidem implet paginas, ſed tantâ redundat ex Scripturæ Sacræ libris petitâ doctrinâ, ut ingentibus forſan Voluminibus ſit meritò præferenda. Extat MS. apud Comitem Antonium Simonettam, ex ejuſdem Auctoris progenie.

III. Alia Conſolatoria ad præfatum Sigiſmundum Regem de Incendio Vilnenſi, cujus Rex ipſe meminit in Epiſtola latina data die XXV. Julii anno MDCX. ad Franciſcum noſtrum, quæ cum aliis mox indicandis extat autographa apud ipſum Comitem Simonettam.

IV. Aliæ VII. Italicæ ad Pium Fratrem ſuum Juriſconſultum, datæ partim Cracoviæ, partim Varſaviæ, à die II. menſis Junii, anno MDCVII. uſque ad diem XXV. Maji, anni ſequentis. Agit in eis de Rebus Polonicis, præcipuè verò de expeditione Sigiſmundi Regis jam laudati contra Rebelles ſuſceptâ. Extant apud eundem autographæ.

V. Aliæ IV. Italicæ ad Cardinalem Federicum Borromæum, inter quas una data Cracoviæ die XXVI. Novembris, anno MDCVII. cum qua mittit eidem Proceſſum, & Catalogum Miraculorum in Regno Poloniæ à Deo Opt. Max. patratorum interceſſionibus B. Caroli Borromæi. Servantur omnes in ſæpe laudata Collectione Bibliothecæ Ambroſianæ.

Aliæ tres Latinæ præfati Regis Sigiſmundi ad Franciſcum noſtrum miſſæ ex Caſtris ad Smolenſcum, prima quidem diei XIX. Novembris MDCIX. qua eum certiorem facit, & ſibi gratulatur de propenſione Pontificis circa res Tranſylvanicas ad ſe pertinentes. Secunda diei XXXI. Decembris anno MDCX. in qua, auditâ Sancti Caroli Borromæi Canonizatione, petit ab eo, ut Officium proprium ipſius Sancti Antiſtitis ad Poloniæ Regnum curet extendi. Ex hac Epiſtola pauca libet decerpere ad ejuſdem S. Cardinalis decus:
„ Illud porrò à Paternitate veſtra diligenter poſtula-
„ mus, ut cum intellexerimus, virum ſanctitate vitæ
„ in Mundo celebrem Carolum Borromæum S. R. E.
„ Cardinalem, jam antea ab ipſo ſtatim deceſſu æter-
„ nâ beatitudine fruentem, nuper à Sancta Sede Apo-
„ ſtolica, Sanctiſſimoque Domino in Divorum nume-
„ rum relatum eſſe, venerandi ejus Divi præſcriptum
„ Officium nobis quàm primùm mittat, quo nos quo-
„ que diem ipſi ab Eccleſia ſacrum edocti, Sanctum
„ hunc debita religione, ac pietate cantemus, iſque
„ etiam ſingularis inter cæteros accedat Patronos, cu-
„ jus tutelæ nos ipſos, Regna, ditioneſque noſtras, &
„ ſuſceptos pro Republica Chriſtiana, proque noſtro
„ Poloniæ Regno labores identidem committemus. „
Poſtrema verò diei XIV. Maji anno MDCXI. ſcripta, qua ipſi gratias habet, quod apud Cardinalem Burgheſium egerit pro Officio S. Caroli impetrando. Extant hæ quoque autographæ apud eundem Comitem Simonettam.

Item prælaudati Regis aliæ tres ſimiliter latinæ, & autographæ datæ Varſaviæ die XIX. Januarii, anno MDCXII. ad Pontificem Max. quibus ei nunciat non ſine mœroris ſignificatione Scriptoris noſtri obitum. Atque duæ aliæ ad Illuſtres Hieronymum Patruum, & Pium Nepotem Comites de Simonettis Conſolatoriæ de eodem argumento, datæ ibidem die XVI. Aprilis ejuſdem anni, ſervantur ut ſupra.

Epiſtola, ſeu Breve Apoſtolicum Pauli V. dat. Romæ die XVI. Maji, anno MDCVII. ad eundem Franciſcum, qua committit ipſi Judicium ſuper electione præfati Abbatis Turiecenſis, autograph. apud Comitem Simonettam prælaudatum. Ejuſdem quoque Pontificis aliæ, nimirum una data Romæ VI. Kal. Octob. anno MDCVI. ad Conſtantiam Poloniæ Reginam, cui per Franciſcum noſtrum auream mittit roſam. Altera de ipſa re ad Sigiſmundum Regem. Duæ item aliæ in ipſius commendationem, dum in Poloniam pergeret, datæ ibid. XVI. Kal. Octobris ad Guillielmum Bavariæ Ducem, & ad Ferdinandum Coadjutorem Colonienſem, qui tunc in Bavaria morabatur. Servantur MS. apud eundem.

Plurium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Epiſtolæ ad Auctorem noſtrum; nempè Lanfranchi, Burgheſii, Madrucii, de Comitibus, Farneſii, Federici Borromæi, & tandem S. Caroli omnes Autographæ ſunt apud ſæpe memoratum Comitem Simonettam.

Matthiæ II. tunc Hungariæ & Bohemiæ Regis Epiſtola, data VVratiſlaviæ Sileſiorum, die XXV. menſis Octobris, anno MDCXI., qua Franciſco noſtro Legatos ſuos commendat, ut jam diximus. Extat ibid. Autographa.

Altera latina Felicis Kriſlii Regni Poloniæ Vicecancellarii, data ex Caſtris ad Smolenſcum die II. menſis Auguſti, anno MDCX. ad Franciſcum noſtrum, in qua eidem narrat progreſſus felices armorum Regis Sigiſmundi. Autograph. apud eundem.

Epiſtola Palatini Cracovienſis in illius Commendationem ad Paulum V., ex qua nonnulla ſuperiùs dedimus. Extat apud eundem Apographa.

Agunt de ipſo Ughellus in Epiſc. Fulginatenſibus Tom. I. Ital. Sacræ, & J. C. Sitonus in Chron. Juriſperit. pag. 162. art. 651. atque in Indice Præpoſitorum Scalenſium MS. apud ipſum Auctorem.

## MDXCII.

## SIMONETTA JACOBUS.

Jacobus Simonetta, Joanne celeberrimo Hiſtorico, atque Ducalium Arcanorum Magiſtro, quem ſuo loco laudabimus, & Catharinâ Barbavariâ (non autem Cæſarina, ut perperam ſcripſit Ughellus Tom. I Ital. Sacræ in Peruſinis Epiſ.) incomparabilis prudentiæ Marronâ Conjugibus Mediolani genitus, vel ab infantia mirum præbuit futuræ doctrinæ indicium. Nam litteris ſummâ aviditate perceptis, ſtudiiſque minoribus ritè peractis, Patavium contendit, ut Juris Utriuſque Sanctiones ediſceret. Sub optimis ergo Præceptoribus Alexandro Tartagna, Bartholomæo Cepola, Jaſone, Oriano, atque Bartholomæo Socino tam Cæſareum, quàm Pontificium Jus in ſuam convertit eruditionem. Lauream tamen in ea Academia non ſuſcepiſſe aſſerit Nicolaus Comnenus Papadopolus loco infra citando, ſed, ut Scriptor ipſe ſuſpicatur, hoc honore in Ticinenſi Lycæo meruit inſigniri. Hinc circa annum humanæ Salutis MCDXCVIII. & nobilitate generis, & litterarum præſtantiâ, locum obtinuit inter Collegiatos hujus Metropolis Juriſconſultos. Romam deinde profectus, & inter Clericos relatus, Apoſtolicam Curiam dicendi copiâ, atque ſapientiæ profunditate in ſui traxit admirationem. Præcipuè verò eluxit Jacobi noſtri doctrina tunc, cùm Opus numero I. inferiùs memorandum edidit, quo ſibi adeò Julium II Pontificem Maximum demeruit, ut eum motu proprio inter Advocatos Sacri Conſiſtorii, anno MDV. recenſendum edixerit, paulòque poſt Sacræ Rotæ Auditorem renunciaverit. Venerabile illud toti terrarum Orbi Tribunal virtute, integritate, atque ſapientia ſua clarius effecit; quapropter à Leone X. Sapientiſſimo Pontifice ad ſedandas Florentinorum, & Senenſium pro Montiſpolitiani poſſeſſione diſcordias miſſus eſt, qua in re prudentiam ſuam ſingularem, atque eximiam oſtendit, compoſitis enim controverſiis, rem pro voto confecit. Clementi Papæ VII. inter primos acceptus, anno MDXXVIII. defuncto Paride de Craſſis Epiſcopo Piſaurienſi, ejuſdem Eccleſiæ Infulâ donatur. Cùm Henrici VIII. Anglorum Regis, ob Uxoris Catharinæ repudium, cauſa agitaretur, adſtante Cardinalium Collegio Reſponſum ſuum tam eruditum, tam ſolidum, tamque præclarum legit, ut Pontifex hoc præſertim inductus fuerit ad intorquenda in Regem Apoſtolica fulmina, cùm repudium ipſum iniquum, & deteſtabile perſpicuè Simonetta comprobaſſet. Paulus autem III. tanti Viri ſapientiam Sacro Cardinalium Cœtui ornamento futuram meritò arbitratus, anno MDXXXV. eorum numero Simonettam adjunxit, dato titulo Presbyterali Sancti Cyriaci in Thermis, quem poſtmodum cum altero Sancti Apollinaris commutavit, tranſtulitque eodem anno ad Eccleſiam Peruſinam. In graviſſimis Eccleſiæ negotiis eo tanquam nomenclatore uti conſueverat Pontifex, qui Jacobum ditibus Sacerdotiis inſignivit, atque licèt abſenti Laudenſem in Inſubria, Sutrinam ac Nepeſinam in Etruria, atque Compſanam apud Hirpinos Eccleſias ipſi adminiſtrandas tradidit, & Signaturæ Gratiæ Præfecturâ decoravit. Anno MDXXXIX. Legatus à latere cum Bonifacio Ferrerio, atque Hieronymo Aleandro Vicentiam miſſus eſt pro ineundis Œcumenicæ Synodi auſpiciis; cùm autem nihil proficeret, in Urbem rediit, mox reſignatis Franciſco Bernardino Nepoti Peruſinis Infulis, reliquum vitæ univerſæ Eccleſiæ utilitati impendit. Quin etiam Patriæ ſuæ ductus

Digitized by Google

ctus amore ſatis pingue Sacerdotium, reſervato Familiæ ſuæ Jurepatronatus, in Eccleſia S. Bartholomæi hujus Mediolanenſis Urbis conſtituit, extructo Sacello Viſitationis Deiparæ, atque ejuſdem Sancti Apoſtoli nomini ſacro, ubi adhuc extat ſequens Inſcriptio:

DEIPARAE VISITATIONI
DIVOQVE BARTHOLOMAEO
SACELLVM HOC
IACOBVS CARD. SIMONETTA POSVIT
FVNDOS DONO DEDIT
GENTILITIVM SACERDOTIVM
SIMONETTARVM ESSE VOLVIT
ANNO SAL. HVMANAE MDXXXVII.

Sancti Franciſci de Paula Confeſſoris ſub Leone X. Canonizationem promovit, extatque illius ad Pontificem ipſum Relatio, cujus infra mentio fiet. Eruditiſſimo Cardinali Sadoleto ſumma fuit amicitiæ neceſſitudine conjunctus, & tanti Viri judicio appellatus eſt: „ Ad eloquentiam unicè factus, omnibus „ diſciplinis cultiſſimus, ſacrique Senatus lumen, ac „ decus. „ Deceſſit Romæ Kal. Novembris, anno MDXXXIX., atque conquieſcit, nullo appoſito Elogio, in Eccleſia Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio, in qua Chriſto Redemptori flagellis cæſo Aram, atque Sacellum poſuerat, & ornaverat anno MDXXIV. ibique Anniverſaria quatuor per annos quinquaginta ſibi peragenda decreverat.

Scripſit, quæ ſequuntur Opera:

I. Tractatus Reſervationum Beneficiorum Rev P. D. Jacobi Simonettæ Mediolanenſis Patricii, atque Sacri Palatii Apoſtolici jam pridem Cauſarum Auditoris præſtantiſſimi, ſtudio & labore Pauli Granutii U. J. C. oriundi Lucen. Apoſtolici Protonotarii diligenter expurgatus, appendiculis, noviſque quæſtionibus auctus, & Summariorum, dupliciſque Indicis dote locuples redditus, nunc primùm ad illorum utilitatem, qui in Foro Eccleſiaſtico verſantur, ubi de Regulis Cancell reſervatoriis, & Ordinariorum alternativis perſæpè diſceptare conſueverunt, luci donatus *Coloniæ Agrippinæ, apud Joannem Gymnicum ſub Monocerote*, 1583. *in* 8. Item *Romæ*, 1588. *in* 8. Prodiit etiam *Venetiis, apud Scottum*, 1607. *in fol.* unà cum Tractatu Pauli Cittadini de Jure patronatus.

II. Reſponſum in Cauſa Henrici VIII. Anglorum Regis, nunquam editum, cujus particulam ſatìs amplam in MSS. Andreæ Eudæmonjoannis ſe legiſſe aſſerit Papadopolus loco citando.

III. Deciſiones Sacræ Rotæ Romanæ. Inter Deciſiones Piſaurienſes, & aliæ plures MSS. in Archivo ejuſdem Rotæ. Ex Cantalmajo in Syllabo Auditorum.

IV. Relatio facta coram Summo Pontifice Leone X. ſuper Vita, & Miraculis Sancti Franciſci de Paula Ordinis Minimorum Inſtitutoris, ad effectum Canonizationis ejuſdem., *Romæ, anno Jubilæi* 1625. *apud Guilelmum Facciottum*, tum *ibidem* 1707. *typis Bernabò, in* 4. ad calcem partis primæ Vitæ ejuſdem Sancti Franciſci ab Anonymo Ordinis Minimorum ſcriptæ. Habetur quoque in Ambroſiana Biblioth. Cod. in fol. ſign. I. num. 63. MS. hoc titulo: „ Opu„ ſculum ſuper indagationem Proceſſus, Vitæ, & „ Famæ, ac Miraculorum B. Franciſci de Paula.

V. Conſilia VI. inſerta ſunt inter Conſilia pro Duce Mantuæ ſuper ſtatu Montisferrati. *Mantuæ*, 1601. *in fol.*

VI. Epiſtolæ, quarum Ciacconius, aliique meminerunt.

VII. In Volumine Epiſtolarum Miſcellanearum ad Fridericum Nauſeam Epiſcopum Viennenſem, impreſs. *Baſileæ*, 1550. *in fol.* extant Scriptoris noſtri Epiſtolæ IV. Prima ad ipſum Nauſeam, in qua pluribus extollit laudibus Eraſmum recens defunctum, quem Fridericus idem Monodiâ ad eum miſſa defleverat. Data eſt Romæ XIV. Kal. Decemb. anno MDXXXVI. Secunda ad eundem, in qua agit de Tridentino Concilio, & Paulum III. Pontificem id maximè cupere, ut Sacra Synodus perficiatur. Data ibid. die Jejuniorum VIII. anno MDXXXVII. Tertia ad Joannem Epiſcopum Viennenſem, qua nunciat admiſſam eſſe à Romano Pontifice coadjutoriam illius Eccleſiæ favore Friderici Nauſeæ. Data Romæ die XX. Martii MDXXXIX. Poſtrema demum de eodem negotio ad eundem data ibid. die XXV. Aprilis ipſo anno. Hæ fortè inter illas ſunt computandæ, de quibus Ciacconius aliique meminere, ut numero ſuperiore diximus.

Habentur ad eum Epiſtolæ III. doctiſſimi Cardinalis Sadoleti, inter ejus Latinas editas, quarum prima data eſt Carpentoracti XVI. Kal. Junii MDXXIX. altera ibid. VI. Kal. Novemb. MDXXXVIII. poſtrema verò ibid. V. Kal. Octobris MDXXXIX.

Laudatur etiam in Poëmate Raphaëlis Toſcani, cui titulus: „ L'Origine di Milano „ in quo inter octo inſigniores hujus Metropolis Cardinales dignis encomiis Jacobus noſter celebratur.

De ipſo meminere, præter citatos, Ciacconius de Vitis Pontif. & Card. Tomo III. col. 570. edit. Rom. Eggs in Purpura Docta Tomo IV. pag. 493. Ughellus pluries in Ital. Sacra. Papadopolus in Hiſt. Gymnaſii Patavini Tomo II. pag. 44. Cartharius in Syllabo Advocat. Sacri Conſiſtor. pag. 90. Guicciardinus in Hiſt. Ital. edit. Venetæ pag. 422. Fleuri hiſtoire Eccleſ. Tomo XXVII. pag. 405., & Tomo XXVIII. pagg. 34. & 277. Pallavicinus in Hiſt. Concilii Trident. part. I. pag. 316. Cantalmajus in Syllabo Auditorum Sacræ Rotæ. Ghilinus in Theat. Litterat. part. II. pag. 112. Moriggia de Nobilit. Mediol. lib. II. cap. II. Petrus Paulus Boſca de Orig. & ſtatu Biblioth. Ambroſ. lib. III. pag. 99. Matthæus Valerius in Collect. Inſcript. MS. Sitonus in Chron. art. 336. pag. 78. & Picinellus in Athenæo pag. 248.

## MDXCIII.

## SIMONETTA JACOBUS PHILIPPUS.

ANdreas Simonetta Vir nobiliſſimus Antonii filius plures genuit liberos, inter quos doctrina commendantur Bonifacius Monachus Ciſtercienſis, & Abbas celeberrimus, quem utpote in Apulia, antequam Pater Mediolanum lares transferret, in lucem editum inter eos laudabimus Eruditos, qui alibi nati in hac Metropoli floruerunt, & Jacobus Philippus in hac eadem Urbe genitus natu minor, ut eruitur ex Epiſtola I. lib. VI. de Perſecutionibus Chriſtianorum citati Bonifacii. Hic minoribus ſtudiis excultus fuit ſub diſciplina Joannis Biffi, qui in Carmine ad eum dato, inferiùs recenſendo, pergratum Alumnum ſuum ipſum nuncupavit. Poëſi Latina quantum valuerit ſatis ſuperque declarant Opera illius tam edita, quàm manuſcripta, quæ paulò poſt laudabimus. Utrumque Jus, Cæſareum videlicet, ac Pontificium tam egregiè didicit, ut Stephanus Dulcinus Cremonenſis, Baſilicæ Scalenſis hujus Urbis Canonicus, in Epiſtola præfixâ Operi de Perſecutionibus Chriſtianorum ſupradicti Bonifacii, Jacobi Philippi noſtri Fratris, ad Joannem Baptiſtam Ferrum datâ; hæc de ipſo ſcripſerit: „ Nec minor eſt Jacobi Philippi fama, „ qui utriuſque Juris nodos ita abſolvit; Legum ob„ ſcuritatem, ac Juriſconſultorum ſenſa tantâ luce „ interpretatur, ut ejus reſponſa pro Pithii Apolli„ nis Oraculis habeantur. Ad hunc, quemadmo„ dum tu probè noſti, ſub quo totiens cauſas dixit, „ reoſque abſolvit, & totius Urbis concurſus in hu„ jus ædium veſtibulo maxima ſemper clientum, ac „ ſalutantium eſt frequentia, amatur, colitur &c. Nec minoribus Frater eum celebravit encomiis. Etenim in citata Epiſtola de Jacobo Philippo ſic Bonifacius ait „ Philippus Jacobus poſt me ſecundus Deu„ calione juſtior: deiſque acceptior: utriuſque juris „ auratus interpres: vates: & orator ſuaviſſimus è „ ſua pietate: clementia: civilitate: ſapientia: ma„ turitate: conſiliis inter inſubres ut pater juriſcon„ ſultorum paſſim decantatur: ad cujus domum: ad „ cujus conſulta præſtantiſſimi clientes: & quas ipſe „ more philoſophorum ſpernit: & aliis elargitur: „ coacervatæ confluunt opes &c. „ Hinc pergit laudans Joannem Antonium inter patres patriæ civem

gra-

graviſſimum, & bonis moribus ornatiſſimum, atque Hiacynthum ſub Ludovico Mediolani Duce Equitum Magiſtrum Fratres ſuos, cui poſtremo Quintianus Stoa Brixienſis Poëta laureatus dicavit Librum ſuum, cui titulus: Orpheus, impreſſum *Mediolani, per Petrum Martyrem Caſſanum Chalcographum, anno* 1510. *die* 15. *Septembris*, ad cujus calcem in laudem Auctoris extant Epigrammata Alphonſi, Andreæ, & Phœdri Simonettarum ejuſdem Hiacynthi filiorum. Sub finem autem tertii libri Operis hujus, poſtquam Orpheus varias plurium ſæculorum miſerias prædixerat, addit:

*nulla dabuntur*
*Vatibus hoſpitia, & doctis ſuprema nocebit*
*Paupertas, donec ſoboles volventibus annis*
*Alta Simonettæ venient, qui Inſubribus oris*
*Cædent monſtra, ferent agreſtia, tempora rumpent*
*Triſtia, & auratum rediment per tempora ſæclum.*

Jacobus autem Philippus noſter Clericali adſcriptus militiæ, & Sacerdotii dignitate inſignitus, Canonicalem Præbendam in Baſilica Modoëtienſi, uti etiam Abbatiam Sancti Caſſiani, & Archipresbyteratum Eccleſiæ S. Laurentii in Villa Comenſis Diœceſis obtinuit; Senatorium etiam munus ſub Ludovico XII. Francorum Rege, & Mediolani Duce cum ſummo plauſu exercuit, & Carolo de Ambaſia Magno Franciæ Magiſtro, & Mareſchallo, Regio citra Montes Locum-tenenti Generali acceptiſſimus fuit, cui etiam Carmina ſua paulò poſt memoranda inſcripſit. Anno MDXIV. à Leone X. Summo Pontifice Apoſtolicus Delegatus renunciari meruit. Ut Britanniam, atque Hiberniam peragraret, Alpes tranſire decreverat, verùm Bonifacius frater ab eo itinere litteris ſuis eum retraxit, quæ habentur in citato Opere de Perſecutionibus lib. V. num. XIII. ipſarumque initium juvat exhibere, quod Jacobi Philippi omnigenam eruditionem prodant à teneris, ut ajunt, unguiculis hauſtam „ Carmina, Facundiam, Leges, Annales, Phi-
„ loſophiam tibi ab ineunte ætate talibus conſueto,
„ ſi ſtimulis indigeres, perſuaderem &c. „ Qua verò pietate præditus eſſet indicant quædam Legata Cœnobio Sanctæ Mariæ Coronatæ hujus Urbis ad Comenſem Portam, circa annum MDXLVI. ab eo relicta. Inter ea numeratur inſignis Collectio Codicum primæ editionis, annorum ſcilicet MCCCCLXX., & MCCCCLXXVIII. auro, & picturis ornatorum cum Familiæ Stemmate, quorum non modica pars adhuc in Bibliotheca ejuſdem Cœnobii ſervatur. Quo vivere deſierit anno ignoramus, ejus tamen adhuc ſupereſt memoria in Atrio domus Archipresbyteralis Modoëtiæ in marmore cum Inſigniis Simonettarum, hiſque verbis:

IACOBO PHILIPPO SIMONETTAE
CANONICO BASILICAE MODOETIAE
DVCALI SENATORI.

Extat etiam in Arce præfati inſignis Oppidi Modoëtiæ litteris Gothicis ſequens Inſcriptio, quæ mentionem facit Andreæ Auctoris noſtris Patris:

HAEC INSIGNIA DVCALIA INTVS ET FORIS
PICTA FVERVNT IVSSV
SPECTABILIS VIRI ANDREAE SIMONETTAE
DE CALABRIA PRIMI DVCALIS CASTELLANI
HVIVS CASTRI ANNO MCCCCLXXI.

Superſunt ingenii Jacobi Philippi noſtri hæc Monumenta:

I. Ad Inclytum, & Illuſtriſſimum D. D. Carolum de Ambaſia Magnum Franciæ Magiſtrum, & Mareſchallum, ac Regium citra Montes Locumtenentem generalem Dominum ſuum obſervandiſſimum Jacob. Philip. Simonettæ J. U. Doctoris de Haſtiludio, Pugna, Comœdia., & Cœna juſſu Excell. Dominationis Suæ feliciter exhibitis Epigrammata, 4. *ſine loco, anno, & Typograpbo*.

II. De ſuſcipiendo in Venetos Bello. Carmen Jacobi Philippi Simonettæ ad Ludovicum XII. MS. in Biblioth. Regia Pariſienſi num. 6508. ex Montfauconio Biblioth. Biblioth. MSS. Tomo II. pag. 764.

III. Epiſtolæ plures eruditiſſimæ ad Abbatem Bonifacium Fratrem ſuum, quæ perierunt, ſed tamen cujus argumenti forent, eruitur ex reſponſionibus ejuſdem Bonifacii, ſcilicet ex Epiſtola III. libri I. de Perſecutionibus Chriſtianorum, & ex X. XI. XII. XIV. XIX. libri V. ejuſdem Operis.

IV. Quædam Legalia ſcripſit: citatur enim à Felino cap. 2. de Judiciis, apud Friſium pag. 694.

V. Epiſtola omnino legenda ob ſtyli elegantiam præfixa Operibus Joannis Ignei Mediolani Senatoris, cum Epigrammate in ejuſdem Ignei laudem ad calcem eorundem Operum Typis Impreſſorum, quibus ſic Igneus reſpondet „ Senator Magnifice, & JCtorum
„ omnium noſtræ ætatis conſummatiſſime, has lucubra-
„ tiones noſtras, quaſi quoddam monumentum amici-
„ tiæ noſtræ, & otii noſtri accipe tua ſolertiſſima do-
„ ctrina, quam omnes & admirantur, & laudant; re-
„ forma pro tua prudentia, qua & Eccleſiæ dignitati,
„ & Senatoriæ, qua fungeris, dies noctesque conſulis,
„ ſcriptis noſtris ſuffragare, cum nec aliquod ſit offi-
„ cium ad publicam, & privatam diſciplinam perti-
„ nens, quod in te maximè non eluceat, auſpiciis tuis
„ libellus eat, legatur & vigeat.

Scripſit ad eum Jo. Biſſius Carmen inter alia impreſſa *Mediol. anno* 1512.

Alia quoque habemus Lancini Curtii ad ipſum Carmina, ſcilicet Odas geminas, quarum prima legitur lib. XVIII. pag. 102. ſecunda libro XIX. pag. 129., & Elegiam lib. XVIII. pag. 110. In prima Ode inſcripta Simonettæ noſtro, & Joanni Franciſco Balſio, qui erat Senator Mediolani anno MDVIII. hæc de iiſdem Lancinus habet:

*Ratus quare optimum ipſe ſum factu*
*Balſe tibi docte, & tibi Simonettæ*
*Mandare tutelam libri mei, nam ambo*
*Et Vatum amatores, poëtæ & ipſi eſtis &c.*

In Manuſcripto Codice Benedicti Jovii, cui titulus „ De „ Patriis Fontibus „ loquitur Auctor de Fonte Monaſterii D. Juliani, cui nomen *Lacuſtra*, atque interim ſic canit de Jacobo Philippo Simonetta noſtro ejuſdem Monaſterii Commendatario, atque de Bonifacio ejus Fratre Stephani à Cornu Abbate, de quo ſuo loco.

*Vaſta fuit domus bæc, raroque babitata colono.*
*Simonetta ſacer reparavit cuncta Pbilippus,*
*Interpres legum clariſſimus, atque Poëta.*
*Simonetarum Calabris gens venit ab oris*
*Suffulta ingenio, doctrinâ, & moribus omnes*
*Excellens Proceres, Inſubrum Regia quantos*
*Tunc babuit, patrumque diu ſervavit bonorem*
*Sedula poſteritas. Satis eſt Bonifacius ille,*
*Cui ſtylus, & ſcriptis adſperſa ſcientia rerum*
*Æternam peperit famam. Delebitur orbis*
*Nam prius, Abbatis quam docta volumina Cornu.*

Meminerunt Auctoris noſtri, præter citatos, Moriggia Antiquit. Mediol. lib. III. cap. XIX. Sitonus in Syllabo Senatorum num. 209., & in Schedis. Creſcent. Coron. Nob. Ital. Tom. II. pag. 543. & Tattus Decade III. Hiſt. Com. pag. 422. num. 19.

MDXCIV.

Digitized by Google

## MDXCIV.

## SIMONETTA LUDOVICUS.

Ludovicus Simonetta Mediolanenſis Patricius Alexandrum Comitem Palatinum Ducalem Collateralem, ut vocant, Generalem, atque Antoniam Caſtillionæam notæ nobilitatis Conjuges, parentes habuit. Piè, ac liberaliter educatus, minoribuſque peractis ſtudiis, Leges Pontificias, ac Cæſareas magna cum diligentia didicit, ac in utroque Jure Doctoratus inſigniis honeſtatus, anno MDXXXV. Juriſprudentum hujus Metropolis Collegio nomen dedit. Mox Clericalem profeſſus vitam, Piſaurenſis Eccleſiæ Epiſcopatum à Paulo III. obtinuit, cum Jacobus Simonetta Ludovici Patruus ab eodem Pontifice Sacrâ Purpurâ decoratus, & ad Peruſinam Sedem indè translatus fuiſſet. Commiſſum ſibi populum piè, ſanctèque regere ſtuduit ad annum uſque MDLX. quo ad Laudenſes Infulas, ſuffecto ſibi Julio (non Nepote, ut perperam ait Ughellus, ſed Fratre) tranſiit. Virtute interim ejus perſpectâ, die XXVI. Februarii anno MDLXI. à Pio IV. Presbyter Cardinalis tituli Sancti Cyriaci creari meruit. Illuxit Viri hujus legalis ſcientia, atque ſpectata prudentia in Tridentino Concilio, pluribuſque aliis muneribus ab Apoſtolica Sede ſibi demandatis, in queis omnibus ſummæ integritatis, humanitatis, & juſtitiæ laudem adeptus fuit. Datarii enim officium, Juſtitiæ Præfecturam, & Sacræ Inquiſitionis Tribunal ſapientiſſimè rexit. Præfuit etiam mandato ejuſdem Pii IV. ſupradictæ Tridentinæ OEcumenicæ Synodo cum Hercule Gonzaga, Hieronymo Seripando, Stanislao Hoſio, atque Marco Sitico de Altemps S. Rom. Eccl. Cardinalibus, eodemque Concilio ad optatum finem perducto, Ludovico noſtro, atque Joanni Morono pariter Cardinali Legatis Apoſtolicis, ab univerſis Patribus datum eſt in mandatis, ut à Summo Pontifice, quæcumque in Sacroſancto illo Conventu ſancita fuerant Diplomate ſuo confirmanda curarent. Romam igitur ambo profecti Patrum nomine id petiere, datæque ſunt hac de re Pontificiæ Litteræ VIII. Kal. Februarii, anno MDLXIV. Octo poſtmodum Purpurati ſelecti ſunt Tridentinorum Canonum vindices, atque cuſtodes, inter quos Simonetta locum meritò obtinuit, quemadmodum inter alios novem, quibus inquirendi contra hæreticam pravitatem cura demandata fuit. Translatus eſt non multo poſt à titulo Sancti Cyriaci, ad alium Sanctæ Anaſtaſiæ, & defuncto Pio IV. Pontificiis interſuit Comitiis, in quibus Sanctiſſimus Pontifex Pius V. ad Apoſtolatus Apicem aſcendit. Sancto Carolo Borromæo acceptiſſimus extitit, ut ſatis indicat mutuum inter eos epiſtolare commercium de graviſſimis Eccleſiæ Catholicæ negotiis, de quo inter Opera mentio recurret. Tandem tot laboribus pro Sede Apoſtolica perfunctus, dignitatum, & virtutis laude celeberrimus, anno tertio Pontificatus ejuſdem Pii V. Chriſti verò MDLXVIII. die Veneris, pridie Kal. Maji, piiſſimè deceſſit in Urbe. Cadaver illius conquieſcit in Templo Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis apud Carthuſianos Monachos, quorum Ordinis tutelam diu geſſerat, nullo appoſito Elogio, quod ipſe ſupremis tabulis fieri vetuit, cujus rei cauſam paulò ante exitum rogatus reſpondit hæc Chriſtiano Præſule digniſſima verba: „ Dedecet hominem, dum in cinerem redigitur, & vermibus eſca apponitur, gloriari; animæ non titulorum inanium morituris habendam eſſe curam. „ Veroſimillimum eſt Virum hunc tot graviſſimis curis occupatum plura ſcripſiſſe ad negotia Eccleſiæ pertinentia. Parum verò pervênit ad poſterorum notitiam. Illud eſt:



I. Tractatus de Hæreticis. Hujus meminit Cartharius in Syllabo Advocatorum Sacri Conſiſtorii, ad calcem Articuli Jacobi Simonettæ Cardinalis ejus Patrui edit. Romanæ pag. 92.

II. Epiſtolæ ad Sanctum Carolum, ut plurimùm Eccleſiaſtica eruditione refertæ ſervantur in Codice MS Biblioth. Ambroſianæ Tomo XXV. inſignis Collectionis Epiſtolarum præfati Sancti Cardinalis, cum reſponſionibus ejuſdem:

III. Tres aliæ de negotiis Tridentini Concilii ad eundem Sanctum Carolum ſatis prolixæ, anno MDLXIII., quarum prima proprio nomine ſcripta eſt, aliæ verò etiam nomine Cardinalium Moroni, Hoſii, & Naugerii. Extant in Codice MS. variarum Epiſtolarum ad Synodum eandem pertinentium, apud Comitem Paulum Montium, Cæſaris nuper defuncti filium.

IV. Volumen integrum Epiſtolarum partim ad Scipionem Senatorem, de quo infra, partim ad præfatum Julium fratres ſuos, quæ verſantur circa negotia Datariæ Apoſtolicæ. Codex MS. in fol. juſtæ molis, apud Comitem Antonium Simonettam ex ipſamet nobiliſſima Familia adhuc ſuperſtitem.

Ad ipſum Latinam dedit Epiſtolam Joſephus Tramezzinius, & quidem perelegantem, quæ edita eſt in libro, cui titulus: „ Epiſtolæ Clarorum Virorum ſelectæ, de quamplurimis optimæ, ad indicandam noſtrorum temporum eloquentiam. *Venetiis*, *typis Dominici Guerrei*, *& Jo Baptiſtæ Fratrum*, 1568. *in* 8.

Auguſtinus Valerius Cardinalis in Vita Bernardi Cardinalis Naugerii Ludovicum noſtrum appellat Juris Pontificii peritiſſimum.

Laudatur à Ciacconio Tomo III. col. 924. Eggs in Purpura Docta Tomo IV. pag. 661. Pallavicino in Hiſt. Concil. Trident. part. II. pag. 200. & alibi. Fleurì Hiſt. Eccleſiaſt. Tomo XXXII. Ughell. Ital. Sacræ Tomo II. in Piſaur. Richebourch Ultima verba, & facta Illuſtr. Viror. Tomo I. pag. 317. Sitono in Chron. J. PP. Mediol. pag. 105. art. 434. aliiſque pluribus.

## MDXCV.

## SIMONETTA PETRUS PAULUS.

Nunc à nobis eſt recenſendus Petrus Paulus Simonetta, cujus eruditioni, & memoriæ apud poſteritatem nunquam obliterandæ debita laudum hîc præſtamus obſequia. Præter liberalia ſtudia, quibus diligentiſſimè vacavit, Medicam facultatem adamavit in primis, in qua etiam laureâ honeſtari meruit. Phyſicæ Tyrocinium poſuit in Caſtris Finarienſem Arcem obſidentibus ſub Chiliarcha Sigiſmundo Gonzaga anno MDLXXI. Eo facinore peracto, quibuſdam è Militaribus turmis Regiam Claſſem aſcendentibus, cui Joannes Auſtriacus præerat, ut in communem Chriſtianæ Fidei hoſtem arma conferrent, Simonetta noſter ſe contulit ad eam expeditionem, quæ tantam Chriſtiano populo gloriam peperit die VII. menſis Octobris ejuſdem anni, ad Echinadas Inſulas. Inde Mediolanum reverſus à Philippo II. Hiſpaniarum Rege, in meritorum præmium ad Medicinæ Practicæ extraordinariam Cathedram, tum ad Teoricam Academiæ Ticinenſis promotus fuit. Ibi præter Lectiones, quas Auditoribus ſuis publicè tradidit, annos XV. in privatis Anatomicis experimentis animalium, non ſine magno adoleſcentum fructu ſe exercuit. Poſtremus tanto Viro quis annus fuerit, nemo nos docuit.

Habemus illius:

I. Breve Compendium totius Medicinæ, editum à Petro Paulo Simonetta Phyſico, & Pub. Profeſſore in Ticinenſi Gymnaſio. *Ticini*, *ex Officina Hæredum Hieronymi Bartoli*, 1592. *in* 8. tum *Francofurti*, *apud Hæredes VVecbelii*, 1598. poſtremò *Venetiis*, *typis Mejetti*, *in* 8.

Commendatur à Jo. Antonida Vander-Linden in lib. I. de Scriptis Medicis; Jacobo Mangeto in Biblioth. Script. Medicor. Tom. II. part. II. pag. 266. Curtio de Medicis Mediolanenſib. pag. 126. Sitono in Schedis, & Picinello in Athenæo pag. 468.



Digitized by Google

## MDXCVI.

## SIMONETTA SCIPIO.

Scipionem Simonettam Virum præclariſſimum Alexander Comes Palatinus, Ducalis Collateralis Generalis, atque Antonia Caſtillionæa Conjuges nobilitate præſtantes in hac Metropoli genuere anno MDXXIV. menſe Aprili. Minoribus ſcientiis eruditus Juri tam Cæſareo, quàm Pontificio ſic vacavit partim Ticini, partim Bononiæ, ut ſummos Academicos honores anno MDLI. menſe Octobri in eodem Archigymnaſio Ticinenſi adeptus fuerit. Tum avitæ nobilitatis, propriæque virtutis gratiâ in florentiſſimum Juriſperitorum Mediolanenſium Cœtum anno MDLIV. cooptari promeruit, & poſtmodum ad regendam Patriam inter LX. Decuriones recenſeri. Anno MDLX. Urbis Præfecturam cum laude geſſit, aſſumptoque ad Apoſtolicam Cathedram Pio IV. cum lectiſſimis Viris Franciſco Boſſio, Carolo Vicecomite, & Franciſco Turriano Patriæ Legationem ad eundem Pontificem ſuſcepit, apud quem ſummam ſibi conciliavit exiſtimationem eloquentiſſima Oratione pronunciata, de qua inferiùs ſermo recurret. Exeunte anno MDLX. die XXIV. Novembris defuncto Vincentio Falcutio Senatori à Philippo II. Hiſpaniarum Rege Catholico ſuffectus eſt Scipio, quem præter propria merita commendabant ſcientia, & dignitatibus illuſtres Fratres Ludovicus Cardinalis, de quo ſupra meminimus, Joannes Laudenſis Epiſcopus, Regius & ipſe Ducaliſque Senator, Alexander Apoſtolicus ad Aulam Neapolitanam Nuncius, necnon Julius Epiſcopus Piſaurienſis, cui, uti ſingulari doctrina prædito à Bartholomæo Taëgio, Viro inter eruditos clariſſimo, extat Epiſtola in fronte Dialogi ſui *la Villa*, atque altera ſatis longa, ſeu potius Tractatus de Meteoris in ejuſdem Auctoris Libro, cujus titulus: *le Riſpoſte*, quemadmodum ſuo loco dicemus. Non infima interim laus eſt noſtri Senatoris ampliſſimi, quod cùm Collegis ſuis Ludovico Mazenta, atque Hieronymo Montio, Paulum Manutium Aldi filium Mediolanum evocaverit, & donis, muneribuſque peculiaribus cumularit. Qua de re in Bibliotheca Monachorum S. Ambroſii hujus Urbis ſervatur Codex Franciſci Cicerei, in quo legitur hujus Oratio ad eoſdem Patres conſcriptos de Marmoreo Monumento excitando Mediolanenſi in Urbe eidem Paulo Manutio, qua de re jam in Elogio Cicerei verba fecimus. Tandem in Supremo Italicarum rerum Conſilio apud Catholicam Majeſtatem Regentis munus obtinuit, quod cum actu gereret, in Urbe Matritenſi diem obiit anno MDLXXXV. Funus illius ſequenti Epigrammate ornavit Bernardinus Baldinus, quod extat in hujus libro inſcripto: *Luſus*.

*Hinc diſtas procul heſperio Simonetta Sepulcro*
*Clauſus, ad Inſubres haud rediturus agros.*
*Flebilis heu natis, fratrique tuiſque propinquis,*
*Et celebri patriæ, patriciiſque viris.*
*Mens præſaga mali renuit tua munus obire,*
*Quod præſtans animi quiſque Senator avet:*
*Non quod deſpiceret titulos, & regia dona;*
*Sed quoniam ægra tuæ præſcia mortis erat.*
*Maluit hæc abſens tamen inſervire Philippo,*
*Quàm præſens cuſtos corporis eſſe tui.*
*Præcipuè quòd onuſta brevi ſe vidit ituram*
*Ad ſuperas, requies eſt ubi certa, domos.*

Scipio autem his Scriptis commendatur:

I. Oratio luculentiſſima ab eo habita coram Pio IV. Summo Pontifice, de qua jam diximus, cujuſque Pontifex ipſe meminit in Bulla quæ incipit: In præcelſa militantis Eccleſiæ &c. Dat. Romæ MDLX. apud Sanctum Petrum, Pontificatus ſui anno primo.

II. Statuta Collegii Juriſconſultorum Mediolanenſium ab eo aucta, & perfecta, tum à M. Marcello Rincio collecta, in quorum Præfatione hæc leguntur:
„ Cùmque intellectum ſit Scipionem Simonettam Senatorem, lectum ex hoc ordine, ſuo maximo conſilio huic operi perficiundo adjumenti plurimum attuliſſe, & illius operâ ac virtute Senatum ampliſſimum, quæ Legibus, ac Inſtitutis noſtris continentur, omnia comprobaſſe: univerſum Collegium exiſtimare Scipionem Simonettam Senatorem, lectum ex hoc ordine, pro ſua tuendæ dignitatis noſtræ perpetua conſuetudine, optimè de Collegio noſtro promeritum fuiſſe, cum æternitati Legum, & Inſtitutorum hujus Ordinis ita proſpexerit, ut omnis ætas illi gratias agere debeat &c.

Duas ad eum dedit Litteras Hannibal Guaſcus Alexandrinus, quæ leguntur in editione *Mediolanenſi Pontii, & Piccalea*, 1601. pag. 200. & 209.

Duas item Lucas Contilis, quæ habentur in Volumine ſecundo Epiſtolarum ipſius Contilis edit. *Veneta* 1564. pag. 173. & 212.

Tres habemus ad eundem S. Caroli Borromæi; primæ duæ datæ Romæ die XXII. Junii, & XVII. Auguſti anno MDLX., quarum autographa ſervantur apud Comitem Antonium Simonettam; altera data Mediolani die VIII. Maji MDLXXXIII. extat in inſigni Collectione Epiſtolarum ejuſdem S. Caroli in Biblioth. Ambroſiana Cod. ſign. 69. Tom. XX. num. 149.

Scipioni noſtro dicavit Octavianus Fabagroſſa Carmina ſua Italica impreſſa *Mediol. apud Tinos*, 1576. *in* 4. cum nuncupatoria data eodem anno.

Præter citata Bernardini Baldini Carmina, alia habentur plura in commendationem ejuſdem Scipionis noſtri in eodem libro, *Luſus*.

Fit illuſtris mentio Scipionis noſtri, uti Viri eximiæ auctoritatis in Tomo I. Conſiliorum Alexandri Rhaudenſis pag. 309 Conſ. 37. ſequentibus verbis: „ Ex his patet eſſe pronunciandum pro Dom Baretta, prout in tali caſu Collegium Mediolanenſe anno MDLVIII. die III. Martii pronunciavit pro excellenti Juriſconſulto D. Bartholomæo Taëgio, relatoribus exiſtentibus clariſs. viris illuſt. Dom. Scipione Simonetta, affine meo, ſuperioribus annis diem functo, cum eſſet Regens rerum Italicarum penès Regiam Majeſtatem, & eloquentiſs. Advocato Dom. Franciſco Criſpo, ac integerrimo viro Dom. Franciſco Panigarola; verba ſententiæ ſunt hæc &c.

Celebratur à Franciſco Maria Ploto in Addit. ad Martin. Garrat. conſ. 64. pag. 264. ibi enim ait: „ Scipio Simonetta Reg. Duc. Mediolani Senator juſtiſſimus, & præclariſſimus, quo vivente juſtitia, & Patria cœca eſſe non poteſt, prout de illuſtri Cicho Simonetta majore ſuo dici ſolebat; „ De hoc perinſigni Viro ſermo erit in ſecundo Catalogo, uti diximus in Alexandro.

Laudant Scipionem noſtrum Horatius Landus in ſua Mediol. Senatus Hiſtoria lib. V. pag. 189. Sitonus in Chron. J. PP. pag. 122. art. 505. Cavatius in Alleviam. Stat. Mediol. in principio; Moriggia in Hiſtor. Nobil. Mediol. lib. II. cap. XI. aliique plures.

MDXCVII.

## MDXCVII.

## SIMPLICIANUS.

EN digniſſimum magni Ambroſii Succeſſorem in Mediolanenſi Eccleſiæ Paſtorali cura Simplicianum Antiſtitem numeris omnibus commendabilem. Is in hac Metropoli honeſtiſſimis ortus parentibus ( neque enim acquieſcere poſſumus Scriptori Actuum ejuſdem apud Mombritium in Tomo II. ubi appellantur Ludovicus, & Senedruga nominibus certè barbaris, & illi ævo adhuc ignotis ) cum aliquantiſper conſtitiſſet Mediolani, ut bonarum artium rudimenta perciperet; Romam ſe contulit florente ætate, peragratis jam antea Provinciis pluribus. Ea in urbe ſacra præſertim ſtudia coluit, ita tamen, ut profanam quoque eruditionem, Philoſophiam videlicet, & Oratoriam non contemneret; tantâ cum virtutis & doctrinæ commendatione, ut dignus habitus fuerit, qui gradatim per Sacros Ordines ad S. R. E. Presbyteri dignitatem eveheretur. Majorem tamen ſibi comparavit exiſtimationem apud Orthodoxos omnes cum Victorinum Rhetorem, natione Aphrum, Romæ tunc degentem, pravè facundum, & plures à Chriſtiana Religione abducere conantem, erudito certamine aggreſſus non ſolum devicit, ſed & Chriſto lucrifecit. Electus fuerat per ea tempora prælaudatus S. Ambroſius ad hujus Eccleſiæ regimen, raptus ( ut ejus utamur verbis ) à tribunalibus ad Infulas; quocirca optimum exiſtimavit S. Damaſus Pontifex Simplicianum, apud ſe gratia & authoritate pollentem, Mediolanum mittere, ut Collega veluti, atque Magiſter eſſet Ambroſio, qui ad Eccleſiaſtica negotia rudis principiò, & novus talem requirere adjutorem, & conſiliarium videretur. In patriam igitur redux multùm abfuit ut collato honore abuteretur, quin potiùs Ambroſium tanquam Magiſtrum coluit, dum ab eo viciſſim Patris loco haberetur. Hanc utriuſque moderationem, atque humilitatem prudentiſſimi illius ætatis Viri mirati ſunt, & inter primos Sanctus Auguſtinus, cujus converſioni plurimùm contuliſſe Simplicianum facilè agnoſcent quicumque libros Confeſſionum ipſius pervolutarint. Cùm autem extremo laboraret morbo S. Ambroſius, & Mediolanenſis Eccleſiæ primarii Clerici de ſucceſſoris electione ſecretos miſcerent ſermones, ac Simplicianum proponerent, Sanctus Præſul pronunciaſſe fertur: *Senex ſed bonus*; quocirca poſt ejus obitum communibus ſuffragiis Præſul eſt renunciatus anno CCCXCVIII. Doctrinæ illius præſtantiam toti Chriſtiano Orbi notiſſimam agnoverunt Aphricani Patres in Carthaginenſi Concilio congregati; nam cum ibidem ageretur de validitate Baptiſmatis puerorum, qui à Donatiſtis Sacro Fonti admoti fuerant, eaque res ſcrupulum, ac religionem Epiſcopis injeciſſet; in eam tandem ſententiam itum eſt, ut rem totam Simpliciano dijudicandam remitterent, firmum, ſanctumque habituri quicquid is de hujuſcemodi controverſia ſtatuiſſet. Honorius quoque Imperator cùm Theodoſio parenti in Occidentali Imperio ſucceſſiſſet, plurimi fecit Sanctum hunc Præſulem; in ejus enim gratiam rem Eccleſiaſticam auxit, & ornavit, latâ lege in hac Urbe cùm degeret VI. Kal. Aug. Honorio Aug. IV. & Eutychiano Coſs. qua cavebatur licere popularibus, & laicis ad Epiſcopum in jus ire, quaſve indè ſententias, & litium, cauſarum, rerum æſtimationes auferrent, eas ratas & legitimas haberi, perinde atque ſi altero foro eſſent latæ. Id ante Honorium ſanciverat Conſtantinus Magnus, datâ provocatione à Magiſtratibus, & Præfectis Urbium ad Pontifices, & Epiſcopos, additâque gravi denunciatione ſi quis hujuſmodi Eccleſiaſticam poteſtatem imminuere, aut violare auderet. Et Honorii quidem Lex indè proceſſit, quod multa inciderent quotidie, in queis Simpliciani arbitrium, & ſententia ex conſenſu partium interponeretur. Ea tamen res Pontificum ſanctitati & meritis aliquando conceſſa, ſuccedentibus temporibus plures in Eccleſia turbas excivit, jamque plena piiſſimi ſenſus lex ipsâ deſuetudine eſt abrogata. Vigebit tamen æternum ipſius Honorii Edictum alterum Chriſtiano Principe verè dignum, quo, Simpliciano auctore, ſancivit, ut quotquot Orbe toto ſtarent adhuc inanibus Diis ſacrata Templa vel funditus diruerentur, vel Chriſto Deo ſtatis ceremoniis dicarentur, ubi eâ eſſent ſtructurâ, quæ ad Eccleſiæ Conſuetudinem accommodari facilè poſſet. Mediolanenſis Cleri Ritum Simplicianus magnis incrementis locupletavit, atque miniſtrorum numerum auxit. Sanctorum Martyrum Siſinnii, Martyrii, & Alexandri Corpora, qui in Tridentina Diœceſi ab impiis hominibus perempti fuerant, in Mediolanenſem Urbem intulit, atque in Baſilica, quæ nunc ipſius nomini ſacra eſt, collocavit. Marcellinam Virginem ſanctitatis laude clariſſimam, Sanctorum Ambroſii & Satyri ſororem, haud procul à fraterno tumulo ſepelivit, & eloquenti Epitaphio inferiùs recitando decoravit. Sanctum Gaudentium primum Novarienſis Eccleſiæ Epiſcopum ordinavit, aliaque multa peregit, quibus æternam ſibi famam peperit. In ſumma igitur ſenectute anno CD. migravit ad Dominum, depoſitus die XVI. menſis Auguſti, quo ſolemni ritu apud Mediolanenſes ſuos quotannis memoria illius colitur. Non deſunt, qui Sanctiſſimum hunc Præſulem Eremitis, Regularibus Canonicis S. Auguſtini nuncupatis, quodque magis mirum videtur Carmelitis annumerent. Id tamen controverſiæ jam pridem à præſtantiſſimis Scriptoribus fuſiùs perpenſæ cæteris libentiſſimè diſcutiendum relinquimus utentes, verbis Petri Pauli Boſchæ, *vacuos ſcilicet nos non habere dies, ut tantarum rerum pondera examinemus*. Corpus ejus in Ara Maxima Baſilicæ ſuæ jacens Sanctus Carolus Borromæus frequentiſſimo Epiſcoporum, & Abbatum Caſinenſium numero comitante anno MDLXXXII. IV. Kal. Junii per Urbem circumtulit, unà cum Sacris Lipſanis Sanctorum Simpliciani, Geruntii, Benigni, Antonini, Ampelii Archiepiſcoporum Mediolanenſium, ac prædictorum Martyrum Vigilii Epiſcopi Tridentini, Siſinii, Martyrii, & Alexandri, atque in eodem Altari Maximo piè recondidit. Supereſt in Odeo ipſius Baſilicæ Inſcriptio hujus Tranſlationis teſtis, quam hic damus:

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

DIVIS SIMPLICIANO GERVNTIO BENIGNO ANTONINO AMPELIO
ARCHIEPISCOPIS MEDIOLANI
VIGILIO SISINIO MARTYRIO ET ALEXANDRO MARTYRIBVS
SACER LOCVS INSTAVRATVS
QVORVM RELIQVIAS
EX ALTARI VETERI IN HOC
GREGORIO XIII. PONT. MAX.
PHILIPPO II. HISPANIARVM REGE
CAROLVS BORROMAEVS MEDIOLANI
GABRIEL PALEOTTVS BONONIEN. ARCHIEPISCOPI ET CARDINALES
EPISCOPI XI. SYNODI MEDIOLANEN.
SERAPHINVS MEDIOLANEN. HVIVS COENOBII ABBAS
ALIIQVE ABBATES CASSINENSES
PONTIFICIIS INSIGNIBVS ORNATI
CIVITATIS PROVINCIAEQVE OMNIBVS
SOLEMNI POMPA COMITANTIBVS
HVMERIS SVIS TRANSPORTAVERVNT
MDLXXXII. V. KAL. IVNIAS.

Ejus doctrinæ argumenta ſuperſunt in his, quæ nunc recenſebimus, videlicet:

I. Epiſtola ad S. Ambroſium, in qua quærebat, quid ſibi velit quòd Moyſes poſt oblatum ſacrificium, & immolatas Domino ſalutares hoſtias, dimidiam partem ſanguinis in crateras miſerit, dimidiam autem ad altare fuderit. Huic reſpondit S. Ambroſius ipſe Epiſtolâ, quæ eſt II. Libri I. editionis *Baſileenſis*, *apud Epiſcopios*, 1567. *in fol.* Tomo III. pag. 62.

II. Altera ad eundem: cur Moyſes Propheta maximus inveniatur magis Aaron fratris conſilium, quàm ſuum probaſſe: cur etiam tam difficile, tamque rarum ſit pœnitentiam peccati gerere in hac Vita homini; ex Reſponſione ipſius S. Ambroſii, quæ eſt Epiſt. III. ejuſdem Libri pag. 63.

III. Epiſtola propoſitionum ad S. Auguſtinum, in qua interrogando quaſi diſciturus docet docturum. Laudatur à Gennadio in Catalogo, qui etiam recenſet.

IV. Plures alias S. Simpliciani noſtri ad eundem S. Auguſtinum adhuc Presbyterum agitantis ejus ingenium, & hortantis ut vacaret expoſitioni Scripturarum, ut etiam novus quidam Ambroſius Origenis ἐργοδιώκτης videretur.

V. Alias item nonnullas ad diverſos, quæ partim hinc inde reperiuntur (licet nobis non occurrerint) memorat Fabricius in Biblioth. Eccleſ. citatis Honorio Auguſtodinenſi, aliiſque.

VI. Epitaphium S. Marcellinæ Virginis B. Ambroſii Sororis, quod hìc lubet exſcribere, ut ſpecimen demus illius Poëſis:

*Marcellina, tuos cum Vita reſolveret artus,*
*Spreviſti patriis corpus ſociare ſepulcbris,*
*Dum pia fraterni ſperas conſortia ſomni,*
*Sanctorumque cupis chara requieſcere terra.*
*Nil longinqua domus caſto decerpſit amori,*
*Affectus nec morte perit: nam munere letbi*
*Rurſus juncta Soror fraternæ redderis umbræ,*
*Quamvis magna pio ſuſpiret Roma dolore,*
*Tertia quòd ſacri patitur jam damna ſepulcbri:*
*Nec tamen anguſtam ſedem quis dixerit aulæ,*
*Corporis bæc domus eſt; nam te pia Virgo ſupernum*
*Accipit Imperium placidæ poſt munera mortis;*
*Æternæ Chriſtus pretium tibi deſtinat aulæ,*
*Præmia dans caſtis intactæ matris honorem:*
*Te medius Juli tranſcendit fervidè curſus,*
*Et te Virgo tuus tranſvexit ad æthera ſponſus:*

Tribuuntur eidem Acta SS. Zenobii, & Eugenii in Codice MS. Bibliothecæ Mediceæ Laurentianæ. Ea autem S. Simpliciano perperam adſcribi Puricellus noſter in Diſſertatione Nazariana cap. 49. num. 12. evidenter probat, cum Simplicianus ante Zenobium obierit, & in hujus Vita mentio fiat de Translatione Corporis ejuſdem S. Zenobii. Id etiam comprobatum reperiet Lector optimus in libro, cui titulus: „ Viaggio di Caritone, ed Ippofilo „ edit. *Florentiæ*, 1741. parte II. ad annum MCCCCLXXV.

Præter ſupra relatas S. Ambroſii ad eum Epiſtolas, aliam habemus, quæ eſt I. libri II. ejuſdem editionis *Baſileenſis* pag. 69. in qua S. Doctor eleganter de vera libertate, ac etiam ſervitute diſputat, fortiſſimiſque argumentis ſolum ſapientem verâ libertate gaudere, & omnem inſipientem ſervum eſſe comprobat, atque ad illam amplectendam plurimum cohortatur.

Aliam item ad eundem, videlicet I. libri II. pag. 77. memoratæ editionis, in qua pulchrè de veris divitiis, ac contraria paupertate diſſerit, & quòd omnis, ſoluſque ſapiens verè dives, atque inſipiens pauper ſit, demonſtrat.

Ei Sanctus Auguſtinus inſcripſit libros II. de diverſis Quæſtionibus, quas S. Simplicianus propoſuerat ex Epiſtolis D. Pauli, & libris Regum, quibus ad eundem præpoſuit Epiſtolam. Extant in Opera ipſius S. Auguſtini.

Extat etiam ad eundem Epiſtola S. Vigilii Epiſcopi Tridentini jam laudati de Paſſione SS. Martyrum Siſinii, Martyrii, & Alexandri, de quibus jam ſupra meminimus. Eam poſt Baronium, habemus in editione Operum ipſius S. Vigilii *Coloniæ*, 1555. *in* 8. & apud Clariſs. Bollandi Continuatores in Tomo VII. Maji pagg. 41. & ſeq.

De eo hæc cecinit Ennodius:

*Ambroſius linquens viduatæ munia Plebis*
*Tranſtulit ad curam Simpliciane tuam.*
*Succeſſoris opes, ſpoliati viſcera Regni*
*Creverunt meritò temporis alterius.*

At

*At velut annoſam Zephyris parcentibus ornum,*
*Ne metuat bellum longa quies ſolidat.*
*Tiro tamen felix cana ad rudimenta vocatus,*
*Non flexit priſcum degenerans apicem.*
*Nil timuit gelidis anima fervente medullis;*
*Pontificis virtus flores habet ſenium.*
*Æquora qui tecto preſſit terrena patenti,*
*Moribus & cultu ſydera eum tetigit.*

Narratio prædictæ Translationis Corporis S. Simpliciani conſcripta à Ludovico Chizzuola Monacho Caſſin. & Gabrieli Cardinali Paleotto dicata, ſervatur MS. in fol. Bononiæ apud amiciſſimum Alexandrum Branchettam. Eam etiam deſcripſit non ineleganter Urbanus Montius, ut in ejuſdem articulo memoravimus.

Cultum celeberrimi hujus Pontificis & Confeſſoris etiam extra Inſubriam floruiſſe, imò in univerſali Romana Eccleſia ipſius Feſtum celebratum fuiſſe, conſtat ex Miſſali Romano edito *Lugduni, in ædibus Joannis Moylin, aliàs de Cambray*, 1526. die XV. menſis Martii, fol. CCLIX. quod ſervatur in Bibliotheca Archintea, ubi Miſſa cum Oratione, & Graduali propriis S. Simpliciani noſtri legitur, cujus adhuc viventis notitiam S. Martinus Turonenſis Epiſcopus Galliis intulerat. Oh! utinam hujuſmodi res ad tanti Viri gloriam illuſtrandam Clariſſimos Agiographos Bollandi Continuatores non latuiſſet.

S. Simplicianum ſummis extulere laudibus, præter citatos, ſæpè jam memorati SS. Doctores Ambroſius, & Auguſtinus pluribus in locis Operum ſuorum. Paulinus Presbyter Mediol. in Vita S. Ambroſii, Gennadius jam indicatus in Catalogo, Baronius in Annalibus, & alii plurimi, præſertim verò Doctiſſimi Continuatores Bollandi, ad diem XVI. Auguſti, apud quos permulti alii citantur, qui de ipſo ſcripſere.

## MDXCVIII.

## De SIRTURIS HIERONYMUS.

DUo de hac gente, quæ de Sirturis inter Mediolanenſes nuncupatur, genetliaca Stemmata perhumaniter de more mihi ſubminiſtravit doctiſſimus, atque amiciſſimus Sitonus. Unum videlicet, quod ab Antonio ineunte Sæculo XVI. incipit, deſinitque in Auguſtino, aliiſque ejus fratribus anno Chriſti MDCXXXI. adhuc viventibus. Alterum verò à Petro Gulielmo anno MCCCCXIII. inter vivos extante uſque ad Joſephum, qui anno vigeſimo quinto hujus Sæculi ad Superos abiit. In utraque verò hac de Sirturis ſerie duos invenimus, ſub nomine Hieronymi ferè coævos, quorum primus filius extitit Joannis Baptiſtæ, ab anno MDCIX. uſque ad MDCXXXI. florens. Secundus verò, qui fuit Eques, & Comes Palatinus, necnon inter Phyſicos Collegiatos Mediolanenſes recenſitus anno MDXCIII. & à mortalibus ſublatus anno MDCVI. parentes habuit Joſephum, atque Hyppolitam Gluſſianam conjuges. Nos itaque ancipites jure meritò ſumus, quiſnam inter eos ſit Auctor Operum infra recenſendorum, nam niſi illa ſint edita poſt eorum obitum, nec ad unum, nec ad alterum ſpectare videntur; tametſi fortè ad Politicam, atque Oratoriam pertinens tribui poſſit Hieronymo de Sirturis ſeniori; Lucubratio verò de Teleſcopio, alteri Hieronymo juniori Phyſico, de quo tamen, ſilente Clariſs. Curtio, nil certi Lectoribus noſtris proferre poſſumus, eo magis quia Opera ſub oculis minimè habuimus, ideoque litem hanc diſcutiendam Eruditis Mediolanenſibus libenter relinquimus. Si verò Auctor eſt Hieronymus Joſephi filius, hic ſepultus eſt in Eccleſia S. Mariæ vulgò *del Giardino* nuncupata, in Sacello D. Didaci, cum Sepulchrali Epitaphio, quod Sæculorum barbaricæ ætatis exemplo cum aliis peſſum abiit. Si verò alter Joannis Baptiſtæ natus, jacet ille in Baſilica Sancti Stephani hujus Urbis in paterno Sarcophago, ubi hæc Inſcriptio legitur:

IO. BAPTISTAE SIRTVRIO
AVGVSTINI F. ANTONII N.
FABRICAE HVIVS TEMPLI PRAEF.
COGNITAE PROBITATIS VIRO
AVGVSTINVS ET HIERONYMVS SIRTVRI FRATRES
AEDICVLAM ET SPELAEVM COMPARARVNT
PATRI OPT. SIBI
ET POSTERIS EORVM
VIXIT AN. LX. ME. IV. DI. IV.
DECESSIT V. IDVS IANVARII MDCIX.

Unius, atque alterius Hieronymi de Sirturis hæc ſunt Opera:

I. Orazione al Sereniſſimo Maſſimiliano Arciduca d'Auſtria ec. Conte del Tirolo ec. fatta da Geronimo Sirtori nella morte del Conte Giorgio Baſta. Extat in Hiſtoria Tranſilvaniæ Equitis Ciri Spontoni, impreſſa *Venetiis, apud Jacobum Sarzinam*, 1638. *in* 4.

II. Hieronymi Sirturi Mediolanenſis Teleſcopium, ſive Ars perficiendi novum illud Galilæi viſorium inſtrumentum ad Sydera, in tres partes diviſa; quarum prima exactiſſimam perſpicillorum artem tradit, ac iconibus exprimit. Secunda Teleſcopii Galilæi abſolutam conſtructionem, & artem apertè docet. Tertia alterius Teleſcopii faciliorem uſum, & admirandi ſui adinventi arcanum patefacit. *Francof. apud Luc. Jennis*, 1638. *in* 4. *& per Zachariam Palten*, Italico, & Latino idiomate. Hoc Opus memoratur à Clariſs. P. de Chales in ſuo Curſu Mathematico, ubi illud aſſerit editum anno 1618.

III. Hieronymi Sirturi Compendium Politicum ex univerſa civili Doctrina Juſti Lipſii pro principatu, tum ex notis integra fide concinnatum. *Francofurti, apud Porſium, in* 12.

E Schedis Sitonianis.

## MDXCIX.

### SITONUS BARTHOLOMÆUS.

Cùm de Familiæ Sitonæ de Scotia Viris illuſtribus jam eruditè egerit humaniſſimus, atque doctiſſimus JC. & Advocatus Joannes Sitonus ad calcem Chronici ſui Juriſperitorum Collegii Mediolanenſis pagg. 251. & ſequentibus ; ne actum agamus, libentiſſimè ad eruditum illud Opuſculum Lectores amandamus. Cæterùm omninò prætermittendum non duximus Genealogicum Stemma Gentis ſuæ ab eodem nobis communicatum, incipiens in Franciſco de Sitonis Joannis Jacobi, anno MCCCCLXXXV. viventis, Patre, & ad ſe uſque deductum. Ut autem gratum teſtemur animum erga Virum in Patriæ antiquitatibus verſatiſſimum , cujus eruditio non parum auxilii in hac Bibliotheca texenda nobis attulit, ut facilè agnoſcet quicumque eam inſpexerit ; quamvis alienum ſit ab inſtituto noſtro viventes laudare , placet Doctos monere, præter alia Opera tam edita , quàm MSS. ipſum cudiſſe Familiarum hujus Metropolis Geneſes numero CCXXVI. è quibus LXX. prælo donatæ jam publicam viderunt lucem. Elementario igitur ordine , ut moris eſt , ſervato , agendum nunc de Bartholomæo Sitono Hieronymi , & Annæ Cribellæ nobilium Conjugum Mediolanenſium filio . Hic anno poſtquam redempti ſumus MDCLXVI. natus , dum Sacri Fontis undis ablueretur Carolus Federicus dictus eſt ; quod nomen in alterum Bartholomæi commutavit , tunc cùm adultus Clericorum Regularium Congregationi, S. Pauli Decollati nuncupatæ, voluit adſcribi . In eo Cœtu non vulgaris eruditionis luce claruit ; nam præterquamquod multos per annos humaniores docuit litteras , ſacris etiam Concionibus operam dedit non abſque ingenti animarum profectu . Muſas quoque minimè reſpuit , ut videbimus infra . Præfuit Collegio Suorum Sancti Alexandri hujus Urbis , cùmque Architecturæ peritus eſſet , illud latiùs & magnificentiùs ampliandum curavit, prout etiam Gymnaſium Arcimboldium eidem Collegio vicinum , & annexum . Omnium primus Collegium nobilium Epheborum , quod Imperatorium dicitur , conſtituit , & rexit anno MDCCXXIII. quod munus non ſemel exercuit. De eodem Collegio agit Clariſs. Saxius in ſuo De Studiis Litterariis Mediolanenſium libro . Migravit è vita die XIII. menſis Junii, anno Chriſti MDCCXXXV. ætatis ſuæ LXIX. In Aula memorati Collegii Nobilium effigies ejus cernitur cum hoc Elogio :

P. D. BARTHOLOMAEVS SITONVS
CONG. S. PAVLI
EXIMIAE IN DEVM FIDVCIAE VIR
INSTITVENDAE NOBILIVM SOBOLI
COLLEGIVM HOC APERIEBAT
ANNO MDCCXXIII.
OBIIT DIE XIII. IVLII MDCCXXXV.

Scripſit

I. Trattenimenti Sacri addattati a varj tempi dell' anno. *Milano, per il Malateſta*, 1707. *&* *iterum* 1732. *in* 12.
II. Prediche Quadrageſimali . Vol. in fol. ingens MS. in Bibliotheca Suorum .
III. Tragicomedie varie in Rima, ed in Proſa recitate da' Signori Convittori del Collegio Imperiale . MS. in fol. ibidem.

De ipſo agit præfatus JC. Sitonus in Monumentis Genealogicis Nobilium de Nava editis anno MDCCXXVI. atque in Schedis, necnon P. D. Franciſcus Pezius alibi jam à nobis citatus .

## MDC.

### SITONUS CAMILLUS.

Camillum Sitonum Joannes Franciſcus loco ſuo laudandus , & Cæcilia Raſoria nobiles Conjuges in hac Urbe genuere, atque vitales auras cœpit haurire die XXVII. menſis Aprilis , anno Chriſtianæ Salutis MDLXIII. Minoribus ſtudiis expletis, ad Leges addiſcendas ſe convertit , quibus cùm egregiè vacaſſet , in Ticinenſi Archigymnaſio Togam ſuſcepit anno MDLXXXVIII. In patria non ultimum locum obtinuit inter Juriſprudentiæ Profeſſores , diu enim in Foro verſatus multis profuit tam civibus , quàm exteris , quorum cauſas ſtrenuè tutatus fuit . Acceſſit morum probitas , bonarum litterarum ornamentum , & antiquitatis perities , quam poſtremam ſatis indicant vetuſtæ aliquot Inſcriptiones ab eodem in ædes ſuas illatæ , & adhuc extantes ibidem apud toties memoratum JC. Joannem Sitonum Camilli noſtri ex filio pronepotem . Poëſim quoque tam Latinam , quàm Italicam dilexit plurimùm, quemadmodum patet ex infra dandis illius Operibus . Deſideratus eſt anno Gratiæ MDCXXXI. die ſecunda menſis Auguſti, conditusque jacet in Templo Prædicatorum, cui titulus *S. Maria della Roſa* hujus Urbis .

Operum illius titulos hìc recitabimus :

I. De Viris bello illuſtribus Heroico Latino Carmine deſcriptis libri IV. Codex MS. in fol. apud citatum JC. Joannem Sitonum .
II. Marci Hieronymi Vidæ Poëma de Bombicibus in Italicum Carmen converſum. MS. in fol. Ibid.
III. Ejuſdem Vidæ Scachiades in Italicum etiam Carmen translata . MS. in fol. uno Volumine cum ſuperiori . Ibid.
IV. Allegationum Juridicarum Volum. I. in fol.
V. Epiſtolæ.
VI. Orationes.
VII. Carmina. Hæc III. ſunt uno Vol. MS. in 4. Ibid.

Ipſius cum laude meminerunt Franciſcus Ariſius in Cremona Litterata Tomo II. pag. 109. Barellus in Hiſt. Memorabil. Congr. Cleric. Regul. S. Pauli Decoll. Tomo I. pagg 409. & ſeqq. Ghilinus in Theat. Litterat. parte II. pag. 143. Jo. Petrus Creſcentius in Coron. Nobil. Ital. parte II. narrat. XXII. cap. XI. pag. 73. Hieronymus Borſerius in ſuo Theatro Inſubricæ magnificentiæ MS. apud Fratres de Sancto Benedicto Novocomenſes Tomo I. lib. IV. pag. 198. & ſeqq & in Supplemento Nobil. Mediol. cap II. pag. 4. Jo. Paulus Mazzucchellus ſub nomine Juſti Vicecomitis in Diſſert. cui titulus : Coloniæ Ticinæ Romanæ Commentum exſufflatum pagg. 37. & 39. Curtius de Claris Medicis Mediol. pag. 180. Jo. Baptiſta Sitonus Jatroſoph. Miſcell. tract. XXXVIII. pag. 231. Jo. Sitonus noſter in Chron. Colleg. J.PP. pag. 252. & Picinellus in Athenæo pag. 301. in Elogio Jo. Franciſci illius Patris; licet Opera ejus ignoraverit .

## MDCI.

### SITONUS CAMILLUS alter.

Alterum nunc laudandum ſuſcipimus è Sitona Familia genitum Camillum , cujus extitere parentes Joannes Baptiſta magni nominis Phyſicus , & Julia de Balneis nobiles Conjuges . Natalis ejus incidit in diem XXIII. menſis Septembris , anni MDCXXXI. cùmque optimè educatus inter minora adoleviſſet ſtudia , utriuſque Juris ſcientiam amplexus eſt , Doctor poſtea renunciatus in Lycæo Ticinenſi die XIX. menſis Julii anno MDCLIII. Multis certè nominibus illi obſtricta eſt Mediolanenſis Urbs ob indefeſſum ſtudium , quo ipſius antiquitatum Monumenta

menta ſummo labore collegit, diligentiſſimè proſecutus quidquid ad ædificia tam ſacra, quàm profana non hodierna ſolum, ſed & vetuſta pertinet; omnia inſuper quæ ſpectare poterant ad illuſtrandum Præſulum hujus Metropolis Catalogum, item Chronologicas res Patriæ, & integra Scriptorum ſuo tempore nondum edita Volumina, in queis de Mediolanenſi Urbe agebatur. Non abhorruit etiam ab Italica Poëſi, & in Foro quoque Cauſarum patrocinium exercuit. Mortalitatem depoſuit die XXII. menſis Auguſti anno MDCCVIII. filiumque Joannem JC. millies à nobis commendatum, amoris ſui erga patrias antiquitates reliquit hæredem. Ejus memoria ſupereſt in Tabula argentea ad Aram Sacræ Lauretanæ domus, quam pietatis gratiâ Deiparæ vivens obtulit in hæc verba:

D. O. M.

QVOD EIVS ARCANA PROVIDENTIA
AC INEFFABILI BENIGNITATE
SITONA GENS
E SCOTICO NATALI SOLO
ANTE ILLVC INVECTAM CALVINI LABEM
AD INSVBRES SIT TRANSLATA
IC. CAMILLVS SITONVS
PHYSICI IO. BAPTISTAE FIL.
EX EADEM GENTE MEDIOLANI DEGENS
GRATI ANIMI MONVM. POS.
ANNO A PARTV VIRGINIS
MDCXC.

Scripta ejus hæc ſunt:

I. Juris Allegationes partim typis impreſſæ, partim manuſcriptæ, Tomi II. ſervantur apud JC. Joannem Auctoris filium.

II. Antiqua Monumenta Urbis, & Agri Mediolanenſis ex Jani Gruteri Inſcriptionibus Romanis excerpta per Camillum Sitonum Jureconſultum Mediolanenſem. Codex MS. optimæ notæ, cum figuris egregiè delineatis in fol. penès filium.

III. Materiarum Sylva, ſive Repertorium è Mediolanenſium Rerum Scriptoribus collectum pro Tractatu de Mediolanenſis Urbis Ædificiis Publicis, Sacris, atque Profanis tam præſentibus, quàm antiquis, cum ipſius Urbis, & ſingulorum Ædificiorum Ichnographica deſcriptione, alfabetico digeſtum ordine, Indicemque præferens capitalium ejuſdem Repertorium dictionum

D. O. M.

Ac ejus Genitrici naſcenti, Divisque Barnabæ, Gervaſio, Prothaſio, Sebaſtiano, Ambroſio, & Carolo Mediolanenſis Urbis Numinibus tutelaribus, hæc rerum ejuſdem Monumenta majoris apparatum operis, ſi fatis illud intercipiatur, in Ambroſiana Bibliotheca perpetuò ſervanda eorum collector Camillus Sitonus JC. Mediol. Phyſici Jo. Baptiſtæ filius anno MDCLXXVI.

D. D. D.

Autographus ingentis molis, videlicet columnarum 1846. MS. in fol. extat ibid.

IV. Tabulæ Chronologicæ Mediolanenſes à Chriſto nato ad annum Chriſtiani Seculi decimi ſeptimi ſeptuageſimum octavum; quibus nova, faciliquе methodo diſtributa in ſingulos annos habetur nomenclatura Summorum Pontificum, Romanorum, atque Græcorum Imperatorum, Archiepiſcoporum Mediolani, ejuſque Principum, &c. antiquitatum ejus Urbis, exactæque chronologiæ ſtudioſis opus non minùs utile, quàm ſui amœnitate delectabile; Auctore Camillo Sitono Jureconſulto Mediolanenſi. Ad Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. D. Vercellinum Mariam Vicecomitem. MS. in fol. penès filium, ut ſupra.

V. Obſervationes pro confutatione, ac reprobatione diverſorum Inſtrumentorum, Diplomatum, aliorumque Documentorum compilatorum, & falsò fabricatorum per Jacobum Antonium Gallutium quondam Caroli filium: coram Ampliſſimo Senatore Don Cæſare Vicecomite, & Egregio Marchione Don Johanne Thoma Gallarato Capitalium rerum in Statu Mediolani Præfecto ſpecialiter Delegatis, per Jureconſultum Camillum Sitonum D. Phyſici Johannis Baptiſtæ filium propoſitæ, & dictatæ à die XX. Aprilis an. MDCLXXX. ad diem XXVIII. Novembris an. MDCLXXXI. MSS. originales in folio; extant penès Advocatum Joannem de Sitonis præfati Auctoris filium.

VI. Apparatus pro illuſtrando Archiepiſcoporum Mediolanenſium Catalogo, ex omnibus nedum XVIII. Catalogis, qui hucuſque innotuerint collectus, ſed ex aliis probatiſſimis, & vetuſtiſſimis Auctoribus etiam Manuſcriptis, publiciſque Tabulis, & Monumentis excerptus, opera & ſtudio Camilli Sitoni Jureconſulti Mediolanenſis anno MDCLXXXII., Opus tollendis plurimis mendis, quibus ſcatet idem Catalogus, non modò utile, ſed apprimè neceſſarium. MS. in fol. penès filium, ut ſupra.

VII. Mediolanenſium rerum Scriptores aliquot necdum typis editi hoc anno MDCLXXVI., quorum nomina ſunt:

1. Andreæ Alciati JCti Mediolanenſis Opuſculum de Templo Divi Euſtorgii, tribus Magis: Divo Petro Martyre: Porta Ticinenſi: Divi Laurentii Templo, aliiſque ſcitu dignis; à pag. 1. ad pag. 10.
2. Arnulphi Presbyteri Mediolanenſis Chronicon rerum Mediolanenſium ab anno Domini DCCCCXXV. ad an. MLXXX. à pag. 11. ad pag. 86.
3. Venerabilis Fratris Andreæ Bilii Mediolanenſis Ordinis Eremitarum Divi Auguſtini Commentaria rerum geſtarum ſub Johanne Galeaz, & Philippo Maria Mediolani Ducibus ab anno MCCCCII. ad an. MCCCCXXXI. à pag. 87. ad pag. 428.
4. Johannis de Cermenate Notarii Mediolanenſis Hiſtoria de ſitu, origine, & cultoribus Ambroſianæ Urbis, ac de Mediolanenſium geſtis ſub imperio Henrici Septimi ab anno MCCCVIII. ad an. MCCCXIII. à pag. 429. ad pag. 577.
5. Scipionis Vegii Protophyſici, ac Senatoris Mediolanenſis Hiſtoria rerum in Inſubribus geſtarum ſub Gallorum Dominio ab anno Domini MDXV. ad annum MDXXII. à pag. 579. ad pag. 716.
6. Benvenuti de Rambaldis de Imola Opuſculum de Urbe Mediolanenſi, ab origine ejuſdem uſque ad annum MCLXVII. excerptum ex ejuſdem Auctoris Tractatu de ſingulis Civitatibus Mundi, & aliis pluribus: claruit autem is Auctor ſub annis MCCCXVIII. & MCCCLXXVIII. à pag. 717. ad pag. 755.

VIII. Extat ejuſdem Camilli Sitoni Jureconſulti junioris Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, anno MDCLXXV. inſcript. in libro, cui titulus: *De Serpente Æneo* Ambroſianæ Baſilicæ Mediolani Micrologus Auctore Petro Paulo Boſca impreſs. an. 1675. in 8.

De eodem JC. Camillo Sitono juniore cum laude meminerunt Cyprianus Boſellus in Hiſt. Auſtr. Anic. pag. 807. num. 110., & pag. 907. num. 8., & pag. 908. num. 10., & pag. 923. Ludovicus Antonius Muratorius in Anecdotis ex Ambroſ. Biblioth. Codicib. erutis Tom. I. pag. 175., & Tom II. pag. 30. Johannes Dominicus Gattus in Vita S. Ambroſii Archiep. Mediol. pagg. 37. & 346. Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſæo Novarienſi artic. 149. 152. 175. 201. 472. 479., pag. 31. 33. 39. 48. 60. 238. 249. in Chorographica Deſcriptione Verbani lacus pag. 60. 71. 80. 89. art. 95. 125. 126. Franciſcus Ariſius in Cremona Litterata Tom. I pag. 281. & Tom II. pag. 88 109. 224. 303. 305. 312. 385. 406. 423. Johannes Joſeph Valianus in Vitis Archiep. Mediol. pag. 20., & item pag. 141. & 298. Bartholomæus Curtius de Claris Medicis Scriptorib. Mediol. pag. 182. Advocatus Johannes de Sitonis de Scotia in Chronic. Colleg. J. PP. Mediol. art. 59. 202. 295. 315. 422. 431. 694. 756. 932. 1018., & pag. 253. Johannes Baptiſta Sitonus in Jatroſophiæ Miſcellan. tractat. 50. pag. 342. iterum Clariſs. Ludovicus Antonius Muratorius in præfatione ad duo vetuſta Kalendaria inſerta in Tomo II. parte II. Rerum Italicar. Scriptorum Societatis Palatinæ Mediol. meminit cum laude præfati Jureconſulti Camilli Sitoni junioris pag. 1023. in hæc verba: „ alterum „ ex Codice ſcripto, ſi bene memini, ante ſeptingen„ tos annos, quem mihi pro ſua humanitate commo„ daverat Camillus Sitonus Vir quondam inter Me„ diolanenſes Rerum ſuæ Patriæ ſtudioſiſſimus; „ & ibidem pag. 1035. per extenſum tenorem inſeritur *Kalendarium Sitonianum*.

MDCII.

## MDCII.

## SITONUS HIERONYMUS.

CAmilli Sitoni ſenioris ſupra laudati frater fuit Hieronymus nunc commendandus, in lucem editus Mediolani die XXI. menſis Novembris, anno ab Orbe redempto MDLXI. & quemadmodum ille legalibus ſtudiis oblectatus eſt, ſic iſte Matheſim, cui vacaret, elegit, & ab occultioris Philoſophiæ cognitione alienus non extitit. Tales in ea progreſſus fecit, ut apud primarios Europæ Principes plurimi habitus fuerit. Etenim juvenili adhuc ætate à Carolo Lotharingiæ Duce Diplomatibus datis in Urbe Nancejo annis MDLXXXVII. & ſequenti, omnium Arcium Ditionis ſuæ Architectus militaris, & Generalis Inſpector conſtitui meruit, collato etiam honore Centurionis Cohortis unius, quam Ordinariam vocant, quæ ipſi in exequendo munere præſtò eſſet. In eo gradu conſtitutus tam egregiè ſe geſſit, ut in Italiam redux à Ducibus Lotharingiæ, & Cenomanenſis Provinciæ commendatitiis litteris ejus laudum plenis fuerit honeſtatus; vix Mediolanum regreſſus à Carolo Terrænovæ Duce, atque hujus Ditionis Regio Moderatore ad Erneſtum Auſtriæ Archiducem tunc in Croatia, & Sclavonia adversùs Turcas pugnantem miſſus eſt, à quo generalis Architectus bellicus creatus, militum Ducatum obtinuit, conſtituto ſtipendio CCC. Florenorum, quos Rhenanos appellant. Peſte tactus occubuit in patria ferali anno MDCXXX. Kal. Auguſti.

Edidit librum inſcriptum:

I. Quintæ eſſentiæ elementaris virtus, & deſcriptio. *Mediol. apud Bidellum*, 1630.
De ipſo mentio eſt apud Jo. Baptiſtam Sitonum in Jatroſoph. Miſcell. Tract. XXXVIII. Creſcentius in Corona Nobil. Ital. Tomo II. narrat. XXII. pag. 730. JC. Joannes Sitonus in Chron. Coll. J. PP. pag. 255., & Picinellus in Athenæo pag. 350.

## MDCIII.

## SITONUS JOANNES BAPTISTA.

CAmillus J. U. D. atque Octavia Sperona Dugnana nobiles Conjuges in hac Urbe Joannem Baptiſtam Sitonum genuere. Natalis ei fuit dies VII. menſis Julii, anno ab humani generis reparatione MDCV. Eximium ſortitus ingenium, cùm ſub Felice Hoſio Viro Clariſs. cujus Elogium jam in hac Bibliotheca jure merito inſeruimus, ſtudiorum expleſſet Tyrocinium, Philoſophicis excultus eſt diſciplinis, in queis Præceptores habuit Marabottum, & Balbum ex Ord. Prædic. eruditione celebres, qui per ea tempora in Euſtorgiano Cœnobio trahebant moram. Anno MDCXXIV. Ticinum erudiendi gratia miſſus, à Joanne Antonio Phrygio Papienſi, atque Sigiſmundo Boldono Mediolanenſi, ſuo loco à nobis commendato, Medicam didicit facultatem, in qua poſt quadriennium, annos natus XXIII. die XIX. menſis Julii, magno cum totius Archigymnaſii illius plauſu, Doctor eſt renunciatus. Indè regreſſus in patriam ſub celebratiſſimo Archiatro Ludovico Septala, cui ob doctrinæ præſtantiam fuit acceptiſſimus, medendi practicam exercuit. Cùmque jam ægris juvandis maturus videretur, & ſcriptis, & labore perpeti civibus ſuis profuit, id unum ægrè ferens, nullam in hac Metropoli Medicinæ Cathedram, in qua artis præcepta Auditoribus tradere poſſet, reperiri. Primarios ſui Sæculi Eruditos coluit, ab eis viciſſim plurimi habitus. Non abhorruit tamen etiam ab amœnioribus Muſarum ſtudiis, quibus omne id temporis dabat, quod vacuum habere poterat; locum idcirco non infimum nactus inter Latinos Poëtas. Cùm autem annos integros L. in medica facultate exercenda peregiſſet, ætatis autem ſuæ LXXVI. die VIII. menſis Octobris, anno Chriſti MDCLXXXI. migravit è vita. Jacet in Templo Sancti Antonii Abbatis apud Clericos Regulares, qui Teatini dicuntur. Geminos poſt ſe reliquit filios eruditionis ergò illuſtres, Camillum ſcilicet jam laudatum, & Sebaſtianum, cujus brevì mentio recurret.

Scriptoris hujus verè eruditiſſimi hæc ſunt Opera:

I. Ticinus: Carmen latinum. *Ticini, apud Joannem Nigrum*, 1625. *in* 12. Illud nuncupavit Henrico de Capitaneis de Arſago JC. C. Mediolanenſi, in Ticinenſi Lycæo Juris Canonici Interpreti.

II. Nocturna Veneris Apparitio: Poëma. *Ibid. apud eundem Nigrum, jam dicto anno, in* 12. Dicavit Opus Petro Paulo Orlandi Phyſico Collegiato Papienſi, & in eadem Academia primario Medicinæ Cathedratico.

III. Veneris Monile: Poëma. *Ibid. apud eundem*, 1627. *in* 16.

IV. Jatroſophiæ Miſcellaneorum Pars prima. *Patavii, typis Cribellianis*, 1641. *in* 8. Hanc obtulit Comiti Ptholomæo Galliæ.

V. Ejuſdem Jatroſophiæ Miſcellaneorum Pars ſecunda. *Ibid. apud eundem Impreſſorem, in* 8. Integrum hoc Opus mendis, quibus ſcatebat expurgatum, & tertia pluſquam parte adauctum, primò ex Originalibus ſecundum duas partes Patavii impreſſum, recuſum prodiit *Typis Monaſterii Einſidlenſis per Nicolaum VVangenmann*, 1669. *in* 4. & tertiò *Coloniæ Agrippinæ, apud Joannem Gulielmum Frieſſem*, 1676. *in* 4. Secunda autem editio dicata fuit Joſepho de Loayſa Regio Senatori Mediolanenſi.

VI. Partus ſexto menſe natus, & abſolutè quicumque ante ſeptimum menſem naſcitur, diutiùs vivere, naturalibus functionibus fungi, & inculpata frui valetudine non valet: Diſſertatio. Hanc Typis editam teſtatur Curtius, annum, Impreſſorem, & locum reticens.

VII. Librorum de vulgaribus morbis Gemmæ ex Hyppocrate, Galeno, & Valeſio excerptæ. MS. Codex citatur ab eodem Bartholomæo Curtio, qui aſſerit illum ſervari in Bibliotheca Ambroſiana. Eum nos vidimus MS. in fol. cum aliquibus aliis mox recenſendis apud humaniſſimum JC. Joannem Auctoris ex filio nepotem.

VIII. Epigrammaton libri VI. quorum ſinguli centum continent Epigrammata. MS. in 12. apud laudatum JC. Sitonum.

IX. Illuſtriſſimorum Senatus Mediolanenſis Heroum Etymon. Opus Metricum. MS in 12. apud eundem.

X. Epiſtolarum, & Orationum LVII. libri duo. MS. in 8. Ibid.

XI. Ejus Epigramma editum eſt in libro, cui titulus: Franciſci Hoſii Juriſperiti de antiqua Tabellionum nobilitate contra vulgatam Doctorum ſententiam; de quo in ejus articulo diximus.

XII. Alia duo in libro inſcripto: Decreti pubblicati in Parnaſſo intorno alle glorie della Sereniſſima Famiglia d'Eſte. *Milano*, 1625. *in* 12. Hujus libri auctor eſt Melchior Putheus, de quo loco ſuo meminimus.

XIII. Alia ſeptem in Florilegio Antiquitatum Mediolanenſium Joannis Antonii Caſtillionæi, in laudem ipſius Caſtillionæi, de quo ſupra.

XIV. Aliud in laudem Nicolai Sacci Philoſophiæ Lectoris, in principio Libri de innato calore ejuſdem Sacci Auctoris. *Papiæ, apud Joannem Baptiſtam Rubeum*, 1628. *in* 4.

XV. Logiſta: Ecloga ſub nomine Anagrammatico Anæi Piſonis ad Batum Piſti. Hanc proferimus ex fide Picinelli, qui non docuit utrum impreſſa fuerit necne, vel ubi ſervetur.

Laudatur à Hieronymo Ghilino in parte II. pag. 143. ſui Theatri. Bartholomæo Curtio de Claris Script. Medicis Mediol. pag. 180. & 269. Vanderlinden de Scriptis Medicis pag. 331. Merklino in Lindenio renovato Tomo I. pag. 538. Mangeto in Biblioth. Script. Medic. Tomo II. parte II. lib. 18. pag. 269. Lazaro Auguſt. Cotta in Chorographia Verbani Lacus art. 70. pag. 45. Paulo Hieronymo Bimio de contagio bovino pag. 59. Jo. Maria Lanciſio de bovilla peſte pag. 36. JC. Sitono Nepote in Chronico Collegii J. PP. Mediol. pluribus in locis, & poſt alios non paucos à Picinello in Athenæo pag. 287.

MDCIV.

Digitized by Google

## MDCIV.

### SITONUS JOANNES FRANCISCUS.

EX Joanne Jacobo Sitono Cæſareo armigerorum ductore, atque Blanca de Ceppis Cribella nobilibus conjugibus, Mediolani lucis recepit uſuram die XI. menſis Novembris, anno ab Æterni Verbi Incarnatione MDXXXII. Joannes Franciſcus Sitonus. Hic ab ipſa adoleſcentia ad Matheſis ſtudia naturali quodam impetu raptus, tantùm in ea profecit, ut brevi doctrinæ famam adeptus clariſſimam, à Philippo II. Hiſpaniarum Rege fuerit expetitus. Quocirca illo jubente in Hiſpanas contendit Oras, ubi annos XIV. tranſegit Regii Architecti munere inſignitus, & non exigua mercede muneratus. Italiam poſtmodum repetens ab eodem Philippo Rege conſtitui meruit Generalis in toto Mediolanenſi Dominio Architectus, hoc inſuper addito privilegio, ut hujuſmodi officium, eo decedente, in unum è filiis ejuſdem tranſiret. Nec immeritò his ipſum affecit donis Rex optimus, quemadmodum in Diplomate dato Matriti die II. Maji anno MDLXVI. memoratur; Sitonus enim noſter in arduis inventis ità Catholico Regi inſervivit, ut ſtupente naturâ, & arte per montium apices flumina ad irrigandas integras Provincias, quæ non fertilitate ſolum, verùm & gentium propagatione feraciores redditæ ſunt, ducta fuerint. Neque minora extant, quæ peregit in Inſubria; etenim Petro Henriquez Azevedio Fontium Comiti, & Produci Mediolanenſi auctor fuit munitiſſimæ Arcis in Volturenæ finibus erigendæ, quam de conditoris nomine *il Forte di Fuentes* dicimus, undè Rhetis ſe jugum impoſuiſſe ipſe gloriatus eſt. His, aliiſque egregiè factis clarus, cum Camillum JC. eruditiſſimum jam ſupra commendatum genuiſſet, die XI. menſis Auguſti anno MDCVIII. Mediolani denatus eſt.

Scripta reliquit:

I. Del modo di elevare, livellare, e condurre le Acque. Tractatus eſt MS. in fol. teſtibus Picinello, & Ghilino locis infra citandis.

II. Binas Conſultationes reſponſales ad Sacram Regiam Catholicam Majeſtatem Philippi Secundi Auſtriaci Hiſpaniarum Monarchæ ſub data Matriti die XI. Decembris an. MDLXXVII., & die XXIX. Aprilis an. MDLXXVIII., in fol. *Hiſpanicè*; quarum prima incipit: „ S. C. R. M. Eſſotro dias, quando V. M.
„ fue ſervido mandar que yo fueſſe a ver la diſpuſicion
„ del riego del Campo de Urgel, &c. „ altera verò incipit: „ S. C. R. M. En virtud de la comiſſion,
„ y orden, que eſſo dia V. M. fue ſervido mandar ſe
„ me dieſſe para que yo fueſſe a Cataluña a ver la
„ diſpuſicion que tiene el campo de Urgel para poderſe
„ regar con el aqua del Rio Segre, &c. „ ac in fine:
„ Nueſtro Señor la Catolica y Real perſona de V. M.d
„ guarde con acreſcentamiento de mas Reynos y Señorias, como la Chriſtianidad tiene meneſter. En
„ Madrid a 29. de Abril 1578. años.

„ B. L. M. y pies de V. M.d

„ Su muy humilde Vaſſallo, y Criado
„ Jvan Franciſco Siton &c.

Commendant ipſum Franciſcus Ballarinus in Chron. Comenſi pagg. 69. & 311. Petrus Maria Lavizarius in hiſt. Vulturenæ lib. III. pag. 114. Fortunatus Spreicher. in Pallade Rhetica lib. VI. pag. 181. Theodatus Hoſius de Nobilit. in fine. Moriggia in Hiſtor. Mediol. lib. I. cap. 59. Ghilinus in parte II. Theatri ſui pag. 143. Borſerius in Supplem. Nobil. Mediol. cap. 16. pag. 59. Salvator Vitalis in Theat. Magnal. Urbis Mediol. pag. 33. JC. Joannes Sitonus in Chron. J. PP. pag. 254. & Picinellus in Athenæo pag. 301.

## MDCV.

### SITONUS SEBASTIANUS.

SEbaſtianus Sitonus, cujus meminimus jam ſupra, dum de Joanne Baptiſta ejus Patre verba faceremus, Camillum Fratrem ſuum Juriſprudentiâ, & antiquitatis peritiâ celebrem, de quo item jam egimus, æmulatus, Genitoris veſtigia proſequi maluit, & totum ſe dedit Medicæ facultati addiſcendæ. Lauream igitur conſequi meruit in Ticinenſi Archigymnaſio anno Incarnati Verbi MDCLIII. Plurimùm ſpei conceperat Patria de tanti Viri doctrinâ, quam Diſſertatione mox proferenda in lucem emiſſa patefecerat; cùm præcoci fato ſublatum dolere coacta eſt raptum, cùm nondum trigeſimum ætatis annum exceſſiſſet. Id in cauſa fuit, ut careant Eruditi Homines pluribus, quæ Sebaſtianus ſcribere meditabatur, quem tamen doctiſſimum in Arte Medica comprobat

I. Diſſertatio, cujus hoc Argumentum eſt: In Fractura Coxæ ob caſum ab alto venæ ſectionem faciendam in cubito lateris directè reſpondentis Coxæ læſæ. Edita eſt anno 1656.
Id hauſimus ex Bartholomæo Curtio de Script. Medicis Mediol. pag. 183. ubi tamen non indicatur, ubi, vel apud quem prodierit. Laudatur etiam à JC. Sitono noſtro in Chronico J.PP. pag. 256.

## MDCVI.

### SOCIACUS BENEDICTUS.

BEnedictus Sociacus, qui ſe ipſum aliquando etiam Soſſagum vocat, patrem habuit Beniaminum teſte Clariſſimo Sitono, ſacriſque initiatus, præter eruditionem Philoſophicam, & Theologicam, in Latina Poëſi ſumma cum laude floruit, ejuſque excollendæ inter Oblatos in Collegio Ambroſiano provinciam ab eximio Cardinali Federico Borromæo obtinuit, cui adeo probavit ingenium, ut ſæpius ab eo ad cœnam vocaretur, ibique aliquando extemporanea Carmina pronunciabat. A Viris Eruditis ſui ævi in magna exiſtimatione habitus fuit, ſignanter à Felice Hoſio, Joſepho Ripamontio, Hieronymo Boſſio, Franciſco Bernardino Ferrario, Auguſtino Terzago, aliiſque. Invitatus à proceribus magni nominis, cum itineri Hiſpanico ſe accingeret, morte præventus eſt anno Salutis MDCXXIII. exeunte. Nunc Opera illius damus ordine quo in lucem prodiere, à nemine uſque adhuc tam accuratè diſtincta,

Videlicet:

I. Arces Palatinæ: Carmen Benedicti Sociaci. *Mediolani, ſine anno, & Impreſſoris nomine, in 8.*

II. Ad Illuſtriſſimum Præſidem Julium Areſium Carmen. *Mediolani, ſine anno, & Typographi nomine, in 4.*

III. Argus Erycii Puteani C. R. apud Mediolanenſes eloquentiæ Profeſſoris, & Hiſtoriographi Regii Poëma: Auctore Benedicto Soſſago. *Mediolani, apud Malateſtas*, 1594. *in* 8. *& iterum* 1604.

IV. De Ingenio Canis; ſoluta Oratione. Extat in eodem Libro.

V. Sylvæ.

VI. Opuſcula Sacra. Hæc duo edidit uno Volumine: *Mediolani, apud Pontium, & Piccaleam*, 1612. *in* 8. & de iſtis ſic ſcripſit Petrus Paulus Boſca in libro de Origine, & Statu Bibliothecæ Ambroſianæ. „ Cùm tertio quoque anno, ut Ambroſiani
„ Collegii legibus cavetur, Alumni jubeantur vul-
„ gare typis lucubrationes, aut ſaltem adorna-
„ tum opus oſtendere Cenſoribus; abrupit moras
„ omnes Poëſis Sociaci. Facta ſibi à Salmatio Præ-

„ ſide Collegii poteſtate (id enim eſt moris) edidit „ Sociacus Sylvas, atque Opuſcula Sacra, blandientibus utique Muſis, cum ubique accuratæ imitationis veſtigia emineant in adumbrandis Papinii Statii Sylvis.

VII. Epitalamium in Nuptiis Julii Cæſaris Borromæi, & Joannæ Ceſiæ. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1615. *in* 4.

VIII. Epigrammatum Libri VII.

IX. Odarum Libri II. Hæc uno Volumine impreſſa ſunt *Mediolani, ex Typographia Ambroſiana*, 1616. *in* 8 Boſca autem ſupradictus editionem indicat ad annum 1613.

X. Carmina alia Latina. Extant inter Poëmata varia pro Laurea P. Marcheſii à Hieronymo Villa collecta.

XI. Alia in laudem Aquilini Coppini. Extant in fronte & ad calcem editionis Epiſtolarum ejuſdem Coppini à nobis alibi indicatæ.

XII. Alia in Tomo IX. Carminum illuſtrium Poëtarum Italorum pag. 503., ubi malè Sociacus noſter Papienſis vocatur.

XIII. Alia num. XX. extant in Collectione Joannis Baptiſtæ Foſſati, pro Laurea Joanni Baptiſtæ Vicecomiti collata. *Mediolani, apud Paganellum*, 1608. *in* 8.

XIV. Elegia in laudem Joannis Antonii Caſtillionæi. Extat in libro, cui titulus: „ Florilegium Mediolanenſ. Antiquit. ejuſdem Caſtillionæi; de quo ſupra jam dictum.

XV. Carmen ſatis prolixum, quo Fridericum Cardinalem Borromæum extremum alloquitur. Extat in Bibliotheca Monachorum S. Ambroſii Mediolani, inter MSS. Jacobi Valerii, Cod. ſign. A. num. 125.

XVI. In Translatione Corporum Sanctorum Calimerii Martyris, aliorumque hujus Urbis Archiepiſcoporum, quam Federicus Cardinalis Borromæus, unà cum Suffraganeis ſuis ſolemni pompa celebravit, Sociacus noſter Literario apparatu Urbis ingenium ſuum commendavit.

XVII. La Caroleide: Poema eroico in onore di S. Carlo. Hoc imperfectum reliquit.

XVIII. Geſte Dramma, quod Incendio deperditum fuit, ut aſſerit Boſca ſequentibus verbis ad annum MDCXXIII. „ Cothurnatus etiam prodiiſſet in „ ſcenam Sociacus, Jephteam Virginem acturus: „ verum ignis abſumpſit carmen, ac funeri Scriptoris ferè præluſit. Parentarunt Sociaco ſuo „ Muſæ; has verò præficas illacrymantes funeri „ excitavit Auguſtinus Terzagus, eiſdem Pindi Sacris initiatus.

XIX. Epigramma Latinum. Extat in libro, cui titulus: „ Lo Armidoro Poema di Giovanni Soranzo, al „ Conte Franceſco d'Adda. *Milano*, 1611. *in* 4.

In Cod. MS. Epigrammatum Jacobi Valerii Biblioth. PP. Teatin. D. Antonii Mediolani, extant Carmina plura de Scriptore noſtro, inter quæ hoc ſelegimus:

*Phœbe, novo ſi quando caput modo necte corymbo,*
*Et peragant partes nunc tua plectra ſuas.*
*Aſpice Pierii quos ſpiret veris honores,*
*Quantaque Soſſagi copia ab ore fluat.*
*Utque diu ſpinis & agreſtibus obſita dumis*
*Terra novas ſegetes, & bona mille ferat.*
*Fac celebrent omnes præconia tanta ſorores,*
*Nam nequit in laudes una ſat ire ſuas.*

Extant Epiſtolæ duæ in commendationem eruditionis ejuſdem inter Epiſtolas Joſephi Laurentii Lucenſis. *Patavii*, 1640. *in* 12. datæ Vicentiæ anno MDCXXI.

In Encomiaſtico Hieronymi Boſſii Ticinenſis pag. 12. extat Acclamatio VI., ſeu Epiſtola ſatis elegans ad Joſephum Ripamontium, & Benedictum Soſſagum.

Erycii Puteani Epiſtola ad eundem, ſic incipit: „ Suaviſſimum hauſi Lyræ tuæ melos &c. „ proſequitur in ejus laudes: „ Olgiatum laudat &c. data Lovanii XI. Kal. Februar. MDCX. in IV. Centuria, pag. 99.

Videndi ſunt Boſca ſupracitatus, Picinellus in Athenæo pag. 83., & Joannis Jarkii Specimen Hiſtoriæ Academiarum Eruditarum Italiæ. *Lipſiæ* 1725. *in* 8. pag. 38.

## MDCVII.

### SOLARIUS, ſive de SOLARIO AMIZIO.

TRanſeundum nunc eſt ad Solariæ Familiæ Mediolanenſis Eruditos, quorum omnium ut vetuſtate, ſic & elementario ordine primus eſt Amizio, ſive mavis Amizius. Hic exeunte Sæculo XII. in lucem editus, Juriſprudentiam coluit diligentiſſimè, & aliquando Cauſarum patrocinium non ſine laude geſſit in Foro, ut innuunt pauca infra memoranda illius ingenii monumenta, quæ temporis edacitatem effugere potuerunt. Sacri etiam Palatii Tabellio publicus fuit; atque inter Viros ſuæ tempeſtatis doctrinâ, & Legum ſcientiâ illuſtres computari meruit. Verùm cùm anno MCCXIX. S. Dominicus Ordinis Prædicatorum parens clariſſimus è Lutetiâ redux, & Bononiam pergens per hanc tranſiret Metropolim, & in Canonica Sancti Nazarii, ut alibi jam narravimus, hoſpitio receptus moraretur, Viri ſanctitate permotus Amizio, ſimul cum Guidotto de Sexto, quem haud multò ante laudibus proſecuti ſumus, atque Rogerio de Merate, ſive de Vicomercato, Juriſperito celeberrimo, ejuſdem Inſtitutum amplecti decrevit. Itaque ab ipſo Sancto Dominico Ordinis habitum ſuſcipiens, adeò fidus ei adſtitit comes, ut cùm Sanctus Pater in Cœlum migraſſet, inter teſtes ejus ſanctitatis, virtutumque aſſertores fuerit computatus. Præfuit Cœnobiis Mediolanenſi, & Patavino; & quamvis Pius aſſerat, Amizium eundem eſſe cum Ardigono Mediolanenſi ipſius Ordinis Viro, qui anno MCCLXXXVIII. defunctus, miraculis claruit; verùm ab eo, & meritò, diſſentiunt Clariſs. Quetif & Echard, arguentes Amizium XXX. minimùm, vel XL. annos natum, Religioni ſe dicaſſe; ideoque fieri non potuiſſe, ut ad tam prolixam ætatem pervenerit. Addunt, Leandrum, tametſi de Ardigono pluribus egerit, nuſquam meminiſſe eum à Sancto Dominico habitum ſuſcepiſſe, quod certè non tacuiſſet. Rem hanc diſcutiendam reliquerunt iidem Scriptores Bibliothecæ ipſius Ordinis Sodalibus ſuis Euſtorgiani Cœnobii hujus Urbis, quod & nos perquam libenter facimus, quamvis quid præſertim in tanta temporum vetuſtate ſperandum ſit Lector videat. Priuſquam verò ab Amizione recedamus, libenter hîc exſcribimus Familiæ Solariæ monumentum ſatis vetuſtum, quod adhuc cernitur in Parochiali Æde S. Mariæ, cognomento Beltradis, in hac Metropoli his verbis conceptum, ad Aram Sancti Antonii:

IN NOMINE DOMINI ANNO MCCCLXXIX. HANC CAPPELLAM AEDIFICARI FECIT MAGISTER ANTONIVS DE SOLARIO SENATOR MAGNIFICI DOMINI DOMINI GALEAZ VICECOMITIS MEDIOLANI IMPERIALIS VICARII AC DOMINI GENERALIS AD HONOREM DEI ET SANCTORVM IACOBI APOSTOLI ET ANTONII CONFESSORIS IN QVA CAPPELLA IACET MARGARINA VXOR SVA DICTI ANTONII QVAE OBIIT ANNO MCCCLXXVIII. DIE XXV. AVGVSTI CVIVS ALTARE CONSECRAVIT REVMVS D. D. BELTRAMVS DE BROSANO DEI GRATIA EPISCOPVS PARMENSIS QVI OMNIBVS VERE POENITENTIBVS ET CONFESSIS DICTVM ALTARE VISITANTIBVS DIEBVS IN-

INFRASCRIPTIS QVADRAGINTA DIES DE INIVNCTIS POENITENTIIS MISERICORDITER RELAXAVIT IN FESTIVITATIBVS NATIVITATIS DOMINI EPIPHANIAE RESVRRECTIONIS ASCENSIONIS PENTECOSTES CORPORIS CHRISTI QVATVOR FESTIVITATIBVS BEATAE MARIAE VIRGINIS : S. IOHANNIS BAPTISTAE APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI IACOBI ET PHILIPPI IACOBI ET CHRISTOPHORI SANCTI ANDREAE ANTONII CONFESSORIS ET SANCTAE CATHERINAE ET FERIA QVARTA PER TOTVM ANNVM.

Ut autem redeamus ad Scriptorem noſtrum, haud improbabile videtur, eum multa ad Juriſprudentiam pertinentia ſcripſiſſe, quæ tamen vel deperdita fuerunt, vel fortè adhuc deliteſcunt. At noluimus ipſum ab hac Bibliotheca excludere, cùm ſaltem ſuperſint illius :

I. Conſilium Juridicum ſuper reſtitutione dotis in Cauſa Euſebii Aliprandi anno MCCXVII. Memoratur in Indice Scripturarum olim penès Galeaz Vicecomitem Mediolani Ducem extantium. Qui Index MS. in membrana in fol. ſervatur apud Marchionem Gaſparem de Roſales JC. C. Illud certè magni momenti fuiſſe patet, cum inter Principum Documenta cuſtodiretur.

II. Juridica Depoſitio pro ſanctitate B. Dominici, de qua jam verba fecimus, excerpta ex Codice MS. F. Bernardi Guidonis in Archivis Conventus Carcaſſonenſis Ord. Præd. aſſervato, legitur in Biblioth. Clariſſimorum Virorum Quetif, & Eccard pag. 48.

De ipſo agunt, præter eoſdem Quetif, & Eccard loco citato, Taëgius in Monum. Ord. Præd. Gualvaneus de la Flamma. Puricellus in Differt. Nazar. cap. 109. pag. 551. Triſtanus Chalcus in Hiſt. Mediol. lib. XIII. ad annum MCCXVIII. aliique plures.

## MDCIX.

## SOLARIUS JOANNES DOMINICUS.

JOannes Dominicus Solarius Mediolanenſis die VIII. menſis Novembris, anno, poſtquam redempti fuimus, MDCXLIV. natus eſt. Exactis laudabiliter prioribus ſuæ ætatis luſtris IV. ad Carmelitarum Nudipedum Ordinem tranſiit; depoſitoque Joannis Dominici nomine, pro Aſcetarum conſuetudine appellatus fuit Ambroſius Maria à Sancta Barbara. Solemnia igitur emiſit vota die XV. menſis Aprilis anno Chriſti MDCLXIV. atque ita vixit inter Sodales ſuos, ut de univerſo Cœtu benemeritus ob exemplarem obſervantiam, & morum probitatem omnibus effulſerit. Proximorum ſalutem egregiè promovit ſacras Confeſſiones aſſiduè excipiens, tam Sæculares, quàm Religioſos Viros ad perfectionis viam amplectendam incitans, & in exitu animæ laborantibus ſumma pietate adſtans. Migravit è Sæculo Prid. Kal. Novembris anno MDCCXX. in Cœnobio Bononienſi, cùm plures per annos graviſſimis morbis afflictus ſingularis patientiæ præbuiſſet exemplum.

Scripſit, & edidit :

I. La Monaca ritirata. *Bologna, per Giuſeppe Longhi*, 1714. *in* 12. Hoc Opere ſacris Virginibus decem dierum Exercitia Spiritualia proponit, Meditationibus IV. ſingulis diebus peragenda.

II. Proviſione Spirituale per il diſaſtroſo viaggio da queſta all'altra vita, *Ivi, per lo ſteſſo*, 1723. *in* 12. Opus eſt tam morientibus, quàm eos conſolantibus in agone utile ſatis, & aptum.

III. Il Miſtico Ritratto di Santa Tereſa; cioè dieci Mercordì in apparecchio alla Feſtività della Santa. *Bologna, per lo ſteſſo*, & rurſus *Milano, per Marcantonio Lucca, in* 12.

A Suis.

## MDCX.

## SOLARIUS ISIDORUS.

NOn ſemel in hoc Opere meminimus vetuſtiſſimi illius Cœnobii, quod adhuc ſupereſt in Suburbio Olitorum non longè ab Arce Portæ Jovis hujus Metropolis, & Sancti Ambroſii ad Nemus appellatur. Plures quoque enumeravimus Viros doctos ex illo Eremitarum Cœtu, qui olim ſacras illas Ædes Sanctorum Ambroſii, Auguſtini, & Simpliciani ſeceſſu celebres incoluere, quorum Ordo ab eodem Sanctiſſimo Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtite Ambroſio dictus, & prioribus florens ſæculis, nunc extinctus eſt, ſuffectis in ipſo Cœnobio Strictioris Obſervantiæ S. Franciſci Alumnis religioſiſſimis, qui nuncupantur Reformati. Eo autem tempore, quo præfatus Ordo ibidem vigebat, vixit inter illius profeſſores Iſidorus Solarius vetuſtâ familiâ in hac Urbe genitus, qui præter eruditionis ornamenta, pietate in proximum ductus, Energumenis à Cacodæmone liberandis totus incubuit; atque ut nedum vivens, verumetiam defunctus prodeſſet, Opus infra memorandum vulgavit. Reliqua illius Acta cum Ordinis ſui extinctione perierunt, vixiſſe tamen videtur ad medium uſque ſuperioris ſæculi.

In lucem emiſit librum mole quidem exiguum, ſed tamen perutile, cujus hic eſt titulus :

I. Remedium præſervativum, liberativumque contra omnes Dœmonum incurſus. *Mediolani, apud Ghiſulphum*, 1636. *in* 8.

Ex Picinello in Athenæo pag. 384.

## MDCXI.

## SOREXINA MENADRAGUS.

SOrexina Familia, quæ nunc in Cremonenſi Urbe Decurionatus honore, aliiſque titulis fulget, ex hac Metropoli ſedes illuc tranſtulit, cùm hic priùs non paucos protuliſſet Viros eruditione, atque muneribus clariſſimos : Eminent inter eos Manfredus, atque Menadragus in libera Mediolanenſi Republica anno Chriſti MCLXVIII. Conſules Juſtitiæ, nec non Pinus, ſive Spinus, & Bonacurſius, quorum primus poſt Conſulatum Juſtitiæ laudabiliter in patria geſtum anno MCCXII. Prætor fuit Bononiæ patriæ meæ amatiſſimæ anno MCCXXVII. alter verò ejuſdem Urbis Populi Capitaneus anno MCCLVI. tum Poteſtas anno ſequenti, teſtibus Matthæo de Gryphonibus, & Bartholomæo de la Pugliola Hiſtoricis Bononienſibus in Tomo XVIII. Rer. Italicar. Scriptorum, itemque Conradus Prætor Faventiæ anno MCCLVI. Præfatus autem Spinus anno MCCXXIII. Præturam jam adminiſtraverat Januæ; cùmque, ut diximus, Bononienſibus præeſſet, interfuit celebrationi pacis inter Mediolanenſes, Brixienſes, Veronenſes, Bergomenſes, aliaſque Italiæ Urbes. Eodem Præturæ munere functus eſt Januæ annis MCCXXXVIII. & MCCLVI. Paulus de Sorexina, qui reverſus in Patriam, contra Martinum Turrianum pro Nobilibus ſtetit anno MCCLVIII. teſte Corio ad eum annum.

Hunc

Hunc tamen Albertum appellat Chalcus lib. XV. Neque prætereundi ſunt Manfredus, & Conradus alter, primus anno MCCXVII. ſecundus anno MCCLXXIV. Abbates celeberrimi Monaſterii Sancti Simpliciani hujus Urbis, atque etiam Albricus anno MCLXXXVI. Albricus alter anno MCCXXXIX & demùm Gulielmus dictus Martius anno MCCLXI. Canonici Ordinarii Metropolitanæ, quemadmodum Chriſtophorus anno MCCCXL. Joannolus anno MCCCLXXXVIII. & Manfredus anno MCCCCIX. Mediolanenſis patriæ Decuriones. Nullus autem eorum, quos hæc Gens protulit, in hac Litterariâ ſcenâ ſcriptis editis, vel Anecdotis, quod ſciamus, locum ſibi promeruit, ſi Menadragum ſupradictum excipiamus, & Petrum infra memorandum. Nam Menadragus unus, ut diximus, è Conſulibus Reipublicæ Mediolanenſis, anno I. reſtaurationis poſt OEnobarbi, de quo toties verba fecimus, vaſtationem, non prudentiâ ſolum, ſed etiam Statutis conditis Civibus ſuis plurimùm profuit. Inſigne tamen hoc beneficium cumulavit, cùm anno MCCXVII. inter alios Juris Municipalis Collectores interfuit. Juvat etiam hic repetere, quod in Articulo MLXXX. diximus, cùm de Jacobo Maynerio ageremus, ſcilicet Menadragum hunc noſtrum anno MCLXX. die VIII. Auguſti, unà cum aliis Conſulibus Patriæ, in Canonica S. Laurentii, quædam ibidem recenſita pacta cum Vercellenſibus Civibus iniiſſe. Incertum habemus ejus obitus diem, atque annum.

Laudem igitur ſibi comparavit ob

I. Statuta Reipublicæ Mediolanenſis cùm aliis ejuſdem Urbis Coſs. anno MCLXX. condita.

II. Conſuetudines Civitatis Mediolani anno MCCXVII. compilatas ab eo, aliiſque Coſs. ejus anni. De his hæc habet Donatus Boſſius in Chron. Mediol. pag. 168. „ Anno Domini MCCXVII. Mediolanenſes, cum nulla „ antehac Statuta haberent, quædam Decreta condunt, „ quæ Conſuetudines Mediolani dixere, quorum exem„ plum membranis ſcriptum adhuc apud me Donatum „ Boſſium extat. „ Hæc tamen verba Boſſii ſic accipienda meminerit Lector, ut non indicent nullà omninò Mediolanenſes habuiſſe Statuta, ſed ea ſparſim in Tabulario publico aſſervata fuiſſe, donec in unum redigerentur Corpus. Nam, ut in hoc aliiſque Articulis Auctorum teſtimonio fulti narravimus, ab ipſa Urbis reſtauratione non pauca Statuta à prudentiſſimis Viris edita ſunt. Has verò Conſuetudines, quas MSS. apud ſe fuiſſe Boſſius teſtatur, eaſdem eſſe ſuſpicamur, quarum MS. Codex magnifaciendus nunc in Ambroſiana Bibliotheca ſervatur, de quo plura dicere ſuperſedemus, cum abundè de his egerit in Hiſtoria ſua Typographica Clariſs. Saxius noſter.

Mentio eſt Menadraghi in Chronico Gualvanei de la Flamma cap. 894. & ſeq. in Collect. Comitis Octavii Archinti MS. jam toties memorata, atque in Syllabo Conſulari Sitoni noſtri MS. penès ipſum Auctorem, ex cujus Schedis hauſimus etiam quod de aliis Viris ſupramemoratis de Sorexina diximus.

## MDCXII.

## SOREXINA PETRUS.

TUnc cùm Sorexina Familia adhuc Mediolani degebat, claruit inter hujus Urbis Cives Petrus ex eadem Gente natus, qui, ut videtur, inter Clericos cooptatus, Sacræ Theologiæ Lauream promeruit. Quantùm ei obſtricta ſit Patria facilè cognoſcet quiſquis noverit Virum hunc hæreditario, ut ita dixerim, amore, unà cum ſanguine à tot Avis ſuis, quorum in ſuperiori Articulo meminimus, tracto præditum, ab initio Urbis ad annum uſque MCCCCII. Annales Mediolani deduxiſſe, è quibus Joannes Petrus Puricellus in Monumentis Ambroſianæ Baſilicæ ad num. CCI. exſcripſit nonnulla. Reliqua illius Acta nullus indicat; filius tamen fuiſſe videtur Chriſtophori, qui anno MCCCXL. Decurio Mediolanenſis vivebat. Obitus autem Scriptoris hujus referendus fortaſſe ad annum circiter MCCCCIII.

Elaboravit, ut diximus,

I. Annales Mediolani ab Urbe condita ad annum Chriſti MCCCCII. MSS. ſervantur in Bibliotheca Carthuſiæ propè Papiam, & in Tabulario Cathedralis Novariæ. De ipſo agit Puricellus loco citato, & Sitonus noſter humaniſſimus in Schedis.

## MDCXIII.

## SORMANUS ANDREAS.

QUoniam locus poſtulat, ut verba fiant de Viris Eruditis è Sormana Familia genitis, agendum nunc eſt de Andrea, quem vergente Sæculo XV. inter vivos fuiſſe oſtendit Codex illius Manuſcriptus, de quo mox dicemus. Ex eodem etiam novimus, Scriptorem hunc Sacerdotali dignitate viguiſſe; cætera autem illius acta, diem, annumque obitus, parentum nomina, aliaque ad ipſum pertinentia, nemo hactenus novit. Poëſis tamen amantiſſimus extitit, ut evincunt tam quæ condidit Carmina, quàm Commentarii, quibus maximi Vatis Virgilii Bucolicorum Opus illuſtravit.

Hujus igitur reperimus:

I. Commentarios in librum Bucolicorum P. Virgilii Maronis; in cujus fine hæc ſcripta ſunt: „ Explicit liber „ Bucolicorum ſcriptus per Presbyterum Andream de „ Sormano Mediolanenſem die V. menſis Septembris „ MCCCCXCV. regnante Ludovico Sfortia Vicecomite „ Duce. „ MS. in 4. ſignat. X. num. VII. in Biblioth. S. Victoris Mediolani.

II. Carmina latina plura. Extant in MS. Cod. Sæculi XVI. in 4. in Bibliotheca Archintea.

## MDCXIV.

## SORMANUS HIERONYMUS.

NOn ſolum in hac Urbe Mediolanenſi, ſed etiam in aliis Ducatus Oppidis Sormana Familia floruit. Nam ipſa in Oppido Luino ad Lacum Lucarnum adhuc extabat eo tempore, quo Fridericus Cardinalis Borromæus æterni nominis Præſul Ambroſianam Eccleſiam moderabatur. In actis etenim Viſitationum ejuſdem enumeratus reperitur Æneas Sormanus, primus Bruſini Parochus ex loco Luino filius Bartholomæi, & Julittæ de Balbis. Hic ex paterno Oppido cùm ad præfatum Bruſini pagum haud longè diſtantem domicilium tranſtuliſſet, plures habuit nepotes, quos inter venit recenſendus Hieronymus hic noſter Tullii, & Joannæ de Valmaginis Conjugum filius, qui editus eſt in lucem anno, poſtquam redempti ſumus, MDCLXV. Litterarum emenſus curriculum in Mediolanenſis Urbis Seminario, quod Majus appellatur, & prædicti Æneæ exempla ſecutus, qui Bruſini Templum Deiparæ condidit, & Parochiales excitavit ædes, Sacerdotii dignitatem primùm, mox & animarum curationem in Vico Rogiani in Plebe Travalia hujus Archidiœceſis obtinuit. Vir fuit commiſſi ſibi populi rector aſſiduus, pluresque habuit è ſuggeſtu ſacras Orationes tam in demonſtrativo, quàm in deliberativo genere, quæ MSS. ut infra ſuperſunt. Peculiari etiam pietate Sanctum Martyrem Jemulum, cujus Corpus in Vallegana Bruſino proxima colitur, eſt proſecutus; quapropter ut in alios quoque ſuam transfunderet pietatem,

Digitized by Google

tem, Opus mox indicandum conſcripſit, & edidit. Illud nunc fuſiùs explicat patruelis illius Nicolaus Sormanus Ambroſiani Collegii Doctor, à nobis jam ſæpè laudatus in Tractatu ſuo *De Alta Inſubria*, quem, præter alia, in lucem publicam jam emiſſa, typis parat. Hieronymus autem, ut ſibi liberiùs vacaret, abdicato Parochiali regimine, deceſſit in hac Metropoli anno Salutis MDCCX. annos natus XLV. dum plura ab ejus ingenio expectarentur; conditusque jacet in Templo S Mariæ Aræcœli apud Fratres Hoſpitalitatis, vulgò dictos *Fate bene Fratelli*.

Ejus hæc habentur:

I. Racconto del Martirio, Sepolcro, e Fonte miracoloſo di San Gemolo nella Valgana. *Milano, per Pandolfo Malateſta*, 1707. *in* 8.

II. Prediche, e Panegirici. Vol. I. MS. juſtæ molis. Servatur apud Suos.

Hæc mihi ſuppeditavit prædictus Nicolaus Sormanus amiciſſimus.

## MDCXV.

### SORMANUS LAURENTIUS.

PArentes Laurentii Sormani Mediolanenſis fuere Paulus Comes, Plebis Miſſaliæ Feudatarius, atque Catharina de la Porta Conjuges. Ab ipſa adoleſcentia bonis litteris excultus, ad eruditionem formatus eſt tam felici progreſſu, ut Antiquitatis non mediocriter peritus evaſerit. Quinimo ut genio ſuo ſatisfaceret, jam adultus, & inter Clericos relatus, nobile Muſæum in propriis ædibus condidit, in quo inſignem Numiſmatum, & ex ære Iconum, atque hujuſce generis rerum copiam ſervaret, non ad luxum tantùm, ſed ad Eruditorum etiam commodum, & voluptatem. Cooptatus fuit in illum Cœtum Doctorum Procerum, de quo verba fecimus in Articulo Comitis Caroli Archinti, ubi etiam plures habuit Diſſertationes, quarum infra recurret mentio. Morum probitatem cum dicendi ſuavitate conjunctam habuit, ut omnibus gratus, nemini gravis, magnum ſui deſiderium moriens reliquerit. Obiit menſe Septembri, anno Chriſti MDCCXXXIV. conditusque jacet in paterno Sepulchro in Templo Sanctorum Angelorum ad Portam Novam hujus Urbis, cui Tumulo Frater Scriptoris noſtri Franciſcus Patriæ Decurio, communi Parenti, atque Alexandro Patruo hanc impoſuit Inſcriptionem:

D. O. M.
PAVLO SORMANO BRIANTIAE COMITI
ITALICAE LEGIONIS TRIBVNO
ANNO SALVTIS MDCLXXI. E VIVIS EREPTO
AETATIS VERO LXVII.
ET FRATRI EIVS ALEXANDRO
IN BELGIO GERMANIA
OMNES MILITIAE GRADVS EMENSO
IN INSVBRIA DENIQVE
SVPREMI CASTRORVM PRAEFECTI
LEGATO
NONAGENARIO DEFVNCTO
MDCXCV.
COMES FRANCISCVS SORMANVS
EX SEXAGINTA DECVRIONIBVS
MEDIOLANI
PATRI ET PATRVO POSVIT
MDCXCVI.

In vetuſtiori ejuſdem nominis Eccleſia aderat alterius Pauli Sormani militari gloria clari Epitaphium, quod nobis ſervavit in Collectione ſua Comes Octavius Archintus in hæc verba conceptum:

D. O. M.
QVID SIM VIDES QVID FVERIM NOSTI
QVID IPSE FVTVRVS COGITA
D. PAVLO SORMANO EQVITI S. STEPHANI
QVI VIXIT ANNOS XXIV. MENSES VIII.
OBIIT CASTANII NVMIDIAE
PRO FIDE ORTHODOXA TVENDA
MDLXXXV. MENSE IVNII DIE XX.

Superſunt illius:

I. Della Scienza delle Medaglie Diſſertazioni III. Eas habuit cum ſequentibus in Conſeſſu Eruditorum, de quo ſupra diximus; & MSS. ſervantur apud Co. Maximilianum Stampam Soncini Marchionem.

II. Di Roma antica Diſſertazioni IV. MSS. ibid.

III. Idea d'una Accademia, in cui di ſole Iſcrizioni antiche, Medaglie, Idoli, Lucerne, e coſe ſimili, diſcorrere doveváſi. MS. in fol. penès me.

De eo JC. Jo. Sitonus noſter in Theatro ſuo Genealogico MS. pag. 421. atque in Monumentis Familiæ Sormanæ ab anno MCCCLXXIII. ad an. MDCCXXIV. pariter MS. apud eundem Auctorem.

### SOSSAGUS BENEDICTUS.
Vide SOCIACUS.

## MDCXVI.

### SOVICUS MICHAEL.

SOvicam, ſive de Suigo, familiam vetuſtam Mediolanenſem, ex qua traxit originem, plurimùm ornavit Michaël, qui exeunte Sæculo XVI. patriam illuſtrare ſtuduit. Etenim perpeti ſtudio non Latinas tantummodò litteras coluit, ſed Græcas inſuper, atque Hebraicas, in quibus omnibus eruditus inter Doctos hujus Urbis primarios haberi meruit. Eccleſiaſticis miniſteriis addictus Parochialis Eccleſiæ vetuſtiſſimæ, cui cognomen *la Paſſarella*, in hac Metropoli regimen obtinuit. Gratiſſimus fuit ob eruditionis, & morum præſtantiam Philippo Archinto, & Sancto Carolo Borromæo Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopis celeberrimis, atque apud hunc poſtremum tantus extitit, ut difficillimam provinciam Breviarii, & Miſſalis Ambroſiani reformandi eidem demandarit. Sanè res iſta apertè innuit, quâ Scriptor noſter præditus eſſet doctrinâ, tam in Eccleſiaſtica hiſtoria, quàm in hujus Cleri ritibus antiquitate ipſa venerabilibus, & toti Chriſtiano Orbi notiſſimis. Deſideratus eſt menſe Majo, anno Redemptionis MDLXXI. Quandoquidem autem de hac Gente verba facimus, lubet hoc loco poſteritati ſervare alterius ex eadem Familia Viri Epitaphium è vetuſto Documento exſcriptum, quod anno MDCCXII apud Hieronymum Sovicum extabat, quamvis ubi poſitum fuerit, ibidem non legatur. Eſt autem hujuſmodi:

D. O. M.
FRANCISCVS IVR. CONSVLTISS.
A PARMENSI REGIMINE
SIC HONORVM INSIGNIA AVSPICATVS
VT AD OBEVNDA AMPLISS. DEINCEPS DIGNITATVM MVNIA
IAM MATVRVS HABERETVR
HEV DVRA SORS MORTALIVM!
ACERBA MORTE RAPTVS
LVGVBRI ADEO CIVITATE
HOC DEMVM COMPOSITVS QVIESCIT TVMVLO
MELIADVX ET MARTHA TRIVVLTIA PARENTES PIISS.
POSTERITATIS MEMORES B. M. POSVERE
VIXIT
ANNOS XXVIIII. OBIIT MENSE OCTOBRI
MCCCCLXXXXVIIII.

Iſtius quidem Franciſci meminit Sitonus noſter in Chronico Collegii J. PP. hujus Urbis art. 311. pag. 72. At Michaël, de quo agimus

Laudatur ob

I. Breviarium, & Miſſale Ambroſianum, ut diximus, reformatum.
De eo Moriggia in Nobil. Mediol. lib. III. pag. 274.

## MDCXVII.

## SOVICUS THEODORUS.

MIrum certè videtur, Viros Clariſs. & non de Ordine tantùm Prædicatorum, ſed etiam de univerſa litteraria Republica optimè meritos Quetif, & Echard, Theodori Sovici, ſeu de Suigo nomen, & Opus infra memorandum ignoraſſe, neque cæteris ſui Ordinis Scriptoribus eum attexuiſſe. Nobis tamen id excuſatione potius dignari placet; memores enim ſumus, ut multoties ſcripſimus, fieri non poſſe, quòd in vaſtæ molis Collectionibus omnia ad manus perveniant, præſertim cùm de exteris Hominibus ab exteris agatur. Culpanda imò eorum eſt negligentia, qui non raro, vel rogati, ſuorum nomina, & reliqua ad ipſos pertinentia non ſine poſterorum detrimento Collectoribus invident; ut nobis etiam accidit in hac Mediolanenſium Bibliotheca adornanda. Cæterùm Thomas noſter ſic inter Prædicatorii Cœtus Alumnos claruit, ut cùm Sacræ Theologiæ Magiſterio eſſet ornatus, Euſtorgiano Cœnobio Sæculi XVI. initio præfici meruerit. Et hæc quidem ea ſunt, quæ nobis innotuere ex Opere mox recenſendo; cætera delevit oblivio.

Scripſit librum prænotatum hoc titulo:

I. Confeſſionario utiliſſimo a ogni perſona de Magiſtro Theodoro da Suigo dell'Ordine de' Predicatori. Impreſſo *in Milano, per Ulderico Sinzenzeller*, 1496. *in* 4. Ibi iterum *per Johanne Angelo Sinzenzeller nell'anno del Signore* 1505. *a di* 15. *de Febraro*, *in* 4. & rurſus *per lo ſteſſo* 1518. *a di* 5. *di Zugno*, pariter *in* 4.
In fine adeſt Forma plenariæ abſolutionis Indulgentiæ compoſita per Reverendiſſimum Sacræ Theologiæ Profeſſorem M. Theodorum de Suigo Priorem Conventus Sancti Euſtorgii, Ordinis Prædicatorum, quæ Indulgentia, ut ibi refertur, conceſſa fuerat à Reverendo D. D. Johanne de Aragonia Legato noſtro in ultimo mortis articulo.

## MDCXVIII.

## De SPADACINE ANNIBAL.

ANnibalis de Spadacine Mediolanenſis nos effugiſſet etiam nomen, niſi Pater Franciſcus Milliet de Chales Soc. Jeſu in Catalogo Scriptorum Mathematicorum ejus Opera recenſuiſſet. Nulla certè ejus Familiæ monumenta reperimus apud Collectores, quorum labores, ut ſæpius diximus, nobis adjumento fuerunt in hoc Opere adornando; ex eruditis tamen illius laboribus novimus ipſum Aſtrologiam coluiſſe, & Chiromantiæ quoque peritum extitiſſe. Cùm verò Gallico ſcripſerit idiomate, & Codex Pariſiis prodierit, arbitrari licet eundem in Galliis diu vixiſſe, & forſitan ibi poſtremam vidiſſe diem. Hæc divinare potiùs, quàm aſſerere lubet; cæterùm ætas, qua floruit, ex editione ipſius Codicis erui poteſt.

Ille ſic inſcribitur:

I. Speculum Aſtrologiæ naturalis, in quo agit de hominis inclinationibus, de nativitate, de omnibus menſibus anni. Item de morbis, & muliercularum inclinationibus, idiomate Gallico. Habet & Chiromantiam *Pariſiis*, 1654. *in* 8. Ex P. de Chales in Catalogo Auctorum Mathematicorum.

## MDCXIX.

## SPANZOTUS FRANZIUS.

PLuries jam verba fecimus de inſigni ea Statutorum Mediolanenſium Collectione, quæ Luchino Vicecomite jubente primùm cœpta, emiſſa tandem eſt anno MCCCLI. ſub Joanne Vicecomite Mediolanenſis

Digitized by Google

nenſis Urbis Archiepiſcopo & Principe; ſuiſque locis eorum meminimus Virorum Juriſprudentiâ inſignium, quibus hæc Metropolis tanto obſtricta eſt beneficio. Occurrit nunc Franzius Spanzotus, qui inter cæteros hanc ſuſcepit ſpartam, nec ſine laude confecit. Ægrè tamen ferimus, præter laborem hunc ad Patriæ utilitatem exantlatum, nullam ipſius actuum, parentum, & hujuſmodi ſupereſſe mentionem.

Laudem ſibi promeruit ob

I. Statuta, ſive Municipale Mediolanenſis Reipublicæ Jus coordinatum, & emendatum, annoque MCCCLI. editum.
Hæc ex Corio recitat Comes Octavius Archintus in Collectione ſua MS. Monument. Famil. Mediolanenſium.

## MDCXX.

## SPAROLETTUS JOANNES ANDREAS.

MEdio ferme Sæculo XVII. claruit Joannes Andreas Sparolettus Antonii filius, qui animarum curam in hac Metropoli agebat in Eccleſia Sancti Sixti, totus ad earum profectum intentus, & nihilominus in ſcribendis hiſtoriis tam patriis, quàm exteris nunquam feſſus; mirum igitur eſt, quod tantum ei temporis ſuperfuerit non ſolùm in infra recenſendis Operibus, ſed etiam in aliis deperditis elucubrando, ut nos moniti fuimus ab amicis, quibus præ manibus adfuere, ſed nec titulum eorundem nobis ſervarunt. Inter vivos eſſe deſiit anno MDCLXXX.

Hæc nos vidimus:

I. Serie Iſtorica delle Antichità della gran Città di Milano, e famoſi fatti de' ſuoi Cittadini, con i loro Governi fino al preſente pacifico anno MDCLX. in quattro parti diviſa, ed ordinata da Gio. Andrea Sparoletto Rettore nella Chieſa Parochiale di S. Siſto Porta Ticineſe, in fol. Tom. II. MSS. penès Carolum Jacobum Porrum JC. & Advocatum.
II. Novello Coloſſo del Sole, overo Vita della Beata Maria Laurenzia Longa Dama Napolitana Fondatrice, ed Inſtitutrice delle Cappuccine in Napoli, di Gio. Andrea Sparoletto Rettore nella Chieſa Parochiale di S. Siſto Porta Ticineſe di Milano ec. dedicata al M. R. Sig. Gio. Battiſta Longo, Dottore di Sacra Teologia, e Rettore in S. Michele alla Chiuſa. MS. in 4. pagg. 160. Extat in Bibliotheca Ambroſiana Cod. ſignat. H. num. 220.

## MDCXXI.

## SPINULA PUBLIUS FRANCISCUS.

PUblius Franciſcus Spinula, quem perperam Abbas Picinellus in ſuo Athenæo Petrum Franciſcum vocavit, Patrem habuit Gabrielem, ut ipſemet teſtatur pluribus in locis ſuorum Carminum, ſicuti & Joannes Baptiſta Craſſus Mediolanenſis, Michaëlis filius in ſuo Epigrammate Latino ſatis longo, quod legitur in libro de Intercalandi ratione ipſius Spinulæ, ſic inſcriptum „ Ad Publium Franciſcum Spinulam Gabrielis filium. „ Sub optimo Præceptore A. Calemero Plantanida humaniores litteras ita didicit, ut eas non tantùm Mediolani, ſed & Brixiæ, Veronæ, Patavii, Venetiis, & alibi docuerit. Quantùm in Latina Poëſi ipſe emicuerit facilè agnoſcitur ab infra recenſendis, & à Virorum illuſtrium laudationibus, de quibus breviter agemus. Brixiæ Stephanum Mariam Ugonem Equitem ſtrenuiſſimum Mecœnatem ſuum adinvênit, cui grati animi ergo libros III. Epigrammatum nuncupavit. Commercium Litterarium aſſiduè coluit cum Joanne Tonſo, Primo Comite, Marco Antonio Majoragio, Carolo Sigonio, aliiſque Eruditis ſui ævi. Inſtante eodem Primo Comite librum ſupradictum compoſuit de Intercalandi ratione corrigenda. Tractatum hunc dicavit Carolo Vicecomiti Epiſcopo Albintimillienſi ante ejus acceſſum ad Concilium Tridentinum cum Primo Comite ſupramemorato. Inter ejuſdem Patronos enumerare juvat Chriſtophorum Madruccium, atque Aſcanium Sfortiam S. R. E. Cardinales, Comitem Franciſcum Martinengum, Leonardum Mocenigum, cujus intuitu librum ſcripſit de Tabellis quadratorum numerorum &c., Joannem Franciſcum Turrianum Ferdinandi Cæſaris apud Venetos Oratorem; ipſius autem laudatores videbimus infra. Annum ſui deceſſus ignoramus; ille verò Gabrielis parentis ipſius fuit MDXXXVIII. V. Id. Januarii in Oppido Lomatii, ut Spinula ipſe indicat in Ode XXX. libri I.

Scripſit:

I. Poëmaton libros III.
II. Carminum libros IV.
III. Carminum Secularium librum I.
IV. Epodon librum I.
Hæc ad Horatii Flacci imitationem.
V. Elegorum libros X.
VI. Hendecaſyllaborum librum I.
Ad imitationem Annii Tibulli.
VII. Epigrammaton libros III.
Ad imitationem Catulli. Omnia uno Volumine. *Venetiis, ex Officina Stellæ, Jordani Zileti*, 1563. *in* 8.
In fronte extat Epiſtola dedicatoria ad Maximilianum Romanorum, Boëmorumque Regem, & Auſtriæ Archiducem. In ſupradicto libro pag. 22. extat Elegia Jo. Brunorii Gambaræ Brixiani ad Spinulam noſtrum, & pag. 40. ad eundem Joannis Nelli Colonienſis Epigramma; in eadem pagina Andreæ Huraldi Meſſii Carmen Heroicum. In libro ejuſdem Spinulæ, cui titulus Catulli imitatio, extat Carmen num. XLIII. Marci Antonii Majoragii ad Jo. Baptiſtam Porrum, de Davidis Pſalmis, verſibus à Spinula & ſcriptis, & ſcribendis; Inter Hendecaſyllabos extant ad eundem Carmina Octavii Bornati J. P. Brixiani, Jo. Baptiſtæ Craſſi, Pauli Mutii Brixiani, Jo. Baptiſtæ Caſtillionæi, Fabricii Lampugnani, Conſtantini Cati Alexandrini, Dionyſii Athanaſii Callienſis, Vincentii Zini Brixiani.
VIII. De intercalandi ratione corrigenda.
IX. Epiſtolæ plures Latinæ ad varios illuſtres Viros Patricios Venetos, & Brixianos. Extant in eodem libro, quem Auctor nuncupavit Pio IV. Pont. Max. & Typis dedit unà cum ſequenti
X. De Tabellis quadratorum numerorum à Pythagoreis diſpoſitorum. *Venetiis, apud Bologninum Zalterium*, 1562. *in* 8.
XI. P. Franciſci Spinulæ Mediolanenſis in Davidis Pſalmos Paraphraſis verſibus ſcripta: ad Carolum Cardinalem Borromæum. *Venetiis, apud Pernam*, 1562. *in* 8.
Adeſt in fine Epiſtolæ nuncupatoriæ Elegia in laudem Pii IV. ejuſdem Spinulæ, & Carmen de eodem Pontifice Philippi Vicecomitis Patritii Mediolanenſis. In commendationem Operis adſunt Carmina Adriani Cribelli, A. Calemeri Plantanidis Spinulæ Præceptoris, Flaminii Cribelli, M. Antonii Majoragii, Joannis Baptiſtæ Porri, Joannis Cerulis, Joannis Baptiſtæ Craſſi Michaëlis filii, Joannis Phil. Carnati Martini F. Joannis Baptiſtæ Riboldi, & Pauli Barthii Mediolanenſium.
XII. Vita Marci Antonii Flaminii, ut ipſemet teſtatur in Epigrammaton libro III. pag. 66.
Inter alia Epigrammata in laudem Spinulæ à Marco Antonio Majoragio edita, hoc legitur:

*Quid mirum ſi ſpina roſas emittat olentes,*
*Et variis ſentes floribus eniteant?*
*Cum dulces, magnoſque ferat jam Spinula fructus*
*Quos nec Virgilius, nec Cicero ipſe tulit.*

Alio Carmine ipſum laudavit Joannes Marcus Fagnanus; videndus quoque Picinellus in Athenæo pag. 460.

MDCXXII.

Digitized by Google

## MDCXXII.

## SPREAFICUS GABRIEL MARIA.

Gabriel Maria Spreaficus, Mediolani ortus, ad Inſtitutum Clericorum Regularium Congregationis S. Pauli Decollati capeſſendum adoleſcens convertit animum, ac inter eos votis ſolemnibus Deo ſe arctiùs obſtrinxit, anno Partus Virginei MDCXVIII. Studiis liberalibus ita fuit excultus, ut ad publicè auditoribus prælegenda Rhetoricæ præcepta in Urbe Thononi, quæ ſita eſt in Sabaudia, miſſus, inter eloquentiſſimos ſuæ tempeſtatis bene dicendi Magiſtros haberi meruerit. Facundiam tamen, qua erat præditus, uberiùs patefecit, cùm è ſuggeſtu ſacris in Templis de Divinis Myſteriis verba fecit ad populum, quo in munere plures Chriſto animas è vitiorum cœno erutas acquiſivit. A ſupremo ſui Ordinis Moderatore, ob prudentiæ, morumque commendationem, inter Fundatores primarios Collegii Liburnenſis adlectus, nedum feliciter rem confecit, verùm etiam benevolentiam peculiarem Magni Etruriæ Ducis, aliorumque ex Medicea Gente Principum ſibi conciliavit. In Cathedrali Liburni Eccleſia Pœnitentiarii munus, non ſine proximorum ſalutis incremento, annis XVIII. exercuit, novoque prædicto ſuorum Collegio annos XVI. præfuit. Inde Mediolanum regreſſus, primùm Arcimboldii Lycæi præfecturam geſſit, mox geminis Collegiis S. Barnabæ, & S. Alexandri non ſemel Præpoſitus in Patria tam ingenii, quàm regularis zeli magna dedit ſpecimina. De poſtremo autem præcipuè optimè meritus eſt, ob ædium molitionem ſuo ſumptu amplificatam, latifundia coempta, & paternam demum hæreditatem Collegio ipſi attributam. Obiit octogenarius die XIII. menſis Octobris anno Chriſti Domini MDCLXXX.

Eruditionem illius hæc teſtantur:

I. La Sacra Medaglia di Tiberio Coſtantino Imperatore. *Milano, per Franceſco Vigone*, 1664. *in* 12. Aureum hoc Numiſma à Sixto V. Pontifice Max. ſacris privilegiis decoratum Auguſtinus Cardinalis Cuſanus ſenior, quem ſuo commendavimus loco, S. Alexandri Collegio dono dedit, in cujus Templo quotannis, recurrentibus tam Inventionis, quàm Exaltationis Sanctæ Crucis ſolemniis, exponitur, quod in eo ſalutare cernatur ſignum.

II. Pietoſi ſuffragj in rimedio de' mal viventi peccatori, in conforto de' Tribolati, in ajuto degli Agonizzanti, ed in refrigerio dell' Anime del Purgatorio. *Ivi, per lo ſteſſo, in* 12.

III. Fondazione, ed Inſtituto della Congregazione della Madonna del Suffragio. *Ivi, per Lodovico Monza*, 1669. *in* 12.

IV. Plures Lectiones ſacras MSS. reliquit; ex quibus paucas Picinellus recenſuit, videlicet:
La Caſta Suſanna.
Il Convito di Baldaſſarre.
Sopra la Sequenza de' Morti.
Sopra gli Evangelj di tutto l'anno.

V. Apparatus ad ſacras Conciones. Tomi VI. in fol. MSS. ſervantur in ſupradicto Collegio Liburnenſi, unà cum Lectionibus mox recenſitis.

Hæc indicavit eruditiſſimus Concivis meus P. D. Franciſcus Pezius ejuſdem Congregationis non ſemel jam laudatus; quædam etiam ſuppeditavit Picinellus in Athenæo pag. 229.

## MDCXXIII.

## SPREAFICUS ISIDORUS.

Ex Mediolanenſi familia Spreafica floruit Sæculo mox elapſo Iſidorus, qui Minorum, quos Obſervantes appellare conſueſcimus, Ordini ſe addicens, pluribus in eo muneribus decoratus eſt. Etenim cùm Juris Canonici peritiſſimus foret, & eam Theologiæ partem, quæ Moralis dicitur, optimè calleret, earundem facultatum Lector conſtitutus fuit, quod officium cum laude exercuit in utriſque ſui Inſtituti Cœnobiis hujus Metropolis ſub nuncupatione Sanctorum Angelorum, & Sanctæ Mariæ Pacis. Cùm verò nonnullos annos in ſacris Confeſſionibus excipiendis inſumſiſſet, pluresque cerneret pœnitentium ſatis imperitos non rectè paratos ad tam utile Sacramentum accedere, operæ pretium duxit Opus infra laudandum elaborare. Poëſim etiam Italicam pro Sæculi tamen genio coluit, quibus ſtudiis intentus in prædicto Pacis Cœnobio denatus eſt Kal. Januarii anno MDCLXXVI.

Scripſit, atque vulgavit:

I. Trattato per la Confeſſione generale. *Milano; per il Malateſta*, 1634. & rurſus, *Ivi, per il Monza*, 1657.

II. Il Serafico Eroe Stimmatizzato. *Ivi, per il Malateſta*, 1634.

III. Eſtaſi giojoſa di un Anima giuſta: in ottava Rima.

De eo Picinellus in Athenæo pag. 384.

## MDCXXIV.

## STAMPA AMBROSIUS.

Nobiliſſimo apud Inſubres genere procreatus eſt Maximilianus Stampa, parente Hermète Soncini Marchione, aliorumque Oppidorum Dynaſta, ac inter Mediolanenſes Patres Conſcriptos recenſito; matre verò Iſabella Rangonia matrona clariſſima. Defuncto genitore opibus & ſanguinis gloria cum apud Cives ſuos, tum apud exteros notiſſimus Mariannam de Leyna Aſculani Principis filiam ſibi connubio junxit, ex qua nonnullos ſuſcepit liberos, eoſque inter Georgium, qui poſtmodum Carmelitis Nudipedibus nomen dedit, & Angelus à Jeſu Maria dictus claruit, cujus Elogium mox ſcripturi ſumus. Poſt aliquot annos uxore defuncta, Maximilianus noſter totum ſe pietatis dicavit officiis, & inſigni religionis exemplo ſacrum Domini Sepulchrum in Urbe Jeruſalem, Lipſana Sancti Jacobi apud Compoſtellam, & Apoſtolorum limina devotus inviſit. Jamque annum ætatis XL. exceſſerat, cùm divino afflante Spiritu ad Minorum, quos Capuccinos vulgus nuncupat, Inſtitutum ſe convertit, & ſe Ambroſium dici voluit. Ibi tanto humilitatis, patientiæ, cæterarumque virtutum ſtudio tenebatur, ut viliora ſemper Domus miniſteria ſibi peragenda quæreret. Anteactos abſque Religione dies uberrimis lachrymis deplorabat. Per Mediolanenſem aliquando urbem incedens, cùm virum quendam, blaſphema in Deum verba proferentem ſceleris arguiſſet, impatiens ille pugno Dei ſervum petiit, cui mox Ambroſius genuflexus, alteram, inquit, frater, etiam maxillam percute, dummodo à blaſphemiis abſtineas. Bibliothecam Cœnobii ſui Soncinatis pluribus auxit Codicibus Biblis, præſertim juſſu Philippi II. Catholici Regis in lucem emiſſis. Ipſius animus tam ingenti martyrii cupiditate ardere cœpit, ut ad Clementem VIII. Pontificem profectus, ab eo Evangelium Infi-

delibus

delibus prædicandi facultatem poſtulaverit, qui eum Apoſtolica auctoritate munitum Algerium deſtinat; ut plenario Jubilæo Chriſtianis captivis prædicato, pœnitentes à peccatis omnibus abſolvat; ubi ſummâ omnium lætitiâ à Fidelibus miſerâ ſervitute preſſis excipitur. Cùm igitur Ambroſius cœleſtes Eccleſiæ Theſauros à Pontifice reſeratos promulgaſſet; mirum ſanè, quantâ diligentiâ, & ſollicitudine in captivitate detentos curaret, moneret, inſtrueret; vacillantes confirmans, lapſos reſtituens, ægrotis inſerviens, pauperes ſublevans, atque paterno fovens affectu, omnes Chriſto lucrifacere conabatur; nonnullos, qui à Chriſtiana Fide ad Mahometem deſciverant, Fidei reddidit; alios in infidelitate ortos, & enutritos ad Evangelium tranſtulit. Quamobrem Algerii populus Ambroſium cùm Socio in carcerem conjicit; multa in vinculis incommoda, & contumelias ab Infidelibus paſſus, indè tamen eripitur. Ambroſius verò, maximo Chriſtianorum luctu, ac majori poſt ſe ſanctimoniæ famâ relictâ, ibidem obiit anno MDCI. oſſaque ejus ex Mauritania Soncinum quarto poſt mortem anno tranſmiſſa, in Fratrum Sepulchro tumulantur. In ejuſdem Soncinatis Cœnobii Presbyterio ad lævam hæc cernitur Inſcriptio:

MAXIMILIANO STAMPAE II. MARCHIONI SONCINI
QVI MARIANNA A LEYVA ASCVLI PRINCIPIS FIL.
VXORE SVA SVMMA EXORNATA VIRTVTE
DEFVNCTA
DIVO FRANCISCO SE IN COELIBATVM MANCIPAVIT
IN EIVSQVE FAMILIA CAPVCCINORVM
NOMEN DEDIT
QVI IN EO VITAE GENERE
AFRICAE ORIS VT EVANGELIVM DISSEMINARET
CAPTIVOS REDIMERET
IVLIAE CAESAREAE OBIIT MDCI.
HERMES STAMPA II. MARCHIO SONCINI
PARENTIS OSSIBVS
IVSSV MAVRITANIAE REGIS SERVATIS
SVAQVE CVRA IN HOC AVITAE DITIONIS TEMPLVM DELATIS
HOC M. P. ANNO MDCX.

Hæc poſt ſe reliquit Opera:

I. Tractatum de Sacramento Pœnitentiæ. MS.
II. De modis, & remediis rectè vivendi, & moriendi. MS.
Servantur apud Suos.
Ejus Vitam deſcripſit P. Boverius Tom. II. Annal. Capuccinorum ad annum MDCI. & compendioſè P. Carolus Bruxellenſis Tom. II. Flor. Seraphic. pag. 419.
Extat ad eum adhuc in ſæculo degentem, & uxoratum Ferdinandi Abduenſis Epigramma ſequens:

*Quiſquis divitias, quiſquis tot ſpectat honores,*
*Quiſquis Cœlicolis atria digna videt,*
*Cernit & uxorem tantum precellere forma,*
*Omnes aſpectu vincat ut una Deas,*
*Æqualem ſupero te judicat eſſe Tonanti,*
*Nec quidquam tanto credit abeſſe Duci.*
*Aſt ego majorem ( nec me ſententia fallit )*
*Te puto, Cœleſti nam Jove plura tenes.*
*Optima quæque habet, ac tibi ſunt hæc optima quæque,*
*Cæſarem amas, cujus pertimet ille minas.*

Annibalis Guaſchi ad eundem Epiſtolæ duæ Italicæ. Extant inter Epiſtolas Guaſchi editas *Mediolani, apud Pontium, & Piccaleam*, 1601.
Meminerunt ipſius etiam Dionyſius Genuenſis in Biblioth. Capuccinorum, edit. II. pag. 12. atque Sitonus noſter in Syllabo Senatorum art. 295. pag. 14. & in Theatro Genealogico pag. 424. necnon Franciſcus Ariſius in Cremona ſua Litterata Tom. II. pagg. 331. & ſequenti; demumque Picinellus in Athenæo in articulo Angeli Stampæ mox laudandi pag. 37.

MDCXXV.

## STAMPA ANGELUS.

PArentem ſuum ponè ſequitur Georgius Stampa, qui paternæ domus commodis, & nobiliſſimi ſanguinis ſtemmate poſthabito, quemadmodum ille inter Minores effulſit, ſic ſeveriorem Carmelitarum Nudipedum vitam amplexus fuit, ut Chriſto Regi arctiùs ſe obſtringeret. In eo Cœtu, in quo dictus eſt Angelus à Jeſu Maria, ſtudia peregit majora, miſſus eam ob rem ad Archigymnaſium Salmanticenſe. Italiam poſtmodum, repetens Cœnobiis Neapolitano Matris Dei, & Genuenſi Sanctæ Annæ præfuit, primuſque Lombardiæ Provincialis meruit renunciari. Sacrum Dei Verbum populis fervido inſtructus zelo miniſtrabat; quod cùm Genuæ perageret, decem ſcutorum millia tribus tantummodo Concionibus pronunciatis, ab adſtantibus eleemoſynæ titulo fertur collegiſſe, quibus uſus eſt ad excitandum in Liguriæ Oris ſui Inſtituti Aſceterium, cui nomen *il Deſerto*. Suos etiam Sodales die XI. menſis Februarii anno Chriſti MDCXIV. in hanc Metropolim induxit, Templo, & Cœnobio conditis extra Urbis Portam, quæ Nova dicitur, ſub nuncupatione Sancti Caroli. Magna cum ſanctitatis opinione Romæ requievit in Domino anno Redemptionis noſtræ MDCXXXV. illiuſque effigies apud eoſdem Nudipedes Carmelitas in Patria ſervatur, hoc addito Elogio ex ſacris potiſſimùm libris deſumto:



P. FR.

P. FR. ANGELVS A IESV MARIA
MEDIOLANEN.
HVIVS MONASTERII FVNDATOR
MVNDANIS OPIBVS STEMMATE
DITIONIBVS VALERE IVSSIT
SVRREXIT QVASI IGNIS
ET VERBVM IPSIVS
QVASI FACVLA ARDEBAT
CONVERTIT COR PATRVM AD FILIOS
ET COR FILIORVM AD PATRES EORVM
COELO NATVS EST ROMAE
ANNO MDCXXXV.
IV. NONAS MAII
AETATIS XLIX.

Opera illius his prænotantur titulis :

I. Sette Lettere Paſtorali. Editæ ſunt in libro , cui titulus : „ Lettere Paſtorali de' Generali Scalzi . *Milano*, *nella Stampa Arciveſcovile*, 1671. *in* 4.
II. De Religioſæ perfectionis periculis , atque remediis . MS. apud Suos.
III. Medulla Spiritus . MS. Ibid.
IV. Concionum plura Volumina . MSS. Ibid.
De eo agunt Joachim Garbicellus in libro ſuo de Fundatione Cœnobii prædicti S. Caroli , Philippus à SS. Trinitate in libro ſuo inſcripto : *Decor Carmeli* . Sitonus noſter in Theatro Genealogico MS. penès eundem Auctorem , & in Schedis , atque Picinellus in Athenæo pag. 37.

## MDCXXVI.

## STAMPA GUIDUS.

GEns nobiliſſima Mediolanenſis Stampa florebat jam à Sæculo XII nam ex Conſulari Collectione Sitoniana didici, Conſulem Juſtitiæ extitiſſe in libera Mediolanenſi Republica Baldicionum Stampam anno MCLXXXVI. iterumque MCXCVI. Inter alia Monumenta Sepulchralia hujus Familiæ tam Mediolani variis in Templis , quàm in Oppido Soncini extantia, dignum mihi videtur , ut legatur illud Abbati Gulielmo de Cottis in Sacra Æde Divi Ambroſii hujus Metropolis poſitum anno redempti Orbis MCCXXX. in cujus fine indicantur nomina Monachorum tunc temporis idem Cœnobium incolentium,inter quos D. Tebaldus Stampa . Guidi interim Stampæ memoriam nobis illuſtrem ſervavit Corius in ſua Mediolanenſi Hiſtoria ad annum Chriſti MCCXCIV. pro ejuſdem Oratione , quam habuit in creatione Matthæi Vicecomitis in Mediolani Dominum . Dolendum interea eſt , quòd nec parentes, nec alia literaria Monumenta iſtius Guidi ullus ex Mediolanenſibus nobis ſervaverit. Damus igitur, quod poſſumus: uberiora ab aliis in dies expectantes .

Hæc autem indicatur :

I. Guidi Stampæ inſignis J.C. Oratio ad Populum Mediolanenſem, cum Arnulphus Imp. Matthæum Vicecomitem Mediolani Dominum creavit anno MCCXCIV. Memoratur à citato Bernardino Corio in Hiſt. Mediol. ad annum ſupradictum, à Comite Octavio Archinto in ſua pluries laudata Collectione , & in Serie Conſulari Mediolanenſium Sitoniana . MS. in fol. penès Auctorem .

## MDCXXVII.

## STAMPA HERMES.

HErmes Stampa Mediolanenſis, & Comes Oppidi Ripaltæ ad Abduam, parentes habuit Hermetem Oppidi Soncini Marchionem , & Eliſabeth Barboviam Conjuges . Litteras amœniores in Seminario Romano didicit , deinde Philoſophiæ curſum Peruſii adimplevit, demum in Archigymnaſio Bononienſi in Jure tam Cæſareo , quàm Pontificio Doctoralem Lauream obtinuit . Muſas verò ita coluit , ut in ferè omnibus Academiis Italiæ adſcriptus extiterit libentiſſimè . Joannem Franciſcum Lauredanum , Franciſcum Bollanum , necnon Antonium Abati, Vates ſui ævi non infimos, pergratos habuit , atque cum eis commercium Litterarium , & Poëticum ſibi acquiſivit , itaut Carmina plura eorundem ad Stampam noſtrum inſcripta fuerint. Florente ætate, ſcilicet annorum XXXII. dum fortuitò Neapoli degeret, & belli causâ anni MDCXLVII. ibidem peracti , ad cuſtodiam Caſtri in Statione Navium, vulgò *Caſtel dell' Ovo* ſibi commiſſum conſiſteret, vitalem auram amiſit. Ejus Carmina à Marchione fratre collecta lucem viderunt viginti & quatuor annis poſt ipſius deceſſum, ſed non omnia , nam plura ſparſim reperiuntur in variis Poëticis collectionibus ſuæ ætatis, partim etiam MSS. ſe vidiſſe teſtatur apud varios Cl. Creſcimbenius in ſuo libro inſcripto „ Comentarj intorno alla Iſtoria della „ volgare Poesìa „ imò Carmen Hermetis noſtri vulgò *Sonetto*,ibi profert veluti ſpecimen ingenii ejuſdem, quod pro more Sæculi inter meliora adſcribit .

En titulus libri ſupramemorati

I. Rime del Conte Ermes Stampa . *In Milano*, *per Lodovico Monza*, 1671. *in* 12.
II. In libro, cui titulus „ Pareri per la Facciata del Duomo di Milano „ extat ejuſdem Epigramma Italicum, vulgò *Sonetto* .
Ad Comitem Hermetem Stampam Patricium Mediolanenſem Ode IV. cujus eſt argumentum : Veram nobilitatem ex ſola virtute quæri , data Veſuntione MDCL. extat in libro , cui titulus „ Auguſti„ ni Nicolai Biſontini Regis Catholici à Conſiliis , „ & libellorum ſupplicum Magiſtri in Senatu Se„ quanorum , Lyricorum libri . *Divione* , 1670. *in* 4. In Ode X. ejuſdem deflet mortem Comitis Mercurii Stampæ Mediolanenſis , data Matriti MDCLI. Laudatur ut Poëta eximius , & ob Carmina edita. Extat ibidem .
In libro , cui titulus „ Carmina Illuſtr. Poëtar. Italor. „ Tom. I. pag. 141. extat Carmen Hieronymi Amalthei Opitergienſis ad Hermetem Stampam , & in Tomo VI. extant bina Epigrammata Jo. Thomæ Muſconii Soncinatis ad Hermetem Stampam Marchionem pagg. 373. & 376.
De ipſo agunt Cinellus in Bibliotheca Vol. Pluteo IV. Creſcimbenius in Vol. IV. Operis ſupramemorati pag. 194. P. Quadrius è Soc. Jeſu in ſuo libro „ della Storia , e della Ragione d'ogni Poesìa „ Tom.II. pag. 328. & Picinellus in Athenæo pag. 376.

## MDCXXVIII.

## STAMPA JACOBUS MARIA.

MAphæum Ducalem Præfectum Caſtrorum , & Arcium Alexandriæ primùm , deinde Piceleonis, patrem habuit Jacobus Maria Stampa, quem anno MDXXXV. hæc Metropolis inter LX. Decuriones ſuos adlectum ſuſpexit , deinde ob Civilis Juris peritiem Conſcriptis Patribus Mediolanenſis Ducatus Regio Diplomate adjungi meruit . Uxorem habuit Barbaram Gonzagam Joannis Franciſci Comitis Bozuli,

Digitized by Google

auli, Gazoli, atque Belfortis filiam. Præter Juriſprudentiam, Philoſophicas Quæſtiones, aliaſque liberales calluit diſciplinas, earumque Profeſſores peculiari fovit affectu, ideoque nonnulli ſuæ tempeſtatis eruditi litterarios labores ſuos ipſi nuncupandos du-

A

xere. Migravit è vita annos natus LXXI. anno poſt humani generis Redemptionem MDLVIII. ſepultuſque fuit in Euſtorgiana Baſilica, ubi adhuc extat ejus Elogium in Sacello S. Hieronymi, hiſce conceptum ſiglis:

D. O. M.
IACOBVS MARIA STAMPA
FLOS SENATORVM EQVITVM
CIVITATIS ORNAMENTVM
VERAE AMICITIAE FIRMAMENTVM
QVI NEMINI NOCVIT
QVEM NEMO VNQVAM OFFICIO SVPERAVIT
HOC CONDITVR MONVMENTO
CVM RESVRRECTIONE IMMVTATIONEM SPERANS
VIXIT AN. LXXI. M. D. H. SCIT NEMO
OBIIT XVI. KAL. IAN. MDLVIII.
IAC. MA. II. STAMPA HAERES P.

B

Hæc illius recenſentur:

I. Opera quædam Philoſophica. Eorum meminit Moriggia mox citandus, neque tamen promit an lucem viderint, vel inter Anecdota lateant.
Ei inſcripſit Satyram ſuam XVII. Joannes Auguſtinus Caccia Novarienſis inter editas *Mediolani*, *ſine nomine Impreſſoris*, 1549. *in* 8.
Agunt de ipſo cit. Moriggia in Nobil. Mediol. lib. III. cap. XX. Sitonus noſter in Chronico J. PP. pag. 228. art. 1026. & in Theatro ſuo MS. Genealogico pag. 425. necnon Picinellus in Athenæo pag. 245.

## MDCXXIX.

C

## STAMPA JACOBUS MARIA HIERONYMUS.

JAcobus Maria Hieronymus Stampa alterius Jacobi Mariæ hujus Urbis Decurionis, militumque Tribuni, atque Flaminiæ Cuſanæ jugalium filius, non litterarum tantummodo, ſed militaris quoque fortitudinis commendatione claruit. Etenim præter armatorum hominum Tribunatum, & Calatravenſis Ordinis Crucem, Ordinarii, ut vocant, Magiſtratus Quæſturam obtinuit. Sedit etiam inter LX. Patriæ Decuriones, & inter Secretioris Cœtus Conſiliarios adlectus eſt, demum Propræfectus Generalis Caſtrorum conſtitui meruit in tota Mediolanenſi ditione. Quantâ autem eruditione præditus eſſet, atque bonas amaret litteras apertiſſimè oſtendit tunc, cùm in Baſilica Metropolitana Philippo IV. Hiſpaniarum Regi juſta perſolverentur. Quidquid enim in communi patriæ luctu Muſæ elaborarunt, id omne ex Stampæ noſtri prodiit ingenio, quæ ſimul in unum collecta typis tradidit, ut mox dicemus. Annum ætatis illius extremum hactenus incompertum habuimus.

Edidit igitur librum inſcriptum:

I. Eſequie di Filippo Quarto Re di Spagna celebrate in Milano li XVII. Decembre MDCLXV. deſcritte da Giacomo Maria Girolamo Stampa. *Milano*, *per il Malateſta*, *in fol.*
Eum pluribus laudibus extollunt Galeacius Gualdus Prioratus in Relatione Civitatis, & Status Mediol. parte II. pagg. 200. & ſeqq. & Sitonus noſter in Theatro Genealogico pag. 425. MS. penès Auctorem ipſum in fol. & in Chronico Collegii J. PP: art. 1131. pag. 241.

## MDCXXX.

## STAMPA JOANNES.

JOannes Stampa Mediolanenſis propenſum ad Oratoriam, atque Poëſim præſertim Italicam ſortitus ingenium, utramque ſic coluit, ut ſua tempeſtate magnam ſibi conciliaverit famam. Canonicorum Lateranenſium, qui ſub Regula Sancto Auguſtino attributa Deo deſerviunt, Inſtituto ſe addixit, & inter eos pietatis commendatione claruit. Sanctiſſimum hujus Metropolim Præſulem Carolum Borromæum, cœlitum faſtis tunc recèns adſcriptum, peculiaris devotionis affectu proſequebatur, utque illius virtutes quodammodo reviviſcentes Civibus ſuis exhiberet, & ſolutâ, & adſtrictâ Oratione, quæ omnia prodierunt in lucem, ut infra repetemus, celeberrimi Paſtoris merita laudavit. Hæc illa ſunt, quæ de ipſo novimus, reliqua nos latent.

Scripſit, & edidit:

I. Ragionamento in modo d'Orazione in lode di S. Carlo. *Milano*, 1611. *in* 4.
II. Carmina Italica L. vulgò *Sonetti*. In his inducit S. Cardinalem varia hominum genera alloquentem. Extant in eodem libro, qui dicatus fuit Cardinali Friderico Borromæo.

D

De ipſo agit Picinellus in Athenæo pag. 330. & Franciſcus Xaverius Quadrius Soc. Jeſu in Tom. III. pag. 64. Operis ſui, cui titulus: „ Della Storia, e della „ Ragione d'ogni Poesìa.

## MDCXXXI.

## STAMPA VERONICA.

INſigne Virginum Cœnobium Sanctæ Marthæ ſub Regula Sancti Auguſtini nuncupata Deo famulantium, de quo non ſemel incidit mentio, generis ſui nobilitate, & tam pietatis laude, quàm doctrinæ illuſtravit plurimùm Veronica Stampa Mediolanenſis. Adoleſcentiam vix ingreſſa Chriſtum ſibi Sponſum dele-

Digitized by Google

delegit, atque in ſupramemorato Parthenone diu vixit non ſine ingentibus religioſæ virtutis exemplis. Cancellariæ munere ſibi à Sororibus collato, quodque actu exercebat anno Incarnati Verbi MDXVII. id ſibi propoſuit, quandoquidem Tabularii arcana liberè ſcrutari poterat, ut omnia quæ tam ad Cœnobii ſui primordia, quàm Virginum, quibus idem Inſtitutum ſuſcipere libuerat, monumenta ſpectabant, poſteritati ſervaret. Neque illam concepta fefellit ſpes, nam non exiguo labore Opera mox laudanda conſcripſit. Ea quidem Joannes Petrus Puricellus Vir de litteris præclarè meritus, quem debitis alibi laudibus celebravimus, plurimi fecit, nam ipſa in Articulos CVIII. digeſſit, additis in margine de ſuo nonnullis. Quo anno migraverit è vita nemo nos docuit.

Hæc reliquit:

I. Dell' Origine, e progreſſo del Monaſtero di S. Marta di Milano. MS. in fol. pagg. 65. ſervatur in Archivo ejuſdem Monaſterii, à Puricello, ut diximus, in Articulos diviſus, & marginalibus notis reſperſus.
Mentio eſt in hoc Opere ad annum MCCCCVI. Conſtitutionis Petri de Candia Mediolanenſis tunc Archiepiſcopi, poſtea Alexandri V. Summi Pontificis, de quo ſuo loco dictum eſt.

II. Elenchus Monialium, quæ in ipſo Cœnobio S. Marthæ habitum aſſumpſere ab anno MCCCCV. uſque ad annum MCCCCLXVI. & deſinit in B. Veronica de Nigris, cum monumentis anni, & diei ingreſſus, atque obitus earum, ſicuti & parentum nominibus, & ſingularum patriâ, omnibuſque aliis ad ipſarum virtutes pertinentibus. Rogat etiam Sorores, ut laborem ſuum proſequantur. Extat in jam laudato Codice ad calcem.
Memoratur à Margharita de Lambertenghis Novocomenſi in MSS. monumentis, quæ ibidem ſervata vidimus, & à Benedicta de Vicomercato in MSS. item ſuis alibi recenſendis.

## MDCXXXII.

## STATIUS CŒCILIUS.

POëtarum omnium, qui ex Mediolanenſi Urbe floruere apud Latinos, vetuſtiſſimus eſt Cœcilius Statius, cui hanc aſſignant patriam Scriptores omnes Inſubricarum rerum, neque abnuit Sanctus Hieronymus, qui ipſum Inſubrem Gallum fuiſſe aſſerit, addens quoſdam eum Mediolanenſem ferre. Ætatem quoque illius idem S. Doctor prodit, nimirum annum II. Olympiadis CL. quibus etiam vixere temporibus Q. Ennius, P. Licinius Tegula, & M. Pacuvius. Conditione fuit ſervili, Statiique nomen, quod plerique ſervorum apud veteres prætulerunt, quaſi cognomenti loco retinuit. Romæ liberalibus diſciplinis dedit operam, inter quas Comicam Poëſim ita adamavit, ut in eam totus incumberet. Summâ familiaritate cum Ennio vixit, magnoperè etiam dilectus à Terentio fuit, qui tanti ipſum facere conſueverat, ut ad eum tanquam ad Cenſorem optimum Fabulas ſuas emendandas referret. Non defuerunt tamen antiqui Grammatici, qui Cœcilium culpaverint, quòd in vertendis à Menandro Fabulis, quædam parum aptè, concinnèque tranſtuliſſe videatur. Marcus etiam Tullius ad Atticum ſcribens, ipſum accuſat tanquam malum Latinitatis Auctorem. Neque verò id mirum erit perpendentibus Sæculum, quo vixit Cœcilius noſter, cujus phraſis delicatis Ciceronis auribus, & florentiſſimæ ætatis dialecto aſſuetis barbarum quid reſonabat. Excelluit autem in Παθεσιν, ut in ἤθεσιν Terentius, amborumque novas quaſdam Comœdias L. Ambivius Turpio Comœdus egit. Harum Togatas nonnullas, alias verò Palliatas Cœcilius noſter compoſuiſſe fertur non minore ſtudio, undè ſingularem apud Romanum populum famam reportavit. Defunctus eſt anno poſt obitum Ennii, quem è vivis exceſſiſſe Marcio Philippo, & Cn. Servilio Cœpione Coſs. ſcribit Tullius in Bruto, & de Senectute, nimirum anno IV. Olympiadis CLII. quamvis S. Hieronymus Ennii mortem recenſeat ad annum ſequentem. Nobis tamen cùm magis arrideat Ciceronis ſententia, Cœcilii noſtri emortualem annum aſſignamus Urbis Conditæ DLXXXV. ante Chriſti Natale CLXVIII. Lucio Æmilio Paullo II. & C. Licinio Craſſo Coſs. Sepultum fuiſſe tradunt ad radices Janiculi. Damus hic Epitaphii loco Carmen Volcatii Sedegiſti, quod poſteris ſervavit A. Gellius lib. XV. cap. XXIV. Noctium Atticarum, è quo eruitur quanti Vatem hunc veteres habuerint. En illud:

*Cœcilio palmam Statio do Comico.*
*Plautus ſecundus facilè exſuperat cæteros.*
*Dein Nævius, qui ſervat pretium, tertiù eſt.*
*Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio;*
*Poſt inſequi Licinium facio Atilium.*
*In ſexto conſequetur hos Terentius.*
*Turpilius ſeptimum, Trabea octavum obtinet,*
*Nono loco eſſe facilè facio Luſcium.*
*Decimum addo cauſa antiquitatis Ennium.*

Advertant tamen Lectores optimi, malè ab aliquibus Cœcilium Statium noſtrum, cum Cœcilio Novocomenſi confundi. Hunc enim ab eo diverſum eſſe clamat hujus poſterioris, qui Catullo fuit æqualis, ætas. Monuit etiam Joannes Fabricius loco citando alios perperam eundem exiſtimaſſe cum Cœlio Antipatro Sidonio.

Plures ſcripſit Comœdias, ut ſupra innuimus, quæ tamen omnes periere, quamvis Fragmenta ſuperſint mox indicanda. Damus interim earum Titulos, quibus Auctorum nomina ſubjiciemus, qui ex eis hauſerunt teſtimonia.

I. Æthrio, ſive, ut legit Fabricius, Æſchirio, vel ut Reineſius, Ætho. Citatur à Feſto.
II. Amphitryo. Ex ea teſtimonium affert Nonius.
III. Andria, ſeu Androgynus; quædam hinc hauſit Feſtus.
IV. Ad Pol: eadem fortè cum alia quam Fabricius appellavit Apollumenis. Hujus fragmentum extat apud Nonium.
V. Ariolus. Habentur nonnulla apud citatum Feſtum.
VI. Ariſtoſis. Fragmentum cum aliis in ſubjiciendis editionibus recitatur.
VII. Aſotus. Et hanc citavit Nonius.
VIII. Calchis. Hujus quædam apud ipſum habentur.
IX. Carines. Apud Feſtum.
X. Chryſius. Memoratur ab Aulo Gellio.
XI. Cratinus. Laudant ipſam Priſcianus, & Feſtus.
XII. Dardanus. Citatur à Nonio.
XIII. Davus. Feſti teſtimonio.
XIV. De mandatis. Ipſius aliqua ſervavit Nonius.
XV. Embonus, ſive, ut Fabricio placet, Emporus. Idem Nonius eam laudat.
XVI. Hephæſtio. Ex hac Comœdia fragmenta habentur cum reliquis editis, ut infra, & apud Nonium, atque Ciceronem de Senectute.
XVII. Epiclerus. Ex Priſciano.
XVIII. Epiſatomus, quam Fabricius nuncupat Epinauſimache. Citant Priſcianus, & Nonius.
XIX. Epiſtola. Fragmentum ejus apud eundem Priſcianum.
XX. Eratoſthenes. Ex Donato.
XXI. Exul. Eam Nonius commemorat.
XXII. Fallacia. Ipſam quoque laudavit Nonius.
XXIII. Fœnerator, vel Oboloſtates. Apud ipſum Nonium.
XXIV. Filumena. Ab eodem Nonio citata.
XXV. Gamus. Teſte Feſto.
XXVI. Harpazomenes. Ex Chariſio, Donato, & Nonio.
XXVII. Hymnides. Ejus teſtimonio utuntur Chariſius, Feſtus, Nonius, & Cicero de Finibus.
XXVIII. Hypobolimæus Æſchinus. Ex hac nonnulla ſuperſunt apud Gellium, & Nonium.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX. Hypobolimæus Chreſtratus. Ex Feſto.
XXX. Hypobolimæa Raſtraria. Citatur apud Nonium.
XXXI. Meretrix, ſeu Moletrix. Fragmenta ſunt apud eundem.
XXXII. Melenes. Hanc laudat Fulgentius.
XXXIII. Nauclerus, ſive Petitor. Meminit Nonius.
XXXIV. Notonicaſius. Ex eodem.
XXXV. Pauſimachus. Item apud ipſum.
XXXVI. Peribæa Raſtraria. Ex eodem Auctore.
XXXVII. Plotius, ſeu Plocius. Ejus mentio eſt apud Ciceronem de Senectute, & Gellium.
XXXVIII. Progamus. Ex hac habet Nonius aliqua.
XXXIX. Pugil. Hanc laudat Feſtus.
XL. Subdititius, vel Hypobolimæus. Ejuſdem Feſti, & Nonii teſtimonio.
XLI. Symbolum. Hanc quoque Nonius commemoravit.
XLII. Synariſtoſis. Ex Gellio, & Nonio.
XLIII. Synephebis. Apud Ciceronem de Natura Deorum, & de Senectute, & apud Nonium.
XLIV. Syracuſæ. Fragmenta cum aliis, ut inferius dicemus, editis leguntur.
XLV. Titthe. Meminit illius Nonius.
XLVI. Triumphus. Apud Gellium, & Feſtum.
XLVII. Tyche. Hujus Fragmenta ſunt cum aliis editis.
XLVIII. Venator. Ex Nonii auctoritate.
XLIX. Umbræ, vel Diomedes in Umbris. Depromſere hinc nonnulla Nonius, atque Priſcianus.

Fragmenta hæc collegerunt, & typis impreſſerunt, unà cum aliis veterum Poëtarum Latinorum, Robertus Stephanus, & Henricus filius. *Pariſiis*, 1564. *in* 8. Publicam etiam viderunt lucem in Tomo II. pag. 1484. Operum, & Fragmentorum eorundem Poëtarum. *Londini, apud Joannem Nicholſon, & Socios*, 1713. *in fol.*

Præterea citatus Henricus Stephanus minori forma, unà cum Sententiis Comicorum Græcorum vulgavit ſelectas quoque Latinorum, quas inter illas etiam Cœcilii noſtri. *Pariſiis*, 1569. ex editione Cl. Maittaire.

Juvat hic addere ſatis elegans Diſtichon Marci Littæ Mediolanenſis in laudem præſtantiſſimi hujus Poëtæ:

*Pindarus eſt Thebis, eſt Smirnæ magnus Homerus,*
*Eſt Mediolani gloria Cœcilius.*

De ipſo quoque meminerunt, præter citatos, Sanctum Hieronymum in Chronico, atque Fabricium pluribus in locis ſuæ Bibliothecæ Latinæ, Petrus Crinitus, Voſſius de Poëtis Latinis Tom. III. pag. 231. atque alibi. Chalcus ad annum Mundi MMMDCCCLIX. Bailletus Jugemens de Sçavans Tom. III. art. 1133. pag. 160. Leander Alberti in Inſubria, Paulus Moriggia in Hiſt. Mediol. lib. 1. cap. 59. Picinellus in Athenæo pag. 495. aliique non pauci.

## MDCXXXIII.

## STATIUS FRANCISCUS.

TOt inter Viros, qui Congregationem Oblatorum SS. Ambroſii, & Caroli illuſtrarunt Franciſcus Statius jure merito enumerandus eſt. In Divinis Litteris, ac in facultatibus Theologicis ſummopere excultus, bis Præpoſitus renuntiatur, Eccleſiæ primùm Oppidi Roſati, deinde ad aliam Meltii tranſiit. Sed virtutum fama Franciſci noſtri ſic ad aures omnium pervênit, ut in Urbem vocato Præfectura Templi B. M. V. propè S. Celſum ei tradita fuerit. Ibi atque in aliis hujus Metropolis ſacris Ædibus frequentiſſimè Verbum Dei diſſeminavit, non ſine ingenti animarum fructu. Floruit medio ferme Sæculo proximè elapſo, ſed annum ejus obitus ignoramus. Scripta interim quæ Ambroſiana Bibliotheca ſervat perattentè obſervavimus, & hîc, additis aliis à Picinello relatis, diſtinctè Lectoribus noſtris proferimus,

Videlicet:

I. Sermoni, e Prediche ſu varj Argomenti; numero LIII. Cod. MS. in Bibliotheca Ambroſiana ſign. P. num. 108. in fol. inter in 4. pagg. 380.
II. Conciones variæ, & Sermones Franciſci Statii Præpoſiti Roſati tam ſuper Evangelia, quàm de Sanctis, annis MDCXXIII. & MDCXXIV. MS. in fol. in ſupradicta Bibliotheca ſign. S. num. 88. inter eos in 4.
III. Sententiæ, ſeu Cognitiones Legales per capita digeſtæ. MS. in fol. ſign. S. num. 90. pagg. 1000. extat ibidem.
IV. Conciones ſuper Evangelia Ritu Romano, & tempore Quadrageſimali, habitæ annis MDCXXV., & MDCXXVI. MSS. extant ibidem.
V. De Confeſſione: Sylva. In eodem Cod. MS.
VI. Variæ SS. PP. Sententiæ. In eodem.
VII. Sermones varii, Diſcurſus, & Conceptus Prædicabiles ſcripti anno MDCXL. MS. in eadem Bibliotheca ſign. D. num. 470. in fol. pagg. 338.
VIII. Quadrageſimale ſuper Evangelia Ritu Ambroſiano. MS. Ex Picinello.

Videndum eſt Athenæum ejuſdem Picinelli pag. 223.

## MDCXXXIV.

## STAURENGUS CHRISTOPHORUS MARIA.

JOſeph Staurengus, necnon Catharina Prina conjuges Mediolanenſes Chriſtophorum filium genuere, ac tam piè ab ipſis educatus extitit, ut Religionem Fratrum Auguſtinenſium Excalceatorum amplecti decreverit. In eadem poſt egregiam probationem profeſſus eſt die XXVI. menſis Februarii, anno gratiæ MDCLXXIII. aſſumpto nomine Proſperi à Sancto Joſeph, & tam aſſiduè litteras coluit, ut in alma Urbe Theſes Theologicas, plaudentibus omnibus, adſtantibuſque nonnullis S. R. E. Cardinalibus, defenderit, eaſque Sanctiſſimo Innocentio Papæ XI. dicaverit; deinde Laureâ Magiſtrali exornatus, Philoſophiam, ac Theologiam è ſuggeſtu annis integris XX. Alumnis ſuis explanavit. Oratoriam facultatem tantum cordi habuit, ut nec à Religioſis curis, nec à dignitatibus eidem collatis diſtentus (nam pluribus Cœnobiis præfuit, & Deffinitoris, Provincialis, imò totius Congregationis Vicarii Generalis muneribus inſignitus) nunquam à Concionibus promulgandis deſtitit, ut infra videbimus. At verò dum in Conventu Suorum Romano ſub Invocatione Jeſu Mariæ, in quo Viſitatoris officium exercebat, anno Redempti Orbis MDCCXV. apoplexi correptus, diem ultimam clauſit in Domino.

Hæc partim typis dedit, partim poſt ſe reliquit:

I. Orazioni Sagre. A Monſignor Aleſſandro Croce Veſcovo di Cremona. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1700. *in* 4.
II. Diſcorſi per l'Avvento, e per alcune Feſte de' Santi. A Monſignor Co. Abbate Giberto Borromeo (poſtea S. R. E. Cardinali) *Milano*, 1709. *in* 4.
III. Diſcorſi Clauſtrali ſopra la Regola del S. Padre Agoſtino. All'Eminentiſſimo Sig. Cardinale Renato Imperiale. *Milano, preſſo Franceſco Vigone*, 1704 *e* 1711. *Tom. II. in* 4. & poſtea ab eodem Typographo iterum impreſſi.
IV. Quadrageſimale. *Milano, preſſo il Vigone*, 1714. *in* 4.
V. Diſcorſi Clauſtrali per compire l'Eſpoſizione della Regola del S. Padre Agoſtino. MS. in fol. quem morte præventus Auctor perficere minimè potuit.

A Suis.

## MDCXXXV.

## STRAPPAROLA JOANNES FRANCISCUS.

CAravagium hujus Mediolanenſis Ducatus Oppidum ſatis inſigne, præter plures alios eruditos Viros, protulit etiam Joannem Franciſcum Strapparolam, cujus nomen Picinellus ignorans, ipſum cognomine tantùm indicavit. Vir fuit lepidiſſimi ingenii, & non mediocri præditus eruditione, qua utinam meliùs uſus fuiſſet, ut juſtiſſimam cenſuram Eccleſiæ effugeret. Cæterùm in Opere mox indicando Fabulas, & Ænigmata plurima inſeruit, quæ ab infra recenſendis Scriptoribus commendantur tamquam ingenioſiſſimè conflata, quamvis parum pudicè. Vivebat circa medium Sæculi XVI.

Scripſit:

I. Le tredeci piacevoliſſime Notti. *Vinegia, per Comin da Trino*, 1557. *in* 8. & alibi ſæpius.
Ipſius meminerunt Antonius Franciſcus Donius in Bibliotheca ſua apud *Jolitum* edita anno 1557. pag. 101. Ariſius in Cremona Litterata, Tomo III. pag. 320. Creſcimbenius in Commentariis Poëſis Italicæ Tomo I. lib. III. cap. 24. Iricus noſter in Hiſt. ſua Typographica Tridinenſi; Franciſcus Xaverius Quadrius Soc. Jeſu Tomo III. pag. 405. Operis ſui inſcripti „ dell' „ Origine, e della Ragione d'ogni Poesìa; & Picinellus in Athenæo pag. 499.

## MDCXXXVI.

## STRATA ALOYSIUS.

NObilitatem familiæ Stratæ, quæ olim de la Strata dicta fuit, & vulgò *Strada* nuncupatur, ſatis oſtendunt plures ex ea Decuriones ad Patriæ hujus Mediolanenſis regimen aſſumpti, quorum primus Miranus enumeratur ad annum MCCCLXXXVIII. in Syllabo Decurionum ab amiciſſimo JC. Sitono collecto. Hunc ſubſecuti ſunt alii non pauci uſque ad annum MDXIII. quo floruit eodem inſignitus honore Petrus Antonius. Eo ſanguine genitus fuit Aloyſius de Strata Metropolitanæ Baſilicæ Canonicus Ordinarius, hac dignitate potitus anno MCCCCXI. & demortuus anno MCCCCL. cujus tamen nulla ſuperſunt apud poſteros eruditionis veſtigia. Hæc præfari libuit, ut diſtingui poſſit Aloyſius iſte ab altero, de quo nunc verba facimus, qui, cùm diuturniorem egerit vitam, facilè alius à priori dignoſcitur. Hic Milano parente genitus, & litterarum addictus ſtudiis, latinæ præſertim Poëſis ornamentis enituit, cùmque optimè litteras exprimeret, proprii, & aliorum ingenii fœtus poſteris ſervavit, è quibus Codicibus ab eo ſcriptis aliquos recenſebimus infra. Obitus ejus tempus nos latet, vitam tamen produxit ultra annum redempti Orbis MCCCCLXXVI.

Scripſit Opus hoc titulo:

I. Carmina varia latina de Paſſione D. N. J. C. & de Sancta Maria Magdalena; in fine ſic legitur: „ Ego Aloyſius de Strata Mediolanenſis hoc Opus compo„ ſui, & complevi die X. menſis Septembris, anni „ MCCCCLXXII. MS. in fol. optimæ notæ litteris rubro-nigris. Extat in Biblioth. Cœnobii Eremitar. S. Mariæ Coronatæ Mediolani.
Bernardini Senenſis de Vita Chriſtiana, liber ſcriptus ab Aloyſio de Strata Mediolanenſi, anno MCCCCXLVI. MS. in fol. Bibl. Ambroſ. ſign. L num. 18.
Maphæi Veggii Laudenſis ad Elizabeth, & Monicam Sorores, ac Moniales de Perſeverantia Religionis lib. VII. In fine ſic legitur: „ Explicit hoc Opus, quod „ ego Aloyſius de Strata Mediolanenſis ſcripſi, & ex„ plevi Mediolani die Mercurii XVIII. menſis Au„ guſti, anni MCCCCLXXVI. Codex in fol. optimè ſcriptus litteris rubro-nigris. Extat in ſupracitata Bibliotheca S. Mariæ Coronatæ.
Videndæ Schedæ Sitonianæ.

## MDCXXXVII.

## STRATA CAROLUS HIERONYMUS.

CArolus Stephanus Strata Regius Fiſcalis Syndicus generalis in hac Mediolanenſi ditione, atque Diamanta Pecchia nobiles conjuges Carolum Hieronymum genuerunt, qui parentum diligentiâ probè inſtitutus, anno MDCLXXXI. inter Regulares Clericos Congregationis S. Pauli Decollati, quos vulgus Barnabitas nuncupat, cooptari voluit. Anno ſequenti vota ſolemniter Domino reddidit; mox in Urbe Laudenſi publicè humaniores docuit litteras. Cùm verò divini Verbi miniſterio ſe addixiſſet, pluribus Italiæ Urbibus quadrageſimali tempore ſacra explicavit Myſteria non abſque animarum lucro, & auditorum plauſu. Collegii Novarienſis S. Marci Præfecturam ſic geſſit, ut iterum, atque iterum generalis Viſitatoris officium ipſi demandaverint Sodales ſui. Poſtremò cùm Mediolanenſem Provinciam adminiſtraſſet, morbo ipſis Phyſicis incognito ſublatus, ſeptuagenarius occubuit in Collegio Mediolanenſi S. Apoſtolo Barnabæ ſacro, anno MDCCXXXV. die XIII. menſis Septembris.

Illius habemus:

I. Prediche Quadrageſimali. *Milano, per Giuſeppe Malateſta*, 1716. *in* 4.
Ipſum commendat jam toties citatus P. D. Franciſcus Pezius.

## MDCXXXVIII.

## STUPPANUS JOANNES PETRUS.

JOannis Petri Stuppani mores atque præclara merita, ubi alii teſtes deeſſent, ſatis ſuperque demonſtravit Sanctiſſimi Antiſtitis Caroli Borromæi in ipſum amor. Noverat enim æquiſſimus ille Paſtor hujus Viri religioſum animum, & ingenii in ſacris præſertim ſtudiis culturam. Recenſuit ipſum ideo inter primarios eos Sacerdotes, qui Oblatorum Congregationi nomen dedere, cùm jam Theologiæ Magiſter fuiſſet renunciatus. Præpoſituram poſtmodum Mazzii in Volturena eidem contulit, cùmque anno MDLXXX. in Collegio Sancti Sepulchri hujus Urbis Stuppanus ſontico morbo correptus jam jam efflaret animam, adſtitit Sanctus Præſul, & nedum ipſi humiliter inſervire voluit, ſed etiam miraculo vitam reſtituit. Comitem quoque hunc adhibuit in ſacra peregrinatione, quam ſuſcepit ab hac Metropoli ad Taurinorum Auguſtam, ut Dominicæ Paſſionis veſtigia in Sacroſancta Sindone impreſſa ſupplex veneraretur. Minitabantur interea Novatores populis Vallis Meſolcinæ, jamque errores ſuos in vulgus ſpargere cœperant; quocirca nullus S. Carolo melior viſus eſt Stuppano, qui tantum cohiberet malum, & à Chriſti grege infeſtos lupos averteret. Illuc igitur miſſus eſt Præpoſituræ, & Vicarii honore donatus, & non linguâ ſolum, præclarèque geſtis, ſed ſcriptis etiam Codicibus Eterodoxorum fraudibus fortiter ſe oppoſuit, donec pietate, & doctrinâ commendabilis obdormivit in Domino exeunte Sæculo XVI.

En

Digitized by Google

En illius eruditionis teſtimonia :

I. Breve dichiarazione dello ſtato della Santa Chieſa da Criſto ſino al preſente, con l'origine, e contraddizioni delle nove Sette, di Gio. Pietro Stoppano Oblato, Prevoſto, e Vicario di Miſolcina; con una Lettera di Matteo Grillo prima Calviniſta, poi fatto Cattolico, nella quale allega trenta Cauſe della ſua Converſione. *Milano, per gli Eredi Tini*, 1586. *in* 8.

II. Della Inſtituzione, ed Autorità de i Miniſtri Eccleſiaſtici, ed in particolare del Sommo Pontefice. *Milano, per il Ponzio*, 1591. *in* 4.

De eo agunt Jo. Petrus Gluſſianus in Vita S. Caroli lib. V. cap. 4. & lib. IX. cap. 2. atque Picinellus in Athenæo pag. 326.

## MDCXXXIX.

## SUARDA CAMILLA.

Camilla Suarda Equitis Franciſci, & Catharinæ Trincheriæ Mediolanenſium conjugum filia, meritò ſibi locum promeretur inter reliquos Eruditos, quorum in hac Bibliotheca nomina recenſemus. Poſt exactos primos ſuæ ætatis annos in paternis ædibus, ubi ad pietatem optimè formata fuit, Parthenonem celeberrimum Sanctæ Marthæ hujus Urbis jam ſæpè à nobis memoratum delegit, ut in eo Sponſam ſe Regi Regum traderet ſub ea Regula, quam Sancti Auguſtini dicimus. Die igitur XXII. menſis Julii, anno gratiæ MCCCCLXXXIII. inter illius Monaſterii Virgines eſt cooptata, qua in re comitem habuit Beatam Archangelam Panigarolam alibi jam commendatam. Confeſſarius illi fuit Joannes Antonius Borſanus Sacerdos notiſſimæ pietatis, & prudentiæ, cujus monita plurimùm ipſi in via Domini profuerunt. Opus mox indicandum conſcripſit, quod incipit à præfato anno MCCCCLXXXIII. & proſequitur uſque ad MDXXVIII. dialecto quidem illius ætatis vulgari, ſed mirâ, ſacrâque eruditione refertum. Virtutibus, & meritis cumulata migravit è vita, multa Sororibus ſuis pietatis exempla relinquens circa annum MDXL.

Operis hic eſt titulus :

I. Libro de alchune Viſione, & Revelatione facte ad una Illuminata, & devota ſorore profeſſa: nel celeberimo Monaſterio de Sancta Martha, conſtituito ne la cura de Sancta Maria al Circhulo in Milano. La qual non per vana gloria ne per favor humano: ma per obedire a la voluntà de Dio cum licentia de la colendiſſima Reverenda Donna Camilla de Rho al preſente Matre del dicto Monaſterio le ha notate per ordine di anno in anno: come nel ſequente tractato ſe vedarà ad honore & laude de Dio & a utilita del proximo. MS autograph. in 4. juſtæ molis in Archivo ipſius Monaſterii.

Memoratur Suarda in Schedis Sitonianis.

## MDCXL.

## SUARDUS BARTHOLOMÆUS.

Vetuſtatem Suardæ familiæ in hac Inſubriæ Metropoli comprobant Maſtinus Eques & Decurio, cujus mentio in publicis tabulis reperitur ad annum uſque MCCCCLXXIV. teſte amiciſſimo, doctiſſimoque JC. Sitono noſtro in Syllabo ſuo MS Decurionum Mediolani, atque Petrus ambo de Suardis JC. Ducaliſque Senator, qui claruit ad annum uſque MCCCCLXXXIV. His coævus extitit Bartholomæus Suardus Alberti filius, qui cognominatus eſt Bramantinus. Monemus autem Lectores falli eos omnes, A qui Bramantem putaverunt Bartholomæi noſtri Magiſtrum fuiſſe in arte picturæ, atque architecturæ. Etenim, ut probè notavit Pellegrinus Antonius Orlandi Concivis meus in ſuo Abcedario Pictorio, Bramantes potiùs à Bramantini noſtri delineationibus plurima hauſit, & didicit; imò tunc natus fuit, cùm jam hic vel vita functus jam eſſet, vel ſaltem in ſumma viveret ſenectute. Bartholomæus igitur ſummam ſibi conciliavit famam ob peritiem peculiarem picturæ, ſculpturæ, atque architecturæ, in quibus omnibus adeò excelluit, ut primas inter earum profeſſores tempeſtate ſua obtinuerit. Vixit ſedente in Apoſtolica Sede Nicolao Papa hujus nominis V. quo jubente cubicula quædam Pontificalium ædium Romæ pinxit tam venuſtè, ut Raphaël Urbinas nonnullas illuſtrium Virorum Icones indè exprimendas voluerit, B quas poſtea Julius Romanus Raphaëlis hæres, atque diſcipulus, Paulo Jovio Novocomenſi Viro clariſſimo, Antiſtiti Nucerino tradidit, ut eis Muſæum ſuum exornaret. Plura quoque hujus celeberrimi Pictoris ingenii monumenta ſuperſunt in Patria tam penicillo ficta, quàm ædificia, atque inter hæc poſtrema excellit Templum Deiparæ apud S.Satyrum, & vicinum ipſi Templo Sacrarium ſatis ingenioſum. Eo quoque delineante Ambroſiana Baſilica refecta eſt, ſtructaque Canonicæ porticus, cujus columnas novo quodam invento nodoſis ſtipitibus ſimiles efformavit. Diuturnam ſatis produxit vitam, neque tamen unquam à pingendo ceſſavit; etenim adhuc anno MDXIII. inter mortales degebat, ut conſtat ex publicis documentis C diei XXVIII. menſis Septembris ejuſdem anni, è quibus eruitur ipſum paulò ante Tabulam quandam exprimentem Cadaver Chriſti Domini in dolentis Deiparæ gremio jacens pinxiſſe, repoſitam in Templo Monaſterii Sanctæ Mariæ Carævallis, pretio Ducatorum aureorum octoginta. Obitus illius annus incertus eſt.

Scripta reliquit :

I. Librum Proſpectivæ. Ex Picinello, & Moriggia mox citandis.

II. Le Antichità di Lombardia, miſurate, e diſegnate. Teſte præcitato Orlandi.

De ipſo Moriggia lib. I. cap. 59. Orlandi in Abcedario Pictorico pag. 89. Sitonus noſter in Schedis, Petrus Paulus Boſca de Origine, & Statu Bibliothecæ Ambroſianæ, & Picinellus pag. 65. ſui Athenæi.

D

## MDCXLI.

## SUARDUS PAULUS.

Edita ſunt anno MCCCCLXXX. die XX. Decembris in hac Urbe Statuta Civilia reformata jam & publicata anno MCCCXCVI. & prodierunt opera & impenſa egregii Magiſtri Pauli de Suardis Mediolanenſis, ut in ipſius codicis calce legitur. An hic idem ſit, qui poſtmodum Aromatariam Artem exercens Opus E inferiùs laudandum compoſuit, & vulgavit, ſumus ancipites. At cùm hac de re Clariſſimus Vir totique Reipublicæ Litterariæ notiſſimus, Joſeph Antonius Saxius abundè jam egerit in Hiſtoria Typographica huic meæ Bibliothecæ annexa, in ea quæſtione diutiùs immorari non lubet; cùm Lectores eruditiſſimum illum laborem facilè adire poſſint. Interim Scriptorem hunc plurimi eſſe faciendum patet ex honorificis verbis, quibus eum compellat Jo. Antonida Vander-linden infra citandus; ipſum enim nuncupat *Aromatarium doctiſſimum*. Et ſanè artem ipſam non modicum illuſtravit, quin & Phyſicæ facultatis arcana penetraſſe dignoſcitur, cùm præter illa, quæ ad Pharmacopejam pertinent, de Urinarum quoque documentis egerit. Florebat adhuc anno MDXXVI.

Scripſit

Digitized by Google

Scripſit Opus hoc titulo :

I. Theſaurus Aromatariorum Pauli Suardi recens ſingulari diligentia recognitus . Ad Clariſſimos Dominos Collegii Mediolanenſis Phyſicos .
II. Documenta Urinarum ad cognoſcendum utilitates naturæ hominum . Omnia uno Volumine . *Mediol. apud Joannem Angelum Sinzenzeller*, 1507. *in fol* & rurſus *Ibid. per Jacobum de Caſtellione*, *impenſis D. Jo Jacobi, & Fratrum de Lignano*, 1512. *die* 3. *Decemb. pariter in fol.* poſtea *Venetiis*, *apud Octavianum Scotum* , 1517. *& ibid apud Hieronymum Scotum* , 1556. *in fol.* demum *Lugduni*, 1636 *in* 4.
De ipſo meminerunt Jo. Antonida Vander-linden lib. I. de Scriptis Medicis. Juſtus in Chronol. Med. Curtius de Claris Script. Medicis Mediol. pag. 55. Merchlinus, Jo. Jac. Mangetus in Biblioth. Medicor. Tom. IV. pag. 332. & Picinellus in Athenæo pag. 455.

## MDCXLII.

## SUBALIUS HIERONYMUS FRANCISCUS.

AB Abbate Philippo Picinello didicimus Hieronymum Franciſcum Subalium natales habuiſſe in Oppido Merate, quod ſitum eſt in Montibus Brianteis , ut alibi monuimus . Inter Fratres Regulam Divi Franciſci Strictioris Obſervantiæ profitentes adſcribi voluit . Ibidem tam prudenter & piè ſe geſſit, ut pluribus ſuæ Religionis Cœnobiis præeſſe meruerit , necnon Viſitatoris munus in variis Italiæ Provinciis, non ſine plauſu ſuſtinuerit . Sacris Litteris totus deditus Concionator generalis inter Suos effectus, nunquam à Verbo Dei diſſeminando deſtitit uſque ad ejus vitæ exitum , qui accidit in Conventu Oppidi Sabioncelli propè Meratum medio Sæculo nuperrimè tranſacto .

Superſunt de ipſo :

I. Scuola del Frate Minore . *Milano*, 1647 *in* 8.
II. L'Oratorio de i Religioſi . *Ivi*, *in* 8.
III. Lo Specchio del Prelato Regolare . *Milano*, 1650. *in* 4.
IV. Prediche, e Panegirici . MSS. apud Suos.
Videndus Picinellus ſupradictus in Athenæo pag. 340.

## MDCXLIII.

## SULBIAGUS FRANCISCUS.

NOn eſt cur hîc repetamus quantùm obſtrictus ſit hujus Metropolis populus prudentiſſimis illis Civibus , qui mandato Luchini Vicecomitis Mediolani Principis jus illius Municipale non exiguo labore colligendum , atque emendandum curarunt . Opus tamen eſt memorare Franciſcum Sulbiagum in eorum numero computatum , qui præclaræ huic provinciæ inſudarunt , cujus utilitatem Mediolanenſis Reſpublica ſentire cœpit anno MCCCLI. eo enim tempore Joannes Vicecomes hujuſce Urbis Archiepiſcopus & Dominus Codicem , ut ſupra elaboratum in vulgus exire juſſit . Sulbiaghi noſtri obitus , quo anno acciderit nemo nobis ſignificavit .

Vivit tamen apud poſteros propter

I. Jus Municipale Reipublicæ Mediolanenſis collectum, & emendatum , ut diximus .
Laudatur in Collectione Comitis Octavii Archinti MS. jam ſæpè enunciata, ubi citatur etiam Corius.

## MDCXLIV.

## à SUMMA CAROLUS JOSEPH.

CArolus Joſeph , dictus à Summa ( in eo enim Oppido Ducatus Mediolanenſis primam lucis hauſit uſuram ) cùm Minorum Ordini , quos Obſervantes appellare conſueſcimus , adoleſcens ſe addixiſſet , non Sacrorum tantummodo Codicum peritiem magno ſibi ſtudio comparavit , ſed Canonum quoque , Civiliumque legum eruditionem adeptus fuit . Peracto ſtudiorum curriculo , aliis multos prælegit annos , donec anno MDCXCII. jam Lector Jubilatus, renuntiari meruit Deffinitor . Poſt triennium Provinciæ creatus eſt à Secretis ; cùmque anno MDCCI. in Oppido Melegnani Comitia celebrarentur , omnium Vocalium ſuffragiis Provincialis Miniſter fuit conſtitutus . Laudabiliter eo functus munere , anno MDCCVII. Cuſtos effectus cunctis prodeſſe ſtuduit . Etiam extra Inſubriæ limites tanti Viri prudentia enituit; nam Subalpina ſui Inſtituti Cœnobia Commiſſarius luſtravit , Regularemque Obſervantiam ſartam, tectamque ſervare curavit . Magna in exiſtimatione apud Suos habitus , prout Ordinis ſui negotia exigebant , & coram , & Scriptis , ejus jura defendit . Migravit ad plures anno MDCCXXVIII.

Superſunt ejus

I. Diſſertationes plures eruditiſſimæ, tam è Sacrorum Canonum , quàm Cæſarearum legum fontibus erutæ; in variis ſuæ Religionis cauſis conſcriptæ . De omnibus plura Volumina effici potuiſſent juſtæ molis, & MSS. ſervantur apud Suos in Cœnobio S. Angeli Mediolanenſis .
Hæc nos ipſius Inſtituti ſectatores monuerunt.

## MDCXLV.

## de SUMMA GUIDO.

GUido , cui Summa Ducatus Mediolanenſis Oppidum non procul à Verbano Lacu, natale ſolum cognomen indidit , S. R. E. Cardinalis ignotus Panvinio , Ciaconio , Oldoino , ceteriſque quotquot de Cardinalibus ſcripſere , ut teſtatur Ughellus in Epiſcopis Oſtienſibus Tom. I num. XLIII. Alberico Oſtienſi Epiſcopo defuncto ſuffectus eſt circa annum MCXLVIII. Anno MCL. ab Eugenio III. in Longobardiam Apoſtolicæ Sedis Legatus miſſus pro graviſſimis Eccleſiæ negotiis , ſtrenuè ſe geſſit , ut mox referenda indicabunt , ad Mediolanenſem præſertim Eccleſiam pertinentia . Subſcriptus quoque reperitur in Diplomate Eugenii pro erectione Monaſterii Archauſani Ordinis Sancti Benedicti in Ducatu Wirtembergico ; quod quidem Diploma extat in lib. cui titulus : Documenta rediviva Monaſteriorum præcipuorum in Ducatu Wirtembergico , Tomo I. *Tubingæ* 1636 Obiiſſe creditur prædicto anno MCL. cùm eodem tempore Hugo Gallus Eugenii Diplomatis ſubſcripſiſſe reperiatur, tanquam Epiſcopus Oſtienſis . Tanti Viri patriam tot hactenus Scriptoribus ignotam eruimus ex autentico Documento , quod in Archivo Imperialis Capituli Baſilicæ Sancti Ambroſii exſcripſit Nicolaus Sormanus Bibliothecæ Ambroſianæ Doctor , atque in Collectionem ſuam Diplomaticam Mediolanenſ. propediem edendam intulit . Ideſt Erectio Præbendæ XIII. in eadem Baſilica S. Ambroſii , facta anno MCLXXXVIII. XVI. Kal. Novemb.

Digitized by Google

vemb. Incipit : „ Ego in Dei nomine Albertus , qui „ dicor de Summa , Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ „ Subdiaconus &c. „ In ea meminit Albertus Guidonis Cardinalis , & Epiſcopi Oſtienſis , de Summa , Patrui ſui. „ Act. in Canonica S. Ambroſii. „ Scatet hoc Documentum eruditione ad Mediolanenſis Eccleſiæ Hiſtoriam aptiſſima . In eo inſertæ ſunt litteræ Urbani Papæ III. ad Albertum ipſum , datæ Veronæ VII. Kal. Julii, & aliæ item enunciantur Lucii , & Gregorii Pontificum ad eumdem Albertum , quibus ei conceditur libera diſpoſitio rerum ſuarum præcipuè ad pias cauſas .

Hæc tanti Cardinalis ſuperſunt :

I. Epiſtola Guidonis Oſtienſis Epiſcopi Legati Apoſtolici ad Obertum Archiep. Mediolanenſem , & Sanctum Galdinum tunc Archidiaconum , in qua ait : Mandatum quod Præpoſiti Plebium Diœceſis Mediol. nulli manus imponant , & neminem ordinent , non extendendum ad Archipresbyterum Modoëtienſem , qui hanc dignitatem jam per multos annos poſſederat : „ Sed liberam habeat poteſtatem titulandi , & ordinandi Clericos in Eccleſia ſua Archipresbyter , ſicut uſque hodie habuit ; Nihilominus etiam volumus , ut tam Succeſſores ejus , quàm & ipſe hanc eandem habeat dignitatem. „ Extat apud amiciſſimum Sormanum ex Archivo Modoëtienſi deprompta.

II. Ejus ſententiam inter Canonicos S. Vincentii , & Sancti Alexandri Bergomenſis Civitatis , refert F. Cœleſtinus Capuccinus , lib. 27. tom. 2. part. 2. Bergomenſis Hiſtoriæ.

Epiſtola Martini Corbi Præpoſiti S. Ambroſii ad Guidonem noſtrum circa annum MCXLVIII. in qua narrat Monachorum conatus contra Canonicos Eccleſiæ ſuæ. Exſcripta ex Archivo ejuſdem Capituli. Reperitur in Collectione Diplomatica jam memorati Sormani noſtri.

De præfatis Guidone de Summa S. R. E. Cardinali Oſtienſi , itemque de Alberto de Summa S. R. E. Cardinali , hujuſque Teſtamento anni MCLXXXVIII. XVI. Kal. Novembris , meminit Petrus Paulus Boſca de Orig. & Stat. Biblioth. Ambroſ. lib. 2. pag 85. De eodem etiam Alberto de Summa Ambroſianæ Baſilicæ Mediolanenſis Canonico , & Romanæ Eccleſiæ Subdiacono ſub an. MCXC. , itemque de Ambroſio de Summa ejuſdem Ambroſianæ Baſilicæ Præpoſito ſub an. MCC. meminit Dominicus Madernus ibidem Concanonicus in Syllabo , & ſerie Canonicorum Ambroſianæ Baſilicæ. MS. in fol. penès Cl. Advocatum Sitonum .

## MDCXLVI.

## SYLVA BONAGRATIA.

EX Familia de Sylva ortus eſt Bonagratia , qui inter Fratres Minores Obſervantes Sancti Franciſci vocatos , relicto de more cognomine , à Mediolano tantùm ſe nuncupari inſtituit . In eadem Religione per omnes gradus ad illum Miniſtri Provincialis aſſumptus eſt in Capitulo Suorum an. MDCCXVII. die XV. Maji in Conventu Sanctiſſimæ Annunciatæ Oppidi Abbiati Graſſi . Sacras Litteras non tantùm coluit , ſed ipſas è ſuggeſtu Alumnis ſuis tam in patria , quàm alibi dictavit . In Oratoria facultate excelluit , itaut in pluribus Italiæ Urbibus optimi Concionatoris nomen meruerit . Mirum eſt quòd Vir iſte tot curis , ſtudiiſque ſeriis implicitus , tempus etiam Muſis dare potuerit , ut infra videbimus . Opus Hiſtoricum ſcribebat , cujus titulum nobis dederunt Sui , dum anno Chriſti MDCCXXXIII. die XIII. menſis Aprilis mors ipſum moleſtè rapuit .

Hæc ſunt illius ingenii Monumenta :

I. Vita di Santa Cattarina da Bologna . *Milano* , 1712. *in* 12.

II. Panegirico di S. Antonio per la naſcita dell' Arciduca d'Auſtria. *Milano* , 1716. *in* 4.

III. Martirio di Santa Giulia Vergine Cartagineſe martirizata in Corſica . Opera Tragica in verſi . *Milano* , 1720. *preſſo il Malateſta*.

IV. Trionfo della Fede nel Martirio de' Santi Gervaſio , e Protaſio . Opera Tragica in verſi . *Milano* , 1722. *preſſo il Bellagatta*.

V. Chronicon rerum memorabilium Civitatis , & Dominii Mediolanenſis , nec non ſuæ Religionis ipſius Provinciæ . Opus MS. Latino idiomate compoſitum , quod F. Marcus Antonius à Mediolano Lector & ipſe jubilatus , & jam Provinciæ Cuſtos , nec non Conventus S. Angeli hujus Urbis , ut vocant , Guardianus , pari methodo proſequitur .

Ita à Suis .

## MDCXLVII.

## SYLVA CHRISTOPHORUS.

IN Collegium Cauſidicorum Mediolanenſium , anno MDLXXXV. cooptatus fuit Chriſtophorus Sylva , de Ciſlago dictus , Franciſci filius . Tabellionatus officium plures annos in hac Urbe geſſit ad annum uſque MDCXX. qui eidem emortualis fuit. In Baſilica Euſtorgiana , atque in paterno Sepulchro conditus jacet , ubi Franciſci Genitoris Epitaphium legitur in hæc verba :

P. SEP.

QVOD VESTRVM EST EX ME FRANCISCO SYLVA CISLAGO

POSTERISQVE MEIS AD DIEM IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI

VSQVE HIC PIE SERVANTO IPSO F. V. P.

MDLXXIII.

Ut Collegio ſuo rem gratam faceret Chriſtophorus , librum conſcripſit hoc titulo :

I. Compendium Ordinum , & Sanctionum Collegii Cauſidicorum , & Notariorum Mediolani &c. MS. in fol. juſtæ molis , extat autographum apud Cl. Advocatum Sitonum noſtrum .

Videndus eſt Puccinellus Cap. 18. num. 26. pag. 60.



## MDCXLVIII.

## SYLVATICUS JOANNES BAPTISTA.

BRevibus verbis tam Clariſſimus Bartholomæus Curtius , quàm Abbas Philippus Picinellus de Joanne Baptiſta Sylvatico ſe expedivere ; breviſſimis verò Joannes Jacobus Mangetus , quoad Vitam ejuſdem , diligentiùs profectò in recenſendis Operibus , editionibuſque eorundem , quod Noſtratibus laudabili



Digitized by Google

invidiæ eſſe deberet. Fuit igitur Joannes Baptiſta Sylvaticus Joannis Petri, Regii apud Excellentiſſimum Mediolani Senatum Cancellarii filius, Vir certè magnifaciendus, & eximiæ ſuæ virtutis cauſâ publicus, ac primarius Medicinæ profeſſor in Regia Univerſitate Ticinenſi. Hinc in Patria unus ex XII. Præſidibus Tribunalis, quod Proviſionum vocant, annis MDLXXXIV., MDXCVIII., & MDCVIII. Eidem non modicum gloriæ omni ævo erit, quod primus Nobiliſſimi Medicorum Collegii Mediolanenſis, in quo cooptatus fuit anno MDLXXV., Hiſtoriam evulgaverit. Extat etiam ejuſdem nobilis mentio in libro Actorum præfati Collegii, incipiente ab an. MDLXXXI., & deſinente ad an. MDCXVI. pag. 132., ubi ſic legitur: „ Anno MDXCVII. die „ Sabbati vigeſimo Decembris, convocato Collegio „ ſedentibuſque DD. Claudio Quadrio Rectore ſe„ niore, & Aloyſio Marliano Vice-Rectore, relatum „ fuit quemadmodum Dominus Joannes Baptiſta Syl„ vaticus Collega noſter, Opus ſuum de Theriaca „ dicto noſtro Collegio dicavit; de quo tanquam de „ munere maximi momenti gratias maximas dicto „ Domino Sylvatico agendas eſſe ſancitum fuit; & „ propterea provinciam hanc rogati ab univerſo Col„ legio ſuſceperunt Domini Rector, & Pro-Rector, „ & Dominus Ludovicus Septala &c. Signat. Clau„ dius Quadrius Rector ſenior, & Aloyſius Marlia„ nus Pro-Rector junior. „ Ita ex Clariſs. J. C. Advocato Sitono de Scotia in ejus Chronico Colleg. Phyſicor. Mediol. parte 2. art. 232. MS. in fol. pænes ipſum Authorem. Cum Viro Celeberrimo humaniorum litterarum profeſſore famigeratiſſimo, Hieronymo Boſſo Papienſi, amicitiam ex corde Scriptor noſter contraxit, qui tamen deſideratus eſt anno redempti Orbis MDCXXI. omnium bonorum mœrore. Vivit tamen adhuc in eis, quæ doctiſſimè ſcripſit;

Scilicet:

I. De ſecanda in putridis febribus ſalvatella, deque noſtro in ſecandis venis modo, cum antiquo comparato: Epiſtolæ ad Joſephum Caſatum, Rocchi filium. *Mediolani, apud Paulum Gotbardum Pontium*, 1583. *&* 1584. *in* 4.

II. Inſtitutio Medica, de iis, qui morbum ſimulant, reprehendendis. *Mediolani, apud Pacificum Pontium*, 1595. *in* 4. *Francofurti ad Mœnum, apud Hæredes Schürer*, 1671. *in* 12.

III. De aquæ frigidæ potu poſt medicamentum. *Mediol. apud de Antoniis*, 1586. *in* 4.

IV. Tractatus duo: Unus de materia turgente, alter de Aneuryſmate. *Venetiis, apud Robertum Majettum*, 1600. *in* 4., *& Vicentiæ, apud G. G. Gracum*, 1595. *in* 4.

V. Tractatus de anno Climaterico, ad Illuſtriſs. & Excellentiſs. Regium Senatum Mediolanenſem. *Ticini, apud Andream Vianum*, 1595., *&* 1605. *in* 4.

VI. Tractatus de compoſitione, & uſu Theriacæ Andromachi, Libri duo. *Heidelbergæ, apud Hier. Commelinum*, 1597. *in* 8. *Francofurti, apud Nicolaum Baſſæum*, 1600. *in* 8. Hæc editio recognita, & Indice Rerum, & Verborum ſatis locuplete, quo prior caruit, aucta eſt. Extat etiam cum Thomæ Eraſti examine de Simplicibus, quæ ad compoſitionem Theriacæ Andromachi requiruntur. *Lugduni, apud Commelinum*, 1607. *in* 8.

VII. Controverſiæ Medicæ centum numero. *Mediol. Typis Societatis Hieronymi Bordoni, & Petri Martyris Locarni*, 1601. *in fol.* Ad Ludovicum Maddium Mediolani Senatorem; & iterum *Francofurti, apud Claudium Marnium*, 1601. *in fol.*

VIII. Galeni Hiſtoriæ Medicinales enarratæ. *Hanoviæ, apud Claudium Marnium, & Haubry Hæredes*, 1605. *in fol.*

IX. Collegii Mediolanenſium Medicorum origo, antiquitas, neceſſitas, utilitas, dignitates, honores, privilegia, & Viri illuſtres. *Mediolani, apud Hieronymum Bordonum, Petrum Martyrem Locarnum, & Bernardinum Lantonum*, 1607. *in* 4. Ad Jacobum Maynoldum Senatus Mediolanenſis Præſidem.

X. De Unicornu, Lapide Bezoar, Smaragdo, & Margaritis, eorumque in febribus peſtilentibus uſu. *Bergomi, apud Cominum Venturam*, 1605. *in* 4., *& Venetiis, apud Somaſchum, anno, & forma iiſdem.*

XI. Medicus. *Mediolani, apud Hieronymum Bordonum*, 1612. *in* 8. Ad Ferdinandum Velaſcum totius Mediolanenſis Dominii Moderatorem.

Erycii Puteani Epiſtola ad Joannem Baptiſtam Sylvaticum; ei ſcribit ægrotus laudans Ludovicum Septalium, & Carolum Cottam, ut amicos ejus cariſſimos. Data pridie Nonas Decemb. MDXCVIII. in Centuria I. pag. 36.

Extant in ejus laudem Epigrammata Benedicti Sociaci pag 22., & Herculis Cimiliocti in MS. Fratrum Marchionum Vicecomitum.

Celebratur à Moriggia in Hiſt. Nobil. Mediol. lib. III. cap. 16., & lib. VI. cap 19., Paſchali Gallo in Bibliotheca Medica, Joanne Antonida Vander-linden de Scriptis Medicis, à Curtio in Opere de Medicis Mediolanenſibus pag. 24., & 168. A Picinello in Athenæo pag. 286. A Joanne Jacobo Mangeto in Bibliotheca Scriptorum Medicorum, Tom. IV. pag. 337., & à Sitono ſupra laudato.

## MDCXLIX.

## SYLVATICUS MATTHÆUS.

QUandoquidem Clariſs. Bartholomæus Curtius, forſan territus à Gaſparo Gallo, à Langio, aliiſque, qui Matthæum Sylvaticum Mantuanum eſſe, (neſcio tamen quibus tabulis fulti) aſſeruerunt, pauciſſimis verbis ſe expedivit in ſuo Opere de Claris Medicis Mediolanenſibus, ita ut in dubium forſan Scriptorem hunc Civibus ſuis reliquerit, ego in hac Bibliotheca ipſum juremerito repono, Moriggiæ, & Poſſevini ſententiam proſequendo, & quod plus eſt, cum duce meo doctiſſimo, atque accuratiſſimo Sitono J. C., qui evidentiſſimè Matthæum iſtum Mediolanenſem probat his verbis: „ Matthæus de „ Sylvaticis, aliis Maphiolus, Facioli Sylvatici fi„ lius, & Eraſminæ Lampugnanæ maritus: Artium „ & Medicinæ Doctor eximius, anno MCCCLXVII. „ habitans in P. T. P. S. Maurilii Mediolani: Anno „ MCCCLXXXVIII. ex Duodecim Præſidentibus „ Tribunalis Proviſionum Mediolani, unà cum Jo„ hannino Landriano, & Manfredo Serazono, ex „ Mediolanenſi Collegio Jureconſultis ibidem Aſſeſſo„ ribus, Phyſicus Collegiatus claruit annis MCCC„ LXVII., & MCCCLXXXIX. ex Raphaële Fagnano „ in familia Sylvatica, MS. „ Ignoravit quoque ſupradictus Curtius primam editionem Operis Matthæi noſtri, quam fortuitò præ manibus ego habui; alias etiam editiones profert Clar. Mangetus, at diſtinctius ultimam Lugdunenſem anni MDXLI., quam in Ambroſiana ego inſpexi, ut infra. Dolendum eſt, quod nec Acta, nec alia hujus Auctoris Scripta, nec annum mortis ipſius ætas nobis ſervaverit.

En Operis Titulus:

I. Liber Pandectarum Medicinæ, omnia Medicinæ Simplicia continens, quem ex omnibus antiquorum Libris aggregavit eximius artium & Medicinæ Doctor Matthæus Sylvaticus; ad Sereniſſimum Siciliæ Regem Robertum. In fine ſic: „ Opus emendatum per egre„ gium Artium & Medicinæ Doctorem, & Magiſtrum „ Matthæum Moretum Brixienſem, Bononiæ in Medi„ cina & Aſtronomia Legentem, & impreſſum per „ *Germanum Licbtenſtein Colonienſem, probatiſſimum Li*„ *brariæ Artis exactorem, Vicentiæ in fol. ſine anno.* „ Ipſum vidi in Biblioth. FF. Eremitarum S. Auguſtini Cremæ. Alia verò editio ſic prætitulatur: „ Opus Pandecta„ rum, quod aggregavit eximius Artium & Medicinæ „ Doctor Matthæus Sylvaticus; ad Sereniſſimum Siciliæ „ Regem Robertum, qui fuerunt anno Mundi 6156. „ anno verò Chriſti 1317. Coævi Petro de Abano. Dino „ de Garbo. Gentili Bonaventuræ. Franciſco Mayro„ ni, & Nicolao de Lira. Additur Simon Januenſis, „ ubique per Alphabetum. „ In fine: „ Opus Pande„ ctarum Medicinæ ordinatum per litteras Alphabeti, „ ita ut facillimè, & quamprimum reperiatur quid„ quid ineſt: per eximium Artium & Medicinæ Docto„ rem Magiſtrum Georgium de Ferrariis de Montefer„ rato, qui nuperrimè addidit Sinonyma ſuccinctè quæ „ dee-

Digitized by Google

„ deerant Simonis Januenſis locis propriis cum quotationibus auctoritatum Plinii. Gal., & aliorum Doctorum. „ Impreſſum *Venetiis* mandato, & expenſis Nobilis Viri Domini Octaviani Scoti Civis Modoëtienſis. Quinto Idus Martias 1498 *per Bonetum Locatellum Bergomenſem, in 4. magno*. Hæc editio extat in Archintea. Aliam profert Cl. Curtius Matthæi Loreti, *Venetiis*, 1599. *Ibidem, apud Simonem de Luere*, 1511 *in fol. Taurini, apud Antonium Zanetum*, 1526. *in fol.* Clar. Mangetus aliam dat editionem *Lugduni*, *apud Juntam*, 1541., ſed ego ſuſpicor eſſe eandem, quam ſupra enunciavi me vidiſſe in Ambroſiana, ſic inſcriptam: „ Pandectæ Medicæ. Opus Pandectarum Medicinæ Clariſſimi Viri Matthæi Sylvatici, tam Aromatariis, quàm Medicis omnibus neceſſarium, nuperrimè caſtigatius redditum, & non invenuſtis caracteribus in gratiam ſtudioſorum excuſum ac pluribus celeberrimorum Auctorum, in primiſque Simonis Genuenſis adnotationibus decenter illuſtratum, nec non variis capitibus Simplicium Medicinarum, quæ in perquam multis Codicibus non comperiuntur, adauctum: cum Tractatu quoque declarante quantùm ex ſolutivis laborioſis ingrediatur pro ſingula drachma pillularum, & electuariorum ſolutivorum. Tabula Simplicium proximè ſequentem paginam volventi ſe ſe offert. Subjecta quoque eſt in Operis fine Tabula omnium capitum per elementorum Alphabeti ſeriem digeſta. Adjecta item fuere adnotamenta pleraque ſtudioſis Lectoribus haud dubiè profutura per eximium Medicæ facultatis profeſſorem Dominicum Martinum de Soſpitello, qui non pauca, quæ depravata fuerant integritati ſuæ non indiligenter reſtituit. „ *Lugduni*, *apud Hugonem à Porta*, 1541. *in fol.* In fine: „ Explicit Opus Pandectarum Medicinæ Matthæi Sylvatici, Simoniſque Januenſis, cum Tabula & additionibus, ac doſi ſolutivorum Magiſtri Baptiſtæ Sardi, ac inſuper adnotationibus Capitulorum, & Auctorum nuper additis per Dominum Magiſtrum Dominicum Martinum de Soſpitello. „ *Lugduni nunc demum exactiſſimè per inclytum, probumque Virum Theobaldum Paganum Chalcographum excuſum. Anno Domini MDXLI. die VI. menſis Aprilis, in fol.*

Agunt de ipſo, præter ſupra citatos Auctores, Moriggia Hiſt. Nobil. Mediol. lib. III. cap. XIII. Poſſevinus in Apparatu Sacro. Curtius pag. 23. Picinellus in Athenæo pag. 418. Sitonus in Chron. Colleg. Phyſic. Mediol. part. II. artic. IV. MS. in fol. penes Auctorem.

## MDCL.

## SYLVESTER.

ORdini Prædicatorum, in celeberrimo hujus Metropolis Euſtorgiano Cœnobio nomen dedit Sylveſter, pro Aſcetarum conſuetudine vetuſtiſſima, nuncupatus à patria, de Mediolano, circa annum Redemptionis noſtræ MCCCCXX. Hujus eruditio in Metaphyſicis præſertim Quæſtionibus emicuit, cujus rei teſtes ſunt Codices ab ipſo conſcripti, qui in eiſdem explanandis verſantur. Hîc etiam atque etiam dolentes repetimus, quæ alibi jam ſcripſimus, culpandos videlicet nos non eſſe cùm de Auctoribus nonnullis hujus Bibliothecæ nimis jejunè agere cogimur, ſed eorum potius carpendam incuriam, quibus cordi non fuit diligentiùs ipſorum Acta nobis communicanda ſcrutari. Boni conſulas, candide Lector, hæc pauca.

Laudantur illius:

I. Tractatus de Ente, & Eſſentia.

II. Quæſtiones variæ de multis argumentis. Hæc duo MSS. extitiſſe apud Suos Cœnobii Sanctæ Mariæ Gratiarum Mediolani ſcripſit Rovetta, qui ipſum floruiſſe ait ad annum MCCCCXXVI.

Agunt de ipſo Luſitanus, Albertus Venetus, Pius, Fernandez, Altamura, Poſſevinus in Appar. Sacro Tomo III. Quetif, & Eccard in Biblioth. Script. Ord. Prædic. Tomo I. pag. 772. & Picinellus in Athenæo pag. 485.

## MDCLI.

## SYLVESTER alter.

SYlveſter Mediolanenſis inter Minores Sancti Franciſci communi appellatione Capuccinos dictos cooptatus, ſtudiis tum ſacris, tum chronologicis totum ſe addixit. Et quidem non ſine animarum lucro Divini Verbi Præco fuit inſignis; at cùm virtutis plura daret exempla, atque Ordinis Moderatores peritiem ejus in perſcrutandis Monumentis ad univerſum ſuorum Cœtum pertinentibus perſpectam optimè haberent, arduam ſanè provinciam ipſi imponendam cenſuerunt. Quapropter Annalibus Ordinis ſupplendis adlectus ſedulam tam laborioſo Operi manum admovit, nec ſine commendabili diligentia perfecit. Vix autem prodierant in publicam lucem hujuſcemodi illius Lucubrationes, ipſe migravit è vita in Cœnobio Suorum Sancti Victoris apud Vercellenſem Portam hujus Urbis, anno Redemptionis MDCCXXXVIII.

Vulgavit igitur:

I. Annales Ordinis Minorum Capuccinorum: Append. ad Tom. III. pars prima, atque ſecunda Auctore Sylveſtro à Mediolano Concionatore, & Annaliſta Ordinis. *Mediolani, apud Joſephum Quintum*, 1737. *in fol.* A Suis.

## MDCLII.

## SYRUS.

SYrus Presbyter Mediolanenſis, qui in Eccleſia Sanctæ Mariæ, cognomento Pedonis, ſive, ut alii malunt, Podonis dictâ à conditoris nomine, Sacerdotali fungebatur munere, Sancti Arialdi, cujus Elogium alibi recitavimus, itemque Liprandi, de quo etiam loco ſuo occurrit mentio, in comprimenda Schiſmaticorum pertinacia ſtrenuus fuit commilito. Cum hoc enim poſtremo, & Presbytero Arnaldo Magiſtro Scholarum Mediolanenſi iter faciebat, cùm Liprandus ipſe à Parmenſis Epiſcopi ſatellitibus captus eſt, ut narrat Landulphus junior loco inferiùs indicando. Sancti Arialdi ſupramemorati contubernium cum Syro noſtro diuturnum ſatis indicat quod ſcribit Beatus Andreas Monachus Vallis-Umbroſæ in prima Epiſtolarum ad eundem ſcriptâ, de qua mox agemus. Ait itaque: „ Tu enim tanto tempore ejus (ſcilicet Sancti Arialdi) „ eſſe frater familiaris meruiſti; ut penè quicquid de eo dixerim, proprio „ intuitu inſpiceres. „ Cæterùm ſumma ipſum eruditione præditum fuiſſe apertè evincitur ex ejuſdem B. Andreæ exiſtimatione; quandoquidem ipſius judicio Vitam ſæpè dicti Sancti Arialdi ſubjecit. Id etiam patet ex ſtylo, quo Auctor noſter uſus eſt, qui ſanè pro ætatis, qua fuit in vivis, nimirum MLX. conditione cultiſſimus eſt. Socium habuit Herimbertum quendam (quem ſuſpicamur quidem Mediolanenſem, ſed deficientibus legitimis probationibus, huic Bibliothecæ inſerere non audemus) in conſcribenda jam ſæpè laudati S. Arialdi Martyris Vita, quam tamen periiſſe dolemus. Non ignari quidem ſumus Cardinalem eruditiſſimum Cæſarem Baronium ad annum Chriſti MLXVI. num. XVII. & alibi etiam, exiſtimaſſe Vitam hanc eandem eſſe, quæ tribuitur præcitato B. Andreæ. E contra verò Doctiſſimos Continuatores Bollandi in Tomo II. Act. Sanctorum,



Digitized by Google

rum, ad diem X. Martii; in Commentario prævio A
ad Vitam ipſius B. Andreæ §. II. putaſſe Syrum noſtrum nullam S. Arialdi Vitam ſcripſiſſe; ſed tantùm de ejus Martyrio quædam narraſſe in Epiſtola ſua ad ipſum Beatum Andream miſſa. Ambos tamen corrigit Antonius Pagius loco inferiùs enunciando, & apertiſſimis argumentis demonſtrat, aliam eſſe Vitam quam Syrus exaravit, ab illa, quam Beatus Andreas elucubravit. Hæc illa ſunt, quæ non ſine labore de hujus Sacerdotis Actis collegimus; quo verò anno mortalitatem exuerit, compertum non habemus.

Scripſit igitur ut ſupra jam innuimus:

I. Vitam Sancti Arialdi Martyris. Hujus laboris conſortem habuit præfatum Herimbertum. Codex tamen B
periit, ut ſuſpicamur, vel ſaltem inter Anecdota deliteſcit. De ipſa tamen in Epiſtola mox citanda ſic teſtatur ſæpius commendatus B. Andreas; „ Legente „ me olim ea, quæ cum Socio Herimberto, de Ve„ nerabili Arialdo ſcripſiſti &c. „ quibus ex verbis nemo non videt comprobari Pagii ſententiam.

II. Epiſtolam ad B Andream ſupradictum, in qua prius teſtimonio ſuo ſubſcribit Vitæ ab eodem ſcriptæ ipſius S. Arialdi, dolens poſtea, multa, & præcipua ab ipſo fuiſſe omiſſa. Ex illis nonnulla recenſet, ut ſuppleat ipſam Vitam. Vulgata eſt, cum ſequentibus à Joanne Petro Puricello, in Opere ſuo de SS. Martyribus Arialdo Alciato, & Herlembaldo Cotta Mediolanenſibus, libro II. cap. XXXV. pag 119.

Epiſtolæ duæ ipſius B. Andreæ ad eundem Syrum, ex quarum prima nonnulla jam decerpſimus: ſecunda verò, in qua alia quædam in Vita jam à ſe conſcripta prætermiſſa narrat, leguntur in eodem Opere Puricelli; prima quidem eodem libro II. cap. XXXIV. pag. 118. altera ipſius libri cap. XXXVI. pag. 123.

De ipſo agunt, non ſine commendatione, Landulphus Mediolanenſis junior in Hiſtoria ſua edita in Tomo V. Script. Rerum Ital. pag. 472. cujus etiam Notæ videndæ ſunt; Baronius, & Bollandiſtæ loco jam enunciato; Antonius Pagius in Crit. Baronii Tomo IV. ad annum MLXI. num. VI. & ſequenti.

Digitized by Google

# T

## MDCLIII.

## TABERNA BRUNORUS.

GEneſim Familiæ Tabernæ Mediolanenſis, cujus Eruditos nunc laudandos ſuſpicimus, pro ſua in litteratos omnes humanitate communicavit doctiſſimus J. C. Joannes Sitonus, atque ex eadem jam ante Sæculum XIV. ipſius Gentis Viros cognovimus in hac Metropoli claruiſſe. Incipit enim ea ſeries in Joanne Teximoli anno MCCCXCIII. viventis Avo, ac deſinit in Brunoro noſtro, ejuſque fratribus Joſepho, atque Franciſco alibi commendando, quique ambo in Imperiali Baſilica B. Ambroſii Canonicatu ſunt potiti. Brunorus autem, cui primo loco debitum Elogium debemus de more, Matre Cæcilia Cagnola genitus eſt à Balthaſſare Taberna, cùmque in Sacri Fontis undis renaſceretur Cœlo, nomine reddidit Avum ſuum, cujus inferiùs dabimus Inſcriptionem. Liberaliter, pro ſui generis nobilitate educatus, conceptam de ſe ſpem non fefellit; cùm enim adoleviſſet, ſacræ ſe inter Clericos relatus addixit diſciplinæ. Mox anno MDCLXXXVIII. Canonicus Ordinarius in Metropolitana Baſilica hujus Urbis conſtitui meruit, nunquam tamen Muſarum oblitus, quas in utraque linguâ, Etruſcâ videlicet & Latinâ, plurimum coluit, quemadmodum Opera illius mox indicabunt. Deſideratus eſt anno Dei-hominis MDCXLVIII. Senioris autem Brunori Scriptoris noſtri Avi Sepulchrum viſitur in Templo Deiparæ ab Angelo ſalutatæ Canoniſſarum Lateranenſium ad Portam Novam hujus Urbis, hoc decoratum Elogio:

BRVNORVS TABERNA
PIVS INGENIOQVE PRAESTANS
QVI VIXIT ANNOS LVII.
HIC IACET
OBIIT ANNO MDLXXXVII.
NONIS OCTOBRIS.

Hæc Scriptor noſter elucubravit:

I. Carmina plura in libro, cui titulus: Rime Italiane, e Latine di diverſi nella partenza di Zaccaria Sagredo, Podeſtà di Verona. *Ivi*, 1618. *in* 4.
II. Carmen latinum de Sancto Carolo Borromæo. *Mediol. typis Archiepiſcopalibus*, 1624. *in* 4.
III. Canzone nella promozione del Cardinal Teodoro Trivulzio. *Roma, per Guglielmo Facciotti*, 1630. *in* 4.
IV. Dafne: Canzone per le Nozze di Don Luigi Gonzaga, e di Laura del Boſco. *Ivi*, *per Franceſco Cavallo*, 1630. *in* 4.
Agunt de ipſo Ciaconius Tomo IV. col. 583. in Vita Theodori Cardinalis Trivultii; Sitonus noſter in Theatro ſuo Genealogico MS. atque in Schedis; nec non Cl. Franciſcus Xaverius Quadrius Soc. Jeſu in libro ſuo „ della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia „, Tomo III. pag. 121.

## MDCLIV.

## TABERNA CÆSAR.

NOn uno tantummodo eruditionis nomine inter Viros Mediolanenſes litteraturæ laude præſtantes ſibi locum promeruit Cæſar Taberna Matthæi Equitis, Patriæque Decurionis, atque Aureliæ Littæ Conjugum filius. Nam & Juris ſcientiam, & Poëticæ facultatis peritiem, & Oratoriæ Artis ornamenta ſuſpexit in ipſo Mediolanenſis Urbs. Eximiâ diligentiâ legibus vacavit, cùmque in eis plurimùm profeciſſet ſummos Academicos honores ſuſcepit. Mox Collegio Juriſconſultorum nomen dedit anno XII. Sæculi XVII. Frater ei fuit Antonius Eques Hieroſolymitanus; ipſe verò denatus eſt anno poſt Chriſti Natale MDCXXXIX.

Habet poſteritas:

I. Carmen Panegyricum. Extat in libro, cui titulus: Varj Componimenti Latini, ed Italiani, raccolti da Gio. Battiſta Foſſati nel Dottoramento di Gio. Battiſta Viſconti; de quo libro jam in Foſſato diximus.
II. Carmina Italica, vulgò *Sonetti* numero XVIII. in laudem B. M. Virg. *Milano*, 1598. ſine Typographi nomine, *in* 4.
III. Oratio in laudem D. Caroli Borromæi, habita in Academ. Palat anno 1609. MS. Extat in Biblioth. Metrop. in Vol. Collectionis Varior. Poët. in 4.
De eo agit Sitonus noſter in Chronico Collegii J. PP. art. 817. pag. 194.

## MDCLV.

## TABERNA FERDINANDUS.

CÆſarem Tabernam J. C. atque Mediolanenſis Senatus Patrem ampliſſimum parentem habuit Ferdinandus, cujus Mater extitit Antonia Beccaria. Legum ſic ſtudiis ſe exercuit, ut Ticini donatus Laureâ, in hujus Metropolis J. PP. Collegium fuerit cooptatus anno Virginei Partus MDLXXXVIII. Aliis etiam, quæ nobiliſſimam ejus progeniem decebant, excultus fuit diſciplinis; cùmque ad Sacra ſe convertiſſet, fuiſſetque relatus inter Clericos, Utriuſque Signaturæ Referendarii dignitatem in Alma Urbe promeruit. Pro Luſitaniæ Regno ad Catholicum Regem Apoſtolicus fuit Apocryſarius, moxque in Italiam regreſſus multis Eccleſiaſticæ Ditionis Urbibus, atque Provinciis cum imperio præfuit, immò ipſam Urbem omnium principem integro quinquennio moderatus eſt. Virtuti ejus congrua non defuit merces; etenim anno MDCIV. die IX. menſis Junii, à Clemente VIII. Pontifice Max. Sacram Purpuram, & Presbyteralem Titulum S. Euſebii obtinuit. Unus fuit inter S. R. E. Cardinales, qui adversùs hæreticam pravitatem Romæ conveniunt, & Picæni Legatione ornatus eſt. Interfuit Comitiis, in queis Leo XI. necnon Paulus V. ad Apoſtolatus apicem aſcenderunt, atque ab hoc poſtremo, cùm Carolus à Baſilica Petri, jam à nobis commendatus loco ſuo, Novarienſis Epiſcopus ad Superos evolaſſet, eidem Eccleſiæ Paſtor datus fuit die XVI. Novembris MDCXV. Traditum ſibi populum non prudenter minus, quàm religioſè ſtuduit regere. Ludovici Patrui ſui Laudenſis Epiſcopi, de quo haud multò poſt



Digitized by Google

recurret mentio, funus curavit, ut ſuo dicemus loco. Vivere deſiit inter mortales anno MDCXIX. die XIX. menſis Auguſti, atque in Cathedrali ſua tumulatus conquieſcit, nulla Inſcriptione impoſita. Ipſum Amidenius recenſet inter Laudenſes Epiſcopos, falſus fortè cognomine ſupramemorati Ludovici ejus Patrui. Sphalma tamen ipſius emendavit Ughellus ipſum è Laudenſium Antiſtitum Albo expungens.

Hæc ſcripſit:

I. Acta Legationis ſuæ in Provincia Piceni, quæ MSS. ſervantur in Archivo Vaticano.

II. Lettera Paſtorale al Popolo della Città, e Dioceſi di Novara. *Novara*, 1618.

III. Decreta Synodalia promulgata die IX. Maji MDCXVIII. MS. In Archivo Epiſc.

IV. Ordine, ed Iſtruzione a' Beneficiati di formare l'Inventario de' Beni delle Chieſe loro. *Novara*, 1617

V. Epiſtolas ad Fridericum Cardinalem Borromæum de præcipuis Eccleſiarum tam Mediolanenſis, quàm Novarienſis negotiis, quæ tot quidem ſunt, ut ex eis integrum Volumen conflari poſſet. Extant omnes MSS. autographæ in ſæpiſſimè laudata Collectione Bibliothecæ Ambroſianæ.

In Tomo II. Opuſculorum Scipionis Ammirati inter Epiſtolas habentur duæ ad Ferdinandum Tabernam, qui nondum eo tempore Cardinalis erat. Una quidem data Florentiæ die XIX. menſis Junii MDXCII. pag. 489., altera verò ſine Data pag 495.

Extat de eo Oratio Jo. Jacobi Rubei S. T. D. Olleggianenſis dicata Ludovico Tabernæ Epiſcopo Laudenſi cum multis ejuſdem Rubei Carminibus Italicis in laudem Cardinalis. *Mediol. apud Malateſtam*, 1615. *in* 4.

Ei dicavit Ambroſius Marlianus Papienſis Opus ſuum Italicum de vero pœnitente. *Papiæ, apud Andream Vianum*, 1611.

De ipſo meminerunt Ciacconius inter Cardinales Clementis VIII. Ughellus Ital. Sac. Tomo IV. in Novarien. num XCII. Cotta in Muſæo Novarien. pag. 112., & Sitonus noſter in Chron. Collegii J. PP. pag. 169. art. 689. atque in Schedis.

## MDCLVI.

## TABERNA FRANCISCUS.

PLuribus titulis commendandus eſt Franciſcus Taberna, Joannis, & Lucretiæ Solæ Conjugum filius, nam in Patria Ducalis Advocatus Fiſci generalis primùm, deinde Senator, & Magiſtratus Redditutum Extraordinariorum Præſes extitit. Tanti habitus fuit à Franciſco II. Sfortia Mediolani Duce, ut eum ad Carolum V. Imperatorem, nec non ad Francorum Regem, & Venetam, Florentinamque Reſpublicas, aliaſque Principes Legatum miſerit. Eques auratus, Comes Palatinus, Cæſareus Conſiliarius, & Familiaris, Comes Oppidi Landriani, ac demum annorum XXV. curriculo maximâ cum prudentiæ, doctrinæ, & integritatis famâ Supremus Ducatus Mediolanenſis Cancellarius illuxit. Jam in Collegio Nobilium Juriſconſultorum hujus Metropolis cooptatus fuerat anno æræ communis MDXIV. De tanto Viro juvat hîc exſcribere verba Othonis Lupani, qui Franciſco noſtro dicavit Libellum Luciani de Dea Syria, ex Jonica lingua in Latinam converſum, anno MDXXXIX. Nam in Nuncupatoria ſcribit: „ Tu verò „ etſi tuâ prudentiâ, ac ingenii mira felicitate, vel po„ tius divina quadam animi tui virtute effeciſti, ut „ potentiam maximam, opes ampliſſimas, dignitates „ eas, quibus domi majores conſequi nemo quiſquam „ poteſt, Juriſperitiam, aliarumque rerum Scientiam „ abundantiſſimè fueris complexus, eâ tamen es ani„ mi modeſtiâ, morum præſtantiâ, mentis candore „ in quibuſvis ſtudioſis tibi demerendis humanitate, „ & officio, ut cùm hæc Civitas litteras plurimi fa„ ciat, ſemperque fecerit, hoc ingenio pauci omni„ no ſint comparandi, ſuperior certè inveniri poſſit „ nemo. „ Coronidis loco addimus ejuſdem Elogium Marci Littæ in Libello de Urbe Mediolani. „ Habemus Franciſcum Tabernam Summum in Me„ diolanenſi Provincia Cancellarium, Virum præ„ ſtantiſſimum, ac ſapientiſſimum, in quo quantùm „ natura poſſet, facilè oſtendit, cùm omnibus illum „ exornaverit dotibus, quæ in Summo Magiſtratu „ requiruntur, ad regendas Civitates, ad juſtitiam „ adminiſtrandam, ad injurias prohibendas; ad po„ pulos in pace, ac tranquillitate retinendos; adeout „ Vir divinus meritiſſimè poſſit appellari, de quo „ ego Carmen hoc ſcripſi:

*Cùm magnum natura parens formare Tabernam*
*Aggreſſa eſt, ipſam ſe ſuperaſſe ſcias.*
*Huic dedit ingenium ſummum, cor tradidit altum,*
*Conſilium tribuit, contulit eloquium.*

Deſideratus eſt anno redempti Orbis MDLXI. Superſunt tamen de ipſo pauca, quæ hîc damus,

Videlicet:

I. Orationes plures ad Principes, quæ ſervantur MSS apud Suos, teſte Creſcentio in II. parte Anphitheatri Romani. MS. apud Marchiones Vicecomites.

II. Oratio in Deſiderium Eraſmum pro M. T. Cicerone, qui à calumniis Eraſmicanis defenditur, & ut Princeps latinæ eloquentiæ extollitur. Ex Merula de Bello Eraſmicano pag. 22.

III. Carmina ad Jo. Biſſium. Leguntur inter Carmina Biſſii.

Oravit in ejus Funere Hieronymus Crottus, ut loco ſuo diximus.

Ferdinandi Abduenſis Epigramma ad eum Senatorem, & Magnum Cancellarium Cæſareum ſcripſit, quod extat poſt Orationem pro Jur. Civ. p 36. edit. *Aldinæ*, 1546.

Ad Magnum Cancellarium Franciſcum Tabernam Oratio Zanini Cigalini Comenſis. *Mediol.* 1553. *in* 4.

Ad eundem Tabernam Epiſtola D. Caroli Borromæi autographa. Extat apud Comitem Paulum Montium, & in ſubſcriptione Divus Carolus ſe affinem ejus eſſe teſtatur.

De eodem quamplura tradunt Gluſſianus in Vita Philippi Archinti, lib. I. c. 9., ubi quàm gravis, quàm utilis Franc. II., Caroli V., & Philippi II. Hieronymus Perbonus in Epiſtola lib. II. pag. 3. de eo Titus Sempronius Hieronymus Caſtillionæus in Oratione de Amore Patriæ, 1548. Videndi etiam ſunt Landus de Senatu Mediol. Julius Clarus in V. Sent. §. fin. Gaudentius Merula in Bello Eraſmicano pag. 3. & 22. P. D. Gaſpar Beretta in ſuis Schedis, & Sitonus in Chron. Coll J. PP. pag. 88. art. 379.

## MDCLVII.

## TABERNA FRANCISCUS alter.

BRunori, quem haud multò ante laudavimus frater fuit, ut ibi innuimus, Franciſcus hic Taberna, parentibus Balthaſſare, atque Cæcilia Cagnola Mediolanenſibus Conjugibus. Germani ſui proſecutus exemplum, in ſortem Domini petiit aſſumi, ſicque ſacris Miniſteriis addictus vixit, litteraſque non divinas tantùm, ſed amœniores quoque perpeti ſtudio coluit; ut in Sancti Ambroſii Imperiali Baſilica Præbenda Canonicali anno Redemptoris MDCLII. fuerit exornatus; ubi nactus eſt Collegam fratrem ſuum alterum Joſephum. Quemadmodum autem Brunorus Theodoro Cardinali Trivultio recens ad purpuram aſſumpto tantam Italico Carmine dignitatem gratulatus

Digitized by Google

tus fuerat, ſic Franciſcus noſter eundem Braydenſi Archigymnaſio pedem prima vice inferentem eruditionis ſuæ apparatu excipiendum duxit. Quo anno mortalis eſſe deſierit nos hactenus latet.

Illius hæc ſuperſunt apud poſteros:

I. Deſcrizione dell'Apparato per il ricevimento fatto dall' Univerſità di Breta del Sig. Cardinale Theodoro Trivulzio. *Milano, per il Ghiſolfi*, 1632. *in* 4.

II. Carmina ejuſdem Latina, & Inſcriptiones extant in eodem libro.

De ipſo agit Sitonus noſter humaniſſimus in Theatro ſuo Genealogico MS. atque in Schedis.

A

B

## MDCLVIII.

## TABERNA GUIDO.

SI unquam alias doluimus temporis edacitatem ſacris etiam litteratorum fœtibus infenſam, id certè majorem nobis attulit moleſtiam in hac Bibliotheca Mediolanenſium Scriptorum adornanda. Quot enim perierunt Eruditorum labores, quos profectò libentiſſimè Lectoribus noſtris notos facere libuiſſet? Gratias interim iis agere nunquam prætermittemus, quorum ſtudio MSS. veterum Voluminis poſteris ſervare cordi fuit, ne hujuſcemodi calamitas ea quoque involveret. Sic enim ſaltem ſuperſunt ad eruditionem alienam, & nominibus Auctorum debita laus non deeſt. Ita fortuitò accidit Guidoni Tabernæ Mediolanenſi, quem obvoluiſſet vetuſtatis injuria, niſi Carmen illius providè ſubtractum, atque in mox recenſendo Codice inſertum fuiſſet. Exiſtimamus quidem multo plura in Poëtica facultate Scriptorem hunc noſtrum elaboraſſe, at nihil invenimus præter Elegiacum illius Carmen; quod cùm ante annum MCCCXCVI. ab eo conſcriptum fuerit, & optimo quidem, ſi ætas inſpiciatur, ſtylo, eam ob cauſam inter primæ notæ Auctores illum duximus recenſendum.

C

Guidonis igitur reperitur:

D

I. Carmen Elegiacum ſatis prolixum, & eruditum, in quo de DECIMIS agitur, atque ita deſinit:

*Si quis fortè velit condentis Carmina nomen*
*Scire, recognoſcat, Guido Taberna fuit.*

Extat in calce Statutorum Mediolani in fol. max. anni MCCCXCVI. Cod. magnifaciendus MS. in Bibliotheca Ambroſiana ſign. B. num. 19.

## MDCLIX.

## TABERNA JOSEPH.

E

JOſephum Tabernam Mediolanenſem Carolus Equitum Dux, militumque Tribunus, ac Laura Trotta Joannis Baptiſtæ Senatus Præſidis filia, conjuges nobiles genuerunt. Sedulò educatus prioribus ſuæ ætatis annis, legibus in adoleſcentia ſe addixit, & in eis lauream adeptus, Juriſperitorum Collegio nomen dedit anno poſt Chriſti Salvatoris adventum MDCLXVI. Patriæ Proprætor renunciatus, traditum munus non ſine æquitatis laude geſſit. Ab Oratoria etiam facultate commendationem ſuo quæſivit nomini, atque Principis Jus in his præcipuè, quæ ad Fiſcum pertinent, tutari ſtuduit. Migravit è vita exeunte Sæculo XVII.

Habemus illius, quæ hìc damus:

I. Oratio in Laurea Joſephi Puſterlæ à Joſepho Taberna J. CC. *Mediol. apud Montiam*, 1674. *in* 4.

II. De Jure Fiſci MS. in fol. juſtæ molis erat in Bibliotheca Advocati, & J. C. Rampini ex Catalogo ejuſdem. De eo Sitonus noſter in Chronico JPP. art. 1017. pag. 226.

## MDCLX.

## TABERNA LUDOVICUS.

FRanciſcus J. C. Collegiatus, Senator, atque in Mediolanenſi Ditione Supremus Cancellarius, Ludovicum Tabernam genuit. Ad pietatem, atque eruditionem à teneris formatus annis puer ingenuus, vix adoleſcentiam ingreſſus, ſacris ſe miniſteriis inter Clericos addixit. Romam poſtea miſſus, in Pontificia Curia ſic emicuit, ut plures Eccleſiaſtici Principatus Urbes cum imperio gubernaverit tanta cum laude, ut Romam ipſam adminiſtraturus fuerit electus. Hinc ad Apoſtolicæ Cameræ Theſaurarii gradum aſcendit, annoque demum MDLXXIX. poſt obitum Hieronymi Federicii Trivilliatis Laudenſis Epiſcopi commendatiſſimi, alibi jam laudati, ad eam regendam Eccleſiam ab optimo Sanctoque Pontifice Pio V. meruit aſſumi die IX. menſis Decembris, ſequentique anno IV. Id. Martii Sacræ Unctionis percepit munus. Traditum ſibi gregem boni Paſtoris more verbo ſimul & exemplo diligentiſſimè pavit. Cathedrale Templum ſenio jam fermè collapſum miſeratus, nedum apud populum egit, ut eam ad rem adjutrices porrigeret manus, verùm ipſe quoque de ſuo collatis ingentibus pecuniæ cumulis nova molitione reſtituendum curavit. Ipſius etiam Templi Sacrarium magnificentiſſimo apparatu Sacerdotalium Veſtium locupletavit, atque Epiſcopale Palatium inſtauravit. Miniſtrorum ibidem Domino famulantium numerum auxit, Canonicorum adauxit cenſum, impetratis à Clemente VIII. aureis mille annuis in hunc uſum convertendis. Non ſemel univerſam luſtravit Diœceſim, collectiſque Sacerdotum Synodis ſaluberrima condidit Decreta. Pro Apoſtolica Sede Nuncius extitit apud Venetos, & Catholicum Regem, quo ex munere ad Sedem ſuam reverſus, ibi ad annum uſque MDCXVI. Præſulis vigilantiſſimi partes implevit. Jamque ætate gravis paſtoralis ſollicitudinis onus deponere ſtatuit; quapropter impetratâ à Paulo V. Pontifice Maximo veniâ ſe recepit in patriam, ſibi tantummodo, Deoque victurus inpoſterum. At ſequenti anno III. Non. Januarii mortem obiit ætatis ſuæ anno octogeſimo. Cadaver illius ſolemni primùm pompa Sepulchro majorum illatum aliquandiù in Templo Paſſionis hujus Urbis conquievit; at poſtmodum Ferdinando Cardinali Taberna ejus nepote, & Novarienſi Epiſcopo (cujus jam meminimus) curante, Laudam translatum in ejuſdem præfata Cathedrali repoſitum eſt, ubi adhuc viventi Epiſcopo ſui grati animi teſtimonium, Canonici hoc Elogium poſuerant.



Digitized by Google

LVDOVICO TABERNAE EPISCOPO
QVI ECCLESIAM VETVSTATE COLLABENTEM
LIBERALI ETIAM CIVITATIS CONTRIBVTIONE
RESTITVIT ET ORNAVIT
SVPPELLECTILI PRETIOSA AD SACRVM VSVM DONAVIT
NOVOS MINISTRORVM ORDINES INSTITVIT
EORVMQVE AC CANONICALES DISTRIBVTIONES
PENSIONE ANNVA MILLE AVREORVM
A CLEMENTE VIII. PONT. MAX. IMPETRATA ADAVXIT
AEDES EPISCOPALES MAGNIFICENTIVS EXTRVXIT
AMPLIFICAVIT
AD SEMPITERNAM OPTIMI PASTORIS ET PATRIS MEMORIAM
CANONICORVM COLLEGIVM
PERPETVIS ETIAM SACRIFICIIS INSTITVTIS
VIVENTI POSVIT
ANNO DOMINI MDXCVI.

Illius habent poſteri :

I. Synodum Laudenſem ab eo celebratum anno MDXCI. *Mediolani*, *apud Pontium*, 1591. *in* 4.

II. Epiſtolas plures tam ad Sanctum Carolum, quàm ad Cardinalem Fridericum Borromæum. Servantur Autographæ in ſæpe laudata Collectione Bibliothecæ Ambroſianæ.

Plures ei dicarunt Opera ſua, quos inter Thomas Treviſanus librum de modo, & ordine criminaliter procedendi inter Regulares. *Venet.* 1590. *in* 8. Joannes Jacobus Rubeus Ollegienſis Orationem de laudibus Ferdinandi Tabernæ Cardinalis. *Mediol. apud Malateſtam*, 1615. *in* 4., atque Horatius Guarguanti Soncinenſis Opuſcula tria de Theriacæ virtutibus, de Mechiocani radice, de Ovo Gallinarum, & ejus uſu in febribus. *Venetiis*, 1595 *in* 4.

De ipſo meminerunt Ughellus in Tomo IV. Ital. Sac. inter Laudenſes, num. L. Sitonus noſter in Chron. J. PP. art. 503. pag. 121., & in Theatro ſuo Genealogico MS. pag. 432.

## MDCLXI.

## TABERNA MATTHÆUS.

MAtthæus Taberna Mediolanenſis Comitis Cæſaris J. C. atque Barbaræ Atellanæ Conjugum filius primogenitus, abdicatis paternæ domus commodis, Societatem Jeſu amplecti maluit. In ea poſt conſueta ſtudiorum curricula, Divini Verbi miniſterio ex profeſſo ſe dedit, quod munus in tota fermè geſſit Italia magna cum ſui nominis commendatione, & populorum non exiguo progreſſu. Romæ enim, Neapoli, Genuæ, Meſſanæ, Panormi, Melitæ, Venetiis, & Taurini Evangelii Præco eximius labores plures inſumſit, ut animas è vitiorum cœno ad meliorem frugem traduceret. Idem præſtitit Mediolani in Baſilica Metropolitana anno MDCLXVIII. Athenæum ſuum ſcribente Picinello, qui teſtatur jam annos ferè XX. eo tempore in tam pio miniſterio Matthæum noſtrum impendiſſe. At dum Taurinum iterum accitus fuiſſet, ut Evangelico munere fungeretur, cùm primam Quadrageſimalis jejunii Concionem inchoaſſet, in ipſo Orationis exordio apoplexi
A
correptus è ſuggeſtu delatus ad Suos, paucos intra dies in Collegio ipſo piiſſimæ vitæ curſum complevit.

Hujus ſunt Opera :

I. Fræſagium diuturnæ felicitatis in Coronatione Sereniſſimi Cæſaris Duratii Genuenſium Ducis. Oratio Italica Patris Matthæi Tabernæ Societatis Jeſu, habita die VI. Decembris, anno MDCLXV. *Mediolani*, *apud Ludovicum Montiam*, 1667. *in* 4.

II. Laudatio in Funere Reverendiſſimi P. Gregorii Donati Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri. *Romæ*, *apud Corbellettum*, 1642. *in* 4.

III. Draco Gregorianus, ſive Gregorii XIII. laudatio. *Ibi*, *apud eundem*, 1643. *in* 4.

B
IV. Conciones Quadrageſimales. MSS. apud Suos Collegii Taurinenſis.

Laudatur à Sitono noſtro in Schedis, atque à jam citato Picinello in Athenæo pag. 419.

## MDCLXII.

## TADINUS ALEXANDER.

ALexander Tadinus Joannis Jacobi, & Iſabellæ de Monte Conjugum filius, Pontificius, ac Cæſareus Eques, & Palatinus Comes, anno æræ Chriſtianæ MDCIII. die XVI. Julii Collegium Phyſicorum Mediolanenſium ingreſſus eſt. Vir præter eximiam ſapientiæ, ingeniique laudem, rerum etiam plurimarum uſu, ac dexteritate eminens, Mediolanenſibus ſuis ſummopere profuit temporibus teterrimæ peſtilentiæ annorum MDCXXIX., MDCXXX., & MDCXXXI. Meritò igitur locum habuit inter XII. Viros Urbis Proviſionum anno MDCXXXVII. atque, approbante Principe, officium Locum-Tenentis Protophyſici Septalæ ſumma cum laude peregit. Non tantùm in Patria, ſed alibi quoque doctrinæ, atque prudentiæ non exiguæ teſtimonia dedit, videlicet in Montibus Brianteis, in Valle-Aſſina, atque in Urbe Novocomenſi dum à Sanitatis Tribunali ad ea Loca viſitanda deſtinatus fuerat. Tandem meritis, anni-

que

Digitized by Google

que plenus è vivis abiit anno MDCLXI. die XVI. menſis Novembris, tumulatuſque extitit in Templo PP. Capuccinorum hujus Urbis ad Orientalem Portam, etſi aliud Sepulchrum ſibi ante paraviſſet in Eccleſia Parochiali Sanctæ Mariæ vulgò *alla Paſſarella*, ubi vivens hoc Epitaphium ſcripſit, quod adhuc ibi legitur:

ALEXANDER TADINVS PHILOSOPHVS ET MEDICVS
ET IOANNA TADINA DONESANA
IVGALES CONCORDES POSVERE
ANNO DOMINI MDCXVII. XXII. IANVARII.

In Templo autem S. Petri Cœleſtini, ſcilicet in Sacello olim familiæ Tadinæ, adeſt Tumulus Majorum Scriptoris noſtri cum ſequenti Inſcriptione ab eodem compoſita:

MEMORIAE
MICHAELIS FOELICIS PHILOS. AC MEDIC.
CLEMENTISQVE I. C. C.
AB ANNO MCCCXL. PRISCORVM FAMILIAE PROPAGATORVM
ALEXANDRI QVOQVE PHILOS. AC MEDIC.
ASTRONOMIQVE CELEBER.
SFORTIACIS PRINCIP. ET VENET. REIP. KARISS.
IO. BARTHOLOMAEI EX COLLEG. NOBIL. MEDIOL. PHYSIC.
HIERONYMI IO. PETRI IAC. ANTON. FABRICII
TRIBVN. PEDIT.
GABRIELIS RHODII EQVITIS BAIVLI S. STEPHANI
QVI POST CRETENSE REGNVM
AC FVNESTISS. RHODIVM BELLVM
SVMMA VIRTVTE AC IMPERIO ADMINISTRATVM
MELITAM ORDINI SVO A CAROLO V. IMPETRAVIT
ET AB EODEM MILITARI OMNI APPARATV
AC TORMENTIS IN TOTO IMPERIO PRAEFECTVS EST
CAMILLI ETIAM EQVITIS AVRATI AC COMIT. PALAT.
GVGLIELMINI PRAEPOSITI S. MARIAE HVMILIAT.
HILARIONIS IN FAMILIA CISTER. AB. ET PRAESIDIS
ALEXANDER THADINVS
IO. IACOBI FILIVS EX COLL. NOB. MEDIOL. PHYSIC.
ET SIBI HAEREDIBVSQVE
ANNO MDCIII.

Hæc ſunt doctrinæ ipſius perpetua Monumenta:

I. Ragguaglio dell' Origine, e Giornali ſucceſſi della gran Peſte negli anni MDCXXIX. MDCXXX., e MDCXXXI., con l'aggiunta d'un breve Compendio delle maggiori peſtilenze per l'addietro avvenute. Al Sig. Franceſco Orrigone Vicario di Proviſione ec. *In Milano, per Filippo Ghiſolfi*, 1648. *in* 4.

II. Avvertenze, ed Oſſervazioni appartenenti alla compoſizione de i medicamenti, tradotte dal nono libro dell' Oſſervazioni del Sig. Lodovico Settala Protofiſico generale dello Stato di Milano, e pubblico Profeſſore della ſcienza Morale nelle Scuole Canobiane, da Aleſſandro Tadino Medico Collegiato Milaneſe, e ſuo Luogotenente nel Protofiſicato in tutto lo Stato. *In Milano, nella Stampa Ambroſiana, vicino alla Roſa*, 1630.

III. Compendio per curare ogni ſorta di tumori eſterni, e cutanee turpitudini, raccolte dalle Oſſervazioni Fiſiche, e Chirurgiche fatte negli ultimi anni del Sig. Lodovico Settala ec. da Aleſſandro Tadino Medico Collegiato. *Milano, per Lodovico Monza*, 1646. *in* 8.

IV. Ven. Collegii Phyſicorum Mediolanenſium Antiquitas, Privilegia, Statuta, Ordinationes in Compendium redacta, Auctore Alexandro Tadino ex Phyſicorum Collegio Medico, ejuſdemque Archivii Præfecto. *Mediolani, apud Jo. Baptiſtam, & Julium Cæſarem Malateſtam Typographos R. C.* 1645. *in* 4.

Præfatum Alexandrum Tadinum celebrant Sigiſmundus Boldonus in Epiſtolis: Joſeph Ripamontius in lib. de Peſte Mediol. pag. 243., & Clariſſimus Johannes Baptiſta Sitonus in ſuis Jatroſophiæ Miſcellaneis impreſs. iterum an. 1669. in 4. tractat. 13. pag. 66. his verbis: „ Sapienti Viro, Phyſicorumque Collegii Mediola- „ nenſis Coryphæo meritiſſimo Domino Alexandro „ Tadino S. P. D. „ Cur Capillorum inciſio, barbæ „ abraſio, & capitis pectinatio in convaleſcentibus „ recidivam faciant; „ & infra: „ Vale viveque diu „ Medicinæ Artis decus Mediolanenſiſque Collegii Phy- „ ſicorum ſplendor, noſtræ interim non immemor „ obſervantiæ. Dat. Mediolani ex Lycæo noſtro Sex. „ Id. Jun. MDCXXXV. „ Bartholomæus Curtius in ſuo Opere centies laudato de Claris Medicis Mediol. pagg. 57. & 177. Mangetus in Biblioth. Scriptor. Medicor. Tom. II. part. II. pag. 353. Picinellus in Atheneo pag. 17., & J.C. Sitonus noſter in Chron. Colleg. Phyſicor. Nob. Mediol. part. II. art. 267. MS. in fol. penès ipſum Auctorem.



Digitized by Google

## MDCLXIII.

## TADINUS HILARION.

HIlarion Tadinus primam in Oppido Caravaggii lucem vidit, quod in Mediolanenſi Ducatu non longè à flumine Abdua conſiſtit. Adoleſcens inter Ciſtercienſes adſcribi voluit Monachos, quorum ſuſcepit habitum, inſtitutumque profeſſus eſt in Charævallis Cœnobio. Tenaciſſimus fuit regularis obſervantiæ, bonaſque litteras, Poëſim præſertim, & Oratoriam facultatem plurimùm coluit. In ſui Ordinis Comitiis Monaſteriorum Præfecturam non ſemel obtinuit, nam celeberrimo Ambroſiano hujuſce Urbis Aſceterio Abbas præfuit anno MDXLVIII. & duobus ſequentibus, electus interim ſecundo hujus triennii anno Congregationis ſuæ Generalis Præſes; quod munus iterum exercuit anno MDLXV. Mox ad ejuſdem Ambroſiani Cœnobii Infulas aſſumitur plures alios per annos. Neque verò hìc ea ſunt omitten da, quæ pro ſuis Monachis tam à Summis Pontificibus, quàm ab hujus Metropolis Antiſtitibus impetravit. A Julio etenim III. anno MDLIV. obtinuit, ut tam ſibi, quàm ipſis Ambroſiano Ritu divinas liceret laudes quotidie perſolvere; & à Joanne Angelo Arcimboldo Archiepiſcopo Diplomate donatus eſt, quo Monaſterio ipſi quæcumque à ſuis fuerant præceſſoribus collata confirmabantur. Dum verò anno MDLXXXV. ſenio jam gravis præfati Monaſterii Charævallenſis Abbas fuiſſet renunciatus, fato ceſſit inter Alumnorum ſuorum lachrymas prudentiſſimi Præſulis jacturam dolentium.

Commendatur ob

I. Orationes permultas, &
II. Epigrammata. Inſuper ob aliud Opus, cui titulus
III. I Sette Salmi in verſi Eroici. Quæ hactenus dedimus Hilarionis monumenta Picinellus profert; addens hoc poſtremum Opus editum fuiſſe, atque ab Auctore inſcriptum Aloyſio Eſtenſi S. R. E. Diacono Cardinali, Congregationis Ciſtercienſis Protectori anno MDLXXXIII.

Laudatur à Roberto Ruſca in Compendio Virorum illuſt. Ciſtercienſ. Ariſio in Cremona Litterata Tomo II. pag. 348. Bartholomæo Areſio in Chronologica ſerie Abbatum S. Ambroſii Mediol. pagg. 72. & 74. Sitono noſtro in Schedis, atque Picinello in Athenæo pag. 380.

## MDCLXIV.

## TADINUS JOANNES BAPTISTA.

JOannem Baptiſtam Tadinum Mediolanenſem Poëſis Italicæ ſtudium, atque utriuſque Juris ſcientia poſteritatis memoriæ commendavit. Ægrè ferimus tamen, nihil omnino de parentibus illius, atque actibus ad nos perveniſſe. Alius fortaſſe Collector uberiora dabit. Vivebat exeunte XVI. Sæculo, & certè inter Vates optimos ævi illius recenſendus eſt, quamvis parùm habeamus è litterariis ipſius laboribus, quod tamen ob eruditionis præſtantiam, carminumque leporem nos impulit, ut Auctorem ad minoris notæ Indicem non amandaremus.

I. Plurima ejus carmina Italica extant in libro, cui titulus: „ Componimenti di diverſi per il Dottoramen„ to nelle Leggi di Gianantonio Sorbelloni. *Pavia*, 1599. *in* 12.
II. Alia pariter Italica leguntur in Libro „ Rime di varj „ ingegni d'Italia per la Laurea in ambe le Leggi „ conferita al Sig. Criſtoforo Ambivero. *Pavia*, 1599. *in* 4.

## MDCLXV.

## TADINUS JULIUS CÆSAR.

QUibus parentibus in lucem fuerit editus Julius Cæſar Tadinus, qui patriam ſuam Mediolanum ſæpius profitetur diſertiſſimè, hactenùs incompertum habuimus, quemadmodum reliqua ejus acta, annumque vitæ illius poſtremum. At verò nobis, cæteriſque eruditorum laudatoribus notiſſima eſt ejus ingenii fama, quam ipſe ſibi non humanarum tantummodo, ſacrarumque legum doctrinâ, ſed poëticis etiam laboribus comparavit. Diù quidem verſatus eſt in Foro, cauſaſque clientum ſtrenuè defendit, ut ſatis indicant mox afferendæ illius Allegationes doctiſſimæ, quarum nonnullas Hiſpano idiomate exaravit. Ægrè quidem ferimus hæc pauca ſolum de actis ipſius exhibere poſſe, verùm ea boni conſulant Lectores optimi, quæ de ſcriptis damus,

Videlicet:

I. Carmina plurima Italica extant in alibi citato libro, cui titulus: „ Componimenti di diverſi per il Dottora„ mento nelle Leggi di Gianfranceſco Sorbelloni. *Pavia*, 1599. *in* 12.
II. Alia pariter Italica in libro „ Rime di varj ingegni „ d'Italia per la Laurea in ambe le Leggi conferita „ al Sig. Criſtoforo Ambivero. *Pavia*, 1599. *in* 4.
III. Allegationes item plurimæ, quæ ſervantur in Collectionibus J. PP. hujus Metropolis. Eas inter eminet una cui titulus: „ Allegation por el Real Monaſterio de „ Nueſtra Señora de Gracia de la Orden de la Car„ tuxa cerca de Pavia, in fol.

Rime in lode di Giulio Ceſare Tadino d'Incerto Autore, dedicate a Polidoro Riva. *Pavia*, 1598. *in* 4.

## MDCLXVI.

## TAËGIUS AMBROSIUS.

QUandoquidem de Ambroſio Taëgio Mediolanenſi Viro celeberrimo nunc agendum nobis eſt, accipiat libenter, Lector humaniſſimus, quod de more mihi gratioſè ſubminiſtravit amiciſſimus, & inter Chroniſtas hujus Metropolis facilè princeps Sitonus noſter; nam ex Stemmate Genealogico Taëgiano ab eodem compacto, agnovimus Vignanum de Rognonibus de Taëgio claruiſſe anno Chriſti MCCCCXXVI. Ab iſto ortus fuit Amicus, qui unus ex Nobilibus delegatis ad jurandam fidelitatem Excellentiſs. Duci Mediolani electus extitit anno MCCCCLXX. Ex quinque liberis ab eo ſuſceptis, duo memoriâ perpetuâ digniſſimi occurrunt, alter eſt Paulus J. C. C. ex quo & Magdalena Brugura Jugalibus natus eſt Joannes Ambroſius, Fundator Collegii Taëgiorum, quod adhuc ſupereſt apud Eccleſiam SS. Simonis & Judæ in hac Metropoli; alter eſt Ambroſius, de quo nunc loquimur, qui Celeberrimo Ordini FF. Prædicatorum ſe adſcripſit in Cœnobio Sanctæ Mariæ Gratiarum, cujus erectionem Viri alioquin doctiſſimi Quetif, & Eccard in Vita Scriptoris noſtri malè aſſignarunt ad annum MCCCCLXXXV., nam ex Schedis Sitonianis clarè patet hoc eveniſſe anno MCCCCLXV., & quod primus lapis fundamentalis Eccleſiæ ejuſdem Cœnobii poſitus fuerat per Gaſparem de Vicomercato Comitem Oppidi Valentiæ ad Padi ripas, die X. Septembris anni MCCCCLXIII., titulo eidem Eccleſiæ inſcripto Beatæ Virginis Mariæ Annunciatæ. Juvat etiam de eodem Amico Ambroſii hujus parente memoriam ſervare poſteris, quam no-

Digitized by Google

notat ſequens Inſcriptio in marmore ab eodem poſita Timotheo Taëgio patruo ſuo in Eccleſia Divi Barnabæ hujus Urbis, his notis:

D. O. M.
TIMOTHEO TAEGIO PRAEPOSITO
PATRVO BENEMER.
AMICVS TAEGIVS IN PRAEPOSITVRA SVCCESSOR
IVRECONSVLTVS EQVES ET COMES
DVCALIS SECRETARIVS ET ORATOR
IN GERMANIAM
APVD SERENISS. REGEM FERDINANDVM POS.
OBIIT VI. KAL. DECEMB. MDXXIII.
ANNVM AGENS LXIIII.
F. II. SF. VIC. D. M. VII.

Noſter verò poſtquam egregiam in eo Cœtu litteris, pietatique operam navaſſet, animum & ſtudia ſua ad Hiſtoricam Ordinis ſeriem exarandam applicuit, & Acta autographa ſedulò magnoque labore collegit. Verba Leandri à ſupradictis Quetif, & Eccard relata, juvat hîc etiam ad Lectoris commodum denuò tranſcribere. „ Eccedum loquimur, venit Ambroſius Mediolanenſis, oſtentans Chronicam Ordinis Prædicatorum valdè prolixam ab ſe contextam, maximis lucubrationibus, maximis vigiliis, maximiſque laboribus, ut Ordinem illuſtret. Cujus laborem ſedulum laudare, ac approbare debemus eo maximè, quod ex laboribus ſuis partem nobis ſubminiſtravit. „ Annum verò extremum vitæ Ambroſii noſtri ignoramus nos, & quod plus eſt ignorarunt & Sui; erat quidem adhuc in vivis anno MDXVII., nunquam moriturus ob Opus infraſcriptum, quod ſic à ſupradictis Quetif, & Eccard prætitulatur,

Videlicet:

I. Chronicon Ordinis generale, VI. in fol. MSS. Voluminibus membraneis diſtinctum, quibus ea, quæ Ordinem ſpectant, omnia diligentiſſimè collegit, Provinciarum, & Cœnobiorum erectiones, Sanctorum, ac Beatorum Vitas, & Acta originalia, Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Virorumque illuſtrium ſeriem, ac ſi quæ ſunt ſingularia jura, & privilegia à Summis Pontificibus, & Principibus conceſſa, Comitiorum Acta generalium ab anno MCCXX. ad MDXIII., & hujuſmodi plurima, quorum aliqua nonnunquam diverſis repetita Voluminibus, cum diverſis ſæpè additis notitiis leguntur. Hæc porrò ſex Volumina in dicto Cœnobio Gratiarum aſſervantur.
Supramemorati Auctores Bibliothecæ Scriptor. Ordinis Prædicatorum hæc ſubdunt: „ Ea verò ſunt quæ vulgò à noſtris citantur ſub titulo Monumentorum Ordinis, & quorum Volumen primum dicitur prima pars, & ſic de aliis. His uſi ſunt, qui ab inde ſcripſerunt de rebus Ordinis, Luſitanus, Razzius, Caſtillus, Pius, Malvenda, & alii. Ex his etiam quaſdam Sanctorum, ac Beatorum Ordinis Vitas exſcripſerunt eruditi Actorum SS. Editores Bollandus, Henſchenius, Papebrochius, & ſuis Menæis, ut ſe dat occaſio, producunt, ac repræſentant. In his Monumentis ſcribendis vivum ſe totum ſepeliſſe videtur Auctor, & eo labore certè immenſo, immenſas non ſolum ab Ordine promeruit gratias, ſed & ſibi monumentum erexit ære perennius. „ Et infra: „ Notandum autem hunc eſſe quem laudat Luſitanus, cùm citat paſſim P. P. Monum. Ord. ideſt partem primam, alias P. 2. 3. 4. &c. Quod non attendens Soëgius vir alioquin acris judicii, his litteris P. P. indicari putavit, quemdam Petrum Pictavinum, quem ſæpius ad marginem laudat, ceu qui Monumenta Ordinis ſcripſerit: quod monendum fuit, ne alii, ut pluribus accidit, Petrum hunc Pictavinum hominem nullum fruſtra quærant.

II. La Vita della Beata Colomba Milaneſe. Ex Picinello.

III. Thomæ de Lentino Vita Sancti Petri Martyris aucta ab Ambroſio Taëgio. Extat in Tom. III. Actorum Bollandi menſis Aprilis pag. 686.
Ejus cum laude meminerunt, præter ſupradictos Quetif, & Eccard in Vol. III. Biblioth. Ord. Prædicat pag. 35. Paulus Moriggia in Nobil. Mediol., & ex eo Picinellus in Athenæo pag. 24. Puricellus Diſſert. Nazar. & Cl. Sitonus ut ſupra.

MDCLXVII.

## TAËGIUS BARTHOLOMÆUS.

Hieronymus Taëgius Cæſareus Comes Palatinus, atque Ambroſii Viri illuſtris mox laudati, ex fratre nepos, Bartholomæum genuit in Urbe Mediolano, & filii ingenium præſagio quodam ad bonas artes natum cognoſcens, eum inter Scientiarum rudimenta optimè educandum curavit. Adultus igitur, ſive amœna, ſive ſeria ſtudiorum curricula tam celeri velocitate perfecit, tamque proficuè, ut omnes in ſui admirationem traheret. Leges Cæſareas, & Pontificias egregiè didicit, & Togâ jam aſſumtâ Collegio Juriſperitorum aggregatus fuit anno Chriſti MDXLVI. Mox Generalis Vicarii totius Mediolanenſis Dominii munere functus in Patria, Novariam ſe contulit, atque Inſulæ Sancti Julii, quæ pars eſt temporalis Juriſdictionis ejuſdem Urbis Epiſcopi, Moderator conſtitui meruit à Joanne Morono S.R.E. Cardinali, illiuſque Sedis tunc Antiſtite. Academiam Paſtorum nuncupatam anno MDL. Novariæ condidit. Poëſim, Oratoriam, bonaſque litteras penè omnis generis ſic calluit, ut ſummæ eruditionis Codices in eis facultatibus præter eos, qui ad Juriſprudentiam pertinent, evulgaverit. Mirùm igitur nemini videbitur, ſi Carolo V. Auguſto fuerit acceptus adeò, ut ipſum cum Patre, & Patruis, Paulo item Patruo magno J. C. atque Ambroſio Patruele peculiari Diplomate Sacri Romani Imperii Comitem Palatinum, nec non Papiæ, Novariæque Civem creaverit. Dum de Taëgiorum familia loquimur, liceat hîc proferre Monumentum Sepulchrale mihi perhumaniter communicatum à Cl. Sitono, & ab eodem viſo in Eccleſia Vercellarum FF. Minorum Conventualium S. Franciſci, videlicet in Sacello D. Paulo dicato, peregregiè in marmore elaboratum, Joanni Ambrogio Taëgio dicatum, ut ne ipſum quandoque pereat.

D. O. M.
IO. AMBROSIVS TAEGIA
MEDIOLANO ORIVNDVS
EX CLARA ET PERVETERE FAMILIA
HVIVS SACELLI ET ELEGANTIS ICONIS
AVTHOR
HVMANAE LEGIS MEMOR
SARCOPHAGVM HVNC
SIBI POSTERISQVE SVIS VIVENS POSVIT
VII. ID. NOV. MDLXXXIV.

Denatus eſt verò Vir præſtantiſſimus Bartholomæus anno MDLXXIII.

Opera illius hæc habemus:

I. Bartholomæi Taëgii J. C. Mediolani, Tractatus varii ad Criminales Cauſas pertinentes. *Mediol. apud Antonianum*, 1564. *in* 8., *& Marpurgii, typis Pauli Egenolphi*, 1598. *in* 8 Extant etiam in Tom. XI. Tractatuum Jur. pag. I. hoc titulo „ de Criminibus in genere.

II. L'Officioſo. Dialogo di M. Bartolomeo Taegio Giureconſulto del Collegio di Milano, e de' Vicarj generali di queſto Stato; all' Illuſtriſſimo e Reverendiſſimo Monſignore il Cardinale Borromeo. *Milano, per Pietro, e Franceſco Tini*, 1572. *in* 4. In hoc Opere Taëgius noſter methodum etiam tradit conſolandi eos, qui extremo ſupplicio ſunt afficiendi. In fronte autem libri cernitur Scriptoris effigies ære inciſa.

III. Il Liceo di M. Bartolomeo Taegio, dove ſi ragiona delle Accademie, e della Nobiltà. *Milano, appreſſo Paolo Gottardo Ponzio*, 1571. *in* 4.

IV.

**IV.** Il Liceo di M. Bartolomeo Taegio, dove ſi ragiona dell' arte di fabbricare l'Impreſe conformi a' concetti dell' animo, e ſi diſcorre intorno al Poetico figmento delle Muſe. Libro ſecondo. Al Molto Illuſtre ed Ecc. Signor Giulio Claro del Supremo Conſiglio delle coſe d'Italia della Regia, e Cattolica Maeſtà, e Regente della Provincia di Milano. *Ivi, appreſſo Paolo Gottardo Ponzio*, 1571. *in* 4., & iterum *Milano, preſſo Girardo de Comaſchi*, 1572. *in* 4.

**V.** Due Paradoſſi di Bartolomeo Taegio, l'uno compoſto a favor del mal delle Gotte, e l'altro in lode dell' Eſtremo, in verſi ſciolti, e ſdruccioli. Extat ad calcem ſuperioris Libri.

**VI.** Le Riſpoſte di M Bartolomeo Taegio Giureconſulto del Collegio di Milano. All' Illuſtriſs. e Reverendiſs. Cardinal Morono. *Novara, appreſſo Franceſco, e Giacopo Seſſalli*, 1554. *in* 8. Liber hic in linguam Gallicam tranſlatus lucem vidit hoc titulo: „ Barth.
„ Taëgio: Les doctes & ſubtiles Reſponſes, ou ſont
„ contenus maints beaux & agreables diſcours ſur
„ divers & notables matieres, traduicts d'Italien par
„ Ant. du Verdier. „ *à Lyon, chez Barth Honorat* 1577. *en* 12. Ad calcem verò editionis Italicæ hujus Libri extat Auctoris Epiſtola ad Franciſcum Seſſalum Impreſſorem, cui negat imprimenda tradere ſequentia III. ejus Opuſcula, quæ parata habebat, ſed adhuc emendanda.

**VII.** I Dialoghi.

**VIII.** La Comedia.

**IX.** I Ghiribizzi.

**X.** L'Umore. Dialogo tra lui, e Gio. Paolo Barza, in cui ſi contengono molte Rime, e varie Traduzioni dell' Opere di Virgilio in Verſi ſciolti. Al Sig. Giuliano Goleſino. *Milano, per Gio. Antonio degl' Antonj*, 1564 *in* 8.

**XI.** La Villa. Dialogo di M. Bartolomeo Taegio. All' Invittiſſimo, e glorioſiſſimo Imperadore Ferdinando I. *Milano, per Franceſco Moſcheni*, 1559. *in* 4. In fronte hujus Libri extat Carmen Italicum Goſelini in laudem Auctoris; inde ſequuntur binæ Epiſtolæ, una ad Ferdinandum I. Imperatorem, altera ad Julium Simonettam Abbatem Grattaſolii. Adſunt quoque Carmina varia Italica, & nonnulla Ovidii Virgilii, & Horatii Italico ſermone verſa.

**XII.** Orazione di Bartolomeo Taegio nel principio dell' Accademia de' Paſtori in Novara. *Ivi, preſſo il Seſſalli*, 1554. *in* 12.

**XIII.** Orazione dell' eccellenza della lingua volgare d'Italia. Ad Eraſmo Riccio. *Novara, ſenz' anno, e nome di Stampatore.*

**XIV.** Lettera a Monſignor di Verua ſopra de' ſuoi Dialoghi. *Novara, ſenza nome dello Stampatore*, 1555 *in* 4.

**XV.** L'Eſilio, con varie Rime. *Milano, preſſo il Moſcheni*, 1555 *in* 8.

**XVI.** Trattato dell' arte per formare le Impreſe. Extat in libro ſupra relato numero IV.

**XVII.** Alcune Lettere. Ex Picinello.

Inter Carmina Publii Franciſci Spinulæ Mediolanenſis in libro, cui titulus: Epodon. Extat Ode XXXV. Ad Bartholomæum Taëgium J. C. Mediolanenſem.

De ejus laudibus, atque Academia ab eo inſtituta, plura habentur ſparſim in Epiſtolis Sigiſmundi Foliani Burmienſis.

Joannes Baptiſta Plottus in ſuo Tractatu de in litem jurando &c. *Novariæ*, 1586 Laudat Bartholomæum Taëgium uti J. C. optimum, Hiſtoricum doctiſſimum, atque Poëtam facundiſſimum.

Videndi ſunt Paulus Moriggia in Nobil. Mediol. lib. III. cap IV. & VI., Abbas Ghilinus in ſecunda parte ſui Theatri, Antonius Verderius in Supplemento Bibliothecæ Geſneri, Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſæo Novarienſi, Clariſſimus Sitonus in Chron. Colleg J. PP, atque in Schedis, Doctiſſimus P. Quadrius Soc. Jeſu in libro centies relato: „ Della
„ Storia, e Ragione d'ogni Poeſia. Vol. II. Par. II. pag. 433., & tandem Picinellus in Athenæo pag. 71.

## MDCLXVIII.

## TAËGIUS FRANCISCUS.

NOvimus quidem Clariſs. Viros Lazarum Auguſtinum Cottam, & Bartholomæum Curtium, Franciſcum Taëgium nunc laudandum inter Novarienſes eruditos recenſuiſſe, imò Cottam præcitatum protuliſſe ad comprobandam ſententiam ſuam verba Hieronymi Cardani Cap. 34. Vitæ ſuæ ſic ſcribentis:
„ Audivi & Brandam Porrum, & quandoque Fran-
„ ciſcum Taëgium Novarienſem. „ Verumtamen ab eis recedere cogimur, cùm, monente J. C. Joanne Sitono noſtro, Viro in Antiquitatibus expiſcandis, maximè patriis, principe, ſciamus natale ſolum ipſi fuiſſe Oppidum Ogoniam ad Verbanum lacum, quod quidem pars eſt Mediolanenſis Ducatus, quamvis ad Diœceſim Novarienſem pertineat. Liceat per nos Civibus Urbis Novariæ Taëgium hunc inter ſuos enumerare, ubi proferant Diploma Caroli V. Auguſti, de quo in Bartholomæo jam meminimus; eo enim facilè comprobabunt Imperatoris auctoritate Franciſcum Taëgium, cæteroſque ibidem memoratos ſuæ Urbis Civilitate donatos, neque tamen unquam efficere poterunt, ut Scriptor iſte ad Mediolanenſes non pertineat, cùm in finibus hujus Ducatus ortus ſit, quodque magis nos monet ipſe Franciſcus loco infra citando patruum ſuum appellet Paulum Taëgium J.C. Collegiatum Mediolanenſem. Hæc præfari libuit, ne in meſſem alienam falcem mittere videamur. Pater ergo fuit Franciſco Bartholomæus Taëgius ſenior Ambroſii jam commendati frater. Scriptor verò noſter optimo præditus ingenio ad Philoſophicas, & Medicas facultates animum convertit, atque in eis profecit adeò, ut Laureâ donari meruerit. Mox ad eas publicè docendas in Ticinenſi Archigymnaſio aſſumptus, plures habuit diſcipulos illuſtres, inter quos repetere juvat Hieronymum Cardanum. Ab Hiſtoria quoque conſcribenda non abhorruit, ut ex infra dicendis patebit. Claruit potiſſimum ab anno MDXI. ad MDXXV. Obitus autem dies, & annus nos latet.

Scripta illius hiſce notantur titulis:

**I.** Franciſci Taëgii Artium ac Medicinæ Candidati Lectura in præclarum ac perutilem Beati Doctoris Libellum de fallaciis inſcriptum.

**II.** Ejuſdem Quæſtio de vero totius Dialecticæ ſubjecto; ad Magnificum Dominum Scipionem Trivultium liberalium Artium Cultorem candidiſſimum.

Adeſt Epiſtola Auctoris Magnifico, ac eximio Juriſconſulto Domino Paulo Taëgio patruo ſuo. Data Ticini Chriſtianæ Olympiados trecenteſimæ tertiæ, anno primo, tertio Idus Martias. *Papiæ, per Jacobum de Burgo-franco*, 1511. *in fol.*

**III.** Franciſci Taëgii Phyſici & Equitis candida, & vera narratio diræ ac cronicæ obſidionis Papiæ. *Papiæ, apud Jacobum de Burgo-franco*, 1525. *die* 25. *Aprilis.* Idem Liber vidit ſecundam lucem hoc titulo „ De
„ obſidione Urbis Ticinenſis, ſeu Papienſis, & de
„ captivitate Franciſci I Regis Galliar. cum Notis
„ Bernardi Pezii. *Norimbergæ*, 1736. *in* 4.

Ex Cotta in Addendis ad Muſæum Novarienſe. MS. apud J. C. Franciſcum Honuphrium Cottam Auctoris filium pag. 132. hæc hauſimus.

## MDCLXIX.

## TANTIUS ANSELMUS.

DEductam ab anno MCCCXL. ad MDXIII. ſeriem Decurionum hujus Metropolis, qui è Tantia familia prodierunt, nobis texuit humaniſſimus Joannes Sitonus noſter, atque inde novimus numero XVII. Viros hujuſce generis in hoc munere floruiſſe, quorum primus extitit Jacobinus, poſtremus verò Joannes Petrus. In nomenclatura quoque XII. Virorum Tribunalis Proviſionum vocati, penès eundem antiquitatum Mediolanenſium ſcrutatorem eximium Sitonum adſunt III. ex eadem Tantia Gente Sæculorum XIV. & XV. Allucinatus ergo videtur Picinellus, qui in Articulo Anſelmi Tantii, cujus nunc daturi ſumus Elogium, aſſeruit Tantios è Januenſi Urbe huc commigraſſe; neque enim ſatis conſtat quonam pacto fieri potuerit, ut exteris hominibus nonniſi poſt diuturnum temporis ſpatium primarii apud Mediolanenſes publicorum munerum honores patuerint. Sanè inter vetuſtiſſimas, ac nobiles hujus Urbis familias recenſetur Tantia apud Moriggiam in Hiſtoria Mediolanenſi lib. IV. cap. XLV. num. DCCX. Mihique contigit videre in Codice pergameno, nunquam ſatis laudato, penès Marchionem Gaſparem de

Ro-

Digitized by Google

Roſales J. C. C. alibi à nobis commendatus, continens Indicem Scripturarum, Privilegiorum, aliorumque Documentorum, in Archivo Ducali exiſtentium, ubi ſic legitur: „ Litteræ Ducis Mediolani pro immunitate conceſſa Henrico Tantio familiari noſtro „. Datæ ſunt „ Papiæ, die IV. Novembris MCCCLXXIX. Ex hujuſcemodi gente originem duxit Anſelmus Tantius Vir pietate ſimul, & eruditione ſpectabilis. Ab ineunte namque ætate litteris excultus, in ipſo adoleſcentiæ flore, exeunte fermè Sæculo XV. Canonicorum Lateranenſium Inſtituto in Congregatione Frigdionariæ nomen dedit. Coævus fuit, atque æmulator Severini Chalchi ejuſdem Ordinis, quem debitis laudibus alibi celebravimus. Sacris Concionibus non ſine ingenti populorum frequentia, & animarum proventu per annos plures ſedulam navavit operam. Poëtica quoque ſtudia coluit, adeò ut in Translatione Boëtii, quam infra enunciabimus, præſtantiſſimi illius Philoſophi, & Martyris verſuum latinorum varietatem, admirabili facilitate, ſemper mutato Carminum genere, Italico ſermone reddiderit. Vivebat anno Domini MDXXV. Subjiciemus hîc Epitaphii loco Carmen Gregorii Brunelli in Operis ejus commendationem editum à Roſino inferiùs citando:

*Nobile qui quondam mœſta teſtudine carmen*
*Prompſit flebilis modis,*
*Qui Sophiam Latio fecit ſermone miſcentem,*
*Tot ſolatia fletibus;*
*Hetruſcis variat Latialia verba ſuſurris,*
*Funditque ambroſium melos.*
*Fallax terrifico ſi obducit turbine vultum,*
*Sors vel nubila congregat,*
*Squallida perpetuo madeant ut lumina planctu*
*Et curæ extenuent genas,*
*Hæc lege, diſcuſſis remanebunt gaudia curis,*
*Et mœſtus fugiet dolor,*
*Qualiter ingenti dum verberat aëra flatu*
*Nubes diſcutiens Notus.*

Elaboravit igitur Opus ſic inſcriptum:

I. Della Conſolazione della Filoſofia di Severino Boezio, traddotto da Anſelmo Tanzo, a Gio. Giacomo ſuo Fratello. *Milano, per Agoſtino di Vicomercato*, 1520. *in* 8., & rurſum *Venezia, per Gio. Antonio, e Fratelli di Sabbio*, 1527. *nel meſe di Marzo, in* 12., *ed Ivi, per i medeſimi*, 1531. *in* 8.

Agit de eo Celſus de Roſinis in Lycæo Lateranenſi lib. I. pag. 33. Franciſcus Xaverius Quadrius Soc. Jeſu in libro ſuo: „ Della Storia, e della Ragione d'ogni „ Poeſia, Tomo I. pag. 203. Sitonus noſter in Schedis, & Picinellus in Athenæo pag. 40. Fuſiùs autem ejus laudes brevì proſequetur ipſius gentilis Carolus Antonius Tantius ornatiſſimus juvenis, mihique amiciſſimus, in Opere, quod typis parat de Poëtis Mediolanenſibus, quemadmodum etiam non minori mihi amore conjunctus Canonicus Joannes Andreas Iricus in Epiſtola ſua Latina MS., ad eundem Carolum Antonium data de origine Tantiæ Familiæ, Viriſque illuſtribus ex ea genitis jam præſtitit, & uberiùs aget in Hiſtoria ſua Typographica Tridinenſi.

## MDCLXX.

## TANTIUS CORNIGER FRANCISCUS.

CUm ſuperiori Articulo quædam de Tantiæ Familiæ vetuſtate dixerimus, juvat hîc ſententiam noſtram proferre de agnomine Cornigeri, quod gentili cognomine adjectum præſetulit Franciſcus nunc laudandus. Suſpicamur igitur, vocabulum hoc ex



Stemmatis varietate, quo Tantii utuntur, emanaſſe. Illud quidem Parma eſt in duas ſecta partes, cujus ſuperior Aquilam exhibet, inferior verò faſcias rectas numero ſex, quarum ſecunda nunc geminis ornatur liliis, nunc binis Satyrorum capitibus. Hinc ortum credimus Cornigeri additamentum, quo Scriptor hic ad aliorum diſcrimen uti voluit. Diſcipulus fuit Franciſcus Joannis Marliani Viri undequaque doctiſſimi; atque ſub tanto Magiſtro ſic profecit, ut inter primarios ſui Sæculi eruditos Mediolanenſes meritò recenſendus videatur. Nam præterquamquod Poëſim etiam extemporaneam profeſſus eſt, aliorum quoque doctorum Virorum labores & edendos curavit, & Præfationibus, & Verſibus illuſtravit. Impenſas contuliſſe, ut in lucem emitterentur plura Volumina, patebit ex infra dicendis. Sacerdotii dignitate viguit, & amiciſſimus fuit Ludovici Mariæ Sfortiæ Mediolanenſium Ducis, poſt cujus ærumnas alibi jam relatas non minori gratiâ floruit apud Jafredum Caroli, Senatus Mediolanenſis Præſidem ſub Ludovico XII. Francorum Rege, & Mediolani Duce, cujus fermè perpetuus familiaris extitit, & conviva. A doctis Viris ſui ævi Lancino Curtio, Archangelo Madrignano Mediolanenſibus, quos loco ſuo memoravimus, aliiſque in pretio habitus, & Carminibus, & ſoluta oratione laudari meruit. Obitus ejus, annus, & dies nobis incompertus eſt; ipſius tamen memoria viget in Operibus,

Quæ hîc damus:

I. Epiſtola Italica præfixa Carminibus Franciſci Petrarchæ. *Mediolani, apud Scinzenzeller*, 1494 *die* 26. *Martii*. Ea eſt ad Lectorem de ipſa editione, cui Scriptor noſter præfuit, uſus antiquiſſimo Codice MS. Gaſparis Vicecomitis, cujus Carmina Italica anno ſuperiore impreſſa commendat.

II. Nuncupatoria Carminum Italicorum Bernardi Bellinzoni; ad Ludovicum Mariam Sfortiam Mediolani Ducem, editionis *Mediolanenſis*, 1493. *in* 4.

III. Carmen Italicum; ad Ludovicum ipſum, quo rogat ut ab eo in Capellanum Sforzeſchæ eligatur, cum Reſponſione metrioa ipſius Ludovici Ducis, extat in eodem Libro.

IV. Epitaphia duo Italico metro conſcripta in laudem ejuſdem Bellinzoni, habentur ibidem.

V. Epigramma in laudem Gaſparis Vicecomitis, cujus Carmina Italica edi curavit. *Mediolani*, 1493. *in* 4.

VI. Diſputatio de Natura, & Fato cum Facio Cardano. Hæc eruitur à Libro infra recenſendo.

VII. Alia duo Epigrammata in laudem Archangeli Madrignani, & Jafredi Caroli, leguntur in libro ipſius Madrignani, cui titulus „ Itinerarium Portugallenſium „, atque ex ipſius libri nuncupatoria, in qua pluribus laudibus extollitur Tantius noſter, novimus Diſputationem ſupradictam de Natura, & Fato habitam cum Facio Cardano magni Hieronymi patre.

VIII. Epigrammata plura ad Platinum Platum, cum Reſponſionibus ejuſdem, reperiuntur inter hujus Carmina edita, de quibus in ipſius Articulo diximus.

IX. Epigramma. Adeſt in principio libri Marci Antonii Cadamuſti Laudenſis Canonici, cui titulus: „ Compendium in uſum, & operationes Aſtrolabii Meſſahallach. *Mediolani, apud Petrum Martyrem, & Fratres de Mantegatiis, impenſis P. Franciſci Tantii Cornigeri*, 1507. *die* 20. *Januarii, in* 4.

Ipſius etiam ære impreſſus fuit *Mediol*, *anno* 1490. *in fol.* Galeottus Martius de Homine. Veruntamen de hujuſcemodi editionibus doctiſſimè, & uberiùs agit Clariſſimus Saxius noſter in Hiſtoria ſua Typographica Mediolanenſi huic meæ Bibliothecæ præfixa.

Ad ipſum reperiuntur Carmina plura prædicti Lancini Curtii in editione *Mediolanenſi* Carminum iſtius, 1521.

Commendatur, præter ſupradictos, à Creſcimbenio in Hiſtoria Poëſis Italicæ, Vol. 1. lib. III. Cap. 26. pag. 255. Clariſſimo Saxio in libro de Studiis Mediolanenſibus, atque in Hiſt. Typographicâ jam ſupra citatâ. Franciſco Xaverio Quadrio Soc. Jeſu: „ Della Storia, e Ragione d'ogni Poeſia, To„ mo II. pag. 210. Sitono noſtro in Schedis. Carolo Antonio Tantio in Collectione Poëtarum Mediolanenſium, cui actu inſudat; & amiciſſimo nobis Canonico Joanne Andrea Irico in Epiſtola Latina MS. ad præfatum Carolum Antonium de origine, & Claris Viris Familiæ Tantiæ.



Digitized by Google

## MDCLXXI.

## TATTUS JULIUS.

JUlius Tattus in inſigni Variſii Oppido, Ducatus Mediolanenſis, nobili genere natus eſt anno MDXLI. Pridie Kal. Aprilis. Liberaliter à parentibus educatus, cùm inter ſtudia adoleviſſet, ſummam pietatem cum pari eruditione conjunxit. Plurimùm quidem illi obſtricta eſt poſteritas; diligentiſſimè enim collegit ea omnia, quæ in Agro Variſienſi, atque univerſa hujus Metropolis Archidiœceſi, ſuâ tempeſtate contigerunt. Incipit Opus hoc ab anno reparatæ Salutis MDLX. deductumque eſt ad annum vulgaris Æræ MDCXX. Hoc poſtremo anno, dieque XVII. menſis Februarii mortalis eſſe deſiit octogenarius in ſenectute bona.

Scriptum reliquit Opus hoc titulo:

I. Ricordi di coſe notabili. MS. in fol. magnæ molis, quod ſe vidiſſe teſtatur Picinellus, apud Clementem Orrigonum Medicum doctrinâ, & nobilitate generis clarum.
Laudatur à præfato Picinello in Athenæo pag. 363.

## MDCLXXII.

## TERZAGUS ALOYSIUS.

JOannes Baptiſta Terzagus J. C. Collegiatus Mediolanenſis, necnon Beatrix Lattuada Conjuges, parentes fuere Aloyſii, de quo nunc agimus. Exempla optimi genitoris proſequendo, nec non Avi Hieronymi, cujus extat adhuc in Eccleſia Collegiata Sancti Georgii (vulgò in Palatio) hujus Urbis Inſcriptio Sepulchralis ſequentibus litteris:

HIERONYMI TERZAGHI I. C. P. PATRIS
AC FILIORVM ET DESCENDENTIVM SVORVM
MORTALIVM MORTALIA MONVMENTA.

etiam iſte in Collegium J. CC. Nobil. Mediolanenſium cooptari meruit anno Redemptionis MDLXXV. Deinde Cauſarum Patronus magnum ſibi nomen acquiſivit in Foro. Cartharius Vir Clariſſimus in Syllabo Advocatorum Sacri Conciſtorii de eo ſic habet: „ Aloyſius Terzagus Mediolanenſis Joannis „ Baptiſtæ J. C. Collegiati, nati ex Hieronymo Ter„ zago, & Beatricis Lattuadæ filius. Recurrente „ anno MDLXXVIII inter Advocatos, vice Hie„ ronymi Maggiolini, cooptatus. Quanto temporis „ decurſu in humanis egerit, haud mihi compertum: „ hoc non ignoro, quòd eodem, ac duobus ſequen„ tibus annis in ipſorum Cœtu ſedit, quòdque poſt„ modum reſignavit „. In Patria verò anno MDLXXXIX. Præfecturam ſumma cum laude peregit. Deinde Regius Ducalis Quæſtor Magiſtratus Reddituum extraordinariorum fuit in Mediolanenſi Dominio. Deſideratus eſt anno Chriſti MDXCV.

Habemus ipſius:

I. Vota Conciſtorialia. Extant MSS. in Archivo ipſius Tribunalis Romæ.
II. Reſponſum Juris. Legitur inter Conſilia Menochii, lib. IV. Conſ. 398., ibique ſe ſubſcribit: „ Aloyſius Terzagus Advocatus Conciſtorialis.
III. Allegationes plures Juridicæ. Reperiuntur apud Juris Conſultos Mediolanenſes, ut de aliis monuimus.
IV. Epiſtolæ plures Latinæ, ad Bernardinum Marlianum Equitem Mantuanum, ut eruitur ab iſtius Litteris editis *Venetiis, apud Societatem Minimam*, *in* 4. & ſignanter ex una Data anno MDLXIX. ubi ſic: „ Queſte voſtre Lettere Latine mi fanno quaſi „ uſcir di me ſteſſo. Certo ſe foſſi Pitagorico, direi, „ che aveſti in corpo l'anima di Cicerone, o di Ceſare, avendo voi il medeſimo loro giocondiſſimo „ ſtile, ec.
De ipſo Alexander Rhaudenſis in Tractatu de Analogiis Cap. XIV. ſic: „ Doctiſſimi, & eloquentiſſimi Ad„ vocati Mediolanenſes D. Camillus Trottus nunc ex „ Quæſtoribus Extraordinariis. D. Bartholomæus Bru„ gnolus, D. Aluiſius Terzagus Torricelli, ac Cœphali „ Condiſcipulus „. Cartharius ſupradictus in Syllabo Editionis Romanæ pag. 183., & Advocatus Sitonus in Theatro Genealogico pag. 433. MS. in fol. penès Auctorem, & in Chron. Coll. J. PP. pag. 156. artic. 627.

## MDCLXXIII.

## TERZAGUS AUGUSTINUS.

PArentibus Lucilio Jureconſulto infra laudando, atque Æmilia Buſcha nobilibus conjugibus in hac Urbe ortus eſt Auguſtinus Terzagus, cujus majorum geneſim à Barnaba, qui fuit in vivis anno MCCC. ad ipſum uſque nobis texuit doctiſſimus J. C. Joannes Sitonus. Nobilitatem generis ſui Auguſtinus noſter doctrinæ ſplendoribus auxit, & à teneris annis ſtudiis bonarum artium addictus, Clericalem amplecti ſtatuit militiam, votique compos effectus, Theologiæ adipiſcendæ ſedulam dedit operam, in qua etiam Magiſterium conſequi meruit. Oblatis deinde Sacerdotibus Congregationis SS. Ambroſii & Caroli nuncupatæ ſe adjunxit, cùmque in Bononienſi Urbe Comitis Julii Cæſaris Borromæi familiæ Præfectus moram traheret, ob ſtudiorum ſimilitudinem cum Maphæo Barberino tunc S. R. E. Cardinali, & ibidem Legato, qui poſtmodum ad Petri Cathedram, aſſumto Urbani VIII. nomine, aſcendit, amicitiæ vinculo conjunctus fuit. Quamobrem Terzagus, audito collatæ amico tantæ dignitatis nuncio, Mapheidem Poëma inferiùs memorandum cudit, ipſique Romæ obtulit, ab eodem viciſſim Protonotarius Apoſtolicus renunciatus. Præbendam quoque obtinuit in hujus Urbis Collegiata Eccleſia Sancti Thomæ, cui cognomen in Terra-amara, olim verò in Cruce Sicariorum. Hinc evocatus eſt ad Præpoſituram Oppidi Nerviani, adjecta dignitate Vicarii tum Foranei Archiepiſcopalis, tum Sanctiſſimæ Inquiſitionis adversùs hæreticam pravitatem. Non ſeria minus, quàm amœna coluit ſtudia, in Sacris Canonibus verſatiſſimus, & in Theologicis Quæſtionibus ad miraculum peritus. Amicos habuit Viros eruditione præſtantes Concives ſuos congruis locis à nobis non ſine laude memoratos, Benedictum Sociacum, Felicem Hoſium, Antonium Blaguazzonum, Cæſarem Burrum, Franciſcum Ælium, alioſque plurimos. Multa de ſuo edidit, quæ inferiùs recenſebimus, & plurium doctorum Virorum labores, vel Carminibus ſuis ornavit, vel emendavit. Migravit è vita anno poſt Chriſtum natum MDCLXVII. in præfato Oppido Nerviani.

Lucubrationes illius ſunt:

I. Compendium Martini Bonacinæ. *Mediolani*, 1635. *in* 8. ad Cardinalem Cæſarem Montium, *& typis Archiepiſcopalibus*, 1642. *Iterumque* 1663. *in* 12.
II. Mapheis libri IV. Carmen Panegyricon Sanctiſſimi Domini noſtri Urbani VIII., virtutum, & actionum Schema. *Mediolani*, *apud Comum* 1624. *in* 8. cum Epiſtola nuncupatoria, ad Dominum Antonium Barbavariam Equitem Hieroſolymitanum. Extant in eodem libro Carmina Variorum in laudem Auctoris,

Digitized by Google

ris, nempè Felicis Hoſii, Coſmæ Mangoni S. T. D. Canonici Med. Antonii Blaguazzoni, Cæſaris Burri, & Franciſci Ælhi.

III. Vita, e Martirio di S. Geneſio. *Milano, nella Stamperia della Roſa*, 1635. *in* 8.

IV. In Nuptiis Uladislai Regis Poloniæ, & Cæciliæ Archiduciſſæ Auſtriæ Epitalamium. *Med. apud Ghiſulphum, ſine anno, in* 4.

V. Poëſis. *Mediolani, typis Archiepiſcopalibus*, 1656. *in* 8. ad Præſidem Cuſanum Excellentiſs. Senatus Mediol. Continet Epigrammata, Odas, Idillia, Elegias, atque alia Poëmata varia.

VI. Thorax: Poëma in Nuptiis Jo. Baptiſtæ Vicecomitis Vercellini filii. *Mediol. ſine anno in fol.*

VII. Epigrammata octo. Extant in Collectione Jo. Baptiſtæ Foſſati, pro Laurea Jo. Baptiſtæ Vicecomitis. *Mediol. apud Paganellum*, 1608. *in* 8.

VIII. Carmina duo, alterum ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Carolum Caraffam Epiſcopum ad Cæſarem Nuncium Apoſtolicum, cum Notis, & alterum in laudem Auctoris. Extant in libro, cui titulus: Florilegium Mediolanenſium Antiquitat. Joannis Antonii Caſtillionæi, de quo ſuo loco diximus.

IX. Epigrammata tria ejuſdem Auguſtini Terzaghi S. T. D. Canonici &c. Leguntur in Libello, cui titulus: Bernabovis Barbovii Elogium, Authore Joſepho Ripamontio &c. *Mediol. apud Impreſſores Archiepiſcopales*, 1633. *in* 4.

X. Epigrammata plura. Sparſim edita ſunt in Libris aliorum doctorum hominum, qui illius ætate prodierunt in lucem.

XI. Joannis Baptiſtæ Bizozeri ſumma Caſuum Conſcientiæ ab Auguſtino Terzago emendata, ordinata, & illuſtrata; adjectis Summariis & Indicibus. Ad P. Sebaſtianum Alciatum Monachum Chartuſ., quem etiam laudat Epigrammate. De hoc Opere in Articulo Bizozeri diximus.

XII. Poëmata latina duo in lib. cui titulus: Imeneo in Pindo per le Nozze d'Annibale Mareſcotti, e Barbara Rangoni. *Padova*, 1638. *in* 4.

XIII. Epiſtolæ quatuor latinæ cum aliquot Carminibus item latinis; ad Eminentiſſimum Cardinalem Montium MSS. Extant apud Comitem Paulum Montium.

XIV. Epiſtola Divi Baſilii ad Gregorium, ab Auguſtino Terzago in latinum converſa. MS. in fol. in Biblioth. Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii Mediol. in Cod. num. 60.

Ei dicavit Joſeph Laurentius Diſſertationem II. primi libri Polymathiæ ſuæ; illum hiſce verbis alloquens: „ Tu verò octavus Sapientum, vel tripode Phœbi dignus, ipſa ſapientia, ipſum virtutum „ exemplar.

Ad eundem Benedictus Sociacus Ode IV. Lib. II. miſit.

Laudatur à Hieronymo Borſerio in Supplemento Nobil. Mediol. Cap. 12. Petro Paulo Boſca de origine, & ſtatu Bibliothecæ Ambroſianæ, & Picinello in Athenæo pag. 5., atque à Sitono in Theatro Genealogico pag. 438.

## MDCLXXIV.

## TERZAGUS HIERONYMUS.

Hieronymus Terzagus Joannis Antonii, & Franciſcæ Vincemalæ Conjugum filius, Avum habuit Antonium Phyſicum Collegiatum, qui floruit medio Sæculo XV. Noſter verò veſtigiis parentis inhærens, Juribus tam Cæſareis, quàm Pontificiis intentus, & ipſe Collegium J. PP. Nobilium Mediolanenſium meruit ingredi anno reparatæ Salutis MDX. Muſas quoque ſummopere coluit, ut facilè agnoſcitur ab Opere infraſcripto. Mors invida citò nimis eum rapuit; nam eruditiſs. Sitonus notavit eum in ſupradicto Collegio non niſi ad annum MDXI. ſediſſe, ideoque pauca de ipſo habemus,

Videlicet:

I. Epigrammatum Libri II. MSS. in 4. In fine ſic legitur: „ Si Domino placebit corrigenda, atque imprimenda „ erunt. Hieronymus Terzagus, anno MDII. die VIII. „ menſis Octobris. „ Extant in Bibliotheca hujus Urbis Metropolitanæ in Volumine Miſcellaneorum, in 4.

II. Epiſtolæ latinæ ad Platinum Plattum, ut eruitur à Reſponſionibus iſtius inter editas, de quibus in eodem.

Laudatur Epigrammate à Lancino Curtio lib. XV. pag. 72., & à Sitono in Chron. Colleg. J. PP. pag. 84. art. 364., & in Appendice pag. 264.

## MDCLXXV.

## TERZAGUS JACOBUS PHILIPPUS.

Jacobus Philippus Terzagus, Auguſtini jam laudati frater, Lucilio mox commendando, & Æmilia Buſca nobilibus parentibus ortus eſt in hac Inſubriæ Metropoli. Hauſtam à Patre quodammodo cum ſanguine eruditionem præſetulit, quem, ſicut genitorem, ſic etiam in Græcis, Latiniſque litteris habuit Præceptorem. In his quantùm profecerit optimè cenſuit Ampliſſimus Mediolanenſis Senatus Ordo, qui eum annos vix XXVII. natum, in Palatino Gymnaſio publicum Eloquentiæ Profeſſorem conſtituit, & Celeberrimo Marco Antonio Majoraggio ſucceſſorem deſignavit. In eis etiam Scholis, quæ à Conditoris, ut alibi diximus, nomine Platinæ nuncupantur, Græcas litteras primùm, mox Geometriam, Arithmeticam, atque Aſtronomiam, quas optimè callebat, in locum defuncti patris ſui, à Majoris Noſocomii Præfectis docturus eligi meruit; quas quidem inter ſe adeò diverſas diſciplinas peregregiè interpretatus fuit. Eminebat etiam in eo, præter eruditionem, morum candor, & mira dicendi, agendique ſuavitas. Quo anno deceſſerit haud facilè quis reperiet; videtur tamen obitus ejus referendus ad annum circiter MDCLI., quo ipſum ſupremas exaraſſe Tabulas, nos monuit amiciſſimus J. C. Sitonus.

Reliquit doctrinæ ſuæ documenta, quæ hîc damus:

I. Heſiodi, & Homeri certamen, è Græco in Latinum translatum. Hoc non vidimus, ſed tamen proferimus ex fide Ghilini, & Picinelli, quemadmodum & ea, quæ in ſequentibus numeris, ſine nota editionis damus.

II. Oratio ad Excellentiſſimum Senatum, habita in gratiarum actionem pro munere publicè docendi ſibi collato.

III. Supremi Senatus Illuſtriſſimorum Patrum Elogia. *Mediolani, apud Rollam*, 1638. *in* 4.

IV. Præſidi Octavio Picenardo Elogium. *Ibid. apud Ramellatum*, 1639.

V. Carolo Hieronymo ex Capatiis à Somalea Elogium. *Ibidem*.

VI. Senatori Jo. Baptiſtæ Cantono Elogium. *Ibid. apud Ghiſulphum*, 1639. *in* 4.

VII. Encomiaſtica Mediolanenſis Urbis Monumenta à Jacobo Philippo Terzago collecta, & ab eodem Notis illuſtrata. Ad Excellentiſſimum Inſubriæ Senatum. MS in fol. ſign. num. 16. Extat in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium Divi Ambroſii Mediolani.

Laudant ipſum Ghilinus in ſecunda parte Theatri ſui Litteratorum, Chartarius in Syllabo Advocat. Sacri Conciſt. pag. 183., ubi etiam meminit Lucilii, & Aloyſii Terzagi. Sitonus noſter in Theat. Genealog. MS. penes ipſum Auctorem pag. 435., atque in Schedis, & tandem Picinellus in Athenæo pag. 243.

MDCLXXVI.

Digitized by Google

## MDCLXXVI.

## TERZAGUS LUCILIUS.

AUguſtus Terzagus Vir commendatiſſimus ſui ævi, utpote litteris Græcis, Latiniſque apprimè excultus, & Clara Biraga illuſtres Conjuges Mediolanenſes Lucilium hunc genuere, qui tam doctum parentem æmulatus, ad ſtudia totus ſe contulit, & ſic feliciter, ut optimus Orator, diſertiſſimus Philoſophus, ac Poëta non contemnendus evaſerit. Ob A ejuſdem tam præclaras dotes Cathedram eloquentiæ in Scholis Palatinis ab Excellentiſſimo Mediolani Senatu meritò obtinuit. Mirum eſt dictu, quanti omnes Lucilium noſtrum fecerint Viri eruditi, atque ſtudioſiſſimi Tyrones, qui ad eum audiendum ſumma cum laude, & ingenti profectu convolabant. Annis XLI. tanto plauſu idem munus ſuſtinuit, ut Principes aliquot, & nonnullæ Academiæ ipſum penes ſe habere anxiè deſiderarint, ſed nec officia, nec ampla ſtipendia ei oblata unquam à Patriæ, amicorum, diſcipulorumque amore avertere Lucilium noſtrum potuere. Obiit igitur Mediolani ſeptuagenario major, & tumulatus extitit in Baſilica S. Euſtorgii cum hoc Elogio:

LVCILIO TERZAGO MEDIOLANENSI
PALATINO GYMNASIARCHO VIRO INCLYTO
LATIIS GRAIISQVE MVSIS EXCVLTO
MORIBVS AD GLORIAM REFERTO
DOCTRINA INSIGNI ANTIQVITATIS ERVDITO
LIBRIS EDITIS ILLVSTRI
SVMMORVM PRINCIPVM GRATIA
ET OMNIVM AMORE PRAEDITO
QVI
ANNIS PVBLICE DOCVIT XLI.
LXXVI. VIXIT
PATRIAE POTIVS QVAM SIBI
IACOBVS PHILIPPVS
ORATORIAE IN PALATINIS PATERNI MVNERIS ASSERTOR
PARENTI OPTIME MERITO
MOERENS POSVIT
ANNO MDCXXXVII.
VIRTVTES LAVDESQVE VIRI PER TRISTIA FATA
NEC RAPIT INTERITVS NEC RECIPIT TVMVLVS
TERZAGI ICTA LICET GENITRIX SIT PATRIA CASV
PLVS GENVISSE REFERT QVAM PERIISSE DOLET.

B Hæc ſunt ingenii ſui teſtimonia nunquam peritura:

I. Orationes plures habitæ tam in Scholis Palatinis, quàm alibi: ex Creſcentii Amphit. part. II. MS. in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum. Nos verò ſequentes reperimus.

II. Oratio Mediolani habita in Scholis Palatinis, in qua aguntur gratiæ Excellentiſſimo Senatui pro munere publicè interpretandi in iiſdem Scholis ſibi conceſſo. Extat MS. in fol. ſign. num. 60. paginarum 9 in Biblioth. Monachor. Ciſterc. Mediol. S. Ambroſii.

III. Alia in laudem linguæ Græcæ. MS. paginarum 16. ab eodem, manu ſua caſtigata. Ibid.

IV. Alia in vituperium linguæ Græcæ. MS. paginarum 16. Ibid.

V. Epiſtola Latina ad Cæſarem Rovidium Philoſophum, & Medicum nobiliſſimum de ſuis Orationibus de lingua Græca. MS. Ibid.

VI. Alia ad Antonium Reynium de Canum rabie. MS. paginarum 6. Ibid.

VII. Preces ad graviſſimum, ſanctiſſimumque Mediolani Senatum, ut ſuorogetur Annibali Crucejo. MS. Ibid.

VIII. Alia ad eundem Senatum Oratio, quâ aſſeritur lectionem Græcam Mediolani ſemper fuiſſe etiam ſejunctam à Latina, & deſtinatum quoque ad id munus obeundum Gymnaſium habuiſſe. MS. Ibid.

IX. Præfatio in omnes M. T. Ciceronis Orationes. MS. Ibid.

X. Lectio, ſeu Explanatio lib. I. Illiadis Homeri. MS. Ibid.

XI. De Exordio generis demonſtrativi. MS. Ibid.

XII. Carmina varia Latina. MS. Ibid.

XIII. Epiſtola ad Collegium J. CC. Mediolanenſium de Interpretatione I. libri Ethicorum Ariſtotelis. *Ex Typographia Collegii Ambroſiani*, 1634. *in* 4.

XIV. Epiſtolæ plures datæ annis MDCV. & MDCVI. ad Federicum Cardinalem Borromæum. Extant MSS. in ſæpe laudata Collectione Epiſtolarum ejuſdem Card. in Bibliotheca Ambroſiana.

XV. Dialogus de Ambroſiana Bibliotheca à Card. Federico Borromæo inſtituta, ad Excellentiſsimum Mediolani Senatum. *Mediolani*, *apud Paganellum*, 1610. *in* 4.

C

XVI. De Regentis Hieronymi Caymi, ejuſque nobiliſſimorum fratrum eximiis laudibus, Oratio.

XVII. De fratrum Biliorum Comitum Jo. Baptiſtæ Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopi, ac Balthaſſaris ampliſſimis, ſummiſque laudibus, Oratio. *Mediolani*, *apud Paganellum*, 1610. *in* 4.

XVIII. De Laudibus Illuſtriſſimorum Borromæorum, gratulationeque de ampliſſimo Cardinali Federico Bor-

Digitized by Google

Borromæo Mediolani Archiepiſcopo creato. Ad Sereniſſimum Ranutium Farneſium Parmæ, & Placentiæ Ducem. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1595. *in* 4.

XIX. Epiſtolæ verè Familiares. *Mediolani, ex Typographia Ambroſiana*, 1534. *in* 4.

XX. De familia Meltia, & de multis aliis familiis Mediolanenſibus, Oratio. Teſtibus Carthario, & Picinello.

XXI. De Peſte. Teſtibus iiſdem.

XXII. Trattato della fame, o careſtia. Ex ſupradictis.

XXIII. Ad Antonium Olgiatum Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectum Epiſtola, ſeu potiùs Diſſertatio, de laudibus Grammaticorum. Data Idus Martias, MDCX. Extat in Cod. MS. pagg. 6. in fol., inter eos in 4., ſign. S. num. 85. in Biblioth. Ambroſiana.

De eodem agunt Moriggia in Nobil. Mediol. lib. III. cap. XVIII. Ghilinus in II. part. Theatri, Puccinellus pag. 90. Cartharius in Syllabo Advocatorum Sacri Conciſtorii pag. 183. Sitonus noſter in Schedis, & Picinellus in Athenæo pag. 400.

## MDCLXXVII.

## TERZAGUS PAULUS MARIA.

PHyſicus Collegiatus Paulus Maria Terzagus Hieronymi Mariæ, & Juliæ Sanbenedictæ conjugum filius, Alexandri item anno MDLXXXVIII. Phyſici Collegiati Mediolani ex fratre pronepos, claruit Cæſareus ac Pontificius Eques & Comes Palatinus. Per ſeptennium unus ex XII. Tribunalis Proviſionum vocatis extitit, annis nempe MDCLXVI. MDCLXXI. MDCLXXIV. MDCLXXIX. MDCLXXXVII. MDCXCI., & MDCXCV. Vir in Oratoriis, Poëticis, Philoſophicis, ac Chymicis facultatibus verſatiſſimus, in Collegium cooptatur die XIV. Martii anno MDCLIV. Tantum nominis ſibi acquiſivit in Patria, & apud exteros, ut commercium litterarium ſecum habere exoptaverint plures illius ævi Eruditi, quos inter eminent Ottho Tanchenius, Joſeph Lanzonus, ac Nicolaus Stenon, Medici omnes procul dubio de univerſa litteraria Republica optimè meriti. Ex ipſis ſecundus Librum ſuum, cui titulus „ De Jatrophy- „ ſicis Ferrarienſibus, qui Medicinam ſcriptis exor- „ narunt „ Terzago noſtro nuncupavit; Tertius verò Anatomen Ovati Juvencæ in Septaliorum domo Scriptori noſtro oſtendit, adſtante etiam Manfredo Septala, alibi à nobis laudato, & Paulo Mariæ Terzago, de quo agimus, ſummâ amicitiâ ita conjuncto, ut ſuum inſigne Muſæum, quod etiam extat, deſcribere inſtituerit, ut infra, cui Centones eruditos, atque rei Medicæ proficuos de ſuo adjecit. Tanti quoque eum fecit Magiſtratus Reddituum extraordinariorum hujus Metropolis, ut de juſta diſtantia ſtationis Orizarum à Civitate Novaria pro ſalubritate aëris judicem Terzagum noſtrum decreverit. Mirum eſt, quòd Auctor iſte diligentiam Cl. Mangeti effugerit poſtquam tot alios minoris notæ in ſuam Bibliothecam intulerat, & eum in Curtio, & Picinello commendatum videre potuerat. Pro ſalute tuenda Concivium ſuorum totus incubuit donec mors ipſis, omnibuſque bonis eum rapuit die IV. menſis Februarii anni MDCXCV. Jacet in Eccleſia Monialium Ordinis S. Franciſci, vocata *Santa Maria del Gesù* hujus Urbis, hoc appoſito Epitaphio:

D. O. M.
VBERTO TERZAGO PATRVELI
PAVLO MARIAE GENITORI
MEDICINAE DOCTORI COLLEGIATO
ET HIERONYMO FRATRI
IN EADEM FACVLTATE ET COLLEGIO
DOCTORI
HONORATVS INSIGNIS BASILICAE
S. STEPHANI CANONICVS
IN PIETATIS TESTIMONIVM
HOC PERFICI MONVMENTVM IVSSIT
ANNO SALVTIS MDCCXV.

Fama illius his ſcriptis viget, & vigebit:

I. Muſæum Septalianum Manfredi Septalæ Patricii Mediolanenſis, induſtrioſo labore conſtructum, Pauli Mariæ Terzagi Mediolanenſis Phyſici Collegiati geniali laconiſmo deſcriptum, politioribus litteraturæ profeſſoribus erudita humanitate adapertum, cum logocentonibus, ſive centonibus ejuſdem Terzagi de natura Criſtalli, Teſtaceorum montanorum, & lapidificatorum, Achatis, Succini, Ambari, & Magnetis. *Derthonæ, apud filios qu. Eliſei Violæ*, 1664. *in* 4. Hunc Librum in Italicum idioma tranſlatum edidit Petrus Franciſcus Scarabellus hoc titulo „ Muſeo, o Galle- „ ria di Manfredo Settala, tradotta in Italiano da „ Pietro Franceſco Scarabelli da Voghera. *Tortona, per gli Eredi Viola*, 1666. & iterum 1677. *in* 4.

II. Relatio D. Pauli Mariæ Terzaghi Decani nobiliſſimi Collegii DD. Phyſicorum Mediolani ad Illuſtriſſimum Magiſtratum Reddituum extraordinariorum circa diſtantiam ſtationis Orizarum à Civitate Novariæ pro aëris ſalubritate. *Mediolani*, 1681. *in fol.*

De ipſo Curtius in libro de Claris Medicis Mediol. pag. 188. Galeatius Gualdus in Relat. Status Mediol. pag. 20. & ſeqq. Sitonus in Chronico Phyſic. Colleg. Mediol. p. 2. art. 313. & in Theatro Genealogico p. 435. ambo MSS. penès Auctorem, necnon Picinellus in Athenæo pag. 452.

## MDCLXXVIII.

## TETTAMANTIUS CÆSAR.

CUm Cœtus inſignis Oblatorum Congregationis SS. Ambroſii, & Caroli hujus Urbis, inſtitutus fuerit non tantùm pro rebus ad Eccleſiam Mediolanenſem pertinentibus fovendis, adjuvandiſque, quàm ad animarum lucrum, atque profectum, mirum non eſt, quòd Viri eruditione & pietate ſummè præditi ſupradictæ Congregationis ſint ad dignitates Eccleſiaſticas, atque ad Parochiales, cæteraſque ſacras Ædes tam in Civitate, quàm extra regendas meritò promoti; ideoque poſt eorum è Collegio receſſum, nemo extitit, qui Acta, & Scripta ipſorum recenſeret, & quod plus eſt, in Regeſtis ipſius Cœtus parum aut nihil de eorum parentibus, imò de patria invenitur, nam nonnulli extra Mediolanum, ac in alienis ditionibus natales traxerunt. Mihi igitur, aliiſque pluries accidit fruſtra de eis aliquid expiſcari. Cæſar Tettamantius unus eſt ipſius Congregationis, cujus præter Sacræ Theologiæ Magiſterium, atque inſignem Canonum peritiem, necnon munus Confeſſarii Monialium inſignis Parthenonis Sanctæ Mariæ in Monte propè Variſium plures per annos laudabiliter geſtum, unde ad Parochialem Eccleſiam Oppidi Robecchi tranſlatus eſt, nihil aliud novimus, id tantùm referente Picinello, licèt nullam poſthabuerimus diligentiam, ut uberiora dare liceret, quæ Lector ab aliis expectet.



Digitized by Google

Edidit :

I. Iſtoria del Sacro Monte ſopra Vareſe. *Milano, preſſo Ponzio, e Piccaglia*, 1614. *in* 8.
II. Vita della B. Cattarina da Pallanza. In eod. Libro. Hanc quoque in Latinum ſermonem verſam ediderunt Cl. Bollandiſtæ in Tomo I. menſis Aprilis pag. 644.
III. Vita della Beata Giuliana. *Ibid.*
IV. Vita di Benedetta Biuma. *Ibid.*
V. Vita di Lucrezia Alciata. *Ibid.*
Ex ſupradicto Picinelli Athenæo pag. 144.

## MDCLXXIX.

## THADO.

THado Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus (quem Carolus de Venaſque in arbore Genealogica Familiæ Grimaldæ, hujus Familiæ germen fuiſſe contendit, de quo tamen alibi de cognominibus jam dicta repetimus) tam præclaris doctrinæ ſplendoribus eluxit, atque eruditionis radios effudit; ut paſſim Sapiens & diceretur, & haberetur. Proximè poſt Angelbertum hujus Metropolis Præſulem electus eſt Antiſtes anno DCCCLI. & traditum ſibi gregem piiſſimè pavit. Magnæ enim probitatis merito à Nicolao hujus nominis I. Summo Pontifice Sanctiſſimus frater appellari meruit in litteris ad ipſum datis, & infra memorandis. In cauſa Engeldrudis uxoris Comitis Boſonis, quæ ſatis nota eſt omnibus in Eccleſiaſtica hiſtoria vel tantillum verſatis, proprio diffidens judicio, accitis ex univerſa Provincia Suffraganeis Epiſcopis Concilium celebravit, quod etiam ab Apoſtolica Sede admittendum curavit. Hac ſuper re ſic Nicolaus I. ait: „ Scriptum ſuper hoc „ propriis manibus roboratum efferentes, & ſenten- „ tiam, quam à Sede Apoſtolica in Engeldrudam „ uxorem Boſonis Sanctiſſimus Frater noſter Archie- „ piſcopus Mediolanenſis Thado, & cæteri Epiſcopi „ noſtri petierunt admittendam &c. Quinimmo Pontifex idem tanti habuit Virum hunc in ſacris Canonibus verſatiſſimum, ut de graviſſimis Eccleſiæ negotiis ipſum quandoque conſuluerit. Id apertè patet legentibus Gratiani Decretum parte II. cauſa XVII. quæſt. IV. can. IV. de Presbyterorum flagellatoribus, ut plenius infra dicemus. Ambroſianæ Eccleſiæ Ritus adauxit, inſtituto Exaltationis Sanctæ Crucis Feſto, quotannis primo menſis Octobris Sabbatho celebrando. „ Quod Officium (inquit Beroldus) fit pro „ Exaltatione Sanctæ Crucis, ſecundùm judicatum „ Thadonis Sapientis, quod inſtituit pro remedio „ animæ ſuæ. „ Et poſt pauca: „ Finito Veſpere to- „ tus Chorus major honorificè debet habere fruges „ & vinum datas ab Abbate Sancti Ambroſii, qui „ tenet beneficium, quod judicavit prædictus Sa- „ piens Thado &c. „ In Baſilicam & Monaſterium Sancti Ambroſii hujus Urbis munificus fuit, & petente ipſius Cœnobii Abbate, ipſi plura contulit ornamenta. Sedit annos VI., atque abiit è terris anno DCCCLXIX., quamvis eruditiſſimus Vir Carolus Sigonius lib. V. de Regno Italiæ vitam ejus protrahat ad annum uſque DCCCLXXV., quod à veritate quàm ſit alienum, facilè agnoſcent qui Mediolanenſium Præſulum Indices conſuluerint. Sepultus jacet in ſupramemorata Baſilica Ambroſiana.

Hæc doctrinam illius commendant :

I. Synodus Provincialis in cauſa, de qua ſupra meminimus, Engeldrudis. Ea quidem, quod ſciamus, non extat; verumtamen de ipſa habemus teſtem prælaudatum Nicolaum I. Summum Pontificem in Epiſtola ſua LVIII.
II. Conſultationis Thadonis noſtri ad eundem Papam Nicolaum mentio eſt apud Gratianum loco citato. Ubi etiam habetur ejuſdem Pontificis ad Thadonem Epiſtola.
III. Judicatum, ſive Conſtitutionem ipſius pro Feſto Exaltationis Sanctæ Crucis in Ambroſiana Eccleſia inſtituto, memorat Beroldus apud Puricellum in Diſſert. Nazariana cap. LXXXII. num. I. & ſequentibus, ubi plura de Thadone ipſo toto capite ſcribit.
IV. Ejus Diploma datum menſe Febr. anno DCCCLXVII. favore Monaſterii Ambroſ. extat apud eundem Puricell. in Monum. Baſilicæ Ambroſ. num. CXV.
Meminerunt tanti Antiſtitis Scriptores omnes rerum Mediolanenſium. Petrus Pithæus pag. 863. Ughellus in Ital. Sacr. Tom. IV. in Archiep. Mediol. Sitonus noſter humaniſſimus in Schedis, aliique permulti.

## MDCLXXX.

## THEODORUS.

THeodorus hujus nominis Secundus Mediolanenſium Antiſtes, poſt obitum Sancti Benedicti ejuſdem Eccleſiæ Præſulis, quem ſuo laudavimus loco, Cathedram aſcendit circa annum Chriſti DCCXXV. Cùm autem ob Barbarorum furorem Ambroſianos Ritus confuſos repeririſſet, eos ad priſtinam revocavit dignitatem, adeout Sanctus Carolus in Bulla præfixa Miſſali Ambroſiano Theodorum inter eos numeret, qui de hujus Eccleſiæ Ritibus optimè meriti ſunt. Sanctum Bonifacium Germanorum Apoſtolum, inde cùm regrederetur, hoſpitem habuit. Sibi commiſſam Eccleſiam optimè rexit annos XIV. Cùm verò mortalitatem depoſuiſſet, ſepultus eſt in Monaſterio Horonæ, quod Soror ejus Horona à ſe excitatum proprii nominis appellatione ſignaverat. Monaſterium autem hoc Horonæ ſine Auronæ ſurgebat eo loco, ubi nunc ſedem habent Moniales Capuccinæ Sanctæ Barbaræ. De conſecratione verò Capellæ, ſive Eccleſiæ ejuſdem Monaſterii, hæc leguntur in Diplomate Anſelmi IV. Archiepiſcopi, an. MCXCIX. „ Ego Anſelmus Archiepiſcopus ſuſte Paſtorali deſi- „ gnavi Capellam in horto ejuſdem Monaſterii San- „ ctæ Auronæ juſta murum Civitatis ædificandam ab „ ipſa Abbatiſſa &c. „ Ibi multa quoque leguntur de Sacrarum Virginum diſciplina. „ Dat. XV. Mar- „ tii in Curte Monaſterii Sanctæ Auronæ. „ Illud autem extat in Collectione Sormani. At Theodorus Rituum eruditione præſtans Matutini Officii myſteria, cœremoniaſque more Ambroſiano ſolemnes libro enucleatè perſcripſit,

Cujus titulus eſt :

I. Theodori Mediolanenſis Antiſtitis Expoſitio Matutinalis Officii Ambroſiani. Illud edidit Petrus Caſola Baſilicæ Metropolitanæ Canonicus Ordinarius, unà cum Breviario Ambroſiano, foliis grandioribus, anno 1490. typis Mediolanenſibus, impreſs in pergameno. Huic Operi Caſola hæc verba præfixit: „ Sic ad majorem „ devotionem legentium, ac celebrantium Divina Offi- „ tia promovendam: ponitur Speculum Matutinalis „ Offitii: juxta morem Beatiſſimi Ambroſii. Et ne „ careat auctoritate: editum fuit à Beato Theodoro Ec- „ cleſiæ Mediolanenſis Præſule. „ Habetur etiam MS. in fol. apud Canonicum Jo. Andream Iricum.
Meminit hujus Operis Tabula Epiſcoporum Mediolanen. in Actis hujus Eccleſiæ conſita num. 45. Beſutius in Hiſtoria Pontificali eodem numero.
II. Ejuſdem Theodori Scripta de Antiphona ſepties repetenda ad Crucem eo tempore, quod Adventui Domini eſt dicatum, citat, & diligenter examinat Anonymus quidam Mediolanenſis in Diſſertatione MS. in fol. pagg. 9., quæ extat apud Canonicum Joannem Andream Iricum prælaudatum.
Agunt de eo Ughellus in Ital. Sac. Tomo IV. in Archiep. Mediolanenſib. Acta Eccleſiæ Mediol. Parte VI. Papebrochius in Propyleo præfixo Tom. VII. SS. Maji. Clariſs. Saxius noſter in Hiſtoria Typographica Mediol. huic Operi annexa, aliique plurimi.

MDCLXXXI.

Digitized by Google

## MDCLXXXI.

## THOËSCUS ANTONIUS.

EOs inter, qui ex Clericorum Seminario à Sancto Carolo in hac Metropoli inſtituto, tamquam uberiores fructus prodiere, eſt juremeritò recenſendus Antonius Thoëſcus, quem promiſcuè nunc Joannem Antonium, nunc Franciſcum Antonium vidimus nuncupatum. Juvenis adhuc ea dedit tot inter adoleſcentes Eccleſiaſticæ militiæ adſcriptos probitatis atque ingenii ſublimis ſpecimina, ut propterea ab optimo morum ſcrutatore Federico Cardinali Borromæo ſeligi meruerit, qui in Congregationem Oblatorum S Ambroſii traduceretur. Recurrente igitur die II. Aprilis anni à partu Virginis MDCII. quo ſecunda Feria Paſchalis ſolemnitatis celebrabatur, memoratus Præſul ad S. Sepulchri Templum ſe contulit, ubi Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento cooptandis in Congregationem adminiſtrato, octo Seminarii Alumnos, quos inter tertium tenebat locum Thoëſcus noſter, ad emittenda oblationis, atque obedientiæ vota recepit; qua re abſoluta, in Oratorium ſeceſſit, præcedentibus Oblatis, ibique Sermonem habuit de puritate intentionis, quam omnes Oblati in ſua vocatione habere debent, quemadmodum colligitur ex Libro Act. ejuſdem Congregat. ſignato A. pag. 88. Idem Purpuratus Antiſtes die XXIV. Maji ſequentis anni ad Subdiaconatus Ordinem Thoëſcum promovit, qui demum die V. Martii anni MDCV. Sacerdos eſt conſtitutus; nec diu poſt Librum edidit infra indicandum, cùm jam Sacræ Theologiæ laureâ donatus fuiſſet. Vacante poſtea cura animarum in Parœcia S. Mariæ Pedonis, ſeu, ut aliis placet, Podonis, ſub qua paternas ædes Borromæa tenebat, & adhuc tenet nobiliſſima Domus, huic Eccleſiæ Federicus Archiepiſcopus Thoëſcum præfecit; quam diligenter adminiſtravit, quouſque quadrageſimum ætatis ſuæ annum vix attingens vivere deſiit, priuſquam ab eodem Cardinali Eccleſia ipſa erecta fuiſſet in Collegiatam, Parocho in Præpoſitum commutato, additiſque Canonicis, quod comprobatum fuit Apoſtolicæ Sedis litteris ſub anno Domini MDCXXVII. Reperitur etiam alter Antonius Thoëſcus, forſitan laudati ex fratre nepos, pariter Seminarii Alumnus, qui dictante Clariſs. Viro Jo. Petro Puricello Theologicam ſcientiam ſcripſit, & in IV. Volumina redegit annis MDCXLVIII. & ſeq. ut in Elogio Puricelli ejuſdem jam indicavimus.

Senior Thoëſcus hunc ingenii ſui fœtum vulgavit, nempe:

I. De Invocatione Sanctorum, Tractatus, Auctore Franciſco Antonio Thoëſco S. T. D., & Congregat. Sancti Ambroſii Oblato. *Mediolani, apud Pontium*, 1607. *in* 8.

Laudatur à Julio Cæſare Bonomio Congregat. Oblatorum Cancellario, in libro, cui titulus: Status Oblatorum MS. ſignat. AA. in Domo S. Sepulchri ſervato, ubi ad annum MDCII. ita legitur: „ Gio. Antonio Toeſco, Curato di S. Maria Pedone, Uomo di Lettere. „ Nec parvi æſtimandum eſt hoc breve elogium, cùm veteres ejuſdem Congregationis Cancellarii parcè nimis ſuorum laudes conſcripſerint; unde ſi modeſtiam, atque ab Inſtitutore ſuo hauſtam humilitatem laudare cogimur, perditam longo temporis intervallo tot clarorum Virorum notitiam deflere, ac quodammodo criminari compellimur.

## MDCLXXXII.

## THOMAS.

THomas, cui à patria Mediolano, pro conſuetudine Aſcetarum, inditum fuit Cognomen, Ordinis Prædicatorum Regulam ſub XV. Sæculi finem amplexus, in Cœnobio Suorum apud Sanctam Mariam ſub titulo Gratiarum floruit. Vir fuit eleganti præditus ingenio, & inter alia politioris litteraturæ ornamenta, Mathematicas coluit diſciplinas. Harum gratiâ magnum ſibi comparavit nomen Sæculo XVI. ineunte. Supremum illius annum neque Altamura, neque Rovetta tradidere, quorum tamen primus ipſum recenſet ad annum MDX., alter verò ad annum ſequentem.

Scripſit, quæ hîc memoramus Opera:

I. Epitoma de proportionibus motuum. MS.
II. De Sphera. MS.
III. Opuſcula alia de re mechanica. MSS. Omnia in Bibliotheca prædicti Cœnobii Sanctæ Mariæ Gratiarum Mediolani.

Laudatur à prædictis Altamura, & Rovetta, atque ex eis à Quetif, & Eccard in Biblioth. Script. Ord. Præd. Tomo II. pag. 24.

## MDCLXXXIII.

## TIGNOSIUS ANGELUS FRANCISCUS.

CEleberrimo Ordini Servorum Beatæ Mariæ Virginis ſe adſcripſit Angelus Franciſcus Tignoſius forſan filius Joannis Baptiſtæ, cujus Sepulchrale Elogium legitur in Templo Sancti Franciſci hujus Urbis ſequentibus notis, ex quibus facilè argui poteſt Angelum Franciſcum unicum ejus liberum extitiſſe, ideoque poſtquam ipſe ad Religionem migraſſet omnia ſua bona in pauperes erogaviſſe.

D. O. M.
IOH. BAPTISTAE TIGNOSIO
QVI SCRIBAE MVNERE
APVD SENATVM MEDIOLANENSEM
INCVLPATE FVNCTVS EST
FORTVNASQVE SVAS OMNES
PAVPERIBVS ALENDIS
ET VIRGINIBVS
IN MATRIMONIVM COLLOCANDIS
MORIENS PERPETVO EROGARI IVSSIT
PROBITATIS AC PIETATIS MONIMEN
FAMILIARES POSVERVNT
OBIIT PRIDIE CALENDAS IVNII MDXLII.

A Picinello, ut optimus Theologus, atque egregius Concionator laudatur Angelus Franciſcus, de quo Sui Ordinis Sodales etiam ſæpè rogati, nec tantillum nobis dederunt, ideoque nec acta, nec annum mortis à nobis expectet Lector benevolus; nam Opera ipſa fortuitò damus, utpote quæ præ manibus in evolvendis maximo labore tot Codicibus variarum Bibliothecarum nobis ſors obtulit.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſunt :

I. Pronoſtico , e Diſcorſi Spirituali ſopra l'anno MDLXXXVI. *Milano, preſſo Pacifico Ponzio*, 1586. *in* 4.
II. Abcedario di alcune ſimilitudini tolte dalla Scrittura, ed applicate a Maria Vergine , diviſo in XXX. Diſcorſi. *Milano, preſſo il Tradate*, 1598. *in* 8.
III. Regio Diadema di XII. pietre prezioſe per eſpoſizione del Cantico Salve-Regina , diviſo in XII. *Lezioni*. *Milano*, 1600. , *e* 1603.
IV. Statua di Maria Vergine. Diſcorſi Sacri. *Milano, preſſo il Tradate*, 1605.
V. Cœleſte Connubium ex Angelica Salutatione excerptum, Auctore Angelo Tignoſio . *Mediolani* , *apud Tradatum*, 1606. *in* 4.
VI. Quareſimale. Quod typis paratum habebat, teſte Picinello.
De eo Maraccius in Bibliotheca Mariana, Tom. I. pag. 38. atque ſupradictus Picinellus in Athenæo pag. 35.

## MDCLXXXIV.

## TIGNOSIUS RAPHAEL.

RAphaël Tignoſius Mediolanenſis , honeſtiſſima natus eſt Familia (ex qua jam exeunte Sæculo XIV. prodierat Franciſcus Marci filius, & Juris Conſultus Collegiatus hujus Metropolis , in ampliſſimum eum Cœtum cooptatus anno MCCCLXXXV., poſtmodum Patriæ Decurio , præclariſque aliis muneribus functus ) & quamvis Sacris eſſet miniſteriis inter Clericos mancipatus , cùm tamen legum peritiem profiteretur , & in Utroque Jure Lauream fuiſſet promeritus , calamum à legalibus rebus conſcribendis abſtinere non potuit , præſertim cùm de Principis ſui Juribus ageretur . Prodierat anno MDCCIX. è prælis Meſſanenſibus Opus quoddam Siculi Eruditi ex Ordine Prædicatorum ſub nomine Colirii è tribus (ut Auctor metaphoricè loquebatur) ſimplicibus compoſiti . Hujus libri argumentum erat Philippi V. ſuper Hiſpaniarum Regna jus aſſerere . Quocirca Tignoſius noſter Caroli III. ejuſdem Monarchiæ Regis, qui ad Imperialis Dignitatis evectus faſtigium Caroli VI. nomen aſſumpſit , jura ſervare ſtuduit , Opere mox recenſendo .

Illud eſt :

I. Apologeticus Diſcurſus Politico-legalis in Colirium R.P.N. de Januariis Meſſanenſis manipulatum . Hunc typis paratum habuiſſe anno MDCCXII. Auctorem ipſum, cui animus erat labores ſuos prælaudato Carolo VI. Auguſto dicare cognovimus.
Ex Ephemeride Litteratorum Italiæ, Tomo X.

## MDCLXXXV.

## TINCTORIUS B. GERARDUS.

GErardus Tinctorius in Inſigni Modoëtienſi Oppido , genere non ignobili ortus, à puero Patre orbatus , abſtinentiæ , humilitatis , & miſericordiæ operibus toto , quo vixit tempore , ſe exercuit. Noſocomium in Patria juxta Flumen Lambrum fundavit, attributa de Paternis bonis dote . In hoc pio loco ferventiſſimus Dei famulus ægris tam cœleſtia, quàm humana ſedulus miniſter pluribus impertitus eſt annis, adſcitis in Sodalitium quoddam Viris aliquot pietate præſtantibus . Multis claruit miraculis, quæ fuſiùs recenſentur in ejus Actis apud Bollandiſtas ad diem VI. Junii . Quievit in Chriſto anno MCCVII. eadem die VI. Junii , ut ipſe paulò ante prædixerat, ætatis ſuæ anno LXXIII. Innocentio III. Summo Pontifice. Sepultus fuit in Eccleſia S. Ambroſii in Patria, quæ ab eo Sancti Gerardi dicitur. Jacebat olim in marmoreo ornatiſſimo tumulo , hac Inſcriptione adjecta :

SANCTO GERARDO DE TINCTORIBUS
HVMILITATIS ET PVDICITIAE SINGVLARIS VIRO
MIRIFICAE CHARITATIS IN PAVPERES
QVIBVS FOVENDIS PVBLICVM VALETVDINARIVM EXTRVXIT
PRAEDIISQVE LOCVPLETAVIT
MIRACVLORVM GLORIA CLARISSIMO
TANTO CIVI TAM BENEMERITO
PATRI PATRIAE
MONVMENTVM HOC PRIORE MVLTO ILLVSTRIVS
MODOETIA BENEFICIORVM MEMOR
PONI MAND. ANNO MDCXXII.

At Contribulum ſuorum pietas ſacra Gerardi Oſſa inde extracta anno MDCCXL. die XXIV. menſis Julii , accedente majorum decreto, in Urnam argento , chriſtalloque pellucida exornatam transferenda , & collocanda curavit . Inſpexerat Gerardi Corpus Sanctus Carolus Borromæus , ejuſque precibus permotus Gregorius XIII. in Eccleſia Modoëtienſi Officium de eo duplex recitari conceſſit .

Hæc reliquit :

I. Statuta de cuſtodia, regimine, cura, electione Miniſtri, de receptione Converſorum, & viſitatione infirmorum pro Noſocomio à ſe condito , an. MCLXXIV. exarata. Extant in Actis publicis Fundationis ejuſdem , quæ ſunt apud Bolland. loco citato.
Extant ibidem depoſitiones teſtium ſuper cultu & miraculis ejus, coram Carolo à Baſilica Petri à S Carolo Delegato , anno MDLXXXII. dieque XXVII. Auguſti receptæ .
Ejus Acta, & miracula ſcripſit Anonymus Modoëtienſis, de quo jam diximus ſuo loco. Idem egit alter Anonymus recentior libro edito anno MDCCXL. Orationem habitam de rebus geſtis Sancti Gerardi à Joſepho Ferrario, citat Petrus Paulus Boſca in Notis ad diem XXVII. Januarii in Martyrologio Mediolanenſi, ubi aſſerit Socium Sancti Gerardi fuiſſe Beatum Manfredum Presbyterum & Eremitam Civem Mediolanenſem, quem ex Clariſſima Septaliorum Familia ortum eſſe , inter alios tradunt Bollandi Continuatores ad diem XXVI. Jan., præcipuè verò loquitur idem Boſca de Sancto Gerardo ad diem VI. Junii, ubi in Notis plura de eodem tradit, & Authores citat de ipſo ſcribentes.

MDCLXXXVI.

Digitized by Google

## MDCLXXXVI.

### TINELLUS PETRUS HIERONYMUS.

EO potiſſimùm tempore, quo Mediolanenſis Urbs diro peſtilentiæ morbo vexata recurrente poſt Chriſtum natum anno MDCXXX. ad ultimum pæne excidium redacta fuit, prima ſollicitudinis ſuæ, ac charitatis teſtimonia præbere cœpit Petrus Hieronymus Tinellus, eximii in patriam amoris Vir, jam Sacris initiatus, poſt diligens Philoſophiæ nec non Theologiæ ſtudium in Collegio Braydenſi Patrum Societatis Jeſu, ob cujus poſtremæ peritiem Doctorali Laurea donatus fuerat; Animarum enim ſaluti conſulens, nihil omiſit, ut vitæ etiam periculo ſacram Pœnitentiæ expiationem infirmis, ac morti proximis ſollicitè impertiretur. Cùm prorſus tam dira lues ab hac Regione exceſſiſſet; non deſtitit Tinellus ſuſcepta Sacerdotalis muneris officia diligenter implere; ideoque illi demandata fuit animarum cura in Parœçia SS. Prothaſii & Gervaſii, quæ appellatur ad Monachos, ea nempe de cauſa, quòd Benedictinorum ibi olim adeſſet intramuranum Cœnobium, ex quo major Monachorum pars ad extramuranum Sancti Simpliciani proceſſit, & poſt diuturnioris temporis decurſum omnes tandem Sancti Benedicti Aſſeclæ eò ſe contulerunt, ut pluries in hocmet Opere fuit indicatum. Cura animarum ad hanc Parœciam ſpectantium, quinimmo & ad alteram Sancti Cypriani appellatam, à Sancto Carolo Apoſtolica auctoritate prædito extinctam, duobus Rectoribus commiſſa fuit, ut quæ ad Portam Novam portio ſpectat, uni ex ipſis, quæ ad Comenſem. alteri ſit attributa. Primam harumce portionum poſt obitum Theodori Carentii adminiſtravit Tinellus, ut ex Libris Matrimoniorum eruitur, à die Julii tertio anni MDCXXXIV. uſque ad ſeptimum Februarii anni MDCLXIX, quo in munere Eccleſiæ ſuæ decorem augere ſatagens, Templi ſtructuram ad eam auri, & ſacrarum imaginum majeſtatem perducendam, quæ nunc uſque viget, conſilio promovit, & opere. Cùm Redemptoris Crucifixi Sacellum adhuc incompoſitum, inornatumque offendiſſet, Luciæ Medæ piæ mulieris, ſuæque curæ commiſſæ animum flexit, ut quod pretii deerat ad complendum opus, libentiſſimè ſupremis tabulis aſſignaret, die XIX. Auguſti MDCXXXIX. confectis, & à Franciſco Boſſio Mediolani Notario expletis. Unum nunc uſque ſupereſt æs Campanum Tinelli nomine ſignatum, & duo Sacra ad lucis ortum, ac prope meridiem quotidie in eadem Eccleſia celebrantur, quorum erectionem præfata mulier, ſuadente Tinello, pecuniâ ſuâ decrevit, eique, nec non ejuſdem ſucceſſoribus, fiduciario nomine diſponenda commiſit. Tot inter curas ad Eccleſiæ cultum ſpectantes, mentem quoque convertit Tinellus ad Latinam, Italicamque Poëſim, cujus adeſt indicium in Opere ad calcem deſignando, licèt vanâ prorſus diligentiâ conquiſito, ut ſpecimen ſaltem quorumdam Carminum Lectoribus præberemus. Poſtquam triginta quinque annorum curriculo Parœciam miniſtraſſet, merito probitatis ac diligentiæ ſuæ à Clemente IX. Pontifice Maximo Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Thomæ Apoſtoli, quam vulgus in Terra amara nuncupat, eſt deſignatus, uti eruitur ex Litteris Apoſtolicis die XV. Januarii anni MDCLXIX. ſcriptis; quibus etiam ad Eccleſiæ SS. Gervaſii & Prothaſii regimen ei ſubrogatur Gerardus Brambilla Metropolitanæ priùs Baſilicæ Pœnitentiarius. Canonicorum Collegio novæque Eccleſiæ aliquot annos optimè præfuit, famamque integerrimi ſedulique Rectoris adeptus ſenex obiit, in præ-



A taxata Sancti Thomæ Eccleſia condito ejus Cadavere.

Hic eſt Libri ab eo conſcripti titulus:

I. De rebus adhuc in bello geſtis à Ferrante Attendolo Bolognino. Poëmata Latina atque Italica Petri Hieronymi Tinelli S. T. D., & Parochi Sancti Prothaſii ad Monachos. *Mediolani, apud Ghiſulphum*, 1638. in 4.

## MDCLXXXVII.

B

### TIRELLUS ALBERTUS.

PEtrus Paulus Caravaggius ſenior, Vir Mathematicis ſtudiis celeberrimus, quem congruo jam commendavimus loco, plures in eadem facultate diſcipulos habuit, quos inter memorandus nunc venit Albertus Tirellus Arithmeticæ, atque Geometriæ Profeſſor. Hic ſub tanto Præceptore inſtitutus ita profecit, ut nedum ſibi, ſed aliis quoque didicerit. Nam ut adoleſcentes Concives ſuos Matheſis ſtudioſos juvaret, ad nunc enunciandum Opus conſcribendum ſe convertit; moxque in vulgus emiſit

C Hoc titulo:

I. Modo di raddoppiare ogni Triangolo rettilineo, e conſeguentemente ogni figura rettilinea, ſenza paſſare tanto nel coſtruire, quanto nel dimoſtrare i confini del primo Libro d'Euclide. Problema dato in luce ad utilità de' Giovani ſtudioſi degli Elementi d'Euclide, da Alberto Tirelli Milaneſe, che profeſſa Aritmetica, e ſi diletta di Geometria. *In Milano, nella Stampa di Lodovico Monza*, 1628 in 4.
Memoratur in Cinelli Bibliotheca Volante, pluteo IV.

## MDCLXXXVIII.

D

### TOLENTINUS CHRISTOPHORUS.

GEntis Tolentinæ Mediolanenſis Stemma Genealogicum nobis perhumaniter de more communicavit egregius Chronologus & J. C. Sitonus noſter, quod incipit à Nicolao pro Republica Florentina armigerorum Generali Præfecto, qui obiit anno MCCCCXXXV., & proſequitur uſque ad Chriſtophorum noſtrum, ejuſque deſcendentes. Carolus Nicolaus Tolentinus, & Anna Maria Fundria Conjuges ipſum genuere, qui veſtigia majorum ſuorum proſequendo Librum ſcripſit ut infra. Claruit & ipſe pluribus titulis inſignitus ab anno MDCLXII. ad MDCC. (E) Extat in Sacello Divi Auguſtini in Eccleſia Sanctæ Mariæ Coronatæ PP. Auguſtinienſium P. C. Mediolani Sepulchralis ex marmore Inſcriptio, ad ſervandam Joannis Tolentini memoriam poſita à Carolo Nicolao, genitore prælibati Chriſtophori junioris, de quo nunc agimus, tenoris ut ſequitur:

 D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

HIC IACET IOHANNES TOLENTINVS
ARMORVM DVCTOR
GENER AC CONSILIARIVS
ILLVSTRISSIMI FRANCISCI SPHORTIAE
DVCIS MEDIOLANI
OBIIT ANNO MCCCCLXX.
CVIVS MEMORIAM VETVSTATE COLLABENTEM
COMES NICOLAVS TOLENTINVS
COMITIS CHRISTOPHORI HAERES
DENVO ERIGENDAM CVRAVIT
ANNO MDCLX.

Scripſit Chriſtophorus, de quo loquuti ſumus,

I. Tractatum Hiſtoricum, & Genealogicum de Familia Comitum Tolentinorum Mediolani Patriciorum, ab anno MCCCX. ad annum MDCXCVII., deque aliis Nobilibus 100. Familiis cum Tolentina Gente per affinitatem conjunctis. MS. pagg. 456. in folio. Extat penes Comitem Franciſcum Tolentinum præfati Comitis Chriſtophori Authoris ex filio nepotem. Item penes Clar. Advocatum Joannem de Sitonis de Scotia.

Meminit ejuſdem Joſeph Benalius in Hiſt. Magiſtr. Extraord. pag. 176., & in Elencho Feudatar. Status Mediol. pag 63. & 83, necnon Advoc. Sitonus in Theathro Genealogico Sitoniano pag. 436. MS. in fol. penes Authorem.

## MDCLXXXIX.

## TOLENTINUS JOANNES.

Ex nobili Tolentinorum familia, de qua in Chriſtophoro mox à nobis laudato ſupra egimus, ortus eſt Joannes, qui parentes habuit Nicolaum Equitem auratum, Armigerorum ductorem, Ducalemque Conſiliarium, & Mediolani Decurionem, necnon Luciam Caſtillionæam, Guarnerii J. C. Collegiati filiam. Diem vidit primam anno reparatæ Salutis MCCCCLXXI. & non tantùm Græcis, Latiniſque litteris optimè excultus illuxit, ſed etiam in utroque Jure tam Pontificio, quàm Cæſareo; ideoque Cathedram Senatoriam aſcendere meruit anno MCCCCXCV. Inter Decuriones Mediolanenſes adſcriptus anno MDXIII. pluribus Feudis tam in Ducatu Urbini, quàm in Principatu Papienſi, & in Comitatu Alexandriæ donatus, quodque magis ad noſtram rem pertinet, Proſa ac Poëſi Latinaque eloquentia ſummè præditus, claruit uſque ad annum MDXVII. qui fuit ei ultimus. Jacet in Sacello D. Auguſtini ad familiam ſuam ſpectante, in Eccleſia S. Mariæ Coronatæ hujus Urbis, cum ſequenti Inſcriptione, apud quam legitur quoque illa parentis ſui Nicolai.

TOGA ET ARMIS
VALE TYDEA CONIVX
VALETE LIBERI
NEC TV DEINCEPS CONIVX
NEC VOS ERITIS LIBERI
IOHANNIS TOLENTINATIS
SENATORIS COMITIS EQVITISQVE
MDXVII.
ΚΥΡΙΕ ΡΥΣΑΙ
ΨΥΧΗΝ ΕΜΗΝ

Superſunt de ipſo:

I. Joannis II. Tolentinatis Equitis Senatoris Commentaria rerum potiſſimùm in Inſubria geſtarum ab anno MCCCCLXX. ad annum MDXII. MS. in pergameno egregio charactere, cum miniaturis, & auro in fol. adſervatur penès Comitem Franciſcum Tolentinum ejus poſterum.

II. Epiſtolæ Latinæ ad diverſos inſignes eruditione Viros ejuſdem Jo. coævos. *Mediolani*, 1511. *in* 4.

Inter eas adſunt nonnullæ ad ſubſequentes ejuſce ætatis Litteratos, videlicet:
Ad Andream Conradum Sacerdotem, Muſarum decus.
Ad Platinum Plattum inſignem Rhetorem, ac Poëtam.
Ad Balthaſſarem Tachonum Ducalem Cancellarium.
Ad Fratrem Baptiſtam de Spagnolis Mantuanum, Poëtam, Ord. Carmelitarum Priorem Generalem.
Ad Comitem Joannem Ludovicum Landum Placentinum, ejuſdem Uxoris fratrem.
Ad Lancinum Curtium, Poëtam eximium.
Ad P. Cornelium Scribonium.
Ad Stephanum Dulcinum Duc. Canonicum Scalenſem.
Ad Marcum Antonium Sabinum.

Præfati Comitis Joannis Tolentini litteris & armis conſpicui cum laude meminerunt Triſtanus Calchus in Nuptiis Mediolanenſ. & Eſtenſ. Princip. pag. 96. Franciſc. Sanſovinus in Hiſt. famil. illuſtr. Ital. pag. 281. Stephanus Dulcinus in Epiſtol. an. MDV. Lancinus Curtius in Sylvis: Frater Baptiſta Mantuanus Carmelita Poëmatum ſuorum lib. 4. ſub artic. Nicolaus Tolentinus, impreſs. *Mediol. an.* 1509. Advocatus Joannes Sitonus in Syllabo Senatorum artic. 217. pag. 12. impreſs., & in Theatro Genealogico Sitoniano pag. 436. in fol. MS. penès Auctorem. Comes Chriſtophorus Tolentinus in Memoriis hiſtoricis familiæ Tolentinæ pag. 238. MS. in fol. penès eundem Advocatum Sitonum.

## MDCXC.

## TONNIUS JOANNES.

Vallis Saxina pars non ignobilis eſt Ducatus Mediolanenſis inter Lacum Larium, & Agrum Bergomatum ſita. Paruit olim Turrianæ Gentis imperio, in eam etenim Vallem ſe receperat, poſtquam, Vicecomitibus favente fortunâ, hac Metropoli pulſa fuit. Plura ſunt ibi Oppida, & Pagi, quos inter Tolmetium Joannis Tonnii nunc laudandi patria computatur. Liberalibus hic diſciplinis excultus fuit, & ad hiſtoriam conſcribendam proclive habuit ingenium. Huic ut ſatisfaceret, Turrianæ Familiæ prædictæ vetuſta ſcrutatus monumenta, Opus infrà enunciandum compoſuit, in quo ejus Gentis nobilitatem, & Virorum ex ipſa ortorum præclara geſta latino ſermone deſcripſit. Quo floruerit tempore Auctor iſte

Digitized by Google

iſte Picinellus non prodit, ideoque deficientibus documentis plura dare nobis non licet.

Scripſit igitur:

I. De Familia Turriana. MS. hoc memorat citatus Picinellus, locum tamen ubi ſervetur non indicat.
Ita Picinellus in Athenæo pag. 381.

MDCXCI.

TONSUS BENEDICTUS.

Michaël Tonſus, à nobis paulò poſt laudandus, JC. Coll. Mediolanenſis, Ducaliſque Conſiliarius, atque Suſanna Archinta conjuges nobiliſſimi Benedictum, de quo nunc agimus, genuerunt. Exactâ laudabiliter inter litterarum rudimenta ſub optimis Præceptoribus pueritiâ; Legum ſtudia amplexus fuit Benedictus noſter, aſſumptâque Togâ inter Juris Conſultos Collegiatos meruit recenſeri anno MDX. Anno præcedente unà cum Nicolao Antiquario, Bernardino à Baſilica-petri, Jacobo Serennio, Joanne Jacobo Ruſca, Paulo de Balſamo, Franciſco Beſutio, & Franciſco de Homate, Legatus miſſus fuit

A à Patriæ Moderatoribus ad Ludovicum XII. Francorum Regem, ut ei recentem de Venetis victoriam Mediolanenſis Civitatis nomine gratularetur. Gratiſſimum extitit Regi hujuſcemodi officium, præcipuè tamen miratus eſt Ludovicus Orationem à Tonſo habitam coram pleriſque Principibus; quapropter ipſi nedum gratias egit, verùm etiam diſcedentem Rex ipſe proprio enſe accinxit, ſuaque ſponte Equitem creavit adſtantibus Cardinalibus Ferrarienſi, & Finarienſi, aliiſque pluribus Proceribus. Ea ſuper re Sebaſtianus Ferrerius Gallianici Dominus ad hujus Metropolis Præfectum, atque XII. Ædiles litteras, inferiùs enunciandas, dedit. In Patriam reverſus Tonſus Urbis Præfecturam geſſit anno MDXII. mox inter Quæſtores Magiſtratus Annonæ ſedit; cùmque majora in dies prudentiæ, atque eruditionis argumenta

B præberet, ab Octaviano Maria Sfortia Vicecomite Laudenſi Epiſcopo, Sacri in Italia fœderis Commiſſario, atque Ducatus Mediolanenſis Moderatore, circa annum Chriſti MDXXV. Senator, & anno MDXXVII. die IX. Novembris Cremonenſis Urbis Prætor adlectus fuit. At nondum expleto Præturæ biennio, IV. Nonas Aprilis anno MDXXVIII. fato conceſſit. Ei à Cremonenſibus ſumptu publico parentatum eſt ſolemniter, orante in illius funere Daniele Cajetano Cremonenſi Rhetore celeberrimo. Cadaver Templo S. Dominici ipſius Urbis inlatum, apud Aram maximam humo traditum fuit; hac Epigraphe impoſitâ:

D. M.

BENEDICTI TONSI M. F. MEDIOLANENSIS PATRITII

I. V. C. DVCALIS SENATORIS PRAET. EQV. PRO PRIN.

P. P. LACRYMOSA CREMONA P. I.

MDXXVIII. IV. NON. APRILIS

VIXIT AN. XLI. M. IV. D. VIII.

QVEM PATREM PATRIAE RAPVIT MORS IMPROBA TONSVM

LVGE VRBS VIX TALEM SECVLA LONGA DABVNT.

Ejuſdem pariter Benedicti ſuæque conjugis Camillæ de Zanchis olim filiæ J. C. Ambroſii Zanchii Ducalis Mediolani Senatoris, & Decurionis meminit Cœ-

C notaphium, quod in Templo Sanctæ Mariæ Braydenſis Mediolani conſpicitur, hiſce notis:

D. O. M.

CAMILLAE RARISSIMAE

PROBITATIS FOEMINAE

BENEDICTI TONSI SENATORIS

OLIM INTEGERRIMI

AMPLISSIMISQVE HONORIBVS PERFVNCTI

CONIVGI FIDISSIMAE

REPENTINO FATO EXTINCTAE

MICHAEL ET ALEXANDER TONSI

FILII PIENTISSIMI

MATRI DVLCISSIMAE POSVERVNT.

Laudatur ejus

I. Oratio ad Ludovicum XII. gratulatoria pro victoria de Venetis reportata, ut jam diximus. Hoc eloquentiſſimum hujus Auctoris Opus MS. apud ejuſdem poſteros ſervabatur, teſte Comite Octavio Archinto loco mox citando.

D Litteræ ſupradictæ Sebaſtiani Ferrerii ad Vicarium, & XII. Viros Proviſionum appellatos Urbis Mediolani, in quibus narrat, quæ ſupra diximus, de Legatione Scriptoris noſtri ad Regem Ludovicum, extabant olim apud Aloyſium ab Eccleſia hujus Urbis à Secretis in libro ab anno MDIII. ad MDXII. fol. 146. qui liber nunc reperitur in Archivo Proviſionũ Mediol. ubi etiam ſervantur Credentiales Litteræ Decurionum datæ die XXV. Maji, anno MDIX. Lau-

Digitized by Google

Laudatur Benedictus à Cavitello in Annalibus Crem. ad annum MDXXVIII. Lando in Senat. Mediol. pag. 201. Fanniano in Familia Tonſa, Ariſio in ſerie Chronol. Prætorum Cremonæ pag. 38. Moriggia in Hiſt. Antiq. Mediol. lib. IV. cap. 31. Comite Octavio Archinto in Collect. ſua MS. Monumentorum Familiar. Mediol. & doctiſſimo JC. Sitono in Chron. Collegii J. PP. Mediol. art. 361. pag. 84. & in Schedis.

## MDCXCII.

## TONSUS JOANNES.

JOannes Baptiſta Tonſus J. C. Collegiatus Mediolanenſis genuit Joannem, de quo agimus, qui Juribus tam Cæſareis, quàm Pontificiis totus deditus in primo ſuæ juventutis flore Braydenſem Præpoſitu-

A ram obtinere meruit donec Pontifex Max. Pius IV. Ordinem Fratrum Humiliatorum extinxit, quamrem Magnus Etruriæ Dux, ob amorem, quo Joannem Tonſum proſequebatur, miſertus, ipſum ad ſe evocavit, Prioremque conſtituit Religionis S. Stephani, & Crucem ejus Ordinis ei tribuit pro ſe, ac univerſa Tonſorum familia, Piſarumque Academiæ Præfectum declaravit. Gregorius item Pontifex XIII. non modicam penſionem Joanni noſtro donavit. Carolus quoque Emmanuel Sabaudiæ Dux à Conſiliis Status ipſum delegit anno MDXCIV. pingui eidem ſtipendio aſſignato, honoribuſque pluribus additis. In tam felici ſtatu Vir iſte ſtudia nunquam reliquit, præſertim in Carminibus condendis partim Italico, partim Latino ſermone, donec anno MDCI.

B mors eum è vivis ſuſtulit. Extat ejuſdem elegans mnemoſynon in Templo SS. Angelorum P. N. Mediolani, ut ſequitur:

IOHANNI TONSO
VIRO SINGVLARI DOCTRINA ET PRVDENTIA PRAEDITO
OB EGREGIAS ANIMI DOTES AC MORVM SVAVITATEM
SVMMIS PONTIFICIBVS GRATO
LIBRIS HISTORIARVM
LATINO ELEGANTIQVE SERMONE EDITIS
MIRIFICE COMMENDATO
A FRANCISCO MAGNO HETRVRIAE DVCE
GYMNASII PISANI
AC ECCLESIAE EQVITVM DIVI STEPHANI PRAEFECTVRA
ET MAGNAE CRVCIS SIGNO PRO SE
ET EIVS FAMILIA DECORATO
MOX A CAROLO EMMANVELE PHILIBERTO
ALLOBROGVM DVCE
AD CONSILIARII MVNVS ELECTO
GABRIEL TONSVS I. C. DECVRIO
VRBIS ITEM PRAEFECTVS
AGNATO CHARISSIMO
DEBITVM PIETATIS MONVMENTVM EREXIT
ANNO SALVTIS MDCIV.
OBIIT DIE III. NOVEMBRIS MDCI.

Superſunt ipſius:

I. Franciſci Panigarolæ Epiſcopi Aſtenſis Diſputationes, ſive Sermones adversùs errores, & hæreſes Calvinianorum Italicè conſcriptas, Joannes Tonſus Latinè reddidit, atque edidit *Mediolani*, *apud Pacificum Pontium*, *anno* 1594.

II. De Vita Emmanuelis Philiberti Allobrogum Ducis libri II. *Auguſtæ Taurinorum*, *apud Joannem Dominicum Tarinum*, 1596. *in fol.* Eandem in Italicum ſermonem vertit, atque edidit, teſte Fontaninio loco infra citando.

III. Vita Alphonſi Avalos Marchionis Vaſti, de qua ſic adnotatur in Hiſt. Poëſis Ital. Marii Creſcimbenii Vol. II. pag. 386. „ Una Vita latina, ed elegante MS. di que„ ſto grand'Uomo compoſta da Giovanni Tonſo (Toſo) „ era preſſo il Sig. Dottor Jacopo Facciolati in foglio „ d'eccellente carattere, ma i primi foglj avevano „ patito aſſai. „ Extat quoque Veronæ in inſigni Bibliotheca Scribanti.

IV. Carmina plura Latina ad Pium IV. Pontif. Max. ad D. Carolum Borromæum, ad Conſalvum, alioſque. Extant inter Carmina Nobilium Poëtarum edit. 1563. in 8.

V. Epiſtola ad Amicam. Carmen Latinum verſuum 164. Ext. in Tomo II. Carminum illuſt. Poëtar. Ital. edit. Pariſienſ. Jo. Matthæi Toſcani, de quo ſuo loco, pag. 219.

C VI. Ad Julianum Goſelinum Carmen, cum aliis II. item Latinis. Ext. in eod. Opere pag. 221. & ſeqq. ſicuti & in Tomo IX. Carminum illuſtrium Poëtarum Italor. editionis *Florentinæ* pag. 273.

VII. Carmina Italica, vulgò *Sonetti*. Extant in Collectione Dulcii Tom. II. pag. 663.

VIII. Alia duo item Italica extant in Tomo II. libri, cui titulus: „ Rime ſcelte di diverſi Autori. *Venezia*, *preſſo il Giolito*, 1588.

IX. Epiſtola Jo. Tonſi ad quemdam Excell. Anonymum Romæ commorantem & eruditum, nuncians ei quòd in Carminibus ſuis honeſtam mentionem ejus fecerit Julianus Goſelinus jam vita functus, quem vocat affinem, & amicum, & ſummis extollit laudibus. Mittit etiam eidem lib. Goſelini, cui titulus „ le Rime. Extat inter Epiſtolas Goſelini.

Inter iſtas *Venetiis* editas anno 1592. adſunt plures favore Joannis noſtri, quarum una ad Hiſpaniarum Regem, quem rogat, ut munus aliquot Scriptori no-

D ſtro conferat. Aliam verò ad Sabaudiæ Ducem, ut illum commendet eidem Hiſpaniarum Regi. Datæ ſunt Piſis anno MDLXXXV.

Ipſum Carminibus laudarunt Publius Franciſcus Spinula in lib. III. Poëmatum, & pluribus aliis in locis, Bernardinus Baldinus Ode Dicolos Diſtrophos, & Epigrammate in libro Luſus pag. 64. Jacobus Valerius duobus Carminibus in MS. PP. Teatinorum S. Antonii Mediolani, Aonius Palearius longo Carmine in Tomo VII. Carminum illuſtrium Poëtarum Italorum

Digitized by Google

rum pag. 41. & Jo. Matthæus Toſcanus in Tomo II. Carm. illuſt. Poëtar. Ital. edit. Pariſ. pag. 144. A

Aldi Manutii ad eundem Epiſtola Italica data Piſis I. Julii MDLXXXVII. Extat inter Epiſtolas Aldi editas *Romæ*, *apud Sanctem*, *& Socios*, 1592.

De Joanne Baptiſta Auctoris hujus patre extat Dictum memoriâ dignum in Libro inſcripto „ Oracoli de „ moderni ingegni sì d'Uomini, come di Donne. *Venezia*, *appreſſo Gabriele Giolito*, 1550. *pag.* 7. de quo in Hortenſio Lando, in Addendis dicemus.

Videndi quoque ſunt Poſſevinus in Appar. Sac. Tom. II. pag. 255. Abbas Ghilinus in part. II. ſui Theatri, Fontaninius in libro „ dell' Eloquenza Italiana „ editio III. pag. 612. Marius Creſcimbenius in Hiſtoria Poëſis loco ſupracitato, Sitonus noſter in Chronico J. PP. art. 661. pag. 163. & in Theatro ſuo genealogico pag. 441. MS. in fol. penès Auctorem, amiciſſimus Canonicus Iricus in Hiſt. ſua Typographica Tridinen. & tandem Picinellus in Athenæo pag. 331. B

## MDCXCIII.

## TONSUS MICHAËL.

INter Doctos Mediolanenſes meritò numerandus eſt Michaël Tonſus Joannis, & Margaritæ Crucejæ Conjugum filius, nam in Collegium J. PP. Patriæ cooptatus anno à Chriſti Nativitate MCCCCLXXX. optimum nomen ſibi acquiſivit in cauſarum patrocinio; deinde Fiſci Patronus effectus, paulò poſt Præfecturam Magiſtratus Annonæ, plaudentibus omnibus, obtinuit; Ducaliſque item Conſiliarius meruit effici. Sed non tantùm in Juribus emicuit, ſed in arte dicendi quantum ipſe valeret, ſatis ſuperque oſtendit Oratio ab eodem habita nomine Populi Mediolanenſis à nobis infra memoranda, & à pluribus eruditis Viris apprimè commendata. Ad plures abiit anno MDVIII. Ejus nomen laudatur in Epitaphio, quod in Templo SS. Angelorum P. N. Mediol. his notis conſpicitur inciſum:

MICHAELI TONSO<br>
MEDIOLANEN. PATRITIO<br>
IN IVRISCONS. COLLEGIVM COOPTATO<br>
ANNONAE PRAEFECTO<br>
LVDOVICI SFORTIAE DVC. CONSILIARIO<br>
PROAVO<br>
M. ANTONIO QVAESTORI ORDINARIO<br>
EXERCITVS FRANCISCI II. SFORTIAE DVCIS<br>
COMMISSARIO GENERALI<br>
AVO<br>
BENEDICTO I. C. AD LVDOVIC. ET FRANCISC.<br>
GALLIAE REGES LEGATO SENATORI<br>
PRAETORI CREMONAE<br>
LVDOVICO EQVITVM LEVIS ARMATVRAE<br>
ET VRBIS HASTAE PRAEFECTO<br>
PATRVIS MAGNIS<br>
HIERONYMO I. C. AEDILI DECVRIONI<br>
TERENTIAE PANIGAROLAE<br>
PARENTIBVS<br>
MICHAELI EQVITI DIVI STEPHANI<br>
ALEXANDRO EQVITI HIEROSOLYMITANO<br>
FRATRIBVS<br>
GABRIEL I. C. AEDILIS DECVRIO<br>
FRANCISCVS EQVES DIVI LAZARI<br>
BENEDICTVS ET M. ANTONIVS I. C.<br>
FRATRES TONSI<br>
SACELLO HOC EXTRVCTO ORNATO DOTATO<br>
SIBI ET POSTERIS P. MDLXXXXIII.

Habemus de ipſo :

I. Inſtitutionum Opus à Michaële de Tonſis Legum Doctore, emendatum, & editum. *Mediolani*, 1478. Videndus Cl. Saxius in Hiſt. Typogr. ad eundem annum.

II. Vota Fiſcalia. Memorantur inter Conſilia Rhaudenſis. Tom. I.

III. Oratio ab eo habita nomine Populi Mediolanenſis, coram Georgio de Ambaſia Cardinali, & Archiepiſcopo Rothomagenſi, Ludovici XII. Francorum Regis, & Mediolani Ducis Locumtenente, in Palatio Curiæ Veteris, anno MD. die XVII. Aprilis. Extat in Du-Mont Corp Diplomatique, Tom. III. Part. II. pag. 440. Eadem pariter Oratio, unà ſimul cum Reſponſione ad eundem habita, per Michaëlem Riccium J. C. Neapolitanum, ac Regium Conſiliarium nomine præfati Illuſtriſſimi D. Cardinalis de Ambaſia, dictis eiſdem die & anno, referuntur per tenorem à Federico Leonardo in Collectaneis Tractatuum & Fœderum Regum Galliarum, Tom. primi pag. 430. *Pariſiis*, 1693. *in fol.*, item à Roberto Gaguino in Hiſt. Francorum Cap. II. num. 2.

Videatur etiam ſæpè laudatus Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. pag. 59. art. 244. ubi plures alii Auctores citantur de Tonſo noſtro agentes.

## MDCXCIV.

## TONSUS TONSUS.

EX Joanne Baptiſta J. C. Collegiato Mediolanenſi, ac Abbate Sanctæ Mariæ Braydæ ortus eſt Tonſus Tonſus, Joannis Equitis S. Stephani à nobis jam laudati frater. Vir certè litteris adeò excultus, ut ab Eruditis ſui ævi paſſim celebrari meruerit, quos inter Hortenſium Landum, & Hieronymum Ruſcellum recenſemus, quemadmodum ex infra dicendis patebit. Orationem illius ſors mihi obtulit elegantiſſimam, Latinoque ſermone conſcriptam, tituloque ſignatam ſubter proferendo, quocirca Acta illius, præcipuè litteraria, annumque poſtremum inquirere curioſiùs cœpi, ſed fruſtra. Florebat verò anno noſtræ Salutis MDXLIII.

Hæc de illo primus quod ſciam profero:

I. Oratio de ſtudiis promovendis in Græcis litteris, fermè deperditis. Ad præſtantem, ac eruditum juvenem Antonium Ambiverum. *Ticini Regii, ſine Typographi nomine*, 1538. *in* 4.

II. Oracula, ſeu Dicta memorabilia. Extant in libro, cui titulus „ Oracoli de moderni ingegni si d'Uomini, „ come di Donne, ne' quali unita ſi vede tutta la Fi„ loſofia morale, che fra molti Scrittori ſparſa ſi „ leggeva. „ *Venezia, appreſſo Gabriel Giolito*, 1550. *in* 8. pag. 56. Auctor Libri eſt Hortenſius Landus, ut oſtendemus in Addendis.

Memoratur à Hieronymo Ruſcello in libro inſcripto „ Lettura ſopra un Sonetto dell'Illuſtriſſimo Signor „ Marcheſe della Terza, alla divina Signora Marche„ ſa del Vaſto. „ *Venezia, per Gio. Griffio*, 1552. *in* 4. atque in magno Theatro Genealogico Sitoniano MS. apud eundem, quemadmodum etiam ab Irico noſtro in Hiſt. Typographica Tridinen.

## MDCXCV.

## TORCHIUS HIERONYMUS.

HIeronymus Torchius Mediolanenſis, quibus parentibus fuerit in lucem editus, ignoramus, ſuſpicio tamen nobis eſt nepotem ex filio ipſum fuiſſe Hieronymi Torchii ſenioris, qui hujus Urbis Decurio extitit anno MCCCCXLVII. ut novimus ex Collectione Decurionali MS. apud amiciſſimum nobis JC. Joannem Sitonum, qui eandem ſummo labore

A è veteribus monumentis adornavit. Hieronymus igitur vix pubertatem ingreſſus ad Humiliatorum Ordinem ea tempeſtate florentem ſe convertit, atque in Braydenſi Cœnobio ſolemni profeſſione emiſſa, brevì tam Sacræ Theologiæ curriculum, quàm Juriſprudentiæ ſtudia perfecit. In ambobus hiſce diſciplinis lauream obtinuit, chariſſimus habitus ab Hippolyto Cardinali Eſtenſi, qui hujus nominis II. Eccleſiæ præfuit Mediolanenſi, quemadmodum peculiari articulo ſupra jam diximus. Corrigendum ideo Picinelli ſphalma, qui Torchium noſtrum gratiſſimum aſſerit fuiſſe Friderico Borromæo itidem Cardinali & Archiepiſcopo, cum hujus tempore Ordo Humiliatorum jam eſſet extinctus ob eas, quas Eruditi bene norunt, cauſas, imò Auctor noſter adhuc inter vivos agente Sancto Carolo migraverit è vita, ut mox dicemus.
B Nec minori erat gratiâ apud Franciſcum II. Mediolani Ducem, apud quem ob doctrinam, & vitæ integritatem plurimùm valebat, ſicut etiam apud ferè omnes ſacri Cardinalium Senatus Patres, cæteroſque Romanæ Curiæ Prælatos. In minoribus dum eſſet, & Braydæ Monaſterium incoleret, recurrentibus ſolemniis Circumciſionis Dominicæ cum aliquibus è ſuis Sodalibus ad aliud ſui Inſtituti Domicilium ſub titulo S. Mariæ de Canonica extra Portam novam, ſe contulit, ibique latinam habuit Orationem elegantem adeo, ut ejuſdem loci Præpoſitus hominis admirans ingenium, munere confeſtim reſignato, eum ſibi ſucceſſorem deligi poſtulaverit. Ea igitur dignitate potitus haud multo poſt ad officium Vicarii Generalis Suorum evehi promeruit; cùmque annos aliquot de
C univerſo benemeritus Ordine in eo inſumſiſſet gradu, anno MDXXXIII. jubente Clemente VII. Pont. Max. Generalis Magiſtri dignitatem obtinuit. Cùm autem ad annum uſque MDLI. Suis præfuiſſet, ne ambitiosè in munere perſeverare videretur, in Comitiis generalibus Cremonæ habitis ſe officio humiliter abdicavit, ſed repugnantibus cunctis, neque illius reſignationem admittentibus, onus iterum ſubire coactus fuit, præſertim cum Clemens Pontifex illi hujuſmodi honorem, quoad vivus foret, decreviſſet. A Paulo III. confirmationem Breviarii Humiliatorum impetravit, & Eques Sancti Petri creatus, pluribus in cauſis demandatam ſibi Apoſtolicæ Sedis authoritatem exercuit. Apud Cives ſuos magna fuit in exiſtimatione, ideoque omnium fermè Capitulorum, & Regularium Conſervator, pro illius temporis conſuetudine, fuit renun-
D ciatus. Ordinem ſuum rexit annos circiter XXII. atque migravit è vita menſe Septembri anno MDLII. Tumulatus jacet in Eccleſia prædicta Sanctæ Mariæ de Canonica, ubi vivens ſibi Sepulchrum ſtruxerat. Subdere hic lubet, quod Octavianus Piccius, à nobis alibi commendatus, & qui ab eo Humiliatorum habitum ſe aſſumpſiſſe teſtatur, de Hieronymo ſcribit loco mox citando, quem etiam ſecutus eſt amiciſſimus Vir Nicolaus Sormanus Ambroſiani Collegii Doctor in Opuſculo ſuo ante paucos hos annos edito, cui titulus „ Breve Storia degli Umiliati, pag. 109. Torchium ſcilicet Archiepiſcopum Urbis Syracuſanæ electum fuiſſe, & Diplomate Archiepiſcopatus vix recepto è vita migraſſe anno prædicto, additque Piccius „ Paulo III. Farneſio Pontifice Maximo „.
E At bonâ cum amborum veniâ, plurâ ſunt, quæ nos ab hac ſententia diſcedere cogant. Primùm quidem Paulus III. jam obierat anno MDXLIX. tum Syracuſana Sedes Epiſcopalis eſt, non Archiepiſcopalis; poſtremò, quod nos maximè movet, Syracuſis eo tempore ſedebat Antiſtes Hieronymus Bononia Panormitanus, Carolo V. eligente, & eodem Paulo III. confirmante, ad eam Cathedram evectus III. Kal. Maji anno MDXLI. qui cùm Epiſcopatum adminiſtraverit annos XIX. dies XVI. deceſſeritque die XVI. Julii MDLX. teſte Rocco Pirro in Notitia II. Eccleſiæ Syracuſanæ lib. III. col. 640. edit. *Lugd. Batavor. apud Vander-Aa*: fieri non poteſt, ut Torchius ad eam regendam Eccleſiam ſit electus circa annum MDLII. Cæterùm tantum Virum ad Sacram Purpuram

Digitized by Google

ram certiſſimè promovendum morte præreptum fuiſſe addit citatus Piccius.

Torchii verò eruditionem hæc teſtatam faciunt:

I. Conſtitutiones ab ipſo editæ pro reformatione Monaſterii Sanctæ Mariæ Magdalenæ ad Circulum, in Viſitatione habita die XXII. Martii MDXXXVII. Incipiunt: „ F. Hieronymus Torchius J. C., ac Divinarum Litterarum Doctor, Domus Sanctæ Mariæ della Canonica extra, & propè muros Mediolani Ordinis Humiliatorum Præpoſitus, ac ipſius Ordinis Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Magiſter Generalis &c.

II. Aliæ Conſtitutiones pro Reformatione ejuſdem Monaſterii, die XXII. Martii MDXLIII.

Extant ambæ autographæ ab ipſo Torchio ſubſcriptæ, & cum appoſito ſigillo, in Bibliotheca Ambroſiana in fol. in Codice ſignato C. num. 74.

III. Hiſtoriam Ordinis Humiliatorum ipſum ſcripſiſſe, quæ MS. in Ambroſiana Bibliotheca ſervetur, teſtis eſt Picinellus, addens in ea, licet barbaro ſtylo pro illius ætatis more, deſcribi Ordinis originem, progreſſum, favores in eum collatos à Cæſaribus, & Pontificibus, habitus mutationem, Monaſteriorum etiam Monialium erectiones, idque genus alia. Nos certè eam non vidimus.

Extat ad Torchium noſtrum Carmen Italicum Marii Piccii, ut in ejuſdem articulo diximus.

De ipſo agunt citati Octavianus Piccius in Chronico ſui Ordinis MS. & Picinellus in Athenæo pag. 351., necnon P. Mazzucchellus in Schedis.

## MDCXCV.

## TORNIELLA LIVIA.

Livia Torniella Philippi Mediolanenſis Senatoris, atque Antoniæ Gonzagæ conjugum filia, primam in hac Urbe lucem vidit. Inter bonas artes, & Poëſis, præſertim Italicæ rudimenta cùm adoleviſſet, Comiti Dionyſio Borromæo nupſit, formamque præclaram ſatis cum ſingulari pudicitia, & eruditione conjunctam habuit. Tam ſoluta, quàm vorſa Oratione plurimùm valuit Etruſca lingua. Dantis celeberrimi Vatis Opera ſæpiùs pervolutabat, dicere ſolita ſe Florentinorum Urbem, quòd tantum protuliſſet Virum, maximè venerari. Eruditos omnes ſic fovit atque dilexit, ut eam Joſeph Betuſſi cum Auguſto & Mœcenate comparare auſus fuerit, præclariſque ipſam laudibus Horatius Landus, Hieronymus Ruſcellus, Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia, & Gaſpar Bugattus celebraverint. At juvenili adhuc ætate florens, magno cùm doctorum Virorum, & univerſali Patriæ luctu migravit è vita circa annum MDLX. adhuc enim erat in vivis anno MDLVIII., quo eam inter Mediolanenſes Matronas ſanguine & virtute illuſtres, regnante Carolo V. Auguſto, citatus Bugattus recenſuit.

Habentur ejus:

I. Carmina plura Italica; in libro, cui titulus: „ Rime diverſe di alcune nobiliſſime, e virtuoſiſſime Donne, raccolte per M. Ludovico Domenichi. „ *Lucca, per Vincenzo Buſdrago*, 1559. *in* 8., *& iterum; Napoli, per il Buliſone*, 1695.

Eidem Joannes Baptiſta Gellius Florentinus Lecturam ſuam ſuper Carmen Italicum Petrarchæ nuncupavit.

Laudarunt præſtantiſſimam Poëtricam citati Betuſſus in Dialogis, Franciſcus Auguſt. ab Eccleſia in Theatro Feminarum eruditarum pag. 212. Bugattus in Hiſt. Univerſ. lib. VII. pag. 1024. Creſcimbenius in Comment. Poëſis Italicæ. Vol. IV. lib. II. art. LXV. pag. 111. Franciſcus Xaverius Quadrius Soc. Jeſu in libro ſuo: della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia. Vol. II. pag. 361. atque Sitonus noſter in Schedis, & Theatro Genealog. MS. pag. 440.

## MDCXCVI.

## TORNIELLUS CAROLUS.

Etſi Familia Torniella inter Nobiles Novarienſes adnumeretur, attamen Carolus Torniellus ex Jo. Franciſco Regio Syndaco generali in toto Mediolanenſi Dominio, in hac Urbe genitus eſt, qui eximiæ Societati Jeſu aggregatus fuit anno Domini MDXCIX. Ætatis verò XVI. Vota IV. juravit, & Profeſſionem emiſit, Rhetoricam, & àmœniores litteras quinquennio docuit; poſtea Theologiam moralem. Rexit Collegia Alexandrinum, Cremonenſe, Comenſe, & in hoc diem extremum religioſè clauſit die XII. Octobris, MDCXXX. Scripta illius fruſtrà quæſivi ubi deliteſcant, ideoque proferre tantùm coactus ſum Orationem ejuſdem, quam edidit

Hoc titulo:

I. Oratio in laudem S. Caroli Borromæi, habita Romæ in Æde S. Ambroſii coram S. R. E. Cardinalibus, die quo in Sanctorum numerum eſt à Paulo V. adoptatus IV. Novembris, anno MDCX. *Coloniæ, apud Joannem Kinkium*. Extat ea quoque apud Antonium Sanderum in Elogiis Cardinalium, Decade I. num. 11., & vidit etiam diem *Mediolani, apud Impreſſores Archiepiſcopales*, 1610. *in* 4.

Ex Sotwello pag. 135., & Schedis Sitonianis.

## MDCXCVII.

## TOSCANUS JOANNES ALOYSIUS.

Pluribus titulis commendandus eſt Joannes Aloyſius Toſcanus Luchini, & Blancæ de Capitaneis de Vicomercato Conjugum filius, nam J. C., Orator, Poëta, Advocatus Conſiſtorialis, & tandem Apoſtolicæ Cameræ Auditor laudatur ab infraſcriptis, aliiſque Viris doctiſſimis, inter quos Morigiam audiamus in lib. III. pag. 251. „ Or dirò come Matteo (veriùs Jo. Matthæus, de quo mox dicemus) ebbe un fratello nominato Gio. Luigi, il qual parimente fu un Archivo di ſapienza, e di memoria miracoloſo, e d'ingegno vivaciſſimo, il che per lo molto ſuo valore nella ſua novella età fu eletto dal Papa Avvocato Conciſtoriale, con ſtupore di tutta Roma. Onde in lode di lui furono ſtampate molte Medaglie di bronzo con la ſua effigie, e dal riverſo in alcune ſi veggono lettere, che dicono. *Prævenit ætatem ingenium præcox*; l'altre hanno il motto. *Incertum Juris Conſultus, Orator, an Poëta, præſtantior*. „ Doctiſſimus quoque Chartarius in Syllabo Advocatorum Sacri Conciſtorii teſtimonia Viri Cl. Gomezii pluribus in locis ſui libri de Regulis Cancellariæ adſert, ut ſequitur: *Ut refert Aloyſius Toſcanus, Vir illa ætate apprimè eruditus, & Advocatus Conſiſtorialis in Vol. I. ſuorum Conſiliorum*. In Reg. de Annat. q. 55. nuncupatur *antiquus Doctor Joannes Aloyſius Toſcanus Mediolanenſis*: In Reg. de triennal. q. 13. *Aloyſius Toſcanus Auditor Cameræ, Vir inſignis doctrinæ, qui antea Advocati Conſiſtorialis officio fungebatur*; In Reg. de publican. reſignat. q. 9. *Et latiùs hoc probat Joannes Aloyſius Toſcanus etiam illorum temporum Advocatus, & poſtea Auditor Cameræ in quodam Conſ. ſuo in cauſa Trecoren. poſito in I. lib. ſuorum Conſilior. fol. 96.*, & alibi pluries apud eundem Gomez, &c. Idem Chartarius teſtatur ſe vidiſſe aliud Nummiſma Joannis Aloyſii noſtri, in cujus priori facie effigies illius cernebatur capite laureato, in altera

verò

Digitized by Google

verò Palladis Simulachrum. Florebat anno MCCCCLXXIV., ſed quando diem habuit extremum, nemo nobis indicavit; vivit tamen adhuc in eis, quæ ſcripſit, quorum partem nos primùm proferimus.

Scilicet:

I. Conſilia Juridica. Teſte Gomezio, ex verbis ejuſdem ſupra relatis.
II. Conſilium ejus incipiens: Quia ſuper diſcuſſione, aliàs incipiens; per Excellentem &c. Allegatur à Mariano Socino ſeniore, poſt Conſil. CL. Vol. I. edit. *Tridinenſis*, 1516. *in fol.*, item editionis *Venetæ*, *apud Franciſc. Zilettum*, 1579. *in fol.* Ibi verò malè Auctor noſter dicitur Alexius, pro Jo. Aloyſio.
III. Jo. Aloyſii Toſcani Verſus in Ovidium. Ext. MSS. in Reg. Pariſien. Cod. 6620. Teſte Montfauconio, in Bibliotheca MSS. Tom. II. pag. 764.
IV. Ejuſdem Carmen ad Franciſcum Sfortiam. Ibid. MS. Cod. 6499. Teſte eodem.

Domitii Calderini Veronenſis Commentarii in M. Valerium Martialem cum defenſione finiunt. Impreſs. *Romæ, per Magiſtrum Jo. Genesberg*; auſpicio & favore excellentis Domini Joannis Aloyſii Toſcani de Mediolano Advocati Conciſtorialis, *anno Salutis MCDLXXIV. die verò Martis XXII. menſis Martii, ſedente Sixto Pontif. IV.*

Laudatur ab A. Sabino Poëta in ſuis Paradoxis juvenilibus, à Carthario ſupradicto in Syllabo Advocatorum Conciſt. pag 49. ab Advocato Sitono in Theatro Genealogico pag. 429. MS. in fol. penes Auctorem, & à Cl. Saxio in Hiſt. Typogr. ad annum MCCCCLXXIV., & demùm ab amiciſſimo Irico noſtro in Hiſt. Typogr. Tridin.

## MDCXCIX.

## TOSCANUS JOANNES MATTHÆUS.

MAgnum ſibi nomen acquiſivit Joannes Matthæus Toſcanus, qui frater fuit Joannis Aloyſii mox ſupralaudati, atque J. C. Eques auratus, Senator Romæ, nec non Gubernator Florentiæ, Bononiæ, ac Peruſiæ. Charus extitit Summo Pontifici Sixto IV. & Conjugem habuit Bartholomæam Petraſanctam Joannis filiam, cujus memoria ſupereſt in Eccleſia Aracœli in Urbe in magno marmoreo lapide cum Stemmatibus Toſcanorum, & Petraſanctarum, hiſque litteris:

MATTHAEVS TVSCANVS MEDIOLAN.
DOC. COMES EQVESQVE
ALMAE VRBIS SENATOR
SACRI CONIVGII MEMOR
BARTHOLOMEAE DE PETRASANCTA
V. FIL. PAREN. VXORI BENEMERITAE
S. P.
VIX. ANN. XXXI
OBIIT DIE II. IAN. MCCCCLXXXI.

Certum videtur Virum hunc præſtantiſſimum diem clauſiſſe ſub Sæculi XV. finem, vel ſubſequentis initium. Verumtamen illuſtre Gentis ſuæ decus revocavit in lucem Nepos illius Joannes Matthæus junior, de quo nunc agendum eſt nobis. Is à pueritiæ annis bonas artes coluit adeò, ut non latinam tantummodo linguam præter Italicam puriſſimam didicerit, ſed etiam Græcam, atque Hebraicam. Poëſim verò Latinam prætulit cæteris omnibus ſcientiarum ornamentis, quibus claruit, quod indicant ejus Opera inferiùs laudanda, ſedulumque ſtudium aliena quoque colligendi Carmina, Italorum præſertim Vatum, quos dignis Elogiis commendare curavit. Maximam vitæ ſuæ partem in Galliis tranſegit uſus benigno patrocinio Catharinæ Mediceæ Reginæ, cui aliquot Opera ſua inſcripſit; auditorque fuit Joannis Aurati Poëtæ Regii, cujus in diſcipuli laudem plura adhuc ſuperſunt Carmina latina. Eò fortè ſe contulit unà cum aliis affinibus ſuis, de quibus infra mentionem faciemus; nam plura ad Laurentium, quem Patruelem ſuum appellat, aliosque ſcripſit Epigrammata. In Gallia quoque videtur è vita migraſſe, quo anno tamen incertum, at poſt annum certiſſimè MDLXXVIII. ut ex Operibus liquet. Subjiciemus Inſcriptionis loco Octoſticon Petri Franciſci Bulgari de Auctore noſtro, quod legitur in Tomo I. Collectionis Carminum Poëtarum Italorum, Toſcano ipſo editore, pag. 70.

*Cede libens gentis Venuſinæ gloria Flacce,*
*Tu quoque Veronæ cede Catulle nitor.*
*Toſcana quidem prognatus ſtirpe, vetuſtum*
*Quæ tenet Inſubriæ maxima in Urbe locum,*
*Cum venia liceat Vates mihi dicere veſtra,*
*Quod jam vis veri non reticere ſinit,*
*Tantò conſurgit vobis in carmina major,*
*Quò Mediolano veſtra minor patria eſt.*

Hæc verò de ipſo damus:

I. Peplus Italiæ Jo. Matthæi Toſcani Opus, in quo illuſtres Viri Grammatici, Oratores, Hiſtorici, Poëtæ, Mathematici, Philoſophi, Medici, Juriſconſulti (quotquot trecentis ab hinc annis tota Italia floruerunt) eorumque Patriæ profeſſiones, & litterarum monumenta tum carmine, tum ſoluta oratione recenſentur. Ad Antonium Ebrardum Sanſuplicianum Epiſcopum, & Comitem Cadurcenſem. *Lutetiæ, in Officina Federici Morelli, Typographi Regii, in vico Jacobæo, ad inſigne Fontis*, 1578. *Cum Privilegio*. Et integrum dedit Jo. Albertus Fabricius in libro, cui titulus: „ Conſpectus Theſauri litterarii Italiæ. „ *Hamburgi*, 1730. *in* 8. Codicem manu Auctoris auctum, & emendatum habuit Vir illuſt. Raphael Trichetus Du-Freſne, ut à Philippo Labbeo notatum eſt.
II. Pſalmi Davidis, ex Hebraica veritate Latinis verſibus expreſſi à Jo. Matthæo Toſcano; quibus præfixa ſunt argumenta ſingulis diſtichis comprehenſa: Opera Joan. Aurati. *Pariſiis, apud Feder. Morellum*, 1575. *in* 8.
III. Joannis Matthæi Toſcani, octo Cantica Sacra, è Sacris Bibliis, Latino carmine expreſſa. *Pariſiis, apud eundem*, 1575. *in* 8.
IV. Hymni. Extant in eodem Libro.
V. Carmina plura Latina. Ibidem.
VI. In Libro, cui titulus: „ Dantis Aligerii præexcellentiſſimi Poëtæ de vulgari eloquentia, ex editione „ *Corbinelli Pariſiis*, poſt Carmina Joannis Aurati in commendationem Dantis, adeſt etiam Epigramma Joannis Matthæi Toſcani.
VII. Carmina illuſtrium Poëtarum Italorum; Jo. Matthæus Toſcanus conquiſivit, recenſuit, bonam partem nunc primùm publicavit. *Lutetiæ, apud Ægydium Gorbinum, Tom. II.* 1576. *in* 24.
VIII. Ad Reginam Chriſtianiſſimi Regis matrem Carmen Elegiacum. Extat in I. Vol. ejuſdem Operis.
IX. Ad illuſtrem Virum Proſperum Vicecomitem Mediolanenſem Carmen. Extat ibid.
X. Aliud ad eundem, cum iſtius Reſponſione. Ibid. pag. 272.
XI. Epiſtolæ II. ſatis eruditæ, altera latino ſermone ad Lectorem, altera lingua Italica „ Alla Regina madre del Re Criſtianiſſimo „ Ext. ibid
XII. Carmina ferè CLXXX. tam in laudem Poëtarum in eodem Vol. I. inſertorum, quàm de aliis argumentis, & ad Mediolanenſes nonnullos ſpectantia, videlicet: Ad Laurentium Toſcanum III. patruelem ſuum. Ad Paullum Toſcanum II. Ad Octavium Cittadinum Canonicum D. Petri Romæ. Ad Franciſcum Cittadinum Caſtrenſem Epiſcopum. Ad Cæſarem Toſcanum. Ad Aloyſium Crucejum Medicum. Ad Luciolum Toſcanum. Sequuntur de Jo Matthæo Toſcano Carmen P. F. Bulgari, & Ode P. G. Vaxis de eodem Toſcano.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Carmina illuſtrium Poëtarum Italorum Tomus II. *Pariſ. ut ſupra*.
XIV. Carmina II. ad Joannem Auratum Poëtam. Extant ibid.
XV. Carmen ad Lectorem. Ibid.
XVI. Carmina XIV. in laudem Poëtarum, quorum in hoc Volumine ſunt Poëmata. Ibid.
XVII. Marulli Poëmata à Jo. Matthæo Toſcano recognita, & aucta; in Tomo III. ejuſdem Collectionis Carminum illuſtr. Poëtar. quem paratum prælo habebat, ut legitur poſt titulum II Vol.

Celebratur ab Antonio Verderio in Supplemento Bibliothecæ Geſ erii, à Fontaninio in Libro „ dell' „ Eloquenza Italiana, editio III. pag. 182. Moriggia in Nobil. Mediol. lib. III. à Creſcimbenio in „ Comentarj della volgar Poeſia, Tom. IV. in Menagiana, Tom. III. pag. 46. à Carthario in Syllabo pag 49., à Sitono in Theatro ſuo Genealogico. MS. pag. 429., à Picinello in Athenæo pag. 311., & tandem ab Eminentiſſimo, doctiſſimoque S. R. E. Cardinali Quirino, Brixienſi Epiſcopo in Specimine Brixianæ Litteraturæ, par. II. pag. 123.

## MDCC.

## TOSCANUS LAURENTIUS.

Laurentius Toſcanus Mediolanenſis Aloyſii, & Luciæ Pecchiæ conjugum filius, majorum ſuorum veſtigiis inhærens, humanioribus litteris, Poëſi præſertim ſedulam navavit operam. Aliis etiam excultus fuit diſciplinis, neque à Græca lingua abhoruit. Ob ſingularem, qua pollebat, prudentiam apud Cives ſuos plurimi eſt habitus. Patruum nactus eſt Virum inſignem Paulum Toſcanum Archidiaconum, atque Vicarium generalem Epiſcopatus Cadurcenſis in Gallia, cui tunc præerat adminiſtrator Laurentius Toſcanus magnus Scriptoris noſtri Propatruus, Epiſcopus Lodevenſis, in Provincia Narbonenſi, nomine Pauli de Carreto electi Cadurcenſis; cùmque Paulus Toſcanus ipſe ab Hæreticis in ejus Urbis direptione captus fuiſſet, magno pretio à nepotibus Laurentio & Cæſare redemptus libertatem recuperavit, cui etiam poſtmodum defuncto, Elogium inferiùs dandum ipſi poſuere. Scriptor autem noſter ex Violanta Putea de Perego Uxore Cæſarem & Lucam genuit, qui ambo inter Equites Militaris Ordinis Sancti Stephani cooptari meruerunt. Quo anno defunctus fuerit nos latet, videtur tamen ad initium uſque Sæculi XVII. perveniſſe. En ſupra memoratum Elogium, quod adhuc cernitur in Cathedrali Cadurcenſis Urbis.

PIAE MEMORIAE ET SPEI SACRVM

PAVLO TOSCANO PERANTIQVA ET NOBILI APVD MEDIOLANENSES TOSCANORVM FAMILIA GENITO QVI OB EGREGIAM INDOLEM A LAVRENTIO TOSCANO PATRVO EPISCOPO LODEVENSI GALLIAM EVOCATVS CVM SVRGENTIVM SINGVLARIVM VIRTVTVM PROTVLISSET INDICIA SVMMA SVMMORVM VIRORVM ERGA SE STVDIA PELLEXIT VT A PAVLO CARRETO ALEXANDRO CARDINALI FARNESIO PETRO BERTRANDO FANO BALLAGVIERIO ANTONIO EBRARDO EPPPPP. CADVRCENS. AD PRIMI VICARII ET ARCHIDIACONI MVNERA FVERIT ASSVMPTVS ATQVE RETENTVS QVIBVS INTEGRITATE MIRA PARI FIDELITATE ITA FVNCTVS EST VT CREDERES ILLVM LARIVM PATRIORVM AMOREM IN REMP. CADVRCAM TRANSFVDISSE ET MAIORVM DIGNITATVM QVAS MVTATIS SEDIBVS PRAE MANIBVS HABEBAT OBLITVM FVISSE QVOD TAM PIVM FACTVM MISERABILI ET IMPROBO CASV ILLI CESSIT EXITIO NAM VRBIS CAPTIVITATE QVAM SAEPIVS ANTEA INCREDIBILI VIGILANTIA PROPVLERAT IPSE INTERCEPTVS EST POST DECEM MENSES QVIBVS PERPETVIS ET OMNI OPINIONE GRAVIORIBVS CARCERIS AERVMNIS AB HAERETICIS PRAEDONIBVS DISTORTVS FVERAT INGENTI AERE NIMIRVM CVIO AVREIS A LAVRENTIO ET CAESARE TOSCANIS REDEMPTVS EST NON QVIA SPES FORET CVM LIBERTATE ILLVM DIVTIVS HAC LVCE FRVITVRVM (QVIS TOT MALIS ATTRITVS DIV SVPERSTARET) SED VT POSSET RELIGIONE MAIORVM INTER SVOS LIBERAM ANIMAM EFFLARE QVIDEM POST X̄. DIES A LIBERATIONE MAXIMO CIVIVM DESIDERIO ET SVORVM MOESTITIA EXPIRAVIT KAL MART. A. S. H. MDLXXXI.

IIDEM LAVRENTIVS ET CAESAR TOSCANI FRATRIS FILII LVGENTES PARENTAVERE ET DE SVO POSVERE. VIXIT ANN. LXVIII. MENS. VIII. DIES IV.

Laurentii ipſius doctrinæ hæc ſuperſunt documenta.

I. Ritratto delle più belle Opere del Lomazzo. Poëma Italicum.
II. Carmina duo Italica, vulgò *Sonetti*, in laudem ipſius Lomatii.
III. Aliud ſimile Gallico Idiomate. Extant omnia poſt Vitam ejuſdem Lomatii à pag. 553. ad 555.
IV. Alia num. VII. ipſius Toſcani Carmina. Extant in libro inſcripto: Rime di Gianpaolo Lomazzo, de quibus in ipſo diximus.

Extat ad eum hoc Epigramma Bernardini Baldini in Appendice:

*Quod Tuſcane tibi ſunt noſtra Poëmata cordi,*
*Hinc aliquid Verſus arbitror eſſe meos.*
*Nam Cives locuples purgatis auribus hauris,*
*Et guſtas lepidi Carminis omne genus.*

In libro cui titulus: Carmina Illuſtr. Poët. Ital Tom. IX. pag. 325. Extat Carmen Jo. Matthæi Toſcani ad Laurentium Toſcanum Patruelem ſuum, itemque duo alia, pagg 344. & 381.
Aliud Jo. Pauli Lomatii prædicti, vulgari Mediolanenſium dialecto compoſitum in hujus libro inſcripto: Rabiſch.
Inter Opuſcula Hier. Moroni MS. apud March. de Sylva extat Epiſt. ad Laurentium Toſcanum in Galliis agentem. Data Mediolani XVI. Maji MDXV. Tom. II. pag. 236.
Menagiana Tom. III. pag. 45. Lettere di Bernardo Taſſo, Tom. I. pagg. 99. & 100.

Ejus cum laude meminit Paulus Moriggia in Nobilit. Mediol. lib. III., quemadmodum etiam Sitonus noſter in Schedis, & Theatro ſuo Genealogico MS. apud eundem.

## MDCCI.

## TOSCANUS RAPHAËL.

EX eadem Toſcana Mediolanenſi Familia, cujus hactenus laudavimus eruditos Viros, prodiit quoque Raphaël, quem nunc ſumus commendaturi. Acta illius nobis dare non licet, quoniam nihil omnino Picinellus, aliique Mediolanenſes Scriptores de ipſo narrant. Hoc unum novimus Raphaëlem hunc in Hiſtoria, præſertim Italicarum Urbium, atque Poëſi verſatum fuiſſe, quod ipſius Opera legentibus facilè patebit. Cæterum ex ipſarum lucubrationum editione cognovimus eum ſub finem XVI. Sæculi ad plures abiiſſe.

Scripta illius hæc ſuperſunt:

I. L'origine di Milano, e di ſei altre Città principali di quello Stato. Traddotta da Rafaello Toſcano in ottava Rima. All' Illuſtriſſimo Sig. Conte Pirro Viſconte. *Torino, appreſſo l'Erede di Nicolò Bevilaqua.* 1587.
Opus hoc inſeruit Julius Cæſar in libro ſuo Italico de Origine multarum Urbium Mundi.

II. Per la Creazione di Gregorio XIV. Sommo Pontefice, Stanze di Rafael Toſcano. *Cremona, per il Pellizzari,* 1590. *in 4.*

III. Deſcrizione de' Stati di Caſa Gonzaga. Hoc Opus Carmine Italico Heroico editum citat, & ſe vidiſſe teſtatur amiciſſimus Canonicus Iricus in Hiſtoria ſua Tridinenſi. Nobis hactenus eam editionem videre non licuit.
Laudatur à Picinello in Athenæo pag. 480.

## MDCCII.

## TRADATUS AUGUSTINUS.

GEns Tradata Mediolanenſis jam claruit in Jacobo eximio Sculptore, qui Jacobinus appellabatur, cujus meminit Inſcriptio, quam retulimus in Articulo Joſephi Brippii, adhuc extans in Metropolitana apud marmoream Statuam Martini Papæ V. itemque floruit poſtmodum in Ambroſio, qui fuit V. Præpoſitus Ducalis Baſilicæ Sanctæ Mariæ Scalenſis hujus Urbis, anno Virginei Partus MCCCCLI. In Nomenclatura verò Decurionum penes Clar. Sitonum noſtrum memorantur III. illius Familiæ ab anno MCCCCLXXIV ad MDXIII. in eadem dignitate. Hæc pauca diximus, nam de Auguſtino præter nudum titulum ejus libri Lectoribus noſtris nihil exhibere poſſumus. Forſan aliquando uberiora dabit Collector felicior.

I. De Metropoli Mediolanenſi libellus, Auctore Auguſtino Tradato Mediolan. *Mediolani, apud Pontium,* 1596. *in 4.*
Videndæ Schedæ Sitonianæ, & Syllabus Decurionum MS. in fol. penès eundem Auctorem.

## MDCCIII.

## TRICCIUS BETTINUS.

TRicciorum familia, ſeu de Trizzio, florebat in hac Urbe jam à Sæculo XIII., nam Gulielmus de Trizzio Conſulatum Juſtitiæ in libera Mediolanenſi Republica anno MCCLXXI. gerebat. Sex alii de eadem familia inter Decuriones Mediolanenſes claruere ab anno MCCCXL. ad MDXIII., quemadmodum novimus ex MSS. Sitonianis, ut infra. Ex hac familia ortus eſt Bettinus Triccius, de quo ſic Creſcimbenius in Tomi II. pag 2. libri inſcripti: „ Comentarj intorno all' Iſtoria della volgar Poeſia „ in articulo Cardinalis Aſcanii Mariæ Sfortiæ: „ Nell' „ anno MCCCCLXXXVI. Bettino Triccio dedicò a „ queſto Prelato un ſuo Poema in terza Rima, o, „ per dir meglio, un Guazzabuglio di volgare, e „ di latino ſopra la Peſte, e che queſto Cardinale „ tanto l'ebbe a grado, che ne ringraziò l'Autore „ con un Sonetto, che va ſtampato coll' Opera, „ quale così incomincia:

*Bettin perchè dalla virtù procede*
*La vera gloria ec.*

Idem Creſcimbenius in Tomo IV. lib. I. cap. 94. pag. 36. ſupramemorati Operis, denuo loquitur de Poëmate Auctoris noſtri, cui Patriam figit in Oppido Trecate, ditionis Novarienſis. Sed veniâ tanti Viri cenſendum eſt, eum de Opere judicaſſe, libro ipſo non viſo; nam ſcriptum eſt quaternis Verſibus armonicè ſibi invicem reſpondentibus, vulgò *Quadernarii*, non ternis, vulgò *in terza Rima*. Patriam quoque ſuam Bettinus in ipſo titulo, & pluribus in locis oſtendit fuiſſe Triccium, ſcilicet Arcem hujus nominis ad flumen Abduæ in ditione Mediolanenſi, atque admodum celebrem ob mortem Bernabovis Vicecomitis veneno ſublati, opera Joannis Galeacii ejus nepotis; non verò Trecate, ut ſupradictus Creſcimbenius ſomniabat. Interim monendi ſunt Lectores eundem Creſcimbenium, Virum alioqui doctiſſimum, de Mediolanenſibus Poëtis, ut plurimùm, malè admodum judicare, eorum forſitan Operibus, ut in Bettino noſtro contigit, non inſpectis. Multa ſæculo donanda ſunt, quo Eruditi vixere, neque præceps ſententia proferenda, actis (ut forenſi more loquamur) non examinatis, quodque pejus eſt neque viſis. Ut autem ad Bettinum ſermo redeat, qui certè pro ea, qua vixit, ætate ſpernendus non videtur, parentes illius, & quæ moris noſtri ſunt, ignoramus. Poëma verò

Sic prætitulatur:

I. Bettino di Trezzo. Deſcrizione della Peſte di Milano dell' anno MCCCCLXXXV Poema dedicato al Cardinale Aſcanio Maria Sforza Viſconti. Sunt Verſus 800., unà cum aliis Carminibus Italicis, vulgò *Sonetti*, atque Epigrammatis latino ſermone in commendationem ipſius Cardinalis Sfortiæ. Ad calcem adſunt, quæ ſequuntur.

II. L'Orazione Dominicale, cioè *Pater noſter*, traddotta in Rima.

III. Salutazione Angelica, cioè *Ave Maria* ut ſupra.

IV. *Salve Regina* ut ſupra. Omnia uno Volumine. *Milano,* 1488. *in 4.* Ubi pro more Sæculi legitur:

*Antonio di Zarotti Parmeſano*
*Molto aſſentito nel meſtier hà impreſſa*
*Queſt' Opra, & l'hà in piccol Volume meſſa*
*Per mancho ſpeſa nell' amplo Millano.*
*Se ne darà à color che ne verano.*

Extat in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium Sancti Ambroſii Mediolani.
Videndi ſunt Creſcimbenius locis ſupracitatis, nec non Collectiones Sitonianæ Conſularis, & Decurionalis MSS. apud eundem Auctorem.

MDCCIV.

## MDCCIV.

## TRICCIUS JOSEPH.

PRæter ea , quæ de Joſepho Triccio profert Abbas Picinellus in ſuo Athenæo Mediolanenſi Lectoribus noſtris, nil aliud exhibere poſſumus niſi hæc, ſcilicet quod ab optimis Præceptoribus Aloyſio Confalonerio, Alexandro Fliſco, Hortenſio Pallavicino Societatis Jeſu Alumnis doctiſſimis , Lauream in Sacra Theologia acceperit . Nec tantùm litteris , ſed morum probitate ita illuxit , ut ab eximiis R. E. Cardinalibus , & hujus Metropolis Archiepiſcopis Montio , ac Litta Præbendam Theologalem in Eccleſia Sanctæ Mariæ Pedonis, à primo videlicet obtinuerit, à ſecundò verò animarum curam Eccleſiæ Brentanæ nuncupatæ in Montibus Brianteis, deinde Cathedram Theologiæ in inſigni Oppido Modoëtienſi , poſtea ad Præpoſituram Gerenzanenſem , Comum versùs , & tandem ad aliam Oppidi Summæ tranſierit . Vivebat adhuc dum Picinellus Athenæum ſuum ſcribebat , ubi aſſerit eum typis paratum habuiſſe :

I. Curſum integrum Theologiæ.
II. Panegyrici varii .
Ex ſupradicto Picinelli Athenæo pag. 371.

## MDCCV.

## TRICCIUS PAULUS.

FAmiliæ Tricciæ Mediolanenſi mihi juvat addere alium Scriptorem agnitum ex infraſcripto Opere MS., quod ſervat ditiſſima Ambroſiana Bibliotheca; fruſtra tamen quæſivi parentes, acta ſaltem litteraria, atque ætatem Pauli noſtri , quæ ab inſpectione tantùm caracteris ejus Operis videtur fuiſſe circa finem Sæculi XV. Dolemus profectò quod de iſto , ſicut de aliis in hac Bibliotheca exiſtentibus nec Sui, nec Collectores Scriptorum Mathematicorum , nullum verbum fecerint , etſi aliquibus in locis Auctor ipſe Mediolanenſem ſe dicat in libro ſuo ,

Cujus titulus eſt :

I. De Conſtructione Aſtrolabii ; de Inſcriptione circulorum, ſcilicet Capricorni æquinoctialis, & Cancri; de Inſcriptione Almichancharat., ſeu de circuli progreſſionibus Solis; de compoſitione Azimut; de lineis horarum naturalium inæqualium ; de præparatione rectis continentis Zodiacum cum ſtellis fixis ; de poſitione ſtellarum fixarum; de vero loco Solis; de altitudine Solis & ſtellarum fixarum; de Crepuſculo; de horis inæqualibus & quatuor Cardinibus Cœli in Canones 47. Auctore Paulo Triccio. MS. in 4. ſign. I. num. 20. Biblioth. Ambroſianæ.

## MDCCVI.

## de TRIVILIO FRANCISCUS.

FRanciſci , in Oppido Trivilio Ducatus Mediolanenſis nati , atque Minorum, quos Obſervantes Reformatos communiori appellatione dicere conſueſcimus , Inſtitutum profeſſi , nomen quoque nos lateret , illiuſque memoriam in hac Bibliotheca , Lector optimus deſideraret ; niſi Clariſſimi Lazari Auguſtini Cottæ diligentia , etiam aliud agendo , ipſius recordationem , Operiſque ab eodem conſcripti titulum , Novarienſi Muſæo intuliſſet. Excuſſimus quidem , ut veteri fertur adagio , quercum omnem , actaque illius nedum à Sodalibus , verùm & à Contribulibus conquiſivimus, irrito tamen labore . Quin etiam percepimus , non ſine gravi mœrore , neque MS. Codicem mox indicandum apud Suos modò ſervari . Extabat tamen eo tempore , quo prælaudatus Cotta Opus memoratum adornabat , etenim in Articulo Franciſci Tornielli Novarienſis ex eodem Minorum Ordine, citat Lucubrationem Franciſci noſtri Triviliatis ; qui cùm ſcripſerit Miracula Tornielli , anno MDIX. defuncti , paulò poſt vixiſſe videtur .

Hæc igitur elaboravit :

I. Cronache dell' Ordine de' Minori. MS. Teſte Cotta in Muſæo Novarien. pag. 127.

## MDCCVII.

## de TRIVILIO JOANNES.

MIrum eſt quod doctiſſimo , atque accuratiſſimo Scriptori Lucæ Wadingo minimè cognita fuerint acta , dignitates , aliaque litteraria monumenta ad Joannem de Trivilio ſpectantia, etſi in Cœtu Minorum Obſervantium Sancti Franciſci Vitam ipſe traduxerit . Picinellus noſter ex Apparatu Poſſevini ſcribere non dubitavit , Joanni noſtro munus Procuratoris ſui Ordinis datum fuiſſe , & demum obiiſſe Sveſſæ poſt annum Chriſti Domini MCCCCLXXVIII. Nobis certè in votis erat hujus Viri pluribus acta conſcribere, vel ſaltem inſpecto Opere Lectores uberiùs docere . Interceſſit tamen cupiditati noſtræ quorundam incuria , quæ Eruditis defunctis apud poſteros gloriam invidet . En igitur nudum Operis titulum :

I. Compendium Theologiæ. Illud manu Auctoris ſcriptum ſervabatur Trivilii tunc cùm Poſſevinus Apparatum Sacrum adornabat.
Ex ejus Tomo II. pag. 255. , & Picinello in Athenæo pag. 332.

## MDCCVIII.

## TRIVIOLUS BARTHOLOMÆUS.

BArtholomæus Triviolus patriâ Mediolanenſis , ex fide Picinelli, & Conventus S. Euſtorgii Alumnus , Artes , & Sacram Theologiam apud Suos annis quinque profeſſus , Lauream magiſterii meruit ; ad quam promotus fuit in Capitulo generali Valentino , anno MDCLXVII. Sed inter ævi ſui Sacros Oratores potiſſimum emicuit , nam præcipuis in Italiæ Civitatibus Quadrageſimales annis quatuordecim cum laude Conciones habuit, in hac Urbe ſcilicet, Parmæ, Placentiæ, Brixiæ, Ferrariæ, Cremonæ, Ticini, Taurini, &c. In Provincia Magiſter obiit anno MDCLXXV. , & hoc tantùm hauſimus à Suis Euſtorgianis .

Edidit , & ſcripſit :

I. Orazione in rendimento di grazie per la felice naſcita del Principe delle Spagne Infante, figliuolo del Re Filippo IV., e della ſua Conſorte la Regina Marianna Auſtriaca. *Milano*, 1658. *preſſo il Cardi*.
II. Conciones Quadrageſimales, & Panegyres MSS. deperditæ ſunt.
Videndi Picinellus in Athenæo pag. 72., nec non Quetif, & Eccard in T. II. pag. 589. Scriptor. Ord. Prædicatorum.

MDCCIX.

Digitized by Google

## MDCCIX.

## TRIVULTIA DOMITILLA.

DE clariſſimi nominis Fœminâ , Mediolanenſi Familiâ nobiliſſimâ ortâ, verba facturi, Domitilla ſcilicet Trivultia, Domicella, vel Damigella ab aliquibus nuncupatâ, ancipites aliquandiu fuimus inter amiciſſimorum Virorum diverſas de ipſius ætate, parentibuſque ſententias Hi ſunt JC. Joannes Sitonus antiquitatum Inſubriæ peritiſſimus , ac Franciſcus Xaverius Quadrius è Societate Jeſu, de Italica Poëſi libris editis benemeritus . Aſſerit primus citatis Joſepho Betuſſi Scriptore Synchrono , aliiſque non ignobilis famæ Viris , Domicellam filiam fuiſſe Joannis Trivultii Senatoris Mediolanenſis , & Angelæ Martinenghæ Brixienſis Conjugum , nomenque reddidiſſe Aviæ ſuæ maternæ Domicellæ Bologninæ , Matthæi Comitis Sancti Angeli filiæ , & Auguſtini Martinenghi Uxoris . Fratrem verò Domitillæ noſtræ ait fuiſſe Auguſtinum Trivultium S. R. E. Cardinalem , de quo inferiùs agemus . Adducit Franciſcum Auguſtinum ab Eccleſia , Salutienſis Eccleſiæ Præſulem , qui in Theatro Fœminarum eruditarum ad annum MCDLXXXVI. pag. 139. ait : „ Damigella Trivulzia „ Donzella nobiliſſima Milaneſe, fu figliuola di Giovanni Trivulzio Senatore di Milano, e di Angela „ Martinenga Breſciana, Donna prudentiſſima . „ Idem repetit memoratus Joſeph Betuſſi in Opere ſuo , cui titulus: „ Libro di Giovanni Boccaccio delle Donne „ Illuſtri; traddotto di latino in volgare, per M. Giuſeppe Betuſſi, con una giunta fatta dal medeſimo „ d'altre Donne famoſe . „ *Fiorenza , preſſo Filippo Giunti* , 1695. *in* 8. *pag*. 398. hæc ſcribens : „ Fu „ Damigella Trivulzia Donzella Milaneſe, dell' antichiſſima, e nobiliſſima Famiglia Trivulzia, e fu figliuola di Giovanni Trivulzio Senator di Milano, e gran „ Signore, e d'Angela Martinenga, potentiſſima Famiglia di Breſcia, Donna non poco letterata . „ Sed & Paulus Moriggia in Nobilit. Mediol. libro III. Cap. XXVI. inter alia teſtatur : „ Queſta ( ſcilicet Domitilla ). „ fu Sorella del gran Cardinale Agoſtino . „ Prælaudatus autem P. Quadrius in Tomo II pagg. 235. Operis ſui : „ Della Storia , e della Ragione „ d'ogni Poeſia „ ſic de præclara noſtra Trivultia loquitur : „ Damigella , o Domicilla Trivùlzia , „ nacque del Senatore , e Cavaliere di S. Michele , Paolo Camillo , Duca di Bojano , Conte „ di Porlezza , Capitan di Cavalli , e Maeſtro di „ Campo per la Corona di Francia , e della Conteſſa Bàrbara Stanga Cremoneſe . „ Neque minor eſt de ipſa , ſi de nuptiis agatur , diſcordia . Etenim P. Quadrius ait : „ Giunta poi all' età da „ marito ſi ſposò ad Ermete Bentivoglio , il che fu „ l'anno MDXLII. Non conviſſe però gran tempo „ con eſſo ; ma reſtituitaſi in Patria , ſenza aver „ avuti figliuoli , quivi ſi tenne , finchè piena d'anni , e di gloria , finì di vivere . „ E contra verò idem J. C. Sitonus contendit innuptam ſemper eam fuiſſe , & Virginem deceſſiſſe , ſentiens cum præcitato Betuſſi ſcribente : „ Non trovo che aveſſe marito , ma viſſe ſempre piena di ſapienza , conſervando la pura Virginità ſua . „ Hiſce autem omnibus ritè perpenſis ( liberum cuique tamen pro libito ſentire relinquentes ) propendimus potiùs ad aſſertionem Sitoni noſtri & in parentum nominibus, & in Virginali Domitillæ vitâ ſtatuendis . Præter enim citata teſtimonia movet nos Philippi Bergomenſis eam laudantis authoritas . Obiit iſte anno MDXX. teſte Calvo in Theatro Litteratorum Bergomen. jamque Trivultiam laudaverat, ſcribente Moriggia, loco inferiùs indicando tanquam eruditiſſimam . Credibile ne eſt ipſam anno poſt obitum Philippi XXII. ad nuptias convolaſſe ? Adde Ludovicum Arioſtum Vatem Clariſſimum Domitillam Carminibus tam Italicis , quàm Latinis celebraſſe , atque in Italicis eam recenſere tanquam coævam Hippolytæ Mariæ Sfortiæ alibi à nobis commendatæ , quæ cùm obierit anno MCCCCLXXXVIII. quis arbitrabitur Domitillam agentem ætatis ad minus LX. de conjugio cogitaſſe? Et quidem tres enumerat Sitonus Domitillas, ſive mavis Domicellas Trivultias, Seniorem quidem quæ, ſuâ ſententiâ, litterata non fuit, nupſitque Comiti Franciſco Taurello Regio Senatori Mediolanenſi, anno MDVII. Alteram noſtram hanc innuptam . Tertiam demum hujus ex Fratre Paulo Camillo Neptem , quam verè anno MDXLII. cum Hermete Bentivolo matrimonio fuiſſe copulatam teſtatur . Neque nos movet Carmen Sociaci, quem Trivultiæ coævum idem P. Quadrius aſſerit . Illud enim hîc ſubjicimus , ut poſtmodum ſenſum noſtrum promere liceat :

De Catharina Cantona , & Domitilla Trivultia .

*Inſubres geminæ fama ſuper Aſtra feruntur ,*
*Inclyta quæque ſuo nomine , ſtirpe ſua .*
*Altera ſidus erat generis dotale Trivulti ,*
*Altera Cantonum nobile ſidus erat .*
*Diſcordes ſtudiis attollit gloria concors ,*
*Artibus impariles , ingenioque pares :*
*Una virum mores , una eſt imitata colores ,*
*Una magis lingua claruit , una manu .*
*Hæc velaminibus velamina vincit Arachnes ,*
*Illa laboratis fata voluminibus .*
*Altera cantando narratur Apolline major ,*
*Altera texendo major Apelle fuit .*
*Sed calathos confer calamis , velamina cartis ,*
*Illam homines dices , hanc ſuperare Deos .*

Licèt enim hîc videatur Catharina Cantona , quæ, ut diximus in Articulo Petri Cantoni ipſius filii, obiit anno MDCI. Domitillæ Synchrona extitiſſe aſſeri, tamen ſi quis diligentiùs rem indagaverit , certè reperiet Sociacum non idem ambarum tempus recenſuiſſe , at tantùm utramque comparaſſe . Prorſus etiam concidit ſententia arguentium ex hiſce Verſibus Sociacum eadem vixiſſe cum Trivultia tempeſtate . Non enim præſentis temporis formulâ utitur, ſed præteriti : *Erat* ; quod verbum certè innuit ipſam multò ante jam defunctam . Hæc præfatos acta tantæ Virginis breviter juvat innuere, potius quàm recenſere . Inter Sacrarum Fœminarum Clauſtra diligentiſſimè educata , Latinis , atque Græcis imbuta eſt Litteris ; cùmque incredibili prædita eſſet memoriæ tenacitate, acrique ingenio polleret, ad eum brevì pervenit eruditionis apicem , ut non defuerint qui doctrinam illius infuſam potius, quàm acquiſitam arbitrarentur . Moribus extitit probatiſſimis , ſingulari pudicitiâ , miraque modeſtiâ . Oratoriam , Poëſim , Philoſophiam , cæteraſque tam divinas , quàm humanas Scientias apprimè calluit ; illiuſque adhuc duodennis nomen per ora hominum volitare cœpit , cunctis in puella tantum ingenium mirantibus . Sæpe in conſpectu Pontificum , Præſulum , Principum eloquentiſſimè dixit , memoriæque ſuæ non raro periculum factura, prolixam Orationem auditam confeſtim recitaſſe traditur tam integram , ut ne jota quidem defuerit . Incertum habemus obitum illius annum .

Doctiſſimæ Virginis , quod ſciamus , Scripta perierunt , at memorantur à ſæpe jam citato Betuſſi , qui ea ſe vidiſſe teſtatur ; licèt argumentum , & locum reticeat :

I. Opera

I. Opera quædam Latina.
II. Opera quædam Græca.
III. Epiſtolæ plures mirâ eruditione utriuſque linguæ refertæ.

Ipſam, ut jam innuimus, celebravit Ludovicus Areoſtus Italicis hiſce Carminibus:

*Veggo Ippolita Sforza; e la nodrita*
*Damigella Trivulzia al Sacro ſpeco &c.*

Uberiùs tamen his Verſibus latinis, extantibus inter Carmina Illuſt. Poëtarum Italorum. Tomo I. pag. 350.

*Quod genere & ſenſu præſtes, Trivultia, multis;*
*Eſt decus, at decus id pluribus eſſe vides.*
*Quòd prior in numeris tua ſit nullique ſecunda,*
*Fama: tamen non eſt unica, rara licèt.*
*Quod ſis caſta, etſi non eſt te caſtior ulla,*
*Tecum alia, atque alia eſt caſta puella tamen.*
*Quòd docta, atque ſciens Muſarum: es ſola; ſed olim*
*Deiphobe, & fidicen Lesbia talis erat.*
*Quòd generoſa eadem, dives, formoſa, pudica,*
*Doctaque ſis; nulla eſt par tibi, nulla fuit.*

Idem præſtiterunt Innocentius Ringherius, Concivis meus, in libro ſuo inſcripto: „ Cento Giuochi liberali. *Bologna*, 1551 *in* 4. pag. 137. Paulus Moriggia in Nobilit. Mediol. lib. III. cap. 26. Betuſſi, ab Eccleſia, & Quadrius jam citati. Sociacus lib. III. Epigramm. pag. 96. Sitonus noſter in Schedis, & in Theatro Genealogico, ac Picinellus in Athenæo pag. 164.

## MDCCX.

## TRIVULTIUS ANTONIUS.

Antonius Trivultius, ſive ut alii malunt Joannes Antonius, nobiliſſimâ & antiquiſſimâ Familia Mediolani ortus eſt anno MCCCCLVII. Parens illi fuit Petrus Pontis-Nuri, ac inſignis Oppidi Cottonii Dominus, magnique Joannis Jacobi Patruelis; Mater verò Laura Boſſia. Summâ educatus diligen-
A tiâ, & quæ tantæ Gentis deceret germen, integritate vitæ, prudentiâ, juſtitiâ, liberalitate, & in rebus agendis dexteritate ſic eminuit, ut à Paulo II. Pont. Maximo ad Novocomenſis Eccleſiæ Sedem fuerit evectus die XXVII. menſis Auguſti, anno Salutis MCCCCLXXXVII. ætatis ſuæ XXX. Apud Mediolanenſem Ducem Galeacium Mariam magno in pretio habitus, ab arcanis primùm Conſiliis, ſive Senator extitit, mox pro eodem Oratoris munere ad Venetos functus, ipſius nomine Maximiliano Cæſari, Œniponto in Italiam advenienti, ad alpes occurrit. Iſabellam Aragoniam Alphonſi Regis filiam, & Joannis Galeacii Ducis Inſubrum Sponſam, Neapoli, habita priùs luculentiſſima Oratione, Mediolanum deduxit. Tum ex Romanæ Rotæ Auditore, & Apoſtolicæ Sedis Protonotario, Galliarum Rege petente,
B ipſum Alexander VI. anno MD. die XXVIII. menſis Septembris, Presbyterum Cardinalem, tituli Sanctæ Anaſtaſiæ renunciavit, quem titulum poſtea in alterum Sancti Stephani in Cœlio Monte commutavit. Favebat illi Ludovicus XII. Gallorum Rex, quòd fidiſſimè Gallicas partes ſecutus fuiſſet, poſteaquam Ludovicus Maria Sfortia fugâ redux è Germania in Italiam redierat; cùm enim abeunte Principe unus eſſet Antonius è XVII. Viris, quorum prudentiæ Mediolanenſis ditionis tutela fuerat commendata, Gallique, Ducis adventu territi, aufugerent, ipſe in Caſtrum Portæ Jovis adhuc ſub Regis poteſtate permanens ſe recepit; quocirca capto apud Novariam Sfortiâ, iterum Rex Mediolanenſem Ducatum recuperavit. Defuncto Alexandro Pontifice, Comitiis
C interfuit Antonius Pii III. tum Julii II., à quo tanti habebatur, ut ſæpe ipſum exoptaret convivam, veteris memor amicitiæ, & hoſpitalitatis, qua nondum Pontifex ab eo Mediolani fuerat exceptus. Fratrem habuit Aloyſium, Virum inclytæ famæ, qui cùm fato conceſſiſſet in ipſo juventutis flore, tanto dolore perculſus eſt Cardinalis noſter, ut in ægritudinem inciderit, eaque invaleſcente, cùm initio morbi pharmaca reſpuiſſet, paucos intra dies interiit, Menſe Martio, anno MDVIII. in Urbe Roma, conditumque fuit Cadaver illius in Templo Sanctæ Mariæ ad Portam Flaminiam, vulgò de Populo dictam, cum hoc Elogio:

ANTONIO TRIVVLTIO MEDIOLANENSI
SVMMAE NOBILITATIS AC INTEGRITATIS VIRO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI COMENSI
QVI VIXIT ANNOS LI. MENSES II.
OBIIT XV. KAL. APRILIS MDVIII.
IVLIO II. PONT. MAX.

D Munificentiam illius teſtantur Ædes Sacra ab ipſo erecta in hac Metropoli Sancto Antonio Abbati, quam nunc Religioſiſſimi Clerici Regulares Teatini nuncupati poſſident; Veſteſque Sacerdotales nobiliſſimæ auro, ſericoque intextæ, quas Comenſis Cathedralis Sacrario largitus eſt.

Scripſit:

I. Orationes perquam venuſtas, quarum una, ſcilicet ſupramemorata, Neapoli habita invenitur impreſſa apud Triſtanum Chalcum in libro, cui titulus: „ Nuptiæ Mediolani Ducum. „
II. Epiſtolas item non inelegantes, de quibus ſic legitur in Catalogo Biblioth. Regis Chriſtianiſſimi, Volum. 569. „ Lettres originales au Roy Louis XII. du Cardinal Trivulze &c. MS. Biblioth. Reg. Pariſienſ.
III. Poëmata arguta, & terſa, ut refert Eggs, quæ omnia, ut idem aſſerit, inter MSS. Familiæ etiamnum aſſervantur.
IV. Deciſiones; extant in Corpore Deciſionum Rotæ Romanæ ex Cantalmajo, & Fontana, & MSS. in Archivo Molis Æliæ.

De Epiſtolis ad eum ſcriptis à Julio II. Pontif. meminit Tattus in Annal. Comenſ. Decad. 3. lib. 7. pag. 463.

Extat Hieronymi Moroni Oratio coram Summo Pontifice habita, in laudem Antonii ad Purpuram promoti. Et altera ad Antonium ipſum ejuſdem Moroni de anno MDVIII. inter MSS. ejuſdem, de quibus ſupra diximus.

Inter Opuſcula ejuſdem Moroni MSS. apud March. de Sylva legitur etiam Epiſtola ad Anonymum de Promotione Antonii Trivultii Epiſcopi Comenſis ad Cardinalatum. Tom. I. pag. 52.

Ei dicavit Boninus Mombritius Solinum. V. Clar. Saxium in Hiſt. Typog.

Laudatur plurimùm à Bernardino Landriano in Epiſtola ad Luchinum Landrianum præfixa Lecturæ Dominici de Sancto Geminiano, de qua in Bernardino ipſo jam diximus. A Paulo Manutio, ab Eggs in Purpura Docta, & à citatis Ciacconio in Tomo III.
E col. 197., & Ughello in Comenſibus. Videndæ quoque ſunt Schedæ Sitonianæ.



Digitized by Google

## MDCCXI.

## TRIVULTIUS AUGUSTINUS.

Ex Joanne Trivultio Equite, Ducalique Senatore, atque Angela Martinenga Conjugibus nobiliſſimis, natus eſt Mediolani Auguſtinus nunc memorandus; qui à puero virtutem majorum ſecutus, quam optimam ſortitus fuerat indolem ſolertiſſimè coluit. Primùm igitur Abbas B. Mariæ Montisfrigidi, & à Julio II. Pontifice inter Cubicularios adſcitus, mox Protonotarii dignitate auctus, poſtremò non tam generis commendatione, quàm meritorum laude clarus, à Leone X. die XXVI. menſis Junii, anno MDXVII. Cardinalis Diaconus Sancti Adriani creatus fuit. Mirum extitit in eo mentis acumen, mira eloquentia, gravitas, eruditio, & peculiaris apud Principes gratia, quibus omnibus permotus Leo, precibus etiam Magni Joannis Jacobi Trivultii hoc enixè poſtulantis ut Auguſtinus ſacrâ donaretur Purpurâ, tandem ſe acquieviſſe teſtatus eſt, datis ad eundem Joannem Jacobum litteris, in quibus plurima de Cardinali noſtro, ejuſque Familia inſerit encomia. Ut ergo novæ Dignitatis Auguſtino delatæ rumor Mediolanum pervênit, haud facilè dictu eſt, quæ fuerit Civium lætitia. Scipio Vegius Mediolanenſis Protophyſicus, & Senator, in Hiſtoria ſua rerum geſtarum in Inſubria ſub Gallorum dominio, de quo Opere infra dicemus, gaudium Populi ea de cauſa referens, adjecit hæc verba: „ Fecit item admirationis auctum ingens puerorum turba, coadunatis pluſquam tria millia, arreptis Trivultii trophæis, per omnes Regiones curſitare: magnas propulſare ædes, atque intrò irruere, & vinarias vegetes exhaurire: Paſſim congeminare vocum concentu Auguſtinum Trivultium Cardinalem. Vidi ego poſtridie Candidatos ex compoſito ſtolis accinctos, atque redimitos crinem lauru, buxuque cum novo Vexillo his connotato literis: Sors è Cælo lapſa in ſacro lavacro nuncupavit Auguſtinum auguſto augurio inclytum nunc Cardinalem electum Patriæ Felicem, & futurum Eccleſiæ latialem Patrem. „ Ad plures Epiſcopatus conſcendit, nimirum Tolonenſem, Petragoricenſem, Maſſilienſem, & Vaurenſem in Gallia, Bobienſem, Aſtenſem, & Novarienſem in Ducatu Mediolanenſi, Rhegienſem in Calabria, Brugnatenſem in Liguria. Fuit etiam Adminiſtrator Eccleſiæ Bajocenſis, ut patet ex Brevi Clementis VII. Dat. XIII. Octobris MDXXXI., & etiam nonnullorum teſtimonio ex Ciacconio, & Eggs Mediolanenſi Eccleſiæ præfuiſſe fertur, quod tamen perperam ab aliquibus dictum Lectores putent; cùm non Eccleſiam ut Antiſtes, ſed Ditionem ut Moderator cum imperio rexerit. Functus eſt Legatione Gallica nomine Pontificis ad Franciſcum Regem, imò, poſt Scaramutiæ Cardinalis Fratris ſui obitum, Regnum Gallicum ejus fidei, tutelæque à Rege traditum eſt. Quare Gallicarum partium ſtudioſus inſtante Rege Franciſco, Cardinali Farneſio, ut in Rom. Pont. eligeretur modis omnibus favit, qui ſub nomine Pauli III. ſummam rerum adeptus Trivultium in Gallias Legatum miſit, ut de pace cum Rege & Carolo V. tranſigeret. Ipſi Clemens VII. Campaniæ & Maritimæ Legationes in bello contra Columnenſes demandavit. Prudentiſſimus à Bembo, ſapientiſſimus à Sadoleto, impensè ſtrenuus, & eruditus à Giberto appellatus fuit. Doctiſſimum, & multis nominibus Clariſſimum Cardinalem Thomam de Vio dilexit, dignumque ſuprema Thiara non ſemel pronunciavit. Obiit Romæ Pr. Kal. Apr., ſeu ut alii volunt, XIII. Kal. Apr. anno MDXLVIII. Sepultus in Æde Sanctæ Mariæ ad Portam Flaminiam. Ejus Tumulo hanc appoſuit Inſcriptionem Cardinalis Theodorus Trivultius.

MAGNIS PATRVIS
IOANN. ANTON. AB ALEXANDRO VI.
AVGVSTINO A LEONE X.
CARD. AMPLISS.
THEODORVS CARD. TRIVVLTIVS
MDCLIV.

Scripſit:

I. Hiſtoriam Romanorum Pontificum, & Cardinalium gravi, & eleganti ſtylo, quam tamen morte præventus typis mandare non potuit, ipsâque ſe uſos & adjutos fuiſſe Ciacconius, atque Panvinius fatentur. Hanc Hiſtoriam Paulo III. Pont. Max. nuncupaſſe, aſſerit Laſor à Varea.

Inſtructio pro Cardinali Trivultio ad Henricum Galliæ Regem. Extat MS. in Bibliotheca Monaſterii Sancti Vincentii Veſontionenſis, ex Montfauconii Biblioth. Bibliothecarum MSS. Tom. II. pag. 1192.

Ad hunc Cardinalem innumeræ ſunt doctiſſimorum illius ætatis Virorum Epiſtolæ, quas hìc utcumque recenſebimus, nimirum Joannis Guidiccioni Epiſcopi Foroſempronienſis, data ſub die XXIII. Auguſti MDXXXVI. qua ei nunciat, petente Imperatore, Summum Pontificem ipſi licentiam impertiri, ut Mediolanum Gubernator ſe conferat. Eumque rogat ut curet pacem iniri inter Gallorum Regem & Cæſarem. Extat in libro, cui titulus: „ Lettere de' Principi, ſcritte a' „ Principi. Tomo I. „ Alia Cardinalis Sadoleti. Data die XX. Auguſti MDXXXV. de Politica tractans. Legitur in libro inſcripto: „ Lettere di diverſi Autori eccellenti. „ Edit. *Venet.* 1556. *in* 8. Petri Bembi. Data Venetiis Id. Apr. MDXXXIX. inter hujus famil. Aliæ quatuor ejuſdem Guidiccioni ad Cardinalem noſtrum, dum Legationem agebat in Galliis; leguntur in libro inſcripto: „ Scelta di Lettere „ di diverſi eccellentiſſimi Scrittori di Bartolomeo Zucchi. „ *Venezia*, 1595. *in* 4. pagg. 131. & ſeqq. Altera ejuſdem Guidiccioni in libro: „ Lettere volgari „ di diverſi nobiliſſimi Uomini, raccolte da Paolo Manuzio. „ *Vinegia*, 1560. *in* 8. Ibidem adeſt etiam Epiſtola Cardinalis Tournonii ad noſtrum. Inter Epiſtolas Cardinalis Sadoleti. *Lugduni*, 1560. *in* 8. ſunt tres ad Auguſtinum Trivultium S. R. E. Card. pagg. 230. 231., & 233. Altera ejuſdem Card. Sadoleti ad noſtrum. Data Carpentoracti die XVI. Februarii MDXXXV. in libro, cui titulus: „ Lettere „ di diverſi Autori eccellenti. „ *Venezia*, *preſſo il Ziletti*, 1616. *in* 8. Una quoque ad eundem Annibalis Cari, & IV. Balthaſſaris Caſtillionæi, à pag. 612. ad pag. 619. Altera Joannis Judicis. Data Aquis Sextiis die XX Auguſti MDXXXVIII., ubi inter alia nunciat Cardinali noſtro, ut ad moderandum Mediolanenſe Dominium ſe conferat. Plures Epiſtolas ei ſcripſit Paulus Jovius, ex quibus una legitur cum aliis tribus ſupradicti Balthaſſaris Caſtillionæi in libro: „ Lettere facete, raccolte da molti grandi Uo- „ mini, da Dionigi Atanagi. „ *Venezia*, 1582. *in* 8. pagg. 69. 71., e 228. In altero libro: „ Lettere di „ Principi, ſcritte a' Principi, in Tom. II. „ Extant Epiſtolæ duæ ſupra triginta, à pag. 179. ad pag. 227. Joannis Matthæi Giberti Datarii ad Auguſtinum Cardinalem Trivultium; altera autem Epiſcopi Polæ ad eundem pag. 227. Altera Franciſci Guicciardini pag. 151. tertii Tomi.

Scipio etiam Vegius Mediolanenſis Protophyſicus, & Senator in Hiſtoria rerum in Inſubribus geſtarum ſub Gallorum dominio, ab anno MDXV. ad MDXXII. nuncupata Auguſtino Cardinali Trivultio. MS. in fol. penes Clar. Sitonum, in cujus fronte extat effigies præfati Cardinalis ſedentis in Cathedra, cui Scipio Vegius Togatus de genu offert Librum, adjecto Lemmate: „ Factus ſum domi tuæ ſenex, pauper, „ & neglectus.

De eo Ughellus, Ciacconius, Miræus apud Fabricium, Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia, Sitonus noſter in Chron. Coll. J. PP. pag. 204. art. 878., & in Magno Theatro ſuo Genealogico. MS. in fol. pag. 445.

MDCCXII.

Digitized by Google

## MDCCXII.

## TRIVULTIUS CLAUDIUS.

EX Comite Carolo Trivultio Imperiali Pincerna, atque Iſabella Londonia nobiliſſimis Conjugibus ortus eſt Mediolani Claudius, de quo nunc ſcribimus, qui juvenilibus annis Romæ degens Muſas tam Latinas, quàm Italicas impenſiùs coluit. Deinde Martis, atque Aſtreæ Vexilla proſequens, Cohorti peditum præfuit, & tam Ticini, quàm Parmæ, necnon Auguſtæ Taurinorum in Jure Cæſareo, ac Pontificio excelluit, itaut in Patria ad Jus dicendum cum Poteſtatis officio in Abbiati-Craſſi Oppido adlectus extiterit. Nunquam verò Apollinem reliquit, uti ex infraſcriptis ejus lucubrationibus facilè Lector agnoſcet. Floruit medio Sæculo XVII., ſed annum ejus mortis ignoramus.

Hæc de ipſo proferimus:

I. Rime di Claudio Trivulzio. All' Illuſtriſſimo ed Eccellentiſſimo Principe Teodoro Trivulzio. *Milano, preſſo il Bidelli*, 1625. *in* 12.

II. Le Preghiere d'Italia a S. Santità per ottenere la Pace. Rime varie, cioè Canzoni, Sonetti ec. *Milano, preſſo lo ſteſſo*, 1636. *in* 12.

III. Impreſe fatte ultimamente in Italia dall' Eccellentiſſimo Signor Marcheſe di Leganes, Capitano Generale di Filippo IV. il Grande, e contiene quattro Poemi intitolati Tornavento, Valtellina, e Breme, Aſſedio, ed Acquiſto di Vercelli, con un breve Vaticinio del Piemonte. *Milano*, 1639. *in* 4 *ſenza nome dello Stampatore*.

IV. Carmina tria Italica, vulgò *Sonetti*. Extant in Collectione Jo. Bapt. Foſſati prò Laurea Jo Bapt. Vicecomitis. *Mediol. apud Paganellum*, 1608. *in* 8.

V. In Libro cui titulus: „ Il Tempio, Panegirico del Ca„ valier Marino. *Macerata, per Pietro Salvioni*, 1615. *in* 12. extat Epigramma Italicum Claudii Trivultii in laudem Auctoris, pag. 127.

Ipſum laudarunt Carminibus Italicis Comes Rodulphus Campegius, atque Antonius Blaguazzonus in libro num. I. ſupra enunciato.

De eo agunt Joannes Petrus Creſcentius in Amphitheatro Romano, par. I. pag. 307. Picinellus in Athenæo pag. 151., atque Cl. Sitonus in ſchedis, & P. Quadrius Soc. Jeſu in Libro: „ Della Storia, e della Ra„ gione d'ogni Poeſia. Tom. II. pag. 301.

## MDCCXIII.

## TRIVULTIUS FRANCISCUS.

INter editiones Operis nunquam ſatis laudati Baptiſtæ Platinæ, quæ in Scriniolo meo reperiuntur, adeſt hæc minimè ſpernenda, in cujus fine ſic legitur: „ Excellentiſſimi Hiſtorici Platinæ in Vitas Summo„ rum Pontificum ad Sixtum IV. Pont. Max. præcla„ rum Opus feliciter explicit, accuratè caſtigatum, „ ac impenſa Magiſtri Joannis Vercellenſis; MCCCC„ LXXXV. die X. Februarii „ in fol. Sequitur Vita ejuſdem Sixti IV. manu exarata, ferè illius ætatis, in qua ſic ſcriptum eſt ad annum MCCCCLXXII. „ Ex Palatio Vaticano Tranſtyberim Sixtus adivit „ viſurus Triremes contra Turcas extructas, illis „ bona precatur, Præſide Oliverio Caraffa; ibi T. „ Trivultius J. C. Mediol. luculentam Orationem „ habuit „. Ad marginem verò recentiori manu parvâ appoſtillâ adnotatur: „ Juvenis ſanè eruditus, „ qui poſtea Religioſus eſt factus „. Dum igitur in Annalibus Fratrum Minorum Lucæ Wadingi ad annum MCCCCLXXXII. legebam: Franciſcum Trivultium J. C. Sæculo, atque Uxore relictis, Vexillum Sancti Franciſci proſecutum fuiſſe, facilè cognovi eundem eſſe, cui forſan nomen fuit Theodori Familiæ Trivultiæ gentilitium, aut quid ſimile littera T. incipiens, uti in appoſtylla ſupracitata, qui poſtea Religionem ingreſſus, de more commutaverit in Franciſcum. Wadingum ipſum nunc audiamus, cujus hæc ſunt verba: „ Florebat hoc tempore (nempe anno MCDLXXXII.) „ ſanctitate & doctri„ na F. Franciſcus de Trivultio Mediolanenſis, & hoc „ ipſo anno ſummo omnium applauſu prædicavit Pe„ ruſii, uti in Regeſto Ordinis refertur. Hic nobi„ liſſimâ inter Inſubres ortus Familiâ, ante ſeptingen„ tos annos à Burgundia in Italiam translatâ, Boni„ fortio Patre, & Iſabella Sanſeverina Matre, Spon„ ſam ſibi parem duxit, Veronicam de Siccis, quam „ ipſa nuptiarum nocte etiam induxerat, ut ſpretis „ Mundi, carniſque delitiis, vitam amplecteretur „ religioſam. Hinc illa Clariſſa, ipſe Franciſcanus „ evaſit; eâque virtute, & prudentiâ vixerunt, ut „ illa ſui Monaſterii Abbatiſſa, hic ſuæ Provinciæ „ Mediolanenſis Vicarius eodem tempore fuerint ele„ cti. Sacris litteris eruditus, utriuſque Juris peri„ tus, memoriâ tenaciſſimâ, corporis robore pollens, „ per univerſam Italiam indefeſsè prædicavit. Par„ cus in cibo, multus in oratione, & in ſacrorum „ Bibliorum ſtudio, in virginitate, quam feliciter „ ſponſæ perſuaſerat, ſervandâ vigilantiſſimus apud „ omnes Viri ſanctiſſimi famam conſecutus eſt. Hie„ roſolymam pietatis cauſâ profectus, dum reverti„ tur in Patriam, morbo decedit „. Gaudeo itaque hunc Scriptorem addere meæ Bibliothecæ, majori quoque ornamento celeberrimæ Genti Trivultiæ futurum.

Scripſit igitur

I. Orationem dum Sixtus IV. Pont. Max. Triremes contra Turcas paratas intueretur, anno MCCCCLXXII. ut ſupra.

II. Conciones Quadrageſimales, à Suis indicatas, quæ cum aliis Auctoris noſtri Scriptis, unà cum ipſo forſan in mari periere.

Videatur VVadingus in Annalibus Minorum, Tom. XVI. pag. 331. art. 59., novæ editionis Romanæ ad annum MCDLXXXII.

## MDCCXIV.

## TRIVULTIUS HIERONYMUS.

NUllibi invenimus parentes, & acta ſaltem Litteraria Hieronymi Trivultii, de quo nunc agimus. Clericalem vitam tantùm ſe duxiſſe, ipſemet fatetur in fronte libri infra recenſendi, annum quoque ejus deceſſus ignoramus; florebat verò anno MDCXVI., ut ab infraſcriptis agnoſci poteſt.

Edidit quæ ſequuntur:

I. Il Brancaleone, Iſtoria piacevole, e morale, ſcritta già da un Filoſofo chiamato Latrobio, Uomo verſato in tutte le Scienze, ed ora dato in luce da Hieronymo Trivulzio Cittadino, e Chierico Milaneſe. *Milano, per Gio. Battiſta Alzato*, 1610. *in* 8. Dedicato al Sig. Carlo Antonio Roma. *Venezia, per il Variſco*, 1617. *in* 8., *e Pavia, per Gianbattiſta Roſſi*, 1621.

II. Feſte di Monza per S. Carlo, con Poeſie, ed il Diſcorſo di Gianpietro Giuſſano. *Milano, per Gianbattiſta Alciati*, 1615. *in* 4.

III. Epiſtola data anno MDXCIV. ad Federicum Card. Borromæum. Extat in ſæpe laudata Collectione MS. Epiſtolarum ejuſd. Card. in Bibl. Ambroſiana.

IV. Alia Italica ad Gabrium Recalcatum Generalem Commiſſarium in Ducatu Mediolanenſi. Data Modoëtiæ die XV. Septembris. Extat in Libro, cui titulus: „ Alto Madrigali a cinque in laude di San Carlo; di „ Gio. Battiſta Porta „. *Stampa del Gardano in Venezia*, 1616. *appreſſo Bartolomeo Magni*, *in* 4. In eadem Epi-

ſtola

Digitized by Google

ſtola plures memorantur Viri illuſtres Familiæ Recalcatæ.

Videndæ quoque ſunt Schedæ Sitonianæ, ac Monumenta Genealogica ſupradictæ Familiæ Recalcatæ ab eodem Cl. Sitono edita *Mediolani*, *apud Malateſtam*, 1725. *in fol.*

## MDCCXV.

## TRIVULTIUS JOANNES ANTONIUS.

QUamvis doctiſſimus JC. Sitonus in Chronico ſuo J. PP. Collegii Mediolanenſis art. 323. pag. 74. Joanni Antonio Trivultio, cujus nunc Elogium damus, parentes aſſignaverit Laurentium Equitem aureæ Periſcelidis Ord. S. Georgii Regni Brittaniæ, Militumque Tribunum, & Placidiam Adurnam Conjuges; veritatis tamen amore ductus, nos monuit, deceptum ſe fuiſſe à Pio Mutio, qui nullis, præter Geneſim Familiæ, documentis in medium prolatis, in Hiſtoria ſua Trivultiaca idem ſcripſerat. Ideo ſphalma ſuum emendandum ipſe protulit, publicis Tabulis nobis oſtenſis, è quibus eruitur, Scriptori noſtro genitores extitiſſe Angelum de Trivultio Phyſicum Collegiatum, patriæque Decurionem, ac Catharinam de Gallinis Chriſtophoro Comite Cæſareo Palatino, & pro Philippo Maria Vicecomite Mediolani Duce ad Helveticos Legato, genitam. Joannes autem Antonius noſter utriuſque Juris lauream promeritus, in Collegium prædictum cooptatus eſt anno Chriſti MCCCCXCVIII. Majora in dies eruditionis ſpecimina præbens, anno MDXI. Præbendam Canonicalem obtinuit in Ambroſiana Baſilica, ubi Collegas habuit Fratres ſuos Chriſtophorum, & Ludovicum in Metropolitana Canonicum Ordinarium, & in Baſilica S Stephani Præpoſitum, ac in præfata Ambroſiana item Canonicum. Ipſe verò cùm in Juriſprudentiâ excelleret ex Signaturæ Juſtitiæ in Aula Pontificia Decano, anno MDXII. Romanæ Rotæ Auditor eſt renunciatus; anno autem MDXVIII. Archipresbyter Templi Maximi in patria, & Apoſtolici Palatii Auditor evaſit. Obiit anno MDXXV. his litterariis fœtibus poſt ſe relictis.

I. Deciſiones MSS in Archivo Sacræ Rotæ, & in Corpore ipſius Deciſionum.

De eo Cantalmajus in Syllabo Auditor. Caſſand. Deciſ. XX. Sitonus loco cit. & in Schedis, atque Fontana.

## MDCCXVI.

## TRIVULTIUS JOANNES GEORGIUS.

PLuribus titulis commendandus eſt Joannes Georgius Trivultius, Joannis Firmi Equitis & Senatoris, nec non Catharinæ Landæ nobilium Conjugum filius. Ad Jura tam Civilia, quàm Canonica totus converſus, in eiſdem ſic profecit, ut in Collegium J. PP. Patriæ meritò cooptatus extiterit anno Chriſti MDLVIII. Moribus ac Litteris tam Græcis, quàm Latinis ſummopere excultus, Lauream etiam Pariſienſem obtinuit. Summus quoque Pontifex Paulus IV. Datarium in Galliæ Regno ipſum voluit. Protonotarius etiam Apoſtolicus, & U.S. Referendarius à Pio IV. item Pontifice renunciatur, à quo Cardinalis dignitatem ei deſignatam fuiſſe plurimi affirmarunt, ſed Eccleſiaſticâ Togâ dimiſsâ, & Olimpiâ ex Marchionibus Pallavicinis Uxore ſibi copulatâ, Regius Ducaliſque Senator efficitur. Ad majora ſingulares ejus virtutes, atque animi dotes ipſum evocaſſent, niſi mors invida eum è vivis ſuſtuliſſet; nimirum anno Æræ communis MDCXXII.

Scripſit:

I. Commentaria Legalia, de quibus ſic ſcripſit Moriggia loco infra recenſendo: „ Or dirò, come queſto Illuſtre ſtudioſo ha compoſto alcuni Comentarj, degni veramente di lode immortale, dove ſi vede la ſottigliezza del ſuo ingegno, e quanto egli ſia accurato negli Studj.

Librum verò, quem ego ſub eodem titulo penes Marchionem Alexandrum Theodorum Trivultium editum in fol. inſpexi, continet tantùm res domeſticas, & ad Familiam Trivultiam pertinentes, ideoque Moriggia, & ex eo Picinellus de alio Joannis Georgii noſtri Opere forſan locuti ſunt.

II. Carmina plura Latina. Teſtibus ſupradictis Moriggia, & Picinello.

III. Oratio in mortem Andreæ Alciati, unà cum Epiſtola latina, & Carmine ſatis longo ad Franciſcum Alciatum prudentiſſimum Juriſperitum (poſtea S.R.E. Cardinalem) nec non Epigraphe Sepulchro Alciati apponenda. MS. in fol. pagg. 11. Extat in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum.

Extant in ejus laudem hæc Bernardini Baldini Carmina in Appendice.

*Illuſtri, priſcaque Ducum ſate ſtirpe Trivulti,*
*Inque vicem ſplendor Stemmatis ipſe tui.*
*Sicut majores te Martis honoribus amplis,*
*Sic ipſe illuſtras Palladis arte tuos.*
*Purpurei Patres etiam poſt funus humati*
*Ornant luce tuum, condecorantque genus.*
*Sic triplex vultus triplici face lucidus ardet*
*Oſiri, Mavortis, Cecropiaque Deæ.*

De ipſo ſupradicti Moriggia in lib. III. cap. 20. Nobil. Mediol. Picinellus in Athenæo pag. 353., & Sitonus noſter in Schedis.

## MDCCXVII.

## TRIVULTIUS JOANNES JACOBUS.

JOannem Jacobum Trivultium, qui ob militarem gloriam, & infractam animi conſtantiam Magni cognomen adeptus eſt, Antonius Ducalis Conſiliarius, & Franciſca Vicecomes jugales nobiliſſimi in hac Inſubriæ Metropoli genuerunt. Fortiſſimi pectoris robur in filium tranſtuliſſe cum ſanguine viſus eſt Pater, qui, Philippo Maria ultimo è Vicecomitum ſtirpe Mediolani Duce defuncto, omnium primus Patriæ libertatem aſſeruerat, occupatumque unà cum aliis Caſtrum Portæ Jovis ſolo æquaverat. Franciſcus autem Sfortia hujuſce Urbis potitus imperio, quò faciliùs Antonium in partes traheret ſuas, Joannem Jacobum admodum puerum eâdem cum Galeacio filio ſuo educatione uti voluit; cùmque Trivultius noſter vix annum XII. attigiſſet, ab ipſo Duce in bello Veneto anno MCCCCLII. in caſtra ductus, prima ſub tanto Magiſtro militiæ poſuit tyrocinia. Cùm verò poſt quinquennium Pius II. Pontifex Max. Mantuam adventaret, ut Chriſtianorum Principum in ea Urbe conventum celebraret, Sfortia Galeacium filium Ferrariam uſque Summo Antiſtiti obviam prodire juſſit, Trivultio comite adjecto. Suppetias poſtmodum anno MCCCCLXVI. Ludovico Francorum Regi miſſurus Franciſcus Dux, eam ob rem filium ipſum in Gallias ablegavit, adhærente lateri ejus Joanne Jacobo; qua in expeditione præclarum fortitudinis ſpecimen dedit; ut enim ad Alpes perventum eſt, cùm cæteri commilitones depoſitis armorum oneribus, & equis inſidentes invias montium ſemitas pertranſirent; Trivultius ut erat cataphractus equo deſiliens iter confeciſſe traditur. Dum igitur pro Gallorum Rege fortiter ageret, auditâ Franciſci Ducis morte, Mediolanum cum Galeacio reverti coactus fuit; ubi à novo Inſubrum Principe,

qui

Digitized by Google

A

qui Patri ſucceſſerat in imperio chariſſimus ſemper eſt habitus . Sequenti anno , qui fuit Chriſti MCDLXVII. cùm extorres Cives Florentiam inducere meditaretur Bartholomæus Coleonius Veneti exercitus clariſſimus Imperator , Trivultium eò cum copiis Galeacius ablegavit , Florentinis adjutorio futurum ; quo in bello , tametſi pro Pontificiis , atque Coleonio victoria ſteterit, magna tamen roboris argumenta ipſe dedit . Neque minora fuerunt illa , quæ egit in Marchia Montisferrati anno MCCCCLXVIII. adversùs Philippum Ducis Allobrogum fratrem, ejus Regionis Oppida armis vexantem, illuc à Galeacio miſſus , donec inter hunc , atque Philippum conciliatâ , ob Bonæ Sabaudæ nuptias, pace, revocatus eſt. Qui ſecutus fuit anno humanæ Salutis MCCCCLXIX.

B

arma Trivultius pro Principe ſuo contra Antonium , atque Manfredum Corrigienſes Regulos movit tam felici eventu , ut Galeacius Brixillum celebre municipium recuperarit . Poſt biennium in pugna adverſùs Venetos Florentinis faventes , ſub oculis Galeacii , fortiter dimicans , equo perempto, alterius, ex quo hoſtium quidam delapſus fuerat , frœno manus injecit , & admirabili velocitate ipſum conſcendit , quod facinus ita Dux miratus eſt , ut Mediolanum reverſus magni pretii equum Trivultio per Jacobum Antiquarium muneris nomine miſerit , unà cum inſigni elogio bellicæ fortitudinis , quod Antiquarius idem, luculentâ Oratione pronunciatâ , magis ornavit . Raptus paulò poſt pietatis impetu , anno MCDLXXV. Chriſti Redemptoris Sepulchrum , & ſacra illa Syriæ loca, ubi Reparationis noſtræ coluntur ve-

C

ſtigia , Joannes Jacobus noſter viſere ſtatuit , qua in religioſâ peregrinatione comites habuit Viros eximios Joannem Arcimboldum tunc Novarienſem Epiſcopum , & S. R. E. Cardinalem , poſtmodum verò hujus Metropolis Archipræſulem , & Vincentium Caſtillionæum Juriſperitum inſignem , jam à nobis alibi commendatos . Inde regreſſus in Italiam anno ſequenti, Galeacium tunc Oppidum S. Agathæ haud procul Vercellis obſidentem adiit , ubi tam opportunus advênit , ut ante omnium primus admotis ſcalis hoſtium conſcenderit mœnia . Verùm lethali vulnere ſauciatus , juſſu Ducis Oppido potiti , in Tabernaculum Principis deductus eſt , adhibitiſque Medicis ut convaluit, Conſiliarii munus præmii loco percepit . Supremus annus ille Galeacio fuit , ipſum enim nex

D

à conjuratis , ut ſuo diximus loco , intentata terris ſuſtulit; quocirca cum Branda Caſtillionæo Epiſcopo Comenſi , Petro Landriano , atque Orpheo Arichano Florentino Joannis Galeacii pueri, defuncti Principis filii, cura ipſi eſt demandata. Erat tunc temporis rerum ſumma apud Ciccum Simonettam Virum clariſſimum , cujus laudes congruo recitabimus loco , & cum eo Trivultius noſter adversùs infantis Ducis patruos Ludovicum Mariam, & Aſcanium ſtetit ; at cùm Ciccus malorum conſpiratione oppreſſus indigno ſupplicio affectus occubuiſſet, incredibili dolore perculſus tantum deflevit facinus . Ludovicus autem Sfortia , ut Joannem Jacobum demereretur , anno MCCCCLXXXII. peditibus CCCC. ipſum cum imperio præfecit in bello Veneto ; tantique habuit, ut

E

cùm poſt biennium pacis fœdus inter Venetos ipſos, Mediolani Ducem , Florentinos, Ferrariæ Principes , alioſque feriendum foret , Jo. Galeacii , qui nomine tenus Inſubriæ dominabatur, loco Trivultium ſedere juſſerit . Miſſus poſtmodum fuit cum Marſilio Taurello Dux equitum MD. peditumque MM. ſuppetias laturus Duci Calabriæ , ubi præterquamquod Turrim & Arcem Montoni cepit , ejus potiſſimùm prudentia atque conſilio felix belli eventus contigit ; quemadmodum exinde anno MCCCCLXXXVII. Carolus Sabaudiæ Dux , Trivultio imprimis agente , & Mediolanenſium copiarum , quæ adjutrices advenerant, regimen adminiſtrante, Ludovicum Salutiarum Marchionem uſque adeo fregit , ut in Galliam ſe recipere coactus , ditionis ſuæ jacturam paſſus fuerit . Tanti Bellatoris famâ commotus Alphonſus Neapolitanus Rex , bonâ cum Mediolanenſis Ducis veniâ , eundem ad ſe accerſivit dum à Carolo VIII. Francorum Rege armis laceſſeretur , cùmque in hoſtium manus ( quæ belli fortuna eſt ) captivus incidiſſet Trivultius , ſtatim Gallorum Regis juſſu libertate donatus fuit , atque inter charos , & Conſiliarios adhibitus ſummâ ipſi fide adhæſit . Ipſius igitur operâ eodem anno MCCCCXCV. Senenſem Urbem in poteſtatem ſuam redegit Carolus Rex , cui fidus adſtitit in prœlio ad Tarum amnem, ubi perfractis Italorum Principum viribus reditum ſibi in Gallias aperuit . Ut Aſtam advênit , vices ſuas in Italia Trivultium gerere juſſit, & cùm haud multò poſt ipſum ad ſe trans Alpes vocaſſet, V. Scutorum M. & nonnulla Galliarum Oppida eidem eſt elargitus . Mox Aſtam repetens ad obitum uſque Caroli ibidem conſtitit Pro-Rex , Urbemque , cujus inter Cives fuerat cooptatus, ornare ſtuduit ; nam & vias antea cœnoſas ſilice ſterni mandavit , & ſublatis porticibus amplificavit . Magnificas ſibi Ædes paravit , & Tanarum fluvium ponte lateritio junxit . Hæc dum ageret , Sancti Michaëlis torque donari meruit , annoque MCCCCXCVII. Aſtâ Savonam cum armatorum manu ſe contulit , ut Cardinalem Sancti Petri in Vincula Urbe illa pulſum reduceret . Ipſius Sæculi anno poſtremo iterum in Gallias perrexit , ut Ludovici XII. ſolemni in Regem Francorum inaugurationi adeſſet , quem etiam hortatus eſt , ut prædictum Ludovicum Mariam Sfortiam Inſubri ſolio incubantem deturbaret . Ea allocutione commotus Gallus expeditioni ſe accingens Trivultium Aſtam remiſit , citraque montes ſummum Gallicarum rerum imperium ipſi demandavit . Arma igitur adversùs Sfortiam eodem anno ineunte Auguſto menſe movens , præter minora aliquot Oppida , Valentiam ad Padum ſitam primùm , mox Derthonam, & Alexandriam , tum demum Mediolanum in Regis verba jurare compulit . Territus idcirco Dux in Germaniam auxilium à Cæſare petiturus aufûgit ; Ludovicus autem Rex paulò poſt Mediolanum adveniens , in maxima Urbis Baſilica Trivultium Franciæ Mareſchallum renunciatum ſceptro , & enſe donavit , & Viglevani Marchionem conſtituit . Filio autem illius Muſochi Comiti , præter equeſtrem Sancti Michaëlis ordinem , venationum citra Alpes præfecturam , & Caſtrinovi feudum contulit . Sfortia interim ſicarium quendam , qui inviſum ſibi Virum è medio tolleret, per litteras delegit ; cùmque hoſpitaretur Trivultius in Ducali Palatio , quod Metropolitanæ proximum aſſurgit , perditus ille ſummo mane è cubiculo egredientem adoriri meditabatur , teloque configere . Verumtamen voce illius vix auditâ tremebundus terga dedit , tanta erat hominis dignitas ; quemadmodum reus ipſe poſtmodum palam profeſſus, & magnanimâ indè donatus veniâ ſignificavit. Adventabat Inſubriæ, anno Sæculari MD. Ludovicus Sfortia è Germania cum armatorum non pauca manu redux , auditoque nuncio Mediolanenſes ſub Gallorum jugo frementes ad arma conclamantes accurrunt . Ea de cauſa armatus proſiliens è Principis Ædibus Joannes Jacobus in Caſtrum ſe recipit, ſpreto eorum conſilio, qui ferrum in conjuratos ſtringere hortabantur , hiſque optimo Cive dignis verbis pronunciatis : Nolle ſe civili ſanguine fœdari . Capto apud Novariam Ludovico Maria Sfortia , ut alibi memoravimus , & captivo in Gallias abducto, Mediolanum cum Gallorum exercitu Joannes Jacobus noſter reverſus eſt ex eo , cui interfuerat , & cujus pars magna fuerat , bello , atque ad perennem facti memoriam cudi juſſit Numiſmata aurea , argentea , & ærea , quorum antica pars Iconem ipſius laureatam , & gentilitium Trivultiæ Gentis ſtemma intuentibus exhibebat ; inverſam autem hæc verba exornabant :



Digitized by Google

IOH. IACOBVS TRIVVLTIVS MARCH. VIGLEV.
FRANCIAE MARESCALCVS MCCCCIC.
EXPVGNATA ALEXANDRIA DELETO EXERCITV
LVDOVICVM SFORTIAM MEDIOLANI DVCEM EXPELLIT
REVERSVM APVD NOVARIAM STERNIT ET CAPIT.

Inſuper Civicæ charitatis memor, cùm CCC. Ducatorum millia in perduellionis pœnam Mediolanenſibus fuiſſent impoſita, CC. millia condonari eis petiit, & impetravit. Moderator univerſæ Ditionis à Rege conſtitutus, haud multò poſt, ſcilicet anno MDII. die XVI. menſis Auguſti Ludovicum XII. comitatus fuit, tunc cùm ſolemni pompa Januam ingreſſus eſt; at æmulis agentibus in Galliam revocatur, ubi adverſariorum calumnias, prolatis opportunis tabulis ſuperavit. Gratus fuit quoque Franciſco I. qui Ludovico XII. ſucceſſit in Francorum Regno, illiuſque Coronationi interfuit inter alios Proceres. Ab eodem etiam Franciſco Lugdunenſis Urbis Moderator eſt conſtitutus, quod munus dum gereret plura mœnibus adjecit munimenta, tum bello Italico à Rege decreto, in Inſubriam rediens Novariam cepit, mox in Gallorum poteſtatem Mediolanum reduxit. At tanta virtus magnam illi peperit invidiam; etenim apud Regem accuſatus, quod cum Galliæ hoſtibus conſpiraſſet, cùm ſe purgandi gratiâ iterùm trans Alpes perrexiſſet, multoſque ſibi præferri videret, quamvis impoſitas ſibi calumnias diluiſſet; ſontico morbo ex triſtitia concepto, Carnuti die IV. menſis Decembris, anno poſt Chriſtum natum MDXVIII. migravit è vita. Miramur ſanè Richebourcq in libro ſuo, cui titulus: Ultima Verba &c. Tomo II pag. 341. ſcripſiſſe Trivultium noſtrum, dum animam efflaret, non crucem, ſed nudum gladium manu tenere voluiſſe, ad pellendos, ut ajebat, diabolos. Etenim præterquamquod prorſus fidem ſuperat hujuſcemodi cogitationem adeò futilem, & puerilem in Virum prudentiſſimum cadere potuiſſe; habemus oculatum teſtem ipſius Trivultii familiarem, & comitem individuum, ſcilicet Joannem Antonium Ribuchum, è cujus MS. Codice infra citando quæcumque hactenus dicta ſunt de Joanne Jacobo hauſimus, longè aliter hoc narrantem. Referemus igitur ipſius verba, licèt rudi ſtylo exarata, quibus Trivultii mortem narrat: „ Se confeſsò de giorni „ otto inanzi moriſſe, fecce el ſuo teſtamento: ſe „ comunicò devotamente: quando el ricevete el cor„ pus domini usì fora del lecto: & ſe miſſe a geno„ chie nude a riceverlo &c. & havuto la extrema „ unctione & recomendatione del anima paſsò da „ queſta mortal ala eterna vita ali quattro di De„ cembre il giorno di ſanto Sabbo abbate cum una „ croce d'argento in mano qual tanto teneva ſtretta „ in mano per divotione che doppo la morte cum „ difficultà ſi pote levare. „ Cadaver illius ad Templum Sancti Franciſci extra muros Carnuti magno funeris apparatu deductum, poſtea unguentis condîtum, ut ipſe juſſerat, Mediolanum delatum eſt. Ad hanc pervênit Urbem die XVII. Januarii anni ſequentis in Arcâ plumbeâ villoſo ſerico tectâ, & in Baſilica primùm Euſtorgiana repoſitum fuit. Mox die XIX ejuſdem menſis, viginti octo millibus aureorum in parentali pompa impenſis, ad alteram Baſilicam Nazarianam tranſlatum fuit, & in Atrio ipſius Baſilicæ, ubi Aſſumptæ in Cœlum Deiparæ Aram ſtatuerat, in nobili monumento depoſitum, cum hoc Elogio:

IOANNES IACOBVS MAGNVS TRIVVLTIVS
ANTONII FILIVS
QVI NVNQVAM QVIEVIT
QVIESCIT
TACE

Eruditionem porrò illius teſtatam faciunt aſſiduitas publica Gymnaſia frequentandi, ſtupentibus omnibus in tanto duce, Viroque inter arma nutrito, tam ardentem in litteras amorem; magis tamen illam indicant, quæ ejus ſuperſunt,

Scilicet:

I. Oratio ad Carolum VIII. *Pariſiis*, 1601. *in* 4. memoratur in Indice Bibliothecæ Colbertinæ num. 11170.

II. Orazione fatta da lui ad alcune Truppe Spagnuole, che li tumultuavano contro. Extat in Codice MS. Joannis Antonii Ribuchi inferiùs memorando.

III. Lettera a' Cittadini di Tortona, in cui aſſegna molte ragioni, per le quali gl' induce ad arrenderſi alle armi Franceſi. MS. ibid.

Publicè dixit in ejus funere Antonius Thyleſius Coſentinus, cujus eloquentiſſima Oratio edita fuit *Mediolani, per Auguſtinum de Vicomercato*, 1519. *in fol.* Fallitur enim Toppius in Bibliotheca ſua Neapolitana, in qua pag. 32. Tomi I. hanc Orationem, non Mediolani, ſed Romæ die feſto Sanctæ Luciæ in Templo Sancti Euſtachii, habitam fuiſſe ſcribit, anno MDXVI. Eo enim anno adhuc vivebat Trivultius, ut ſupra narravimus.

Vitam illius uberrimè deſcripſit jam ſupra laudatus Joannes Antonius Ribuchus ingenti Codice MS. in fol. comprehenſam, qui ſervatur ab amiciſſimo Viro jam ſæpè à nobis memorato Canonico Joanne Andrea Irico, unà cum Anonymi cujuſdam altero MS. in fol. ubi narratur diligentiſſimè exequiarum Jo. Jacobi noſtri ordo. Quamvis autem in utroque Italicæ linguæ candor deſideretur; digni tamen ſunt, qui in publicam prodeant lucem, primus præſertim, multa continens ad hiſtoriam illius ævi pertinentia fruſtra certè in aliis quærenda.

Inter Epiſtolas Petri Martyris de Angleria loco ſuo jam laudati, habentur Epiſtolæ III. ad Trivultium noſtrum datæ anno MDVIII.

Ipſum pluribus celebravit Carminibus Lancinus Curtius, præſertim in libro IX. Sylvarum edit. *Mediol.* 1521. ubi pag. 169. habetur Carmen heroicum ad Trivultium noſtrum. In libro item VI. Epigrammaton pag. 87. & in libro VIII. pag 122. & tandem in libro XI. pag. 1. ad eundem, & ad Theodorum Trivultium.

In Opere, cui titulus „ Carm. Illuſt. Poëtar. Ital. Tom. VII. pag. 78. extat Carmen Parthenii Parravicini in Jacobum Trivultium, ſicut & pag. 263. legitur Epigramma Platini Plati ad Jo. Jacobum Trivultium, atque aliud pag. 275. Tom. VIII pag. 60 extat Epigramma Antonii Franciſci Rainerii Mediolanenſis ſub effigie Jacobi Trivultii

In Codice MS. Epigrammatum Jacobi Valerii, qui ſervatur in Bibliotheca Collegii S Antonii hujus Urbis Clericorum Regul vulgò Teatinorum, tria leguntur de Trivultio magno Epigrammata, quem etiam Poëta tanquam ſibi reſpondentem inducit alio Epigrammate.

Eidem plures Lucubrationes vel ſuas, vel aliorum dicarunt. Hos inter Joannes Domenicanus ex Graſignana inſcripſit Tomum I. Conſiliorum Philippi Decii editum *Ticini* 1512. & Pius Bononienſis librum Iſidori de Iſolanis Mediolanenſis, quem ſuo memoravimus loco, cui titulus eſt: De Regum, Principumque omnium inſtitutis.

De Nuptiis ejus cum Beatrice Davala agit Hermolaus Barbarus in Epiſtola ſua data Mediol. Id. Maji ad Petrum

trum Caram, quæ legitur in lib. XII. Epiſtolarum Politiani.
Ipſum, præter citatos, laudarunt Bernardinus Landrianus in Epiſtola ad Luchinum Landrianum, de quo in articulo ejuſdem Bernardini diximus. Baptiſta Fulgoſius in Dictis, & Factis memorabilibus lib. VI. Memoratus Iſolanus in Panegyri de Laudibus Mediol. pag 30. Morerius in Lexico. Julius Roſcius Hortinus in Elogiis Militaribus editionis *Romanæ anno* 1596. *in* 4. pag. 139. Sitonus noſter in Chron. Collegii J. PP. art. 181. pag. 46. atque in Theatro ſuo Genealog. MS. ſicut & in Schedis, aliique innumeri.

## MDCCXVIII.

## TRIVULTIUS SCARAMUTIA.

A

JOannes Firmus Trivultius Ducalis Senator & Comes, atque Margarita ex Comitibus Valpergæ nobiliſſimi Conjuges, Scaramutiam genuerunt, quem ipſa quodammodo natura ad Scientias amplectendas ab infantia perduxiſſe videtur. Admirabili enim ingenio, & ſingulari memoriâ præditus brevì minora ſtudiorum curricula perfecit, tum ad Cæſareum, Pontificiumque Jus addiſcendum acceſſit, ſumptâque Togâ inter Juriſconſultos Collegiatos in patria ſedit anno poſt humani generis reparationem MCCCCLXXXIX. Primarius exinde Juris Civilis Interpres in Ticinenſi Academia conſtituitur, mox Mediolanenſis Senator, & Ludovici XII. Francorum Regis à Conſiliis extitit; quo in munere talem præſetulit integritatem, ut Rege ipſo potiſſimùm agente, pingue Sacerdotium S. Stephani à Cornu in Agro Laudenſi fuerit adeptus. In Aula Pontificia utriuſque Signaturæ Referendarius primùm renunciatus, tum à Julio II. Novocomenſem Eccleſiam regendam ſuſcepit. Ad traditum ſibi populum acceſſit Trivultius magnifico exceptus apparatu, comitantibus eum honoris gratiâ quampluribus Mediolanenſibus è primaria Nobilitate proceribus, atque Antonio Fratre ſuo Aſtenſi Epiſcopo, VII. Id. Septemb. anno MDIX., ac poſtridie ob Natalis Deiparæ ſolemnitatem in Cathedrali Sacrificium Deo obtulit confluentibus Civibus, quibus peccatorum omnium veniam ex Pontificis Julii Diplomate conceſſit; cùmque aliquando Comi conſtitiſſet, reverſus eſt in Galliam, ubi à Ludovico Rege magna habitus in exiſtimatione fuit, donec Rege ipſo indicente, Piſano Concilio, adversùs Julium Pontificem, Mediolanum tranſlato, Schiſma diffugiens Scaramutia Romam contendit ab Julio vocatus. Lateranenſi deinde Synodo à Leone X collectæ interfuit, atque in ejuſdem actis non rarò Scaramutiæ Cumani Epiſcopi legitur mentio. Perſpectâ tanti Viri eruditione, atque prudentiâ, dignum ipſum Leo cenſuit, qui in Cardinalium Cœtum cooptaretur, quapropter Kal. Julii, anno Salutis MDXVII. Scaramutiam Presbyterali titulo Sancti Cyriaci in Thermis ornavit, cui etiam Franciſcus I. Gallorum Rex Ditionis ſuæ patrocinium demandavit. Præter Comenſem alias quoque rexit Eccleſias, nimirum Viennenſem in Gallia, ac Placentinam in Italia, quam exacto triennio, Catellano Trivultio Nepoti ceſſit. Pulſis Italia Gallis, cùm Cardinalis noſter in Urbe Roma degeret, à Franciſco II. Sfortia Mediolanenſi Duce beneficiorum ſuorum annuis cenſibus ſpoliatus eſt; & licèt, Franciſco Rege capto, Mediolano potiti fuiſſent Hiſpani, tamen Trivultius ſua recuperare non potuit. Exorto deinde inter Cæſarianos, ac Pontificem Clementem VII. bello, anno poſt Virginis Partum MDXXVII. excidium Romæ præſagiens Scaramutia, bonâ cum Summi Antiſtitis veniâ, in Veronenſem agrum ſeceſſit; ibique anno eodem, die IX. Auguſti in Monaſterio Maguzani, ſeu Magenzani deceſſit, ubi etiam tumulatus conquieſcit abſque ullo Sepulchrali Elogio. Benigniſſimis fuit moribus, atque ad ſe accedentes humaniſſimè ſemper ſuſcepit. Optimos, & litteratos homines ad menſam convivas adhibebat, & ſi quid eruditionem redolens proponeretur, totis auribus excipere ſolitus erat. Sententiam ſuam de quacumque Controverſia, ſive ex Theologia, ſive ex Hiſtoria Sacra, & profana, ſive ex Matheſi, ſive etiam de linguarum varietate petita eſſet, in medium afferebat non ſine adſtantium admiratione; quapropter frequentiſſimum doctorum Virorum cœtum domi ſemper habebat; in quibus numerandus inter primos Joannes Laſcares Græcus Vir notæ eruditionis.

B

Ipſe quoque proprii ingenii monumenta reliquit, quæ hîc recenſemus.

I. Lecturas Legales.
II. Deciſiones plures. Has memorat Eggs in Purpura Docta, loco inferiùs citando, & quidem MSS. ſuſpicamur, at quo loco ſerventur memo indicat, niſi fortè in Archivo Molis Hadrianæ deliteſcant.

Ad eum Petrus Martyr de Angleria, quem alibi memoravimus, geminas dedit Epiſtolas, anno MDVIII. Alias quoque Platinus Platus, quæ inter iſtius editas in ejus articulo laudatas leguntur; & IV Joannes Baptiſta Sanga, impreſſas in lib. III. Epiſtolarum Principum.

In libris Epigrammatum Lancini Curtii, editionis Mediolanenſis, ann. 1521. extant plura Epigrammata ad Scaramutiam Trivultium libro VI., pagg. 91. Lib. VII. pag. 97. Lib. VIII. pag. 122. Lib. IX. pag. 131., & lib. X. pag. 154.

C

Ipſi dicarunt Benedictus Jovius Poëma, cui titulus: „ De Venetis Gallicum Trophæum. „ *Sine loco, anno, & Typographo*, *in* 4. quem librum extare apud ſe MS. ampliorem, quàm editum, aſſerit alibi à me laudatus Comes Antonius Joſeph à Turre Rezzonici J. C. C. Novocomenſis; ejuſque meminit idem Jovius lib. II. Hiſtoriæ Novocomenſis, atque Gulielmus Cittadinus Comi Canonicus Breviarium Patriarchinum, anno MDXIX. in 8.

Commendarunt Cardinalem noſtrum Hieronymus Moronus Mediol. alibi laudatus in Oratione habita in cooptatione in Collegium J. PP. Urbani Trivultii, anno MCCCCXCIX Ciacconius Tomo III. col. 382. Eggs in Purpura Docta Tom. IV. pag. 379. Ughellus in Italia Sacra inter Comenſes, & Placentinos Epiſcopos. Ballarinus, & Tattus in Annalibus Comen., aliique plures.

D

## MDCCXIX.

## TRIVULTIUS THEODORUS.

EX Principe Carolo Emmanuele Theodoro Trivultio, atque Catharina Gonzaga notiſſimæ apud Inſubres nobilitatis Conjugibus, natales habuit anno Salutis MDXCVII. Theodorus, qui in prima adoleſcentia Vincentii Mantuæ, & Franciſci Mariæ Urbini Ducum Aulas inviſit, cùm jam Patrem in Belgio pro Catholico Rege armatorum Magiſterium gerentem amiſiſſet, atque ſub Matris tutela ſedulò domi educatus inter litterarum, & pietatis rudimenta adoleviſſet. Æmulatus poſtea Majorum ſuorum gloriam, duas Equitũ turmas propriis ſumptibus inſtruxit, ut Philippo III. militaret; ipſoque Rege pronubo Uxorem duxit primigeniam Principis Monœci (vulgò Monaco in Mediterranei Maris promontorio haud procul Nicæa ſiti) filiam, quæ edito in lucem virilis ſexus partu in ipſo ætatis flore deceſſit. Theodorus autem Cæſaris nomine pro bello Hungarico apud Principes Italiæ diligenter egit, & à Ferdinando II Auguſto pro ſe, hæredibuſque Muſocci, & Vallis Meſolcinæ, ſeu Meſaucinæ, Principatum obtinuit, inter Magnates Hiſpaniæ à Catholico Rege inſuper cooptatus. Spretis nobilium fœminarum nuptiis ad ſecunda vota tranſire noluit, ſed Clericos inter cœlibatui ſe addixit. Quocirca laureâ in utroque Jure ſuſceptâ, & in Juriſperitorum Collegium anno MDCXXVI. cooptatus, priùs Apoſtolicæ Cameræ Clericatu ornari meruit, tum ad Protonotarii hono-

E

Digitized by Google

A honorem promotus eſt in Curia, Urbano VIII. Summo Pontifice. Ipſum poſtea idem Urbanus, ætatis annum XXXII. agentem XIII Kal. Decemb. anno MDCXXIX. Cardinalem Diaconum Sanċti Cæſarii, deinde Sanċtæ Mariæ in Via-lata creavit. Legatum poſtea Picæno præfecit, quo munere laudabiliter geſto in Hiſpaniam Theodorus contendit, ubi Aragoniæ, Siciliæ, & Sardiniæ Prorex conſtitutus, populos magnâ cum Regis Catholici benevolentiâ moderatus eſt. Haud multò poſt in patriam rediit, ut ei Hiſpani Monarchæ nomine præeſſet Moderator; quo in gradu vigilantiſſimus hoſtium impetus ab univerſa Ditione propulſare ſtuduit, ſuppetias ipſe ferens, & adverſâ licet valetudine oppreſſus Urbium munitiones inviſens. Hiſce curis intentus in hac Metropoli migravit è vita, ineunte Martio, anno MDCLVII. Publico elatus eſt funere, in quo Alexander Porrus Bobienſis Epiſcopus, cujus alibi jam meminimus, oravit. Cernitur illius Inſcriptio in Sacello familiæ in Baſilica Protomartyris hujus Urbis hiſce notis exarata.

SVB AVSPICIIS BEATISS. VIRG. MARIAE.
THEODORVS CARDINALIS PRINCEPS TRIVVLTIVS
A LATERE LEGATVS
EX SVPREMO STATVS CONSILIO
ARAGONIAE SICILIAE SARDINIAE PROREX
ET EXERCITVVM IMPERATOR
REGNA PERTVRBATIS TEMPORIBVS
EXIMIA VIRTVTE PARI FELICITATE ADMINISTRAVIT
SVMMIS DEMVM PERFVNCTVS MVNERIBVS
CORONATOQVE PONTIFICE MAX.
SINGVLARI IN RELIGIONEM AC REGEM FIDE
IN HOSTES FORTITVDINE IN PATRIAM AMORE
OBIIT MEDIOLANENSIS PROVINCIAE GVBERNATOR
THEODOR. PRINC. TRIVVLT. F. P. MDCLVII.

B Abbas fuit Commendatarius antiquiſſimi Monaſterii Sanċti Celſi, olim Ordinis Cluniacenſis, cujus Baſilicam vetuſtate penè collapſam inſigni molitione reſtituit, atque in ejuſdem Templi fronte præter gentilis Stemmatis ornamentum hæc leguntur:

THEODORVS CARDINALIS
PRINCEPS TRIVVLTIVS
MDCLI.

Superſunt illius, quæ hìc indicantur:

I. Oratio habita in Seditione Neapolitana anno MDCXLVII. in Conventu Procerum. Extat in libro, cui titulus: „ Joſephi Riccii Clerici Regularis Congreg. „ Somaſchæ, Rerum Italicarum ſui temporis Narra„ tiones. „ *Venetiis, apud Turrinum*, 1655. *in* 4. pag. 748.

C II. Iſtruzione data dal Cardinale Trivulzio al Padre Abbate Don Vittorio Alfieri del Monaſtero di S. Ambrogio Ciſtercienſe per la ſua Miſſione alla Corte Cattolica li XVI. Novembre MDCXXXV. per gli affari del detto Sig Cardinale con la Corte ſodetta. MS. in fol. ſignat. num. 51. Extat in Bibliotheca prædiċti Monaſterii; in cujus altero Codice ſign. A num. 28. extant ad hunc Viċtorium Aliferum litteræ autographæ Cardinalis Barberini, & Hilarionis Rancati, quibus ei permittunt, ut pro ipſo Cardinali Trivultio in Hiſpaniam pergat; datæ anno MDCXXXIII.

III. Epiſtolæ plures de graviſſimis negotiis agentes ad præfatum Hilarionem Rancatum, unà cum hujus Reſponſionibus, reperiuntur in Tomo XXIII. MSS. ipſius Rancati.

D Extat ad eum Epiſtola ſatis prolixa Aquilini Coppini, in qua deſcribit Medianum, Joannis Baptiſtæ Senatoris Viceecomitis Villam. Dat. Mediolani IV. Kalend. Julii MDCXIII.

Diſſertatio Jo. Petri Puricelli de Celſiano Monaſterio Mediol, de Abbatia ejuſdem, & de Imagine B. M. V., quæ in Celſiana Baſilica reperitur, Cardinali Theodoro Trivultio dicata fuit, ubi plura quoque in ejus laudem. Servatur MS. in fol. in Bibliotheca Ambroſiana ſign. ſt. num. 3. ut in Articulo ejuſdem Puricelli.

Dicarunt eidem labores ſuos litterarios Eruditi plures, quos inter Joannes Baptiſta Manenti Opera quæ edidit; Jacobus Lampugnanus è Soc. Jeſu Orationem, de Chriſti Redemptoris Paſſione; atque Brunorus Taberna Italico Carmine ejus Purpuræ enunciationem, commendavit.

Laudatur à Ciacconio in Tomo IV. col. 583. Galeacio Gualdo in Theatro Viror. Illuſtr. Jo. Petro Puricello in Diſſert. Nazar. cap. CLXXIV. Sitono noſtro in Chron. J. PP. pag. 203. art. 878. aliiſque pluribus.

MDCCXX.

## TRIVULTIUS THEODORUS alter.

Mox commendati Cardinalis nomen reddidit Theodorus Trivultius alter, Mediolani genitus à Sfortia, atque Thereſia Cantia jugalibus, nobis, dum fuit in vivis, amiciſſimus. Hic minoribus ſtudiis jam perfeċtis ad addiſcendas tam Cæſareas, quàm Pontificias Leges animum convertit tam proſpero eventu, ut laureâ redimitus, in Juriſperitorum Collegium meruerit cooptari anno redempti Orbis MDCCVII. Jam pridem tamen Clericali militiæ dederat nomen, ſacriſque initiatus myſteriis ad Ordinarii Canonicatus honorem in Baſilica Metropolitana hujus Urbis fuerat eveċtus; cujus quidem Præbendæ poſſeſſionem inierat die VI. menſis Maji, anno MDCXCIX. Apoſtolicæ quoque Sedis Protonotarii dignitate fulſit. Diligentiſſimo pariter, & erudito Viro demandarunt Collegæ Tabularii Præfeċturam, ipſamque tam ſedulus adminiſtravit, ut ſingulas Archivi ſchedas, & publica ſimul atque privata documenta non in ordinem tantùm redegerit, verùm etiam ex illis hauſerit Opus inferiùs memorandum,

Digitized by Google

dum, quod nobis non parum ſubſidii contulit in hac Bibliotheca adornanda. Sacrarii quoque Codices, è quibus nonnullos citavimus, Bibliothecæ Capitularis libros, & eos item, qui ad Canonicorum, ut vocant, Reſidentiæ Punctaturam pertinent, congruo diſpoſuit ordine. Tandem vitâ functus anno Salutis noſtræ MDCCXXIV. die X. menſis Auguſti,

Elaboravit quæ hîc referimus;

I. Series eorum, qui in Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ obſequium aſſumpti, ac primò ſub nomine de Ordine majori; inde Cardinalium, & Ordinariorum promiſcuè, ac poſtmodum Canonicorum Ordinariorum nomenclatura deſignati; Theodoro Abbati Trivultio Juriſconſulto Collegiato, & ejuſdem Eccleſiæ Canonico Ordinario innotuêre, dum tamquam Capitularis Archivii Præfectus Scripturas, & Documenta omnia Reverendiſsimi Capituli priſtino ordini reſtituit, libroſque Ven. Sacriſtiæ, Capitularis Bibliothecæ, ac Reſidentialis Punctaturæ in ordinem redegit anno Domini MDCC. MS. in fol. juſtæ molis extat apud JC. Sitonum nobis amiciſſimum.

II. Adnotationes plures, Capitum Summæ, atque alia ad intelligendos nonnullos Codices MSS. antiquitate venerabiles, quos inter Beroldi Opera, aliaque Bibliothecæ Metropolitani Capituli, aptiſſima ſcripſit, quibus nos uſi ſumus,

III. Epiſtola ad Cardinalem Joſeph Archintum Archiepiſcopum præfixa Diſſertationibus Alexandri Archinti, de qua in Alexandro diximus. MS. in Archintea.

Agit de ipſo præcitatus Sitonus in Chron. Collegii J.PP. art. 1162. pag. 246.

## MDCCXXI.

## TRONUS PETRUS MARTYR.

IN Muſæo Novarienſi Cl. Lazari Auguſtini Cottæ reperitur Petrus Martyr Tronus de Camero, ſed è contra doctiſſimus Bartholomæus Curtius ex fide Paſchalis Galli, aliorumque, & quod plus eſt, ex verbis Gabrielis Cunei Mediolanenſis in libro inſcripto „ Apologiæ Franciſci Puthei Examen &c. „ in Articulo ipſius Cunei à nobis jam prolato, Tronum noſtrum Mediolanenſem dicit. Ibi quippe Cuneus „ Tronum familiarem & Concivem meum „ vocat, ideoque Curtius originem Scriptoris hujus fuiſſe ex Oppido Cameri in Novarienſi ditione, ſed Mediolani natales duxiſſe exiſtimavit. Hic itaque Profeſſor primarius publicus Chirurgiæ in Univerſitate Ticinenſi extitit, ex qua Romam profectus eſt, ob curam Viri celeberrimi, cujus nomen reticuit Federicus Ghiſlerius, qui Opera Auctoris noſtri edidit, & in nuncupatoria Epiſtola ſic loquitur: „ Petrus Martyr Tronus ſocer olim meus. is qui proximis ſuperioribus annis „ Chirurgiam in Ticinenſi Gymnaſio ſumma cum nominis ſui gloria publicè profeſſus eſt, quædam moriens reliquit;

Scilicet:

I. In Hyppocratem ſcripta „ quæ qui de iis rebus judicare poſſunt, cum ipſa antiquitate ſolent comparare. Statui labores, ac vigilias doctiſſimi, atque optimi Viri ab hominum oblivione, quantum in me eſſet, vindicare. „

II. De Ulceribus, & Vulneribus Capitis. *Papiæ*, 1584.

III. Preſervativi utiliſſimi, ne' quali ſi dichiara il modo con che l'uomo potrà preſervarſi della Peſte. *Milano*, 1630 *in* 4.

Ejus meminerunt, præter Curtium ſupradictum in ſuo Opere de Medicis Mediol., Jo. Antonida Vander-Linden de Script. Medic. pag. 130. Paſchalis Gallus pag. 256. Schenchius pag. 448. & Merchlinus in Lindenio Renovato pag. 898.

## MDCCXXII.

## TROTTUS JOANNES ALOYSIUS.

MAtthæus Trottus, ac Hippolyta Petraſancta conjuges Mediolanenſes Joanni Aloyſio filio primam lucem dederunt in Oppido Caſtellatii anno circiter Chriſtiano MDX, atque ipſum egregiis moribus exquiſitiſque ſcientiis ita educarunt, ut & Juriſperitus egregius, & Philoſophus, necnon Theologus evaſerit, ſicut infra oſtendemus. Ægrè admodum fert Collector Vitarum illuſtrium Virorum, ubi aliquando, & quidem frequentiùs eveniat, ut parum vel nihil ei detur invenire ad rem litterariam ipſorum pertinens. Ità mihi profectò accidit in Jo. Aloyſio noſtro, nam præter Librum ſubter enunciandum, aliud ingenii illius monumentum non reperi. Teſtimonia interim ſuæ probitatis, & doctrinæ ſunt munera Quæſtoris Magiſtratus Ordinarii, necnon alia, de quibus ſequens loquitur Inſcriptio Sepulchralis, quam Patri optimo poſuit Camillus J. C. C. Urbis Præfectus, Quæſtor & ipſe Magiſtratus extraordinariorum Redditⁿum, ac deinde unus ex Patribus conſcriptis Senatus Mediolanenſis. Obiit Joannes Aloyſius die XX. Martii anni MDLX., ejuſque Teſtamentum ſervat prænobile Muſæum litterarium, & antiquitatum Patriæ ditiſſimum Clariſs. Viri Sitoni. Jacet verò in Eccleſia D. Marci hujus Urbis hoc indicato Elogio:

IOH. ALOYSIO TROTTO
FRANCISC. SFORTIAE MEDIOL. DVCIS
QVAEST. ORDIN.
ET EODEM TEMPORE AD TRANSPADANOS
COMMISSARIO GENERALI
ANNONAE PRAESIDI ET EX CONSILIARIIS SECRETIS
VNI PATRI OPTIMO
SIBI LIBERIS POSTERISQVE SVIS
CAMILLVS TROTTVS DE QVAEST. EXTRAORDINARIIS
PHILIPPI AVSTRII HISPAN. REGIS
SENATOR
ANNO MDLXXXVII.



Digitized by Google

Vidimus tantùm de eo :

I. Ordini appartenenti al governo dell'Oſpitale grande di Milano, e di tutti gli altri Oſpitali a queſto uniti, con le Iſtruzioni di tutti gli Officiali, e Miniſtri ſuoi. *Milano, per li Fratelli Meda*, 1558. *in* 4. ſine Auctoris nomine, quod tantùm eruitur ex Prioris, & Collegarum approbatione Operis, quod denuò lucem vidit cum Additionibus anno 1695. *apud Pontium*, *&* *Piccaleam*, *in* 4.

Iſidorus Clarus Monachus librum ei dicavit ſub hoc titulo „ De Modo divitias adhibendi homini Chriſtiano. *Mediolani*, *apud Calvum*, 1540. *in* 4.

Ei quoque F. Hieronymus Mendriſius nuncupavit librum „ De compoſſibilitate infallibilis ſcientiæ Dei, „ atque contingentiæ rerum „ de quo in Mendriſio dictum. In Epiſtola ad eundem laudatur ob virtutes, & maximè ob eruditionem in doctrinis Philoſophicis, & Theologicis, ubi aſſeritur Opus eo hortante conſcriptum fuiſſe.

Extant ad eum litteræ latinæ, cùm eſſet Ducalis Quæſtor, & Præſes Annonæ, Hieronymi Perboni inter hujus impreſſas *Mediol apud Medam*, 1533. lib. IV. p. 7.

Ejuſdem Joannis Aloyſii Trotti meminit cum laude Nicolaus Saccus in Nuncupatoria tractatus de Calore naturali. *Papiæ*, 1628. *in* 4. & Advocatus Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. Mediol. pag. 134. art. 571. & in Theatro ſuo Genealogico MS. pag. 449.

MDCCXXIII.

## TROTTUS JOANNES BAPTISTA.

Nomen Joannis Baptiſtæ Trotti Camilli Senatoris, & Lauræ Luſcatæ filii, adhuc ingenti cum laude viget non tantùm in ſcriptis, ſed oribus quoque Mediolanenſium, ob egregias illius dotes; nam penè in Collegio nobilium Juriſconſultorum Patriæ cooptatus anno à Virgineo partu MDXCIV. clarere cœpit in Foro, itaut Advocatus eloquentiſſimus, ac Juriſperitus conſummatiſſimus vocari meruerit. Poſt omnes togæ gradus in Patria feliciſſimè emenſos, anno MDCVI. Senator, deinde Magiſtratus Ordinariorum Redditũum Præſes creatus, mox Excellentiſſimi Senatus Princeps, & ſimul Supremus Cancellarius, quæ munia tantâ prudentiæ, ac integritatis famâ optimè geſſit, quod paſſim egregii, necnon Summi Præſidis cùm divinæ, tum rei regiæ ſtudioſiſſimi ſimulachrum ab omnibus celebraretur. Vir nunquam moriturus abiit ad Superos anno MDCXL. Quieſcit in avito Sacello D. Auguſtini in Templo D. Marci hujus Urbis. Eidem, ac magnis avis pientiſſimus filius, hoc Eulogium inſcripſit:

ALOYSIO PROAVO
QVI FRANCISCO SFORTIAE MEDIOLANI DVCI
SAPIENTIA ET RELIGIONE ADEO PROBATVS INTIMVSQVE FVIT
VT AD DISPONENDA CONSILIA PRINCIPATVS
ORDINANDVMQ; REIPVB. STATVM NON ALIO MAGIS VTERETVR
CAMILLO AVO
QVI PATERNARVM VIRTVTVM HAERES
LITERARVM INSVPER INGENIIQVE
ELEGANTIAM ADIECIT
ATQVE SVB PHILIPPO II. LATVM CLAVVM ADEPTVS
APPROBATIONE HABITVS EST
IOH. BAPTISTAE PATRI
QVI SCIENTIA LEGVM ET DIGNITATE VITAE PATRIS FAMAM
AEQVAVIT SVPERAVIT HONORES
ATQVE IVDICIO ET BENIGNITATE REGIS
OMNIA SVMMA CONSEQVVTVS
PRINCEPS SENATVS FVIT
ET MAGNI CANCELLARII MVNVS GESSIT
ADEO LAVDABILITER ATQVE INTEGRE
VT HONORVM TITVLOS POSTERITATI QVOQVE EIVS
CONCEDERET REX
IOSEPH TROTTVS
PIO ERGA MAIORES SVOS ANIMO P.
ANNO MDCXLI.

Teſti-

Digitized by Google

Teſtimonia ipſius eruditionis, ac Legum ſcientiæ, ſunt:

I. Allegatio, cui titulus: „ Eccleſia non tenetur ad onera extraordinaria pro bonis, quæ acquirit, non obſtante Conſtitutione Mediolani, & Statut. Novariæ. „ Extat inter perinſignes Univerſitatum, & J. C. Allegationes collectas primò à Carolo à Baſilica Petri, poſtea à Hieronymo Gattico. *Bononiæ*, 1622. *in* 4., & in Catena aurea ejuſdem Tom. I. pag. 5.

II. Allegationes plurimæ tam impreſſæ, quàm MSS. reperiuntur apud J. CC. Mediolanenſes, & Ticinenſes, inter quas eminent illæ pro Lucretia Cayma contra Arſagos. Volumen integrum de eis effici poteſt.

III. Oratio pro cooptatione in Collegium JCtorum Senatoris Jo. Baptiſtæ Vicecomitis Herculis filii, uti in Vita ejuſdem.

IV. Oratio in adventu Cardinalis Cæſaris Montii Archiepiſcopi Mediolanenſis MS. Extat in Biblioth. PP. Eremit. Diſcalc. Sanctorum Coſmæ, & Damiani hujus Urbis, Cod. ſign. S.

Eidem Lucilius Terzagus ſuas Epiſtolas Familiares nuncupavit anno MDCXXXIV.

Stephanus Guaſchus ei direxit Epiſtolas tres, quæ extant in Vol. III. pag. 79. 80., & 240.

In libro Epiſtolarum Sigiſmundi Boldoni, *Mediolani*, 1651. *Typis Ludovici Montiæ*, extat Epiſtola Joanni Baptiſtæ Trotto Principi Senatus, VI. Kal. Febr. MDCXXVIII.

In Cod MS. Epigrammatum Jacobi Valerii Biblioth. PP. Teatin. D. Antonii Mediolani extat Carmen ad Joannem Baptiſtam Trottum Senatorem.

Egregiâ cùm ipſius, tum ejuſdem Aſcendentium commendatione, Tractatum de Calore naturali nuncupavit huic Scriptori Nicolaus Saccus. *Papiæ*, 1628. *in* 4. & Teodatus Hoſius Tractatum de Architecturæ Nobilitate. *Mediolani*, 1639. *in* 8.

Ei dicavit Julius Cæſar Ruginellus librum ſuum de Arboribus controverſis. *Mediolani*, *apud Navam*, 1624. *in* 4.

Agit de ipſo Clariſs. Sitonus in Theat. Nobil. J. PP. Coll. Mediol. pag. 178. art. 735.

## MDCCXXIV.

## TROTTUS JOANNES BAPTISTA alter.

Ægrè quidem ferò in hac mea Mediolanenſium Eruditorum Bibliotheca coactum eſſe de eximio Comite, & Senatore Joanne Baptiſta Trotto verba facere; enimvero, heu! Patronum eximium mihique benevolentiſſimum, præmatura morte Civibuſque omnibus Mediolanenſibus adhuc moleſtiſſima ereptum deploro. Primam vidit ille in hac Metropoli diem, anno poſt Chriſti adventum MDCLXXXVI. patre Aloyſio Senatore, ac in Supremo Italicarum rerum Conſilio Regente, matre verò Thereſia Orrigona nobilibus conjugibus. Veſtigia majorum proſecutus Joannes Baptiſta noſter, totus ad Jura tam Cæſarea, quàm Pontificia ediſcenda ſe contulit, ac in ipſis veloci, quo erat præditus ingenio ſic profecit, ut annorum penè XXII. Collegium Nobilium Juriſperitorum patriæ ſuæ amantiſſimæ ingrederetur. Imò XXX. haud expletis Præfecturam Urbis ei commiſſam tam laudabiliter, ac omnium voto prudenter geſſit, ut magnam ſibi famam acquiſiverit. Nec ſuorum Concivium, nec exterorum expectationem fefellit; munus quippe, etſi perdifficile, Capitanei Juſtitiæ, ut vocant, ei demandatum anno MDCCXVII. ita rexit, ut omnium admirationi jure merito fuerit; nil mirum proinde ſi paulò poſt, ut Cathedram Senatoriam conſcenderet ipſe Cæſar juſſerit. Quid plura? Hujus Viri tam in Foro, quàm in Senatu, ac in ferme cunctis comitiis pro Principis, ac Patriæ rebus agendis vocati prudentia, temporibus verè difficillimis, uſque adeò in omnium ore ingenti cum ejus commendatione viget. Finibus Mediolanenſis Dominii, ac Ducatus Parmæ, & Placentiæ conſtituendis arbitrum Trottum noſtrum Imperator Carolus VI., nunquam perituræ recordationis, voluit, ſicuti & in componendis rebus inter Sereniſs. Ducem Ditionum ſupradictarum Antonium Farneſium, atque Duciſſam Dorotheam, Franciſci fratris viduam. Sed ad majora ſemper ſumma illius probitas, præclaræque virtutes ipſum evocarunt, itaut Magiſtratus RedditUum ordinariorum Mediol. Præſes anno MDCCXXXIV. efficeretur, & triennio poſt idem munus, in Juſtitiæ Conſilio Parmæ & Placentiæ egerit, in quorum Ducatu Pro-Gubernator extitit, adjecto eidem charactere intimi Conſiliarii Status ſupramemorati Cæſaris Auguſti, uſque dum mors invida eum citò nimis Patriæ, Principi, boniſque omnibus moleſtè rapuerit, anno ſcilicet MDCCXL. pridie Nonas Octobris. Illius omnibus Chriſtianæ pietatis documentis heic prætermiſſis, unum prodam, quod neminem latet, quâ ſcilicet animi conſtantiâ Chirurgum ſuæ mortis nuncium libenter audierit, ut hac de cauſa eundem mille aureorum nummis donatum voluerit. Tumulatus fuit in gentilitio Sacello Divi Auguſtini in Eccleſia S. Marci hujus Urbis in Sepulchro Aloyſii parentis ſui, ſequenti Inſcriptione ornato:

ALOYSIVS TROTTVS
COMES SANCTAE IVLITTAE
POST EMENSOS TOGAE GRADVS
REGIVS DVCALIS SENATOR
HOC SACELLVM
DIVO AVGVSTINO
A MAIORIBVS SVIS EXTRVCTVM AC DICATVM
SEDVLA AVITAE PIETATIS IMITATIONE
POSTERIS CONSVLENS
INSTAVRAVIT AVXIT ORNAVIT
ANNO MDCC.

Plura Vir iſte ad Miniſterium natus ſcripſit, ſed uſque adeò mihi datum non eſt ſcire, præter infraſcripta:

I. Conſultationes tam Juridicæ, quàm Politico-Legales; atque Oeconomicæ, ſervantur in Archivis Senatus Excellentiſſimi Mediol. atque Magiſtratus Redditüum Ordinariorum, de quibus Volumen integrum effici poteſt.

II. Dum erat Advocatus Ven. Collegii Phyſicorum Nobilium Mediolani Comitum, & Equitum binas Conſultationes edidit pro præfato Ven. Collegio Phyſicorum coram Excellentiſſimo Senatu Mediolani in famigerata Cauſa Caneveſia, Typis impreſſas *Mediolani an.* 1712. *in fol. penès Malateſtam*.

III. Diſſertatio Juris favore Tribunalis Viarum publicarum contra illud Sanitatis pro Viis ſubterraneis. *Mediol.* 1709. *in fol.*

De ipſo videndus Liber Phyſici Collegiati Ignatii Carcani, cui titulus: „ Conſiderazioni ec. „ de quo in eod. diximus pagg. 82. & 83. necnon Sitonus noſter in Chron. J. PP. part. II. pag. 222. art. 984.

## MDCCXXV.

## à TURRE CAROLUS.

Bernardinus à Turre Mediolanenſis tam feliciter, prudenterque inſtituere fecit Carolum filium, de quo nunc agimus, ut teſte Abbate Picinello, Theſes Theologicas ætatis annorum tantùm XXIV. publicè, ſtrenuèque defenderit. Imò ad Leges tam Cæſareas, quàm Pontificias ediſcendas ſe contulit totis viribus, ac in eis ſic profecit, quòd magna de ipſo in Foro oborta erat expectatio, ſed Carolus noſter, qui à juvenilibus annis Muſas colere cœpit, nunquam eas dimiſit, ideoque Aſtreâ relictâ, Apollinis vexilla proſecutus eſt. Nihilominus & ſacris literis imbutus, ac optimis moribus compoſitus, Canonicalem Præbendam in Baſilica S. Nazarii hujus Urbis

Urbis anno MDCLV. obtinere meruit. Charus extitit duobus S. Romanæ Eccleſiæ luminibus, Cardinali ſcilicet & Principi Theodoro Trivultio, ac Cæſari Montio Mediolani Archiepiſcopo. Non modicum quoque eidem obſtricti ſunt Mediolanenſes Cives, Exterique propter Opus num. XXVI. à nobis ſubter indicandum. Plura quoque alia ſui ingenii monumenta, præcipuè in Poëſi, pro more autem Sæculi, ſuperſunt; nonnulla etiam promiſit, quæ nec reperiuntur, nec reperitur memoria, penès quos ipſa Auctor reliquiſſet, dum mortem obierat anno MDCLXXIX. die XXVII. Julii.

Diligentiùs hæc de eo colligimus, quàm Picinellus, aliique:

I. Il Naviglio Grande di Milano inaridito da' Franceſi: Canzone del Sig. Carlo Torre. *In Milano, per Filippo Ghiſolfi*, 1636. *in* 4.

II. L'Arpa oſſequioſa per le lodi della Signora Leonora Caſtillionea. *Milano, per il Ramellati*, 1638. *in* 4.

III. La Regina Sfortunata, Romanzo. *Milano, preſſo il Ghiſolfi*, 1639. *in* 12. & alibi pluries.

IV. I Numi Guerrieri, Poema Eroicomico Libri XII. *Venezia, preſſo i Giunti*, 1640.

V. La Muſa veridica, Rime per l'Eccellenza della Signora Beatrice Fiorilli Vitali. *Milano, preſſo il Ghiſolfi*, 1640 *in* 4.

VI. Il Padre diſcacciato dal Figlio in perſona di Davide, e d'Aſſalonne, Tragicomedia. *Milano, preſſo il Ghiſolfi*, 1641. *in* 12.

VII. Il Vaticinio: Poesìe per la naſcita del Primogenito dell' Eccellentiſſimo Prencipe Ercole Teodoro Trivulzio, dedicate al Cardinale Teodoro Trivulzio. *Milano, per il Ghiſolfi*, 1641. *in* 4.

VIII. Apollo Guerreggiante, Ode Pindarica. *Milano, preſſo in Rolla*, 1638. *in* 4. & iterum 1658.

IX. L'Amor impoſſibile fatto poſſibile, Tragicomedia paſtorale. *Milano preſſo il Monza*, 1684 *in* 12.

X. La Maddalena, Dramma Scenico. Ex Picinello.

XI. La Ricchezza ſchernita, Dramma. *Milano, preſſo il Ghiſolfi*, 1652. *in* 12.

XII. Il Re Tiranno, Romanzo. *In Milano, preſſo il Ghiſolfi*, 1642. *in* 12.

XIII. Il Paſtor fortunato, Dramma Scenico. Ex eod.

XIV. Vita della Beata Veronica. *Milano, preſſo il Monza*, 1652. *in* 12.

XV. Il Pianto: Oda in morte del Sig Antonio Maria Turati. *Milano, per il Monza*, 1650 *in* 4.

XVI. Le Lagrime: Oda per la morte del Sig Cardinal Monti. *Milano, per il Monza, ſine anno, in* 4.

XVII. La Cleopatra: Dramma per Muſica, ſub nomine: „ Di Marco Ettore Roccobella „. *In Milano, per il Monza*, 1653. *in* 12.

XVIII. Il Pentimento: nel Monacarſi della Signora Marſilia Baſgapè, ſub nomine: „ Di Clearto Rò „. *In Milano, per il Monza*, 1654 *in* 12.

XIX. L'Arianna, Dramma Scenico, ſub nomine: „ Di Clearto Rò da Pavia „. *Ivi, per Gio. Andrea Magri*, 1661. *in* 8.

XX. Rime amoroſe, ſub nomine: „ Di Stefano Roccabella Romano „. *In Milano, per il Monza*, 1653. *in* 12.

XXI. Il Trionfo della Penitenza, ſub nomine: „ Di Clearto Rò „. *Milano, preſſo il Monza*, 1659. *in* 12.

XXII. Poesìe varie. Extant in eod. Libro.

XXIII. La Pellegrina ingrandita, overo la Regina Eſter, Dramma ſacro, recitato d'avanti l' Imperatrice D. Margarita d'Auſtria, ſpoſa di Leopoldo I. *Milano, preſſo il Monza*, 1660. *in* 12.

XXIV. Le Zimbellate al Zimbello, overo l'Italia riconoſciuta, ſine Auctoris nomine. *Lucca*, 1651. *in* 12.

XXV. La Gioventù ravveduta, Azione Scenica. *Milano, preſſo il Marelli*, 1670. *in* 8.

XXVI. La Regina Sfortunata parte II. libri IV. *Venezia, per Aleſſandro Zatta*, 1662. *in* 12. Primam partem jam dedimus ſuo loco ſub numero III.

XXVII. Il Caſtigo ingiuſto, overo li trè Fratelli diſcacciati dagli Ebrei. *Milano, preſſo il Monza*, 1657. *in* 12.

XXVIII. Ritratto di Milano Libri III. All' Eminentiſſimo Sig. Cardinale Alfonſo Litta. *Milano, preſſo l'Agnelli*, 1674. *in* 4 Extat etiam in Biblioth. Ambroſiana, cum pluribus additionibus, & correctionibus marginalibus MSS. Joannis Baptiſtæ Cariſii; Cod. ſign. X. num. 446. in 4.
Hæc ſubdit Picinellus Auctorem noſtrum habuiſſe prælo parata.

XXIX. Il maggior Santo, overo li maggiori geſti di S. Ambrogio, ſeguiti in Milano a' ſuoi tempi.

XXX. La Vendemia: Proſe, e Rime diviſe in otto giornate.

XXXI. L'ore notturne dell' Inverno, Diſcorſi Accademici.

XXXII. Il fiero Marte, cioè le punite libidini, Dramma Scenico.

XXXIII. Il mentito Seſſo, Dramma.

XXXIV. La Forza della Fedeltà, Tragicomedia.

XXXV. Li Magi adoratori, Dramma Scenico.

XXXVI. Il Regnante ſdegnato in perſona d' Erode, Dramma.

XXXVII. L'Accademia, Poesìe.

XXXVIII. Le Sinfonìe d'Euterpe, Rime varie, cioè Sonetti, Madrigali, Ode ec. Hunc librum forſan indicavit Cl. P. Quadrius loco infra citando, ſed nos eum non vidimus, etſi, ut ipſe aſſerit, editum *Mediolani*, 1678. ſub hoc titulo: „ Poesìe Eroiche, e Morali „.

XXXIX. Li Capricci Poetici.
Quæ ſequuntur refert Picinellus ſupradictus ſic: „ Dialoghi parte ſtampati, e parte da ſtamparſi „. Ex his verò nullum præ manibus habuimus.

XL. Il Medico alla riverſa.

XLI. Il Cieco geloſo.

XLII. La Serva amoreggiata.

XLIII. Il Villano imbrogliato.

XLIV. Il mangiare colla teſta nel ſacco.

XLV. Il veſtire alla moda.

XLVI. Li Pitocchi ſcaltriti.

XLVII. La Zingara ingannatrice.

XLVIII. La Maeſtra diſubbidita.

XLIX. Li Ciclopi ſaettati.

L. L'Oca acquiſtata.

LI. Giona affogato.

LII. Adamo, ed Eva geloſi.

LIII. Balaamo confuſo per l'Aſina parlante.

LIV. L'ignoranza gaſtigata.
De eo Placcius in Theſauro Anonymorum, & Pſeudonymor. Tom. II. pag. 187. num. 667. & pag. 259. num. 959. P. Quadrius in libro ſuo: „ Della Storia, e della Ragione d'ogni „ Poesia „. Tom. II pag. 322. Abbas Picinellus in Athenæo pag 131 Liber, cui titulus: „ La Bibliotheca Aproſiana „. *Bologna*, 1673. pag. 598., ac Sitonus noſter in Schedis.

## MDCCXXVI.

## TURRIANUS ANDREAS.

EX nobiliſſima Turriana Gente, quæ aliquando de Turre, ſive de la Turre nuncupata fuit, & cum Vicecomitibus olim de Inſubriæ Principatu contendit, genitus primam Mediolani vidit lucem Andreas; in quo ab ineunte ætatis flore inſita pietas ſummoperè eluxit, tunc cùm vix pubertatem egreſſus, Ordinem Prædicatorum delegit, ut in eo Domino famularetur. Suave igitur Chriſti jugum ſubiit in Cœnobio celeberrimo apud Sancti Euſtorgii Baſilicam, & peractis ſummâ cum diligentiâ humanioribus ſtudiis, ad divinas litteras addiſcendas ſe convertit. Quantùm in eis profecerit ſatìs indicarunt ſui Ordinis ſupremi Moderatores, quibus adeò perſpecta fuit tanti Viri doctrina, ut eum dignum exiſtimaverint, cui Bononienſis apud Suos Gymnaſii præfecturam demandarent. Commiſſam ſibi provinciam diligentiſſimè geſſit, ideoque ab Urbano V. Pontifice Max. Apoſtolicæ Sedis Pœnitentiarius meruit deſignari. At majora dignitatum ornamenta Andream præſtolabantur ob ſpectatæ virtutis argumenta; quocirca ab eodem Pontifice III. Kal. Martii ad Januenſis Eccleſiæ Infulas eſt promotus anno Redemptionis MCCCLXVIII. Cleri ſui, atque Populi mores verbo ſimul, & exemplo ad omnem pietatis normam componere ſtuduit, conditis in Synodo, quam habuit die XV. menſis Martii anno MCCCLXXV. ſaluberrimis legibus. Emicuerunt in ipſo Paſtorales virtutes omnes, donec anno Salutis MCCCLXXVII. ad rectè factorum præmium evolavit in Cœlum.

Lucubrationes illius hiſce prænotantur titulis:

I. Summa Caſuum Conſcientiæ.

II. Quæſtiones Quodlibetales Theologicæ.

III. Quæſtiones variæ Philoſophicæ.

IV.

IV. Ordinationes conditæ in Synodo Januæ celebrata die XV. Maji MCCLXXV Hæc omnia MSS. ſervati in Bibliotheca Suorum Bononiæ aſſerit Rovetta.
Ipſum laudarunt Andreas Pius lib. II. pag 200. Fontana in Theatro, & in Monument. Ord. Præd Fernandez, Altamura, Quetif & Eccard in Bibliotheca Script. ejuſdem Ord. Ughellus Ital. Sacræ Tomo IV. in Januenſibus; Jo. Bapt. Cotta in Vita B. Antonii Turriani; & Sitonus noſter in Exegeſi hiſtorica Stemmatis Genealogici Turrianorum pag. 198. num. 2. quod Opus inſertum eſt Operi præfati Cottæ impreſſo *Peruſiæ*, 1730. *in* 4.

## MDCCXXVII.

## TURRIANUS CASSONUS.

CAſſonus, ſive Caſtonus Turrianus Conradi Muſchæ Mediolani Domini, & Allegrantiæ item Turrianæ jugalium filius, ex Ordinario Metropolitanæ, & Eccleſiæ Aquilejenſis Decano, poſt obitum Franchini, ſeu Franciſci Fontanæ, cui auxilio fuerat ad expellendos Mediolano Vicecomites, electus Archiepiſcopus anno MCCCVIII. conſecrationis munus Apoſtolicæ Sedis mandato ab Uguccione de Borromæis Novarienſi Antiſtite ſuſcepit. Summâ lætitiâ à Populo exceptus decem annos variâ ſemper fortunâ Mediolanenſem Eccleſiam adminiſtravit, eum A exagitantibus Vicecomitibus, & Vidone Turriano affine ſuo, à quo cum fratribus uſque ad carcerem indigna ſuſtinuit. Henrico VII. Imperatori, in Ambroſiana Baſilica, recurrentibus Epiphaniæ ſolemniis anno MCCCXI. Italici Regni Coronam impoſuit. Ejuſdem inſuper anni IV. Kalend. Octobris, pacis fœdus iniit cum Vicecomitibus, adſtantibus atque conſentientibus XXII. duobus aliis ex Turriana familia Proceribus. Sed & Synodum celebravit Bergomi, quæ quidem ſecunda fuit; alteram enim in hac Metropoli habuiſſe memoratur in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis. Ferrarienſes à Venetis impetitos obſidione ſolvit. Tum cum Turrianis omnibus à Matthæo Magno Sede ſua, & Urbe pulſus, ad Robertum Neapolitanum Regem confugiens, ab ipſo honorificè exceptus, à Joanne XXII. Aquilejenſis Patriarcha B renunciatur IV. Idus Januarii MCCCXVII. Cùm autem Guelphicæ factioni præeſſet, & Gibellinos, Pontificis voluntati obſecuturus, ductis in Hetruriam copiis, inſectaretur, equo delapſus, & crure confracto, delatus Florentiam doloris vi ſublatus eſt, Patriarchatus ſui menſe VIII. Jacet in Clauſtro Fratrum Minorum apud Eccleſiam Sanctæ Crucis in marmoreo Tumulo, cui, adjectis gentilitiis Turrianorum inſigniis, effigies ejus ſupereſt dormienti ſimilis, nulla tamen Inſcriptione appoſita. Verumtamen in Aula Patriarchalis Palatii Utinenſis hoc illi Elogium adhuc extat:

CASTONVS TVRRIANVS
QVEM AB ARCHIEPISCOPATV MEDIOLANI
AD PATRIARCHATVM AQVILEIENSEM
IOANNES XXII. PONT. MAX. EXTVLIT
RAYMVNDI PATRIARCHAE GENTILIS SVI
GLORIAM AEQVASSET
NISI LAPSV EQVI
DVM AQVILEIAM CONTENDIT
OCCVBVISSET.

Raymundus autem iſte, cujus meminit citatum Elogium, Patriâ Mediolanenſis, & nobiliſſimæ Turrianæ Gentis germen, Patriarchatus Aquilejenſis poſſeſſionem iniit anno MCCLXXIV. ipſum comitante Gottifredo affine ſuo tunc temporis Paduæ Poteſtate, atque univerſa ferè nobilitate Paduana. Plura bella Raymundus adversùs Mediolanenſes pro Principatu Patriæ geſſit, donec anno MCCLXXIX. apud Vaprium ingenti affectus eſt clade. Caſſonus verò noſter Vir fuit liberali ſcientia præditus, aviti ſanguinis gloria clarus, morum honeſtate decorus, conſilii maturitate, aliiſque virtutibus memorandus.

Paſtoralem illius vigilantiam ſimul & eruditionem hæc teſtantur:

I. Synodus Provincialis, quam Mediolani habuit, dum eam Eccleſiam regeret, memoratur in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis.
II. Synodus alia Provincialis Pergami habita anno MCCCXI. III. Nonas Julias, in Eccleſia S. Bartholomæi à Caſtono, ſive Caſſono Archiepiſcopo Mediolani ex MS. Cod. Biblioth. Ambr. ſign. X. num. 375. edita eſt à Muratorio in Tom. IX. Rer. Ital. Script. pag. 541. Hujus etiam Synodi Conſtitutiones num. XXXVII. extant MSS. in Bibliotheca Archintea litteris rubronigris exaratæ à Joanne Ambroſio Ayroldo, ut in ipſius Articulo diximus.
III. Sententia quâ Matthæum Vicecomitem ejuſque liberos anathemate perculit, extat apud Ripamontium in Hiſt. Mediolani lib. I.
Ipſius meminerunt Jo. Villanus in Hiſt. Florentina, Triſtanus Chalcus, Joſeph Ripamontius, Ughellus in C Mediolanen. Archiepiſc. & Aquilejenſibus Patriarchis. Sitonus noſter doctiſſimus in Exegeſi hiſtorica Stemmatis Genealogici Turrianorum alibi citata pag. 191. num. 26. ſicut & in Monumentis Vicecomitum pagg. 15. & ſequentibus, ubi Tabulæ Pacis, de qua diximus, integræ referuntur; aliique plurimi.

## MDCCXXVIII.

## TURRIANUS JACOBUS.

INter Scriptores Fratrum, quos Capuccinos vocamus, jure meritò Jacobus Turrianus recenſendus eſt, nam poſt gradus omnes emenſos in ſua Religione ob vitæ exempla, & tot virtutum, prudentiæque ſuæ teſtimonia, in omnium oculis prolata D Miniſter Provincialis plaudentibus cunctis delectus extitit. Sancti Caroli Borromæi amiciſſimus fuit, ejuſque operâ cum peſtis tempore, tum in Monialium reformatione idem Sanctus Archiepiſcopus uſus eſt. Obiit Mediolani anno Domini MDLXXXIV. die IV. Auguſti.

Scripſit:

I. Chronologiam Fundationis Provinciæ Mediolan. atque Rerum memorabilium Seriem uſque ad annum MDLXXX.
Videndi ſunt Boverius Annal. Capucciriorum Tom. II. & Dionyſius Genuenſ. in Bibliotheca Scriptor. ejuſdem Ordinis.

## MDCCXXIX.

## TURRIANUS JACOBUS ANTONIUS.

TUrrianæ Gentis nobilitatem à vetuſtiſſimis temporibus apud Inſubres celebrem, reddere ſtuduit clariorem Jacobus Antonius Jacobi Turriani, & Dorotheæ Trivultiæ conjugum filius, qui in hac Metropoli, ubi lucis hauſerat uſuram, liberalia ſic coluit ſtudia, ac Pontificias præſertim, Cæſareaſque ſanctiones, ut tanquam ſingularis doctrinæ Juriſperitus ætate ſua coleretur. Cùm autem ſacris ſe miniſteriis addixiſſet ad Regienſem in Gallia Ciſalpina Epiſcopatum promotus eſt anno Salutis humanæ MCCCCXXXIX. translatus poſtmodum ad Mutinenſes Inſulas poſt quinquennium Hanc dum regeret Eccleſiam anno MCCCCLIII. à Friderico III. Auguſto, unà cum fratribus ſuis Luca, & Joanne Franciſco Sacri Romani Imperii Comes Palatinus creatus eſt. Tranſiit deinde ad Sedem Parmenſem anno MCCCCLXIII. cui dum præeſſet Eccleſiam Apoſtolorum Principi, quam vulgus S. Petri in Curte nominat, Mediolani excitavit, cujus fronti Stemma gentilitium appoſuit, cum hac Epigraphe:

IA. ANT. DE LA TVRRE
EPISCOPI PARMENSIS
MCCCCLXXII.

Locum promeritus inter Conſcriptos Inſubriæ Patres anno MCCCCLXXIII. VIII. Kal. Februar. mandato Sixti IV. Pont. Max. à Parmenſi ad Cremonenſem Eccleſiam tranſiit. Eo ſedente gemina ſurrexerunt Cremonæ religioſorum Virorum Cœnobia, primùm videlicet anno MCCCCLXXVIII. Sancto Roccho dicatum ex Voto ejuſdem Urbis, ut graſſantem averteret luem, traditum Ordini Servorum Deiparæ; alterum verò Sancti Hilarii, quod Jeſuatis conceſſum fuit, anno MCCCCLXXXII. Capitulo etiam Canonicorum Cathedralis ſuæ non parùm profuit; vetuſta enim Statuta in novam redacta formam propoſuit, ut infra dicemus. Deceſſit Mediolani anno MCCCCLXXXVI. illiuſque Cadaver in Arca marmorea repoſitum fuit apud proavos ſuos in Sacello Roſarii in Templo Ducali Sanctæ Mariæ Gratiarum, ubi ad noſtra uſque tempora hæc leguntur:

HOC MONVMENTVM
IOH FRANCISCVS DE LA TVRRE
COMES PALATINVS ET DVCALIS QVAESTOR
REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI
DOMINO IACOBO ANTONIO DE LA TVRRE
EPISCOPO CREMONENSI DVCALI SENATORI
FRATRI AC BENEFACTORI SVO OPTIMO
LEZADRAE VXORI SVAE CHARISSIMAE
SIBI LIBERISQVE SVIS AC POSTERIS POS.
ANNO SALVTIS MCCCCLXXXVI.

Ætate autem noſtrâ ibidem hæc altera ex albo marmore Inſcriptio adjecta eſt:

MONVMENTVM VETVSTATE COLLABENS
FRANCISCVS MARIA A PORTA
MARCHIO HIERONYMVS FERRERIVS EX LX. DEC.
MARCHIO HIERONYMVS ET IOSEPH
FRATRES PVTHEOBONELLI
PATRITII MEDIOLANENSES
ET REGII FEVDATARII
NOBILISSIMAE GENTIS A TVRRE
EX MATRE HAEREDES
IN GENTILITIO B. V SACELLO
INSTAVRABANT
ANNO MDCCXXV.

Eruditionis ejus, præſertim ſacræ, hoc ſupereſt reliquum:

I. Statuta Capituli Eccleſiæ Cathedralis Cremonæ ab ipſo reformata. *Cremonæ, apud Chriſtophorum Draconium*. 1574.

Meminerunt hujus Præſulis Ariſius in Cremona Litterata Tom. I. pag. 308. Blaſius Rubeus in Tabula Dyptica Epiſc. Cremonen. num. 68. Ughellus Tomo IV. Ital. Sacræ in Cremonen. & alibi in ſupradictarum Eccleſ. Epiſcopis, & Sitonus noſter humaniſſimus in Chron. Colleg. J. PP. art. 102 pag. 23. & art. 604. pag. 150. in Exegeſi hiſtorica Turrianorum pagg. 194. 195. & 197. quemadmodum etiam in Schedis.

## MDCCXXX.

## TURRIANUS JOANNES AMBROSIUS.

JOannes Ambroſius Turrianus Joannis Baptiſtæ, atque Apolloniæ Maſcharæ conjugum filius, Mediolani progenitus, hauſtam à majoribus ſanguinis nobilitatem, dignitatum, & doctrinæ ornamentis cumulavit. Etenim inter Clericos ab ineunte adſcitus ætate, ſacrarum Quæſtionum nodos tanto ingenio, perpetique diligentia enucleandos ſuſcepit, ut minorum ſcientiarum peritie jam præclarus, Theologiæ magiſterio præclarior evaſerit. Eluceſcente in dies magis ipſius virtute Protonotarii Apoſtolici dignitatem obtinuit, & utriuſque Signaturæ Referendarius eſt renunciatus. Præfuit etiam Præpoſitus Capitulo Canonicorum Baſilicæ Laurentianæ, quemadmodum in Metropolitaua Cimiliarcha creari meruit. Judex quoque, & Examinator Synodalis, pluriumque Monaſteriorum, atque Congregationum Conſervator, necnon Diſciplinæ, & Criminalium Cleri rerum Præfectus, plurimùm profuit Archidiœceſi Mediolanenſi. Die verò XV. menſis Decembris promotus fuit ad In-

Digitized by Google

Inſulas Eccleſiæ Novocomenſis, anno poſtquam redempti ſumus MDCLXVI. Tanti fecit Præſulem hunc Alexander Pontifex Max. hujuſce nominis VII. ut dignum exiſtimaverit, qui ad Margaritam Auſtriacam Leopoldo Auguſto nuptam cum extraordinarii Nuncii poteſtate mitteretur. Prudentiſſimè commiſſum ſibi populum rexit, Eccleſiaſticis legibus ad Diœceſis ſuæ reformationem editis in Synodo, quam anno MDCLXXII. ſolemniter celebravit. His, atque aliis præclarè geſtis illuſtris, mortalitatem exuit Octobri menſe, anno Salutis MDCLXXIX.

Habentur illius

I. Synodus Diœceſana à Joanne Ambroſio Turriano utriuſque Signaturæ Referendario, Protonotario Apoſtolico, Metropolitanæ Eccleſiæ Mediolanenſis Cimiliarcha, ad Auguſtiſſimam Margaritam Auſtriacam Leopoldo I. nuptam Alexandri VII. P. M. Nuncio Extraordinario, atque Epiſcopo Comenſe habita anno MDLXXII. *Comi, Typis Epiſcopalibus*, 1674. *in* 4.

II. Ragionamento al Clero. Extat ibidem.

Eidem inſcripſit Primus Aloyſius Tattus Clericus Reg. de Somaſcha Martyrologium ſuum Novocomenſis Eccleſiæ editum *Comi*, 1675. *in* 4.

Occurrit ejus mentio in Additionibus ad Ughelli Italiam Sacram Tomo V. col. 322. in Epiſc. Comenſ. atque in Exegeſi hiſtorica Turrianorum doctiſſimi Sitoni noſtri, de qua toties meminimus, pag. 198. n. 2. & in Schedis.

## MDCCXXXI.

## TURRIANUS LUMBARDUS.

Lumbardus Turrianus Mediolanenſis, dictus etiam Lumbardinus, ut à Patre, qui & ipſe Lumbardus appellatus eſt, eumque ex Catharina de Pirovano genuit, diſtingueretur, vergente Sæculo XIII. florere cœpit. Primùm etenim Baſilicæ Modoëtienſis Archipresbyter conſtitutus eſt, tum à Joanne XXII. inter Capellanos ſuos cooptari meruit. Mox defuncto Uberto Vercellenſis Eccleſiæ Præſule, in ejus locum ſuffectus fuit XVII. Kal. Januarii anno Gratiæ MCCCXXVIII. annoque ſequenti Prid. Kal. Februarii ſacro Cardinalium Collegio ſubſidium ſe laturum ſpopondit. Apud memoratum Joannem Pontificem magna fuit in exiſtimatione, quandoquidem datis ad Novarienſem Epiſcopum litteris Lumbardum eidem plurimùm commendat, quemadmodum etiam Epiſcopo Hipporegienſi, & primariis Vercellenſis Urbis Optimatibus, Advocatis videlicet, & de Arborio. Ipſius virtutes magnis extolli præconiis in Catalogo Eccleſiæ ſuæ teſtatur Ughellus loco infra citando. Cùm autem per ea tempora Epiſcopus Vercellenſis non ſpiritualis tantùm, ſed temporalis quoque gladii poteſtate fungeretur, pluribus quo dominaretur Urbibus, & Oppidis, & Eccleſiaſticæ ditionis ſuæ multos cerneret Lumbardus noſter perturbatores, ut eis fortiùs reſiſtere poſſet, Bugellam inſigne Oppidum in Alpibus ſitum, aliaque non pauca ejus tractus Caſtella novis munitionibus adauxit, & quamvis confertâ cum hoſtibus manu aliquando pulſus fuerit, infracto tamen ſemper animo fortiter invaſoribus obſtitit, Tyrannoſque compeſcuit. Nunquam etiam inter varias fortunæ vices Paſtoralis muneris oblitus, quò faciliùs univerſi Cleri mores ad pietatis priſtinæ diſciplinam componeret, Capituli Cathedralis ſuæ, unde in omnem Occidentalem Eccleſiam Canonicorum Inſtitutum à Magno quondam Euſebio conditum emanavit, Statuta non confirmavit ſolùm, ſed novis etiam à ſe compoſitis auxit, anno MCCCXXXIX. Deceſſit in præfato Oppido Bugellæ anno MCCCXLIII. poſtremis voluntatis ſuæ tabulis ante conſcriptis, prout à Benedicto XII. Pontifice quinquennio ante facultatem teſtandi obtinuerat. Sepultus eſt in Templo S. Stephani Protomartyris in præfato Oppido, ubi dum transferretur Altare, propè quod diu Corpus ejus jacuerat, ſequens Elogium marmori inciſum repertum eſt.

MILLE TRECENTIS QVADRAGINTA CVM TRIBVS ANNIS
A SAECLO VITAE MIGRAVIT EPISCOPVS ISTE
APRILIS DIE NONO SICVT CARMINE PONO
TER NONO MENSIS POST HOC FEBRVIQVE SEQVENTIS
HAC POSITVS PETRA SIGNANT PRAESENTIA METRA
QVI VIGVIT CLARA FAMA NVNC ARET IN ARA
FLOS LVMBARDORVM LVMBARDVS FLOS DOMINORVM
STIRPEQVE MAGNALI DE TVRRE MEDIOLANI
QVEM GENVS ET MORES VIRTVTES SENSVS HONORES
ORDINE DITARI CREVERVNT PONTIFICALI
VRBIS ERAT PRAESVL VERCELLARVM EXTITIT EXVL
A QVIBVS OBSESSVS MVLTVM FVIT AC NON OPPRESSVS
ILLIS ATQVE MANVM PORREXIT MEDIOLANVM
HIC BENE CERTAVIT BVGELLAM FORTIFICAVIT
TVRRIBVS ET MVRIS EPVLIS NON DEFVIT VLLIS
FORTIA CASTRA FECIT DE NOVO PLVRA REFECIT
EXPVLIT INDE GVERRAS PROTEXIT VNDIQVE TERRAS
TOTA SVB MAGNIS POSITA REGIONE TYRANNIS
MAGNANIMO NAM CORDE RESISTIT SOLVS IN ORBE.

Com-

Digitized by Google

Commendatur apud poſteros ob

I. Statuta Vercellenſis Capituli ab eo confirmata, & novis à ſe conditis aucta.

Ipſius laudes recenſent M. Aurelius Cuſanus in Actis Epiſc. Vercellenſ. Ughellus Ital. Sacræ Tomo IV. in Vercellenſ. Hieronymus Henninges in Arbore Turrianorum pag. 44. Auguſtinus Lampugnanus in Opere ejuſd tituli, pag. item 44. Engelbertus Flacchius in hiſtor. Famil. Turrianæ edita *Bruxellis* 1709. Tomo I. pagg. 76. & 88. tandemque Sitonus noſter humaniſſimus in ſæpè citata Exegeſi Turrianor. pagg. 190. & 197. atque in Schedis.

## MDCCXXXII.

## TURRIANUS MARTINUS.

Martinum Turrianum Jacobus genuit ex conjuge ſua Matthia, cujus cognomen delevit oblivio. Martinus verò pro ſui generis dignitate educatus brevì in Virum evaſit & militari fortitudine, & eruditionis commendatione celebrem, adeò ut circa annum Chriſti MCCXLVII. Mediolanenſis Populus unà cum Uberto de Putheo Reipublicæ univerſæ ſummam eidem demandaverit. Neque conceptam de ſe feſellit ſpem Vir præſtantiſſimus, prout ex infra dicendis patebit. Perſpectæ virtutis gratiâ Poteſtatis in Patria officium ipſi collatum eſt, quod cùm actu gereret anno MCCLXIII. die XX. menſis Novembris migravit è vita, ſuffecto ſibi fratre ſuo Philippo. Elatus eſt magnifico funere, delatuſque ad Cœnobium S. Mariæ Charævallis extra Romanam hujus Urbis portam, ubi in communi gentilium ſuorum Polyandro conquieſcit, appoſitis Tumulo familiæ marmoreis inſigniis, atque hoc Elogio:

HIC IACET DOMINVS MARTINVS DE LA TVRRE
POTESTAS POPVLI MEDIOLANI
OBIIT MCCLXIII. VIGESIMO NOVEMBRIS.
HIC IACET DOMINVS PHILIPPVS DE LA TVRRE
FRATER EIVS POTESTAS POPVLI MEDIOLANI
OBIIT MCCLXV. VIGESIMO QVARTO SEPTEMBRIS.
✠ HIC IACET DOMINVS IACOBVS DE LA TVRRE
PATER DICTORVM DOMINORVM
ET DOMINA MATTHIA MATER EORVM.

Laudatur ob

I. Statuta Reipublicæ Mediolanenſi valde utilia ab ipſo anno prædicto MCCXLVII. condita.

Memorant ejus laudes Corius ad eum annum, Sitonus noſter doctiſſimus in præfata Exegeſi Hiſtorica Turrianorum pagg. 189 & ſequenti, prout etiam in Schedis, aliique permulti.

## MDCCXXXIII.

## TURRIANUS PAGANUS.

In libera Mediolanenſi Republica non pauci floruerunt è Turriana Gente Conſules laudatiſſimi, quorum Seriem nobis ſuggeſſit amiciſſimus Sitonus è Collectione ſua Conſulari MS. Memoratur inter eos Jacobus de la Turre, cujus Magiſtratus incidit in annum Chriſti MCLXXIII. Collegamque habuit Paganum alterum, nam ex Jacobo I. Turriano, & Bertha Vicecomite uxore ſua Paganus noſter ortus eſt. Hic Paduam quoque cum Prætoria rexit poteſtate anno MCXCV. Mox eodem functus eſt munere in Urbe Brixia, poſtremò autem Mediolani, qua in Civitate Imperialis quoque Vicarius conſtitui meruit, quin & Vallis Saxinæ dominium eſt aſſecutus. Jam antea memoratum Conſulatum præcedenti anno Paganus noſter idem adminiſtraverat officium, quod tertiò poſtmodum geſſit anno MCXCVII. Obiit Vir præſtantiſſimus dum actu Patriæ jura daret die VI. menſis Januarii; Anno Chriſti MCCXLI. & magnifici funeris pompâ deductum eſt cadaver illius ad commune Turrianorum Sepulchretum apud Monaſterium Charævallis extra Romanam hujus Metropolis portam, ubi ad hæc uſque tempora marmoreum hoc Elogium ad ejus cernitur Tumulum.

✠ MAGNIFICVS POPVLI DVX TVTOR ET AMBROSIANI
ROBVR IVSTITIAE PROCERVM IVBAR ARCHA SOPHIAE
MATRIS ET ECCLESIAE DEFENSOR MAXIMVS ALMAE
ET FLOS TOTIVS REGIONIS AMABILIS ORBI
CVIVS IN OCCASV PALLET DECOR ITALVS OMNIS
HEV DE LA TVRRI NOSTRVM SOLAMEN ABIVIT
PAGANVS LATEBRIS ET IN VMBRAM VERTITVR ISTIS
MCCXLI. DIE VI. IAN. OBIIT DICTVS DOMINVS
PAGANVS DE LA TVRRE POTESTAS POPVLI MEDIOLANI.

Præter amplificata dum anno MCLXXIII. Conſul eſſet, Mediolani mœnia, debent illi Cives ſui

I. Statuta pleraque cum aliis Conſulibus condita eodem anno.

II. Leges pro novo militiæ genere ex flore juventutis deligendo, & inter eas præcipua, de qua toties verba fecimus, ne quis Friderici I. Auguſti Schiſmatici hominis nomen, propoſitâ amputationis linguæ pœnâ, proferre auderet.

Memoratur à Corio ad citatos annos, Comite Octavio Archinto in Collectione toties laudata Monument. famil. Mediol. In libro omnium Regiminum Civitatis Paduæ edito in Tomo IV. Antiqu. Italiæ Clariſs. Muratorii, ac tandem à præcitato Sitono noſtro in Exegeſi hiſtorica Turrianorum pag. 188. & in Schedis.

Digitized by Google

# V

## MDCCXXXIV.

### de VAILATE JOANNES ANTONIUS.

SÆculo XV. jam florebat in hac Urbe familia de Vailate nuncupata, nam ex ipſa Maphæolus unus ex XII. Proviſionum numerabatur anno Salutis noſtræ MCCCCVIII. Alii quatuor claruere inter Decuriones ab anno MCCCCXLVII. ad MCCCCLXXIV. ut nos monuit Clariſs. Sitonus. Auguſtinianus hic Eremita ex Aſceterio Sancti Marci hujus Urbis, nempè Joannes Antonius, à nonnullis de Vailate, ab aliis verò de Velate indiſcriminatim appellatus, primâ ætate profanis ſacriſque ſtudiis impensè vacavit; itaut eum ſubinde Auguſtinenſis Ordinis Præſul magiſtrali laureâ condecoraverit. Ipſe etiam ſcholas, invexit, aut ſaltem inſtauravit in Cœnobio Mediolanenſi, dum inibi Priorem ageret; ac tribus Inſubricæ Auguſtinenſis Provinciæ Comitiis Præſes datus eſt: quo in munere gerendo ſibi adeò Patrum animos devinxit, ut anno MCCCCLXXVIII. Prior Provincialis ab ipſis fuerit electus; nec dubium quin ingenti evaſerit emolumento Provinciæ ſibi commiſſæ, quandoquidem in ipſo eminebant religioſa probitas, ſolida doctrina, diuque probata prudentia. Hujuſce Joannis Antonii virtutibus moti tum Ambroſius Maſſari de Cora, cùm Anſelmus Lolli de Mandextris à Monteſalco, ambo Auguſtiniani Eremitici Ordinis ſucceſſivè Generales, eidem commendaverunt adminiſtrationem Loci, ſive Cœnobioli Sanctæ Mariæ vulgò *del Boſco* (adnexi, veluti membrum, Cœnobio S. Marci de Mediolano) quam pariter firmam ratamque habuit Raphaël S. Georgii Diaconus Cardinalis memorati Ordinis Protector; ac ut eamdem toto vitæ ſuæ tempore Joannes Antonius obtineret, Innocentius VIII. Pont. Max. juſſit ſuâ Bullâ, datâ menſe Decembri anni MCCCCLXXXVI. Virum porrò hunc inter paucos unicè dilexit Aſcanius Maria Sfortia, Diaconus Cardinalis SS. Viti & Modeſti, Franciſci Mariæ Sfortiæ ac Blancæ Mariæ de Vicecomitibus Mediolani Ducum filius, qui eumdem ſibi à ſacris confeſſionibus, familiarem, perpetuumque commenſalem adhibuit, uti apertiſſimè liquet ex præfata Bulla Innocentii VIII. Romæ tandem occubuit die VII. Januarii anni MCDXCVIII., ſepultuſque eſt in Templo Divi Auguſtini penès Sacellum S. Nicolai Tolentinatis; adjecto lapide marmoreo ſuper ipſius Tumulum cum hac Inſcriptione:

THEOL. INSIGNI MAG. IO. ANTONIO MEDIOLANENSI AVGVSTIN.
ILLVSTRISS. ET REVER. D. D. ASC. M. SFORTIAE CARD. VICECANCELL.
CONFESS. ACCEPT. B. M. P. REL. MIID. VII. IANVARII.

I. Præter continuationem Chronicæ Conventus S. Marci de Mediolano, cujus meminit Philippus Vicecomes in ſuo laudato Libro de Conventu S. Marci, ſuo loco à nobis laudando, ſcripſit etiam Joannes Antonius

II. Commentarium Rhetorum novæ artis. MS. in fol. juſtæ molis, quod in Bibliotheca ejuſdem Marciani Cœnobii cuſtoditur.

Hujus Viri meminere Torellus in Sæc. Auguſtinian. Tom. VII. pagg. 289. 294. & 353. Elſſius in Encom. Auguſt. litt. I. pag. 322., & Herrera in Alphab. Auguſt. lib. I. pag. 451. & Tom. II. pag. 105. Reliqua habuimus à Viro doctiſſimo, & amiciſſimo Gulielmo Nicolai ejuſdem Ordinis, atque ex Collectionibus ſæpè laudatis Clar. Sitoni.

## MDCCXXXV.

### VALERIUS JOANNES JACOBUS.

VAleria, ſive de Valera, ut aliis placet, Mediolanenſis familia, gloriari meritò poteſt de duobus fratribus Joanne Jacobo ſcilicet, atque Matthæo ambobus in hac mea Bibliotheca digniſſimè recenſendis. Parentes habuere Joannem Petrum, atque Franciſcam Eleonoram de Guaſconibus conjuges. Nunc de Joanne Jacobo agemus, in Articulo verò ſubſequenti de Matthæo. Primus igitur Vir fuit litteris verè natus, moribuſque optimis ita exornatus, ut plures Mecœnates habere meruerit, quos inter fuerunt Franciſcus Sfortia, Fiani Dux, ac S. R. E. Cardinalis, cujus extitit à Secretis, necnon eximius Senator Mediolanenſis Petrus Franciſcus Corius, qui ad dignitatem in ſupremo Hiſpaniæ Conſilio Regentis percipiendam vocatus, Joannem Jacobum noſtrum ſecum duxit. Cæſari quoque Montio S. R. E. Cardinali ampliſſimo, & hujus Urbis Archiepiſcopo inter charos extitit. Rex ipſe Catholicus, cognitâ Valerii virtute, aliiſque ipſius animi dotibus permotus, Præbendam Canonicalem in Regia Ducali Baſilica Scalenſi hujus Urbis eidem anno MDCXXVII. tribuit. In Patriam Valerius noſter redux, ad colligendos rariores Codices, Nummoſque pretioſiſſimos totus ſe contulit. Præter Jura tam Pontificia, quàm Cæſarea, in quibus eminebat, Muſas quoque, præſertim Latinas, minimè reſpuit, ut facilè Lector ex ſequentibus agnoſcet; ſed me tacente ſatis eſt verba de ipſo referre Clar. Joannis Petri Puricelli in Diſſertatione Nazariana, quæ ſunt: „ Bibliothecam ſicut & cæteras facultates ſuas Monaſterio „ Sanctæ Valeriæ legavit. Obiit die IV. Auguſti „ MDCLI. in ædibus Canonicalibus Scalenſis Eccleſiæ ætatis ſuæ LXXIX. menſ. VII. Fuit valetudine „ ad ſtuporem bonâ; elegantiſſimè ſcribebat; & multa „ conſcripſit Juridica, Hiſtorica, & Poëtica, ſed „ ea edere non potuit, dum cunctabundus editionem „ de die in diem differt, ſupremo & brevi correptus eſt „ morbo. Codices MSS., quos multos habebat, ſimul „ cum omnibus autographis ſuis Baſilicæ Ambroſianæ „ legare meditabatur; cùm autem incertus hæreret, „ quem ſibi hæredem inſtitueret, non ante condere „ Teſtamentum deliberavit, quàm proximum jam „ ſentiret interitum. Et quoniam Sanctam Martyrem „ Valeriam, tamquam gentis Suæ tutelarem colebat, „ Monaſterio, ubi Sanctum ejus Corpus requieſcit, „ quidquid poſſederat ex aſſe reliquit. Ex ea hæreditate quadraginta circiter Imperialium librarum „ millia pio illi loco obtigerunt. „ Obiit Vir octuagenarius anno poſt Chriſti Adventum MDCLI., die verò IV. menſis Auguſti, ut ſupra, ejuſque & fratris Matthæi memoria ſupereſt in marmoreo Epitaphio parentibus ſuis poſito, atque in Eccleſia Sancti Petri ad Hortum extante, his litteris:

IOHANNI PETRO VALERIO
IACOBI FILIO PETRI NEPOTI
FR. HELEONORAE GVASCONIAE PARENTIBVS OPTIMIS
IOH. IACOBVS IC. ET DIVAE MARIAE SCALENSIS
BENEFICIO CATHOLICAE MAIESTATIS
CANONICVS
ET REV. PATER D. MATTHAEVS
CARTHVSIAE PAPIENSIS PRIOR
ANNO DOMINI MDCXXVII. F. C.

Hæc de ipſo non ſine labore undequaque collegimus :

I. Emblematum Centuriæ II. Joannis Jacobi Valerii JC. Mediolanenſis Matriti conſtructæ. MS. in fol. magnæ molis, cum Emblematibus egregiè pictis, & Carminibus latinis pluribus in locis; in aliis verò deſunt. Codex ſignatus eſt num. 30. & ſervatur in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium Sancti Ambroſii Mediolani. Extat quoque in Bibliotheca Patrum Teatinorum Sancti Antonii hujus Urbis, in cujus Codicis ſine leguntur

II. Dyſticha in VII. Planetas, & omnes Cœli figuras, unà cum earum delineatione.

III. Orazione di Gio. Jacopo Valerio dell' antichità, ed origine della famiglia Valeria Milaneſe, dallo ſteſſo dedicata alli Signori Dottori del Collegio di Milano. MS. in 4. extat ut ſupra in Biblioth. Monachor. S. Ambroſii.

IV. Joannis Jacobi Valerii Carmina varia, inter quæ plura in laudem Philippi IV. Hiſpaniarum Regis, *ſine loco*, *anno*, *& Typographo*, *in* 4. Ibid.

V. Index Numiſmatum, atque Manuſcriptorum tam in pergamena, quàm in papyro, quæ apud eum extabant. MS. autographus, ubi indicantur infraſcripta ejuſdem Valerii Opera.

VI. Rapſodiæ plures hiſtoricæ.

VII. Libro di Verſi.

VIII. Rapſodie di Sepolcri nuovi di Milano.

IX. Paragone di Napoli, e di Milano. Hoc Opuſculum vidimus in Bibliotheca ſupradicta Patrum Teatinorum, ſic inſcriptum: „ Lettera di Ja- „ copo Valerio delle lodi di Milano ſcritta a „ N. N. che eſſendo Milaneſe lodò con ſua „ lettera Napoli al di ſopra di Milano. „ MS. in fol optimæ notæ, unà cum Epiſtola nuncupatoria ejuſdem Auctoris ad Philippum IV. Hiſpaniarum Regem, data Matriti die XV. menſis Auguſti MDCXXXVI adſunt etiam Indices Auctorum, quos Valerius enunciat, rerumque notabilium. Ad calcem adnexa eſt Tabula Topographica Mediolanenſis Urbis à Baraterio æri inciſa, necnon duobus maximis foliis impreſſa, Cardinali Federico Borromæo die XVI. Februarii MDCXXIX. inſcripta, & nunc ſatis rara. Reperitur eadem Epiſtola etiam in Bibliotheca Co. Pauli Montii, ſic prætitulata: „ Lettera di Giacopo Valeri Giure- „ conſulto, e Patrizio Milaneſe della grandez- „ za, e magnificenza delle Città di Milano, e „ di Napoli all' Eminentiſs. e Reverendiſs. Sig. „ Cardinale Ceſare Monti MDCXXXV. in 4. „ data Matriti.

A ſupradicto Indice ſuæ Bibliothecæ hæc hauſi, quæ mihi viſa ſunt memoriæ minimè peritura.

1. Auguſtini Sclafenati Opera. MS in pergamena.
2. Ambroſii Gryphii Oratio in laudem Mercatorum.
3. Uomini Illuſtri del Merula. MS. cum figuris, aliaque, de quibus ſuo loco nos egimus.

Extat ſupradictus Index in Bibliotheca Monachorum Sancti Ambroſii hujus Urbis Cod. ſign. A. num. 12.

X. In Faſtos Panvinii Adnotationes. MS. in eod. Cod.

XI. Diſcorſo, ſe ſia lecito per fare qualche Impreſa di paſſare per lo Stato altrui ſenza chiedere il paſſo. Se richieſto, ſi poſſa in alcun caſo negare; e ſe dalla ripulſa del paſſo naſca qualche ragione poſitiva al ripulſato di poterlo uſurpare per forza. Extat in Cod. MS. ſignat. A. num. 114. in ead. Biblioth. Monach. S. Ambr. Mediolani.

XII. Commentarius ad Legem II. Cod. de Malef. & Mathemat. in quo oſtenditur Artem Aſtrologicam eſſe damnandam. Extat MS. ibid.

XIII. Diſcorſo d'un Incognito intitolato *de las Lettras Umanas*, cum pluribus notis Italico ſermone ejuſdem Valerii. Extat MS. ibid.

XIV. Epiſtola ad Cardinalem Fridericum Borromæum de creatione Bibliothecæ Ambroſianæ. MS ibid.

XV. De Securitatibus, ſive Salviſconductibus, ubi multa de Immunitate Eccleſiaſtica. Extat ibid. in Cod. MS. ſign A. num. 70. in fol.

XVI. Quid ſit in Jus vocare Antonii Goveani, ac Joannis Vaidi perpenſâ ſententiâ, & de manus Injectione, Prætoriſque Officio. Extat MS. ibid.

XVII. Conſideratio Quæſtionis; An ſi Maritus moriens in Uxorem aliquid legati nomine collatum velit, ſub ea conditione, ubi caſtè, & honeſtè vivat, debeatur intelligi relictum, ſi ſecundis, aut ulterioribus nuptiis ſe illigari patiatur. Extat MS. ibid.

XVIII. Interpretatio cujuſdam Inſcriptionis in lapide olim invento extra Portam Orientalem Mediolani. Extat MS. ibid.

XIX. Carmina ejus varia Latina, atque Italica. MSS. ibid.

XX. De Decurionibus. MS. in fol. ſignat. B. num. 67. Ibid.

XXI. Rapſodia de Familia Valeria, atque de aliis Mediolani Familiis ordine alphabetico. MS. in fol. ſign. A. num. 110. Ibid.

XXII. Carmen Valerii ad Principem Card. Trivultium. Extat ibid. in Cod. ſign. A num. 125.

XXIII. Epigrammaton Jacobi Valerii JC. Mediolanenſis lib. I His acceſſerunt Epigrammata quædam externa ab eodem Auctore collecta, ne eſſent ludibria ventis. Matriti an. Salut. MDCXXXVI. MS. in 4. optimæ notæ, in Bibliotheca PP. Teatinorum S. Antonii hujus Urbis.

XXIV. Carmina plura Latina ejuſdem Joannis Jacobi, inter quæ multa ad Matthæum Valerium Carthuſiæ Papienſis Priorem. MS. in fol. ſign A. num 25. in Biblioth. Monachor. S. Ambroſii.

XXV. De Ciſalpini Peditatus præſtantiâ adverſùs Livium, & Florum, Diſſertatio. Extat ibid. MS. in Cod. ſign. A. num. 70. in fol.

XXVI. De ſuprema Mundi diſſolutione. MS. in fol. ſign. A. num. 114. Ibid.

XXVII. De Annona, Diſſertatio. MS. in fol. Ibid.

XXVIII. Dono dedit Cardinali Federico Borromæo Codicem inſignem MS. Cardinalis Bertrandi, de quo Codice Valerius ipſe Epigramma cecinit. Inter Schedas Valerii in Archivo Monachor. S. Ambroſii.

XXIX. De Remediis adverſùm Rem judicatam. MS. in fol. penès Comitem Ludovicum Archintum Magiſtratus Reddituum Ordinariorum Quæſtorem, patronumque meum eximium: prælo paratus erat, cum opportunis Approbationibus ſignatis anno MDCXXIV. die I. Julii.

XXX. De claris Italorum, & aliarum gentium Familiis. Ex Picinello.

XXXI. Dilucidationes, & Supplementa ad Antiquitates Alciati. Ex eodem.

XXXII. Tractatus de Familia Baſſorum. Ex eodem.

XXXIII. Orationes diverſæ ad varios Principes. Ex eodem.

Codex Joannis Aretini, cui titulus: „ Tractatus „ de Ortographia, de perfecta ſcribendi Ratio- „ ne, & de Litterarum nominibus, figura, & „ poteſtate; ad Nicolaum V. Pont. repertus, „ & emptus à Jacobo Valerio Canonico Scha- „ lenſi in Bibliotheca Nicolai Librarii blattis „ & tineis quantus eſt repertus, & in hanc „ formam redactus anno MDCLIV. „ Extat in Archivo Monachorum S. Ambroſii ſign. A. num. 128. MS. ut ſupra.

In

In Encomiaſtico Hieronymi Boſſii Ticinenſis pag. 14. extat Acclamatio VII, ſeu Epiſtola erudita ad Jacobum Valerium noſtrum

Epiſtola altera Hieronymi Boſſii ad eumdem, quâ ei nunciat obitum Aquilini Coppini, data Ticini poſtr. Kal. Octobr. MDCXXIX. extat in Arch. S. Ambr. Cod. ſign. A. num. 125.

Celebratur Auctor noſter Epigrammate Latino à Benedicto Sociaco lib. III. pag 109. à ſupradicto Puricello Diſſert. Nazar. cap. 120., & in Monum. Baſil. Ambroſ. à Franciſco Bernardino Ferrario lib. VI. cap. VII. de Veterum Acclamationibus, & Plauſu, ubi hæc de Jacobo, & Matthæo ejus fratre ſcribit: „ Matthæus, „ & Jacobus fratres Valerii, Viri humaniſſi„ mi, iidemque longè doctiſſimi: Carthuſiani „ Ordinis lumen alter, alter Juriſconſultorum „ decus; uterque Civitatis Mediolanenſis orna„ mentum; „ à Hieronymo Borſerio in Supplemento cap. 11., à Picinello in ſuo Athenæo pag. 302., & tandem à Sitono noſtro in Schedis.

## MDCCXXXVI.

## VALERIUS MATTHÆUS.

STemma Genealogicum Valeriæ, ſeu de Valera Gentis nobis oſtendit Cl. Sitonus; ex quo, atque ejuſdem Schedis agnovimus, quòd anno MCCCCL. die XXII. menſis Martii Comes Ludovicus de Valera creatus fuit Eques aureatus, dum poſſeſſionem Mediolani Ducalis dignitatis aſſumeret Franciſcus Sfortia. Nec prætermittendi ſunt Andreas, & Franciſcus ejuſdem de Valera familiæ, primus Eccleſiæ S. Ambroſii Præpoſitus, alter verò Metropolitanæ Canonicus Ordinarius, quorum corpora ſimul tumulata fuere in ſupradicto D. Ambroſii Templo anno MDXXX., ut ex eorumdem Inſcriptione adhuc ibi ſuperſtite viſitur. Matthæus verò noſter, Joannis Jacobi, mox à nobis laudati frater, anno natus MDLXXXII. die XXII. Januarii; in Carthuſia propè Papiam, P. D. Timotheo Baroffio ejuſdem Superiore ſacra peragente, ſolemnibus Deo votis mancipatus eſt die II. Februarii, anno MDCIV., ac poſt ſexennium Presbyteratus ordine inſignitus, Vicarii munus, & Procuratoris miniſterium ſibi demandata cùm rectè exegiſſet, anno MDCXLV die XXIX. Decembris ad ſupremum Prioratus faſtigium extitit evocatus. Primus Bibliothecam ipſius Carthuſiæ extruxit, ſuæ eruditionis præclarum quidem opus, ſed nunquam ſatis commendatum; Podagrâ, & Chiragrâ tamen valde vexatus, cùm pluries oneroſo ſibi Prioratus officio abſolvi precaretur; anno tandem MDCXXXV. ſui voti fit compos generalibus in Comitiis ipſius Cœtus, ac titulo Procuratoris donatus, beneficiiſque communitus ſpiritualibus à Reverendiſſimo Patre tunc totum ipſum moderante Ordinem, poſt ſui obitum ſibi perſolvendis, anno denique MDCXLV. quarto Kalendas Januarii mortalem cum immortali vitam commutavit, ætatis ſuæ LXIV. Plura ſcripſit tam in Hiſtoria ſacra, quàm in profana, imò quoque in Poëſi, quæ perierunt; mihi verò datum eſt, præter ea, quæ dedit Picinellus, plura invenire, partim ope amiciſſimi P. Bonhomii ejuſdem Ordinis Carthuſiæ alumni alibi laudati, partim aliunde reperta;

Videlicet:

I. Libro di Eſercizj Spirituali. *Milano*, 1634. *in* 8.

II. De Familia Valeria. MS. in fol. extat in Bibliotheca Carthuſiæ propè Papiam.

III. Catalogus omnium Monachorum, qui à condita Carthuſia propè Papiam (quod fuit anno MCCCXCVI.), ipſam rexerunt, uſque ad eundem Auctorem incluſivè. MS. in fol ibidem.

IV. De Complicibus Gulielmæ hæreticæ.

V. De Catharis hæreticis.

VI. De Apoſtolicis hæreticis.

VII. Auctores aliquot, qui de rebus Mediolani ſcripſere, cum nonnullis Valerii notulis.

VIII. Inſcriptiones Mediolani &c. Hæc IV. poſterioribus Articulis enuntiata, ſunt uno Vol. in fol. MS. in eadea Bibliotheca.

IX. Catalogus Virorum illuſtrium Mediolanenſium, Sanctorum ſcilicet, Pontificum, Cardinalium &c. ab anno M. uſque ad annum MDCXL. MS. in fol. ibidem.

X. De Familia Vicecomitum, cum Arbore ejuſdem ſatis diffuſo. MS. in fol. ibidem.

XI. Fragmentum, in quo Summos recenſet Pontifices, & Cardinales aliquos Mediolanenſes, Venetos, Neapolitanos, Genuenſes, Florentinos, Senenſes, Lucenſes, atque Bononienſes. MS. ibid.

XII. Tractatus de Mediolano Temporali poſt Sanctos, ſcilicet ab anno MCLVIII. uſque ad MDCXLV. ex quibus multi tamen deſunt anni, cui alia adnectuntur promiſcua, videlicet de Prætoribus Mediolani ex Corio, Galvaneo Flamma &c., de Mediolanenſibus, qui in variis Prætores fuere Civitatibus ab anno MCXCVII. uſque ad MCCLXXXIX. &c. MS. in fol. ibidem.

XIII. Acta Senatus Mediolanenſis ab anno MCDLXXVI. uſque ad annum MCDXCIX. Catalogus ſexaginta Decurionum ab anno MDXVIII. uſque ad MDCXLI., Vicarii Proviſionum ab anno MCCCLXXXV. uſque ad MDCXLVI. omnia Vol. uno. MS. in fol. ibid.

XIV. De rebus Eccleſiaſticis Mediolanenſium. MS. ibid.

XV. Auctores de Mediolano tractantes, & Mediolanenſes facti Epiſcopi variis in locis. MS. ibid.

XVI. De Jure, & dignitate Mediolanenſis Metropolis. MS. ibid.

XVII. De Mediolani nomine, origine, & ethymologia. MS. ibid.

XVIII. De Civitate Papiæ, ejuſque Epiſcopis, privilegiis, origine &c. MS. in fol. ibidem.

XIX. Annales Eccleſiaſtici, & Profani ab anno MCC. uſque ad MDXLVI. Vol. II. MSS. in fol. ibidem.

XX. Opuſcula alia quamplura adhuc inordinata. MSS. ibid.

XXI. Carmina ejus plura Latina ad Joannem Jacobum fratrem, dum eſſet Prior Carthuſiæ Papienſis. Extant in Collectione Carminum ejuſdem Jacobi, de quo jam diximus, in Cod. A. n. 125. in Biblioth. Monach. S Ambroſii Mediolani.

XXII. Epiſtola Italica eruditionis plena ad Joannem Petrum Puricellum, data ex Carthuſia propè Papiam die XXVII. Martii MDCXXXV. extat in Cod Biblioth. Ambr. ſign C num. 278. in fol.

XXIII. Aliæ duæ ad eundem in altero Cod. ibid. ſign. D. nu. 115. in quibus ei mittit quædam Monumenta, ad Sanctum Arialdum ſpectantia, & hortatur ad proſecutionem hiſtoriarum ſuarum.

XXIV. Poëtica; ex Picinello.

XXV. De Theologia; ex eodem.

XXVI. De Contemplatione; ex eodem.

In Cod. MS Epigrammatum Jacobi Valerii in Biblioth. PP. Teatinorum S Antonii Mediolani, extant Carmina ad Fratrem Matthæum Valerium Carthuſiæ Priorem Podagrâ in reditu à Capitulo laborantem, ut diximus in eodem, ex quibus unum hîc damus.

De D. Matthæo Valerio Carthuſiæ Papienſis Priore.

*Cum fovet ut Samii taciturna ſilentia alumnus,*
*Æthera mente petit, numina mente movet.*
*Idem ſi quando conſignata ora reſolvit,*
*Ore homineſque ciet, ore Deoſque movet.*
*Et quiſquam neget eſſe ſilentem poſſe diſertum,*
*Ac fieri Hermetem, qui fuit Harpocrates.*
*Immo utrunque tibi conceſſum quiſque fatetur,*
*Ore ciere homines, mente movere Deos.*

Hieronymus Boſſius Ticinenſis nuncupavit Matthæo noſtro Encomiaſticon ſuum impreſſum *Mediolani, per Marcum Tullium Malateſtam, in* 4. in eoque libro pag. 38 extat ejuſdem altera Epiſtola, cum hoc titulo: „ Perilluſtri, ac Re„ ligioſiſs. Viro Matthæo Valerio, apud Me„ diol. Carthuſiæ Ticinenſis Procuratori inte„ gerrimo, bonæ mentis genio, gratiarum „ ocello, litterarum patrono, & humani ge„ neris delicio. „

Eum & fratrem ſuum Jo. Jacobum laudat Jo. Petrus Puricellus ſæpè in Diſſert. Nazariana, ſignanter cap. 120. & in Præfatione libri de SS. Martyribus Arialdo, & Herlembaldo, aſſerens eo ſuadente ſe Opus illud aggreſſum fuiſſe.

Teſta-

Digitized by Google

Teſtatur ibid. Puricellus ipſe apud eundem Matthæum extitiſſe Auctorum duorum Opera, qui Sancti Arialdi Vitam adhuc ineditam ex inſtituto conſcripſerant; quæ ſibi ab eo tradita inſeruit lib. II. ac III. ejuſdem libri. Addens ab eodem Valerio adjectum fuiſſe Andreæ Alciati Fragmentum ab ſe redditum lib. I. cap. 12.

Ughellus pariter pluribus in locis Auctorem noſtrum „ uberrimum eruditionis fontem „ vocat, ac fatetur operâ ejuſdem, Vitas Pontificum & Cardinalium poſt Ciacconium, & Victorellum uberiores feciſſe.

Joſeph Laurentius Matthæo noſtro Diſſertationem XXVI. Libri I. ſuæ Polymathiæ nuncupavit.

Idem fecit Joannes Baptiſta Bizozerus, Summæ Caſuum Conſcientiæ;

Sicut & Philippus Ferrarius, Scriptoris noſtri amiciſſimus, Lexici ſui Geographici.

Carminibus etiam celebratur ab Auguſtino Terzago, atque à Benedicto Sociaco, cujus liber III. Epigrammatum, cum Epiſtola Nuncupatoria inſcriptus eſt Valerio noſtro pag. 79.

Eum commendat unà cum Jacobo fratre Franciſcus Bernardinus Ferrarius lib. VI. cap. VII de Veterum acclamationibus, & plauſu; verbis, quæ in Jacobo protulimus.

Ei quoque dicavit Jo. Baptiſta Bidellus Antiquitates Patriæ Andreæ Alciati, atque in Epiſtola Nuncupatoria Matthæi eruditionem, ejuſque generis vetuſtatem commendat. *Mediol.* 1625 *in* 8.

Videndus etiam eſt Picinellus in Athenæo p. 419.

## MDCCXXXVII.

## VALERIUS MAXIMUS.

ANimo diù pependimus, cùm hanc Bibliothecam Mediolanenſium Scriptorum adornaremus, recenſendus ne inter eoſdem foret Valerius Maximus hiſtoriæ laude clariſſimus, quem ab eruditiſſimo Viro Andrea Alciato non Juriſprudentiæ tantùm commendatione, ſed etiam Antiquitatis peritiæ celeberrimo Contribulibus ſuis adſcriptum reperiebamus, prout uberiùs infra dicemus. Movebat nos Voſſii auctoritas, qui ſuſpicatus eſt Valerium illum Maximum in Inſcriptione ab Alciato prolata, quam integram mox dabimus, memoratum, alium ab Hiſtorico fuiſſe, qui Conſulatum cum Voluſiano Auguſto geſſerit, vel alium quempiam ex eadem Valeria Gente. Neque minus nobis negotium faciebat aſſertio Joannis Alberti Fabricii in parte priore Supplementi ſuæ Bibliothecæ Latinæ cap. V. pag. 453. ſcribentis Publii prænomen Valerio huic vindicandum non dubitaſſe Marquardum Gudium, auctoritate Codicis Medicei; aliumque videri Valerium Maximum in præfata Inſcriptione laudatum, utpote cui præfigatur Marci prænomen. Imò, quod magis urget, de vetuſtate ipſius Marmoris Fabricius ambigebat. Adde, plures Scriptores etiam antiquos Valerio Maximo Romam tribuiſſe patriam non Mediolanum; & ſanè ignari non ſumus olim in Urbe floruiſſe Valeriam Gentem, cujus princeps vetuſtiſſimis temporibus extiterit M. Valerius Dictator, quem primùm Maximi nomine appellatum, eò quia prudenti Oratione è Sacro Monte plebem revocaverit, ait Cicero in Bruto cap. XIV. Verumtamen cùm mihi extero homini non liceat magnum hoc decus Melanenſibus, quibus tot tantaque debeo, eripere, ſequi potius volui Leandri Alberti Civis mei veſtigia, qui in Deſcriptione Italiæ editionis Venetæ MDLI. pag. 357. aliis Mediolanenſibus eruditis Valerium Maximum attexit. Ne autem, ut ſervum pecus, aliorum tantùm duci videar exemplo, rationes etiam in medium adducam, quæ me ad hoc impulerunt. Quis credat enim Virum Conſularem (ut primùm Voſſio reſpondeamus) in Inſcriptione, tanti muneris, & quod tam grandi ambitu oſtentari ſolebat, immemorem fuiſſe, ut ſaltem ſe Exconſulem reticeret? Quod verò ad prænomen P. attinet, quis non videat ex unico Codice nullum deſumi poſſe argumentum, præſertim cùm alius non deſit Leidenſis, non inferioris notæ, ab eodem Fabricio adductus, ubi M. prænomine Scriptor noſter eſt inſignitus? Si verò de marmoris fide agatur, magis certè credendum Alciato Inſubri, doctiſſimo, oculatoque teſti, atque in hujuſcemodi rebus verſatiſſimo, quàm Fabricio extero, & qui non niſi marmoris ipſius antypum cernere potuit. Juvat ideo ipſiſſima Alciati verba ſubjicere, quæ Inſcriptionis exemplo adſcripta leguntur: „ En Valerii Maximi nunquam ſatis laudatam memoriam, quæ in Divi Simpliciani Fano „ effoſſa non ſine ingenti litteratorum gaudio, & effuſiſſima lætitia conſpicitur; cum apud bonos auctores nihil penitus extaret, quo de ejus morte, „ vita, moribus certiores fieri ſtudioſi poſſent. Habent igitur quod gaudeant Mediolanenſes tanto „ cive nobilitati, quem quamvis monumento non „ conſtat fuiſſe Hiſtoricum, ſed ſimpliciter Aſtrologiæ ſtudioſum, tamen dubitandum non videtur „ quin ille fuerit, cujus novem priſcorum exemplorum libri etiam nunc ſunt in precio; nec repugnat eundem profeſſione Aſtrologum fuiſſe, & tamen Hiſtoriam ſcripſiſſe. „ Ut autem aliis etiam argumentis in contrarium ſuperiùs adductis ſatisfiat; addemus jam ſæpe citati Alciati verba alia ex Patriæ Hiſtoria deſumpta; ſcilicet: „ Floruit Tiberii tempore egregii Operis nobiliſſimæque hiſtoriæ auctor „ M. Valerius Max. Principis amicitiam tituli ambitu „ profeſſus. Romanum eum quidam vulgatioribus „ commentariis teſtantur: ex Antiquis nemo eſt, qui „ ejus vitæ nedum patriæ mentionem faciat. Mediolanenſem fuiſſe in tanta auctorum inopia, ut credam, ejus tumulus candidiſſimo marmore effoſſus „ ante Simpliciani ædem me adducit. Monumentum „ pro indice eſt, cum uxore Apronia M. Valerium „ Max. Sacerdotem, Aſtronomum, cæterorumque „ ſtudiorum peritum electo conditorio unà jacere; „ quo hæredes ne inferantur, nominatim præcipit. „ Abſurdum itaque eſt eum, qui & uxorem, & hæredes, & tumulum Mediolani habeat, alibi, quam „ Mediolani genitum credere; cùm nihil tamen errent, qui Romanum vel incolatu, vel communi „ omnibus Italis jure, appellant. Nam & Plinius „ Romanum ſe dicit, qui tamen procul dubio vel „ Veronenſis, vel certè ex Novocomo Inſuber fuit. „ Valeriorum planè gentem, ex qua originem Valerius Max. traxit, celebrem extitiſſe Inſcriptiones „ ſunt argumento, in quibus hæc omnium frequentiſſima ſemper occurrit. „ Donec igitur alius quiſpiam uberiora adducat monumenta, quibus Valerius noſter Inſubriæ adimatur, pro Mediolanenſibus ſtare lubet, apud quos, ut Alciatus ipſe innuit, tot marmora Valeriæ Gentis nominibus inſignia conſpiciuntur ad hanc uſque diem. Atque oh utinam liceret de tanti Scriptoris actis plura exhibere! Ea ſolum, & quidem pauca admodum, proferre poſſumus, quæ poſteritati reliquit vetuſtatis injuria. In ipſo juventutis flore Romam ſe contuliſſe videtur Valerius noſter, ibique litteris vacaſſe, humanis præſertim, atque his, quorum frequentior uſus eſt in Republica. Aſtrologiam didiciſſe, & Sacerdotio functum fuiſſe, ſæpè jam citatum Sepulchrale Elogium innuit. Stipendia etiam militaria ſecutum ſe cum Sexto Pompejo in Aſia, ipſemet auctor eſt in libro II. Operis ſui infra memorandi cap. VI. num. VIII. hinc & Pompejum extinctum vehementer doluit, atque laudavit pluribus in locis ejuſdem Operis. Romam exinde reverſus, extremis Tiberii Cæſaris temporibus, jamque ſublato Sejano, manum calamo admovit, ſcriptumque Opus idem Auguſto obtulit. Poſtmodum in extrema ſenectute patrios lares repetiiſſe videtur, ubi extra pomœrium, Romanorum more, non procul ab eo loco, ubi nunc aſſurgit celeberrima Sancti Simpliciani Baſilica in regione Portæ Comenſis, uxori, ac ſibi titulum erexit monumenti in hæc verba:

M. VA-

Digitized by Google

M. VALERIVS MAXIMVS
SACERDOS
D. S. I. M. STVD.
ASTROLOGIAE
SIBI ET SEVERIAE APR.
VXORI
H. M. H. N. S.

Priuſquam verò Operis illius titulum promamus, gratum erit fortè Lectoribus noſtris, ſi quædam de ipſo adducamus in medium à variis Scriptoribus non abſque labore noſtro collecta. Sunt qui putent, Opus, quod nunc ſub Valerii Maximi nomine circumfertur, Epitomam eſſe majoris Codicis, qui perierit, idque comprobant ex phraſi, de qua Eraſmus in Ciceroniano Dialogo hæc ait: „ Valerius Maximus tam ſi- „ milis eſt Ciceroni, quàm mulus homini, adeo ut „ vix credas vel Italum fuiſſe, qui ſcripſit, vel hoc „ ætatis, quod præſefert vixiſſe, tam diverſum eſt „ totum dictionis genus. Afrum quempiam eſſe di- „ cas, nec ullum Carmen elaboratius. „ Chriſtianus quoque Daumius in libro ſuo de Cauſis amiſſarum Latinæ linguæ radicum, pag. 39. in Valerio noſtro, atque etiam in Vellejo Paterculo Caſtrenſe dicendi genus notat. Eum verò, qui majus Opus in compendium quoddam redegit, conjecit Voſſius in Hiſt. Lat. lib. I. cap. 24. fuiſſe Julium Paridem, ſive potiùs, quod Cantellius ſuſpicatus eſt in ſua Valerii editione, hujuſmodi labor tribuendus videtur Januario Nepotiano; id enim confirmat Epiſtola ipſius Januarii ad Victorem, quam integram edidit Philippus Labbeus in Tomo I. Biblioth. MSS. pag. 669. Gloſſematis peſſimè laborare, quod nunc extat, Valerii Opus plures adnotarunt; & certè titulorum præſertim Inſcriptiones Auctoris noſtri eſſe non videntur. Advertit enim Franciſcus Vavaſſorius in libro de vi & uſu verborum quorundam latinorum, nunquam Valerium uſurpaſſe voces *Ingratitudinis*, & *Gratitudinis*, quibus capita quædam libri V. inſcribuntur, ſed periphraſim ſemper adhibuiſſe, quod argumento eſt à ſciolo hæc adjecta. Teſtis eſt tamen Vavaſſorius ipſe apud ſe fuiſſe MS. Valerium, in quo pro ſupra citatis verbis legebatur *De Gratis*, *& Ingratis*. Et quidem hiſce prolatis liberum relinquimus de hac quæſtione doctis Viris judicium. Certè Valerii labor ſub eodem, quem nunc habemus, titulo citavit Aulus Gellius, quemadmodum & Plinius major non una vice.

Habemus igitur Valerii Maximi ſeu Opus ipſum, ſeu mavis Epitomen, hoc titulo inſcriptam:

I. Dictorum, Factorumque memorabilium Libri IX. Editiones verò hujus Operis penè innumeras quis unquam recenſere poterit? Præſtantiores verò ante Sæculum XVI. impreſſas dabimus; ſed antea juvat hîc Lectoribus noſtris proferre MSS. antiquiores, quibus uſus fuit Cl. Marquardus Gudius in Collectione novæ editionis, quam meditabatur, ut aſſerit Fabricius in Tom. II. Bibliothecæ Latinæ pag. 459. Codices fuere numero viginti & amplius, ſcilicet II. Bituricenſes. II. Remenſes. II. Bibliothecæ Cardinalis Barberini. I. Eccleſiæ Cathedralis Harlemenſis. II. Bibliothecæ Heinſii, quorum unus ſpectabat olim Bibliothecæ Marchionis Eſtenſis. I. Bibliothecæ Collegii Romani Jeſuitarum. IV. Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis. VI. Bibliothecæ Mediceæ. II. Bibliothecæ Vaticanæ. I. Iſaaci Voſſii. I. Petri Puteani. Antiquitates eorumdem deſcribit diligentiſſimè idem Gudius, vetuſtiores verò ſunt unus Vaticanus, annorum CCCC., alter Cathedralis Harlemenſis, annorum D., alter verò Petri Puteani ejuſdem ætatis. Valerius Maximus primùm prodiit *Moguntiæ, apud Petrum Schoyffer de Gernsheim*, 1471. *in fol. Venetiis, per Vindelinum Spirenſem*, 1474. *in fol.* Iterum *Venetiis, per Johannem de Colonia*, 1474. *in fol. Pariſiis*, 1475. *ſine nomine Typographi, in fol. Bononiæ, ad petitionem Sigiſmundi de Libris*, 1476. *in fol.* Ex emendatione Boni Accurſii Piſani. *Venetiis*, 1478. *in fol. Mediolani*, 1480. & iterum 1487 *per Leonardum Pachel, & Uldericum Scinczenzeller Theutonicos*. De his videndus eſt Clar. Saxius in ſua Hiſtoria Typographica. Item *Venetiis*, 1482. *& 1487. per Johannem de Forlivio, & Socios, in fol.*, cum expoſitione Omniboni Leoniceni Vicentini, M. Antonii Sabellici, & Oliverii Arzignanenſis. Aliæ verò editiones poſt annum 1500. ſunt penès innumeræ, nam ſupradictus Fabricius, præter Italicas, quarum unam tantùm hîc indicare juvat hujus Urbis anni 1513., additis Jodocii Badii Aſcenſii familiaribus Interpretationibus, ſub Theophili nomine Arcadicus latet, ajunt in titulo Mediolanenſes „ cujus rabiem „ hac in editione coërcuit Antonius Lenas. „ Idem Fabricius, ut dixi, in Gallia editiones præſtantiores X. enumerat, in Germania XVII., apud Battavos VI. Commentatores verò, præter antiquos, Pighium, Colerum, Lipſium, Thyſium, Pontanum, Perizonium, atque Tollium laudat. Idem Opus in Gallicam linguam verſum, quater vidit lucem *Pariſiis*, 1572. 1647. 1659. *&* 1713. In eadem quoque lingua extat MS. Altonæ in Bibliotheca olim Danielis Saſſii, à Simone de Heſdin uſque ad VII. Librum verſum, regnante Carolo V., expletum verò à Nicolao de Gonneſſe, anno MCCCCI. Tom. II. in fol. Exemplar à pluribus citatum, atque eruditis figuris, & miniaturis exornatum; Belgicam verſionem Abrahamo Bogaarto, *Amſtelodami*, 1721. *in* 8. debemus.

Videndi ſunt Fabricius ſupradictus in Bibliotheca Latina Tom. I. pag. 453. & 605. Tom. II. pag. 546. & 721. Sigonius in lib. I. Emendationum pag. 65. Joſephus Scaligerus, Janus Rutgerſius Var. Lect. pag. 597. Franciſcus Modius in Epiſtolis, Diarii Trivultiani ad annum 1714. Menagiana „ Ou les bons mots, & „ remarques Critiques, Hiſtoriques, Morales, & d'e- „ rudition de M. Menage „ *Amſterdam*, 1716. Tom. III. pag. 198. & Tom. IV. pag. 211., omnes ſupracitati in Vita Valerii M., Picinellus in Athenæo pag. 510. & alii quamplurimi.

## MDCCXXXVIII.

## VALLAGUSSA GEORGIUS.

Vallaguſſa familia Mediolanenſis non tantùm reperitur in memorata celebri Collectione Raphaëlis Fagnani, ſed etiam in Decurionali Sitoniana, ubi legitur Ambroſium Vallaguſſam in eadem dignitate floruiſſe anno Chriſti MCCCLXXXVIII. Georgius verò noſter Præceptor fuit filiorum Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium Ducis, quod ante Clariſſimum Muratorium noſtrum adnotavit Placidus Abbas Puccinellus locis infrà ſignandis in hæc verba: „ In „ Sacello D. Magdalenæ, nunc Sancti Benedicti di- „ cto, poſito in Eccleſia Sancti Petri de Glaxiate, „ reconditum eſt corpus Georgii Vallaguſſæ (quem „ perperam Vallagraſſum dicit Picinellus) Poëtæ „ Laureati, Præceptoris filiorum Franciſci Sfortiæ „ Mediolani Ducis anno MCCCCIV. „ Opus ejus MS. num. II. indicavit, ut infra, ſupradictus Muratorius, ego autem ipſum non ſine voluptate legi. Nil aliud interim proferre poſſum Lectoribus meis de Georgio noſtro, præter alia ejuſdem Opuſcula, quæ præ manibus habui in ditiſſima Bibliotheca Ambroſiana,

Quæ ſunt:

I. Deorum Dialogus Georgii Vallaguſſæ Mediolanenſis, ad Summum Pontificem Pium II. Epiſtola Nuncupatoria, ſic incipit: „ Miraberis fortaſſe Beatiſſime Pa- „ ter novum ſcribendi genus in laudes tuas cunctis „ mortalibus admirandas à me nuper excogitatum. „ &c „ Dialogus verò ſic exorditur: „ Mercurius. „ Tandem pater hominum, atque Deorum Rex filium „ Mercurium audias &c. „ Eſt paginarum 64. in Codice manuſcripto Bibliothecæ Ambroſianæ ſignat. T. num. 20. in 4.

II. De Origine, & Cauſis Cœremoniarum, quæ celebrantur in Natalitiis: Dialogus Georgii Vallaguſſæ. Interlocutores Philippus Maria Sfortia, & Sfortia Maria fratres; ſic incipit: „ Philippus Maria. Per- „ pulcher eſt profecto Sfortia germane frater appara- „ tus iſte, ab illuſtriſſimis parentibus noſtris quotan-

„ nis hoc Natali die repetitus &c. „ Eſt pagg. 40. in Codice MS. Biblioth. Ambroſ. ſignat. S. num. 21. in 4.

III. Quædam Elegantiæ dicendi in quotidianum uſum ex Ciceronis Epiſtolis, cum earum vulgari per Georgium Vallaguſſam Oratorem Clariſſimum extractæ. MS. in 4. litteris rubro-nigris in Biblioth. Ambroſ. ſignat. S. num. 37. Hoc ipſum Opus editum fuit hoc titulo: „ Georgii Vallaguſſæ Illuſtriſſimi Galeazii Mediola-„ nenſium Ducis Præceptoris, in floſculis Epiſtolarum „ Ciceronis vernacula Interpretatio. „ *Sine loco, anno, & Typographi nomine*, in 4. reperitur apud amiciſſimum nobis Canonicum Joannem Andream Iricum, qui etiam indicavit duas alias editiones *Venetas apud Cominum de Tridino*, 1548 & 1549. in 8.

Memoratur à ſupradictis Abbate Placido Puccinello in Chronico Glaxiatenſi pag. 116. & 326., à Ludovico Antonio Muratorio in Diſſertatione LIX. de Superſtitionum ſemine Tom. V. Antiquitatum Italiæ Medii Ævi pag. 77. atque à prædicto Canonico Irico in Hiſtoria ſua Typographica Tridinenſi ad jam enunciatos annos.

## MDCCXXXIX.

## A VALLE BARTHOLOMÆUS.

Familia à Valle Mediolanenſis florebat jam Sæculo XIV. nam in Nomenclatura Virorum XII. Proviſionum hujus Urbis apud Clar. Sitonum legitur Franciſcus de Valle, qui in ampliſſima altera Comitis Octavii Collectione memoratur inter Viros electos à generali Conſilio CM. anno MCCCCIV. die XXVI. Martii, Indictione XI. videlicet binos pro Porta cum maxima auctoritate conficiendi bellum, & pacem, ſedandi diſcordias, puniendi rebelles, confiſcandi bona &c. Franciſcus idem inter ipſos recenſitus invenitur cum Franciſco Serazono pro Porta Nova. Alii ſex ex hac familia ab an. MCCCLXXXVIII. ad MDXIII. Decuriones hujus Civitatis claruere. Bartholomæus noſter Ducalis Cameræ Mediolanenſis Dominii ad Hydraulicæ, & Mechanicæ generalem inſpectionem delectus, floruit XV. Sæculo exeunte, & alterius initio. Opus illius, quod vidi, ſic inſcribitur,

Scilicet:

I. Trattato per adacquar terreni, ed altre regole d'Agrimenſura, con un Modo generale per formare il giuſto prezzo di terreni di Bartolomeo della Valle Ingegnere. Librum hunc ſcripſit anno MDIX.

II. Ordini Ducali per le acque del Naviglio grande, e dell' altro detto della Marteſana, cominciando dall' anno MCCCCLXVII. fino all' anno MDV. con la denominazione di tutte le Bocche &c. Ad calcem adſunt Secreta varia, necnon „ Conſilium pro ſalute Animæ, „ quod Illuſtriſs. & Clariſs. Princeps D. Philippus „ Maria Dux Mediol. poſtulavit ab infraſcriptis Vi-„ ris &c. „ De hoc Conſilio alibi pluries egimus. Codex, qui etiam Art. num. I. continet, videtur autographus MS in 4. optimæ notæ, unà cum Tabulis diligenter delineatis, extat in Bibliotheca Clericorum Regularium Teatinorum S. Antonii Mediolani.

## MDCCXL.

## A VALLE FEDERICUS.

De Gente à Valle nuncupata, ſatis ſuperque diximus in præcedenti Articulo Bartholomæi; de Federico autem nihil aliud collegimus, niſi quod ipſe aſſerit in libro num. III. infra recenſendo, ſcilicet nepotem fuiſſe quondam Aſcaleonis de Valle. Ignoramus tamen an ille ſit idem Lælii filius, cujus Sepulchralis Inſcriptio proſtat in atrio Eccleſiæ S. Ambroſii majoris hujus Urbis, ut ſequitur:

ASCALEON DE VALLE
TAM INSIGNIS OFFICII CVLTOR
VT EVM VITÆ DIEM NON COMPVTARIT
QVO PRODESSE CVIQVAM NON POTVIT
HIC SITVS EST XIII. OCTOBRIS MDXXXIX.

Dolendum eſt, quod de Federico iſto, etſi Sæculo tantùm proximè elapſo florente, nemo ex ſuis Concivibus tantillum mihi indicare ſciverit; accipiat benevolus Lector, quod ei exhibere mihi datum eſt, etſi parum, neque hoc vitio mihi tribuat.

Edidit:

I. Orazione nelle Eſequie di Filippo III. Re delle Spagne dedicata a Filippo IV. ſuo figlio di Federigo della Valle. *Milano, per li Malateſta*, 1627. in 4.

II. Orazione nelle Eſequie della Ducheſſa di Feria. *Milano, come ſopra*.

III. Judit, & Eſter Tragedie di Federigo della Valle. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1629. in 8.

## MDCCXLI.

## VALLIANUS JOSEPH.

Quòd Valliana familia inter Mediolanenſes perantiquas adnumeretur, ſatis compertum habent inſpicientes ampliſſimam Clar. Sitoni noſtri Conſularem Collectionem, in qua Traverſus Vallianus in eadem dignitate reperitur annis MCXCIX., & MCCXVII., ac Petrus ejuſdem Gentis anno MCCLXIV. Ipſius cognominis nunc mihi ſe offert commendandus Joſeph noſter, qui animarum curam in Oppido Domus Vallis-Travalliæ in Diœceſi Novarienſi exiſtente, ſed Mediolanenſis Dominii, non tantùm ut optimus Paſtor geſſit, ſed plura ſui ingenii teſtimonia in publicum non ſine laude protulit, ut facilè Lectores agnoſcent ab Operibus infra recenſendis partim editis, partim ab eodem Scriptore promiſſis. Floruit temporibus noſtris, & tamen annum illius deceſſus nemo mihi indicavit.

En quæ ſcripſit:

I. Li due Privati in Corte: Opera Morale, Dogmatica, e Politica. *In Milano*, 1701. in 12.

II. Arte di ſcrivere Lettere. *Milano, per il Malateſta*, 1705. in 12.

III. Eſculapio Aſtrologo, Fiſico, e Morale del modo più certo, e regola ſicura da praticarſi dallo ſtudioſo Letterato per viver ſano longamente; Rifleſſioni di Marſilio Ficino illuſtrate da Gio. Giuſeppe Vagliano. Al Marcheſe Giuſeppe Stampa Conte di Soncino. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1701. in 4.

IV. Il Forte armato: Vita del Cardinal Federico Borromeo, Arciveſcovo di Milano, dedicata al Conte Carlo Borromeo. *Milano, per il Malateſta*, 1704 in 4.

V. Vita del Beato Alberto Beſozzi Anacoreta ſu le Rive del Lago Verbano. *Milano*.

VI. Regole per buon governo de' Vermi, che fanno Sete. *Ivi*.

VII. Rive del Verbano di Giuſeppe Vagliano Rettore della Parochiale di S. Maria di Domo. *In Milano, per Marcantonio Malateſta*, 1712. in 12. De hoc Libro ſic legitur in Opere inſcripto „ Galle-„ ria di Minerva „ Tom. VII. pag. 67 „ Inva-„ ghito forſe queſto Autore del ſito, dove ſcor-„ rono le acque del Lago Verbano, ha intra-„ preſo di deſcrivere il continente di eſſo, non „ tanto in ordine alla Geografia de' Borghi, For-„ ti, Caſtelli, Iſole, Monti, Valli, e Colli, ed „ Idrografia di Fonti, Peniſole, Fiumi ec. Ma „ fovente quanto alla antichità delle famiglie „ nobili, che fortirono l'origine, ed abitazione „ in dette Rive: lo fa poi con eſattezza così di-„ ſtinta

Digitized by Google

„ ſtinta, che non vi rimane, che deſiderarne „ ec. Compiſce poi il trattato con proteſtarſi di „ aver ſotisfatto al ſuo genio di laſciar perpetue „ memorie degli huomini illuſtri, che in queſto „ Continente ſortirono fortunatamente i natali, „ viſſero, e ſi fecero gran ſeguaci della virtù, „ in ſantità, ſapere, ed armi, arricchito così il „ Verbano di nobiltà, e fama honorata ec. „

VIII. Sommario delle Vite, ed Azioni degli Arciveſcovi di Milano da S. Barnaba fino al governo preſente, di Gio. Giuſeppe Vagliano Rettore di Santa Maria di Domo Valtravaglia. Agli Illuſtriſſimi Signori Vicario, Seſſanta Decurioni, e XII. del Tribunale di Proviſione dell' inclita Città, e Ducato di Milano. *Ivi, per Marcantonio Pandolfo Malateſta*, 1715 *in* 4.

Quæ ſequuntur reliquit MSS. ut eruitur ex notula ad calcem ſupramemorati Operis, & forſan apud ejus Hæredes reperiuntur.

IX. Concepta Sanctorum Patrum ſuper Textum ſacrum in commodum Parochorum pro Concionibus.

X. Geroſolima ſantificata dalla Vita, Paſſione, e Morte del noſtro Salvatore.

XI. Documenti, modo, e regola ſicura per arrivare alla perfezione dell' acquiſto del vero amor di Dio.

XII. Divozione alla Beata Vergine, ſue grandezze, ec.

XIII. Divozione alle Anime del Purgatorio, di quanto merito.

XIV. Aſſunti ſagri ſopra la Paſſione di Criſto Signor noſtro.

XV. Quadrageſimale di tre giorni la ſettimana, e le Domeniche.

XVI. Panegirici ſagri.

XVII. Politica morale, cioè Regole, e Conſiglj a' Miniſtri de' Prencipi per buon governo loro.

XVIII. Li due Amori ſagro, e profano: Opera ſagra, erudita.

XIX. Lettere Accademiche, Centuria prima.

XX. Eſercizj Rettorici.

XXI. Varie Opere Sceniche, Sagre, & Iſtoriche.

XXII. Poeſie, e Proſe.

Memoratur Auctor noſter in Tom. III. & XX. Diarii Italici editionis *Venetæ*.

## MDCCXLII.

## VALLOTTA LUDOVICUS.

IN Muſæo Antiquitatum, præcipuè Mediolanenſium, apud pluribus in locis à nobis jure meritò laudatiſſimum Sitonum, extat Sententia lata ſub die Mercurii decimoquinto menſis Auguſti, anno ab Incarnatione MCCXXIII. Indictione XI. Alberti Vallottæ Conſulis Juſtitiæ in libera Mediolanenſi Republica. Documentum verè magnifaciendum ob ætatem, & quia autographum eſt in pergameno Alberti filii quondam Traverſi de Sancta Maria Sacri Palatii Civitatis Mediolani Notarii, ad oſtendendam quoque familiæ Vallottæ Mediolanenſis vetuſtatem aptiſſimum. Ex eadem ortus eſt in hac Urbe Ludovicus, de quo agimus, Ambroſio Vallotta, atque Cæcilia Mercantula parentibus, die XII. menſis Decembris, anni vulgaris Æræ MDCLXI. Hic Sacris initiatus, primiſque ſtudiis optimè imbutus, Religionem Carmelitarum Excalceatorum amplecti decrevit, & in eadem, nomine aſſumpto Alexandri à S. Franciſco, profeſſus eſt die XXVI. menſis Martii, anno MDCLXXIX. Vir fuit acris ingenii, optimique conſilii, necnon in gerendis rebus ſummè prudens, litteris quoque ac pietati totus deditus, itaut munera Prioris, Deffinitoris, ac Provincialis à Suis obtinere meruerit. Eximius S. R. E. Cardinalis à Platea Faventiæ Epiſcopus Vallottam noſtrum à Conſiliis, & Theologum ſuum voluit. Examinator item Synodalis, & S. Officii Conſultor pluribus annis in eadem Faventina Civitate, cunctis plaudentibus, extitit, ex qua in patriam redux anno MDCCXXVI. die XIII. Octobris in Domino mortuus eſt.

Reliquit poſt ſe

I. Volumen integrum Conſultationum Canonico-Moralium, quod prælo paratum habebat MS. in fol. Servatur in Bibliotheca FF. Carmelitarum Excalceatorum hujus Metropolis.

Ita à Suis.

## MDCCXLIII.

## VALPERTUS.

DEfuncto Aldemario Mediolanenſi Archipræſule, quamvis Manaſſes Schiſmaticus homo ſe pro Ambroſiani gregis Paſtore gereret, ejuſdem Urbis Clerus, & populus, anno Chriſti DCCCCLIII. Valpertum vocavit ad Infulas. Hic pacificam muneris ſui adminiſtrationem nactus, adversùs Adalbertum, & Berengarium in Italos deſævientes ad Othonem evocandum in Germaniam uſque contendit, pollicitus, ſi armatus Tyrannos expulerit, Italici Regni ſe traditurum inſignia. Comites ei fuiſſe hoc in itinere Valdum Cremonenſem Epiſcopum, & Odbertum quemdam Marchionem ſcribit Ughellus. Verumtamen id prorſus à fide alienum credendum eſt, quòd ad Epiſcopum Cremonenſem pertinet, nam ex eodem Ughello eo tempore ſedebat Darimbertus electus anno DCCCCXXIV. qui cum Archiepiſcopo Mediolanenſi, & Antiſtite Placentino Cremenſis Oppidi Antropophormitarum hæreſi infecti excidio interfuiſſe perhibetur, ſucceſſoremque habuit Luitprandum Ticinenſem Diaconum Legationibus obitis inſignem, anno DCCCCLXIII. quo nondum Valpertus noſter diem clauſerat, ut infra dicemus. Adde, nullum omnino Valdum nomine inter Cremonenſes Præſules recenſeri; quocirca cùm Valperti iter Germanicum ad initia Pontificatus ipſius referatur, in ea ſumus ſententia, ut credamus pro Valdo ſcribendum eſſe Darimbertum, niſi fortè Valdus iſte inter Darimbertum, & Luitprandum ſederit, quod fieri potuit, ſi anni Darimberti Epiſcopatui ab Ughello tributi conſiderentur, qui omnino forent XXXIX. Quamvis enim impoſſibile non ſit totidem eum ſediſſe, tamen ſi eidem aſſignentur anni XXIX. tantummodo, qui ab illius electione ad initium Archiepiſcopatus Valperti fluxerunt; X. anni ad enunciationem uſque Luitprandi poterunt Valdo remanere. Cùm tamen hoc ad Inſtitutum noſtrum minimè pertineat, provinciam hujuſmodi Cremonenſibus eruditis perquam libenter relinquimus, ſperantes fore ut veritas meliùs eluceſcat, ſi Epiſcoporum ſuorum monumenta diligentiùs excuſſerint. Ut igitur ad Valpertum noſtrum revertamur, Othonem ſecum in Italiam adductum Italici Regni Coronâ inſignivit in Baſilica Ambroſiana, adſtantibus Suffraganeis ſuis, pluribuſque Principibus, & Optimatibus. Qua coronatione perfectâ Otho Archiepiſcopo Valperto dono dedit Ducatum Bulgariæ, Marchiam Martheſanæ, atque Comitatum Seprii. Celebraverat paulo ante Archipræſul noſter Provinciale Concilium, deque omnium Epiſcoporum, qui frequentes aderant, ſententia Regnum Berengario ademerat. Othonem verò, cui ut præfati ſumus, Regnum ipſum detulerat, jurejurandi religione obſtrinxit, ſe pro ſalute, dignitateque Italiæ patrimonium ſuum omne profuſurum. At poſt decennium ab electione ſua aliud Concilium coëgit Valpertus noſter, menſe Julio, ubi inter cætera optimè decreta, memoratur etiam Sententia pro Abbate Monaſterii Tollani in agro Placentino, de qua inferiùs ſermo recurret. Interfuit anno DCCCCLXVII. Synodo Ravennati, in qua ſubſcripſit litteris Joannis XIII. Pont. Max. datis eodem anno VII. Kal. Maji, in cauſa excœcationis Herolfi Archiepiſcopi Saltzburgenſis. Multis etiam aliis præclarè geſtis

ſtis inſignis, cum ſediſſet in Ambroſiana Sede annos XVI. migravit è vita, anno Chriſti DCCCCLXIX. atque in Metropolitana Baſilica tumulatus fuit.

Hæc de tanto Præſule memorantur:

I. Concilium Provinciale anno DCCCCLXI. quo abrogavit Regnum Italicum Berengario, & filio illius Adalberto. Hujus meminit Sigonius de Regno Ital. lib. VI. aliique Scriptores.

II. Aliud celebratum in Baſilica Sancti Ambroſii, anno DCCCCLXIII., ubi inter cætera prolata eſt Sententia pro Gumpaldo Abbate Cœnobii de Tolla Placentinæ Ditionis, quam integram dat Ughellus loco mox citando, & cujus lubet hic initium exſcribere.

„ Dum in nomine Sanctæ, & inſeparabilis Trinitatis „ Domnus Vualpertus Sereniſſimus Archipræſul in „ aula Domus Sancti Ambroſii cum ſibi ſubditis Sa„ cerdotibus, ac Levitis, reliquoque Clero, & po„ pulo præſente, de ſtatu, atque regimine ſuæ ſan„ ctæ Eccleſiæ ut ſemper reſidens pertractaret &c.

III. Aliud habitum in Eccleſia S. Theclæ anno (ut ſuſpicatur Ughellus Tomo IV. Ital. Sacræ in Epiſc. Albenſibus num. VIII. & in Aquenſibus num. XIV.) DCCCCLXIX. pro unione Eccleſiæ Albenſis cum Aſtenſi.

Litteras ad eum dediſſe tam Pontificem Maximum, quàm Othonem Auguſtum ſuper hoc negotio, idem Ughellus citatis locis aſſerit.

Laudatur à Scriptoribus omnibus Inſubriæ res pertractantibus, & præter citatos ejus meminerunt Baronius in Annalib. Eccleſiaſticis ad annum DCCCCLX. præfatus Ughellus in Tomo IV. Ital. Sacræ inter Mediolanenſ. Archiepiſcopos num. LXV. aliique non pauci.

## MDCCXLIV.

### de VALVASSORIBUS ANSELMUS.

Cùm migraſſet è vita Arnulphus Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, inter Ambroſianos Præſules hujus nominis III. ad eandem Sedem aſſumptus eſt Anſelmus de Valvaſſoribus de Luvino, ſive, ut alii malunt, de Buis, qui etiam Anſelmus IV. dictus fuit, quòd tres alios cognomines habuerit Archiantiſtites præceſſores. Hic prius in Laurentiana Baſilica Præpoſituræ fungebatur dignitate, ex qua ad Infulas evocatus eſt communibus Cleri ſuffragiis anno MXCVII. electionem illius confirmante Urbano II. Pont. Max. qui etiam per Hermannum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Pallium, Metropolitici honoris inſigne, Mediolanum uſque Electo miſit. Ardebant per ea tempora, ipſo Pontifice inter primos agente, Chriſtifidelium animi piiſſimâ illâ Redemptoris Sepulchri recuperandi cupiditate; quocirca Anſelmus noſter vix Præſulatus ſui adminiſtrationem nactus toto in hanc rem pectore incubuit, tam felici ſanè eventu, ut publicè habitis concionibus Inſubrum corda ſacræ expeditionis amore ſuccendens, ad L. armatorum millia conſcripſerit, quos ſecum in Syriam deduxit; Mediolanenſis interim Eccleſiæ regimen Gryſolano, de quo ſuo diximus loco, cum Vicarii poteſtate commendans. Anno autem ſequenti, qui fuit Chriſti MXCVIII. nondum Hieroſolymâ captâ, Mediolanum Anſelmus reverſus eſt, ubi IV. Nonas Februarii Sententiam pronunciavit pro Abbate Monaſterii Sancti Simpliciani adverſùs Populum ſubjectum Eccleſiæ Sanctorum Martyrum Protaſii, & Gervaſii, quæ dicitur ad Monachos, & ipſius Templi Canonicos. Mox audito, quod Gottofredus Bullionius ſacrâ tandem Urbe potitus eſſet, in tantæ victoriæ teſtimonium, Eccleſiam Sanctiſſimæ Triadi in ipſo Urbis meditullio ſacram, atque, ut in Jacobi Corteſellæ Elogio diximus, jam pridem excitatam, (cui Templo cognomen de Rozone fuit, quòd Rozius, ſive Rozo Corteſella ipſum ad inſtar Baſilicæ Hieroſolymitanæ Chriſti Domini Sepulchro imminentis conformari curaverit) Idibus Julii, anno MC. ſolemniter conſecravit, & deinceps ejuſdem Sancti Sepulchri nuncupatione appellandam ſancivit. Aliam etiam Eccleſiam Deo dicavit, eam ſcilicet, quæ olim vicina erat Parthenoni Auronæ, ſive Horonæ, de quo in Theodori Archiepiſcopi Articulo jam meminimus. Mox Kal. Auguſti ipſius anni Genuam perrexit, ut iterum Paleſtinam peteret cum ipſorum Genuenſium claſſe. At cùm ſacras attigiſſet oras, Saracenorum impetu fugatus, Conſtantinopolim ſe contulit, ibique mœrore confectus in Monaſterio Sancti Nicolai die III. Septembris anno MCI. mortalibus valedixit, tumulumque in ipſius Cœnobii Templo habuit, nullâ Inſcriptione, quod ſciamus, appoſitâ.

Qua fuerit ſacra eruditione præditus teſtis eſt

I. Synodus Provincialis habita Non. Aprilis, anno MXCVIII. cujus Acta è veteribus membranis exſcripta intulit in Collectionem ſuam Diplomaticam MS. Vir nobis amiciſſimus Nicolaus Sormanus Ambroſiani Collegii Doctor. Hujus etiam Synodi meminerunt Acta Viſitationis Baſilicæ Ambroſianæ à Federico Cardinali Borromæo factæ, ut adnotatum reperimus in Catalogo Archiepiſcoporum Mediol. Sitoni noſtri.

II. Diploma pro Canonicis Sancti Ambroſii eodem anno datum, cui ſubſcripſere præter Anſelmum, Arelatenſis Archiepiſcopus, & Epiſcopi Magalonenſis, Placentinus, Mantuanus, Cumanus, Brixienſis, Terdonenſis, Aquenſis, & alii, qui Synodo interfuerant. Extat in eadem Collect. Diplomat. Sormani.

III. Aliud ejuſdem Diploma Conſecrationis Eccleſiæ Sanctæ Auronæ, de quo in Theodoro Archiepiſcopo diximus. Extat ibid.

IV. Aliud ejuſdem anni, quo confirmat Donationem Eccleſiæ S. Mariæ Græcæ factam Canonicis S. Ambroſii ab Arnulpho Archiepiſcopo. Extat ibid.

V. Sententia Anſelmi anno MLXXXIX. IV. Non. Febr. lata favore Abbatis Sancti Simpliciani pro Eccleſia Sancti Protaſii, vulgata eſt apud Ughellum loco mox citando, & apud Puricell. Differt. Nazar. cap. IX. num. VIII.

VI. Diploma ejuſdem Anſelmi de Conſecratione Eccleſiæ Sancti Sepulchri anni MC. Indictione Idibus Julii, habetur apud cit. Ughellum. De hujus tamen Diplomatis fide dubitat Clariſs. Muratorius in Anecdotis Tomo I. pag. 244.

VII. Aliud etiam pro Eccleſia S. Mariæ de Calvenzano datum anno MC. edidit Baluzius in Tomo VI. Miſcellan. pag. 483.

Meminerunt ejuſdem Landulphus de Sancto Paulo in Chron. cap. I. Ughellus in Tomo IV. Ital. Sacræ inter Mediolanenſ. num. LXXV. Chalcus in Hiſtoria Patriæ; Puricellus loco cit. & alibi ſæpius; Ubertus Folieta hiſt. lib. I. aliique permulti.

## MDCCXLV.

### de VALVASSORIBUS BARTHOLINUS.

Ad Familiæ de Valvaſſoribus Mediolanenſis gloriam ſatis eſt habuiſſe, præter alios Viros eruditione conſpicuos, Anſelmum hujus Metropolis Archiepiſcopum, de quo mox ſupra diximus, ac Sæculo XII. florentem. Eidem quoque mihi libenter contigit adjicere Bartholinum, cujus Opus MS. infra proferendum inter Codices Bibliothecæ Ambroſianæ inſpexi. Tanti eum fecit Franciſcus Ciceréjus, quòd adnotationes nonnullas de more eruditas in margine ſcripſit, ut in Articulo ejuſdem jam monuimus. Interim nec parentes, nec acta litteraria, nec mortis annum Bartholini hujus, quamvis diligenter conquiſita, noſtris poſſumus Lectoribus exhibere.

Codicis titulus eſt

I. Præcepta ad Rhetoricam pertinentia. MS. Sæculi XIV. in pergameno optimæ notæ litteris rubro-nigris, & Notis illuſtratus à Franciſco Cicerejo, in Bibl. Amb. ſign. Q. num. 26. in fol. parvo.

MDCCXLVI.

Digitized by Google

## MDCCXLVI.

### de VALVASSORIBUS DOMINICUS.

MArciani hujus Urbis Cœnobii, Eremitanæque Auguſtinienſis Religionis, Virorum profectò ſanctitate, ac litteris celebrium fœcundæ Parentis, perenne jubar nobis de proximo illuceſcit, Dominicus nempe Valvaſſorius, Ambroſii filius, & Hieronymi mox proferendi germanus frater, ejuſque virtutum perpetuus æmulator. Probitati enim, ac ſuavitati morum ardentem copulavit addiſcendi cupiditatem, qua humanarum litterarum, Philoſophiæ, Theologiæque ſtudiis jugiter incumbens, nedum Doctoratus inſigniis exornatus fuit, ſed dignus inſuper habitus, ut iiſdem diſciplinis, quas ſibi adeò feliciter comparaverat, Inſtituti quoque Auguſtinienſis Juvenes magiſterio ſuo imbueret, quod & ſummâ cum laude præſtitit ad plures annos, dum Cœnobiorum Piſauri, Bononiæ, ac Romæ gymnaſia moderaretur. Scientiarum interim opes, à liberaliſſimo divino Largitore acceptas, intra domeſticos tantummodo lares partiri ſibi minùs decere arbitratus, cæteris etiam Chriſtifidelibus ubertim elargiebatur, eos diſertiſſimis Concionibus è ſordido vitiorum cœno ad nitidam Chriſtianarum virtutum ſemitam revocando: quo proinde factum eſt, ut ab omnibus tamquam divini verbi eximius præco celebraretur. Cùm igitur in cunctis laudabilibus Hieronymum ejus fratrem (ut infra monebimus) referre ſatageret; paria ſanè præmia ſuis meritis tum ab Auguſtiniani Ordinis Patribus, tum à Summo Pontifice collata fuere: quandoquidem in Ordinis præfati Comitiis Aſſiſtens primùm Italiæ, deinde Procurator Generalis electus eſt; Anno verò MDCLXXVII. die XXVI. Novembris, Vener. Dei Servus & SS. Pont. Innocentius XI. Vicarium generalem toti eidem Ordini Apoſtolico Diplomate præfecit. Novâ auctus dignitate, ſibi certè non defuit Dominicus, quin de Familia ſibi credita in dies pergeret benemereri: & revera gratum adeò Eremitanis Patribus accidit ipſius regimen, ut illum anno MDCLXXIX. die XX. Maji in Generali Conventu ſupremâ Ordinis Præfecturâ decoratum voluerint. Magiſtratum hunc geſſit integro ſexennio, quo in adminiſtrando ſemper ſibi ſimilis, quod optimum ſapientiſſimumque Moderatorem deceret, numquam prætermiſit. Explorata itaque jam erat eidem Ven. Dei Servo Innocentio XI. hujus Viri ſagax in regendo prudentia; explorata item & illius eminens doctrina, cujus, præter ea, quæ dudum vel è Cathedrâ, vel è ſuggeſtu luculentiſſima, argumenta quoque indubia pluries uti Conſultor protulerat Sacræ Indicis Congregationis: eaque propter anno MDCLXXXVI. die XVIII. Martii ipſum Gravinenſem Epiſcopum nominavit. Tres tantummodo annos ſupra dimidium, dieſve quatuordecim, præfuit huic Eccleſiæ, quo brevi tempore ingenti ſtudio adlaboravit, ut in ſuo Clero pietatem, ſcientiaſque promoveret; hoc enim aſtruunt Lectura Theologalis in ſingulos annos, ac perpetua caſuum moralium (ut ajunt) Academia ab eo conſtitutæ: hoc & Synodus Diœceſana, quam habuit, cujus leges (Conſtitutiones nuncupatæ) nedum ob latinæ linguæ nitorem, ſed multò magis ob Catholicæ doctrinæ ſoliditatem, Sacræ Scripturæ, Canonum, Patrumque teſtimoniis undequaque roboratam, univerſalem plauſum meruere: hoc & Pœnitentiarii majoris munus, quo Canonicorum Collegium Eccleſiæ Cathedralis adauxit: hoc tandem & Seminarii reparatio ab eo cœpta, pro cujus optimo regimine Statuta, Regulaſque præſcripſerat. Hanc tamen reparationem, aliaque plura & inſignia, quæ meditabatur opera, invido mortis conatu, perficere nequivit; è vivis enim, ſuæque Diœceſis incremento, illum eripuit, anno MDCLXXXIX. die II. Octobris.

Ex ſuperiùs relatis noſter Dominicus ſcripſit:

I. Conciones Quadrageſimales.
II. Acta ſui Eremitani Ordinis, unà cum pluribus Epiſtolis tum Italicâ, tum Latinâ Linguâ conſcriptis, pluribuſque Voluminibus comprehenſa, dum Procuratoris ac Prioris Generalis reſpectivè muneribus fungebatur; quæ Romæ aſſervantur in præfati Ordinis Archivo.
III. Conſtitutiones Synodales pro Clero Gravinenſi, editas in laudata Diœceſana Synodo.
IV. Regulas & Statuta ſervanda in Seminario Clericorum Gravinenſium.
V. Conſultatio ad refellenda nonnulla aſſerta Patrum Excalceatorum Ordinis Erem. S. Auguſtini, qua inter cætera egregiè probatur, B. Ritam de Caſſia ob pœnitentiam tantummodo voluntariam, non autem ex præcepto Regulæ, ſive Inſtituti, aliquando excalceatam inceſſiſſe. *Romæ, apud Impreſſorem Cameralem, ſine anno.*

Extat in ejus laudem Poëma heroicum, cui titulus: „ Arx Valvaſſoria „ Romæ aſſervatum in Bibliotheca Angelica Sancti Auguſtini, editum à Petro Mangarello Bononienſi, cum notis Magiſtri Joannis Baptiſtæ de Mangarellis Auguſtiniani, & inſcriptum Celeberrimo Magliabecchio: Inſuper tamquam in Poëſi Latina apprimè verſatus, laudatur à Dominico Antonio Gandulpho Eremita Auguſtiniano in Præfatione ad Lectorem ſui Opuſculi: „ Fiori Poetici dell' Eremo Agoſtiniano. „ *Genuæ* impreſſi, *per Marchellum*, 1682 *in* 12. Commendatum pariter ipſum legimus in Additionibus ad Ughellum in Gravinenſibus Tom. VII. Ital. Sac. num. 45.

Quæ de hoc Scriptore proferimus, ſicuti & de aliis pluribus Auguſtinienſibus Eremitanis, docto, amiciſſimoque Patri Gulielmo Nicolai ejuſdem Ordinis debemus.

## MDCCXLVII.

### de VALVASSORIBUS HIERONYMUS

ORdinem Eremitarum D Auguſtini mirificè illuſtravit Hieronymus Valvaſſorius, Dominici mox laudati frater, quem præter litterarum præſtantiam, ornabant candor, integritas, humanitas, religio, morumque gravitas; iiſque præfulgidis animi dotibus memoriam ſui apud poſteros perennavit. Patriam ſortitus eſt Tritium Mediolanenſis agri Oppidum non ignobile, & præter jam commendatum Dominicum, alium habuit fratrem germanum, Joſephum, ſcilicet, Canonicum Ordinarium hujus Metropolitanæ Eccleſiæ, parum infra laudandum. In Cœnobio Sancti Marci hujus Urbis Eremiticæ Auguſtinianæ Familiæ adſcriptus eſt noſter: Mox ingenium, quo ſatis vivido pollebat, amœnioribus, gravioribuſque ſtudiis excolere inhians, eâ ſedulitate ac alacritate his in emetiendis curriculis uſus eſt, ut nulli ſecundus metam felici greſſu ſemper attigerit; Doctoratuſque Laureâ tandem redimiri meruerit. Hanc in ſcientiarum cultu diù probatam Hieronymi virtutem experti quoque ſunt nedum Inſtituti ſui Juvenes, quos Mediolani, Bononiæ, ac Romæ ſolertiâ maximâ erudivit; verùm etiam quotquot illum è ſuggeſtu ſacra perorantem in celeberrimis Italiæ Urbibus audivere. Famâ interim proclamante, Vir hic innotuit Alexandro VII., qui eum Pontificio Diplomate (ne Româ diſcederet) ut pro Italicis ſui Ordinis rebus Priorem Generalem conſilio juvaret, anno MDCLVII. Aſſiſtentis munere honeſtavit. Hujuſmodi autem operam vix impenderat ſuo Præſuli, cùm ecce ab Eremitarum Auguſtinienſium univerſo Cœtu, Comitiis de more habitis, eidem Generalis primò negociorum Procuratio demandata, mox anno MDCLXVII. Supremi Ordinis Moderatoris honor collatus eſt.



Digitized by Google

Incubuit illicò Hieronymus reſtituendæ aut firmandæ religioſæ diſciplinæ, quod ut faciliùs aſſequeretur, Cœnobia cùm citra, tum ultra montes, laboribus, incommodiſque poſthabitis, luſtrare aggreſſus, Concellitas, quos paterno amore complectebatur, hortationibus, aut providis legibus, prout opportunitas ſuadebat, ac præſertim ſuo exemplo, ad perfectam vitæ normam ubique excitavit. Nil proinde mirum, ſi dum ea perageret in magno Pariſienſi Cœnobio, adeò acceptus evaſerit Ludovico XIV. Francorum Regi Chriſtianiſſimo, ut & illius præſentiâ, familiarique alloquutione ſummopere delectaretur; & eumdem honoribus ac beneficiis, regiâ planè liberalitate, cumulatum voluerit. Ab hac porrò Viſitatione (ut ajunt) curam de litteris benemerendi haud ſejunxit; quandoquidem ipſo urgente, cùm apud Toloſates ſuo in Cœnobio Viſitationis munus expleret, typis cuſus eſt anno MDCLXXII. *Toloſæ apud Bernardum Boſe* Philoſophiæ Curſus Fr. Andreæ Landon Auguſtiniani, Regii Profeſſoris in Academia Toloſana, & Facultatis Theologicæ Decani. Interea Summi quoque Romani Pontifices, ob eminentem illius ſcientiam, ſpectatiſſimoſque mores eum plurimi fecere; nam præter commendatum Hieronymo munus interpretandi divinos libros in Archigymnaſio Romano, Conſultor etiam Congregationibus tum Indicis, tum Sacrorum Rituum, & Qualificator Supremo Sanctæ Romanæ Generalis Inquiſitionis Tribunali datus eſt. Eremiticâ igitur Auguſtinienſi Republicâ optimè adminiſtratâ; præfatiſque ſibi collatis muneribus laudabiliſſimè functus, tandem à Ven. Dei Servo Innocentio XI. Piſaurenſi Epiſcopatu decoratur anno MDCLXXVII. Paſtoralis tunc Hieronymi ſollicitudo plurimùm effulſit eâ in regenda Eccleſiâ, quam annos ſeptem & octo ferè menſes religioſiſſimè gubernavit; anno enim MDCLXXXIV. menſe Septembri, gravi morbo correptus, eoque patientiſſimè tolerato, Creatori ſuo animam reddidit. Præcipuo ferebatur amore, dum vixit, erga Mediolanenſe Divi Marci Cœnobium, cujus erat Alumnus, ubi pecuniâ ſibi ad uſum conceſsâ, Ædificium ſatis commodum ægrotis, hoſpitibuſque recipiendis extruxit.

Ingenii ſui monumenta ſunt:

I. Curſus rationalis & naturalis Philoſophiæ. Tom. II.
II. Tractatus de Beatifica Viſione.
III. Tractatus de Angelis.
IV. De Fide, Spe, & Charitate. Opus publica luce digniſſimum.
V. De Incarnatione, & alia plura Theologica.
VI. Concionum Quadrageſimalium Volumen.
VII. Acta Ordinis Auguſtiniani, in quibus Epiſtolæ plures tum Italicâ, tum Latinâ Linguâ exaratæ, ſignanter dum Prioris Generalis Officium gereret, quæ aſſervantur in Archivo Ordinis.

Ipſum encomiaſticè memorat Picinellus in Athenæo, pag 351., & Philippus Vicecomes in ſuo MS. de Conventu S Marci.

Plura quoque de hoc Valvaſſorio mihi perhumaniter ſubminiſtravit P. Nicolai alibi laudatus, nec non Sitonus noſter.

## MDCCXLVIII.

## de VALVASSORIBUS JOSEPH.

JOſeph de Valvaſſoribus, Sacræ Theologiæ Doctor, & Ambroſianæ Bibliothecæ Conſervator, primò Parochus Sancti Michaëlis ad Gallum, poſtea Canonicus Ordinarius fuit ac Pœnitentiarius Major Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolani, Anno MDCLXXXIII. Fratres habuit Hieronymum Epiſcopum Piſauri, & Dominicum Epiſcopum Gravinæ, omnes ex Ambroſio Valvaſſorio communi patre ortos, quoſque nos jam ſuo loco laudavimus. In Domino obdormivit anno MDCCVIII. die II. Martii, cùm jam annum ætatis LXXXVI. attigiſſet. Duo Opuſcula typis reliquit Italicâ Linguâ conſcripta,

Quorum tituli ſunt:

I. L'Eroiche Azioni, e Martirio di S. Mammete. Al Senator Girolamo Fiorenza. *Milano, preſſo Lodovico Monza, 1671. in 8.*
II. Vita di S. Eligio Veſcovo di Nojone. *Milano, preſſo lo ſteſſo, 1687. in 8.*

Memoratur in Schedis Sitonianis, & Mazzuchellianis, nec non in Syllabo Ordinariorum Eccleſiæ Metropolitanæ à Trivultio condito, ut alibi.

## MDCCXLIX.

## de VALVASSORIBUS PETRUS.

ETſi Clariſſimus Lazarus Auguſtinus Cotta ſuo Muſæo Novarienſi Petrum de Valvaſſoribus inſeruerit, monente Ludovico Antonio Muratorio inter Litteratos Italos nulli ſecundo, quòd Codicem ipſum MS. ipſe viderit in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum, pluries à nobis commendatâ, aſſerueritque Petrum hunc Novarienſem fuiſſe; nos tamen diligentiſſimè Codice ipſo inſpecto, Petrum hunc verè Grammaticam facultatem docuiſſe in ſupradicta Urbe Novaria cognovimus, ſed ex Epiſtola ejuſdem Latina, ad Facinum Canem Blandrati Comitem, anno MCCCCVII. IV. Idus Aprilis, tunc Mediolani commorantem, in qua Familiam ſuam ibi relictam commendat, ſe Mediolanenſem oſtendit, ideoque in hac mea Bibliotheca locus procul dubio ei eſt tribuendus, & Mediolanenſibus, inter alios, hunc etiam reſtituo. Vivebat adhuc anno Chriſti MCCCCXXXVI., ut ex alia ejuſdem Epiſtola Italica ad N. N. Mediolanenſem eodem anno & menſe Januario conſcriptâ cognoſcitur. Uberiora documenta de Viro iſto quæſivi, ſed fruſtra.

Continet verò Codex ſupradictus:

I. Petri de Valvaſſoribus Carmina varia Latina, atque Italica, ad Comitem Facinum, Ducalem Novariæ Commiſſarium.
II. Epiſtolas plures Latinas, ad eundem.
III. Alias ad Anonymos tam Mediolanenſes, quàm Novarienſes ſcriptas, Italico, & Latino Sermone, variaque quoque Grammaticalia argumenta continentes.
IV. Sermones matrimoniales.

Extant omnia in Codice MS. in 4 juſtæ molis, & litteris rubro-nigris, ut videtur Autographo, apud Fratres Marchiones Vicecomites.

In eodem adſunt etiam Carmina varia Uberti Decembrii de Viglevano, ad eundem Petrum de Valvaſſoribus ſcripta, inter quæ unum: „ Exeunte de Rocca „ Portæ Romanæ, de mandato Facini Comitis Blandrati. „ Extant etiam Carmina varia Italica Franciſci Philelphi ad calcem ejuſdem Codicis.

## MDCCL.

## de VALVASSORIBUS VIDO.

VAlvaſſoria Gens Mediolanenſis plura aſſumpſit agnomina, ut ejuſdem Familiæ homines, diverſâ ſtirpium nomenclaturâ faciliùs inter ſe diſtingui poſſent, quod indicat Anſelmo ſuperiùs laudato annexum agnomen de Luvino, ſeu de Buis, & confirmat etiam Vido nunc in medium adducendus, qui dictus eſt Valvaſſorius de Velate. Incidit hic in ætatem illam nunquam ſatis deploratam, cùm Medio-

Digitized by Google

diolanenſis Eccleſia miſerabilem in ſpeciem, ut ita dixerim, vix lineamenta perpauca retineret priſci decoris à Sanctiſſimis Præſulibus hauſti. Ideo Vido noſter in præceps corruens, poſt obitum Heriberti laudatiſſimi Antiſtitis, de quo ſuo loco jam verba fecimus, cùm jam inter Metropolitanæ Baſilicæ Canonicos adſcriptus fuiſſet, ab Henrico Auguſto, cui à Secretis erat, in ſumma Populi & Cleri diſſenſione, circiter annum Chriſti Domini MXLV. oblato pretio in Mediolanenſem Sedem intrudi curavit. Eum invitis Mediolanenſibus Ambroſianæ Cathedræ incubaſſe, teſtis eſt Gualvaneus de la Flamma, ſcribens uſque adeò in eundem exarſiſſe Populum, ut cùm primum Pontificale Sacrum perageret, ſolus ad Aram, aufugiente Plebe & Clero univerſo, relinqueretur. Addit etiam citatus Auctor, ipſum tanquam Simoniacâ notatum labe ad Leonis Summi Pontificis Tribunal accitum fuiſſe, ibique tam cautè egiſſe, ut per ſententiam Archiepiſcopus declaratus, Mediolanum redierit. Cæterùm initio Præſulatus ſui interfuit Romano Concilio ſub Clemente II., quemadmodum etiam ſub Leone IX. adfuit alteri Concilio Vercellenſi, adversùs Berengarium hæreſiarcham, anno ML. celebrato. At verò cùm adhuc Mediolanenſis Populus adversùs Vidonem ipſum, alioſque Clericos Simoniacâ labe, & Nicolaitarum erroribus infectos turbas cieret, ad componendam hujuſcemodi controverſiam Nicolaus II. Pontifex Sanctos Petrum Damiani Oſtienſem, & Anſelmum de Badagio (quem ſuo commendavimus loco) Lucenſem Epiſcopos Mediolanum ablegavit, qui adjuvante Sancto Arialdo, Vidonem Archiepiſcopum, cæteroſque ipſius aſſeclas in veritatis tramitem adductos, hæreſim ejurare, & interpoſitâ jurisjurandi religione ad Eccleſiæ gremium reducere curarunt. Qui autem Legationis hujus Acta, ſeriemque pleniùs diſcere cupit, adeat laudatum Sanctum Petrum Damiani, in Epiſtola ad Ildebrandum tunc Cardinalem Archidiaconum, poſtmodum, Gregorii VII. nuncupatione aſſumptâ, Pontificem Max., quæ etiam recitantur à Cæſare Cardinali Baronio in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum Chriſti MLIX. Cùm itaque noſter Vido, unà cum Mediolanenſi Clero in S. R. E. gratiam rediiſſet, eodem anno indixit Nicolaus Papa Romanum Concilium, ad quod accedens Archiepiſcopus, primus omnium poſt Pontificem pro ſuæ Sedis dignitate ſubſcripſit, quemadmodum liquet ex MSS. Actis Synodalibus in Vaticana Bibliotheca ſervatis. Diuturna tamen Vidonis pœnitentia non fuit, nam in errores relapſus ſupralaudatum Sanctum Arialdum, quem alibi debitâ commendatione proſecuti ſumus, alioſque ſanioris conſilii Viros plurimùm afflixit, reſque eò devênit, ut ab ejus Satellitibus occiſi, vulneratique fuerint non pauci. Quin etiam Conciliabulum Provinciale indictum eſt ab eo in Oppido Fontaneti agri Novarienſis, ubi pudendo ſatis decreto ſancitum fuit, licere Clericis uxores ducere, vel retinere, tametſi majorum Ordinum myſteriis initiati forent. Quapropter ipſe cum Suffraganeis, qui adfuerant, anathemate percuſſus, cùm bonorum omnium odium ſe incurriſſe videret, Inſulas ultrò depoſuit, atque Henrico Imperatori dignitatem, cui magis vellet conferendam, ceſſit anno MLXVIII. Cùm verò Henricus alterum Simoniacum Præſulem Mediolanenſibus impoſuiſſet, Gothifredum ſcilicet Caſtillionæum, Vido facti pœnitens reſumpto Archiepiſcopatus nomine, Sedem ad mortem uſque retinuit, quæ incidit in diem XXIII. menſis Auguſti, anno Salutis MLXXI., cùm priùs Mediolanenſis Urbs magno conflagraſſet incendio. Obiit autem in Oppido Borgoglio prope Tanagrum amnem, quò profugus ſe contulerat, ibidemque ignobili glebâ tumulatus jacet.

Hæc de ipſo ſuperſunt indicanda:

I. Concilium Provinciale Mediolani celebratum, an. MLX, cui ſubſcripſiſſe inter alios Petrum Albenſem Epiſcopum, memorat Ughellus in Ital. Sac. Tomo IV. in Albenſ. num X. Hæc Synodus certè ab alio Pſeudo-Concilio diſtinguenda eſt, quod mox memorabimus, cùm huic poſtremo nullus Albenſis Antiſtes interfuiſſe perhibeatur, ſed Taurinenſem, Novarienſem, Brixienſem, Laudenſem, & Vercellenſem Epiſcopos ibidem cum Vidone adſtitiſſe referant.

II. Conciliabulum Fontaneti habitum, de quo ſuprà jam diximus, & cujus mentio pluries occurrit non apud Ughellum ipſum tantummodo, ſed etiam in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis.

Litteras ad eum dedit S. Petrus Damiani poſt ſuum reditum ad Urbem, in quibus percuſſum ſe teſtatur aculeo conſcientiæ, quòd geminas à Vidone Stolas ſibi dono datas accepiſſet.

Agunt de eo Baronius ad annum MLIX. Arnulphus in Chronico, Gualvaneus de la Flamma in Manip. flor. Cap. 150. Triſtanus Chalcus, Ughellus in Ital. Sac. Tomo IV. in Mediolanen. num. LXXI., aliique plures.

## MDCCLI.

## de VARISIO CAROLUS FRANCISCUS.

Circa medium præteriti Sæculi, Variſii in celebri Mediolanenſis Ducatus ac Diœceſis Oppido primam accepit lucis uſuram Carolus Franciſcus ex honeſtis genitoribus, ſed mediocri fortunâ donatis, paterno cognomine Frayda vocatus. In Patria ſua Minores ſtrictioris Obſervantiæ S. Franciſci, quos Reformatos appellant, puer coluit, eorumque Conventum ſub auſpiciis Deiparæ ab Angelo ſalutatæ ibidem erectum, ſæpe inviſit, atque Religioſorum hominum familiaribus colloquiis, exempliſque permotus, eam vitæ normam amplecti decrevit. Parentibus igitur valedicens, Sacrum Reformatorum Habitum in Romana Provincia quæſivit, ac recepit, in eoque ſe totum Deo devovens, corpore licèt imbecillis, & viribus debilis, alacri animo, promptoque ſpiritu ita profecit, ut non minus Philoſophicas, quàm Theologicas Scientias profeſſus fuerit, æquales ſuos non æmulatus modò, ſed acumine mentis, & ſtudiorum frequentiâ prætergreſſus; quapropter Lector emeritus à Suis renuntiatus, deinde Romanæ Provinciæ Moderator conſtitutus, ad Commiſſarii Generalis gradum in utraque Obſervantium ac Reformatorum Familiâ fuit promotus. Ab hiſce muneribus non potuit diſtrahi, quin extremam manum laborioſo Operi apponeret, cujus infra mentio recurret, idque Pont. Max. Alexandro VIII. voluit nuncupatum. Fama hominis probitate morum, ac Sacrarum Litterarum ſcientiâ adeò celebris per ora Virorum in Alma Urbe probiſſimorum inſonuit, ut Prælatorum, & S. R. E. Cardinalium amorem atque exiſtimationem Carolo Franciſco conciliaverit, quocirca anno Virginei Partus MDCXCI. Aulæ Pontificiæ Procurator, & Præſes renuntiatus eſt, cùm ſuæ Religionis ſuffragiis ad ſuſtinendum etiam Pro-Commiſſarii (ut vocant) Generalis Officium fuiſſet inde ſelectus. Nec ſtudiis, nec laboribus fractus, nova munia Summorum Pontificum largitione ſubivit, Examinatoris nempe Epiſcoporum, Qualificatoris SS. Inquiſitionis, ac Pœnitentiarii majoris in pervetuſta Lateranenſi Baſilica. Ob meritum bene adminiſtratæ Provinciæ, & Catholicæ Religionis zelum, quo inter primos Hiſpani Presbyteri Molinei errores perſenſit, & detexit, oblata ei fuit Epiſcopalis Amelienſis in Umbria ſedes, quam inſitâ cordi humilitate ac modeſtiâ conſtanter reſpuit, ſuâ ſorte contentus. Tot inter, & tam varias exercitationes Religionis ſuæ rigorem numquam dimiſit, quouſque ætate jam gravis in morbum incidit, quo cogente, cùm modicum vitæ ſpatium ſupereſſet, Clemens XI. æquiſſimus proborum doctorumque hominum æſtimator, ereptum Romanæ Eccleſiæ Cardinalem invidâ morte doluiſſe fertur; & ut ſe palàm erga Carolum Franciſcum noſtrum propenſum declararet, Pontificiam

Digitized by Google

ciam benedictionem in mortis articulo ei per Cardinalem Colloredum tranſmiſit, quam propriis manibus morienti impertiri decreverat, niſi pedum dolore ſemet Summus Antiſtes urgeri ſenſiſſet. Quam pietatem viventi adhuc Carolo Franciſco oſtenderat Clemens, poſt mortem ſervavit, funebres illi exequias præſtari mandans, eo planè more, quo defunctis Cardinalibus perſolvuntur. Obiit igitur Romæ anno Salutis reparatæ MDCCXVIII., in Eccleſia ſuæ Religionis, quam S. Franciſci ad Ripam appellant, tumulatus.

Doctrinæ Theologicæ hoc poſt ſe teſtimonium reliquit:

I. Promptuarium Scoticum in quatuor Sententiarum libros, ordine alphabetico diſpoſitum à Stephano de Galvia Ord. Min S. Franciſci Reform. Theologo, atque Procuratore Generali incœptum, poſtea verò in meliorem ordinem redactum, atque complerum à Fratre Carolo Franciſco de Variſio ejuſdem Ordinis, atque Qualificatore Sanctæ Inquiſitionis; nec non Commiſſario Generali, & ſuæ Provinciæ Moderatore; Alexandro VIII. Summo Pontif nuncupatum. *Venetiis, typis Poleti, 1690. Tom. II. in fol.*
Eum adhuc in vivis agentem laudavit P. Petrus Antonius Venetus in lib. inſcripto: „ Giardino Serafico Iſtorico. „ Tom. I. part. 3. pag. 635., edito *Venet. apud Dominicum Loviſa, anno 1710. in 4.*

## MDCCLII.

## de VARISIO SUPRAMONS.

Nunquam ſatis explicare potui, qua urgear ægritudine animi, cùm Scriptores offendo, quorum res geſtas invida nimis ætas, & præteritorum Hiſtoricorum incuria vel eripuit, vel celavit. Id rurſus profiteri cogor in præſens de Supramonte verba facturus; qui licèt ad primos gradus in Minorum Obſervantium Religione, quam profeſſus eſt, promotus fuerit, utpote qui Miniſter totius Lombardiæ fuit renuntiatus, nonniſi ex Patriâ, cognitus nobis eſt, à Variſio, Mediolanenſis Ducatus inſigni Oppido, appellatus, quin Familia, vel ætas, qua vixit, comperta ſit. Accipiant quæſo Lectores quod præbere poſſum, nam plura de iſto nec Wadingus, nec Tuſſinianenſis Seraphici Ordinis Illuſtratores proferre potuerunt.

Innoteſcit igitur nobis ob

I. Sermones prædicabiles per anni circulum, teſtibus VVadingo in Catal. Scriptorum Ord. Minor. Litt. S. pag. 321., & P. Petro Rodulpho Tuſſinianenſi in Hiſt. Seraphicæ Relig. Lib. III. pag. 334. 2.

## MDCCLIII.

## VARISIUS ALOYSIUS.

Aloyſius Variſius de Aplano, Parentes habuit Joannem Andream, atque Apolloniam de Hermenulphis jugales, qui Hippocritis & Galeni vexilla ſecutus, Collegium Phyſicorum hujus Urbis ingreſſus eſt, anno MDLXVI., die IX. menſis Martii. Sedit etiam in Tribunali Virorum XII. Proviſionum vocato, anno MDLXXIX., & apud Patriam ſibi meruit laudem charitatis eximiæ, curâ erga Peſtis morbo laborantes exhibitâ. Frater ei fuit Cæſar J. C. Collegiatus, cujus memoria adhuc extat in Eccleſia Parochiali Sancti Maurilii hujus Urbis, Sepulchrali Elogio ibidem ſuperſtite. Obiit Aloyſius noſter, non ſine Civium mœrore, die XXIX. menſis Januarii, anno MDXCII.

Scripſit:

I. Conſilia Medica. Extant eo in Opere, quod Joſephus Lauterbacchius collegit, & edidit. *Francofurti, apud Jo. Sertorium, 1605. in 4.*
Ipſum commendant Merklinius de Scriptoribus Medicis; Aſcanius Centorius in Collect. Ordin. adverſus Peſtem anni MDLXXVI. lib. 5. pag. 322, Johannes Cephalus in Conſilio 594. Vol. 4. Bartholomæus Curtius in ſuo Opere inſcripto: „ Notizie Iſtoriche intorno a' Medici Scrittori Milaneſi „ pag. 115. Johannes Jacobus Mangetus in Bibliotheca Scriptorum Medicorum, Tom. IV. pag. 458., & Sitonus noſter in Chronico Collegii Phyſicorum Mediol. Art. 203. MS. in fol. penes eundem Auctorem.

## MDCCLIV.

## VARISIUS AMBROSIUS.

Ambroſii Variſii de Roſate, quem Picinellus de Roſate tantùm appellavit, Pater fuit Bartholomæus Phyſicus, ac Mediolani Decurio, qui ipſum genuit anno Redempti Orbis MCCCCXXXVII. Veſtigia Parentis proſequens Ambroſius, in Arte Medica ita excelluit, ut Archiater Joannis Galeacii Mariæ, & Ludovici Mariæ, cognomento Mauri, Sfortiadum, Mediolani Ducum, nec non à Secretioribus Conſiliis, & in toto Mediolanenſi Dominio, Ducalis Senator eligi meruerit. In laudem tanti Viri proferre ſufficit Diplomatis partem præfati Ducis Joannis Galeacii, quod ex integro jam dedit Clariſs. Curtius in ſuo Opere millies citato, de Claris Medicis Mediolanenſibus. In eo Diplomate memoratus Princeps laudatis iis, qui militiæ, & armis operam dant, nec non aliis, quibus cordi eſt conſilio Principibus ſuis inſervire, ſic proſequitur: „ Itaque ſi ratio ipſa, ſi ſuperiorum temporum exempla, Medicinam omnibus commendant, nobis tamen ut ante „ alios commendatior, & magis grata ſit, efficiunt „ ingentia, & majora, quàm ut enarrari poſſint, merita Clariſſimi Viri Magiſtri Ambroſii Variſii de „ Roſate Phyſici, ac Conſiliarii noſtri, cujus quoti„ diana experimenta, quæ oſtendunt in corporibus „ gentis noſtræ curandis, nemini unquam quantùm „ ipſi medendo aſſequi licuiſſe, quod talia, ac tan„ ta ſint, quod nos ei magis obligat, quòd dum vi„ vemus, in æterna laude apud nos erit, & om„ nium, qui Medicam Artem profitenrur, merita „ ſuperabit: nam cùm Illuſtriſſimus Dominus Ludo„ vicus Patruus, ac parens noſter ſuperioribus annis „ langueret, & aggravante morbo cum cæteris Medicis „ opem nullam ſpondentibus Italia tota ad vota con„ fugiſſet unus ipſe non modò ſpem intrepidè nobis „ ſemper fecit, ſed planè etiam ſalutem jam deplo„ rato dedit, ut quod de Hippolyto fabulæ ferunt, „ ad vitam revocaſſe dici poſſit; cùm enim leges „ medendi, jam quod opitularentur nihil habebant „ &c. Ut magna ergo, & ſupra alios ejus ordinis Viros „ debere nos arbitrati ei, qui in Illuſtriſ. Patruo, „ ac Parente noſtro ſervando rerum omnium noſtra„ rum, ac noſtram ſalutem nobis ſervavit, ac ſervat, „ & qui etiam incolumitati ſtatus, ac rerum noſtra„ rum pernoſcendis, quæ veniunt, conſulere non „ deſinit, Senatoriam dignitatem contulimus; quod „ non magis virtutis Medicæ, quàm magno uſui re„ rum agendarum, & prudentiæ ejus dediſſe, nos „ quotidie res ipſæ declarant. Itaque cùm incredibi„ liter lætemur quoties nobis in mentem venit ei ho„ norem eſſe à nobis habitum, cui tantopere debe„ mus, alia etiam cogitatio ſubit parùm nos munus „ noſtrum impleviſſe, niſi cui honorem dedimus adju-

„ menta

Digitized by Google

„ menta etiam ejus dignitatis, quam à nobis acce-
„ pit, ſuſtinendæ præbeamus. Itaque novo munere
„ Magiſtrum Ambroſium ornaturi, eum locum ma-
„ ximè deligemus, qui cognomini ei eſt, ut benefi-
„ cii noſtri eo major ſit voluptas, quo gratiora inter
„ ſuos eſſe commoda mortalibus ſolent &c. „ Ideo ei tribuit Feudum Burgi ac Plebis Roſati cum mero, & mixto imperio, unà cum omnibus Vectigalibus &c., uti latius in ipſo Diplomate legitur, Mediolani dato, anno MCCCCXCIII. die XI. Novembris. Confirmationem ejuſdem donationis ratam voluit Maximilianus Maria Sfortia Mediolani Dux, Diplomate eidem dato die X. menſis Auguſti, anno MDXV., quod idem fecit & Franciſcus Maria Sfortia, ſicuti legitur in præcitato Opere Bartholomæi Curtii. Fratrem habuit Ambroſius noſter Franciſcum pro Mediolani Duce Galeacio Maria Vicecomite, Oratorem apud Ferdinandum de Aragonia Neapolis Regem, Uxoremque Franciſcam Homatam, & ex ea Marcum Antonium J. C. C. & Senatorem, necnon Galeacium Phyſicum Collegiatum filios ſuſcepit. Claruit etiam Feudo Cortiſellæ in Agro Parmenſi inſignitus. Vir certè magnificiendus, nam in Philoſophicis, Medicis, atque Aſtrologicis facultatibus, ætatis ſuæ facilè princeps vocabatur, ut ab Auctoribus infra recenſendis Lector agnoſcet. A ſupradicto Duce Ludovico Maria, conſtitutus fuit Gymnaſiorum Præfectus, & Moderator, ut videre eſt in Hiſtoria Typographica Cl. Saxii noſtri, ad annum MCCCCXCIV. Obiit verò anno MDXXII., & de ipſo mentio fit in ſequenti Inſcriptione adhuc extante in Turri prope Eccleſiam Præpoſituralem Oppidi Roſati, his litteris:

AMBROSIO VARISIO ROSATO
BARTOLOMEI FILIO
PATRIC. MEDIOL. EQVIT. DECVRION.
ARCHIATRO III. DVCVM MEDIOL. CONSILIARIO INTIMO
COMITI ROSATI PRIMO
OB EGREGIA MERITA HOC INSIGNI OPPIDO
AMPLAQVE DITIONE CVM GLADII POTESTATE
AB IOHANNE GALEATIO MARIA SFORTIA VICECOMITE
MEDIOL. DVCE VI.
DONATO
ET INTER CIVES TICIN. NOVARIEN. LAVDEN. ADIECTO
MARCO ANTONIO AMBROSII FILIO I.C.
EX COLL. IVDIC. MEDIOL. QVESTORI SENATORI
COMITI ROSATI SECVNDO
LVDOVICO MARCI ANTONII FILIO
COMITI ROSATI TERTIO
NICOLAO LVDOVICI FILIO COMITI ROSATI QVARTO
VIRIS BELLO AC PACE ILLVSTRIBVS
PETRO ANTONIO NICOLAI FILIO COMITI ROSATI QVINTO
VETERVM NVNDINARVM RESTITVTORI
ROSATENSES PVBLICE
D.D. NON. DECEMBRIS MDCVII.

Abbas Picinellus ei tribuit Conſultationes Legales, quod minimè nos credimus, deceptus forſan à Dignitate Senatoria Ambroſio noſtro collata, quod tunc idem erat unum ac eſſe à Principis Conſiliis. Habemus igitur ex Morigiæ, & Ferrarii fide

De eo tantùm

I. Orationes plures:
II. Conſilia Medica.
III. Opera Philoſophica:
IV. Opera Aſtronomica Hæc II. brevì edenda ſpoponderat Auctor, ut aſſerit ſupradictus Julius Æmilius Ferrarius, dum anno MCDXC. ſui Auſonii Opus, hoc ipſo anno Mediolani editum, Magnifico Ambroſio Variſio Roſato inſcripſerat, præmiſſâ ei Epiſtolâ, in qua ad Operis calcem ſic habetur: „ Epiſtolam noſtram non
„ affectatam tibi dicavimus, nec fucatam &c. Philoſo-
„ pho præſtantiſſimo, Ducali Phyſico primario &c.
„ Qui ingenio, vigilantia, doctrina, & fide ætatis
„ noſtræ non modò Inſubrium, verùm totius Italiæ
„ Phyſicos & Aſtronomicos antecellis &c. Nec aliarum
„ optimarumque Artium, & Doctrinarum expers,
„ ſed una, & tota quidem tua eſt Aſtrologia, in
„ qua ſolus regnas: Tu Poëticæ facultatis, & Hi-
„ ſtoriæ ſcientiſſimus, tu in genere dicendi gravis, &
„ ornatus, quod Philoſophiæ, & Aſtronomiæ tua mo-
„ numenta, quæ brevì editurus poſteris legenda relinque-
„ rentur, declarabunt &c. „ & circa finem: „ adjecimuſq;
„ (Auſonio) ex Cathalogo Illuſtrium Urbium nonnul-
„ la excerpta Epigrammata, quæ Georgius Merula
„ Polyhiſtor, Præceptor noſter, & Primarius dicendi
„ Artifex in Biblioth. D. Euſtorgii primus indagavit. „ Idem Opus impreſſum fuit *Venetiis, per Magiſtrum Joannem de Cereto, aliàs Tacuinum de Tridino, anno Domini* 1494., *die X. Auguſti*.

Extat ad eum Oratio ejuſdem Julii Æmilii Ferrarii Novarienſis in Tomo XVI. Novariæ Miſcell. in Ambroſiana.

Ruſticus Placentinus Ticini pub. Profeſſor, cùm Opuſcula quædam Hippoc., Galeni, Avicenæ, Damaſceni, aliorumque antiquor. edi curaſſet, eadem dicavit Senatori noſtro, quem ſic alloquitur: „ Omnia, quæ
„ conſummatiſſimus quiſquam Medicus deſiderare queat,
„ ſolus poſſides &c.

Aloyſius Comenſis, & Barthol. Troctus Ugonis Senenſis Commentaria. *Papiæ*, 1496. *in fol.* dicarunt Ambroſio Variſio Roxati Comiti, Ducali Phyſico, & Conſiliario. Ibi: „ Tu, poſt admirabilem peritiam „ Aſtrologiæ, utramque partem Medicinæ ita foves, & „ illuſtras, ut dignus ſis noſtro Sæculo ab omnibus ve- „ nerari &c. „

Eidem Franciſcus Buſti Ordinis Minorum Laudenſis, ſuam editionem Gregorii Ariminenſis in ſecundum lib. Sententiarum. *Mediolani, apud Scizenzeller*, 1494. dicavit. In Epiſtola Nuncupatoria eum laudat, & aſſerit, Variſium à Ludovico Duce Præfectum, & Moderatorem Gymnaſiorum conſtitutum fuiſſe.

In libro, cui titulus: „ Bonifacii Simonetæ Abb. Ci- „ ſterc. Perſecutionum Chriſtianarum, Hiſtoria, Pon- „ tificumque Commentarii, impreſſo *Mediolani*, 1492. extat Libri VI. Epiſtola XLIX., ſeu ultima Ambroſio Roſato Medicinæ, ac Mathematicarum artium aurato Interpreti, in qua innuit quod ſit ſcripturus majora, quæ Ludovico Sfortiæ dicabuntur.

Extat ad eum Epiſtola Petri Leonis Vercellenſis, & Canonici Schalenſis inter Opera ejuſdem Leonis, Mediolani edita.

Lancinus Curtius Sylvar. lib. II. pag. 51. ei dat Ode Saphicam, & lib. V. Endecaſyllaborum, p. 105.

Eum laudibus extollit Epigrammate Jo. Biffius, & Nicolaus Scillatius Medicus in Nuncupatoria Roſæ Anglicæ Joannis Gadeſden; Cotta in addendis ad Muſæum Novarienſe. MS. apud Auctoris filium, pag. 123., ubi Novarienſis dicitur, quia anno MCCCCXCVII. die IV. Decembris, illius Urbis civilitate, unà cum poſteris, à Ludovico Maria Sfortia donatus fuit.

De ipſo quoque agunt Triſtan. Chalcus in Nuptiis Auguſtis, pag. 109., Paul. Morig. Hiſt. Nobil. lib. 3. cap. 13. Jacob. Mandellus de Alba in Conſil 433. & 434. Albert. Brunus in Conſ. 17. Platin. Platus in Epiſtol. ſub an. MDIV., alii, quos allegat Clar. Advocatus Johannes Sitonus de Scotia in Chronic. Colleg. Phyſic. Nobil. Mediol., parte ſecunda, artic. 71., & 107. MS. in fol. penes Authorem, necnon Bartholomæus Curtius in libro „ Notizie Iſtoriche intorno a' Medici Scrit- „ tori Milaneſi „ pagg. 37. 263., & 274. Picinellus in Athenæo pag 23., & P. D. Gaſpar Beretta in ſuis Schedis, quemadmodum etiam amiciſſimus nobis Canonicus Iricus in Typographica ſua Hiſtoria Tridinenſi.

## MDCCLV.

## VARISIUS HORATIUS.

HOratium Variſium, qui ſe inſeribit de Roſate, in Stemmate Genealogico hujus Familiæ, à Cl. Sitono mihi perhumaniter dato, minimè invenio; attamen Vir fuit eruditione ſacrâ & profanâ commendandus Rector extitit Eccleſiæ Sancti Victoris ad Theatrum, animaſque ſibi commiſſas indeſinenter adjuvit, & nihilominus in Jure cùm Cæſareo, tum Pontificio tam prudenter, tam eruditè ſcripſit, ut præter Volumen Juridicarum Defenſionum ipſius typis datum, ob plures alias etiam in rebus Criminalibus ſcriptas celebrari apud ſuos Cives, & exteros meruerit. Annum certè ejus obitus nullus nobis indicavit, agnovimus verò ipſum floruiſſe Sæculo elapſo ad finem vergente.

Superſunt ab eo compoſitæ

I. Juridicæ Defenſiones, anno 1687. editæ, in fol.

II. Aliæ plures, ex quibus Volumina IV. confici poſſunt, inter quas nonnullæ Criminales, & una præſertim paginarum 100. Tam editæ, quàm MSS. extant in Collectionibus Archintea, Areſiana, Bonalliana, aliiſque J. PP. tam Mediolani, quàm Papiæ.

## MDCCLVI.

## VARISIUS MUTIUS.

BArtholomæus Variſius Notarius Mediolanenſis Collegiatus, Mutium noſtrum filium habuit, tam rectè, prudenterque educatum, ut in idem Notariorum Collegium ingredi meruerit, anno Æræ communis MDLXXXVIII. Cl. igitur Pater Quadrius è Societate Jeſu non rectè ſcripſit Mutium hunc floruiſſe Italicâ Poëſi, anno circiter MDXXV., nam illi certè hæc ætas minimè convenit. Attamen Poëtis Mediolanenſibus hunc etiam addere juvat ob librum ſequenti titulo inſcriptum,

Scilicet:

I. Rime fatte in Verſi, compoſte dal Sig. Muzio Vareſe. MS. in 4. unà cum Epiſtola Nuncupatoria, ad quamdam Amaſiam ſuam. Hunc retulit ſupradictus Pater Quadrius in libro „ Della Storia, e della Ragione „ d'ogni Poeſia. „ T. II. par. II. pag. 261. his verbis: „ Muzio Vareſe, Milaneſe, fiorì in Poeſia circa il MD- „ XXV. Nella nobile, e ſcelta Libreria del Sig. Mar- „ cheſe Don Teodoro Aleſſandro Trivulzio, vi ha di „ detto Poeta un Volume manoſcritto di Rime in 4., „ quaſi tutte trattanti della bellezza di non ſo qual „ Dama da lui amata, e oneſtamente, ſul far del Pe- „ trarca, amoroſe; e ſono dodici Componimenti in „ ottava Rima, ventitre Sonetti, una Canzone, un „ Capitolo, e un Madrigale. Queſto Rimatore, di cui „ non trovo preſſo niuno fatta menzione, non doveva „ però reſtarſi più nell' obblio: poichè in ſapore di „ Poeſia non la cede a niuno de' tempi ſuoi. „

## MDCCLVII.

## VARISIUS PAULUS NICOLAUS.

EX Petro Antonio Variſio de Roſate juniore, atque Hippolyta Cruceja Conjugibus ortus eſt Paulus Nicolaus, cui fratres fuerunt Joannes Ambroſius Eques Hieroſolymitanus Ord. S. Joannis, necnon Peditum Cohortis Dux, & Marcus Antonius; Uxoremque habuit Franciſcam Tabernam, Alexandri Phyſici Coll. filiam. Non tantùm ad Jura ediſcenda ſe contulit, ſed etiam Muſas ſummo ſtudio coluit, ut ex ſequentibus patebit. Floruit uſque ad annum MDCXLVIII., Avumque habuit Petrum Antonium ſeniorem, cujus meminit Inſcriptio Sepulchralis in Sacello S. Franciſci, Eccleſiæ ejuſdem nominis in hac Metropoli, ut ſequitur:

PETRO ANTONIO VARESIO
COMITI ROSATI
ET SIBI POSTERISQVE SVIS
NICOLAVS VARESIVS COMES
EIVS FRATRIS FILIVS
ET SVCCESSOR. F. C.
AN. MDLXXVI.

Teſtimonia eruditionis Poëticæ tam Italicæ, quàm Latinæ, quâ claruit Variſius noſter,

Hæc ſunt:

I. Canzone nelle Nozze del Signor Conte Giulio Ceſare Borromeo con D. Giovanna Ceſi. *Milano, in 4.*

II. Ode in Nuptias Co. Julii Cæſaris Borromæi. *Mediol. apud Pontium, & Piccaleam*, 1615. *in 4.*

III. Car-

Digitized by Google

III. Carmina duo Italica, vulgò *Sonetti*, unum in laudem Mediolanenſis Dominij Moderatoris, alterùm ad commendationem Cardinalis Federici Borromæi ; extant in eodem Libro.

IV. Poëmata varia Latina, atque Italica, ſunt in Collectione Carminum pro Laurea Ludovici Mazzentæ. *Papiæ*, 1653. *in* 8.

In Encomiaſtico Hieronymi Boſſii Ticinenſis, pag. 30. extat Acclamatio XVI., ſeu Epiſtola ſatis elegans ad Paulum Nicolaum Variſium Roſati Comitem.

Extat ad ipſum Carmen in ejuſdem Laurea à Benedicto Sociaco ſcriptum, pag. 265.

Memoratur ab Abbate Picinello in ſuo Athenæo, pag. 454., atque à Sitono noſtro in Theatro Genealogico, pag. 453. MS. in fol. penes Auctorem.

## MDCCLVIII.

## VASSALLUS FEDERICUS.

CAmillus, ex Laurentio Vaſſallo Ducali Commiſſario Generali, ut vocant, Munitionum in toto Mediolanenſi Dominio natus, Federicum genuit vergente ad finem Sæculo XVI. Abbas Picinellus ipſum laudat in ſuo Athenæo Mediolanenſi uti Poëtam egregium, duobus Operibus, ut infra, ab eo compoſitis in medium adductis, ſed de more an ſint edita, nec ne, reticet; Certè ad manus noſtras minimè pervenerunt, nec in aliquem Scriptorem offendimus, ex quo tantillum haurire potuerimus de ſtylo, aliiſque hujus Auctoris litterariis actis Lectoribus noſtris exhibendis. Vivebat adhuc anno Chriſti MDCXXVIII., quo junctus erat matrimonio cum Urſula Sormana, uti nos docent Schedæ Sitonianæ. Rebus Politicis quoque Vaſſallum noſtrum deditum fuiſſe, aſſerit Impreſſor Bidellus in libro Hieronymi Priani, quem ei dicavit, ut ſubter dicemus. Addit etiam Picinellus, plures Auctores Latinos in Italicum Idioma traduxiſſe Vaſſallum noſtrum. Nil aliud nobis datum eſt de hoc Scriptore Mediolanenſi proferre, uberiora igitur ab alio Collectore expectanda ſunt.

Scripſit :

I. Gli abuſi de' noſtri tempi. Poema in terza Rima.

II. L'Arcadia di Bareggio. Oppidum eſt in Ditione Mediolanenſi, ubi cœtus Virorum Carminibus illuſtrium inter ſe convenientium, Poëmate, vulgò *in terza Rima*, à Vaſſallo celebratur.

III. Scriptores nonnulli Latini in Italicum ſermonem verſi. Ejuſdem meminit Franciſcus Redenaſcus Senator olim Mediolani in Conſilio 72. impreſſ. inter ejuſd. Redenaſchi Conſilia, nec non Liber, cui titulus: „ Aggiunta a' Ragguaglj di Parnaſſo del Signor Trajano „ Boccalini, Cittadino Romano, fatta per Girolamo „ Priani, Cittadino Modoneſe. *In Milano*, *preſſo Gio.* „ *Battiſta Bidelli*, 1615. *in* 8. Al Signor Federico Vaſ„ ſalli. „ Borſerius in Supplemento Cap. 12. Picinellus in Athenæo pag. 184., & Advocatus Joannes Sitonus de Scotia in Monumentis Chronogenealogicis Familiæ Vaſſallæ Mediolanenſis Patriciæ, pag. 2. Impreſſ. *Mediol. penes Malateſtam*, *an.* 1716. *in fol.*

## MDCCLIX.

## VASTAMILIUS BAPTISTA.

AB amiciſſimo P. Bonhomio dum Bibliothecæ Monaſterii Chartuſiæ prope Papiam præerat, monitus fui in eadem reperiri Librum Baptiſtæ Vaſtamilii infra recenſendum, ſcriptumque anno Dominicæ Incarnationis MCCCCLXI. Ipſum verò libenter præ manibus habere cupiebam, ut meliùs Lectorem inſtruere potuiſſem de Auctore, & de ipſis Orationibus in libro exiſtentibus, ſed cùm hoc obtinere minimè potuerim, dolendum eſt, quòd ſaltem Religionem, quam Vaſtamilius profeſſus fuit, ediſcere non licuit. In Præfatione tantùm ſic legitur: „ Lo „ Illuſtriſſimo Signore Johanne Galeaz Maria Sfortia „ Veſconte ſacrato e juſto Duca Sexto di Milano, „ fà oratione compilata e ſcripta per l'humile Reli„ gioſo Patre Baptiſta Vaſtamilio Milaneſe. „ Ut mihi reſcripſit humaniſſimus P. Bonhomius Orationes, atque Supplicationes in MS. contentæ ſuo marte à Vaſtamilio compoſitæ ſunt.

En Titulus :

I. Preghiere del Duca Gio. Galeazzo Maria Sforza, Duca Seſto di Milano, compilate, e ſcritte dal Religioſo Padre Baptiſta Vaſtamiglio. MS. in pergameno optimæ notæ cum miniaturis. Extat in Bibliotheca Carthuſiæ Ticinenſis.

## A SANCTO UBALDO EUSTACHIUS.

## V. CACCIATOR ALEXANDER.

## MDCCLX.

## UBERTUS.

PRimi omnium gaudentes Ubertum hunc profeſſione Monachum, dignitate Abbatem, patria verò (ut ex ſequentibus patebit) Mediolanenſem in ſcenam hanc litterariam inducimus. Et ſanè hic quoque noſtram effugiſſet diligentiam, niſi inter prædivitis Ambroſianæ Bibliothecæ MSS. Codices, Opus illius nobis ſe obtuliſſet. In eo primùm Scriptoris patriam novimus, ait enim in Præfatione: „ Non „ eſt bonum notam præſumptionis incurrere; ſed „ pejus eſt Patris amici precibus non obaudire. Al„ tero quippe fama minuitur; verùm altero quippe „ Charitas læditur &c. Rogatus igitur, ut ſermo„ nem, quem imperante Reverentiſſimo Domino, „ ac Patre noſtro Archiepiſcopo S. Mediol. Eccleſiæ „ B. Theclæ habuimus, ſcripto mandarem, licèt „ diffidam de ingenio, tamen de charitatis auxilio, „ cujus hoc opus eſt, præſumens, amico morem ge„ rere non abnuo. Nuper igitur in præfata Baſilica „ nobis reſidentibus, viſa tam præclara, & ordinata „ Filiorum Levi multitudine, competenter occurrit „ dicendum illud Principis Apoſtolorum: Vos autem „ Genus electum &c. „ Quibus ex verbis cùm Archiepiſcopum Mediolanenſem Patrem ſuum appellet, liquet, Ubertum hunc inter Ambroſiani Gregis oves fuiſſe computatum. Quis autem fuerit Archiepiſcopus, cujus juſſu ſermo ipſe habitus fuerit ad populum, facilè quis poterit conjicere ex verbis ante eundem exaratis. Ea ſunt, quæ hîc duximus exſcribenda, nimirum: „ Hæc minuta laboris ſui mittit „ in Gazophilacium S. Ambroſii devotio Pauli, & „ Gebehardi, obſecrans gratiſſimam Karitatem tuam „ fidiſſime Cuſtos Martine, ut eorum in Orationibus „ memoriam digneris frequentare, & Fratres vice „ ipſorum ſalutare. „ Cùm igitur mentio fiat Martini, qui idem eſt cum Martino Corvo, ſive Corbo à nobis in Articulo DCXL. hujus Bibliothecæ jam laudato, ad quem plures alias dederunt litteras iidem Paulus, & Gebehardus, ut ibi retulimus, conſequens videtur aſſerere, tunc in Mediolanenſi Cathedra ſediſſe Obertum Pirovanum Præſulem hujus Eccleſiæ commendatiſſimum; cui ut morem gereret Abbas noſter Concionem pronunciavit. Supereſt nunc ut quæramus, cui nam religioſo Cœnobio Ubertus præfuit tunc, cùm in Baſilica Sanctæ Theclæ verba fecit è ſuggeſtu; neque aliud nobis probabile videtur, quàm affirmare, ipſum non alium ab eo eſſe, qui inter Petrum & Guillelmum collocatus reperitur in

Digitized by Google

in Catalogo Abbatum inſignis Monaſterii Sancti Simpliciani Mediolanenſis, juſque Cœnobitis dixiſſe fertur anno MCXLVI., anno II. Pontificatus Pirovani. Ardebant profectò per ea tempora ſimultates inter Mediolanenſem, aliaſque finitimas Urbes, de quibus in ſermone ipſo fit mentio. Sic enim adſtantes alloquitur Ubertus noſter: „ Tu ſupplantare quæris „ Cremonenſem, ſubvertere Papienſem, delere No„ varienſem. Manus tua contra omnes, & manus „ omnium contra te &c. Oh! quando erit illa dies, „ ut dicat Papienſis Mediolanenſi: Populus tuus po„ pulus meus. Cremenſis Cremonenſi: Civitas tua „ Civitas mea &c. „ Et quidem pauca hæc boni conſulas Lector candide, quæ in tanta vetuſtate dare licet.

En nunc Operis inſcriptionem.

I. Sermo Domni Uberti Venerabilis Abbatis. Exhortatorius eſt ad virtutes, præſertim verò ad concordiam & pacem ſervandam. Habetur MS. in fol. in Ambroſiana Biblioth. Cod. ſignato Q. num. 283.

De Uberto S. Simpliciani Cœnobiarcha meminit Ughellus in Tomo IV. Italiæ Sacræ inter Mediolanen. Archiepiſc. num. LXXV., ubi Indicem texuit ejuſdem Monaſterii Antiſtitum.

## MDCCLXI.

## VEGIUS SCIPIO.

Scipio Vegius patrem habuit Bernardinum, Conſilii generalis Mediolani Decurionem, & anno MCCCCXCVII. Ducalem Referendarium generalem. Alter Scipio inter vivos agens anno MCCCCLXV., ei fuit Avus. Celebratur noſter uti Prothophyſicus Ducalis; deinde ad Cathedram Senatoriam meritò aſſumptus fuit per Franciſcum II. Sfortiam Mediolani Ducem, anno MDXXIX., ideoque non tantùm in Medica facultate, ſed etiam in rebus politicis ſummopere verſatum eum fuiſſe facilè conjicimus. Princeps ipſe Vegio uſus eſt, ut noſter aſſerit in Præfatione ſuarum Ephemeridum hiſtoricarum his verbis: „ Me hominem alioquin (ut ſcis) tot tantiſque ne„ gotiis apud Principem impeditum &c. „ Franciſcus item Lampugnanus Mediolanenſis Senator, qui Tribunalis ad Sanitatis cuſtodiam à ſupradicto Franciſco Sfortia reſtituti Statuta diligentiſſimè in ordinem redegit, opinatus fuit, eandem Provinciam ſibi à Principe demandatam fuiſſe, ſuadente Vegio, ideoque ipſas Conſtitutiones eidem dicavit, & ſic alloquitur: „ Scis Phyſicorum excellentiſſime Scipio, Il„ luſtriſſimum Principem, tuo forſan impulſu, mihi „ mandaſſe, ut Decretorum, & Ordinum Officii „ Sanitatis rudem & incompoſitam congeriem in „ meliorem formam redigerem, & quæ expedire „ arbitrarer, adderem: laborioſam quippe & duram „ provinciam: Mihi præſertim, qui Senatorii mu„ neris negotiorum multitudine obruor &c. „ immo laborem ſuum Lampugnanus ipſe correctioni, atque judicio Vegii noſtri ſubmiſit his verbis: „ Tu verò, „ qui omnium virtutum ſplendore coruſcas, dele, „ corrige, immuta. Nam poſteaquam is labor gra„ viſſimum judicium, & exactiſſimam limam tuam „ ſubierit: nihil ambigo, quin ab omni ſciolorum „ oblatratione tutus in publicum prodire poſſit &c. „ Quantùm etiam Vir iſte excelluerit in Arte Oratoria ex Oratione habitâ in reditu Mediolanum Franciſci II. Ducis à nobis primùm relatâ, legentibus patebit; ſed quod magis Civium ſuorum Vegio noſtro amorem conquiſivit, certè res patriæ ſunt ab eo perelegânter ſcriptæ, & à nobis non ſine delectatione inſpectæ. Quatuor ſuſcepit filios, quos inter memoriâ dignos eſſe cenſeo Bernardinum, an. MDXXIV. Quæſtorem Magiſtratus Redditum Ordinariorum creatum, atque Joannem Franciſcum publicum Legum Profeſſorem Papiæ, ac Piſis, ab anno MDXLVI. ad MDLII. Scipio autem noſter, etſi morte extinctus anno MDXXXV., vivit tamen adhuc ob laudes meritò à Viris celeberrimis ei tributas, & inter ipſos numerandus eſt Marcus Hieronymus Vida Cremonenſis, qui Carmine heroico ſatis longo eum celebravit, cujus initium eſt:

*Phœbo alius voti reus, herbarumque potenti*
*Thura ferat nato, ſacraſque exſuſcitet Aras.*
*Ipſe meis, Vegi, ſemper celebrabere donis,*
*Semper honore meo: te Numinis inſtar habebo.*
*Ipſe ſuas artes ultro, ſua munera Apollo*
*Conceſſit tibi; nec primos habet alter honores.*
*Tu revocare animas in lucem corpore functas*
*Faucibus ex Orci, atque hominum producere fata,*
*Tu potes in mediâ cymbam Styge ſiſtere onuſtam &c.*

Reliqua leguntur in Tom. 11. Carminum illuſtrium Poëtarum Italorum, pag. 27.

Ejus eruditionis perpetua monumenta ſunt:

I. In auſpicato Franciſci II. Mediolanenſium Ducis in Patriam reditu Oratio. Ad Hermetem Stampam Senatorem. *Mediolani, ſine Typographi nomine*, 1534 *in 4.*

II. Hiſtoria rerum in Inſubribus geſtarum, ſub Gallorum Dominio, ab anno MDXV. ad annum MDXXII. MS. in fol.

III. Ephemeridum libri duo, in quibus continentur ſuæ ætatis res geſtæ, ſed præcipuè Inſubriæ acerbiſſima bella contra Gallos tempore Franciſci II. Sfortiæ Ducis Mediolani, annis MDXXII. & MDXXIII. MS. in fol. Gaudentius Merula proſecutus eſt hanc Hiſtoriam libro tertio, & quarto, uſque ad captivitatem Franciſci II.

Reperiuntur hæ lucubrationes Hiſtoricæ Scipionis Vegii in Bibliotheca Ambroſiana, Cod. ſign. O. num. 140. in 4. Item apud Monachos Ciſtercienſes S. Ambroſii Mediol. Cod. in fol. num. 14., nec non in Bibliotheca Marchionis Gaſparis de Roſales J. C. C., & penes Co. Conſtantium de Abdua, atque Advocatum Sitonum noſtrum.

In Libro quintodecimo Epigrammaton Lancini Curtii, editionis Mediolanenſis, ann. 1521. extat Carmen; ad Scipionem Vegium Mediolanenſem, pag. 68.

Joannes Petrus Arturus ad calcem ſui Commentarii de Balneis, ſic de Vegio loquitur: „ Sed quod ego hæc „ incautus nequicquam revolvo; Tu qui &c. qui & diu„ turnâ medendi exercitatione, & ſublimium Virorum „ documentis inſtructus, tempeſtate noſtrâ clarus ex„ ſplendes, cujus reſponſa delphicis Oraculis conferun„ tur &c. „

Senator etiam Mediolanenſis Hieronymus Perbonus, Auctorem noſtrum celebrat in libro I. pag. 11. Ovilianum his verbis: „ Rectè admonet Concives ſuos „ Scipio Vegius inter omnes Medicos peritiſſimus (Me„ diolanenſium Eſculapius) eſt hic profectò multiplici „ virtute excellens, non minor re, quàm opinione ce„ lebrior, ampliſſimis dignitatibus, præclaris legationi„ bus ſummâ cum fide, ac diligentiâ functus, magnam „ apud exteros, magnam apud nos laudem conſecutus „ eſt. „

Juvat quoque videre Acta Collegii Phyſicorum Mediol., Salvatorem Vitalem in Theatro Magnal. Mediol. pag. 23. Joannem Baptiſtam Sylvaticum in Collegio Phyſicorum Mediol. cap. 20. Jacobum Mandellum de Alba in Conſil. 555. Horatium Landum in Libro de Senatu Mediol. pag. 162., ubi Scipionem noſtrum erroneè Laudenſem appellat. Philippum Picinellum in Athenæo pag. 468. Bartholomæum Curtium in Opere ſuo de Claris Medicis Mediolanenſibus pag. 61., & Sitonum noſtrum in Chronico Colleg. Phyſic. Mediol. par. 2. art. 111. MS. in fol penes Auctorem. Mirum tamen eſt, quòd nec Ambroſius Variſius, nec Scipio Vegius Medici laudatiſſimi Mediolanenſes locum obtinuerint in Bibliotheca, aliunde ditiſſima, Scriptorum Medicorum Joannis Jacobi Mangeti, in qua tot alii profeſſione Medica illuſtres referuntur, etſi nihil in eadem facultate ſcripſerint.

MDCCLXII.

Digitized by Google

## MDCCLXII.

## VELA ERANCISCUS BERNARDINUS.

INter Parochos eruditos Mediolanenſes, meritò enumerandus eſt Franciſcus Bernardinus Vela, quem Laureâ Sacræ Theologiæ obtentâ, Examinatorem poſtea Synodalem, & ad expellendos Dœmones aptiſſimum Exorciſtam fuiſſe reperio. Curam quoque animarum in Eccleſia Sancti Sebaſtiani hujus Urbis, tanta cum laude peregit, ut eximius S. R. E. Cardinalis atque Archiepiſcopus Cæſar Montius, ad Archipresbyteralem Inſulam Modoëtienſem ipſum evectum voluerit. Quantùm in rebus aſceticis piiſſimus hic Vir excelluerit, ſatis ſuperque ex libro infra recenſendo conſtat. Vivebat adhuc ſcribente ſuum Athenæum Mediolanenſe Abbate Picinello.

Libri Titulus eſt:

I. Eſercizj Spirituali da farſi quattro volte l'anno. *Milano*, 1622. *in* 8., & iterum *ivi*, *preſſo il Ramellati*, 1640.

## MDCCLXIII.

## VELA HIPPOLYTA.

MEdio fermè Sæculo XVI. claruit Mediolanenſis Matrona quædam ex Vela familia progenita, cui nomen Hippolyta. Hanc ab ineunte ætate bonis addictam artibus fuiſſe teſtatur Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia loco mox citando; admonens linguas Etruſcam puriorem, atque Hiſpanam mirè calluiſſe. Hauſerat harum peritiem è præſtantioribus utriuſque Idiomatis Eruditorum Voluminibus, quæ aſſiduè pervolutare conſueverat. Piiſſimis fuit moribus adeò, ut libris omnibus illos, qui de ſacris agunt rebus, præferret: doctrinæ autem laude ætate ſua inter fœminas præſtantiſſima haberi promeruerit, præſertim ob Italicæ Poëſis peritiem. Præter hæc ex eodem Scriptore deprompta, nemo alius uberiora dedit.

Scripſit

I. Carmina plura Italica eruditiſſima, vulgò *Sonetti*. Horum meminit citatus Auctor, cùm tamen nullibi nobis occurrerint, eadem periiſſe ſuſpicamur.
De ipſa laudatus ab Eccleſia in Theatro Fœminarum eruditarum, Italicè conſcripto pag. 184.

## MDCCLXIV.

## VELATUS JOANNES PAULUS.

JOannes Paulus Velatus Modoëtiæ in Agri Mediolanenſis inſigni Oppido natus, indolem habuit cùm ad litterarum ſtudia, tum ad pietatis opera ſummopere proclivem. In Congregatione D. Pauli, vulgò Barnabitarum, quam ab adoleſcentiæ ſuæ flore ingreſſus eſt, altiores diſciplinas, & omnium virtutum exercitationes mirificè excoluit. Res temporarias Collegii Modoëtienſis, & Montis-acuti ſingulari integritate adminiſtravit. Non ſemel præfuit Collegio ſupradicto Montis-acuti, ſummâ ſemper cum prudentiâ, parique exemplo, atque proventu ejuſdem Collegii, ubi meritis, & annis plenus obdormivit in Domino, anno Salutis MDCXLV.

Scripſit:

I. Cōmentationum nonnullarum ad eos, qui proximè Sacris Ordinibus initiandi ſunt, ſpiritaliter exercendos, Opuſculum.

II. Variarum item Obſervationum practicarum, quæ Regularium Prælatis magno uſui eſſe poſſunt, Repoſitorium. MSS. apud Suos.
Iſta perhumaniter mihi ſubminiſtravit amiciſſimus Concivis meus Pater Petius ejuſd. Congregat. doctus Alumnus.

## MDCCLXV.

## VENERIUS.

SAnctus Venerius patriâ Mediolanenſis, nobili genitus ſanguine, ſed Sanctitatis atque optimè geſtarum rerum gloriâ longè clariſſimus, ab ipſo ineuntis ætatis initio divinis ſe obſequiis mancipavit. Itaque inter celebriores Sancti Ambroſii diſcipulos recenſitus, tantùm eo Doctore profecit, ut neque Ambroſium eundem Alumni ſui, neque Venerium Præceptoris aliquando puduerit. Primùm igitur à Sanctiſſimo Præſule Diaconus, mox etiam Presbyter conſtitutus, tam magno claruit probitatis & doctrinæ ſplendore, ut migrante ad Dominum S. Simpliciano, communibus Cleri Populique ſuffragiis ad Archiepiſcopales Inſulas evocari meruerit, anno Salutis humanæ CCCC. Vix autem inito Paſtorali munere à S. Anaſtaſio I. Pontifice Maximo datis litteris adhibitus eſt, nec ſine felici eventu, ad eliminandam ab Eccleſia verſionem Operum Origenis, quam Ruffinus elaboraverat, cujus rei teſtem habemus Sanctum Hieronymum loco inferiùs enunciando. Famam eruditionis illius in Africa vulgaverat Sanctus Auguſtinus, qui dum Mediolani degeret, cum ipſo atque prælaudato Sancto Simpliciano frequentes miſcuerat ſermones; quocirca apud ejus regionis Epiſcopos in Concilio Carthaginenſi celebrato anno CCCCI. menſe Junio, tanti habitus eſt, ut cùm Miniſtrorum inopiâ laborarent Africanæ Eccleſiæ, quorum ſapientiâ Hæreticorum cavillationes & impetus retunderentur, miſſis ad Venerium Legatis, quemadmodum etiam ad præfatum Pontificem Anaſtaſium, indigentiæ ſuæ ſubveniri poſtulaverint, cùm earum Eccleſiarum multæ ita deſertæ eſſent, ut ne Diaconum quidem unum vel illitteratum haberent. Juvat hìc verba ipſiſſima Concilii recitare: „ Sit conſequens „ eligendum unum eſſe è noſtro numerò Conſacerdo- „ tem, qui auxiliante Domino, & orationibus ve- „ ſtris, has ipſe neceſſitates ſuſcipere poſſit, & gra- „ viter peragendas implere, perrecturus ad tranſma- „ rinas Italiæ partes, ut tam Sanctis Fratribus, & „ Conſacerdotibus noſtris, Venerabili Sancto Patri „ Anaſtaſio Sedis Apoſtolicæ Epiſcopo, quàm etiam „ Sancto Fratri Venerio Sacerdoti Mediolanenſis Ec- „ cleſiæ, neceſſitatem ipſam, ac dolorem, atque „ inopiam noſtram valeat intimare. „ Non fefellit Afrorum Patrum ſpem Sanctus Præſul noſter; etenim Paulinum tunc Diaconum, poſtea verò Presbyterum Mediolanenſem, cujus doctrinam alibi memoravimus, in Africam ablegans, de Univerſo illius Regionis Orthodoxorum Cœtu optimè meritus fuit. Neque minus Venerio obſtricta eſt Orientalis Eccleſia, ſtrenuè enim ſe geſſit, unà cum Sancto Innocentio I. Summo Pontifice, ut magnum illud Catholicæ Fidei columen & decus, Sanctus videlicet Joannes Chryſoſtomus per ſummum ſcelus Sede ſuâ pulſus, Conſtantinopolim revocaretur, quod cum grati animi ſignificatione Chryſoſtomus ipſe in Epiſtolâ ad Venerium datâ, de qua infra ſermo recurret, teſtatum poſteris voluit. Mediolanenſem autem Eccleſiam inter Barbarorum injurias, teterrimoſque impe-



Digitized by Google

tus ſic rexit annos fermè IX., ut in Eccleſiaſticis Monumentis acerrimus Gregis Defenſor, & Paſtor vigilantiſſimus haberi, ac nuncupari meruerit, teſtante etiam Deo miraculorum frequentiâ Servi ſui ſanctitatem. Cùm in Domino piiſſimè, ut vixerat, obdormiſſet IV. Nonas Maji, anno Chriſti CCCCIX. Sepultus eſt in Baſilica Apoſtolorum, quæ communiori nuncupatione Sancti Nazarii dicitur. Illius verò Corpus, unà cum aliis Sanctorum in eadem Baſilica quieſcentium Lipſanis effoſſum, anno MDLXXIX. comitantibus totius Mediolanenſis Provinciæ Antiſtitibus, qui ad Synodum convenerant, Sanctus Carolus Cardinalis Archiepiſcopus ſolemniter tranſtulit, & in maximâ ipſius Templi Arâ, plaudente univerſo Mediolanenſi populo Borromæus collocavit.

Scripſit S. Venerius

I. Epiſtolam ad Sanctum Paulinum Nolanum, quâ ei indicavit Ordinationem ſuam, cujus Epiſtolæ idem Paulinus meminit in Epiſtola 16. ad Sanctum Delphinum Epiſcopum Burdegalenſem, ubi ait ſe Venerio ſcripſiſſe, & petiiſſe, ut ei quoque Ordinationem ſuam nunciaret.

II. Litteras pro Sancto Joanne Chryſoſtomo ſcripſiſſe Sanctum Venerium ex Theodori Romanæ Eccleſiæ Diaconi Dialogo apud Palladium, colligit Baronius loc. cit. ad an. CCCCV. artic. 16. ex Puricell. Diſſertat. Nazar. Cap. 59. num. 5.

Ad eundem dedit litteras, ut ſupra innuimus, S. Anaſtaſius I., quæ licèt non extent; earum tamen ipſe Pontifex meminit in Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum.

Eum laudavit Ennodius ſequenti Epigrammate.

*Forma pudicitiæ juvenis ſectanda Veneri*
*Venit, nominibus nil famulata ſuis.*
*Fortia marcebant vetulo ſub Judice membra,*
*Ætas præſentem perdiderat puerum.*
*Sublimis poſtquam conſcendit fulcra Cathedræ,*
*Cana tener populis dogmata diſſeruit.*
*Aurea fluxerunt locupletis ſtemmata linguæ,*
*Sol vitæ nitidum reddidit eloquium.*
*Alvus ut Eccleſiæ tumuiſſet ſemine Verbi,*
*Non deerat paſtus lactis Apoſtolici.*

Præter citatos Scriptores ipſum celebravit Paulinus Presbyter Mediolanen. in Vita S. Ambroſii. Bolland. ad diem IV. Maji. Baillet, Vies des Saints. Morerius in Lexico. Anaſtaſius Papa in Epiſtola prædicta ad Jo. Epiſcopum Hieroſolymitanum: Sanctus Hieronymus in Apologia ſecunda adversùs Ruffinum num. 6. Sanctus Paulinus Nolanus, Epiſtola XVI. ad Severum; Acta Concilii Carthaginenſis apud Baronium in Annalibus ad annum Chriſti CCCCI. art. VI. Ughellus Ital. Sac. Tom. IV. inter Mediolanen. Archiep. num. XIV. Boſca in ſuo Martyrologio Mediolanenſi ad diem 4. Maji, atque in Notis plurimorum Auctorum meminit, qui de Sancto hoc ſcripſere.

## MDCCLXVI.

## VENUSTUS ANTONIUS MARIA.

FAteor ingenuè, mihi ignotas eſſe tabulas, quibus Cl. Mangetus aſſerere minimè dubitavit in ſua Bibliotheca Scriptorum Medicorum, Tom. IV. pag. 484. Antonium Mariam Venuſtum Tergeſtinum fuiſſe, nam ex libro millies laudato Bartholomæi Curtii de Claris Medicis Mediolanenſibus, quem Mangetus ipſe inſpicere potuerat, apparet Venuſtum Patriam habuiſſe Mediolanum, ut ipſemet aſſerit in Opere inſcripto: „ Diſcorſo Generale intorno alla Generazione, al naſcimento degli Uomini, al breve corſo della Vita umana, ed al tempo ec. „ pagg. 79. 84., & 123. editionis Venetæ. Tergeſtum verè ſe contulit ad Artem ſuam exercendam, ea de cauſa in errorem ſupradictum inductus fuit Mangetus, qui librum tantùm Venuſti Tergeſti editum, relictis aliis tam Mediolani, quàm alibi impreſſis, refert. Auctor igitur noſter ex antiqua Venuſtorum familia pluribus Privilegiis Ludovici XII. Galliarum Regis, ac Ducum Mediolanenſium Vicecomitum inſignitâ, ortus eſt in hac Urbe, teſte Cl. Sitono in Theatro Colleg. Phyſicor. Mediol. Laureâ Medicinæ ibidem acceptâ, non tantùm Scientiam ipſam ſumma cum laude exercuit, ſed plures doctiſſimos in ea fecit, inter quos ſatis eſt celeberrimum Ludovicum Septalam adnumerare. Annum ſui deceſſus minimè notum habemus, forſan moleſtè accidit Tergeſti; floruit verò ultra medietatem Sæculi XVI.

Habemus de ipſo:

I. Compendio di quelle coſe, le quali a' Nobili Criſtiani Mercanti apparrengono ec. Al molto Magnifico, e prudente Signor Franceſco Pecchio. *Milano, preſſo Gianantonio degli Antonj*, 1561. *in* 12. Tanti fecerunt eruditi hoc Opus, ut J. C. C. Alexander Rhaudenſis inter alios illo uſus ſit in libro, cui titulus: „ Informat. juris, & facti in cauſa Banchi Sancti Ambroſii Mediol. „ fol. 13. 25. 41. 49. 53.

II. Diſcorſo particolare del naſcimento del Signor Girolamo Çaimo, ſecondo figliuol maſchio del magnanimo, ed illuſtre Signor Bartolomeo.

III. Diſcorſo generale intorno alla generazione, al naſcimento degli Uomini, al breve corſo della vita umana, ed al tempo. Dedicato a' dieci Nobiliſſimi, e concordiſſimi Fratelli, legitimi figliuoli del Signor Eraſmo d'Adda. *Venezia, per Giambattiſta Somaſco*, 1562. *in* 8., & iterum *in Milano, per Giambattiſta Bidelli*, 1614. *in* 12. Ibi, ut innuimus, ſe Mediolanenſem eſſe, pluribus in locis affirmat.

IV. Antonii Mariæ Venuſti Oratio nomine liberalium Artium Bononienſ. Academiæ Bononiæ habita. Ad Franciſcum Craſſum J. C. Senatorem Mediolanenſem Protonotarium Apoſtolicum, Bononiæ Gubernatorem. *Ibid. apud Alexandrum Benatium*, 1565. *in* 4.

V. Conſilia Medica, in quibus vera quædam conſultandi methodus proponitur, multi morbi cum ſuis cauſis, & ſignis conſiderantur, multæ & arduæ Quæſtiones Medicæ pertractantur. *Venetiis, apud Franciſcum Zilettum*, 1571. *in* 4., *Francof. apud Joan. Sartorium*, 1605. *in* 4. Acceſſere breves in re Medica Jul. Cæſaris Claudini Tractatus, politi à D. Joſeph Lautenbachio.

Videatur, præter Mangetum loco ſupraſcripto, Liber Cl. Curtii: „ Notizie Iſtoriche intorno a' Medici Scrittori Milaneſi, pag. 95., & 137. „

## MDCCLXVII.

## VERANUS JOANNES BABTISTA.

QUòd Verana Familia Mediolanenſis jure ſit appellanda, ſatis abundè oſtendit Lapis Sepulchralis poſitus in Templo Sancti Michaëlis inſignis Oppidi Canturii, his notis:

BERNARDO VERANO MEDIOL.
OCTVAGENARIO V. INTEGERRIMO
ANTONIVS VERANVS
HVIVS ECCLESIAE RECTOR P.
A. MDLXVII. XI. Kal. MAII
H. M. S.

Ex eadem Joannes Baptiſta, qui Verax, neſcio quibus tabulis à Sotuvello dicitur, ortus eſt, & inter Alumnos doctiſſimos eximiæ Societatis Jeſu adſcribi meruit Anno Domini MDXCVII. ætatis annor. XIX. Quinquennio Rhetoricam docuit; Collegium Adjacenſe adminiſtravit, tria Vota profeſſus eſt, & annos plurimos in Concionibus ad populum, & Miſſionibus obeundis exegit. Ardenti erga proximos charita-

Digitized by Google

ritate flagrabat, ejuſque præcipuè operâ inſtitutum eſt ingenti lucro animarum Sodalitium in Domo Profeſſa Mediolanenſi, quod vocant Pœnitentiæ. Provectâ jam ætate octuagenarius naturæ debitum ſolvit die V. Januarii MDLX. in Eccleſia S. Fidelis Martyris eidem Domui adjacenti ſepulturæ traditus.

De eo habemus:

I. Prediche per tutte le Domeniche dell' anno, e Sermoni per gli Eſercizj Spirituali. MSS. apud Suos.

II. Modo facile, ed utile per viſitare il Venerabile Sacramento della Santiſſima Eucareſtia, mentre ſi eſpone alla pubblica adorazione *Milano*, *preſſo Filippo Ghiſolfi*, 1532. in 8. Hunc librum edidit ſub nomine Petri Oſorii.

Ita Allegambe in Bibliotheca Soc. Jeſu, pag. 227. Sotuvel. pag. 459., & Placcius in Theatro Anonymorum &c. Tom. II. pag. 476. art. 1964.

## MDCCLXVIII.

## VERCELLONIUS GEORGIUS.

GEorgius Vercellonius Mediolanenſis, ut aſſerunt Auctores infraſcripti, inter Carmelitas Congregationis Mantuanæ florere cœpit Sæculo XVI., laudaturque, ut Philoſophus, Theologus, & Orator ſingularis, atque egregius. Laureâ Magiſtrali Bononiæ decoratus, ſuis Alumnis plurimùm in litteris profuit, munere Regentis ei ibidem collato, dignitateſque ſuæ Religionis obtinuit anno Sal. MDLXXIX., ſcilicet Prioris in Patria, Taurini, atque Bononiæ, necnon Definitoris. Hæc munera ſatis oſtendunt Vercellonii prudentiam in rebus agendis. Nomine Patris Manfredini Vicarii Generalis Obſervantium, & totius Congregationis Mantuanæ, à Reverendiſſimo D. Franciſco Simonetta Commendatario poſſeſſionem recepit Abbatiæ Sancti Barnabæ de Grata-Solio, ſive de Grato-Solo, in Mediolanenſi Diœceſi, non longè ab Urbe, viâ Ticinenſi. Id accidit anno MDLXXXI., ſed Carmelitæ poſt decem & octo annos eundem locum dereliquerunt, ibi nunc habitantibus Fratribus Tertii Ordinis S. Franciſci. Dum fames ſæviſſima totam ferè Italiam premebat, nonnullis ſuorum Monaſteriis pecuniam ad commeatus comparandos ſuppeditari curavit. Anno verò MDXCVI, Turrim Eccleſiæ Sancti Joannis ad Concham ſui Cœnobii altius extollendam ſuis ſumptibus à Religione conceſſis, ideſt mille & ultra aureorum nummis, inſtituit. Argenteis Candelabris affabrè laboratis idem Templum ditavit. Anno MDCIX. adhuc in vivis erat, & Cœnobii ampliationem, ac Templi ſui decorem augendum enixè curabat. Non diù poſt ad plures abiit, Litterati, piique Viri illuſtre nomen adeptus.

Superſunt de ipſo

I. Lezioni L. ſopra la Sacra Scrittura. Codex MS. in 4. magnæ molis. Extat in Bibliotheca Suorum Sancti Joannis ad Concham hujus Urbis.

Laudatur à Joſepho Falcone, Joanne Baptiſta Guarguanto, Felina pag. 73., à Vagho pag. 333., & in Necrologio ſui Conventus, ubi ſervantur quoque plures Codices MSS., in quibus tam largiflui benefactoris memoria colitur, non ſine debito encomio.

## MDCCLXIX.

## VERGA JULIUS.

INter Poëtas Mediolanenſes illuſtre nomen ſibi meruit Julius Verga optimo Sæculo XVI. florentes. De hac verò Familia etſi inter Mediolanenſes antiquiſſima, nullum reperi monumentum apud Collectores diligentiſſimos, alibi à me relatos; ex fide igitur Clar. Patris Quadrii Societatis Jeſu, qui Julium noſtrum aſſerit fuiſſe Juriſconſultum, hunc Scriptoribus Mediolanenſibus addo, & Carminibus infraſcriptis, memoriâ dignum cenſeo,

Videlicet:

I. Carmina Italica. Extant in libro, cui titulus: „ Le „ Muſe Toſcane di diverſi Nobiliſſimi Ingegni, dal Si„ gnor Gherardo Borgogni di nuovo poſto in luce. „ *Bergomo, per Cominno Ventura*, 1594. in 8.

II. Alia item Italica. Extant in libro inſcripto: „ Ghirlan„ da della Conteſſa Angela Beccaria. „

Ex ſupradicto P. Quadrio S. J. in ſuo Opere: „ Della „ Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia. „ T. 2. pag. 370., ubi quoque aſſerit alia Carmina Julii iſtius alibi reperiri. Deſiderandum porrò erat, quod Cl. Vir meliùs ea indicaſſet.

## MDCCLXX.

## VERGANUS ANGELUS JOSEPH.

ANno à Partu Virginis MDCLXVI. in hac Urbe ex honeſtis Genitoribus, primus inter nonnullos fratres, editus eſt in lucem Angelus Joſeph, qui poſt priora Grammaticæ præcepta ſumma ingenii celeritate hauſta, Clericalem Tonſuram accepit; & Rhetoricam inde artem ſedulò coluit, ut Poëtarum præcipuè lectione ſummopere delectaretur. Latinas Muſas Italicis copulavit adhuc juvenis, ita planè, ut vigeſimum ſextum ætatis ſuæ annum attingens, Collectionem Poëmatum ſuorum primo loco inferiùs deſignandam typis commiſerit, & poſt biennium, alterum Tomum iiſdem prælis non minori cum laude edi curaverit. Cùm parùm proſperâ Fortunâ, ut perſæpe Poëtis evenire ſolet, in Patria hac ſua frueretur, ſolum mutare decrevit, & ad Imperatoriam Aulam Vindobonenſem confugit, ubi Carminibus ſuis Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi I. virtutes celebrans, ab eodem munificentiſſimo Litteratorum Mœcenate aurea torque donatus fuit. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ pertæſus Verganus, animum ad militaria convertit, & ejuſdem Cæſaris beneficio, Centuriæ armatorum Produx conſtitutus Caſtra ſequutus eſt. In expeditione Italica Clariſſimi Invictiſſimique Principis Franciſci Eugenii à Sabaudia Auſtriaci Exercitus Ducis ſtipendia meruit, & ejus ſequens ſigna Mediolanum reviſit anno à Partu Virg. MDCCVII. Non diù poſt in Germaniam redux, in ſtationibus ſibi aſſignatis moram traxit, cùm nulla ſuperſit memoria, quòd poſteriora dictaverit ingenii ſui monumenta; quinimmo & quo anno è vivis abierit, nobis eſt incompertum.

Operum, quæ in Patria edidit, hi ſunt tituli:

I. La Varietà Canora, Poeſie di Angelo Giuſeppe Vergano. *Milano, per il Marelli*, 1692. in 12.

II. Poeſie varie. *Milano, preſſo lo ſteſſo*, 1694. in 8.

MDCCLXXI.

Digitized by Google

## MDCCLXXI.

## VERRUS GABRIEL.

GEns Verra Mediolanenſis vetuſtatem ſuam agnoſcit ſaltem à Sæculo XIV., nam Joannolus Verrus, Petri filius, florebat in hac Urbe, anno redempti Orbis MCCCLXXXV. Ex eadem ortus eſt Petrus Antonius J. C., qui ex Conjuge ſua Lavinia Maldura, Michaëlis Cæſarei Senatoris Mediolani filia, Gabrielem Verrum, de quo nunc agimus, genuit. Vir iſte majorum veſtigia proſecutus, Collegium Nobilium J. PP. hujus Urbis ingredi meruit, anno MDLXXV. Illum ſuæ virtutis, integritatiſque fama ad Urbes Florentinam, atque Lucanam Rotæ Auditorem vocavit. Fratrem habuit Alexandrum, Equitem, nec non Militaris Sancti Stephani Ordinis Commendatarium, & apud Regium Mediolanenſis Dominii Moderatorem pro Magno Etruriæ Duce Oratorem. Ex Conjuge Conſtantia Benamata Confaloneria Petrum Antonium juniorem filium ſuſcepit, qui & ipſe Juriſconſ. Cauſ. Coll., ac Urbis Præfectus extitit anno MDCLX. Dolendum eſt, quòd Scripta Gabrielis hujus ad manus noſtras minimè pervenerint; damus igitur, quod poſſumus, plura certè cupientes, nam tanti Viri, qui Mundo valedixit, anno MDCXIII. ætatis ſuæ LXXVII. adhuc nomen, atque doctrina viget in altero ſuæ Gentis Gabriele nunc ſuperſtite J. C. C., Equite Commendatario Sancti Stephani, & ex LX. Decurionibus Mediol. virtutum omnium, dignitatumque procerum ſuorum, non tantùm hærede, quàm æmulatore, nam Fiſci Patronus creatus, in rebus etiam politicis pro Rege, pro Patria, pro Civibus indeſinenter ab hujus Metropolis Magiſtratibus adhibetur. Eidem ego quoque pluribus titulis obſtrictus ſum, quòd nonnulla documenta ad hanc meam Bibliothecam illuſtrandam, augendamque aptiſſima, perhumaniter mihi ſubminiſtrarit.

Auctor noſter ſcripſit

I. Deciſiones Rotæ Lucenſis. Servantur in Archivo ejuſdem Tribunalis ſupradictæ Urbis.
II. Deciſiones Rotæ Florentinæ. Extant ut ſupra.
III. Nomina, Cognomina, & Dignitates J. C. Ven. Collegii Mediolani annorum 1426 1427. 1446. 1450. 1498. 1499, & ab anno 1505. uſque ad ann. 1555. Impreſs. *Mediolani, typis Marci Julii Paganelli, prope Eccleſiam S. Protbaſii ad Monacos*, 1611. *in* 8.
Agit de eo Cl. Sitonus in ſuis Monumentis.

## MDCCLXXII.

## VERTUA JOANNES BAPTISTA.

PArùm de Joanne Vertua Mediolanenſi loquutus eſt Cl. Bartholomæus Curtius, nam citato tantùm Libro de Peſte Alexandri Tadini à nobis ſuo loco commendato, aſſerit obiiſſe Auctorem noſtrum eodem morbo, Chriſti Domini anno MDCXXX. Ex ipſa familia parùm antea claruerat Petrus Vertua Chriſtophori filius, ac Phyſicus Collegiatus Mediolanen., ab an. ſcilicet MD. ad an. MDXVIII. quo inter mortales eſſe deſiit die XVI. Februarii, cujuſque Sepulchrum Joannes Antonius Dugnanus Phyſicus Collegiatus Mediolani, ſequenti Carmine exornavit:

VIR PROBVS ELOQVIO CLARVS NIMIUMQVE MEDENDI
ARTE VIGIL PETRVS VERTVA FESSVS OBIT.

Noſter verò ingenii pietatiſque ſuæ teſtimonia dedit his Scriptis,

Nimirum:

I. De morte retardanda, libri III. Ad Eminentiſs. Cardinalem Federicum Borromæum. *Mediolani, apud Jacobum Comum*, 1616. *in* 8.
II. Trionfo della Dottrina Criſtiana. *Milano, per Grazidio Ferioli*, 1608. *in* 8. Dialogus eſt, in quo eccellentiam, eruditionemque ſupradicti libri mirificè oſtendit.
Extat ad eundem Epiſtola Ericii Puteani, quâ ei gratias agit pro ſanitate reſtituta Fauſto ejus filiolo. Data Lovanii X. Kal. Maji MDCX. in Centuria IV. pag. 75.
Ex Advocato Sitono in Chron. Colleg. Phyſicor. Mediol. parte ſecunda, artic. 128. MS. in folio penes Authorem, cum pluribus ibidem allegatis, atque ex Gurtio de Claris Medicis Mediolanenſibus pag. 170. Videantur quoque Mangetus in ſua Bibliotheca Scriptorum Medicorum. Tom. IV. pag. 502., & Picinellus in Athenæo pag. 289.

## MDCCLXXIII.

## VIANUS MAXIMILIANUS.

IN Pallantiæ Oppido Ducatus Mediolanenſis ad Lacum Verbanum floruit Gens Viana, ex qua ortus eſt Maximilianus Auctor Libri à Medicinæ Profeſſoribus ſatis commendati, cujus titulum infrà dabimus. Dolendum interea eſt, quòd de altero Viano de Pallantia, Petro nomine, Joannis Petri, & Mariæ Morigiæ Conjugum filio, aliud mihi datum non fuit reperire, præterquàm Epiſtolam ſatis eruditam ad Excellentiſſimum Protophyſicum Ambroſium Cavenagum Mediolanenſem ſcriptam, quæ legitur in Libro „ de Concoctione materiæ bilioſæ „ Sylveſtri Bernerii Phyſici Papienſis, cujus ſupradictus Petrus Vianus à Pallantia, Medicinæ Doctor, diſcipulus extiterat; Editio verò Operis Bernerii, facta fuit *Lugduni*, 1549. Idem Petrus fratrem habuit Octavianum Vianum, Cauſidicum Collegiatum hujus Urbis, cujus extat Inſcriptio marmorea in Templo Sancti Joannis ad Concham, his tantùm litteris exarata:

OCTAVIANI VIANI CAVSIDICI
ET POSTERORVM SEPVLCHRVM
MDLXXIII.

Mirum eſt, quòd nec de Petro, nec de Maximiliano ſupradictis, verbum ullum faciant Cll. Viri, Curtius & Mangetus.

Maximilianus verò ſcripſit librum ſic inſcriptum:

I. Rimedi per guardarſi dal mal Contagioſo; Al Tribunale della Sanità. *Milano, preſſo il Rolla*, 1657. *in* 8.
De Petro, atque Octaviano agit in ſuis Schedis Cl. Sitonus noſter.

MDCCLXXIV.

Digitized by Google

## MDCCLXXIV.

## VICECOMES ALEXANDER.

ALphonſus Vicecomes , atque Clara Turriana Jugales Mediolanenſes Franciſcum filium, non tantùm genuerunt , ſed & pietate & litteris ipſum tam attentè educarunt , ut inter Clericos Regulares, quos Teatinos vocamus , adſcribi voluerit, nomine aſſumpto Alexandri . In Collegio igitur S. Antonii hujus Urbis Anno MDCLXXIV. , die XXI. menſis Auguſti profeſſus eſt . Veloci , quo præditus erat , ingenio, breviter Philoſophus, atque Theologus evaſit , ita ut eaſdem facultates è Cathedra Suis pereruditè explanarit , præcipuè in Urbe Ulyſipone , ubi adhuc memoria tanti Viri in Diſputationibus profundiſſimi viget . Quantùm in Concionibus quoque valeret , ſatis præ cæteris oſtendunt ejus Lectiones Biblicæ in Eccleſia Metropolitana hujus Urbis habitæ , & quæ ſervantur in Bibliotheca ſupradicti Collegii , ut infra. Muſas etiam minimè reſpuit , ut videbimus, imò Faticoſorum Academiam, poſt P. Meazzæ jam laudati obitum rexit . Tot virtutibus exornatus , mirum non eſt , ſi apud Suos Præpoſiti atque Viſitatoris munera peregerit . Fuit quoque Pœnitentiarius Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis, ab anno MDCXCVIII. ad MDCCVIII. ſuæ pietatis, exemplariſque chriſtianæ ad divinum placitum conformitatis teſtimonia dedit , dum pluribus morbis afflictus patientiſſimè morti occurrit die XVIII. menſis Septembris, anno MDCCXXII. , ætatis ſuæ LXVII.

Scripſit , & partim edidit

I. Augurj di pace nella Canonizzazione di S. Andrea Avellino. *Milano* , 1713.

II. Le Conteſe delle Virtù Teologali per coronare in Cielo il Trionfo del medeſimo Santo. *Ivi*, 1713.

III. Le Gare tra la legge, e la grazia , rapacificate dall' umiltà di S. Andrea Avellino . *Piacenza* , 1713. *in* 4.

IV. S. Andrea Avellino Miniſtro , e Vittima del Sacrifizio. *Milano*, 1718.

V. Relazione dell' Apparato, e Feſte fatte in Milano per la Canonizzazione del medeſimo Santo, colli Componimenti da eſſo fatti in quella occaſione . *Milano* , 1713. *in* 4.

VI. Varj componimenti Drammatici ( *ut vocant* ) Oratorj da cantarſi in muſica . *Milano* , variis temporibus impreſſ.

VII. Carmina varia tam Italica , quàm Latina MSS. Extant in Bibliotheca Suorum D. Antonii Mediolani.

VIII. Tractatus varii Theologici , de Angelis, de Incarnatione &c. Extant ibidem.

IX. Lezioni ſopra la Sacra Scrittura MSS. Ibidem.

X. Prediche varie MSS. Ibidem.

Ita ab amiciſſimo, nec minùs docto P. Crucejo ejuſdem Congregationis Alumno.

## MDCCLXXV.

## VICECOMES ALPHONSUS.

PEtrus Georgius Vicecomes J. C. Coll. ex Condominis Oppidi Summæ , pro Rege Catholico apud Sereniſſimum Mantuæ Ducem Orator , deinde Regius Mediolanenſis Senator , nec non Eleonora à Carreto Savonæ Marchioniſſa Conjuges, Alphonſum filium genuerunt ; qui in hac Metropoli litteris ſummopere deditus , magiſtrum habuit Franciſcum Cicerejum, ſuo loco à nobis jam laudatum . Nil aliud de hoc Scriptore reperire nobis datum fuit , neque annum , quo ex hac vita migravit . Quantùm tamen Arte Oratoriâ ipſe polleret perabundè oſtendit Oratio infra recenſenda , in Baſilica Schalenſi habita coram Senatu, aliiſque Urbis Magiſtratibus. Reliquæ verò ipſius ingenii dotes ex Epiſtolis ad Julium Clarum ſcriptis, & à nobis non ſine animi delectatione inſpectis , facilè agnoſci poſſunt .

Damus de eo , quæ ſequuntur :

I. Oratio in funere Cardinalis Franciſci Alciati, habita in Templo Sanctæ Mariæ Schalenſis; ad Ampliſſimos Mediolanenſis Senatus Patres conſcriptos . *Mediolani*, *apud Impreſſores Archiepiſcopales*, 1580. *in* 4.

II. Epiſtolæ Italicæ, ad Julium Clarum Ditionis Mediolanenſis Regentem , datæ anno MDLXVIII. , variâ eruditione notabiles ; præcipuè verò in his agit de Emblemmatibus . Sunt inter Epiſtolas MSS. ejuſdem Cicerej in Cod. Bibliothecę FF. Marchionum Vicecomitùm .

Inter Epiſtolas Bernardini Marliani Mantuani, *Venetiis* editas anno 1601. pag. 56. , adeſt Epiſtola familiaris ad eundem Alphonſum . Data Mantuæ V. Novemb. MDLXXI.

Agit de ipſo Clar. Sitonus in magno ſuo Theatro Genealogico MS. pag. 492. penes Auctorem.

## MDCCLXXVI.

## VICECOMES ANDREAS.

AYcarda Gens olim in Pago S. Georgii Papienſis Diœceſis opibus & nobilitate generis floruit; ex qua ortum traxit Dominicus Bartholomæi filius , qui anno MCCCCXV. dum actu eſſet à cubiculo Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolanenſium Ducis, non tantùm inter hujus Metropolis Cives meruit computari , ſed etiam ob inſignem virtutem , & plura ſatis præclarè geſta in Vicecomitum Familiam eſt adoptatus , hujuſmodi honore ad poſteros quoque tranſmiſſo. Quamobrem veteri cognomine oblitterato , Dominicus ipſe , atque ab eo progeniti non Aycardi , ſed Vicecomites dicti fuerunt , adjecto agnomine de Carimate , quòd Caſtrum Carimati Ducatus Mediolanenſis cum poteſtate regerent . Andreas igitur , de quo nunc ſumus verba facturi , præter alios Fratres, de quibus infra dicemus , ab hoc Dominico genitus eſt ex Conjuge ſua Clara de Berris . Patris loco ab eodem Philippo Maria Duce dilectus , ipſius Caſtri Carimati Rector , ſeu , ut barbarè dicunt , Caſtellanus inſtitutus fuit , quod munus actu gerebat anno MCCCCXXX. , & in quo perſeveraſſe traditur ad annum uſque MCCCCLVII. Fratres habuit Georgium Ducalem Camerarium , & Conſiliarium , Equitumque Ductorem , qui Georgius communiori vocabulo Scaramutia dicebatur ; Alexandrum Equitem Aureatum , Equitumque & ipſum Ductorem , nec non Bartholomæum Epiſcopum Novarienſem , malè inter ſuos Cives à Clar. Lazaro Auguſtino Cotta, ut ſuo loco oſtendimus , relatum . Supradictus autem Georgius Vicecomes , ſive Scaramutia , obiit Anno Chriſti MCCCCLVII. , atque in Sacello D. Martini in Baſilica Euſtorgiana hujus Urbis tumulatus extitit, ubi ſequens Inſcriptio adhuc legitur :

HIC SITVS EST
SCARAMVTIA VICECOMES
EQVITVM CATAPHRACTORVM DVCTOR
QVEM PHILIPPVS MARIA VICECOMES
MEDIOLANI DVX
CHARVM HABVIT
ET HAC IPSA CELLA DONAVIT
III. NONAS SEPTEMBRIS MCCCCLVII.

Ad confirmandum quod diximus de hac Gente Ay- A
carda , nunc de Vicecomitibus , non ingratum erit
Lectoribus hîc adjicere verba Gaſparis Bugati , ſuo
loco jam laudati, quæ leguntur in libro , cui titulus :
„ Memoria Sacrariorum Monaſterii S. Euſtorgii Me-
„ diolani Ordinis Prædicatorum , à fundatione ejuſ-
„ dem ad annum MDLXIV. „ MS. in fol. penes Cl.
Sitonum ; De prædicto autem Sacello S. Martini ſic
ait : „ Cappella S. Martini fuit Dominorum Turriano-
„ rum , in qua ſepultus fuit Martinus Secundus de
„ Turrianis, Mediolani Dominus, filius Caſſoni, mor-
„ tuo Muſcâ Turriano ; qui Martinus regnavit tan-
„ tùm menſem unum , & mortuus eſt , & ſepultus
„ in hac Cappella Divi Martini , anno MCCCVII. ,
„ & in memoriam nominis ejus fabricata : ( adſunt
deforis Inſignia etiam nunc ) „ quam Cappellam ac- B
„ ceperunt Domini Vicecomites de Carimate, & de
„ la Zelata ; qui Vicecomites cùm eſſent Papienſes
„ Nobiles Cives de Aycardis , benemeritique Joan-
„ nis Galeacii primi Ducis Mediolani , & Filii Phi-
„ lippi Mariæ Ducis , ab eis adoptati fuerunt ; &
„ ſcripti in Domo Vicecomitum . „ Andreas verò
noſter pro ſua virtute ab Ænea Sylvio , cui gratiſſi-
mus extitit , laudatur . Et quidem non ignoramus
Scriptorem hunc noſtrum anno MCCCCL. inter No-
varienſis Urbis Patritios ac Decuriones locum pro-
meruiſſe , quod Clariſſimus Lazarus Auguſtinus Cot-
ta in ſuo Muſæo Novarienſi pag. 80. adnotavit . At
quis non videat , id effectum fuiſſe in gratiam præ-
laudati Bartholomæi ipſius Fratris , qui per ea tem-
pora ipſi Urbi ſacra Jura dabat , ut ſuſiùs infra C
memorabimus ? Certiſſimum quidem eſſe nos monuit
doctiſſimus Sitonus publicis prolatis tabulis, Andream
non Novariæ , ſed Carimati lucem vidiſſe , & quidem
Bugati teſtimonio fulti , qui alterum adjicit cogno-
men de la Zelata, credimus in Statutis Novarienſibus
pag. 211. , quæ citat Cotta , legi potiùs de la Zela-
ta , quam de Vellate , ut ipſe contendit ; & mihi
metipſi gratulor interim Opus ejuſdem MS. infra re-
cenſendum nunc primùm eruditis Lectoribus proferre
poſſe ,

Videlicet :

I. Andreæ Vicecomitis , Dominici filii ; Deſcriptio Caſtri Ca- D
rimati , Terrarumque adjacentium ; ad Reverendum
D. Bartholomæum Epiſcopum Novarienſem . MS. in
fol. in pergameno optimæ notæ . Extat in Bibliotheca
Cæſarea Vindobonenſi , me monente Cl. olim , ami-
ciſſimoque Equite Pio Nicolao Garellio Archiatro , ac
Bibliothecario Caroli VI. Imperatoris unquam peri-
turæ recordationis , ex litteris ſuis die XVII. Januarii,
anni MDCCXXXII. datis , dum pro ejus erga me
humanitate , nonnulla mihi ſubminiſtrabat ad hanc Bi-
bliothecam meam Scriptorum Mediolanenſium exor-
nandam , & utinam aliquando integrum eximiæ Vin-
dobonenſis Bibliothecæ à tanto Auguſto , regiis verè
ſumptibus adauctæ , Indicem Eruditus aliquis in lu-
cem emittat .

II. Litteræ ad Æneam Cardinalem Senenſem , poſtea Pium
II. Pontificem Maximum , ut eruitur à reſponſione
ejuſdem Æneæ , data anno MCCCCLVII. ad Andream
noſtrum , in qua condolet de morte Bartholomæi Epi-
ſcopi ejuſdem fratris : In eadem quoque fit mentio E
Scaramuciæ , & Alexandri , de quibus ſupra verba fe-
cimus : Eſt autem tenoris , ut ſequitur : „ Accepimus
„ hodie litteras tuas , ante verò nullas ; obitum Reve-
„ rendi Patris Epiſcopi Novarienſis , unà tecum deplo-
„ ramus : Deus illi miſertus ſit , & locum pacis dede-
„ rit . Vellemus audire de te meliora , & omnia tibi ad
„ votum ſuccedere ; nam te loco fratris amamus , cu-
„ jus nobis amicitia quondam dulciſſima fuit , & nunc
„ gratiſſima recordatio . Miramur Magnificum Scara-
„ muciam , non te fraternis oculis intueri . Scribemus
„ ſibi , & pro virili noſtra hortabimur , ne carnem ſuam
„ deſerat . Laudamus Magnificum Alexandrum , qui
„ tibi non deeſt & nomini ſuo ſatisfacit , cujus eſt eſſe
„ liberalem . Nos ſi quando pinguior fortuna reſpexe-
„ rit , non dabimus oblivioni Andream noſtrum , cui &
„ pro ſua virtute tenemur , & quia ex illa domo na-
„ tus eſt , cui debemus omnia , pro beneficiis , quæ in-
„ de accepimus . Vale . „
De eo agit Petrus Candidus Decembrius in Vita Ducis
Philippi Mariæ Vicecomitis Cap. 53. pag. 27. , Augu-
ſtinus Oldoinus in Vitis S. R. E. Cardinalium , Tom
II. pag. 838. , Stemma verò Genealogicum debeo Cl.
Sitono noſtro ex Theatro ſuo erutum pag. 497. MS.
in fol. penes Auctorem , reliqua dabimus in Bartho-
lomæo ſuo loco.

## MDCCLXXVII.

## VICECOMES ANTONIUS MARIA.

MArchione Vercellino Maria Vicecomite patre ,
natales habuit, ex Amaſia, Antonius Maria, qui
Sacris rebus deditus, Sacerdotalem vitam duxit uſque
ad annum Redemptionis Chriſtianæ MDCCII. , qui
fuit ei ultimus . Vigent adhuc illius ingenii Monu-
menta , quæ ſequuntur , præcipuè Poëtica facultate,
quâ plurimùm valuit ,

Videlicet :

I. Poëmata Latina , atque Italica in laudem S. Joannis Baptiſtæ , S. Ignatii Loyolæ , aliorumque Sanctorum MS in fol. pagg. 64.
II. Carmina Heroica , atque Elogia varia . MS. in fol.
III. Orationes Academicæ . MS. in fol.
IV. Epigrammata varia . MS. in fol.
V. Eglogæ variæ , & Carmina Latina . MS. in fol.
VI. I Trionfi di Meleagro negli Amori di Atalanta , Opera per Muſica . MS. in fol.
Omnia inſcripſit parenti ſuo , Epiſtolis ad eundem in unoquoque Volumine appoſitis . Extant in Bibliotheca pluries à nobis laudata FF. Marchionum Vicecomitum .

## MDCCLXXVIII.

## VICECOMES ARCHANGELA GABRIELLA.

EQuitem Gaſparem Ambroſium Vicecomitem ,
Ducalem Inſubriæ Senatorem , Poëtamque
clariſſimum , cujus laudes ſuo dabimus loco , atque
Cæciliam Simonettam Nobiliſſimos Conjuges , Ar-
changela Gabriella Vicecomes Parentes habuit. Hæc
in patria ſua Mediolanenſi non ſine ingenti Suorum
diligentiâ educata , Sponſum ſibi Chriſtum deligens,
Ordinem S. Auguſtini , in celeberrimo S. Marthæ,
Parthenone , cujus jam toties incidit mentio , Inſti-
tutum profiteri voluit , dum eidem Virginum Cœno-
bio præeſſet B. Archangela Panigarola , quam ſupra
congruo ſumus Elogio proſecuti . Sub tantæ Fœmi-
næ magiſterio ſummos in via Domini progreſſus fecit, &
cæteris Sodalibus vitæ integritate , virtutumque om-
nium ſplendore præfulſit . At cùm per ea tempora
Antonius Bellottus S. Antonii Gratianopolitani , ut
vocant, Commendatarius, Mediolani degeret , piiſſi-
miſque hortationibus , & Epiſtolis ipſius Cœnobii
Sanctimoniales in divino amore frequentiùs accende-
re ſatageret ; Vicecomes noſtra operæ pretium ſe
facturam exiſtimavit , ſi tanti Viri ſcripta , & ſer-
mones poſteritati commendaret . Id perquam ſedulò
confecit, Volumini infra memorando ſingula inſerens,
quæ Bellottus vel coram , vel per litteras tradiderat.
Profitetur tamen in Præfatione, quam de ſuo adjecit,
ſe Tractatus, & Epiſtolas ipſius Bellotti non eo ordi-
ne collegiſſe, quo ab eodem vel conſcripta, vel pro-
nunciata fuerunt , ſed juxta ordinem Operum Dei,
quæ in eis recenſentur . Quo migrarit è mortalibus
anno , nobis hactenus eſt incompertum .

Scripſit igitur Codicem hoc titulo :

I. Varie Lettere, e Trattati Spirituali , ſcritti da Monſig. Antonio Bellotto Commendatore di S. Antonio di Granoble, inviati da lui alla Madre Arcangela Panigarola, raccolti da Suor Arcangela Gabriella Viſconti. MS. in fol. juſtæ molis , in Archivo ipſius Cœnobii Sanctæ Marthæ Mediolani.

Addi-

Digitized by Google

Addidit, ut diximus, de ſuo Præfationem, ubi plura ſatis eruditè tractat, quæ ad Divina Myſteria pertinent.

Inter Conciones una eſt hoc titulo: „ Predica facta per „ el Reverendo Commendator ſopradicto nel anno „ 1521. el Sabbato Sancto, & poi ſcripta per la Vene- „ rabile Suor Blanca Caterina da Balſamo „.

De ea Sitonus noſter doctiſſimus agit in Theatro ſuo Genealogico. MS. penes eundem pag. 484.

## MDCCXXIX.

## VICECOMES BARTHOLOMÆUS.

IN Articulo Andreæ Vicecomitis quædam jam diximus de Bartholomæo illius fratre, cujus nunc damus Elogium, præſertim verò quæ ad geneſim amborum, atque parentes ſpectant, ſicut etiam de cognomine fuſiùs diſſeruimus. Supereſt nunc, ut ipſi Bartholomæo peculiaria proſequamur. Ab ipſa infantia bonis excultus artibus, & poſtmodum Clericalem amplexus vitam, Philippi Mariæ Mediolanenſium è Vicecomitibus Ducis poſtremi Conſiliarius creari meruit, cujus etiam nomine plures ad varios Principes Legationes obivit. Defuncto exinde Petro Petrozino Novarienſi Epiſcopo, in ejus locum ſuffectus fuit die XII. menſis Decembris, anno reparatæ Salutis MCCCCXXIX. à Martino V. Summo Pontifice. Cùm autem ſedente Eugenio IV. Mediolanenſis Ducis nomine Legatione fungeretur in Urbe Româ, initâ conſpiratione de Eugenio ipſo in Ducis ejuſdem poteſtatem tradendo, læſæ Majeſtatis reus, Florentiam à Pontifice ad cauſam dicendam evocatus eſt, criminiſque convictus, ab Epiſcopatus honore dejectus fuit; quocirca ut Eugenii iram declinaret ad Baſileenſe Concilium profugit, ubi quoque Purpuram ſibi à Felice V. Pſeudopontifice collatam induit, atque ab Alberto Cæſare non tantùm vetera ſuæ Eccleſiæ privilegia confirmari obtinuit, verùm etiam S. Rom. Imperii Principis titulo cohoneſtatus eſt, anno MCCCCXXXVIII. Felice poſtmodum Schiſma ejurante, Purpuram Bartholomæus noſter depoſuit, atque à clementiſſimo Eugenio veniam patrati criminis, quod in publico Conſiſtorio confeſſus fuerat, impetravit, deprecante Nicolao Albergato tituli Sanctæ Crucis Cardinali. Quin etiam Epiſcopatui reſtitutus eſt, curante prælaudato Philippo Maria Duce; quapropter Novariam regreſſus, cùm poſt obitum ejuſdem Ducis, Franciſcus Sfortia Inſubrum Principatum obtinere niteretur, Novarienſibus auctor fuit, ut ſecundâ obſidionis die Urbem Sfortiæ traderent; imò in Sabaudiam pergens, pacis fœdus inter Allobrogum Ducem, & Franciſcum ipſum, anno MCCCCXLIX. ſanciri curavit. Æneam Sylvium Piccolomineum, qui poſtea aſſumpto Pii II. nomine Univerſæ præfuit Eccleſiæ, à Secretis habuit, cujus etiam Epiſtolam in Bartholomæi obitu ad Andream fratrem conſcriptam dedimus integram, ubi de Andrea ipſo diſſerebamus. Uſus eſt inſignibus familiæ Vicecomitum, quæ adhuc conſpiciuntur in fronte Ædium Epiſcopalium in Inſula Sancti Julii, adjecto lemmate: *Quo difficiliùs eò præclariùs*. Tot inter varias fortunæ vices ſibi traditum populum rexit uſque ad annum Chriſti MCCCCLVIII., quo mortalis eſſe deſiit.

Elucubravit, & condidit

I. Statuta Ripariæ S. Julii, anno MCCCCXXXI.

II. Statuta Plebis Gaudiani, an. MCCCCXXX. & MCCCCXLV., quorum meminit Lazarus Auguſtinus Cotta, loco mox citando.

Agunt de ipſo Ughellus Italiæ Sacræ Tomo IV. in Novarienſibus Epiſcopis num. LXXII. Oldoinus in addit. ad Ciacconium Tomo II. col. 938., & in Vita Pii II. Jo. Ant. Campanus in Orat. funebri ipſius Pontif. Æneas Sylvius Piccolomineus in Comment., & in Epiſtolis. Jo. Simonetta in Sfortiade. Blondus Decad. III. libro VI. Cotta in Muſæo Novarien. pag. 80. S. Antoninus in Chron. part. III. tit. 22. Cap. 10. Sitonus noſter in Schedis, aliique plures.

## MDCCLXXX.

## VICECOMES BLANCA MARIA.

BLanca Maria Vicecomes Philippi Mariæ Mediolanenſium è Vicecomitum ſtirpe Ducis poſtremi, atque Agnetis de Mayno Ambroſii genitæ filia, dieque XXXI. menſis Martii, anno MCCCCXXV. in lucem edita, quam vultu præſetulit majeſtatem, & ſpeciem verè admirabilem, ingenii dotibus clariorem reddere ſategit. Nupſit, volente patre, anno MCCCCXLI. Comiti Franciſco Sfortiæ, aſſignatâ dotis nomine Urbe Cremonâ. At verò cùm in Philippo Maria ipſius Patre virilis Vicecomitum propago à Matthæo Magno deducta, pridie Idus Auguſti, anno poſt Partum Virginis MCCCCXLVIII. defuncto exaruiſſet, poſt varias tandem vices Blanca Maria, & Conjux ejus Franciſcus paterni Principatus hæredes, & ſucceſſores publicè ſalutati ſunt. Mirâ fuit clementiâ & benignitate prædita, numquam diutius rogari patiens, ut cuiquam prodeſſet, ſed alacri ſemper animo in ſubditos ſibi populos benefica. Captâ Placentiâ ita Viri deflexit animum, ut cùm Urbs illa divitiis affluens ab eo militibus in prædam data eſſet, ipſius tamen precibus flexus, ſacra Deo loca, & Virginum præſertim Cœnobia ab injuriâ ſervari mandaverit. Aliorum potius commodis, quàm ſibi nata omnium Italicorum Principum ſibi conciliavit benevolentiam uſque adeò, ut poſt Franciſci Sfortiæ obitum, quamvis Venetis videretur licere in Mediolanenſem Ducatum ſumptis armis irrumpere, à bello tamen, donec Blanca Maria in vivis fuit, abſtinuerint, quinimmo ſuppetias ſe adversùs quoſcumque inſurgentes hoſtes laturos ſpoponderint; quare finitimi omnes cognito Venetorum animo Principem Fœminam nunquam laceſſere auſi ſunt. Suſceptos è Viro filios ipſa inſtituit & rexit tam prudenter, ut ſanctiora maternis præcepta à Philoſophis præſtantiſſimis haurire non poſſent. Sacra Ædificia non pauca in Cremonenſi præſertim Urbe, regiâ munificentiâ excitavit. Ingenio fuit peracuto, ſedulâque optimorum Codicum lectione non contemnendam ſibi comparavit eruditionem in latinis præſertim litteris, in quibus ipſam eminuiſſe plures inferiùs citandi teſtantur, ſatiſque oſtendit Oratio inferiùs recenſenda, in qua difficile cognitu eſt, uter excellat, amor, an facundia. Anno demum Chriſti MCCCCLXVIII. ætatis ſuæ XLIII., die verò XXIII. menſis Octobris, in Oppido Melegnani piiſſimè diem clauſit extremam. Extat Blancæ Epitaphium editum à Bartholomæo Petronio avunculo Benedicti Lampridii, Poëtæ, & Præceptoris filiorum Franciſci Sfortiæ in hæc verba:

TRES ITALOS PROCERES TERRIS EGO BLANCA LATINIS
REGNANTES VIDI, FILIA, NVPTA, PARENS.

Alludendo, quòd Blanca eſſet Filia Philippi Mediol. Ducis, Uxor Franciſci Sfortiæ, ac Genitrix Galeacii Mariæ.

Superſunt de ea quæ ſequuntur,

I. Oratio ab eadem habita ſuper cadaver Franciſci Sfortiæ. Impreſſa eſt in Tomo XXI. Scriptor. Rerum Ital. coll. 775. & ſeq. ex MS. Codice Sfortiadis Joannis Simonettæ, qui ſervatur apud Comitem Antonium Simonettam.

II. Capitula XXXII. conceſſa Communitati Cremonæ, quæ incipiunt: „ Blanca Maria Vicecomes Duciſſa „ Mediolani, & Papiæ, Angleriæque Comitiſſa, ac Ja- „ nuæ, & Cremonæ Domina, &c. Exigit jure merito „ præcipua fides, & devotio ſingularis Communitatis „ noſtræ Cremonæ, &c. „ Dat. Mediolani die vigeſimo primo Auguſti MCCCCLXVI. MSS. in fol. pagg. 24. penes Advocatum Joannem de Sitonis de Scotia.

III. Decreta nonnulla inſerta in libro inſcripto: „ Antiqua „ Ducum Mediolani Decreta „ pagg. 362., & ſequentibus.

Ora-

Digitized by Google

Oratio Parentalis Magiſtri Hieronymi Cribelli in laudem Illuſtriſſimæ quondam Blancæ Mariæ. Incipit: „ Quæ duæ res ad dicendum fiduciæ plurimum, commoditatiſque præbere ſolent &c. „ Eſt pagg. 16. lectu digniſſima, in Cod. MS. Biblioth. Ambroſianæ, ſign. T. num. 20. in 4.

Aliam Hippolytæ Mariæ ipſius filiæ in ejuſdem commendationem memoravimus, cùm de illa ageremus ſuo loco.

Ad eam ſcripſit Epiſtolam Pius II. ne obſtaret Viro in hoſtes Fidei arma capienti. Eſt inter ipſius Pontificis editas, num. L.

Commendant ipſam Auguſtinus ab Eccleſia in Theatro Fœminarum eruditarum pag. 97. Ariſius in Cremona Litterata Tomo I. pag. 258., & Tomo III. pag. 331. Jacobus Philippus Bergomenſis in lib. de Claris Mulieribus. Julius Cæſar Capaccius in Elogiis Mulierum Illuſtrium. Inſigni autem Elogio laudatur in libro, cui titulus: „ Libro di M. Giovanni Boccaccio delle „ Donne Illuſtri, traddotto di latino in volgare per M. „ Giuſeppe Bettuſſi, con un'aggiunta fatta dal medeſi„ mo d'altre Donne famoſe; e un'altra nuova giunta „ fatta per M. Franceſco Serdonati. *In Fiorenza, per* „ *Filippo Giunti*, 1596. *in* 8. *pag* 359. „ Memoratur etiam à Sitono noſtro in Schedis ſuis, atque ab aliis non paucis.

## MDCCLXXXI.

## VICECOMES BONIFACIUS.

HErmes Vicecomes Ornavaſii Baro, & Margarita Tettona Conjuges, Bonifacium filium ſuſceperunt, cui inter Scriptores Novarienſes locum dedit Cl. Cotta, utpote quia Bonifacius natales habuerat in Oppido Caſtelletti ad Ripam Verbani lacus Diœceſis Novarienſis, ſed ad ditionem Mediolanenſem ſpectante, ideoque, ut alibi monuimus, non Novarienſis, ſed Mediolanenſis cenſendus eſt. Cupiendum erat, quòd ſupradictus Auctor Muſæi Novarienſis, plura in medium de iſto protuliſſet ad illuſtrandam non ſuam, ſed hanc Mediolanenſem Bibliothecam; nam præter annum mortis illius, qui fuit noſtræ Redemptionis MDCCXXII. nil aliud adjicere poſſumus ad ea, quæ nobis dedit idem Cotta. Monumenta verò ſuæ virtutis hæc ſunt,

Scilicet:

I. La Plerida. Romanzo. *Milano*, 1686.

II. I Sfoghi del Genio. Al Signor Aleſſandro Litta. *Milano, preſſo l'Agnelli*, 1687 *in* 12.

Ex Muſæo Novarienſi ſupradicti Lazari Auguſtini Cottæ pag. 37., & ex Schedis Sitonianis.

## MDCCLXXXII.

## VICECOMES BRUTIUS.

LUchinus Vicecomes Mediolani Dominus, qui ex Iſabella Fliſca Luchinum novellum, & Urſinam filios legitimos habuit, ex Amaſia quoque Brutium genuit, qui acris ingenii Vir in auxilium Alberti, atque Othonis Ducum Auſtriæ, contra Joannem Bohemiæ Regem miſſus, Coronâ, quam ipſe capiti Viperæ impoſuit, donari meruit; ſed de hac re verba audiamus Gualvanei de la Flamma in Opuſculo Hiſtorico, quod Cl. Muratorius dedit in Tom. XII. Rer. Italicar, & quæ verba denuo retulit in Tom. IV. Antiquitatum Italicarum, Diſſertatione LIII pag. 694. „ Quum Bruzius Vicecomes Anno MCCCXXXVI. „ in Germaniâ militaret ſub Ducibus Auſtriacis, ab „ ipſis *poſſe Coronam Auream ſuper caput Briviæ* „ (ideſt Viperæ) *deferre ex maximâ gratiâ poſtulavit. Quod ipſi Duces Auſtriæ cum magnâ difficultate conceſſerunt, quia hoc ſolis Ducibus Auſtriæ quondam pro magno munere conceſſum fuit. Tenor Privilegii talis eſt: Nos Albertus, & Otto Duces Auſtriæ* &c. & infra: *Bruzio Vicecomiti, Viro ſtrenuo, Militi concedimus, totique parentelæ Vicecomitum, videlicet illis, qui de Matthæo, & Uberto nati deſcenderunt, quod Coronam Auream poſſint portare ſuper caput Biveræ in galeâ, & bandereis, & clypeis, titulo feudali* &c. Prætor Laudenſibus datus, acerbè ipſos expilavit, atque à Patre deficiens penes Joannem de Ollegio, qui Bononiam uſurpaverat, ſe contulit, à quo receptus, atque plurimi habitus, contra eumdem conſpiravit; qua propter in exilium pulſus anno MCCCLVI. miſerrimè obiit. Cl. Creſcinbenius poſt ea, quæ de Brutio noſtro dixit in libro „ Comentarj intorno all'Iſtoria della volgar Poeſia „. Vol. II. par. 2. ſic proſequitur: „ Compoſe egli in „ Poeſia volgare, e non fu tra gl'infimi del tempo, „ che fioriva il Petrarca, per quello che portano al„ cune poche ſue coſe Poetiche, le quali abbiamo „ trovate ne' ſuddetti Codici. Un teſto a penna del„ le Rime di lui ſi conſervava dal Redi, il quale il „ nomina nelle Annotazioni al ſuo Ditirambo, e un „ altro ne tien ſeco il Bargiacchi in Firenze „. Nos verò ignoramus, an Carmina ſint eadem à Creſcinbenio indicata, & illa de quibus mox dicemus; quæ verò infra damus, Clar. amiciſſimoque Joanni Lamio, alibi laudato debemus,

Quæ ſunt:

I. Morale di Meſſer Bruzi Biſconte (Viſconti) di Melano: Incipit: „ Poichè cotanto m'a incitato il vero. „ Extant in Codice MS. num. IX. Pluteo O. In Bibliotheca Ricardina Florentiæ. Eadem eſt, quæ reperitur in altero Codice MS. ejuſdem Bibliothecæ, num. XLII. Pluteo IV., ſed hoc initium habet: „ Poichè „ cotanto mi è nomato il vero. „

II. Morale altra del medeſimo, ſic incipit: „ Mal d'amor „ parla, chi d'amor non ſente. „ Extat in ſupradicto Codice Ricardino, num. IX. in Pluteo O.

Eandem quoque habet Codex num XI. ejuſdem Bibliothecæ, atque in eodem Pluteo, ſed hoc titulo: „ Can„ zon Domini Bruxii de Vicecom. de Mediolano. „

III. Morale altra dello ſteſſo, mandata alle Giovane Fiorentine per la Dama ſua morta. Incipit: „ Se mac„ chie molte, o ſe più brutti ſegni. „ Extant in Codice num. XII ejuſdem Plutei O. ut ſupra.

IV. Morale altra dello ſteſſo; ſic exorditur: „ Quaſi come „ imperfetta creatura. „ Eſt in Codice num. XXI. ſupradicti Plutei O. in eadem Bibliotheca.

V. Rime dello ſteſſo. Cod. MS. apud celeberrimum Redium, ex Creſcinbenio, ut ſupra.

Montfauconius in ſua Bibliotheca Bibliothecarum MSS. Tom. II. pag. 321. Carmina varia Italica Brutii noſtri enunciat extare in Bibliotheca Ricardina Florentiæ, in quatuor Codicibus MSS., ſed ea ſunt, quæ ſupra retulimus.

Quandoquidem verò de Brutio Vicecomite agimus, gratam Eruditis Viris rem nos facturos eſſe arbitramur, ſi Codicem membranaceum perelegantem, in fol. in Archintea Bibl. ſervatum, optimis miniaturis, & auro exornatum protulerimus. Hunc præfert titulum: „ Incipit Cantica ad gloriam & honorem Magnifici Mili„ tis Domini Brutii nati incliti, ac illuſtris Principis Do„ mini Luchini Vicecomitis de Mediolano, in qua tra„ ctatur de Virtutibus & Scientiis vulgarizatis. Amen. „ Tum cernitur effigies ipſius Brutii in albo equo ſedentis, puerili ferè ſpecie, capite velo purpureo contecto, his ſupra verticem verbis appoſitis: *Dominus Brutius Vicecomes*: Equites alii duo in equis albis Brutium medium tenent, quorum, qui ad dexteram viſitur, armatus eſt, inſcripto lemmate: *Vigor*. Alter verò in diſputantis morem brachia componens, capite pileo quodam contecto, hiſce ſiglis notatur: *Senſus*. Equum Brutii binæ fœminæ Veſtibus ad terram uſque fluentibus indutæ per frœnum ducunt; quæ ad dexteram ſub pedibus habet: *Circumſpectio*; quæ autem ad ſiniſtram alata eſt, & eodem loco ſcriptum legitur: *Intelligentia*. Ante equum Brutii genuflexus Vir aſpicitur maturâ jam frontis ſpecie, ſub quo notatur: *Compoſitor Operis*. Hunc geminæ mulieres utrinque manu ſiniſtra ſuſtentare videntur. Quæ dextrorſum regio amictu, & corona inſignita ſupernè ſcriptum habet: *Diſcretio mater virtutum*. Alia coccineâ Veſte ornata: *Docilitas mater ſcientiarum*, Opus ipſum metro

Digitized by Google

metro Italico, quamvis rudi compoſitum eſt, atque Carmina non diſtinctè, ſed nullo intervallo, ut ſolet, appoſito ſcripta ſunt. In hunc enim modum inchoatur Liber: „ De Chavalieri chavi dongelle voſcho.
„ Poſſa ch a voi prima parlar ci piacque. A noi diteci
„ o naque quello a chi guidan queſte el caval bianco &c. „
In poſtrema libri pagina hæc habentur: „ I vo chanzon, che per tutta l'Europa. Tu vadi & ai barun,
„ ch Italia rezeno: Di ſi taureno e lezeno Bartholo-
„ meo da Bologna di Bartoli me ſe perch io mincar-
„ tholi cum miſer Bruze efeme a lui depinzere &c. „
Implet paginas XX, eſtque optimæ notæ litteris rubro-nigris.

De Brutio agunt Matthæus Villanus in Hiſtor. lib. VI. cap. 62. Franciſcus Redius in Ditirambo pagg. 120., & 236. Triſtanus Chalcus in Genealogia Vicecomitum, MS. in fol. penes Advocatum Sitonum, aliique plures.

## MDCCLXXXIII.

## VICECOMES CAROLUS.

CÆſar Vicecomes ex Condominis Albizati, & Margarita de Comitibus illuſtres conjuges Mediolanenſes, Carolum hunc genuerunt, qui Juribus tam Cæſareis, quàm Pontificiis peregregiè eruditus J. PP. Collegio hujus Urbis adſcriptus eſt anno Reparationis noſtræ MDXLV. Ejus mores, atque virtutes laudavit Creſcinbenius loco ſubter adnotando Elogio his verbis conſcripto: „ Carlo Viſconti Mila-
„ neſe, Cavaliere, letterato di coſtume tanto grave,
„ e ſevero, quanto corteſe, fu aſſai dedito alle Fe-
„ ſte, come Tornei, Pompe, Comparſe di nobile,
„ e pellegrina invenzione; e in Patria bene ſpeſſo
„ ſoleva farne. Morì egli circa il MDL., e un Sag-
„ gio di ſue Rime ſi legge tra quelle di Anton-Fran-
„ ceſco Rainerio, impreſſe *in Venezia*, 1554. „
Mirum tamen eſt, quòd Creſcinbenius Vir alioquin diligentiſſimus, minimè animadverterit, Carolum hunc Vicecomitem, eundem fuiſſe, qui ad Sacram Purpuram elatus extitit anno MDLXV., & è vivis eodem anno ſublatus fuit, non verò anno MDL., ut malè ipſe adnotavit. Muſas igitur ſummopere coluit donec Senatoria dignitate in Patria exornatus, ob doctrinam, prudentiamque ſuam eximiam, Pontificis nomine apud Catholicum Hiſpaniarum Regem Philippum II. anno Sal. MDLX. Legatione functus eſt. Dein à Pio IV. Prothonotarius Apoſtolicus anno MDLXI., & mox Albintimilienſis Eccleſiæ Epiſcopus electus Concilio Tridentino interfuit, maximiſque pro rebus ad ipſum Concilium pertinentibus, à Cardinalibus Legatis eidem Univerſali Synodo Præſidentibus, Romam ad ipſum Pontificem miſſus eſt. Tandem anno MDLXV., Sacrâ Purpurâ ab ipſo Pontifice inſignitus, Presbyter tituli SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum renunciari meruit, dieque VI. menſis Julii ejuſdem anni Eccleſia Ferentina adminiſtranda ei tradita fuit. Immaturâ morte præventus die Sabbati Idibus Novembris, anno eodem MDCLXV., ætatis XLII., horâ ſecundâ noctis, Romæ in Quirinali è vitâ migravit. Jacet in Eccleſiâ ſui tituli, ubi ad dexteram majoris Aræ marmoreum Sepulchrum cum ſequenti Elogio ipſi poſitum fuit:

D. O. M.
CAROLO VICECOMITI MEDIOLANENSI
S. R. E. CARDINALI
QVI PIO IV. PONT. MAX.
E SENATV REGIO AD EPISCOPATVM
INDE AD CARDINALATVM PROVECTVS
MVLTIS AD REGES IMPERATORESQVE LEGATIONIBVS
SVMMA CVM LAVDE FVNCTVS
VETVSTISSIMAE GENTIS SVAE
NOBILITATI PRAECLARAE
OMNI PARTE RESPONDIT
VIXIT ANN. XLII.
OBIIT ROMAE
IDIBVS NOVEMB. AN. SAL. MDLXV.
CAROLVS VICECOMES ALBIZATI COMES
MAGNO PATRVO B. M. P.

Corrigendus itaque eſt Ferdinandus Ughellus, qui Carolo ſepulchrum malè aſſignavit in Templo Sanctæ Mariæ de Populo. Scripſit Vir iſte egregius tam juvenis, quàm provectâ ætate, quæ ſequuntur,

Videlicet:

I. Carmina Italica (vulgò *Sonetti*) num. VII. Extant in libro, cui titulus: „ Raccolta de Sonetti degli Accademici Traſformati di Milano. *Ivi, per M. Antonio Borgi nel 1548. del meſe di Decembre.*

II. Aliud ſimile legitur inter Carmina Antonii Franciſci Raynerii, qui aſſerit ſe compoſuiſſe librum inſcriptum: „ Le Pompe „ inſtante Carolo noſtro Vicecomite, quem vocat „ Cavaliere ornato di ſomma
„ erudizione, e pratico di belle lettere. „

III. Epigrammata nonnulla Latina, extant inter Carmina Publii Franciſci Spinulæ, de quo jam egimus, & cujus Ode VI. inſcripta eſt Carolo Vicecomiti Cæſaris filio, ad Pium IV. Pont. Maximum Legato.

IV. Relazione dalla Corte di Spagna fatta a Pio IV. l'anno MDLXIV. ſic incipit: „ Dopo la Relazio-
„ ne, che ho fatta a Voſtra Santità, e per Lettere,
„ ed a bocca ec. „ Extat MS. in Bibliotheca Comitis Pauli Montii.



Digitized by Google

V. Orationem ad Patres Synodi Tridentinæ, quæ legitur in Seſſione XXII., ipſamque Legati pleniori voce Pontifici laudarunt. A

VI. Orationem ad Pium IV. habitam, uti ex Bulla ejuſdem Pontificis, in quibuſdam precibus datis ab altero Vicecomite pro ingreſſu in Collegium J. PP. Mediol.

VII. Relationes Sacri Concilii Tridentini, ex Ciaconio.

VIII. Epiſtolas plures ad Sanctum Carolum Borromæum è Concilio Tridentino, ſcriptæ annis MDLXII., & MDLXIII. Extare in Regia Bibliotheca Pariſienſi, Cod. 506. aſſerit Montfauconius in ſua Bibliotheca Bibliothecarum MSS. Tom. II. pag. 261. Ignoramus autem, an ſint ipſæ, quæ reperiuntur autographæ in magna Collectione Epiſtolarum ejuſdem Sancti in Bibliotheca Ambroſiana, quas vidimus, & non ſine ingenti delectatione legimus.

IX. Alias duobus Voluminibus comprehenſæ ex eodem Concilio ad ipſum S. Carolum ſcriptas, cum pluribus Monumentis ejuſd. Concilii, quæ ſervantur MSS. B in Biblioth. S. Vincentii Veſuntionenſis. Ita aſſerit Montfauconius ſupradictus in lib. ſupracitato, pag. 1192. Iidem Codices forſan ſunt, quos ſub hoc titulo: „ Depeches Italiennes de M. Viſconti Nonce du Pape au Concile de Trente, addreſſées au Card. Borromée, 1562. „ ſervat Regia Pariſienſis num. 10041. & 10042., ut aſſerit Montfauconius in Opere ſupracitato Tom. II. pag. 895. Ex iſtis in dubio ſumus, an instructa fuerit, necne, editio Hagæ-Comitum nonnullarum Epiſtolarum Ital., & Gal. ſub hoc titulo: „ Lettres du Nonce Viſconti. „ in 8.

Laudatur in libro: „ Letture di Girolamo Ruſcelli ſopra un Sonetto dell' Illuſtriſſimo Signor Marcheſe della Terza, alla divina Signora Marcheſa del Vaſto. „ *Venezia, per Gio. Griffio*, 1552. *pagg.* 66. *in* 4.

Celebratur quoque ab Ughello in Epiſcopis Albintimillienſibus, à Ciaconio in Vitis Cardinalium, Tom. C III. pag. 963., à Sitono in Chron. J. PP Coll. Mediol. pag. 113. art. 464., & in ſuo Theatro Genealogico pag. 482. MS. penes eundem, à Creſcinbenio in libro inſcripto: „ Commentarj intorno all' Iſtoria della volgare Poeſia. „ Vol. IV. Lib. II. Cap. 59. pag. 94., & à Picinello in ſuo Athenæo Mediolanenſi pag. 132., ubi tamen Carolum iſtum cum altero ejuſdem nominis ſeniore confundit.

## MDCCLXXXIV.

## VICECOMES CATHARINA.

CAtharina Vicecomes Borromæa à Comite Ludovico Ducali Senatore, & Mediolanenſis Urbis Decurione, ex Blanca Alciatâ Conjuge, circa XV. D Sæculi finem ſuſcepta, ſic ab ineunte ætate liberalibus operam dedit ſtudiis, ut inter clariſſimas ſuæ tempeſtatis Matronas jure fuerit computata. Latinas enim & Etruſcas adamavit litteras, quâ ex animi culturâ tantùm hauſit eruditionis, ut Viris etiam doctiſſimis admirationi eſſet, tunc præſertim cùm vel Italica condidit Carmina, vel Epiſtolas conſcribere aggreſſa eſt. In familiaribus etiam colloquiis è Veterum Sapientum Codicibus petitas ſententias miſcere identidem conſueverat, ſtupentibus omnibus tantam in Muliere memoriæ vim, atque extemporaneam, & quæ lucernam non redoleret, eloquentiam. Nupſit anno MDXIII. Manfredo Pompeji Landi Compſani Comitis filio, quocirca Viri lares ſecuta Placentiam conceſſit, ubi reliquum vitæ inter litterarum oblectamenta traduxit ad annum circiter MDLVI.

Memorantur illius

I. Carmina plura Italica, &

II. Epiſtolæ pariter Italicæ ſingulari doctrina refertæ ab Auguſtino ab Eccleſia loco infra citando, ſed ubi nunc ſerventur, Scriptor ipſe non indicat. Hæc certè nunquam publicam vidiſſe lucem ſuſpicamur.

Laudatur à citato Auguſtino ab Eccleſia in Theatro Fœminarum eruditarum, pag. 119., & ab humaniſſimo J. C. Sitono noſtro nedum in Schedis, ſed etiam in Theatro Genealogico, MS. in fol. penes eundem pagg. 259., & 482.

## MDCCLXXXV.

## VICECOMES CHRISTOPHORUS.

EX quonam Vicecomitum ramo ortus ſit Chriſtophorus, de quo nunc loquimur, à nemine hactenùs edocti fuimus. Picinellus, qui in ſuo Athenæo ipſius meminit, pauca verba à ſolo libri titulo delibata in medium detulit, haudquaquam ad afferendam in hiſce tenebris aliquam lucem opportuna. Damus igitur ex integro eundem titulum, ut Lector benevolus à ſeipſo agnoſcat ætatem Auctoris, ineunte Sæculo XVI. florentis: Reliqua omnia deſiderantur.

Opuſculum ejuſdem ſic inſcribitur:

I. Trattato delle Guerre di ſua memoria del Signor Capitano Criſtoforo Viſconti Milaneſe, diviſo in due parti; Nella prima ſi narrano le Guerre ſucceſſe nel Piemonte tra l'Imperator Carlo V., ed il Re Arrigo di Francia, & al Tronto ſotto Civitella tra Monſieur di Guiſa, per Papa Paolo IV., ed il Duca d'Alba, per Filippo II Re di Spagna. Nella ſeconda deſcriveſi la Ribellione dell' Iſola di Corſica dalli Signori Genoveſi, procurata da Santi Piero Corſo, Colonello di Carlo IX. Re di Francia, coſe accadute dall' anno MDXLVIII. al MDLXVIII., alle quali l'Autore intervenne. *Lucca, per il Buſdrago*, 1600. *in* 8.

Videndus ſupradictus Picinellus pag. 159.

## MDCCLXXXVI.

## VICECOMES FABRITIUS.

FAbritius Vicecomes, Hieronymi ex Condominis Lavaniæ, & Valliani in Comitatu Laudenſi, & Hippolytæ Beſutiæ conjugum filius, inter Academicos Partheniæ minoris Univerſitatis Braydenſis floruit, vergente ad finem Sæculo XVI. Solutâ & ſtricta oratione excelluit, ut videre eſt ab infra recenſendis ejuſdem lucubrationibus. Dolemus verò, quòd annum, quo è vivis abiit, & ejus Scripta, forſan doctrinæ ſolidioris, nullus nobis indicaverit. Alii poſt me Collectores uberiora quandoque dabunt.

Hæc vidimus de ipſo:

I. Rime di Fabrizio Viſconti. Carmina LVII., vulgò *Sonetti*, in laudem plurium Sanctorum, quos inter ſunt B. Carolus Borromæus, B. Philippus Nerius, B. Ignatius Loyola Soc. Jeſu, aliique: nonnulla alia quoque „ Elegie, e Madrigali „ nuncupata, num. CII. *Milano, nella Stamperia Arciveſcovile*, 1589. *in* 4.

II. Ragionamento ſopra l'impreſa dell' Accademia Partenia minore di Milano. Multa eruditione refertus eſt. Extat in lib. cui titulus: „ Impreſe di tre Accademie Partenie con le di loro dichiarazioni, raccolte da Gio. Battiſta Piccaglia. „ 1603. in 4.

III. Alium Sermonem ignoti Auctoris in laudem latinæ linguæ, in Italicam vertit. Extat in libro inſcripto: „ Impreſa dell' Accademia Partenia minore, eretta già nel Collegio della Compagnia di Gesù in Milano, con un Diſcorſo recitatovi ſopra la lingua latina, e poi dato in luce nella volgare da Fabrizio Viſconte, uno degli Accademici. „ *Milano, nella Stamperia del q. Pacifico Ponzio*, 1598. *in* 4.

Memoratur ab Abbate Picinello in ſuo Athenæo, pag. 180., & à Cinello in Biblioth. Vol. Pluteo XXII.

## MDCCLXXXVII.

## VICECOMES FEDERICUS.

FEdericum Vicecomitem Carolus Comes, Eques, Mediolanenſis Decurio, Regius Quæſtor, Ducaliſque Ærarii generalis Præfectus, atque Franciſca Perona è S. Martini Comitibus, conjuges nobiliſſimi genuere. A teneris, quod ajunt, unguiculis magnæ indolis ſpecimen dedit Federicus noſter, & pro ſui generis dignitate educatus, nihil reliquit, quod ad animi culturam conduceret. Cùm peractis minoribus ſtudiis ad Juriſperitiem ſe convertiſſet, ita Cæſareas & Pontificias Sanctiones didicit, ut Togam adeptus inter Collegiatos Juriſconſultos Mediolanenſes ſedem nactus fuerit, anno poſtquam redemptus eſt Orbis MDCXLIV. Mox cùm jam inter Clericos computatus totum ſe divinis obſequiis addixiſſet, Primicerii dignitatem in Baſilica Metropolitana anno MDCXLVI. obtinuit. Verumtamen haud multò poſt Romam pergens ad ampliſſimos Eccleſiaſticos honores ſibi viam aperuit; nam Apoſtolicus Protonotarius, & utriuſque Signaturæ Referendarius pronunciatus, mox ex Tyburtina, Typhernate, & Montiſalti Præfecturâ Rotæ Auditor creatus eſt. Jamque Monaſterio Sancti Antonii, Cremonenſis Diœceſis, fidei illius commendato, cùm Alphonſus Cardinalis Litta V. Kal. Septembris, anno MDCLXXIX. migraſſet ad plures, in ejus locum Mediolanenſi Eccleſiæ præfectus fuit ab Venerabili Innocentio XI. Pont. Max. die XXV. menſis Junii, anno Partus Virginei MDCLXXXI., à quo etiam Kal. Decemb. ejuſdem anni inter S. R. E. Cardinales collato Presbyterali titulo S. Alexii meruit cooptari. Vix Archiepiſcopatus poſſeſſione initâ, S. Caroli Borromæi virtutes, & immortalia ſequi ſtatuit exempla, totis adnixus viribus, ut quæ circa Eccleſiaſticam diſciplinam, & morum populi reformationem Sanctiſſimus ille Præſul quondam ſtatuerat, ad amuſſim ab omnibus ſervarentur. In majori Urbis hujus Seminario inſtituta jampridem à Federico Cardinali Borromæo Philoſophiæ, & Theologiæ gymnaſia rurſus aperuit, doctiſſimis Viris conſtitutis, qui Clericos Alumnos inſtituerent, quibus non parùm creabat incommodi ad Braydenſem Academiam quotidie ſe conferre, ut has diſcerent facultates. Et ne Societati Jeſu omnibus nominibus commendabili quidquam detraxiſſe videretur, eidem Nobilium Adoleſcentium Collegium antea à prælaudato Sancto Carolo Oblatis Sacerdotibus traditum, regendum attribuit. Non ſemel Diœceſim Univerſam luſtravit, collectâque Synodo prudentiſſimas tulit leges ad commiſſi gregis utilitatem. Ambroſianam Eccleſiam annos circiter XII. vigilantiſſimè adminiſtravit, cùmque die VII. menſis Januarii, anno MDCXCIII. deſideratus fuiſſet, in Templo Maximo tumulatus eſt, hoc Elogio appoſito:

FEDERICVS CARDINALIS
VICECOMES
ARCHIEPISCOPVS MEDIOLANI
OBIIT SEPTIMO IDVS IANVARII
ANNO MDCXCIII.

Eruditionem illius hæc docent.

I. Deciſiones Rotæ Romanæ, quæ extant MSS. in Archivo molis Æliæ.
II. Synodus Diœceſana ab ipſo habita.

Plura quoque edita ſunt in ejus commendationem, nimirum:

Milano conſolato nell' elezione a queſto Arciveſcovado, e promozione alla ſagra Porpora dell' Eminentiſſimo Federico Viſconti, colla ſua ſolenniſſima Entrata ſeguita a' XI. Gennajo MDCLXXXII., e Fonzioni antecedenti. Racconto di Luigi Pioni Cancelliere dell' Illuſtriſſimo Tribunale di Proviſione di detta Città. *Milano, per M. A. P. Malateſta*, *in* 4. De hoc libro in Pionio jam dictum eſt.

Relazione dell' Apparato fatto dagl' Illuſtriſſimi Abati, e Collegio de Signori Giureconſulti per la promozione, e ricevimento dell' Eminentiſſimo Sig. Cardinal Federico Viſconti. *Milano*, 1682. *in* 4.

Applauſi nella Viſita fatta del Borgo di Tradate dall' Eminentiſſimo Sig. Cardinal Federico Viſconti Arciveſcovo di Milano l'anno MDCLXXXVII. *Milano*, *in* 4.

Ipſum laudat Ughellus Ital. Sac. Tomo IV. in Mediolanen. num. CXXIV., & Sitonus noſter doctiſſimus in Chron. Coll. J. PP. art. 934. pag. 215.

## MDCCLXXXVIII.

## VICECOMES GALEACIUS.

JOannes Baptiſta Vicecomes armorum ductor, nec non Violanta item Vicecomes ex Condominis Summæ Galeacium iſtum genuerunt, qui anno Chriſti MDLXVI. Collegium Juriſconſultorum patriæ ingreſſus eſt. Inter Regii Fiſci Patronos tam prudenter, tam doctè ſe geſſit, ut brevì Senatoriam Cathedram aſcendere meruerit. Excellentiſſimi hujus Cœtus nomine ad Gregorium XIV. Pontificem Maximum Orator miſſus fuit. Rerum patriæ diligentiſſimus ſcrutator, atque collector, Compendium Hiſtoriæ ejuſdem meditabatur, quemadmodum ab ejus Scriptis, quæ vidimus, facilè agnoſcitur. Fratrem habuit eximium S. R. E. Cardinalem, & Mediolani Archiepiſcopum, Gaſparem Vicecomitem. Dolendum eſt, quòd ejus hæreditas in duas diviſa partes, etiam quoad ejus ingenii monumenta ſpectabat, miſerè deperdita ſit. Ex iis verò, quæ præ manibus habuimus, nonnulla excerpere datum nobis eſt ſubter referenda. E vivis exceſſit anno MDCVII.

Superſunt tamen de ipſo:

I. Oratio Latina in laudem Margaritæ Auſtriacæ. Extat in lib. cui titulus: „ Orazioni, e Poemi dell' Accademia Affidata, per le Nozze di Margarita d'Auſtria „ con Filippo Re di Spagna. „ *Pavia*, 1599. *in* 4.
II. Oratio habita coram Pontifice Gregorio XIV. MS. in fol.
III. Prælium Parabiaghi ab eo Latinè factum, ex Chronica de Garbagnate. MS. in fol. pagg. 18.
IV. Compendium Chronicæ Galvanei Flammæ. MS. Autog. in fol. pagg. 20. Adſunt omnes MSS. in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum.
V. Vota Fiſcalia Vol. IV. in fol., ut ipſemet aſſerit in quadam notula, propria manu ſcripta.
VI. Repertorium Juris Vol. II. in fol. magnæ molis, ex eadem notula.

In laudem ipſius, & Gaſparis Archiepiſcopi ejus fratris legi Epigramma Latinum Herculis Cimiliocti inter iſtius Poëmata.

Epiſtola Juliani Goſelini ad eundem eſt inter hujus litteras, pag. 52.

Annibalis Guaſchi ad eundem Epiſtolæ Italicæ duæ Extant inter Epiſtolas Guaſchi, editas *Mediolani apud Pontium & Picaleam*, 1601.

De eo Sitonus noſter in Chron. Coll. J. PP. Mediol. pag. 135. art. 576.

MDCCLXXIX.

Digitized by Google

## MDCCLXXXIX.

### VICECOMES DE ARAGONIA GALEACIUS.

PRæſtantiſſimus Eques Albertus Vicecomes Ducalis Conſiliarius, ac Senator, nec non armorum Ductor celeberrimus, ob ejus præclariſſima geſta, anno MCCCCLXIV. favore Ferdinandi Neapolis, & Siciliæ Regis peracta, in Regiam Aragoniam Familiam aſſumptus fuit, ideoque ejus poſteri Vicecomites de Aragonia nuncupantur. Germen illius eſt Galeacius, de quo nunc eſt ſermo, ex Cæſare Franciſco, & Clara Iſabella Picena conjugibus natus, qui majorum ſuorum exemplis permotus, totus ad ſtudia ſe contulit, breviterque ingenio, ut erat perſpicaciſſimo, Cauſarum Patroni nomen eximium ſibi meruit, deinde à Conſultationibus Sanctiſſimæ Inquiſitionis, Regiiſque muneribus exornatus, Patriæ Præfecturam, plaudentibus omnibus, peregit, annis MDCXCIV. & MDCCIV. Sed non tantùm ut Juris Conſultus celeberrimus floruit, verùm etiam Orator non infimæ notæ, nam in Collegio J. PP. hujus Urbis in quo ſedere & ipſe cœperat anno MDCLXXIV. plures è ſuggeſtu habuit Latinos ſermones elegantiſſimos, ut infra. Obiit anno MDCCXV. die XXX. menſis Octobris, tumulatuſque extitit apud Suos in Eccleſia Parochiali Caſtri Ollegii, quod unum eſt ex aliis nobiliſſimis Feudis iſtius familiæ. Gloriari meritò poteſt Galeacius hic filium ſuſcepiſſe Albertum adhuc ſuperſtitem tot virtutibus exornatum, ut poſt ter Præfecturam Patriæ peractam, Senatoriam Cathedram meruerit obtinere, anno nuperrimè tranſacto.

De Galeacio habemus, quæ ſequuntur.

I. Oratio habita die Sabb. XXV. Auguſti MDCLXXXV. pro Daniele Birago, occaſione cooptationis ejuſdem in Coll. J. PP. Mediolani. *Ibidem*, 1685. *in fol.*

II. Oratio quum in Coll. J. PP. Mediol. cooptaretur Eminentiſs. Cardinalis Aloyſius Homodeus. *Mediol. apud Quintum*, 1692. *in* 4

III. Conſultatio Juridica, eſt num. CCCCLIX. apud Clar. Manſium. T. V. *Lucæ*, 1685.

IV. Mediolanenſis Dardanaria. Diſſertatio eſt Juridica pro rebus ad Annonam ſpectantibus, laudatiſſima. *Mediolani*, 1694. *in fol.*

V. Allegationes plures. Ext. in Collect. Archintea, aliorumque J. PP. Mediolanenſium, inter quas eminent nonnullæ Defenſiones Criminales eruditiſſimæ.

VI. Informatio juris & facti pro jure Patronatus Prioratus Eccleſiarum Sanctæ Mariæ de Barro, territorii Invorii inferioris, & SS. Jacobi, & Philippi in territorio Burgi Ticini, Diœceſis Novarienſis, ſpectante J. C. Collegiato Mediolani Galeacio Vicecomite de Aragonia. Impreſs. *Mediol.* 1703. *in fol.*, ipſomet J. C. C. Galeacio pro Domo ſua ſcribente; extat penes Advocatum Joannem Sitonum de Scotia.

Eumdem cum laude memorant Manſius in Conſil. 462. Torre de Majoratibus Italiæ in Tom. I. Cap. 41. §. 7. num. 98., & 101. Julianus Porta in Hiſtoria Alexandriæ, pag. 276. Balthaſſar Paravicinus in Libro: „ Milano ſempre grande „ pag. 62. Joannes Joſeph Valianus in Hiſt. Verbani Lacus, Cap. 21. pag. 268. Cotta in Muſæo Novarienſi, pag. 131. artic. 314., & Sitonus noſter in Chron. J. PP. pag. 19., & 232. artic. 1055.

## MDCCXC.

### VICECOMES GASPAR.

DE Gaſpare, ſeu Gaſpare Ambroſio Vicecomite, breviter me expediam, nam abundè de ipſo jam egit Cl. Saxius noſter in ſua Hiſtoria Typographica, ad an. MCCCCXCIII. Ejus parens illi Gaſpar alter Vicecomes fuit Ducalis Feudatarius Bremidæ in Diœceſi Papienſi, Eques auratus, Ducaliſque Conſiliarius, Mater verò Margarita Alciata nobiliſſimi conjuges. Eques & ipſe auratus, nec non Ducalis Senator extitit noſter, qui in uxorem duxit Cæciliam Simonettam, Magnifici Equitis Cichi, Ducalis primarii Secretarii filiam, ex qua genuit Archangelam Gabriellam, cujus ſupra in Artic. MDCCLXXVIII. perhonorificè meminimus. Gaſparinus quoque vocabatur, & Ludovico Mauro, Mediol. Duci, ſummoperè charus extitit, atque ut Poëta celeberrimus ab infraſcriptis, aliiſque Auctoribus, ſummoperè celebratur, immo ad calcem Expoſitionum Italicarum Hieronymi Spreafici in Petrarchæ Carmina habetur, Gaſparem noſtrum Squarciafico ipſi commodaſſe ſuum correctiſſimum Petrarchæ Codicem, ipſumque Vicecomitem eodem pollere ſtylo Petrarchæ, proximioremque fuiſſe hujus Poëtæ perfectioni omnibus, qui Carmina poſt Petrarcham ſcripſere. Paulus Moriggia, loco infra memorando, aſſerit Gaſparem iſtum à Conſiliis etiam extitiſſe Galeacii Sfortiæ Mediolanenſis Ducis, ſuumque ad varios Principes Oratorem miſſum, nec non in linguis Latinâ, Græcâ, Hebraicâ, Italicâque doctiſſimum, ac in eiſdem plura ſcripſiſſe. Triſtanus Chalcus in ſua Genealogia Vicecomitum MS. penes Cl. Sitonum, Poëtam noſtrum laudat uti Muſicum peritiſſimum; ſed quantùm in arte Poëtica valeret, ſatis, ſuperque oſtendunt Opera ipſius infra memoranda, quæ nobis tantùm ſuperſunt; plura quoque haberemus, niſi mors ipſum nimis citò rapuerit, quod accidit die VIII. menſis Martii, anno MCCCCXCIX., ætatis ſuæ XXXVIII.

Hæc de eo damus:

I. Rithmi del Magnifico Meſſer Gaſpare Viſconti; in fine ſic legitur: „ Dulcinus pro Cornigero. Ne elegantiſſimi Operis lepos mellifluus temporis edacis injuriâ „ tibi Lector optime aliquando periret, aut Illuſtriſſimi „ Auctoris inclita memoria ævo obliteraretur; ne etiam „ poſteritas hac delectatione defraudata cupidineis luſibus careret. F. Tantius Corniger Poëta Mediolanenſis hos Rithmos, Magnifici, & ſplendidiſſimi Equitis „ Gaſparis Vicecomitis linguâ vernaculâ compoſitos, „ quamquam invito Domino, in mille exempla imprimi juſſit. *Mediolani, anno à Salutifero Partu MCCCCLXXXXIII. IV. Cal Martias. Finis* „ *in* 4. Librum Auctor nuncupavit Illuſtri Domino Nicolao Vicecomiti. Ad calcem adeſt Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, Stephani Dulcinii in commendationem Operis atque nonnulla aliorum Epigrammata, nempe Franciſci Tantii, alibi à nobis laudati, Jo. Antonii Peggii, Dominici Maccanei, & Pauli Lanterii. Exemplar unum extat apud me, alterum verò poſſidet Bononiæ Alexander Branchetta Concivis meus amiciſſimus.

II. Poema, di Paolo, e Daria amanti. Canti VIII. in ottava rima. In fine ſic habet: „ Impreſſo *per Magiſtro Filippo Mantegatio dicto el Caſſano, in la Excellentiſſima Cittade de Melano, nell' anno* 1480. *XV. a dì primo de Aprile*, (*ſcilicet MCCCCLXXXXV.*) *in* 4. Presbyter Jo. Steph. Vicomercatus Canonicus Papienſis curavit hujus Poëmatis editionem, in qua adeſt Epiſtola nuncupatoria Auctoris ad Ludovicum Maurum Mediolani Ducem.

III. Rime di Gaſpare Viſconti MS. in 4. Codex præſtantiſſimus non tantùm bonitate Carminum, verùmetiam ſcripturæ præſtantiâ, eſtque illud ipſum, quod Beatrici Mediolani Duciſſæ, ab Auctore dicatum, datumque eſt, flaveſcentibus membranis, aureiſque totum & argen-

Digitized by Google

argenteis caracteribus deſcriptum, aureis verò laminis auro, maltoque obductis incluſum, quod mihi perhumaniter oſtendit P. D. Petrus Gratiolus è Congregatione Barnabitarum, nunc Bononiæ apud Suos Præpoſitus, Concivis meus ſuaviſſimus, ſervaturque in Collegio S. Barnabæ Mediolani. Haud ſcio an præſtantior formâ MS. reperiatur, eſtque ei titulus: „ Ad „ Illuſtriſſimam Dominam Beatricem Sf. Duciſſam Me- „ diolani Anglam Dominam ſuam maximè colendam, „ ejus humilimus ſervitor Gaſpar Vicecomes. „ Poſt titulum adeſt Italica Præfatio ſolutâ Oratione conſcriptâ, quæ item eſt Operis Dedicatio. Sequuntur CLIX. Poëmata brevia, vulgò *Sonetti*, quorum CXLV. ſunt ejuſdem Auctoris, XIV. verò nonnullorum ad Vicecomitem, de quibus alibi mentio fit in hac Bibliotheca. Ipſum vidi etiam in Bibliotheca centies laudata Fratrum Marchionum Vicecomitum ſic inſcriptum: „ A la „ Illuſtriſſima & Excellentiſſima Madonna, Madonna „ Beatrice Angla Eſtenſe Ducheſſa di Melano, è molto „ mia honoranda Madonna, devotiſſimus ſervitor Ga- „ ſpar Vicecomes Miles & Ducalis Conſiliarius. „ MS. in fol. optimæ notæ.

IV. Opere Poetiche del Petrarça, da Gaſpare Viſconti emendate &c. *Milano*, 1494. Vide Clar. Saxii Hiſtoriam Typographicam Mediol.

Lancinus Curtius in Sylvarum lib. 6. pag. 225. ad eum ſcripſit Rithmum Acroſtichum; Item lib 9. pag. 177., alium prolixiorem, eum laudans, cecinit, ubi indicat ex Ordine Equeſtri fuiſſe.

Inter Epiſtolas Franciſci Philelphi, editionis Venetæ anni 1502. in fol. extat Epiſtola Gaſparino Procomiti, ſeu Vicecomiti, pag. 141.

In ſæpè laudato Cod. MS. Bibliothecæ Marchionis de Roſales J. C. C., qui continet Indicem Scripturarum Archivi Ducalis, memorantur: „ Immunitates, & „ Exemptiones conceſſæ per Mediolani Ducem nobili „ Viro Gaſparino Vicecomite (forſan Scriptoris hujus „ parenti.) Datæ Papiæ IX. Martii MCCCLXXXVI. „ Ipſum laudant Triſtanus Chalcus ſupradictus in Genealogia Vicecomitum, exarata anno MDII. MS. in fol. ad num. XII., & in Nuptiis Auguſtalibus, pagg. 103. & 112. Puricellus in Diſſert. Nazariana C 54. num. XV. Moriggia in Nobil. Mediol. lib. 3. Creſcinbenius in libro „ Commentarj all' Iſtoria della „ volgar Poeſia. „ Vol. IV. lib. I. Cap. 40. pag. 55. Auctores Diarii Italici editionis Venetæ. Tom. IV. pag. 516. Picinellus in Atheneo pag. 234, & Sitonus noſter in Syllabo Senatorum Mediol art. 176. pag. 10., & in ſuo Theatro Genealogico, pag. 484 MS. penes Auctorem, nec non P. Quadrius in ſuo libro „ Della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia. „ Tom. II. pag. 211.

## MDCCXCI.

### VICECOMES GASPAR alter.

GAſpar Vicecomes Joannis Baptiſtæ armorum Ductoris, & Violantæ Vicecomitis ex Condominis Summæ filius, in J. PP. Collegium præclariſſimum cooptatus, anno Salutis MDLXIV., & inter LX. patriæ Decuriones recenſitus, primarius in Ticinenſi Academia Juris Interpres, nec non à Gregorio XIII. Pontifice Maximo inter Romanæ Rotæ Auditores adſcriptus eſt, anno MDLXXVIII. Ad Melitenſem Inſulam graviſſima tractaturus negotia ab eodem Pontifice miſſus, tam præclarè ſe geſſit, ut inde reverſus die V. Novemb. MDLXXXIV. Novarienſis Epiſcopus fuerit deſignatus. Verùm cùm pridie ejuſdem diei mortalitatem depoſuiſſet Sanctus Carolus Borromæus, audito lugubri nuntio, Gaſparem dignum judicavit Pontifex, qui in tanti Præſulis locum ſufficeretur. Creatus igitur Mediolanenſis Archiepiſcopus die XIII. menſis ejuſdem, die XXII. Julii, ſequentis anni ſolemni pompâ, & ſummâ cum Civium exultatione Mediolanum ingreſſus eſt. Opinionem de ſe conceptam non fefellit; decennio enim, quo creditam ſibi Eccleſiam rexit, habitis ſæpè Synodis, ſancitis legibus pro Eccleſiaſticâ diſciplinâ, novo Sacramentali libro edito, & Ambroſiani Miſſalis reformatione completâ, adſcitis Religioſorum Ordinum novis cœtibus, Collegio Canonicorum in Divi Babilæ Templo auctoritate ſuâ confirmato, Anteceſſoris ſui veſtigia ſtrenuè proſecutus eſt. Noſocomium hujus



Urbis maximum hæredem ex aſſe inſtituit, ut egenos, quibus vivens paterno amore ſemper conſuluerat, vel mortuus ſolaretur. Quoniam autem geſta Pontificatus illius peculiari libro, de quo infra ſermo recurret, proſecutus eſt Petrus Paulus Boſca, plura de ipſo dicere ſuperſedemus, ne crambem recoquere videamur. Obiit XII. Januarii MDXCV. Jacet in Metropolitana ante Divæ Agnetis Aram, quam ſacerdotavit, hoc addito Elogio:

GASPARI VICECOMITI
MEDIOLANEN. ARCHIEPISC.
QVI ADVLTA VIX AETATE
PVBLICIS PRAECLARISQVE MVNERIBVS
SVMMA CVM LAVDE PERFVNCTVS
IAM MATVRA NOVARIEN. EPISCOPVS
A GREGORIO XIII. DESIGNATVS
MOX IN CAROLI CARD. BORROMAEI
DEMORTVI LOCVM SVFFECTVS
ECCLESIAM MEDIOLANEN. ANNOS X.
PIE RECTEQVE ADMINISTRAVIT
OBIIT ANNO AETATIS SVAE LVII.
PRIDIE ID. IANVAR. MDXCV.
XENODOCHII MAIORIS HVIVS VRBIS
PRAEFECTI HAERED. P. P.

Litteraria illius monumenta hæc ſunt:

I. Synodi variæ, habitæ ut ſupra.

II. Deciſiones, quæ ſparſim leguntur inter alias Rotæ Romanæ.

III. Sermo Gaſparis Vicecomitis Archiepiſcopi Mediolanenſis, in Sacra Ordinatione menſis Septembris, anni MDXC., quo Summus Pontifex creatus fuit Gregorius XIV. Mediolanenſis &c., habetur in Vol. XV. MSS. Joannis Baptiſtæ Cornei junioris, de quo ſuo loco diximus.

De Pontificatu Gaſparis Vicecomitis, extat liber Petri Pauli Boſchæ. *Mediolani, apud Franciſcum Vigonem*, 1682. *in* 4.

In obitu Divi Caroli, & Gaſparis aſſumptione ad Sedem Mediolaneſem, Eglogam cecinit Hercules Cimiloctus, quæ extat MS. in Bibliot. FF. Marchionum Vicecomitum.

Oratio Funebris ab Anonymo Mediolanenſi in ejus commendationem conſcripta, extat MS. in fol. Cod. num. 60. in Biblioth. Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii Mediolani.

Jacobi Critonii Scoti gratulatio ad Gaſparem Vicecomitem ad Archiepiſcopatus Mediolanenſis adminiſtrationem electum. Carmen editum *Mediolani, apud Pontium*, 1584. *in* 4.

Carmen gratulatorium ad eundem creatum Mediol. Archiep. extat inter Carmina Franciſci Clavellii.

Extat etiam de eo Carmen Italicum fratris Jo. Baptiſtæ Porri. Emblem. lib. I. pag. 53.

In ejus Funere Epigramma ſcripſit Bernardinus Baldinus. Extat in Appendice Carminum ejuſdem.

S. Caroli Borromæi Epiſtola ad Vicecomitem Auditorem Rotæ Romanæ, data Maji MDLXXXIV. extat in ſæpe laudata Collectione Epiſt. D. Caroli in Bibl. Ambroſ.

Eidem dicavit Andreas Treviſius Fontanetenſis in Oppido Gallarati Medicus librum ſuum: De cauſis, naturâ, motibus, ac curatione peſtilentium febrium, vulgò dictarum, cum ſignis, ſive præſagiis, obſervatis in annis MDLXXXVII, & MDLXXXVIII. *Mediol. apud Pontium*, 1588. *in* 4.

Ingreſſum ejus in Urbem Mediolanenſem, unà cum Deſcriptione ſolemnis pompæ, qua fuit exceptus, MS. in fol. ſervat apud ſe amiciſſimus nobis Canonicus Joannes Andreas Iricus.

Teſtamentum Gaſparis Vicecomitis Mediolani Archiepiſcopi, extat in Vol. IX. eorundem MSS. Cornei.

Gaſparis meminerunt Cantalmajus, Fontana in Theat. Leg. parte I. Ughellus, Cotta, & alii permulti.



Digitized by Google

## MDCCXCII.

## VICECOMES HECTOR.

INter Poëtas optimos Sæculi XVI. numerandus eſt Hector Vicecomes Mediolanenſis, Joannis Franciſci ex Condominis Beſnati in Plebe Gallarati filius. Parùm certè nobis ſupereſt de ipſo, ut infra, ſed certè ejus carmina exemplar Poëſis Italicæ Cultoribus eſſe poſſunt. Quantùm modeſtè de ſe ipſo ſentiret Hector hic noſter, facilè agnoſcitur ex verbis Cl. Creſcinbenii, loco ſubter citando, quæ ſunt: „ Il Contile avendo fatta una dotta cenſura ad un Sonetto del prefato Viſconti, l'Autore lo correſſe, come appariſce da una lettera di eſſo Contile; in data de' XXV. Ottobre MDLXI. „ Inter Academicos Affidatos nomen habuit „ l'Offuſcato „ Princepſque extitit ejuſdem Academiæ. Obiit anno reparatæ Salutis MDLXXI., filiumque reliquit Hieronymum mox laudandum.

Superſunt tantùm de ipſo:

I. Carmina V. Italica, vulgò *Sonetti*. Extant in ſæpius laudata Collectione Affidatorum.
Eum laudavit Carmine Philippus Binaſcus inter iſtius Poëmata.
Videndæ ſunt Schedæ Sitonianæ, & ſupraſcriptus Creſcinbenius in libro „ Commentarj intorno all' Iſtoria della volgar Poeſia. „ Vol. V. lib. II. pag. 295.

## MDCCXCIII.

## VICECOMES HIERONYMUS.

HIronymus Vicecomes patrem habuit Hectorem ſupra à nobis commendatum, matrem verò Apolloniam de Blanchis conjuges. Vexilla noſter Hypocratis, & Galeni proſequens, Collegium Phyſicorum Mediolanenſium ingreſſus eſt die XX. Junii, anno MDLXX., poſt Lauream Philoſophicam & Medicam jam antea adeptam. Studiis tam aſſiduè ſe dedit, ut breviter vitam amiſerit, anno ſolummodo patri ſuperſtes. Obiit igitur poſt Chriſti Adventum Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo in ſuæ juventutis flore. Mirum non eſt ergo, ſi Scripta ejus nulla in re Medica exiſtant; ſuperſunt tamen Carmina nonnulla, quæ ingenii culturam, eruditionemque Hieronymi apertiſſimè oſtendunt. De altero Hieronymo Vicecomite publico Mediolani ad Lecturam Logicæ Profeſſore ſtipendio florenorum XXX. inſtituto, anno MCCCCL. memoria reperitur in Nomenclatura Doctorum Studii Mediolanenſis, ab anno MCCCCXLVIII. ad MCCCCLIV., quam unà cum Epiſtolâ ſuâ Bartholomæo Curtio dedit Joannes Sitonus amiciſſimus, & quæ impreſſa reperitur ad calcem Operis ejuſdem Curtii.

Hæc ſcripſit Hieronymus Vicecomes junior ad Ovidii imitationem.

I. Saturnalia, & alii Luſus. Ad Aloyſium Palatium Senatorem Regium. *Mediolani, apud Antonium Antonianum*, 1570. *in* 4.
II. Elegiæ.
III. Carmen Latinum in obitu Maximillæ. Extat in libro, cui titulus: „ Carmina Illuſtrium Poëtarum Italorum. „ Tom. X. pag. 490., & inter ea à Matthæo Toſcano collecta, Tom. II. pag. 226.
Mortem ipſius flevit Petrus Paulus Porrus Carmine Italico, vulgariter *Sonetto*, inter Poëmata iſtius; impreſſ. *Mediol.* 1573. *in* 4.

Memoratur à Jo. Baptiſta Sylvatico in Colleg. Medicorum Mediol. C. 26., à Ghilino in Theatro par. II., à Hieronymo Borſerio in Supplem. c. 11., à Picinello in Athenæo, pag. 352., qui malè ipſi tribuit Opuſculum de Lamiis, & Strigibus, cujus Auctor eſt alter Hieronymus Vicecomes Ordinis Prædicatorum, ſed Tabienſis; necnon ab Advocato Sitono in Chron. Colleg. Phyſic. Mediol. part. 2. artic. 215. MS. in fol penes Authorem, & à ſupradicto Curtio in ſuo Opere de Claris Medicis Mediolanenſibus, pag. 106.

## MDCCXCIV.

## VICECOMES HIERONYMUS FRANCISCUS.

JOannes Franciſcus Vicecomes J. C., & Livia Maria Vicecomes de Aragonia conjuges nobiliſſimi Mediolanenſes Hieronymum Franciſcum genuerunt in Oppido Leſæ ad litus Verbani Lacus, Mediolanenſis ditionis, etſi Diœceſi Novariæ adſcripto, ideoque de more Clar. Lazarus Auguſtinus Cotta in ſuo Novarienſi Muſæo etiam hunc intulit. Totus Vicecomes iſte ad ſtudia Eccleſiaſtica ſe contulit, in quibus Lauream Theologalem meritò obtinuit, Sacraſque Litteras ita coluit, ut integram præ manibus Sacram Hiſtoriam quotidie habere videretur. Muſas quoque maximè Italicas minimè reſpuit, ut è ſequentibus patebit. Annus verò, quo è vivis exceſſerit, nobis ignotus eſt, & plura de ipſo fruſtra quæſivimus.

Eruditionem tamen illius hæc oſtendunt.

I. Li Penſieri ſcelti da' primi Capi della Geneſi, del Dottor Teologo Franceſco Viſconti. All' Eminentiſſimo Sig. Cardinale Federico Viſconti. *Milano, preſſo il Gagliardi*, 1687. *T. II. in* 12.
II. Melpomene pia. Rifleſſi Lirici nella Paſſione di Criſto, illuſtrati con più Sentenze de' primi Padri di Santa Chieſa. *Milano, preſſo il Ghiſolfi*, 1705. *in* 12.
Laudatur à ſupradicto Cotta, atque in Libro inſcripto: „ Galleria di Minerva. „ T. V. pag. 127., & in Theatro Genealogico Sitoniano MS. pag. 486.

## MDCCXCV.

## VICECOMES HONORATUS.

HErcules Vicecomes Rhaudii, & Saliceti Comes, & Militaris Ordinis S. Jacobi Eques, ex Anna Sfondrata conjuge Honoratum, de quo nunc eſt agendum, Mediolani genuit, quem avitæ ſtirpis nobilitas, & Gregorii XIV. Pontificis Maximi, cui fuit pronepos, affinitas ad virtutem alacri animo capeſſendam ferventiùs excitavit. Itaque Romam educandi gratiâ miſſus in Seminario Alumnus ſic vixit, ut primum ibidem coram Purpuratis Patribus eloquentiæ, quam ſedulò didicerat, ſpecimen publicè exhibuerit. Patruum etiam habuit Alphonſum Vicecomitem S. R. E. Cardinalem, & Spoletanum Antiſtitem, quem defunctum, & in Lauretana Cathedrali ſepultum, Tumuli honore, inſignique Elogio adhuc ibidem extante eſt proſecutus an. MDCVIII. Ejus virtute perſpectâ, & in rebus agendis prudentiâ cognitâ, cùm jam inter Clericos referri voluiſſet, Lariſſenus Archiepiſcopus creatus eſt, & ad Sigiſmundum III. Poloniæ Regem Apoſtolicæ Sedis Nuncius miſſus fuit, quem etiam poſt mortem in Procerum totius Regni Conventu elegantiſſimâ Oratione laudavit. Functus poſtmodum eodem munere apud Ladiſlaum IV. & in Italiam rediens, Piceno, Latio, Romandiolæ Moderator præfuit. Jamque illi ſacra parabatur Purpura, cùm menſe Julio, anno MDCXLV. ad immortalem evocatus eſt vitam. Corpus ejus, ut ſupremis juſſerat tabulis, in Cœmeterio Fratrum Minorum, qui Capuccini appellantur, apud præfatum Oppidum Rhaudium conquieſcit, hoc impoſito titulo:

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

ADESTO QVI CERNIS MORARE ET MIRARE
HONORATAM VICECOMITIS HVMILITATEM
HIC ET ARCHIEPISCOPATVM QVO EMINEBAT
ET PVRPVRAM QVAE IMMINEBAT PARVIPENDENS
INTER FRATRES RHAVDII HVMILITER HVMARI
HONORATVS DVXIT
TV AB HONORATO ET NOMINE ET GENERE
SEV MAGIS VIRTVTE
HVMANOS DISCE HONORES CONDEMNARE.

A Aliam, & feliciori quidem ſtylo, ipſi paratam Inſcriptionem, ſervavit poſteritati Jacobus Valerius in Schedis ſuis, quæ extant in Archivo Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii hujus Urbis, quam Lectoribus invidere nefas duximus. Ea eſt:

HONORATVS VICECOMES
DVORVM CARDINALIVM NEPOS
GREGORII XIV. SVMMI PONTIFICIS
PRONEPOS
EX BERNABOVE MEDIOL. PRINCIPE
DESCENDENS
RHAVDII COMARCHVS
NVNTIVS CVM LEGATI A LATERE POTESTATE
AD SIGISMVNDVM III. ET LADISLAVM IV.
MISSVS
PICENI LATII ROMANDIOLAE
GVBERNATOR
CARDINALIS DESIGNATVS.

B Superſunt ex ejuſdem lucubrationibus:

I. Honorati Vicecomitis Mediolanenſis Sem. Rom. Convict. Oratio de S. Cæcilia Virgine, & Martyre, habita ab eodem in Aulâ Colleg. Rom. Soc. Jeſu, coram Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis S. R. E. Card. Paulo tit. S. Cæciliæ, & Flaminio Plato. *Romæ, apud Aloyſium Zanettum*, 1612. *in* 4.

II. Oratio Comitis Honorati Vicecomitis Nuntii Apoſtolici apud Polonos, die XXII Octobris MDCXXXII., dicta in Senatu pro funere Sigiſmundi III. Regis. *Varſaviæ, in Officina Roſſowski*, *in* 4

Epiſt. Regis Poloniæ, data Varſaviæ die XXX. Aprilis, MDCXLII. ad Pontificem, ut Honoratum Vicecomitem Archiepiſcopum Lariſſenum ſacrâ Purpurâ donet, extat in Archivo Monachorum S. Amb. in Cod. ſign. A. num. 82.

In Tomo primo Joannis Chriſtiani Lunig, impreſſo *Lipſiæ* 1712., cui titulus: „ Litteræ Procerum Europæ &c. „ extant Litteræ Stanislai Lubienskii, Epiſcopi Plocenſis, ad Honoratum Vicecomitem, Archiepiſcopum Lariſſenum, cui, quid Polonis circa pacem cum Moſcis ineundam ſperandum ſit, exponit, anno 1634. pag. 991.

Ei dicavit Andreas Brachancovius J. U. D. librum, cui titulus: „ Anguigeræ Gentis, ſeu Vicecomitum Inclytæ Nobilitatis vetuſtas, genealogicâ ſerie per familiarum ſtirpes recenſita. „ MS. in fol. optimè ſcriptus: Extat in Biblioth. Sanctæ Mariæ Coronatæ cum Arbore Genealogica familiæ Vicecomitum.

Geſta præfati Comitis Honorati Vicecomitis, Archiepiſcopi Lariſſeni latiùs deſcripſit Don Joſeph Vulpius in Hiſtor. Vicecomitum lib. 4. pagg. 387. 389. 390., & in Appendice ſub num. LVI., impreſs. *Neapoli an.* 1737. *in* 4.

Agunt de eo, præter citatos, Cinellus in Bibliotheca Volante Pluteo IV., & J. C. Sitonus noſter tam in Chronico Collegii J. PP. art. 613. pag. 152., quàm in Schedis.

## MDCCXCVI.

## VICECOMES JOANNES.

C Joannes Vicecomes Mediolanenſium Archiepiſcopus & Princeps, Matthæi Magni & Violantæ, cui cognomen Bonacoſſa de Burris, filius, à Joanne XXII. Pontifice ad Novarienſis Eccleſiæ Cathedram promotus eſt anno MCCCXXIX., cùm priùs acceptam à Nicolao Corbario Antipapa Cardinalitiam dignitatem abdicaſſet, & Schiſmaticas partes valere juſſiſſet. Mortuo Luchino fratre, Mediolanenſium Principatum obtinuit, ejuſdemque Urbis Antiſtes à Be-

à Benedicto XII. deſignatus, à Clemente poſtmodum VI. confirmatus fuit anno MCCCXLII. XVI. Kal. Aug. Ei Benedictus ipſe Vicariatum ſuum, & S. R. E. in Civitate, Comitatu, & Diſtrictu Mediolani contulit, litteris datis Avenione Idibus Martii, Pontificatus ſui anno ſeptimo. Joannes igitur Principatu potitus, Galeacium, & Barnabam Vicecomites, quos Luchinus ob conjurationis ſuſpicionem jampridem exulare coëgerat, in patriam revocavit, quorum etiam nuptias curavit, Galeacii ſcilicet cum Blanca Sabauda, Barnabæ verò cum Beatrice Scaligera, cui faſtus, moreſque ſuperbi Reginæ nomen indiderunt. Mox ad arma converſus brevì Bononiam, Urbemveterem, Parmam, Genuam, & plures Ciſalpinæ Galliæ Urbes, atque Oppida in ſuam redegit poteſtatem. Et hæc quidem bellica Joannis Principis geſta, quibus addidit etiam Eccleſiaſtica, nam Corporis Domini

A

Solemnitatem in Eccleſiâ Mediolanenſi perpetuò agi decrevit Ritu Solemni, & publicâ ſupplicatione, quam ipſe frequentiſſimam celebravit, confluentibus hominum centies millibus. Princeps verè magnus, & magno animo Præſul, cùm Principatus & Eccleſiæ juriſdictionem cum ingenti nominis ſui famâ exercuiſſet, vivere deſiit die V. Octobris, anno MCCCLIV., dum actu ejus potentiâ territi plurimi Italiæ Principes adverſus illum fœdus iniiſſent, magnumque ipſe belli apparatum adornans hoſtibus minaretur. Hæredes ſcripſit Matthæum II. Barnabam, & Galeacium II. ex Stephano Vicecomite Fratre nepotes. Ejus Cadaver conditum eſt in Metropolitana in Sarcophago marmoreo cum Othone Patruo ſuo Mediolanenſi Archiepiſcopo, non longè à Sacrario Aquilonari, his additis Carminibus:

QVAM FASTVS QVAM POMPA LEVIS QVAM GLORIA MVNDI
SIT BREVIS ET FRAGILIS HVMANA POTENTIA QVAM SIT
COLLIGE AB EXEMPLO QVI TRANSIS PERLEGE DISCE
IN SPECVLO SPECVLARE MEO LACRIMABILE CARMEN
QVI SIM QVI FVERIM DICET QVI MARMORE CLAVDOR
SANGVINE CLARVS ERAM VICECOMES STIRPE IOANNES
NOMINE NVLLVS OPES POSSEDIT LATIVS ORBE
PRAESVL ERAM PASTORQVE FVI BACVLVMQVE TENEBAT
DEXTERA PASTORIS GLADIVMQVE SINISTRA GEREBAT
FELICIS DOMINI MAGNVSQVE POTENSQVE TYRANNVS
IPSE FVI VIVENS METVERVNT NOMINA NOSTRA
AETHERA TERRA MARE SVBERANT VRBESQVE POTENTES
IMPERIO TITVLOQVE MEO MIHI MEDIOLANI
VRBS SVBIECTA FVIT LAVDENSE SOLVM PLACENTIA GRATA
AVREA PARMA BONA BONONIA PVLCHRA CREMONA
PERGAMA MAGNA SATIS LAPIDOSIS MONTIBVS AVCTA
BRIXIA MAGNIPOTENS BOBIENSIS TERRA TRIBVSQVE
EXIMIIS DOTATA BONIS TERDONA VOCATA
CVMARVM TELLVS NOVAQVE ALEXANDRIA PINGVIS
ET VERCELLARVM TERRA ATQVE NOVARIA ET ALBA
AST QVOQVE CVM CASTRIS PEDEMONTIS IVSSA SVBIBAT
IANVA QVAE ANTIQVO QVONDAM IAM CONDITA IANO
DICITVR ET VASTI NARRATVR IANVA MVNDI
ET SAVONENSIS VRBS ET LOCA PLVRIMA QVAE NVNC
DIFFICILE EST NARRARE MIHI MEA IVSSA SVBIBANT
TVSCIA TOTA MEVM METVEBAT LANGVIDA NOMEN
PER ME OBSESSA FVIT POPVLO FLORENTIA PLENA
BELLAQVE SVSTINVIT TELLVS PERVSINA SVPERBA
ET PISAE ET SENAE TIMIDVM REVERENTER HONOREM
PRAESTABANT ME METVEBAT MARCHIA TOTA
ITALIAE TOTAE PARTES OMNES TIMVERE IOANNEM
NVNC ME PETRA TENET SAXOQVE INCLVDOR IN ISTO
ET LACERVM VERMES LANIANT NVNC VNDIQVE CORPVS
QVID MIHI DIVITIAE QVID LATA PALATIA PROSVNT
CVM MIHI SVFFICIAT PARVO QVOD MARMORE CLAVDAR
ET CLAVSI DIEM MEVM MCCCLIV. DIE V. OCTOBRIS
ANNI MCCCLIV. GRASSANTE PESTE.

*D. Gabrius de Zamoreis de Parma Doctor compoſuit hæc Carmina.*

Imminet eidem Tumulo Johannis Statua jacens e rubro marmore.

Hæc illius habent poſteri.

I. Conſtitutiones Canonicorum Vemeniæ. MS. in Archivo Capituli illius Eccleſiæ.

II. Decretum de oneribus ſolvendis non in loco ſitæ rei, ſed habitationis poſſeſſorum. Dat. VIII. Junii MCCCXLV.

III. Decretum pro Molendinariis. Dat. XXV. Maji MCCCLIV., cujus titulus eſt: „ Nos Joannes Dei gratiâ „ Archiepiſcopus, & generalis Dominus Mediolani. „ Tres hos Articulos debemus Clariſſimo Lazaro Auguſtino Cottæ in addendis ad ſuum Novarienſe Muſæum, pag. 153. MS. apud J. C. Franciſcum Honuphrium Auctoris filium. Sequentia verò habentur impreſſa in antiquis Ducum Mediolani Decretis, quæ curante Petro Paulo Bonetto J. C. Cremonenſi, & poſtmodum Mediolanenſi Senatore, in hac Urbe prodierunt, *apud Fratres Malateſtas*, *anno* 1654. *in fol.*

B

IV. Decretum quòd Subditi gaudeant Statutis Mediolani, non obſtante quòd onera non ſubeant. Dat. Mediolani die VIII. Junii MCCCXLV., Indict. XIII. pag. prima.

V. Decretum quòd relaxati à carceribus intuitu pietatis, ulteriùs illa occaſione capi non poſſint. Dat. Mediolani die V. Julii MCCCL., Indictione tertia, pag. 4.

VI. Decretum circa honeſtatem, & habitum Clericorum. Dat. Mediolani die ultimo Aprilis MCCCLII., Indictione quinta, pag. 5.

VII. Decretum quòd ſentientes utilitatem ex aqua, teneantur ad refectionem Pontium, non obſtante &c. Dat. Mediolani die ultimo Decembris MCCCLII. pag. 6.

VIII. Decretum ſuper ſediminum poſſeſſores pro indiviſo. Dat. Mediolani die XXIII. Decembris MDLIII. pag. 7.

IX. Sententia arbitramentalis pronunciata per Joannem Vicecomitem Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepi-

epiſcopum, ac Mediolani, Brixiæ, &c. Dominum generalem, inter Joannem Paleologum Marchionem Montisferrati, & Amadeum VI. Comitem Sabaudiæ &c., rogata ſub die XXV. Septembris, anno MCCCXLIX. per Raymondellum filium Gugliemi Bavæ de Grazano, Notarium Diœceſis Vercellenſis; ac per extenſum tenorem relata per Benevenutum de Sancto Georgio Equitem Hieroſolymitanum, ac Præſidem Senatus Caſalenſis, pag. 181., impreſs. *Caſali*, *an.* 1639. *in fol.*

X. Jus municipale Mediolanenſium cum Decurionibus Urbis, communicato negotio ad bene gerendam Rempublicam tot bellorum incommodis labefactatam, reſtituit, & promulgavit, ut teſtis eſt Ripamontius, Hiſt. Urbis Mediolani, libro II.

XI. Leges à Joanne, & Luchino fratribus Vicecomitibus latæ pro bono Mediolanenſium regimine, extant in Opuſculo Gualvanei de la Flamma: De rebus geſtis Azonis Vicecomitis, in Tom. XII. Script. Rer. Ital. pag. 1040., & ſeqq.

XII. Ejuſdem, & Azonis Epiſtola ad Mediolanenſis Reip. Rectores. Data Piſis MCCCXXIX. XVIII. Januarii. Extat in Chronico Modoëtienſi Bonincontri Moriggiæ, Cap. 39. lib. III. in Tom. XII. Script. Rerum Ital. pag. 1153.

XIII. Ejus Teſtamentum ad Mediolanenſis Eccleſiæ Hiſtoriam perutile, actum anno MCCCLIII. V. Martii Mediolani prædicti Patris, & Domini in Camera Cubiculari, ſita in ſuis magnis Ædificiis noviter conſtructis, in Palatio versùs Verzarium. Extat in Collect. Diplomatica Sormani.

Extant ad eum Litteræ Benedicti XII. gratulatoriæ, ob Schiſma ab ipſo ejuratum. Dat. Avenione VI. Idus Novembris, anno XII. apud Ughellum, Tom. IV. in Archiepiſcopis Mediolanenſibus, num. 103., ubi etiam habetur Juramentum Joannis, & Luchini fratrum eidem Pontifici præſtitum anno Domini MCCCXLI, Indictione IX., die Lunæ VI. menſis Auguſti, ex Archivo Vaticano depromptum.

Item aliæ Litteræ ejuſdem Pontificis ad Joannem, & Luchinum, quibus revocavit Papa Acta Synodi Borgalienſis ab Aycardo Antimiano Archiepiſcopo, celebratæ adversùs Matthæum Magnum. Dat. Avenione Non. Maji, anno VII. Ibidem.

Inſuper Acta Fœderis à Joanne percuſſi cum Florentinis, Piſanis, Senenſibus, & aliis Hætruriæ Populis, ex Archivo Florentino. Dat. Sarezanæ Lucenſis Diœceſis, in Eccleſia majori Sanctæ Mariæ dictæ Terræ, anno Domini MCCCLIII. die XXXI. Martii, ſecundùm morem Civitatis Florentiæ. Ibid.

Ei dicavit anno MCCCXXXIX. in feſto Sancti Lucæ Galvaneus Flamma Opus ſuum de Archiepiſcopis Mediolanenſibus, & aliis memorabilibus ejuſdem Eccleſiæ. Epiſtola Nuncupatoria ſic incipit: „ Sacroſanctæ Mediol. Eccleſiæ electo in Archiepiſcopum Venerabili Domino Joanni Vicecomiti Epiſcopo Novarienſi, & Domino Populi Mediolanenſis, ac plurium aliarum Civitatum in Provinciis Liguriæ, Æmiliæ, Venetiæ poſitarum, Frater Gualvaneus de la Flamma, Sacræ Theologiæ Profeſſor, Ordinis Fratrum Prædicatorum, vitam & gloriam poſſidere perpetuam. „

De ipſo præter citatos, non ſine magna commendatione ſcripſerunt omnes illius ætatis Chronologi. Acta verò ipſius pluribus recenſent Merula, Jovius, Alciatus, Joannes Villanus; Sanctus Antoninus, & quotquot Vicecomitum geſta retulerunt. Agit quoque de Joanne noſtro amiciſſimus Canonicus Iricus in ſua Tridinenſi Hiſtoria. Noviſſimè autem plura ſuppeditavit nobis humaniſſimus Sitonus è Codicibus ſuis tam impreſſis, quàm MSS.

## MDCCXCVII.

## VICECOMES JOANNES alter.

EX Joanne Baptiſta Vicecomite, atque Hippolytâ Barbianâ Belgiojoſiâ conjugibus Mediolanenſibus ortus eſt Joannes nunc à nobis laudandus, qui in Jure tam Cæſareo, quàm Pontificio Laureâ perceptâ, Collegium J. PP. hujus Urbis ingreſſus eſt anno MDXCII., deinde ad Sacra ſe contulit, & in Romana Aula ob exquiſitos mores, ſcientiaſque præſertim Eccleſiaſticas adeptas, tantum ſibi famæ aquiſivit, ut & Referendarius Apoſtolicus & Nuncius ad Helvetios deſignaretur; immo Purpuram ſibi deſignatam obtinuiſſet, niſi mors invida ipſum è vivis citò nimis ſuſtuliſſet, videlicet anno Redemptionis MDXCIV. Jacet in Æde Apoſtolorum Almæ Urbis cum ſequenti Inſcriptione, quam nobis ſervavit Jacobus Valerius, uti in ejuſdem MS. vidimus, qui in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium Sancti Ambroſii Mediol. ſervatur:

D. O. M.

IOANNI VICECOMITI MEDIOLANENSI

VTRIVSQVE SIGNAT. REFEREND.

NON MINVS VIRTVTE QVAM NOBILITATE

PRAESTANTI

IN IPSO HONORVM CVRSV

MORTE IMMATVRA PRAEREPTO

VIXIT ANN. XXVI. M. XI. D. XV. OBIIT D. XV. M. DEC.

MDLXXXXIV.

IO. BAPT. ET HIPPOLITA BARBIANA PAR

MOESTISSIMI POS.

Dolendum eſt, quòd ſors mihi tantùm præ manibus obtulerit de hoc Præſule pauca, quæ ſequuntur,

Videlicet:

I. Via della Vita „ qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum. „ Opus Aſceticum MS. in fol. Extat in Bibliotheca Clericorum Regularium, vulgò Teatinorum S. Antonii hujus Urbis.

II. La Guardia del cuore. Aliud ejuſdem Opus Aſceticum, cujus fit mentio in ſupradicto, ignoramus verò an typis datum fuerit, nec ne.

Agit de ipſo Sitonus noſter in Chron. Coll. J. PP. Mediol. Art. 724. pag. 176., ubi non rectè annus mortis aſſignatur Auctoris noſtri, ut veriùs in ſupradicta Inſcriptione.

## MDCCXCVIII.

### VICECOMES JOANNES alter.

STephanus Guazzius Vir Clariſſimus in ſuo Libro inſcripto : „ Ghirlanda della Conteſſa Angiola „ Bianca Beccaria , conteſta di Madrigali di diverſi „ Autori . „ *Genova*, 1545. *in* 4. ſummoperè Joannem Vicecomitem Mediolanenſem hunc laudat, non tantùm ob Legum peritiem , verùmetiam ob ejuſdem in litteraturâ præſtantiam , aliaſque virtutes homini Equeſtri aptiſſimas . Collegium Caſtilionæum in Urbe Ticinenſi cum laude rexit, atque in Academia Otioſorum ſedit ut princeps , ibique nonnulla ſuæ eruditionis teſtimonia tam ſolutâ , quàm ſtrictâ oratione edidit . Annus deceſſus illius nos latet , & ex Oratione, quam habuit coràm eximio tunc Ticini Prætore Joanne Baptiſta Trotto à nobis jam commendato , teſte ſupramemorato Guazzio , non immeritò dubitari poteſt , quòd Lecturam in Ticinenſi Gymnaſio noſter obtinuerit , ideoque magis & magis optandum eſt , aliquando integram illius celeberrimæ Univerſitatis Eruditum aliquem nobis exhibere hiſtoriam .

Hæc damus de ipſo .

I. Madrigali in lode della Conteſſa Angiola Bianca Beccaria. Extant in libro ſupramemorato Stephani Guazzii, pag. 381.
II. Diſcorſo in difeſa della Poeſia Latina di Giovanni Viſconte, Rettore del Collegio de' Caſtiglioni , e Principe dell Accademia degl' Ozioſi. *Pavia, per Pietro Bartoli*, 1608. *in* 4.
III. Carmina duo Italica, & alterum Latinum inſcriptum: *Dialogiſmus* . Extant in Collectione Joannis Baptiſtæ Foſſati , pro Laureâ Joan. Bapt. Vicecomitis. *Mediol. apud Paganellum*, 1608. *in* 8.
IV. De Scientiarum, & Artium cum Poëtica conjunctione Orationes IV. Joannis Vicecomitis J. U. D , & Collegii Caſtilionæi Rectoris. *Ticini, apud Bartolum*, 1607. *in* 4.
V. Oratio Latina elegantiſſima de Legum præſtantia , habita coram eximium Senatorem Joannem Baptiſtam Trottum , tunc Papiæ Prætorem . Ex Libro ſupradicto Stephani Guazzii .

## MDCCXCIX.

### VICECOMES JOANNES BAPTISTA.

JOannes Baptiſta Vicecomes Equitis Hieronymi ex LX. Urbis Mediolanenſis Decurionibus , & Iſabellæ Borromeæ nobilium conjugum filius, Collegio Juriſperitorum Mediolanenſium adſcriptus fuit , anno Dominicæ Incarnationis MDCIX. In Patria Jus Civile interpretatus eſt in Palatinis Scholis , deinde Conſultor Sancti Officii efficitur , nec non Judex ad ſignum Galli ; poſtea Regius , Ducaliſque rerum capitalium Præfectus in toto Mediolanenſi Dominio . Fallitur enim Picinellus dum primordia ſtudiorum Joanni Baptiſtæ Vicecomiti huic in Collegio Borromæorum Ticinenſi aſſignat ad annum MDCIX. Veriùs tamen illa retrahenda ſunt ad annum potiùs MDLXXXIX. Ibi forſan ſcripſit quædam inter Poëmata , quæ adhuc extant in Bibliothecâ Ambroſianâ, ut infra . Certè Vir fuit & Muſis , & aliis ſolidioribus Scientiis ſummopere deditus , etſi de iſtinullum mihi datum ſit monumentum proferre ob eorum incuriam , quibus tam parùm cordi eſt gloria Majorum . Obiiſſe videtur an. MDCXXXVII., & hæc ex ejuſdem Scriptis ſolummodo ſuperſunt .

I. Joannis Baptiſtæ Vicecomitis Poëma de Chriſto crucifixo. MS. Autographus pagg. 20. Extat in Bibliothecâ Ambroſianâ, ſign. N. num. 62. in 4.
II. De B. Carolo Borromæo Epigrammata C. ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Cardinalem Federicum Borromæum. Cod. MS. autographus elegantiſſimus pagg. 113. Extat ibidem, ſign. N. num. 136. in 4.
Varia Latina , atque Italica Carmina in ejus Laurea ab eruditis Viris conſcripta collegit, & edidit, *Mediol. typis Paganelli*; Jo. Baptiſta Foſſatus , ut diximus in eodem .
Videantur Picinellus in Athenæo pag. 291., & Sitonus noſter in Chron. Coll. J. PP. Mediol. Art. 802. pag. 191.

## MDCCC

### VICECOMES JOANNES BAPTISTA alter.

PRæter ea, quæ de Jo. Baptiſta Vicecomite, nunc à nobis memorando, refert Abbas Philippus Picinellus in ſuo Athenæo Mediolanenſi, nihil nobis occurrit , etſi omni diligentiâ adhibitâ , ut uberiora de eo ſcribere nobis liceret . Laudatur igitur à ſupradicto Picinello , uti Vir in humanioribus litteris, atque in Scientiis Canonicis , Linguiſque Etruſcâ, & Latinâ verſatiſſimus . Quantùm verò valeret in Poëticâ facultate ſatis oſtendunt, quæ infra dabimus. Protonotariatus Apoſtolici officio inſignitus , curam animarum in Eccleſiâ D. Petri, vulgò in *Caminadella* hujus Urbis gerebat , ſed annum mortis nullus nobis indicare ſcivit ; Florebat verò prope finem Sæculi XVI.

Hæc typis dedit :

I. Jo. Bapt. Vicecomitis ad M. Antonium Amidanum Juris utriuſque peritiſſimum , ac Eccleſiæ Laudenſis Vicarium , Diſtichorum Libellus. *Mediol. ex Typographia Pacifici Pontii*, 1585. *in* 4.
II. Carmina Italica, vulgò *Sonetti*, extant in libro „ Rime „ di Gian Paolo Lomazzi . „
III. Canzone ſopra i Groteſchi del ſuddetto Lomazzi. Legitur poſt iſtius Vitam, pag. 154.
IV. Alia item Italica in laudem ipſius Lomatii , quæ ſunt in libro iſtius inſcripto „ Rabiſch. „
Videndi ſunt Moriggia Nobil. Mediol. lib. III. Cap. 21., & Picinellus ſupradictus pag. 290.

## MDCCCI.

### VICECOMES JOANNES BAPTISTA alter.

TOt inter Scriptores in hac meâ Bibliothecâ laudatos , atque laudandos , ſummopere fulget Joannes Baptiſta Vicecomes præſtantiſſimus Inſubriæ Senator, cujus nomen proferre ſat eſt pro ejus gloriâ in totâ Litteratorum Republicâ juremeritò ſibi aquiſitâ , ad memoriam præſentium , poſterorumque nunc revocandam . Diem vidit ille primam in hac Urbe , parentibus Hercule Vicecomite , atque Cæcilia de Curte conjugibus , anno Orbis redempti MDLXXIV. Inferioribus ſtudiis in patriâ exactis primùm Firmi , deinde Ticini Legalibus operam dedit , ita ut in Collegio Nobilium J. PP. Mediolani ſedere meruerit anno MDXCVI. Nunquam tamen Scientias alias deſeruit , nempè litteras Græcas atque Hebraicas; facultates quoque Philoſophicas, Mathematicas , Hiſtoricas , atque Politicas , in quibus omnibus ſcripſit , indeſinenter coluit . Fiſci deinde Patronus creatus , ad Senatoriam Cathedram aſcendit , annum ætatis ſuæ trigeſimum octavum agens, videlicet Æræ communis MDCXIII. Tantam etiam ab ingenii promptitudine artem dicendi obtinuit , ut nonnullas Orationes tam Latinas , quàm Italicas extem-

tempore elegantiſſimè recitaverit, Muſaſque in deliciis habuerit, ut videbimus infra. Quanti ipſum fecerit Hiſpaniarum Rex, ſatis oſtendunt ejus litteræ ad Mendocenſem Marchionem tunc Mediolani Moderatorem datæ, quibus Joannem Baptiſtam noſtrum, etſi Senatorem creatum, in nonnullis cauſis, quibus ut Fiſci Advocatus incubuerat, Judicem voluit. Litterarum tanti Principis partem recitat Horatius Landus in ſuo Opere de Senatu Mediolanenſi locis infra citandis. Vir tamen iſte nunquam moriturus Mundo valedixit anno MDCXXXIII. Pro Coronide laudum ipſius juvat hîc addere verba ſupradicti Landi, quæ ſunt: „ Vir omni exceptione „ major Senator Vicecomes anno vigeſimo quàm „ Magiſtratum iniverat. ingenti Literatorum omnium „ dolore expiravit. Hic ab legitimâ, & melioris „ notæ Vicecomitum ſtirpe oriundus, avitam nobili„ tatem miris animi dotibus, quas nobiliſſimis ſtu„ diis deinde coluit, eam fecit poſteritati toti invi„ dendam. Et quidem inter Patres litterarum glo„ riâ præſtantes, non hujus tantùm ævi, ſed præte„ ritorum omnium ab omnibus Scriptoribus ſemper „ erit maximè memorandus &c. „ Commendatiſſimum ejus nomen adhuc inſpicitur in binis inſcriptionibus, quarum una adeſt in Templo Sanctimonialium Sanctiſſimi Crucifixi, altera in Divi Nazarii in Brolio hujus Urbis. Primam tantùm hîc damus, ne ulterius Lectores noſtros fatigemus:

DRVSILLAE<br>
ALEXANDRI VICECOMITIS SENATORIS F.<br>
MATRI<br>
FRANCISCO PETRI PAVLI CATIAE F.<br>
FRATRI BENEMER.<br>
PAVLA CATIA<br>
IOH. BAPTISTAE VICECOMITIS<br>
ADVOCATI FISCALIS MOX SENATORIS<br>
VXOR VIVA FECIT<br>
MDCXIII. ID. AVGVSTI.

Sed antequam illius Opera recenſeamus, iterum Horatium Landum audire juvat, qui dum ex ipſis pauca referebat, ſic ſcripſit: „ Sed immortalia tanti „ ingenii monimenta, quorum pleraque niſi nobis, „ nobiliſque ac erudita, dignaque tanto patre longè „ generoſiſſima ſoboles invideret, novi ſemper ſtu„ poris eruditiſſimis Viris præberent. Ut planè mi„ rum videatur, quî potuerit tantus Vir, in ſummis „ Reipublicæ negotiis verſatus, Senator Ampliſſimus „ Mediolanenſis, diù in Urbe apud Summum Pon„ tificem Orator, ſucciſivis horis tam multa, tam „ varia, tam bellè, ac eruditè ſcribere. „ Quid ſi plura, ut nòs, vidiſſet? Sed nos quoque minimè omnia vidimus, nam Scriptoris noſtri hæreditate in duas diviſa partes, neque libris, neque chartis exceptis, una ad filium Marchionem Vercellinum pervenit, altera verò ad Marchiones Rovidios: Quæ adhuc ſervat millies indicata Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum pro ipſorum humanitate, & non ſine animi jucunditate inſpeximus, atque hîc damus, alia fruſtrà quæſivimus.

Hæc ſunt:

I. La Orangia, Tragedia di Gio. Battiſta Viſconte, rappreſentata l'anno MDLXXXIX., l'ultimo Giovedì di Carnovale. MS. in 4., in quo adſunt etiam nomina Virorum Nobil. Mediol., qui eandem recitarunt. Extat in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum.

II. Arminia, Egloga, o ſia Tragedia di Gio Battiſta Viſconte, Dottore del Collegio di Milano, rappreſentata a ſpeſe della Città, per l'arrivo di Donna Iſabella d'Auſtria, e dell' Arciduca Alberto. *Milano, per il Malateſta*, 1599. *in* 4.

III. Rime tanto Italiane, che Latine, dello ſteſſo. Extant ibidem.

IV. Apologia fatta contro il Giudicio ſopra la Canace, del medeſimo. Dedicata ad Alfonſo II. Duca di Ferrara. Ibidem.

V. De Capitatione liber, ad interpretationem Legi. un. C. de Capit. Civ. Cenſ. eximenda. *Mediolа* 1611. *in* 4., & iterum *Coloniæ* 1620., *& Argentorati* 1627. *in* 4. Hunc librum ſummopere laudat Hermannus Conringius, Diſſertat. ad l. I. Cod. Theod. de Studiis liberalibus Urb. Romæ, & Conſtantinopolis, pag. mihi 33. Extat Autographus MS. in Bibliotheca Fratrum Marchion. Vicecomitum.

VI. Allegationum Volumen ingens tam ed., quàm MSS. ſervatur apud J. C. Joannem Mariam Aliprandum.

VII. Aliæ plures apud J. PP. Mediolanenſes, & Ticinenſes, nec non in Archivo Monachorum Caſſinenſium S. Salvatoris Papiæ.

VIII. Liber Feudorum Status Mediolanenſis, in quo leguntur Notificationes ab ipſiſmet Feudatariis factæ de Juribus ac Redditibus Feudalibus, compilatus, curante Joanne Baptiſta Vicecomite Advocato Fiſcali, mox Senatore, Gubernante Provinciam Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino Domino Joanne de Mendocia, Marchione Hynoſcioſæ &c. Vol. II. in fol. maximo, ingentis molis, MSS. Servantur in Cancellaria Magiſtratus Extraordinariorum Redditunm. De hoc Opere, ſic habetur in Lando ſupracitato: „ Codices, quos vocant Feudales, re ab aliis to„ ties infeliciter tentatâ, in unum Volumen ipſe „ feliciſſimè collegit cum ingenti rei Regiæ bene„ ficio, illique propterea quatuorcentum aurei „ nummi muneris loco perſoluti. „ Epiſtola Nuncupatoria data eſt anno MDCV.

IX. De Eloquentia liber ſub ſequentibus titulis:
De Decore Orationis.
De Numero.
De Urbanitate.
De Memoria.
De Actione, & Pronunciatione.
De Numero Partium Orationis.
De Exordio. MS. in 4. pagg. 441. Extat in eadem Bibliotheca FF. Marchionum Vicecomitum.

X. De Juriſdictione Senatus in rebus Fiſcalibus. MS. Ibid.

XI. Inſtitutiones Oratoriæ. MS. Ibid.

XII. De Re Monetaria. MS. Ibid.

XIII. De Feriis aut tollendis, aut compeſcendis. Ad Illuſtriſſimum Virum Petrum Franciſcum Corium primarium Mediolanenſium apud Regem Catholicum rerum Italicarum Regentem. Diſſertatio. MS. Ibid.

XIV. Epiſtolæ variæ Latinæ; ad Aquilinum Copinum, quem inter charos habuit, cum Reſponſionibus. MS Ibid.

XV. De Suffragiis apertis, aut ſecretis dandis; ad Regentem Hieronymum Caymum. MS. Ibid.

XVI. De Juriſdictione Eccleſiaſtica cum Foro Sæculari. MS. Ibid.

XVII. Errores Cæſaris Baronii Cardinalis in Annalibus, Tomo XI., numero XVIII. ad CXLIV. de Monarchia Siciliæ. Adeſt Epiſtola ad Illuſtriſs. & Excellentiſs. Joannem Vellaſchum, data die IV. Auguſti, anni MDCVII. MS. in fol. pagg. 150. Extat ibid.

XVIII. De Geographia libri ſex. MS.

XIX. Methodus legendi Hiſtorias, MS. Hæc duo Opera ignoramus ubi reperiantur, eruimus tamen eorumdem fuiſſe Jo. Baptiſtam Auctorem ex notula ipſius manu ſcripta.

XX. Lezioni V. ſopra l'Etica d'Ariſtotele. MS. in ſupradicta Bibliotheca Marchionum Vicecomitum.

XXI. Della Memoria, Orazione detta nell'Accademia del Marcheſe di Caravaggio il giorno VIII. Marzo MDXCVI. MS. Ibid.

XXII. Avvertimenti XXIV. dati al Marcheſe Vercellino Maria ſuo figliuolo. MS. Ibid.

XXIII. Relazione delle coſe del Capitano Franceſco Viſconte ſuo fratello. MS. Ibid.

XXIV. Stato della Repubblica Milaneſe l'anno MDCX. MS. Ibid.

XXV. Deſcrizione dello Stato di Milano, ſotto Filippo III. Re delle Spagne. MS. Ibid.

XXVI. Trattato de' Fiſcali. MS. Ibid.

XXVII. Varie ſue Lettere per il Conſiglio di Spagna. MS. Vol. II. Ibid.

XXVIII. Se il Miniſtro ha da profeſſare urbanità, e corteſia, o pure ſoſtegno, e decoro; Diſcorſo politico. MS. Ibid.

XXIX. Se il Miniſtro ha da ſeguitare il luſſo, e coſtume della Città nel culto del ſuo corpo, della famiglia

miglia, e della caſa, o pure trattarſi alla filoſofica; Diſcorſo politico. MS. Ibid.

XXX. Altro Diſcorſo a ſuo figlio ſopra l'elezione dello ſtato. MS. Ibid.

XXXI. Della ragion dell'Impero, e degli Elettori d'Alemagna; Diſcorſo Iſtorico, e Politico. MS. Ibid.

XXXII. Sopra la conteſa di precedenza fra il Conſiglio Segreto, ed il Senato di Milano; Diſcorſo Politico per informazione di S. M. C., con li documenti autentici per la ſteſſa materia. MS. Ibid.

XXXIII. Sopra il ripartire giuſtamente li carichi, e debiti tra il reale, e perſonale della Città di Milano, e ſopra la forma di eſtinguere li debiti accidentalmente contratti; Diſcorſo Economico, e Politico. MS. Ibid.

XXXIV. Capitoli dell'Accademia degl' *Inquieti*, e Deſcrizione delle Seſſioni tenute in eſſa. MS. Ibid. De hac Academia videatur Cl. Saxii liber de Studiis Litterariis Mediolanenſium.

XXXV. I Moti d'Italia ne' primi tre anni del Governo del Marcheſe della Hynojoſa, cioè dall' anno MDCXI. al MDCXIV. MS. in fol. autographus, pagg. 320., unà cum Epiſtolâ nuncupatoriâ, extat ibidem. Quid de hoc labore ſcripſerit Landus, juvat hìc addere ad perpetuum tanti Viri gloriæ monumentum: „ Turbas denique, ac motus, quò ſummum ac verſatile magni Senatoris ingenium demirere, & bella cum Pedemontis Principe anni MDCXIII. æquè, verè, ac ingenioſè eſt proſecutus. Quam inter cæteras lucubrationem ipſe Rex noſter Invictiſſimus ſuis ad Vicecomitem humaniſſimè datis poſtulavit, quas ad totius Senatus gloriam hìc ſubjicio legendas: „

EL REY.

*Eſpectable fiel y amando nueſtro Senador Iuuan Baptiſta Vizconde: Haſe entendido, que con vueſtro zelo, y el amor qui teneis a mi Seruiçio, aueis becho algunos apuntamientos delo Succedido en la guerra de Lombardia, deſde que ſe ompezaron el año de 613, baſta las pazes concluidas en tiempo del Marques de Villa Franca con tal intelligenzia y annotaciones de todo, q'ue conuiene mucbo veerlos a cà y aſi ſarè muy ſervido, que los quadernos y apuntamientos, que ſobre eſto teneis eſcritto, los embieys luego a qui a D Gonzal de Cordoua de mi Conſeio d'Eſtado, y auiſareys de bauerlo becho, que a cà ſe tendrà la memoria, que es iuſto con vueſtra perſona, y lo que aueis trabajando. De Madrid à 23. de Iulio* 1631.

IO. EL REY.

Omnia ſupraſcripta ipſemet aſſerit, & alia plura ſe compoſuiſſe in Præfationibus, aut Epiſtolis ſupradictorum Codicum MSS. in ſæpe laudata Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum, cujus libri ferè omnes ſunt manu Auctoris noſtri adnotationibus eruditis adſperſi.

Oravit in cooptatione ejuſdem inter J. PP. Coll. Joannes Baptiſta Trottus.

Benedictus Sociacus eidem inſcripſit Epigrammata II. lib. IV. pagg. 108., & 155.

Decadem Præloquiorum ſuorum ei nuncupavit Hieronymus Boſſius, anno MDCXXVII.

In libro Epiſtolarum Sigiſmundi Boldoni. *Mediolani*, 1551. extant Epiſtolæ III. ad Joannem Baptiſtam Vicecomitem Senatorem; datæ annis MDCXXIV. MDCXXVII., & MDCXXVIII.

Præter Horatium Landum in libro de Senatu, pag. 243. ipſum laudant Draudius in ſua Bibliotheca Claſſica, pag. 665. Sitonus noſter in Chron. Coll. J. PP. Mediol. pag. 179., art. 738. P. D. Gaſpar Beretta in ſuis Schedis, aliique permulti.

## MDCCCII.

## VICECOMES JOANNES BAPTISTA alter.

JOannes Baptiſta Vicecomes Mediolanenſis, Othone, atque Juniperâ de Nigris parentibus genitus, in ipſo ætatis flore Mundo valedicens, Ordini Eremitarum S. Auguſtini nuncupatorum ſe addixit, in Congregatione, quam Lombardiæ dicimus. Humanioribus ſtudiis, quæ adoleſcens jam coluerat, divinarum rerum ſcientiam uſque adeò conjungère curavit, ut inſignis S. T. profeſſor evaſerit. Paulo V. Summo Pontifici charus inter primos fuit, atque ab eo die XXIII. menſis Februarii, anno Reparationis noſtræ MDCIX. Apruntinæ Eccleſiæ, per obitum Vincentii Bugiatti Ord. Prædicatorum tunc vacanti, Præſul dari meruit. Eam rexit annos circiter XXIX. tantâ integritate, pietate, atque prudentiâ, ut omnibus acceptus optimi Paſtoris nomen ſibi apud poſteros acquiſierit. Eccleſiaſticæ libertatis defenſor acerrimus, & in pauperum ſubſidium ad miraculum largus, non minorem beneficentiam erga Cathedrale Templum oſtendit; etenim proventus illius auxit, duoſque perpetuos in eo Cappellanos inſtituit, atque adhuc inter vivos degens omnem domeſticam ſupellectilem dono dedit. Magno cum univerſæ Diœceſis luctu fato conceſſit die II. menſis Maji, anno Chriſti MDCXXXVIII., atque in eodem Templo Maximo Apruntino Cadaver illius repoſitum fuit, ſuccedente ſibi in Epiſcopatu Hieronymo ex Capitaneis de Figino Mediolanenſi.

Superſunt ipſius:

I. Oratio de S. Carolo Borromæo. *Mediolani*, *typis Archiepiſcopalibus*, 1602. *in* 4.

II. Conſultationes plures eruditiſſimæ ad Sacram Congregationem ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium, quas in Archivo ejuſdem Sacri Tribunalis ſervari Romæ, à Suis audivimus.

Agunt de ipſo Ughellus in Ital. Sac. Tom. I. in Apruntinis, num. LIX., & humaniſſimus Sitonus noſter in Schedis.

## MDCCCIII.

## VICECOMES JOANNES BAPTISTA alter.

JO. Baptiſta Vicecomes Marchionis Cæſaris ex Condominis Summæ, & ex LX. Urbis Decurionibus, necnon Regii Quæſtoris Magiſtratus Extraordinarii, & Helenæ Arconatæ conjugum nobiliſs. Mediolanenſium filius, eximiæ Societati Jeſu nomen dedit, atque in ea virtutibus religioſæ vitæ condignis emicuit. Docuit in Collegio Braydenſi Rhetoricam & Philoſophiam. Denique poſt abſolutum Novariæ Rectoris, atque Aronæ etiam Magiſtri Novitiorum munus, impoſitus eſt Rector Collegio Braydenſi, atque in eo animam piiſſimè Domino ſuo reddidit die XXV. Auguſti, anno MDCLVIII.

Vulgavit tantùm:

I. Orationem Latinam in Baſilicâ S. Ambroſii hujus Urbis habitam, inter funebria Balthaſſaris Hiſpaniarum Principis. Ad Joſephum Crucejum Præfectum Urbis, & LX. Decuriones. *Mediol. typis Jo. Petri Ramellati*, 1647. *in* 4.

II. Reſolutionem difficultatum, quæ adversùs Contractus Banchi de S. Ambroſio nuncupati, Civitatis Mediolani excitatæ fuerunt. *Sine loco*, *anno*, *& Typographi nomine*, *in* 4.

Ita à Suis, & à Cl. Sitono.



Digitized by Google

## MDCCCIV.

### VICECOMES JOANNES BAPTISTA alter.

COmes Joannes Baptiſta Vicecomes Juriſconſultus Collegiatus, & Decurio Mediolanenſis, ſuſceptum ex Hippolyta Confaloneriâ uxore filium nomine ſuo voluit appellari, tamque piè educandum curavit, ut quam de ipſo conceperat, ſpes patrem minimè fefellerit. Etenim vix adoleſcentiam ingreſſus, Mundi oblectamenta, & domeſtica deſpiciens commoda, Congregationi Clericorum Regularium Sancti Pauli Decollati nomen dedit, in qua perceptis diſciplinis omnibus, quarum vel humana, vel Divina Sapientia curriculo comprehenditur, Sacras Quæſtiones publicè interpretandi munus acceptum plures per annos magnâ cum ſui nominis famâ, & Auditorum progreſſu exercuit. Virtutem ipſius Innocentius XI. ſanctæ memoriæ Pontifex ſic probavit, ut Infulis dignum renunciaret, quem ſuæ Congregationis Alumni pluribus jam muneribus probè geſtis exercuerant. Defuncto igitur Joſepho Maria Mirabilia Mediolanenſi, quem jam commendavimus, quique annos aliquot Novarienſi Eccleſiæ ingenti cum eruditionis, & pietatis laude præfuerat; Joannem Baptiſtam noſtrum Innocentius illi ſucceſſorem delegit die XXXI. menſis Maji, anno Redemptionis MDCLXXXVIII. Doctrinâ, integritate, prudentiâ, cæteriſque ſacro Antiſtite dignis ornamentis illuſtris, ſemperque animarum ſalutis cupidus ſedit in Novarienſi Cathedra ad diem uſque X. Auguſti, quæ ipſi extrema fuit, anno Chriſti Salvatoris MDCCXIII.

Ejus Opera recenſet Cotta loco infra citando, nimirum:

I. Epiſtola Paſtoralis ad Clerum, & Populum Novarienſem ipſo Conſecrationis ſuæ die; data Romæ VIII. Junii MDCLXXXVIII.
II. Aliæ pro translatione Corporis S. Gaudentii. *Novariæ*.
III. Statuta Ripariæ Sancti Julii.
IV. Synodus Diœceſana Novarienſis, celebrata diebus V., VI., & VII. Junii MDCCVII. *Novariæ*, 1709. *in* 4.
V. Oratio ad Clerum in Synodo habita. Extat impreſſa in Actis ejuſdem Synodi.

Ejus Vitam conſcripſit, & in Tom. XIV. Novar. Miſcell. intulit præf. Lazarus Auguſtinus Cotta, & adhuc ſervatur in Ambroſiana Bibliotheca.

Defunctum, funebri laudatione proſecutus eſt Carolus Maria Gradignanus; edita eſt *Novariæ*, *apud Cacciam*, 1713. *in* 4.

Ipſum laudavit Panegyri Michaël Angelus Cacciaplattus. *Novariæ*, 1690. *in* 4.

Ei dicavit Opuſcula Sacra Poëtica Gaſpar Gamba.

Epiſtola Comitis Caroli Vicecomitis Jo. Baptiſtæ fratris, quâ narrat hujus Ingreſſum in Ripariam Sancti Julii die XII. Septembris, anno MDCLXXXVIII. prodiit *Mediolani*, *eodem anno*, *apud Ghiſulphum*.

Commendatur a præcitato Cotta in addendis ad Muſeum ſuum Novarienſe, pag. 136. MS. apud Auctoris filium, atque ab Ughelli Continuatoribus in Ital. Sac. Tomo IV. in Novarienſibus, tandemque à doctiſſimo JC. Sitono noſtro in Schedis ſuis.

## MDCCCV.

### VICECOMES JOANNES GALEACIUS.

GAleacium Vicecomitem Stephani filium, Imperialem Vicarium, & Mediolani Dominum, atque Blancam de Sabaudia parentes habuit Joannes Galeacius, qui primus è Gente ſua, Mediolanenſium Dux eſt renunciatus, ut uberiùs infra dicemus. Tanta erat in puero gravitas, majeſtas, memoria, ut plerique vel citò è vivis eripiendum arbitrarentur tam præcox ingenium, vel ſaltem ad maturitatem nunquam perventurum timerent. Eluxit tamen, ſi aliàs quandoque, infantis perſpicacia, cùm inter Togatos plures, doctoſque Viros à Galeacio Patre in Conſilium adſcitos, adſtantem fortè Franciſcum Petrarcham, clariſſimum illud Italiæ ſydus, omnium ſapientiſſimum quinquennis pronunciavit. Inter optimorum præceptorum manus adoleſcens, nunquam feriatus à ſtudiis, veterum Annales ſedulò pervolutare in deliciis habere conſueverat, è quibus petita exempla tam tenaciter memoriæ commendabat, ut cùm deliberandum foret, etiam inter negotiorum varietates, extemplò novis vetera comparans, quis futurus eſſet rei eventus pronunciaret. Cùm tantiſper à feriis, gravibuſque curis animus remitti poſtularet, non aleæ, non venationis, non ſcurrarum oblectamenta, ſed eruditorum colloquia, librorumque lectionem avidiſſimè expetebat. Inſignibus conſtitutis ſtipendiis omnium diſciplinarum Profeſſores ad Archigymnaſium Ticinenſe magno totius Italiæ bono adduxit; neque minor erigendæ, atque lectiſſimis Codicibus ditandæ Bibliothecæ cura fuit. Viros mirâ doctrinæ laude celebres in Conſiliarios ſuos delegit, neque tamen ab armorum labore alienus extitit. Prima enim militiæ rudimenta poſuit apud Galeacium Patrem, & Barnabam Patruum, & vix annum XXXIII. egreſſus Urbes Novariam, Vercellas, Aſtam, & Alexandriam in patrimonii partem à genitore ſuſcepit, ut contra Othonem II. Montisferrati Marchionem arma commodiùs inferre poſſet. Dum autem eo bello eſſet implicitus, Guelforum proditione Vercellarum dominationem amiſit; hoc etiam accedente quòd Sabaudiæ Princeps, & Januenſes ſibi metuentes, Monferratenſi auxilio forent, accitis ad ſuppetias Pontificis copiis. At verò defuncto Patre, primùm Imperialis Vicarius eſt conſtitutus, anno MCCCLXXX., die XVIII. Januarii; mox Kalendis Maji, anno MCCCXCV. à Venceslao Cæſare Dux Mediolani Primus creari meruit, pileo, atque ſceptro novæ dignitatis Inſignibus ad eum per Legatos miſſis. Barnabam Vicecomitem Patruum, & Socerum ſuum, quòd pluribus machinationibus ipſum è medio tollere tentaſſet, Papiâ Mediolanum veniens intercepit, atque in Arce Tricii concluſit, ubi propinato veneno infelici morte conſumptus interiit. Teſtatur Hieronymus Borſierius in Supplemento Nobilitatis Mediolanenſis, Cap. XVI. Joannem Galeacium Architectoriæ Artis Academiam circa annum MCCCLXXX. in proprio Palatio aperuiſſe, imitatum Patrem ſuum Galeacium II., qui Mediolanum Petrarcham, ut ex Jovio habemus, accivit, & propemodum Civem effecit decennii morâ, quam hìc traduxiſſe Conſiliarii Principis titulo inſignitum, Clariſs. Muratorius in ejuſdem Vita confirmat. Inſuper Flavius Blondus in Deſcriptione Lombardiæ vocat Joannem Galeacium Principem Regno, & Imperio potiùs, quàm eo Ducatu dignum, cùm propter inſignes alias virtutes, tum maximè, quia doctrinâ, & litteris excultos Viros apud ſe habere, atque extollere curaverit. Veronam, Vicentiam, Patavium, Tarviſium, Feltrum, Bellunum, & Tridentum in poteſtatem ſuam armis redegit. Peruſini, & Aſſiſiates, prout etiam Senenſes, & Piſani ultrò ſe ipſi tradere cenſuere, neque imperium illius abnuebant Lucenſes. Veriti idcirco Florentini potentiſſimi Principis robur, Robertum Cæſarem in Italiam evocarunt, & Gallorum copias cis alpium juga Armeniaco Duce perduxere. Nihili tamen Galeacius noſter tot conatus habuit; nam miſſo Jacobo Vermienſi Armeniacum apud Alexandriam ingenti affecit clade, in quâ ipſe totius Gallici exercitus Dux interfectus eſt, & Cæſarem Germaniam ſuam repetere coëgit, ablegato cum validâ manu ad eum profligandum Facino Cane. Domito mox Franciſco Gonzaga Mantuæ Regulo, Pontificis, Florentinorum, & Bononienſium exercitum apud Caſalecium vicit, ipſaque Bononiâ ſub ditionem redactâ, cùm



Digitized by Google

in Etruriam victricia intuliſſet ſigna, jamque Florentinis immineret, in arce Melegnani peſtilenti correptus febri, die III. menſis Septembris, anno MCCCCII. Corpus ejus, ut ſupremis juſſerat Tabulis, in ornatiſſimo Carthuſianorum Templo, quod unà cum vicino magnificentiſſimo Cœnobio à fundamentis prope Ticinenſem Urbem excitaverat, & ad luxuriem uſque dotaverat, delatum inſigni marmoreo Tumulo conditum jacet. Viſcera autem Viennæ in Gallia apud Regulares Canonicos S. Antonii nuncupatos, & Cor Ticini, in vetuſtiſſima Collegiata Baſilica Sancti Michaëlis honorificè repoſita fuere. Primam uxorem habuit Iſabellam Johannis Francorum Regis filiam, dotali jure Comitatum Virtutum in Campania Gallici Regni Provincia, ex qua ſuſcepit Valentinam, quam Ludovico Aurelianenſi Duci ſponſam tradiderat; ex Catharina autem Barnabovis patrui filia conjuge ſecunda Johannem Mariam II., & Philippum Mariam III. Mediolani Duces Vicecomites ſuſtulit, quorum primus die XVI. Maji MCDXII., alter XIII. Auguſti MCDXLVII. ambo ſine legitima prole defecerunt. Juvat hîc addere ipſius prolixum Epitaphium, quod adhuc ejus Sepulchro inciſum legitur, quamvis multa de Vicecomitum Origine fabuloſa contineat.

CVM DVCIS ANGVIGERI VARIIS DIVISA SEPVLCRIS
MEMBRA CVBENT SIC IVSSIT ENIM NAM VISCERA SERVAT
ANTONI TVA SANCTA DOMVS CELEBRATA VIENNAE
COR TICINENSIS MICHAEL CARTHVSIA CORPVS
HIC QVOQVE AD AETERNVM POPVLI PATRIAEQVE DOLOREM
VEXILLA ET CLYPEI ET LACRYMOSAE INSIGNIA POMPAE
EXEQVIALIS HONOS MONVMENTVM FLEBILE PENDENT
INSTAR ET HOC TVMVLI SEMPER MEMORABILE NOSTRIS
IMPOSITVM SIGNVM EST OCVLIS LEGE PRINCIPIS ERGO
HIC ETIAM TITVLOS NOMENQVE GENVSQVE SVPREMI
CVIVS AB ANGLERIAE PRIMVS QVOS PROTVLIT OLIM
NATVS AB ASCANIO TROIANI SANGVINIS ANGLVS
COMITIBVS SI PRISCA PETAS PRIMORDIA CLARI
NOMINIS ATQVE DOMVS VICECOMITIS EXTAT ORIGO
TALIBVS EXORTVM PROAVIS DIXERE IOANNEM
HVNC GALEAZ QVO NON FAMA VVLGATIVS VLLVM
NOMEN IN ORBE FVIT FACTIS INGENTIBVS HEROS
ILLE QVIDEM ANGVIGERAM SVPER AVREA SYDERA GENTEM
EXTVLIT ET SESE VIRTVTE AEQVAVIT OLYMPO
DVX LIGVRVM PATRIAEQVE PATER COMESQVE PAPIAE
VIRTVTVMQVE FVIT QVANTVM SPLENDEBAT IN ILLO
IMPERIOSA OCVLIS VIS MAIESTATIS ET ALTAE
FRONTIS HONOS TANTVM SPECIE MORTALIBVS IBAT
ALTIOR VT DOMINVM SOLA ESSE DOCERET IMAGO
QVANTVM LVX ANIMI SPECIOSO IN CORPORE FVLSIT
COGNITA PER VARIVM TESTANTVR PLVRIMA CASVM
CONSILIA ALTA DVCIS CVIVS PIETASQVE FIDESQVE
SACRAQVE IVSTITIA ET CLEMENTIA SANGVINIS EXPERS
INNOCVAM FECERE ANIMAM NEC DVLCIOR ALTER
ELOQVIO NEC MAGNIFICIS PRAESTANTIOR ALTER
NEC FVIT IN TOTIS EVROPAE FINIBVS VNQVAM
APTIOR IMPERIIS PRINCEPS NEC SANCTIOR ALTER
RELLIGIONE FVIT NEC PACIS AMANTIOR ILLO
HANC PROPTER SAEPE AVSPICIIS IVSTA ARMA SECVNDIS
INDVIT ET CLAROS SVPERATO EX HOSTE TRIVMPHOS
CEPIT ET VLTRICES QVA NVLLA EST GLORIA MAIOR
NVLLAQVE CCMPOSITAE MAIOR CONSTANTIA MENTIS
IPSE SVI VICTOR DE PECTORE DEPVLIT IRAS
PERMISITQVE PIVS VICTIS AD SANA REVERTI
CONSILIA ET MEDIIS PACEM QVAESIVIT IN ARMIS
IPSE GRAVES POPVLIS CRVDA DE SEDE TYRANNOS
DEIECIT FREGIT TVMIDOS STRAVITQVE SVPERBOS
HIC ERAT VNDE QVIES MAGNORVM CERTA LABORVM
ITALIAE SPERANDA FORET DVCE LAETA SVB ISTO
ILLA SIBI ANTIQVOS IAM PROMITTEBAT HONORES
NAMQVE VIDEBATVR CAELO DEMISSVS AD VNVM
NATVS VT INDEPTIS COMPONERET AVREA TERRIS
SAECVLA ET AFFLICTO TANDEM DARET OTIA MVNDO
AT DEVS AVSONIAE DEDERAT QVOD SYDVS AGENTI
TRANSTVLIT AD SVPEROS SIVE ILLO ORNARE BEATOS
ANGELICOSVE CHOROS VOLVIT SEV LVMINE TALI
INDIGNAM EST RATVS ITALIAM MVNDVMQVE NOCENTEM
CONSILII RATIO ALTA LATENS ET CAVSA SVPERSTAT
SED NOS O MISERI QVORVM ILLE PIISSIMVS HEROS
DESTITIT OPTATAE NVMQVAM VIGILARE SALVTI
FLETE DVCEM LIGVRES TALEM LACRYMATE PARENTEM
VOSQVE VRBES VIDVAE PRINCEPS QVAS ILLE SVB ALIS
FELICES SCEPTRISQVE SVIS CVM PACE FOVEBAT
AETERNAS OCVLIS LACRYMAS EFFVNDITE VESTRIS
ANTE ALIAS MEDIOLANVM PATRIA INCLYTA MAGNVM
PRINCIPIS ATQVE CAPVT TANTAE DITIONIS ET OLIM
LONGOBARDORVM DOMVS AVGVSTISSIMA REGVM
MAGNANIMOQVE DVCI NVPER GRATISSIMA SEDES

PAPIA

Digitized by Google

PAPIA ILLVSTRIS TITVLIS QVAS FECERAT VRBES
ET VICINA SEQVENS MATRIS VESTIGIA LAVDE
VRBS POMPEIANI DE LAVDE VOCATA TRIVMPHI
BRIXIA CIVILI NEC ENERVATA DVELLO
FVNDE PARES LACRYMAS QVIBVS ALTA VERONA SORORQVE
INGENIIS ORNATA BONIS VICENTIA DVRIS
COGNITA TEMPORIBVS PARVAEQVE IN MONTIBVS VRBES
BELLVNVM FELTRVMQVE ADEANT ET PVLCHRA FERACI
PLANITIE CREMONA SEDENS MEMORESQVE LABORVM
VERCELLAE ANTIQVIS TELLVS AGITATA PROCELLIS
ET CVM DERTHONA FOECVNDA NOVARIA PINGVI
PISCOSVMVE COMVM POPVLOQVE ANIMOSA SVPERBO
BERGOMA ET OCCIDVVS QVAS NVMQVAM VICTOR ADIVIT
NOMEN ALEXANDRI RETINENS VRBS FERTILIS ORIS
QVAEQVE TOT EGREGIOS IN PRAELIA MITTIT ALVMNOS
PARMA POTENS ANIMIS ET OPIMA PLACENTIA CAMPIS
ET BOVIVM ET VICINA MALIS VRBS DVCTA PRIVSQVAM
SVB DVCIS IMPERIVM ET IVGA NON METVENDA VENIRET
TE QVOQVE LVCENSIS REGIO LICET OBRVTA LVNAE
MOENIA SINT RELIQVIS PLORANTIBVS VRBIBVS ADDAS
QVAS INTER MAGNO EST LACERATA BONONIA FLETV
ET GEMITV ET LACRYMIS PROPRIVM CONFESSA LABOREM
QVAE SIBI SYDEREOS SVBITO MORS IMPROBA VVLTVS
PRINCIPIS ERIPVIT NEC PASSA DIVTIVS ILLAM
MAIESTATE FRVI ET DVLCIS DVLCEDINE SCEPTRI
ITE SIMVL SIC FATA IVBENT SOCIARE QVERELAS
VRBS PISAE QVONDAM TYRRHENI ROMA PROFVNDI
MASSAQVE GROSETVM MANV VEHAT INCLYTA SECVM
ET CVM VICINO TVRRITA PERVSIA PLORET
ASSISIO ET MOLESTAE SALIANT AD SYDERA VOCES
ROMANVM GEMAT IMPERIVM ROMANAQVE PLANGAT
ECCLESIA HI LACRYMEMT OCVLI DVO LVMINA TERRAE
RAPTVS VTERQVE PVGIL LATIIS QVO MAIOR IN ORIS
NON ERAT EX ITALIS GERMANOS DEPVLIT HOSTES
FINIBVS ET GALLOS BELLO CONFIXIT ACERBO
ANTE QVIRINALEM POSSET QVAM CERNERE ROMAM
MILLE QVATERCENTVM ATQVE DVOS CVM DVCERET ANNOS
SOL HVNC ATRA DIES SEPTEMBRIS TERTIA ADEMIT .

Nonnulla habent poſteri , quæ tanti Principis doctrinam teſtantur ; eaque ſunt :

I. Oratio ad Venetos de perſeverantia pacis, & concordiæ. *Norimbergæ*, *ſine Impreſs. nomine*, 1480. *in fol.* Ex Orlandi Hiſtor. Typog. pag. 142. Extat etiam in Margarita Poëtica Alberti de Eib.

II. Epiſtolæ ad varios Italiæ Principes de aſſumptione ſua ad Ducalem dignitatem. MSS. ſervantur in Cod. Biblioth. Ambroſianæ, ſign. I., num. XI., & in altero ſign. D. num. 53.

III. Epiſtola ad Rempub. Florentinorum, quâ eis bellum indicit ob pacem à Guelphis turbatam ; & vexatos ab eis Senenſes, & Peruſinos. Data Papiæ die XVIII. Aprilis, anno MCCCLXXX. Edita eſt in Tomo III. Epiſtolarum Colutii Salutati. *Florentiæ*, *apud Joannem Baptiſtam Bruſcaglium*, *& Socios*, 1741. *in* 8. pag. 17., in quo etiam Libro pag. 15. habetur ejuſdem Colutii pro Communi Florentinorum ad Joannem Galeacium Epiſtola, ſine data diei, & anni. Scripta eſt autem ad eundem, cùm ei à Barnaba, ſive ut aliis placet, Barnabove Patruo, & Tutore ſtruerentur inſidiæ.

IV. Ejus Epiſtola, an. MCCCLXXXIV. XXVII. Januarii. Data ad Placentinos de Pace facta cum Jo. Marchione Montisferrati. Extat in Collect. Sormani, ex MS. Archivi Cathedralis Novariæ.

V. Litteræ ad Florentinos de captione Domini Barnabovis. Dat. Mediolani VIII. Maji MCCCLXXXV. cum eorum Reſponſione. Extant in Annal. Mediol. T. XVI. Rer. Ital Scrip. pag. 786., & ſequentibus.

VI. Litteræ diffidantiæ Comitis Virtutum ad Antonium de la Scala, Veronæ Dominum. Dat. Papiæ XVII. Apr. MCCCLXXXVII., cum ejuſdem Antonii Reſponſione. Extant ibid. pag. 779., & ſequentibus.

VII. Litteræ diffidantiæ Jo. Galeacii Comitis Virtutum ad Franciſcum de Carraria Dominum Paduæ. Anno MCCCLXXXVIII. de menſe Julii. Extant in Chronico Placentino Joannis de Muſſis. Tom. XVI. Script. Rer. Ital. pag. 550.

VIII. Joannis Galeacii Ducis Mediolanenſis Epiſtola ad Florentinos, data Papiæ anno MCCCLXXXIX., Reipublicæ Florentinæ Epiſtolæ ab Bononienſes ; quarum prima data eſt anno MCCCXCI. Extant in Cod. num. 285. in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi. Ex Petri Lambecii Comm. ejuſdem Biblioth. T. II. pag. 933.

IX. Joannis Galeacii Ducis Mediolani, & Imperialis Vicarii Generalis Litteræ provocationis, ſeu, ut ibi vocantur, diffidantiæ ad Florentinos, & Bononienſes, anno MCCCXC., & Florentinorum, atque Bononienſium reſponſoriæ : extant ibidem, & in Vaticana, Cod. 286. ; Impreſſæ etiam ſunt in Tomo XVI. Rer. Italic pag. 815.

X. Epiſtola ejuſdem ad Pontif. Bonifacium IX. contra Regem Franciæ, & Florentinos ſuper morte Comitis Armeniaci. Extat in eodem Codice Vindobonenſi, in quo alia plura lectu digniſſima, ad Florentinos, & Bononienſes ſpectantia leguntur. Ita Lambeccius.

XI. Epiſtola Jo. Galeacii Comitis Virtutum ad Bononienſes. Data Papiæ, XII. Aprilis, MCCCXC. cum eorumdem Reſponſione, pagg. 10. Bononiæ II. Maji, MCCCXCI. Ext. inter Epiſtolas Principum, impreſſas *Venetiis*, 1574. *in* 12. ubi etiam legitur Epiſtola ad Præfectum Urbis Mediolani, in quâ meminit inſignis donationis Archiepiſcoporum Ottonis, & Joannis Vicecomitum factæ Hoſpitali novo Beatæ Mariæ, quod poſitum erat poſt Aulam veterem, cum onere, inter cætera, mercedis dandæ Theologiæ Lectori in domibus Ordinariorum, vel in Archiepiſcopatu, qui eo tempore legebant in Eccleſiâ S. Theclæ propter diruta ædificia tam Archiepiſcopatus, quàm Ordinariorum occaſione Fabricæ Majoris Eccleſiæ. Dat. XII. Januarii MCCCXCVI. Extat quoque in Addendis ad Muſ. Novar. Cottæ, pag. 123., & 235. MS. apud Auctoris filium.

XII. Ejuſdem Epiſtola ad Rempublicam Florentinam. Data Papiæ XX. Aprilis, abſque anno. Ibid. pag. 307, cum Florentinorum Reſponſione. Data Florentiæ XVIII. Maji MCCCXC. pag. 308., itemque Epiſtola DD. Paduanorum ad Comitem Virtutum, pag. 7.

XIII. Aliæ ad Placentinos, anno MCCCXCIX. pro ordine tenendo in domibus, in quibus ſunt Epidemiæ, extant ibid. pag. 560.

XIV. Aliæ ad Novarienſes de acquiſitione Bononiæ ab eo factâ. Habentur in ſupradictis Codicibus Ambroſianis, ubi etiam ſequentes reperiuntur.

XV.

XV. Aliæ Communis Bononiæ ad eundem, cum ipſius Reſponſionibus. A

XVI. Aliæ Venceslai Imperatoris, item cum ejuſdem Reſponſionibus.

XVII. Aliæ Scaligerorum, cum Reſponſis ejus.

XVIII. Litteræ ad ſuum Locumtenentem in Civitate Senenſi degentem, Communitatemque Senenſem; de præſcripto à ſe modo in regenda Civitate Senenſi obſervando. Dat. die XVII. Martii MCD. Extant in Lünig Cod. Diplom. Ital. Tom. III. pag. 396.

XIX. Aliâ Epiſtolâ Bergomenſibus Bononiam ſui ipſius poteſtati ſe ſubdidiſſe nunciat, die XX. Julii, anno MCDII. Ibid. p. 398.

XX. Alia ad Dominum Antonium Vicomercatum de Crema, Bergomi Poteſtatem, de initis cum Malateſtis Induciis, die II. Auguſti, anno MCDII Ibid.

XXI. Reſponſio ad Rupertum Romanorum Regem, qui B
Epiſtolam ad ipſum miſerat, monens ut Terras, Territoria, & Provincias S. R. I. reſtituat, quæ quidem poſterior data eſt XXV. Septemb. MCDI. Extant apud eundem, Tom. I. pagg. 432. & ſeq. Ubi etiam leguntur Litteræ diffidationis ipſius Ruperti ad Jo. Galeacium.

XXII. Aliæ Epiſtolæ ejuſdem leguntur in Hiſtoria Campi, T. III. pag. 305. & ſeqq.

XXIII. Codex Decretorum ejuſdem ab an. MCCCLXXXIX. ad MCCCXCVI. MS. Autographus in fol. extat in Archivo Proviſionum appellato hujus Urbis; aliudque exemplar pariter MS. ſervat apud ſe Comes Conſtantius de Abdua.

Inter memoratu digniora præfati Joannis Galeacii Vicecomitis Primi Ducis Mediolani, eſt Inſtrumentum Donationis inter vivos pro fabrica, & dotatione Eccleſiæ, ac Monaſterii Sanctæ Mariæ Carthuſiæ propè Papiam, ſub die ſexta Octo-
bris, anno MCCCXCVI., rog. per Catellianum C
de Chriſtianis, fil. qu. D. Franciſchini Juriſperiti pub. Papienſem Notarium, & Ducalem Secretarium, quod extat penes amiciſſimum J. C. & Advocatum Sitonum.

Item ultimum Teſtamentum præfati Domini Ducis Primi Mediolani, conditum de anno MCDI., ac rogatum per præfatum Catellianum de Chriſtianis, Ducalem Secretarium &c., quod pariter extat penes eundem Adrocatum Sitonum.

Diſpenſatio de contrahendo matrimonio inter Galeacium Mariam, & Catharinam Vicecomites. Extat in Spicileg. Dacherii, Tom. VII. pag. 244.

Venceslai Romanorum Imperatoris creatio in Ducem Mediolani Jo. Galeacii. Extat in Codice Leibnitii, Tom. I. pag. 157.

In Nuptiis Jo. Galeacii Vicecomitis Epithalamium ſcripſit Atilius Gabriel. V. inter Opera Jacobi Sannazarii, edit. Patav.

Gregorii de Azanello Deſcriptio Apparatus, & Ce- D
remoniæ, quibus Jo. Galeacius Vicecomes, nomine Cæſareæ Majeſtatis Ducis titulo inſignitus eſt anno MCCCXCV. MS. in fol. Bibliot. Amb. ſign. I. num. XI., & edita in Tom. XVI. Rer. Ital. p 822.

In Libro, cui titulus: „ Carmina Illuſt. Poët. Ita- „ lor. „ Tom. I. pag. 54. extat Andreæ Alciati hoc Epigramma.

*Tumulus Joannis Galeatii Vicecomitis, primi Ducis Mediolani.*

*Pro Tumulo, pone Italiam, pone arma, duceſque,*
*Et mare, quod geminos mugit ad uſque ſinus.*
*Adde bis barbariem conantem irrumpere fruſtra:*
*Et mercede emptas in fera bella manus.*
*Anguiger aſt ſummo ſiſtens in culmine, dicat;* E
*Quis parvis magnum me ſuper impoſuit?*

Franciſci Philelphi Oratio Anniverſaria in Funere Jo. Galeacii Vicecomitis. Extat in MS. in fol. ſign. E. num. 55. in Bibliotheca Ambroſiana.

Agunt de tanti Ducis actis & laudibus Scriptores omnes, qui litteris ſui temporis hiſtorias mandarunt, maximè verò Inſubres Eruditi, quos longum eſſet recenſere. Multa verò ſuppeditarunt Jovius, Chalcus, et ſi placet Picinellus, qui ſub nomine tantùm Galeacii breviſſimis verbis ſe expedivit, pag. 231., Sitonuſque noſter humaniſſimus æque ac in Patriæ antiquitatibus verſatiſſimus.

## MDCCCVI.

## VICECOMES JOANNES MARIA.

NOn minoris gloriæ augumentum addere poteſt celeberrimo Viro Jo. Baptiſtæ Vicecomiti Mediolanenſi Senatori, jam laudato, filios habuiſſe, ob virtutem & ipſos laude digniſſimos, quos inter numeratur Joannes Maria, de quo nunc loquimur, qui
matre Paula Caccia, lucem primam aſpexit in hac B
Metropoli, anno Mundi Chriſtiani MDCXII. Deo ſe in doctiſſima Societate Jeſu dicavit an. MDCXXVI. die primâ Auguſti. Latinis & Græcis litteris egregiè excultus Eloquentiam annis II. profeſſus eſt. Philoſophiam quadriennio, Theologiam Scholaſticam ſeptennio docuit Mediolani, ubi etiam ſtudiis altioribus quadriennio præfuit. Hinc aliorum regimini admotus Provincialatum egit, mox Præpoſituram Domus Profeſſæ Sancti Fidelis, quo etiam tempore Romam à Provincia miſſus eſt Congregationis Procurator. Denique totius Provinciæ ex:itit Provincialis Præpoſitus, quo tempore Comitio generali interfuit. Mente fuit negotiorum quorumvis capace, & pectore difficultatibus omnibus majore; Spiritualium
Sancti Ignatii exercitationum praxim planam perſpi- C
cuamque ſcriptis commentationibus reddidit. Excelluit in dirigendis ad pietatem Sodalitatibus B. M. V. quarum pluribus præfuit, & pro quolibet in eis rectè ferendo munere exactiſſimas inſtructiones ſcripſit. Chariſſimus fuit Venerabili Cardinali Gregorio Barbadico, quem Exercitijs Spiritualibus, frequentibus litteris & familiari conſuetudine excoluit; Brevi correptus morbo, ſanctiſſimè obiit Mediolani in Collegio Braydenſi die III. Februarii, anno Salutis MDCLXXXIV., ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo, religioſæ vitæ quinquageſimo octavo.

Edita hæc, ac inedita poſt ſe reliquit: D

I. La Vita del P. Anton-Giulio Brignole Sale, della Compagnia di Gesù. *Milano, preſſo Ludovico Monza*, 1666. *in* 8.

II. Vita di Giovanna Tereſa Spinola, Monaca Celeſtina. *Genova, preſſo il Francbelli*, 1649. *in* 4.

III. Il Maggior del ſuo Maggiore. Orazione Panegirica, detta nella Chieſa della B. Vergine preſſo S. Celſo, nella naſcita dell'Infante di Spagna Filippo Proſpero li X. Febbrajo, MDCLVIII. *Milano, preſſo Giulio Ceſare Malateſta*, 1659. *in fol.*

IV. Vita del P. Ottavio Bonini della Compagnia di Gesù. MS. prælo paratus, extat in eximia Bibliotheca Brayd. ipſius Societatis hujus Urbis.

V. Placita Theologica. Vol. IV. MSS. Extant ibid.

VI. Opuſcula varia Rhetorica tam ſolutæ, quàm ſtrictæ Orationis, MSS. ibid.

VII. Anaſtaſis, & Anabaſis Chriſti. Poëma Verſuum 550. E
Jo. Mariæ Vicecomitis Soc. Jeſu. MS. in 4. extat in Bibliotheca FF. Marchionum Vicecomitum.

Agunt de ipſo Sotuellus, & Abbas Picinellus in ſuo Athenæo pag. 308., aliaque debeo humanitati Suorum.

MDCCCVII.

Digitized by Google

## MDCCCVII.

### VICECOMES JOANNES MARIA alter.

INter claros non pietate minus, quàm ſcientiâ Viros, quos Conventus Sancti Joannis ad Concam in hac Metropoli nuncupatus enutrivit, Regulam Carmelitarum Obſervantiæ profeſſos, eſt debitâ cum laude numerandus Joannes Maria Vicecomes, cujus laudes Vaghus, Felina, aliique Mantuanæ Congregationis Scriptores nobis nullas reliquere, ea fortaſſe de cauſa, quòd illius Scripta Theologica haudquaquam viderint, cùm ſanè eadem legenti eruditione ſacra imbutum Auctorem noſtrum apertiſſimè prodant. Si tamen aliorum diligentiam Scriptoris hujus nomen effûgit, mihi maximè gratulor, quòd primus debitâ commendatione ipſum proſequar, qui ultra medium Sæculi XVII. vitam produxit, anno MDCLV. inter mortales adhuc degens.

Operum illius hi ſunt tituli, nempe:

I. Quæſtiones in Logicam.
II. Commentaria de Fide, Spe, & Charitate.
III. De Juſtitia, & Jure.
IV. De Gratia.
V. De Euchariſtia.
VI. De Sacramentis in genere.
VII. De Sacramento Pœnitentiæ.
VIII De Scientia in communi.
Extant MSS. in Bibliotheca Conventus S. Joannis ad Concam Mediolani. Vol. VIII. in 4. juſtæ molis.

## MDCCCVIII.

### VICECOMES JOANNES MARIA alter.

MArchio Franciſcus Vicecomes ex Condominis Summæ, nec non Camilla Ghilina conjuges Mediolanenſes, Joannem Mariam hunc genuerunt, cujus Acta, atque alia ad rem litterariam ſpectantia, nullus nobis indicavit. Ex Libro ſuo tamen, quem tantùm typis datum legimus, ob ſermonis elegantiam, atque Emblemmatum, Inſcriptionumque præſtantiam, Auctoris ingenium ſatis, ſuperque elucere cognovimus. Opuſculum aliud vidimus ab ipſomet ſcriptum, quod num. II. infra ſignabimus, ſed adhuc incompoſitum, ideoque aut mors, aut ipſa difficultas argumenti, Auctoris manum ultimam retinuit. Floruit exeunte Sæculo elapſo XVII., ſed quando è vivis exceſſerit, nemo nos docuit.

En titulus Lucubrationum, quas conſcripſit:

I. Exequiæ in Templo Sancti Nazarii Manfredo Septalio Patritio Mediolanenſi, ejuſdem Baſilicæ Canonico, celebratæ, cum Inſcriptionibus, atque Emblemmatibus, à Marchione Joanne Maria Vicecomite expoſitis. *Mediolani, typis Archiepiſcopalibus*, 1680. *in* 4.
II. Dell' Offizio del Vicario di Proviſione della Città di Milano, con la ſerie delle coſe più ardue ſuccedute ſotto l'amminiſtrazione de' medeſimi, dall' anno MDLXXXI. al . . . . . . . MS. in fol., ſed pluribus in locis deſideratur continuatio. Ultimæ paginæ continent Acta anni MDCXXVI. Volumen mihi oſtendit Amicus, inter nobiles juvenes Mediolanenſes ſtudioſiſſimus, cujus nomen proferre per ipſum mihi non licet.
Schedæ Sitonianæ.

## MDCCCIX.

### VICECOMES JOANNES PETRUS.

GEnealogiam Vicecomitis iſtius de more humaniſſimè mihi communicavit nunquam ſatis laudatus amiciſſimus Sitonus. Ipſa incipit ab Uberto Albizati, Beſnati, & Maſſini Domino, qui cum Bertha Pirovana conjuge florebat in hac Urbe, anno Domini MCCVI. Ex ipſo Jacobus Andreotus, & Theobaldus Matthæi Magni Mediolanenſis Domini pater, nec non & alii plures memoriâ digni, uſque ad Auctorem noſtrum prodierunt. Inter hos eſt Maphæolus ſenior, de quo extat in Eccleſia Sancti Franciſci Fratrum Conventualium Oppidi Modoëtiæ Lapis ſepulchralis, cum figura Militis armati, litteriſque rudibus ſculptis, ut ſequitur:

HIC IACET NOBILIS VIR DOMINVS MAPHIOLVS VICECOMES
QVI FVIT POTESTAS ET RECTOR VALLIS LVXIARDAE GRANELLORVM
CIVITATIS ALBAE ET ALEXANDRIAE QVI OBIIT MCCCLXXXI.
XV. MENSIS IANVARII.

Noſter verò patrem habuit Maphæolum juniorem Ducalem Comi, & Bobii Poteſtatem, nec non Modoëtiæ, & Binaſchi Capitaneum. Claruit Præpoſitus Eccleſiæ Metropolit. hujus Urbis, ab anno Chriſti MCDXCV. ad MDXXX. ejuſque memoria ſupereſt in Inſcriptione ſequenti, quam in marmore ſculpi ipſemet juſſit, ponique in S. Euſtorgii Templo, propè Sacellum trium Regum Magorum:

MAPHAEOLVS VICECOMES VIR NOBILISSIMVS OLDI FILIVS
VBERTI OLIM MATTHAEI MAGNI FRATRIS PRONEPOS
SEPVLCRVM HOC ANTE TRIVM MAGORVM ALTARE
SIBI POSTERISQVE XII. LVSTRIS ET SECVLO IAM DECVRSIS POSVERAT
QVANDO EIVS ABNEPOS ALIVS MAPHAEOLVS VICECOMES
GEORGII FILIVS COMI BOBII PRAETVRA MOGVNTIAE
ET BINASCHI CAPITANEATV BIS OPTIME POTITVS
SARCOPHAGO HOC CVM ATAVITO CADAVERIBVS PLENO
CONTINERI NON POSSET HVMATVS EST AETATIS ANNO
LXV. D. XII. LIBERIS OCTO SVPERSTITIBVS
OBIIT AVTEM DIVAE AGNETIS FESTO MDX.
IOHANNES PETRVS VICECECOMES MEDIOLANENSIS PRAEPOSITVS
ET FRATRES MAPHAEOLO GENITORI B. M. POS.
ANNO SAL. MDXV. DIE XI. OCTOBRIS.



Digitized by Google

Hæc mihi ſors obtulit de ipſo :

I. Pro Architectura Templi Mediolani ; Opuſculum Jo. Petri Vicecomitis Præpoſiti, ad Præfectos Fabricæ de Archetypo Cathedralis Baſilicæ Mediolani, Id. Novemb., anno MDXIX. Extat in Cod. MS in 4. ſign. E. num. 48. in Bibliotheca Ordinariorum Metropolitanæ hujus Urbis.

II. Epiſtolæ variæ Latinæ Joanni Andreæ Vicecomiti, datæ anno MDVII. Ibid.

III. Aliæ ad Georgium Gadium Romanorum Regiſæ Secretarium, & iſtius ad eundem, anno MDIX. Ibid.

IV. Aliæ ad Epiſcopum Sedunenſem, anno MDXII. Ibid.

V. Aliæ ad Paulum Cittadinum Civem Mediol., anno MDXIV. Ibid.

VI. Aliæ Abbatibus, Præſidentibus, & Definitoribus Capituli Congregat. Monachorum S. Benedicti Caſſinenſium, anno MDXVIII., cum Reſponſionibus iſtorum. Ibid.

VII. Aliæ Jo. Angelo Vicomercato, Canonico Regulari S. Auguſtini, atque Vicario S. Salvatoris Brixiæ, ut ei mittat Hiſtoriam S. Anathalonis Epiſcopi Mediolan. pro conficienda Hiſtoria Archiepiſcoporum Mediolan., quam ſcribebat Vicecomes ipſe. Dat. VIII. Julii MDXVIII. Adeſt etiam ejuſdem Vicomercati Reſponſio, mittentis eandem Vitam ex antiquiſſimo Codice exſcriptam. Ibid.

VIII. Aliæ ad eundem pro Vitis SS. Brixianorum ad Hiſtoriam Archiepiſcoporum Mediol. conſcribendam utilibus. Ibid.

IX. Aliæ ad Presbyterum Baptiſtam Scaravagium, Decretorum Doctorem. Ibid.

X. Aliæ ad Nicolaum Lazarinum Picentem, ut ei mittat Epiſtolas, & alia latina, quæ in Scholis dictat, ut aureum ejus ſtylum accipiat. Dat. anno MDVI. Adſunt etiam ejuſdem Lazarini Reſponſiones, cum quibus mittit varias Exercitationes epiſtolicas, & judicium Vicecomitis expectat. Ibid. De hoc Cod. locuti ſumus in Artic. Franciſci Caſtelli, pag. 343.

XI. Hiſtoria Archiepiſcoporum Mediolanenſium, quam ipſomet teſte, ut ſupra, actu ſcribebat.

De eo videndæ ſunt ampliſſimæ Collectiones Comitis Octavii Archinti, & Clar. Sitoni, nec non iſtius Theatrum Genealogicum, MS. in fol. ad pag. 490. penes Auctorem; uti etiam Quodlibetum Franciſci Caſtelli Canonici Ordinarii, MS. in Bibliotheca Ambroſiana.

## MDCCCX.

## VICECOMES JOSEPH.

QUantùm debeant Mediolanenſes eximio S. R. E. Card. Federico Borromæo, nunquam ſatis dictum eſt, & utinam, quod tantus Vir ſtatuerat, adhuc vigeret, quoad ſaltem Bibliothecam Ambroſianam pertinet. De hac re ſatis eſt perlegere laudatiſſimum Opus Petri Pauli Boſchæ „ de Origine, & „ ſtatu Bibliothecæ Ambroſianæ „ centies à nobis citatum. Inter quatuor Viros, qui ejuſdem Bibliothecæ Doctores vocabantur, unus extitit Joſeph Vicecomes Mediolanenſis, de cujus ſacra eruditione apertè loquuntur ejus Opera infra recenſenda ab univerſo Litteratorum Cœtu tam avidè accepta, ut difficillimè nunc reperiantur. Magiſtrum habuit celeberrimum Joannem Stephanum Menochium Societatis Jeſu lumen & decus. Supradictus Cardinalis Borromæus provinciam Joſepho demandavit de Ritibus Eccleſiæ ſcribendis, quam Vicecomes noſter tam doctè adimplevit, ut nemo ſit inter Scriptores Sacros, qui ipſum uti certiſſimum, ſapientiſſimumque Auctorem non indicet. Cornelius ipſe à Lapide Sacræ Scripturæ Interpretum facilè princeps in Vicecomitis ſententiam ſæpè deſcendit. Obiit anno Redemptionis MDCXXXIII., fama verò illius nunquam eſt peritura, ob Opera laudatiſſima hîc danda,

Quæ ſunt :

I. Obſervationes Eccleſiaſticæ de antiquis Baptiſmi Ritibus, & Cæremoniis. *Mediolani, apud Pontium & Picaleam*, 1615. *in* 4., *& Pariſiis, apud Morellum*, 1618. *in* 8.

II. De veteribus Confirmationis Ritibus. *Mediolani, typis Ambroſianis*, 1618. *in* 4.

III. De antiquis Miſſæ Ritibus. *Mediolani, typis Ambroſianis*, 1630. *in* 4.

IV. De Miſſæ apparatu. *Mediolani, typis Ambroſianis*, 1626. *in* 4.

V. Oratio habita in Concilio Provinciali Mediolanenſi VII. Eam commendat Petrus Paulus Boſcha, ut infra.

Celebratur abundè à Dupinio in ſua Bibliotheca Eccleſiaſtica, T. XVII. à pag. 93. uſque ad 103. à ſupradicto Petro Paulo Boſcha in libro „ de Origine, & „ ſtatu Bibliothecæ Ambroſianæ „ ab Abbate Picinello in ſuo Athenæo, pag. 372., & ab innumeris aliis.

## MDCCCXI.

## VICECOMES JOSEPH MARIA.

EN alter celeberrimi Senatoris Joannis Baptiſtæ Vicecomitis jam laudati, filius, Joſeph nempè Maria, qui ad Sacra vocatus, nomen ſuum Clariſſimo Prædicatorum Ordini dedit. Sancti Dominici Habitum in Euſtorgiana Domo induit, ibique profeſſus, Vir, apud Suos eruditione & facundiâ commendatiſſimus evaſit. In eodem Conventu triennio Philoſophiam docuit, ibidemque poſt magiſterium in Gymnaſio Sancti Thomæ Neapoli anno integro exactum, Sacræ Theologiæ Profeſſoris, ac Regentis munere toto ſexennio functus eſt. In Comitiis Ordinis Romæ habitis anno MDCL., Baccalaureus inſcribitur, deinde Magiſterii honore decoratus, provinciam S. Petri Martyris per biennium optimè rexit. Moribus fuit facillimis, gravis, vultuque gratiſſimus, dicendique facundiâ & facilitate ſummè præditus, qui non minùs ſibi nomen fecit, populorumque conciliavit animos, ſacris Concionibus, quàm diſcipulorum in Lycæis & Scholis admirationem. Pluribus annis per ferè totam Italiam Conciones habuit Quadrageſimales, magno cum Auditorum fructu, quos & dicendi gratiâ, & mirâ verborum, ſententiarumque ſubtilitate demulcebat. Ad Orationes Panegyricas pronunciandas frequentiſſimè evocabatur; tandem Inquiſitor adversùs hæreticam pravitatem in Civitate, & Diœceſi Novarienſi instituitur. Monumentum amoris ejus erga litteras in perpetuum erit inſignis Bibliotheca in patrio Euſtorgiano Conventu ab ipſo ære ſuo extructa, libriſque plurimis adaucta, eamque ob rem, grati animi ergo Sui marmoream effigiem tanti benefactoris Oſtio ipſius Bibliothecæ impoſuerunt. Obiit anno Virginei Partus MDCXCV.

Scripſit :

I. Concionum, & Panegyrum, Vol. IV. in fol. ingentis molis, quæ ſe vidiſſe mihi teſtatus eſt Alumnus amiciſſimus, & doctiſſimus ejuſdem Euſtorgianæ Domus, ſed aliquis eas in proprium commodum convertit; nam nunc non reperiuntur.

II. I Pregi della Lingua, Panegirico in lode di S. Antonio da Padova. *Milano, preſſo il Monza*, 1652. *in* 12.

De eo Quetif, & Eccard in Scriptoribus Ord. Prædicatorum, qui malè ſuſpicarunt, tribuendam fore Vicecomiti huic Vitam Antonii Julii Brignoli, cujus Auctor eſt Joannes Maria Vicecomes ejus frater è Societate Jeſu, ut in eo diximus, & Abbas Picinellus in Athenæo, pag. 368.



Digitized by Google

## MDCCCXII.

## VICECOMES LEANDER.

Alter Hectoris Vicecomitis, & Apolloniæ de Blanchis conjugum filius, nunc à nobis laudatur, poſt Hieronymum ejus fratrem Phyſicum Collegiatum, & in Poëticâ facultate clarum, de quo jam egimus. Hunc in ſuum Athenæum intulit Picinellus, ſed de more res riſu dignas de eo tantùm profert, juxtà pravam Sæculi conſuetudinem. In quadam Academia, cujus titulum idem Picinellus reticet, noſter ſub nomine „ l'Inſenſato „ adſcriptus erat, ibique plura ſui ingenii monumenta dediſſe aſſeritur. Sitonus noſter in ſuis Schedis adnotavit, Leandrum floruiſſe annis MDLXXII. & MDLXXVII. Ex Hieronymo Borſerio ſupradictus Picinellus laudat Opus infraſcriptum Poëtæ noſtri, & utinam indicaſſet titulum, locum, annum, atque Impreſſoris nomen, ut aliquid luminis haberemus, an ſit impreſſum nec ne. Libenter igitur iſtum ex hac mea Bibliotheca excluſiſſem, ſed aliorum voluntati quandoque morem gerere cogimur.

Scripſit enim

I. Una Paſtorale.
Ita citatus Picinellus in ſuo Athenæo, pag. 387., ex Borſerii Supplemento cap. 12.

## MDCCCXIII.

## VICECOMES LUCHINUS.

Matthæus ille Magnus, qui poſt Othonis patrui ſui Mediolanenſis Archiepiſcopi mortem, ut infra indicabimus, Inſubriæ jura dedit, Luchinum

A Vicecomitem, cujus nunc damus Elogium, ex conjuge ſua Bonacoſſa de Burris ſuſcepit, & Papiæ, Viquerieque Dominum conſtituit. Præclara indoles huic ad optima quæque nato plurimùm apud cives ſuos exiſtimationis comparavit, adeòut poſt Actii Principis obitum Reipublicæ ſummam in eum transtulerint, die XVI. Auguſti, anno MCCCXXXIX. Acceſſit etiam Joannis fratris illius, de quo jam verba fecimus, conſenſus; nam ut ſacris miniſteriis mancipatum decebat Virum, divini juris poteſtate contentus, Luchinum bellicâ laude præclarum, jamque ad Principatum prudentiâ, & gravitate maturum, imperii curæ admovendum cenſuit. Vix igitur publico munere aſſumpto, à Benedicto XII. Pontifice Max. per Legatos impetravit, ut interdicto

B Civitas Mediolanenſis abſolveretur; quin etiam theſaurum Modoëtienſis Baſilicæ, ob turbulentiſſima tempora Avenionem translatum, recuperavit. Exorſus eſt etiam, ſelectis Viris prudentiæ laude commendatiſſimis, collectionem, atque reformationem Juris municipalis hujus Urbis, quam poſtmodum perfectam Joannes Archiepiſcopus, ut publicam ſortiretur auctoritatem, Luchino ipſo jam defuncto, curavit, quemadmodum ſæpiùs hoc in Opere meminimus, dum eorum mentio, qui tantam ſuſceperunt provinciam, incidit. Plura geſſit bella non ſemper arridente armorum fortunâ; neque conjuratorum conſpirationem efugiſſet, niſi conſiliis eorum detectis, illatoque de pluribus ſupplicio, cæteros terruiſſet. Verùm cùm Iſabellæ Fliſcæ, quam uxorem duxerat, impudicitiam, & violatam turpiſſimè thori fidem ul-

C turum ſe non obſcurè docuiſſet; mulier expedito ingenio pęnam ſceleris antevertens, ægrum conjugem tabifico ſuſtulit poculo, anno ætatis ſuæ LXII., Imperii verò IX., inciditque obitus illius in diem XXIII. Januarii, anno Chriſti MCCCXLIX., dum Genuam in poteſtatem ſuam redigere meditaretur. Tumulatus eſt in Templo Sancti Gothardi, intra ambitum Ducalis Curiæ, hoc Elogio impoſito.

IVSTITIAE CVLTOR SCELERVMQVE ACERRIMVS VLTOR
PAVPERIBVS CARVS NVNQVAM DVM VIXIT AVARVS
EGREGIIS FACTIS ET CLADIBVS ANTE PERACTIS
INSIGNEM BELLO LAVDEM MERVIT NISI FRAVDEM
SORS MALA STRVXISSET CRVDELITER ET PERIISSET.

Italicam coluit Poëſim, & ſcripſit:

I. Carmina plura, vulgò *Sonetti*, quorum unum ex MS. Codice Joannis Baptiſtæ Boccolini, humaniorum litterarum in Urbe Fulgineo Profeſſorem, quo Luchinus Facio de Ubertis reſpondit, vulgavit Cl. Creſcinbenius in ſua Hiſtoria Poëſis Italicæ, edit. Venetæ. Vol. V. pag. 215.

II. Leges ab eo, & Joanne fratre ſuo Mediolanenſi Archiepiſcopo latas pro bono Civitatis regimine, retulit Gualvaneus de la Flamma in libro „ de Rebus geſtis Azonis Vicecomitis „ impreſſo in Tomo XII. Script. Rer. Ital. pag. 1153., ut in Joannis articulo diximus.

D Epiſtolam ad eum ſcripſit Franciſcus Petrarca, qui eum ætatis ſuæ Virum maximum appellat, mittens ad ipſum Carmen ſuum, eſtque inter Petrarchæ editas CX. libri VII.

De ipſo Jovius agit in Elogiis Vicecomitum; Caſſerrus quoque in Siſtemate vetuſtatis. Commendatur inſuper ab omnibus Inſubricarum rerum Scriptoribus, à P. Franciſco Xaverio Quadrio Soc. Jeſu, in libro ſuo, cui titulus: „ Della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia. „ Vol. II. pag. 179., & J. C. Sitono in Monumentis Vicecomitum. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1714. *in fol.* pagg. 11. & 53., ſicut & in Schedis.

## MDCCCXIV.

## VICECOMES LUDOVICUS MARIA.

Marchio Hermes Vicecomes ex LX. Urbis Decurionibus, & ex Condominis Summæ, atque Margarita Archinta conjuges, Ludovicum Mariam genuerunt, qui à primis puerilibus annis ſacra colere cępit, deinde inter Clericos Regulares, quos Teatinos vocamus adſcribi voluit, atque in æde Divi Antonii eorundem in hac Metropoli, die XIX. menſis Auguſti, anni Chriſti Jeſu MDCLXXXI. pro-

E feſſus eſt. Scientiis Philoſophicis, atque Theologicis imbutus, ad Verbum Dei diſſeminandum ſe contulit, non ſine ingenti animarum profectu. Ejus ſingularis prudentię argumentū in dubiū nunquam revocandum eſt, quòd ex LI. ferè annis, quibus apud Suos vixit, per integros XX. Superioris munus ſummâ cum laude ſemper egerit. Tandem Officium Viſitatoris gerens, diem clauſit extremam anno MDCCXXXII., qui fuit ei ſeptuageſimus.

Servantur

Servantur tantùm de eo

I. Prediche, e Diſcorſi varj. Vol. I. in fol. MS. in Bibliotheca Suorum D. Antonii Mediol.
Ita à P. Crucejo ejuſdem Congregationis Alumno, mihique ſingulari amicitia conjuncto.

## MDCCCXV.

## VICECOMES MANFREDUS.

ALiis eruditis Viris, qui apud Mediolanenſes prudentiæ, & doctrinæ commendatione floruerunt, meritò jungendus eſt Manfredus Vicecomes, cujus tanta fuit apud Cives ſuos exiſtimatio, ut eidem anno MCLXVIII. Conſulatus Reipublicæ munus deferendum cenſuerint. Conſul item Juſtitiæ fuit eo tempore, quo poſt tam ſæpè memoratum Œnobarbi excidium Urbs è ruinis ſuis rediviva ſurgebat Anno MCLXX. Secundò autem, & tertiò eundem Magiſtratum geſſit, annis videlicet MCLXXIIII., atque MCC. Quo verò anno deſideratus fuerit, nemo nos docuit.

Immortalitati nomen ſuum commendavit ob ea, quæ cum aliis Juſtitiæ Coſs. prædicto anno MCLXX. ad Reipublicæ Mediolanenſis bonum condidit,

I. Statuta, quibus Jus municipale plurimùm adauctum fuit.
Bina ejus Placita Conſularia, primum ſcilicet anni MCLXXIII., diei X. Januarii; alterum anni MCXCIX., diei XXXI. Decembris indicavit nobis ex Collectione ſua Diplomatica Mediolan. humaniſſimus Nicolaus Sormanus, Ambroſiani Collegii Doctor.
Meminerunt ejuſdem Gualvaneus de la Flamma, lib. XIII. cap. 895., & ex eo Comes Octavius Archintus in Collect. Monument. Famil. Mediol, atque Sitonus noſter in Schedis.

## MDCCCXVI.

## VICECOMES MATTHÆUS.

DE Matthæo Vicecomite tam Abbas Picinellus, quàm Bartholomæus Curtius, & quod plus eſt Cl. Sitonus noſter parùm nimis dedere, ideoque & ego ferè jejunos Lectores meos relinquere coactus ſum. Cum ipſis igitur teſtibus infraſcriptis nil aliud profero, quàm titulum ejus Operis,

Videlicet:

I. Regimen contra Peſtem. *Venetiis*, 1535. *in* 8.
Ex Bibliotheca Paſchalis Galli, ex Conrado Geſnero, & ex Joanne Antonida Vandenlinden exſcripſerunt, Picinellus in Athenæo, pag. 420. Curtius in ſuo Opere de Medicis Scriptoribus Mediolanenſibus, pag. 74., & Joannes Jacobus Mangetus in ſua Biblioth. Scriptorum Medicorum. T. IV. pag. 517.

## MDCCCXVII.

## VICECOMES MAURITIUS.

EX Marchione Joanne Maria Vicecomite, Summæ Condomino, & Placida Grimalda conjugibus, natus eſt in hac Urbe, die IX. menſis Decembris, anno MDCXX. Mauritius nunc laudandus. Hic ad vitam Eccleſiaſticam à Deo evocatus, Congregationem Clericorum Regularium, vulgò Teatinorum, amplexus eſt, in eademque Profeſſionem emiſit, die XI. menſis Julii, anno MDCXL., relicto nomine Uberti, qui eidem erat in ſæculo. Pietati & ſtudiis ita ſe dedit, ut breviter Philoſophiam non tantùm didicerit, ſed & ſuis Alumnis, inter quos numeratur Seraphinus Corius, poſtea Laudenſis Epiſcopus, aliiſque pluribus tradiderit, nam ſpatio annorum duodecim in Urbe Ravennate ipſam à Cathedra dictavit Caſſinenſibus Monacis. Linguas Græcas, atque Hæbraicas ferè ex integro poſſidebat, nec litteras amœniores reſpuit, ut facilè ex ſubſequentibus apparebit. Plura certè ab ipſo exſpectanda erant, niſi mors citò nimis eum terris invidiſſet, annum tantùm agentem quadrageſimum octavum, in Collegio D Antonii hujus Urbis, in quo jam anno MDCLXX. officio Præpoſiti functus fuerat.

Hæc illius habet poſteritas

I. Curſum integrum Philoſophicum, MS. in 4. Vol. VI., quem egomet olim vidi apud Cl. Abbatem Caretum amiciſſimum, dum eximiam Bibliothecam Claſſenſem inviſerem, anno MDCCXVII.
II. Pompe funebri dell' Eſequie ſolenni, fatte nella Chieſa di S. Antonio de' PP. Chierici Regolari Teatini in Milano, alla degna memoria di Monſignor Aleſſandro Porro Veſcovo di Bobbio, già della medeſima Religione. *Milano*, *per gl' Eredi di Giorgio Rolla*, 1610. *in* 4.
III. Emblemmata, Inſcriptiones, & Carmina de ipſomet argumento, extant in eodem libro.
Ita à Suis, & à Sitono noſtro.

## MDCCCXVIII.

## VICECOMES MODESTUS.

MOdeſtus Vicecomes illuſtre perantiquæ hujus Mediolanenſis Gentis germen, annos XIX. natus, Clericorum Regularium S. Pauli, vulgò Barnabitarum, Inſtituto ſe devovit anno MDXCII Ibi graviores diſciplinas didicit, & profeſſus eſt. Utilem, atque aſſiduam in Concionibus ad Populum habendis operam poſuit, præſertim in patrio Templo D. Alexandri, in quo ſacri Oratoris munus per decennium & ultra geſſit. In Maximo hujus Urbis Templo plurimas Orationes habuit in laudem D. Caroli, & Conciones ad Magiſtratus in lucem editas. In Synodo Novarienſi Orationem ad Clerum dixit; non tantùm à doctiſſimo ejus Eccleſiæ Præſule Carolo à Baſilica-Petri ſummoperè laudatam, ſed & ab aliis Viris doctrinâ & pietate præſtantiſſimis. Dignitates ab Ordine ſuo ſibi oblatas eadem, quâ paternas opes reliquerat, conſtantiâ recuſavit; ſacræ dumtaxat eruditionis die noctuque ſtudio contentus. Præmaturè tantus Vir obiit, videlicet anno Chriſti MDCXIII., atque egregia MSS. Opera præter jam prælo donata reliquit,

Quæ ſunt:

I. Prediche Quadrageſimali in più Volumi. MSS. in foglio, apud Suos.
II. Orazioni Panegiriche in più Volumi. MSS. in foglio; Ibidem.
III. Oratio ad Clerum, habita in Synodo Novarienſi, ut ſupra.
IV. Orazione della forma de' veri Magiſtrati. *Milano*, *preſſo il Malateſta*, 1614. *in* 4.
V. Panegirico in lode di S. Carlo. *Milano*, *preſſo gl' Eredi di Pacifico Ponzio*, 1615. *in* 4.
VI. Altro in lode dello ſteſſo Santo. *Ivi*, *preſſo il Bidelli*, 1622., & iterum *apud Hæredes Pontii*, 1625. *in* 4.
Ex Picinelli Athenæo, pag. 428., & à Suis.

MDCCCXIX.

Digitized by Google

## MDCCCXIX.

## VICECOMES NICOLAUS MARIA.

COmes Antonius Coriolanus Vicecomes ex Condominis Summæ, & ex LX. Decurionibus Mediolani, nec non Magdalena Durina conjuges Nicolaum Mariam filium genuerunt, qui Opuſculum ſcripſit infra recenſendum, non ſine labore ex pluribus Documentis undequaque perquiſitis compactum. Aliud de eo nobis datum non eſt referre, niſi quòd mors ipſum ſuſtulit die XXII. menſis Maji, anno MDCCXXXI., tumulatuſque fuit in Baſilicâ Euſtorgianâ, apud Aram maximam, propè Majores ſuos.

Scripſit igitur

I. Notizie concernenti varj Arciveſcovi di Milano. Cod. MS. in fol. Incipit in Joanne I. Vicecomite, & definit in Bartholomæo Capra. Legitur in fronte: „ Scribebat Illuſtriſſimus D. Comes D. Nicolaus Maria „ Vicecomes, MDCCIX. „ Extat apud Doctiſs. Siton. Autographus.

## MDCCCXX.

## VICECOMES OCTAVIUS.

UTrum magis prudentia, vel Litterarum perities in Octavio Vicecomite effulſerint, adhuc ſub Judice lis eſt, nam parentibus Joanne J. C. C., & ex Condominis Crenæ, nec non Octavia Annona conjugibus Mediolanenſibus nobiliſſimis ortus, Congregationem Clericorum Regularium Divi Pauli, Barnabitarum vocatam, ingredi voluit, ibidemque adeò ſtudiis ſe dedit, ut in Alma Urbe Sancti Officii Conſultor optimus, & plurium Cardinalium à Confeſſionibus, & à Conſiliis etiam ut Theologus peririſſimus eſſe meruerit, inter quos eximius Cardinalis Colloredus numeratur. Charus apprimè fuit Cæſari Auguſto Leopoldo, nunquam delendæ memoriæ, pluribuſque ſuis Collegiis ita ſanctè, prudenterque præfuit, ut poſtea ad Ordinem univerſum moderandum elatus fuerit. Multa doctè, elegantiſſimèque ſcripſit, quæ deperdita ſunt, ſuperſunt tamen infra recenſenda, ex quibus eruditio hujus Viri ſummopere elucet. Deceſſit verò citò nimis, videlicet Æræ noſtræ anno MDCXCVII., ætatis ſuæ LIII.

Hæc de ipſo damus:

I. Conſultationes duæ circa electionem Pontificis, ad quemdam S. R. E. Cardinalem pro ſedanda ejus conſcientia. MS. in fol.
II. Cenſura contemplationis Chriſtianæ, typis edendæ per N. N. contra doctrinam Molinos, à S. Congregatione Indicis, & Supremæ Inquiſitionis approbata, ob quam Auctor contentus fuit ſe librum manuſcripſiſſe. MS. in fol.
III. Conſultatio in cauſa Regis Angliæ. MS. in fol.
IV. Cenſuræ quædam librorum. MS. in fol.
V. Caſus quidam Hebræorum tranſmiſſus à Duce Sabaudiæ. MS. in fol. Servantur omnes in Collegio Suor. S. Barnabæ Mediol.
Ita à docto, amiciſſimoque Patre Pezio alibi laudato.



A

## MDCCCXXI.

## VICECOMES OTHO.

OTho Vicecomes Uberti, atque Anaſtaſiæ Pirovanæ conjugum filius, alacri ingenio à pueritia præditus, magnum aliquid portendere viſus eſt. Studiis liberalibus excultus, corporis dignitatem eloquentiæ dotibus cumulavit, adeout omnium ſibi gratiam promereretur. Octaviani Ubaldini Cardinalis, cùm Romam ſe contuliſſet, familiæ adſcriptus, jam Præpoſitus Oppidi Decii, & Ambroſianæ Baſilicæ Canonicus ad Cathedram Mediolanenſis Archiepiſcopatus aſſumtus fuit, agente in primis eodem Ubaldino tunc Apoſtolicæ Sedis Legato. Id evênit anno Salutis humanæ MCCLXI. defuncto haud multo ante Leone de Perego, quem loco ſuo laudavimus. Primus igitur è Vicecomitum Gente Otho Ambroſianas adeptus eſt Infulas, inter Principes, & Antiſtites ſuæ tempeſtatis longè clariſſimus habitus. Turrianorum potentiam, qui tunc Mediolanenſibus imperitabant, veritus, Aronam primùm ſe contulit, unde in Inſubriam venit; arcem tamen illam, qua potitus erat, brevì dedere, & in fugam ſe convertere coactus eſt. Sed nihil admodum de animi conſtantiâ remittens, Squarcinum Burrum, cujus filia nomine Bonacoſſa Matthæo Vicecomiti Othonis nepoti nupſerat, delegit, ut ei militare conferret imperium ad abigendos ex Urbe Turrianos, inito etiam fœdere cum Gulielmo Montiſferrati Marchione, ut auxiliis Ferdinandi Aragonum Regis, cui Gulielmus erat gener, conceptam expeditionem ad optatum finem liceret perducere. Siniſtra tamen fortuna belli ſæpe Othonem afflixit Turrianis arridens; itaque ille ad Clementem Pontificem profectus egit, ut litteris Apoſtolicis monerentur Turriani, ne ultra Antiſtitem ſuì prohiberent Sede. Cùm tamen Pontificis dicto obaudientes eſſe reſpuiſſent, Sacris interdicitur Urbs Mediolanenſis. Miſſis igitur Romam Legatis ante Cardinalium conſeſſum, & Clemente ipſo coram adſtante, Turriani cauſam ſuam defendere ſatagerunt. Eorum tamen Orator tam acri oratione modeſtiam omnem exuens adversùs Othonem præſentem invectus eſt, ut planè oſtenderet, contumeliis ſe non argumentis uti. E contra autem Otho moderato, ſed generoſo ſermone hoſtium cavillationes confutavit, tandemque obtinuit, ut decreverit Pontifex miſſurum ſe quamprimum Cardinalem Legatum, qui univerſa componeret. Et Legatus quidem affuit, veruntamen res infecta ceſſit obeunte Clemente Pontifice. Gregorium X. adiit Otho, ut Apoſtolicæ Sedis judicio Mediolanum reduceretur, at cùm ille Turrianis faveret, Othonem, qui ipſum ad Lugdunenſe Concilium fuerat comitatus, dum in Italiam regrederetur, Bugellæ ſubſiſtere juſſit. Paruit Archiepiſcopus neceſſitate compulſus, verùm Gregorio defuncto, in Inſubriam armatâ manu regrediens, Aronâ, & Angleriâ recuperatis, Caſtro Seprio potitur. Alternante autem bellicâ ſorte nunc victor, nunc victus, tandem Novocomenſes in poteſtatem recipit, oppreſſiſque ad Decimum Turrianis in triumphantis ſpeciem Mediolanum ingreditur. Placatis ideo Civium animis Othonis nutu adminiſtrari cœpit Reſpublica uſque ad eam diem in partes, cruentaſque ſeditiones diſcerpta. Archiepiſcopus autem Sanctæ Virgini, & Martyri Agneti Aram, quam in prælio conſtitutus voverat, in Metropolitanâ Baſilicâ dedicavit, addito in Sacerdotum alimenta congruo cenſu, legeque latâ, ut quotannis hujus victoriæ memoria recoleretur. Ejus prælii, quod Vicecomitum Genti florentiſſimum peperit imperium, dies fuit XII. Kal Februarii, anno Chriſti

Ttttt Re-

Redemptoris MCCLXXVII. Gulielmum interim Montisferrati Marchionem, quem jam ſuperiùs memoravimus, veteris amicitiæ memor, Mediolanum accivit Otho, & ad annos quinque adversùs Turrianos, qui denuò turbas excitabant, copiarum Ducem renunciavit. Inſtructâ igitur acie, Gulielmus Vaprium celebre Oppidum in colle ad Abduam ſitum ſe contulit ipſo Othone comitante, cùm in hoſtium exercitu adeſſet Raymundus Turrianus Aquilejenſis Patriarcha, & primùm quidem ibidem de pace, intercedentibus Bergomatum Legatis, actum eſt; mox tabulæ pacis apud Melenianum obſignatæ. At cùm Turrianis neque bona, neque patria reſtituta forent, ad Vaprium tandem VII. Kal. Junii, anno MCCLXXXI. atrox & multâ clade memorabilis pugna fuit, ubi penitus concidit Turrianorum potentia. Pacificè igitur conſtitutâ Republicâ Mediolanenſi, Otho ipſam Matthæo nepoti regendam tradens, quiete apud Charævallis Monaſterium fruebatur; adhibitis in contubernium inſignibus Philoſophis, ſacratiſque Viris, quibus cum ſæpiſſimè jucundiſſimos de divinis humaniſque Scientiis ſermones miſcere conſueverat. Plures etiam auctoritate Summi Pontificis Cruce ſignavit Archiepiſcopus ad auxilia ferenda Terræ Sanctæ à Saracenis oppreſſæ. Dedit etiam eidem Summo Pontifici ſalubre conſilium, ut Milites Hieroſolymitani, unà cum Templariis, & Teutonicis in unum Ordinem cogerentur, eâ potiſſimùm de cauſâ; ut unitis armis contra Barbaros dimicarent, præfecto Fidelium copiis Rege Galliarum. Interim Eccleſiæ ſuæ non oblitus Provincialem Synodum publicè indixit, qua anno MCCLXXXVI. die XII. Septembris, ſolemni ritu, & pompâ auguſtiore celebratâ, controverſiam inter Brixianum & Vercellenſem Epiſcopos eo tempore de præcedentia litigantes ſummâ æquitate diremit. Multa quoque ad Eccleſiæ ſuæ dignitatem pertinentia jam ſanciverat, quæ docet publicum Monumentum in Tabulario Metropolitanæ aſſervatum, quod anno MCCLXXVII., die XX. Aprilis Otho auctoritate ſua confirmavit. Carmelitas Mediolanum accivit, propriiſque ſumptibus pro Theologiæ Lectore Præbendam in Metropolit. conſtituit. Aliam habuit Synodum anno MCCXCII., in qua multa de recuperando Chriſti Domini Sepulchro ſancita ſunt. Senio demum confectus, ætatis ſuæ anno LXXXVIII., Salutis autem MCCXCV. ſexto Idus Auguſti, migravit ad Dominum. Ita enim notatum obitum ejus reperimus in Antiphonario veteri MS. Ambroſianæ Bibliothecæ, quod olim fuit Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Georgii ad Palatium dictæ. Vir fuit & ſanguinis nobilitate, & præclarè geſtis Sæculis omnibus memorandus, injuriarum moderatiſſimus vindex, in omnes beneficus, nemini, niſi ad neceſſariam defenſionem moleſtus. Ejus corpus Equitum, & Optimatum humeris Regiâ pompâ in Urbem illatum, marmoreo Sarcophago in Metropolitana conditum jacet, hac Inſcriptione adjectâ:

INCLYTVS ILLE PATER PATRIAE LVX GLORIA PATRVM  
FVLGOR IVSTITIAE FIDEI BASIS ARCA SOPHIAE  
LARGITOR VENIAE PORTVS PIETATIS EGENIS  
INTREPIDVS PASTOR QVEM MOLES NVLLA LABORVM  
ARDVA DEVICIT POPVLO LATVRA QVIETEM  
ILLE PIVS PRINCEPS ET PRAESVL AMABILIS IN QVEM  
ALTVS VIRTVTVM SPLENDOR CONVENERAT OMNIS  
QVO MEDIOLANVM RADIABAT LAMPADE TANTA  
TOTAQVE FVLGEBAT REGIO NVNC PALLET ADEMPTO  
CLARA VICECOMITVM PROLES VENERABILIS OTHO  
OH DOLOR OH VVLNVS CINIS EST HOC MARMORE FACTVS  
CHRISTE PATER VITA REQVIESCAT SPIRITVS IN TE  
ANNIS VNDENIS TER SENIS TERQVE DIEBVS  
PRAEFVIT ECCLESIAE PASTOR BONVS AMBROSIANAE  
MILLE DVCENTENO QVINTO NOVIESQVE DECENO  
QVARTO HIC AVGVSTI BIS LIQVIT GAVDIA MVNDI.

Habentur ipſius, quæ hîc damus:

I. Othonis Vicecomitis Archiepiſcopi Synodus Provincialis Mediolani habita, anno MCCLXXXVII. cum continuationibus Guifredi Card., & Legati Apoſtolici. Extat in Rer. Ital. Script. Tom. VIII. pag. 1049. ex MS. Bibliothecæ Ambroſianæ, in fol. ſign. D. num. 283., cui præfixa eſt Epiſtola Caroli à Baſilica-Petri Epiſcopi Novarien., tenoris videlicet: „ Il Veſcovo di Vercelli a dì paſſati mi mandò le „ alligate Coſtituzioni d'Ottone già Arciveſcovo, e „ di un Legato Appoſtolico, acciocchè vedute, le „ mandaſſi a V. S. Illuſtriſſima e Reverendiſſima, e „ così facciò ec. XXIII. Agoſto MDCIX. Novara. „ Don Carlo Veſcovo di Novara. „ Extant etiam in altero Cod. ejuſdem Biblioth. ſign. B. num. 76. in fol.

II. Synodus altera Provincialis, habita XXVI. Novemb. MCCXCI. in Eccleſia Sanctæ Theclæ, in qua multa conſtituta ſunt ad Eccleſiaſticam diſciplinam revocandam. Meminit hujus Synodi Bernardinus Corius Hiſtoriæ Mediolanenſis, Par. II., & ex eo Bzovius in Annalibus.

III. Conſtitutio Ottonis Archiepiſcopi, in qua habetur Ordo Stationum Quadrageſimæ in Urbe Mediolani. Dat. MCCLXXXIV. XXVII. Feb. Scatet multa eruditione pro Hiſtoria Mediol. Eccleſiæ. Extat in Collect. Sormani.

IV. Oratio ab eo excommunicato in defenſionem ſui ipſius contra Ambaxiatores Turrianorũ habita, extat in lib. cui titulus: „ Raccolta d'Orazioni di varj Autori „ in materia Civile, e Criminale, raccolte da Remi„ gio Fiorentino; „ & in Antiquit. Vicecom. pag. 39., & 41., ubi alia ibid.

V. Ejuſ-

Digitized by Google

V. Ejuſdem Oratio poſt Victoriam Turrianorum, pagg. 49. Extant etiam ambæ in Annalibus Mediolanenſibus, pag. 668. in Tom. XVI. Script. Rerum Ital., unà cum Orationibus Turrianorum contra eundem. Omnes latinæ.

VI. Ejus Diploma, dat. Viqueriæ, Derthon. Diœceſis, XIII. Junii, MCCLXXI., Indict. XIV., quo concedit Indulgentias univerſis Chriſtifidelibus Provinciæ Mediolanenſis, qui adjutrices manus porrexerint ædificando Cœnobio Eremitarum Sancti Auguſtini Derthonæ. Extat apud Torellum, Tom. IV. Annalium Ordinis Auguſtiniani, ad annum MCCLXXI., num. XI.

VII. Teſtamentum ejuſdem, cum erectione Capellaniæ Sanctæ Agnetis, & Præbendæ Doctoralis in Metropolitana. Act. in Capella Sanctæ Agnetis, quæ contigua eſt Palatio veteri Archiepiſcopatus Mediolanenſis. Sub die Dominico XXIII. menſis Martii, anno Domini MCCLXXXXII., Indictione quinta, rogatum per Antegradum Crottum, Notarium Civitatis Mediolani, ac Scribam prædicti Domini Archiepiſcopi, & ſcriptum per Beltraminum de Robiano Civitatis item Mediolani Notarium &c. in pergamena &c. penes Advocatum Sitonum, atque perexemplar in Collectione Diplomatica Nicolai Sormani, Ambroſiani Collegii Doctoris.

In libro, cui titulus: „ Carmina Illuſt. Poët. Ital., Tom. XI. pag. 375. extat Carmen Jani Vitalis Panormitani in Othonem Archiepiſcopum.

Agunt de eo Scriptores omnes, qui Vicecomitum geſta retulerunt, atque Franciſcus Pipinus in Chronico ſuo vulgato in Tomo IX. Script. Rerum Ital. pag. 701. Cotta in Muſæo Novarien. pag. 237. Petrus Azarius, Cl. Sitonus, aliique penè innumeri.

## MDCCCCXXII.

## VICECOMES PETRUS GEORGIUS.

PEtrus Georgius Vicecomes, Alphonſi, ex Summæ Condominis, & Violantæ Lampugnanæ filius, adeò accuratè, optimèque educatus extitit, ut Majorum veſtigia ſecutus, in Collegium Nobilium J. PP. Patriæ cooptatus fuerit, anno poſt Chriſti Adventum MDXLVI. Scientiis Legalibus prudentiam, ac in rebus gerendis peritiem adjunxit, ideoque Legatus ad Ducem Mantuæ Regiæ Catholicæ Majeſtatis nomine miſſus eſt, dein Præfecturam Capitalium rerum in Patria ingenti cum laude egit, hinc Regius Ducaliſque Senator efficitur. Dolendum interea eſt, quòd pauca ejus ingenii monumenta ſuperſint, ut infra, ſed juxta Adagium „ ab ungue Leonem. Inter vivos eſſe deſiit anno MDLXIX., & hæc de eo reperimus,

Quæ ſunt:

I. Petri Georgii Vicecomitis Oratio de Juriſprudentiæ laudibus. MS. in fol. Extat apud amiciſſimum, doctumque Virum Canonicum Joannem Andream Iricum. In eadem meminit cum laude Mediolanenſis Senatus, & præcipuè Præſidis Sacci, quem præſentem alloquitur, ex quo apparet eam Orationem coram Senatu habitam fuiſſe.

II. Fragmentum Libri primi Epiſtolarum Latinarum, ex quibus eruitur multò plures eum ſcripſiſſe, ſuperſunt tamen VIII. tantùm. I. Videlicet ad Cardinalem Seripandum. II. Ad Epiſcopum Cremonenſem. Reliquæ ad Julium Clarum Senatorem. Extant in eodem Codice MS.

III. Epiſtola Latina ad Pontificem Maximum, ut gratias ei agat, quòd Carolum Vicecomitem ad Albintimilienſem Epiſcopatum promoviſſet. Legitur in Cod. MS. Epiſtolarum Franciſci Ciceregi Bibliothecæ Fratrum Marchionum Vicecomitum alibi citato.

IV. Conſilium Juridicum; laudatur à M. Antonio Natta in Tom. II. Conſiliorum, num. 465.

Agit de eo Sitonus noſter in Chron. Coll. J. PP. Mediol. pag. 116. art. 475.

## MDCCCCXXIII.

## VICECOMES PHILIPPUS.

VIr ſanè inter paucos celeberrimus nuncupandus eſt Philippus Vicecomes, Patritius Mediolanenſis, ſi doctrina, ſi egregia facinora, ſi munera, ſi decora, ſi tandem mores ejus compoſiti ſpectentur. Ne tamen, ſingula enarrando, inſtituti noſtri limites nimiùm exceſſiſſe videamur; aliqua tantummodò, & ad rem noſtram conducentia, quæ ex libro ſuo MS. toties laudato, cui titulus: *De Conventu S. Marci*, deprompſimus, innuemus. Joanne Ambroſio igitur ex Vicecomitibus de Serono U. J. Doctore, ac Franciſca Balſama conjugibus ortus eſt Philippus anno MDXCVI. die IX. Auguſti; cui, dum per ætatem licuit, præter alios, dati fuere Præceptores Lucilius Terzagus, & in humanioribus litteris Magiſter Chriſtophorus de Balneoregio Auguſtinienſis Eremita, quo potiſſimùm in gravioribus etiam ſtudiis uſus eſt. Parentum ſedulâ curâ nedum liberaliter, ſed chriſtianè admodum educatus, Deo ſe perpetuò mancipare decrevit; eaque propter, ut votum compleret, anno MDCIX. Eremiticum Divi Auguſtini habitum induit in hujus Urbis Marciano Cœnobio. Solemni emiſsâ, ut ajunt, profeſſione anno MDCXII., vires omnes, ingenio alioquin acer, ſubindè intendit, ut ſe Philoſophiæ, Theologiæque ſcientiis exornaret. Mirificè id quidem præſtitit cumulatèque; itaut Doctor in iis facultatibus, ac Magiſter renunciari meruerit, & commendata ipſi fuerint à ſui Ordinis Prælatis gymnaſia reſpectivè Cœnobiorum Arimini, (ubi ſe quoque novit aſſumptum in Conſultorem S. Officii) Mediolani, Florentiæ, Paduæ, Neapolis, & Romæ; quo in munere ſtrenuam certè navavit operam maximo cum diſcipulorum emolumento. Anno poſtmodum MDCXXXIX. inſtitutus à Summo Eccleſiæ Paſtore Urbano VIII. Ilicetanæ Congregationis ejuſdem Eremitici Ordinis S. Auguſtini Vicarius Generalis, eam zelo, prudentiâ, ſuavitateque paribus rexit Philippus adeò, ut priſtina legum obſervantia in illa refloruerit; cunctorumque hujus Cœtus Fratrum ſibi benevolentiam conciliaverit: Hinc ad Cœnobia Mediolanenſe ſcilicet D. Marci, mox Papienſe D. Auguſtini moderanda vocatus eſt. Eccleſiaſticæ item diſciplinæ peritum ac zelatorem, rebuſque in gerendis apprimè induſtrium ſe exhibuit Philippus, cùm in luſtrandis nonnullis Diœceſibus, Tiburtinâ ſcilicet, Tuſculanâ, & Portuenſi, Cardinali Româ urgente; tum Albanenſi, Spadâ quoque Cardinali flagitante, operam ſuam laudabiliter impendit. Viri hujus ope utili ac opportunâ fraudanda interim non erat Auguſtiniana Familia, quæ ſummi beneficii loco reputavit, illi commiſſam ab Innocentio X. generalem ſuorum negotiorum Procurationem; ideoque anno MDCXLIX., Comitiis habitis, eum ſibi Priorem Generalem aſcivit. Plurimùm tunc temporis doctiſſimus iſte Præſul & verbo, & ſcriptis adlaboravit, ut Sanctiſſimi Eccleſiæ Doctoris ac Patris ſui Auguſtini doctrina, à quorumdam verſipellium machinamentis agitata, inconcuſſa maneret; nec ab eâ fortiter tuendâ cujuſvis minæ, aut iræ illum aliquandò compeſcuere. De Republica tandem Auguſtinienſi jam optimè meritus, nihil aliud exoptabat ardentiùs, quàm vitæ ſuæ reliquum piis exercitationibus, litterariiſque ſtudiis inſumere, quo ductus conſilio ſibi plures oblatas ſacras Infulas modeſtè recuſavit: verùm non potuit, quin Catacenſem admitteret anno MDCLVII., ut Summi Pontificis Alexandri VII. obtemperaret imperio. Supervacaneum procul dubio eſſet, ea omnia recenſere, quæ, hoc in Epiſcopatu bene adminiſtrando, toto ſeptennio dixit, geſſit, aggreſſus eſt; cùm de Viro, facilitate

litate morum gratiſſimo, doctrinâ, & eruditione planè culto, regendi peritiâ inſtructo, probatoque, nil, niſi quod Evangelici verè Paſtoris eſt, ſit præſumendum. Effectum probavere univerſi ſui Gregis profuſæ lachrymæ, dum fato functus anno MDCLXIV. ad ſepulchrum efferretur: teſtatur quoque vigens in illo dilectiſſimi ſui Antiſtitis grata memoria. Hoç demùm pro coronide addendum, quod licèt graviſſimis muneribus, vel intra ſuos Concellitas, vel extra, perpetuâ quadam ſucceſſione diſtentus, nullum tamen finem fecit aut libros lectitandi, aut ſcribendi; cujus argumento ſint ipſius Lucubrationes, à nobis non ſine voluptate præ manibus habitæ, & infra enumerandæ: ſuique amoris erga Mediolanenſe Cœnobium Divi Marci perenne monumentum ſupra Bibliothecæ januam, lapide inciſum his verbis conſpicitur:

BIBLIOTHECAM A F. ZACHARIA FERRARIO
ANNO MDLXVI. PICTVRIS VIRORVM
ILLVSTRIVM SVI ORDINIS, ET VARIIS
CODICIBVS EXORNATAM, VETVSTATE
FATISCENTEM, TRANSTVLIT ET AVXIT
PHILIPPVS VICECOMES
ANNO MDCXLIV.

Non abs re duximus ea hìc inſerenda, quæ Philippus Elſſius in Encomiaſtico Auguſtiniano refert pag. 331. de altero ejuſdem Vicecomitum Familiæ, ac Eremitici Auguſtinienſis Ordinis Viro illuſtri, Joanne Baptiſta ſcilicet, nobili Mediolanenſi, Comitis Octavii germano fratre, ac S. T. D. Hunc tradit, egregia virtutum ſpecimina diverſis in officiis exhibuiſſe, præſertim Mutinæ (ubi Ducibus venerationi erat ac acceptus) & anno MDCIX. die XIII. Februarii Epiſcopum Interamnenſem in Aprutio creatum, per annos XXIX. Eccleſiam ſuam præclara integritate animi, pietate, ac prudentia gubernaſſe. Quod charitatem in pauperes, in omnes munificentiam ſuam palàm fecerit: Eccleſiaſticam verò libertatem acerrimè fuerit tutatus. Cathedralis demùm Eccleſiæ aucto cenſu; duobuſque Capellanis, in ea perpetuò Deo famulaturis, inſtitutis, omnem ſuam ſupellectilem, dum viveret, eidem dono dederit; noviſſimè autem ad Superos evolaverit anno MDCXXXVIII. die XI. Maji. Ex Herrera litt. I. de Præl., & Cruſenio P. 3. c. 46.

Hic eſt operum Philippi Catalogus:

I. Curſus Phyſicæ. MS. in fol. ſign C.

II. Curſus Philoſophicus integer. MS. in fol.

III. Introductio ad Sacram Theologiam. MS. in 4. juſtæ molis.

IV. De Deo uno, trino, & incarnato. MS. in fol. ſign. G.

V. De Angelis tum bonis, tum malis ad mentem B. Ægidii Doctoris fundatiſſimi ſui Ordinis elucubratas. MS. in fol ſign. A.

VI. Introductio ad ſtudia de Scientia Dei: Somnium Auguſtini: De laudibus Philoſophiæ: De laudibus Theologiæ: atque Orationes variæ latinæ. MS. in 4.

VII. De Altitudine Sapientiæ & Scientiæ Dei, & de Libero arbitrio. MS. in fol. pagg. 970.

VIII. De Prædeſtinatione, & Reprobatione ſecundùm mentem Divi Auguſtini. Volumina duo MSS. in fol. juſtæ molis.

IX. De Gratia, & Auxiliis, & de Donis Spiritus Sancti, necnon de Prædeſtinatione ad mentem D. Patris Auguſtini. Vol. duo, primum pagg. 2058., ſcriptum dum erat Regens Romæ anno MDCXXXVIII. alterum pagg. 750. utraque MSS in fol.

X. Collectio SS Gregorii, Auguſtini, & Hieronymi de Altitudine Divini auxilii, vel Arcanorum Divinæ Sapientiæ. De mirabilibus judiciorum Dei. Volumen adhuc inordinatum. MS. in fol. pagg. 834.

XI. De Sacramentis in genere, & de Sacrificio Miſſæ. MS. in fol. ſign. R. pagg. 840.

XII. De Fide, Spe, & Charitate. Ex Picinello.

XIII. De Opere ſex dierum. Ex Picinello.

XIV. De Poteſtate Eccleſiaſtica juxta mentem S. Auguſtini cum ferè omnibus controverſiis ſuper hanc rem. MS. in fol. pagg. 850.

XV. Mareſii hæretici Hollandi Liber, de ſolo Primatu D. Petri contra Antonium Arnaldum, ſcriptus à Magiſtro Philippo Vicecomite, cum aliquibus ipſius adnotationibus in margine. In fronte ſic legitur: „ Correctior eſt penès „ Eminentiſſimum Cardinalem de Roma, cum „ per tempus non licuerit reſcribi. „ Adſunt in fine nomenclaturæ variorum Auctorum, qui à Philippo Vicecomite producuntur contra præfatum libellum. MS. in fol.

XVI. Quæſtiones CCLXV. ad rem Eccleſiaſticam, atque Jus Canonicum ſpectantes. MS. in fol. pagg. 565.

XVII. Synopſis Hiſtoriæ Concilii Tridentini Sfortiæ Pallavicini. Teſtatur Auctor ipſe in Vita ſua, hoc Opus perfeciſſe die XVI. Aprilis anno MDCLVIII. MS. in fol.

XVIII. Cathæreſis, ſeu Cœremonia, & Liturgia, ſeu Actio Miſſæ; necnon de Miniſtris, de Sacris Veſtibus, de Eccleſiarum Altaribus, & Vaſis ſacris. MS. in fol. juſtæ molis ſign. L.

XIX. De Conſuetudinibus ſacro-profanis. MS. in fol. pagg. 884. ſign. K.

XX. Cenſuræ in Libros varios P. Theophili Raynaudi Soc. Jeſu, nempè: de Martyrio per peſtem; de Communione pro mortuis; cum Sententiis SS. PP., aliorumque Doctorum. MS. in fol. ſign. O.

XXI. De ſingulari dono Virginitatis, cum authoritatibus SS. PP.; & nonnullorum Theologorum. MS. in fol. pagg. 290. ſign. N.

XXII. De Religionis diſciplina regulari. MS. in fol. ſign. G.

XXIII. Miſcellanea ſacra, atque profana. MS. in 4.

XXIV. Apologia pro Sancto Auguſtino, ſeu Defenſio Operum ejuſdem, maximè de Gratia, & Libero arbitrio, contra varios Auctores. MS. in fol. magno, autographo pagg. 450.

XXV. Catalogus eorum, qui noſtrâ ætate contra Sanctum Auguſtinum ſcripſerunt, cum eorum propoſitionibus, & contra eaſdem Vindiciæ. MS. in fol. pagg. 256. ſign. M.

XXVI. Pontificum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, & illuſtrium Scriptorum elogia, quibus doctrina, & auctoritas S Auguſtini de Gratia potiſſimùm, de Libero arbitrio, & Prædeſtinatione approbatur; oppoſita cenſuris, quibus à modernis quibuſdam Scriptoribus eadem improbatur. MS. in fol. ſign. C.

XXVII. Reſponſio ad Librum Fr. Andreæ à S. Thomà, cui titulus: „ L'incertezza accertata della „ Predeſtinazione contro la Dottrina del P. „ S. Agoſtino. „ MS. in fol. ſign. R.

XXVIII. Hiſtoria Controverſiæ de Auxiliis Divinæ gratiæ, cum omnibus agitatis in ſacris Congregationibus de eadem materia. MS. in fol. juſtæ molis.

XXIX. Acta in materia de Gratia, à P. Philippo Vicecomite collecta, videlicet Inſtructio pro Bulla Janſenii, manu propria ſcripta ab Eminentiſſimo de Roma: Verba præſcripta à S. Congregatione S. Officii Cardinali Romæ, ab eo dicenda Doctoribus Sorbonæ, qui pro tuenda doctrina S. Auguſtini Romam venerant. MS. in fol. juſtæ molis.

XXX. Opuſcula varia collecta, atque conſervata ſtudio Fr. Philippi Vicecomitis, inter quæ plura ad S. Congregationem S. Officii pertinentia, atque in eadem actitata. In aliquibus etiam adſunt notæ marginales ejuſdem Auctoris. MS. in fol. juſtæ molis. Tomi duo.

XXXI. Orationes variæ ab ipſo elaboratæ, inter quas adeſt una in obitu Patris Chriſtophori de Balneoregio, dicta Peruſiæ die XXV. Auguſti, anno MDCXIX. Necnon Præfationes variæ num. LIX., & Dialogus de Peſtilentia. MSS. duo, unus in 4. alter in 8.

XXXII. Sermones varii Latino, atque Italico ſermone conſcripti. MS. in 4.

XXXIII. Item Sermones varii Latini, atque Italici. MS. in fol. ſign. D., & Tom. III. in 4.

XXXIV. Conciones Quadrageſimales eruditiſſimæ. Ex Picinello.

XXXV. Vitæ Sanctorum Ordinis Auguſtiniani. Ex Picinello.

XXXVI. Varia MSS. hiſtorica, ad Religionem Auguſtinianam ſpectantia, Sæculo XVI. ferè integra, in quo plura de Cardinali Pallotto ejuſdem Ordinis Protectore. MS. in fol. ſign. B.



Digitized by Google

XXXVII. De Jure Patrum Aſſiſtentium Eremitanorum, cum Bullis, atque Decretis Summorum Pontificum, & S. Congregationis Regularium. MS. in fol. ſign. I.

XXXVIII. Vita Beatæ Claræ de Montefalco Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ſermone Italico exarata. MS. in fol. ſign. P.

XXXIX. Acta integerrimi Viri Magiſtri Joannis Auguſtini Ariminenſis Auguſtiniani, vitâ functi anno MDCXXVII., ut Auctor teſtatur in Vita ſua. MS. in fol.

XL. De Conventu S. Marci. MS. in fol. incipiens ab inſtitutione Auguſtiniani Ordinis uſque ad Auctoris tempus, ubi vitam quoque ſuam ſatis prolixè deſcribit, & poſt Indicem eorum, qui de Ordine ſcripſerunt, ait: „ Et ego quidem „ aliqua collegi, quæ diſponenda PP. Curtio „ & Herreræ tranſmittere curavi: alia verò, „ cum poſt eorum editionem obſervaverim, „ quæ incidenter occurrerunt, in hoc Libro con„ſervanda eſſe exiſtimavi, maximè quæ ad Con„ventum S. Marci Mediolani pertinere didici: „ Nam cum quædam Chronica cœpta fuerit „ anno MCCCLXXXIX. à quodam Fr. Fran„ciſco de Francis Lectore Pariſienſi; intermiſ„ſa tamen fuit uſque ad annum MCCCCXL. „ die IX. Auguſti, quo tempore Magiſter Joan„nes Marlianus, incipiens à Lanfranco Septa„la primo Generali poſt unionem, adnotare „ curavit, quem ſequutus eſt Magiſter Joannes „ Antonius de Velate, ſed exortâ peſtilentiâ, „ intermiſſus labor fuit. „ MS. in fol quo pluribus in locis hujus meæ Bibliothecæ uſus ſum, beneficio P. Magiſtri Gavardi junioris, dum erat in vivis.

Ceterùm in eodem hujus Urbis Templo Divi Marci, dum Philippo, corporis ſarcinâ exuto, Auguſtinienſes Fratres parentarent, Orationem in illius laudem habuit Jacobus Antonius Morigia Cler. Reg. Congr. S. Pauli, poſtea S. R. E. Card Ex Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 137.

Eumdem commendant Elſſius in Encomiaſtico Auguſtiniano litt. P. pag. 589. Ughellus Tom. VIII. recentis editionis pag 379. & Picinellus in Athenæo pag. 195. Nonnulla quoque accepi a docto amiciſſimoque P. Nicolai ejuſdem Ordinis.

## MDCCCXXIV.

## VICECOMES PHILIPPUS MARIA.

EX Joanne Galeacio Vicecomite, primo Mediolani Duce, cujus jam ante meminimus, atque Catharina Barnabæ Vicecomitis filia jugalibus, lucis hauſit uſuram Philippus Maria, de quo nunc agendum nobis eſt. Illum adhuc impuberem moriens genitor Novariæ, Alexandriæ, Aſtæ, Vercellarum, Papiæ, atque Derthonæ Dominum eſſe juſſit, & titulum Papiæ Comitis præſeferre. Poſt cædem Joannis Mariæ fratris ſui, cùm captivo perſimilis, & propriæ ſalutis incertus Papienſi in arce fortunæ exitum timidus expectaret, inſperata ei ad Principatum affulſit via. Nam cohortantibus Ducibus, qui ſub Facini Canis imperio jam pridem militaverant, animum erexit; & Beatrice Tendâ ipſius Facini olim conjuge in matrimonium ſibi copulatâ, quater centenis millibus aureorum dotis nomine acceptis, opportunam ad Ducis dignitatem aſſequendam nactus eſt pecuniam. Quocirca inſtructo exercitu Mediolanum veniens, acclamatus eſt Princeps. Bergomum, Cremonam, Laudem Pompejam, Placentiam, Comum, Modoëtiam vix inito Ducis munere felici eventu recuperavit, extinctis Tyrannis, & hoſtibus, qui eiſdem dominabantur. Tum ad remotiores Urbes in poteſtatem redigendas converſus, quæ à Principatu paterno divulſæ fuerant, in eam rem totus incubuit. Veronam Veneti, Florentini Piſas, Bononiam verò Romanus Pontifex occuparant. Sed adverſante armorum ſorte Bergomum, Brixiamque amittit, & Genuâ pellitur. Conſtantiâ tamen admirabili, ſemper ſibi ſimilis ſive victor, ſive victus, enituit, indomitamque virtutem præſetulit. Inter tot militaria negotia ſtudiorum nunquam oblitus hiſtoriarum lectione plurimùm oblectabatur, adhibitò in ſtudiorum contubernium Antonio Panormita Viro in litteraria Republica ſatis noto. Ceterùm ingrati animi notam fœdiſſimam incurrit, cùm Beatricem uxorem, cujus auxilio ad tantam aſcenderat potentiam, propter adulterii ſuſpicionem diriſſimè tortam, nec quidquam in tormentis adversùs thori fidem patratum confeſſam, ſecuri percuti juſſit. Eâ ſublatâ Mariam Sabaudiæ Ducis filiam conjugem ſibi adſcivit, quæ tamen nullos genuit liberos. Blancam Mariam non juſtis nuptiis ex Agnete de Mayno ſuſceptam Franciſco Sfortiæ nubere juſſit, quem filii habuit loco, quique ſucceſſor illi fuit in Mediolanenſi Ducatu. Magnanimus alioqui extitit uſque adeo, ut Alphonſum Regem ad Pontiam inſulam ſuperatum, & captivum, nedum libertate donaverit, ſed inſignibus etiam muneribus affectum, copioſâque inſtructum pecuniâ ad Neapolim recuperandam dimiſerit. Martinum V. Pontificem è Conſtantienſi Concilio reducem Mediolani magnificentiſſimè excepit. Fama nominis ejus tanta fuit, ut Ladislaus Poloniæ Rex eum ut patrem coluerit, miſſiſque legatis & muneribus benevolentiam erga ipſum ſummam teſtatam voluerit; quod Lituaniæ, Daciæ, ac Boruſſiæ Principes quoque fecerunt. Aſiæ inſuper & Africæ Reges Oratoribus ablegatis ipſius amicitiam efflagitarunt. Memoriâ præditus fuit feliciſſimâ, quodque ſemel vel audierat, vel legerat altiſſimè retinebat. Nam ab ipſa infantia edoctus fuerat à Joanne Thiennio; Carminumque Italicorum Franciſci Petrarchæ lectione plurimùm oblectari conſueverat. Audivit etiam Martianum Derthonenſem explicantem Dantis libros, atque ex Livii Decadibus, quas aſſiduè pervolutabat, multa memoriæ commendaverat. Orationes habentibus coram ſe, nihil à propoſito diſtans ſæpè ex tempore latino ſermone reſpondit. Gallicis etiam Voluminibus, quamvis non raròfabuloſis repletis narratiunculis, delectatus eſt, neque abhorruit ab antiquis aliis Hiſtoricorum laboribus, præſertim ſi in Italicum Idioma à doctis Viris converſi forent. Divini Numinis Majeſtatem ſedulâ precum frequentiâ coluit, & quamvis bello coactus plures ex ditione Eccleſiaſticâ Urbes occupaſſet, ac omnem ferè Flaminiam ſubegiſſet, religione tamen tactus Martino V. Summo Pontifici omnia ultrò reſtituit. Deceſſit Idibus Auguſti paulò ante ſecundam horam noctis in Arce Portæ Jovis Mediolani anno Virginei Partus MCDXLVII. conditis ultimæ voluntatis Tabulis, quarum infra rurſus memoria recurret. Corpus illius in Templum Maximum delatum in arca lignea panno aureo contecta repoſitum diu jacuit ſupra aram maximam è ſublimi fornicis intercolumnio ſuſpenſum, nunc autem inde demiſſum humi cubat, abſque ullo marmoreo tumulo. Servavit Jovius Inſcriptionem in infimo pariete ſuâ adhuc ætate ſuperſtitem in hæc verba à Jano Vitali Panormitano compoſitam.

CLEMENTISSIMVS ATQVE LIBERALIS
INSVBRVM DOMINVS PHILIPPVS HIC EST
VICTIS REGIBVS VNICO DVOBVS
QVI BELLO MANICASQVE COMPEDESQVE
LEVARI IVBET IN SVASQVE ABIRE
DONATOS OPIBVS LVCVLLIANIS
SEDES ET SVA REGNA LIBERATOS
TETRO CARCERE DISCITE HINC TYRANNI
SVNT HAEC MVNERA PRINCIPVM SVPERBOS
DEBELLARE PIOS ET ESSE VICTIS.



Digitized by Google

A

Habemus eruditionis ejuſdem veſtigia in ſequentibus monumentis litterariis :

I. Epiſtolæ II. Philippi Mariæ Mediolanenſium Ducis &c. ad Conſtantiam Varaneam, prima data III. Id. Septembris MCCCCXLIV. ſecunda VIII. Decembris ejuſdem anni, cum ambabus reſponſionibus ejuſdem Varanææ. Sunt MSS. in membranaceo Codice Bibl Ambr. ſign. L. num. 69. in 4.

II. Philippi Mariæ Ducis Mediolani Epiſtola ad Generum ſuum Comitem Franciſcum Sfortiam, data anno MCCCCXL. extat in Tomo II. Commentariorum Bibliothecæ Vindobonenſis Petri Lambecii pag. 138. ex Codice num. 35.

III. Epiſtola ad Concilium Baſileenſe, data Mediol. XX. Auguſti MCCCCXXXV. extat in Collect. Regia B Concil. Tom. XXX. pag. 857.

IV. Epiſtola Philippi Mariæ Ducis Mediolani ad Lucenſes, data Cuxaghi XX. Novembris MCCCCXXXII. pag. 369. habetur inter Epiſtolas Principum, & Rerumpublicarum. *Venetiis*, 1584. *in* 12.

V. Ejuſdem Epiſtolæ Franciſco Barbavaræ, & Opicino de Alzate Locumtenentibus Reipublicæ Januenſium, omnes datæ Mediolani MCCCCXXXIII. pagg. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41., & 42. Ibidem.

VI. Altera Franciſco Barbavaræ Vicario Ducali Saonæ, data Mediolani XVIII. Octobris MCCCCXXX. pag. 45. Ibidem.

VII. Altera Franciſco Barbavaræ Vicario Saonæ, necnon Revd. Epiſcopo, & Antianis Civitatis Januæ, ac Saonæ, data Mediolani XXIII. Junii MCCCCXXXIII. pag 45. Ibidem.

VIII. Altera ad Januenſes abſque anno, pag. 44. Ibid.

IX. Litteræ Jo. Mariæ, & Philippi Mariæ Vicecomitum C ad VVenceslaum Rom. Imp. de morte Patris, datæ Mediolani III. Septembris MCCCCII. MS. in Cod. Biblioth. Ambr. ſign. I. num. 11.

X. Litteræ Philippi Mariæ Angli Ducis Mediolani ad Ducem Venetiarum, de Pace inter ipſum Ducem, & Florentinos, extant MSS. apud Urſatum de Urſatis Equitem Patavinum. Ex Thomaſino.

XI. Litteræ Philippi Mariæ Angli ad Thomam de Campofregoſo Ducem Januenſium, quibus apertum eis bellum indicit, datæ Mediolani MCCCCIII. III. Maji, cum reſponſione ejuſdem Thomæ, extant in Tomo I. Collectionis Monum. Martene, & Durand.

XII. Ejuſdem Epiſtola ad Albergum de Nigrono Januenſium Ducem, qua eumdem hortatur ad parandam claſſem adverſùs Venetos, data Abiatæ die XVIII. Septembris MCCCCXXXI. Ibid.

XIII. Alia ad Florentinos, qua eos cauſatur, quod pa- D cem non ſervent, & adverſùs rebelles Januenſes ſubſidia non dederint, data Mediolani die XVIII. Martii MCCCCXXXVI. cum reſponſione Florentinorum. Ibidem.

XIV. Ejuſdem ad Baſileenſe Concilium Epiſtolæ duæ, prima data Mediolani die I. Februarii MCCCCXXXII., in qua Patres monet de proximo adventu ad Concilium Bartholomæi Capræ Archiepiſcopi Mediolanenſis cum duobus aliis Epiſcopis; & eos hortatur, ut diſſolutioni Concilii non aſſentiantur; altera verò data eſt Mediolani die XIV. Februarii ejuſdem anni, in qua laudat Patrum zelum, & eos denuò certos reddit de proximo adventu Prælatorum ſuorum. In eadem Collect. Tom. VIII.

XV. Altera ejuſdem ad Bartholomæum Capram Archiepiſcopum Mediolanenſem, & ad Epiſcopum Albiganenſem, data Mediolani VIII. Junii MCCCCXXXVII. Improbat translationem Concilii Baſi- E leenſis ad Civitatem Florentinam, & minatur impediturum ſe ipſius celebrationem, quantum in ſe erit. Ibidem.

XVI. Philippi Mariæ Angli Ducis Mediolani Epiſtolæ XV. Franciſco Barbavariæ, & Opicino de Alzate Locumtenentibus Reip. Januenſis, datæ Mediolani anno MCCCCXXXIII. extant in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum.

XVII. Epiſtola ad Antonium Panormitam.

XVIII. Altera ad Ferdinandum Regis Alphonſi filium, extant in Ricardiana Florentiæ in Cod. aliarum Epiſtolarum ejuſdem Principis, ex Regeſto Tabularii I. Vol. in fol

Nec erit, opinor, Lectori tœdio, ſi ſummarium Teſtamenti, quod condidit præfatus Philippus Maria Vicecomes Mediolani Dux &c. exiſtens penès amiciſſimum Advocatum Sitonum hîc apponendum cenſeam, illud verò ſic ſe habet:

„ Anno à Nativitate Domini Milleſimo quadringen-
„ teſimo quadrageſimo ſeptimo, die Sabbathi duo-
„ decimo menſis Auguſti, Indictione decima, ſe-
„ cundùm ſtylum Civitatis Mediolani.

„ Teſtamentum nuncupativum, quod condidit Illu-
„ ſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus Domi-
„ nus Philippus Maria Anglus de Vicecomitibus
„ Dux Mediolani &c. natus recolendæ memoriæ Il-
„ luſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini Domini Jo-
„ hannis Galeatii Vicecomitis olim Mediolani Du-
„ cis &c. habitans in ejus Caſtro Portæ Jovis Me-
„ diolani æger corpore &c., in quo titulo inſtitu-
„ tionis reliquit Illuſtri Dominæ Dominæ Blancæ
„ Mariæ Vicecomiti ejus unicæ filiæ legitimatæ, ac
„ nuptæ Illuſtri Domino Domino Comiti Franciſco
„ Sfortiæ Vicecomiti &c. Civitatem Cremonæ cum
„ ejus Diſtrictu, & territorio, ac juriſdictione, &
„ omnibus ejus juribus &c. omniaque ejus jocalia &c.
„ Ac inſtituendo ſibi hæredem univerſalem in omni-
„ bus aliis Civitatibus, Terris, Caſtris Status Me-
„ diolani tam feudalibus, quàm allodialibus, om-
„ nibuſque aliis ſuis bonis, & juribus &c. Sereniſ-
„ ſimum Dominum Dominum Regem Don Alphon-
„ ſum Quintum de Aragonia utriuſque Siciliæ Re-
„ gem, uti Patrem ſuum honorandiſſimum.

„ Conſtituendo executores ſuos Teſtamentarios
„ Antonellum de Seratico Præfectum Caſtri Portæ Jo-
„ vis Mediolani.
„ Franciſcum de Landriano Camerarium ſuum.
„ Dominicum Ferruſinum, &
„ Johannem Matthæum Bottigellam Secretarios ſuos.
„ Brocardum Perſicum, &
„ Bonifacium de Belingeriis Familiares Aulicos ſuos.
„ Actum in Caſtro Portæ Jovis Mediolani ſit. in P. C.
„ P. S. Prothaſii in Campo foris Mediolani.
„ Interfuerunt ibi teſtes Comes Antonellus de Sera-
„ tico Præfectus Caſtri Portæ Jovis Mediolani filius
„ quondam Domini Gabrielis, & Franciſcus de
„ Landriano Ducalis Camerarius filius quondam
„ Domini Bartholomæi, & alii plures Teſtes om-
„ nes noti &c.
„ Rogatum & receptum per D. Jacobum de Becchet-
„ tis Ducalem Secretarium filium quondam Domi-
„ ni Marci. „

Ejuſdem Ducalis Teſtamenti etiam meminit Clariſs. olim Senator Mediolani Hieronymus Magnocaballus Patritius, & J. C. Colleg. Comenſis in ejus Collectione „ De Origine Ducum Mediolani, & „ omnium prætenſionum ſuper eodem Ducatu pag. 15., MS. paginarum 85. in folio, quæ extat penès hæredes Comitis Franciſci Peregrini de Albriciis Canonici in Eccleſia Cathedrali Comenſi paucis ab hinc annis defuncti.

Nicolai Gamberti della Porta Epithalamium, ſive Poëma in Nuptiis Ducis Mediolani Philippi Mariæ Vicecomitis. MS. in 4. pergamenus, extat in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſ. Sancti Ambroſii Mediol. ex legato Blanchini. Sitonus in Schedis.

Extat Oratio Antonii Rhaudenſis pro Philippo Maria Duce Mediolani pagg. 18. de qua ſuo loco.

Inter Epiſtolas Æneæ Sylvii extat LII. data ex Nova Civitate die XIII. Decembris, anno Domini MCCCCXLIV. Illuſtriſſimo Principi, ac Excellentiſſimo Domino D. Philippo Mariæ Anglo Duci Mediolanenſi &c. in qua ei nunciat, quod Bello Turcarum, & Ungarorum Rex Poloniæ, & Cardinalis S. Angeli ceciderunt.

Altera quoque ſub numero LIII. ſine data, in qua dolet Eccleſiam ſuam alteri collatam propter falſum ſuæ mortis rumorem.

Oratio habita ad Populum Mediolanenſem poſt obitum Philippi Mariæ Vicecomitis ab Ænea Sylvio tunc Ferdinandi Cæſaris Legato, extat MS. in Cod Biblioth. Ambroſ. ſign. I. num. 97. in fol. ubi inter cætera ait : „ Accepit ſanè Regia No-
„ bilitas non multos ante dies clauſiſſe oculos, na-
„ turæque debitum perſolviſſe indelebilis, clariſſi-
„ mæque memoriæ Dominum quondam Philippum
„ Mariam Ducem, & Principem veſtrum. Indo-
„ luit ejus obitum Regia Majeſtas. Nam & con-
„ ſanguineum amiſit cariſſimum, qui multis victo-
„ riis, magniſque rebus geſtis claruerat, & Impe-
„ rium Sacrum fideli, ac memorabili Principe de-
„ ſtitutum videbat &c.

Inter Epiſtolas Franciſci Philelphi editionis *Venetæ* anni 1502. in fol. extat Philippo Maria Anglo Mediolanenſium Duci, pag. 14. notabilis epiſtola.

Ex libro, cui titulus : „ Gaſparini Barzizii Bergo„ matis, & Guiniforti filii Opera „ impreſſa *Romæ*, 1723. extat Gaſparini Barzizii Oratio ad Philippum Mariam Vicecomitem Mediolani Ducem, pag. 36. Ad finem anni MCCCCXII referenda eſt hæc Barzizii Oratio, poſtquam Philippus Maria Vicecomes maximam paternæ ditionis partem in ſuam poteſtatem redegerat, quod hoc anno contigit. Ita Corius in Hiſt. Mediol. lib. IV. fol. 307.

Ejuſ-

Ejuſdem Barzizii Oratio ad eundem Philippum pro Veronenſi Populo pag. 59.

Ejuſdem ſupplex Libellus pro Guiniforto filio ad Philippum Mariam Vicecomitem Mediolani Ducem pag. 88.

Ejuſdem Epiſtola, data Patavii MCCCCXII. ad Philippum Mariam III. Ducem Mediolani pag. 153. An. MCCCCXII ſcripſit Barzizius hanc epiſtolam gratulatoriam, poſtquam Philippus Maria Vicecomes rebelles cives devicerat, quod hoc anno contigit, ut ex Corio in Hiſt. Mediol. lib. IV. fol. 307.

Guiniforti Barzizii Oratio ad Eugenium IV. Pontificem pro Philippo Maria Vicecomite. Extat in MS. Biblioth. Ambr. in 4. ſign. L num. 69.

Gaſparini Barzizii Oratio ad Philippum Mariam Vicecomitem. Extat in eodem MS.

Extat etiam Epigramma Antonii Rhaudenſis ad Philippum Mariam Ducem Mediolani inter Opera MS. Petri Candidi Decembrii in Biblioth. PP. Teatinor. S. Antonii Mediol.

Ad calcem Codicis manuſcripti Bartholomæi della Valle, de quo jam diximus, in Bibliotheca PP. Teatin. D. Antonii Mediolani extat ſequens

„ Conſilium pro ſalute animæ, quod Illuſtriſſimus ac
„ Clariſſimus Princeps Dominus Philippus Maria
„ Dux Mediolani poſtulavit ab infraſcriptis Viris.
„ D. Franciſcus de la Cruce Vicarius Reverendiſſimi
„ Domini Archiepiſcopi.
„ M. Abbas S. Celſi.
„ Paul. de Raude.
„ Frater Albertus Ordinis Obſervantiæ Minorum.
„ M. Gregorius Ordinis S. Marci.
„ Frater Gulielmus de Lampugnano Ordinis S. Eu-
„ ſtorgii.
„ Don. Anſelmus Ordinis S. Petri de Glaziate.

Diploma Philippi Mariæ Ducis pro eodem Conſilio datum eſt die IX. Maji MCCCCXLVI.

Reſponſiones eorumdem Virorum in X. Capitula diſtributæ, datæ ſunt eodem anno, die penultima Junii.

Sequuntur Oppoſitiones latino ſermone ſcriptæ ſupradictis reſponſionibus, cum auctoritatibus SS. Patrum, & Theologorum.

Ei dicavit ſuum Opus Apollinaris Offredus anno MCCCCXLIV

Item Franciſcus Philelphus Vitam S. Jo. Baptiſtæ Italicis Carminibus à ſe deſcriptam anno MCDXLV.

Eum *Majeſtatis* titulo nuncupat Barzizius pag. 8. edit. Abb. Furietti. *Serenitatis*, *Celſitudinis* ibid. & part. II. pag. 13. Item *Divi Cæſaris*, ibid. pag. 26. V. Cl. Saxium.

La tradduzione di Q. Curzio fatta in lingua volgare da Pietro Candido Decembrio, e da lui ſupplita in più luoghi, maſſime ſu la fine del lib. 6. cap. 10. fatta l'anno MCDXXXVIII e dedicata al Duca di Milano Filippo Maria. *Venezia*, 1531. In Biblioth. Ambroſ. MS. ſign. P. num. 155. in fol. & ex Labbeo pag. 322.

Ejus Vitam ſcripſit Petrus Candidus. V. Murator. Rerum Italic. Tom. XX. pag. 981.

Innumeri penè ſunt, qui præſtantiſſimi hujus Principis meminerunt, præcipuè autem Vitam illius conſcripſit ex profeſſo Petrus Candidus Decembrius, prout etiam Paulus Jovius. Mentio etiam ipſius apud omnes ſui temporis Hiſtoriarum Scriptores habetur, quorum Indicem texere ſupervacaneum exiſtimamus.

## MDCCCXXV.

## VICECOMES PROSPER.

JOannes Gaſpar Vicecomes ex condominis Bremidæ, necnon unus ex LX. Mediolani Decurionibus, & Vincentia Martinengha conjuges, Proſperum hunc genuerunt, qui ad litteras amœniores natus, in Linguis Italica, Latina, Græca, atque Hebraica non parum excelluit; Libros quoque ita avidè accipiebat, ut inſignem Bibliothecam omnium Scientiarum ditiſſimam ſibi comparaverit, in qua, præter Auctores, optimi etiam Codices MSS. extabant, &, teſte Moriggia, etiam nonnulli priſcæ ætatis in arboreis corticibus ſcripti reperiebantur. Nummos quoque venerandæ antiquitatis, aliaque monumenta Romana, & Græca, necnon Hetruſca collegit. Ampliſſimas Ædes vetuſtis marmoribus ornatas ædificavit è regione Monaſterii Sancti Bernardini Portæ Ticinenſis hujus Urbis, de quibus meminit Caſtillionæus in antiquitatibus Baſilicæ Vicentianæ. In Conditoris, & Ædificii commendationem tria condidit Epigrammata Hercules Cimilioctus, quorum poſtremum hîc damus, ex MSS. Biblioth. March. Vercellini Mariæ Vicecomitis.

*Romano hic quondam ſtruxiſſe Palatia luxu*
*Trajanum, & nomen vix ſupereſſe rei*
*Cenſuit indignum Proſper, patrioque decori*
*Conſtituit, præſto ſumptibus eſſe ſuis.*
*Hinc parii ſurgunt lapides, hinc marmora pompam*
*Romanam oſtentant, Cæſaris Aula redit:*
*Quam, ne iterum ſubeat fortunæ incommoda, Phœbo*
*Ægiſſone, ac Muſis deſtinat eſſe ſacram.*

Quantùm Poëticam facultatem adamaverit, facilè eruitur ab his, quæ infra dabimus. Cujuſdam litis causâ apud Bavariæ Ducem ſe contulit, à quo libentiſſimè exceptus, inter ſuos Conſiliarios, & Cubicularios fuit adſcriptus, & ab eo in variis, arduiſque negotiis adhibitus eſt, ut legitur in ejuſdem Epiſtolis optimè ſcriptis, quas præ manibus habui. Obiit Vir iſte, ſingulari memoria dignus anno à Nativitate Domini MDXCII. Plura certè ingenii ſui monumenta perierunt, quæ verò ſuperſunt ſatis indicant virtutes, animi magnitudinem, atque ejus in rebus adverſis conſtantiam, & litterarum perpetuum amorem.

Hæc igitur de eo damus:

I. Proſperi Vicecomitis Epiſtolæ plures Latinæ ad varios Principes, & Viros doctos, ab anno MDLXIX. ad MDLXXX. Codex MS. in fol. pagg. 244. extat in ſæpè citata Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum.

II. Carmina plura Latina, ex quibus II. extant in ea à Matthæo Toſcano collecta, & in Opere inſcripto „ Carmina Illuſtrium Poëtarum Italorum Tom. X. „ inlata „ pag. 432. quorum tituli ſunt: *Eurydice*, & *Ægle*.

III. Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, legitur in libro „ Rime di Gio. Pietro Lomazzi.

IV. Hiſtorica quædam ſcripſiſſe eruitur ex ſequenti Epigrammate, quo eum laudat Bernardinus Baldinus in libro, cui titulus, *Luſus*, pag. 48.

*Quidam phidiaca veges, heroas, & arte*
*Celarunt: hoſdem pinxit & hiſtoria;*
*Inclyte quos Proſper gemina feliciter arte*
*Exprimis hiſtorica, phidiacaque duces;*
*Tantum uni debet veterum tibi fama ſuperſtes,*
*Hiſtoria quantum, ſculptilibuſque ſimul.*

In ſupradicto libro Jo. Matthæi Toſcani adſunt bina Epigrammata ad Proſperum Vicecomitem, quæ item recuſa ſunt in Tom. IX. Carminum Illuſtrium Poëtarum Italorum pagg. 285. & 289. quorum ſecundum juvat hîc exſcribere:

*Inſubrum dum ſceptra manu, aſpirante tenebant*
*Fortuna proceres, anguigerique duces,*
*Invicta virtute ducum res bellica crevit:*
*Nullaque gens Martis clarior arte fuit.*
*Nunc eadem fortuna rota volvente vetuſtum*
*(Proh ſcelus!) in præceps abſtulit imperium.*
*Hoc generoſe ducum Proſper de ſanguine, Muſas*
*Exerces, ſummæ nobilitatis opus.*
*Hoc, quamvis Fortuna rotam vertatque, ruatque*
*Impia, non poterit ſurripuiſſe decus.*

Extat ad eum Carmen vulgari Mediolanenſium dialecto compoſitum à Jo. Petro Lomatio, inter hujus Carmina inſcripta *Rabiſch*, de quibus ſuo loco egimus.

Vi-

Digitized by Google

Videndi ſunt Paulus Morigia in Nobil. Mediol. lib. III. cap. 24. Epiſtola Gulielmi Ducis Bavariæ ad D Carolum Borromæum ſcripta die XXV. menſis Novembris, anno MDLXXX., in ampliſſima Collectione Ambroſiana Tom. XVII. part. II. num. 260. Picinellus in Athenæo pag. 477. & Theatrum Genealogicum Sitonianum pag. 484. MS. in fol. penès Auctorem.

## MDCCCXXVI.

## VICECOMES ROGERIUS.

Clariſſimorum Civium, qui poſt Œnobarbi excidium Patriam ſuam Mediolanum refectis mœnibus, noviſque latis legibus, reficiendam curarunt, perſæpe quamvis memoriam refricare opus fuerit; eos attamen nunquam ſatis commendare valebunt poſteri, cùm non uno eis nomine ſint obſtricti. Inter hos ſe nunc nobis offert Rogerius Vicecomes, qui præter alia pro Republica ſua benè, prudenterque geſta Conſulatum Juſtitiæ adminiſtravit annis MCLXXIII. atque MCLXXXV. Verumtamen cum XII. aliis Collegis Conſul delectus dum anno MCLXXII. Patriam regeret, majora Civibus ſuis præſtitit, quæ ſunt:

I. Statuta perquam utilia Mediolanenſi Reipublicæ.
II. Leges pro novo militiæ genere ex ſelecto Adoleſcentium numero conſcribendo ad extirpandos Comites adverſùs Mediolanenſes à Federico I. creatos.

De ipſo agunt Comes Octavius Archintus in Collectione ſua tam ſæpè memorata Monumentorum Familiarum Mediolanenſ. atque Sitonus noſter eruditiſſimus tam in Conſulari ſua Collect. MS. quàm etiam in Schedis.

## MDCCCXXVII.

## VICECOMES THEOBALDUS MARIA.

Tot Viris probitate morum, & litterarum præſtantiâ celeberrimis in hac mea Bibliotheca non ſine ingenti labore ad perennem Mediolanenſium gloriam compacta, addere juvat Theobaldum Mariam Vicecomitem ex Cæſare Ciſlaghi, ſeu Ciſtellagi Comite, & inſignis Oppidi Gallarati Marchione, nec

A non Aurei Velleris Equite, & Hiſpaniarum Optimate natum, Matre verò Thereſia nobiliſſimæ Gentis Serræ Januenſis. Hunc tam claris parentibus donatum ab ipſa Servatoris noſtri Matre piè credi poteſt, nam maſchili prole orbati, pro ea obtinenda tanta cum ſpe, concordique affectu ad celebre Beatiſſimæ Virginis Saonenſe Sanctuarium convolarunt, ut ex ejuſdem Deiparæ interceſſione, poſt novem ſupradicti itineris menſes, anno ſcilicet MDCLXXXII. die XX. Auguſti filium ſuſceperint Theobaldum Mariam, in cujus puerilibus annis jam maxima ſuæ pietatis ſigna præ omnium oculis effulſerunt, itaut ſua ipſius educatio, non onus, ſed potius exemplum cunctis familiaribus, immo & Præceptoribus extitit, inter quos unus fuit Paulus Franciſcus Urſinus, ſuo loco à nobis laudandus. Sub iiſdem linguas Latinam, B Gallicam, atque Hiſpanicam optimè didicit, & in facultatibus Mathematicis, Geometricis, & Arithmeticis ſummopere eluxit. Quantùm etiam in arte dicendi valeret, ſatis oſtendit Oratio, quam dixit coram Excellentiſſimo Senatu in Scholis Palatinis, ut infra. Sed nec divitiæ, nec parentum amor, nec totius Urbis expectatio à tanto juvene pro bono patriæ, conſervationeque tam illuſtris familiæ umquam ipſum ab odio ſæculi, & à propenſione, quam indeſinenter coluit erga piiſſimam Capuccinorum Religionem, evellere potuerunt. Nam à Matre pro eo in matrimonium collocando Genuam adductus, ibi morbo correptus, habitum S. Franciſci induere voluit, immo profeſſionem ipſam in Capuccinorum manibus, C cum omnium admiratione peregit, & ſanctiſſimè obiit in Domino. Ejus cadaver Mediolanum tranſlatum tanta Civium cujuſcunque ordinis ad eum inviſendum multitudo convênit, ut per triduum publicè in Eccleſia S. Mariæ ſine labe conceptæ FF. ſupradictorum Portæ Orientalis expoſitum voluerint; ibique ex interceſſione tam pii juvenis nonnulli à Deo Opt. Max. gratias obtinuerunt, ut in Vita ipſius Theobaldi Mariæ, qui nomen aſſumpſit Franciſci Antonii Mariæ à Mediolano, legitur. In fronte ejuſdem Vitæ adeſt Carmen Italicum ſatis nobile Franciſcæ Manzonæ Juſtæ inter Poëticas Mediolanenſes noſtri Sæculi commendatiſſimæ, ut ab aliis ipſius Operibus editis agnoſcitur. Tumulatus extitit in plumbea Capſula cum ſequenti Inſcriptione:

QVI FVERAM IN SECVLO D. THEOBALDVS MARIA VICECOMES
MARCHIO CISTELLAGI
FILIVS EXCELL. D. CAESARIS COMITIS ET MARCHIONIS GALLARATI &c.
EQVITIS VELLERIS AVREI ET EX PRIMORIBVS HISP. MAGNATIBVS
NEC NON EXCELLENTISSIMAE D. THERESIAE SERRAE DORIAE
VNICA SPES ET DELITIAE PARENTVM
AD MAIORA EVOCATVS QVAM QVAE SECVLI FASTVS
ET DIGNITATES GRANDIA PARARENT
NVNC TANDEM INTER FRATRES MEOS DIV EXOPTATOS
QVIESCO
FR. FRANCISCVS ANTONIVS MARIA CLERICVS CAPVCCINVS PROFESSVS
HIC EXPECTANS DONEC VENIAT IMMVTATIO MEA
OBIIT XXVI. FEBRVARII MDCCI. AETAT. ANN. XVIII. MENS. VI.

Hæc ſunt juvenilia ipſius ingenii monumenta:

I. Primus Calamus Marchionis D. Theobaldi Mariæ Vicecomitis filius D. Cæſaris Com. Gallarati &c. *Mediolani, apud Gagliardum*, 1695. *in* 4. In ipſo loquitur de Senatu, deinde laudat Senatores omnes, qui eo tempore vivebant.

D II. Bellica Fax litterarum funus, Proluſio ad auſpicia pacis. In eodem Libro.
III. Orationes, & Carmina plura, quæ in Academiis magno cum plauſu recitavit, ut in ejuſdem Vita.

Hæc prælo data eſt ſic inſcripta „ Vita di Fr Franceſco Antonio Maria da Milano Cherico Profeſſo Capuccino figlio unico del fu Eccellentiſſimo Signore „ Don Ceſare Viſconti Marcheſe, e Conte di Gallarate

„ rate ec. Cavaliere dell' inſigne Ordine del Toſon
„ d'Oro, Grande di Spagna ec. compoſta dal P. Fr.
„ Silveſtro da Milano, Annaliſta generale de' Capuc-
„ cini; conſecrata all'Eccellentiſſime Signore religio-
„ ſiſſime Sorelle Donna Elena Tereſa, e Donna Er-
„ cola Tereſa Viſconti Serra nell' inſigne Moniſtero
„ di S. Maria Maddalena al Cerchio di Milano, pre-
„ meſſivi due Canti della Signora Franceſca Manzo-
„ ni Milaneſe, tra gli Arcadi Fenicia. *In Milano, per Giuſeppe Pandolfo Malateſta*, 1732. *in* 8.

## MDCCCXXVIII.

## VICECOMES TIBURTIUS.

ERuditis Viris Vicecomitum familiæ, addere juvat Tiburtium ab Abbate Picinello jam laudatum, qui juxta morem nil aliud de ipſo profert in ſuo Athenæo, niſi quod facilè eruitur à titulo ipſius Orationis habitæ, occaſione confœderationis inter Cæſarem Carolum V. & Helvetios. In eadem narrat Auctor Hiſtoriam illius ævi, quoad ipſorum Helvetiorum adventum in Provinciam Mediolanenſem continet; ipſamque non tantùm eleganti Latino ſermone ſcripſit, verùm etiam ad majorem omnium utilitatem in Italicam Linguam vertit. Uberiora de eo Lectores minimè à me expectent, nam nullâ diligentiâ poſthabitâ, nihil aliud reperire mihi licuit.

En ſupradictæ Orationis titulum:

I. Oratio in Fœdere ac Societate Regis Hiſpani cum Helvetiis facta, & Mediolani confirmata. *Mediolani, apud Michaëlem Tinum*, 1588. *in* 4.
II. La medeſima Orazione fatta volgare. *Milano, preſſo gli Eredi Tini, come ſopra.*
Ex eodem Picinello pag. 502.

## MDCCCXXIX.

## VICECOMES UBERTINUS.

UBertinum, ſive, ut aliis placet, Ubertum Vicecomitem Theobaldus armigerorum Præfectus, atque Anaſtaſia Pirovana conjuges in lucem emiſere. Ubertum hunc Ubertinum dictum credimus, ut diſtingueretur ab Uberto ſeniore, qui anno MCCIV. Prætor fuit Bononiæ, cujus ſententia pro finibus inter Bononienſes, & Mutinenſes refertur in Tomo IV. Antiquit. Italicarum col. 211. Fratrem alterum habuit Ubertinus noſter, Matthæum videlicet cognomento Magnum, cujus laudes omnes illius ævi rerum Scriptores poſteris commendarunt. Ubertus itaque omnium militarium fratris laborum fidus comes, & periculorum particeps fuit, in his præſertim bellis, quibus Vicecomitum familia à Turrianis vexata eſt. Horum autem rabiem perpeſſi ſunt ambo non paucos per annos, ita ut Theobaldus genitor in prœlio captus anno MCCLXXV. ſecurique percuſſus victima impotentis furoris ceciderit. Cæterùm Ubertus plurium Oppidorum Dominus in Comitatu Mediolanenſis Urbis, prætorio munere functus fuit primùm anno MCCLXXXVIII. Patavii, tum Vercellis anno MCCXC. cùmque ibi Magiſtratum gereret, atque filium ſuſcepiſſet, à paternâ præturâ nomine Vercellini eum appellari juſſit, ex quo Vicecomitum generoſa propago etiam num Mediolani floret, hac nuncupatione frequentiſſimè renovatâ. Poſtremò expetitus eſt à Comenſibus Civibus, ut eis jus diceret anno MCCXCIII. & ſequenti. Eâ in Urbe ſupereſt adhuc Ubertini memoria tam ob Municipales leges, de quibus infra mentio recurret, quàm ob pontem S. Abundii dictum in ſuburbiis ſub ejus regimine ædificatum. Tandem multis præclarè geſtis illuſtris migravit è vita anno MCCCXIII. die X. Kal. Maji; illatumque eſt Corpus ejus in Euſtorgianam Baſilicam Mediolani, & apud Suorum cineres tumulatum conquieſcit. Ipſius adhuc perſeverabat memoria tempore, quo erat in vivis Franciſcus Caſtellus Canonicus Ordinarius Baſilicæ Metropolitanæ, qui Lapidis verba poſteris ſervavit. Illa nos jam retulimus in Articulo Jo. Petri Vicecomitis ſupra laudati; memoratur verò & in altera Inſcriptione, quæ ſupereſt in Arcu prædicti Pontis Sancti Abundii in Suburbiis Novocomenſibus, quæ talis eſt:

MCCLXXXXV. DE MENSE OCTVBRIS
ET NOVEMBRIS INDICTIONE NONA
IN REGIMINE DOMINORVM VBERTINI
VICECOMITIS POTESTATIS COMMVNIS
ET PAXII DE BRIOSCHO CAPITANEI
POPVLI CVMARVM FACTVM FVIT HOC
OPVS PONTIS AD HONOREM BEATI
ABVNDII CONFESSORIS CVMANI
✠ SVPERSTITES FVERVNT IOSEPH
CVMNAXO ET PAVLVS DE MACIO.

Magnum ſibi apud poſteros nomen acquiſivit ob

I. Jus Municipale Urbis Comenſis olim per varia ſparſum Volumina, ne dum ejus juſſu per Lutherolum Ruſcam, & Laurentium ex Interortulis Scribas collectum, ſed ab ipſo quoque digeſtum, & vulgatum anno MCCXCIX.
De ipſo agunt Liber omnium Regiminum Civitatis Paduæ in Tomo IV. Antiquitatum Italicar. Cl. Muratorii; Benedictus Jovius in Hiſtor. Novocom. lib. I. pag. 34. Corius in Hiſtor. Mediol. ad annum MCCXC. Chalcus in Genealogia Vicecomitum MS. in fol. apud JC. Sitonum, atque in Hiſt. patriæ lib. XVIII. pag. 393. & præfatus Sitonus noſter in Schedis, aliique permulti.

## MDCCCXXX.

## VICECOMES VERCELLINUS MARIA.

ALter Joannis Baptiſtæ Vicecomitis celeberrimi Senatoris jam à nobis debitis laudibus commendati filius, Vercellinus Maria hîc celebrandus occurrit, qui à Rege Catholico Marchionali dignitate ornatus, ut ex Diplomate die XIV. Junii MDCXLIV. condito, eruitur, adhuc adoleſcens in Belgium ſe contulit, ibique per omnes Militiæ gradus ad Caſtrorum magiſterium pervênit; deinde in Italiam miſſus Ipporedienſem Urbem communivit, & adverſùs Gallorum impetus anno MDCXLI. ſtrenuè defendit, qua occaſione ſcripſit ut infra contra Emmanuelem Theſaurum. Unus enumeratur inter LX. Urbis Decuriones, atque in Secretius Conſilium adſcitus, munitionibus Arcium Præfectus, dignitate, & ſtipendio exornatus, ſummo tormentariæ rei magiſtro æquatus eſt. Mirùm, quod Vir inter arma, & negotia publica implicitus (nam Orator ad Mantuanum Ducem nomine Caracenæ Mediolanenſis Producis, eſt miſſus) ſemper librorū cupidus, & eorum lectionis avidiſſimus, ut verbis Cl. Puricelli utar, nunquam litterarios labores intermiſerit. Supradictus Puricellus in Diſſertat. Nazar Cap. XI., num. XIV. eum ita celebravit: „ In legendo, atque intelligendo ve-
„ lociſſimus, & perſpicaciſſimus, idemque memoriâ
„ promptiſſimus, & eruditionis immenſæ, omni-
„ genæque &c. „ Pergit ultrò in ejus Encomiis Puricellus, & inter cætera poſterorum memoriâ dignum



Digitized by Google

gnum videbitur, quòd Crus lævum Beatæ Chriſtinæ Vicecomitis Civis Mediolanenſis, & Virginis, Ordinis Sancti Auguſtini, ex Urbe Spoleto à Cardinali Cæſare Fachenetto, ejuſdem Urbis Antiſtite dono acceptum, & in pretioſiſſima Cruce incluſum largitus ſit Cœnobio Sanctimonialium ejuſdem Ordinis, ſub vocabulo Divæ Mariæ Magdalenæ apud Portam, quæ Ludovica dicitur, ejuſdemque Beatæ Virginis Chriſtinæ Tumulo Lychnum penſilem argenteum donaverit. Quæ omnia teſtatur Petrus Paulus Boſca in Martyrol. Mediol. in notis ad diem XIV. Februarii, num. 3. Tandem famâ illuſtris, & à Viris laudatiſſimis commendatus, Mundo valedixit, tumulatuſque fuit in Gentilitio Sacello Divi Thomæ Aquinatis Euſtorgianæ Baſilicæ Mediolanenſis, ab eodem auro & tabulis exornato, ubi hæc duo Elogia leguntur:

VERCELLINVS MARIA VICECOMES
IOH. BAPTISTAE SENATORIS F.
S. ALEXANDRI IN AGRO LAVMELLINO
MARCHIO ET DOMINVS
LAVANIAE VALIANI OSSONAE CEREGALLI S. ZENONIS &c.
TOPARCHA
EX SECRETIORI APVD INSVBRES CONSILIO
MILITARIVMQVE MVNIMENTORVM
PRAEFECTVS GENERALIS &c.
SVAS POSTERORVMQVE SVORVM CINERES
NON IN ANTIQVO IVXTA ARAM MAXIMAM TVMVLO
SED IN HOC DIVI THOMAE AQVINATIS SACELLO
IN QVO MAIORES SVI
VNA CVM MEDIOLANENSIBVS
EX EADEM GENTE PRINCIPIBVS
IVS SEPVLTVRAE OLIM HABVERVNT
CONDI MANDAVIT
ANNO REPARATAE SALVTIS MDCLXXV.

---

MARCHIO VERCELLINVS MARIA VICECOMES
CASTRORVM IN INSVBRIBVS
PRAEFECTVS GENERALIS &c.
SIBI POSTERISQVE SVIS EX EADEM FAMILIA
HOC MONVMENTVM POSVIT
A. D. MDCLXXVIII.

Hæc ſuæ eruditionis Documenta ſuperſunt:

I. Obſervationes Chronologicæ diverſorum notabilium ſpectantium ad Civitatem Mediolani, vetuſtaſque ejuſdem familias, ex publicis Inſtrumentis deductæ ab anno Chriſti MCLXXXVII. ad MDLXXX. MS. in folio. Harum Exemplar extat penes Advocatum Joannem de Sitonis.

II. Parænetica Appendix ad Hieronymi Biffii librum, cui titulus „ Glorioſa Nobilitas Illuſtriſſimæ Familiæ Vi„ cecomitum &c. „ *Mediolani*, 1673. *ex Typographia Ludovici Montiæ*, *in fol.*

Ipſius Pareneticæ Appendicis Authorem fuiſſe Marchionem Vercellinum Mariam Vicecomitem, teſtatur Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſæo Novarienſi, pag. 205. artic 432., & pag. 284. artic. 684., tum in Macanei Chorographia illuſtrata, pag. 42 artic. 67., nec non Clariſs. Saxius in Appendice de poſſeſs. SS. Corpor. Gervaſ. & Prothaſ., pag. 89.

III. Oratio ad Mantuanum Ducem, dum apud eundem Legatione fungeretur, ut diximus, nomine Caracenæ Mediolanenſis Producis, habita anno MDCLII. pro bello Montisferrati, poſt captum Tridinum. Extat in libro, cui titulus „ Joſephi Ricii, Clerici Regularis Congregationis Somaſchæ Rerum Italicarum ſui temporis Narrationes. *Venetiis*, *apud Turrinum*, 1655. *in* 4., pagg 881.

IV. Riſpoſta del Sargente Maggiore Criſtoforo Silva (ideſt Marchionis Vercellini Mariæ Vicecomitis) alla lettera informativa del Conte Emmanuel Teſauro, all' Abate Vittorio Siri, perchè nel ſuo Mercurio diceſſe, che il Cavalier ſoddetto reſtaſſe al governo d'Ivrea, l'anno MDCXLI. contro eſſo Teſauro, che ſcriſſe reſtaſſevi Don Silvio Emmanuele di Savoja.

Rifleſſi del Foriero di Corazze Jeronimo Crema (ſcilicet Comitis Emmanuelis Teſauri) ſopra la Riſpoſta del Sargente Maggiore Criſtoforo Silva &c.

V. Controrifleſſi del Sargente Maggiore Criſtoforo Silva (ideſt, ut ſupra, March. Vercellini Mariæ Vicecomitis) agli antecedenti Rifleſſi. Omnia uno Volumine. *Torino*, *per il Zapata*, 1671. *in* 8., e *Milano*, *per il Monza*, 1673. *in* 8.

VI. Inter Epiſtolas Octavii Ferrarii, *Editionis Patavinæ*, 1661. extant ejuſdem Ferrarii duæ ad Vercellinum Mariam Vicecomitem, S. Alexandri Marchionem, cum Reſponſionibus Latino Idiomate exaratis ejuſdem Vercellini Mariæ, in quarum prima, data Mediolani, anno MDCLI., XXVII. Quintilis, ei gratulatur

Digitized by Google

latur de reditu in Patriam; in ſecunda autem data Mediolani, die V. Martii, anno MDCLIV. eidem gratias refert, quòd XVII. è ſuis Proluſionibns ipſi nuncupaſſet.

Eidem Marchioni Vercellino Mariæ Vicecomiti J. C., & Advocatus Camillus Sitonus junior, anno MDCLXXVIII. nuncupavit ſequentem librum MS. in fol. cui titulus: „ Tabulæ Chronologicæ Mediolanenſes „ à Chriſto nato, ad annum Chriſtiani Sæculi Decimi „ ſeptimi ſeptuageſimum octavum, quibus &c. in ſin„ gulos annos habetur Nomenclatura Summorum Pon„ tificum Romanorum, atque Græcorum Imperatorum, „ Archiepiſcoporum Mediolani, ejuſque Principum. „ Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum D. D. Vercel„ linum Mariam Vicecomitem, Marchionem Sancti Ale„ xandri Lumellinæ, Feudatarium Lavaneæ, Oſſonæ, „ Ceregalli, Sancti Zenonis, Inſulæ Mutianæ, & per„ tinentiarum: ex Secretiori Catholicæ Majeſtatis Con„ ſilio, Fortificationum in toto Mediolanenſi Dominio „ Commiſſarium, & Præfectum Generalem, perpetuum „ Adminiſtratorem Præpoſituræ Eccleſiæ Metropolitanæ „ Mediolani, ac in eodem Dominio Militum Tribunum „ Generalem. „ Qui liber autographus extat penes Advocatum Joannem de Sitonis, filium præfati Authoris.

Extat Epigramma Benedicti Sociaci in laudem ejuſdem, pag. 179.

Ejus mentio eſt in lib. „ Le Glorie degli Accademici „ Incogniti di Venezia. *Ivi*, 1647. *in* 4.

Leguntur Epiſtolæ plures Joannis Franciſci Lauredani ad Auctorem noſtrum, datæ Venetiis, in quarum una ei commendat Opus ſuum, cui titulus „ la Dianea „ in altera autem gratias agit pro correctione adhibitâ ad ejus Opellam, quæ inſcribitur „ l'Achille. „

Ipſius præcipua geſta, & Elogium refert Comes Galeacius Gualdus in Relatione Civitatis, & Status Mediolani, parte ſecunda, pag. 197. ad pag. 200. *Mediolani*, 1666. *penes Ludovicum Montiam*, *in* 4.

Ripamontius quoque in Hiſtoria Patriæ, lib. 8. pag. 314. Encomia Scriptoris noſtri refert. Videndus eſt etiam, præter citatos, Clar. Sitonus noſter in Chron. Coll. J. PP. Mediol. pag. 226. art. 1018.

## MDCCCXXXI.

## VICECOMES BORROMÆUS VITALIANUS.

PYrrhus Vicecomes Borromęus Sancti Jacobi Eques, atque Mediolanenſis Urbis Decurio, ex conjuge ſua Camilla de M rinis, Vitalianum procreavit; qui ab ipſa penè infantiâ magnum portendens ingenium inter bonarum artium rudimenta adolevit. Ad divina poſtmodum ſe convertens Clericalem amplexus eſt vitam, jamque in Collegium J. PP. Mediolanenſium anno MDCXIV. cooptatus, Romam pergens, in Aulâ Pontificiâ tale dedit virtutis, & doctrinæ ſpecimen, ut ad Utriuſque Signaturæ Referendarii munus aſſumeretur, adjecto honore Clericatus Cameræ Apoſtolicæ. Poſtmodum à Paulo V. Pontifice Max. evectus eſt ad Archiepiſcopatum Adrianopolitanum, Sanctæque Sedis Apocriſarius ad Matthiam Romanorum Imperatorem ablegatus fuit. Jamque ob bene geſtum tantum Officium illi Purpura parabatur, cùm invidæ mortis telo ictus, anno MDCXVII. Pragæ deceſſit, ubi etiam tumulatus conquieſcit. Magna ei viventi fuit cum Ericio Puteano Viro doctiſſimo amicitiæ neceſſitudo, mutuaſque inter ſe Epiſtolas ſcribere conſueverant, ut infra memorabimus. Quinimmo Vitalianus à ſe compoſita Carmina, quæ latino idiomate identidem elaborabat, ad Puteanum mittere ſolebat; ut ex ſequentibus liquidò demonſtrabitur. Addimus hîc Inſcriptionis loco Epigramma Benedicti Socciaci, quod conditum in Laureâ Scriptoris noſtri legitur inter illius Carmina libro II. pag. 54. Illud eſt hujuſmodi:

De Vitaliano Vicecomite Borromæo.

*Corniger Inſubriæ ſpumanti argenteus undæ*
*Ticinus celeres concito lætus aquas.*
*Eſt amor Italiæ varias curſare per Urbes,*
*Italus Italiæ nuncia ferre paro,*
*Imperiis gravidam, fœtamque potentibus armis*
*Aſtreæ radiis enituiſſe domum,*
*Regalemque nova ſtirpem frondeſcere lauru,*
*Martia paciferis frondibus arma tegi.*
*Laureolâ cingit dum tempora noſter Alumnus,*
*Efferor, & doctâ prole ſuperbus eo.*
*Plaude pater Tyberis, vultur quondam aſtitit auſpex*
*Imperii, at cuſtos Inſuber anguis erit.*

Ipſius verò eruditionis monumenta ſunt:

I, Acta Legationis ſuæ (ſeu, ut barbarè dicunt, Nunciaturæ) in Archivo Pontificio ſervata.

II. Epiſtolæ plures, quas Ericius Puteanus jam ſupra laudatus commendat in Litteris ad eum datis, quibus etiam ipſius patrocinium implorat. Editæ ſunt hæ poſteriores, cum aliis Puteani in Centuria IV. pag. 60.

III. Carmina Latina. Hæc laudat idem Puteanus in altera Epiſtola ad Vitalianum miſsâ, quæ habetur in Centuria eadem, pag. 26. Data Lovanii, menſe Januario, anno MDCXI., ubi totus eſt in extollendo debitis Elogiis præclarum Virum, & Quæſtiones Philoſophicas, unà cum Ariſtotele, Alexandro, Theniſtio, Simplicio, aliiſque deridet.

Ejus funeris exequiæ celebratæ ſunt etiam in Urbe Ticino, & fuſiùs deſcriptæ reperiuntur in libro tunc impreſſo, cui titulus: „ Piis manibus Comitis Vitalia„ ni Vicecomitis Borromæi Archiepiſcopi Adrianopoli„ tani, & apud Cæſarem Apoſtolici Nuncii pompa fu„ nebris ab Academia S. Majoli Papiæ Patrum Soma„ ſchenſium celebrata, & à Jo. Philippo Spinula affini „ chariſſimo, amoris monumento edita. „ *Mediolani*, 1617. *in* 4.

In eo ſunt Epigrammata duo Joannis Baptiſtæ Caſati Mediolanenſis.

Joannis Dominici Ferrarii, &

Joannis Franciſci Porri.

Meminere ipſius Baſilius Serennius in Elogiis Familiæ Borromææ, pag. 522. Borſerius in Supplem. Nobil. Mediol. Cap. VIII. Cavat. in Alleviament. Stat. Mediol. in principio. Gualdus in Elog. Gaſparini Vicecomitis, & humaniſsimus Sitonus nedum in Chronico Collegii J. PP. art. 819. pag. 196., verùmetiam in Schedis.

## MDCCCXXXII.

## VICECOMES BORROMÆUS VITALIANUS alter.

VItaliano Vicecomiti Borromæo, cujus laudes ſuperiori proſecuti ſumus articulo, raptam mortis invidiâ purpuram Sacri Romani Senatus doluimus. Attamen avitæ virtutis, non minus quàm nominis hæres Vitalianus alter ex eodem ſanguine genitus ad illum ampliſſimum honoris gradum per gradus probitatis atque doctrinæ pervênit. Hic Fabio Vicecomite, & Blancâ Spinulâ parentibus in lucem editus Mediolani, ad Urbium principem Romam miſſus eſt, ubi minoribus excultus diſciplinis, Philoſophicas didicit quæſtiones. Inde in Bononienſi Archigymnaſio totus legibus incubuit, & in utroque Jure vix pubertatem egreſſus Togam aſſumpſit, atque anno MDCXLIV. inter Collegiatos Juriſperitos Mediolanenſes recenſitus fuit. Tum ſacræ adſcriptus militiæ Romanam reviſit Aulam, ubi morum ſuavitate, atque agendi ſolertiâ dignitatum honores ſibi promeruit

Digitized by Google

ruit utriuſque Signaturæ Referendarius. Pluribus Eccleſiaſticæ Ditionis Urbibus cum imperio Præfectus ſic ſe geſſit, ut ad regendas integras quoque Provincias, Umbriam præſertim, aſſumeretur. Juſſu Alexandri VII. Summi Pontificis primogenito Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Faſcias detulit, quo in munere uſque adeò Monarchæ illius ſibi devinxit animum, ut eum apud ſe Apoſtolicum Nuntium ſubinde rediturum votis omnibus exoptaret. Ad Italos regreſſus, anno MDCLX. Sacræ Rotæ Auditoribus annumeratus fuit, & apud Cardinalem Chiſium Pontificis Alexandri Nepotem, ad Galliarum Regem Legatum à latere Datarii munus obivit. Aſſumptus eſt poſtmodum ad Archiepiſcopales Infulas Eccleſiæ Epheſinæ, ablegatuſque iterum in Hiſpaniam, ut apud Catholicum Regem Nuncii Ordinarii fungeretur officio. Tantum prudentiæ, tantum virtutis in eo oſtendit munere, ut anno MDCLXVI., die XV menſis Februarii, ab eodem Alexandro Pontifice creatus fuerit S. Rom. Eccleſiæ Cardinalis, cùmque Alexander ipſe morte præventus, Pileum purpureum Vitaliano conferre non potuiſſet, hoc ei donum contulit Clemens IX. cum titulo Sanctæ Agnetis. Interfuit Comitiis, in quibus Clemens X. ad Pontificatum aſcendit, à quo Prioratum Sanctæ Mariæ in Pertica in Urbe Ticinenſi, atque demùm Archiepiſcopatum Eccleſiæ Montis-regalis in Sicilia obtinuit, in cujus regimine vix annum abſumſerat, cùm die XI. Septembris, anno Chriſti MDCLXXI. repentino fato deceſſit.

Superſunt ipſius

I. Deciſiones S. Rotæ Romanæ, editæ in corpore aliarum deciſionum. Teſtes habemus Fontanam, & Cantalmajum.

II. Aliæ MSS. plures in Archivo molis Æliæ.
Eum laudant Oldoinus in Addit. ad Ciaconium, Tomo IV. Col. 763. Bartholomæus à S. Claudia inluſtr. Hiſtorial. Auguſtinien. Nudiped. pag. 405. num. 15. Gualdus in Elog. Gaſpar. Vicecom. Imoff in Hiſtor. Ital. & Hiſpan Genealog. Tomo I. pag. 210., atque Sitonus noſter doctiſsimus in Chron. Coll J. PP. Mediol. art DCCCCXXXV. pag. 215., quemadmodum etiam in Schedis.

## MDCCCXXXIII.

## VICECOMES ZACHARIAS.

Sancti Ambroſii Congregatio, quæ Mediolani ad Nemus vocabatur, anno MDCXLIII. ab Urbano VIII. Pont. Max. extincta fuit. Monaſterium ipſum atque Eccleſia in ſuburbio Olitorum primitus commendata fuit Benedicto Odeſcalcho S. R. E. Cardinali, poſtea Innocentio XI. Pont. Max., qui pluribus reſtaurationibus exactis, omnia contulit Fratribus Minoribus S. Franciſci Reformatis. In memorata Congregatione ſe Deo vovit Zacharias Vicecomes, atque in ipſa totus ad expellendos Dæmones è Fidelium corporibus ſe contulit, ita ut Orationibus non tantùm, & vitæ exemplaris ſanctimoniâ, ſed etiam Scriptis, ut infra, tam periculoſum negotium ſuſceperit, & ex fide Picinelli optimè adimpleverit. Nulli peperci diligentiæ, ut plura, quæ ad Zachariæ Vitam pertinent, reſcire poſſem, & litteris commendare; ſed omnis inveſtigatio irrita cecidit, cùm neque illius mortis annum detegere valuerim.

Opus verò illius, quod vidi, ſic prænotatur:

I. Complementum Artis Exorciſticæ, cum Litaniis, Benedictionibus, & Exorciſmis, in tres Partes diviſum. I Doctrinalis. II. Benedictionalis. III. Exorciſmalis. *Venetiis*, 1600., *Mediolani*, 1610., & iterum *Venetiis*, 1619., nec non *Coloniæ*, *apud Kinckium eodem anno*, in 8.
De eo Hieronymus Borſerius in Supplemento, Cap. 12. Abbas Picinellus in Athenæo, pag. 118., & Draudius in Bibliotheca Claſsica, pag. 274.

## MDCCCXXXIV.

## De VICOMERCATO ANTONIUS.

Oppidum Vicomercatum in Mediolanenſi Ducatu, ad Montium Brianteorum radices ſitum, ac Vicariatus Marteſanæ, præteritis ſæculis adeò celebris, caput, plures dedit Viros doctos à Vicomercato, & Vicomercatos quandoque vocatos; nos verò omnes à Vicomercato inſcribere inſtituimus, nam cognomen à Patria ſumpſiſſe jure merito credimus. In Collectione Conſulari Cl Sitoni noſtri quatuor invenimus in libera Mediolanenſi Republica, eâdem dignitate inſignitos, nempè Pinamontem annis MLXXI. MLXXXIII., & MLXXXV. Guidonem an. MXCV. Algiſium anno MXCIX., & Pinamontem alterum anno MCCCXI. Antonius verò patrem habuit Thaddeolum J. C. C. Comitemque Palatinum, necnon Ducalem Senatorem, de quo ſuo loco agemus, unà cum ſuæ gentis Genealogiâ. Noſter quoque inter Cauſidicos Mediolanenſes floruit anno MCCCCXII. laudaturque à ferè omnibus Rerum Mediolanenſium Scriptoribus, ut ſuæ ætatis Vir egregius, & de patria optimè meritus. Annus verò, quo è vivis abiit, nobis incompertus eſt.

Scripſit autem, teſtibus infraſcriptis, quæ ſequuntur:

I. Il Succeſſo della morte di Gio. Maria II. Duca di Milano.

II. De Rebus ſui temporis.
Ita ex Corio in Hiſtoria Mediol. part. IV. ad annum MCCCCXII. pag. mihi 306. Morigia in Nobil. Mediol. lib. III. cap. 6. & in Hiſt Mediol. lib. I. cap 59. Salvatore Vitali in Theatro Cœment. XXIV. Picinello pag. 51. & Sitono noſtro.

## MDCCCXXXV.

## De VICOMERCATO BENEDICTA.

Inter Fœminas Mediolanenſes eruditas libenter Benedictam hanc ſcribo, cujus Pater fuit Luchinus Ducalis Aulici Paſini de Vicomercato filius, fratremque habuit Michaëlem anno Chriſti MCCCCLXXIV. in Mediolanenſi patria Decurionem, ut in geneſi hujus familiæ, de qua in Thaddeolo mentionem habebimus, apparet. Benedictæ verò nomen fuit in ſæculo Lucia, & anno MCCCCLVII. die XVIII. menſis Aprilis in Monaſterio S. Marthæ hujus Urbis recepta fuit ad ſacrum habitum S. Auguſtini aſſumendum manu Præfectæ ejuſdem Parthenonis Michelinæ de Putheo. Conſueverant Moniales ad ea uſque tempora Divinas laudes, prout ſolent Eccleſiaſtici ad ſacros Ordines promoti, non recitare, ſed Orationibus tantùm privatis uti, pro cujuslibet pietate. Omnium prima fuiſſe dicitur Benedicta, quæ hoc onus ſibi imponi enixè poſtulavit, eamque ſecutæ ſunt Virgines reliquæ in ſupradicto Cœnobio degentes. Cœnobium ingreſſa, peculiari pietatis laude ſemper enituit, Legum obſervantiſſima, & ad omnia devotionis officia, parata. Annis III. Sororibus ſuis humaniſſimè, ac diligentiſſimè præfuit, & XII. Vicariæ munus exercuit; Tyronibus etiam virtutum ſemitam verbo, & exemplo per annos aliquot oſtendit. Artem ſcribendi tam optimè callebat, ut ingentia Volumina, etiam cum muſicalibus notis ad

Chori

Digitized by Google

uſum Chori exaraverit; aliaque ſcripſit ut infra. Vivere deſiit celebris hæc Monialis die XIII. menſis Junii, anno Redempti Orbis MDXV. nonagenaria.

Hæc de ea ſuperſunt:

I. Vita della Beata Veronica de' Negri Monaca Converſa nel Monaſtero di S. Marta. Extat autographus Codex in Archivo ejuſdem Monaſterii, & ſic prætitulatur: „ In queſto Libro ſe tratta de la virtuoſa Vita „ de la Vergine Sorore Veronicha del Monaſterio de „ Sancta Martha de la Cità de Milano. Etiam de li „ mirabile miſterii de revelatione, & apparitione „ gli qualle ebbe dal Signore Dio omnipotente in „ diverſe modi. „ MS. litteris rubro-nigris pagg. 477. in fol. Diviſum eſt Opus in partes IV. eoque uſus eſt Puricellus, ut indicant capitum diviſiones, & paginarum numeri ejus manu additi. Et perexemplar extat in MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſignat. C. num. 75. in fol. Ipſamque Vitam in Latinum ſermonem convertit, & edidit Fr. Iſidorus Iſolanus Ordinis Prædicatorum, ut ſuo loco diximus.

II. Aggiunte all'Opera di Suor Margherita Lambertenghi da Como intorno all'Origine, e progreſſi del ſudetto Monaſtero di S. Marta. Hoc MS. uſa eſt Veronica Stampa, de qua jam egimus, ut ipſa teſtatur in §. 1. Codicis ibi relati.

III. Alcune Operette di Devozione, e di Orazioni, teſte eadem Veronica Stampa in Elencho Monialium, de quo in eadem verba fecimus, §. 47. & 108.

Ex MS. Codice ejuſdem Veronicæ Stampæ in Archivo Monialium S. Marthæ Mediol.

## MDCCCXXXVI.

## De VICOMERCATO FRANCISCUS.

PHilippus, ex Honuphrio de Vicomercato, Mediolanenſis Patriæ Decurione, anno MCCCCLXXIV. natus, Franciſcum hunc genuit, qui ſcientias tam Philoſophicas, quàm Medicas ita didicit, ut in eiſdem apud Ticinenſe Gymnaſium laureâ acceptâ, inter Phyſicos Collegiatos hujus Urbis adſcribi meruerit anno Chriſti Domini MDXXIII. Tantùm famæ ſibi acquiſivit, ut in Regia Pariſienſi Univerſitate ſub Franciſco I. Francorum Rege, deinde in Taurinenſi ſub Emmanuele Philiberto Allobrogum Duce, cui etiam in Secretiore Conſilio Senator extitit, publicus Philoſophicæ facultatis Profeſſor, ſanè eminentiſſimus renuntiatus fuerit. Uti Medicus Sereniſſimæ ſupradicti Regis Franciſci I. uxoris laudatur à Joanne Guinterio, & ſignanter in Epiſtola nuncupatoria ejus libri Aphoriſmorum Hypocratis, cum notis Oribaſii ab eodem Guinterio è Græco in Latinum translatis, ex editione Veneta anni 1533. quæ Epiſtola ſic prætitulatur „ Franciſco à Vicomercato Mediolanenſi, Sereniſſimæ Galliarum Reginæ Leonoræ „ Medico Clariſſimo, Jo. Guinterius Andernacus S. „ Medici tunc temporis partim Arabum ſententiam, partim Græcorum proſequebantur, ut videre eſt in Opuſculo novæ Academiæ Florentinæ adversùs Avicennam, & Neotericos, Venetiis edito anno 1533., necnon ex Epiſtola de priſcis, & Neotericis Medicis, adjecta Operibus Fontanoni, editionis Lugdunenſis anni 1574., ideoque ſupradictus Joannes Guinterius ſic proſequitur in eadem Epiſtola ad Franciſcum noſtrum: „ Quem laborem tibi Vir excellentiſſime „ nominatim appendere viſum eſt, qui tum veterem, „ tum novam percalleas Medicinam, qui in Mathe„ maticis, altioribuſque diſciplinis, nulli Italorum, „ Gallorumque cedas: denique qui tantâ curandi ægros „ dexteritate, & methodo polleas, ut omnibus facilè medium, quod ajunt, unguem oſtendas. Hac „ enim ratione Galliarum Reginæ Illuſtriſſimæ Medicus es creatus, ac in gravioribus Principum mor„ bis ubique accerſitus, hac te Galli amant, Itali „ venerantur, utrique expetunt. Proinde vigilias no„ ſtras hilari fronte excipias Franciſce doctiſſime &c.

Dubius hæſit Cl. Curtius utrùm unus, vel duo fuerint Vicomercati ſub nomine Franciſci eodem tempore florentes, ſed rationes ab eo adductæ omnino corruunt à Stemmatibus genealogicis familiæ Vicomercatæ, nobis de more perhumaniter datis à Cl. Sitono, nam in illo Auctoris noſtri, quod incipit ab Honuphrio ſeniore in vivis agente prope finem Seculi XVI. uſque ad Sylviam Vicomercatam ex iſtius progenie ultimam, & Julio de Urſinis de Roma nuptam anno MDLXVI. nullus alius Franciſcus legitur, præter noſtrum. Alter verò Franciſcus de Vicomercato Baſſanini filius, & Mediolanenſis Decurio claruit ab anno MCCCCXXIX. ad MCCCCXLIX. ut ab altera Genealogica ſerie in Thaddeolo de Vicomercato, nobis à dicto Sitono communicata agnovimus, atque iſtius Franciſci ſenioris duas vidimus Epiſtolas latinas ad Candidum Decembrium ſcriptas, & aliam Decembrii ad eundem, quem vocat Equitem illuſtrem. In eadem Decembrius Vitam Homeri à ſe ſcriptam, & ab Antonio Rhaudenſi, ſuo loco à nobis jam commendato, laudatam ei mittit, ut Pontifici nomine ſuo offerat. Datæ ſunt tres iſtæ Epiſtolæ anno MCCCCLXIV., & inter MSS. Decembrii in Ambroſiana Bibliotheca reperiuntur. Sed ad Franciſcum noſtrum redeamus, qui ex fratre nepos extitit Chriſtophori, alterius Phyſici Mediolanenſis memoriâ digni, qui tumulatus fuit in Eccleſia Sancti Dionyſii hujus Urbis cum ſequenti Inſcriptione:

CHRISTOPHORO VICOMERCATO
PHYSICO DESIDERATISSIMO
CATHARINAEQVE CONIVGI
BENEMERENTES FILII P. MDXLII.

Plura noſter ſcripſit ingenti cum ſua apud poſteros laude, ut infra; anno verò MDLXX. deſideratus eſt.

Hæc ſunt perpetua ejus virtutis teſtimonia uberiùs, & meliori ordine quàm in Curtio, aliiſque deſcripta:

I. In VIII. Libros Phyſicorum Ariſtotelis Commentaria. *Pariſiis*, 1530. *in fol.* Editio ignota Cl. Curtio, ideoque Auctor noſter ſcripſit ante annum MDL. ut è contra non rectè opinabatur idem Curtius.

II. Ariſtotelis parva naturalia, latinè per Nicolaum Leonicum Tymeum recognita, & à Franciſco Vicomercato illuſtrata, *Ibidem*, & denuò anno MDL. recuſa, & cum ſupradicto Opere Henrico II. Galliæ Regi tunc dicata.

III. Commentarius ſuper III. Librum Ariſtotelis de Anima. *Pariſiis*, 1541. editio ignota Cl. Curtio, deinde *Venetiis*, *apud Hæredes Scoti*, 1574 *in fol.* In hac ſecunda editione recuſum eſt Opus num. IV. infra enunciandum, & ad doctiſſimum Virum Petrum Caſtellanum Epiſcopum Tutellenſem miſſum.

IV. De Anima Rationali Diſceptatio peripatetica. *Pariſiis*, *apud VVechelium*, 1647. *in* 8.

V. Commentarius in eam partem Libri Ariſtotelis, in qua de Deo, & cæteris mentibus Divinis diſſeritur. *Pariſiis*, *apud Matthæum Davidem*, 1551. *in* 4. ad Cardinalem Borbonium.

VI. In quatuor Libros Ariſtotelis Meteorologicorum Commentaria, & eorumdem è Græco in Latinum converſ. *Pariſiis*, 1556. *in fol.* & *Venetiis*, *ex Officina Dominici Guerrei*, 1565. Hoc Opus Cardinali Lotaringico dicavit, ac in Epiſtola nuncupatoria ſic habetur: „ Cum me, Princeps Illuſtriſſime, Cardinaliſque „ maximæ jam inde ab adoleſcentia Philoſophiæ „ ſtudiis totum tradidiſſem, progreſſuſque eos an„ norum multorum ſpatio, in ea viderer feciſſe, ut „ ad eam in celeberrima hac Lutetiæ Pariſiorum Aca„ demia publicè profitendam à maximo illo Scien„ tiarum, Artiumque omnium veluti parente Rege „ Franciſco adhiberer &c.

VII. De naturali Auſcultatione Ariſtotelis libri VIII. *Pariſiis*, *apud Vaſcoſanum*, 1550. *in fol.* & *Venetiis*, 1557, & 1593. *item in fol.* hæc edidit Ludovicus Septala jam à nobis laudatus.

VIII. De Principiis Rerum naturalium libri III. *Venetiis*, *apud Bolzetam*, 1596. *in* 4. & *Marpurgi*, 1598. *in* 8. In prima editione, quam Impreſſor Alexandro Maſ-



Digitized by Google

ſariæ Vicemino, & publico in Univerſitate Patavina Profeſſori primario dicavit, ſic ait: „ Itaque „ cum ejus de rerum naturalium Principiis diſpu„ tationes, beneficio humaniſſimi Viri, ejuſdemque „ Philoſophi, ac Medici eruditiſſimi Ludovici Sep„ talii Mediolanenſis in manus meas perveniſſent „ &c. „ Hoc Opus ſervat autographum Bibliotheca Ambroſiana, Cod. MS. ſign. G. num. 117. pagg 335. in fol., unà cum ſequentibus.

IX. Franciſci Vicomercati Regii Philoſophiæ Profeſſoris Commentaria in Ariſtotelis Ethicam, ſive Libros de moribus ad Nicomachum. MS. in fol. in ſupradicta Bibliotheca, inter eos in 4. ſign. R. num. 106. pagg. 454.

X. Commentaria in Ariſtotel. de partibus Animalium. MS. in fol. ejuſdem Bibliothecæ, ſign. H. num. 34. pagg. 443.

XI. Della Conſolazione, Libro I. di Franceſco Vimercati, alla Sereniſſima, e piiſſima Reina Catterina de Medici, madre del Re Criſtianiſſimo. MS. in 4 ejuſdem Bibliothecæ, ſign. N. num. 205. pagg. 25. Hunc non vidit Curtius.

Quæ ſequuntur refert Ghilinus in ſuo Theatro, ubi aſſerit ea extitiſſe apud hæredes Franciſci noſtri.

XII. De Beneficiis Commentarius.

XIII. De Concordia Platonis, & Ariſtotelis.

XIV. Dell' Ordine oſſervato dalla Natura nelle coſe.

XV. In Libros Ariſtotelis de Generatione, & Corruptione, ex Picinello, neſcio tamen quibus tabulis fulto.

Auctorem noſtrum Jacobus Menochius, Mediolani poſtea Senator, in præfatione ad Tractat. de Recuperanda poſſeſſione totidem verbis celebravit „ Fran„ ciſcus Vicomercatus Mediolanenſis Philoſopho„ rum Princeps, Sereniſſimi Ducis noſtri à Secre„ tis Conſiliarius, qui Latinè & Græcè ſcribendo, „ ac docendo, Platoni ac Ariſtoteli, non cæteris „ modò, palmam præripuiſſe videtur. „ Hæc ille.

In libro IV. Epigrammaton Lancini Curtii editionis *Mediolanenſis* anno 1521. adeſt Epigramma ad Franciſcum Vicomercatum pag. 57.

Extant ad eundem plures Epiſtolæ latinæ Franciſci Cicereji in MS. Codice Bibliothecæ Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii hujus Urbis, ſignat. A. num. 18. in 4.

Agunt de ipſo Morigia in Hiſt. Nobil. Mediol lib. III. cap. IX. Borſerius in Supplem. cap. XI. Geſnerus in ſua Bibliotheca, Joannes Baptiſta Sylvaticus in Colleg. Nobil. Medic. Mediol. cap. XVIII. Ghilinus in ſuo Theatro part. II. pag. 96. Picinellus in Athenæo pag. 225. Sitonus noſter in Chron. Colleg. Phyſic. Mediol. part. II. art. 79. & 161. MS. in fol. penes Auctorem, & Curtius in ſuo Opere de Medicis Scriptoribus Mediolanenſibus pag. 70. qui inter rationes ab eo productas, quibus ambigebat an duo fuiſſent Franciſci Vicomercati, hanc etiam profert, quod Mercklinus in Opere ſuo de Scriptis Medicis, nullam mentionem feciſſet de Auctore noſtro, quid dicendum foret de Cl. Joanne Jacobo Mangeto, qui in amplam ſuam Bibliothecam Vicomercatum hunc minimè inſeruit?

## MDCCCXXXVII.

## De VICOMERCATO FRANCISCUS BERNARDINUS.

LAurentius de Vicomercato, qui anno Chriſtianæ Æræ MCCCCLXXIV. inter Decuriones Mediolanenſes, & anno MCCCCLXXXI. unus ex XII. Proviſionum, ut vocant, numerabatur, Franciſcum Bernardinum genuit, ſicuti ex pluribus autenticis Documentis Cl. Sitonus noſter oſtendit. Claruit verò Franciſcus Bernardinus Equitum Turmæ Præfectus, tum Legionis Equitum Chiliarcha, Regiuſque Gubernator Cherii, ac Oppidi, & Arcis Valentiæ, ad flumen Padum, necnon Eques Regii Ordinis S. Michaëlis. Tanti eum fecerunt Franciſcus I., Henricus II., & Franciſcus II. Galliarum Reges Chriſtianiſſimi, ut ipſum à Conſiliis in rebus bellicis adſciverint, & quod majus eſt, Commiſſarium generalem exercitus Gallici, itemque Lugduni Gubernatorem ab anno MDXXI. uſque ad MDLX., qui fuit ei ultimus, conſtituerint. Acta hujus Viri videnda ſunt apud Auctores infra citandos, filiumque habuit Scipionem, de quo habetur liber, cui titulus: „ Raccolta delle coſe „ allegate da Lodovico Birago contro Scipione Vi„ mercato: Manifeſto: Conſulto: Diſcorſo, ed Ar„ bore dell' Illuſtre Famiglia Biraga. „ *Torino*, 1651. *in* 4 quem in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium hujus Urbis egomet vidi. Quantam verò ſibi laudem comparaverit Franciſcus Bernardinus, ſatis eſt perſpicere ex Opuſculo ab eo edito ſubter referendo, ob Legalem, atque Politicam eruditionem ſummè commendando, & paucis noto,

Videlicet:

I. Giuſtificazione del Signor Capitan Franceſco Bernardino Vimercato nella Querela ſua con Monſignor d'Auſſon. *In Milano, da Antonio Burgio*, 1545. *in* 4 Incipit: „ Franceſco Bernardino Vimercato a' Lettori. „ Percioché nelle coſe dell' Honore &c. „ & definit; „ Perchè tanto baſtandomi di haver detto in queſta „ Scrittura, quella rimetto al giudicio di tutte le „ perſone di honore ſtudioſe, & intendenti „ &c.

Hunc Virum commendant Paulus Morigia in Hiſtor. antiquit. Mediol. lib. IV. cap. 15., & in Hiſt. Nobilit. Mediol. lib. IV. cap. 20. pag. mihi 374. Hieronymus Ghilinus in Annal. Alexandriæ ſub anno MDLVIII. num. 2. pag. 154. Paulus Jovius Hiſtor. ſuor. tempor. lib. XLIV. pag. mihi 464. Marcus Guazzus in Hiſtor. Ital ab anno MDXXIV. ad annum MDXLV. pag. mihi 401 à tergo, & pag. 406. à tergo, & pag. 407. in fronte. *Venetiis, per Cominum de Tridino de Monteferrato*, 1545. *in* 8. Blaſius Monlucus in Commentar. Status, & belli lib. II. pagg. 92. 100. 102. 108. 144. 145. 150. 159. *Cremonæ an.* 1628. *in* 4., & Advocatus Joannes Sitonus in Monumentis Vicecomitum pag. 59. ſub litera hh impreſs. an. 1714. in folio.

## MDCCCXXXVIII.

## De VICOMERCATO JOANNES.

CElebris Juriſconſultus Mediolanenſis Joannes de Vicomercato nunc laudandus mihi ſe offert. Patrem habuit Thaddeolum, alibi jam indicatum, & ſuo loco quoque celebrandum. Nec prætereundum eſt, fratrem ei fuiſſe Gaſparem à Vicomercato, Equitem Cæſareum Palatinum, necnon inſignis Oppidi Valentiæ ad Padi ripam Comitem, ac Ducalem Civitatis Genuæ Gubernatorem, cujus gloriæ perpetuæ monumentum ſemper erit, quòd primus in patria fundator extiterit Cœnobii S. Mariæ Gratiarum, qua de re extat ſequens Inſcriptio Sepulchralis marmorea, cum tanti Viri effigie inſculpta, & Stemmate gentilitio in pariete periſtilii apud Sacrarium Templi Sanctæ Mariæ Gratiarum, ut ſupra, tenoris, ut ſequitur:

CÔ: GÂ:

GRATES NON MERITIS QVAS GASPAR CONTVLIT IN NOS
OMNIPOTENS REFERAT QVI PIA FACTA VIDET.
SERVAVIT PATRIAM GASPAR IANVAMQVE SVBEGIT
SFORTIADAE HIC CORPVS MENS SVPER ASTRA MANET.
MCCCCLXVII. IV. SEPT.

Joan-

Digitized by Google

Joannes noſter verò claruit & ipſe inter J. PP. nobiliſſimi Patriæ Collegii, quod ingreſſus eſt anno MCDXLV. Cæſareus etiam ipſe Comes Palatinus Jus Civile in Academia Ticinenſi publicè interpretatus eſt. Ducalis item Senator in utroque Conſilio, Secretiori videlicet, ac Juſtitiæ ſedit. Plura ſcripſit, quæ tem poris edacitas nobis abſtulit; deceſſit verò die X. menſis Decembris, anno MCDLXVIII. tumulatuſque fuit in Sepulchro majorum ſuorum in Baſilica Schalenſi hujus Urbis. A

Hæc de eo vidimus:

I. Repetitio Rubr. C. de eden. extat in Volum. VII. Repetitionum Juris Civilis pag. 62.
II. Repetitio L. Ipſe diſpice, quæ eſt in C. de eden. ibidem pag. 65. B
III. Repetitio L. Edita C. de eden. ibid. pag. 82.
IV. Conſilia Juridica II. Extant inter ea Martini Garati num. 51. & 61.

Ipſum memorant, inter alios, Picinellus in Athenæo pag. 333. & J. C. Sitonus in Chron. Coll. J. PP. Mediol. pag. 43. art. 144. & in Theatro Genealogico ſuo MS. in fol. pag. 461. tum in monumentis Vicecomitum impreſſis anno 1714. pagg. 31. & 34. in fol.

## MDCCCXXXIX.

## De VICOMERCATO JOANNES ANDREAS.

JOannem Andream de Vicomercato, Philippi filium, ex duobus autenticis monumentis penes Cl. Sitonum noſtrum fuiſſe apparet primùm in Eccleſia Collegiata Sancti Nazarii, in Brolio nuncupata, hujus Urbis Canonicum, videlicet ſub anno MDXVI., deinde Canonicum Ordinarium in Eccleſia Metropolitana, annis MDXXXVI. ad MDXLVIII., qui fuit ei extremus, ut videre eſt in Inſcriptione Sepulchrali in Eccleſia Metropolitana, & ex ampliſſima Collectione Comitis Octavii Archinti eruta, ſic:

IOHANNES ANDREAS VICOMERCATVS PROTHO. APOST.
AC HVIVS ECCLESIAE ORDINARIVS
SAEPE COGITANS SE MORITVRVM
HOC TERRAE SVI CORPORIS POSVIT
ALTAREQVE HOC DOTAVIT ET ANCONAM F.
PASSVSQVE VARIOS LABORES SVB ALEX. VI.
ET SEQVENTIBVS SVMMIS PONTIFICIBVS
VSQVE AD PAVLVM III.
SICVT SEMPER RECTE VIXIT
ITA RELIGIOSE OBIIT
AN. DOMINI MDXLVIII. DIE XII. MARTII
AETATIS SVAE ANN. LXXVIII.
PHILIPPO PATRI ANNORVM LXXVIII.
OBIIT ANNO MCCCCLXXXIV.
ET NICOLAO PATRVO ANN. LXXIV.
QVI OBIIT ANN. MCCCCLXXXXII.
VIRIS FRVGIS ET INTEGRITATE RARIS.

Quid autem paſſus fuerit ſub Pontificibus in ſupradicta Inſcriptione relatis, ignorare nos candidè fatemur. De ipſius Litteris Latinis ad Joannem Petrum Vicecomitem ſcriptis, anno MDVIII. jam egimus in articulo Franciſci Caſtelli, pag. 343. quas vidimus ut infra, C

Scilicet:

I. Litteræ variæ Latinæ Joannis Andreæ Vicomercati ad Joannem Petrum Vicecomitem. Datæ anno MDVII. Extant in libro Franciſci Caſtelli, cui titulus: „ Quodlibet, ſive Antiquitatum diverſarum Eccleſiæ Mediolanenſis „ liber ſcriptus anno MDL. Cod. MS. ſig. E. num. 48. in Biblioth. Metropolitani Capituli, ut diximus in Caſtello.
II. Delle Laudi di S. Ambrogio Patrone della Chieſa Milaneſe. Orazione detta nella Chieſa Metropolitana di Milano, alla preſenza de' Tribunali, l'anno MDXLI. da Gianandrea Vimercati, Canonico Ordinario. *In Milano*, ſine Impreſſoris nomine, 1541. *in* 4. D

## MDCCCXL.

## De VICOMERCATO JOANNES BAPTISTA.

LIbenter Scriptorem aliquem uberiorem Morotio citando, de Viris illuſtribus Carthuſienſibus ſcribentem, ſcrutatus fuiſſem, ut aliqua de Joanne Baptiſta Vicomercato ejuſdem Ordinis Alumno Lectoribus meis proferre poſſem, ſed præter ejus Opus, quod præ manibus habui, nil aliud quàm id, quod ab Epiſtola nuncupatoria editionis *Joliti* ad Andream Menechinum per Thomam Porcacchium ſcriptam, exhibere prorſus de hoc Viro mihi datum eſt. Hæc ſunt verba Porcacchii: „ Al magnanimo, ed eccellente Sig. Andrea Menechini ec. Dedico io magnanimo, e virtuoſiſſimo Sig. Andrea alla corteſe bontà ed acutiſſima finezza d'ingegno, ed intelletto di V. E. queſto Ragionamento del M. R. & ſommamente virtuoſo Padre D. Gian Battiſta Vimercati nobile Milaneſe, & Monaco di Certoſa, d'eſemplar bontà, di molta ſcientia, e di ſingolare acutezza di ſpirito elevato &c. „ Etſi Bernardinus Baldus in ſuo libro „ Cronica de' Mattematici „ Ur-

*Urbino*, 1707. *in* 4. ad pag. 132. parvifaciat Opus Vicomercati noſtri, utpote quia modicè de Ptolomæo inſtructus fuerit, ut Germanorum more abſque demonſtrationibus practicam ſolummodo Horologiorum conficiendorum demonſtraverit; attamen pro ætate, qua Vicomercatus ſcripſit, Liber illius minimè ſpernendus eſt, immo quanti ipſum fecerint in hac ſcientia eruditi Viri Sæculi XVI. teſtes ſunt editiones VI. Operis Auctoris noſtri, quas vidimus. Dolendum interea eſt, quòd alia ejus ingenii monumenta, dignitates, vel ſaltem mortis annum nobis nemo indicaverit. Accipiant Lectores quod præſtare poſſum, uberiora ab aliis interim expectando. A

En Operis titulum : B

I. Dialogo degli Orologj Solari, nel quale con ragioni ſpeculative, e pratiche facilmente s'inſegna il modo di fabricare ogni ſorta d'Orologj. *Venezia, preſſo il Dongo*, 1557. *in* 4. *Ferrara, per Valente Panizza*, 1565. *in* 4. & iterum *Venezia, preſſo il Giolito*, 1566. 1567. *& ivi, preſſo i figliuoli dello ſteſſo Giolito*, 1584. *in* 4. & tandem *Padova, per il Paſquati*, 1672. *in* 4.
Videndi ſupradictus Bernardinus Baldus in Opere jam citato, Joſephus Morotius in Theatro Chronologico Sacri Ord. Carthuſ. pag 127. atque Canonicus Jo Andreas Iricus in ſua Typographica Hiſtoria Tridinenſi jam toties memorata.

## MDCCCXLI.

## De VICOMERCATO OCTAVIUS. C

TEmporis edacitas, necnon Majorum noſtrorum incuria frequentiſſimè deflenda nobis eſt ob tot Virorum doctrinâ illuſtrium documenta deperdita; inter quos numerandus nunc occurrit Octavius à Vicomercato, cujus labores litterarios fortè inveni, dum Epiſtolas Candidi Decembrii in Bibliotheca Ambroſiana, & Codices MSS. Bibliothecæ PP. Teatinorum hujus Urbis evolvebam. De ipſo igitur reperi pauca hîc adtexenda, è quibus quantâ in exiſtimatione fuerit Octavius apud eruditiſſimum Decembrium, facilè agnoſcitur, atque ex ipſis dolor creſcit, ad nos minimè perveniſſe majora ingenii Viri iſtius monumenta. Expiſcentur igitur alii, & facilè invenient pluſquam nobis datum eſt, D

Videlicet :

I. Plures Epiſtolæ Latinæ ad Candidum Decembrium ſatis eruditæ, inter quas una prolixa circa librum Platonis de Amicitia, è Græco in Latinum à Candido translatum, cum judicio Vicomercati. Datæ annis MCCCCLXIII. & MCCCCLXIV., cum Reſponſionibus Decembrii. Extant inter Epiſtolas MSS. Candidi Decembrii in Biblioth Ambroſiana.

II. Poëmata VII. Latina, ad Petrum Candidum Decembrium, cum pluribus iſtius ad dictum Octavium, inter quæ hoc, quod damus :

E *Tu ſpecimen virtutis eris caroque Parenti*
*Gloria, tu Matri ſolamina ſumma decoræ,*
*Cùm te tam doctum cernant puerilibus annis*
*Ut tua velari mereantur tempora lauro.*

Extant in Codice MS. Epigrammatum, & Epiſtolarum juvenilium Petri Candidi Decembrii, apud PP. Teatinos D. Antonii Mediolani.

## MDCCCXLII.

## De VICOMERCATO PINAMONS.

NUnquam ſatis mirari poterunt Mediolanenſes Cives Pinamontis de Vicomercato inſignia in Urbem ſuam merita; quandoquidem reſtituendæ, poſt tam ſæpè memoratum Ænobarbi excidium, Patriæ inter primos inſudavit, Vir non prudentiæ ſolùm commendatione celeberrimus, ſed eloquentiæ quoque laude clariſſimus. Facundiam verò quantam ſibi attentiſſimo ſtudio adeptus fuiſſet tunc maximè oſtendit, cùm anno MCLXVII. in Conventu Civium Mediolanenſium, quos Fridericus laribus pepulerat, adſtantibus etiam variarum Italiæ Urbium Legatis, illud propoſitum eſt, an ſcilicet in Ænobarbum votis omnibus conjurantes ſæviſſimum jugum excuterent, & jamdudum jacentem miſerandam in ſpeciem Inſubrum Metropolim reſtituerent. Eloquentiſſimam enim in Eccleſia Sancti Jacobi de Pontida Vicomercatus noſter habuit Orationem, quâ univerſam ferè Italiam, quæ ibi per Legatos convenerat, ad remittendum Friderico Nuncium impulit, & ad reficiendum Mediolanum incendit. Quapropter anno eodem V. Kal. Maji profugi jampridem Cives natale ſolum poſtliminio repetierunt, & disjectas Ædes, ſtrataque mœnia reſtituere aggreſſi ſunt. Rurſus igitur florente Urbe, atque liberâ Mediolanenſium Republicâ, Pinamons non ſemel Conſulatum geſſit; hoc enim munere functus eſt annis MCLXVII., MCLXXI., MCLXXXIII., atque demum MCLXXXV. Cùm autem de componendis cum Friderico prædicto Inſubriæ diſſidiis ageretur jam dicto anno MCLXXXIV. eamque ob rem Legatos ad eum mitterent Mediolanenſes, inter alios ad tanti negotii pondus ſelectos Viros adfuit etiam Pinamons, quod rurſùs egit anno MCLXXXV. Suæ item Reipublicæ nomine memorato anno MCLXXXIII. Conſtantiæ in ſolemni Curiâ VII. Kal. Julii, pacem cum Friderico iniit Reipublicæ Mediolanenſis nomine, unà cum Guidone de Landriano, Adobato Bultraffio, Gulielmo Burro, Guercio de Buxola, Alderico de Bonate, Rogerio Marcellino, atque Loterio de Medicis. Tam benemeriti Civis acta reliqua delevit oblivio, neque licet nobis plura dare, deficientibus apud Hiſtoricos monumentis uberioribus. Supereſt tamen ipſius memoria in eo lapide, qui adhuc viſitur in fornicibus Portæ Romanæ hujus Urbis, quam Inſcriptionem cùm jam dederimus in Articulo Adoladi Bultraffii (quem alii Adobadum appellant) ſupervacaneum ducimus illam repetere. Credimus tamen omninò memoratu dignum vetuſtiſſimum Elogium adhuc extans in Clauſtro Cœnobii Auguſtinienſium, apud Templum Sancti Marci hujus Urbis; olim poſitum Bocallino de Vicomercato, quem non ſine gravibus argumentis Pinamontis noſtri Avum fuiſſe credimus. Illud eſt hujuſmodi litteris efformatum :

V. RELIQUIAE
BOCALINI DE VICOMERCATO
QVI DIE V. FEBRVARII MCXXXVII. OBIIT
F. PATRITIAE GENTIS VICOMERCATAE
SACRVM.

Confirmat hoc marmor, quod albi diximus, conſueviſſe Mediolanenſes Virorum, & Fœminarum ejuſdem familiæ diſtincta quidem, ſed tamen vicina ſepulchra conſtruere; Siglæ etenim ille V. & F. indicare videntur Virorum, & Fœminarum.

Cæ-

Digitized by Google

Cæterùm Pinamontis ſupereſt :

I. Ragionamento di Pinamonte Vimercato, fatto nella Chieſa di S. Giacomo in Pontida, alla preſenza degli Ambaſciatori di varie Città d'Italia, affinchè ſi ribellaſſero a Federico I., e s'impegnaſſero a riſar Milano. Extat in lib. cui titulus : „ Orazioni in materia Civile, e Criminale di varj Autori, raccolte da Remigio Fiorentino ; „ qui eam Orationem excerpſit ex hiſtoria Corii. Prodiit liber *Venetiis*, *apud Jolitum*, 1561. *in* 4.

Mentio Pinamontis habetur in libro de Pace Conſtantiæ in corpore Juris Civilis inſerto, apud Corium in Hiſt. Mediol. ad citat. annos Donatum Boſſium in Chron. Mediol ad annum MCLXXXV. Chalcum Hiſt. Patriæ lib. XI. Comitem Octavium Archintum in Collect. Monum. Famil. Mediol., Sitonum noſtrum tam in Chron. Collegii J. PP. Art. XVII. pag. 26, quàm in Schedis, tandemque apud Canonicum Iricum in ſua Typographica Hiſt. Tridinen.

## MDCCCXLIII.

## De VICOMERCATO STEPHANARDUS.

Stephanardum de Vicomercato Picinellus noſter in duos diviſit in ſuo Athenæo, unum nempe protulit ſub genuino nomine, alterum ſub nuncupatione Stephani Ordinis Prædicatorum, deceptus à Poſſevino, à Pio, quodque magis mirere, à Clariſſimis Viris Voſſio, & Jovio, ut videbimus infra. Nos nunc primùm beneficio doctiſſimi Sitoni noſtri parentem ejus agnovimus, Reſonadum ſcilicet, ut conſtat ex Inſtrumento venditionis, acto in domo Fratrum Prædicatorum hujus Urbis, cui teſtes interfuerunt „ Frater Stephanardus de Vicomercato filius „ quondam Domini Reſonadi, & Frater Joannes „ Sertor filius quondam Ser Mafei dicti Ordinis Prædicatorum, & Frater Vivianus filius quondam „ Zanebelli, olim de Puſterla Aziarum &c. „ Hoc Documentum poſſidet autographum idem Sitonus, unà cum altero tranſactionis factæ per Fratrem Jacobum de Modoëtia Priorem, & Fratrem Stephanardum de Vicomercato, cum aliis novem Fratribus ſui Ordinis, agentibus nomine Capituli ſupramemorati Conventus S. Euſtorgii ex una parte, & Dominos Rubam de Balſamo, & Beltramum Corbum ex altera, datum anno Nativitatis Domini MCCLV. Nec fortè Lectores noſtros pigebit, quod hîc addam tertium Monumentum, antiquitate & ipſum venerabile, à nobis in Articulo Honrici Scacabarotii jam indicatum, in quo non tantùm Stephanardus noſter memoratur, ſed alii etiam Viri, de quibus alibi in hac noſtra Bibliotheca mentionem egimus, quod pariter ſervat ditiſſimum Muſæum nunquam ſatis laudati Sitoni, in hæc verba: „ Anno à Nativitate Domini „ MCCLXXXIX. die Jovis, primo menſis Decembris, „ Indictione tertia : Inſtrumentum Proteſtationis „ actum Mediolani, in quo teſtes interfuerunt Do„ minus Homniabene de Ravenna Vicarius Venerabi„ lis Patris Domini Othonis Sanctæ Mediolanenſis „ Eccleſiæ Archiepiſcopi, & Dominus Honrichus „ de Scacabaroziis Archipresbyter Majoris Eccleſiæ „ Mediolani, & Dominus Petrus Villanus Præpoſi„ tus Eccleſiæ Sancti Victoris de Corbetta, & plu„ res alii Clerici Ordinarii, & Præpoſiti Eccleſia„ rum Mediolani, & Dominus Joannes de Oddoni„ bus, & Dominus Obizo de Lomello, ambo Judi„ ces & Aſſeſſores Domini Balduyni de Ugonibus „ honorabilis Poteſtatis Mediolani, & Dominus An„ ſelmus de Alzate, & Dominus Gabrius Stampa „ ambo JurisPeriti, & Frater Jacobus de Cimiliano „ Prior Fratrum Prædicatorum Conventus Mediola„ ni, & Frater Prothaſius de Sancto Ambroſio, & „ Frater Andreas de Sexto, & Frater Ardizio de „ la Salla, & Frater Stephanardus de Vicomercato



A „ omnes Lectores in Theologia, & Frater Daniel „ de Gluxiano olim pravitatis hæreticæ Inquiſitor, „ & Frater Gregorius de Birago, & plures alii in „ magna quantitate : rogatum per Mayfredinum de „ Cera filium Ser Guarnerii Civitatis Mediolani Por„ tæ Ticinenſis de foris Notarium publicum &c. „ Ejus nomen occurrit quoque inter teſtes adhibitos in proceſſu MS. confecto propter cædem S. Petri Martyris, quem ſervat Bibliotheca Ambroſiana. Ante allucinationem Pauli Jovii, & cum eodem Gerardi Joannis Voſſii animadverterunt Clariſsimi Quetif, & Eccard in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædicatorum, eò quia Stephanardum noſtrum, & Gualvaneum de la Flamma à ſupradictis Auctoribus in unum tantùm Scriptorem conflatum reperierunt,
B etſi Voſſius ambos diſtinctos apud Leandrum Albertum videre potuiſſet ; nec Jovius excuſandus eſt, cui Gualvanei Chronicon legere in promptu fuiſſet, quod ſi vel leviter inſpexiſſet, Stephanardum inter eos Scriptores à Gualvaneo recenſitos, quorum uſus eſt operâ, facilè agnoviſſet. Adde quòd Stephanardus Carmine, Gualvaneus verò ſolutâ Oratione ſcripſere, & Stephanardus antiquior eſt, nam anno MCCXCVIII. mortuus Chronicon ſuum infra recenſendum non ultra annum MCCLXXVII. produxit, Gualvaneus verò, ut in eo vidimus, ſuum extendit ad MCCCLXXI, ſed ultra ne Lectores fatigemus, ſatis eſt audire Taëgium, qui in ſuo Opere, quod ſervat Bibliotheca S. Mariæ Gratiarum, Ordinis Prædicatorum, hæc ſcribit : „ Dominus Otto Vicecomes
C „ Mediolanenſis Archiepiſcopus præbendam centum „ Florenorum conſtituit pro Lectore Majoris Eccle„ ſiæ Mediolani, quæ lectio data fuit Fratribus no„ ſtris, & uſque in præſens perſeverat. Inſtituit au„ tem dictus Dominus Archiepiſcopus pro Lectore „ dictæ Eccleſiæ Fratrem Stephanardum de Vico„ mercato Mediolanenſem, & obtinuit, qui legit „ anno uno. Hic fuit in Seculo honorabilis Cleri„ cus, & magnus præbendatus, & doctus, qui com„ poſuit Chronicam, & Summam Juris Civilis, & „ multa, quæ ſunt in Bibliotheca Conventus Medio„ lani D. Euſtorgii. Fuit quoque dicti Domini Ar„ chiepiſcopi amiciſſimus, ac familiariſſimus &c. „ Miror quòd doctiſſimus aliàs Caſimirus Oudinus in ſuo Opere de Scriptoribus Eccleſiæ antiquis Stephanar-
D dum noſtrum Flammam dictum eſſe aſſeruerit, etſi errorem Voſſii non uno verbo indicet. Cæterùm Stephanardus inſignis fuit ætate ſuâ Divinarum rerum doctrinâ, eamobrem ab Othone Vicecomite Mediolani Archiepiſcopo & Principe inter charos, ut diximus, habitus. Quin etiam ab eodem Præſule delectus eſt, ut anno MCCXCII. in Synodo Provinciali, quam cum Suffraganeis Epiſcopis die XXVII. Novembris inchoaverat pro negotiis Sacri Belli, poſtridie verba ad populum faceret, ut infra. Neque minor in eum redundat gloria ex Muſarum culturâ, in quarum ſtudiis pro eo, quo fuit inter vivos, tempore, ſatis excelluit ; ſed ſcripta Auctoris noſtri, qui ex ſupra relatis Mundo valedixit anno Chriſti MCCXCVIII. diſtinctiùs quam alii hìc damus, &
E utinam ea Sui diligentiùs ſervaviſſent !

Hi ſunt Operum tituli :

I. Stephanardi Vicomercati Ordinis Prædicatorum, de Geſtis in Civitate Mediolani ſub Othone Vicecomite Archiepiſcopo Carmine conſcriptis. Hoc Opus editum fuit primùm in Tomo III. Anecdotorum Cl. Ludovici Antonii Muratorii, & iterum in Tomo IX. Scriptorum Rerum Italicarum pag. 97. ex duobus MSS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſignatis S. num. 35. & O. num 161. in 4. litteris rubro-nigris in pergameno, cum variantibus lectionibus, me inſudante, appoſitis, noviſque adnotationibus ejuſdem Muratorii. De hoc Chronico plura animadverterunt ſupradicti Quetif, & Eccard, necnon Caſimirus Oudinus, ad quos & eruditam Præfationem Muratorianam Lectores remittimus.

II. Tractatus de Irregularitate, compilatus per Fr. Ordinis Prædicatorum Stephanardum. MS. in 4 in perg-

 game-

Digitized by Google

gamenò, litteris rubro-nigris, & miniaturis deauratis pag. 69. ſign. D. num. 53. extat in ſupradicta Bibliotheca Ambroſiana.

III. Quæſtiones ſuper cunctis locis Apparatus Decretalium in LXXXVII. Articulis diviſus pagg. 322. Extat in ſupradicto Codice Ambroſiano.

IV. De Controverſia hominis, & fortunæ. Opus Metricum ex ſupradictis, & infra citandis Auctoribus.

V. De Emanationibus. Opus in IX. partes diſtributum. Ex iiſdem.

VI. De Peſte Mediolanenſi Carmen. Ex iiſdem.

VII. Periarchon nominum, & nonnulla alia de principiis nominum, ſic Luſitanus „ qui hoc ſibi velit uti- „ nam quis explicet? „ Sunt verba Quetif, & Eccard.

VIII. Poſtilla ſuper Lucam. Ex iiſdem.

IX. Dialogus de Apprehenſione, ſeu de Potentiis Apprehenſivis in XII. Partes, & Capitula CCXX. diviſus.

X. Oratio habita in Synodo Provinciali, quam Otho Archiepiſcopus die XXVI. menſis Novembris, anno MCCXCII. celebravit, & animos fidelium ad ſuſcipiendam Crucem pro ſacra expeditione accendit. Teſtis eſt ipſe in ſuo Poëmate de Geſtis in Civitate Mediolani. Ita quoque VVadingus in Tom.V. novæ editionis pag. 115.

Agunt de ipſo Paulus Morigia lib. III. Nobil. cap. 29. Triſtanus Chalcus in Præfatione ſuæ Hiſtoriæ, Borronus Burienſis in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, Poſſevinus in Apparatu Sacro Tom. III. pag. 252., deceptus verò à Jacobo de Suzato, & ab Alberto Veneto, Joannes Jacobus Friſius in ſua Bibliotheca, Gerardus Joannes Voſſius in lib II. de Hiſtoricis Latinis cap. 62., Caſimirus Oudinus in Commentariis de Scriptoribus Eccleſiæ antiquis T. III. pag. 609. Picinellus in Athenæo pagg. 296. & 298. Quetif, & Eccard in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum Tom. I. pag. 460., omneſque alii de eodem celeberrimo Ordine ſcribentes.

## MDCCCXLIV.

## De VICOMERCATO THADDÆOLUS.

EX Genealogico Stemmate Gentis de Vicomercato, quod ex pluribus autographis documentis texuit Vir Cl. Sitonus noſter, quod incipit à Reſonado, Stephanardi mox à nobis celebrati patre, anno Chriſti MCCXXX. florente, ac pergit uſque ad Franciſcum Bernardinum à nobis jam laudatum, Thaddæolum hunc ex Joanne, Mediolani Decurione, natum eſſe comperimus. Gloria non modica hujus Viri fuit habuiſſe tres liberos memoriâ digniſſimos, Joannem nempè, atque Antonium, de quibus nos ſuis locis ſermonem habuimus, nec non Gaſparem, cujus Inſcriptionem illuſtrem dedimus in Sanctæ Mariæ Gratiarum Cœnobio exiſtentem. Noſter verò, & in patriâ Decurio, nec non Vicarius Officio Proviſionum anno MCC CII. Ducaliſque Orator, ac Conſiliarius Juſtitiæ, ſcilicet Senator, extitit. Jam anno MCCCLXXXV., ut notavit Clariſs. Sitonus, Coll. J. PP. Mediol. ingreſſus erat, deinde Jus Canonicum publicè interpretatus eſt in Placentino, & Ticinenſi Gymnaſiis. Sigiſmundus Imperator tanti ipſum fecit, ut eum Cæſareum Comitem Palatinum inſtituerit, ex Diplomate, quod ſervat Panigarolarum Archivum hujus Urbis, datum anno Redemptionis MCCCCXVIII. Primas extitit Gibellinæ factionis, ut infraſcripti Auctores teſtantur. Erat etiam in vivis, ut ex publicis Inſtrumentis penes Sitonum noſtrum, anno MCCCCXXVII., ſed quando mortem obierit, ignoramus. Parùm de eo habemus, ſed juxta inſtitutum noſtrum, ea, quæ ante Sæculum XV. & XVI. reperiuntur, minimè rejicienda ſunt, etſi brevioris notæ; Adde quod reliqua Thaddæoli noſtri periiſſe Opera, non eſt ambigendum.

Supereſt igitur ejuſdem:

I. Oratio ad Patrem Philippi Mariæ Angli Ducis Mediolani, quæ extat in Biblioth. Ambroſiana in Cod. MS. ſign. B. num. 116. in 4.

Videndi ſunt Corius in hiſtoria Mediol. par. 4. ad annos MCCCCII., & MCCCCVIII. Morigia in Hiſtoria Mediol. lib. 4. cap. 44. Carolus Hieronymus Cavatius in Alleviam. Stat. Mediol. Umbertus Locatus in Chron. Placent. pag. 335. Petrus Maria Campus in Hiſtoria Placent. part. II. lib. 18. pag. 191. Raynucius Picus in Appendice Coll. Parmenſ. num. 15. Pancirolus de Claris Legum Interpretibus, pag. 454. Archintus, & Fannianus de Familiis Mediol., nec non Sitonus noſter in Chron. Coll. J. PP. Mediol. pag. 37. art. 95. atque in Schedis.

## MDCCCXLV.

## VIDEMARIUS JOANNES.

DE Videmaria Familia Mediolanenſi nil habeo, quod Lectoribus meis proferam, nihilque de Joanne hujus cognominis, cui nunc primùm inter Mediolanenſes Scriptores locum juremeritò dare juvat ob ejus Opus MS. infra deſcribendum, quod ex legato J. C. Joannis Mariæ Bidelli ab anno MDCCV. poſſidet Bibliotheca Ambroſiana, uti legitur in fronte ejuſdem Codicis. In ipſo Auctoris noſtri labore ſatis elucet quantùm in re Nummaria edoctus fuerat, & non inelegans Muſæum Nummiſmatum ſibi comparaſſe agnoſcitur. Ferè incredibile eſt, quod de Viro forſan noſtris temporibus adhuc vivente, nullus mihi rem etſi minimam indicare ſciverit: Forſan aliis datum erit invenire, quod ego fruſtra expiſcari conatus ſum.

Titulus Codicis eſt:

I. De Nummiſmatibus antiquis ex ære, magnæ, mediæ, & minimæ formæ, Doctoris Joannis Videmarii, MDCLXXVI. Extat, ut diximus, in Ambroſiana. MS. ſign. N. num. 80. in 4.

## MDCCCXLVI.

## VIGNATUS BONAGRATIA.

OPpidum Legnani in Agro Mediolanenſi conſtitutum, jamque non ſemel hoc in Opere memoratum, natale fuit ſolum Bonagratiæ de Vignatis, cui Minorum Sancti Franciſci, in eo Cœtu, qui Obſervantes nuncupantur, Inſtitutum placuit profiteri, Hic, quemadmodum ſacris addictos Viros decet, nihil habuit antiquius, quàm bonis ſtudiis mentem excolere, illiſque præſertim vacare, quæ ad divina pertinent. Neque verò inter ſerias diſciplinas à Muſarum oblectamentis abſtraxit animum, ita tamen ut nullum niſi ſacrum Carmini argumentum aſſumeret. Lyrico præcipuè delectatus eſt metro, prout ex infra dandis liquet. Obitum illius, actaque plura recenſere non datur, cùm vana prorſus diligentia noſtra in his perquirendis extiterit.

Scripſit:

I. Breve Compendiolum Vitæ, certaminiſque B. Catharinæ Virginis, & Martyris, per P. Bonagratiam Vignatum à Legnano, Ordinis Min. Regularis Obſerv. Provinciæ Mediolanenſis in Hymnorum phraſim, editum. *Mediol. apud Ferriolum*, 1597. *in* 8.

II. Vita di S. Diego. *Ibi*, *apud eundem*, 1604.



Digitized by Google

## MDCCCXLVII.

## De VILIACO JOANNES.

JOannis hujus de Viliaco Mediolanenſis, Eremitæ Auguſtiniani, neque geſta, nec aliud litterarium monumentum, aut virtutis ejus decora invenire potuimus: quapropter unicum illud ſubjicimus, quod in Bibliotheca D. Marci perſcrutanda nobis occurrit,

Videlicet:

I. Lecturæ ſuper primum ſententiarum Doctoris ſuperſubtilis Pauli Veneti, ſcriptæ & ad uſum accommodatæ per Fr. Joannem de Viliaco de Mediolano. Die XX. Aprilis, anno MCCCCXXI. Paduæ, dum erat in Conventu Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cum variis ejuſdem adnotationibus marginalibus. MS. in 4. pergam. litteris rubro-nigris.

## MDCCCXLVIII.

## VILLA JOANNES BAPTISTA.

QUòd Gens Villa inter Mediolanenſes Familias antiquitus floruerit, ſatis ſuperque oſtendunt Documenta à Cl. Sitono collecta, è quibus eruitur Monacum de Villa Conſulatum Reipublicæ Mediolanenſis egiſſe anno MCXCVII., ſicut etiam ſcripſerunt Corius, & Chalcus. In noſtra quoque Hiſtoria Bononienſi à Ghirardaccio compoſita, Riccardus de Villa Mediolanenſis agnoſcitur Prætor non tantùm fuiſſe patriæ meæ dilectiſſimæ annis MCCL., & MCCLV., ſed & Populi ejuſdem Capitaneus anno MCCLXIX., ut etiam adnotavit Pompejus Vizanus. Quatuor quoque de hac Gente inter Decuriones Civitatis Mediolani claruere ab anno MCCCCLXXIV. ad MDXIII. Joannes verò Baptiſta noſter Thomæ filius, vitam Eccleſiaſticam profeſſus eſt in hac Urbe, & poſt Lauream in utroque Jure acceptam, uti Lector in Metropolitana Eccleſia laudatur à Picinello. Ob ejus merita primùm Præbendam Canonicalem in Eccleſia Collegiata S. Babilæ, anno ſcilicet MDCXIV., deinde magiſterium Chori in primario hujus Urbis, ab eximio Cardinali Archiepiſcopo Federico Borromæo obtinuit; Idem officium uti de Ritibus Ambroſianis ſummè edoctus, ingenti omnium plauſu uſque ad ultimam diem, quam ignoramus, peregit. Præter Opus ſuum MS. infra recenſendum, quod vidimus, duo tantùm ex relatis à Picinello ad manus noſtras pervenerunt, reliqua, an ſint edita nec ne nobis adhuc incompertum eſt.

Hæc ſunt, quæ de eo proferimus:

I. Le Sette Chieſe, ò ſia Baſiliche Stazionali di Milano *Ivi, per il Malateſta*, 1627. *in* 12.

II. Origine delle Stazioni, con un Diſcorſo ſopra il nome, ed altre particolarità di quelle. *Milano*, 1630. *in* 12.

III. Le Chieſe Collegiate reſidenziali, e ſenza reſidenza di Milano.

IV. Diſcorſo in cui ſi moſtra, che Milano fu ſempre una ſeconda Roma.

V. Catalogo di tutte le Religioni, ed anco delle militari, nel quale ſommariamente ſi legge a Religione per Religione l'anno della ſua Fondazione, il luogo, ove ebbe il ſuo principio, il nome del ſuo Fondatore, il Pontefice, che approvò la Religione, la forma dell' Abito, con diverſe altre curioſità. Raccolte dal Reverendo Prete Gian Battiſta Villa, Canonico di S. Babila. MS. in foglio pagg. 250., ſign. D. num. 10. Extat in Bibliotheca Ambroſiana.

A VI. Epigramma Latinum in laudem Joannis Antonii Caſtillionæi. Legitur in libro, cui titulus: „ Florilegium Antiquitatum Mediolanenſium „ ejuſdem Caſtillionæi, de quo jam dictum.

Laudatur à Petro Paulo Boſca in lib. III. de Origine, & Statu Bibliothecæ Ambroſianæ, à Joanne Petro Puricello in Diſſertatione Nazariana, Cap. 171. num. 1. & in Vita S. Arialdi lib. 1. Cap. 26., necnon ab Abbate Picinello, pag. 289.

## MDCCCXLIX.

## VILLA JOSEPH.

B PRæter ea, quæ diximus ad demonſtrandam familiæ
Villæ Mediolanenſis antiquitatem in præcedenti
articulo Joannis Baptiſtæ, juvat hîc addere, quòd
Miranus de Villa Conſul Juſtitiæ Reipublicæ Medio-
lanenſis extiterit Sæculo XII., nam apud nobis ami-
ciſſimum Nicolaum Sormanum ob ejus Opera edi-
ta, atque edenda in Republica Litteraria ſatis no-
tum, reperiuntur Placita III. ab eodem Mirano pro-
mulgata, unum videlicet die X. menſis Januarii,
anno MCLXIII., alterum die XXXI. menſis Decem-
bris, anno MCLXXIX., tertium verò die IV. men-
ſis Julii, anno MCLXXXIV., omnia in Collectione
ſua Diplomatica, quæ utinam aliquando lucem vi-
deat! Ex hac gente Carolus Villa Joſephum, de
quo agimus, genuit, qui ab ipſo, & à Martha,
C cujus cognomen excidit, tam rectè ſolidèque edu-
catus fuit, ut Clauſtralem vitam amplecti inſti-
tuerit, ideoque inter Clericos Regulares, quos Tea-
tinos vocamus, profeſſus eſt die XXX. menſis Mar-
tii, anno Chriſtiano MDCXLIV. In eadem Congre-
gatione Lauream Theologalem accepit, deinde ad
Sacras Conciones peragendas ſe contulit, ut in Di-
vinis Litteris explicandis anno integro ab Auditoribus
in Metropolitana Eccleſia hujus Urbis ſingularem
plauſum exceperit, deinde tam in eodem Templo,
quàm Vicentiæ, Pergami, Parmæ, &c. Oratio-
nes, quas annuales vocant, ingenti cum animarum
profectu, ſacrâque eruditione refertas, habuit. Ora-
torium Agonizantium vocatum in Domo ſua D. An-
tonii hujus Metropolis per plures annos indefeſſo la-
D bore, & Confratrum perpetuâ laude ita rexit, ut
cum ipſis commune ſepulchrum habere meruerit, ad
Divi Andreæ Avellini Sacellum, quod accidit die
XXVIII. menſis Februarii, anno MDCCI., qui fuit
ei ſeptuageſimus quartus, & ultimus. Suam erga
ſupradictum Sanctum devotionem Joſeph noſter inde-
ſinenter oſtendit, uti quoque in Oratione Panegyri-
ca, quam in Conſecratione Templi S. Antonii, ab
Alexandro Porro Bobienſi Epiſcopo habitâ anno
MDCLIV. ſolemniter dixit. Mirum eſt, quòd Vir
iſte totus ad animarum profectum deditus, litteras
quoque amœniores minimè deſpexerit, nam in Aca-
demia Faticoſorum, de qua pluries ſermonem ha-
buimus, eruditiſſimè locutus eſt. Ex ſupradictis igi-
tur colligimus, quòd ſequentia ſcripſerit, ubi verò
E reperiantur, nobis ſcire datum non eſt.

Hæc ſunt:

I. Lezioni ſopra la Sacra Scrittura, dette per il corſo d'un anno nel Duomo di Milano.

II. Prediche annuali. Has habuit in variis Urbibus, ut ſupra.

III. Diſcorſi detti nell'Accademia de' Faticoſi, aperta nel Collegio di S. Antonio. Ex Picinello.

IV. Le Sacre Nozze. Orazione Panegirica. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1614. *in* 4.

Ita ab Athenæo Abbatis Picinelli pag. 317., & ab amiciſſimo P. Crucejo ejuſdem Congregationis Alumno.

MDCCCL.

Digitized by Google

## MDCCCL.

## VILLANUS FRANCISCUS.

TRes Villanæ Mediolanenſis Familiæ Viros nunc proferimus memoriâ digniſſimos, duos nempè dignitate Senatoriâ inſignitos, alium verò de patriâ ſummè meritum ob Statuta illius in meliorem ordinem redacta Sæculo XIV. Joannes alter Villanus Conſulatu Juſtitiæ in liberâ Mediolanenſi Republicâ clarebat anno MCXCVI., ut nos monuit humaniſſimè Sitonus amiciſſimus. Franciſcus, de quo nunc agimus, patrem habuit Octavium mox à nobis laudandum, matremque Virginiam Ricciam conjuges; adultus in Juribus tam Cæſareis, quàm Pontificiis, ita illuxit, ut in Regium Capitaneum Juſtitiæ totius Mediolanenſis Dominii meruerit inſtitui ab anno MDCLIV. ad MDCLVII., in quo munere tantâ cum laude ſe geſſit, ut anno ſubſequenti inter Advocatos Fiſcales, deinde anno MDLXIII. inter Senatores à Catholico Rege adnumeratus fuerit. Cremonenſes faſces obtinuit anno MDLXIV., & ſubſequenti mors eum, non ſine Cremonenſium dolore, die XVI. menſis Novembris, abſtulit. Vir fuit in Arte dicendi celeberrimus, & ita Juſtitiæ acerrimus cultor, ut Vota ejus Fiſcalia adhuc præ manibus plurium Juriſconſultorum verſentur.

Superſunt ipſius:

I. Tractatus contra Sperellum, & Thomam Delbene pro Regia regalia Salis, ubi Clerici à Gabella Principis Salem emere debent, introducentem Salem exterum ſpoliari poſſe, & de eorum Immunitate; hunc extare apud Juriſconſultum, & Advocatum Solivettam aſſerit P. D. Gaſpar Beretta in ſuis Schedis. MS. in fol pagg. 50.

II. Allegationes Fiſcales, & Juriſdictionales, de quibus ingens Volumen effici poteſt. Extant tam editæ, quàm MSS. in Collectione Benaliana, Archintea, aliorumque J. PP. Mediol.

Agunt de ipſo, Ariſius in Chronologia Prætorum Cremonæ, pag. 58. Joſeph Benalius in Hiſtoria Magiſtratus Extraord. pag. 182., & Advocatus Sitonus in Syllabo Senatorum, num. 169. pag. 10., & in ſuo Theatro Genealogico, pag. 460. MS. in fol.

## MDCCCLI.

## VILLANUS JOANNES.

MUnicipalis inter Juris, cujus uſus apud Mediolanenſes ſupereſt, Collectores non infimum ſibi promeruit locum Joannes Villanus nobili in hac Metropoli ſanguine genitus. Suâ igitur non eſt fraudandus commendatione; immo inter eos Scriptores recenſendus venit, qui plurimùm Patriæ profuerunt. Quamvis enim acta ejus, atque parentum nomina, quemadmodum & anni emortualis memoria oblivione ſepulta deliteſcant, nihilominus ſemper apud Cives ſuos ipſius vigebit recordatio propter

I. Statuta Mediolanenſis Reip. correcta ab eo, & compilata, quod Opus cœptum eſt anno poſt Chriſti Natale MCCCXLVIII.

Ejus meminit ad eundem annum Bernardinus Corius, & Sitonus noſter in Schedis.

## MDCCCLII.

## VILLANUS OCTAVIUS.

OCtavius Villanus, Franciſci parùm ſupra à nobis laudati pater, alterius Franciſci & ipſe genitus, fratrem habuit Joannem Baptiſtam Regium Canonicum, deinde Archipresbyterum Sanctæ Mariæ Schalenſis hujus Urbis. Vir fuit ſuo Sæculo commendatiſſimus, nam non tantùm in rebus Legibus apprimè excultus, ſed etiam in Politicis uſque ad ſydera laudatus ab infraſcriptis, pluribuſque aliis Scriptoribus, ideoque mirum non eſt, ſi nomine Regis Catholici nonnullas Legationes ad Principes optimè geſſiſſet. Cathedram Senatoriam aſcendit anno MDCXXIX., & in ſubſequenti Regens in Supremo Italiæ Conſilio evocatur. Satis eſt in laudem ipſius ſequens Epigramma proferre, quod legitur inter ea Jacobi Valerii in Codice Bibliothecæ alibi laudato, Clericorum Regularium D. Antonii hujus Urbis:

Ad Regentem Octavium Villanum Catholicæ Majeſtatis Legatum.

*Corde gravis, linguâque potens, & Regis Iberi*
*Numerus, Octavi, ſydus in Orbe mirans,*
*Per te Germani Batavos fregere rebelles,*
*Ne premerentque ſolum, ne premerentque ſalum.*
*Adde quod innumeras traxit tua lingua phalanges*
*Itala ab hoſte, quibus regna quieta forent.*
*Dignus qui Hiſpani portes citus Orſa tonantis;*
*Fert ut Atlantiades juſta timenda Jovis.*

Dolendum eſt, quòd Scripta illius miſerè perierint, ſupereſt attamen Codex magnifaciendus, ut infra, ex quo judicium, & virtus Auctoris ſatis ſuperque elucent.

En titulum ejuſdem:

I. Conſulte, e Lettere varie ſopra diverſi diſpareri inſorti per la Giuriſdizione Eccleſiaſtica, e Regia, concernenti maſſimamente il Concilio di Trento, ed in ordine alla Città di Napoli. MS. in foglio, pagg. 640. Extat in Bibliotheca Ambroſiana, ſign. O. num. 156. in fol.

Celebratur à Comite Galleacio Gualdo in Hiſt. Ital. Tom. I. lib. I. pag. 3., à Joſepho Ripamontio in Hiſt. Patriæ lib VI. pag. 163., à Baſilio Serennio in Elogiis Familiæ Borromeæ, pag 399., à Joanne Franciſco Foſſato in Hiſt. Ital. pag. 140., à Lando de Senatu, pagg. 233., 246., & 254., nec non à Sitono noſtro in ſuo Theatro Genealogico, pag. 460. MS. in fol. penes eundem Auctorem.

## MDCCCLIII.

## VINCEMALA HERCULES.

FAmilia Mediolanenſis Vincemala, quandoque etiam Vicemala, & Viſmara vocata, clarebat jam in Joannino, qui juxta ſeriem hujus Gentis à Cl. Sitono contextam erat in vivis anno MCCCXXX. Ex eâdem progenie ortus eſt Hercules, Julii, & Corneliæ item Vincemalæ conjugum filius, qui plurium Majorum ſuorum veſtigia proſecutus, ad leges ediſcendas ſe contulit, ideoque inter Juriſperitos Colle-

Digitized by Google

Collegiatos adſcriptus eſt, anno Chriſti MDLXXIV. Floruit uno eodem tempore cum Stephano Leynatio, de quo dictum ſuo loco. Hyppolitus Maraccius in ſua Bibliotheca Mariana, ſic de ipſo loquitur: „ Hercules Vincemala, natione Italus, patriâ Mediolanenſis, Vir, præter eximiam in Juriſprudentia „ peritiam, à pietate ſingulari, præſtantique Sanctiſſimæ Virginis clientelâ commendandus &c. „ Fratrem habuit Octavium, Equitem auratum, cum quo ſacrum iter ad Lauretanam Ædem peregit, quod elegantiſſimè deſcripſit ut infra. Carminibus quoque Latinis abundè claruit, ut partim diximus, ubi de Academia Rovidiana locuti ſumus in Cæſare Rovidio, tum in eis, quæ infra dabimus. Obiit ſine prole anno redempti Orbis MDLXXXV., & hæc de ipſo damus,

Videlicet:

I. B. Mariæ Virginis Sacratiſſimæ miraculorum, lib III. ab Hercule Vicemala Collegii Mediolanenſis J. C. latinè expoſiti. *Mediolani*, *apud Pontium*, 1579., & iterum 1582. De hoc libro ita ſcripſit Poſſevinus in Apparatu Sacro Tom. II. pag. 23. „ Hercules Vincemala Collegii Mediol. J. C. Libros III. Miraculorum Mariæ Virginis Sacratiſſimæ ſcripſit &c. at „ in hoc Scriptore deſideratur citatio locorum, è quibus hauſerit plura, quæ affert, Miracula ejuſdem „ B. Virginis. „

II. Herculis Vincemalæ ad Mariæ Virginis Ædem Lauretanam peregrinatio, ſive cum Octavio fratre ſuo in ea peregrinatione de ipſa Virgine Sanctiſſima Dialogi XV., totidem diebus habiti. MS. in 4. juſtæ molis, extat in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum.

III. Carmina varia tam Latina, quàm Italica inter alia Academicorum, de quibus jam diximus in Cæſare Rovidio.

IV. Epigramma Latinum in laudem Orationum Camilli Sclafenati, editarum *Ticini*, *apud Bartolum*, 1579. *in* 4., de quo libro in Sclafenato egimus.

Videndi ſunt de eo Aubertus Miræus de Scriptoribus Sæculi XVI. apud Fabricium in Bibliotheca Eccleſiaſtica, par. II. pag. 212. Hyppolytus Maraccius in Bibliotheca Mariana, part. I. pag. 569. Zavatarius in Praxi Fori Mediolanenſis, pag 158. num. 439. Picinellus in Athenæo, pag. 172., & Sitonus noſter in Chron. Coll. J. PP. Mediol. pag. 150. art. num. 707.

## MDCCCLIV.

## VINCEMALA JOANNES JACOBUS.

JOannes Jacobus Vincemala, Joannis Simonis, anno Chriſti MCCCCXXXIX. Comi Prætoris, ac Ducalis Aulici ſub Philippo Maria Vicecomite, & Franciſco I Sfortiâ, Mediolani Ducibus, filius, claruit & ipſe Eques auratus, & inter J. PP. Coll. hujus Metropolis, Ducalis Camerarius, à Conſiliis Principis, atque anno MCCCCLVIII. inter Ampliſs. Senatores Mediolanenſes adſcriptus fuit. Parens ejuſdem, ut diximus, Joannes Simon, quieſcit in D. Georgii Sacello, in Baſilicâ Sancti Ambroſii majoris hujus Urbis, hoc inſcripto Elogio, quod, illius memoria nepereat, hîc addere juvat:

VINCEMALA HIC SIMON SITVS EST PROBITATE IOHANNES
SPLENDIDVS ET GENERIS NOBILITATE SVI
HIC FVIT ANGVIGERO MIRA·PIETATE PHILIPPO
ATQVE FIDE CHARVS OMNE PER OFFICIVM
HVNC FRANCISCE VIRVM DILEXTI SFORTIA PRINCEPS
QVI BONVS ET NATOS CREDIDIT ESSE BONOS
REDDIDIT HIC TERRAE TERRENVM CORPORIS OMNE
AST ANIMAM SVPERO RESTITVIT DOMINO.

De præfato Equite & Senatore Joanne Jacobo noſtro, paucis verbis ſe expedivit Picinellus, contentus tantùm titulum exhibere cujuſdam MS., qui reperiebatur olim penès Joannem Baptiſtam Blanchinium; nos verò ipſum ſuſpicamur eſſe eumdem à Sitono noſtro in Bibliotheca Sancti Ambroſii obſervatum, ut infra num. II. Obiit anno MCCCCXCIX., ejuſque Teſtamentum, anno MCCCCXCVII. conditum extat apud ſupradictum Sitonum noſtrum.

Scripſit

I. Conſilia Juridica, quæ memorantur cum laude à Jaſone Mayno in Vol. II. Conſiliorum, num. 197. 198., & 199., & à Joanne Petro Bimio in Conſiliorum Vol. IV. num. 270.

II. Carmina varia, vulgò *Sonetti*, *e Madrigali*. Vol. I. MS. in 4. juſtæ molis in pergameno cum miniaturis & auro. Extat in Bibliothecha Monachorum Sancti Ambroſii hujus Urbis.

De eodem honorificè meminerunt Paulus Morigia hiſt. antiquitat. Mediolanen. lib. 4. cap. 25. Philipp. Picinellus in Athenæo Litterat. pag. 307. Advocatus Jo. Sitonus in Syllabo Senatorum, pag. 13. num. 247. in Chronico Colleg. J. PP. artic. 223. pag 54., & in Theatro Genealogico Sitoniano, pag. 464. MS. in fol. penes Authorem.

## MDCCCLV.

## VINCEMALA JOANNES BAPTISTA.

JOannes Baptiſta Vincemala parentes habuit Joannem Antonium, & Magdalenam de Gallis conjuges, & ut Vir Juriſperitiſſimus Collegium Nobil. Mediolanenſium ejuſdem facultatis ingreſſus eſt anno poſt Virginis Partum MDXIV. Patruum habuit alterum Joannem Baptiſtam Vincemalam ſeniorem J. C. C. & ipſum, cui conjux fuit Monica, cujus cognomen excidit; ambo verò tumulum habuerunt ſimul in Sacello D. Georgii, Baſilicæ S Ambroſii hujus Urbis, cum Inſcriptione, quam ut lectu dignam, hîc dare ſtatuimus.



Digitized by Google

QVORSVM DELICIAS MISERANDI CONIVGIS AVFERS
O MIHI IAM NVLLOS NVPTA VIDENDA DIES
IPSE PIVM PRO TE POTVI DIMITTERE PATREM
VINCEMALAM DVLCI CVMQVE PARENTE DOMVM
HOC ANIMI PROBITAS HOC RARAE GRATIA FORMAE
IVSSIT ET HOC SACRI IVRE CATENA THORI
TE TVVS HINC PATRIO TVMVLAT BAPTISTA SEPVLCHRO
AVRATO POTIVS MONICA DIGNA SOLO.

Noſter verò in hac Bibliotheca locum meretur ob ea, quæ nunc proferimus,

Videlicet:

I. Quædam Gloſſemata compoſita, cum Joanne Nava J. C. ſuper Statuta Mediolani, quæ poſt eorum obitum aucta, & completa ſe edidiſſe teſtatur Antonius Rubeus in Epiſt. Nuncupatoria præfixa ejuſdem Statutis Mediol., cum appoſtillis Caſtelliani Cottæ. Rubei teſtimonium ſupra retulimus in Joanne Nava.
Agunt de ipſo Cl. Sitonus, & Comes Octavius Archintus in ſuis Collectionibus.

## MDCCCLVI.

## VINCEMALA JOSEPH.

NEmo præter amiciſs. Sitonum mihi vel tantillum indicavit de Joſepho Vincemala, qui ſub nomine anagrammatico Veraſſii Mageppi edidit librum infra proferendum, etſi ætate noſtra Auctor ipſe floruerit. Mihimet igitur idem Cl Sitonus indicavit, unum fuiſſe ex duobus Canonicis Eccleſiæ Paroch. S. Calimerii hujus Urbis Rectoribus, qui dum in humanis agebat, plu- ries Muſæum ſuum res viſu mirabiles continens, in domo ſua Parochiali eidem Sitono oſtendit. Quantùm ipſis Vincemala iſte delectatus ſit, atque aliis rebus antiquis, ſatis apparet ex Opuſculo,

Cui titulus eſt:

I. Del Serpente innalzato da Mosè nel Deſerto. Oſſervazioni di Veraſſio Mageppi, circa il modo, con cui deve rappreſentarſi da' Pittori, Scultori, ed altri Artefici di Figure. Dedicate al merito dell' Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Monſignor Nicolò Rubini, Teologo della Metropolitana di Milano. *Ivi, nella Stampa di Antonio Camagni, vicino alla Roſa*, 1700. in 12.

## MDCCCLVII.

## VINCEMALA LUDOVICUS.

IN Genealogia Gentis Vincemalæ nullum Ludovicum nomine reperi; attamen omittendus non eſt inter Scriptores Mediolanenſes, Ludovicus iſte, qui Juriſconſultus, & in Ticinenſi Academia publicus Profeſſor, laudatur à Sitono noſtro in ſuis Schedis. Si tamen hic fuit Papienſis, quod difficile credo, mihi vitio non tribuant illius Urbis Eruditi, nam poſt Patriæ indicium fruſtrà quæſitum in ſuis Opuſculis infra recenſendis, diligentiam quoque apud ipſos minimè omiſi ad ipſam, ejuſque acta litteraria, & annum mortis ediſcenda, ſed non proſpero eventu. Hæc de ipſo vidi,

Scilicet:

I. Ludovici Viſmarii J. C. De eſſentia Poſſeſſionis Diſputatio, ad Ampliſs. Senatum Mediolanen., cui tunc erat Præſes Jo. Baptiſta Trottus. Præfatio libri eſt Bartholomæi Areſii. *Mediol.* ſine anno, atque Typographi nomine, *in* 4.
II. Ludovici Viſmarii J. C., & in Ticinenſi Academia Ordinarii Pomeridianis horis Juris Civilis Interpretis, Conſultatio in Cauſa honorifica Curſana, & Surrigona, anno 1629. typis impreſſa, extat penes Advocatum Sitonum, *in fol.*
III. Conſultationes aliæ plurimæ apud J. PP. Mediolanenſes & Ticinenſes, quos alibi indicavi.
IV. Carmina varia Ludovici Vincemalæ J. C. ad Julium Trovamalam. *Ticini, apud Petrum Bartoli*, ſine anno, *in* 8.

## MDCCCLVIII.

## VINCEMALA OCTAVIUS.

DE Octavio Vincemala, Donati Alexandri, & Eliſabethæ Carcanæ conjugum, filio, nec penes Cl. Curtium, nec apud alios, qui de Scriptoribus Medicis egerunt, ulla adeſt mentio. Fuit ille Eques & Comes Pontificius, & in Collegium Phyſicorum Mediolanenſium cooptatus, die XXVI. menſis Januarii, anno Æræ Chriſtianæ MDXCIX. Non tantùm facultates Philoſophicas, & Medicas coluit, ſed & etiam Eruditas, uti facilè omnibus oſtendit Opuſculum ejus infra recenſendum, in quo ferè tota Antiquorum Geographia dilucidatur. Inter charos fuit Ericii Puteani, ut ex litteris, de quibus infra, eumque obiiſſe adnotavit Sitonus noſter, anno MDCXI.

Liber ejuſdem ſic prætitulatur:

I. Octavii Vincemalæ Philoſophi & Medici Mediolanenſis Itinerarii Antonini Imperatoris examinatio, & dilucidatio. Ad Ampliſſimum Mediolanenſem Senatum. *Ticini, typis Bartoli*, 1598. *die III. Octobris, in* 4.
II. Litteræ ad Ericium Puteanum, ut eruitur à Reſponſionibus iſtius, inter quas adeſt una, quâ cum eodem irridet Tabellam Luciſlii. Extat in Centuria II. Epiſtolarum ejuſdem Ericii Puteani, pag. 123.
Loquitur de ipſo Cl. Sitonus in Chronico Colleg. Phyſicorum Mediol. p. 2. art. 263. MS. in fol. penes Auctorem.

MDCCCLIX.

## MDCCCLIX.

## VINCENTIUS.

Vincentius Mediolanenſis, cujus cognomen poſteris Sui minimè ſervarunt, in oblivione ex integro foret, niſi Cl. Armelinus in ſuam Bibliothecam Benedictino-Caſſinenſem ipſum intuliſſet. Gratias igitur ei debent Mediolanenſes, apud quos ipſe Armelinus MSS. hujus Auctoris, aliorumque ſcrutatus eſt in Bibliothecis tam Mediolanenſibus, quàm Papienſibus. Ab eodem diſcimus, Vincentium hunc, à Mediolano tantùm vocatum, Monaſticam Religionem aſſumpſiſſe in Cœnobio Ticinenſi Sancti Salvatoris, die XI. menſis Septembris, anno MDXXIV., ac poſtea floruiſſe Priorem pietate, & litteris ſacris eruditum uſque ad annum circiter MDLXX.

Hæc eum ſcripſiſſe aſſerit ſupradictus Armelinus ſequentibus titulis:

I. Opuſculo, domandato Spoglio d'oro dell'Anima peccatrice. In ipſo agit:
1. De peccato.
2. De pœnitentia agenda.
3. De Mundi contemptu.
4. De inani gloria Mundi.
5. De timenda, expectandaque morte.
6. De Paradiſi gaudiis, & Inferorum pœnis.

II. Librum inſcriptum his verbis Apoſtoli: Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. *Ad Rom. XV.* In eo agitur;
1. De detractione.
2. De contentione, & lite.
3. De aliorum contemptu, & irriſione.
4. De invidia, & æmulatione.
5. De odio in Proximum.

III. Chi non ſa che coſa ſia Tentazione, non ſa nulla.
IV. Come la Fede è neceſſaria.
V. Della perfetta mortificazione.
VI. Che quelli, che ſi emendano nella tribulazione, devono ſperare la ſalute.
VII. Che li Mondani ſono amati; Gli Spirituali odiati. In fine hujus libri ſic legitur „ Explicit. „ In S. Salvatore di Pavia, per me D. Vincenzio da Milano, adì VIII. de Agoſto MDLXIX.

Omnes MSS. reperiuntur in ſupradicta Bibliotheca Monachorum Caſſinenſium S Salvatoris Papiæ.

Ex cit. Armelini Bibliotheca Benedictino-Caſſinenſi, part. II. pag. 24.

## MDCCCLX.

## VIOTTUS JOANNES BAPTISTA.

Joannes Baptiſta Viottus Juris utriuſque Doctor, & Mediolanenſis Cauſidicus in hanc Urbem, ab Oppido Leſa, in littore Verbani Lacus ſito, ſedem tranſtulit. Eum idcircò, quòd Leſa ipſa in Novarienſi Diœceſi conſiſtat, Lazarus Auguſtinus Cotta in Addendis ad ſuum Novarienſe Muſæum inter ſuos Eruditos commemorat, quia

Scripſit

I. Expoſitiones ſuper aliquot Capita Statutorum Mediolani, de Succeſſione ab inteſtato inſcripta. *Mediolani, ſine Typographi nomine, 1616. in fol.*

II. Allegationes plures, lectu digniſſimas,
Teſte ſupradicto Lazaro Auguſtino Cotta in II. Volumine Muſæi Novarienſis. MS. in fol. apud J. C. Franciſcum Honuphrium Auctoris filium. Optandum eſt quòd aliquando Supplementum hoc lucem videat.

## MDCCCLXI.

## VIRGINIUS RUFUS.

Si quis eſt in tota hac Mediolanenſium Scriptorum ſerie (his tantùm exceptis, qui Chriſtianæ Fidei myſteriis initiati cum Chriſto regnant Aris impoſiti) qui maximam patriæ contulerit gloriam, nemo certè major, quàm L. Virginius, ſive, ut aliis placet, Verginius Rufus. Neque enim modica cenſenda eſt laus inter Cives ſuos numerare Virum non eloquentiæ ſolùm commendatione illuſtrem, ſed etiam Reipublicæ Romanæ Conſulatu non ſemel geſto, militari robore, animi magnitudine, & ſummo Orbis terrarum Imperio recuſato longè clariſſimum. Hunc equeſtri familiâ Mediolani genitum Alciatus noſter meritò contendit, citato Cajo Cæcilio Plinio Novocomenſi, qui in Epiſtola ſua I. lib. II. ait, multa fuiſſe, ob quæ hunc Scriptorem tantùm diligeret, quantùm admirabatur. „ Primùm (ait) quod utrique eadem regio, „ municipia vicina, poſſeſſioneſque conjunctæ &c. „ Cùmque Ptolomæus quatuor tantummodo in Inſubria recenſeat municipia, Novariam ſcilicet, Ticinum, Mediolanum, & Novocomum, illud ſequatur neceſſe eſt, Mediolanum Virginii patriam fuiſſe, quòd ex hiſce omnibus municipiis, nullum Comenſi propinquius ſit. Adde, celebrem in hac Urbe Virginiorum fuiſſe gentem, niſi quis vetuſtis marmoribus fidem habere abnuat, quorum nonnulla in medium profert Alciatus ipſe, libro II. Rerum Patriæ. Natus eſt ergo Virginius anno Chriſti XIV. Urbis æternæ anno DCCLXVI. Sex. Pompejo, & Sex. Appulejo Coſs. Pueritiam atque adoleſcentiam inter bonas Artes inſumſit, & ut conjicere licet, Romæ; ſed illi curæ fuit in primis eloquentia, quam ſic didicit, ut nedum voce, verùm & ſcriptis ipſam adoleſcentes publicè ibidem docuerit, hoc nomine tam à Cornelio Tacito, quàm à Fabio Quintiliano, ut infra dicemus uberiùs, commendatus. Conſulatum geſſit primùm Collega Cajo Memmio Regulo, anno U. C. DCCCXV., Chriſti LXIII. Secundùm verò cum M. Coccejo Nerva Imp. Aug. III. anno U. C. DCCCXLIX., Chriſti XCVII., quo etiam anno deſideratus eſt, quemadmodum ſuo loco narrabimus. Sed hunc tertium fuiſſe Virginii noſtri Conſulatum eruimus ex Frontino, qui de Aquæductib. lib. II. ſcribit ſe deſignatum Curatorem Aquarum Urbis Imp. Nerva III. & Verginio Rufo III. Coſs. Etenim, ut Sigonius quoque in Faſtis ſuis Conſularibus adnotavit, anno Chriſti LXIX. ſuffectus eſt Virginius, unà cum Vopiſco Pompejo Silvano, Kal. Martiis ab Otthone Auguſto in duos futuros menſes, cùm ſe Magiſtratu abdicaſſet idem M. Salvius Ottho & Collega illius L. Salvius Ottho Titianus, qui ambo ſucceſſerant XVI. Kal. Feb. Servio Sulpicio Galbæ Imp. atque Tito Vinio Rufino in Conſulatu peremptis. Alienum tamen à veritate omninò eſt, quod Glandorpius aſſeruit, Virginium ſcilicet à Trajano Conſulem IV. deſignatum fuiſſe, cùm ſub Nerva certiſſimè obierit, ut fuſiùs mox narrabimus, cùm de ipſius morte erit agendum. Tutor fuit inſuper jam laudati Cæcilii Plinii, quo nomine illi ſe plurimùm obſtrictum profitetur, ait enim in Epiſtola I. lib. II. jam citatâ. „ Ille Tutor mihi relictus affectum parentis exhibuit. „ Mox pergit amorem ipſius in ſe deſcribens his verbis: „ Sic candidatum me ſuffragio ornavit, ſic ad omnes honores meos ex ſeceſſibus adcucurrit, cùm jampridem ejuſmodi officiis renunciaſſet, ſic illo die, quo Sacerdotes ſolent nominare, quos digniſſimos Sacerdotio judicant, me ſemper nominabat. Quin etiam in hac noviſſima valetudine, veritus ne fortè inter Quinque Viros crearetur, qui minuendis publicis ſum-

„ pti-

„ ptibus judicio Senatus conſtituebantur , quum illi „ tot amici ſenes , Conſulareſque ſupereſſent , me „ hujus ætatis , per quem excuſaretur , elegit , his „ quidem verbis : *Etiamſi filium haberem , tibi man-* „ *darem* . Claritudinem nominis , dum publicè eloquentiam Romæ diſcipulis traderet Virginio plurimùm obfuiſſe tradit Tacitus Annalium libro XV. , ideo enim narrat ipſum à Nerone in exilium pulſum fuiſſe , unà cum Muſonio inſigni Philoſopho . Verumtamen poſtliminio in Urbem reverſus, ſub ipſius Neronis imperio ab eo etiam Germaniam recturus ablegatur; dumque id muneris adminiſtraret ( auditis motibus , quos contra Neronem Cajus Julius Vindex coactis Gallorum viribus excitaverat ) inde in hoſtem Legiones adduxit. Ut Veſontionem pervênit, Urbem diuturnâ obſidione afflixit , quòd Cives Romanas copias intra mænia recipere noluiſſent . Eò contendit & Vindex , atque non longè Caſtra poſuit; pluribuſque litteris invicem à Virginio noſtro ad Vindicem , à Vindice ad Virginium ſcriptis, ſecreto tandem colloquio inter ſe egerunt , nullo , qui ſermones audiret , adſtante . Ferunt conveniſſe ambos , ut humanum genus , Nerone è medio ſublato , infamiâ liberarent , inviſumque toti terrarum Orbi caput Romano Imperio incubans morti donarent . Poſt hæc Vindex copias movit perinde ac Veſontione potiri decreviſſet ; at Virginii milites arbitrati hoſtes in ſe arma converſuros , injuſſu Ducis manus conſeruere , cùmque ipſos nullo euntes ordine , & tale quid non opinantes comperiſſent , eorum pleroſque ferro ſuſtulerunt . Hoc comperto Vindex tanto dolore perculſus eſt , ut ſibimetipſi mortem ultrò conſciſceret ; tametſi non deſint Scriptores aſſerentes eum à Romanis interemptum cecidiſſe , quod confirmare videtur Virginii noſtri Tumulo inciſum Elogium ſuo referendum loco . Fuſo igitur Vindicis exercitu Legiones Virginio Imperium votis omnibus contulere, dejectiſque Neronis ſtatuis , illum Auguſtum vocare cœperunt ; Quod cùm Virginius abnueret , è militibus unus in bellicis ſignis nomen Virginii , additâ Auguſti nuncupatione , conſcripſit , quamvis hujuſmodi ſiglæ ſtatim eo mandante deletæ fuerint . Quin etiam cùm vix animos Legionum compoſuiſſet, eiſdem tandem perſuaſit , ut Senatui Populoque Romano jus Cæſaris deligendi ſartum , tectumque ſervarent . Poſteaquam autem Nero fatis conceſſit , atque Galba, cunctatione Virginii cognitâ , Imperio potitus eſt , milites Scriptoris noſtri , novi Auguſti avaritiam indignati, relicto protinus Duce , Vitellio adhærentes, eidem Cæſaream dignitatem obtulerunt, cùm interim Otthonis partes Virginius eſſet amplexus . Hoc III. vix Imperii menſe Brixelli extincto , rurſus illata eſt Virginio vis à militibus , ut ampliſſimum inter mortales gradum conſcenderet , tantâ contentione , ut vix per poſticum domus egreſſus , eorum vota deluſerit . Vitellio autem ita charus fuit, ut in convivio Ticini habito eum ſecum diſcumbere voluerit . Silent Hiſtorici uſque ad Nervæ Imperium Virginii noſtri geſta , eoque tempore credimus eundem regreſſum Mediolanum in Alſiatenſem Villam , nunc Alzate , non procul Como ſe recipiſſe , ibique libros ſuos de Eloquentia agentes , quos haud multò poſt denuò memorabimus , otio tranquilliſſimo fruentem conſcripſiſſe : Villam etenim hanc, Plinio teſte , nuncupare ſolebat ſenectutis ſuæ nidulum . At conquiſitus à Nerva Principe , & in Conſulatu Collega deſignatus rursùs Romam repetiit , ut eo Magiſtratu tertiùm , ſicut jam innuimus , fungeretur . Vix autem in Urbem ingreſſus , illud in primis ſibi faciendum duxit , ut pro collato honore gratias Nervæ conceptis verbis , Senatu frequentiſſimo ageret, jamque grandævus licèt natu ( annus enim ille octogeſimus tertius ætatis ejus computabatur ) ægrèque ſtans ingens Volumen manu apprehenderat, ut ex eo Orationem Euchariſticam recitaret ; cùm repente Codicis pondere victus illum humi projicere coactus eſt , dumque ipſum recipere tentaret, per leve pavimentum fallente veſtigio prolapſus, lævam infregit coxam. Adhibitæ Medicorum manus , fracturam ut ad compagem reducerent , id fruſtra tentarunt ; nam reluctante ætate , male cojit . Igitur eodem anno , qui fuit Chriſti Domini XCVII. aditu mortis ( verba ſunt Plinii loco citato ) duriore , longioreque , ſed hoc ipſo laudabilis, extinctus eſt ; ſuffecto ſibi in Conſulatu Cornelio Tacito , à quo publicâ laudatione illius funus exornatum fuit . Cùm autem Tacitus adhuc Nervâ ſuperſtite Conſulatum geſſerit , Virginiumque Conſul laudaverit Plinio ipſo apertiſſimè hoc teſtante , conſequens eſt , ut dicamus falli omnes arbitrantes Scriptorem noſtrum ſub Trajano naturæ debitum perſolviſſe . Neque enim nobis negotium faceſſit, quod Plinius aſſeruit, cùm ait : Optimum ab eo, amiciſſimumque Cæſarem incolumem fuiſſe relictum ; quod nonnulli ad Trajanũ referunt, cùm idem Plinius in Panegyri Nervam quoque optimum nominaverit . Elatus eſt Virginius publico luctu , ut Virum decebat maximi nominis , qui ſcripta de ſe Carmina , atque Hiſtorias legit , ſuæque poſteritati interfuit; qui plenus annis obiit , plenus honoribus illis etiam , quos recuſaverat; & de quo tandem, poſt plura jam relata , hæc ſubdit ſæpe memoratus Plinius . „ Vivit „ enim , vivetque ſemper , atque etiam latiùs in „ memoria hominum , & ſermone verſabitur , poſt- „ quam ab oculis receſſit ; cui fortaſſe cives aliquos „ virtutibus pares & habemus , & habebimus , glo- „ riâ neminem . „ Ejus cineres , ut ſupremis caverat tabulis , ad Villam Alſiam delati ſunt , tumuloque hos Verſus incidi juſſerat immortalis facinoris teſtes ſempiternos .

HIC SITVS EST RVFVS PVLSO QVI VINDICE QVONDAM
IMPERIVM ASSERVIT NON SIBI SED PATRIAE.

Improlis obiiſſe evincitur ex verbis ſupra relatis, quibus Plinium allocutus eſt, cùm eum elegit, per quem excuſaretur, ne inter Quinque Viros eligerent eum Romani Cives . At majus argumentum Plinius idem ſuppeditavit , narrans ſe poſt annum ab Virgini obitu decimum , cùm in Villam Alſienſem olim Scriptoris noſtri , tunc verò Pompejæ Celerinæ Socrus ſuæ , veniſſet , monumentum tanti Viri magno cum dolore vidiſſe adhuc imperfectum , inertiâ ejus , cui cura ſepulchri fuerat demandata . „ Subit ( inquit ) „ indignatio cum miſeratione: poſt decimum mortis „ annum reliquias , neglectumque cinerem ſine titu- „ lo , ſine nomine jacere , cujus memoria Orbem „ terrarum gloriâ pervagetur . . . . . . Tam rara eſt „ in amicitiis fides , tam parata oblivio mortuorum, „ ut ipſi nobis debeamus etiam conditoria extruere , „ omniaque hæredum officia præſumere . Nam cui „ non eſt verendum , quod videmus accidiſſe Vergi- „ nio ? cujus injuriam ut indigniorem , ſic etiam no- „ tiorem ipſius claritas facit . „ At quis credat , ſi filius Scriptori noſtro fuiſſet , paternum tumulum ita neglexiſſe ? Amico potiùs alicui , liberis deficientibus , hujuſmodi provinciam mandatam fuiſſe credendum eſt , quam per ſummum nefas poſt tam diuturnum tempus adhuc imperfectam dolebat gratiſſimus Virginii memoriæ , atque virtutibus Plinius . Reliquum nunc eſt , ut pro inſtituti noſtri ratione ea ſubdamus , quæ Virginius elucubravit . At in veritatis gratiam ſubdere liceat Irici noſtri amiciſſimi Epiſtolam haud pridem ad nos datam , quæ non modicum luminis Lectoribus præbere poterit . En illam :

„ Phi-

Digitized by Google

„ Philippo Argelato Bononienſi amiciſſimo Viro ,
„ Joannes Andreas Iricus Tridinas S. P. D.

„ COnſuluiſti me , Philippe amiciſſime , quid ſen-
„ tiam de Leandri Alberti Civis tui aſſerto, in
„ Deſcriptione Italiæ , pag. 357. edit. Venetæ , aſ-
„ firmantis Virginium Rufum Mediolanenſem , ter-
„ tium Conſulem , & Romano Imperio poſthabito
„ illuſtrem , cujus laudes Tacitus, Dio, Plutarchus,
„ Plinius , aliique poſt eos magni nominis Hiſtorici
„ retulerunt , quoſdam de eloquentia libros conſcri-
„ pſiſſe à Quintiliano commendatos. Animo perquàm
„ libenti ſatisfaciam, pluribus licèt negotiis , ut pro-
„ bè noſti, diſtentus ; iniquum enim exiſtimo rogan-
„ tibus amicis quidquam denegare , præſertim ſi
„ quod petunt aliquid emolumenti in litterariam poſ-
„ ſit conferre Rempublicam , cui juvandæ nullum
„ unquam laborem detrectabo . Ut igitur quid hac
„ de re pro meo judicem modulo paucis exponam ,
„ monitum te volo, Mediolanenſi huic Scriptori non
„ primum Leandrum tuum hanc tribuiſſe laudem ;
„ etenim Raphaël Regius Vir non infimi ſubſellii ,
„ atque in veterum Scriptorum lectione verſatiſſi-
„ mus, Virginio Rufo tribuit Libros illos , qui ad
„ Herennium inſcripti ſub M. T. Ciceronis nomine
„ circumferri ſuperioribus ſolebant ſæculis , quorum
„ exemplar MS. chartaceum in 4. in ſcriniolis meis
„ habeo , ad cujus calcem hæc leguntur : *Explicit*
„ *Marci Tullii Ciceronis Rhetorica nova* , tum hi
„ Verſus invito ſanè Apolline , Muſiſque omnibus
„ adverſis conſcripti :

*Rhetoricæ mores hic Tullius atque colores*
*Præparat, hos flores capias qui quæris honores .*

„ Scio quidem non deeſſe, qui laborem hunc tribuant
„ L. Cornificio Patri , ad quem plures Cicero dedit
„ Epiſtolas , quorum de numero ſunt P. Victorius ,
„ Paulus , & Aldus Manutii , aliique non pauci .
„ Alios item Auctorem hiſce libris aſſignaſſe potiùs
„ L. Cornificium filium , qui Conſulatum geſſit anno
„ U. C. DCCXIX. Virginio Rufo ipſi coævum , &
„ Quintiliano , à quo nonnulla de Rhetorica arte
„ conſcripta fuiſſe referuntur : ait enim Lib. III. In-
„ ſtitutionis Oratoriæ , Cap. I. *Scripſit de eadem ma-*
„ *teria non pauca Cornificius* , pro qua ſententia ſte-
„ tit Voſſius de natura Rhetoricæ , Cap. XXXIII.
„ Naſcimbenius verò in Lib. II. Ciceronis de Inven-
„ tione , ſcribere non dubitavit vel Ciceroni filio ,
„ vel Laureæ Tullii Liberto Libros ad Herennium
„ eſſe tribuendos , ſive potiùs , ut Scaliger autumat,
„ Gallioni, quem inter illuſtres Rhetores L. Annæus
„ Seneca recenſuit ; ut aliorum reticeam aſſerta, ne
„ longus nimium videar. At ut verum fatear, quam-
„ vis minimi ſim inter homines momenti , magis ar-
„ ridet Regii jam laudati ſententia , qui in Diſſerta-
„ tione ſua an Rhetorica falsò ſit inſcripta ad He-
„ rennium , conjicit eos Libros Virginio Rufo adju-
„ dicandos . Accipe nunc , Philippe mi , quid me
„ pedibus adducat in Raphaëlis ſenſum . Quintilia-
„ nus jam citatus non uno loco Virginium laudat ,
„ & ex ejus Libris nonnulla recitat , ſuæque vocat
„ ætatis Scriptorem; loco enim ſupra indicato, ſubdit
„ poſt jam adducta verba , quæ hìc repetere cogor:
„ *Scripſit de eadem materia* (nimirum de Inſtitutione
„ Oratoria) *non pauca Cornificius, aliqua Stertinius,*
„ *nonnihil Pater Gallio, accuratiùs verò priores Gal-*
„ *lione Celſus , & Lenas : & ætatis noſtræ Virgi-*
„ *nius , Plinius , Rutilius*. Libro III. Cap. VI. ait :
„ *Sed quoniam quod de jure dicimur feciſſe, non hunc*
„ *ſolum intellectum habet , ut lege , ſed illum quo-*
„ *que , ut juſtè feciſſe videamur* ; *ſecuti Antonium*
„ *apertiùs voluerunt eoſdem ſtatus diſtinguere. Itaque*
„ *dixerunt conjecturalem, legalem , juridicialem: qui*
„ *& Virginio placent* . Tertio item loco Quintilia-
„ nus Virginii meminit , ejuſdem ſcilicet Operis Li-
„ bro IV. Cap. I. hiſce verbis : *Si cauſa conciliandi*
„ *nobis Judicis materiam dabit, ex hac potiſſimùm*
„ *aliqua in uſum principii, quæ maximè favorabilia*
„ *videbuntur , decerpi oportebit ; quo in loco Virgi-*
„ *nius fallitur , qui Theodoro placere tradit , ut ex*
„ *ſingulis quæſtionibus ſinguli ſenſus in proœmium*
„ *conferantur* . Demum Lib. VII. Cap. IV. hæc ha-
„ bet : *Huic parti ſubjungit Virginius cauſas abdi-*
„ *cationis , dementiæ , malæ tractationis , orbarum*
„ *nuptias indicentium* . Contuli igitur hæc Quinti-
„ liani loca cum Operis ad Herennium textu , &
„ in Libro primo , Cap. XI. hæc legit : *Conſtitutio-*
„ *nes igitur , ut ante diximus , tres ſunt , conjectu-*
„ *ralis , legitima , juridicialis* : quæ quidem verba
„ quis non videat ipſiſſima eſſe cum his , quæ ut à
„ Virginio conſcripta recenſuit , citavitque ſecundo
„ loco ſuperiùs enunciato Quintilianus ? Non infi-
„ cior equidem , alia , quæ ſequuntur ab eodem
„ Quintiliano è Virginii Libris hauſta , in Libris ad
„ Herennium me hactenùs non reperiſſe , verùm
„ quid inde ? Ex alio forſan ipſius Opere hæc mu-
„ tuari potuit, quod temporis injuriâ exciderit. Quis
„ inſuper affirmet integros ad nos hujuſcemodi Li-
„ bros perveniſſe , cùm tot jam interceſſerint ſæcu-
„ la , & non Voluminibus tantùm, ſed ut ait Poëta,
„ *mors etiam ſaxis nominibuſque* veniat . Donec igi-
„ tur aliud cenſeant Eruditi , in ſententia perſtabo ,
„ jureque optimo Regium conjeciſſe dicam , cùm
„ ipſiſſima fermè verba Quintilianus retulerit , atque
„ Virginio tribuerit,quæ citato leguntur loco in Lib.I.
„ ad Herennium . Neque Virginius (ut cætera perſe-
„ quar) à Poëſi alienus fuiſſe videtur, cùm Plinio ipſo
„ teſte Inſcriptionem Tumulo ſuo incidendam compo-
„ ſuerit, quæ quidem elegantiſſima eſt, & paucis inſi-
„ gne illud factum exponit, quo Romani verè animi
„ Vir Cæſareos ſibi à militibus oblatos faſces conſtan-
„ tiſſimè reſpuit non ſemel, etiam vi à Legionibus il-
„ latâ. Gratulor interim tibi, Philippe amiciſſime, quòd
„ hujuſcemodi Scriptores offenderis in Mediolanen-
„ ſem hanc tuam Bibliothecam inferendos, quamvis
„ non deeſſent , qui paucos admodum inſignis famæ
„ Auctores Inſubriam protuliſſe arbitrarentur . Illud
„ quantùm à veritate diſtet , brevì Eruditorum Reſ-
„ publica , ex improbis maximè tuis laboribus ju-
„ dicabit , noſcetque invidiæ potiùs eam vocem eſſe
„ ne dicam veriùs inſcitiæ . Vale iterumque vale .
„ Nonis Decembris Mediol. anno à Virginis Partu
„ MDCCXLII. „

Virginio igitur Rufo hæc aſſignantur Opera :

I. De Arte Rhetorica libri , de quibus ubertim egimus ſupra .
II. Epiſtolæ aliquot ad Julium Vindicem, quarum meminit Dio infra citandus.
III. Oratio, qua Nervæ ob collatum ſibi III. Conſulatus munus gratias ageret; de quibus omnibus in Articulo jam meminimus.

Ipſum pluribus laudarunt Cornelius Tacitus in Annalibus, Plinius locis citatis, Dio Caſſius in Nerone, & alibi , Alciatus Rerum Patriæ , lib. II. Marcus Litta de Urbe Mediol. pag. 12. , aliique permulti, præter Ripamontium Hiſtor. Mediol. lib. XI., & Picinellum pag. 514.



Digitized by Google

## MDCCCLXII.

## URBANUS III.

UBertus, quem alii Lambertum vocant, in Urbe Mediolano, nobili Cribellorum ſanguine, Joanne parente genitus, ad ſummam in Orbe Catholico dignitatem eruditione, piiſque moribus ab infantia cultis, ſibi gradum fecit. Etenim inter Clericos Ambroſianæ Eccleſiæ recenſitus in caſtris ſacræ militiæ ſtipendia ſic meruit, ut ſub Sancto Galdino, atque Algiſio laudatiſſimis Mediolanenſibus Archiepiſcopis, Archidiaconatu ornatus emicuerit. Conſors extitit laborum ab eis pro Eccleſia Dei, atque Patria exantlatorum, inter præclaros etiam Viros illos computatus, qui S. Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo, & Chriſti Martyri clariſſimo, ex Anglia tunc extorri, adhæſerunt; at poſtquam ille ſtrenuè datis cervicibus Eccleſiaſticæ libertatis victima concidit, palmamque promeruit, Ubertus regreſſus in patriam ab Alexandro III. anno MCLXXIII. in IV. Temporibus menſis Septembris inter Cardinales S. R. E. cooptatus fuit cum Presbyterali titulo S. Laurentii in Damaſo, quamvis Ughellus in Archiepiſcopis Mediolanenſibus num. LXXXIV. contendat hunc Uberto honorem collatum fuiſſe à Lucio III. anno MCLXXXII. menſe Decembri, ipſum unum eundemque aſſeverans cum Uberto Allucingolo Lucenſi; quam litem ad alia properantibus nobis nunc dirimere non vacat. Eundem tamen Apoſtolicæ Sedis Legationem in Inſubria obiiſſe anno MCLXXXV. patet ex publico Documento ab eodem Ughello loco citato relato, & à Puricello noſtro exſcripto. Neque minor inſurgit controverſia de Vercellenſis Eccleſiæ Epiſcopatu, quem ab Uberto adminiſtratum volunt ante purpuram adeptam idem Ciacconius, Stephanus Ferrerius, Aurelius Corbellinus, aliique, reluctante ipſo Ferdinando Ughello, qui publicis prolatis monumentis contrariam ibidem firmat ſententiam. Hiſce autem poſthabitis, ne longum nimis protrahamus ſermonem, quæ ſunt certiora promamus, quæque ſub nullam cadunt quæſtionem. Defuncto Algiſio Pirovano Mediolanenſis Eccleſiæ Archipræſule, anno MCLXXXV. in ejus locum ſuffectus fuit Ubertus noſter, eodemque anno, cùm Veronam ad Concilium à Lucio III. indictum, unà cum reliquis Cardinalibus, & Epiſcopis ſe contuliſſet, Lucio ipſo ad immortalitatem evocato, VII. Kal. Decembris communi ſuffragio ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigium eſt evectus; & VIII. Kal. Januarii recurrentibus Chriſti Dei & Salvatoris noſtri Nativitatis ſolemniis, Sacræ Tiaræ in ejuſdem Veronenſis Urbis Templo maximo ſuſcepit inſignia, veritusque Romanorum odia, & tumultus, Veronæ ſibi manendum duxit. Audito autem Chriſtianorum in Syria commorantium diſcrimine, quorum cervicibus imminebat Saladinus Ægyptiorum Tyrannus, Venetias ſibi eundum exiſtimavit, ut eam Rempublicam ad claſſem primo quoque tempore comparandam accenderet. Urgebant etiam ipſum rurſus excitatæ controverſiæ cum Friderico Œnobarbo ob Epiſcoporum Germaniæ vexationem jam pridem ſub Lucio anteceſſore ſuo agitatæ. Cùmque fruſtrà ſæpius Fridericum ipſum ad ſaniora conſilia traducere tentaſſet, eum tandem diris devovere ſtatuit; verùm deprecantibus Veronenſibus ne in Urbe ſua Apoſtolicum fulmen intorqueret, novâ Baſilicâ S. Mariæ de Stellis in Agro Veronenſi ſolemniter conſecratâ, Ferrariam poſt annum, quo Veronæ conſtiterat, perrexit. Interim nihil intentatum reliquit, ut Chriſtianos Principes ad concordiam revocaret, quò faciliùs ad res Aſiaticas curandas ſibi aditus aperiretur; accedentibus etiam celebris Joachimi Abbatis hortationibus, qui ex Calabria ad Urbanum adhuc Veronæ commorantem venerat, ut eum in Turcas concitaret. Neque tamen patriæ charitatis oblitus eſt, nam gemina erexit Monaſteria in agro Mediolanenſi, atque in eis Canonicos, quos nunc Regulares S. Auguſtini nuncupant, inſtituit. Unum ſcilicet IX. circiter ab Urbe lapide ſub nomine S. Petri ad Ulmum, alterum verò non longè à Ticino flumine S. Georgii de Brinate. Nam anno MCLXXXV. ſeptimo Kalendas Decembris per Bullam, litteraſque ſuas Apoſtolicas ſub Dat. Veronæ, ut proprio facto alios ad charitatis opera induceret, largitione perpetua conceſſit præfatæ Eccleſiæ S. Georgii de Brinate Mediolanenſis Diœceſis, quæ in Allodio ſuo paterno fundata erat, ſed omnibus poſſeſſionibus deſtituta, ut ipſemet aſſerit, univerſas poſſeſſiones, & bona, quæ à Monialibus de Carono, à Monacis S. Vincentii, & à Militibus de Arconate, & de Dugnano jam antea emerat, publicis ſuperinde confectis inſtrumentis. Item Poſſeſſiones, & bona, quæ apud locum ipſum de Brinate germani ſui quieta, & libera ſibi dimiſerant, & alia bona empta apud locum Giaſati, ut in ea Eccleſia fieret Canonica Regularis, in quo Præpoſitus, & tot Canonici aſſumpti à Collegio Carſenzaghi, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, & Inſtitutum dicti Ordinis, & alia plura eiſdem præſcripta obſervarent, quæ brevitatis ergo datâ operâ omittuntur. Præpoſiti verò electionem demandavit Canonicis S. Georgii, ita ut ſi aliquis ex ipſiſmet idoneus reperiretur, aliàs unus de Collegio Carſenzaghi, eligendus aſſumeretur. Germanis autem ſuis, & eorum hæredibus Juſpatronatus in ipſa Eccleſia reſervavit, ut eam in ſuis juſtitiis defendere tenerentur, non autem ut in ipſa quicquam ſibi aliud vendicare poſſent, niſi quod Eccleſiæ Fundatoribus in eiſdem Eccleſiis, ſecundùm Sacrorum Canonum Statuta debetur, videlicet, ut ſi quis eorum ad converſionem Fratrum ejuſdem Eccleſiæ Sancti Georgii aliquando tranſire vellet, in Conſortium illorum reciperetur, aut ſi vergeret ad inopiam, non ex debito, ſed ex gratia charitatis, ei ſecundùm facultates Eccleſiæ ſubſidium conferretur. Quæ omnia latiùs leguntur in literis Apoſtolicis ejuſdem Pontificis directis Conrado Præpoſito novi Collegii S. Georgii de Brinate, datis ſexto Calendas Martii, anni ab Incarnatione MCLXXXVI., & ſecundo ſui Pontificatus, in quibus omnia enunciantur, confirmantur, & nova Inſtituta, ac Privilegia Collegio, & Eccleſiæ conceduntur, & in ſpecie bonorum ut ſupra deſcriptorum, ac donatorum, necnon Juſpatronatus germano ſuo, & nepotibus, ac eorum hæredibus reſervati, aperta fit mentio, & enarratio. Et primum quidem Monaſterium nunc fiduciario titulo Abbati ſæculari commendatum, nullos habet Canonici Ordinis Profeſſores. Secundum verò poſſident Lateranenſes, quamvis majore dotis parte in Commendam, ut vocant, redactâ, cujus Patronatus apud Cribellorum Familiam perſeverat. Ferrariæ autem anno MCLXXXIX triſtiſſimum accepit Nuncium redditis ſibi litteris Archiepiſcopi Tarenſis, captam ſcilicet ſub finem Septembris, à Saladino Sanctam Urbem Hieruſalem, Chriſtique Sepulchrum in poteſtatem barbarorum redactum. Quapropter ex mœrore contracto morbo, novi teſtamenti Heli, conſumptus occubuit in eadem Urbe Ferrarienſi præfato anno MCLXXXVII., XIV. Kal. Novembris, horâ XIX. Cadaver illius in Templo Maximo Ferrariæ conditum fuit, ubi Tumulus ad hæc uſque tempora perdurat cum Inſcriptione, quam mendosè à Ciacconio relatam, ſic melius exſcripſit Sitonus noſter.

HIC

Digitized by Google

**HIC IACET SACRAE MEMORIAE VRBANVS PP. III.**
**NATIONE MEDIOLANEN. EX GENERE CRIBELLORVM**
**SEPVLTVS MCLXXXVII.**
**ET REVELATVS MCCCV. DIE IX. MENSIS AVGVSTI**
**INDICTIONE TERTIA**
**TEMPORIBVS**
**FR. VIDONIS FERRARIENSIS EPISCOPI**
**IOHANNIS ARCHIPRESBYTERI**
**ET BONAGRATIAE PRAEPOSITI.**

Pompam autem funebrem, qua fuit elatus, conſcripſit Alphonſus Mareſtus Ferrarienſis Patritius in Theatro Genealogico & Hiſtorico antiquarum, & illuſtrium familiarum Ferrariæ, ibidem edito anno 1681. in fol. ex quo etiam didicimus funebri laudatione commendatum fuiſſe tantum Pontificem à Stephano Lando nobili Cive Ferrarienſi.

Doctrinam porrò Urbani poſteris notam faciunt, quæ hìc damus:

I. Metaphraſis in Pſalmum L. *Miſerere mei Deus*. Edita eſt in Tomo I. Bibliothecæ Patrum.

II. Epiſtola ad univerſos Chriſtianos de electione ſua, quam laudat infra memorandus Oldoinus, qui & ſequentes refert; quarum aliquæ etiam editæ ſunt in Tomo XXVIII. Conciliorum editionis Regiæ Pariſienſis.

III. Litteræ ad VVillelmum Scotorum Regem in cauſa Hugonis S. Andreæ, & Joannis Duncheldenſis Epiſcopi.

IV. Aliæ ad Balduinum Archiepiſcopum Cantuarienſem.

V. Aliæ ad Abbatem Monaſterii S. Juliani de Monte-Spoletano.

VI. Aliæ ad Jocelinum Glaſingenſem Epiſcopum.

VII. Aliæ ad omnes Epiſcopos.

VIII. Litteræ ad Henricum III. Regem Angliæ de Regno Siciliæ, extant in Du-Mont Corp. Diplomat. Tom. I. part. I. pag. 403.

IX. Aliæ ad Riccardum Romanorum Regem, quibus eum citat ad cognoſcendum de contentionibus cum Alphonſo exortis. Ibid. pag. 404.

X. Litteræ ad Priorem, & Canonicos Sancti Sepulchri Hieroſolymitani, extant in Ughell. Italiæ Sacræ Tom. IV. col. 1210.

XI. Litteræ ad Turonenſem Archiepiſcopum, extant in Martene Collect. Veterum Scriptor. Tom. I. pag. 113.

XII. Diploma pro Monaſterio Cremellæ, quo confirmat Sententiam Robaldi Archiepiſcopi latam inter Moniales dicti Monaſterii, & Eccleſiam Modoëtienſem, dat. Veronæ XII. Septemb. MCLXXXV. extat in Collect. Sormani.

XIII. Ejuſdem Epiſtola ad Conſules, & Burgenſes Modoëtiæ ne moleſtent Fratres Hoſpitalis Sancti Blaſii (nunc unitum eſt Monaſterio S. Apollinaris Mediolani) data Veronæ IX. Aprilis, ſine anno, extat ibidem.

XIV. Codex Decretorum illius MS. in pervetuſto Codice Lugduni apud Carmelitas aſſervato laudatur à Ludovico Jacobo à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia.

XV. Plura Privilegia favore Eccleſiarum, & Monaſteriorum Ordinis S. Benedicti in Gallia conſiſtentium; Titulus unius eſt: De Monachis, & Monaſteriis, & de Eccleſiis, Capellis, & Cœmeteriis noſtris. MSS ſervantur in Cod. Biblioth. Regiæ, olim in Colbertina num. 723.

XVI. Bulla donationis prædiorum Monaſterio S. Georgii de Brinate. Dat. Veronæ VII. Kal. Decemb. anno MCLXXXV. impreſſa eſt in Chronico Canonici Ordinis Joannis Philippi à Novaria: edito *Cremonæ*, 1535. *in* 4.

XVI. Alia Confirmationis Statutorum, & Privilegiorum ipſius Eccleſiæ, de qua ſupra jam diximus. Dat VI. Kal. Martii, anno MCLXXXVI. extat ibidem.

XVIII. Diploma Confirmationis Ordinis Cruciferorum Hoſpitalis domus Bononiæ, datum Veronæ VII. Kal. Aprilis, anno MCLXXXVII. editum eſt in Tomo I. Bullarii.

Ad eum dederunt Litteras Joſephus Tarſenſis Archiepiſcopus de Jeroſolymæ excidio, ut ſupra innuimus, atque Archiepiſcopus Cantuarienſis, quas poſtremas publici juris fecit Baronius in Tomo XII. Annalium Eccleſiaſticorum.

Vita illius à Severino Binio conſcripta habetur in Collect. Regia Conciliorum loco ſuperiùs indicato.

Eidem inſcripſit Gottifredus Presbyter Viterbienſis Hiſtoriarum ab Orbe condito uſque ad ſua tempora libros VIII. qui MSS. in Vaticana Bibliotheca cuſtodiuntur.

Præter jam citatos meminerunt illius S. Antoninus in Chronico, Joannes Mauburnus in Venatorio lib II. Severinus Chalcus in Epiſtola ad Joannem Cribellum S. Petri de Ulmo Præpoſitum, in qua aſſerit Urbanum Canonicum Regularem fuiſſe. Puricellus in Monument. Baſilicæ Ambroſianæ. Corius in Hiſtoria Mediol. Mazzucchellus in Schedis, etſi breviſſimè. Sitonus noſter doctiſſimus tam in Monumentis Chronologicis Familiæ Cribellæ MSS. in fol. apud eundem, quàm in Chronico Collegii J. PP. art. 401. pag. 101. ac tandem Picinellus in Athenæo pag. 514. aliique innumeri.

## MDCCCLXIII.

## URSINUS CAROLUS FRANCISCUS.

GEns Urſina Mediolanenſis, ſcribitur etiam de Orſinis, nam ut nos monuit Clar. Sitonus, in Matricula Notariorum Mediolanenſium ſub anno MCCCCXLI., legitur uti Notarius Paulus de Orſinis de Ogiona, habitans in Burgo Variſii, & in eadem Matricula ad annum MCCCCLXX., ſcribitur Bartholomæus de Urſinis, filius Pauli, uti Mediolani Notarius. Nos Franciſcum hunc Urſinum vocamus, qui ſacris initiatus, & laureâ in Theologiâ inſignitus, Archipresbyteratum in Eccleſia Collegiata S. Ambroſii hujus Metropolis meritò obtinuit anno Redemptionis noſtræ MDCXC Inter Oblatos primùm adſcriptus, munus Præfecti Studiorum in Collegio Seminarii, quod vocant, hujus Urbis, cum laude peregerat. Quantùm autem arte dicendi valeret, ſatis oſtendunt, quæ infra dabimus typis tantùm conceſſa. Haud paucos habuit in Rhetorica facultate diſcipulos ſanguine ac doctrina illuſtres, quos inter Marchionem Theobaldum Mariam Vicecomitem, in Ord Capuccinorum poſtea Franciſcum Antonium Mariam à Mediolano nomine nuncupatum, cujus elogium paulò ſupra retulimus. Superſunt Urſini noſtri multæ aliæ elegantiſſimæ Conciones, atque Panegyres pluribus in Eccleſiis tam Mediolani, quàm extra habitæ, quas non vidimus, quia fortaſſe apud quempiam cui commodè inſerviunt, cuſtodiuntur. Obiit anno MDCXCVI.

Hæc de eo habemus:

I. De Amœniori Philoſophia, ſive Meteorologica doctrina Caroli Franciſci Urſini Mediolanenſis ad Cardinalem Littam. *Mediolani*, *apud Gariboldum*, 1655. *in* 12. & iterum *Ibidem*, *apud Marellium*, 1675.

II.

II. Il Coloſſo : Panegirico per S. Carlo all'Eminentiſſimo Sig. Cardinal Litta, Arciveſcovo di Milano. *Ivi, nella Stamperia Arciveſcovile*, 1667. *in* 4.

III. La Monarchia di Spagna, ſotto gli auſpicj di Maria Vergine ſempre ingrandita : Panegirico detto in San Celſo. *Milano, preſſo il Monza*, *in* 4.

IV. Inſtitutionum Seminarii Epitome, in qua ejuſdem Origo, & Incrementa recenſentur, Auctore Carolo Franciſco Urſino Oblato, Seminarienſium Studiorum Præfecto. *Mediolani*, *ex Typographia Ludovici Montiæ*, 1673.

V. Litterarii Apparatus Deſcriptio, quo Eminentiſſimus Princeps Alphonſus Litta S. R. E. Cardinalis ampliſſimus, & S. Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus vigilantiſſimus in Seminario exceptus fuit. *Mediolani*, *ex Typographia Ludovici Montiæ*, 1672. *in* 4.

VI. Encomia, Epinicia, & Panegyres in Laurearum Collationibus &c. Teſte Picinello.

Memoratur in Schedis Sitonianis, & à Picinello in ſuo Athenæo pag 117.

## MDCCCLXIV.

## URSINUS DE ROMA JULIUS.

QUod perilluſtris familia Mediolanenſis, nunc tantùm de Roma communiter vocata, ex ea tot titulis celeberrima de Urſinis almæ Urbis proveniat, ſatis oſtendunt Inſcriptiones II. Sepulchrales, adhuc extantes in Baſilica Schalenſi hujus Metropolis, atque altera quæ legitur inciſa in magna Tabula ænea undique militaribus trophæis exornata in Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris Civitatis Tyburis Ordinis Minorum Obſervantium S. Franciſci, his litteris :

D. O. M.

IO. BAPT. ROMAE MEDIOLANEN.

EX VETERE R. VRSINORVM FAMILIA

EQVITI MILITIAE CHRISTI

HIPPOLYTI FERRARIEN. ET ALOYSII ESTENSIS

CARDD. INTIMO FAMILIARI

ET TVM EIS TVM TOTI COHORTI

PROPTER VITAE SPLENDOREM

MORESQVE HVMANISSIMOS VNICE CARO

FRANCISCVS ROMA VRSINVS

FRATRI OPTATISS. POSVIT

VIXIT ANNOS LII.

OBIIT TYBVRI VIII. KAL. OCTOBRIS MDLXXXIIII.

Id etiam teſtantur Cardinalis de Luca in ſuo Tractatu de Fideicommiſſis, Diſc. L. num 9. Scipio Vegius in ſua Hiſtoria de rebus Geſtis ſub Gallorum Dominio lib. I. qui de Franciſco Urſino de Roma Julii S. R E. Cardinalis, quem nunc laudabimus, abavo ſic ſcribit : „ Franciſci ad hæc proles Romà Urſinorum „ genere oriundi, divitiis, & nobilitate potens in „ Gallum propenſior triginta quinque millia aureo„ rum mutuò repræſentavit. „ Stemma hujus Gentis de more texuit ex publicis Documentis amiciſſimus Sitonus noſter à Matthæo Urſino, qui clarebat inter Patricios Romanos anno Salutis MCL., à cujus filio Urſio Urſino natus eſt, præter alios, Nicolaus Papa III. cujus frater Neapoleo originem dedit non tantùm familiæ Urſinæ, ex qua Gravinenſes Duces, & Benedictus XIII. Pontifex maximus orti ſunt, ſed & noſtræ Mediolanenſi à Cedrone Urſino de Roma J. C. Legum Interprete, Ducali Vicario Prætorio Mediolani, & Papiæ, qui cum Joanna de Vicomercato conjuge clarebat in hac Urbe anno MCDXX. De iſto, & de Franciſco ejus filio loquuntur duæ ſupradictæ Inſcriptiones Schalenſes, & ex eiſdem Paulus Camillus Mediolanenſis Decurio, & Catharina Coria jugales Julium noſtrum genuerunt anno Chriſti MDLXXXIV. Nimis prolixi aliquibus in hoc Articulo de gente Urſina nos fuiſſe videbimur, ſed ad oſtendendam rationem, qua Urſinum de Roma, Julium noſtrum vocare decrevimus, totum id exponere opportunum duximus. Singulari parentum cura ad omnem pietatem efformatus, boniſque litteris Mediolani primùm apud PP. Societatis Jeſu, poſtea Ticini in Borromæo Collegio inſtitutus, demum Peruſii Juris ſtudiis magna cum laude vacavit, & tam ſedulò, ut anno Domini MDCVIII. inter J. PP. Collegii Mediolanenſis adſcribi meruerit. Anno deinde ſubſequenti, prævià eorum nominatione, ipſe per Pontificem in Advocatorum Cœtum receptus fuit. Die XIV. menſis Septembris anni MDCX. in publico Conciſtorio in Aula Regum convocato diſertiſſimè peroravit, ac ut inter Cœlites Beatus Carolus Borromæus, Purpuræ ſplendor, Pontificis voto cooptaretur ſupplex tam eleganter exoravit, ut Pontifex ipſe Paulus V. familiæ Burgheſiæ Julium noſtrum Patronum elegerit, atque Utriuſque Signaturæ Referendarium. Aliam elegantiſſimam Orationem habuit Julius die XX. menſis Auguſti anni MDCXI. coram Pontifice, & Purpuratis Patribus, dum de recenti ſacro fuerunt oſtro ſex Cardinales exornati. Dein ad Æſinam Civitatem regendam miſſus, idem munus ſemper cum laude egit, ſicut etiam apud Urbevetanos, Camertes, Peruſinos, atque Umbriæ incolas. Dum ibi Jus æquiſſimè dicebat, munificà ejuſdem Pauli V. liberalitate, anno MDCXXI. die XI. Januarii inter S. R. E. Cardinales adlectus extitit. Infulas Lauretanas, & Recanatenſes obtinuit, eaſdemque Eccleſias ſanctè adminiſtravit uſque ad annum MDCXXXIV. deinde translatus ad Tyburtinam Epiſcopalem Sedem per Urbanum VIII. Pontificem ; & cùm eò acceſſiſſet, Epiſcopale Palatium ad habitandum incommodum repertum inſtauravit, ampliavitque, deinde Cathedralem vetuſtate deformem, ac pene collabentem animo Regio everti juſſit, quam anno MDCXXXV. ab ipſis fundamentis reſtituit, perfecitque pulcherrimè, ingentique populi lætitia anno MDCXLI. prima die Februarii luſtravit, primumque ſacrum ſolemni pompa in Beati Laurentii Martyris honorem celebravit. Supra Templi januam hæc Inſcriptio appoſita eſt :

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.
IVLIVS CARDINALIS ROMA MEDIOLANENSIS
EPISCOPVS TIBVRTINVS
S. LAVRENTII BASILICAM
TEMPORIS INIVRIA FATISCENTEM
SOLO AEQVAVIT
ET A FVNDAMENTIS RESTITVIT
ANNO SALVTIS MDCXL.

Epiſcopus etiam fuit Tuſculanus, Portuenſis, atque Oſtienſis. Pauperes magnificentiſſimè aluit, cultumque Divinum effuſis propemodum opibus promovit, Capituli Epiſcopalis cenſum adauxit, Moniales Sancti Benedicti proprio ære juvit, Divæ Mariæ Aſſumptæ Monaſterium extruxit, ubi ad ſacrum cultum deſtinatæ alerentur puellæ. Tandem Collegii S. R. E. Cardinalium decanatu optato, brevique quinque menſium decurſu, ac dignitate exornato, die Lunæ

A

XVI. menſis Septembris, anno MDCLII. hora prima cum dimidia noctis, ex calculi dolore fato ceſſit. Chriſtiana pietate Julius nunquam ſatis laudatus vixit, Vir integerrimus, Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtos vigilantiſſimus, & qui diutiſſimè viveret ſanè dignus. Ipſius cadaver in Eccleſia S. Caroli ad Curſum depoſitum fuit, Tybur deinde aſportandum, & in Cathedrali Sepulturæ tradendum, hoc appoſito Epitaphio:

HIC IACET
IVLIVS ROMA MEDIOLANENSIS S. R. E. CARDINALIS
EPISCOPVS OSTIENS. ET TYBVRTIN. SACRI COLLEGII DECANVS
VIXIT ANN. LXVIII. EADEM QVA NATVS DIE AC HORA OBIIT
XVI. SEPTEMBRIS MDCLII.
NVDAM HANC INSCRIPTIONEM VTI TESTAM. PRAESCRIPTAM
IN FRATERNAE MODESTIAE AC PROPRIAE OBEDIENTIAE MONVM.
GREGORIVS ROMA POSVIT.

Scripſit, & edidit, quæ ſequuntur,

B

Videlicet:

I. Oratio Julii Romæ Mediolanenſis, Sacræ Conciſtorialis Aulæ Advocati, habita coram Sanctiſſimo D. N. Paulo Papa V. cum Philippi III. Hiſpaniarum Regis, aliorumque plurimorum Principum nominibus in publico Conciſtorio, pro Canonizatione D. Caroli Cardinalis Borromæi inſtaret, die XIV. Septembris MDCX. *Romæ, ex Typogr. Cam. Apoſt., & Mediol. apud Impreſſ. Archiepiſcopales*, 1610. *in* 4.

II. Eadem in Italicum ſermonem converſa. *Mediolani, apud eoſdem Impreſſores*.

III. Oratio habita in publico Conciſtorio die XX. Auguſti MDCXI. pro creatione ſex Cardinalium. Ex Chartario.

IV. Aliæ plures Orationes de Sanctis. Ex infraſcriptis Auctoribus.

C

V. Statuta Synodalia pro Clero Lauretano. Ex Eggs Purpura Docta.

VI. Inſtructio pro Bulla Janſenii. MS. autographus, de quo in Philippo Vicecomite mentio fuit.

In Libro, cui titulus „ Octavii Ferrarii Proluſiones, & „ Epiſtolæ „ *Patavii*, 1650. *in* 8. extat Epiſtola data Patavii VIII. Februarii MDCXLII. ad Julium Cardinalem de Roma.

Ambroſius Borronus Theologus, & Rector Eccleſiæ Paroch. S. Joannis Laterani Mediol. Vitam S. Fauſti Martyris Mediolanenſis impreſſam anno 1622. in fol. nuncupavit Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Julio Romæ S. R. E. Cardinali &c. Epiſcopo Lauretano, & Recanatenſi &c.

Hæc ab Ughellio in Italia Sacra, ab Oldovino in Vitis Cardinalium, ab Eggs Purpura Docta Tom. V. pag. 283. à Ciacconio Tom. IV. pag. 458., à Chartario in Syllabo Advocatorum Sac. Conciſt. edit. Romanæ pag. 244, à Sitono noſtro in Chron. Colleg. J. PP. Mediol. pag. 190. art. 796., & in Schedis ſuis ampliſſimis.



## MDCCCLXV.

## URSIUS POLICARPUS.

POlicarpus Urſius Mediolanenſis, anno MDCXIII. dieque XXIX. menſis Decembris natus, bonis artibus à puero vacavit in Majori ejuſdem Urbis Seminario, ubi eloquentiæ præcepta diligenter audivit. Mox inter Lateranenſes, ut vocant, Canonicos cooptatus anno MDCXXXI. Scientiis, quæ ſpeculativæ nuncupantur, totum ſe dedit; earumque curriculum perfecit Patavii. His exactis annos natus XXIII. prædicationem Divini Verbi ſuſcepit, quam ſcribente Picinello, annos jam integros XXX. exercuerat Secuſii, Bugellæ, Bergomi, Novocomi, Lucæ, Ticini, Cremonæ, & Mediolani, quibus in Urbibus magnâ cum laude Quadrageſimales habuit Conciones. Annos XV. pomeridianis horis Sacros Libros publicè è ſuggeſtu interpretatus eſt diebus feſtis, ſacram præſertim Geneſim, ut fuſiùs inter Opera memorabimus. Quo denatus ſit anno nos latet.

Elucubravit:

I. La Sacra Geneſi ſpiegata letteralmente, e moralmente con ducento Diſcorſi. Ex Picinello, qui non indicat ubi ſerventur, & utrùm editum fuerit hoc Opus, vel non.

D

II. Cenſura Concionatorum, in quo libro de ſenſibus Sacræ Scripturæ doctè, atque uberrimè agit. Ex eodem, ex quo conjicimus MS. fuiſſe tantummodo non editum.



Digitized by Google

III. L'Ercole Gallico: Diſcorſo. In lucem prodiiſſe ait cit. Picinellus, locum tamen, annum, & Impreſſorem ſilet.

IV. Il Mondo creato; Diſcorſo in lode di S. Petronio. *Bologna, per il Ferroni*, 1645. *in* 8.

V. L'Imitatore Evangelico; Diſcorſo per S. Abbondio Veſcovo di Como.

VI. Orazione Funebre nell' Eſequio di Monſignor Veſcovo Rainoldo celebrate in Lucca. *Ivi*, 1650. *in* 4.

Ex Picinelli Athenæo pag. 472.

## MDCCCLXVI.

## USBRAGERIUS JACOBINUS.

INter Usbrageriæ, ſive, ut alii volunt, Usbergheriæ familiæ Viros floruit Jacobinus Mediolanenſis, Rizardi filius. Quanti haberetur Scriptor hic noſter à Joanne Vicecomite hujus Metropolis Archiepiſcopo & Principe alibi laudato, facilè agnoſcitur ex munere Cancellarii, quod tantus Antiſtes ipſi contulit, quodque anno MCCCXLIX. actu gerebat. At magis patet ex ſatis laborioſâ, atque Mediolanenſi Populo proficuâ provinciâ ipſimet demandatâ, feliciterque perfectâ. Idem enim, unà cum aliis prudentiſſimis Civibus, quorum nomina in hanc Bibliothecam ſuis locis illata dedimus, jubente Luchino jam memorati Joannis Archiepiſcopi fratre, municipali Juri colligendo ſtrenuè vacavit, donec præclariſſimum Opus ipſius Joannis Decreto, poſt Luchini interitum, anno MCCCLI. vulgatum fuit, atque in mores deductum. Reliqua Usbragerii geſta nos latent, ſilere tamen non poſſumus huic fratrem fuiſſe Franciſcum Ubertini Juriſconſulti Collegiati Mediolanenſis genitorem, quod nos monuit amiciſſimus Sitonus, cui etiam debemus hujus familiæ geneſim.

Commendatur Jacobinus propter

I. Jus municipale Mediolanenſium cum aliis, ut diximus, collectum.

Meminit ipſius Corius in Hiſt. Mediol. ad citatum annum MCCCLI. Sitonuſque doctiſſimus in Collectaneis ſuis de Legibus Nobilitatis, & in Schedis.

## MDCCCLXVII.

## WIFREDUS.

IN Articulis, in quibus egimus de Arialdo Alciato, atque Herlembaldo Cotta Viris ſanctiſſimis, & nedum de Mediolanenſi Urbe, ſed etiam de tota Chriſti Eccleſia benemeritis, ſatis ſuperque verba fecimus de controverſiis illis, quæ tempeſtate eadem hanc vexarunt Metropolim. Quocirca, ne actum agere videamur, jam dicta repetere ſuperſedemus, quamvis id poſtularet locus, cùm hìc de Wifredo Mediolanenſi milite ſit dicendum, ad citatos Articulos Lectores noſtros ammandantes. Fuit Wifredus illorum pro veritatis cauſa comilito, multoſque ſimul cum eis labores pertulit, atque in defenſione Eccleſiæ tam ſtrenuè ſe geſſit, ut à Gregorio Papa VII. inter primos dilectus fuerit; id enim ſatis indicant Litteræ plenæ amoris, plenæ laudis, quas ad ipſum Pontifex dedit, prout infra rurſus memorabimus. Dolemus tamen ignotam poſteris eſſe gentem, ex qua Vir tantus prodiit, illud namque non modicum honoris, & gloriæ in eandem refunderet. Ignotum etiam habemus annum, quo migravit ad Dominum.

Scripſit

I. Litteras ad Gregorium VII. Pontificem Maximum, quarum Gregorius ipſe meminit in Reſponſione his verbis: „ Quia ſolicitum te de honore Chriſtianæ „ Fidei Litteris tuis ſignificaſti, æquum duximus prudentiæ tuæ reſcribere &c. „ Hinc pergit eum certiorem faciens Normannos cupidos eſſe componendæ pacis, ſeque ſperare eos ad fidelitatem Sancti Petri reverſuros, & hortatur, ut in Eccleſiæ defenſione perſeveret, & alios idem facere moneat. Datæ ſunt Romæ, Indictione XIV. Extant in Collect. Reg. Concil. Tom. XXVI. pag. 241., & in lib. IV. cap. 61. Vitæ S. Arialdi, à Puricello conſcriptæ.

Præter citatas, aliam profert Puricellus ipſe, cap. ſequenti ejuſdem Pontificis Epiſtolam, datam Romæ ſecundo Kal. Novembris, Indictione XV., quæ incipit: „ Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Henrico, „ Arderico, VVifredo, Fidelibus Sanctæ Apoſtolicæ Sedis, legitimis filiis Mediolanenſis Eccleſiæ, ſalutem & „ Apoſtolicam benedictionem. „ Eos excitat, & bene ſperare jubet de Mediolanenſis cauſæ exitu, cujus Eccleſiam contra Henricum Regem, ac Thedaldum Pſeudo-Archiepiſcopum, eorumque fautores tuebantur.

## MDCCCLXVIII.

## VULPIUS PETRUS MARIA.

PEtrus Maria Vulpius Mediolanenſis inter Clericos Regulares D. Pauli, quos Barnabitas vocamus, adſcriptus, per annos ſupra XX. Rhetoricam docuit partim in Utinenſi, partim in Mediolanenſi Academia; ſacras item ſequentibus annis Conciones pluribus tam Italiæ, quàm Germaniæ Urbibus habuit. Joſepho Clementi Bavariæ Principi, & Joanni Wilelmo Electori Palatino acceptiſſimus fuit, quorum in Aula aliquandiu vixit. Quievit in Collegio Sancti Caroli Mantuæ, anno MDCCXXII. Hæc verò ſui ingenii ſuperſunt teſtimonia,

Videlicet:

I. Concionum & Panegyrum Volumen MS. apud Suos.

II. Vita di Santa Eliſabetta, Madre del Precurſore di Criſto. *Milano, per Carlantonio Malateſta*, 1690. *in* 12.

III. Eutrapeliæ & aleæ, & Joci.

Ita ab amiciſſimo Concivi meo P. Pezio, ſæpiùs laudato.

Digitized by Google

# Z

## MDCCCLXIX.

### ZAPPA JOANNES BAPTISTA.

JOannes Baptiſta Zappa Mediolanenſis Civis, cùm florenti ætate Clariſſimæ Societati Jeſu nomen dediſſet, Apoſtolicum munus ad Indos profectus ſuſcepit, multiſque Evangelicis laboribus perfunctus multam in horreum Domini meſſem inferre ſtuduit. Mexicanam Urbem, finitimaſque Provincias, ut charitati ſuæ ſatisfaceret, peragravit, ſacriſque miniſteriis ſedulò vacans illarum gentium ſaluti conſuluit. Plura à nobis Lector non expetat; nam vita in tam diſſitis regionibus ducta nobis majora geſtorum ipſius invidit monumenta. Hoc unum ſcimus nunquam ipſum ab optimè factis feriatum ad finem uſque Sæculi XVII. perveniſſe, ut facilè conjici poteſt ex data Epiſtolarum ipſius, quarum

Titulus eſt:

I. Sex Litteræ de Rebus Indicis, anno MDCLXXXI.
II. Narratio de ſucceſſu duarum Miſſionum, anno MDCLXXXVIII. Extant vulgatæ. *Mediolani*, *apud Ramellatum*.
Ita à P. Joanne Baptiſta Muſca ejuſdem Societatis Alumno eruditiſſimo, ac eximiæ Braydenſis Bibliothecæ Præfecto, cui ob plura de Suis ſuppeditata hæc mea Bibliotheca ſe obſtrictam profitetur.

## MDCCCLXX.

### ZAVATARIUS JOANNES ANTONIUS.

FLoruit in hac Urbe ab anno MCCCXCIX. ad MCCCCXII. Sapiens Vir Dominus Antonius de Zavataris, Grypioli filius, Juriſperitus de Collegio Judicum & Advocatorum, ut ex pluribus authenticis Tabulis penes amiciſſimum Advocatum Sitonum patet. Joannes Antonius verò noſter, qui parentes habuit Franciſcum Zavatarium, & Eliſabetham Sylvaticam nobiles Mediolanenſes conjuges, claruit ab anno MDLXXV. uſque ad MDXCIV. teſte ſupradicto Clariſſimo Sitono noſtro. Non tantùm in Jure peritiſſimus, ſed etiam in Eloquentia, rebuſque Politicis apprimè edoctus fuit, ut facilè ex ſequentibus, quæ ſcripſit omnibus notum eſt. Picinellus aliqua ejus Scripta indicavit, ſed breviter nimis: nos alia vidimus, quæ hìc adtexere poſſe libentiſſimè gratulamur.

Scripſit igitur:

I. Tractatum de Peſte Mediolani graſſante, anno MDLXXVI. *Mediolani*, *in* 8. Ex Schedis Cl. Sitoni.
II. De Fori Mediolanenſis Praxi, & nonnullis depravationibus ex eo tollendis, Dialogus, in quo Interlocutores ſunt Auctor, & Cæſar Reyna. Ad Cardinalem Perenotum Granvellanum. *Venetiis*, *apud Hieronymum Polum*; *ſumptibus Tini*, 1584. *in* 8.
III. Panegyricus Comeſtabili Caſtellæ, Mediolani Gubernatori, IV. Nonas Decembris MDLXXXXIII. dictus cùm Populus Mediolanenſis exultans pluribus lætitiæ ſignis annualem ejus moderationis rectè, ac feliciter geſtæ diem celebraret. Quo in libro quid ſit officium Mediolani Gubernatoris, Senatus, Magiſtratuum, Judicum, Fiſci Patronorum &c. docet; ex quibus tota ferè Praxis judiciaria Criminalium facilè percipi poteſt. *Mediolani*, *apud Paganellum*, 1595. *in* 8.
IV. Orationes Panegyricæ. *Mediolani*, *apud eundem*; 1595. *in* 8.
Ipſum laudavit duobus Carminibus Bernardinus Baldinus, alterum legitur in Libro „ Luſus „ pag. 71., alterum in Appendice Carminum ejuſdem, pag. 34., quod hìc damus.

Ad Jo. Antonium Zavatarium J. C.

*Cæſareum tibi jus notum eſt, ſermoque latinus*
*Et quæ conſultum dogmata ſcire decet.*
*Æquus & exequeris ſuſcepta negotia, juſtas*
*Sedulus & cauſas lege patronus agis.*
*Haud tamen aſſequeris, quos virtus præbet, honores;*
*Nec meritos tribuit ſors tibi læva gradus:*
*Quod neque adularis patribus; precioſa nec æra*
*Sunt tibi, magna quibus munera dives emit.*
*Nec clavum gerens ulla mercede coemptum*
*Ires, ſi Cræſo ditior, atque Midą.*
*Eſt etenim ſolers tibi mens, & conſcia recti,*
*Faſcibus, & pictis ante ferenda togis.*

De eo Morigia lib. III. Nobil. Cap. XXI. Hieronymus Borſerius in Supp. Cap. XI. Picinellus in Athenæo, pag. 268., & Sitonus in Schedis.

## MDCCCLXXI.

### ZENALIUS JOANNES PETRUS.

JOannem Petrum Zenalium Trivillii, inſigni Ducatus Mediolanenſis Oppido natum, à teneris pubertatis annis, Deus Opt. Max. ſibi inter Clericos elegit, & verè à ſæcularibus curis abſtractus nihil antiquiùs habuit, quàm morum candorem tam in ſe, quàm in aliis ſcriptis, & verbis, quodque laudabilius eſt, exemplis etiam promovere. Eruditionem hauſerat, præſertim Eccleſiaſticam in Academia Braydenſi, ſub Antonio Sambuſcita, atque Michaële Hiſpano Soc. Jeſu, ut collegimus ex eorum Tractatibus de Excommunicatione, Suſpenſione, & Interdicto, nec non de Irregularitate ſcriptis ab Auctore noſtro annis MDXCIII., & MDXCIV. MSS. ſervatis apud Carmelitas Cœnobii Sancti Joannis ad Concam hujus Urbis. Eccleſiæ Parochialis Trecellenſis Rector conſtitutus ſibi commiſſam plebem frequentiſſimè divini Verbi pabulo reficere ſtuduit, nihil interim de ſacris ſtudiis intermittens. Nam plura conſcripſit inferiùs memoranda, quæ partim typis tradita in vulgus pervenere, partim adhuc inter Anecdota latent. Poëſim Italicam ſic coluit, ut Muſas ſacris tantùm argumentis dicaverit; at poſtremum illius annum nemo nos docuit.

En Indiculum eorum, quæ elucubravit:

I. Rime per il B. Carlo. *Milano*, *preſſo Ponzio*, *e Piccaglia*, 1608. *in* 8.
II. Le Miracoloſe Lagrime, che ſcaturirono da un' Immagine della B. Vergine Maria di Treviglio. *Ivi*, *per i medeſimi*, 1601. *in* 8. Opus eſt partim ſoluta Oratione, partim metro-Italico conſcriptum.
III. Il nuovo Mariale, cioè la Vita, ed i Miracoli della B. Vergine. Hoc MS. reliquit Picinello teſte, pag. 326. Athenæi Mediolanenſis,
Ubi de eo agit.

MDCCCLXXII.

Digitized by Google

## MDCCCLXXII.

## ZENUS FRANCISCUS.

QUòd Zena familia antiquiſſima floreret in hac Metropoli, probat Sitonus noſter ex nonnullis authenticis Tabulis penes ipſum exiſtentibus, ex quibus apparet Thomam de Zenò armigerorum Mareſcallum pro Excelſo Mediolani Principe Matthæo II. Vicecomite floruiſſe medio Sæculo XIV. Id etiam eruitur ex vetuſtiſſima pictura Imaginis S. Ambroſii Mediolani Archiepiſcopi, Scuticam manu geſtantis, quæ viſitur in fronte veteris Eccleſiæ Parochialis Oppidi Macinaghi, Plebis Variſii, in Ducatu Mediolanenſi. Ad pedes ipſius Sancti Ambroſii Effigies antiqui hominis armati, cum ſequenti Inſcriptione litteris incompoſitis viſitur:

MCCCLIIII. DIE XXI. AVGVSTI
HOC OPVS FECIT FIERI
THOMAXOLVS DE ZENO MARISCALLVS
MAGNIFICI DOMINI DOMINI MATTHAEI
VICECOMITIS DOMINI MEDIOLANI &c.

Carolus etiam Zeno Vicarius Officii Proviſionum hujus Urbis extitit anno MCCCLXXXVI., atque Vicarius Generalis, & Joanni Galeacii Vicecomitis Mediolanenſium Ducis à Conſiliis, anno MCCCXCII. Inter primos quoque Ducalis Baſilicæ Sanctæ Mariæ Schalenſis Canonicos, Joannes de Zeno anno MCCCXCIX. extitit. Ex eadem Gente ortus eſt Franciſcus, de quo agimus, qui inter Fratres Minores Obſervantes vocatos Sancti Franciſci adſcribi voluit, & ob præclara ejus merita bis in Vicarium Generalem Ciſmontanæ Familiæ fuit electus, primùm Mantuæ, anno MDIV., die XIV. Maji, & denuò Ferrariæ, anno MDIX., die VI. Junii. Semper ſuo muneri par per tres annos Religionem ſanctiſſimè gubernavit. Teſtibus infraſcriptis Opera ſubter referenda evulgavit, ſed ubi ſerventur, minimè indicarunt,

Ea ſunt:

I. Theſaurus Theologorum.
II. Commentaria ſuper quartum Sententiarum.
Ita Gonzaga num. 24., & 25., pag. 45. in parvis: in magnis verò pag. 38. VVadingus Tom. VIII. Annal. ad annum MDIV. §. 6., ad annum MDVIII. §. 15., & ad annum MDIX. §. 21., & Chronologia Seraphica, pag. 209., & 213. Ita quoque in Cathalogo Scriptorum Ordinis Min. pag. 141.

## MDCCCLXXIII.

## ZERBUS JOANNES ANTONIUS.

CLaruit ex Zerba familia ſapiens Vir Bonjoannes J. C Collegiatus Mediolani, filius Mapheoli, ac Ducalis Vicarius Juſtitiæ inſignis Oppidi Modoetiæ, ſub anno MCCCCLXI., ipſum etiam J. C. Collegiatum floruiſſe ab anno MCDXLV. ad MCDLXXIV. tradit Advocatus Sitonus locis infra citandis. Quantùm verò Mediolanenſes Joanni Antonio Zerbo debeant ſatis ſuperque oſtendit Inſcriptio Sepulchralis, quam eidem poſuerunt Proviſionum Vicarius, atque Banchi Sancti Ambroſii Præfecti. Legitur ipſa in Eccleſia Sancti Petri hujus Urbis, vulgò in Caminadella, ut ſuo loco dicemus. Ex eadem ab ipſo Joanne Antonio, publicum Sancti Ambroſii Banchum excogitatum fuiſſe eruitur; contra verò ſic legitur in Opere MS. J.C. Camilli Sitoni junioris, cui titulus: „ Materiarum Sylva, ſive Repertorium „ è Mediolanenſium Rerum Scriptoribus collectum, „ anno MDCLXXVI. &c. „ de quo in Camillo eodem egimus, videlicet ſub titulo „ Banchus Divi „ Ambroſii „ Col. 85. ſic: „ Anno Domini MCD- „ XLVII. die octavo menſis Octobris, hoc tempore „ Mediolanenſes Cives collata ſtipe, Ærarium octingentorum millium aureorum, ex privato peculio „ conflatum ad tuendam Patriæ libertatem in Menſa „ Divi Ambroſii, quam in Broleto novo ſtatuerant, „ repoſuerunt. Anno Domini MCDXLVII. die octava Novembris adſunt litteræ DD. Capitaneorum, „ ac Defenſorum Illuſtris & Excelſæ Communitatis „ Mediolani, in quibus nominantur Concives Delegati ad Officium compilandi Taxam Montis, ſeu „ Theſauri Sancti Ambroſii Mediolani. Anno Domini MCDLXI. XXVI. Junii adeſt Inſtrumentum „ rogatum per Petrum de Brena Mediolani Notarium, in quo mentio eſt de Ducatis ducentum auri „ per D. Petrum de Argentis exburſatis in Bancho „ Sancti Ambroſii Mediolani, qui reddebant ad computum de decem pro quolibet centenario. „ Reformatum igitur potius, & novis legibus firmatum credimus fuiſſe ipſum Sancti Ambroſii Banchum, quàm excogitatum à Joanne Antonio noſtro. Rerum interim Patriæ ſcrutatores meliùs de hac re judicium ſuum proferant. Reliqua ad Scriptorem iſtum ſpectantia facilè erui poſſunt à ſequenti Elogio ex Collectione Comitis Octavii Archinti exſcripto, & ſupra à nobis indicato:

IOHANNI ANTONIO ZERBO CIVI MEDIOLANENSI
INDVSTRIA IVDICIO MVLTISQVE VIRTVTIBVS ILLVSTRI
ARITHMETICAE ATQVE OMNIS NEGOTIATIONIS PERITO
QVI PERLVSTRATIS VARIIS EVROPAE PARTIBVS
AD PATRIOS LARES REVERSVS
BANCVM PVBLICVM SANCTI AMBROSII
SVA SOLERTIA EXCOGITATVM
CIVITATI PROPOSVIT
LEGIBVSQVE A SE INVENTIS FIRMANDVM CVRAVIT
A SEXAGINTA DECVRIONIBVS COHONESTATVS
ANNVIS MILLE AVREIS
CVM MVNERE RATIONATORIS GENERALIS
VICARIVS PROVISIONVM
ET PRAEFECTI EIVSDEM BANCHI
QVOD RE TAM FRVCTVOSA PATRIAM ORNAVIT
BENEMERITO POSVERVNT
VIXIT ANNOS XXXIX. DIES XXVI.
DECESSIT XVIII. CAL. MAII MDCI.

Scripſit

Digitized by Google

Scripſit librum, cui titulus:

I. Diſcorſo in forma di Dialogo intorno al Banco di S. Ambrogio, diviſo in quattro giornate. *In Milano, per il Feriolo*, 1593. *in* 4., & denuò; All' Illuſtriſſimo ed Eccellentiſſimo Signore, il Signor Giovanni Fernandez di Velaſco, Conteſtabile di Caſtiglia, e Governator di Milano &c. *Ivi, per il Malateſta*, 1599. *in* 4.

De Auctoris noſtri familia agit Clariſs. Sitonus in ſuis Schedis, & in Monumentis Genealogicis Gentis Cattaneæ. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1736. *in fol.* pag. 4., & de Joanne Antonio Abbas Picinellus in Athenæo, pag. 258., ubi malè ipſum vocat Joannem Ambroſium.

## MDCCCLXXIV.

## ZUCCHINETTUS DOMINICUS.

Oppidum Sunæ ad Verbani Lacus littora ſitum in Mediolanenſi Ducatu, quamvis ad Novarienſem Diœceſim pertineat, patria fuit Dominici Zucchinetti, quem Clerico verè digni mores, & non vulgaris in Eccleſiaſticis rebus eruditio ad animarum curationem in Oppido Pernatenſi extulerunt. Plurimùm huic Viro obſtricta eſt Mediolanenſis Provincia Sacra, duorum enim ſanctitate & ſcientia Illuſtrium Antiſtitum, nempè Sancti Caroli Borromæi, atque Caroli à Baſilica-Petri Novarienſis Præſulis, ſcriptis ſuis vel pervenit, vel ſubſecutus eſt cogitationes. Meditabatur eorum primus ſex Provincialium Conciliorum Mediolanenſium Decreta, quæ ſparſim impreſſa circumferebantur in unum corpus redigere, cùmque id, morte præventus, perficere non potuiſſet, alter Opus jam fuerat aggreſſus. Verumtamen cognito Zucchinettum noſtrum hanc ultrò provinciam ſuſcepiſſe, manum calamo abſtinuit. Et revera mirum eſt, quo ordine ipſa digeſta legantur, indicatis locis cum Pontificum Diplomatibus, Sacrique Tridentini Concilii Canonibus concordantibus. Animos ei addidit præfatus Carolus à Baſilica-Petri, quod Auctor ingenuè profitetur, aſſerens Opus hoc ſe concinnaſſe „ judicio (inquit) ac potiùs juſſu Re„ verendiſſimi Domini D. Caroli à Baſilica-Petri Epi„ ſcopi Novarienſis mei Præſulis adductus, qui com„ modum ejuſmodi, auxiliumque ſuæ Diœceſi, ad „ diſciplinæ Chriſtianæ inſtaurationem quamprimùm „ afferri volebat. „ Quocirca ab eodem Epiſcopo ad regendam Cancellariam Novarienſis Diœceſis evocatus eſt, quod munus cùm per annos aliquot non ſine laude geſſiſſet, transferri meruit ad Canonicalem Præbendam in Collegiata Eccleſia Oppidi Intræ. Obiit anno MDCXXVI., cùm prius ſupremis voluntatis ſuæ tabulis in patria Sacellum dotaſſet, annuaſque pauperibus eleemoſynas diſtribui juſſiſſet.

Opera illius ſunt:

I. Conſtitutiones, & Decreta ſex Provincialium Synodorum Mediolanenſium &c. ab anno MDLXV. uſque ad annum MDLXXII. *Venetiis*, 1596.

II. Conſtitutiones, & Decreta de Cura Peſtilentiæ, ex Concilio Provinciali V. Mediolanenſi extracta. *Venetiis*, 1595. & 1615.

Meminerunt ipſius Innocentius ab Eccleſia in Vita Caroli à Baſilica-Petri, lib. 4. cap. 8. pag. 315., & Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſæo Novarienſi, pag. 103.

## MDCCCLXXV.

## ZUCCHIUS BARTHOLOMÆUS.

Bartholomæus Zucchius, patriâ Modoëtienſis, pluribus titulis à nobis hîc laudandus, filius extitit Gaſparis, atque Annæ Ciſnuſculæ nobilium conjugum. Ipſemet autem Bartholomæus Inſcriptionem ſequentem Tumulo parentis ſui ab eo compoſitam inſcribi juſſit:

GASPARI ZVCCHIO IO. ANTONII FILIO
PROBITATE VITAE
MISERICORDIA IN PAVPERES
ET
RERVM GERENDARVM PRVDENTIA SINGVLARI
QVAM IN PRIMIS LEGATIO
DE MAXIMIS REBVS PRO CIVIBVS SVIS
AD GREGORIVM XIII. PONTIFICEM MAXIMVM
TESTATA EST
EA VERO IN PATRIAM CHARITATE
VT SAEVA
SVPERIORVM TEMPORVM PESTILENTIA
AFFLICTAM SVIS OPIBVS
AC PERICVLO STRENVE IVVERIT
VIXIT ANN. LVI.
OBIIT XVII. KAL. IVLIAS MDXCVII.
BARTHOLOMAEVS ZVCCHIVS
PATRI OPTIME MERITO MOERENS POSVIT.

Stemma autem Genealogicum Gentis Zucchiæ, ab amiciſſimo Sitono nobis exhibitum, incipit à Bonnomo, ſive à Bonnomino de Zucchiis, Medico celeberrimo, anno MCCCLIII. Mediolani florente. Bartholomæus verò noſter, ut diximus, Modoëtiæ natus, juvenilibus annis litteras humaniores ſummoperè coluit, deinde ad facultates Philoſophicas, atque ad Jura tam Cæſarea, quàm Pontificia animum ita convertit, ut brevi magnum nomen ſibi acquiſiverit. Ob ejus ſacram profanamque eruditionem eximius Cardinalis Joannes Bona à Secretis ipſum voluit, & inter charos penes eundem extitit Romæ ſpatio annorum XII. Genitoris mors ipſum ad patriam revocavit, ubi Eccleſiaſticam vitam amplexus, totus ad res ſacras ſe contulit. Nonnulla ſuæ pietatis teſtimonia poſt ſe reliquit, inter quæ numeratur Eccleſia Divæ Mariæ Angelorum Reginæ nuncupata, in Modoëtienſi Patria proprio ære extructa. In ejus quoque domeſticis laribus binæ proſtant adhuc Tabulæ pictæ Imaginem referentes S. Philippi Nerii, ad cujus pedes viſitur Bartholomæus noſter, cum ſequenti Mnemoſyno:

*Sanctus Philippus Bartholomæi Zucchii Optimus Magiſter.*
*Bartholomæus Zucchius Sancti Philippi Bonus Diſcipulus.*

Patrimonii ſui hæredem ſcripſit doctiſſimam Societatem Jeſu, ut ex ejus Teſtamento, ſub die XXIV. menſis Auguſti, qui fuit ejus vitæ penultimus, anni MDCXXX., quod authenticum ſervat Clariſs. Sitonus noſter: Sexagenario verò major tumulatus extitit in ſupradicta Eccleſia Sanctæ Mariæ Angelorum, cum ſequenti Eulogio:



Digitized by Google

MISERRIMI PECCATORIS
BARTHOLOMAEI ZVCCHII
OSSICVLA APVD DEIPARAM
PATRONAM SVAM
QVIESCVNT
LEGENTES ORATE
VT ILLIVS MISEREATVR DEVS
OBIIT ANNO MDCXXX.
DIE XXV. AVGVSTI.

Plura ſcripſit, aliaque inedita reliquit, quæ inter reliqua, hæredes expenſis fructuum ſuæ hæreditatis in lucem demandare, juxta ſupradictum ſuum Teſtamentum, juſſit. Ea infra nos proferemus ex notulâ ab ipſo Teſtamento excerptâ à millies laudato Sitono.

Nunc verò ab editis initium damus:

I. Scelta di Lettere di diverſi eccellentiſſimi Scrittori. *Venezia, preſſo la Società Minima*, 1595. in 4.

II. L'Idea del Segretario, diviſa in cinque Volumi. *Venezia, preſſo la Compagnia Minima*, 1606. *in* 4., *e per il Duſinelli*, 1614. *in* 4., *ed in Milano, preſſo il Ponzio, e Piccaglia*, 1624. *in* 4.

III. Diſcorſo ſopra il Manto Spirituale di Maria Vergine. Ex Picinello.

IV. Della Celeſte Dottrina dell' Orazione Dominicale. Concetti ſpiegati in X. Lezioni. All' Eminentiſſimo Cardinale Federico Borromeo. *Venezia, preſſo il Duſinelli*, 1624. *in* 8.

V. Prediche ſopra alcune Feſte principali dell' anno. *Milano, preſſo il Ponzio*, 1603. *in* 4.

VI. Conſiderazione ſu i ſette giorni della ſettimana, per celebrare, e per ben comunicarſi. Ex Picinello.

VII. La Cetera delle Lodi di Maria. *Milano*, 1624., & iterum 1676.

VIII. Tre glorie di Monza; cioè Vita della Regina Teodolinda, Iſtoria della Corona Ferrea, e Vita di S. Gerardo, col Cattalogo de' Re, ed Imperadori, che detta Corona hanno uſato. *Milano*, 1609., *ed ivi nella Stamperia Archiepiſcopale*, 1613. *in* 4. Vitam Ipſius Sancti Gherardi Tinctorii Modoëtienſis edidit priùs *Mediolani*, 1606., & eam dicavit eximio Cardinali Baronio.

IX. Vita del P. F. Marcello Centinelli Cappuccino. *Milano*, 1619. *in* 8

X. Prezioſo Compendio della perfezione Criſtiana. *Milano, preſſo il Como*, 1611. *in* 12.

XI. Salutiferi Avviſi per la diſciplina cottidiana. *Ivi, come ſopra*.

XII. Glorioſi Trofei di Maria Regina degli Angeli, ed efficaci Inviti alla divozione, col modo d'eſercitarla. In eodem Libro leguntur variæ Orationes Carminibus expreſſæ. *Milano, preſſo il Ponzio, e Piccaglia*, 1618. *Tom. II. in* 12.

XIII. Del prezioſiſſimo Amore dell' immenſo Iddio. *Milano, preſſo il medeſimo*, 1628. *in* 8.

XIV. Doloroſe Oſſervazioni ſopra il Corpo di Criſto. *Milano*, 1621. *in* 12.

XV. Eſercizj per ordinamento della vita, e negozj dalla mattina ſino alla ſera. *Breſcia, per Franceſco Comicini*, 1623. *in* 8.

XVI. Dolciſſime dimoſtrazioni di Criſto, fatte agli uomini, colla Communicazione di ſe ſteſſo nella Santiſſima Eucariſtia. *Breſcia, per il Comicini*, 1622. *in* 8.

XVII. Meditazioni Spirituali ſopra la Paſſione, e Morte di Criſto. *Milano, in* 4.

XVIII. Giuſtino Iſtorico, traddotto in lingua Italiana. *Venezia, per il Muſchio*, 1596. *in* 4.

XIX. Hieronymi Platti De bono ſtatu Religionis lib. III. in Italicum ſermonem tranſlati. Ad Ampliſſimum Cardinalem Guſanum. *Venetiis, per Hieronymum Polum*, 1612. *in* 4. Editio tertia cum additionibus.

XX. Li cinque Libri della Storia Lauretana, del Padre Torſellini, tradotti in lingua Italiana, alli quali ſi è aggiunto il ſeſto da Bartolomeo Zucchi. *Milano*, 1600. *in* 4.

XXI. Methodus practica utendi Libro Thomæ de Kempis, de imitatione Chriſti; ex Placcio in Theſauro Anonymorum &c. locis infra citandis, ubi aſſerit Zucchium (malè tamen ab ipſo Zuecchius dicitur) edidiſſe hunc Librum ſub nomine Martini de Funez Soc. Jeſu Hiſpani. An Liber ſcriptus ſit Italico, vel Latino ſermone, ignoramus. *Mediolani*, 1603.

XXII. Vita B Gulielmi Zucchii. Extat in Tom. II. Bollandi, menſis Februarii. Art. 55. pag. 503.

XXIII. Proſe di Meſſer Pietro Bembo. *Firenze, preſſo il Torrentino*, 1549. *in* 4. In titulo ſic ſcriptum legitur: „ Rivedute, e poſtillate da Bartolo„ meo Zucchi. „ Adnotationes verò adſunt in margine totius Libri manu ejuſdem Zucchii. Liber prælo paratus extat in ditiſſima Bibliotheca Braydenſi PP. Soc. Jeſu.

XXIV. Ariſtotelis de Arte Rhetorica Carolo Sigonio Interprete. *Bononiæ, in* 4. cum Notis marginalibus MSS. Bartholomæi Zucchii. Extat in ſupradicta Bibliotheca Braydenſi.

Quæ ſequuntur mens fuit Auctoris, ut poſt ejus mortem typis traderentur: Ea nos exſcripſimus, ut jacent in ſupradicto Teſtamento.

XXV. Annotationes in univerſam Domini Noſtri Jeſu Chriſti Paſſionem, & Mortem.

XXVI. Pſalterium vulgatæ editionis.

XXVII. Invenzioni de' punti predicabili per l'Avvento.

XXVIII. Invenzioni de' punti predicabili per la Quadrageſima.

XXIX. Invenzioni de' punti predicabili per le Domeniche.

XXX. Invenzioni de' punti predicabili per gli Santi dell' anno.

XXXI. Un Quadrageſimale.

XXXII. Ragionamenti per li Sabbati della Quadrageſima ſopra li Vangeli correnti.

XXXIII. Concetti, che moſtrano l'eccesſo dell' amor di Dio, paleſato agli uomini nella Incarnazione, Paſſione, Giuſtificazione, e Glorificazione.

XXXIV. Teſoro di Sante Conſiderazioni.

XXXV. Trofei di Maria notabilmente accreſciuti.

XXXVI. Penſieri Scritturali.

XXXVII. Nove Volumi di Lettere volgari.

XXXVIII. Alcune Epiſtole, & alia Opera, quæ reperientur.

Inter Epiſtolas Annibalis Guaſchi, editas *Mediolani, apud Pontium*, 1601. leguntur Epiſtolæ Italicæ VII. ad Bartholomæum Zucchium.

Ad eum pariter ſcripſit Epiſtolam Julianus Goſelinus, datam Mediolani IV. Novembris, anno MDLXXXVI., & alteram Joannes Baptiſta Guarinus, datam Patavii XXVIII. Junii MDXC. Extant in Tomo II. Epiſtolarum Auctoris noſtri, pagg 446., & 478.

In Libro Epiſtolarum Sigiſmundi Boldoni. *Mediolani*, 1651 adeſt Epiſtola ejuſdem ad Bartholomæum Zucchium, data XV. Kal. Februarii, MDCXXVIII.

Abbas etiam Angelus Grillus plures Epiſtolas ſcripſit Bartholomæo noſtro, quæ leguntur inter ipſius Grilli editas.

Ipſum Bartholomæum eximiè commendant Matthæus Raderus in Bavaria Sancta, pag. 35., & 36. Sigiſmundus Boldonus Phyſ. Colleg. in Epiſtol. pag. 212. Jacobus Gretſerus in Tract. de S. Cruce, pag. 2630. part. 3. Abb. D. Angelus Grillus in Epiſt. Vol. 2. pag. 50., & Vol. 3. pag. 305. Abb. Hieron. Ghilinus in Theat. Litterat. Tom. prim. pag. 25. Joannes Petrus Puricellus in Monum. Ambr. Baſilic. num. 101. Philipp. Picinell. Athen. Litterat. pag. 72. Petr Paul. Boſcha, Diſſertat. Apologet de Corona ferrea Modoëtienſi MS. Clar. Murator. Anecdot. Latin. Tom. 2. cap. 2. pag. 272. Juſtus Fontaninius, Diſſertat. de Corona ferrea, pag. 36. 40. 45. 47. 54. 87. 88. 89., & in Catalog. Author. pag. 7. Erycius Puteanus Regius Hiſtoriographus in Elog. an. MDCIV., ubi Clariſſimum Virum Bartholomæum Zucchium clarum ſcriptis, bonum moribus, famâ, & pietate immortalem fuſiùs commendat, & D. Bernardus Ugolinus in Elog. an. MDCXXVIII., ubi Bartholomæo Zucchio vitæ candore innocenti, natalium ſplendore conſpicuo; Utriuſque Bavariæ Ducis, Urbis, & Orbis aureæ linguæ Herculi: Scriptori fœcundo: Politiori Hetruſcæ linguæ Idiomatis reſtauratori: Magno Legulejo, Hiſtorico, & Theologo famâ, & familiâ illuſtri latiùs inſcribit; Placcius in Theſauro Anonymorum &c. Tom. I. pag 19. num. 65., & pag. 131. num. 782. Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Soc. Jeſu, pag. 326., & Cl. Sitonus noſter in Monumentis Genealogicis familiæ Zucchiæ. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1721. *in fol.*, nec non Cl. Fontaninius ſupradictus etiam in Libro „ della Eloquenza Italiana „ Edit. III. pag. 345.

MDCCCLXXVI.

Digitized by Google

## MDCCCLXXVI.

### ZUCCHIUS CÆSAR AUGUSTINUS.

MEritis laudibus exornandus eſt Cæſar Auguſtinus Zucchius Mediolanenſis, Eremita Auguſtinianus, ac Aſceterii Divi Marci hujus Urbis Alumnus, utpote amœnioribus litteris excultus, & in Philoſophicis, Theologiciſque Scientiis apprimè verſatus, doctrinæ licèt illius, præter infra notandum Opuſculum, aliud quidpiam litterarium monumentum nobis minimè licuerit reperire. Ipſum igitur ab Auguſtiniani Ordinis Moderatore Præceptorem fuiſſe datum pluribus ejuſdem Inſtituti, etiam primæ claſſis, gymnaſiis; eoque munere functum legimus præclarâ cum ſui nominis opinione: ac inſuper, ſuſceptis Magiſtralis gradus inſigniis, haud multò poſt inter Academiæ Ticinenſis publicos Scientiarum profeſſores adnumeratum fuiſſe liquidò conſtat; Immò Gandolfus in Præfatione ad Lectorem Italici ſui Opuſculi, cui titulus: „ Fiori Poetici dell' Eremo Ago- A „ ſtiniano. „ *Genuæ impreſſi, apud Franchellum, anno* 1582., Zucchium noſtrum tamquam Poëſi Latinæ celebrem valdè commendat: Nil proinde ambigendum, quin Cæſar Auguſtinus in re litteraria virtutem ſuam manifeſtè probaverit. In obeundis quoque officiis curæ ſuæ commiſſis peritiam oſtendit non vulgarem: Anno enim MDCLXXXI. Inſubricâ Auguſtinienſi Provinciâ ſibi decretâ, eam tantâ prudentiâ, vigilantiâ, æquitateque adminiſtravit, ut nihil ſuo in regimine deſiderandum reliquerit; Noſtri porrò hujus Viri præfatas dotes cùm perſpectas jam haberent Auguſtiniani Ordinis Patres, fidei ejus ac integritati, Comitiis Romæ habitis, anno MDCLXXXV. generalem univerſi memorati Ordinis negociorum Procurationem tradidere: majora certè ſuo tempore daturi, B niſi mors invida Cæſarem Auguſtinum amplioribus honeſtamentis, immò & Reipublicæ Auguſtinienſis incremento ſuſtuliſſet, anno MDCLXXXVII.

In Bibliotheca igitur D. Marci Mediolani extat ejuſdem MS. in fol. juſtæ molis.

I. **Tractatus de Anima, quem Romæ abſolvit, die XXI. Julii, anno MDCLXXIX.**
**Ita à Patre Gulielmo Nicolai ejuſdem Ordinis, mihique amiciſſimo.**

Digitized by Google

# BIBLIOTHECA
## SCRIPTORUM
## MEDIOLANENSIUM.
### TOMI SECUNDI PARS ALTERA.

Digitized by Google

Digitized by Google

# APPENDIX

SEU

# SCRIPTORES

PRÆTERMISSI,

ET MINORIS NOTÆ.



Digitized by Google

Digitized by Google

# APPENDIX SCRIPTORUM PRÆTERMISSORUM.

# A

## MDCCCLXXVII.

### AEMILIANUS POMPONIUS.

IN primo hujus Bibliothecæ Mediolanenſium Scriptorum Catalogo ideo Pomponium Æmilianum prætermiſimus, quòd quantumvis à Picinello memoratus fuerit; dubius tamen ipſe extitit utrum genuinum hoc eſſet nomen Auctoris, vel fortè perſonatus quiſquam ſub hujuſce nuncupationis larvâ delitεſceret. Nos verò, tametſi de hujus Scriptoris patriâ minimè eſſemus dubii, cùm ſe ipſum Mediolanenſem profiteatur in fronte libri ſubter proferendi, ſperabamus nihiloſecius aliquid reperiendum ad veritatem meliùs elucidandam. Irritus nobis ceſſit labor, neque uſquam in Collectionibus Monumentorum Familiarium hujus Metropolis Æmilianæ Gentis cognomen occurrit; quo fit, ut credamus potiùs Mediolanenſem hunc Auctorem ſe ſub fictitio nomine celaſſe, prout etiam locum impreſſionis Operis, & Typographi indicationem fuiſſe confictam, unicuique patet.

Libri titulus eſt:

I. Guerre d'Italia tra la Sereniſſima Repubblica di Venezia, e gli Arciduchi d'Auſtria; e tra Filippo III. Re di Spagna, e Carlo Emmanuele Duca di Savoja, ſeguite dall'anno MDCXV. fino alla Capitolazione di pace. *Poiſtorf, per Peter Gat. ſine anno*, in 4.
De eo Picinellus in Athenæo pag. 474.

## MDCCCLXXVIII.

### AIROLDUS THADEUS.

THadeus de Airoldis de Robiate Mediolanenſis, Deo liberiùs inſerviendi gratiâ, Ordinem S. Benedicti in Cœleſtinorum Congregatione amplecti voluit. Ad eam autem Sacrarum rerum peritiem perpeti ſtudio ita contendit, ut Theologiæ Magiſterium adipiſci meruerit. Philippo Mariæ Vicecomiti Mediolani Duci fuit inter primos acceptus, gratuſque adeò, ut nonnunquam in graviſſimi etiam momenti rebus Thadeo noſtro Princeps idem vices ſuas committeret. Memorabilis interim eſt Sententia ab Airoldo prolata die XV. Decemb. anno MCCCCXXXIX. ſimul cum Magiſtris Petro de Alzate Ordinis Prædicatorum, & Antonio de Rhaude Ordinis Minorum Ducales Delegatos per litteras Principis, datas Mediol. die XXIX. Auguſti ipſiuſmet anni, in cauſa vertente inter Generalem, & Præpoſitum Ordinis Humiliatorum ex parte una, & F. Balzarinum de Novate, & F. Petrum de Muzano parte alia. Ipſius autem Sententiæ occurrit mentio in verè inſigni Opere Clariſs. olim JC. Camilli Sitoni, inſcripto: „ Materiarum Sylva, ſive Repertorium de Mediolanenſis Urbis ædificiis publicis, ſacris, atque profanis &c. pag. 791. ſub titulo: Eccleſia S. Petri Cœleſtini: „ illudque ſervat autographum Auctoris filius Joannes JC. cui tot nominibus ſumus obſtricti. At quoniam hìc memoria incidit Fratris Balzarini de Novate, non ab re duximus Lectores noſtros monere hunc non alium fuiſſe à F. Balzarino Mediceo de Novate Glaſſiatenſis Cœnobii Mediolani Præpoſito anno MCCCCXVIII. cùm adhuc Monaſterium ipſum Humiliati poſſiderent, de cujus moribus, & pertinaciâ in reſiſtendo, ne in ædes illas Monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis S Juſtinæ, etiam Apoſtolicis fulti mandatis, inducerentur, pluribus agit Placidus Puccinellus Caſſinenſis Monachus in Chronico prælaudati Monaſterii Glaſſiatenſis. Ut autem ad Airoldum noſtrum ſermo recurrat; non mediocrem ſibi laudem ab Oratoria arte conquiſivit, quemadmodum ex his, quæ inferiùs recitabimus, Lectores facilè percipient. Cetera ipſius Acta nullus indicavit; latet quoque nos emortualis ejus annus.

Occurrit autem hìc memoranda

I. Oratio Anniverſaria habita à F. Thadeo de Mediolano, Theologo Ordinis Cœleſtinorum, in Eccleſia Metropolitana in laudem Catharinæ de Vicecomitibus olim Duciſſæ Mediolani. MS. in fol. Cod. ſign. H. num 48. in Bibliotheca Ambroſiana. Ibi memorat Auctor
II. Orationes alias plures à ſe dictas, atque compoſitas; quas tamen nullibi reperimus.
De eo Advocatus Sitonus præcitatus in Schedis.

## MDCCCLXXIX.

### ALCHISIUS ANGELUS MARIA.

ALios inter Alumnos illuſtris Congregationis Monachorum Montis Oliveti non infimo loco cenſendus eſt Angelus Maria Alchiſius Mediolanenſis, utpote qui non doctrinâ ſolùm, ſed moribus quoque, diſciplinæ regularis zelo, & dignitatibus prudenter geſtis plurimos facilè ſuperaverit. Etenim jugum Domini ab adoleſcentia libenter geſtandum aſſumens, cùm profanæ eruditionis ornamenta, quæ ſibi in Seculo comparaverat, ſacrarum litterarum ſtudiis cumulaſſet, in Virum doctiſſimum evaſit. Enituit Oratoriâ facultate celebris, & Theologicas quæſtiones apprimè calluit. His adjecit etiam Aſtrologiam, aliaſque amœniores artes, quibus à ſeverioribus ſtudiis animum identidem relaxare conſueverat. Igitur poſt minora aliquot officia, queis Suorum animos demeritus fuerat, demum anno Reparationis noſtræ MDCVIII. in generalibus Comitiis ad principem Congregationis ſuæ dignitatem evectus eſt. Eo regente Paulus Papa V Sanctiſſimam Matronam Franciſcam Romanam Cœlitum albo, ſolemni ritu, adſcripſit, cui Alchiſius noſter in primario Congregationis Cœnobio Montis Oliveti, ad levam Aræ Maximæ, Sacellum poſuit, quod deinde Celſus Mandellus fornice, parietibuſque deauratis abſolvit. Plura decrevit ad bene regendum Ordinem pertinentia, atque inter ea reticere non licet reparata inter Monachos ſuos ſtudia; nam in Cœnobiis Neapolitano, Romano,

Digitized by Google

no, Bononienſi, atque Mediolanenſi, Hebraicas, Arabicas, Græcaſque litteras, conductis præceptoribus, tradi juſſit. Severioris diſciplinæ zelator fuit eximius, quamobrem magnum ſibi comparavit nomen. Expleto regimine, litteris tantùm, quas ſemper dilexerat, unicè intentus, ſupervixit ad annum uſque MDCXXXIII, quo imminentis mortis non inſcius, die XI. menſis Novembris, naturæ debitum ſolvit, in Monaſterio Præcipianenſi, cùm antea ſelectam librorum ſuorum copiam Bibliothecæ Monaſterii Mediolanenſis S. Victoris inferri mandaſſet.

Poſt ſe reliquit:

I. Conſtitutiones, & Decreta plura. MSS. in Archivo Ordinis.
II. Dilucidationes in Rhetoricam Cypriani. MS. in fol. ſervatur in ſupramemorata Bibliotheca S. Victoris.
III. Opus aliud ad Rhetoricam facultatem pertinens. MS. juſtæ molis, in fol. Ibid.

De eo agunt Belfortius in Chronologia pag. 132., & Monumenta MSS Archivi ſupradicti Monaſterii Sancti Victoris Mediolani.

## MDCCCLXXX.

## ALIPHER JACOBUS alter.

IN articulo L hujus Operis col. 39. verba jam fecimus de Jacobo Aliphero J. C. C., atque Senatore, prout etiam ibi ipſius Opera memoravimus. Verùm poſtea nobis innotuit ſenior alter Jacobus ex eadem familia genitus, & prælaudati Scriptoris abavus, quem prætermittere piaculo fore duximus. Pater illi fuit Thomas ex Urbe Aquila, Provinciæ Apruntinæ oriundus, aulicus Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium Ducis, mater verò Caſſandra Aquaviva filia, & hæres Conradi Aquavivæ Comitis S. Valentini, è quibus conjugibus familia Alipherorum in hac Metropoli propagata eſt, ut didicimus ex geneſi ejuſdem nobis humaniſſimè exhibita à doctiſſimo Viro J. C. Joanne Sitono, quæ quidem geneſis à prælaudato Thoma incipiens, deſinit in Martino J. C. C. Inſulenſi primum Antiſtite, & demum Archiepiſcopo Coſentino. Jacobus igitur noſter in hac Urbe genitus à Secretis fuit Sfortiadum Mediolani Ducum ad annum uſque MCCCCIC.; eo enim anno deceſſit, cum prius ab anno MCCCCXCI. Ducalis Ærarii Præfectus creari meruiſſet.

Scripſit:

I. Diarium memorabilium, & rerum geſtarum Mediolani ab anno MCCCCLIV. ad annum MCCCCLXXXVI. MS. in fol. extabat penès Hæredes Comitis Johannis Andreæ Alipheri defuncti de anno MDCCXII. menſe Januarii. Item penès Comitem Franciſcum Archintum J. C. C. ex LX. Decurionibus Mediol è vivis ereptum anno MDCCXXXIII. die XXX. Aprilis.
II. Collectio Ordinum, Decretorumque Ducalium, & aliorum notabilium Documentorum ad uſum Cancellariæ Secretioris Status Mediolani emanatorum ab an. MCCCLXXXVII. ad an. MCCCCLXXVI. Liber eſt MS. in folio pergameno coopertus corio rubeo pagg. 248., & extat in Bibliotheca Marchionum Gregorii, & Eriprandi fratrum Vicecomitum. Item aliud Exemplar ejuſdem in papyro extat penès Comitem Conſtantium Mariam de Abdua.

Ejus meminerunt Jaſon Maynus J. C. in Conſil. 174 vol. II. Andreas Alciatus J C. in ſuo Antiquario Inſcript. Mediol ſub num 107 Mediol. MS. in Biblioth. Ambroſiana in fol Raphaël Fagnanus J. C. in Familia Alphera MS. ſub littera A., in verbo Alipheri, Cæſar Picinellus in Monument. Offic. Statutor. Mediol. pag. 68. Johannes Petrus Creſcentius in Amphitheatro Nobil. Mediol parte I. pagg. 120. 219 287. 296., videlicet in Apoſtillis. Nicolaus Toppius in Bibliotheca Neapolitana pag. 106. Demum J. C & Advocatus Johannes Sitonus de Scotia in Theatr. Nobilit. Mediol. part. I. num. 102. pag. 24., & part. II. art. 448. pag. 209., & art. 825. pag. 196. in folio, & in monumentis Vicecomitum pag. 11., & pag. 36. & 57. in folio, & in magno Theatro Genetliaco Sitoniano pag. 11. MS. in folio, & in Syllabo Scriptorum de rebus Mediolanenſibus MS. in folio, penès eundem Advocatum Sitonum.

## MDCCCLXXXI.

## De ALIPRANDIS SIMON.

SImonem Aliprandum Mediolanenſem laude ſua fraudandum non duximus; is enim & vitæ integritate, & benè geſtis muneribus, & doctrinæ commendatione non apud Cives ſuos tantummodo, ſed apud exteros quoque floruit. Canonicorum Lateranenſium Congregationem amplexus, in ea ſic eluxit omnium virtutum ſplendore, ut anno MCCCCXLV. in Comitiis Ferrarienſibus ipſum ad ſummum in Ordine gradum Collegæ cenſuerint extollendum. Anno autem ſequenti, die XXI. menſis Aprilis Patriarchii Lateranenſis præfecturam nactus, regularis diſciplinæ zelo adductus ejus Alumnos reformavit, qua de re quaſdam conſcripſit Conſtitutiones inferiùs memorandas. Illud etiam ſileri non debet, ſuppreſſum videlicet illo Ordinem ſuum moderante titulum Congregationis Frigdionariæ, ipſumque generalem Viſitatorem quater apud ſuos extitiſſe. Annus vitæ ejus ſupremus nobis ignotus eſt.

Habentur ab eo conditæ

I. Regulæ pro Reformatione Patriarchii Lateranenſis, quod tradidit Pontifex Canonicis Regularibus, ut per Bullam IV. Id. Jan. Ext. in Archivo Romano.

De eo meminit Roſinus in Lycæo Lateranenſ. pag. 404.

## MDCCCLXXXII.

## De AMBROSIIS FRANCISCUS ANTONIUS.

FRanciſcus Antonius de Ambroſiis, Johannis Baptiſtæ, & Catharinæ de Roſis conjugum filius in lucem venit Mediolani die VI. Julii, anno poſt Chriſti adventum MDCLXIV. Annos natus viginti utriuſque Juris Lauream ſuſcepit in Ticinenſi Academia, mox per quadriennium, ab anno ſcilicet MDCLXXXVIII. ad MDCXCI. abſolutum, Regius Prætor Antigorii electus fuit, & confirmatus, quod munus dum gereret à Comite de Fuenſalida hujus Ditionis Moderatore plura eidem magni momenti negotia demandata ſunt, illorum præſertim confinium inter bellicos tumultus defenſio, quam egregiè præſtitit. His expletis, dum in patria Advocationis officio operam daret, à Marchione de Leganes, qui Regis nomine Inſubriæ præerat, anno MDCXCVI. selectus fuit ad adminiſtrationem Annonæ in univerſo Mediolani Ducatu, cùm Regiis aliis Adminiſtris in reliquis Ditionis Provinciis æqua poteſtas demandata foret. Inſuper Urbis, & Principatus Papiæ anno MDCXCVIII., & ſequenti Judex conſtitutus, tam laudabiliter Jus dixit, ut ſucceſſivo biennio Cremonenſibus cum Judiciaria poteſtate præfici meruerit. Reverſus in Patriam majora fuiſſet proculdubio aſſecutus, niſi ingenitâ cordis benignitate, & afflictis opem ferendi deſiderio ductus, totum ſe Advocationis officio rurſum tradidiſſet. In Prioratu Lombardiæ pro Sacro Ordine Equitum S. Joannis Hieroſolymitani Auditor & Judex anno MDCCXX. Delegatus claruit, & reorum Sacræ Mediolanenſis Inquiſitionis Patronus extitit ab anno MDCCXXV. uſque ad obitum. Præter ſingularem eruditionem, admirabili fuit facundiâ,

atque

Digitized by Google

atque elegantiſſimo, perpolitoque ſcribendi modo, Latinè, Italicè, atque Hiſpanicè lucubrationes ſuas exornabat. Deceſſit Vir iſte Patriæ, amicis, inter quos ego non ultimus, pauperibuſque nunquam periturus, Mediolani die XXIX. Februarii anni intercalaris MDCCXL. illiuſque cadaver conditum jacet in Parochiali Eccleſia S. Andreæ ad Puſterlam Novam, hoc impoſito Elogio:

D. O. M.
FRANCISCVS ANTONIVS DE AMBROSIIS
IMPERIALIS FEVDI SCALETTAE CONDOMINVS
REGIVS IVDEX EMERITVS
S. INQVISITIONIS ET MEDIOLANENSIS FORI ADVOCATVS
VIVENS MISERIS PROSPEXIT
MORTVVS SVFFRAGIVM IMPLORAT
OBIIT DIE XIX. FEBRVARII MDCCXL.
AETATIS SVAE LXXVI.
IOANNES REGII CASTRI AVDITOR &c.
OPTIMO PATRI FILIVS MOERENS P.

Quanta ejus eſſet in Foro exiſtimatio, patet ex ſequentibus:

I. Defenſionum, Conſultationum, aliarumque Forenſium Lucubrationum, numerum D. excedentium, Volumina XII. in fol. Hæc omnia partim typis impreſſa ſeorſim fuere, partim extant adhuc MSS., atque in eis ingenii ſubtilitas, Juriſprudentia, Moralis Philoſophiæ præcepta, ars benedicendi, & immenſa eruditio emicant. Ea tam coram Supremo Cæſareo Aulico Conſilio, quàm Mediolanenſi Senatu, ejuſque Provinciæ Moderatoribus, ceteriſque Secularibus, atque Eccleſiaſticis Tribunalibus propoſita fuere, nunc in domeſtica Bibliotheca J. C. & Advocati Johannis de Ambroſiis Regii Caſtri Portæ Jovis hujus Urbis Auditoris ejus filii adſervantur.
Optabile quidem foret, aliquem inter eos, qui in Foro verſantur, ſibi provinciam ſatis utilem aſſumere, ex omnibus hujus Scriptoris laboribus illa ſeligendi, quæ ad praxim quotidianam conducere poſſunt; multa enim in hiſce Voluminibus continentur, quæ Tractatus potius abſolutiſſimi, quam aliter vocari merentur, quemadmodum certè appellari debet, ut reliqua taceamus, copioſa Defenſio Anſelmi Loriæ Quæſtoris Togati Mantuani Magiſtratus impreſſa *Viennæ*, *apud Petrum VVan Ghellen* Cæſareæ Regio-Catholicæ Majeſtatis Aulæ Typographum, in qua materiæ Syndicatus, Viſitationis, publicæ Adminiſtrationis, & Peculatus doctiſſimè pertractantur.
In Libro, cui titulus: „ Franciſci Ariſii inter Arcades „ Romæ Euphemi Bathii Epigrammata, libro II. „ pag. 64. „ legitur Carmen in ejus commendationem, dum Judex Maleficiorum Cremonæ degeret.
Ita à præmemorato amiciſſimo J. C. Johanne Auctoris filio.

MDCCCLXXXIII.

AMBROSIUS alter.

TEſte Poſſevino in ſuo Apparatu Sacro Tomo I. pag. 370. Ambroſium hunc Mediolanenſem, cujus ille, cognomine prætermiſſo, Patriam tantummodo indicavit, proferimus. Ancipites tamen ſumus, utrum hic idem ſit cum Ambroſio Ferrario Sancti Benedicti Regulam profeſſo, de quo egimus in Articulo DCCLVII. hujuſce Operis. In eam nos ſententiam propendere impellit Græcarum litterarum peritia, quæ in Ferrario eluxit, ut ſatis docet Translatio Commentariorum Origenis in Joannem, de qua item loco citato verba fecimus. Nihil tamen certius habentes, affirmare non audemus vel inficiari, præcipuè cùm Poſſevinus ipſe de Ferrario quoque pag. 73. jam meminiſſet.

Damus igitur ipſius Opus hoc titulo:

I. S. Cyrilli Alexandrini Sermones XVIII. è Græco in Latinum converſi.
Ex laudato Poſſevino.

MDCCCLXXXIV.

De ANGLERIA GASPAR.

PEtri Martyris de Angleria, quem ſuo laudavimus loco, affinis fuiſſe videtur Gaſpar ejuſdem cognominis Vir; anno enim MCCCCLXXXIV Juriſprudentiæ laude clarebat, ut indicat ætas Thomæ Theobaldi, ſive de Tebaldis, Bononienſis, Ducalis Conſiliarii Joannis Galeacii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Mediolanenſium Principis; nam in ejuſdem Thomæ gratiam Opus ſuum exaravit Gaſpar noſter. Illud verò quanti habendum ſit, ſatis oſtendit locus, ubi ſervatur MS. Cetera ad Scriptoris acta pertinentia nemo nos docuit.

Titulus Operis hic eſt:

I. Conſultatio Gaſparis de Angleria de Donatione Regia in gratiam Thomaſi Theobaldi Conſiliarii. Extat inter MSS. Reginæ Suetiæ in Vatic. Cod. 2110. ex Montfauconii Biblioth. MSS. Tom. I. pag. 61.
De præfato Thoma de Thebaldis de Bononia Ducali Conſiliario penès Mediolani Ducem Johannem Galeacium Mariam Sfortiam Vicecomitem anno MCCCCLXXXIV. reſidentem, vide Advocatum Sitonum in Syllabo Senatorum Mediolani art. 367. pag. 16., ubi allegat Platinum Platum, Franciſcum Philelphum, & Guidum Pancirolum &c. impreſſ. anno 1706. in folio &c.

MDCCCLXXXV.

ANNONUS FRANCISCUS MARIA.

FRanciſcus Maria Annonus Joannis Angeli ex XII. Viris, quos Proviſionum vocant, atque Hippolytæ Arrigonæ Jugalium Mediolanenſium filius, cùm Deo ſe devoviſſet inter Clericos Regulares Teatinos, tam piè inter eos vixit, tot doctrinæ ſplendoribus elu-



Digitized by Google

eluxit, ut, cùm plura geſſiſſet inter Suos munera, ad vacantem Eccleſiam Muranam propter obitum Aſcanii Ugolini, aſſumi promeruit die XXI menſis Junii, anno MDCLX. Boni Paſtoris officium ſedulò exercuit, atque Epiſcopales Ædes ſuo ſumptu ampliavit. Commiſſum ſibi gregem vigilantiſſimè rexit ad annum uſque Salutis humanæ MDCLXXIV. quo die XIX. menſis Maji mortalitatem exuit, cùm prius Collegii S. Antonii Mediolani Alumnos ex aſſe hæredes reliquiſſet. Tumulatus jacet in Templo Maximo Urbis Muranæ.

Eruditionis ſuæ reliquit veſtigia; nempe

I. Litteras Paſtorales ad Clerum, & Populum ſuum, mira doctrina, atque pietate refertas. Has MSS. duobus Tomis comprehenſas ſervat Archivum Clericorum Regul. præfati Collegii S. Antonii Mediolani. De hoc Præſule agit Ughellus Ital Sacræ Tomo VI. col. 851 inter Epiſcopos Muranos; quædam verò ſuggeſſit amiciſſimus P. D. Cajetanus Maria Crucejus ejuſdem Congregationis; ſicut etiam nonnulla Sitonus doctiſſimus ex Theatro ſuo Genealogico MS.

## MDCCCLXXXVI.

## ANONYMA XXVIII.

Reliquis Sanctimonialibus jam ſæpe laudati Parthenonis S. Marthæ Ordinis S. Auguſtini in hac Urbe florentis, quarum ſuperſunt literaria Monumenta, attexenda eſt Virgo quædam Mediolanenſis religioſam in eo vitam profeſſa, quæ infra memorando Operi à ſe compoſito nomen ſuum non inſcripſit. Patriam tantùm apertè prodit, aitque ſe inſtitutum ſuſcepiſſe anno Salutis MDXCI. Quamvis autem non ultra annum MDCIII. Opus ipſum produxerit; liquet tamen eam calamo manum admoviſſe non ante annum MDCX., quo S. Carolus Borromæus in album Cœlitum adſcriptus eſt, quoties enim ipſius mentio incidit, eum Sanctum appellat. Auget conjecturam poſterioris temporis Breve Urbani VIII datum anno MDCXXIV., de quo infra. Codex verò iſte, magni proculdubio faciendus eſt, cùm diligentiſſimè collecta contineat geſta illuſtrium vitæ probitate Virginum in eodem Monaſterio defunctarum, atque, ut plurimum Mediolanenſium, ſicut infra patebit.

Ille ſic inſcribitur:

I. Vite d'alcune Monache, con altre coſe notabili del Monaſtero di S. Marta in Milano, raccolte da una Monaca dell' iſteſſo Monaſtero. MS in 4. juſtæ molis extat in Archivo ejuſdem Monaſterii. Diviſum eſt Opus in Capita XLIII., atque continet Vitas ſequentes:

| | |
|---|---|
| Bonaventuræ de Morbiis. | Blancæ Margaritæ Cribellæ. |
| Mariæ Magdalenæ Putheobonellæ. | Franciſcæ .... |
| Angelæ Raphaëllæ. | Franciſcæ Margaritæ Reynæ. |
| Blancæ de Balſamo. | Bonæ Thadeæ Landrianæ. |
| Eleonoræ .... | Angelæ Mariæ Caſtillioneæ. |
| Johannæ Telantæ. | Franciſcæ Violantis Cattaneæ. |
| Camillæ Rhaudenſis. | Juniperæ Crucejæ. |
| Iſabellæ Rhaudenſis. | Angelæ Iſabellæ Bebulcæ. |
| Aureliæ Raynoldæ. | Claræ Mariæ Vicecomitis. |
| Ludovicæ .... | Antoniæ Catharinæ Carcanæ. |
| Catharinæ .... | Angelæ Felicis Fagnanæ. |
| Marthæ Magdalenæ .... | Catharinæ .... |
| Claræ Seraphinæ .... | Iſabellæ Ciprianæ. |
| Johannæ Franciſcæ Negrolæ. | Victoriæ Felicis Lunieræ. |
| Paulæ Mariæ Arconatæ. | |
| Blancæ Luciæ Caymæ. | |

Subduntur „ Litteræ Apoſtolicæ Leonis X. pro Beatificatione Virginis Veronicæ de Nigris datæ XV. Decemb. MDXVII.

„ Aliæ ejuſdem pro cultu Corporis ipſius B. Veronicæ XI. Octobris MDXIX.

„ Aliæ Urbani VIII. pro Officio ipſius. XXX. Maji MDCXXIV.

„ Memoria della Morte, e Sepolcro di Monſieur Foys Duca di Nemours, Generale nello Stato di Milano, per il Re Criſtianiſſimo di Francia.

„ Memoria delle coſe più notabili occorſe nel tempo della Fabbrica della Chieſa.

„ Epiſtola Cardinalis Alexandrini ad Prioriſſam, & Moniales S. Marthæ dat. Romæ XXXI. Decembr. MDXCIV. qua S. Congregatio permittit introduci in Monaſterium abſque alia licentia ad probationem quadrimeſtrem puellas, quæ habitum Converſarum ſunt ſuſcepturæ.

## MDCCCLXXXVII.

## ANONYMUS XXIX.

Cenſent Clariſſimi Continuatores Bollandi in Tomo VI. Maji fol. 44. Vitam Sancti Dionyſii Mediolanenſis Epiſcopi temporibus S. Ambroſii fuiſſe ab Anonymo quodam conſcriptam; quod tamen Opus non niſi interpolatum ad poſteros pervenerit. Vitam tamen ipſam ex Mombritio, MSSque Codicibus Mediolanenſi, atque Blauburenſi loco citato ediderunt, auctam quidem ab altero pariter Anonymo, qui ſub Thoma, vel Angilberto Archiepiſcopis vixerit; quorum alteri Lucubrationem ſuam inſcripſerit. Illius igitur nos etiam memoriam agere decrevimus, cum Continuator tam remotæ ætatis apertè Mediolanenſem ſe prodat.

Scripſit ergo, vel potius auxit

I. Vitam S. Dionyſii Mediol. Epiſcopi; quæ edita eſt, ubi ſupra.

## MDCCCLXXXVIII.

## ANONYMUS XXX.

Inter MSS. Codices, quibus ditiſſima Ambroſiana Bibliotheca referta eſt, ſervatur etiam Opus Anonymi Mediolanenſis, qui non exiguo labore ab origine hujus Eccleſiæ Præſulum nomina collegit, qui eidem præfuerunt, additis annis, quibus ſederunt. Cùm autem deſinat in Anſelmo Puſterla, Ambroſianam Eccleſiam ad annum uſque MCXXXI. adminiſtrante, eo tempore floruiſſe videtur Anonymus noſter.

Sic inſcribitur:

I. Catalogus Archiepiſcoporum Mediolanenſium: hoc eſt initium „ Incipiunt nomina Epiſcoporum Mediolanenſis Civitatis. Anathalon ſedit annos XIII. „ deſinit in Anſelmo Puſterla. Diverſis characteribus proſequitur Catalogus idem. Tum additum eſt Lectionarium, ut credibile eſt, Chori uſui deputatum, ſed in fine mancum. Extat in Biblioth. prædicta Cod. membranaceus autographus ſignat. C. num. 133. in 4. magnificiendus.

## MDCCCLXXXIX.

## ANONYMUS XXXI.

Non immeritò ceteris Mediolanenſibus Scriptoribus addimus Anonymum quemdam Joanni Vicecomiti Archiepiſcopo hujus Metropolis (qui anno MCCCCLIII. deceſſit, fuitque hujus nominis, & cognominis inter Mediolani Præſules II.) coævum, cujus quidem nomen in Codice mox indicando conſcri-

Digitized by Google

ſcriptum erat, ſed tantâ liturâ demerſum, ut nullo pacto redimi ab oblivionis injuria potuerit. Ætatem ipſe ſuam apertiſſimè prodit, immo & quædam de actis ſuis, atque etiam ſcribendi cauſam hiſce verbis, quæ ſtatim in prima occurrunt pagina: „ Re- „ verendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino præſtan- „ tiſſimo Domino Johanni Vicecomiti Miſeratione „ Divina Sancte Metropolitane Mediolanenſis Eccle- „ ſie Archiepiſcopo, & Antiſtiti digniſſimo devotiſ- „ ſimus - - - - - - - - - - Curie tue Archiepiſcopalis „ Cauſidicus obedientiam cum obſequendi prompti- „ tudine. Exercitatus per annos circiter quadragin- „ ta in Audientia hac Archiepiſcopali inter ceteras „ Catolice fidei honorabili, & nonnullis in Romana „ Curia verſatus. Et per aliquos in audientia ipſa „ ſe exercere cupientes, & rem novam, & inuſita- „ tam aggredi formidantes, & etiam nonnullos, ut „ in Romana Curia magis proficiant, circha exerci- „ tium & ordinem cauſarum in foro Eccleſiaſtico, „ aliqua in ſcriptis ponere ſepius requiſitus, ſum- „ mam hanc componere non timui &c. „ Tum non obſcurè ſe Mediolanenſem indicat; ait enim poſt nonnulla: „ Ad Omnipotentis igitur Dei, & San- „ ctiſſime piiſſime Matris ejus, & beatiſſimi Ambro- „ ſii, ſanctiſſime Fidei illuſtratoris, & Doctoris ir- „ reprehenſibilis Patroni noſtri gloriam, & hono- „ rem &c. „ Hæc ex Codice ipſo hauſimus; reliqua Scriptoris geſta forſitan noſſe licuiſſet, niſi manus vel invida, vel, ut ſuſpicamur, nimium glorioſæ appetens nomen ipſius ſuſtuliſſet, forſitan Cauſidicum inter majores ſuos enumerare ſibi ducens pudori.

Scripſit igitur

I. Ordinem, ſive Summam Judiciorum in Foro Eccleſiaſtico. In fine appoſita ſunt hæc verba: „ Explicit „ Ordo Juditiorum ſcriptus per me Jo. Fon. de Za- „ bar. de Padua legum doc. Anno d. currente m. „ cccc. lviii. die pe. Auguſti. Regnante Illuſtriſſimo „ & invictiſſimo principe, & d. domino Franciſcho „ Sfortia Vicecomit. duceque Mediolani fereque to- „ cius lattini domino d. metuendiſſimo. „ Conſtat tamen, Joannem hunc libri Auctorem non eſſe, ſed illum tantummodo exſcripſiſſe, cum in notis marginalibus, quas Exſcriptor de ſuo adjecit, in cujuslibet fine conſtanter appoſitæ ſint hæ ſiglæ *Jo. Fon.* quod oſtendit Opus alterius eſſe. In prima etiam pagina poſt illud verbum *devotiſſimus*, ubi, deletum nunc, olim occurrebat Auctoris nomen, hæc in margine adjecta eſt nota: „ merito nomen ſuum appoſuit, „ nam & hoc idem fecit Imperator Juſtinianus, qui „ erexit primum animum ſuum ad Imperiales Con- „ ſtituciones, & ex tribus Codicibus, & ex Conſtitu- „ cionibus extravagantibus unum Codicem confici „ juſſit, & ſuo fellici nomine nuncupari cenſuit. Jo. „ Fon. „ Codex MS. Carthaceus litteris rubronigris pagg. 246. in 4. ſervatur in Biblioth. Ambroſiana ſignat. D. num. 32.

## MDCCCXC.

## ANONYMUS XXXII.

NOtiſſimum eſt Eruditis omnibus, qua contentione Mediolanenſes, extinctâ in Philippo Maria Duce Vicecomitum Principum ſtirpe, ſe in libertatem erexerint, conſtitutis etiam Reipublicæ Defenſoribus. Qui verò rem fuſiùs enarratam deſiderat Anonymi coævi Mediolanenſis Opus adeat ſic inſcriptum:

I. Brevis Commemoratio eorum, quæ geſta ſunt poſt mortem Philippi Mariæ Vicecomitis Ducis Mediolanenſium. MS. in Biblioth. Ambroſ. ſign. B. num. 124.

## MDCCCXCI.

## ANONYMUS XXXIII.

SEculo XV. alter floruit Anonymus Mediolanenſis, & quidem in Patriæ ſuæ rebus verſatiſſimus adeò, ut lectu digniſſimus labor illius ſit, Liber nempe, ſive Index diligentiſſimus Eccleſiarum, & Monaſteriorum Mediolani, ſic inſcriptus:

I. Infraſcripte ſono tutte le Parochie, Gieſie, Abbatie, Monaſterii de Frati, Monaſterii de Monache, & Hoſpitali de Milano, & primo Porta Vercellina de fora. La Parochia de Sancto Martino a Corpo &c. Deſinit ſic: La Gieſia di Scolari di Sancta Marta &c. MS. in Cod. pergamen. optimæ notæ, cum miniaturis ſignat. H. num. 87. in fol. in Biblioth. Ambroſiana.
In fronte ejuſdem Codicis adſunt, Anonymi, Vitæ Mediolanenſium Archiepiſcoporum à Sancto Barnaba ad Hippolytum Eſtenſem. Opus ſic incipit: „ Barnabas „ Apoſtolus Jeſu Chriſti, natione Cyprius, Medio- „ lani Epiſcopus primus &c. „ & de Hippolyto prædicto verba faciens, ſic deſinit: „ Hic anno Domini „ MCCCCXCVIII. die Martis, VI. Martii, intravit „ Civitatem Mediolani per Portam Ticinenſem, mi- „ rificè aſſociatus à præfato Duce (ſcilicet Ludovico „ Maria Sfortia), & à tota Curia, & à multis Am- „ baxiatoribus, qui tunc Mediolani aderant, & per „ nobiles Confanonerios fuit in Sede ſua Epiſcopali „ collocatus, juxta Altare Majus, & ibi publicum „ confici fecerunt inſtrumentum de ſolempni actu ce- „ lebrato, & equum cum baldachino, ut moris ip- „ ſorum Nobilium eſt, habuerunt.
In fine verò memorati Codicis legitur aliud Opuſculum inſcriptum: „ Summario breve del tempo „ hanno ſignorezato Milano li Signori Viſconti: „ Sic incipit: „ Nel MCCLXXVII. il giorno de San- „ cta Agneſa Otto Veſconte Arceveſcovo de Melano „ fù fatto Segnore &c. „ Deſinit in Ludovico Maria Sfortia, ibique narratur mors Joannis Galeacii anno MCCCCXCIV. nocte diei XX. Octobris.
Hæc duo autographa poſtrema Opuſcula, clariùs hîc denuo proferimus, quàm in Articulo LXXXI. col. 53.

## MDCCCXCII.

## ANONYMUS XXXIV.

ILle, de quo nunc agendum eſt, Mediolanenſis Anonymus, vetuſtatis gratiâ hîc apponitur, cùm alioqui Opus illius paucas impleat paginas. Infelici quidem, prout ea ferebat ætas (Seculo enim XV. jam ad finem vergente floruit) dialecto ſcripſit, ſed tamen ſummam præfert ſtylo ipſo ſinceritatem.

Sic prænotatus eſt Liber:

I. Queſta è una belliſſima Operetta, la quale tratta de la Vittoria avuta per il noſtro glorioſo, & Divo Ambroſio Patrone de la inclita Città di Milano, quando apparſe con la Scuriata in mano a Cavallo a Parabiago contro li Svizzeri, & de la rotta loro, & occiſione grandiſſima, fu nel MCCCXXXIX. adì XXI. Febraro, impreſſa ne la inclita Città di Milano, *per Magiſtro Filippo dei Mentegazzi dicto el Caſſano ne l'anno del Signore adì 15. di Febraro*, 1494. *in* 4.

## MDCCCXCIII.

## ANONYMUS XXXV.

ANonymus Mediolanenſis Ordinis Prædicatorum, & Cœnobii Sanctæ Mariæ Gratiarum Mediolani Alumnus, Sacræ Theologiæ Magiſter Seculo XV. exeunte florebat, ſcripſitque Opus hoc titulo:

I. Il

Digitized by Google

I. Il Dialogo de la Serafica Vergine S. Catharina da Siena. *Venezia, per l'Arrivabene*, 1517. *in* 8. Huic præfixit ejuſdem ſanctæ Vitæ Compendium hoc titulo: „ Epiſtola proemiale, nella quale ſe contiene la vita „ ſua, & doctrina breviſſimamente. A le illuſtriſſi- „ me Madonne & Ducheſſe Iſabella conſorte del Si- „ gnore Zuan Galeazzo Sforza Duca di Milano, & „ Beatrice conſorte del Signore Ludovico Sforza „ Duca di Barri ſingulariſſime dell' Ordine de' Frati „ Predicatori protectrici e benefatrici: Fra N. del „ predicto Ordine de Obſervantia & del Convento di „ S. Maria da le Grazie di Milano profeſſo &c. „ Ad calcem ſic legitur: „ Finiſſe quì l'Epiſtola proemiale „ elegantemente compoſta per il R. P. de la Sacra „ Teologia Dottore Frate N. de l'Ordine di S. Do- „ menico.

De eo Quetif, & Eccard in Scriptor. Ord. Prædicat. Tom. II. pag. 39.

A

## MDCCCXCIV.

## ANONYMUS XXXVI.

ANonymus quidam Mediolanenſis, ut eruitur ex pluribus ſequentis Operis locis, quique anno MDXVI. erat inter mortales, dignus eſt profectò, cui ſua in hac Bibliotheca laus non deſit. Etenim pervagatus, eruditionis ut videtur gratiâ, præcipuas Europæ provincias, ſedulò, quæcumque viderat, adnotavit, atque in Commentarios non contemnendos redegit. Habet in eis Lector quicquid attinet ad cognoſcendos illius ætatis mores, populorum leges, Principum vires, aliaque hujuſcemodi, non prætermiſsâ etiam Urbium, Oppidorumque deſcriptione. Pedemontanam Oram, Sabaudiam, Galliam, Belgium, Hollandiam, Brabantiam, Navarram, Caſtellam, Galleciam, pluraque alia proſecutus eſt perquam diligenter, licèt infelici dialecto.

B

C

Scripſit igitur:

I. Itinerario, che comincia dalla Città di Milano. Ab his autem verbis exorditur: „ Da Milano a Boffalora; „ a Novara; a Vercele; Santo Germano; Ciliano; „ Clivaſio è Terra murata, e grande come Abiate- „ graſſo; Turino è Città grande come Pavia, & hè „ Metropoli del Pe di Monti; & li hè il Senato dil „ Duca de Savoya, & li hè uno Studio, ma pocho „ bono, & hà uno Caſtellutio non troppo forte &c. MS. Autograph. juſtæ molis, in 4. Extat apud amiciſſimum JC. Joannem Sitonum.

D

## MDCCCXCV.

## ANONYMUS XXXVII.

SUâ non eſt fraudandus commendatione Anonymus Mediolanenſis, qui anno MDXXXI., vel paulò poſt, Opus infra memorandum exaravit. Eo proſecutus eſt Auctor memoriam Ludovici de Barbiano Comitis Belgiojoſi, qui Carolum, atque Catharinam Vicecomitem Jugales nobilitatè conſpicuos parentes habuit, & diem clauſit poſtremam anno præcitato, qui ætatis ejus erat XXXVI. ſepultuſque jacet in Templo S. Mariæ Gratiarum Belgiojoſi apud Minores. Ceterùm Ludovicum eximiè quoque laudavit Paulus Jovius Novocomenſis in Vita Alberici de Barbiano ejuſdem Progenitoris. Quod autem ſpectat ad Anonymum noſtrum, tam diligenter Opus ſuum confecit, ut non modicum hiſtoriæ illorum temporum luminis afferat.

E

I. Memorie Iſtoriche del Conte Lodovico di Barbiano Conte di Belgiojoſo figlio di Carlo, e di Cattarina Viſconti. MS. in fol. apud Marchionem, & JC.C. Gaſparem de Roſales.

## MDCCCXCVI.

## ANONYMUS XXXVIII.

CEteris Mediolanenſibus Anonymis adjungimus etiam hunc, qui fuit inter vivos poſt medium Seculi XVI. Hic pluries ſe Mediolanenſem oſtendit in Opere non contemnendo, de quo infra dicemus. Magno ingenio præditus, turbas in hac Metropoli excitatas adversùs Ferrantem Gonzagam Inſubriæ Moderatorem (de quibus fuſiùs egit Julianus Goſelinus in ejuſdem Gonzagæ Vita edita Mediolani apud Gottardum Ponticum anno MDLXXIV.) deſcripturus, ne fortaſſis Optimatum quorundam odium in ſe concitaret, ſpecioſo Haſtiludii figmento ſic veritatem fucavit, ut nihilominus diligenter, quod actum fuerat, explicaret. Opus ſuum ad Amicum ruſticantem mittit, continuâ allegoriâ utens, ut varias artes plurimorum, quos de nomine compellat ſingulos, ſignificaret. Inducit enim Gonzagam armatum cum aliis ei faventibus, unicuique Symbola, & Lemmata adjiciens optimè ad rem facientia; quemadmodum idem præſtitit in aliis Gonzagæ adverſariis. Fingit interim Mantuanum advenam adſtitiſſe, qui ſibi omnium ſignificationes indicans, cuncta ſimul aperiret. Oſtendit etiam ſe legum ſtudiis imbutum, & plurimùm in Foro verſatum. Sed neque deſunt eruditionis ornamenta; Lemmatà enim deſumpſit è primariis Vatibus Latinis, & Italicis, & quædam etiam Hiſpanica miſcuit. Opus certè eſt & ſtylo, & merito commendabile.

Hunc præfert titulum:

I. Gioſtra fatta in Milano, dove allegoricamente vengono deſcritti molti Perſonaggi. MS. in fol. juſtæ molis in Biblioth. Ambroſiana ſignat. D. num. 474.

## MDCCCXCVII.

## ANONYMUS XXXIX.

DUas primarias Baſilicas Cathedrales videlicet S. Mariæ unam, alteram verò S. Theclæ Virginis, & Martyris titulis inſignes, habuiſſe Mediolanenſem Urbem cunctis eſt notiſſimum. Imò ſi Andreæ Alciato Viro antiquitatis æquè ac Juris peritiſſimo fides habenda eſt, poſterior Sanctæ Theclæ dicata, Templum olim fuit Minervæ ſacrum, ſic enim in Emblemmatum libro ſcribit:

*Culta Minerva fuit, nunc eſt ubi Numine Thecla*
*Mutato Matris Virginis ante Domum.*

Deletâ autem Ethnicâ ſuperſtitione ad veri Dei cultum traducta eſt Ædes illa profanis olim Myſteriis polluta, additumque fuit Canonicorum Collegium, quod ad tempora uſque S. Caroli Borromæi perduravit, donec exciſo Templo in Metropolitanam traducti ſunt S. Theclæ Canonici, ubi adhuc ætate noſtra divinis incumbunt laudibus, unà cum ipſius Baſilicæ Ordinariis, illatis etiam in Templum Maximum Sacroſancto Chriſti Clavo, & ipſius Martyris Theclæ Capite, pluribuſque aliis Cœlitum Lipſanis, quæ ibidem debito cultu ſervabantur. Anonymus igitur quidam Mediolanenſis, unionis, & reliquarum rerum ad memoratam Eccleſiam ſpectantium hiſtoriam breviter perſtrinxit circa finem Seculi XVI., quam etiam publici juris fecit.

Hoc

Digitized by Google

Hoc titulo :

I. Informatione del fatto dell' Unione, demolitione, & tranſlatione della Collegiata di Santa Tecla, alla Chieſa Metropolitana di Milano. Incipit: „ Nella „ Città di Milano era una Chieſa Collegiata antichiſſima, & vecchia, ſotto il titolo di Santa Thecla, qual' era ſituata dove hora è parte della piazza del Duomo, in luogo che portava molto impedimento alla Chieſa Metropolitana, di modo che „ non ſi poteva fare una piazza grande & ſpatioſa, „ come ricercava la grandezza della Città, & la dignità & decoro della ſodetta Chieſa, &c. „ Impreſs. in folio litteris, vulgò curſivis, anno 1584. ſine Typographo; extat penès Clariſs. Advocatum Sitonum.

A

B

## MDCCCXCVIII.

## ANONYMUS XL.

MUltùm quidem, atque diu inter Regios Adminiſtros, & Eccleſiaſticos Viros diſceptatum fuit, ſedente in Ambroſiana Cathedra immortalis ſemper memoriæ Friderico Cardinali Borromæo, de variis Controverſiis tam ad Forum, quàm ad alia pertinentibus, donec Deo auſpice inita eſt inter Sacerdotium, & Imperium concordia. Dum autem hæc fervidiſſimè agitarentur, Anonymus quidam Mediolanenſis, &, ut par eſt credere, Clericalis Ordinis Vir pro Archiepiſcopalibus tuendis juribus, utrâque linguâ, Latina videlicet, atque Italica enitendum ſibi duxit. Multâ eum, ſacrâ præſertim, eruditione præſtantem Opera ipſa clamant fuiſſe. Addidit etiam Tractatum de vetuſtiſſima, & adhuc indeciſa lite Archiepiſcopi Mediolanenſis cum Antiſtite Ticinenſi, hoc ſe à Metropolitica prioris juriſdictione immunem eſſe contendente, remque adductis rationibus Anonymus noſter pro Archiepiſcopo ſuo ſtare oſtendit. Florebat initio Sæculi XVII.

C

En lucubrationum Inſcriptiones :

I. Informazione alla ſagra Congregazione de' Riti ſopra la controverſia della Sedia tra l'Arciveſcovo di Milano, ed il Governatore. Incipit: „ Sanno molto bene „ le SS. VV. Illuſtriſſime, che nè per dottrina di „ lettere ſacre, nè per Conſtituzioni Pontificie, nè „ per Canoni, nè per Privilegj, nè per documenti „ de' SS. PP., nè per Legge Civile, nè per Regola „ di Diſciplina, nè per verun altra ragione il Laico „ à da ſtare dentro il Coro, e Presbiterio, mentre „ ſi celebrano i Divini Officj „ &c.

D

II. Sedes Principis in Eccleſia, loco, & gradu inferiori collocanda eſt.

III. Epiſcopus Papienſis jure Metropolitano ſubjectus eſt Archiepiſcopo Mediolanenſi.

Omnia uno Vol. MS. in fol. in Biblioth. Ambroſ. ſign. H. n. 138.

## MDCCCXCIX.

E

## ANONYMUS XLI.

QUi vel tantillum verſatus fuerit in Seculi ſuperioris hiſtoria, non ignorabit, quis bellorum tumultus adversùs Nivernenſem Ducem è Gonzaga Familia exarſerit pro Ducatu Montisferrati, quem ille ſibi debitum contendebat, extinctâ Mantuanorum Ducum ſtirpe, quos proximè ſanguine attingebat. Quantus autem Hiſpaniarum Regis conatus extiterit, ne votis ille potiretur, non eſt hujus loci commemorare, crambem enim recoquere-mus. Juvat hoc ſolum addere, prœliantibus gladio armatis manipulis non defuiſſe Anonymum quemdam Mediolanenſem, qui calamum pro Catholico Rege, ejuſdemque belli æquitate, & quidem eruditè ſatis, tractaret.

Prodiit Opus illius lectu digniſſimum, & immenſi laboris hoc titulo

I. De Juſtitia Armorum Regiæ Majeſtatis contra D. Ducem Nivernenſem: in fol ſine loco, anno, & Typographo. Conſilium eſt Juridicum, Hiſtoricum, atque Politicum, occaſione Belli inlati per Gonzalem Cordubam Mediolani Gubernatorem de mandato Regis Hiſpaniæ contra Ducem Nivernenſem. Auctor pluribus in locis ſe profitetur eſſe Mediolanenſem; paginarum 100.

## MDCCCC.

## ANONYMUS XLII.

PRodit in litterariam hanc Scenam Anonymus Mediolanenſis Poëta, ſtylo non contemnendo, & latinis Muſis non inviſo præditus, qui, ſive Heroico, ſive Elegiaco Carmine uteretur, magni ſpecimen ingenii præbuit. Floruit hic ineunte Seculo XVII. pluribuſque in locis Patriam ſuam apertè Mediolanum indicat.

Illius habentur

I. De Pace inter Philippum Hiſpaniarum Regem, & Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem inita menſe Julii 1618. Poëma verſuum 360.

II. Ejuſdem de Beata Virgine, Sanctam Eliſabeth inviſente, Elegia.

III. Ejuſdem de Diva Maria Magdalena Elegia.

Codex MS. extat in Biblioth. PP. Theatin. D. Antonii Mediolani.

## MDCCCCI.

## ANONYMUS XLIII.

QUi Opus mox indicandum ſcripſit Mediolanenſis Anonymus ineunte Sæculo XVII. florens, latet quidem, ſi nomen ſpectemus, ſed ſuſpicari licet, ipſum inter Alumnos Societatis Jeſu eſſe recenſendum, cùm id veroſimillimum videatur, quòd apud ejuſdem Inſtituti præclaros Viros apud S. Fidelis ſacram Ædem Domino famulantes Opus ipſum ſervetur. Complectitur autem Acta Helenæ Caprinæ non ſinè ſanctitatis opinione haud ita pridem defunctæ; Codexque elegantiſſimo charactere, quodque notabilius eſt, optimo ſtylo conſcriptus non flocci habendus eſt.

Illius hic eſt titulus :

I. Vita di Elena Caprina Serva di Dio, a cui ſi è compiacciuto di comunicarſi ſtraordinariamente. MS. in 4. juſtæ molis, unà cum Præfatione & Indice, prœlo paratus anno MDCXXXIX. extat in Biblioth. PP. Soc. Jeſu S. Fidelis hujus Urbis.

## MDCCCCII.

## ANONYMUS XLIV.

EXtra hujus Metropolis pomœrium, atque intra ambitum Parochialis Baſilicæ S. Vincentii, cui cognomen in Prato, vetuſtiſſimum Templum conſpi-



Digitized by Google

ſpicitur Sancto Martyri Chriſtophoro dicatum, imperante Philippo Maria Vicecomite Mediolanenſium Duce extructum, qua de re pluribus agit Caſtillionæus in antiquitatibus memoratæ Baſilicæ Vincentianæ. Optimates quidam Mediolanenſes ad hanc uſque ætatem deliguntur, qui ſupradicti Templi curationem gerunt, atque piiſſimè adminiſtrant. Cùm autem medio Sæculo XVII. inter eos computaretur Alexander Panigarola, ne ipſius ſacræ Ædis monumenta vetuſtatis injuriam aliquandò paterentur, Anonymo cuidam Mediolanenſi mandavit, ut eadem diligenter in unum redigerentur Volumen; A

Illud in lucem emiſſum eſt hoc titulo inſcriptum:

I. Monumenta Ducalis Eccleſiæ Sancti Chriſtophori extra Portam Ticinenſem Mediolani, quæ juſſu Illuſtriſſimi Domini Don Alexandri Panigarolæ Equitis Sancti Jacobi, & Comitis Montis Viciliarum collecta fuerunt. *Mediolani, ex Typographia Ambroſii Ramellati*, 1659. *in fol.* Cum Appendice in calce aliorum Documentorum anno MDCLXXXIV. recollect. per doctiſſimum olim JC. Camillum de Sitonis de Scotia juniorem, & Diſſertatione Chronologica MS. in folio, incipit: „ Per opportuna proviſione „ di ciò che ſuole biſognare nelli calamitoſi tempi „ della peſtilenza, la Città di Milano, che con queſto flagello più volte fu da Dio benedetto viſitata, „ haveva già nelli andati tempi fuori di caduna „ delle Porte maſtre diverſi Lazaretti, ec. Unà cum ſerie item contagioſæ luis chronologica, quâ Mediolanenſis Civitas decem & octo vicibus ab anno ſalutis MCXLIV. ad annum MDCXXX. vexata eſt &c. MS. in fol. Extat penes Advocatum Joannem Sitonum præfati JC. Camilli Additionatoris Filium &c. B C

E ſchedis ejuſdem amiciſſimi JC. Joannis Sitoni.

## MDCCCCIII.

## ARCHINTUS ALEXANDER.

Alexander Archintus Horatii JC. C. atque Eleonoræ Tonſæ nobilium Conjugum Mediolanenſium filius, anno ſalutis noſtræ MDLXXVII. editus eſt in lucem. Adultus, Societati Jeſu nomen dedit, in qua ſtudiis ſemper, & præclariſſimi Inſtituti laboribus intentus ad extremum uſque ſpiritum perduravit. Obiit Votorum IV., ut vocant, profeſſus anno Domini MDCXLV. in Domo tertiæ probationis Oppidi Aronæ, dum actu Rectoris ibidem munere fungeretur. D

Poſt ſe reliquit hæc ſui ingenii monumenta:

I. Libri tres Rhetoricarum præceptionum in partitiones Oratorias M. T. Cic.
II. Tractatus brevis de Hiſtoria.
III. Compendium totius Rhetoricæ. Omnia uno Vol. MS. in 4. in Bibliotheca Archintea, in cujus principio ſic legitur: „ Scribente Antonio Lampugnano an- „ no MDCVIII.
In eod MS. adſunt libri III. de Poëtica facultate, Auctore R. P. Alberto Mura ejuſdem Soc., ipſo Lampugnano præfato anno ſcribente.
IV. Elogia nonnullor. PP. Societatis Jeſu pietate & morte pro Chriſto fide obita illuſtrium, inter quos Antonius Fernandez anno 1556., & Alphonſus à Caſtro anno 1558 Ext. in MS. in 4. penes PP. Collegii Braydenſis.

Ita à Suis.

## MDCCCCIV.

## ARCHINTUS JOANNES AMBROSIUS.

Ex Joſepho Archinto hujus Metropolis Decurione, à Cubiculo, & à Conſiliis Ducalibus, atque Eliſabeth Ceſata nobilibus Conjugibus, natus eſt Joannes Ambroſius, cujus Elogium hìc ſuſcipimus, qui tamen ſe ut plurimùm Ambroſium tantùm appellavit. Expletis inter bonarum artium ſtudia primis ætatis annis, ex Apollonia Sartirana, quam ſibi conjugio copulaverat, tres genuit liberos, Robertum videlicet patriæ Decurionem, Zachariam, atque Hieronymum JC. C. Decurionem, & Senatorem. Porrò eruditionem ſuam ad aliorum quoque utilitatem derivare ſtuduit; nam primùm datâ ad Sanctum Braſcham (de quo egimus in artic. CCCXVIII. col. 225. hujus Bibliothecæ) Epiſtolâ, nedum judicium ſuum protulit de Itinerario Hieroſolymitano ab ipſo Braſcha conſcripto, ſed illum inſuper ad editionem ipſius Operis hortatus fuit. Ipſe quoque, ut litterariæ prodeſſet Reipubl. magnum ſuſcepit Opus, editionis videlicet Epiſtolarum, & Tractatuum variorum Pii II. Pont. Max. quæ Typis Scinzenzeler, ut infra dicemus, prodiit. Quæ autem impreſſioni de ſuo Archintus addiderit, mox indicabimus. Quo anno deſideratus fuerit Vir doctiſſimus, & bonorum omnium memoriâ digniſſimus, incertum habemus; in officio tamen Decurionatus perſeveraſſe reperitur ad annum uſque MDXVIII. Conditus eſt in Monumento paterno in Parochiali Templo S. Euſebii hujus Urbis; cui impoſita eſt ſequens Inſcriptio:

D. O. M.
RELIQVIAE ARCHINTORVM
EX ORIGINE VIRI PATRICII D. IOSEPH
QVI DIE XX. OCTOB.
ANNO SAL. MCCCCLXXVI.
DEO NATVRAEQVE SE CONCESSIT.

Nomen etiam Scriptoris noſtri occurrit in altera Inſcriptione, quæ in ſupradicta Parochiali viſitur, poſita ejus fratri Philippo Archinto; in hæc verba:

HEVS CONCIVES
PHILIPPVS ARCHINTVS
DIVINI HVMANIQVE IVRIS CONS. COLLEGIATVS
PATRIAEQVE MERITISS. ORNAMENTVM ET DECVS
HIC SITVS EST.
OBIIT KAL. MAII AN. A PART. VIRG. MVD.
VIXIT ANN. XXXVI. MEN. VI. DIES X.
MOESTISSIMI FRATRES
BARTHOLOMAEVS. STEPHANVS. AMBROSIVS. ET CHRISTOPHORVS.
VOTVM PERSOLVERVNT.

Scripſit

Digitized by Google

A

Scripſit Archintus noſter

I. Epiſtolam Latinam eruditam ad Sanctum Braſcham, in qua judicium ſuum de Itinerario Hieroſolymitano Braſchæ ad eum mittit, Auctorem hortatus ad editionem. Prodiit cum eodem Itinerario *Mediol. apud Leonardum Pachel, & Ulderícum Scinzenzeller hortatu Ambroſii Archinti*, 1481. *in* 8.

II. Aliam præfixam ſupradictis Epiſtolis, & Tractatibus Pii II. Pont. Max. in qua ſummatim enumerat ipſius Pontificis res geſtas, & munera, quibus ſibi gradum fecit ad Apoſtolatus apicem; laudans etiam Joannem Vinzalium, qui correctioni Operis incubuerat. Edita eſt cum prædictis Opuſculis *Mediol. apud Scinzenzeller*, 1496. *in fol*

De ipſo agit Clariſs. Saxius in Hiſtor. Typograph. Mediol. col. CCXXXIV. & ſeqq atque eruditiſs. JC. Sitonus in Chron. Coll. J. PP. art. CCLXXXIV., & CCCLXXXVIII.

B

## MDCCCCCV.

## ARENA ALBERTUS.

JAcobi Corteſellæ, atque Galdini Diſcordiæ, quos ambos ſuo commendavimus loco, primum ſcilicet Articulo DCXXXIX. alterum verò Articulo DCCXXII. Collega fuit in Conſulatu Juſtitiæ hujus Urbis Mediolanenſis egregius Civis Albertus de Arena, cujus nomen diligentiam noſtram effugerat. Æquum idcirco exiſtimavimus ipſum hìc inſerere, ne ſua careat laude. Condidit Arena noſter unà cum prædictis Corteſella, atque Diſcordia anno MCCLI.

C

I. Statuta plurima Mediolanenſi Reipub perquam utilia. Ex Corio ad eum annum, atque ex Collect. Monument. Famil. Mediol. Comitis Octavii Archinti.

## MDCCCCCVI.

## ARESINUS JOSEPH MARIA.

JOſeph Maria Areſinus, patre Joanne Baptiſta Collegiato Tabellione, & in Mediolanenſi Foro Cauſarum Patrono, primam in hac Urbe lucem vidit anno MDCLXIX. Ab ineunti ætate exceptus eſt in ædibus ſuis à Carolo Trenta Lucenſi celeberrimo Juriſconſulto hujus Metropolis incolâ, à quo etiam filii loco habitus fuit, Legumque ſtudiis adeò excultus, ut in Virum præclariſſimum evaſerit. Quocirca florentibus adhuc annis plurimum ſibi famæ conciliavit, præſertim cùm in graviſſimi momenti cauſa publicè coram Senatu dixiſſet. Ea res Proceres quoque adduxit, ut neminem ſibi in Foro eligerent præter Areſinum litibus ſuis adfuturum. Ob doctrinæ, qua pollebat, celebritatem anno MDCCVIII Regii Fiſci generalis in hac Ditione Patronus renunciari meruit, quo in munere præclariſſimè Principis negotia ſic geſſit; ut abſente Sereniſſimo Eugenio Sabaudo immortalis nominis Viro tunc Inſubriæ Moderatore, Proceribus ad Mediolanenſis Ditionis regimen ſelectis accenſeri meruerit. Sexennio vix elapſo ad Senatoriam Cathedram aſſumptus, haud multo poſt, laboribus eruditis fractus, fato cœlebs conceſſit anno ætatis ſuæ XLVI. conditusque jacet in Baſilica S. Franciſci ad Aram, quam Præceptor illius Trenta jam laudatus Deiparæ apud Caravagium hujus Ducatus nobile Oppidum cultæ poſuit. Ejus memoriam ſervat inſculptum hiſce notis marmor ibidem adhuc extans:

D. O. M.

IOSEPH MARIAM ARESINVM

EXIMIAE ERVDITIONIS ET LITTERATVRAE VIRVM

IN FORO MEDIOLANENSI MOX REGII FISCI

ADVOCATVM PRAESTANTISSIMVM

DEIN

SENATOREM AMPLISSIMVM

AD MAIORA PRO PATRIA ET COESARE EXPETITVM

VRBI ET ORBI CARISSIMVM

PLENVM MERITIS IN MEDIO VITAE CVRSV

INTEMPESTIVA MORS ERIPVIT

ANNO DOMINI MDCCXV. MENSE MAIO

VIXIT ANNOS XLVI.

D

Eruditione fuit ſingulari, eoque dicendi lepore præditus, ut adſtantes in ſui admirationem traheret. Ingenium illius legales labores produnt, quos velociſſimè exarabat, nullâ ſæpe liturâ interpoſitâ. Stylo ſcribebat vibrato, efficaci, ſuccoſo, & qui prope ad Salluſtianum accederet.

Superſunt ejuſdem:

I. Conſultatio pro Mercimonio.
II. Alia pro Pragmatica Luxus.
III. Alia pro Annona.
IV. Alia pro removenda aëris inſalubritate è Mediolanenſi Cœlo, ſuppreſſo nimio Orizæ ſerendæ abuſu. Prodieruit omnes ſeorſim impreſſæ.
V. Aliæ autem plurimæ, unà cum Votis Fiſcalibus IV. Tomis MSS. comprehenſæ ſervantur apud Joſephum Sormanum Auctoris olim Cancellarium.
VI. Allegationes Juridicæ plurimæ partim editæ, partim MSS. reperiuntur apud JC. C Mediol., & ſignanter penès Comitem Gabrielem Verrum Regii Fiſci Patronum in Collectaneis ſuis, ad quem etiam nunc pertinet Scriptoris noſtri Bibliotheca.

Meminerunt ipſius Joſeph Benalius in hiſt. Magiſtrat. Extraord. pagg 38. 154., & 183. quemadmodum etiam Sitonus noſter in Schedis.

MDCCCCCVII.

Digitized by Google

# B

## MDCCCCVII.

### De BADAGIO ARIALDUS.

Fidem noſtram exſoluturi, quemadmodum in Articulo CCCLXXIV. ſpopondimus, in lucem nunc proferimus Arialdum de Badagio, eâ Virum gente procreatum, quam & antiquitas, & dignitates etiam ſummæ ſatis commendant. Is fuit inter vivos ſedente in Archiepiſcopali Cathedra Uberto Pirovano hujus Metropolis Antiſtite, atque ipſi ob ſpectatam vitæ probitatem cariſſimus extitit. Hanc comitabatur Eccleſiæ Ambroſianæ Jurium, & Rituum ſingularis peritiès, quocirca cum Aloyſio Camerario in eodem Articulo jam à nobis laudato, atque Lanfranco de Badagio mox commendando, Uberto ipſo jubente, anno Redemptionis MCCX. compilavit

I. Jura Archiepiſcopatus Mediolanenſis, & in unum redegit Codicem, necnon
II. Librum Conſuetudinum ejuſdem Archiepiſcopatûs, quas inter reperitur Catalogus eorum, quorum erat Archiepiſcopum Romam petentem comitari.
De ipſo meminit Corius, atque alii citati in Collect. Monument. Famil. Mediol. Comitis Octavii Archinti.

## MDCCCCVIII.

### De BADAGIO LANFRANCUS.

Promimus nunc Lanfranci de Badagio nomen, quod alibi promiſiſſe meminimus; Ejus enim memoria omnino prætereunda non eſt, cùm inſigne ſatis Opus condiderit. Unà cum Arialdo Familiæ ſuæ Viro, cujus Elogium ſuperiori dedimus Articulo, & cum Aloyſio Camerario juſſu Uberti Pirovani Mediolanenſis Archiepiſcopi anno MCCX tanquam Ambroſianæ Eccleſiæ Jurium peritiſſimus manum admovit Codicibus compilandis, quibus titulus:

I. Jura Archiepiſcopatus Mediolanenſis.
II. Liber Conſuetudinum ejuſdem Archiepiſcopatus, ubi etiam reperitur illorum Nomenclatura, à quibus Archiepiſcopus Romam proficiſcens aſſociandus erat.
Ejus mentio eſt apud Corium, atque ex eo apud Comitem Octavium Archintum in Collect. MS. Monument. Familiar. Mediol. cum aliis ab ipſo citatis.

## MDCCCCIX.

### BARBAVARA CAROLUS.

Marcolinus Barbavara, & Domnina Caſata nobiles Conjuges Mediolanenſes Carolum hunc noſtrum genuere; qui patris munus proſequens Ducalis Cancellarius in hac Urbe floruit initio Seculi XVI. Fratrem alium habuit Scipionem JC. C. & Senatorem; cariſſimuſque extitit Joanni Biſſio, cujus laudes jam dedimus ſuo loco. Eruditam cum ipſo conſuetudinem coluiſſe etiam prioribus ſuæ ætatis annis indicant inferiùs citanda. Amavit etiam plurimùm Joannem Baptiſtam Corneum ſeniorem, atque Joannem Franciſcum Gaddium, Viros eruditione celebres jam alibi à nobis commendatos; quem poſtremum honoris gratiâ ſuum quandoque parentem appellavit. Annus ejus ſupremus nos latet;

Ejuſdem extant apud poſteros:

I. Epiſtola Latina ad Joannem Biſſium, quâ reſpondet eidem. Extat inter Epigrammata ipſius Biſſii *Mediolani impreſſa apud Zarotum*, *in* 4. data eſt die XIII. Auguſti, anno MCCCCXCIII.
II. Alia ad ſupradictum Biſſium, in qua ipſum commendat tanquam linguæ Græcæ peritiſſimum. Laudat quoque Verſus Dominici Maccanei, quem vocat Virum doctiſſimum. Biſſius in altera Epiſtola ad Carolum Barbavaram teſtatur, ſe plures alias tenere illius Epiſtolas. Data eſt hæc, de qua agimus, die XXVII. Auguſti MCCCCXCVII., & extat inter Carmina Biſſii edita anno MDXI.
III. Epiſtolæ aliæ Latinæ num. XL., & ultra elegantiſſimè ad Joannem Baptiſtam Corneum, jam à nobis laudatum, ſcriptæ; in eiſdem Corneus laudibus eximiis celebratur, adſunt inter MSS. Cornei.
IV. Plures aliæ ad Johannem Franciſcum Gaddium, atque iſtius ad eundem, quem vocat Politicorum principem, Philoſophum eximium, atque ejus ſcripta, ſummopere commendat. Magna pars Epiſtolarum Caroli noſtri ad Gaddium data eſt Gravellonæ anno MDXVIII.
Extant etiam nonnulla Epigrammata Biſſii ad eundem Carolum Barbavaram.
De eo Sitonus noſter in ſuo Theatro Genealogico pag. 46. MS. in fol. penès Auctorem.

## MDCCCCX.

### BASSUS HIERONYMUS.

Hieronymum Baſſum, etſi ab Abbate Picinello in ſuo Mediolanenſi Athenæo relatum, in primo hujus meæ Bibliothecæ catalogo omittendum duxi, eo quia Clariſſimus Curtius inter ſuos Mediolanenſes Medicos eruditos ipſum minimè inſeruit, & quod plus eſt, Joannes Jacobus Mangetus in ditiſſima Medicorum Scriptorum Bibliotheca Auctorem noſtrum Ticinenſem appellavit, ideoque locum fortè hîc etiam non haberet, niſi Clariſſimus Sitonus ſtemma gentilitium Baſſorum humaniter de more mihi communicaſſet. Incipit illud à Luchino Mediolanenſi Cive, qui anno MCCCCLXX. florebat, deſinitque in Hieronymo juniore J. C., atque in Eccleſia Collegiata Sanctæ Mariæ Fulcorinæ nuncupata, hujus Urbis Canonico, qui obiit anno MDCCXVII. Ex Joanne Franciſco, necnon Apollonia de Vegiis conjugibus vidimus ortum eſſe Hieronymum, de quo nunc agimus, & Nepotes ipſius extitere Andreas, atque Martinus, ambo ſuis locis à nobis jam commendati. Igitur non eſt ambigendum, quin Scriptor iſte in hac Bibliotheca meritò locum obtinere debeat. In Medica facultate Laureâ obtentâ unus ex Phyſicis Hoſpitalis Majoris hujus Metropolis clarebat medio Seculo XVI. Diem verò ejus ultimum ignoramus. Dolendum quoque eſt, quòd Hieronymus Borſerius, aliique de Mediolanenſibus Eruditis agentes, Opera Baſſi noſtri tam parcè, atque obſcurè protulerint, nam nudum tantùm titulum ipſorum invenio, & an edita ſint, nec ne, reticent. Accipiant Lectores, quæ dare mihi in præſentiarum licet, uberiora ab aliis expectando.

Scripſit, Teſtibus infraſcriptis:

I. Opera Meteorologica.
II. Commentaria in Hyppocratem.

III.

Digitized by Google

III. Carmina varia Latina.
Ita Hieronymus Borſerius in Supplemento cap. XII., Franciſcus Cicerejus in ſuis Epiſtolis, Philippus Picinellus in ſuo Athenæo pag. 333. Clariſſimus Mangetus ſupradictus in ſua Bibliotheca, Littera B. Reliqua à Sitono noſtro.

## MDCCCCXI.

## BATTALEA AARON.

Battaleæ Familiæ in hac Inſubriæ Metropoli vetuſtatem facilè indicat Michaël ejuſdem gentis Vir, qui anno MCCCCLXXIV. inter Mediolanenſes Decuriones floruit. Nec minori laude commendandus eſt Auguſtinus Phyſicus Collegiatus, qui in eodem munere Decurionis præclarè ſe geſſit anno MDXIII. Coævus huic poſtremo fuit Aaron Battalea, inter vivos numeratus uſque ad annum MDLXIII., de quo nunc agimus, qui Joannem Baptiſtam Corneum à nobis ſuo jam loco encomiis ornatum ſummoperè dilexit, ut ex Epiſtolis infra recenſendis apparet. Præceptor fuit F. Auguſtini Saturnii, ad quem etiam plures dedit Litteras mox memorandas. Fuit quoque Patricius inſignis Caſtri Trivilii Diœceſis Mediolani, & publicus Eloquentiæ Profeſſor in hac Urbe, ac Magiſter Litterarius Joannis Angeli de Medicis, qui dein ad ſummum Apoſtolatus apicem evectus eſt ſub nomine Pii IV. Anno MDXXII. Italicis Carminibus LXIV. vulgò *Ottave*, edidit Librum, quem damus num. IV. Hæc ea ſunt, quæ de Erudito hoc Viro ad noſtram pervenere notitiam, reliqua deſideramus.

Doctrinam illius produnt:

I. Epiſtolæ Latinæ plures ad Joannem Baptiſtam Corneum. MSS. in Codice ipſius Cornei jam memorato ſuo loco, prout etiam

II. Aliæ plures ad F. Auguſtinum Saturnium diſcipulum ſuum, in quarum una agit de editione libri ſui, cui titulus:

III. Mercurius. Hoc Opus periiſſe putamus, cùm nuſquam in illud inciderimus. Brixiæ potius quàm alibi in lucem edi ſuadebat Auctori noſtro Saturnius in reſponſione, quæ ibidem extat. Porrò Epiſtolæ datæ ſunt annis MDXVII. & MDXVIII.

IV. Hiſtoria inſignis Imaginis B. V. Mariæ depictæ in Eccleſia S. Auguſtini Sanctimonialium Obſervantium Ord. ejuſdem S. Auguſtini in Caſtro Trivilii, quæ die XXVIII. Februarii anni MDXXII. effuſis per ſex horas lacrymis, Trivilienſem Populum ab imminenti internecione per Gallicas Copias inferenda liberavit.
Quæ quidem Carmina impreſſa leguntur apud Canonicum Emmanuelem de Laude in Hiſtor. memorabilium Caſtri Trivilii part. II. cap. XVI. pag. 204. & 209. *Mediolani*, 1647 *in fol.*
De ipſo agit Sitonus noſter humaniſſimus in Schedis.

## MDCCCCXII.

## BATTALEA FRANCISCUS MARIA.

Franciſcum Mariam Battaleam Mediolanenſem ideo huc referre diſtuli, quòd non pauca ipſius MSS. Opera Aſcetica in Bibliotheca S. Marci hujus Urbis ſervari intellexiſſem; quapropter plura ad ipſius Acta texenda eruere ſperabam. At poſt diligentiſſimam indaginem nihil repertum eſt præter Opuſculum num. X. indicandum. De actis verò Picinellum ſequemur, paucis additis; Ipſum ſcilicet Eremitarum Ordinem amplexum, tanta contentione ſacras litteras percepiſſe, ut Magiſterium in Theologia promereretur. Aſſumptus etiam fuit ad ſummum in Lombardiæ Provincia gradum, quo in munere non ſine laude ſe geſſit. Virum eximiæ pietatis oſtendunt Opera, quibus animarum ſalutem ſedulò curavit. Linguam Gallicam ſe didiciſſe aſſerit in Præfatione libri, de quo agemus num. III. quòd Opuſcula quædam Sancti Franciſci Saleſii Gebennenſis Epiſcopi in Italicum verſa conſpexiſſet, plurimùm proximorum animabus proficua. Quo autem anno mortalis eſſe deſierit, incompertum habemus.

En illius Operum ſeriem:

I. Galleria Spirituale. *Milano*, *preſſo il Malateſta*, 1668 *in* 12. tertia Editio.

II. Guida ſicura della Confeſſione, e Comunione. *Milano*, *come ſopra*, *in* 12.

III. Lo Specchio, che non inganna, del Sig. della Serre, tradotto dalla lingua Franceſe nell'Italiana. *Milano*, *preſſo l'Agnelli*, 1671. *in* 12.

IV. Li Fervori dello Spirito. *Milano*, *preſſo l'Agnelli*, 1676 *in* 12. & iterum 1686.

V. La Divozione facile di Pietro le Moine traſportata dal Franceſe. *Milano*, 1675. *in* 12.

VI. Il Teſoro della Divozione del Sagrificio della Meſſa, Sacramento della Penitenza, e Santiſſima Comunione *Milano*, *preſſo il Monza*, 1696. *in* 12.

VII. Pratica ſicuriſſima, e breve per purgar l'Anima dalli Scrupoli. Ex Picinello.

VIII. Compendioſo Indirizzo all' Amor di Dio. Ex Picinello.

IX. Manuale de i Divoti della B. V., San Giuſeppe, ed Angelo Cuſtode. Ex eodem.

X. La Vergine moribonda ſopra del Monte Calvario del Sig. de la Serre, tradotto in Italiano. MS. pagg. 170. extat in Bibliotheca S. Marci Mediolani.
De eo Picinellus in Athenæo pag. 212.

## MDCCCCXIII.

## BATTALEA HIERONYMUS.

Hieronymus Battalea Trivilii natus eſt circa annum MCCCCL. ex Familia Craſſorum, ad quos Canturii Oppidi in finibus Novocomenſium Toparchia olim pertinebat. Eâ ſpoliati à Vicecomitibus Mediolani rerum potitis, in Oppidum Trivilii relegati, & dominatu Vailati donati ſunt. Ex hac igitur gente Hieronymus editus, in pueritia pro conditione eorum temporum litteris vix dum mediocriter inſtructus, ubi adoleſcentiam primò attigit, pro more familiæ ſuæ, militiæ nomen dedit. Etenim Battaleæ prænomen additum de Craſſis ejus Avis fuerat ex ardore, quo prælia fortiſſimè inibant. Signifer primùm, mox Centurio, ſubinde Tribunus, ſummam poſtmodum Præfecturam à Ludovico Sfortia Mediolanenſium Duce, cui prænomen Mauro fuit, Arcis Cremonenſis nactus eſt. Dum inconcuſſa fide hoc munere fungeretur, initum eſt fœdus inter Ludovicum XII. Galliarum Regem, ac Venetos, ea lege ut Mediolanenſi Imperio Maurus ſpoliaretur, & Cremonenſis Ager, cum Fulcheria Regione Venetis cederet, reliqua Gallorum eſſent. Itaque irruentibus tota mole Regni ſui Gallicis copiis, Venetis autem Cremonam obſidentibus, acto Ludovico Duce in exilium, de rebus Sfortiacis Hieronymus conclamatum cenſuit, conſiliumque cepit conſulendi ſibi, poſteriſque ſuis. Ergo pollicitus eſt, dediturum ſe Venetorum Reipublicæ Arcem, cui præerat, immani propugnaculorum mole munitam, ſi univerſa ſuppellex, & reliqua, quæ militaria non erant, in ipſa Arce ſibi concederentur, idemque ipſe cum univerſa prole ſua in Patriciorum Venetorum cenſu conſcriberetur. Quæ cùm facilè obtinuiſſet ab iis, quos longæ obſidionis tœdium ceperat, Hieronymus Venetias profectus, in bono ocio conſenuit, atque in hunc diem inter Patricios prolem propagavit ſuam.



Digitized by Google

Scripſit Codicem rudi ſtylo, inſcriptum

I. Commentariolum rerum à Ludovico Sfortia geſtarum, uſque ad annum MCCCCIC. quod ſervat MS. inter ſua Documenta Battalea domus Trivilii.
De eo præclaram mentionem facit Petrus Bembus Cardinalis in Veneta Hiſtoria, & Carolus Antonius Cameronus in Hiſtoria B. V. Mariæ lachrymarum Trivilii cap. VI. pag. 29. *Mediolani, per Joſeph Richinum Malateſtam*, 1721. in 12.
Hæc de eo debemus doctiſſimo, amiciſſimoque Viro Canonico Hieronymo Barizaldo Triviliati.

## MDCCCCCXIV.

## BELLAGATTA ANGELUS ANTONIUS.

Dominicum Bellagattam Mediolanenſem Typographum non infimæ notæ, atque Antoniam Applanam conjuges Angelus Antonius nunc celebrandus parentes habuit. Ortus eſt in hac Urbe die IX. menſis Maji anno Salutis humanæ MDCCIV. Minoribus vacavit ſtudiis in majori Mediolanenſi Clericorum Seminario, tum Phyſicam percepit, atque in Ticinenſi Archigymnaſio Medicinæ Laureâ fuit honeſtatus. In medendi Arte diſcipulus fuit celeberrimi Bartholomæi Curtii, erga quem gratiſſimum ſemper animum ſervavit, ut oſtendunt encomia, quibus illum identidem proſequitur in ferè omnibus infra promendis Operibus. Circa annum MDCCXXXIII. Aronam evocatus, ut ibi ægros juvaret, novennio in ipſo clariſſimo Oppido conſedit, bonis ſemper ſtudiis intentus. Tandem die II. menſis Februarii MDCCXLII. appoplexi tactus occubuit, cum ſexto ante menſe Clericalem habitum, quem ante depoſuerat, induiſſet.

Scripſit Opera, quibus titulus:

I. Due Lettere Filoſofiche intorno alla Catarrale Influenza ſeguita in queſt' anno MDCCXXX. univerſalmente per tutta l'Europa, e per altre parti del Mondo, nelle quali in una ſi eſaminano alcune Opinioni, nell'altra ſi eſpone il proprio parere, ſcritte ad un Amico. Dicatæ ſunt Clariſs. Viro Joſepho Antonio Saxio Ambroſianæ Bibliothecæ Præfecto. *Milano, preſſo gli Eredi di Domenico Bellagatta*, 1730. in 4.
II. Le Diſavventure della Medicina cagionate da' pregiudizj della falſa emulazione, dalla moltiplicità de' ſiſtemi, e dagli errori degl' idioti; Con un Ragguaglio di Parnaſſo intorno alle medeſime. Trattenimento Fiſico di Antonio Bellagatta Dottore di Filoſofia, e Medicina: Al Sig. Marcheſe Girolamo Pozzobonelli. *In Milano, nella Stampa degli Eredi di Domenico Bellagatta*, 1733. in 8.
III. Trattenimento Fiſico ſopra l'Ignea apparenza, oſſervataſi nella notte ſeguente al giorno XVI. dello ſcorſo Dicembre MDCCXXXVII. *Milano, per Giuſeppe Maganza*, 1738. in 4. Hoc Opuſculum illatum fuit à Clariſs. P. Angelo Calogierà in Collectionem ſuam, cui titulus „ Raccolta d'Opuſcoli Scientifici, e Filologici „ Tomo XVII. pag. 121.
IV. Ragguaglio dell'operato dal ſempre prodigioſo S. Franceſco di Paola a XXVIII. Marzo MDCCXXXV. nell' Inſigne Borgo d'Arona nella perſona del Canonico Antonio Fantoni. *Milano, per il Malateſta*, 1735 in 4.
V. Dialoghi di Fiſica Animaſtica Moderna, Speculativa, Meccanica Eſperimentale, contenenti l'Idea della generazione del Corpo organico; la Creazione, Immaterialità, Immortalità dell'Anima; la forma de' Bruti, il Meccaniſmo de' Moti, e delle Senſazioni. Il Siſtema de' Sentimenti interni, e potenze inorganiche intellettuali, e libero arbitrio conciliabile con la Divina previſione, e dominio ſupremo di Dio nel cuore degli Uomini, e carattere della predeſtinazione: Opera poſtuma di Antonio Bellagatta Dottore di Filoſofia, e Medicina. MS. in fol. apud Auctoris fratrem.
Ita à Suis.

A

B

C

D

E

## MDCCCCCXV.

## BENDONUS ANTONIUS.

Antonius Bendonus ex Franciſco Feliciano, & Martha Flaminia Carcaſſola conjugibus ortus eſt Aronæ ad Lacum Verbanum; nam dum magnanimus Comes Vitalianus Borromæus in Inſula ſupradicti Lacus, cui nomen Iſella, ſive, ut vulgo dicitur, *Iſolabella*, ad extruendas magnificentiſſimas, & penè regias Ædes, incolarum domos magno emptas pretio demoliebatur, Franciſcus Felicianus Bendonus tanto Viro gratam rem facturus, Aronam lares tranſtulit. Ibi Antonium genuit, qui Juriſprudentiæ laude, inter primarios ſui ſeculi cauſarum patronos in Foro Mediolanenſi habitus eſt. Seriem autem genealogicam Familiæ Bendonæ nobis oſtendit amiciſſimus, doctiſſimuſque Sitonus ductam à Nazario florente anno MCCCCXX., uſque ad Cæſarem J. C. Advocatum, & Regium Senatorem Mediolani, quem Antonius cum Maria Veronica Cattanea Caccia uxore genuit. Vir magni nominis ob juſtitiam, & ſingularem Legum peritiem è vivis ſublatus eſt Cæſar anno MDCCXXXVI. Noſter verò diem clauſit extremam in hac Metropoli anno à partu Virgineo MDCLXXXVI.

Hæc ſuperſunt de ipſo:

I. Conſiliorum, & Juris Allegationum volumina plura in fol. partim edita, partim inedita, & magnifacienda. Extant apud Antonium Bendonum Auctoris ex filio Nepotem.
II. Genealogia della nobiliſſima, ed antichiſſima Famiglia Omodea, con la Genealogia di quelle Famiglie più illuſtri, con quali per ragione di Matrimonj ſi è apparentata. Sine loco, anno, & Typographo in fol. Extat in Biblioth. Monachorum S. Ambroſii Mediol.
Agit de ipſo Clariſs. Cotta in Addendis ad ſuum Novarienſe Muſæum pag 123. MS in fol. apud J. C. Franciſcum Honuphrium Auctoris filium; necnon laudatus Sitonus in ſuo Theatro Genealogico MS. in fol. pag. 70. apud eundem.

## MDCCCCCXVI.

## BENEDICTA.

Benedicta Virgo Deo ſacra in jam ſuperiùs ſæpe laudato Parthenone Sanctæ Marthæ hujus Metropolis floruiſſe videtur poſt medium Seculi XVI. cùm Vitam ſcripſerit B. Veronicæ de Nigronibus, vulgò *de Binaſco* appellatæ, Conſodalis ſuæ, quæ paulò ante ad Superos evolaverat, ut ſuo loco dicemus. Cognomen Benedictæ delevit oblivio, quemadmodum reliqua ipſius acta; neque tamen à Mediolanenſium Scriptorum Catalogo expungi debet, cum

Litteris commendaverit Italico ſermone:

I. Vitam præfatæ B. Veronicæ ipſâ revelante, tribus voluminibus contentam. Ubi ſervetur hoc Opus ignoramus, commendatur tamen ab Iſidoro Iſolano in Vita ipſius B. Veronicæ, ex quo multa ſe hauſiſſe memorat.
Laudatur etiam à Philippo Elſſio in Encomiaſtico Auguſtiniano, & à Clariſs. Abbate Fuſio in ſuis Addendis ad Athenæum Picinelli.

MDCCCCCXVII.

Digitized by Google

## MDCCCCXVII.

## BERETTA GASPAR.

GAſpar Beretta Mediolanenſis, Dominici, & Annæ jugalium filius plurimùm ſibi Litterariam Rempublicam demeruit, cùm ex conjuge ſua Joanna Perez Hiſpana ſuſceptum filium Joannem Gaſparem Ordinis S. Benedicti Virum ſumma præditum eruditione, jam loco ſuo à nobis commendatum, iterumque in Addendis laudandum, genuerit, & ad optima ſtudia proclivem ſuaptè natura educandum curaverit. At verò ipſe quoque in hanc eruditam ſcenam prodire debet ob doctrinam ſuam, &, quæ conſcripſit Opera mox recenſenda, cùm Acta illius pro more noſtro fuerint recitata. Juvenili adhuc ætate Statoris Majoris officium geſſit, mox ob militaris Architecturæ peritiem Tormentariis præfici meruit, pluribuſque interfuit obſidionibus Arcium præcipuarum. Viam per Montium juga ad Finarium Oppidum ſtravit, ubi hæc poſita eſt Inſcriptio ad poſteritatis memoriam:

MDCLXVI. NEL MESE DI MAGGIO
STRADA BERETTA
FATTASI SOTTO GLI AVSPICII DELL' ECCELLENTISSIMO
SIG. DON LVIGI PONCE DI LEON
GOVERNATORE E CAPITAN GENERALE
DELLO STATO DI MILANO.

Multorum Principum Aulas Legatus adiit, omniumque ſibi amorem conciliavit, donec anno MDCCIII. mortalibus valedixit. Jacet conditus in Templo Sancti Caroli hujus Urbis apud Excalceatos Carmelitas, impoſitâ tumulo marmoreâ Tabulâ, in qua hæc leguntur:

COMES GASPAR BERETTA
QVI NVNQVAM PRO REGE AC PATRIA QVIEVIT
HIC HOMINEM SE PROBANS QVIESCIT
AB ANNO MDCXL. ALAE DVCIS STATORIS MAIORIS
MAGISTRI CASTRORVM MACHINIS MILITARIBVS EXTRVENDIS
AC BELLICAE ARCHITECTONICAE SOLERTIS PRAEFECTI
SVCCESSIVO MVNERE FVNCTVS
TREDECIM EXPVGNATIONI OCTO ARCIVM PROPVGNATIONI
VINCVLIS ET VVLNERIBVS TESTANTIBVS INTERFVIT
STVPENTE ARTE VIAM COGNOMENTO BERETTAM
QVA CAESAREA MAIESTAS INCEDERET CVRRV
AD FINARIVM STRAVIT DOMITO APENINO
ALTER ANNIBAL
AD SABAVDIAE MANTVAE GENVAE AVLAS
AD HELVETIOS RHAETOS VALESIANOS BVRGVNDOS
NEAPOLIM MELITAM MATRITVM MISSVS
EVROPAE PRINCIPES RAPVIT CVM ADIRET
VLTIMO STRENVITATIS ARGVMENTO
HOSTIVM OCCVPAVIT AMOREM
EX IOANNA PEREZ CONIVGE PIISSIMA
DVODECIM SVSCEPTIS LIBERIS
IMITATOREM SVVM VNVM RELIQVIT
COMITEM D. IOSEPH BERETTAM
DVOS ADVERSO MARTE PEDEMONTANO PRAEMISIT
SECVTVS SVPERSTITE OMNIVM GLORIA
ANNO DOMINI MDCCIII.

Scripſit:

I. Servicios del Conde y Maeſtre de Campo Beretta, con breve noticia de ſuceſſos empezando deſde el año MDCXXXIX. haſta el de MDCCII. *En Milan, el miſmo año, en folio.*

In hoc Opere non tantùm recenſuit geſta ſua, ſed conſcripſit Compendium rerum omnium, quæ illo tempore in Italia acciderunt. Hoc idem Opus Italica lingua exaravit, ac typis dedit ſine Impreſſoris nomine, in fol.

II. Relazione generale della Viſita, e conſegna della Fabrica del Caſtello di Milano fatta da Franceſco Maria Ricchino, e Capitano Gaſpare Beretta; *ſenza Loco, nè Stampatore*, 1652. in fol. juſtæ molis.

Continet exactiſſimam deſcriptionem non Arcis ſolum, ejuſque Ædificiorum, ſed & modum propugnacula reparandi, & ampliandi, ſicut etiam de ipſius defenſione agit. Multa quoque habentur de Tormentis bellicis, & ipſorum apparatu, additis pluribus ad ejus ætatis res pertinentibus, quæ omnia ſatis oſtendunt quantùm Stacticam calleret.

III. Inſtruzione, e parere per fortificare Pizzighettone, e renderlo una Fortezza ineſpugnabile. MS. in fol. cum

Digitized by Google

cum variis delineationibus. Ext. apud ejus hæredes.

IV. Parere per formare un Ponte ſopra l'Adda preſſo Caſſano, con due Fortini alli due capi dello ſteſſo. MS. in fol. Ibid.

V. Opuſcula plura incompoſita ad militarem Architecturam ſpectantia, è quibus multa confici poſſent Volumina. MSS. Ibid.

Ipſius meminere Galeatius Gualdus in Relatione Status Mediolani parte II. pagg. 223. 225. & 226. Ghilinus in Annalib. Alexandrinis ad annos MDCLVI., & MDCLVII. Franciſcus Maria Pirogallus in Deſcript. Obſidionis, & Propugnationis Papiæ anno MDCLV. pagg. 47. & ſeqq., & demum amiciſſimus, idemque doctiſſimus Sitonus noſter tum in Schedis, quàm in Theatro ſuo Genealogico MS. pag. 60.

## MDCCCCXVII.

## BERTARELLUS ALPHONSUS.

TAm pauca de Alphonſo Bertarello Mediolanenſi, & inclytæ Societatis Jeſu Presbytero mihi ſubminiſtrarunt Sui, ut quaſi pudor ſit de Viro, forſan à memetipſo in ſuis Concionibus tradendis audito in Templo S. Fidelis, ita breviter loqui. Innuam ſaltem, præterquamquod Rhetoricam docuit pluribus annis in Domo probationis Suorum Mediolani, mortem poſtmodum obiiſſe in altera profeſſa S. Fidelis die X. Februarii anni MDCCXXXIV. Aliud excerpere de ipſo mihi conceſſum non fuit, nullis licet precibus poſtpoſitis.

Scripſit:

I. Sacrarum Lectionum duplex Volumen. Extant in Domo ſupradicta probationis S. Hieronymi Mediol.

II. Poëmata plura tam Italica, quàm Latina. Extare aſſeruntur apud Suos in Domo S. Fidelis, quæ tamen nos non vidimus. Teſtimonium eorundem interim habemus in Carmine Italico ſic inſcripto „ Canzone „ di Franceſco de Lemene in lode di Carlo di Lorena per l'eſpugnazione di Buda. „ Hoc in Latinum vertit Bertarellus ſub nomine Felicis Perelli, & legitur inter Opera de Lemene Tom. I. pag. 41. *Mediolani edita* 1693. *in* 4.

## MDCCCCXIX.

## BESUTIUS ALPHONSUS.

ALphonſum Beſutium anno Salutis humanæ MDCXIX. Mediolani ortum Alphonſus, & Anna Maria Terzaga nobiles conjuges, quibus parentibus prodiit, ad regenerationis lavacrum Hieronymum appellarunt. Hanc verò nuncupationem ipſe abjecit, cùm anno MDCXXXIV. Clericorum Regularium Teatinorum Congregationi nomen dedit, aſſumpto Patris vocabulo. Emiſsâ die IX. Martii poſt biennium ſolemni profeſſione, Philoſophiæ in patria ſedulò vacavit ſub Petro Marcheſio Siculo ejuſdem Congregationis Viro doctiſſimo, de quo in Bibliotheca ſua meminit Mongitorius. Theologiam percepit Venetiis, docente Joſepho Maria Mirabilia Mediolanenſi, quem ſuo laudavimus loco; tantis Inſtitutoribus ſic profecit, ut Philoſophiam Mutinæ, Theologiam verò Florentiæ, & Romæ docuerit. Sacras etiam conciones frequenter habuit, cùmque anno MDCLX. Collegio Suorum S. Antonii in hac Urbe præſideret, Faticoſorum Academiæ condendæ plurimùm laboris impendit. Obiit piiſſimus Vir circa annum Chriſti Redemptoris MDCLXX.

Superſunt ejus:

I. Curſus Philoſophicus. MS. extat Romæ in Biblioth. S. Andreæ apud Suos.

II. De Sacra Doctrina. MS. Ibid.

III. In Logicam Commentaria. MS. in fol. extat in Biblioth. Suorum Placentiæ.

Hæc nobis ſuggeſſit P. D. Cajetanus Crucejus ejuſdem Congregationis, mihique humaniſſimus.

## MDCCCCXX.

## BESUTIUS JOANNES.

NEfas eſſet præterire hoc loco memoriam Joannis Beſutii Baſilicæ Metropolitanæ Mediolanenſis Canonici, ut vocant, Ordinarii, qui floruit Seculo XIV. Jungendus enim eſt cum ceteris eximii illius Cœtus optimis Viris, qui Eccleſiæ ſuæ honorem, Deique O. M. cultum zelantes Statutorum ipſius Conditores fuere. Quis fuerit ſupremus illi annus, quibus parentibus editus, & reliqua geſtorum ejus fruſtra à nobis Lector expectat.

Laudatur ob

I. Statuta Eccleſiæ Metropolitanæ Mediol. anno alibi laudatis ab ipſo condita, atque die XX. menſis Aprilis, anno MCCCLXXIV. promulgata. MS. in fol. in Bibliotheca Archintea.

## MDCCCCXXI.

## BIFFUS JOSEPH.

PArentibus Carolo Biffo, atque Cœcilia Figina conjugibus primam vidit Mediolani lucem Joſeph, quem politioris litteraturæ ſtudiis excultum, clariorem effecit tam Cæſarei, quàm Pontificii Juris laurea. Cùm verò Clericali militiæ fuiſſet adſcriptus, Sacræ Theologiæ Magiſter meruit renunciari, tum Presbyterii honore auctus, Protonotarii Apoſtolici dignitatem obtinuit. Gratiſſimus fuit Comiti Giberto Borromæo, poſtmodum Cardinali, atque Epiſcopo Novarienſi, cui tunc Bononiæ Vicelegato à Secretis extitit. Totus erat Joſeph noſter in colligendis undique Codicibus, potiſſimum verò MSS. ad res ſacras, atque profanas Mediolani pertinentibus, litteraſque amavit plurimùm. Florente adhuc ætate, dum plura meditaretur ſcribere, terris raptus eſt die V. Januarii anno MDCCVI. tumulatus apud Majores ſuos in Templo S. Antonii Clericorum Regularium hujus Urbis.

Hæc poſt ſe reliquit:

I. Origine, progreſſi, e ſtato delle Chieſe, Monaſteri &c. della Città di Milano. Agit tantùm de his, quæ poſita ſunt in ambitu Portarum Orientalis, & Romanæ, cum morte præventus de aliis ſcribere non potuerit, quam ad rem jam collegerat. MS. in fol.

II. Selva di materie ſpettanti alle Chieſe &c. poſte nelle altre Porte di Milano. MS. in fol.

III. Tractatus de Penſionibus in Cauſis beneficialibus. MS. in 4.

IV. Tractatus brevis de Judiciis. MS. in 4.

V. Tariffe della Dataria Romana ſotto il Pontificato di Aleſſandro VIII. MS in 4.

VI. Annotazioni varie Miſcellanee. Hæc V. Opuſcula uno Volumine in 4, dum Romæ degebat, ſcripto. Extat, cum ſupradictis, in Biblioth. PP. Soc. Jeſu S. Fidelis Mediol. ubi etiam ſunt alii duo Cod. MSS. ejuſdem Auctoris à nobis jam indicati, ſed copioſioribus ſequentibus titulis „ Milano ricercato nel ſuo ſito, overo „ ſpeditiſſimo rapporto delle Parochie di Milano, „ con tutte le Chieſe Collegiate, Monaſterj, Oratorj, Confraternite, Luoghi Pii &c. con la loro Origine, Etimologia, Reedificazioni, Architettura, Pitture, Sculture, Iſcrizioni &c. diviſo „ in ſei libri. „ MS. in fol. ſed adhuc mancus.

VII.

Digitized by Google

VII. Joſephi Biffi J. U. D. Antiquitatum Mediolanenſium Adverſaria, ſeu Repertorium. MS. in fol. magnæ molis. Extat ibid.

VIII. Epigramma ad Clariſs. Joannem de Sitonis JC. Mediol. in laudem Chronici ipſius de Collegio J. PP. Mediol. impreſſum cum ipſo Opere in principio.

Laudatur ab eodem doctiſſimo Sitono in Schedis, & in Theatro ſuo Genealog. MS. pag. 210.

## MDCCCCXXII.

## BIZOZERUS PAGANINUS.

ALter ex his, qui ad condenda Statuta Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis medio Seculo XIV. incubuerunt, Paganinus Bizozerus fuit, qui ex Stephano, & Johanna de Coliate conjugibus ortus, anno Chriſti MCCCLXXIV. inter Canonicos ſupradictæ Eccleſiæ Metropolitanæ adnumerabatur. Clariſſimus Vir Chriſtianus Lünig in ſuo Codice Italiæ Diplomatico Tom. I. pagg. 2437. & ſeqq. retulit Inſtrumentum Matrimoniale Joannis Galeacii Vicecomitis, Virtutum Comitis, Mediolani Ducis, & Imperialis Vicarii, cum Catharina Barnabovis Vicecomitis filia, ſub die II Octobris MCCCLXXX. acti, in quo teſtes fuerunt Paganinus noſter de Bizozero, unà cum Philippolo item de Bizozero, pariter Canonico Ordinario Eccleſiæ Metropolitanæ. Floruit etiam anno MCCCCXIV. Paganus alter Bizozerus Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ S. Theclæ, ut eruitur ex ænea ſacra Tabella Pacis eodem anno confecta, quæ adſervatur inter Cimelia Sacrarii Meridionalis præfatæ Metropolitanæ Eccleſiæ, cujus litteras lubet hîc tranſcribere in antiquitatis venerationem, ut etiam nomina aliorum Canonicorum ipſius Eccleſiæ Sanctæ Theclæ, ſolo æquatæ anno MDXLIX. in ea prolata, ne pereant:

*Hæc in honore Dei, Sanctæ quoque nomine Teglæ*
*De Sacriſtiæ ſumptu tam pulchra Tabella*
*Pacis facta fuit, cum tunc reſideret in ejus*
*Eccleſia Dominus* Marchus *Vir nobilis, atque*
*Præpoſitus ſiquidem venerabilis atque benignus*
*Sic* de Toſcanis *præclara ſtirpe vocatus.*
*Canonici Domini reſidentes ecce* Paganus
*Sic* de Beſozero: Stephanus *cognomine dictus*
De Medicis: Beltramus de *ſtirpe* Ciſate:
Antonius Seraphin *ſic* de Gallarate: Johannes
De Medicis: Paulus de Lera *jam ordine ſacro*
*Presbyteri: demum* de Groſſis *ipſe* Zanonus.
*Mille quatercentum decimo, currenteque quarto,*
*Menſeque Septembris. Fabrili doctus in arte*
*Hanc Beltraminus de Zutis namque peregit.*

Quæ ſpectant ad Auctorem noſtrum è vivis ereptum anno MCCCCXXVI. hæc ſunt;

Videlicet:

I. Statuta Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis à Paganino de Bizozero Canonico Ordinario ejuſdem Eccleſiæ, & Subdiacono cum Collegis aliis condita, annoque MCCCLXXVII. die XX. Aprilis promulgata. MS. in fol in Bibliotheca Archintea.

Quod proferimus de hoc Bizozero, & de altero Pagano, ejuſdem cognominis nuncupato, debemus amiciſſimo Advocato Sitono, qui Genealogiam iſtius Familiæ nobis perhumaniter oſtendit à Conrado florente anno MCCC. uſque ad Antonium Paganini noſtri fratrem, & Mediolani Decurionem anno MCCCCXLIX.



## MDCCCCXXIII.

## BIZOZERUS PHILIPPOLUS.

PAganini Bizozeri mox ſupra à nobis laudati coævus extitit Philippolus, & ipſe Canonicus Ordinarius, & Diaconus Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis anno MCCCLXXIV., qui ad Præpoſituram Collegiatæ Sanctæ Mariæ Fulcorinæ jam tranſlatus fuerat anno MCCCCVI. Reſtaurator, ſive Conditor extitit cum aliis jam à nobis alibi prolatis, Statutorum Eccleſiæ ſupradictæ Mediolanenſis Metropolitanæ. Annus verò, quo è vivis abierit, nos latet.

Laudatur igitur ob

I. Statuta Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis, quæ publicata fuerunt anno MCCCLXXVII. die XX. Aprilis. MS. in fol. in Bibliotheca Archintea.

De eo agit Clariſs. atque amiciſſimus Sitonus noſter in Monumentis genealogicis Familiæ Bizozeræ pag. 6, & 7. MS. in fol. penès Auctorem.

## MDCCCCXXIV.

## De BONITATIBUS JOANNES BONUS.

JOannes Bonus de Bonitatibus inter Mediolanenſes Scriptores meritò eſt cenſendus, cùm ut ipſe diſertè teſtatur in Opere promendo numero VIII. in quodam hujus Ducatus Oppido (cujus nomen reticet) lucem viderit anno MDCXXXII. patre Calabro, qui Medicinam profeſſus, huc ægros juvandi cauſa lares tranſtulerat. In ſalutari lavacro dictus eſt Franciſcus, quod nomen retinuit, cum ad Congregationem Miſſionis tranſiit, illud verò depoſuit eo tempore, quo ad Monachos Montis Oliveti acceſſit. Vir fuit non Theologicis tantùm ſtudiis, ſed Medicis, Aſtronomicis, & Mathematicis doctrinis imbutus, ut ipſius oſtendunt Opera. Extremam clauſit diem in Monaſterio Præcipiani, anno Chriſtianæ Salutis MDCCXVI. annum agens LXXXIV. Quæ fuerit illius ingenii eruditio teſtantur Scripta ejus, quæ Belfortius aſſerit ſe in Bibliothecam S. Victoris Mediolani Superiorum juſſu intuliſſe, quamvis nulla enumeret, uno dempto libro de Aſtronomia. Nos omnia diligentiſſimè inſpecta Lectoribus titulo tenus exhibemus nunc primùm

Scilicet:

I. Deciſiones quorundam Caſuum Conſcientiæ. MS. in fol. ſcriptus anno MDCCX. circa errores in Theologia ortos poſt annum MDCLXXIX.
II. Opuſcula Medica. MS in 4.
III. De quibuſdam operationibus Trigonometricis, & Aſtronomicis. MS. in 4.
IV. Aſtronomia Expurgata, & ad mentem antiquorum redacta, cum objectionibus Chriſtoredi Pecchii, & reſponſionibus. MS. in 4. Tom. V. ab ipſo Auctore ultimis ſuæ vitæ annis reviſa, atque aucta.
V. Opus Geomantiæ completum. MS. in 4.
VI. Trattato completo d'Algebra. MS. in fol.
VII. Dottrina faciliſſima per far Lunarii. MS.
VIII. Orazioni varie al Signore noſtro Gesù Criſto, ſcritte negli ultimi giorni di ſua vita, in cui è deſcritta una gran parte della medeſima. MS. in 4.

Omnes in Bibliotheca Sancti Victoris Mediolani.

Ex ipſius Operibus, & à Suis, quemadmodum etiam à jam citato Belforti in Chronologia brevi Congregat. Montis Oliveti pag. 144.

## MDCCCCXXV.

### BONOCULUS JOANNES BAPTISTA.

JOannes Baptiſta Bonoculus in Oppido Ripaltæ Ditionis Mediolanenſis lucem hauſit, cùmque ex majoribus proceſſiſſet, qui annos ferme trecentos Geometriæ operam dederant, eam facultatem & ipſe amplecti decrevit, ut diſertè teſtatur in Epiſtola nuncupatoria Operis numero I laudandi. Quis ei fuerit annus poſtremus nemo facilè docebit, cùm incaſſum à nobis quæſitus ſit. Floruit circa medium Seculi XVII.

Scripſit hæc quæ ſequuntur:

I. Breve, ed univerſale riſoluzione d'Aritmetica, con la quale facilmente ognuno potrà ritrovare qualſivoglia ſorte di miſura di terra all'uſo dello Stato di Milano, ed in ogni parte dove ſi va a pertica, di Gio: Battiſta Bonocchio Agrimenſore, ed Abachiſta di Rivolta. *In Lodi, appreſſo Paolo Bertocetti*, 1617. *in fol.* Eam dicavit Hieronymo Caſtillionæo.

II. Modo di miſurare Fieno, Muro, Aſſe, Legni, Biade, Vino &c. Hoc Opus paratum habebat, ut eruitur ex Epiſtola ejuſdem ad Lectorem in Opere ſupra relato, ſic „ Accettate queſta qualſiſia mia fatica, che „ piacendo a noſtro Signore, ſpero di mandare in „ luce altr'Opera, qual ſarà, che ognuno potrà mi„ ſurare Fieno, Muro, Aſſe, Legni, Biade, Vino, „ ſenza far conto alcuno, coſa che forſi vi parerà „ impoſſibile.

## MDCCCCXXVI.

### BOSSIUS HIERONYMUS alter.

HIeronymus Boſſius Annibalis filius Mediolani natus, paternam ſecutus artem Tabellionis publici munere functus eſt in patria, & adhuc inter vivos degebat hujus Seculi initio, cùm infra memorandum Opus in publicam lucem prodiit. Elucet in eo non mediocris labor in perquirendis Familiæ Siccæ Monumentis tam editis, quàm manuſcriptis, unde in Auctorem eruditionis laus refunditur. Non deſunt tamen, qui ſuſpicentur Boſſium hunc nihil aliud in illud contuliſſe, quàm nudum nomen, ſimulque contendunt hunc librum verè compoſuiſſe Marchionem Alexandrum Emmanuelem Siccum de Aragonia, cui Nuncupatoria data eſt; vivunt enim præclari & omni exceptione majores Teſtes, qui Sicco ad eam rem multa ſe ſuppeditaſſe confirmant. At cùm noſtrum non ſit litem hanc dirimere, cùmque fieri potuerit, ut Siccus plurima quidem collegerit; Boſſius verò in ordinem, ſeriemque digeſſerit, ex ipſo libri titulo, qui Boſſium eundem tamquam Auctorem præfert, ipſum poſteris tradimus.

Sic inſcribitur:

I. Compendio, o ſii Genealogia dell' origine, antichità, e dignità dell'Illuſtriſſima Caſa Secca, cavata da diverſi Iſtorici, da Scritture autentiche, e da Privilegj de Principi, per il Sig. Gerolamo Boſſi: Dedicato all' Illuſtriſſimo Signor Don Aleſſandro Emmanuele Secco d'Arragona. *In Milano, nella Stampa di Giuſeppe Pandolfo Malateſta*, 1708. *in 4.*

## MDCCCCXXVII.

### BOSSIUS JACOBUS.

JAcobus Boſſius Mediolanenſis, Joannis filius, ſic ab ineunte ætate tam bonis ſtudiis, quàm Religionis miniſteriis ſe addixit, ut relatus inter Clericos, atque Sacerdotio initiatus, ad Præpoſituram Baſilicæ Scalenſis, poſt Joannem de Caſate fuerit aſſumptus anno Salutis noſtræ MCCCCV. Quàm diligenter inſigni huic Ducali Eccleſiæ præfuerit, ſupervacaneum erit Lectores monere; ſatis enim Viri ingenium, atque virtutes demonſtrant, non pietatis minus, quàm prudentiæ laude commendabilia Statuta ab eo condita pro bono Capituli regimine. Id munus, petentibus Collegis ſuis obivit, quorum etiam ſtudium & opera Præſuli ſuo non defuit, ut ad optatum finem ea tandem perduceretur provincia. Horum juvat hîc nomina recenſere, ut, quantùm in nobis eſt, illa ab omni temporis injuriâ vindicemus. Fuerunt igitur DD. Joannes de Cribellis, Dionyſius de Seregnio, Chriſtophorus de Petraſancta, Franzius de Moronibus, Petrus de Salimbenis, Donatus de Faſſis, Joannes de Mirabiliis, Joanninus de Pelizariis, Georgius de Reſtis, & Petrus de Caſſano Magnago omnes præfatæ Eccleſiæ Præbendati. In lucem ea Statuta prodierunt, & in mores deducta ſunt, anno Redemptionis humanæ MCCCCXII. die XXVII. menſis Januarii. Supervixit diu tam præclaro facinori Jacobus noſter, ad annum videlicet MCCCCXXXVII. diemque XV. menſis Maji, quo vivere deſiit, ſuccedente ſibi in Scalenſis Præpoſituræ dignitate Marco Benzono, quemadmodum hauſimus ex Serie Præpoſitorum prælaudatæ Eccleſiæ deducta à Joanne de Littis, qui primus omnium ejuſdem Baſilicæ primatum tenuit anno MCCCLXXXV. uſque ad Marchionem, & Abbatem Scipionem Alexandrum Olivatium nunc ſedentem, Virum numeris omnibus commendabilem, quam nobis communicavit humaniſſimus JC. Sitonus noſter.

Condidit igitur Jacobus Codicem, cui titulus:

I. Mores, Conſuetudines, Ordinationes, Conſtitutiones, & Statuta Eccleſiæ Beatæ Mariæ de la Scala Mediolani ſub die Mercurii XXVII. menſis Januarii anno MCCCCXII., Indictione V. *Mediol ſine anno, & Typograpbo, in fol.*

Ejuſdem autem Scriptoris meminit Stephanus Dulcinus ipſius Eccleſiæ Canonicus in Necrologio MS. in pergameno, quod in Archivo Scalenſi aſſervatur; ac præcit. Sitonus in Schedis.

## MDCCCCXXVIII.

### BOSSIUS JOANNES ANTONIUS.

JOannis Antonii Boſſii Mediolanenſis memoriam nemo, quod ſciamus, poſteris ſervavit. Illum tantùm novimus ex mox recenſendo ipſius Opere, in quod incidimus paucos hos ante dies. Floruit, ut videtur, Seculo XVI. jam ad finem vergente. Poëſim Etruſcam enixè coluit, nec ſpernenda reliquit ingenii monumenta. Ipſius Acta feliciori Collectori ſors reſervat.

En libri titulum:

I. Rime Spirituali del Sig. Gio. Antonio Boſſi, Gentiluomo Milaneſe ſopra tutte le Feſte dell'anno. *Milano, per Leonardo Ponzio*, 1589. *in 4.*

MDCCCCXXIX.

Digitized by Google

## MDCCCCXXIX.

## BOSSIUS MARCUS ANTONIUS.

ÆGidius Boſſius Junior J. C. C. ac unus ex LX. Decurionibus Mediolanenſibus Marcum Antonium genuit, qui & ipſe Collegio Nobilium Juriſconſultorum patriæ adſcriptus fuit anno reparatæ Salutis MDCIV. In Civitate Laudenſi onus Regii Fiſci Patroni ſumma cum laude præſtitit; deinde in Provincia Seprii Juſtitiæ Vicarius, & poſtea Variſii Prætor eligitur. Annum ejus mortis ignoramus; Vitam verò eum produxiſſe uſque ad medietatem circiter Seculi XVII. ab Oratione funebri, quam Cremonæ habuit, infra recenſenda, facilè agnoſcitur.

Damus de ipſo:

I. Carmina plura Italica: extant in libro, cui titulus „ Componimenti di diverſi per il Dottoramento nel„ le Leggi di Gianfranceſco Serbelloni. *Pavia*, 1599. *in* 12.

II. Orationem Funebrem poſt obitum Petri Cardinalis Camporei, in Cremonenſi Cathedrali ab ipſo dicta, anno MDCXLIII.

III. Vota Fiſcalia pluribus Tomis comprehenſa. Ext. apud Suos.

Ex Cartharii Syllabo Advoc. Sac. Conſiſtor. edit. Rom. pag. 19., & ex Clariſs. Sitono in Chron. Colleg. J. PP. Mediol. art. 172. pag. 187.

## MDCCCCXXX.

## De BROSSANO FRANCISCOLUS.

QUicumque Franciſcolum de Broſſano Mediolanenſem ſatis laudare voluerit, facilè quod expetit aſſequi poterit, ubi Lectores doceat, ipſum generum extitiſſe, atque hæredem Franciſci Petrarchæ Poëtarum Italorum facilè principis. Parum certè de ipſo habemus, ſed tantum ſufficit in ſuæ eruditionis teſtimonium proferre commercium litterarium, quod noſter habuit cum Colucio Salutato, atque Joanne Boccaccio duobus Reipublicæ Litterariæ magnis luminaribus. In Epiſtola ejuſdem Colucii ſcripta ad inſignis facundiæ Virum Magiſtrum Benvenutum de Imola, memoratur Franciſcolus noſter, utpote, qui pollicitus fuit ſe tranſmiſſurum Africæ Poëma Petrarchæ ad Boccaccium. Legitur ſupradicta Epiſtola in Vol. II. Epiſtolarum Colucii, editionis Florentinæ, ut infra, & ab Editorum Notis eruitur, eundem Franciſcolum ſequentem Inſcriptionem ponendam curaviſſe marmoreo inſigni Sepulcro celeberrimi Petrarchæ: attamen integram ipſi Editores minimè dederunt, immo priores III. Verſus, quos Petrarcha ſibi fecit, & inſcribendos voluit ſupra Tumulum ipſius, omiſerunt.

FRIGIDA FRANCISCI LAPIS HIC TEGIT OSSA PETRARCÆ
SVSCIPE, VIRGO PARENS, ANIMAM: SATE VIRGINE, PARCE;
FESSAQVE IAM TERRIS, CÆLI REQVIESCAT IN ARCE.

VIRO INSIGNI
F. P. LAVREATO
FRANCISCOLVS DE BROSSANO
MEDIOLANENSIS GENER
INDIVIDVA CONVERSATIONE
AMORE PROPINQVITATE ET SVCCESSIONE
MEMORIA
MORITVR ANNO DOMINI MCCCLXXIV.
DIE XVIII. IVLII.

Franciſcam igitur Petrarchæ filiam Franciſcus, ſeu Franciſcolus noſter in uxorem habuit, & de ipſa agit fuſiùs Clariſs. Saxius noſter in ſua Hiſtoria Typographica ad annum MCCCCXCIV. col. CCCLXXVIII. Unus noſter fuit ex Academicis, de quibus jam egimus in Antoniolo Reſta Art. MCCCCXXIV. ideoque jure merito ei tribuenda eſt Oratio, de qua infra num. III. At cùm Franciſcus Petrarcha viam univerſæ carnis ingreſſus fuerit die XVIII. menſis Julii anno MCCCLXXIV. Franciſcolum noſtrum vitam produxiſſe ad finem Seculi XIV. aut forſan uſque ad initium ſubſequentis, facilè conjicitur.

Hæc ipſius habentur:

I. Epiſtolæ plures ad Colucium Salutatum, ut eruitur ex hujus reſponſionibus in editione Florentina *Typis Joannis Baptiſtæ Bruſcali, & Sociorum*, 1741. *in* 8. parte II., quarum prima eſt ad pag. 44. num. VI. In ea Colucius fratrem, & amicum cariſſimum Franciſcolum vocat, promittit eidem Carmen in honorem Petrarchæ jam defuncti; nunciat mortem Joannis Boccaccii, quem ſummis extollit laudibus; orat ut Poëma Africæ ipſius Petrarchæ ad ſe tranſmittat; etenim Broſſanus illud tranſcribi curaverat, ut ad prædictum Boccaccium mitteret.
Altera eſt ad pag. 79. num. XVII. Gaudet in ea de Litteris à Broſſano perceptis, unà cum ſupra laudato Poëmate Africæ, quod avidè ſe legiſſe teſtatur.

II. Aliæ ad Joannem Boccaccium, cui pollicitus fuerat, miſſurum ſe ad eundem ſæpè memoratum Poëma Africæ, & inter cetera mihi contigit videre ſequentem, quæ ſic prætitulatur „ Epiſtola D. Joannis Boccaccii de Cer„ taldo de Florentia Vatis celeberrimi ad Franciſco„ lum generum D. Franciſci Petrarchæ Poëtæ con„ ſpicui ſuper ejuſdem morte complorativa, & lau„ dativa „. Incipit: „ Flebilem Epiſtolam tuam „ prid. Kal. Novembris amatiſſime frater ſuſcepi &c. Sic explicit: „ Et vale longum dulciſſime frater. „ Scribendi finis, Certaldi III. Nonas Novembris, „ & ut ſatis vides feſtinanter dicere non poſſum. „ Tres ferè dies totos, paucis interpoſitis horis, ad „ reſtaurandas parumper feſſi corporis vires, in ſcri„ bendo hanc brevem Epiſtolam conſumpſi Tuus „ Joannes Boccaccius ſi quid eſt. „ Extat in MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſign S. num. 81. in fol pagg. 6.

III. Oratio de Nuptiis Leonardi Clarentiæ Ducis, & Violantæ Vicecomitis habita juſſu Franciſci Petrarchæ in Academia Linterni, de qua diximus, ut ſupra, in Antoniolo Reſta.

Meminit quoque idem Colucius Broſſani in Epiſtola III. pag. 32. atque in aliis, necnon ſupradictus Saxius loco citato.

## MDCCCCXXXI.

## BURATTUS BONAVENTURA.

ETſi Bonaventura Burattus Mediolanenſis ſummopere celebratus ſit à Clariſs. Franchino in ſua Bibliographia Minorum Conventualium S. Franciſci, uti in Sacra Theologia peritiſſimus Doctor, attamen ipſius aliud non habemus, præter librum infra recenſendum, qui apud Grammaticos multum in pretio fuit habitus Seculo XVII. Variſii litteras humaniores docuit in Suorum Conventu, ſed annus, quo è vivis exceſſerit, nos latet.

En titulus libri ſupradicti

I. Faciliſſima Grammatica, che contiene il fondamento di tutti i ſuoi principj, con nuovo ordine, e facilità ſpiegati. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1608. *in* 8.

Videndi ſunt ſupradictus Franchinus pag. 118. & Picinellus in Athenæo pag. 92.

MDCCCCXXXII.

Digitized by Google

# C

## MDCCCCXXXII.

### CAEPOLLA BALTHASSAR.

PArente Joanne Jacobo lucem vidit Mediolani Balthaſſar Cæpolla, Vir litteris & pietate venerabilis, qui minoribus Eccleſiaſticis muneribus ſub Sanctiſſimo Antiſtite Carolo Borromæo functus, excepit tandem Canonicatum inter Ordinarios, ut vocant, Metropolitanæ Baſilicæ anno MDLXXXV. Ejus virtutem plurimi ſemper fecit laudatiſſimus Cardinalis Fridericus Borromæus hujus Metropolis Archipræſul, adeò ut graviſſimas paſtoralis ſollicitudinis curas levaturus, eas identidem cum Balthaſſare communicaret. Inter alia hujuſce generis egregia munera illud numeratur, quòd ipſi dederit in mandatis, ut Baſilicam Modoëtienſem, & in ea recondita Cœlitum cum Chriſto regnantium lipſana luſtraret. Hoc perfecit Cæpolla diligentiſſimè, conditis etiam pro ſibi demandata poteſtate ſapientiſſimis legibus, quæ adhuc extant, ut infra memorabimus. Extremus illi fuit annus MDCVII. dolente bonorum omnium cœtu, & Friderico præcipuè tanti Viri jacturam.

Superſunt:

I. Acta Viſitationis Baſilicæ S. Joannis Modoëtiæ, annis MDXCVI., & MDXCVII. MS. in fol. Ext. in Tabulario Archiepiſcopali Mediolani.
Meminerunt ipſius Juſtus Fontaninius in Differt. de Corona Ferrea ſub initium Cap. XI. Theodorus Trivultius in ſerie Canonicor. Ordinar. Metropol. Mediol. & Sitonus in Schedis.

## MDCCCCXXXIII.

### CAMBIAGUS JACOBUS.

CHriſtophorus Cambiagus, de quo egimus in Articulo CCCLXXIII. col. 265., filium habuit Jacobum ex conjuge Suſanna Bernadigia. Antequam verò de eodem Jacobo verba faciamus, juvat hîc addere, quod nobis perhumaniter iterum communicavit laudatiſſimus, atque amiciſſimus Sitonus, his notis: „ Adſunt literæ Franciſci Sfortiæ Vicecomitis Ducis Mediolani, ex quibus Chriſtophoro de Cambiago, ipſius Ducali Cancellario, conceditur facultas, ut poſſit tradere Inſtrumenta ubique locorum Dominii Ducalis, ac ſi eſſet deſcriptus in Matricula Notariorum Collegiorum diverſorum. Dat. Mediolani die XVIII. Februarii anno MCDLVII. Præfatus etiam Chriſtophorus de Cambiago rogatus extitit de Teſtamento nuncupativo condito per Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. D. Galeatium Mariam Sfortiam Vicecomitem Mediolani Ducem Quintum &c. filium quondam Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi D. D. Franciſci Sfortiæ &c. item Mediolani Ducis &c. ac celebrato in Camera cubiculari præfati Illuſtriſſimi D. D. Ducis ſita in loco Caſſini extra, & prope Caſtrum Portæ Jovis Mediolani, ſub die Dominico, tertio menſis Novembris anno MCCCCLXXI. Indictione quinta „ quod quidem Teſtamentum extat penès eundem Cl. Advocatum Sitonum de Scotia. Sors interim mihi præ manibus obtulit Orationem Jacobi noſtri infra recenſendam, ex qua eum agnovimus Præceptorem habuiſſe in Rhetorica Cl. Petrum de la Manna Cremonenſem. Vidi quoque aliud Opus iſtius Jacobi ſub titulo, quem damus num. II. Sed penès Virum patricium, qui mihi vetuit omnino, variis de cauſis, nomen ſuum proferre in hac mea Bibliotheca. Certè Codex eſt magnifaciendus, utpote qui res paucis notas contineat, & ſcitu digniſſimas per decennium à Jacobo noſtro diligentiſſimè ſcriptas. Ex Stemmate Genealogico incipiente à Chriſtophoro Cambiago ſeniore, qui claruit anno MCCCCXVI. uſque ad Michaëlem, regium & ipſum à Secretis Magiſtratus Redditiuum Ordinariorum Mediolani florentem anno MDXLIII. diſcimus, Michaëlem ipſum fuiſſe filium Jacobi, de quo nunc loquimur, & Luciæ de Caſtro Sancti-petri conjugum.

Damus igitur libenter de ipſius Jacobi

I. Orationem in principio Rhetoricæ ſub Petro de la Manna Cremonenſi Præceptore. Incipit: „ Quamquam unus „ minimè ſim &c. „ Extat in Cod. MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſignat. S. num. 21. in 4.
II. Jura Magiſtratus Ordinarii Status Mediolani, necnon Acta ejuſdem perdiligenter ſcripta à Jacobo de Cambiago Ducali à Secretis ejuſdem Magiſtratus, ab anno MCCCCXCII. ad MDXII. MS. in fol. magnæ molis, qui videtur Autographus, & manu aliena, ſed ejuſdem ferme ætatis, variis in locis in margine poſtillatus. Extat, ut ſupra diximus, apud Virum Patricium Mediolanenſem.
Plura debemus ſæpè laudato Clariſs. Sitono.

## MDCCCCXXXIV.

### CAMERONUS CAROLUS ANTONIUS.

CArolus Antonius Cameronus, Patricius Caſtri Trivilii Diœceſis Mediolani, in gravi ætate conſtitutus ſcripſit, & edidit Hiſtoriam celebris Sanctuarii B. Virginis Mariæ Lachrymarum, ſiti in Eccleſia S. Auguſtini Sanctimonialium Auguſtinenſis Ordinis Obſervantium in Caſtro Trivilii ab anno MDXXII. ad annum MDCCXXI.

Cui titulus:

I. Iſtoria della Vergine delle Lagrime di Trevi. *In Milano, per Giuſeppe Ricbino Malateſta Stampatore Regio Camerale.* 1721. in 12.

## MDCCCCXXXV.

### De CARAVAGIO THOMAS.

THomas de Caravagio ex Ordine Carmelitarum Congregationis Mantuanæ, ut Vir puriſſimis moribus præditus, Collegii Bononienſis Doctor celeberrimus, necnon Theologus præclarus laudatur à Suis, quorum conſenſu, atque ſingulari approbatione electus fuit in Vicarium generalem anno Chriſti MCCCCLXXI. Plura ſcripſit, quæ ætas conſumpſit, aut in ſcriniis deliteſcunt adhuc.

Superſunt tantùm

I. Statuta utiliſſima pro Regulari diſciplina, quibus B. Archangelam de Girlanis de Tridino inſtruxit, eamque à Parmenſi Monialium Conventu ad fundandum & dirigendum Mantuæ Monaſterium traduxit, in quo

Digitized by Google

quo, ope eorundem Statutorum, clauſtralis perfectio ſummopere floruit.

Ita Felina pag. 14. qui Auctorem noſtrum duobus etiam Carminibus latinis celebrat. Laudatur quoque ab amiciſſimo Irico noſtro in Hiſtoria ſua Tridinenſi.

## MDCCCCXXXVI.

## CAPRA BARTHOLOMÆUS alter.

Tertium nunc Capræ Familiæ germen Bartholomæum proferimus, Franciſco, atque Julia Marliana parentibus Mediolani genitum. Bononiæ, poſt Legalium ſtudiorum labores, laurea donatus, anno MDCXLV. moram in Urbe trahens Innocentii X. Cubicularius honorarius fuit, & à celebri Collegio Juriſconſultorum Mediolanenſium, unà cum Carolo Septala, & Benedicto Cittadino ad Sacri Conſiſtorii vacantem Advocationem nominatus, mox ab eodem Pontifice ad illud munus evehitur. Die XXI. Maji MDCLIII. B. Alexandri Saulii, Epiſcopi Alerienſis primùm, tum Papienſis, virtutes æternitate dignas in publico Conſiſtorio eleganter patefecit. Romanum Cœlum ſibi adverſans ſæpè expertus, pluries in Patriam rediit; Medicorum demum conſilio, amicorumque ſuaſu Urbem deſeruit, ejuſdem Innocentii munificentiâ Archipresbyteratu Mediolani, in locum Septalæ, ad Derthonenſem Infulam promoti, cohoneſtatus, & Signaturæ Referendariatu (dimiſsâ prius Conſiſtoriali Advocatione) eodem recurrente anno MDCLIII. auctus. Anno poſtmodum MDCLXI. ab Alexandro VII. Pont. Max. die IX. Auguſti ad Cathedram Bobienſem evocatus, traditum ſibi gregem optimè rexit ad annum uſque MDCXCIII. quo deceſſit in Patria.

Celebratur eximiæ eruditionis nomine, atque poſt ſe reliquit

I. Orationem in publico Conſiſtorio habitam de virtutibus Alexandri Saulii ſupra laudati, quæ edita legitur in Actis ejus Beatificationis.

II. Conſultationes plures MSS. in Archivo molis Æliæ ſervatas.

Meminerunt ejuſdem Cartharius in Syllabo Advocat. Sacri Conſiſtorii pag. 278. edit. Rom. Ferdinandus Ughell. in Italia Sacra Tom. IV. in Bobienſ. num. XLI. Clariſs. Abbas Fuſius in Addend. MSS. ad Athenæum Picinelli, atque doctiſs. Sitonus tam in Chron. Coll. J. PP. art. 927. pag. 213. quàm in Schedis.

## MDCCCCXXXVII.

## CASTILLIONÆUS FABRICIUS.

Fabricius Caſtillionæus Mediolanenſis Alexandri J. C. C. & Catharinæ Benaliæ conjugum filius, florebat adhuc anno MDCCXXVI., ut nos monuit Clariſs. Sitonus, qui nobis etiam dedit gentilitium ejus Stemma à Francio Caſtillionæo Armorum Ductore anno MCCCXVIII. incipiens, cujus pronepos extitit Gulielmus Vir doctiſſimus, Decretorum Doctor, & in Pariſienſi Gymnaſio publicus Profeſſor; cujus ne pereat memoria, etſi ſcripta illius minimè extent, Inſcriptionem tamen marmoream, quæ ſupereſt in Eccleſia Divi Marci hujus Urbis, hîc dare ſtatuimus:

D. O. M.

GVLIELMO CASTILLIONAEO PRESBYTERO

ARTIVM MAGISTRO DECRETORVMQVE DOCTORI

BAIOCENSIS ECCLESIAE ARCHIDIACONO

ET IN PARISIENSI GYMNASIO PVBLICE PROFITENTI

LEONARDO FRATRI SINGVLARI VIRO

ABAVO

MARCO ILLVSTRI DOCTORI COLLEGIATO

VALLIS LVGANAE PRAEFECTO

AVO

PETRO PAVLO INTEGERRIMO VIRO

PATRI

MARCVS FABRICIVS PIETATIS MEMOR

POSVIT.

Sed ad Fabricium redeamus, qui & ipſe non tantum Juris Pontificii, atque Cæſarei, ſed etiam Theologiæ Doctor inſignis extitit. Primùm Societatem Jeſu amplexus eſt; deinde Præpoſitus Sanctæ Mariæ Fulcorinæ hujus Urbis, erat anno MDCCIII. Poſtea verò aliam Præpoſituram obtinuit, ſcilicet Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Victoris in Oppido Variſii. Annus tamen, quo è vivis abiit, nobis incompertus eſt.

Hæc ejuſdem habentur:

I. Orazione in lode di Giacomo Antonio Moriggia Veſcovo di Pavia di Fabrizio Caſtillione Teologo, e Prepoſto di S. Maria Falcorina. *Milano, preſſo l'Agnelli*, 1703. *in* 4.



II. Oratio in laudem Cardinalis Joſephi Archinti. *Mediolani, apud Agnellum*, 1711. *in* 4.

Videndus Advocatus Sitonus in Chron. J. PP. art. 231. & 968 pagg. 56. & 219., necnon in ſuo Theatro Genealogico pag. 139.

## MDCCCCXXXVIII.

## à CASTROBESUTIO BALTHASSAR.

Balthaſſar à Caſtrobeſutio parentes habuit Octavianum Phyſicum Collegiatum, & Lauram Scottam conjuges Mediolanenſes. Inter J. PP. Collegii hujus Urbis adſcriptus fuit anno MDCV. dein Judex extitit ad Signum Galli anno MDCXXVI. mox

Vicarius Proviſionum, ut vocant, anno MDCXXX-VIII, & unus ex Conſervatoribus Patrimonii iſtius Civitatis, deceſſitque anno Chriſti MDCLIV.

Habemus de ipſo:

I. Probationes Nobilitatis, & Deſcendentiæ Familiarum Caſtrobeſutiæ, Scottæ, Beſutiæ, & Boſſiæ, ex quibus deſcendit Petrus Antonius Caſtrobeſutius petens cooptari in Ordinem Equitum S Stephani die VI. Septembris, anno MDCX. MS. in fol. juſtæ molis, extat penès Clariſs. Advocatum Sitonum.

II. Carmen Latinum. Extat in Libro, cui titulus: „ Lo „ Armidoro Poema di Giovanni Soranzo al Conte „ Franceſco d'Adda. *Milano*, 1611. *in* 4.

III. Aliud ſatis longum, & elegans legitur inter Poëmata varia collecta in laudem Card. Federici Borromæi partim edita, partim MSS. Cod. ſignat. N. num. 47. in Bibliotheca Ambroſiana.

Memoratur à prædicto Clariſs. Sitono in Chron. Colleg. J. PP. art. 787. pag. 189.

## MDCCCCXXXIX.

## CATTANEUS CAROLUS JOSEPH.

CArolus Joſeph Cattaneus Sacri Romani Imperii Baro à Mandlberg, Juris Utriuſque Doctor eximius in Foro Mediolanenſi, filius Joannis S R. I. Baronis, & Archiducalis Conſiliarii Aulici in regimine Provinciarum Superioris Auſtriæ, necnon Annæ Mariæ Crottæ nobilium Mediolanenſium conjugum; natus Mediolani ſub die vigeſima ſecunda Decembris, anno MDCLI, inter doctos Juris Conſultos locum obtinuit in hac Metropoli, & nomen ſuum cum laude tam Romæ, quàm alibi immortalitati donavit. Obiit die vigeſima ſeptima Julii, anno MDCCXX.

Scripſit:

I. Ampliſſimum Summarium Legalium Reſolutionum Volumen ingentis molis MS. in folio, præter triginta quinque variarum juris Allegationum per ipſum Auctorem collectarum, & digeſtarum Volumina in fol. Extant penès Baronem Joannem Cattaneum Urbanæ Mediol. Militiæ Ducem, Auctoriſque filium.

II. Conſilium Juridicum ſatis eruditum, de non alienandis bonis Eccleſiæ; *ſine anno*, *& Typographo*, *in fol* pagg. 80. Ext. in Collectione ſæpe laudata Co. & Quæſtoris Ludovici Archinti.

De eodem Barone Carolo Joſepho Cattaneo J U. Doctore extat ampla mentio in Monumentis Genealogicis Equeſtris Familiæ Nobilium de Cattaneis S.R.I. Baronum à Mandlberg editis per Advocatum Joannem de Sitonis de Scotia pag 20. ad 22., *impreſſ. an.* 1738. *in folio*, *penès Malateſtam*.

## MDCCCCXL.

## CATTANEUS GEORGIUS.

GEorgius Cattaneus, mox laudati Caroli Joſephi frater, diem vidit primam XXIV. menſis Martii, anno Chriſtiano MDCLXI. Claruit J. U. Doctor, ac S. T. Magiſter, Canonicuſque Ordinarius in Eccleſia Metropolitana hujus Urbis creatus die XXIX. Decembris, anno MDCXCIV. Pluribus muneribus ſummâ cum laude perfunctus, ſcilicet Examinatoris Synodalis, Conviſitatoris Archiepiſcopalis, Sanctimonialium in Diœceſi Mediolanenſi exiſtentium Vicarii, necnon Congregationum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, S crorumque Rituum, & Seminarii hujus Metropolis Præfecti, tandem à Clemente XI. Summo Pontifice Eccleſiæ Viglevanenſis Epiſcopus, ac Pontificio Solio Aſſiſtens renunciatur die II. Martii, anno MDCCXI. Eccleſiâ ſibi creditâ optimè adminiſtratâ diem clauſit extremam anno Orbis redempti MDCCXXX. menſe Novembri, ſepultuſque fuit in ſuo Cathedrali Templo, ubi adeſt nobile Monumentum albo ex marmore, unà cum inſigniis gentilitiis, & Epiſcopalibus, in Sacello videlicet Divi Caroli, in pariete à cornu Evangelii litteris ſequentibus:

D. O. M

GEORGIO CATTANEO SACRI ROMANI IMPERII BARONI
FEVDATARIO MANDLBERG
NOBILITATE PIETATE DOCTRINA PRAESTANTISSIMO
CAROLO VI. ROMANORVM IMPERATORE PROMOVENTE
CLEMENTE XI. PONTIFICE MAXIMO APPROBANTE
EX CANONICATV ORDINARIO MEDIOLANENSIS ECCLESIAE
AD EPISCOPATVM VIGLEVANENSEM EVECTO
OB POPVLORVM SALVTEM VERBO ET EXEMPLO DILIGENTISSIME PROCVRATAM
ECCLESIAM SIBI COMMISSAM ARDVIS TEMPORIBVS STRENVE ADMINISTRATAM
INGENTIBVS APVD DEVM ET HOMINES MERITIS CVMVLATISSIMO
PATRVO BENEMERENTI
IOHANNES ET GEORGIVS BARONES CATTANEI
MOESTISSIMI NEPOTES P. P.
OBIIT SEPTIMO IDVS NOVEMBRIS ANNI MDCCXXX.
AETATIS SVAE LXX. PONTIFICATVS SVI XVIIII.

Ejus

Digitized by Google

Ejus Opera ſunt ;

I. Oratio Panegyrica, cui titulus : „ Il Gran Santo „ nell' occaſioni d'eſſer gran Peccatore, Panegirico „ recitato in lode di S. Carlo Borromeo nella Metropolitana di Milano alli IV. Novembre MDCXC. „ da Giorgio Cattaneo Barone del S. R. I., Oblato „ de SS. Ambrogio, e Carlo, Dottore di S. Teologia, e Lettore ordinario de' Caſi di Coſcienza nel „ Seminario della Canonica. Dedicato all' Eminentiſs. e Reverendiſs. Signor Cardinale Federico Viſconti Arciveſcovo di Milano. *Milano, preſſo l'Agnelli*, 1690. *in* 4.

II. Tractatus de Juſtitia. MS. in 4.

III. Tractatus de Virtutibus Theologicis. MS. in 4.

IV. Tractatus de Præceptis Decalogi. MS. in 4.

V. Tractatus de Contractibus. MS. in 4.

VI. Tractatus de Legibus. MS. in 4.

VII. Decreta condita in Viſitatione trium Vallium Helveticarum peractâ per Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Baronem Georgium Cattaneum Canonicum Ordinarium Metropolitanæ, uti Delegatum ab Emo D. S. R. E. Cardinali Archiepiſcopo Joſeph Archinto de anno MDCCVIII. in folio MSS.

VIII. Epiſtola Paſtoralis Georgii Cattanei Epiſcopi Viglevanenſis, & Aſſiſtentis Solio Pontificio, ad Clerum & Populum Viglevanenſem de anno MDCCXII. *Mediolani, per Fratres Sirturos, in fol.*

IX. Decreta condita in Epiſcopali Viſitatione Eccleſiarum Civitatis, & Diœceſis Viglevanenſis perſonaliter peracta, MS. in folio; extant in Archivo Epiſcopali Viglevanenſi.

Opera porrò ſuperiùs ſignata II. III. IV. V. VI VII. extant penès Baronem Joannem Cattaneum Urbanæ Militiæ Mediol. Ducem, Auctoriſque ex fratre Nepotem.

Eidem librum ſuum de Theologia in compendium redacta nuncupavit Pater Cyrillus à Sancta Maria Carmelita Excalceatus, olim in Seculo Sant' Archangelus Crippa. *Cremonæ, penès Petrum Ricbini*, 1720. *in* 4. ſuo loco commendatus.

De eodem latè meminerunt Ferdinandi Ughelli Continuatores in Italia Sacra Tom IV. pag. 826 num. XIX. editionis Venetæ, & Advocatus Joannes de Sitonis de Scotia in Monumentis Genealogicis Equeſtris Familiæ Nobilium de Cattaneis S. R. I. Baronum à Mandlberg pag. 22. & 24. impreſs. an. 1738. *in fol. penès Malateſtam*.

## MDCCCCXLI.

## CAZOLA PHILIPPUS.

Reliquis egregiis Viris, quorum prudentiæ Municipalis ſui Juris augmentum, atque reformationem debet Inſubrum Metropolis, addendus eſt Philippus Cazola. Hic enim juſſu Luchini Vicecomitis Mediolanenſium Principis, unà cum aliis Collegis ſparſim in hoc Opere commendatis, corrigendis Patriæ legibus plurimùm inſudavit, quas poſtmodum anno MCCCLI. in mores deduci imperavit Joannes Vicecomes Mediolanenſium Archipræſul, & Princeps. Quæ reliqua ſunt ad Philippi noſtri acta pertinentia, divinanda poſteris relinquimus; ſufficit enim nobis hæc reperiſſe.

Laudatur igitur ob

I. Leges Municipales Mediolanenſium reformatas, ut ſupra.

De eo Corius ad prædictum annum, & ex eo Sitonus noſter in Schedis.

## MDCCCCXLII.

## CISNUSCULUS JOSEPH.

Joſeph Ciſnuſculus Modoëtienſis, Dionyſii filius, Vir fuit de Patria ſua benemeritus, nam plura diligenter collegit ad Modoëtiæ res pertinentia, atque in ordinem digeſta poſteritati ſervavit. Hæc plurimi habenda eſſe demonſtrat Juſtus Fontaninius infra citandus, qui ea profert ſub nomine Adverſariorum MSS. Joſephi Ciſnuſculi. Monuit tamen nos humaniſſimus Sitonus noſter, hoc loco indigitari Acta Legationis Oratorum Populi Modoëtienſis ad Carolum V. Imperatorem, tunc cùm Bononiam miſſi ſunt, ut Auguſto Ferream deferrent Coronam, anno MDXXX. Quandoquidem verò hujuſce Legationis mentio incidit, & de Ciſnuſcula gente agimus, non ab re ducimus meminiſſe etiam Ludovici Ciſnuſculi Modoëtienſis, qui unà cum Bartholomæo fratre unus fuit ex ſupradictis Legatis ad Carolum V. Cæſ., & de cujus piiſſima munificentia extat Elogium ipſi poſitum in Atrio Hoſpitalis S. Gerardi Modoëtiæ; in hæc verba:

LVDOVICVS CERNVSCVLVS
SVMMA PIETATE PRAEDITVS
PRIMVS DIVI GERARDI PATRIMONIVM
SVIS OPIBVS AVXIT
SEXAGENARIVS MORTALITATEM EXVIT
IMMORTALITATE DONATVS
ANNO POST PARTAM ORBI SALVTEM MDXXXIV.

Joſeph autem celebratur ob

I. Acta Legationis ſuperiùs enunciata. MS. in fol. Quorum meminit Juſtus Fontaninius in Diſſert. de Corona Ferrea Cap. VIII. pag. 66. circa medium, atque laudatus Sitonus in Schedis.

## MDCCCCXLIII.

## De CLERICIS CAROLUS FRANCISCUS.

Georgius de Clericis plurium Oppidorum in Mediolanenſi Ditione Dynaſta, Inſubriæ Senatus Præſes, & Cæſareus Conſiliarius, atque Catharina Pallavicina nobiles conjuges, Caroli Franciſci nunc laudandi parentes fuerunt. Natus hic eſt Mediolani Prid. Kal. Maji anno Chriſtianæ Æræ MDCLXXII. optimiſque imbutus artibus, inter Cubicularios honorarios Caroli II. Hiſpaniarum Regis meritò eſt recenſitus. Locum etiam obtinuit, ſpectatæ probitatis, aliarumque virtutum gratiâ, inter Quæſtores, qui brevioris Togæ nuncupantur, Magiſtratus Ordinariorum Redituum, quemadmodum etiam in excelſo Conſilio Status Mediolani. Neque verò inter publica negotia litterarum oblitus à ſcribendo abſtinuit, quemadmodum indicat Opus, de quo infra agemus. Deſideratus eſt III. Kal. Aprilis MDCCXXII., atque jacet in majorum Tumulo apud Minores, quos Reformatos dicimus, in Templo S Mariæ, cui cognomen *il Giardino*; ubi hæc etiam poſita eſt Georgio illius Patri Inſcriptio:

VETV-

Digitized by Google

VETVSTVM FAMILIAE SVAE SEPVLCRVM
MARCHIO DON GEORGIVS DE CLERICIS
EXCELLENTISSIMI SENATVS PRAESES
INTIMVS SACR. CAES. CATH. MAIESTATIS
CONSILIARIVS STATVS
SIBI SVISQVE
MORIENS RESTAVRARI IVSSIT
AN. DOM. MDCCXXXVI.
MARCHIO DON ANTONIVS GEORGIVS
EX MAGNATIBVS HISPANIARVM
EX SEXAGINTA DECVRIONIBVS MEDIOL.
EX PRAEPOSITIS SACRO CAESAREO CVBICVLO
EX FILIO PRONEPOS
ET HAERES EX TESTAMENTO
F. C.

Supereſt Auctoris noſtri

I. Hiſtoria rerum in Inſubribus geſtarum ab obitu Caroli II. Auſtriaci Hiſpaniarum Regis uſque ad initium imperii Caroli VI. Auſtriaci Cæſaris MS. in fol. extat penès Marchionem Don Antonium Georgium de Clericis, ejus ex filio Nepotem.
E ſchedis Sitonianis.

## MDCCCCXLIV.

## De CONCORETIO ARDITIO.

ARditionem de Concoretio poſteritatis memoriâ digniſſimum judicabit quiſquis noverit quantum B ſuſpiciendi ſint Viri, quorum ſtudio vetuſtatis monumenta debemus. Is Modoëtienſis extitit, & Tabellionatus exercuit officium in Patria circa annum Chriſti MCCCXXIV cùmque per ea tempora, ut Eruditis compertum eſt, inteſtinis bellis arderet Inſubria, & hoſtilibus armis Modoëtia ipſa impeteretur, è republica duxit Arditio omnem obſidionis ſeriem conſcribere. Dolemus ſanè hujuſcemodi Lucubrationem periiſſe; attamen uſus eſt ipſa celeberrimus hiſtoricus Bernardinus Corius loco mox citando. Reliqua Arditionis Acta nemo protulit.

Æternâ tamen laude clarebit propter

I. Hiſtoriam Obſidionis Oppidi Modoëtiæ anno MCCCXXIV. MS. C
Citatur à præfato Corio ad ipſum annum.

## MDCCCCXLV.

## De CONCORETIO GABRIEL.

GAbrielem de Concoretio Mediolanenſem inſalutatum certiſſimè reliquiſſem, niſi Eminentiſſimus non purpura ſolum, ſed etiam doctrina Angelus Maria Quirinus Brixienſis Epiſcopus, & S. R. Eccleſiæ Cardinalis, Apoſtolicus Bibliothecarius, ejuſdem Epiſtolarum ad Franciſcum Barbarum meminiſſet in Diatriba præliminari ad ipſius Barbari Litteras,

A quarum editionem Eruditi omnes avidiſſimè expectant. Gabriel igitur cùm Mediolani natus eſſet, quemadmodum ipſe diſertè teſtatur, cùm Tyrannidis Sfortiadum, ut verbis ipſius utamur, pertæſus viveret, Patriæ valedicere ſtatuit, Brixiam ſe conferens. Ibi Veronenſi quadam fœmina in uxorem ducta, liberos ſex genuit, utque ſibi victum compararet Ludi-magiſtrum diu egit. Anno MCCCCLII. primam ad Barbarum dedit Epiſtolam, in qua ſatis oſtendit miſerrimam ſe vitam ducere inter bellicas perturbationes tunc Brixianam Urbem agitantes. Pœnitet inſuper, ſe non obtemperaſſe eidem Barbaro, qui pridem ipſi ſuaſerat ne Brixiæ lares figeret. Amiciſſimus fuit Evangeliſtæ Manelmo, atque Zachariæ Barbari Franciſco filio, quibus hortantibus ad eum has ſe Litteras dediſſe aſſerit; cum Zacharias Brixiam veniens nunciaſſet Concoretio ſibi mandatum à Patre fuiſſe, ut illi ſuiſque quidquid præſidii poſſet afferret. In altera Epiſtola queritur de Brixianis quod nedum mercedem ſibi eripuiſſent; ſed etiam illum detrudere pararent. Tandem in poſtrema meminit alterius Epiſtolæ pro libertate ad Franciſcum datæ, quam rurſus cum à ſe poſtularet Barbarus, ſe excuſat quòd Autographum miſerit, nec exemplum retinuerit. Quàm acceptus foret Gabriel Barbaro, indicant hujus Litteræ ad Ludovicum Fuſcarenum Brixiæ Prætorem in commendationem Concoretii; ubi inter alia hæc ſcribit: „ Cole igitur amicitiam „ ejus, qui in ſtudiis humanitatis, & doctrinæ ſic „ excellit, ut bonis, & doctis hominibus ornamen„ to, & adjumento eſſe poſſit. Ego quoque ſuaſi C „ cùm iſtic eſſem, augendum ejus ſalarium eſſe, ut „ qui periculoſiſſimo tempore patriam defenderat „ iſtis bonis artibus, & diſciplinis, dignus videre„ tur victoriâ, & libertate. Quantum profecerit, „ aliorum ſit ſtudium. Ego autem mihi perſuadeo, „ nec curam, nec diligentiam ſuam defuiſſe, ut in„ genia Brixianorum ad magnæ fortunæ cultum ex„ citarentur, „ Hac commendatione plurimum Gabrieli profuit Barbarus, ut patet ex reſponſione Fuſcareni, ubi ait ſe vidiſſe jam, audiviſſe, & complexum fuiſſe Gabrielem, viſumque ſibi eſſe jucundiſſimum, & doctrinâ optimè litteratum. Boni conſulant Lectores pauca hæc de Erudito Viro à nobis indicata potiùs quàm relata; uberiora enim fruſtra quæſivimus.

Me-

Digitized by Google

Memorantur illius ſupradicta

I. Epiſtolæ latinæ ad Franciſcum Barbarum, quas in Vaticano Codice ſe reperiſſe ait jam laudatus Eminentiſſimus Quirinus in Diatriba Præliminari ſupra citata §. V. pag. 97.

## MDCCCCXLVI.

## CONFALONERIUS HIERONYMUS.

Hieronymus Confalonerius anno MDLX. Mediolani natus, parentibus Hectore, atque Iſabella Ferraria, humanioribus litteris dedit operam in Collegio Taëgiorum, mox Divino afflatus Spiritu die XXI. menſis Septembris, anno reparatæ Salutis MDLXXXIX. Regularibus Clericis, vulgò Teatinis nuncupatis, voluit adnumerari, emiſsâ in hac Urbe apud S. Antonium profeſſione ſolemni. Non abſque ingenii laude Philoſophico, Theologicoque curſu conſummato, divini Verbi prædicationi ſe totum dedit, cujus etiam dicendi vim S. Andreas Avellinus admodum probare conſueverat. Genuæ præſertim ea charitatis Opera exercuit, quæ Inſtituto ſuo ſunt peculiaria; eaque fuſiùs dinumerat Silos loco infra citando. In eadem etiam Urbe Apoſtolicis laboribus finem impoſuit, migrans ad Dominum penè octogenarius die XXX. menſis Octobris, anno poſt Chriſtum natum MDCXLIX. Corpus illius, ob ſanctitatis famam, arcâ plumbeâ incluſum, etiamnum religioſè aſſervatur. Multò plura olim ejus Opera ad proximorum præſertim ſalutem pertinentia in Bibliotheca Suorum Collegii S. Syri ſervabantur integra. Nunc aliqua interierunt.

Superſunt tamen, quæ ſequuntur:

I. Memoria di alcuni PP. Cherici Regolari di gran virtù.
II. Trattato dell' amor di Dio.
III. Apparecchio a ben morire.
IV. Metodo di confeſſarſi per chi ſi confeſſa ſpeſſo.
V. Iſtruzione de' Novizj.
VI. Iſtruzione per lo Maeſtro de' Novizj. Tom. III.
VII. Prediche. Tomi III.
VIII. Varj Trattati Spirituali.

Extant omnia MSS in Bibliotheca PP. Teatinorum S. Antonii Mediolani.

Meminerunt ipſius citatus Silos III. parte hiſtor. lib. XI. pag 480. Jacobus Sottani Cler. Regul. in Hiſt. MS Domus S Syri Genuæ, quam nuper abſolvit Innocentius Raff Savonarola ejuſdem Congreg. Quædam etiam debemus P. D. Cajetano Crucejo Mediolanenſi Viro ornatiſſimo, ejuſdem Congregationis.

## MDCCCCXLVII.

## CONFALONERIUS VALERIUS.

Valerium Confalonerium Joannes Petrus, atque Angela item Confaloneria Mediolanenſes conjuges in hac Urbe genuerunt. Aliis litterariis ornamentis, quibus egregiè à teneris annis vacavit, Juriſprudentiam adjecit, laureâque donatus, anno MDLXXXVIII in Collegium Juriſconſultorum meruit cooptari. Poſt Patriæ Propræturam, ejuſdem Præfectus extitit anno MDCXII. mox quadriennio jus dixit ad Signum Galli. Anno demum MDCXVIII Regii Ducaliſque Senatoris munere decoratus eſt, & Prætorios Cremonæ faſces adminiſtravit. Cùm jam ſexageſimum ætatis ſuæ annum exceſſiſſet, anno MDCXXV. naturæ debitum perſolvit. Jacet corpus ejus ante Aram Deiparæ ſub titulo Roſarii in Parochiali Eccleſia S. Ambroſii Burgi Carate, ubi ei poſitum eſt ſequens Elogium albo marmori inciſum:



D. O. M.
VALERIO CONFALONERIO
I. C. C. VRBIS PRAEFECTO
SANCTAE INQVISITIONIS
CONSVLTORI INTEGERRIMO
VIRO
NOBILITATIS DOCRINAE PROBITATIS
SINGVLARIS IN PATRIAM CHARITATIS
AEQVITATIS IN OMNES
EXIMIO
QVI PRIDEM MAGNIS CAVSARVM
PATROCINIIS
TVM PRÆTVRIS PVBLICISQVE MVNERIBVS
SOLIS MERITORVM GRADIBVS
AD SENATORIAM DIGNITATEM ASCENDIT
SVPREMO MAGISTRATVI
FACTVRVS EXEMPLVM
SEXAGENARIO MAIOR ABIIT E VIVIS
NVNQVAM ABITVRVS
EX ANIMIS
EXTREMVM GLORIAE VICTVRVS
MARCO ANTONIO I. C. COLLEGIATO
MAGNIS ANIMI DOTIBVS SENATORI FRATRI
NON IMPAR
AEQVANDVS HONORIBVS
NISI ADVERSA VALETVDO
A PVBLICIS NEGOTIIS
AD PRIVATI RVRIS OTIA
TRANSTVLISSET
PETRVS PAVLVS I. C. COLLEGIATVS
ANNONAE PRAEFECTVRA
ALIISQVE PVBLICIS MVNERIBVS
ET HONORIBVS SAEPE FVNCTVS
PETRO QVOQVE ANTONIO
CARISSIMIS FRATRIBVS
MOERENS POSVIT
ANNO SALVTIS NOSTRAE MDCLIX.

Scripſit:

I. Allegationes VII. præſtantiſſimas circa materiam Fideicommiſſariam; quas ſe vidiſſe teſtatur in Schedis ſuis P. Don Gaſpar Beretta inter alias Collectionis Solivettæ.
II. Aliæ plures Allegationes habentur in Collectionibus Archintea, aliorumque J. PP. Mediolanenſium.
III. Conſilium Juridico-hiſtoricum de Aſylis tam Eccleſiaſticis, quàm Secularibus. *Mediol. ſine Typographi nomine*, 1591. *in fol.*

De eo humaniſſimus JC. Sitonus noſter in Chronico J. PP. pag. 169. art. 691., & Ariſius in ſerie Prætorum Cremonæ pag. 53.

## MDCCCCXLVIII.

### CONTURBIUS JOANNES JACOBUS.

FAmilia Conturbia Mediolanenſis plures protulit Viros inſignes, Chriſtophorum videlicet, qui ab anno MDXC. ad MDCXXX. non ſine nominis celebritate inter Cauſarum Patronos in hujus Metropolis foro verſatus eſt; itemque Fabricium, JC. integerrimum ejuſdem Chriſtophori filium, qui optimè adminiſtratâ Capitalium rerum Præfecturâ ad Senatoriam dignitatem evectus, fato conceſſit anno MDCLXVII. ut legitur in Sepulcrali Inſcriptione poſita in Templo Minoritarum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ hujus Urbis, vulgò *il Giardino*. His nunc addimus Joannem Jacobum Chriſtophori prælaudati coævum; cujus nomen tantummodo, atque Operis titulum à temporis injuria ſervata hìc Lectoribus tradere poſſumus.

Illius litterarius labor ſic inſcribitur:

I. Breve deſcrizione dell' Alpi, che dividono Italia dalla Germania, e dalla Francia, con i paſſi per dove poſſono condurſi Eſerciti, di Gio: Giacomo Conturbio Milaneſe. *Milano, per Marco Tullio Malateſta*, 1630. *in* 4.

De eo amiciſſimus Sitonus in ſchedis.

## MDCCCCXLIX.

### CORBETTA SIMPLICIUS.

SImplicius Corbetta Mediolanenſis, cùm juvenili adhuc ætate Clericorum Regularium S Pauli Decollati inſtitutum ſuſcepiſſet, ſic litteris vacavit, ut quicquid eruditionis ſedulo hauſerat ſtudio, in proximorum utilitatem converteret. Sacrarum Virginum inſignis Monaſterii S. Pauli, quæ Angelicæ appellantur, Confeſſiones triennio excepit, atque in earumdem gratiam Opuſcula Aſcetica inferiùs indicanda conſcripſit, quæ poſt Auctoris mortem in lucem prodierunt. Vir fuit gravitate morum inſignis, in Dei Verbo populis annunciando indefeſſus, variiſque tandem ſuorum Præfecturis laudabiliter geſtis clarus, dum actu Collegio S Alexandri præeſſet, ſuæ ætatis anno LXIV. Chriſti verò MDCLVIII. Prid. Non. Novemb. animam Creatori reddidit.

Hæc illius pietatis ſimul & ingenii ſuperſunt Monumenta:

I. Veſte Nuzziale per ornar l'Anima, che s'accoſta ogni giorno alla Menſa Euchariſtica. *Milano, per il Vigone*, 1675. *in* 12.

II. Paradiſo di vero piacere mentale del M. Rev. P. Don Simplicio Corbetta Cler. Regol. Barnabita, già Confeſſore dell' Angeliche di S. Paolo, per tutti li giorni di Quadrageſima ſopra li punti del Vangelo corrente, e della Paſſione di Criſto noſtro Signore. *In Milano, nelle Stampe dell' Agnelli Scultore, e Stampatore*, 1680 *in* 12.

III. Metodo facile per fare l'Orazione mentale. MS. in 4. apud Suos.

De eo P. Franciſcus Pezzius in Scriptorib. ejuſdem Congregationis.

## MDCCCCL.

### CORIUS MARCELLINUS.

MArcellinum Corium Mediolanenſem Patricium Philippus Comes, & Eques Ordinis Militaris S. Jacobi, Patriæ Decurio, atque Viarum Ædilis, necnon Laura Ayrolda conjuges in lucem ediderunt die VI. menſis Septembris, anno MDCLXIV. Minorum ſtudiorum diſciplinis excultus ſub optimorum Præceptorum magiſterio, ad Juriſprudentiæ ſtudia ſe convertit, quibus ita animum coluit, ut donatus laureâ, anno MDCLXXXVI. J. CC. Mediolanenſium Collegium ingreſſus fuerit. Plura atque inſignia Sacerdotia ipſius fidei ſunt commendata, tum Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatus renunciari meruit, & Auditor Sacræ Romanæ Rotæ conſtitui. Quoſdam poſt annos Almæ Urbis Præfecturâ inſignitus, incorruptæ æquitatis, infracti animi, & aliarum tanti muneris virtutum ornamentis ſic enituit; ut ipſum Clemens XII Pont. Max. S Adriani Diaconum Cardinalem die XV. menſis Julii, anno Redemptionis humanæ MDCCXXXIX creaverit. Atque oh utinam citiùs illi purpura jam pridem promerita obtigiſſet; majori enim temporis ſpatio tantam dignitatem exornaſſet! Magnum ſui deſiderium univerſis reliquit; Romæ defunctus anno MDCCXLII. ſepultuſque fuit in Templo Sancti Caroli ad Curſum, cum hoc Elogio:

MARCELLINO CORIO PATRICIO MEDIOLANENSI
CONSISTORALIS AVLAE ADVOCATO
XII. VIRO SIGNATVRAE IVSTITIAE
ROMANAE ROTAE DECANO ALMAE VRBIS GVBERNATORI
S. R. E. DIACONO CARDINALI
VIRO DOCTRINA PRVDENTIA IVSTITIA SPECTATISSIMO
PROBITATE ET CANDORE ANIMI INCOMPARABILI
COMES PHILIPPVS CALDERARIVS
IN MAGISTRATV ORDINARIO MEDIOLANENSI
REGIVS QVAESTOR
AVVNCVLO SVO OPTIMO ET AMANTISSIMO
HAERES EX ASSE POSVIT
VIXIT ANNOS LXXVII. MENS. V. DIES XV.
OBIIT NONO KALENDAS MARTII
ANNO DOMINI MDCCXLII.

Haben-

Digitized by Google

Habentur illius

I. Oratio habita coram Summo Pontifice, & Cardinalibus in Conciſtorio occaſione Canonizationis S. Pii V. Pont. Extat inter Acta Canonizationis IV. Sanctorum habita per Clementem XI. Pontif. Max. edita Romæ à Clar. Chiapponio Cœremoniarum Magiſtro.

II. Deciſiones Sacræ Romanæ Rotæ. MSS. in Archivo Molis Æliæ.

Cum adeptâ purpurâ Vir Eminentiſſimus Mediolanum veniſſet, plures Inſubres, atque exteri Poëtæ laudes illius Carminibus Italicis, & Latinis celebrarunt, quæ ſimul edita prodierunt anno 1741. *apud Hæredes Joſephi Agnelli, in fol.* Inter ea Carmina legitur & noſtrum Italicum, vulgò *Sonetto*, quod Elegiacis latinis reddidit amiciſſimus Canonicus Iricus, cujus etiam ibidem habetur Carmen Heroicum ſatis prolixum de Laudibus Auctoris noſtri, ejuſque Gentis.

Agunt de ipſo humaniſſimus, atque eruditiſſimus JC. Sitonus tam in Chronico Collegii J. PP. art. 1098. pag. 237, quàm in Stemmate Genealogico Nobilium de Coriis in fol. impreſs anno 1737., atque in Theatro Geneal. MS. pag. 164.

## MDCCCCLI.

## CORVINUS DE ARETIO LUCCHINUS.

EX Urbe Aretio in Etruria ſatis celebri in hanc migravit Metropolim familia Corvina, quam veteres, brevitatis gratiâ, de Aretio ab originis loco nuncuparunt; illud ætate etiam noſtra ſervatur in Urſinis, qui de Roma, & in Talentis, qui de Florentia vulgò dicuntur. Primus hìc lares ſtatuit Joannes Vir clariſſimus, qui obtento pro ſe, poſteriſque A in perpetuum Civitatis Jure anno MCCCCVII. Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolani Ducis fuit à Conſiliis, atque à Sigiſmundo Bohemiæ Rege, & Romanorum Imperatore Comes Cæſareus Palatinus cum fratribus, & deſcendentibus maſculis in perpetuum conſtitutus eſt anno MCCCCXVIII. Amiciſſimus extitit Joannes hic noſter Coſmæ Raymundi Cremonenſis Rhetoris inſignis, qui ad eum ſcribens hoc uſus eſt principio: „ Clariſſimo atque ornatiſſimo „ Viro, omniumque optimarum artium peritiſſimo „ Domino Joanni Corvino Aretino Ducali Patri con„ ſcripto. „ Cujus Epiſtolæ meminit Clar. Ariſius in ſua Cremona Litterata Tomo III. pag 47. Atque hæc fortè illa eſt, quam vidimus in MS. Cod. Bibliothecæ Ambroſianæ ſignat. B. num. 124. in fol. B ubi Raymundus ita ipſum affatur: „ Ex te enim, „ & à te ipſo, non Oratoria ſolum, ſed Poëtica di„ diciſti, tantumque in utraque præſtas, ut idem „ & ſummus Orator ſis & Poëta; quæ cùm verſu, „ tum ſolutâ Oratione à te ſcripta ornatiſſima ſunt, „ & nihil antiquorum elegantiæ & dignitati cedunt, „ Non contentus, Philoſophica illis adjunxiſti; multa „ enim à te, multa quoque ſunt ſcripta præcepta &c. pergit ejus eruditionem Hiſtoricam, & Theologicam laudare. Deceſſit autem Joannes anno MCCCCXXXVIII. ipſo Dominicæ Nativitatis die, tumulatuſque fuit in Eccleſia Parochiali S. Joannis ad Quatuor Facies hujus Urbis in Sacello ſuis ſumptibus excitato, quod in ejuſdem Templi nova molitione in Sacrarium converſum adhuc extat. Illius Sepulcro hæc immi- C nebat Inſcriptio, quam inter rudera exſcriptam poſteris ſervavit nunquam nobis ſine laudis præfatione commemorandus JC. Sitonus:

HANC CAPPELLAM
AB INFIMO AD SVMMVM FIERI FECIT
SPECTABILIS ET EGREGIVS VIR
DOMINVS IOHANNES DE CORVINIS DE ARETIO
DVCALIS CONSILIARIVS
SVB VOCABVLO SANCTARVM MARTYRVM
CATELINAE ET BARBARAE
NECNON MARTYRIS SANCTI PANTALEEMONIS
IPSAMQVE ANNVATIM DOTAVIT
DE FLORENIS QVINQVAGINTA
MVNIVITQVE LIBRIS CALICIBVS DVOBVS
CAETERISQVE OMNIBVS PARAMENTIS OPPORTVNIS
CVM VNO PRESBYTERO PER HAEREDES ET SVCCESSORES SVOS
SEMPER IN FVTVRVM ELIGENDO
IBIDEMQVE OMNI DIE MISSAM VNAM CELEBRANDO
PROVT VIDERI POTEST
IN TESTAMENTO ROGATO PER D. CHRISTOPHORVM CAGNOLAM
MEDIOLANI NOTARIVM MCCCCXXXVIII. DIE XXIII. DECEMBRIS
ET IN SEQVENTI FESTO NATIVITATIS DOMINI
DIEM SVVM CLAVSIT EXTREMVM
CVIVS ANIMA PER DEI MISERICORDIAM
REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

O DECVS EXIMIVM MVSARVM CLARE IOHANNES
CIVIS ARETINE CORVINO NOMINE QVONDAM
LAVDIBVS EMERITIS VARIAS CELEBRATE PER VRBES
TE NVLLVM DOGMA NVLLI LATVERE POETAE
ORATOR TV SOLVS ERAS TIBI NAMQVE VERENDA
MORVM MAIESTAS FACIEM DECORABAT AMAENA
TE VESTES LIBRI GRAVITAS ET MVLTA DECEBANT
ORATOR NVLLVS TIBI PAR TVA SED TAMEN ISTIC
OSSA RELIQVISTI GAVDET MENS LIBERA COELO.

Hæc

Digitized by Google

Hæc fuſiùs narrare placuit de tanto Viro, quem tametſi Aretini ſuum jure vindicent, cùm apud eos Gregorio parente ſit natus, Mediolanenſibus tamen eripiendum non cenſemus ob Civitatis impetratum Jus, ut ſupra jam diximus, magis tamen ob filii, quem genuit gloriam, de quo nunc agendum ſupereſt. Hic eſt Lucchinus ex nobili Philippina de Capitaneis uxore ſuſceptus, & anno MCCCCXXIV. natus, qui ætatis ſuæ XXII. Salutis verò MCCCCXLVI. Divi Auguſtini Eremiticum habitum induit in obſervanti Congregatione (ut ajunt) Lombardiæ. Is, dum in ſeculo verſaretur, humanarum litterarum ſtudio ingenium ſuum excoluerat: Religioni poſtmodum Auguſtinenſi dicatus, Philoſophiæ, Theologiæque addiſcendæ ſedulò incubuit, ac ſubinde totum ſe dedit lectioni ſacrorum Codicum, præcipuè verò Epiſtolarum Divi Pauli, ac Operum Beati ſui Patris Auguſtini; quo quidem optimo apparatu evaſit Divini Verbi præco inſignis ac zelantiſſimus: eaque propter memoratæ Congregationis Patres Lucchinum voluere unum ex quatuor generalibus Concionatoribus privilegio decoratis. Fama interim virtutem proclamabat Apoſtolici hujus Viri, qui ad celebriores Italiæ ſuggeſtus certatim accitus, nedum verbo & exemplo, ſed & qualibet adhibitâ opportunâ operâ ſatagebat, ut è Chriſtifidelium cordibus vitia radicitus tollerentur, ſtupentibus ubique populis ſolidam Lucchini probitatem, atque doctrinam. Pari fervore, perpetuoque ſtudio adlaboravit, ut Lombardiæ Congregatio recens inſtituta, vivendique rigidior methodus in ea recepta firmiter conſiſteret, ac roboraretur: hinc datus Lucchinus Prior ſucceſſivè pluribus Cœnobiis, quæ prudenter ſanctèque rexit; Viſitator deinde electus; mox Comitiorum Præſes; decies inſuper Diffinitor, ac tandem bis Vicarius Generalis, annis videlicet MCCCCLXXXVI. & MCCCCXCVII. Ad hæc addendum, quod S. Mariæ Coronatæ Mediolanenſe Cœnobium auxit perutilibus ædificiis, quemadmodum & Savonenſe S Auguſtini Bibliothecâ, nonnulliſque aliis opportunis ædibus Poſtremò ſenio, laboribuſque confectus, mortalitatem exuit Mediolani anno MDI. ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo. & à ſuſcepto Eremitico Auguſtinenſi habitu quinquageſimo quinto; ſepultuſque eſt in Templo S. Mariæ Coronatæ,

Relictis doctrinæ ſuæ hiſce monumentis:

I. Conciones per totam Quadrageſimam, & Anni Dominicas Ex Calvo infra citando.

II. Egregium ac perutile Opuſculum De Prologis, ſeu Proœmiis, maternâ linguâ accuratiſſimè conſcriptis, deſervientibus per totam Quadrageſimam prædicare volentibus: quibus adjuncti ſunt alii centumquinque, diverſis materiis opportuni; *impreſſum Mediolani anno Jubilæi* 1500. *die* 12. *Novembris*, *induſtriâ & impenſâ Alexandri Minutiani Oratoris facundiſſimi*, *in* 8., cujus fortaſſe ſunt carmina, quæ ſequuntur, cuſa in fronte Opuſculi ejuſdem:

AD LECTOREM.

*Non hic Ariſtoteles, non eſt hæc vana poëſis;*
*Sidera, nec numeros te docet iſte liber.*
*Aſt hic mortales miſeri revocantur ab Orco*
*Ad ſuperoſque polos, ſanctaque regna Dei.*
*Ergo cui cura eſt, vitam inſtaurare malorum,*
*Et cupis exilium crimina cuncta pati.*
*Accipe facundo, Lector, dictata libello,*
*Quem modo Lucchini dat tibi grata manus.*
*Lucchinus miſerans tardæ commercia linguæ,*
*Doctoris partes ſedulus hic peragit.*
*Arguit, hortatur, commendat, cuncta retundit*
*Crimina, ſancta, bona, facta nefanda virûm.*
*Tempore quod multo dudum docuere magiſtri;*
*Atque avida quiſque quod ſibi mente parat:*
*Hinc fluit, undanti labuntur flumina curſu:*
*Qui ſitis, ad fontem jam properando veni.*

Hoc Opus tribuimus Lucchino Arconato Mediolanenſi Viro & doctrina, & ſanctitate illuſtri, quem commendavimus in Articulo CXXII. col. 84. Nos tamen fefellit Calvus infra citandus. Illud ergo genuino Auctori reſtituimus, cùm diligentiùs inſpecto Codice repererimus apertè ibi Scriptorem in titulo appellari Lucchinum de Aretio Mediolanenſem.

De ipſo agunt cit. Calvus in libro de Memorabil. hiſtoric. Congreg. Lombardiæ pag. 128 tametſi Lucchinum hunc cum Lucchino Arconato perperam confundat, ut jam monuimus; ut etiam Torellus Tomo VII. Secul. Auguſtin pag. 523 Herrera in Alphabeto Auguſt. litt. L. pag. 7., & Sitonus noſter jam laudatus in MS. ſuo Theatro Genealogico pag. 155. Comes Octavius Archintus in Collect. Monum. Famil. Mediol. Multa quoque ſuppeditavit doctiſſimus, & amiciſſimus P. Guillelmus Nicolai, ejuſdem Auguſtiniani Ordinis.

## MDCCCCLII.

## CRASSUS ANTONIUS.

EX Petro de Craſſis Maynardi filio ortus eſt Antonius Mediolanenſis, de quo nunc agimus. Hunc Juris utriuſque prudentia plurimùm commendabilem reddidit; Cauſidicique in Archiepiſcopali hujus Metropolis Curia munus geſſit ab anno MCCCCXXXVI. uſque ad annum MCCCCL. & ultra. Anno autem MCCCCLVII. Patriæ Decurio creari meruit. Frater ei fuit Joannes J. C. C. qui in celebrem Cœtum cooptatus anno MCCCCXXXVIII in eo ſedit ad MCCCCXLIV. Scripſit Antonius Opus in Foro degentibus, & præſertim Eccleſiaſtico, non inutile;

Videlicet:

I. Praxis Juris Civilis, & Canonici. MS. juſtæ molis; in Ambroſiana Bibliotheca ſign. P num. 124. in fol. Agit de ipſo Sitonus noſter in ſuo Theatro Genealogico pag. 173. MS. in fol. penès Auctorem.

## MDCCCCLIII.

## CRASSUS MAPHEUS.

MApheus Craſſus in hac mea Bibliotheca locum minimè haberet, niſi inter perſcrutandum Codices MSS. Bibliothecæ PP Teatinorum hujus Urbis, in Opus ejus incidiſſem inſcriptum, ut infra. De eodem Auctore nil habeo Lectoribus meis exhibendum, niſi quòd ipſemet in Oppido Vailate in Inſula Fulcheria, vulgò *Gera d'Adda*, Mediolanenſis Dominii ortum ſe dicit, ut parum infra Lector videbit. Florebat temporibus Lancellotti, ſive Lanzarotti Crotti variis in locis hujus Bibliothecæ memorati, videlicet medio Seculo XV.

En titulus Operis Maphei

I. Hermeſtes, & Anglus: ad inſignem Virum Ducalem Conſiliarium Lanzarottum Crottum per Mapheum de Graſſis; ſic exorditur: „ Incipit primus Apologus, „ qui appellatur Hermeſtes Maphei de Graſſis ad Johannem Caravazienſem Profeſſorem Grammaticæ. Deinde ſic agit: „ Meditatus ſum his diebus, Lanzarote Crotte, Vir præſtantiſſime, Lucholi nate, quo „ te potiſſimum munere ad hujus ſolemnitatis Pentecoſtes Feſtum celeberrimum viſitarem, & rem „ non habens excellentiæ, virtutique tuæ ſat debitè „ convenientem, elegi ſaltem aliquid, quod pro jucunditate foret, & recreationis loco tranſmittere, „ ut à me nonnihil in paucis his diebus inter magnas Ducalium negotiorum curas oblectationis perciperes. Videbis itaque Vir inſignis hos Hermeſtem, & Anglum meos, quorum alterum Joanni „ Caravazienſi, alterum Ludovico de Novate ſcripſi, „ ſed nunc ambo pariter tui erunt. Et in uno quidem de re pacifica, in altero autem de Bellica re „ tra-

Digitized by Google

A „ tractatur, & uterque eſt ſolicitudine plenus: Ete-
„ nim in omni gradu ſic repleta eſt aculeis, ut non
„ ignoras, omnis humana conditio, &c „ Secundus Apologus ſic prætitulatur: „ Apologus ſecundus,
„ qui appellatur Anglus Maphei de Graſſis de Vaiſate ad Ludovicum de Novate ſtrenuum Armige-
„ rum, & medicis inſtitutis eruditum.

Codex MS juſtæ molis in fol. ſervatur in Bibliotheca ſupradicta PP. Teatinorum, & ad ejus calcem extat Liber de Scacchis, ſive de Moribus hominum, pariter MS.

## MDCCCCLIV.

## CRETENSIS FRANCISCUS.

B Aſſeclis Sancti Franciſci Minorum Patriarchæ celeberrimi, hiſque præcipuè, quibus in Mediolanenſi Urbe natales obtigere, jure & merito jungendus eſt Franciſcus, quem Cretenſem cognomine dictum reperimus apud citandos Auctores, atque Antonii nobilis Juriſconſulti filium. Si tamen circa hujus Scriptoris familiam divinare potius quàm decernere nobis licet, ſuſpicamur illum è Candiana gente progenitum, idque in cauſa fuiſſe, ut Exteri homines Candianum Italicè Cretenſem Latinè reddiderint. Natus is eſt in hac Metropoli anno Chriſti MDXXX. tum adultus ad Capuccinorum Inſtitutum convertit animum, quo in Cœtu ſic floruit, ut nedum Inſubris Provinciæ regimini admotus fuerit, verùm etiam in Romana Curia Procurator Generalis ſit renunciatus. Immaculatam Deiparam ſummopere coluit, & adeò controverſam de primi inſtantis munditie quæſtionem ſcriptis egregiè defendit; de quibus infra dicemus. Romæ tandem meritis plenus evolavit ad Superos anno Redemptionis MDXCVII.

Elaboravit

I. Volumen, in quo doctiſſimè agit de immunitate ejuſdem Deiparæ ab originali culpa: Labor hic citatur à Pagnottio in lib. de Maria Triumphante.
Ex Clar. Abb. Fuſio in App. MS. ad Picinellum.

## MDCCCCLV.

## CREVENNA JOANNES BAPTISTA.

Dum MSS Codices perinſignis Bibliothecæ Braydenſis PP. Societatis Jeſu evolvebam, permittente de more perhumaniter P. Muſca ejuſdem Bibliothecæ Præfecto, alibi à me laudato, incidi in varia eruditiſſima Opuſcula P. Crevennæ, qui Magiſterium non ſine plauſu exercuit in Scholis ipſius Academiæ anno Chriſti MDLXXXVII; ideoque anxiè quæſivi illius Acta litteraria, aut ſaltem mortis annum, ſed fruſtra; nam in Libris emortualibus ſupramemorati Collegii deeſt nomenclatura Sacerdotum illius Societatis, è vivis ereptorum ab anno, quo teterrima lues Metropolim hanc afflixit, ſedente in Archiepiſcopali Cathedra Divo Carolo Borromæo, ad fere XX. ſubſequentes annos. Dolendum propterea eſt, quòd de Viro iſto, proculdubio, doctiſſimo, nil aliud Lectoribus mihi ſuppeditetur proferendum, præter illius Lucubrationes, lectu certè digniſſimas,

Quæ ſunt:

I. De delectu, & ornatu Verborum.
II. De Bonis Temporalibus.
III. Quid ſit Magnum admirabile, & ex quibus fontibus erui poſſint Sententiæ circa Magnitudinem.
IV. De Metaphoris.

Omnia uno Volumine MS. in 4. extant in Biblioth. Braydenſi Mediol.

V. Equitis Hieroſolymitani in morte triumphus, Oratio.
VI. Beati Staniſlai auxilio inſignis relata victoria, Oratio.
VII. Gladiatoriæ luctæ hyppotipoſis.
VIII. In diſceſſu Bavari Militis, Concio.
IX. Artis Encomia, à forma.
X. Præſtantiores in re Bellica Juvenes eſſe, quàm Senes, Oratio.

In altero Volumine MS. in fol. ibidem.

## MDCCCCLVI.

## CRIBELLUS AMBROSIUS LUCAS.

Ambroſius Lucas Cribellus Mediolanenſis, Lucæ, ut doctiſſimus Sitonus arbitratur, filius, non modicum ſibi laudis apud poſteritatem & ſolutæ, & ſtrictæ metro Orationis ornamentis ſtuduit promereri. Decurionem Patriæ fuiſſe conjicit idem Sitonus ex publicis Tabulis anni MCCCCXLVI. Ceterùm Mediolanenſium Ducis in Januenſes Jus mordicus defendit, acerrimoque ſtylo eorum perduellionem eſt inſectatus. Cùm enim illi datis litteris ad Philippum Mariam Vicecomitem defectionis ſuæ cauſas exponerent, & argumentis diluere tentarent, excanduit in eorum audaciam Cribellus noſter, & Principis ſui patrocinium aſſumens, eruditiſſimâ Epiſtolâ ad Nicolaum Fulgoſium ſcriptâ, Ciceronianas Philippicas imitatus, illorum futiles nugæ quantùm à veritatis tramite diſtarent apertè oſtendit; ſignificans allatis rationibus Januenſes nullâ tergiverſatione facinus ſuum tegere poſſe. Floruit etiam Poëſis latinæ laude; etenim ſtylo non ignobili plura latina Carmina exaravit, de quibus etiam infra agemus. Coluit Antonium Rhaudenſem, Antonellum Arcimboldum, atque Guarnerium Caſtillionæum Viros ſuæ ætatis doctiſſimos, de quibus locis ſuis in hoc Opere honorificam fecimus mentionem. Græcis quoque litteris perpolitus extitit, quemadmodum indicant Homeri verſus ab eo latinè redditi. Emortualem Cribelli noſtri annum, & acta reliqua, irrito labore quæſivimus.

Ipſius autem hæc invenimus Opera:

I. Ambroſii Lucæ Cribelli Epiſtola ad Nicolaum Fulgoſium contra Januenſes.
II. Ejuſdem Epigramma in laudem libri de Imitatione editi per Fratrem Antonium Rhaudenſem.
III. Ejuſdem Verſus Homeri in Latinum converſi.
IV. Ejuſdem Epitaphium Antonelli Arcimboldi.
V. Ejuſdem Epitaphium Chriſtophori Ghilini, 1437.
VI. Ejuſdem Exhortatoria ad Cives Mediolanenſes, de Conflictu hoſtium.
VII. Ejuſdem Epitaphium Ambroſii de Muzano.
VIII. Ejuſdem ad Dominum Guarnerium Caſtellionum, de ortu filii ſui.
IX. Ejuſdem in quendam Hyppocritam.
MS. uno Codice apud Comitem Donatum de Sylva, in 4. Epiſtola verò primo loco enunciata extat etiam MS. apud amiciſſimum Canonicum Iricum.
X. Carmen Clariſſimo, atque Eloquentiſſimo Juris Cæſarii Doctori Domino Nicolao Arcimboldo, atque Coſmæ Raymundo de Amore. Datum ex Ædibus noſtris VII. Kal. Octobris MCCCCXXXVI.
XI. Carmen Elegiacum ad eundem Nicolaum Arcimboldum; datum eſt „ ex Cubili meo XI. Kal. Aprilis MCCCCXXXVI.; cum eodem Carmine mittit Cribellus Opus Coſmæ Raymundi de laudibus Eloquentiæ, & narrat mortem Auctoris laqueo à ſemetipſo ſuſpenſi. MS. in Cod. Biblioth. Ambroſ. ſign B. num. 124. in fol Hunc MS. Codicem fortè non vidit Eruditiſſimus Vir Franciſcus Ariſius, qui non uno tantùm loco ipſius Coſmæ Raymundi meminit in ſua Cremona Litterata.
E ſchedis Sitonianis, & citatis MSS.

## MDCCCCLVII.

### CRIBELLUS JACOBUS ANTONIUS.

JAcobum Antonium Cribellum Mediolanenſem die XX. menſis Martii anno MDCCIII. ex Maria Vanazzia conjuge Carolus ſuſcepit. Præter minora ſtudia, ſic Philoſophiæ, atque Medicæ facultati dedit operam, ut annos natus XVII. die ſcilicet XX. menſis Julii, anno ſalutari MDCCXX. in Ticinenſi Archigymnaſio laureâ fuerit inſignitus. Ut in Patria infirmorum curam ſuſciperet à Nobili Phyſicorum Mediolanenſi Collegio non ſine honorifico Diplomate approbatus eſt die IX. menſis Septembris anno MDCCXXII. Cùm autem Medicæ Artis laude floreret, ab Optimatibus Noſocomii Majoris regimini præfectis inter eos Phyſicos eligi meruit, qui pauperibus ægris in magnificis æquè ac piis illis ædibus medentur; idque contigit die XV. Junii anno Chriſti MDCCXXXI mox ibidem publicus conſtitutus eſt Lector Anatomes, aucto etiam annuo ſtipendio ob præclara Viri merita. Invida magnis ingeniis mors Cribellum rapuit annos agentem tantummodo XXXIX. die XXIII. Auguſti. Cadaver ipſius conditum eſt in Collegiata Eccleſia S. Mariæ Pedonis.

Hæc ſcripſit

I. Epidemie cattarrali ſeguite negli anni MDCCXXX., e MDCCXXXIII. in Italia, e nelle altre parti del Mondo: ſue cagioni, oſſervazioni, e cautele mediche per curar li mali cattarrali, ſpecialmente di petto nelle ſodette Epidemie; *impreſſ. Mediol. an.* 1733. *die* 30. *Aprilis*, *apud Carolum Joſephum Quintum*.

II. Opus Anatomicum Italicè exaratum. MS. in fol. extat penès dicti Auctoris filios, & hæredes.

E ſchedis Sitonianis.

## MDCCCCLVIII.

### De CUSTODIBUS OCTAVIANUS.

OCtavianus de Cuſtodibus filius Prothaſii, & Franciſcæ de Raſinis Mediolanenſium conjugum, fratrem habuit Joannem Angelum de Cuſtodibus Locumtenentem Capitaneum Turmæ Equitum levioris armaturæ. Claruit anno MDXCVI. Regius in Belgio Turmæ Equitum gravioris armaturæ Ductor pro Catholica Majeſtate Philippi II., dein & Philippi III. Hiſpaniarum Regum ac Mediolani Ducum, poſtea Bellici Equitatus Commiſſarius Generalis in Mediolanenſi Ditione ab anno MDCX. ad annum MDCXX., quo majoris Sclopi frontem glande percuſſus, ex equo exanimis fortiter pugnans cecidit in propugnatione Oppidi Tirani Vulturenæ pro Catholicis adversùs Rhætos. Teſtamentum ſuum condidit die XXVII. Auguſti anno MDCXVI. inſtituto ſibi hærede præmemorato Joanne Angelo de Cuſtodibus ejus fratre.

Scripſit:

I. Relazione diaria dell' Azzioni, e movimenti fatti dalle Armi Cattoliche nelle Guerre di Fiandra, e di Valtellina dall' anno MDCXII. al MDCXX. MS. in fol. juſtæ molis, extat penès J. C. Joannem Angelum de Cuſtodibus Antiquitatis ſtudioſum, mihique amiciſſimum.

Ejuſdem Octaviani militaria geſta commendant Franciſcus Ballarinus in Hiſt. Vallis Tellinæ pag. 18., Abbas Joh. Franciſcus Foſſatus in Memor. hiſtor. bellor. Italic. pag. 68., Joſeph Riccius in Narration. rer. Italicar. pag. 116. narrat. 4., Petrus Angelus Lavizarius in Memor. hiſtor. Vallis Tellinæ. pag. 193. 194. 196. 197. 201. 202., & alii plures, necnon Advocatus Sitonus in Theatro genealogico Sitoniano pag. 189. in folio MS. penès Auctorem, ex quo agnovimus hanc familiam à Montulo florente anno Chriſti MCCCCXX. originem traxiſſe.

# D

## MDCCCCLIX.

### DEGANUS JOANNES BAPTISTA.

UTinam Joannis Baptiſtæ Degani, ſive Dagani, ut Fontaninio placet, Modoëtienſis, Viri eloquentiâ, patriarum rerum peritie, & ejuſdem inſignis Oppidi Decurionatu clariſſimi, invida bonis oblivio ſic monumenta non deleviſſet, ut nobis liceret nudo propemodum nomine eundem hic non inferere. Inter Modoëtienſes Decuriones floruit Deganus noſter, Joannis Evangeliſtæ filius, anno Dei Hominis MDXXX., quo anno, cùm Bononiæ Italici Regni Coronam, vulgò Ferream dictam, atque in vetuſtiſſimâ Præcurſoris Domini Baſilicâ Modoëtiæ aſſervatam, Clemens VII. Pontifex Carolo V. Auguſto imponere decreviſſet, eò miſſi fuere ad Sacrum Diadema deferendum Petrus de Arſago, & Joannes de Marliano ipſius Baſilicæ Canonici, atque è primoribus Oppidanis Polydorus, & Joannes Baptiſta de Vecchiis, Paulus Velatus, Ludovicus & Bartholomæus Ciſnuſculi, & demum Ambroſius Maria Herba. Meditabatur fortè his comitem ſe addendum fore Daganus quoque, Orationem idcircò de ipſius Caroli V. laudibus paraverat, quam tamen ipſum Bononiæ habere non potuiſſe teſtatur idem Juſtus Fontaninius loco infra memorando, cauſam tamen reticens. Quanti verò faciendus ſit Index Reliquiarum præfatæ Baſilicæ à Degano digeſtus, apertè indicat citatus Fontaninius, qui ex eo nonnulla ad litteram exſcripſit. Hæc boni conſulat Lector; reliqua enim ipſius acta diligentiam noſtram fefellerunt.

Scripſit:

I. Orationem de laudibus Caroli V. Imperatoris, teſte eodem Fontaninio.

II. Indicem, & Deſcriptionem Reliquiarum Baſilicæ Modoëtienſis; ex eodem.

Laudatur à ſæpius memorato Juſto Fontaninio in Diſſertatione de Corona Ferrea Cap. XI. in principio, & à Clariſs. Abb. Fuſio in Add. MSS. ad Picinellum.

## MDCCCCLX.

### DIONESANUS VINCENTIUS.

CAravagium Oppidum Ditionis Mediolanenſis, Diœceſis verò Cremonenſis, natales præbuit Vincentio Dioneſano, quocirca à Clariſs. Viro Franciſco Ariſio inter Cremonenſes Eruditos locum promeruit. Is politioris litteraturæ ſtudiis inſtructus fuit, cùmque Minorum, quos Obſervantes nuncupant S. Franciſci, Ordinem eſſet amplexus, & Sacer-

cerdotali dignitate inſignitus, peculiarem in Patriam, Viroſque bonis artibus celebres Contribules ſuos, amorem oſtendit. Nam præterquamquod Caravagienſis Oppidi monumenta quædam hiſtorica exaravit, Pictores, & Architectos ibi natos laudibus exornavit. Optabile foret litterarios hoſce labores adhuc fortaſſe MSS. inſpicere poſſe, verùm præfato Cl. Ariſio locum, ubi ſervantur, reticente, id nobis non contigit.

Habentur ergo Vincentii hujus.

I. Compendium Virorum illuſtrium Caravagienſium in arte Pictoria, atque Sculptoria excellentium.

II. De memorato Oppido, ubi Franciſcus Sfortia Marchio, & Mediolani Dux, Venetos ingenti ſtrage proſtravit, Hiſtoria.

Laudatur à præfato Ariſio in Cremona Litterata Tomo III. pag. 319. ubi etiam citat fratrem ſuum Deſiderium in ſua Academia Pictorum, & Architectorum.

## MDCCCCLXI.

## DONATUS HIERONYMUS.

Hieronymus Donatus Trivilienſium dedecus fuit; ejus etenim municipii Populus ſumma fide adhæſit Mediolanenſibus Ducibus, quam ingrati animi vitio laborans Donatus, non adimplevit. Ei commiſſa fuerat Derthonenſis Arcis Præfectura à Bona Sabauda Ducis Mediolanenſium Jo. Galeacii infantis tutrice ac matre. Hieronymus autem eo loci occulta conſilia fovit, de Ludovico Barienſium Duce in Mediolanenſium rerum ſupremum Arbitrum adſciſcendo. Ex hac molitione Ludovicus Mediolanum reverſus Italiam univerſam ſuſdeque vertit, patriæ Imperium ſubdolè invaſurus. Quare Hieronymus etſi conſilio, ac fortitudine polleret, in perniciem tamen Dominorum ſuorum, atque Italiæ natus videri potuit. Ortus illi ex familia contigit apud Trivilienſes antiquâ potiùs, quàm nobili, quæ jam ab anno milleſimo tercenteſimo ſexageſimo Templum Divi Chriſtophori in patria excitarat, opulentoque Sacerdotio dotaverat. At Donatus, parum gratum ſibi Ludovicum expertus, probavit acceptam plerumque proditionem eſſe, nunquam verò proditorem, quare mœrore confectus obiit Trivilienſibus ſuis exoſus.

Scripſit:

I. Epiſtolarum Volumen de rebus ſui temporis, quod extabat apud Hieronymum Donatum Sacerdotem, qui nuper fato functus eſt in ipſo Oppido Trivilii.

De Hieronymo noſtro, ejuſque proditione, mentionem facit Corius in Hiſtoria ſub anno MCCCCLXXIX., ubi meminit etiam de Raphagnino Donato Præfecto Arcis Derthonæ.

## MDCCCCLXII.

## DRALLUS JOANNES ANDREAS.

Joannes Andreas Drallus Joſephi JC. atque Vertentiæ Daveriæ conjugum filius, ſic litteris navavit operam, ut cùm utriuſque Juris lauream promeruiſſet, ſacriſque miniſteriis inter Clericos ſe dicaſſet, inſignis Collegiatæ S. Victoris Martyris in Oppido Variſii Præpoſituræ dignitate fuerit exornatus. Eo in munere claruit annis MDCXXX. & aliquot ſequentibus; cùmque Sacri Concilii Tridentini Declarationes, atque Deciſiones plures collegiſſet, eas ſuis digeſtas Capitibus, & illuſtratas compegit non ſine magno, atque perutili Eccleſiaſticis præſertim Viris labore.

Superſunt hoc titulo

I. Joannis Andreæ Dralli, Præpoſiti Variſienſis, Declarationes Sacri Concilii Tridentini, cum ſuis Deciſionibus. MS. in fol. Tom. II extat in Bibliotheca PP. Teatin. Sancti Antonii Mediolani.

De eo agit eruditiſſimus Sitonus noſter in ſchedis.

## MDCCCCLXIII.

## DUGNANUS JACOBUS.

Quod hîc proferimus de Jacobo Dugnano debemus amico integerrimo, atque Viro doctiſſimo Advocato Sitono noſtro, qui ſeriem Genealogicam nobis tradidit à Joanne Dugnano florente anno MCCXC. Leonis patre, ut diximus in Artic. DCCXXX. col. 565., & deſinentem in Joanne Jacobo Senatore Mediolanenſi, qui florebat anno MCCCCXCII. Jacobus verò noſter J. C. C. & Ducalis Locumtenens Officii Proviſionum hujus Urbis inſtitutus fuit anno MCCCCXXI deinde prior Capitaneorum, & Defenſorum libertatis Reipublicæ Mediolanenſis extitit anno MCCCCXLVII. qua occaſione ſcripſit Capitula Fœderis inter Mediolanenſes, & Comenſes, ut infra. Patrem habuit Franciſcum, & Senatoria dignitate exornatus diem clauſit extremum anno MCCCCLI. At cùm de Jacobo ejus filio item Senatore ſermonem parum ſupra habuerimus, prætermittendum non eſt, quod ipſius diligentiâ, & ſumptu inſtituta fuit Bibliotheca Collegii J. PP. hujus Urbis, uti teſtatur Inſcriptio à Platino Plato relata in ſuis Epiſtolis, pag. 9. ut ſequitur:

IOHANNE GALEATIO SEXTO MEDIOLANI DVCE
LVDOVICO PATRVO REM FELICITER GVBERNANTE
BIBLIOTHECAE INCHOANDAE
IOH. IACOBVS DVGNANVS
CIVILIS ET PONTIFICII IVRIS PERITISSIMVS
VNVS EX SACRO MEDIOLANENSI COLLEGIO
IDEMQVE IVSTITIAE MAGNIFICVS SENATOR
PRIMVS MORIENS LIBROS ET ALIQVANTVLVM AERIS LEGAVIT
EAM CAETERI IVRISCONSVLTI
VRBIS ELEGANTIAE
SVAE ET POSTERORVM COMMODITATI
COLLATA PECVNIA AMPLITER ABSOLVERE.

Scri-

Digitized by Google

Scriptor noſter Jacobus tumulatus extitit apud Aram Maximam in Eccleſia Sancti Marci hujus Metropolis cum ſequenti Epitaphio, quod nobis ſervavit Franciſcus Cicerejus in ſuis Collectaneis Inſcriptionum:

QVI CANONVM ET LEGVM IVS CALLVIT VNVS VTRVMQVE
DVGNANVS SITVS EST HAC IACOBVS HVMO
DOCTIOR HOC NEMO FVERAT NEC IVSTIOR ALTER
AEQVVS ET EXCELLENS INTEGRITATE FIDE
HINC INTER PRIMOS PROCERES FRANCISCE SENATOR
TE DVCE MAGNANIMO SFORTIA PRIMVS ERAT
OSSA RELIQVIT HVMI MORIENS MENS ALTIVS ACTA
NVNC FRVITVR FACIE COLLOQVIOQVE DEI.
MCCCCLI. DIE PRIMO SEPTEMBRIS OBIIT.

Plura ſcripſit, quæ ætas nobis ſuſtulit, ea verò quæ damus digna ſunt poſterorum memoriâ;

Scilicet:

I. Capitula LXXVI. Fœderis, & adhærentiæ inter Magnificos DD. Capitaneos, & Defenſores libertatis Illuſtris, & Excelſæ Communitatis Mediolani, & Spectabiles Cives Deputatos Communitatis Comi. Extant MSS. in fol. penès jam laudatum Advocatum Sitonum.

II. Conſilia varia Juridica ſparſim edita, inter quæ eminet illud feudale in cauſa Comitum Caſtri Maſini; quod extat impreſſum inter Conſilia Martini Garrati Laudenſis, Conſ. 29. pagg. mihi 93. & 104.

De eo agunt antiqua Mediolani Ducum Decreta pag. 289. ſub an. MCCCCXLI dudum edita per Senatorem Petrum Paulum Bonettum 1654. Placidus Pucinellus in Chronico Glaſſiatenſi pag. 55. & 64. Advocatus Sitonus in Chronico Colleg. J. PP. artic. 122. pag. 40.

# F

## MDCCCCLXIV.

## FASSATIUS JOANNES.

JOannes Faſſatius, qui ad Capuccinorum Inſtitutum convolans, depoſito pro more familiæ cognomine, à Mediolano eſt appellatus, ingenii acumine, & doctrinæ ſublimitate magnam ſibi comparavit nominis famam. Divini Verbi declamatores omnes ſeculo ſuo ſuperaſſe traditur. Priuſquam verò Minoribus ſe addiceret, inter Prædicatorum Ordinis Alumnos aliquibus annis vixit; at ſeverioris vitæ deſiderio flagrans, rigidum, de quo ſupra, profeſſionis genus amplecti ſtatuit. Tanti apud Capuccinos eſt habitus, ut non ſemel in Mediolanenſis Provinciæ Præfectum aſſumi meruerit, prudentiæ commendatione, quæ in eo fulgebat. Neque deerant ejus animo pietatis ornamenta, quibus decoratus divinas decantans laudes non ſine ſanctitatis famâ Mediolani ſupremam clauſit diem VI. Kal. Martii anno MDLXV.

Habentur ejuſdem:

I. Quæſtiones aliquot in Regulam Fratrum Minorum. MS.

II. Tractatus de Oratione, & Meditatione. MS. Hæc Opera ſe vidiſſe aſſerit Dionyſius Genuenſis mox citandus.

Vitam illius fusè deſcribit Boverius in Annalibus Capuccinorum Tomo I.

Laudatur à præfato Dionyſio Genuenſi in Bibliotheca Script. Capuccinorum edit. II. pag. 178.

## MDCCCCLXV.

## à FERNO MICHAËL.

FErnum Ducatus Mediolanenſis Oppidum patria fuit Michaëlis hujus, qui diſtinguendus eſt ab altero Michaëlo Ferno; in hoc enim Scriptore, de quo agimus, utpote Capuccinorum Ordinis Alumno, cognomen deſideratur, & ortus locus ſubſtituitur, in illo autem Familiæ nuncupatio perduravit. Noſter igitur inter primos Capuccinorum Reformationis Patres recenſitus, adeò charus extitit Sanctiſſimo Viro, & nunquam ſatis laudato Antiſtiti Carolo Borromæo, ut ab eodem fuerit in Viſitatorem electus. Et profectò ſedulus Vineæ Dei cultor non poterat non diligere Michaëlem hunc indefeſſum Divini Verbi præconem, qui triginta millia Sermonum publicè ad populum habuiſſe fertur. Apoſtolicis fractus laboribus, jamque ſenio gravis evolavit ad Superos anno Redemptionis MDCVIII.

Scripſit, & evulgavit

I. Sermones de Pœnitentia.

II. De Tempore.

III. Conciones alias ſuppreſſo nomine.

De eo Boverius, & Dionyſius à Genua in Biblioth. Capuccinor. & Clariſs Abbas Fuſius in MSS. addendis ad Picinelli Athenæum.

## MDCCCCLXVI.

## FERNUS BERNARDINUS.

DE Bernardino Ferno Mediolanenſi nihil nobis occurrit, præter pauca admodum à Picinello relata. Spes erat plura inveniendi, ipſius ideo Elogium dare diſtulimus, quò liceret Lectoribus facere ſatis.

Digitized by Google

ſatis . Incaſſum igitur cedente labore , non ſine doloris ſignificatione Picinellum ſequi cogimur , qui Fratrem Bernardini noſtri Regii Fiſci Patronum in hac Metropoli fuiſſe commemorans ; ipſius tamen nomen reticuit . Auctorem autem ob Juris peritiem laudat , aitque

Eum ſcripſiſſe

I. Commentaria ad Jus Municipale, MSS. quæ aſſerit apud Joannem Baptiſtam Blanchinium ſervata fuiſſe ; nunc ubi illa deliteſcant ignoramus .
De ipſo citatus Picinellus in Athenæo pag. 88.

## MDCCCCLXVII.

## FERNUS FLAMINIUS.

JOannes Ambroſius Cauſidicus Collegiatus, Regiuſque Fiſcalis Syndicus generalis in Mediolanenſi Ditione Flaminium Fernum genuit qui JC. & publicus Tabellio reperitur in Matricula ſub anno MDLXXXVII. jam inter Cauſidicos Collegiatos præcedenti anno computatus. Locum etiam promeruit inter XII. Viros , quos Proviſionum appellant , anno MDXCIX. Promotus denique anno MDCVI. ad munus Advocati Fiſcalis Officii SS. Inquiſitionis , in eodem permanſit uſque ad obitum, qui incidit in diem XIII. menſis Aprilis , anno reparatæ Salutis MDCXVI. Hujus Auctoris ne nomen quidem in hac Bibliotheca Lectores optimi reperirent , niſi eruditorum ipſius laborum memoriam poſteritati ſervaſſet Jacobus Valerius , inter cujus Epigrammata in Codice MS. alibi indicato Bibliothecæ Clericorum Regularium Teatinorum Collegii S. Antonii hujus Urbis , unum legitur ad Flaminium noſtrum , quo eundem hortatur , ut edat

I. Libros tres de Jure Fiſci jam ab eo compoſitos . Hos verò, cùm nulla ex parte ad manus noſtras pervenerint, vel omnino periiſſe , vel adhuc inter Anecdota deliteſcere ſuſpicamur .
Quæ de Actis Ferni dedimus, amiciſſimo JC. Sitono accepta referimus.

## MDCCCCLXVIII.

## FRANCIUS FRANCISCUS.

CIrca finem Seculi XIV. floruit Franciſcus de Franciis Mediolanenſis , Auguſtinianus Eremita Cœnobii S. Marci . Hunc excelluiſſe peritiâ Theologicæ diſciplinæ plane liquet ex eo , quòd illam publicè docuit in celeberrima Univerſitate Pariſienſi . Ceterùm de ingenii ſui fœtibus, exceptâ infra recenſendâ lucubratione; deque ipſius geſtis , nihil aliud invenire potuimus . Eum nihilominus commendant Philippus Vicecomes , ac Torellus , qui pariter tradunt, Franciſcum anno MCCCLXXXIX. adornaſſe

I. Compendium Hiſtoricum Virorum illuſtrium Cœnobii Mediolanenſis Divi Marci .
Laudatur à jam citatis Vicecomite in ſuo MS. Opere de Conventu S. Marci , & Torello Tom. VI. Secul Auguſt. pag. 276. num.42. , atque nonnulla debemus Viro doctiſſimo P. Gulielmo Nicolai ejuſdem Ordinis.

## MDCCCCLXIX.

## FRISONUS LAURENTIUS.

LAurentium Friſonum Mediolanenſem in primo hujus Bibliothecæ Catalogo prætermittendum cenſuimus eâ de causâ, quòd ſpes foret plura de ejus actis , atque ingenii monumentis Lectoribus exhibendi , præter pauca admodum à Picinello relata . Cùm autem nihil omnino, iis exceptis, reperire datum fuerit , eum tandem ferme nudum in ſcenam adducimus . In Congregatione Clericorum Regularium de Somaſcha nuncupatorum floruit Laurentius Seculo XVII. cùmque Sacerdotii dignitate auctus inter eos degeret , muſicis potiſſimùm modulationibus ad Divina pertinentibus egregiè navare operam conſueverat. Idcirco , præter ea, quæ vel ſolâ , vel pluribus vocibus concinenda vulgavit (ea enim pro Inſtituti noſtri ratione, ut alibi monuimus, referre ſuperſedemus ) non inutile vulgavit Opus ;

Videlicet :

I. Un Trattato di Canto fermo . *Milano* , 1628.
Ex præcitato Picinello pag. 399.

## MDCCCCLXX.

## FROVA HIERONYMUS.

CHriſtophorus Frova Cauſidicus Collegiatus Mediolanenſis genitor extitit Hieronymi , quem hìc debita cum laudis commendatione in hanc litterariam arenam inducimus . Legales optimè coluit diſciplinas, in quibus lauream ſibi promeruit, aliquando etiam in Foro verſatus egregiè. Memoratum quidem hunc Scriptorem videram apud Picinellum in Athenæo inferiùs citando . Ipſum tamen in Auctorum minoris notæ Indice duxeram reponendum , inſpectâ tantùm Operis ab eodem Picinello indicati fronte . Cùm verò paucos hos ante dies apud amiciſſimum JC. Sitonum, Codicem ipſum diligentiùs inſpexerim , dignum ſum arbitratus eundem , qui inter majoris notæ Eruditos exhibeatur . Non enim ſimplex eſt gratulatoria , quæ nihil eruditionis exponat , ſed potiùs Tractatus perutilis his quibus munus incumbit Procuratoris Exercitus , quem vulgus barbarum Commiſſarii nomine appellat . Agit etiam de biennalibus Officiis , imò continet quodammodo illius temporis hiſtoriam . Floruit Scriptor circa finem Seculi XVI.

Vulgavit :

I. Congratulatoria di Geronimo Frova nella promozione dell' Illuſtriſſimo Sig. Sforza Brivio al Commiſſariato Generale degli Eſerciti di Lombardia , e Piemonte per la Regia, e Cattolica Maeſtà; nella quale a pieno ſi ha informazione de' gradi , ed ufficj, alli quali eſſo Illuſtriſſimo Sig. Sforza è di tempo in tempo aſceſo , con altri particolari di ſua Caſa ; Trattaſi parimenti in eſſa delle qualità de' Commiſſarj appartenenti ad eſſo Officio, e del carico d'eſſo , ed anco intorno agli Ufficj Biennali: Al Molto Illuſtre Signor Franceſco Brivio ſuo Luogotenente, e figliuolo. *In Milano, per Pacifico Ponzio*, 1590 *in* 4.
Adſunt in principio Exaſtichon Bernardini Baldini, alterum Sigiſmundi Foliani; item bina Carmina, vulgò *Sonetti* , unum Fabii Orerii, alterum Jacobi Antonii Taſſoni , in laudem Auctoris Frovæ, & Mecœnatis Brippii.
De ipſo agit jam citatus JC. Sitonus in ſchedis, & præfatus Picinellus in Athenæo pag. 340.

# G

## MDCCCCLXXI.

## GALLARATUS HIERONYMUS.

ALphonſum JC. C. Regiumque Inſubriæ Senatorem, atque Sylviam Arboream Lignanam ex Comitibus Valentiæ ad Padum jugales Hieronymus Gallaratus Mediolanenſis habuit genitores. Pro ſui generis dignitate accuratiſſimam nactus educationem, anno MDXCVIII. clariſſimæ Societati Jeſu ſe addixit, in qua juxta Inſtituti rationem ſtudiis, Verbi Dei miniſterio, aliiſque præclaris operibus ſe exercuit, donec IV. emiſſis Votis piè deceſſit in patria anno Salutis humanæ MDCL.

Habet poſteritas

I. Orationes Sacras utrâque linguâ, Italicâ ſcilicet ac Latinâ. MSS. pluribus Volum. comprehenſas. In Biblioth. Collegii S. Fidelis hujus Urbis.

II. Elogium, ſive brevem Vitam Michaëlis Arragonii Societatis Jeſu, qui anno MDLXXI. diem clauſit. Extat in libro, cui titulus: „ Elogia PP. Soc. Jeſu pietate, & „ morte pro Chriſti Fide obita illuſtrium. MS. in Bibliotheca Braydenſi.

De eo doctiſſimus Sitonus noſter in ſuo Theatro Genealogico MS. pag. 224., & in Schedis.

## MDCCCCLXXII.

## GESSAGA CAROLUS ANTONIUS.

NOn minori litterarum, quàm pietatis zelo floruit ætate noſtrâ Vir ſuaviſſimus, ac præclarus Mediolanenſis Eccleſiæ Sacerdos Carolus Antonius Geſſaga, quem nuper Mundo ereptum, Clerus omnis, Nobilium, Religioſarumque Matronarum ordines communibus lacrymis ſunt proſecuti. In parvi nominis Pago prope Seronum, decimoquarto ab Urbe lapide, ab honeſtis parentibus ortum habuit, quorum prima fuit cura in Seminariis à S. Carolo inſtitutis tenerum adhuc puerum ſtudiorum, ac clericalis diſciplinæ culturâ efformandum, Oblatorum educationi tradere; cùmque genitorum, præceptorumque expectationi optimè reſpondiſſet, Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudiis feliciter emenſis, eorumdem Oblatorum Cœtui ab Eminentiſſimo S R. E. Cardinali Odeſcalco Mediolani Archiepiſcopo fuit aggregatus. Dum Georgius Martinellus ejuſdem Congregationis Presbyter, & Rhaudenſis Collegii Inſtitutor, remotiores Ambroſianæ Diœceſis limites per inacceſſas valles, & juga montium Divini Verbi præco fervens, nullo parcens labori peragrabat, ſocium habuit Geſſagam noſtrum, fidelem veluti miniſtrum in excipiendis protervorum hominum Confeſſionibus, informandiſque ad pietatem animabus, Sacrorum ſermonum, ac Spiritualium exercitationum numquam fere intermiſſo adjumento. Tam probi inſtitutoris exemplo permotus tranſiit ad Seminarium Urbanum *de la Canonica* nuncupatum, ut celebris pietate Viri Joſephi Oldoni, ad imbuendos Eccleſiaſticæ virtutis præceptis clericos, labores levaret; quo ad Superos, ut par eſt credere, evocato, tam arduum onus Geſſaga ſubiit anno Salutis noſtræ MDCCXVIII. Præfecturâ Spiritualium exercitationum, & clericorum Canonicæ Confeſſoris officio non contentus Geſſaga, directionem quamplurium in Seculo viventium cujuſcumque gradus hominum lubens ſuſcepit; rudiores non aſpernatus, quos nocte dieque ad perfectam vivendi normam ſedulâ curâ, & patienti induſtriâ informabat, mortique proximos ad extremum uſque anhelitum non deſerebat. Juſtus proborum hominum æſtimator Card. Archiepiſcopus Odeſcalchus, promoto è Theologali Præbenda Collegiatæ Baſilicæ Sancti Nazarii ad ſubeundam Pœnitentiarii Majoris in Metropolitana Eccleſia Dignitatem Joanne Antonio Vicemala, Geſſagam noſtrum illi in Nazariana ſubſtituit; ubi B. Virginis Sacellum polito, & verſicolori marmore ex ligneo è fundamentis erigendum curavit. Vivis erepto Presbytero Tonetta Congregationis Oblatorum, quo adnitente exordium habuit Mediolani Aſceterium Monialium Ordinis S. Franciſci Saleſii, ſubſtitutus fuit Geſſaga ad Patris, quem vocant, Spiritualis munus obeundum, cùm jam antea Religioſas illas Mulieres ad fovendum Sancti Epiſcopi Genevenſis Spiritum, monitis, epiſtolis, conſiliiſque excitaſſet. Quinquaginta ſex Eccleſiaſticorum Virorum, totidemque Equitum, ac Matronarum Societatem in Eccleſia Viſitationis S. Mariæ inſtituit, ad quorum profectum Opus elaboravit, primo loco infra recenſendum. Currente demum anno MDCCXLI., quum decem dierum ſpatio, juxta morem, Religioſas paternæ curæ commiſſas, pabulo Evangelicæ veritatis foviſſet, ad levandum animum, corpuſque naturâ obæſum ad campeſtre ocium ſe contulit, ubi die Veneris XXVII. Octobris febri correptus, imminentem ſibi mortem perſenſit; ideoque craſtina die Navigio per Canale, quod à Ticino ad Urbem defluit, domum revectus, haud multò poſt Sacra Confeſſione expiatus, cùm vomitu urgente Sanctiſſimum Chriſti Corpus ſumere prohiberetur, ad plures abiit, LVI. ætatis annum non adhuc attingens. Sepultus eſt in Tumulo Canonicorum Baſilicæ Nazarianæ, penès quos tam digni Collegæ viget recordatio, haud facilè interitura.

Superſunt illius Opera:

I. Regole per l'Aſſociazione di S. Franceſco di Sales: *Milano, preſſo Giuſeppe Richini*, 1735. *in* 12.

II. Motivi, o ſieno Avvertimenti cavati dalle Opere di S. Franceſco di Sales per ciaſcun giorno dell'Anno. Ext. ibidem.

III. Orazione funebre per le Eſequie celebrate nella Baſilica di S. Ambrogio al Sig. Cardinale Benedetto Odeſcalchi, altre volte Arciveſcovo di Milano. MS.

IV. Eſercizj Spirituali per i Cherici della Canonica.

V. Eſercizj Spirituali per gli Ordinandi.

VI. Eſercizj Spirituali per le Religioſe.

VII. Eſercizj Spirituali per le Dame.

VIII. Eſercizj Spirituali per i Cavalieri.

IX. Eſercizj Spirituali per i Sacerdoti.

X. Eſercizj Spirituali per i Secolari.

XI. Faſciculus multarum Concionum è ſuggeſtu habitarum.

Hæc omnia ſervantur MSS. apud Carolum Galbiatum, qui nobis humaniter inviſenda communicavit.

Geſſagam laudavit S. T. D. Bartholomæus Caſtellus Congregat. Oblatorum in Catalogo Virorum inſignium ejuſdem Congregat., qui ſervatur MS. in Collegio S. Sepulchri, necnon ejuſdem cum laude meminit Maria Ignatia Coſta de la Trinité, Ord. Viſitationis S. Mariæ Monaſterii hujus Urbis Antiſtita, in Literis Circularibus, vulgatis ſub die XXX. Octobris MDCCXLI.

MDCCCCLXXIII.

Digitized by Google

## MDCCCCLXXIII.

### GESSATUS GULLIELMUS.

Cùm Mediolanenſes anno MCLXII. à Friderico I. Auguſto, qui Œnobarbus cognominatus eſt, arctiſſimâ cingerentur obſidione, ut eò faciliùs patriam propugnarent, quo Civium animi concordiùs unirentur, exortas inter Creditores, ac Debitores controverſias, conditis hac ſuper re Statutis, comprimere ſtuduerunt. Id muneris injunctum fuit Viris quatuor, poteſtate factâ, quidquid in commune bonum redundare poſſet, ſanciendi. Ex eorum numero fuit Gullielmus Geſſatus magnæ prudentiæ Civis, & ſummo in Patriam amore præditus, qui, communicato cum Collegis conſilio,

Promulgavit

I. Statuta inter Creditores, & Debitores obſervanda.
Hæc ex Corio hauſit Comes Octavius Archintus in laborioſiſſima æquè ac inſigni Collectione ſua MS. quâ tam ſæpe in hoc Opere uſi ſumus.

## MDCCCCLXXIV.

### GHERARDUS UBALDUS.

Ubaldi Gherardi Mediolanenſis non ideo nomen omiſimus in priori Scriptorum hujus Bibliothecæ Indice, quòd eum omnino expungere meditaremur, ſed pudori ducebamus nudam hominis nuncupationem, & inconditam Operum notitiam optimis Lectoribus ingerere. Pudorem vicit neceſſitas, omnique moto, ut ajunt, lapide nihil amplius reperientes, Moriggiam, & Picinellum ſequi coacti ſumus, & illa tantummodo referre, quæ jejunè quidem, ſed pro more ſuo, de Scriptore hoc tradiderunt. Vates certè fuit Ubaldus noſter, ut videtur, non contemnendo præditus ingenio, cùm floruerit Seculo XVI., ut indicat editio libri num. I. indicandi. Plurimum etiam juventutis moribus componendis vacavit, cujus rei teſtem dabimus infra Bernardinum Baldinum. Ceterùm pauca hæc boni conſulas Lector candide; plura enim fortaſſe tempus proferet.

Scripſit:

I. Odas aliquot Latinas. Extant in libro, cui titulus: „ Carmina Poëtarum Nobilium. *Mediol.* 1563. *in* 8. Fortè hæc ſunt Carmina, quæ Scriptori noſtro tribuit Paulus Moriggia loco citando.
II. De moribus juvenum. Hoc Opus in lucem prodiiſſe indicat Carmen jam memorati Baldini in libro inſcripto: Luſus: quod hic ſubnectimus:

*Qui virtutis amant inſignia pulchra doceri,*
*Quæque ſequi juvenes, quæque cavere decet,*
*Ubaldi cultum diſcant opus, indice libro*
*Hoc rectum pubes lecta tenebit iter.*

De eo cit. Moriggia lib. III. Nobil. Mediol. cap. XI. ac Picinell. pag. 511.

## MDCCCCLXXV.

### GHIOLDUS CAROLUS.

Inter Viros illuſtres Ghioldæ Gentis hujus Urbis claruit anno MCCCX. Gaſparinus, ab Henrico VII. Imper. Comes Palatinus S. R. I. creatus, ut ex Diplomate per Clariſs. Sitonum viſo. Carolus interim Ghioldus Mediolanenſis optimo ingenio præditus ab ipſa pueritia bonis incubuit litteris, nam in Seminario Majori patriæ decem annos integros Rhetoricæ, Philoſophiæ, atque divinis ſcientiis dedit operam. Inter Oblatos SS. Ambroſii, & Caroli cooptatus Presbyter effectus eſt, atque Theologicâ Laureâ honeſtari meruit. Mox ſtudiis præficitur in Collegio Helvetico, ubi jubente celeberrimo Cardinali Archiepiſcopo Friderico Borromæo anno MDCXXX. Alumnos Philoſophicis, & Theologicis ſtudiis imbuit. Sequenti triennio nedum præfatis Alumnis, verùm etiam Seminarii memorati Clericis ſacras Quæſtiones egregiè tradidit. Genuam evocatus, Thomam de Auria Turſenſis Ducis filium Theologiam docuit, mox à Cæſare Montio Cardinali Archipræſule Theologali Præbenda decoratur in Baſilica Apoſtolorum, vulgò S. Nazarii, hujus Metropolis, addito munere Cenſoris librorum, aliiſque præclaris officiis. Ægrè ferimus tanti Viri Opera, quorum meminit Picinellus infra citandus, quo ſcribente adhuc Ghioldus vivebat, imperfecta, ut tunc erant, forſitan remanſiſſe, vel, quod magis dolendum, omnino excidiſſe.

Superſunt tamen

I. Ragionamento fatto nel Duomo a' Tribunali l'anno MDCLVI. *Milano, per il Monza, l'anno ſteſſo, in* 4. Hunc inſcripſit Cardinali Alphonſo Littæ.
II. Alcune Impreſe. Inſertæ ſunt ſparſim in Opere memorati Picinelli, inſcripto: *il Mondo Simbolico.*
III. Opera varia erudita, de quibus Picinellus, ut diximus. Laudatur ab eodem Picinello in Athenæo pag 118., & Joh. Petro Puricellio in Diſſertat. Nazar. pag. 3.

## MDCCCCLXXVI.

### GLUSSIANUS ANTONIUS.

Quamvis nimis ſerò præclariſſimorum Virorum notitia ad nos pervenerit, qui verè inſigni Capitulo Canonicorum Ordinariorum Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis Statuta condidere; gratulamur nobis tamen, quod ſaltem in Additione, quam tractamus, eorum nomina liceat inſerere. Hos inter primus elementario ordine occurrit Antonius Gluſſianus, inter ipſos Canonicos cooptatus, & eo tempore in Subdiaconatus Ordine conſtitutus, qui unà cum Collegis loco ſuo memorandis die XX. menſis Aprilis, anno reparatæ Salutis humanæ MCCCLXXVII. æternum hoc beneficium clariſſimo Cœtui contulit. Adhuc erat in vivis anno MCCCCIV.

Scripſit igitur

I. Statuta ejuſdem Eccleſiæ eo anno, & die publicata: MS. in fol. in Archintea.
Meminit hujus præclari Viri amiciſſimus JC. Sitonus in Schedis.

MDCCCCLXXVII.

Digitized by Google

MDCCCCLXXVII.

GLUSSIANUS BONAGRATIA.

BOnagratia Gluſſianus Mediolanenſis Theologiæ peritiſſimus Vir inter Minores Obſervantes nuncupatos floruit ſuperiore Seculo. Excidiſſet nobis Scriptor iſte, niſi monentibus amicis, manuſcriptus illius Codex infra laudandus ad noſtram deveniſſet notitiam. Nemo tamen expectet Gluſſiani hujus Acta; illa enim, quamvis omni ſtudio petita, reperire datum non fuit. Ad ejuſdem Inſtituti Profeſſores pertinebit plura ſuppeditare.

Elucubravit Opus ſic inſcriptum:

I. Tractatus de juſtificatione hominis, ex pluribus doctrinæ Scoti locis acceptus, anno MDCXLIV. MS. in 4. Servatur in Bibliotheca S. Bernardini Veronæ.

MDCCCCLXXVIII.

GRIMALDUS JOANNES PETRUS.

JOannes Petrus Grimaldus, origine quidem Genuenſis, ſed in clariſſimo Modoëtienſi Oppido Ducatus Mediolanenſis natus, Carmelitarum Inſtitutum florenti ætate ſuſcipiens, in eo bonis artibus ſedulam dedit operam. Theologiam præſertim ſic didicit, ut in ea magiſterium obtinuerit; mox ſtudiorum Regens Patavii primùm, inde etiam in Urbe fuerit renunciatus. Prior Genuenſe rexit Cœnobium, ibidemque floruit Sacræ Inquiſitionis Conſultor. In Provincia Germaniæ inferioris Commiſſarius generalis extitit, & Provincialis Angliæ munus obivit. His præclaris muneribus illuſtris obiit Genuæ anno MDCXXXI. Facundiam ipſius in Orationibus præſertim Latinis tota Romana Curia mirata eſt, atque ut etiam poſteri ea fruerentur,

Vulgatæ ſunt:

I. Orationes Fr. Joannis Petri Grimaldi Carmelitæ Mediolanenſis à Modoëtia Angliæ Provincialis, & Collegii D. Mariæ Tranſpontinæ Regentis, habitæ in Sacello Apoſtolico coram SS. D. N. Paulo V., Sacroque Purpuratorum Patrum Senatu, ad Cardinalem Scipionem Borgheſium. *Romæ*, *apud Facciottum*, 1613. *in* 4.
Ex Speculo Carmelitarum part. III. de Viris Illuſtribus pag. 1072. num. 3741.

MDCCCCLXXIX.

GRISONIANUS BENIGNUS.

NOn ſemel queſti ſumus in hoc Opere de monumentis deperditis Eruditorum Virorum non tantùm veterum, ſed, quod magis mirum videtur, recentiorum. Querelam nunc renovare cogimur acturi de Benigno Griſoniano, qui certè Mediolanenſis fuit, ut in titulo Operis mox indicandi ipſe apertè ſcribit; ſed tamen adeò incognitus Civibus ſuis exiſtit, ut nemo prorſus vel tantillum de geſtis ejus, vel emortuali ſaltem anno ſuppeditaverit. Cùm autem ex ſcriptis Clariſſimi Viri Pauli Segneri Societ. Jeſu, divini Verbi præconis eximii, ſe profeciſſe teſtetur, exeunte Seculo XVI. vixiſſe videtur.

En Operis ejus lectu, typiſque digniſſimi titulum:

I. Il Segretario inſtrutto, libri III. MS. in 4. In ipſis non tantùm Epiſtolæ plures leguntur optimo ſtylo exaratæ, ſed Regulæ quoque proponuntur pro illis ſcribendis linguâ meliori Italicâ, exemplis adductis celeberrimorum Virorum, Panigarolæ nempe, Segneri, aliorumque Eruditorum. Extat apud Minores Obſerv. S. Mariæ Gratiarum Modoëtiæ.

# H

MDCCCCLXXX.

HELIODORUS.

HEliodorum Monachum Mediolanenſem ignoravit Armellinus; nihil enim omnino de ipſo, ejuſque Opere memorat in ſua Bibliotheca Benedictino-Caſſinenſi. Credendum eſt iccirco, Cœnobitam hunc fortaſſe inter Cluniacenſis Congregationis Alumnos, qui plura olim habuere in hac Urbe Monaſteria, recenſendum eſſe. Illum indicavit Clariſs. Abbas Fuſius, ex cujus fide nos etiam Scriptorem, & Librum proferimus. Vixiſſe videtur circa finem Seculi XVI.

Edidit Opus inſcriptum

I. De Sacramento Baptiſmi. *Cremonæ*, 1590. *in* 8.
Ex citato Fuſio in Append. MS. ad Picinellum.

A S. JO. BAPTISTA JO. TADDÆUS.
V. MONTIUS DOMINICUS ANTONIUS.

MDCCCCLXXXI.

Digitized by Google

# L

## MDCCCCLXXXI.

## LUCCIONUS THOMAS.

THomam Luccionum de Bonifacio ab eruditiſſimis Viris Quetif, & Eccard in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædicatorum memoratum prætermiſeramus, quòd ſuſpicio ſubiiſſet, eum Bonifacii in Corſica Inſula natum fuiſſe, præcipuè cùm Genuæ, ut dicemus, longam traxerit moram, atque ſupremam diem clauſerit. Melioribus nunc fulti documentis, Mediolanenſibus Scriptoribus addimus, cùm verè hìc lucem viderit, immo etiam in celebri S. Euſtorgii Cœnobio S. Dominici Inſtitutum ſuſceperit, quamvis poſtea Genuenſi Aſceterio S. Mariæ de Caſtello addictus fuerit, ſive, ut ajunt, transfiliatus. Quantùm eſſet Theologiæ peritus, indicat Magiſterium ei collatum in generalibus Comitiis Romæ habitis anno Salutis MDCLXXXVI. In utriuſque Lombardiæ Provincia plurimam ſibi famam in tradendis Theologicis diſciplinis acquiſivit, & in ea, quam S. Petri Martyris appellant, diutiùs hoc munus exercuit Regens ſtudiorum conſtitutus in præfato Cœnobio S. Euſtorgii. Verbum quoque Divinum XXX. per annos in celeberrimis Italiæ Urbibus magno cum plauſu populis miniſtravit. Neque minor eluxit in eo Juris Canonici peritiæ, ob quam à Januenſi Archiepiſcopo Examinator Synodalis creari meruit, quod officium XX. fermè annos geſſit. Prædictam utriuſque Lombardiæ Provinciam, poſt alios minores gradus, cum imperio adminiſtravit. Deceſſit tandem ſenio confectus Genuæ anno Salutis MDCCX.

Scripſit Opera his titulis prænotata:

I. Veritatis moralis, ſeu doctrinæ probabilis inveſtigatio. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1702. *in* 4.

II. Ancile veritatis ad faciendam vindictam ſanctam in nationibus ampliſſimi Imperii Sinarum, illiuſque Reges, Nobiles, Mandarinos, Litteratos, & cultus Chinenſium propugnatores alligandos in compedibus, & in manicis ferreis, ut faciant judicium conſcriptum Omnipotentis Dei, ejuſque dilectiſſimæ Sponſæ S. R. Eccleſiæ. Extat in præcitato Opere à pag. 391. ad 539.

III. La Predica di Salomone nel libro dell' Eccleſiaſte dearticolata, e dedicata alla M. R. M. Suor Maria Deodata Spinola. *Genova, per il Franchello*, 1705. *in* 8.

IV. Elucidarium Vitæ, & Operum D. Thomæ Aquinatis. *Genuæ, typis iiſdem, eodem anno, in* 12.

V. Plurima ad utramque Theologiam Scholaſticam, & paræneticam ſpectantia MSS. apud Suos Genuæ.

Laudatur à præcitatis Clariſſ. Viris Quetif, & Eccard in Tomo II. Script. Ord. Prædic. fol. 777.

# M

## MDCCCCLXXXII.

## MADDIA MARIA ROSA FELIX.

CAdente præterito Seculo, & ſequentis initio, celebres illi Viri Carolus Maria, & Michaël, è gente Maddia, Senatus Mediolanenſis à Secretis, Pater, ac Filius, quorum ſupra debita cum laude ſuo loco meminimus, eloquentiæ. ac omnigenæ ferme literaturæ perlucidum in ſe ipſis ſpeculum exhibuere. Nunc prætereundam minimè cenſuimus Mariam Roſam Felicem, cujus ingenium humilitas intra Septa Religioſiſſimi Aſceterii haud facilè celare potuit, quin Mediolano innotuerit. Prædicti Caroli Mariæ Philoſophi, ac Poëtæ clariſſimi, necnon Angelæ Ripæ filia, edita eſt in lucem Maria Roſa anno MDCLXIX. die XVIII. Octobris, atque in ipſis vitæ primordiis pluſquam fœmineum animum ad virtutis exercitium oſtendit. Gallicam linguam, & chorearum ducendarum normam optimè didicit, quinimmo & Picturæ ſeſe addixit, jamjam parentis ſui pediſſequa in concinnandis Mediolanenſi dialecto ſtrictis metro cantionibus, quas fratribus, ſororibuſque recitabat. Pubertatis limites attingens, ad proprias ſexus diſciplinas addiſcendas in Regio Collegio à Guaſtallenſi Comitiſſa Torella pro puellarum educatione inſtituto in hac Urbe, vulgò *de la Guaſtalla* appellato, locum habuit, ubi quinquennio immorata, totam ſe Divino cultui mancipare decrevit in Monaſterio, Beatæ Virginis ab Angelo Salutatæ Inſtitutum ſervante, quod hìc Mediolani Dolorum Sanctiſſimæ Deiparæ nomen obtinuit, & communiori appellatione *delle Celeſti*, ſeu *delle Turchine* vocatur. Annos igitur ætatis ſuæ XVII. nondum prætergreſſa, die XXIX. Septembris, anni MDCLXXXVII Mundo valedixit, totam Divino cultui, atque æternarum rerum contemplationi ſe addicens, tanto perfectioris vitæ experimento, ut inter probatas illas Virgines, ceu Sol inter ſidera, clariori lumine emicuerit, & prima honorum ſubſellia conſcenderit; in quorum ſedula adminiſtratione totum penè religioſæ vitæ ſpatium, cara omnibus, & communis quietis ſalutiſque ſollicita, amoris ac zeli plena, laudabiliter impendit. Tyrocinio præpoſita fuit Magiſtra, mox domeſticarum rerum curæ præfuit; dehinc Antiſtitæ Adjutrix, mox Mater ceterarum XV. annis præſedit, quo in munere tamdem occubuit. Mei non eſt inſtituti, geſta ipſius Cœlo acceptiſſima, ac dolores, quos invictâ patientiâ pertulit, recenſere; id enim in ejus Vitæ narratione, quæ propediem publicam in lucem eſt producenda, per ſeriem enarrabitur: hoc tantummodo addam, eâ, qua exuberabat, in Deum, ac Sorores charitate ductam, vel ut Datori omnium, ſuo ac ceterarum nomine, grates referret; ſeu, ut ſocias ad virtutes adamandas excitaret, quinimmo, ut eaſdem opportuno tempore recrearet, nonnulla proprio marte Maddiam noſtram ſcripſiſſe Poëmata Italica, quorum infra mentio recurret. Plures per annos plagam in crure ſuſtinuit, quin aliquam dolorum voluerit conſciam, præter ſe ipſam; non potuit tamen tuſſim celare, quam parciſſimus cibus, & vigilatæ ut plurimùm in Oratione noctes, necnon ætas ad ſenium declinans, familiarem effecerant: tantis igitur morbis vexata, tamdem dierum curſum optimè implevit anno Salutis MDCCXXXVIII., die Dominico menſis Aprilis, tam piæ Matris deſiderium religioſis Monialibus ſui Parthenonis relinquens, penès quas omni ævo ejuſdem vigebit recordatio, durabuntque virtutum exempla.



Digitized by Google

Apud Literatos famam ſui nominis commendavit, ob

I. Giardino di Fiori, raccolto dalle Opere di S. Gertrude. MS. in 4. apud ſuas Moniales.

II. Norma di ben adempire tutte le cariche dell' Iſtituto delle Celeſti, per l'eſatta oſſervanza delle loro Regole. MS. in 4. ibidem.

III. Varie Prediche da eſſa fatte, e recitate nel Refettorio, tra le quali una ſopra il Teſto del Vangelo: *Domine, ſi vis, potes me mundare*. MSS. ibidem.

IV. Divozione a S. Ignazio di Lojola, cominciando dal giorno XXVI. di Maggio, in cui nacque, ſino al XXXI. di Luglio, in cui ſi celebra la di Lui Feſta. MS. ibid.

V. Novena ad onore di S. Roſa di Lima. MS. ibidem.

VI. Atti di Divozione all'Arcangelo S. Michele, a S. Maria Maddalena, e S. Gertrude. MS. ibidem.

VII. Dialogo fra l'Angiolo Cuſtode, e l'Anima. MS. ibid.

VIII. Dodici Trombe ſenza fiato per i giorni della Ricreazione comune di ogni Meſe. Poëmata ſunt XII. Mediolanenſi vernaculâ linguâ conſcripta, nempè

1. De Humilitate.
2. De Inſtituto Monialium S. Mariæ ab Angelo Salutatæ.
3. De tribus cauſis, quibus Deus Animas ad ſe trahit; videlicet: *Sopra de i tre Perchè?*
4. De Charitate.
5. De puritate Spiritus.
6. De ſimplicitate Virtutis.
7. De vana hominum æſtimatione.
8. De quiete Cordis.
9. Unde proveniant Tentationes.
10. De non curandis mundanis eventibus.
11. & 12. De Virgine deſideriorum.

IX. Tria alia Poëmata compoſuit de tribus Virtutibus Theologicis, quæ ſervantur MSS. in ſuo Monaſterio, & apud Clariſs. Saxium.

X. Dialogo di due Donne: cioè Trabatacca, e Beninteſa, e del Frate Confeſſore di Trabatacca. MS. apud Fratres de Ayroldis. Poſtremus hic fœtus eſt illius ingenii, ut in fine notatur; eâdemque vulgari Dialecto Mediolanenſi compoſitus fuit.

XI. Multa Epigrammata, vulgò *Sonetti, e Madrigali*, Italica, & Mediolanenſi linguâ conſcripta, quorum plura egomet vidi ſatis concinnè lucubrata.

Ad eam ſcripſit plures Epiſtolas Carolus Maria Maddius genitor, quæ leguntur editæ in Collectione ejuſdem Operum, facta à Clariſs. Muratorio, atque impreſſa *Mediolani in Regia Curia, anno* 1700.

Eam laudarunt P. Jo. Philippus Bovius Soc. Jeſu, in Vita Comitiſſæ Mariæ Chriſtinæ Meſſerati, edita in 8. *Mediolani, in Regia Curia*, 1740. Clariſs. Saxius in MS. Teſtimonio Virtutum ejuſdem, P. Jo. Ambroſius Gallarati Soc. Jeſu in Epiſtolis, & plures alii, qui nomen ſuum mihi in publicum producere non permiſerunt.

## MDCCCCLXXXIII.

## MALDURA CAROLUS EMMANUEL.

CArolus Emmanuel Maldura Mediolanenſis Ludovici filius, cùm ſacro ſe Ciſtercienſium dicaſſet Ordini, generis ſui nobilitatem, virtutum omnium claritate cumulavit; brevì enim ad Præſulis variis in Cœnobiis dignitatem aſcendit, Ambroſiani videlicet in Patria ab anno MDCLI. ad MDCLIV. inde Parmenſis, deinde Charævallenſis tam in agro Mediolanenſi, quàm Placentino ſupra decennium Præſes enituit. Tale autem nomen ſibi conquiſivit, quale ſummis cum laudibus depromitur à Joanne Petro Puricello, atque Bartholomæo Areſio infra citandis. Non parum verò huic inſigni Viro Ciſtercienſis Familia obſtricta eſt, quemadmodum facilè noſcet, qui lucubrationem illius ſummo labore compactam non ignoraverit. Poſtremus ipſius vitæ annus nos latet.

Scripſit:

I. Syllabum Scriptorum Italorum, qui in Ciſtercienſi Ordine floruerunt. Citatur ſæpiſſimè apud de VViſch in Biblioth. ejuſdem Sacri Ordinis.

Laudatur à citatis Puricello in Diſſert. Nazariana, cap. 131. pag. 14. Bartholomæo Ariſio in Chronologica Serie Abbatum S. Ambroſii pag. 98. art. 128. Clariſs. Abbate Fuſio in Adden. MSS. ad Athenæum Picinelli; & demum JC. Sitonus noſter in Monum. Nob. Familiæ de Vitalibus impreſſis *Mediol. penès Malateſtam*, 1721. *in fol.* ipſum commendat pag. 7. ſicut & in Schedis, è queis nobis tradidit ipſius ſtemma Genealogicum ab Henrico Maldura anno MCCCCLXX. vivente ad uſque Auctorem noſtrum deductum.

## MDCCCCLXXXIV.

## MANLIUS THEODORUS.

BReviſſimè jam meminimus in Articulo MXXXIII. hujus Operis, dum de Manlio Flagrio ageremus, Viri præſtantiſſimi Manlii, ſive mavis Mallii, Theodori, quem Mediolanenſem cum Chalco noſtro quidem credidimus; arbitrati tamen ipſum inter Scriptores non recenſendum, cùm nondum nobis Opera illius innotuiſſent. Verumtamen diligenter inſpectâ Panegyri Claudiani ibidem indicatâ, nefas duximus tantum decus huic Inſubriæ Metropoli adimere, cùm in ea metrica laudatione non infimi nominis Opera à Manlio compoſita recenſeantur. Juvat igitur primùm, quædam de Actibus ejus diſſerere, potiſſimùm ex præfato Claudiano hauſta. Neque verò hîc repetere placet vetuſta Familiæ Monumenta in hac Urbe adhuc extantia, præcipuè verò Epitaphium Manliæ Dedaliæ Virginis Deo Sacræ in Ambroſiana Baſilica quieſcentis, quam Sororem Scriptoris noſtri fuiſſe nullatenus dubitamus, quod quidem Elogium in jam citato Articulo MXXXIII. integrum protulimus. Ligurem profectò Theodorum noſtrum Claudianus vocat, at quemadmodum alibi diximus, id nullum nobis negotium faceſſit, cùm per ea tempora latiùs pateret Liguriæ nomen, & Mediolanum includeret; quod Eruditis notiſſimum eſſe non ambigimus. Ab ipſa igitur adoleſcentia Oratoriâ excultus arte, diu in Romano Foro tutatus eſt reos, mirantibus Civibus ſolidam ejus facundiam. Lybiam primùm cum poteſtate adminiſtravit, mox Macedoniam. Romam revocatus, ſupplicibus libellis, Cæſareoque Ærario præficitur, inde Moderator datus eſt Hiſpaniæ, Germaniæ, atque Britanniæ. Hos magiſtratus geſſit Theodorus juvenilibus annis; maturiore autem ætate, ſtudiorum curæ ſe rurſus tradidit, Philoſophiæ præſertim Morali, Phyſicæ, & Aſtrologiæ, & libros æternitate dignos de hiſce facultatibus conſcripſit infra memorandos, ut videtur, in ſuburbano, quò ſe receperat, & ne Curuncanos, atque Curios Mediolanum Romæ invideret, agriculturæ vacabat, cùm tantiſper à Muſis animus eſſet relaxandus. Interim denuò ad Aulam adſcitus, Italiæ, Africæ, Illyrico, Inſuliſque Maris Liguſtici, Tyrrheni, atque Ionii Moderator conſtituitur. Animo fuit modeſtiſſimo inter ſummos honores, clariſſimaſque Præfecturas; Conſulatum enim geſſit cum Flavio Eutropio anno Æræ Chriſtianæ CCCXCIX., quem illi collatum honorem præmemoratus Claudianus carminibus celebravit. Securi autem Eutropio Collegâ percuſſo, Theodori tantùm nomine notatus eſt annus in publicis Monumentis. Miramur tamen hunc ſolùm Conſulatum Manlii noſtri in Faſtos fuiſſe relatum, cùm jam pridem eodem functum munere indicet non obſcurè Poëta ipſe in Panegyris initio, his verſibus:

*Te quoque naturæ ſacris, mundique vacantem,*
*Emeritum pridem, deſudatiſque remotum*
*Judiciis, eadem rurſum complexa poteſtas*
*Evehit, & reducem notis imponit habenis.*

Verùm

Verùm hæc alii videant, quibus Romana rudera ſcrutari cura eſt. Illud nos adjiciemus, vota Claudiani toties citati non inania fuiſſe, qui in fine citati Operis ait:

*Accipiat Patris exemplum, tribuatque nepoti*
*Filius, & cœptis ne deſit faſcibus hæres.*
*Decurrat trabeata domus, tradatque ſecures*
*Mutua poſteritas, ſervatoque ordine fati*
*Mallia continuo numeretur Conſule proles.*

Arbitramur enim Manlium Theodorum, qui anno Chriſti DV. cum Sabiniano Conſul fuit, Nepotem ex Filio Auctoris noſtri extitiſſe. Ceterùm, ut ad hunc ſermo recurrat, amicus fuit Theodorus Sanctiſſimo Præſuli, Eccleſiæque Doctori celeberrimo Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo, qui eum fortè primò noverat, tunc cùm Mediolani eloquentiam profitebatur; quocirca inſcripſit eidem Sanctus Doctor librum ſuum de Beata Vita, ipſum quandoque appellans mente præſtantiſſimum. Hæc de Manlio noſtro novimus; cetera verò ipſius acta interierunt, quodque magis dolendum, neque ſcripta Viri clariſſimi ad nos pervenere. Illa igitur indicare tantùm poſſumus ex his, quæ Claudianus ſæpiſſimè memoratus titulo tenùs indicat.

Ea ſunt:

I. De Præceptis Philoſophorum; variiſque eorum de Mundi primordiis ſententiis.
II. De Syderum motu, Eclypſibus, & Meteoris.
III. Carmina plura, inter quæ conjicere licet Epitaphium Manliæ Dedaliæ, de quo jam diximus.

Laudatur à pluribus, inter quos etiam à Poſſevino in Appar. Sacro Tom. II. pag. 375., & à Collectoribus Faſtorum Conſularium, atque ab Hoffmanno in Lexico Univerſali, ubi perperam vocatur Manlius Theodoricus.

## MDCCCCLXXXV.

## MANZONA JUSTA FRANCISCA.

NOn patriæ tantùm, ſed ætatis quoque noſtræ, & fœminei ſexus decus Franciſca Manzona Cæſarem Alphonſum JC. atque Cauſidicum Collegiatum, ac Mariam Catharinam Clavenam Jugales habuit parentes. Vitales hauſit auras III. Nonas Maji anno Chriſti MDCCX. in Urbe Mediolanenſi, ſedulàque parentum curâ inter pietatis, ſtudiorumque rudimenta adolevit; quamvis non ſemel teneris adhuc annis graves fuerit perpeſſa morbos, à quibus ſervatam ſe piæ parentis ſuæ precibus affirmabat. Ingenium ſortita perſpicuum, & memoriam planè mirabilem, è ſolis Eruditorum, qui frequentes ad Ædes illius conveniebant, colloquiis perfectam Sermonis, atque Poëſis tam Latinæ, quàm Italicæ ſibi peritiem comparavit. Nullo præceptore uſa, Gallicè, Hiſpanicèque loqui didicit, quibus animi ornamentis, ut Græci etiam Idiomatis adderet decus, ſic ejus linguæ præceptis dedit operam, ut verba facientem peritiſſimi quoque mirarentur. Et profectò, ſi vita comes fuiſſet, quantùm Græcè ſciret poſteris quoque innotuiſſet; meditabatur enim Euripidis, quæ extant, Tragœdias Italicis reddere verſibus. Per ſe ipſam Geometriæ, celeberrimiſque Philoſophorum Syſtematibus navavit, quorum omnium arcana ex MSS. editiſque Codicibus nemine tradente percepit. Mirum qua eruditione Hiſtoriam, Ritus, Mores ex antiquitate præſertim petitos calleret; neque Juriſprudentiam inſalutatam reliquit, cujus fundamentis optimè ſe imbutam demonſtrabat. Divinos Codices, in quibus veræ ſapientiæ documenta Summus rerum Opifex mortalibus tradidit, magna ex parte memoriæ commendaverat. Hinc mores candidi, compoſituſque oris & animi pudor, & rara in doctis humilitas; qua tam demiſsè de ſcriptis ſuis, ſequè ſentiebat, ut ambigerent omnes, quid prius in præclara indole habendum foret, modeſtia an doctrina. Hinc ſumma ſcribendi tam ſolutâ, quam adſtrictâ numeris Oratione facilitas, & nunquam intermiſſus ſtudiorum labor. Matre orbata, in Sacrarum Virginum Aſceterium Sanctæ Luciæ dicatum ſe contulit, ibique vitam traxit ad IV. Id. Aprilis anni MDCCXLI. quo die Aloyſio Juſto Veneto non ignotæ eruditionis Viro nupſit. Celeberrimis Italiæ Academiis adſcripta fuit, nimirum inter Arcades Romanos aſſumpto nomine Phœniciæ Lampeaticæ, inter Ereinos Panormitanos ſub nuncupatione Aglauræ Oloniæ, inter Patavinos, qui *Ricovrati* dicuntur, inter Affidatos Ticinenſes, inter Philodoxos, & Transformatos Mediolanenſes. Auguſtiſſimæ Eliſabethæ Chriſtinæ Caroli VI. Cæſaris conjugi accepta adeò extitit, ut inſigne gemmarum donum retulerit, cùm Opus Poëticum infra memorandum nomini ejus nuncupaſſet; pluraque meditaretur beneficentiæ munera in eam conferre Auguſta Princeps, niſi heu nimium nota adverſa fors interceſſiſſet. Decimo poſt die ultimi ſui partus acutæ febris vi oppreſſa non abſque ingenti doctorum omnium mœrore, migravit è vita in Vico Cereda apud Oppidum Leucum ad Lacum Larium, annum agens XXXIII. tumulatumque Cadaver illius apud Patrem conquieſcit ad Aram dolentis Deiparæ in Sancti Joannis Templo, cui cognomen ad Caſtaneam.

Plura ſcripſit, quæ partim édita ſunt in lucem, partim adhuc typos expectant, nimirum

I. L'Eſter Tragedia. *Verona, per Gio: Alberto Tumermani*, 1733. *in* 8. Hanc Auguſtæ Eliſabethæ Chriſtinæ dicavit. Verumtamen, ut erat rerum ſuarum parciſſima æſtimatrix, hoc Opus recudere ſtuduerat, hujuſque ex integro refecti Autographa duo ſervantur unum apud prælaudatum Aloyſium Juſtum ejus Virum, alterum verò apud Clariſs. Virum P. Angelum Calogerà. Præfixam habet, præter nuncupatoriam, Diſſertationem eruditiſſimam de ipſa Tragœdia, in qua optimè habent Lectores quantæ eſſet doctrinæ tam in ſacris, quàm in profanis rebus Fœmina hæc præſtantiſſima.
II. L'Abigaile: Azione Sacra per Muſica da cantarſi nella Cappella della S. C. e C. R. M. di Carlo VI. Imperadore. *Vienna d'Auſtria, preſſo Gio. Pietro Van-Gbelen*. 1734. *in* 4.
III. La Debbora: Oratorio per Muſica nella medeſima Cappella. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1735. *in* 4.
IV. La Madre de' Maccabei: Azione Sacra per Muſica nella ſteſſa Cappella. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1737. *in* 4.
V. Il Sacrificio d'Abramo: Azione Sacra per Muſica come ſopra. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1738. *in* 4.
VI. Il Gedeone: Azione Sacra per Muſica. Hoc Opus ubi ſuperiùs enunciata harmonicis numeris concinendum paraverat. MS. ſervatur apud memoratum ejus Conjugem; prout etiam, quæ ſequuntur.
VII. L'Amata: Tragedia. Hanc elaborabat cùm acerba ipſam mors ſuſtulit. Imperfecta eſt, atque non ultra Actum primum producta. Servatur MS. apud eundem.
VIII. Le Triſtezze d'Ovidio libri V. tradotti in verſi Italiani. Hoc Opus ſub nómine tantùm „ di una Paſtorella Arcade „ impreſſum eſt in Tomo XXII. inſignis Collectionis omnium veterum Poëtarum Latinorum, cum eorundem verſione Italica Typis Mediolanenſibus.
IX. Orazioni tanto Sacre, quanto Profane. MSS. apud eundem. Ex his juſtum Volumen confici poſſet.
X. Diſſertazioni, e Lettere Latine, ed Italiane ſopra varj eruditi Argomenti. MSS. apud eundem. Ex his quoque non parvæ molis Codex coaleſceret.
XI. Vita della Ven. Serva di Dio La Madre Suor Giovanna Euſtachia della Croce Fondatrice del Sacro Moniſtero di Santa Chiara, detto nella Rocca della Città di Vigevano, diſpoſta, e compiuta da Franceſca Manzoni Milaneſe, e da eſſa conſacrata alla Illuſtriſſima Signora Conteſſa D. Maria Giovanna Cattanea. *Milano, per Giuſeppe Vigoni*, 1735. *in* 4.

XII.

XII. Varj Componimenti Poetici. Sparſim edita ſunt plura ejus Italica Carmina in Collectionibus inſignioribus hujus Seculi, non tantùm Mediolani, ſed & Romæ, Venetiis, Papiæ, Veronæ, atque in aliis præcipuis Italiæ Urbibus editis. Ex iiſdem ad manus noſtras, properante prælo, XXX. & ultra pervenere, adeout nimis Lectores noſtros fatigaremus, ſi omnia per extenſum referre voluiſſemus. Ea eminent verò inter alia, quæ numero V. leguntur in libro, cui titulus: „ Scelta di Sonetti con varie critiche „ Oſſervazioni ec. del P. Teobaldo Ceva. „ *Venezia per Domenico Occbi*, 1737. *in* 8. unà cum inſigni Elogio Manzonæ noſtræ ab eodem P. Ceva contexto. Omnes tamen doctiſſimæ iſtius Fœminæ Lucubrationes poſtremis ſuæ brevis vitæ annis ſelegerat, & emendaverat propria manu, ideoque ſperandum eſt, quòd propediem in unum Corpus collectas Reſpublica litteraria libentiſſimè eas acceptura ſit.

XIII. La Demarata: Tragedia. Hujus argumentum deſumpſerat ex Livii Decad. III. lib. V. Imperfectum eſt Opus, vix inchoatum. MS. apud eundem.

XIV. Lettere familiari. Harum plurimas nitidiſſimo ſermone Etruſco conſcriptas, in quibus de ſtudiis ſuis agit, & de prælaudata præſertim Tragœdia, de qua ſupra meminimus num. VII verba facit, & judicium poſtulat; ſervant apud ſe Autographas ipſius, dum viveret, amiciſſimi Canonicus Joannes Andreas Iricus, atque Carolus Antonius Tantius.

XV. Storia Univerſale di tutte le Donne erudite d'ogni Secolo, e d'ogni Nazione. Ad hanc arduam certè ſpartam jam à pluribus annis animum admoverat, multaque jam paraverat & numero, & ordine, & peculiaritate notabilia; ſed morte præventa tantùm Opus imperfectum reliquit in Schedis MSS. apud eundem.

XVI. L'Amadigi di Bernardo Taſſo. Præclarum hoc celeberrimi Vatis Poëma communicatis cum Viro ſuo litterariis laboribus emendatum, ſcholiis, variantibus lectionibus, aliiſque hujuſcemodi generis ornamentis auctum edere meditabatur. Illud tamen, ut ſperamus, Aloyſius Juſtus ipſe nobis non invidebit.

XVII. Cenſura al Libro intitolato „ Il Sagrifizio di Gefte „ dell'Abate Giacomo Maria Zanotti „ MS. in 4 apud eundem Juſtum.

Plurimi ad eandem magni nominis Eruditi, præſertim Itali, dederunt Epiſtolas, eamque Carminibus celebrarunt; hæcque omnia IV. Voluminibus juſtæ molis comprehenſa idem Aloyſius Juſtus cuſtodit; qui etiam Vitam illius ſcripturum ſe pollicetur.

De eadem non ſine commendatione egerunt ſupradictus P. Theobaldus Ceva in ſua Collectione Poëmatum Italicorum; Franciſcus Xaverius Quadrius Presbyrer Soc. Jeſu in Opere ſuo, cui titulus: „ Della Storia, e Ragione d'ogni Poesia „ Nos quoque eam laudavimus in Articulo Teobaldi Mariæ Vicecomitis dum Vitam ejuſdem retulimus à P. Sylveſtro de Mediolano ex Ordine Fratrum Capuccinorum ſcripta, ubi leguntur Carmina II. Manzonæ noſtræ, aliique permulti.

## MDCCCCLXXXVI.

## MARINONUS MARCUS.

GErardo patre Mediolani natus eſt Marcus Marinonus, qui adoleſcentiæ annis inter bonarum artium ſtudia tranſactis Clericali ſe militiæ addixit, cùmque doctrinæ morumque præſtantiâ emineret, anno MCCCCXLIII. defuncto Michaële Mantegatia Mediolanenſi ex Eremitarum Ordine ad Alexandrinas Infulas aſſumpto, ſucceſſor dari meruit. Annos ferme XIV. illi præfuit Eccleſiæ, nondumque expleto primo ſui regiminis anno reviviſcentes in Alexandrino populo veteres ſimultates prudentiſſimè compoſuiſſe fertur. Inde abdicato munere translatus eſt ad Sedem Urbevetanam XII. Kal. Auguſti anno Salutis MCCCCLVII. ubi Epiſcopalibus tutandis Juribus virtutem infracti pectoris, animique fortitudinem ſatis ſuperque declaravit. Cùm enim ſuper confinibus Caſtri cujuſdam inter eum, Civeſque Urbevetanos difficilis orta lis eſſet, peractis (licèt incaſſum), quæ providi Paſtoris erant, ut res amicabiliter ſedaretur, ne tandem Epiſcopii Jus excideret, Cives ipſos graviſſimo Cenſurarum telo percuſſit. Interim Conſtitutiones pro illa ætate opportuniſſimas ad Cleri, populique mores componendos, & reformandos evulgavit. Animam Creatori reddidit anno MCCCCLIV. ſuccedente ſibi in Urbevetana Cathedra Joanne Caſtillionæo Mediolanenſi Cœleſtini Papæ IV. gentili olim Baſilicæ S. Nazarii Præpoſito, Viro non generis tantùm nobilitate, ſed doctrinæ & prudentiæ quoque laude clariſſimo. Placet etiam hîc addere Inſcriptionem brevem Marinonæ familiæ, quam legimus in Collectione Co. Octavii Archinti aſſerente extaſſe in Templo S. Franciſci hujus Urbis, ſic:

MARINONORVM
DOMVS SECVNDA
DONEC TERTIA.

Laudatur igitur Marinonus ob

I. Conſtitutiones pro ſalubri Urbevetanæ Diœceſis regimine, quæ in ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopali Tabulario aſſervantur MSS.

De eo agunt Ghilinus in Annal. Alex. ad annos MCCCCXLIII., MCCCCXLIV., & MCCCCXLVII. Filidius Marabottinus in Catal. Epiſcop. Urbisveteris pag. 25. ſecundæ edit. Ughellus in Alexand. & Urbevet. Epiſc. atque JC. Sitonus in Schedis.

## MDCCCCLXXXVII.

## MARINONUS PETRUS MARTYR.

DE Petro Martyre Marinono Mediolanenſi verba facturi, id potiſſimum referemus, quod ipſe de geſtis ſuis poſteritati commendavit, ut infra dicemus. Natus ipſe eſt in hac Metropoli circa annum MDXLII. Adoleſcentiæ prioribus annis inter bonarum artium ſtudia tranſactis, XVII. ſuæ ætatis anno Congregationem Fratrum S. Ambroſii ad Nemus nuncupatam, tunc in Italia florentem, ac poſtmodum Apoſtolico mandato extinctam, ut alibi jam retulimus, amplexus fuit, habitumque ſumpſit in Cœnobio Sanctæ Catharinæ Saxi Ballarii ad Verbanum Lacum, quod nunc Fratres Carmelitæ Mantuanæ Congregationis colunt. Emiſsâ anno MDLX. ſolemni profeſſione, à Sancto Carolo Borromæo Clericalem tonſuram percepit, mox per gradus ad alios promotus Ordines, & tandem Sacerdotio initiatus primum in Templo S. Ambroſii ad Nemus Sacrificium Deo litavit anno MDLXVII. Cùm paulò poſt ad Cœnobium Parabiaghi miſſus fuiſſet, inde anno MDLXX. Mantuam ad Generalia Comitia Suorum acceſſit, & ad Aſceterium Sancti Clementis de Urbe Majorum juſſu translatus, ibi Sodalium Procuratorem aliquandiu egit. Cùm autem ad aliud Cœnobium Sancti Georgii Rivifrigidi in Tiburtina Diœceſi ſe contuliſſet, ibidem ſe totum Theologiæ, quam Moralem dicunt, quo ad Sacras Confeſſiones excipiendas aptior fieret, addixit. Mox iterum Romam revocatus, ibi inter alios Confeſſarios Lateranenſis Baſilicæ recurrente anno Jubilæi MDLXXV. à Jacobo Cardinali Sabello Summi Pontificis Vicario eligi meruit. At eo anno nondum expleto Prior datus eſt Monaſterio S. Jacobi Oppidi Bennarum in Subalpinis. Ibidem annum integrum commoratus in patrium Cœnobium reverti poſtulavit, votique compos effectus, cùm in Suburbio Olitorum menſe Auguſto peſtifera lues graſſari cœpiſſet, hortante præfato S. Carolo morbo infectorum Confeſſiones per biennium audivit. Cùm autem adhuc Mediolani degeret, Prior renunciatus eſt S. Nicolai in Urbe Mantua, expletoque munere, Vicarium geſſit in prænominato Suorum Cœnobio Mediolanenſi, atque à Majoribus totius Provinciæ Lombardiæ luſtrandæ onus impoſitum

pro-

Digitized by Google

providè ſuſtulit adeò, ut anno MDLXXXII. Ordinis Generali, valetudine, aliiſque negotiis impedito, ejus vice cetera Monaſteria Inſtituti ſui ipſo mandante inviſerit. Poſtmodum Vicarius Generalis Suorum conſtitutus in tota Gallia Ciſalpina, præfectus eſt etiam Monaſterio S. Catharinæ ſupradicto, ubi Ædes refecit, & Templum inſtauravit anno MDLXXXV. Triennio poſt Romani Cœnobii S. Clementis Prior electus fuit in Capitulo Generali, quantique apud Suos haberetur inde patet, quòd ad ſupremam dignitatem expetebatur votis omnium; id tamen aſſequi non potuit obſiſtente Cardinali Sfortia Ordinis Protectore, cui cordi erat ad eum gradum Michaëlem Murazanum evehere. Agentibus interim æmulis multa perpeſſus, & Apoſtolicæ Sedis indulto extra Clauſtra diu commoratus, ut Matri ſenio confectæ ſolatio foret, circa annum MDXCI. ad Suos remeavit. Privatus ibidem egit uſque ad annum MDCVIII. quo Tyronum illi curatio commiſſa fuit in Mantuano Monaſterio, annoque vix emenſo translatus eſt ad Præfecturam Cœnobii S. Mariæ de Vite apud Olginatum in Ducatu Mediolanenſi; indeque ad regendum aliud jam ſæpè dictum S. Ambroſii ad Nemus in Patria. Id præſtitit uſque ad annum MDCX. quo honoris dimiſſionem petiit, cùm jam ſenio gravis, ſibi tantùm, Deoque vacare exoptaret. Verumtamen anno MDCXVI. rurſus Prior eligitur Mantuani Cœnobii, atque hìc ea deſinunt, quæ ipſemet de ſe ſcripſit. Omnem movimus lapidem, ut plura ſcire liceret, vel ſaltem annum emortualem Auctoris hujus Lectores à nobis diſcerent. Fruſtra id nobis ceſſit, at non diu ſuperfuiſſe videtur, cùm jam præfato anno ætatis LXXV. attigiſſet.

Superſunt ipſius

I. Rimedj contro le ſpirituali tentazioni, ed eſercizio della mente in Dio.
II. Vita di F. Pietro Martire Marinone da lui medeſimo ſcritta.
III. Formularium litterarum patentium Ordini S. Ambroſii ad Nemus inſervientium.
IV. Catalogus eorum, qui in præfato Ordine Generalis munus geſſere.
V. Catalogus Archiepiſcoporum Mediolanenſium à Sancto Barnaba ad Cardinalem Fridericum Borromæum.
VI. De Sybillis, earumque Vaticiniis.
VII. Modus procedendi in Criminalibus.
VIII. Orationes plures pro febricitantibus, cum formula Abſolutionis plenariæ.
IX. Regola per formare il Contraponto.
X. Ricettario per diverſi mali.
XI. Delle Sette Arti liberali.
XII. De Arte Magica, ejuſque fraudibus.
XIII. Modus canendi divinum Officium in Choro.
XIV. Catalogus Summorum Pontificum à S. Petro ad Paulum V.
XV. Origine della Religione Ambrogiana di Milano.
Omnia uno Vol. MS. in 4. juſtæ molis in Biblioth. Ambroſ. ſignat. N. num. 200.

## MDCCCCLXXXVIII.

## MARTIGNONUS JOANNES FRANCISCUS.

UTinam Joannis Franciſci Martignoni Mediolanenſis ut Majores, ſic acta etiam ad noſtram perveniſſent notitiam! Liceret enim pro inſtituti noſtri ratione illa tradere Lectoribus. Miramur interea altum de ipſo ſilentium Jacobi Mangeti in ſua Bibliotheca Medica, ſed magis Bartholomæi Curtii, qui præclarum hunc Contribulem ſuum, nec de nomine ſalutavit. Ignoſcendum tamen his, cùm Opus mox indicandum non viderint; nobis enim quoque ignotus Auctor fuiſſet, niſi editus Codex fortè fuiſſet oblatus. Enumerantur ab amiciſſimo, atque in rebus Patriæ ſuæ verſatiſſimo JC. Joanne Sitono Martignonæ familiæ Decuriones plures Seculo XV. & XVI. Joannes Antonius item, & Proſper J. CC. in Collegium cooptati annis MCCCCLXXXIV. & MDXII. Ludovicus Canonicus Ordinarius Eccleſiæ Metropolitanæ hujus Urbis medio ſuperiori Seculo vivens, & Oldradus Phyſicus Collegiatus anno MDXI. florens: His etiam omnibus vetuſtior Jacobus in Medicorum Collegio recenſitus in patria, publicuſque Extraordinarius Interpres Phyſicæ in Academia Placentina anno MCCCXCVIII. degens ab Humberto Locato in Chronico Placentino, & à Petro Maria Campio in Hiſt. Eccleſ. Placent. non uno loco commendatus. Eorum veſtigiis inhærens Joannes Franciſcus, de quo nunc nobis eſt ſermo, Græcis, & Latinis vacavit litteris, tum Phyſicæ operam dedit ſedulam, qua in facultate lauream promeruit. Quæ poſtmodum egerit, quemadmodum & extremum ejus annum, delevit oblivio. Floruiſſe videtur, ut indicat ſequentis Operis editio, medio Seculo XVI.



En ejus titulum:

I. Il Giuramento, e le Sette parti degli Aforiſmi d'Ippocrate Coo, dalla lingua Greca nuovamente nel volgar Idioma tradotti dall' eccellente Dottor Fiſico, e pubblico Lettore M. Lucillo Filalteo, con alcune breviſſime annotazioni Greche, e volgari ſopraggiunte dell' eccellente Dottor Fiſico M. Giovanni Franceſco Martinione Milaneſe *In Pavia, appreſſo di Franceſco Moſcbeno*, 1552. *in* 8.
De eo, aliiſque in Articulo memoratis, mentio occurrit apud citatum JC. Sitonum tam in Chronico Collegii J. PP. articulis 267. & 370. pagg. 63. & 85. quàm in Chron. Collegii Phyſicorum part. II. art. 23. & 131. atque in Collect. Decurionali Mediol. quæ ambo MSS. ſunt apud ipſum Auctorem, demumque in Schedis.

## MDCCCCLXXXIX.

## MASSATIUS.

MAſſatius Monachus Cœnobii Ambroſiani, qui pluribus in locis Operis, de quo infra agemus, ſe Mediolanenſem apertè profitetur, ineunte Seculo XIII. floruit, morumque probitatem præſetulit ſingularem. Diſtinguendus tamen eſt ab altero Maſſatio, Viconzoni, qui Pagus eſt Ducatus Mediolanenſis prope Laudenſem agrum, nato; & corrigendus Joannes Henricus à Pflaumern, qui in Mercurio Italico ambos in unum conflavit. Hic enim poſtremus ille fuit, qui anno Salutis humanæ MCCXLII. die XXV. menſis Martii, amiſſis per aleam fortunis omnibus, pueri Salvatoris imaginem in gremio Matris ſedentem ſacrilego vulnere transfodit. Cùmque inde ſanguis non ſine inſigni prodigio manaſſet, Baſilica extructa eſt, noſtra quoque ætate celebris, ſub nomine Deiparæ ad Sanctum Satyrum, in cujus pariete Aræ Maximæ imminente adhuc colitur tranſverberata Icon, ſervaturque pugio cruentatus miraculi monumentum. Facti autem pœnitens Maſſatius Cucullam induit in memorato Monaſterio Ambroſiano, patratique ſceleris veniam à Deo ſtuduit impetrare. Scriptor autem noſter jam anno MCCII. inter Aſcetas computabatur, & Prophetiæ ſpiritu clarus vivebat. Pauca hæc de ipſius Actis novimus, reliqua feliciorem Collectorem expectabunt.

Scripſit Opus hoc titulo:

I. Prophetia Monachi Sancti Ambroſii, appellati Maſſatii; ſic incipit: „ Dum fuiſſem afflictus multis diebus,
„ videns prava, & nephanda Opera, quæ fiebant,
„ & futura erant in Civitate Mediolani, & diſtrictu,
„ tot & tantis Sanctis Corporibus dedicata, & or-
„ nata, & cum orarem, invocando noſtrum Con-
„ ſtructorem, & Patronum Ambroſium, ſupplican-
„ do,

„ do, ut dignaretur iniquitates de cordibus hominum „ ſuis ſanctis Orationibus extirpare, & Civitatem, „ & Sanctam Eccleſiam ſuam, & Populum ſibi commiſſum ab afflictionibus liberare &c. Accidit, quod „ anno Domini MCCII. in Dominica ramis Olivarum, dum eſſem in Eccleſia in choro, vidi, ac „ monſtrata mihi fuere &c. „ Vaticinium eſt de deſtructione familiæ Vicecomitum. Sic verò deſinit: „ Et tunc vox ſiluit, & plorans amaro corde, interrogavi multùm pavidus illum, qui loquebatur, „ quem non videbam, & dixi: quando hæc erunt, „ & quis erit finis? Reſpondit: Tranſibunt ſex decies decem, & trecenti anni cum mille, & poſt „ novem erunt hæc omnia mala completa; & tunc „ iterum plorans dixi: Domine, quod erit ſignum? „ Reſpondit: bina mortalitas, magna expoliatio bonorum, & exheredatio populorum, indignatio Dei, „ & fames valida. Et his dictis, cum iterum vellem interrogare, cur Omnipotens tanta permitteret, audivi: Propter peccata Clericorum, & Civitatis mortificationem inter Cives. „ Extat in Codice MS. pergameno optimæ notæ Seculi XV. ſign. H. num. 87. in fol. in Biblioth. Ambroſiana: Item in Codice pergameno characteribus Gothicis exarato Seculi XIV. in fol. reperitur penès Cl. Advocatum Sitonum de Scotia.

De utroque Maſſatio agit Boſca in Martyrol. Mediolanenſ. in Notis ad diem XXV. Martii, & XXV. Augusti.

A

B

## MDCCCCXC.

### De MEDICIS CHRISTOPHORUS.

GAbrio parente in hac Inſubriæ Metropoli editus eſt in lucem Chriſtophorus de Medicis. Optimis imbutus diſciplinis ſacrorum miniſterio ſe addixit, legibuſque Canonicis ſic vacavit, ut in Decretis Doctor meruerit renunciari, atque in Collegium Juriſperitorum hujus Urbis cooptari anno MCCCLXXXV. Jam ab anno MCCCLXXIV. Canonicus Ordinarius erat, & Archipresbyter Templi Maximi, quo in munere perſeveravit ad annum uſque MCCCXCI. Frater illi fuit Ambroſius Canonicus Eccleſiæ Leodienſis S. Bartholomæi, Rectorque Eccleſiæ de Berche in eadem Diœceſi; atque poſtmodum Canonicus Ordinarius Metropolitanæ, necnon Vicarius Archiepiſcopi Mediolanenſis annis MCCCXLIII. & ſequenti. In Cathedrali etiam Comenſi Ambroſius Canonicatum obtinuit, ipſiuſque meminit marmorea Tabula in Eccleſia S. Bartholomæi Vici Oſſonæ in Plebe Curiæ-pictæ Diœceſis Mediol. in hæc verba:

DIVO BARTHOLOMAEO AMBROSIVS MEDICES
MEDIOLANENSIS TEMPLI MAXIMI ORDINARIVS
AEDICVLAM HANC IN ARCE OSSONAE
PECVNIA SVA DOTE LOCVPLETAVIT
IVS NOMINANDI DESIGNANDVM SACERDOTEM
QVI QVOTIDIE REM DIVINAM FACIAT
FRATRIBVS SVIS LIBERIS POSTERISQVE EORVM ESSE
PERPETVO VOLVIT MCCCLXXV.
QVOD FACTVM ARCHIEPISCOPI AVCTORITATE COMPROBATVM EST
ANNO MCCCLXXXXVIII.
SIGNOROLVS MEDICES
EANDEM AVCTA DOTE EXORNARI TITVLO IVSSIT
ANNO MCCCCXLI.
IOHANNES ANTONIVS
ET IOHANNES AMBROSIVS MEDICES FRATRES
MEMORIAE SERVANDAE GRATIA FECERE
ANNO MDLXIX.

Ut autem ad Chriſtophorum ſermo redeat; is unus extitit è Viris illis doctrina, & pietate inſignibus, qui anno MCCCLXXVII. Statuta Capituli ſui condidere.

Celebratur igitur propter

I. Statuta Metropolitanæ Eccleſiæ Mediolanenſis anno MCCCLXXVII. die XX. menſis Aprilis publicata, quibus condendis & ipſe inſudavit. Extant MSS. in fol. in Biblioth. Archintea.

De eo amiciſſimus JC. Jo. Sitonus in Chronico J. PP. Mediol. art. 54. pag. 33. cui etiam debemus geneſim Auctoris.

C

D

## MDCCCCXCI.

### MELTIUS FERDINANDUS.

FErdinando Meltio Mediolanenſi parentes fuere Fabricius Cæſareus Comes Palatinus, atque Clara Vicomercata nobiles conjuges. Natalis illi annus extitit MDLXX. cùmque mille nominibus inclytam Societatem Jeſu fuiſſet amplexus, in Academia Braydenſi excolendis Adoleſcentum ingeniis diu operam dedit. Alia quoque ſui Inſtituti munera animabus adeò proficua ſedulus in vinea Domini operarius cum laude exercuiſſe fertur. Votorum IV. ut ajunt profeſſus die XXIII. menſis Decembris in Suorum

rum Genuenſi Collegio mortem lætus aſpexit, anno poſt Chriſtum natum MDCXXX. ætatis ſuæ LX.

Poſt ſe reliquit hæc Opera:

I. Vitam B. Mariæ Victoriæ Ordinis Annunciatarum Genuenſium Virginum Fundatricis. Hanc Gallicè transtulit, & edidit Ferdinandus Gyon ejuſdem Soc. Jeſu Alumnus. *Lugduni*, 1631.

II. Orationem de vera nobilitate habitam in Inſtauratione Studiorum in Templo Braydenſi. Incipit: „ Adeſt „ tandem aliquando poſt Autumnalem duorum menſium ceſſationem &c. „ MS. pagg. 30. in fol. extat in Tom. XXXVIII. Miſcell. Bibliothecæ Braydenſis.

De eo Sotwel in Biblioth. Scriptor. Soc. Jeſu.

## MDCCCCXCII.

## MENCLOTIUS GASPAR.

NOn eſt cur hoc loco de Gaſpare Menclotio verba facturi vetuſtatem hujus Gentis apud Mediolanenſes refricemus, cùm antiquiſſimam eſſe teſtentur adhuc ætate noſtra vigentia Sacerdotia, quæ Menclotiorum juris ſunt à vetuſtis Seculis. Gaſpar autem Vir non infimi apud Cives ſuos ſubſellii adeò juris, & æqui peritus floruit, ut cùm de colligendis in Corpus unum Inſubriæ tunc liberæ Conſuetudinibus ageretur, inter ceteros præſtantiſſimos Optimates, quibus hujuſcemodi ſparta contigit, legeretur. Id accidiſſe anno redempti humani generis MCCXVII. alibi jam memoravimus, cùm de ipſius Collegis mentio incidit. Quocirca deſtituti reliquorum ipſius Actuum monumentis, hanc non modicam tanti Viri laudem perquàm libenter commemoramus.

Collegit igitur cum præcitatis prudentiſſimis Civibus

I. Conſuetudines in Mediolanenſi Republica pro Legibus ſervatas.

Laudatur à Triſtano Chalco in lib. XIII. hiſt. Patriæ.

## MDCCCCXCIII.

## MONTIUS DOMINICUS ANTONIUS.

DOminicus Antonius Montius Mediolanenſis, quò liberiùs Deo famulari poſſet, florenti adhuc ætate Carmelitarum Nudipedum amplexus eſt Inſtitutum, ibique depoſitâ familiæ nuncupatione, dictus fuit Jo. Thaddæus à Sancto Joanne Baptiſta. Quantùm in ſacris ſtudiis excelluerit, ſatis oſtendunt inferiùs recenſenda illius ingenii monumenta, atque præſertim ſummam redolent pietatem, quæ ad piorum hominum animos accendendos pro ſedula divinarum rerum meditatione, cui ipſe erat addictiſſimus, conſcripſit. Cùm ſuorum Cœnobiis non ſemel præfuiſſet, religioſiſſimè deceſſit menſe Julio, anno currenti MDCCXLIII. nonagenarius.

Elaboravit, quæ hic damus:

I. Meditazioni per la mattina, e ſera di ciaſcun giorno della Settimana, ordinate al profitto ſpirituale.

Parte prima per la mattina ſopra l'Eucariſtico Sagramento, Paſſione, e Morte di Gesù Criſto.

Parte ſeconda ſopra i beneficj Divini, Peccati, Vita umana, e Noviſſimi.

Parte terza delle Meditazioni ſopra tutte le ſolennità di noſtro Signor Gesù Criſto, della Pentecoſte, e loro Ottave, della Santiſſima Trinità, e ſette Antifone maggiori precedenti il Santo Natale.

Parte quarta delle Meditazioni ſopra gli Evangelj di tutte le Domeniche dell'Anno, e di tutte le Ferie della Quareſima.

Parte quinta delle Meditazioni ſopra tutte le feſtività della Beatiſſima Vergine Maria, e loro Ottave, ſopra le tre Antifone, e Salve Regina.

Parte ſeſta delle Meditazioni per tutte le feſte de' Santi Appoſtoli, Evangeliſti, Dottori, Fondatori, ed altri Santi. *Milano, per Giuſeppe Malateſta*, 1732. Jam prodierant apud eundem annis 1722. & 1724. in 8.

II. Meditazioni per li giorni, e ſolennità, e de' Santi, e Beati, de' quali ſi celebra l'Ufficio da' Padri Carmelitani Scalzi. *In Milano, nella Stamperia di Giuſeppe Pandolfo Malateſta*, 1723. *in* 8.

III. Tributo del Carmelo alla ſua Auguſtiſſima Regina: Prediche per ciaſcheduna feſtività antica e nuova della Beatiſſima Vergine. *In Milano, appreſſo Domenico Bellagatta*, 1718. *in* 4.

IV. Diſcorſi Sacri del P. Gio. Taddeo di S. Gio. Battiſta Carmelitano Scalzo. *In Cremona, nella Stampa di Lorenzo Ferrari*, 1697. *in* 8.

V. Quareſimale. MS. apud Suos Mediolani.

A Suis.

## MDCCCCXCIV.

## MONTORFANUS RAPHAEL.

RAphaëlem Montorfanum Mediolanenſem Eruditis aliis in hac Urbe progenitis non addere nefas eſſe duximus, cùm Ericii Puteani Viri in litteraria Republica celeberrimi teſtimonio in mox citandis Epiſtolis eloquentiæ laude commendabilis fuerit. Acta illius fruſtra quæſivimus, ideoque cogimur illa tantùm referre, quæ ex litteraturæ illius monumentis ſuperſunt in citati Puteani Epiſtolis. Tradidit nobis humaniſſimus JC. Sitonus, autographas litteras latinas hujus ad Montorfanum ineditas, dataſque Lovanii poſtrid. Nonas Februarii anno MDCIX. quarum initium hîc dabimus ad Raphaëlis noſtri commendationem: „ Mi amice, ſuaves mihi ſemper tuæ „ litteræ, præ mulſo, & melle, atque ſemper eſu„ rientem inveniunt, imò inhiantem. Quid inve„ niunt? relinquunt quoque, & legere volo poſt„ quam legi. Itaque ſi animum meum irrorare inſi„ gni voluptatis aura voles, ſcribere non omittes „ . . . . . . Vale, ama, ſcribe, ſed quàm uberrimè „ &c. „ Ex aliis etiam ipſius Puteani Epiſtolis colligimus, Montorfanum ſumma conjunctum fuiſſe amicitiæ neceſſitudine cum immortalis nominis Cardinali Friderico Borromæo, Benedicto Sociaco, Joanne Baptiſta Sacco, Octaviano Ghilino, Antonio Blaguazzono, aliiſque Viris clariſſimis. Fungebatur munere Scriptoris Regii Magiſtratus Extraordinarii Mediolanenſis, atque adhuc vivebat Raphaël anno MDCXX. quo verò exceſſerit è vivis, ignoramus.

Scripſit:

I. Epiſtolas plurimas ad ſæpe memoratum Ericium Puteanum, ut ex his, quæ ſubdimus, patet:

Ipſius Puteani Epiſtola ad eundem ſatis prolixa, ubi ſe excuſat de longo ſilentio; laudat Soſſagum, Joannem Baptiſtam Saccum; agit de melioribus antiquis Hiſtoricis; laudat Octavianum Ghilinum, Biſſium, alioſque; data anno MDCVII., eſtque in Cent III. pag. 67.

Altera ad eundem reſponſiva litteris ejuſdem. Agit de Sanderio, & de propriis Opuſculis in dies edendis. Lovanii X. Kal. Jun. MDCVII.

Altera „ ſcriptionem tuam amo, mi Montorfane &c. „ Latino ego conſuevi, ſervabo morem meum: tu alio, „ & vernaculo tuo perſevera. Utrobique lepores, & „ elegantiæ ſunt „ &c. laudat Ghilinum, divitias, atque honores virtuti poſtponit, Saccum celebrat, atque de ſuis ſtudiis agit. Lovanii XIII. Kal. Auguſti MDCVII. longa nimis in IV. Centuria pag. 12.

Alia, in qua ſe excuſat de longo ſilentio: Sacco, & Profeſſoribus Palatinis ſe commendat, Lovanii IV. Eid. Martii MDCIX. ibid. pag. 29.

Alia „ A' Biſſio Epiſtolam verſuſque accepi. An vidiſti? „ boni ſunt, & altæ non dictionis tantùm, ſed mentis „ &c. Lovanii MDCVIII. ibid. pag. 46.

Altera Lovanii MDCVIII. Epiſtolas Montorfani acceptas indicat. De Vita tranquilla agit. Ibid. pag. 78.

Alia

Alia ad eundem contra ſui detractores, & quod operâ ſuâ Antonii Blaguazoni præclarum Epigramma in ſui defenſionem evulgaſſet. Lovanii MDCX. in Centuria V. pag. 13.

Alia ad eundem, à quo accepit Soſſagi Epiſtolium, quod laudat. Libros novos ad Montorſanum mittit, ſine data; ibidem pag. 79.

Alia: Literas ejus iterum laudat, & imitatorem vocat Clariſſimi optimique Sacci. Agit de Cardinali Federico Borromæo, & de Ambroſiana Bibliotheca: data anno MDCXII. Ibid. pag. 91.

Alia: Agit de ſuo itinere per Belgicas Provincias. Literas Montorſani petit, quas vocat eruditiſſimas: data Lovanii MDCVII. Ibid. pag. 21.

Memoratur Montorſanus à JC. Joſepho Benalio in Hiſt. Magiſt. Extraord. cap. VIII. pag. 74. & à doctiſſimo Advocato Jo. Sitono in Schedis.

## MDCCCCXCV.

## MORONUS THOMAS.

THomas, ſive, ut aliis placet, Joannes Thomas Moronus Mediolanenſis, Bartholomæi J. C. C., atque Catharinæ Homodeæ conjugum filius, laureâ in utroque Jure perceptâ, anno MCCCCXLVI. in idem Collegium J. PP. in quo jam pater illius adlectus fuerat, cooptari meruit. Pro Mediolanenſi Republica ad Comitem Franciſcum Sfortiam, qui poſtmodum hujus ditionis imperium obtinuit, legatione functus eſt anno MCCCCXLVIII. cùm jam anno ſuperiore inter Decuriones Patriæ ſederet. Eodem etiam anno MCCCCXLVIII. die XXI. menſis Februarii, unà cum Joanne Caſato miſſus Orator, & ut barbarè dicunt Commiſſarius Reipub. prædictæ, cum Epiſcopo Derthonenſi, ejuſque Clero fœdus percuſſit, de quo infra agemus, ipſeque Capitula compoſuit. Exceſſit è vivis anno Domini MCCCCLVII.

Ejus teſtantur prudentiam, ſummumque in patriam amorem,

I. Capitula adhærentiæ inter Magnificos & Spectabiles Mandatarios DD. Capitaneorum, & Defenſorum Illuſtris & Excelſæ Communitatis Mediolani, & Rev. in Chriſto Patrem, & Dñm Dñm Johannem Barbavariam, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopum & Comitem, ac Clerum Terdonenſem. Extant MS. in folio penès Advocatum Sitonum

De eo meminerunt Bernardinus Corius in Hiſt. Mediol. parte quinta ſub an. MCCCCXLVIII. pag. mihi 378., & memoratus Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. art. 180. pag. 46.

# N

## MDCCCCXCVI.

## De NIGRONIBUS VERONICA.

VEronica de Nigronibus (quæ ab Oppido Binaſco agri Mediolanenſis, ubi primam ex honeſtis, ſed humilibus parentibus lucem hauſit, vulgò nuncupari conſuevit) circa annum Chriſti Domini MCCCCXLV. nata, purgandis agris genitoris mandato à teneris annis incubuit; anno verò ætatis ſuæ XX. in celeberrimo Monaſterio Mediolanenſi S. Marthæ Deo ſe devovit, Regulam S. Auguſtini profeſſa. Quocirca miramur Philippum Ferrarium Alexandrinum in Catalogo SS. ſcripſiſſe Beatam hac Virginem Ord. Prædicatorum alumnam extitiſſe. Litterarum prorſus ignara Divino munere Sacræ Scripturæ reconditos ſenſus edidicit, & temporis momento legendi, ſcribendique peritiem non abſque miraculo percepit. Magna prorſùs ea ſunt, quæ de virtutibus illius narrantur, quæ cœleſti lumine perfuſa vidit, dignata frequentiſſimè Salvatoris, Deiparæ, & Cœlitum apparitionibus; quæ omnia fuſiùs narrat Iſidorus de Iſolanis, ut infra dicemus. Tandem ſuæ migrationis die prædicto, ætatis ſuæ anno LII. humanæ Salutis MCCCCXCVII. Idib. Januarii fœliciter abiit in Cœlum. Corpus illius in præfato Parthenone S. Marthæ Mediolani ſervatur, prædictiſque Idib. Jan. ſolemniter ipſius memoria colitur ex conceſſione Leonis Papæ X. qui die XV. menſis Decembris, anno Domini MDXVII. dato Diplomate, B. Veronicæ noſtræ Feſtum celebrari indulſit. Inclytam hanc Chriſti Virginem Mediolanenſium Scriptorum albo adjicimus, cùm compoſuerit

I. Opus præclariſſimum; De quo præfatus Iſolanus hæc ait Cap. XXXVI. lib. II. Vitæ mox memorandæ: „ Compoſuit Veronica Opus præclariſſimum „ Angelo dictante, quod divinâ irâ ab mortalium „ oculis creditur ablatum, Virgine adhuc vivente. „ Futurum verò affirmavit, ut Cœnobio D. Marthæ „ Volumen ipſum providentiſſimo Dei munere ali„ quando reſtitueretur . . . . . Verùm aureo calamo „ Angelo afferente accepto præfatum librum Vero„ nica conſcripſit, quem (calamum) juxta palmu„ lam Sorores Cœnobii D. Marthæ peculiari venera„ tione cuſtodiunt „. Hactenus Iſolanus. Hoc autem Opus idem eſſe credimus cum eo, quod Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia loco citando inſcripſit: „ Molti Trattati pieni di maraviglie.

Vitam ipſius conſcriptam a Benedicta Sanctimoniali ejuſdem Aſceterii memoravimus in ejuſdem Benedictæ Articulo. Uberiorem dedit Iſidorus de Iſolanis Ord. Præd. primò ſeorſim impreſſam, mox relatam à Clariſs. Joanne Bollando Soc. Jeſu inter Acta SS ad diem XIII. Januarii.

Laudatur in Theatro Fœminarum Eruditarum Franciſci Auguſtini ab Eccleſia ſupramemorati pag. 300. in Martyrologio Mediol. Petri Pauli Boſchæ ad eandem diem; Joanne Baptiſta Cariſio in Diario Sacro pag. 5. ab Abbate Fuſio in Add. MSS. ad Athenæum Picinelli, & à Scriptoribus omnibus, qui de Ordine S. Auguſtini egerunt.

MDCCCCXCVII.

Digitized by Google

# O

## MDCCCCXCVII.

## OLDANUS NICOLAUS.

VEtuſtam Oldanæ familiæ in hac Metropoli nobilitatem indicat Juſtitiæ Conſulatus à Jacobo Oldano geſtus annis Chriſtianæ Salutis MCC. & MCCIII. qua etiam ætate floruit Conradus ipſius fortè frater JC. Judex, & Aſſeſſor Spini Sorezinæ Mediolanenſis, Præturam Genuenſis Urbis gerentis anno MCCXXII. & ſequenti, de quo Chalcus in Hiſtoria Patriæ lib. XIII. pag. 276. Hoc cognomine inſignis Nicolaus extitit hìc laudandus Alexandri filius, quem ex Opere inferiùs recenſendo tantummodo nóvimus, cùm Acta ejus univerſa temporis injuria ſuſtulerit. Unum hoc compertum habemus, eum Cancellarium fuiſſe apud Magiſtratum Ordinariorum Redditum in hac Urbe; claruitque ſub annis MDXXXVIII. & MDLXI.

In ejus gratiam ſcripſit:

I. Relazione Iſtorica del Magiſtrato de' Redditi Ordinarj dello Stato di Milano. MS. in fol. juſtæ molis Autograph. extat apud hæredes Hieronymi Antonii Reynæ Ratiocinatoris Generalis Status Mediol. Aliud autem Exemplar apud Comitem Conſtantium de Abdua.

Laudatur à Joſepho Benalia in Hiſtorica Relatione Magiſt. Extraord. Reddit. pag. 23. atque à Sitono noſtro erudito in Schedis.

## MDCCCCXCVIII.

## OLIVATIUS GEORGIUS.

GEorgium Olivatium Damiani Quatordarum in agro Alexandrino Conſeudetarii, & Marthæ Schennæ nobilium Jugalium filium Mediolani lux excepit die VII. menſis Decembris anno reparatæ Salutis noſtræ MDCLXVI. Poſt conſueta juvenilium ſtudiorum curricula, Germaniam, Angliam, Galliam, & Hiſpaniam ad comparandum inter variarum gentium mores rerum gerendarum peritiem, atque eruditionem, peragravit; mox reverſus in patriam Juriſprudentiæ ſe totum addixit, dieque X. menſis Septembris, anno MDCLXXXV. in Academia Ticinenſi laurum promeruit. Forenſibus curis inde vacavit, & publicis ſæpè Diſſertationibus coram Summis Tribunalibus in graviſſimis cauſis habitis, non infimam ſibi nominis famam conquiſivit. Idcirco ab Auguſtiſſimo Carolo VI. Romanorum poſtea Imperatore, tunc Hiſpaniarum Monarcha, in Urbe Barchinonenſi anno MDCCX. die IV. menſis Maji inter Conſcriptos Inſubriæ Senatus Patres adlectus fuit; ſtatimque Carolo ipſo, atque Joſepho Auguſto jubentibus Romam eſt ablegatus ad tuenda, promovendaque Jura Sacri Romani Imperii, & Ducis Mutinæ ſuper Comaclenſi Comitatu, qua de re plura ſcripſit Opuſcula, de quibus infra mentio recurret. Sequenti anno ineunte, à Joſepho Imperatore Viennam evocatus, ut in publicis Comitiis, quæ de ipſo Comaclenſi negotio Romæ fuerant acta ſignificaret, Cæſarem ipſum jam defunctum reperit, quocirca infectâ re, ab Eleonora Auguſtâ intimi Conſiliarii dignitate auctus, pro ſecretis peragendis negotiis ablegatus eſt ad Moguntinum, & Trevirenſem Electores, indeque ad Francofurtenſia Comitia; ubi, cùm quæſtiones ſuper legum Langobardarum validitate in Feudis Imperialibus pro Ducatu Mantuæ excitatæ Romanorum Regis electionem remorarentur, Olivatius noſter omnem repentè ſuâ prudentiâ, atque eruditione obicem ſuſtulit, laudatus propterea datâ Epiſtolâ ad novum Cæſarem nomine Electoralis Collegii ab Archiepiſcopo Moguntino. A jam memorato Carolo VI. anno MDCCXLI. in Supremo Italicarum rerum Viennenſi Conſilio Regens renunciatus fuit die XIX. menſis Novembris, quapropter ne tantis meritis præmium deeſſet anno MDCCXIII. plurium Oppidorum Feudo, ampliſſimiſque Privilegiis donari promeruit. Impetratâ demum anno ſubſequenti Mediolanum redeundi veniâ omnium votis exceptus, Præfecturam geſſit publicæ ſalutis Magiſtratus anno MDCCXV. dum lues peſtifera per Pannoniam ſæviens Italiæ minitaretur, & contagione animalia ad culturam agrorum opportuna tabeſcerent; quo munere iterum functus eſt annis MDCCXX. & ſequenti, dum peſtis Maſſiliæ graſſaretur. Multos annos Pro-Præſes Senatus extitit, cùmque Carolus Emmanuel Sardiniæ Rex Mediolanenſi Ditioni arma intuliſſet, ex Præſide Conſilii vulgò *Giunta di Governo* (cui præfectus fuerat à Comite de Daun Regio Cæſareo Inſubriæ Moderatore hinc diſcedente) ad Supremi Cancellarii dignitatem aſſumptus eſt anno MDCCXXXIV. Difficillimis illis temporibus tantum onus quàm prudenter, quantoque cum univerſæ Urbis, & Ditionis bono exantlaverit, ſupervacaneum eſt narrare, cùm nihil frequentiùs in ore Civium verſetur, ac Decuriones publico Decreto oſtenderint, quo Georgio, ejuſque filio Paulo Æmilio, nunc per Patris veſtigia inter Senatores Inſubriæ ad gloriæ metam currenti, eodem anno die XVI. Septembris Patriciatus honorem in grati argumentum animi conferendum cenſuerint. Deceſſit Vir clariſſimus, & in me dum eſſet in vivis humaniſſimus, die XXIII. menſis Martii anno MDCCXLII. conditusque jacet in Templo Sanctæ Mariæ, vulgò *del Giardino* nuncupato hujus Metropolis.

Quæ, quantaque fuerit ejus eruditio ſatis oſtendunt, quæ reliquit, nimirum:

I. Rifleſſioni ſopra il nuovo progetto di Taglia propoſto per lo Stato di Milano l'anno MDCCIX. *ſine anno, loco, & Typographo*. Has ſcripſit iter navigio faciens, oblectamenti gratiâ, ad expugnandas Propoſitiones Comitis *de Pras*; eiſque inſpectis, propoſitiones prædictæ nullum ſortitæ ſunt effectum.

II. Opuſcula plura de Juribus S. R. Imperii, atque Sereniſs. Ducis Mutinæ ſuper Comitatu Comaclenſi. Edita ſunt ſeorſim ſine loco, anno, & Typographo.

III. Alia plura de Diſputationibus cum Aula Taurinenſi exortis. MSS. in Archivo Conſilii Viennenſis Rerum Italicarum.

IV. Alia de Arcibus, vulgò *della Barriera* in Belgio. MSS. ibidem.

V. Opus de Jure publico vix inchoatum, & ob publica privataque negotia intermiſſum. MS. apud Suos.

VI. Orationes plures, breves quidem, ſed elegantiſſimæ pro publicis Senatus muneribus habitæ, præter eas, quas ex tempore recitavit. MSS. ibidem.

VII. Ordini, e Providenze date in tempo della ſua Preſidenza al Magiſtrato della Sanità. Hæc collegit Cl. Phyſicus Carolus Mazzuchellus, & intulit in Opus ſuum de Peſte editum anno MDCCXXII.

VIII. Lettera eruditiſſima al Sig. Antonio Valliſnieri. Edita eſt in hujus Opere de Corporibus Marinis hoc titulo: „ Notizia del Fiume, che paſſa vicino al „ Maſino, celebre per li bagni di due altri Laghi, „ che danno principio a due Fiumi, e dell' origine „ delle Fontane, comunicate al noſtro Autore dal „ Sig.

„ Sig. Marcheſe Regente Olivazzi Cavaliere d'ogni „ più bella virtù guernito, ed adorno. „

IX. Conſultationes plurimæ Juridicæ, è quibus nonnulla effici poſſent Volumina. MSS. apud Suos.

X. Epiſtolæ plures Italicæ politiori ſtylo exaratæ, quæ ſi in unum colligerentur, in multos coaleſcerent Codices. Hæ familiarem ſcribendi venuſtatem præmonſtrant miro prorſus modo.

Eidem dicatæ prodierunt *Inſtitutiones Juris Canonici. Papiæ, anno 1715.*

In ejuſdem laudem Carmen ſcripſit Joſeph Maria Stampa Clericus Regularis de Somaſcha, interque hujus edita *Mediolani*, 1727. *in* 8. pag. 84. legitur.

Commendatur à Joſepho Benalio in Elenco Titulor. & Feudatar. Stat. Mediol. pagg. 46. & 82. Bartholomæo Curtio in Epiſt. Apolog. Nuncupat. Clariſs. Ludovico Antonio Muratorio in Antiquit. Eſtenſ. par. II. cap. XIX. pag. 655., & in Schedis Sitonianis, atque à Clariſs. Abbate Fuſio in Add. MSS. ad Picinellum.

A

B

## MDCCCCXCIX.

## ORRIGONUS THOMAS.

JOanne Georgio Orrigono, & Clara Terzaga parentibus, ortus eſt in Oppido Variſii Ducatus Mediolanenſis Thomas, & Minorum, qui Conventuales appellantur, Inſtituto ſuſcepto Theologicas ſic calluit diſciplinas, ut eas Alumnis ſui Ordinis publicè prælegerit. Mediolanenſi ſuorum Provinciæ ſemel & iterum præfuit, omniaque Ordinis negotia in Curia Romana curavit. Apud Pium IV. magna in exiſtimatione habitus, Generalis Vicarius ejuſdem juſſu eſt conſtitutus; tum mandato Gregorii XIII. Apoſtolica auctoritate fretus, univerſa Suorum Cœnobia luſtravit. Deceſſit in Patria anno poſt Chriſtum natum MDXC. Kal. Junii, conditusque jacet in Templo S. Franciſci propè Variſium ad Aram principem hoc addito Elogio:

D. O. M.

F. THOMAE ORRIGONO A VARISIO NVNCVPATO

FRANCISCANI ORDINIS THEOLOGO

BIS PROVINCIAE MEDIOLANI

MINISTRO PROVINCIALI

VNIVERSI ORDINIS SVI IN VRBE ROMA PROCVRATORI

IVSSV PII IV. PONT. MAX. VICARIO GENERALI

GREGORII VERO XIII. VISITATIONIS APOSTOLICAE

MVNERE PERFVNCTO

QVI OBIIT KAL. IVNII ANN. MDXC.

NATVS ANN. LXXI. MENSES SEX

GREGORIVS PHYSICVS COLLEGIATVS MEDIOL.

FRATRI CHARISS. ATQVE OPT. F. C.

Superſunt ipſius

I. Reformationes, & Novæ Conſtitutiones pro Regula Fratrum Minorum Conventualium. Memorantur in libro, cui titulus: „ Pauli Sanſonii Mediolanenſis „ Min. Convent. Baccalaurei de trium animæ gra„ duum perfectione. *Patavii, apud Paulum Meietum*, 1581. *in* 4.

C

De eodem agit Sitonus noſter humaniſſimus in Theatro Genealogico MS. pag. 323. & in Schedis.

# P

## MM.

## PAGANUS URBANUS.

URbanum Paganum Mediolanenſem Benedictus genuit Patriæ Decurio anno MCCCCLXXIV. florens, qui filium ita erudiendum curavit, ut adultus Monaſticum Inſtitutum in Congregatione S. Juſtinæ aſſumſerit, litteriſque ſimul ac pietate Inſubriam, Ordinemque ſuum illuſtraverit. In Monaſterio SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in Glaxiate hujus Urbis Prioris munus quinquennio geſſit, videlicet ab anno MCCCCLXXV. per totum annum MCCCCLXXX. ad eum gradum evectus in Comitiis Generalibus Padolyroni celebratis. Chariſſimus fuit Ducibus Mediolani Galeacio Mariæ Sfortiæ, ac Bonæ illius uxori, quemadmodum quoque Joanni

D

Galeacio ipſorum filio, & ſucceſſori, à quibus plura Privilegia pro Monaſterio ſuo eſt aſſecutus. Prioratum S. Sepulchri, ſive S. Mariæ Magdalenæ in loco Camuzzaghi ſitum Monaſterio prædicto adjecit. Sacrarium ſacra ſuppellectili, Bibliothecam pluribus Codicibus locupletavit. Ad alia poſtmodum Cœnobia regenda evocatus à Majoribus, ſimili vigilantiâ præluxit; præcipuè verò Monaſterio S. Sixti Placentino, cui circa annum MD. Abbas datus fuit, plurimùm profuit. Defenſor fuit egregius Monachorum adversùs Euſebium Canonicum Regularem, qui inter alia contra eos ſcripta aſſerebat, S. Patriarcham Benedictum Sacerdotio initiatum non fuiſſe. Illius emortualem annum delevit oblivio. Cognomen Urbani hactenus ignotum debemus amiciſſimo JC. Sitono noſtro; ab omnibus enim, qui ejus meminere, quos infra citabimus, appellatur tantummodo Urbanus de Mediolano; ſi Puccinellum excipias, qui ejus Operis notitiam reticet.

Scri-

Digitized by Google

Scripſit

I. Defenſorium Monachorum adverſùs Euſebium Canonicum Regularem, quod Opus citatur ab Auctore Dialogi de Presbyteratu S. Benedicti, qui ſubnectitur Conſiliis Cardinalis Franciſci Zabarellæ.
Meminerunt ejuſdem Benedictus Ephtenus Prolegom. XVIII. in Vitam S. Benedicti §. II. Armellinus in Biblioth. Benedictino-Caſſinen. part. II. pag. 34 Puccinellus in Chron. Glaxiatenſi pag. 124. atque Sitonus noſter in Schedis.

M M I.

PARAVICINUS ALEXANDER alter.

ALexander Paravicinus Mediolanenſis Gabrielis filius Medicam facultatem profeſſus non modicum opis piiſſimè contulit incolis Suburbii Olitorum hujus Metropolis, cùm anno MDLXXVII. Lues peſtifera Inſubre Cœlum infeciſſet. Etenim non raro in apertum Vitæ periculum incidit, morbo etiam contracto, ex quo difficillimè tandem convaluit. Adhuc erat inter vivos anno Salutis MDLXXXII. ut ex publicis monumentis ſignificavit nobis Vir doctiſſimus JC. Sitonus, qui etiam Genealogiam Scriptoris hujus texuit à Gotofredo vivente anno MCLX. uſque ad eundem, memorans inter illius majores Beltraminum Bononienſem Antiſtitem, qui deceſſit anno MCCCL.

Alexandri autem ſupereſt

I. Tractatus de Peſte, & de ea, quæ anno MDLXXVI. Mediolanum invaſit. Ad illuſtrem Petrum Antonium Lonatum. Diviſum eſt Opus in Cap. X. Incipit: „ Conſueverunt Philoſophi antiqui &c. MS. in 4. extat apud Franciſcum Puteum de Perego Patricium Mediol.
Laudatur à Curtio de Script. Medicis Mediol. pag. 115. & à præfato JC. Sitono in Schedis, & in Theatro Genealogico pag. 336.

M M I I.

PARAVICINUS BONAVENTURA.

BOnaventuram Paravicinum patriâ, ut credimus, Oppido non ignobili, cui nomen Herba, in Ducatu Mediolanenſi progenitum, atque inter Minores S. Franciſci, quos Obſervantium appellatione diſtinguimus, in Provincia item Mediolanenſi recenſitum enumeravit Wadingus inter alios ſui Ordinis Eruditos. Cùm autem nullam ab ejuſdem Inſtituti Viris ipſius geſtorum notitiam aſſequi licuerit, ne omnino prætermitteremus, hìc inſerere nomine tenus Scriptorem ſtatuimus, quem anno MDCXXVI. ex infra citando MS. vixiſſe conjicimus.

Ille continet

I. Lectiones XXXVII. ſuper IV. Virtutes Cardinales. MS. ubi ſervetur VVadingus ipſe reticet,
Qui ejus meminit in ſua Biblioth. Scriptor. Ord. Min. fol. 83.

M M I I I.

PECCHIUS CHRISTOREDUS.

CHriſtoredum Pecchium Mediolanenſem Lucas Franciſcus, & Felix Villa conjuges in lucem protulere. Bonis artibus excultus ab ipſa pueritia mox animum ad Matheſim convertit, in qua facultate quantum profecerit patet ex munere, quod geſſit Anteceſſoris in Archigymnaſio Ticinenſi. Aſtronomiam quoque inſalutatam non reliquit, immo ad ejuſdem elucidationem intentus, Opus infra memorandum elucubravit, cui tamen reſpondit Bonus de Bonitatibus Monachus S. Benedicti Congregationis Montis Oliveti, cujus jam Elogium dedimus. Vivebat circa Seculi XVII. finem. Nemo tamen de emortuali ipſius anno fecit nos certiores.

Scripſit

I. De Aſtronomia adverſùs recentiores, Objectiones eruditiſſimas. Extant inſertæ in Opere prælaudati Boni de Bonitatibus, quod deſcripſimus in ejuſdem Articulo ſub numero V.
De ipſo agit doctiſſimus JC. Sitonus in ſuo Theatro Genealogico pag. 340 ex quo nobis ſuppeditavit geneſim Auctoris noſtri incipientem à Joanne anno MCCCL. & in Chriſtoredo deſinentem.

M M I V.

PETRASANCTA ATTILIUS.

ATtilius Petraſancta Mediolani in lucem editus eſt genitoribus Octavio J. C. C., atque Violanta Galliana conjugibus, & in Baptiſmate Franciſcus appellatus, id nominis depoſuit, cùm Ciſtercienſium S. Ordini ſe addixit, ac inter Monachos Attilius eſt nuncupatus. Vir fuit prudentiâ, & ingenio clarus, tantique apud Suos jure habitus, ut poſt minorum aliquot Cœnobiorum præfecturas ad regendum Monaſterium Sancti Ambroſii hujus Metropolis anno Salutis humanæ MDCXLVIII. ſimulque Præſes Generalis Italicæ Congregationis ſuæ Ciſtercienſis aſſumeretur. Idem Cœnobium rurſus adminiſtravit anno MDCLIV. Sacræque Inquiſitionis in Alma Urbe Qualificator extitit. Vacante poſtmodum Viglevanenſis Eccleſiæ Sede ob translationem Gabrielis Adarcii de Santander ad Metropolim Hydruntinam, Attilius noſter ad eam eſt evectus anno MDCLIX. menſe Junio. Traditum ſibi gregem optimè rexit per octennium. Tandem Romæ deſideratus eſt anno MDCLXVI. in Monaſterio S. Crucis in Hieruſalem, in cujus Baſilica cadaver illius humatum conquieſcit. Ejuſdem meminit Inſcriptio præ foribus Cancellariæ Epiſcopalis Viglevani poſita, in hæc verba:

IVSTITIA ET PAX OSCVLATAE SVNT.
ASTRAEA PATENS ET OBVIA
SVB ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
D. D. ATTILIO PETRASANCTA
HVIVS VRBIS ANTISTITE AMPLISSIMO.

Habentur ipſius

I. Lettera Erudita al Lettore pagg. 16. extat in libro, cui titulus: „ Portugal convencida de D. Nicolas „ Fernando de Caſtro. *Milan*, *Malateſta*, 1648 *in* 4.
II. Plura Decreta ab eo condita dum Ordini ſuo præeſſet. Servantur in Archivo prædicti Monaſterii S. Crucis in Hieruſalem.
De ipſo breviſſimè Continuatores Ughelli Ital. Sacræ Tomo IV. in Viglevanenſ. num. XII. Sitonus noſter amiciſſimus in Theatro Genealogico pag. 347. in Chronico J. PP. art. 791. pag. 189. atque in Schedis. Jo. Petrus Puricellus Diſſert. Nazar. cap. 36. num. 9. & cap. 131. num. 14. Brambilla in Eccleſia Viglevanenſi pag. 40., & Bartholomæus Areſius in Serie Abbatum S. Ambroſii.

MMV.

Digitized by Google

## MMV.

## PEZZIUS FRANCISCUS.

Quiſquis Opus hoc aliquantulum luſtraverit, haud difficili negotio agnoſcere poterit quid, quantumque debeam humanitati ſimul, atque doctrinæ Franciſci Pezzii, cujus nunc Acta recentis obitus ejus memoriâ triſtiſſimus referre cogor. Eum conſtanter Concivem meum dum viveret appellavi; talis enim mihi habendus erat, cùm familia Pezzia ex Inſubria Bononiam quoque transtulerit lares, & ibi honeſtiſſimè degat, ne quid repetam de ſummo Scriptoris hujus in me amore. Is tamen Mediolani lucem vidit die II. menſis Februarii, anno Salutis humanæ MDCLXXIII. Parentes illi fuere Joannes Baptiſta Pezzius, atque Margarita Roveda jugales Mediolanenſes, Chriſtianæ Religionis officiis apprimè dediti. Poſt prima ſtudiorum rudimenta in Scholis Arcimboldiis ſub diſciplina Clericorum Regularium Congregationis S. Pauli Decollati, vulgò Barnabitarum, anno ſuæ ætatis X. majoribus vacare cœpit, præceptoribus Julio Zumalio, Petro Antonio Petraſancta, poſtmodum Marturanenſi Epiſcopo, Jacobo Aurelio Carminato, atque Petro Maria Vulpio; donec poſt quinquennium eorumdem Clericorum Inſtitutum amplecti decrevit, habitumque ſuſcepit Modoëtiæ die XXI. menſis Octobris, tradente Simplicio Gorla tunc Provinciæ Præpoſito. Profeſſionem emiſit ſequenti anno, vota ejus ſuſcipiente Honorio Bazetta, Gorlæ in munere Succeſſore. Collegio deinde S. Alexandri in Patria adſcriptus, Logicam, atque Philoſophiam didicit ſub magiſterio Pii Mariæ Boſchæ, cujus Axiomata publicè propugnavit die XIX. Aprilis, anno MDCXCII. coram Octavio Vicecomite eodem die in Comitiis generalibus ſupradictæ Congregationis S. Pauli in Generalem Præpoſitum electo. Ipſo anno exeunte Romam petiit majorum Decreto, ut ibidem in Collegio Sanctorum Blaſii, & Caroli Theologiæ daret operam. Hanc triennio abſolvit, poſtmodumque ejus Theſes publicè propoſuit coram Ferdinando de Abdua S. R. E. Card. ampliſſimo, aſſiſtentibus duobus eximiis Viris Inſtituti ſui, videlicet Joanne Claudio Puteobonello Eminentiſſimi Joſeph nunc ad Ambroſianas Infulas aſſumpti Patruo, editis voluminibus clariſſimo, atque Jo. Michaële Terono, qui exantlatis pluribus pro Eccleſia Dei laboribus præcipuè in qualificandis Queſnellii Theſibus, aliiſque reſolutionibus dubiorum Sacræ Congregationis Indicis, & S. Officii, ad Epiſcopatum Venuſinum aſſumi promeruit. Sacerdotii dignitatem obtinuit noſter anno MDCXCVI. Lecturus interim ſuæ Congregationis Alumnis Logicam, miſſus eſt ad Collegium Montis-acuti, inde traductus ad S. Barnabam hujus Urbis reliquos Philoſophicos Tractatus explicuit. Tum in præfatis S. Alexandri Scholis anno MDCXCVIII. Philoſophiam ipſam publicè profiteri cœpit, quo item anno genitores ambos ſenio confectos eadem die defunctos doluit. Quadriennium inſumpſit in rationali, naturali, atque morali diſciplina enucleanda. Anno deinde MDCCII. Cathedram Theologicam aſcendit in ſuorum Collegio Ticinenſi, ubi plures habuit Auditores non ex ſociis tantùm ſuis, quorum nomina ſingillatim ipſe refert in Vita ſua, de qua infra agemus, Cap. V., ſed etiam ex Secularibus Clericis. Inde gradum ſibi fecit ad Bononienſem Cathedram, ad quam ipſum Idelphonſus Manara tunc ſuæ Congregationis ſupremus Moderator evocavit; ubi diſtinctos Theologicos Tractatus integro ſexennio tradidit. Verbum Dei non abſque animarum profectu ſæpius populo miniſtravit, non rarò in Templo S. Alexandri coram Eminentiſſimis hujus Ambroſianæ Eccleſiæ Præſulibus Archinto, & A Odeſcalco; itemque in Templo S. Sepulchri, aliiſque Baſilicis etiam primariis Mediolani. Idem præſtitit Modoëtiæ, Ticini, & Bononiæ. Præpoſituram geſſit triennalem Collegii Suorum S. Mariæ dicti de Canepa nova Ticini, poſt quam anno MDCCXVI. conſtitutus eſt totius Provinciæ Lombardiæ Rector. Poſtmodum in Generalibus Comitiis Romanis anno MDCCXIX. Viſitator Generalis eligi meruit; à quo uſque ad annum MDCCXXXI. in Collegio ſæpius memorato S. Alexandri moram traxit, ſacris Concionibus, Caſuum Conſcientiæ explicationi intentus. In Diœceſi Comenſi Sermones habuit Quadrageſimales, atque in Novarienſi pluries Sacras Miſſiones explevit, Vicariatus officio, & Scholarum Præfecturæ intentus. Eodem anno iterum Provinciæ Inſubriæ Præpo- B ſitus datus, ipſam bis luſtravit; itemque denuo anno MDCCXXXIV. in Comitiis generalibus Romæ habitis Viſitator renunciatus dignitati ſponte ceſſit. In Bononienſi Metropolitana Pœnitentiarii munus trimeſtre tantùm adminiſtravit, cùm ultra pergere adversâ valetudine non poſſet. Reverſus itaque ad Collegium patrium S. Alexandri, anno MDCCXXXVI. eidem Præpoſitus præfuit ad annum uſque MDCCXXXIX. quo demandatum ſibi officium jam ſenio gravis dimittere poſtulavit. Multa proprio ære contulit prænominato Collegio S. Alexandri, inter quæ memoranda venit nova Bibliotheca ex libris dumtaxat Scriptorum ſui Inſtituti ex diverſis Italiæ, Germaniæ, atque Galliæ Officinis librariis collectis congeſta. Demum religioſiſſimæ vitæ finem impoſuit die C XXVII. Januarii anni currentis MDCCXLIII. brevi quidem trium dierum, ſed graviſſima cum Eryſipelate acuta febri correptus, ſanguine jam ſtagnante, ob præconceptum repentè pavorem, dum Autumno ineunte rus ſe conferens, è birote concidit; atque in communi Sodalium Sepulchro in Templo S. Alexandri tumulatus eſt.

Quæ amiciſſimus Vir iſte, & nunquam apud me perituræ memoriæ diligentiſſimè ſcripſit manu propria, Lector accipiat, ſequentibus Voluminibus, Indicibus neceſſariis exornatis, itaut prælo paratiſſimi ſint.

D

I. Lezioni Morali del P. D. Franceſco Pezzi Cler. Reg. di S. Paolo, dette nel Tempio di S. Aleſſandro l'anno MDCCXI. Vol. I. in 4. MS. pagg. 440. præter Indicem.

II. Tomo II. dette l'anno MDCCXII. Vol. I. in 4. MS. pagg. 360.

III. Tomo III. dette l'anno MDCCXIII. Vol. I. in 4. MS. pagg. 470.

IV. Tomo IV. dette l'anno MDCCXX. Vol. I. in 4. MS. pagg. 450.

V. Tomo V. dette l'anno MDCCXXII. Vol. I. in 4. MS. pagg. 435.

IV. Tomo VI. dette l'anno MDCCXXV. Vol. I. in 4. MS. pagg. 396.

VII. Lezioni varie dette in varj tempi, ed in varj luoghi. Vol. I. in 4. MS. juſtæ molis.

VIII. Ragionamenti domeſtici detti negli anni della ſua Superiorità. Vol. I. in 4. MS. pagg. 368.

IX. Prediche, e Diſcorſi per Monache. Vol. I. in 4. MS. juſtæ molis.

E

X. Eſercizj Spirituali, e modo di meditare. Vol. II. in 4. MSS. pagg. 600.

XI. Philoſophiæ naturalis Tomus I. Continens Tractatus de Phyſico Auditu, de Cœlo, & Meteoris. MS. in 4. pagg. 266.

XII. Tomus II. Continens Tractatus de Ortu, & Interitu, & de Anima, necnon Philoſophiam Moralem. MS. in 4. pagg. 300.

XIII. Theologiæ Moralis Tomus I. Continens Tractatus de Peccatis, de Conſcientia, de Beneficiis, & Beneficiariis, necnon de non alienandis rebus Eccleſiæ. MS. in 4. pagg. 330.

XIV. Tomus II. Continens de Sacramentis in communi, de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, & Pœnitentia. MS. in 4. pagg. 400.

XV. Tomus III. Continens Tractatus de Sponſalibus, & de Matrimonio. MS. in 4. pagg. 470.

XVI. Tomus IV. Continens Tractatus de Furtis, & Reſtitutionibus, necnon de Caſibus reſervatis. MS. in 4. pagg. 340.

XVII.

Digitized by Google

XVII. Curſus Theologicus. Tomus I. continens Tractatus de Deo Uno, & Trino. MS. in 4. pagg. 390.
XVIII. Tomus II. continens Tractatus de Angelis, & Divina gratia. MS. in 4. pagg 350.
XIX. Tomus III. continens Tractatus de Actibus humanis, de Legibus, de Juſtitia, & Jure, de Vitiis, & Peccatis. MS. in 4. pagg. 380.
XX. Tomus IV. continens Tractatus de Virtutibus Theologicis. MS. in 4. pagg. 345.
XXI. Tomus V. continens Tractatus de Incarnatione, & Sacramentis in genere. MS. in 4. pagg. 320.
XXII. Tomus VI. continens Tractatus ampliores de Euchariſtia, & Pœnitentia. MS. in 4. pagg. 360.
XXIII. Opuſcula varia Theologico-Scholaſtica, & Moralia. MS. in 4. pagg. 350.
XXIV. Relatio Status Provinciæ Mediolanenſis, tradita in Comitiis generalibus habitis anno MDCCXXXIV. Extat in eodem Codice.
XXV. Eruditiones Sacræ, atque Profanæ ex variis Auctoribus deprompta, & ordine alphabetico digeſtæ. MS. in 4. pagg. 300.
XXVI. Miſcellanea varia Rhetorica, ſeu Orationes plures, & Præfationes, necnon Epiſtolæ familiares, atque eruditæ, Italico, Latino, & Gallico Idiomate exaratæ. MS. in 4. pagg. 250.
XXVII. Relatio Status Provinciæ Lombardiæ, tradita Romæ in Comitiis generalibus anni MDCCXIX. Extat in eodem Codice.
XXVIII. Componimenti Proſaici volgari, e latini. MS. in 4. juſtæ molis.
XXIX. Vita ipſius Auctoris ab ipſomet Latinè ſcripta, & in Capita XI diviſa. Extat in eodem Codice.
XXX. Diſcorſi, ed Iſtruzioni per le Miſſioni particolari. MS. in 4. juſtæ molis.
XXXI. Elenchus Inſigniorum Virorum Congregationis Clericorum Regularium Divi Pauli. MS. in 4. pagg. 250.
XXXII. Collectio Rerum & Operum Clericorum Regularium D. Pauli in III. diſtributa Tomos, cum ſerie Virorum pietate, & doctrina illuſtrium, Præpoſitorum item, Generalium, Præſulum extra Congregationem &c Vol III. MSS. in fol. pagg. in totum 1000., & ultra.
XXXIII. Lettere varie, che ragguagliano il viaggio, ed arrivo nella Cina di cinque Miſſionarj Barnabiti mandativi dalla fel. mem. di Clemente XI. Sommo Pontefice. Hæc Scriptor noſter collegit uno Volumine, quod Præfatione ſua Latina exornavit, & cùm lectu digniſſima ſint, ſatius duximus, contenta in eodem Codice diligenter referre; ſcilicet:

1. Breve Ragguaglio del Viaggio da Roma ſino ad Albenga ſu la Coſta di Malabar nell' Indie Orientali de' PP. Don Filippo Maria Ceſati, e Don Onorato Maria de' Ferrari deſtinati Miſſionarj per la Cina.
2. Lettera del Padre D. Aleſſandro Maria Aleſſandri, ſcritta da Cantone li II Novembre MDCCXX.
3. Altra del Padre Don Salvadore Raſini da Cantone li XXV. Novembre MDCCXX.
4. Altra del Padre Ceſati da Cantone li XXX. Ottobre MDCCXXI.
5. Altre delli Padri Ceſati, e Ferrari al Padre Generale della Compagnia di Gesù, date da Angenga, e dal Seriano Porto del Pegù.
6. Altre del Padre Don Sigiſmondo Calchi date da Cantone, e dal ſuddetto Porto gli anni MDCCXXII., MDCCXXIII., e MDCCXXV.
7. Altra del Padre Girolamo della Santiſſima Trinità Minore Oſſervante Riformato di S. Pietro d'Alcantara, Provicario Appoſtolico in Concincina, al Padre Don Salvadore Raſini, a cui riferiſce la morte del Padre Don Filippo Maria Ceſati ſeguita li II. Aprile MDCCXXV., e ſeppellito in Phuikam, tradotta dallo Spagnuolo, e ſcritta li XXIX. Giugno dello ſteſſo anno.
8. Altre del Padre Don Pio Gallizia date dal ſuddetto Porto, e da Marquì gli anni MDCCXXVII. e MDCCXXVIII.
9. Vita, e Morte del Padre Don Sigiſmondo Calchi ſcritta dal Padre Gabriele Vallenzuella Procuratore delle Miſſioni al Sig. Don Giorgio Roſſetti Miſſionario, e Protonotaro Appoſtolico.

Omnia ſervantur apud Suos in Collegio S. Alexandri Mediolani.

## MMVI.

## De PIOPERA STEPHANUS.

STephanus de Piopera Mediolani editus in lucem, cùm inclyto Prædicatorum Inſtituto in Ducali Cœnobio S. Mariæ Gratiarum nomen dediſſet ineunte Seculo XVI. moribus, & doctrina inter Inſubres emicuit. Reliqua illius Acta, cùm ſui Ordinis Scriptores reticeant, nobis dare non licet. Pauca ergo de his, quæ ſcripſit, accipiant Candidi Lectores.

Elaboravit:

I. Opus de Roſario B. Virginis Mariæ. Citatur ab Alberto Brandano in ſuo Roſeto Mariano, quapropter aſſentimur Viris Clariſs. Quetif, & Eccard, qui in Bibliotheca ſui Ordinis Tom. I. fol. 895. ex modo loquendi citati Brandani in ea ſunt Sententia, ut credant, Opus hoc diverſum eſſe ab altero, quod Stephanus noſter publici fecit juris, nempe, ut legitur in fine:

II. Quodlibet Coloniæ determinatum, cum Compendio Alani de Rupe Doctoris præcipui, ac exemplis veraciter, diligenterque collectis de Roſario glorioſiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, impreſſoria arte editum Bononiæ accuratiſſimè per Joannem Antonium Platonidem Benedictorum Bibliopolam, necnon Civem Bononienſem, ſub Anno Domini MD. die verò X. Julii, in 4. Caract. Semigoth. extat in Biblioth. Fratrum Minorum S. Angeli Mediol.

Hujus Codicis editionem curavit Stephanus noſter, ut ex Epiſtola ejuſdem ad Lectorem, quæ ſic incipit: „ F. Stephanus Mediolanenſis de Piopera nuncupatus, Congregationis Lombardiæ Ord. Præd. Lectori „ Salutem &c.

Citati autem Clariſs. Scriptores in Tom. II. fol. 8. rurſus meminerunt hujus Operis, eique Auctorem aſſignant F. Michaëlem de Inſulis ejuſdem Ordinis, titulumque præbent uberiorem, iterum Stephani Mediolanenſis editoris memoriam refricantes.

## MMVII.

## PRÆSTINUS FRANCISCUS.

FRanciſcum Præſtinum Mediolanenſem, Tullii filium, Architecturæ perities Seculo XVII. celebrem effecit adeò, ut in ejuſdem artis Collegium, atque in Regiæ Ducalis Cameræ pro toto Inſubriæ Dominio Architectum aſſumeretur. Hanc Ditionem bellicis machinis ab hoſtium impetu propugnavit, arceſque omnes ita munivit, ut inter eas nonnullæ validiſſimis exercitibus reſtiterint; aliæ verò, jam ab adverſariis captæ, fuerint ipſius induſtriâ vindicatæ. Genuam, Oramque Liguſticam munimentis firmavit, magni ſemper habitus apud Regios Patriæ ſuæ Moderatores, magniſque ab eiſdem ſtipendiis, & honoribus militaribus donatus eſt. Anno demum MDCXLVIII. in obſidione Cremonenſi, dum illi Urbi tutandæ totus incumberet, bellicâ ictus pilâ, migravit è vita. Cadaver Mediolanum translatum conquieſcit in Templo S. Petri Cœleſtini tunc extra Orientalem Portam in Sepulchro, quod cum Cæſare fratre paraverat vivens in Sacello S. Mauri, ubi marmorea illius Statua cernitur cum hoc Elogio:

FRANCISCVS PRAESTINVS
INGENIO SCIENTIA LABORE
VIRTVTEM ILLVSTRANS
MILITVM DVCTOR LEGIONIS INSTRVCTOR
INTER BELLICOS VNIVERSAE PROVINCIAE MEDIOLANENSIS
MACHINATORES
IAMDIV PRIMAS ADEPTVS
DVM SVIS ARTIBVS CREMONAM PROPVGNAT
DECIMO NONDVM EXPLETO LVSTRO CADENS
POSTERITATI NVNQVAM PERITVRVS
SIBI HAEREDIBVS AC SVCCESSORIBVS
AD QVIETEM MONVMENTVM INGREDITVR
ANNO SALVTIS MDCXLVIII.
DIE XXV. AVGVSTI.

Supereſt ejus Opus, hoc editum titulo :

I. Relazione dello Stato di Milano . *Pavia*, 1633. *in* 4. Laudatur à Ripamontio in hiſt. Patriæ lib. VIII. pag. 255. Horatio Lando in Obſidione Cremonenſi , Joſepho Breſſiano in Deſcript ipſius Obſidionis , Riccio in Narrat. rer. Ital. pagg. 850. & ſeq. Galeatio Gualdo in hiſt. Ital. parte IV. lib. VIII. pagg. 470. & ſeq. Ghilino in Annal. Alexand. ſub ann. MDCXLII. pag. 240. Joſepho Benalio in Relat. Magiſtr. Extraordin. pag. 77. atque humaniſs. JC. Sitono in Schedis.

## MMVIII.

## PUSTERLA ANDREAS.

Andreas Puſterla Mediolanenſis Vir non mediocris eruditionis , cùm in Congregatione Oblatorum SS. Ambroſii , & Caroli huic Archidiœceſi perquam proficuâ diu vitam religioſo homine dignam traduxiſſet, anno MDCLXXXVIII. Ambroſianæ Bibliothecæ præfecturam obtinuit . Cùm verò in hoc A munere annos aliquot tranſegiſſet, ad Præpoſituram Collegiatæ Eccleſiæ S. Petri inſignis Oppidi Abbiati graſſi aſſumptus eſt . Obiit Vir mihi amiciſſimus in eodem Oppido anno Salutis noſtræ MDCCXLII.

Habentur illius , quæ ſequuntur :

I. Il Trionfo del Verbano , Epitalamio Iſtorico nelle Nozze del Conte Carlo Borromeo , e D. Camilla Barberina , dedicato da Onorio Lombardo a Paolo Emilio Borromeo Conte d'Arona ec. Parte I. colle Annotazioni del Dottore Andrea Puſterla Obblato , Bibliotecario dell' Ambroſiana . *Milano , per Ambrogio Ramellati* . 1689. *in fol.*

II. De Laudibus Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. D. Federici Cacciæ Archiepiſcopi Mediolanenſis ( poſtmo-B dum Cardinalis ) . *Mediol. apud Ambroſium Ramellatum* . 1693. *in fol.*

III. Carmina plura tam Italica , quàm Latina , partim impreſſa , partim MSS. Extant apud Hæredes .

Agunt de ipſo Franciſcus Xaverius Quadrius Presb. Societ. Jeſu in Opere ſuo , cui titulus : ,, Della Storia, ,, e Ragione d'ogni Poesìa Tomo II. pag. 584. Clariſs. Fuſius in Append. MS. ad Athenæum Picinelli , & amiciſſimus JC. Sitonus in Schedis .

# Q

## MMIX.

## QUINCTIUS FEDERICUS.

Federicus Quinctius Mediolanenſis , cujus Familia inter antiquas , & nobiles hujus Urbis à Raphaële Faniano recenſetur , patre Hippolyto genitus , ſic Legum , & Poëſis ſtudia coluit , ut & Juriſconſultus non infimi ſubſellii , & Vates non humilis famæ ſua ætate floruerit . Vicarius Prætorius annis MDLXXVI. & ſequenti ita ſe geſſit , ut rurſus ad idem munus aſſumeretur annis MDLXXX. & MDLXXXII. Ob famam virtutis ad Regii Fiſci Patrocinium promotus fuit anno MDLXXXVI. bona tamen ſtudia etiam inter forenſes curas non neglexit, immo inſtructam habebat domi non ſpernendam Bibliothecam, quam amicorum quoque commodo aper- C tam fuiſſe teſtatur Erycius Puteanus , cujus verba ex Epiſtola prima infra memoranda juvat exſcribere. Ait enim : ,, Vix in Urbem veſtram veneram , & ,, ecce ad alloquium , ad amicitiam vocas , domum ,, invitas , Bibliothecam offers , quibus ita uſus ſum , ,, ut maximum prudentiæ cumulum accepiſſe , & ip- ,, ſas lucubratiunculas meas bonâ ex parte à libris ,, tuis eſſe non negem . ,, Arctum hoc inter utrumque amicitiæ fœdus fovebant Muſæ , ut oſtendunt mutua eorumdem Carmina . Ceterùm ſupervixiſſe Quinctium noſtrum ſaltem uſque ad Seculi XVII. initium oſtendit tempus , quo datæ ſunt ad eundem Puteani Epiſtolæ , de quibus mox dicendum .

Scripſit :

D I. Allegationes plures , inter quas eminet una de Sale in Provinciam Mediolanenſem introducendo : *ſine anno* , *& nomine Typographi* , *in fol.* juſtæ molis . Extant in Collectionibus toties memoratis J. PP. Mediolan.

II. Car-

Digitized by Google

II. Carmina Latina ad Erycium Puteanum, de quibus hic meminit, ut inferiùs.

III. Epiſtolæ plures ad Puteanum, ut patet ex Reſponſis mox indicandis.

Tres ad eum reperiuntur Patavii datæ ſæpius laudati Puteani Epiſtolæ inter hujus editas. Prima videlicet X. Kal. Majas MDXCIX. ubi virtutem Quinctii laudat, & verba jam recitata ſubnectit. Altera ſcripta Kal. Quinctilibus: in ea laudat Quinctii Carmina, & ſua ad ipſum mittit, judicium ipſius expectans. Sunt in Centuria II. pag. 85. Tertia demum die VI. Martii prædicti anni, qua reſpondet Epiſtolis Quinctii.

De eodem meminit Benalius in Hiſt. Magiſt. Extraord. pag. 182. ac Sitonus noſter eruditiſſimus in Schedis.

# R

## MMX.

## RADAELLUS JOSEPH.

JOſeph Radaëllus Mediolanenſis Ordinis Minorum Obſervantium S. Franciſci, ſic moribus & eruditione claruit, ut Theologiæ magiſterium promeruerit, eique Patria graviſſimi momenti negotia commendarit. Anno enim MDCXXXII. Mediolanenſium nomine ad Philippum IV. Hiſpaniarum Regem Legatus miſſus, Civium ſuorum vota non fefellit. Septennio poſt cùm in Cœnobio Romano Aræcœli die XI. menſis Junii generalia haberentur Comitia, ex Procuratoris Generalis munere, quod menſes aliquot laudabiliter adminiſtraverat, aſcendere meruit ad officium Generalis in Curia Commiſſarii, quod triennio optimè geſſit. Secundam fortè Legationem Patriæ ad Matritenſem Aulam geſſiſſe oportet, nam dum hæc ſcribo, monitus ſum à Suis ſic reperiri ſcriptum in Necrologio Provinciæ Mediolanenſis ipſius Ordinis „ Die XX. Septembris MDCLVIII. in Conventu S. Franciſci Matriti obiit „ in Domino Admod. Rev. Pater Joſeph Radaëllus à Mediolano Conſultor Sancti Officii, olim Vicarius generalis, Commiſſarius, ac Procurator „ generalis Ordinis, bis Deffinitor generalis, & „ Provinciæ Mediolani jam Miniſter Provincialis, & „ apud Catholicam Majeſtatem Orator Civitatis Mediolanenſis. Religionis miræ Obſervantiæ, & odoris Sanctitatis, in cujus obitu magnus fuit Populi „ concurſus, & maximè Nobilitatis, qui quidem „ erat à Catholica Majeſtate electus Viglevani Epiſcopus.

Hæc reperimus ipſius litteraria Monumenta:

I. Copia di tutte le Lettere, ed altre Scritture, che ſervirono all' Ambaſciata della Città di Milano al Re ſuo Signore dal Reverendiſs. Padre Fr. Giuſeppe Radaelli Minore Oſſervante, e Conſultore del S. Offizio, copiate da Fr. Carlo Robone ſuo Compagno, e Segretario dell' Ambaſciata.

Continet Inſtructionem generalem eidem ab Urbis Decurionibus traditam, Epiſtolas eorundem ad Regem, & Aulicos, Orationes IV. Italicas Scriptoris noſtri ad Regem, duas habitas menſe Januario MDCXXXIII. tertiam die XXIV. Maji, poſtremam demum die XXX. Julii ejuſdem anni. Item ſeriem Actuum per Epiſtolas ad Jo. Baptiſtam Raynoldum tunc Urbis Præfectum, ad Ordinum Conſervatores, ad Jacobum de Eccleſia Decurionum à Secretis. Tandemque adeſt Relatio Legationis ab eodem Joſepho in reditu facta, ſimulque omnium Diplomatum, quæ obtinuerat, exempla. MS. in 4. juſtæ molis extat in Bibliotheca Suorum ad S. Angelum Mediolani.

II. Conciones variæ, & Orationes Panegyricæ. Hæc memorantur inter MSS. Cœnobii ſupradicti ſui Ordinis, ſed modò non reperiuntur.

Laudatur à Fr. Petro Nicolao Bonavilla in Notitia Chronologica Provinciæ Mediolan. pag. 150.

## MMXI.

## RASORIUS SALVATOR.

NObiles Conjuges Proſper Raſorius, atque Caſſandra Marliana incolæ Oppidi Ripaltæ vulgò *Rivolta* ad Abduam Fluvium in Ducatu Mediolanenſi conſtitutæ, anno Chriſti Salvatoris MDLXII. Thomam genuere, qui poſtmodum die XVII. menſis Maji, anno MDLXXIX. in Laudenſi Urbe Capuccinorum Inſtitutum amplectens, Salvator à Ripalta dictus fuit. Inter Sodales ſuos morum probitate, paupertatis amore, & regularis diſciplinæ zelo mirificè enituit. Tyronibus præfectus, eos ad omnem perfectionem verbo & exemplo informare ſtuduit. Sæpè Cœnobiis Suorum Vicariùs præfuit, donec anno ætatis ſuæ LXIV., quorum XLVII. in Religione tranſegerat, Mediolani die VII. menſis Februarii Salutis noſtræ anno MDCXXVI. in Cœnobio Conceptionis Deiparæ ad Orientalem Portam piiſſimè obdormivit in Domino. Eruditionem ipſius in rebus ad Ordinem ſuum ſpectantibus teſtantur

Opera, quæ reliquit hoc titulo:

I. Fondazione de' Conventi de' Padri Cappuccini della Provincia di Milano. MS. in fol. juſtæ molis.

II. Vite de' Cappuccini della Provincia di Milano. MS. in fol. juſtæ molis.

III. Vite de' Padri Cappuccini d'altre Provincie. MS. in 4.

Extant autographa in Bibliotheca præfati Conventus PP. Capuccinorum SS. Conceptionis P. O. Mediolani.

De ipſo agit JC. Camillus Sitonus Senior in Chronologia rerum Memorab. ætatis ſuæ MS. in 4. ejuſque filius JC. Joannes Sitonus tam in Chronici J. Peritorum parte II. pag. 251. quàm in Schedis.

## MMXII.

## RECALCATUS AMBROSIUS.

AMbroſius Recalcatus Mediolanenſis, Jacobi filius, Vir fuit non dignitatibus tantùm, atque muneribus inſignis, ſed morum quoque probitate, eruditione, ceteriſque magno homine dignis virtutibus clarus. Clericali militiæ addictus, & Apoſtolici Protonotarii dignitate auctus, Præpoſiturâ Collegiatæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Oppidi Brutiani Mediolanenſis Diœceſis ornari promeruit. Canonicatum etiam obtinuit in Ambroſiana Baſilica, extititque Abbas Commendatarius Monaſterii S. Bartholomæi, cognomento in Strata, in Urbe Ticino. Paulo III. Pontifici Max. adeò gratus fuit, ut primarium, intimumque Miniſtrum à Secretis ſibi ipſum deligeret. Immo cùm illius prudentiam, atque dexteritatem compertam haberet Summus Antiſtes jam in graviſſimis negotiis adhibitam, Recalcati operâ in componendis toti Italiæ funeſtis diſſidiis inter Carolum V. Auguſtum, & Franciſcum I. Gallorum Regem rurſus uti decrevit. Quocirca Legationis munere decoratum ad tam difficilem provinciam miſit. Hæc de præ-

Digitized by Google

præclariſſimo Cive ſuo Mediolanenſes accipiant libenter; reliqua enim illius Acta, & emortualem annum fruſtra quæſivimus. Claruit ſub annis MDXXIX. ac MDXLVII. Ejuſdem autem Ambroſii mentionem lapidea ſervat tabula in Eccleſia B. Virginis Mariæ Loci Monticelli Plebis Miſſaliæ Ducatus Mediolani, tenoris, ut ſequitur:

D. O. M.
IOANNI PATRI GABRIELI AVO PAVLO PROAVO
IOANNI ABAVO PETRO ATAVO
CHRISTOPHORO TRITAVO
PETRO AN. MCCCLXXXVIII. DECVRIONI
TRITAVI PATRI
ERASMO AN. MCCCXL. ITEM DECVRIONI
TRITAVI AVO
PETROQVE SENIORI TRITAVI PROAVO
MAIORIBVS SVIS DE RECALCATE
NOBILIBVS ET INTEGRIS VIRIS
ET IACOBO PAVLI PROAVI FRATRI
AMBROSIO PROTHONOTARIO APOSTOLICO
ECCLES. COLLEG. S. MARIAE BRVTIANI
PRAEPOSITO
AMBROSIANAE MEDIOL. BASILICAE CANONICO
SS. PAVLI III. PONT. MAX.
A SECRETIORIBVS CONSILIIS INTIMO
EIVSQVE AD INEVNDAM PACEM
INTER AVGVSTISS. CAROLVM V. IMPERAT.
ET
CHRISTIANISS. FRANCISCVM I. FRANCOR. REGEM
AN. MDXXXVI. ABLEGATO
EIVS IACOBI FILIO
AGNATIS SVIS CONSANGVINEIS DE RECALCATE
GABRIEL RECALCATVS
NOBILIS MEDIOLANENSIS
HVIVS ECCLESIAE B. VIRGINI MARIAE NASCENTI
DICATAE
SPLENDIDAQVE SVPELLECTILI INSTRVCTAE
CONDITOR
DESIGNATO CENSV VT SACRVM IN EA
QVOTIDIE FIAT
M. P. ANNO MDXCII.

Superſunt ejuſdem:

I. Acta Pontificiæ Legationis ſuæ pro ineunda pace inter Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum I. Francorum Regem anno MDXXXVI. Vol. IV. in fol. MSS. extant Romæ in Arce Molis Adrianæ.

Plures ad eum dediſſe Epiſtolas celebres Viros, inter quos etiam Joannem Matthæum Gibertum Epiſcopum Veronenſem, teſtis eſt Cardinalis Sfortia Pallavicinus loco infra citando.

Ejuſdem meminerunt Cæſar Campana in Vita Philippi II. Hiſpan. Regis part. I. Decad. I. lib. X. pag. 126. & 127. *Venet.* 1624. *in* 4., Sfortia Pallavicinus Sanctæ Rom. Eccl. Card. in Hiſt. Concil. Trident. lib. III. cap. XVIII. num. II., lib. IV. cap. I. num. VIII., & cap. II. num. III., & cap. III. num. IV., & cap. IV. num. III. V. VII. VIII. & IX., Ludovicus de Dominicis in Collection. dictor. & geſtor. memorabil. lib. VI. pag. 312. *Florentiæ*, 1564. Laurentius Capellonus in Diſſertationib. politic., & variis lib. II. cap. XLV. pag. 73. 74. & 75. *Genuæ*, 1576. *in* 4., Reſtaurus Caſtaldus in Tractat. de Imperatore: quæſt. 110. §. 79. pag. 79. In Tractat. univerſ. jur. Tom. XVI. in fol. Hieronymus Trivultius in Epiſtola Nuncupatoria præfixa Sacris Cantionibus in laudem Sancti Caroli Borromæi Card. Archiep. *Venet.* 1616., Advocatus Sitonus in Monumentis genealogicis Familiæ Recalcatæ pag. 21. 22. & 68. *Mediol.* 1725. *in fol. penès Malateſtam*, tum in Theatro genealogico Sitoniano pag. 373. MS. in fol. penès Auctorem.

## MMXIII.

## RECALCATUS ANTONIUS.

ANtonius Recalcatus Pauli Andreæ, atque Clementiæ Brippiæ nobilium Conjugum Mediolanenſium filius, ad vitales auras venit anno Salutiferæ Incarnationis MDCLVII. Sedulæ parentum curæ ſatis ſuperque reſpondit, nam majorum veſtigia ſequens inter bonarum artium rudimenta adolevit, indeque Legibus dedit operam. Pontificii poſtmodum, atque Cæſarei Juris laureâ honeſtatus, tantæ eruditionis, & prudentiæ ſpecimen præbuit, ut anno Chriſti MDCLXXXIV. ad Regium Juſtitiæ Vicariatum, dein ad Capitalium Rerum Præfecturam anno MDCCXVI. promoveri meruerit. Dum idem munus magna cum laude gereret, ad Senatoriam Cathedram conſcendit. Faſces Prætorios quoque Ticinenſes ſumma integritate ſuſtinuit anno MDCCXVIII. æquitatis juſtitiæque cultor ſemper integerrimus uſque ad vitæ exitum. Mundo valedixit annos natus LXXXVI. die ſecunda menſis Januarii MDCCXLIII.

Habemus de illo, quæ ſequuntur à nobis inſpecta:

I. Conſtitutiones Dominii Mediolanenſis, unà cum Ordinibus Senatus, additis notis J. C. Dondei, & ampliſſimi Patris Marchionis Recalcati Regii Ducalis Senatoris. Codex certè magni faciendus, nam præter ſupradictas adnotationes pro quolibet articulo, reperiuntur etiam ſparſim Obſervationes variæ; quæ potius Diſſertationes Juridicæ appellari poſſunt, & inter cetera hæc eminent:
1. Tractatus in Prooemium earundem Conſtitutionum de titulis Caroli V. Cæſaris.
2. De Vicariis Imperii in Ducatu Mediolanenſi.
3. De Ducibus Mediolanenſibus, eorumque auctoritate.
4 De Senatu, & ejuſdem auctoritate.
5. De Monetis.
6. De Hæredibus cum beneficio legis &c.
7. De Feudis.

Extat in Bibliotheca Marchionis Caroli Mariæ J. C. C. ex LX. Decurionibus, & Regii Capitanei Juſtitiæ in toto Mediolani Dominio, Auctoris filii.

II. Repertorium Juris ad res præſertim Criminales ſpectans, ut plurimum additis Sententiis, atque Ordinibus Excellentiſſimi Senatus, unà cum Auctoritatibus Statutorum Mediolani, Novarumque Conſtitutionum, & inſignium Juris-Peritorum. MS. in fol. magnæ molis autographus, extat ut ſupra.

Agit de ipſo J. C. & Advocatus Joannes Sitonus de Scotia Chroniſta hujus Metropolis in libro, cui titulus „ Clariſs. Recalcatorum Familiæ Sacri Romani „ Imperii Marchionum, Comitum, Equitum, & li„ berorum Baronum: Regiorum Baſſiani, ac Mona„ ſterii Baſſiani in Plebe Pontiroli Ducatus Medio„ lani (nunc etiam Oppidi Binaſchi &c.) Feudata„ riorum, vetuſtæ Nobilitatis Monumenta ab anno „ Salutis MCLV. ad annum MDCCXXV. publicis ex „ Documentis Chronologico-Genealogicè deducta. *Mediol. apud Malateſtam, in fol.*

## MMXIV.

## RECALCATUS BARTHOLOMÆUS.

EX Franciſco Recalcato, atque Agnete de Craſſis nobilibus Conjugibus natus eſt Mediolani Bartholomæus, qui ab ineunte ætate non literis minus, quàm pietati vacans, tandem Societatem Jeſu mille claram titulis amplexus eſt. Inter Sodales ſuos magni habitus fuit ob eruditionis, & morum optimam famam; quocirca adoleſcentibus edocendis primùm, mox etiam Collegiis ſuorum regendis meruit admoveri. Fratrem habuit Joannem Baptiſtam Sacræ Theologiæ Doctorem, atque Laurentianæ Baſilicæ Mediolanenſis

Digitized by Google

lanenſis Præpoſitum, qui anno MDLXXXVIII. ſupremis Tabulis die III. menſis Novembris Bartholomæum ex aſſe ſcripſit hæredem. Dum Braydenſi Collegio præeſſet noſter, Sanctiſſimum juvenem Aloyſium Gonzagam Conſodalem habuit aliquandiu, ab eodem ſummâ benevolentiâ exceptus, adeout ipſius quoque Confeſſiones exciperet. Quocirca cùm Romæ poſtmodum jamjam terræ valedicturus Aloyſius extremo decumberet morbo, ad eum plenas amoris litteras dedit, quibus de proximo ſuo ad Superos tranſitu edoctum rogabat, ut ſe ſuſis ad Deum precibus adjuvaret. Obiit Bartholomæus die XXVII. Aprilis MDXCII. non ſine opinione Sanctitatis, dum adhùc idem Braydenſe Collegium adminiſtraret.

A

Poſt ſe reliquit Opera, quæ ſic inſcribuntur:

B

I. Tractatus de Matrimonio, & de Eccleſiæ Præceptis. MS. in fol. extat in Biblioth. Collegii S. Fidelis ejuſdem Societ. Mediol.

II. Diſputationes in univerſam Ariſtotelis Philoſophiam Naturalem. Vol. II. in 4. MS. ibid.

III. In Ariſtotelis de Anima, & de Rebus Politicis Commentaria. MS. in 4. Tom. II. ibid.

IV. In octo Libros Phyſicos explicatio. MS. in 4. Tom. II. ibid.

V. Tractatus de Elementis, eorumque mixtione. MS. in 4. ibid.

Epiſtolam, quam ad eum, ut ſupradiximus, S. Aloyſius Gonzaga morti proximus miſit, memorant Virgilius Cæſarius in ejuſdem Sancti Vita impreſſa *Mediol.* 1607. parte II. cap. IX. atque Joſeph Puteus in Vita Ven. Servi Dei Joannis Petri Recalcati Ord. Capuccinorum impreſſa ibid. pag. 18.

C

Laudatur etiam ab eodem Cæſario in cit. Opere parte II. cap. VII., & à doctiſſimo JC. Sitono in Theatro Genealogico MS. in fol. pag. 373., & in Monum. Familiæ Recalcatæ editis anno 1725. demumque in Schedis, unde nobis geneſim ipſius Familiæ ſuppeditavit, deductam à Petro de Recalcato anno Chriſti MCCC. inter vivos agente, uſque ad Marchionem Carolum Mariam Rerum Capitalium Præfectum actu degentem.

## MMXV.

## REDENASCUS FRANCISCUS.

EX Homobono Juriſconſulto Collegiato Cremonenſi, atque Julia Bovia conjugibus Mediolani anno MDCIV. natus eſt Franciſcus Redenaſcus intra fines Parœciæ Baſilicæ Apoſtolorum, vulgò S. Nazarii, ubi luſtralibus Undis ablutus fuit. Hæc ideo commemoravimus, ne quis arbitretur, eum nos injuriâ Cremonenſibus eripere, cùm jam eximiis, meritiſque laudibus à Clariſs. Viro Franciſco Ariſio locis infra citandis fuerit commendatus. Neque tamen doctiſſimum Scriptorem reprehendimus, qui Familiæ verè Cremonenſis origine inſpectâ, Patriæ ſuæ Litteratis Franciſcum addidit, quem nos à natalibus, Mediolanenſibus reliquis Eruditis accenſemus. Per genitoris igitur veſtigia gradiens Franciſcus, Cæſareis, Pontificiiſque Juribus dedit operam, in queis aſſecutus lauream, locum obtinuit inter J. CC. Collegii Cremonenſis. Pro ejuſdem Urbis Civibus apud Inſubriæ Moderatores Orator diu extitit, ſelectus etiam inter Adjunctos ſuper negotiis Hoſpitationum, & Exceſſuum militarium. Advocatus in Foro diſertiſſimus magnam ſuo nomini famam peperit. Apud Hiſpanum Regem ea fuit in exiſtimatione, ut ad plures Italiæ Principes, mox etiam ad Innocentium X. Pontificem Max. ablegaretur; atque in alma Urbe quinquennio commorans, ibi quoque Juris peritiam ſingularem oſtendit. Sacro Inquiſitionis Tribunali Cremonæ Conſultor adſtitit, tandemque anno MDCXLVII. ad Senatoriam dignitatem evectus fuit in Inſubriæ ſupremo Magiſtratu. Ticinenſibus poſtmodum Prætor jus dixit non ſine integritatis laude. Acerbo fato ſublatus eſt Mediolani die XVI. menſis Januarii anno redemptæ humanitatis MDCLI. ætatis ſuæ XLVII. Mentio ipſius ſupereſt in Elogio funebri, quod marmori inciſum Matri ipſe poſuit in Templo S. Vincentii Cremonæ, illudque hic damus, tametſi Seculi XVII. ſtylum redoleat:

SISTE PRODIGIVM CONTEMPLARE?
IVLIA BOVIA REDENASCA
IVGO LEGIS ANN. LXXIII. AEQVE TOLERATO
VT BOS ALATVS AD COELESTIA EVOLAVIT
VBI VIVENS FREQVENTER ORABAT
HIC MORTVA IACET
VT TAMEN AETERNVM VIVAT
FRANCISCVS REDENASCVS I. C. COLLEG. CREMONEN.
REG. ET DVC. MEDIOLANI SENATOR
E ROMANA LEGATIONE REVERSVS
AMANTISSIMAE MATRI MONVMENTVM P.
ANN. MDCXLVIII.

Commendantur ipſius poſthuma

D

I. Conſilia, ſive Reſponſa &c. cum Deciſionibus Senatus Excellentiſſimi, & utriuſque Magiſtratus Mediolani. *Papiæ, apud Andream Magrium,* 1652. *in fol.*

De præfato Franciſco Senatore, ejuſque Patre J. C. Homobono, cum laude meminerunt Paulus Bellonus Reg. Senator de poteſtate eorum, quæ fiunt incontinenti lib. prim. cap. CLXXII. num. II. & IX. & pag. 251. Angelus Stephanus Garonus de Senatoribus lib. pr. pag. 18. Joſeph Breſſianus in Collegio J. PP. Cremon. pag. 77. Franciſcus Ariſius in Cremona Literata Tom. II. pagina 424. & Tom. III. pag. 71., & in Serie Prætor. Cremon. pag. 56. & 57. Joh. Franciſcus Andreolus Controverſ. forenſ. 334. in fine, Advocatus Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. art. MCLXIV. pag. 247., & in Theatro genealogico Sitoniano pag. 373. MS. in fol. penès Auctorem.

## MMXVI.

## REDENASCUS FRANCISCUS alter.

EX Franciſco Redenaſco, cujus in priori meminimus Articulo, & Thereſia Riccia anno MDCLI. Mediolani in Parœcia S. Sebaſtiani lucem vidit Franciſcus, hoc appellatus nomine ad genitoris, cui poſthumus fuit, memoriam renovandam. Etiam ipſe legalibus operam navavit ſtudiis, Doctorque creatus, ob Familiæ originem cooptari meruit in Collegium J.CC. Cremonenſium, quemadmodum etiam relatus eſt inter ipſius Urbis Decuriones. Tria per luſtra Oratoris munus geſſit ejuſdem Civitatis nomine apud Inſubriæ Regios Moderatores, mox in doctrinæ, virtutumque gratiam ad Senatoriam Sedem inter Patres Conſcriptos Inſubres à Carolo II. Hiſpaniarum Rege aſſumptus anno MDCXCI. Prætorios etiam Ticinenſes Faſces integerrimè rexit biennio, annis videlicet MDCXCIV. & ſequenti. Legationibus pro Principe geſtis ad varios Italos Principes, ad Parmæ præſertim Ducem, atque Innocentium XII. Pontificem Max. vigilanterque adminiſtrato munere Præſidis publicæ Salutis anno Seculari MDCC. poſt quinquennium obiit Mediolani die IV. menſis Junii; conditusque jacet in Parochiali Templo S. Joannis Itolani, ejus tumulo hac Inſcriptione exornato:

D. O. M.
FRANCISCO REDENASCO
MARCHIONI SEPTALAE
SENATORI REGIO
FRANCISCI SENATORIS FILIO
QVI AETATIS SVAE LIV.
OBIIT PRID. NON. IVN. ANNO MDCCV.
ELISABETHA PALLAVICINA VXOR FILIIQVE MOESTISS.
SIBI ET POSTERIS SVIS P. P.

Superſunt ejuſdem

I. Conſultationes plures Juridicæ, inter quas eminet illa typis commiſſa, cui titulus „ ad Excellentiſſimum „ Senatum Mediolani exaratam nomine Congrega„ tionis univerſi Status Mediolani pro abuſibus tol„ lendis in detrimentum Regii Ærarii, & Subdito„ rum irreptis. „ 1691. in fol. extat penès Advocatum Sitonum.

II. Oratio Funebris in Regiis exequiis habitis in Metropolitana Mediolani pro Sacra Catholica Majeſtate Mariæ Annæ Auſtriacæ, Caroli Secundi Regis Catholici Matris defunctæ anno MDCXCVI. *Mediolani, eodem anno, in fol.*

Meminerunt ipſius Franciſcus Ariſius in Cremon. Literat Tom. III. pag. 72. & 73., & in Serie Prætorum Cremon. pag. 61., & in libr. Epigrammat. lib. I. pag. 1. Advocatus Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. art. MCLXIV. pag. 247., & in Theatro Genealogico Sitoniano pag. 373. MS. in fol. penès Auctorem.

## MMXVII.

## REGNA HIERONYMUS ANTONIUS.

HIeronymus Antonius Regna, ſive, ut vulgò appellari ſolet hujuſcemodi gens, Reyna Mediolanenſis, officium Rationatoris generalis in tota hujus Metropolis Ditione multos per annos exercuit. Vir fuit in Patriæ antiquitatibus præcipuè verſatus; neque tamen ipſi deerant cultioris literaturæ ornamenta; quorum ſpecimen in mox recenſendis Operibus ſuis reliquit. Obiit anno MDCCXXV. die IV. menſis Septembris, tumulatuſque jacet intra Majorum ſuorum monumentum in Sacello S. Petri in Baſilica S. Franciſci Mediolani.

Scripſit:

I. Dell'origine, progreſſo, valore, peſo, bontà, e corſo delle Monete principalmente nello Stato di Milano. MS. in fol. magnæ molis. Tractatus eſt abſolutiſſimus, ſervaturque penès Marchionem Joannem Alimentum de la Porta Magiſtratus Ordinariorum Redituum Quæſtorem.

II. Collezione delle Gride, ed Editti pubblicati in Milano circa le Monete dall'anno MCCCXV. ſino all'anno MDCCXXIV. cum nonnullis Regnæ Animadverſionibus. Cod. partim editus, partim MS. in fol. magnæ molis. Ibidem.

De ipſo amiciſſimus JC. Sitonus agit in Schedis.

## MMXVIII.

## RESTA LANZALOTTUS.

LAnzalottus, ſeu, ut aliis placet, Lanzarottus Reſta, Patrem habuit Petrum, Avumque Antonium, cujus extat, aut extabat ſequens Sepulchralis Inſcriptio in Eccleſia S. Mariæ Badagii Monachorum Olivetanæ Congregationis, extra Urbem Mediolani, ſic:

HIC IACET SPECTABILIS
ET CONSPICVVS VIR
DOMINVS ANTONIVS DE RESTIS
QVI OBIIT CAPITANEVS
IN CITTADELLA ALEXANDRIAE
ANNO DOMINI MCCCCXXXVI.
DIE II. OCTOBRIS.

De Lanzalotto noſtro, ejuſque fratre Jacobo, adeſt memoria ſub anno MCCCCXXXIX. in Codice pluries laudato Marchionis de Roſales, nam in Nomenclatura Scripturarum Archivi Ducalis erat Exemptio ab oneribus bonorum eorumdem Fratrum de Reſtis per Philippum Mariam Vicecomitem conceſſa, ſicuti Sententia lata per ipſum Lanzalottum anno MCCCCXXXI. de qua infra. Anno verò MCCCCXLVII. die

Digitized by Google

die IX. Septembris, cùm eſſet Orator, & Commiſſarius, unà cum Prævoſtino de Pioris, & Comite Girardo de Cemo, Illuſtris, & Excelſæ Communitatis Mediolani,

Scripſit, & condidit

I. Capitula XVII. Fœderis, & Adhærentiæ inter Spectabiles, & Egregios Mandatarios DD. Capitaneorum, & Defenſorum Illuſtris, & Excelſæ Communitatis Mediolani, & Nobiles Cives Deputatos pro Communitate Civitatis Alexandriæ. Extant MS. in fol. penès J. C. Advocatum Sitonum noſtrum.

II. Sententia lata die III. menſis Martii, anno MCCCCXXXI. per Lanzalottum Reſtam in Cauſa inter Dominos Seprii Comites, & Abbatem Sancti Nazarii. Memoratur in ſupradicto Codice MS. Marchionis de Roſales.

De præfatis Lanzalotto, & Jacobo fratribus meminit Placidus Puccinellus in Chronico Monaſterii Glaſſiatenſis pag. 291., deque præfatis Capitulis Fœderis Hieronymus Ghilinus in Annal. Alexandriæ pag. 96. ſub an. MCCCCXLVII. num. IV., ſicuti & Advocatus Sitonus in Monumentis Genealogicis Familiæ Reſtæ evulgatis ann. 1730. MS. in fol. penès eundem: item Franciſcus Cicerejus in Collectan. Inſcript. Sepulcral. pag. 72. MS. in fol. penès eundem Advocatum Sitonum.

## MMXIX.

## RICCIUS ALPHONSUS.

ALphonſum Riccium Prædicatorum Ordinis Alumnum, natione certè Italum, ancipites fuerunt Viri Clariſs. Quetif, & Eccard Bibliothecæ ipſius Ordinis Auctores, cui potiſſimùm Patriæ aſſignarent, Neapoli videlicet, an Mediolano; in eam tamen potiùs propendent Sententiam, ut Mediolanenſem fuiſſe putent. Diu & nos animi pendidimus utrum ejus nomen inter hujus Metropolis eruditos recenſeremus; omnem tamen dubitationem deponere coacti ſumus ex ſilentio primùm Toppii, qui nullibi eum inter Neapolitanos enumerat, tum, quod fortius exiſtimamus, ex pluribus Monumentis Ricciæ Familiæ in hujus Urbis Templis extantibus; nempe Eraſmi Riccii Regii, Ducaliſque Quæſtoris, qui annos C. natus defunctus eſt anno MDLXXV. jacetque in Baſilica S. Franciſci; Joannis Angeli Riccii, qui Franciſci Sfortiæ II., Caroli V., & Philippi Hiſpaniarum Regis ad Rhetos, ad Helvetios, & ad Summos Pontifices Legatus fuit, cujus occurrit mentio in Elogio Sepulchrali Cœciliæ Mazentæ ejus uxoris, quod cernitur in Templo S. Mariæ Gratiarum; Lauræ item Ricciæ in Monumento ab ea poſito Andreæ Bebulco Viro ſuo, anno MDLXXXIX. in Templo S. Georgii ad Palatium dicto; quibus omnibus antiquius Marmor proſtat in Æde S. Vincentii Monialium, quod anno MDXLVII. Stephanus Riccius ſibi, Urſulæ conjugi, atque poſteris paravit. Hactenus adductis rationibus addimus tempus, quo Alphonſus noſter floruit, & Principem, qui ei fuit Mecœnas: Ludovicum nempe Francorum Regem XII. Mediolani Ducem, quem certiſſimum eſt multos è Mediolanenſibus ſecum in Gallias adduxiſſe, & præclaris Aulicis muneribus decoraſſe. Scriptor igitur noſter inter Prædicatores non infimum locum promeruit ob eruditionis præſtantiam. Etenim Sacræ Theologiæ Magiſterium in celeberrima toto terrarum Orbe Pariſienſi Academia promeruit, & ex Actis facultatis anno MDVIII. decimusquartus, & ultimus de Sorbonica reſpondit. Ipſius Ludovici Regis ſumptibus annos plures tranſegit in Cœnobio Pariſienſi S. Jacobi, tum ei comes fuit in expeditione Neapolitana, indeque in Gallias remeans, atque Valdenſium fines pertranſiens, cum iiſdem de Purgatorio diſceptavit. In Aula fuit à Confeſſionibus Domus regiæ vulgò *Confeſſeur du comman de la Maiſon du Roy*, acceptiſſimuſque extitit Annæ Britanniæ Duciſſæ Ludovici Regis uxori, quibus aliquot infra memoranda Opera inſcripſit. Poëſim quoque Latinam coluit, ut indicant Hymni haud multo poſt recenſendi. Annus ei poſtremus quis fuerit, nemo tradit.

Scripſit

I. Dialogum, quo ex Sacra Scriptura, priſcorumque Patrum dogmatibus Purgatorium animabus purgandis præparatum oſtenditur adversùs Vualdenſes, interlocutoribus Valdenſi, & Fide, arbitra veritate. *Pariſiis*, 1509. & iterum ibid. *apud Jo. Petit*, 1512. *in* 4.

II. Eruditiones Chriſtianæ Religionis. *Pariſiis, typis Johannis Petit*, 1512. *in* 4. Ludovico XII., & Annæ Francorum Regibus dicatas.

III. Hymnos tres in laudem S. Joannis Baptiſtæ, inſcriptos F. Guillelmo Paruo Ord. Prædic. Regis Conſiliario, & Confeſſario.

IV. Quæſtionem perpulchram, qua inveſtigatur an meritum exiſtentis in proſperis amplius ſit, quàm illius, qui fert patienter adverſa, ubi pro adverſa patienter ſuſtinente concludit. Ad calcem porro hujus quæſtionis extat

V. Epiſtola ejuſdem Riccii ad Yvonem Redonenſem data, à quo & conſilium petit; in qua ſtatuit hominem eundem in proſperis, & adverſis æqualiter ſe gerentem plus mereri in proſperis, quàm in adverſis; quæ omnia ſimul edita ſervari in Regia Biblioth. Cod D. n. 1586. ajunt citati Quetif, & Eccard.

VI. Lecturam in libros Sententiarum. Eam approbavit Capitulum Generale Ordinis ſui Papiæ celebratum anno MDVII. Nunquam editam vidimus, nec ubi ſervetur ſcimus.

Eum laudant præcitati Bibliologi Ord. Præd. in Tomo II. fol. 26. & Clariſs. Abbas Fuſius in Append. MS. ad Picinellum.

## MMXX.

## RIVOLTELLA ARDICIO.

PRæſtantiſſimum Mediolanenſis Urbis ornamentum Ardicionem Rivoltellam, quem Baronius Ardericum, & Andrevicum quandoque appellavit, ideo in hac noſtra Bibliotheca fuerat ommiſſus, quòd nullum litterarium ipſius Opus ad noſtram perveniſſet notitiam. At cùm ipſum à Clariſſimo Viro Iſidoro Fuſio Congregationis S. Bernardi Monacho, & Abbate in Appendice ſua MS. ad Athenæum Picinelli inſertum invenerimus, gaviſi ſumus, cùm liceat Virum tantum aliis adjicere, qui ob eruditionis laudem Mediolano decus peperere. Ardicio igitur nobili genere in Metropoli Inſubriæ genitus, poſt ſtudiorum curricula, & Clericalem militiam non ſine commendatione plures per annos geſta, ab Hadriano IV. Summo Pontifice anno Redemptionis MCLV. menſe Decembri, Diaconus Cardinalis Sancti Theodori meruit renunciari. Eruditionem ipſius, atque in negotiis utcumque arduis benè gerendis prudentiam quanti Hadrianus faceret, ſatis ſuperque oſtendit Legatio, quam ipſius Pontificis juſſu habuit unà cum Othone Brixienſi Diacono Cardinali Sancti Nicolai in carcere, cùm ageretur de reconciliandis Longobardiæ populis inter ſe diſſidentibus. Exarſerant enim adeò Mediolanenſium animi adversùs Laudenſes Cives, ut arreptis armis univerſa penè Inſubria bello perturbaretur. Plurimùm quidem laboris inſumſere Legati ambo, ut controverſiam ſedarent, verumtamen tantum abfuit, ut quod petebant obtinerent, quin potiùs extorres facti Laudenſes Urbem ſuam Mediolanenſibus diripiendam relinquere ſint coacti. Id tamen ſaltem impetravit Ardicio, ut Cives ſuos, alioſque finitimos in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ fide confirmarit. Unus fuit inter Cardinales, qui ab Hadriano in verba ſua adacti ſunt, ut poſt eum Pontificem crearent, quem exiſtimarent aptum fore ad intrepidè tutanda Eccleſiæ Romanæ jura adversùs Frideri-

Digitized by Google

dericum Ænobarbum Auguſtum ; quocirca Hadriano defuncto ſuffragium tulit Alexandro III. & ſtrenuè reſtitit Octaviano Cardinali Sanctæ Cæciliæ, quem fautores Friderici Pſeudopontificem renunciaverant ſub nomine Victoris IV. Cùm autem Alexander Pontifex Græcorum Imperatorem Emmanuelem I. Comnenum in partes ſuas contra Victorem adducere ſtuderet, unum ſelegit Ardicionem, cui Legationis hujuſmodi munus imponeret . Quapropter Conſtantinopolim ſe contulit, ut commiſſam ſibi provinciam exequeretur . Inde reverſus in ſumma temporum varietate, nihil de conſtantia ſua, vel Patriæ ruinâ deflectens, vixit nedum ſub Alexandro prædicto, ſub quo eum diem obiiſſe perperam ſcripſit Ciacconius, verumetiam ſub Lucio III. atque Urbano item III., quorum omnium Diplomatibus ſubſcripſit . Tandem cùm annos ſupra XXX in Cardinalatus dignitate tranſegiſſet, meritis & annis plenus ſub eodem Urbano III. migravit è vita, anno Salutis humanæ MCLXXXVI. Tanta fuit humilitate præditus, ut tumulo ſuo hæc unicè inſcribi mandaverit :

CARDINALIS ERAM.

Habentur illius

I. Acta Legationis ad Emmanuelem Imperatorem . Horum meminit Cardinalis Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis Tomo XII. ad annum MCLIX. fol. 433. editionis Antuerpienſis.

II. Litteræ aliquot ad Fridericum Imperatorem de Schiſmate Victoris abolendo.

De his Epiſtolis loquitur Radevicus lib. II. cap. LIII., ex quo præfatus Clar. Fuſius.

Agunt etiam de Rivoltella noſtro Continuatores Ciacconii Tomo I. col. 1065. Salvator Vitalis in Theatro Triumphali pag. 15. & Palatius Tomo I. Faſtorum Cardinalium col. 294. & ſequenti, aliique plures.

## MMXXI.

## RIZZOLUS VICECOMES.

Vicecomes Rizzolus, ſive de Rizolio ( neque enim, ut quidam perperam ſuſpicati ſunt, ex Vicecomitum gente hic fuit, ſed dum ſacris ablueretur Undis Vicecomes eſt appellatus ) prudentiâ, atque conſilio apud Mediolanenſes Cives ſuos plurimùm emicuit ; etenim præterquamquod in libera Patriæ Republica Conſulatum geſſit Juſtitiæ anno Salutis humanæ MCCXVI. tanti habitus eſt à Jacobo Malcorigia, qui per ea tempora Prætorios adminiſtrabat faſces in hac Metropoli, ut non conſilio ſolùm Vicecomitis, ſed illius quoque operâ ad compilandas in unum corpus eas Conſuetudines, quæ apud Inſubres pro legibus ſervantur, uteretur. In tam proficua laborioſaque provincia alios habuit Rizzolus noſter Collegas præſtantiſſimos, quorum nomina ſuo loco in hac Bibliotheca Lector reperiet.

Igitur ejus teſtantur ſummum in Patriam amorem, & prudentiam

I. Conſuetudines Mediolanenſis Reipubl. in unum Volumen collectæ anno Sal. MCCXVII.

Laudatur à Triſtano Chalco in lib. XIII. hiſt. Patriæ, Comite Octavio Archinto in Collect. Monum. Famil. Mediol., & in Collectione Conſulari Sitoniana.

## MMXXII.

## ROTIUS ANSELMUS.

Anſelmus Rotius Mediolanenſis Marcolini nobilis Viri filius ( cujus cognomen Carthariûs loco infra citando perperam Botium ſcripſit ) utrique Juri ſic navavit operam, ut Doctor renunciatus, anno MCCCLXVIII. inter Canonicos Templi Maximi Novocomenſis fuerit recenſitus . Mox in Romana Curia Sacri Conſiſtorii Advocatus floruit, Pontifici Bonifacio IX. acceptiſſimus, qui eidem tunc in Urbe reſidenti, anno Pontificatus ſui V. quaſdam ædes ſitas in Regione Sancti Euſtachii conceſſit, etiamſi à Curia ſe ſubtraxiſſet animo ad eam redeundi ſervato. Juvat hìc ex brevibus Papæ litteris ea ſuper re datis quædam delibare, è quibus elucet, quantus hic Vir extiterit . En igitur earumdem initium : „ Dilecto „ filio Anſelmo Rotio Mediolanenſi J. U. D. ac Con- „ ſiſtorii noſtri Advocato Salutem : Sinceræ devotio- „ nis affectus, quem ad Nos, & Romanam geris „ Eccleſiam, necnon grata, & accepta ſervitia, „ per te nobis, & eidem Eccleſiæ hactenus impen- „ ſa, & quæ adhuc ſolicitis ſtudiis impendere non „ deſiſtis, Nos inducunt, ut te ſpecialibus favori- „ bus, & gratiis proſequamur &c. Dat. Romæ Pon- „ tificatus anno V. „ Eas ex Regeſto hauſit prædictus Carthariûs, qui addit, eum pluribus interfuiſſe publicis Actis ſub eodem Pontifice Bonifacio . Alia verò Anſelmi opera, priuſquam ad munus Conſiſtorialis Advocati aſſumeretur, eruuntur è Tabulis publicis, quas nobis ſignificavit amiciſſimus JC. Sitonus ; eum nimirum anno MCCCLXVIII. in Bononienſi Archigymnaſio docuiſſe, atque anno MCCCLXXVI. à Carolo IV. Auguſto VI. Kal. Aprilis creatum Comitem Palatinum S. R. Imperii . Hæc illa ſunt, quæ de Anſelmo novimus, quo verò anno deſideratus fuerit ignoramus . Vixiſſe tamen conjicimus etiam poſt initium Seculi XV.

Commendandus eſt à poſteris ob

I. Plures Relationes publicas, quarum mentio incidit in Deciſione Rotæ Romanæ circa annum MCCCLXXVI., quæ legitur impreſſa inter Novas, & eſt in ordine CCCLXXI.

II. Conſultationes varias, quæ extant in Archivo Molis Æliæ.

De eo citatus Carthar. in Syllabo Advocat. Sacri Conſiſtor. edit. Rom. pag. 19. Clariſs. Abbas Fuſius in Addit. MSS. ad Athenæum Picinelli, & prælaudatus JC. Sitonus in Schedis, in queis etiam non tantùm Rotiæ familiæ ſtemma ab Alberto anno MCCC. vivente ad Jo. Andream Canonicum Ordin. Metropol. Mediol. anno MDLXXVI. defunctum texuit ; ſed adſunt penès eundem Documenta II. autentica de annis MCCCLXVIII., & MCCCLXIX. ad ſupradictum Anſelmum noſtrum ſpectantia, ſicut & Diploma Caroli IV. Imper. datum Norimbergæ VI. Cal. Aprilis MCCCLXXVI. ex quo idem Anſelmus creatur S. R. I. Comes Palatinus, ut diximus, cum poſteris ſuis, ex Archivo Vercellenſi depromtum.

MMXXIII.

Digitized by Google

# S

## MMXXIII.

### SCACABAROZIUS AMBROSIUS.

AVoſtelli Scacabarozii Equitis, & anno MCCCXL. Mediolani Decurionis filius extitit Ambroſius, quem inter Canonicos Metropolitanæ Eccleſiæ, quos Ordinarios nuncupant, cooptatum reperimus ab anno Salutis humanæ MCCCLIX. uſque ad annum MCCCLXXVII., qui fortè illi fuit emortualis. Hic inter præclaros enumeratur ipſius Baſilicæ Canonicos, qui anno MCCCLXXI. Statuta ejuſdem condiderunt publicata ipſo anno, die XX. menſis Aprilis, ut in Articulis aliorum in tam illuſtri munere illius Collegarum jam diximus.

Laudatur igitur ob

I. Prædicta Statuta, quæ MSS. in fol. ſervat Bibliotheca Archintea.
De ipſo agit humaniſſimus JC. Sitonus noſter in Monumentis Familiæ Scacabarozæ MSS. apud eundem, atque in Schedis.

## MMXXIV.

### SCLAFENATUS AUGUSTINUS.

INter Presbyteros Clariſſimæ Societatis Jeſu Auguſtinus Sclafenatus Mediolanenſis Joannis Baptiſtæ JC. C., & Margaritæ Landrianæ nobilium Conjugum filius ſic emicuit, ut non modicam ſibi, Patriæ, & Societati prælaudatæ, in quam ingreſſus eſt anno MDXCV., ætatis verò ſuæ XVI. commendationem pepererit. Effulſit in eo non infimi ſubſellii doctrina, ſive Philoſophiam, ſive Oratoriam, ſive Poëticam facultates inſpiciamus; ut ſatis ſuperque teſtantur, quæ poſt ſe, licèt inedita, reliquit poſteritati. Claruit uſque ad annum MDCXXII. quo migravit à Seculo Alexandriæ.

En Operum titulos:

I. Oratio Latina in laudem Divi Caroli Borromæi.
II. Alia de Beato Franciſco de Sales.
III. Alia cui titulus „ Imperii felicitas.
IV. Alia de Romæ laudibus.
V. Carmen Votivum pro lue avertenda. Omnia uno Volumine in fol. MS. extant in Biblioth. ejuſdem Societatis S. Fidelis Mediol.
VI. Commentaria in veterem & novam Philoſophiam. MS. in fol. ibid.
VII. Repertorium Juris Canonici. MS. in fol. ingentis molis. Ibid.
VIII. Diſputationes in primam Secundæ Divi Thomæ. MS. in 4. extat ibidem.
IX. Elogia, ſeu breves Vitæ Ludovici Quiros, & Gabrielis Gomezii. Extant in libro inſcripto „ Elogia „ PP. Soc. Jeſu, pietate, ac morte pro Chriſti Fide „ obita illuſtrium „ MS. in Bibliotheca Braydenſi.
De eo Sui, atque humaniſſimus JC. Sitonus noſter in Schedis.

## MMXXV.

### SORMANUS FRANCISCUS.

GEnitoribus Comite Paulo, atque Mariannâ Gluſſiana, Mediolani in lucem venit anno MDCXLIV. Franciſcus Sormanus, qui expletâ inter bonarum artium diſciplinas adoleſcentiâ ad Rempublicam adminiſtrandam vocatus fuit, interDecuriones adlectus, quod munus geſſit laudabiliter ab anno MDCLXXXIX. ad annum uſque MDCCXIX. Interim quadriennio integro ConſervatorPatrimonii hujusUrbis extitit ſupremis annis Seculi ſuperioris, & ipſo ſeculari MDCC. iterum ad eam electus Provinciam ſecundo quadriennio ab anno MDCCIX. ad MDCCXII. Ordinum quoque Patriæ tutelæ præfuit annos viginti, nempe ab anno MDCXCVIII ad præfatum MDCCXIX. Adminiſtravit etiam S. Ambroſii Bancum octennio, & anno MDCCVII. Urbis & Ditionis Mediolanenſis Viarum Curator eſt renunciatus. Ad Innocentium XII. Pontificem Maximum Patriæ Legatus ſe contulit anno MDCXCIX. poſtulaturus Succeſſorem Patricium, Cardinali Friderico Cacciæ nuper defuncto, ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem, feliciterque expleta Legatione Joſephum Archintum immortalis memoriæ Præſulem obtinuit. A Regiis Inſubriæ Moderatoribus plurimi habitus fuit, & in Secretiori Conſilio locum habuit Regio Diplomate diei XII. menſis Julii anno Salutis MDCCXIII. Tot cumulatus honoribus anno ætatis ſuæ LXXXII. Chriſti verò MDCCXXVI. die IX. menſis Martii viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, tumulatuſque jacet in Templo Sanctorum Angelorum apud Avos ſuos.

Scripſit Opus hoc titulo

I. Relazione di quanto è ſtato fatto dal Conte Franceſco Sormano in qualita di Ambaſciatore della Città di Milano preſſo la Santità d'Innocenzo XII. Sommo Pontefice per ottenere un nuovo Arciveſcovo originario Patrizio Milaneſe in luogo dell' Eminentiſſimo Sig. Cardinale Arciveſcovo Caccia defunto. MS. in fol. juſtæ molis, ſervatur apud Co. Antonium Sormanum Mediolanenſem Decurionem ipſius Scriptoris filium.
Ejus meminere Joſeph Benalius in Relat. Magiſt. Extraord. pag. 175 Joannes Auguſtinus Meda in Relat. ingreſſus Cardinalis Archiepiſcopi Benedicti Herbæ Odeſcalchi pagg. 5. & 98. atque humaniſſimus Sitonus in Theatro Genealogico MS. pag. 421. ex quo viſitur Sormanorum Series à Baldo florente anno MCCCXX. uſque ad noſtra tempora, quemadmodum etiam in Schedis, ubi diligentiſſimus, & nunquam ſatis laudatus rerum Patriæ Collector inſeruit etiam Inſcriptionem Sepulchralem Thaddæi de Sormano anno MD. defuncti, & Auctoris noſtri Atavi, quæ adhuc ſupereſt in Clauſtro Monaſterii S. Mariæ Badagii Monachorum Olivetanæ Congreg. quarto extra Mediolanum lapide.

## MMXXVI.

### SORMANUS PAULUS ANTONIUS.

CLericorum Regularium, qui de Somaſcha nuncupantur, Inſtitutum amplexus Paulus Antonius Sormanus Mediolanenſis, Comitis Pauli, atque Mariannæ Gluſſianæ filius, Oratoriam inter ceteras facultates artem ita coluit, ut magnum in ea ſibi nomen ſua tempeſtate comparaverit. Gallicam linguam

ita didicit, ut plura ex ea Italioè reddiderit, & quidem non infeliciter. Apud Suos tanti habitus eſt, ut ad ſummum Congregationis apicem aſcendere meruerit. Frater fuit Franciſci Sormani, quem jam laudavimus loco ſuo, atque etiam Laurentii, de quo egimus in Articulo MDCXV. col. 1427. Florebat ad finem vergente Seculo XVII., atque inter Academicos Faticoſos in Patria recenſebatur.

Ejus litterarii labores ſunt:

I. Orazioni Sacre IV. Extant in libro, cui titulus „Varie penne Rettoriche de' Padri Somaſchi.„

II. Diſcorſo detto nell'Academia de' Faticoſi „Se nel Principe ſia più lodevole il rigore, o la pietà.„ In fine legitur Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, Comitis Joannis Rabbiæ in Sormani noſtri commendationem.

III. Orazione Funebre dell'Eccelſo, e Potentiſſimo Principe Enrico della Torre d'Overgnia, Viſconte di Turena, Mareſciallo, e Colonello Generale della Cavalleria Leggera ec. detta in Parigi nella Chieſa di Sant' Euſtachio li X. di Gennajo MDCLXXVI. da Monſignor Flechier Abate di S. Severino, e traddotta dal Franceſe in Italiano dal Mol. Rev. P. D. Paolo Antonio Sormano Cherico Regol. Somaſco.

IV. Orazione Funerale per la Regina di Francia Maria Tereſa d'Auſtria, detta nella Chieſa Cattedrale di Granoble, e traddotta in Italiano dal ſodetto P. Sormano. *Milano, per l'Agnelli*, in 4. Illam dicavit Balthaſſari de Roſales Extraordinariorum Redditaum Magiſtratus Quæſtori, atque Univerſitatis Salamancæ olim Principi.

De eo doctiſs. JC. Sitonus in ſuo Theatro Genealogico MS. pag. 421. & in Schedis, in quibus quoque legitur Inſcriptio Sepulchralis Benedicti Sormani Abavi Auctoris noſtri, quæ supereſt in Templo Schalenſi hujus Urbis, anno MDXXXIX. defuncti, ipſius Templi Archipresbyteri, & Cathedralis Eccleſiæ Cimiliarchæ, & Ordinarii.

# T

## MMXXVII.

## TATTUS HIERONYMUS.

INter Collegiatos Phyſicos Mediolanenſes computatus eſt Franciſcus Tattus, qui Hieronymum, Cl. Curtio ignotum, genuit nunc laudandum. Hic paternam ſecutus facultatem, lauream in ea promeruit, magnique ob eruditionis præſtantiam apud Cives ſuos habitus florebat anno MDLXX. Neque verò ita morbis vel arcendis, vel curandis operam dabat, ut alia negligeret ſtudia, quod facilè agnoſcitur ex illis, quæ ſuperſunt, quamvis nunquam in lucem ſint emiſſa.

Ea ſunt:

I. Chronographia Alexandri Sculteti notis eruditiſſimis illuſtrata. MS. ſervatur apud Comitem Julium Cæſarem Boſſium, uti hæredem olim Abbatis Julii Cæſaris Nigri.

II. Notæ in Hiſtoriam Naturalem C. Plinii Secundi. MSS. in Bibliotheca Comitis Caroli Pertuſati Senatus Mediolanenſis Præſidis, & Magni Cancellarii Vices gerentis.

De ipſo Clariſs. Abbas Fuſius in Append. MS. ad Athenæum Picinelli, atque JC. Sitonus in ſchedis.

## MMXXVIII.

## TENCA GALEACIUS.

EX Tenca Mediolanenſi familia claruerunt inter alios Lantelmus Gulielmi filius, unus ex Legatis in componendo fœdere Civitatum Lombardiæ anno Salutis MCCXXVI., & Lanfranchus Conſul Juſtitiæ in libera Mediolanenſi Republica anno Salutis MCCLXII., ideoque non ſine voluptate legi Seriem genealogicam iſtius Gentis à Cl. Sitono contextam, ab eiſdem uſque ad noſtra tempora. Auguſto Tenca, atque Catharina Colleona jugalibus parentibus in lucem prodiit Mediolani anno Salutis humanæ MDCXIV. Galeacius, Medicinæ Artem edoctus in Archigymnaſio Bononienſi, ubi etiam lauream percepit die XXVII. menſis Julii, anno MDCXXXVIII. Cùm Patriam repetiiſſet annos LIV. Medicam praxim exercuit non abſque ſumma omnium commendatione, Civiumque bono. Obiit anno Salutari MDCXCII. die XXI. menſis Decembris, tumuloque illatus eſt in Templo Immaculatæ Deiparæ Fratrum Capuccinorum hujus Urbis in Suburbio Portæ Orientalis. Ignotus hic fuit Clariſs. Bartholomæo Curtio non alia, ut conjicere, licèt ex cauſa, niſi quod Opus ejus nunquam in lucem emerſerit.

Poſt ſe reliquit

I. Compendium univerſæ Medicinæ, in quo continentur Inſtitutiones, Obſervationes, & Curationes Medicæ. MS. pagg. 386. in 4. extat penès Jatrophyſicum Joſephum Tencam ejus conſanguineum.

De eo doctiſſimus JC. Sitonus, ut ſupra, in ſuo Theatro Genealogico MS. pag. 451. penès quem ſunt Documenta Seculi XIII. magnifacienda ad Tencam familiam ſpectantia, necnon in Schedis, ex quibus eruitur, extare in Sacello SS. Sebaſtiani, & Rochi in Eccleſia Parochiali S. Georgii Burgi Varennæ, Ducatus Mediol. Sepulch. Inſcriptionem pro Jo. Antonio Tenca J. C. anno MDXXXIII. ibi apud Suos tumulato, & Paulus Bertarellus in Deliciis Burgi Menaſii pag. 17.

## MMXXIX.

## TERZAGHUS GUIDO.

GUidoni Terzago Mediolanenſi genitor fuit Antonius Phyſicus Collegiatus, patriæque Decurio, ut in Schedis ſuis Clar. Sitonus noſter adnotavit, ubi & Genealogiam texuit, contenditque, allatis etiam tabulis anni MCCCCLXXVII., dieique XXI. Martii, quibus Guido bona diviſit cum Joanne Antonio fratre ſuo. Hujus quæ fuerit Scriptoris eruditio ſatis dilucidè agnoſcet poſteritas ex infra memorandis Commentariis ſuper inſignis, & celebratiſſimi Dantis Poëma, cujus laboris adjutorem habuit Martinum Paulum Nidobeatum Novarienſem. Non defuerunt qui hujuſmodi lucubrationes vel acrius carperent, vel nimis commendarent; cùm tamen de his ſatis ſuperque pro eruditione ſua jam egerit Cl. Saxius, manum de tabula tollimus, Lectorem libenter amandantes ad Typographico-litterariam Hiſtoriam Mediolanenſem coll. CXCV. & ſequenti.

Elaboravit Terzaghus unà cum prædicto Nidobeato

I. Commenti ſopra la Divina Comedia di Dante. *Milano per Lodovico, ed Alberto Piemonteſi*, 1478. *in fol.*

Præter citatos Cll. Saxium, & Sitonum, agunt de Terzago noſtro Creſcimbenius in Hiſtoria Poëſis Italicæ Tom. II. pagg. 273. & ſeq. Leonardus Salviatus in

in Opere inſcripto : „ Avvertimenti della Lingua „ pag. 155. Auctores Diarii Italici edit. Ven. Tom. III. pag. 184., & Sitonus noſter in Chron. Colleg. Phyſicor. Mediol. par. II. art. LIII., & CXL., tum in Theatro Genealog. pag. 434. ambo MSS. in fol. penès Auctorem.

## MMXXX.

## TOSCANUS MATTHIAS.

MAtthias Toſcanus Mediolanenſis Congregationi Monachorum, qui Sancti Hieronymi nuncupantur, ſe adſcripſit die XXVIII. Maji anno MDCLXII. ſub Præſide Floriano Marcellino tunc totius Ordinis Abbate Generali, relicto nomine Antonii, quod in Seculò gerebat. Vir fuit pietati, atque literis ſummopere deditus, ideoque inter hos Scriptores jure merito eſt accerſendus. In Academia, quæ Argonauticorum Venetiis olim vocabatur, locum obtinuit, ut legitur in Epitome Coſmographica P. Coronelli, ſic: „ Sono fra' Milaneſi il Sig. Prin„ cipe Trivulzo, Generale della Cavalleria dello „ Stato di Milano: Il Padre D. Mattia Toſcano da „ Milano della Congregazione de' Monaci di S. Ge„ rolamo di Lombardia, e Vicario del Monaſtero „ di San Carpoforo fuori di Como: Il Signore Con„ te Paolo Monti, ed il Padre Tommaſo Ceva Pub„ blico Lettore di Mattematica nel Collegio di Bre„ ra. „ Opus verò Toſcani noſtri humanitati debeo P. D. Felicis Mariæ Nerini ejuſdem Congregationis Abbatis meritiſſimi, necnon in rebus Mathematicis ſummè eruditi, etenim res non tam facilis erat Lucubrationem Auctoris hujus reperire, utpote quia non in omnibus Theſauri geographici Johannis Blaeu editionibus habetur: Nam etſi paginarum Voluminis VIII. ejuſdem Operis nomenclatura in ordinem proſequatur; attamen inter pag. 48. & 49. eſſe debet Diſſertatio Toſcani juxta titulum infra recenſendum, ſi Corpus perinſigne ejuſdem Blaeu perfectum deſideretur. Etiam in arte Poëtica verſatum fuiſſe Toſcanum ſatis oſtendunt Carmina, de quibus infra mentio erit. Die verò II. Novembris anni MDCCX. terris valedixit Matthias noſter in Monaſterio Sancti Hieronymi de Caſtellatio, non longè ab hac Urbe ſito.

Habemus igitur de eo:

I. Deſcriptionem Ducalis, ac Regalis Carthuſiæ Ticinenſis, ſcilicet Templi, & Monaſterii Monachorum Carthuſianorum prope Urbem Ticinum Ichnographiam, atque brevem Hiſtoriam.
II. In Ticinenſis Carthuſiæ Templum Elogium; ad vigilantiſſimum Præſulem Abiatum.
III. In Ticinenſem Carthuſiam Carmen, verſuum XXVI.
IV. In eadem ſacra ædificia Templi, & Carthuſiæ Diſtycon.

Extant omnia in ſupradicto Vol. VIII. ſeu lib. XVI. Geographiæ Blavianæ. *Amſtelodami*, *1672. in fol. max.* inter pagg. 48. & 49. & ſunt fol. 6. præter Tabulas III. ære inciſas.

# V

## MMXXXI.

## à VARISIO CHRISTOPHORUS.

INter Diſcipulos, atque Socios celeberrimi profeſſoris Ordinis Minorum, Sancti Joannis de Capiſtrano, enumeratus eſt Chriſtophorus ejuſdem Inſtituti Alumnus, cui Patria fuit Variſium inſigne Oppidum Ducatus Mediolanenſis. Hic ad Minores convolavit, cùm jam utriuſque Juris lauream percepiſſet, atque inter Sodales ſuos eminuit Sacræ Theologiæ peritiâ, & Oratoria arte, qua plurimos Chriſto lucrifecit. Tum in Germania Sanctiſſimo Magiſtro ſuo non modico fuit adjumento, ut Ordinem propagaret, & Obſervantiam regularem ſolidaret. Annus ejus poſtremus nos latet.

Scripſit

I. Declarationem ſuper Regulam.
II. Ordinis Privilegia compilavit, & declaravit.
III. Privilegia Guardiani Montis Syon, & Fratrum in Syria, & Palæſtina habitantium collegit, ſuiſque notulis illuſtravit.
IV. Vitam B. Jo. Capiſtrani, quam ſatis diffusè conſcripſit, eamque magno ſibi uſui fuiſſe idem VVadingus teſtatur.

Ex eodem VVadingo in Script. Ord. Min. fol. 90., & Tomo IX. Annal. fol. 67. num. VII.

## MMXXXII.

## VERDANUS JOANNES ANTONIUS.

QUantumvis Joannes Antonius Verdanus ex Germania originem traxerit, nihiloſecius locum inter Inſubres Eruditos jure obtinet, cùm Mediolani primam aſpexerit lucem anno Seculari MDCC. Et hanc certè Urbem, quoad vixit, dilectiſſimam habuit uſque adeò, ut datis ad Aloyſium Juſtum Venetum, qui nunc Mediolani lares fixit, bonaſque artes colit, litteris teſtatus fuerit paucis ante obitum ſuum annis, cupere ſe ardentiſſimè hîc ubi ortus fuerat, poſtremos dies agere, Patriâque poſt mortem humo tegi. Primis infantiæ annis Mediolani traductis, vixque adoleſcentiam ingreſſus Venetias ſe contulit, ibique apud Victorem Grimanum Calergium Virum Patritium receptus, non ſolùm in ædibus ejus benignum hoſpitium reperit, ſed etiam cùm Deo in Clericali Ordine ſe devovere ſtatuiſſet ejus munificentiam expertus eſt. Victor enim Verdani indolem admiratus, congruum eidem cenſum conſtituit, ut ex Canonum præſcripto Aris admoveri legitimè poſſet. Humaniores igitur litteras in Patavino Seminario percepit, eiſque ritè imbutus, ut alios eaſdem edoceret, maturus habitus eſt; ipſas enim in Epiſcopali Feltrenſi Seminario auditoribus tradidit. Romam poſtea contendit à Secretis Zachariæ Canalis Equitis Veneti pro Republica ſua apud Apoſtolicam Sedem Nuncii, cujus etiam honorarios Ephœbos docuit. Inde regreſſus præfecturam geſſit Bibliothecæ Viri in Republica litteraria celeberrimi Apoſtoli Zeni, cujus Catalogum confecit, quemadmodum & Indicem Numiſmatum in ipſius Muſæo aſſervatorum. Expetitus eſt poſtmodum ab Ampliſſimo Veneto Senatore Superantio, ut Bibliothecæ ſuæ, quæ omnium conſenſu, & numero, & delectu Codicum reliquas ejuſdem Metropolis antecedit, præeſſet. Commendabant Verdanum Græcæ linguæ perities, eminenſque Latini, Etruſci, Gallicique Sermonis doctrina. Quod verò attinet ad Bibliologiam, ad miraculum uſque hanc callebat, & è vivis abiens Collectionem Librorum ſui juris tanti reliquit pretii, ut millibus Ducatorum tribus fuerit æſtimata. Amiciſſimus fuit eruditiſſimi Abbatis Facciolati, & epiſtolari commercio junctus cum inſignibus hujus ætatis Viris Gaſpare Gozzi, Joanne Friderico Seghezzi, Ab-

Digitized by Google

Abbate Melchiore, aliiſque non infimi nominis. Quæ ipſe conſcripſerat parùm, aliorum litterarios fœtus minus probare conſueverat. Inter optima ſtudia mortalitatem depoſuit Venetiis in ædibus prælaudati Senatoris Superantii die XXVI. menſis Auguſti, anno MDCCXLII. corpuſque illius tumulatum conquieſcit in communi Sacerdotum Poliandro in Parochiali Templo Sanctì Simeonis Prophetæ.

Litterarios illius labores hiſce titulis prænotatos novimus:

I. De præcipuis Romanorum Sacrificiis: Diſſertatio.

II. De Romanorum Nuptiis: Diſſertatio. Excerptæ ſunt ambæ ex probatiſſimis Scriptoribus, ac prodierunt cum Tractatu de Romana Republica, ſive de Re Militari, & Civili Romanorum, ad explicandos Scriptores Antiquos: Auctore Petro Joſepho Cantelio è Soc. Jeſu. *Venetiis, apud Petrum Baſſaleam*, 1730. *in* 8.

III. La Poetica di Girolamo Vida ridotta in Verſi ſciolti Italiani. MS.

IV. Le Piſtole, e la Poetica di Orazio ridotte in Verſi ſciolti. MS.

V. Sonetti Satirici. MSS.

VI. L'Argonautica di Valerio Flacco per la maggior parte traddotta in Verſi ſciolti. MS. non completus.

VII. Filotete, Tragedia di Sofocle, traddotta dal Greco. MS. ut ſupra.

VIII. Pedotrofia, Poema di Scevola Sammartano traddotto. MS. ut ſupra.

IX. Sonetti, Canzoni, ed altre Rime. Hæc ejus Carmina ſparſim edita reperiuntur in Collectionibus variis, ſive pro cooptatione in Ordinem Procuratorum D. Marci alicujus Patricii Veneti, ſive in Sacrarum Virginum inaugurationibus, ſive etiam in Nuptialibus, aliiſque hujus generis, quibus Seculum noſtrum ad ſatietatem abundat.

X. Lettere Volgari, Latine, e Franceſi Harum copia tanta eſt, ut in plurima maximæ molis Volumina coaleſcere poſſent. MSS.

Quæ de præclaro hoc Cive ſuo Mediolanenſibus damus, ea omnia debemus Viro Clariſs. P. Joanni de Auguſtinis Ord. Min. Obſerv. in Veneto Cœnobio Sancti Franciſci ad Vineam Bibliothecario, cujus humanitati quantùm obſtricti ſimus, ex pluribus jam locis hujus Operis Lector agnoſcere potuit.

## MMXXXIII.

## VICECOMES HIERONYMUS alter.

DUm de altero Hieronymo Vicecomite inſigni Phyſico ageremus Articulo MDCCXCIII. Lectorem noſtrum advertimus, eum alium eſſe ab Auctore Operis de Lamiis, quamvis priori tribuatur à Picinello. Diximus etiam Scriptorem hunc Tabienſem fuiſſe, prout fide digniſſimi teſtes nos ita docuerant. Nunc tamen meliùs inſtructi æquum exiſtimamus hunc etiam Hieronymum alterum Mediolanenſibus reddere, cùm profeſſione tantùm, vel quod probabilius cenſemus diuturnæ moræ gratiâ, in celebri Monaſterio Suorum Tabienſi nuncupato, Tabienſis fuerit appellatus. Eum è Vicecomitum Principum ſanguine progenitum Clar. Saxius ſcribit in Hiſtor. Typog. col. CCCXXVI. in Cœnobio S. Euſtorgii Ordinem Prædicatorum religiosè ſecutum, ibidemque diem poſtremam obiiſſe. Poſt mortem Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolani Ducis à Defenſoribus Libertatis hujus Urbis electus eſt, ut publicè Logicam doceret anno MCCCCXLVIII. Jam anno MCCCCXC, migraverat è vita, immo jam pridem eruitur mortalitatem expleviſſe, ut fuſiùs jam citatus Clariſs. Saxius oſtendit. Candidè verò Cll. Quetif, & Eccard profeſſi ſunt in eorundem Bibliotheca, nullam extitiſſe apud ipſos iſtius Auctoris memoriam, ideoque libentiùs ipſum hîc dare ſtatuimus.

Scripſit:

I. Compendium Quæſtionis de Obligatione Papali, compoſitum anno MCCCCLXX. per R. S. T. eximium Profeſſorem Magiſtrum Hieronymum Vicecomitem Ordinis Prædicatorum, miſſum ad Equitem clariſſimum Cichum Simonettam primum Ducalium Secretorum Conſiliarium. *Pariſiis, typis Job. Barbier, impenſis Johannis Parvi*, 1512. *in* 4. Quæſtio in hac opella potiſſimum agitata hæc eſt: „ Utrum Papa ſe obligare „ poſſit Dominis Cardinalibus, vel aliis voto, & ju„ ramento. Reſpondet affirmativè, & ſi ſe obligave„ rit, ad promiſſa implenda teneri, & objecta omnia „ diluit.

II. De Lamiis, & Strigibus, ad Franciſcum Sfortiam Vicecomitem. Recenſetur à Tomaſino pag. 89. ut extans MS. anno MCCCCLXV. in 4. Patavii in Bibl. Candorum; ſed impreſſum fuit *Mediolani*, *anno* 1490.

Videndi ſunt ſupradicti Quetif, & Eccard in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædicatorum Tom. II. pag. 24. Clariſs. Saxius in Hiſt. Typogr. ad annum MCCCCXC. col. CCCXXVI., & Advocatus Sitonus in Epiſtola ad Bartholomæum Curtiùm, libro de Claris Medicis Mediol. inſerta pag. 284.

# Z

## MMXXXIV.

## ZUCCHIA ANNA MARIA.

BArtholomæi Zucchii, quem in Art. MDCCCLXXV. col. 1702. debitis proſecuti ſumus encomiis, ſoror extitit Anna Maria, fratriſque doctiſſimi eruditionem æmulata, Latinam didicit linguam. Adulta terrenis nuptiis poſthabitis Deo ſe obtulit in Modoëtienſi Parthenone S. Martini, cui etiam ſæpe Antiſtita præfuit. Doctrinæ, atque virtutis nomine inter præcipuas ſuæ tempeſtatis eruditas Fœminas enituit, tamque mirâ fuit memoriâ, ut præcipuas divinorum Codicum Sententias extemporaneè proferret. Florebat adhuc anno Salutis noſtræ MDXCVI.

Scripſit:

I. Epiſtolas plurimas eruditione commendabiles. Has laudat mox citandus Auguſtinus ab Eccleſia.

De ea humaniſſimus JC. Sitonus in Schedis, atque præfatus ab Eccleſia in libro ſuo, cui titulus: „ Teatro „ delle Donne Letterate pag. 84.

Digitized by Google

# IN SCRIPTORES
## MINORIS NOTÆ
# LECTORI MONITUM.

EXegimus, Deo Opt. Max. favente, Scriptorum Mediolanenſium, qui majoris notæ habentur, Bibliothecam. Supereſt nunc, ut quàm fieri poteſt breviſſimè eos quoque recenſeamus, qui minoris notæ exiſtimantur. Mirum tibi non ſit, Lector humaniſſime, ubi in quoſdam ex his offenderis, ob Epiſtolas tantùm, & Carmina, vel quid ſimile memoratos; primùm enim, ſi de his agatur, qui Typographicâ Arte nondum inventâ floruere, ipsâ antiquitatis commendatione laudantur, atque difficili negotio fieri poterat, ut plura eorum Opera ad noſtram uſque ætatem pervenirent: æquum igitur duximus, fragmenta, ut ita dicam, è naufragio colligere, ne, ſi aliquando emergant uberiora, diligentiam noſtram culpent, quibus cordi erit Collectionem aliam adornare. Deinde cùm nobis non licuerit alios ſilentio involvere, de quibus tam Philippus Picinellus, quàm Paulus Moriggia, atque Bartholomæus Curtius meminere, multique inter Scriptores ab eiſdem recenſitos minora protulerint ſui ingenii monumenta; delicatuli nempe, aut ad criticam nimis proclives objicere forſan mihi homini extero potuiſſent, hos Auctores, etſi rerum parvi momenti, non rejiciendos fore è cœtu Mediolanenſium, boni te conſulturum judicavimus, ſi diſcreto ordine hos quoque laudabimus. Tandem, ſi de his ſermo fiat, qui poſt citatos Collectores vixere; nobis ſumus conſcii, neminem ex illis hìc proferri, niſi eruditorum hominum judicio hujuſmodi loco memoriâ dignum. Supervacaneum etiam duximus, ſingulorum Acta retexere, ne Opus ſurgeret in immenſum. Annum tantummodo ſubjicimus emortualem, vel ubi hoc minimè licuerit, Seculum ſaltem indicabimus, quo in vivis fuere. Poſt impreſſam quoque primam hujus Operis nomenclaturam, atque Appendicem, cùm aliqui de novo emerſerint Scriptores, & quidem ob laudabiles eorumdem Lucubrationes, qui minoris notæ Auctores dignitate excellunt, ideoque præclariorum Catalogo inſerendi, ſatiùs duximus illis locum hunc, licèt incongruum, aſſignare, ne inſalutati recederent, vel Appendicis Appendicem cudere cogeremur. Eruditiſſimo ingenio tuo relinquimus eos dignoſcere, ex his, quæ protulerunt, fœtibus literariis. Tu laborem noſtrum, ut ſoles, æqui bonique facito, & Vale plurimùm.



Digitized by Google

Digitized by Google

# SCRIPTORES
## MINORIS NOTÆ, ET PRÆTERMISSI.

# A

### MMXXXV.

### AIROLDUS CAROLUS ANTONIUS.

ELectus Canonicus Ordinarius Templi Maximi hujus Metropolis anno MDCLXVI., ob ejus prudentiam Cardinali Archiepiſcopo Federico Vicecomiti ſummè charus extitit, obiitque anno MDCXCIX. Ex ejus Codice MS., quem vidimus, plura ad Eccleſiaſticam diſciplinam, præcipuè Mediolanenſem, ſpectantia erui poſſunt.

Sic inſcribitur:

I. Decreta condita in perſonali viſitatione per Reverendiſſimum Carolum Antonium Airoldum J. U. & S. T. Doctorem, Prothonotarium Apoſtolicum, Baſilicæ Metropolitanæ Canonicum Ordinarium à Cardinali Federico Vicecomite Viſitatorem Delegatum anno MDCLXXXIV. Portæ Ticinenſis Urbis Mediol. MS. Autograph. cum rogito Notarii. Extat in Bibliotheca Archintea.

### MMXXXVI.

### ALCIATUS JACOBUS.

QUantùm ad texendam Hiſtoriam Literariam juvet lectio Epiſtolarum Virorum Illuſtrium, omnibus notum ſatis eſt. Ab illis igitur Gaſparini, & Guiniforti Barzizii Bergomatum intellexi Jacobum Alciatum, ſeu de Alzate (ut ipſemet ſe inſcribit) commercium per litteras habuiſſe cum Guiniforto, à quo Oratiunculam ſuam accepit, ut infra. Patrem habuit Paulum, claruitque anno MCCCCXL., quo per Philippum Mariam Vicecomitem Ducem Mediolani bonorum exemptione ab oneribus donatus fuit. Annis verò MCCCCLXI., & MCCCCLXIV. Ducalis Collateralis Generalis munere decoratus eſt, Franciſco Sfortia Vicecomite Mediolani Duce; Jacobum igitur laudamus

Ob

I. Epiſtolas ad Guinifortum Barzizium ſcriptas; nam in ſecunda parte Operum ſupradictorum Barziziorum, editionis Romanæ 1723., pag. 81. legitur ipſius Guiniforti Epiſtola ad Jacobum de Alzate, data Novariæ XIX. Kal. Septembris MCCCCXXXI. Incipit: „ Magnas habeo tibi gratias, mi Jacobe, quòd ſolus ex omnibus literas ad me dediſti &c. „ In fine: „ Huic colligatam ad te mitto eam Oratiunculam, quam ſuperioribus diebus in hac Civitate „ habui, non quòd dignam exiſtimem, quæ divulgetur, ſed ut morem tibi geram &c. „
Videatur Theatr. genealogic. Sitonian. pag. 9. MS. in fol., & Schedæ item Sitonianæ.

### MMXXXVII.

### ANDREAS.

EX fide Abbatis Philippi Picinelli Andream hunc damus. quem teſte Moriggia in Libro III. Nobilit. Mediol. cap. 30. fuiſſe aſſerit ex Ordine Fratrum S. Franciſci; Nos verò ingenuè fatemur, ipſum minimè reperiſſe nec apud Wadingum, nec apud alios Compilatores Scriptorum memorati Ordinis; breviter igitur verba Picinelli tranſcribimus, qui Andream laudat uti Canonum, & Theologiæ Moralis profeſſorem optimum, & ob Librum infra recenſendum Latinè ſcriptum;

Scilicet:

I. Confeſſionale.
Ex Athenæo Mediolanenſi ſupradicti Picinelli pag. 25., qui an Opus hoc editum ſit, nec ne, de more ſilet.

### MMXXXVIII.

### De ANGLERIA BOSCHINUS.

INter eruditos Seculi XV. inſignis Oppidi Angleriæ recenſendus eſt Boſchinus, ut conjicitur ex duabus Epiſtolis, quas legimus in Codice infraſcripto Bibliothecæ Ambroſianæ, ideoque libenter eaſdem damus, hoc titulo,

Scilicet:

I. Litteræ Latinæ Barnabovi de Carcano ſcriptæ. Datæ ſunt ex Cancellaria Magiſtrorum Ducalium proventuum, die IV. Maji MCCCCXXXII. Extant in MS. Codice Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. H. n. 48. in fol.

II. Aliæ ad Amicum, in quibus agit de Situ, & Salubritate aëris Civitatis Mediolani; die VIII. Martii MCCCCXXXIII. ibidem.

### MMXXXIX.

### ANNONUS CONSTANTIUS.

ALumnus eximiæ Societatis Jeſu vivebat Seculo XVI. Philoſophum optimæ notæ fuiſſe, ab unico Opere infraſcripto, quod fortè fortuna adhuc reperitur, apparet, nam à lectione ejuſdem ſatis ſuperque agnoſcitur, totum Philoſophiæ curſum ſcripſiſſe. Habet igitur poſteritas ipſius ingenii fœtum

Sic inſcriptum

I. Commentaria utiliſſima in Ariſtotelis Tractatum de Anima. MS. in 4. Extat in Bibliotheca PP. Societ. Jeſu Domus Profeſſ. S. Fidelis Mediolani.

MMXL.

Digitized by Google

MMXL.

ANNONUS PAULUS ANTONIUS.

FLoruit exeunte Seculo XVII. in Congregatione Oblatorum SS. Ambroſii, & Caroli, Sacræ Theologiæ Profeſſor. Collegium, quod Elveticum vocant, in hac Urbe, non ſine laude rexit. Inter cetera, quæ ſcripſit,

Hæc ſunt:

I. Philoſophicum in Aqua, Nive, & Glacie refrigerium, ad Archiepiſcopum Alphonſum Littam. *Mediolani, apud Montiam*, 1663. *in* 8.

II. Arithmeticus Fabularis Poëtarum Philoſophiæ Anagrammatiſmus. *Mediolani*, 1665. *in* 12.

III. Il Sole de' Prelati: Panegirico per S. Carlo fatto in Como. *Milano, nella Stamperia Arciveſcovile*, 1673. *in* 4.

MMXLI.

ANONYMUS XLV.

IN Codice MSto Bibliothecæ Canonicorum Metropolitanæ Eccleſiæ hujus Urbis, ubi legitur Hiſtoria Mediolanenſis Landulphi Senioris, habetur quoque Catalogus Archiepiſcoporum Mediolanenſium ab Anonymo conſcriptus, qui ab Anatalone incipiens, deſinit in Galdino, ſcilicet ad annum MCLXXVI., in quo videtur Anonymum hunc floruiſſe;

Titulus ejuſdem hic eſt

I. Incipit Catalogus Mediolanenſ. Archiepiſcoporum &c Extat in Tom. IV. Rerum Italicar. Scriptor. pag. 141.

MMXLII.

ANONYMUS XLVI.

MAgni certè faciendum videtur Opuſculum Anonymi iſtius florentis ſub initium Seculi XVI., nam ex hoc nobiles Mediolanenſes Cives plura ad ipſorum Familias ſpectantia monumenta invenient, quæ fruſtra alibi deſiderantur, ab anno ſcilicet MCCCIX. ad MDIII.

En titulus

I. Libellus, in quo continentur Fundationes, ac Dotationes Capellarum in Eccleſia S. Franciſci hujus Urbis, cum nominibus Fundatorum, & Dotatorum, ac Annualium pro eis celebrandorum Nomenclatura. MS. in fol. in Archivo PP. Conventualium Mediol., & apud amiciſſimum Sitonum noſtrum.

MMXLIII.

ANONYMUS XLVII.

TOtum id, quod ad Vitam S. Caroli Borromæi ſpectat, à Mediolanenſibus diligenter jure meritò cuſtoditur, ideoque etiam hunc Anonymum proferimus, qui inter vivos degebat exeunte Seculo XVI.

Scripſitque

I. Fragmentum Vitæ S. Caroli Borromæi; ad ampliſſimum Cardinalem Antonium Caraffam. MS. in 4. ſign. I. num. 75. In Ambroſiana.

MMXLIV.

ANONYMUS XLVIII.

NOn tantùm Aſceticis Scriptoribus Mediolanenſibus, ſed etiam ad Poëtas adjiciendus eſt Anonymus iſte, qui Opus metricum ſcripſit, & edidit

Sequenti titulo

I. Specchio di Dio da ſpecchiarſi ogni Fedel Criſtiano così uomo, come donna, almeno una volta il giorno. *In Milano, per Michele Tino*, 1571. *in* 8.

MMXLV.

ANONYMUS XLIX.

QUamvis alios Scriptores Anonymos ordine Chronologico dederimus in primo hujus Bibliothecæ Tomo, qui Catalogos Archiepiſcoporum Mediolanenſium condiderant; attamen hunc etiam his addere juvat, ut ab eorundem diverſitate lucem aliquam eruere poſſit, quicunque laborem ſimilem ſuſcipere cupiat aliquando. Floruiſſe videtur erga finem Seculi XVI.

Ediditque

I. Catalogum Archiepiſcoporum Mediolanenſium à Sancto Barnaba, ad S. Carolum, unà cum Notulis SS. Archiepiſcoporum numero XXXII. à S. Barnaba ad S. Galdinum. Extat in MS. Cod. Biblioth. Ambroſ. ſignat. Q. num. 122. in fol.

MMXLVI.

ANONYMUS L.

ÆTas hujus Scriptoris referenda videtur, juxta Epiſtolam nuncupatoriam, quæ in fronte Codicis legitur, ad Eminentiſſimum Cardinalem Federicum Borromæum, ad Seculi XVII. initium, & non ſine voluptate legendus eſt ejus liber,

Qui ſic prætitulatur

I. Iſtoria della Genealogia degli Illuſtriſſimi Vitaliani Borromei di Milano. MS. in fol juſtæ molis in Bibliotheca Ambroſiana ſign. D. num. 104.

MMXLVII.

ANONYMUS LI.

PAulus Morigia nonnulla ſcripſit ad Templum Maximum hujus Urbis pertinentia, quæ huic Scriptori Anonymo minimè placuerunt; ideoque Obſervationes ſatis criticas, attamen modeſtè, ſatis in lucem emiſit ut infra. Tempus quo vixit incertum eſt; floruiſſe verò ſuſpicamur ineunte Sæculo XVII. Prætereundus igitur minimè cenſendus eſt ob Opuſculum ſequens,

Videlicet:

I. Oſſervazioni intorno al Libro di Paolo Morigi intitolato: „ Il Duomo di Milano „. Extant in Codice MS. Biblioth. Ambroſianæ ſignat. I. n. 62. in fol.

MMXLVIII.

Digitized by Google

MMXLVIII.

## ANONYMUS LII.

Laudanda eſt diligentia Anonymi iſtius in texenda Hiſtoria de rebus à Mediolanenſibus geſtis in lætitiæ argumentum pro nativitate Philippi IV. Hiſpaniarum Regis; ætas illius agnoſcitur à tempore, quo ſcripſit Codicem

Hoc titulo:

I. Feſte fatte in Milano per la naſcita di Filippo IV. l'anno MDCV. di Porta in Porta. Elemoſine, Donativi &c., fatti dalla Città; Tornei, Fuochi &c. MS. in fol. in Bibliotheca Ambroſiana ſignat. S. num. 103.

MMXLIX.

## ANONYMUS LIII.

De Regente Hieronymo Caimo mentionem fecimus in hac Biliotheca loco ſuo. Fuſiùs agit de ipſo Anonymus iſte medio Sæculo XVII. florens, ut videre eſt ex ejuſdem Opuſculo,

Quod inſcribitur:

I. Vita Regentis Hieronymi Caimi. MS. in fol. Extat in Bibliotheca Monachorum S. Ambroſii, ex Legato Blanchini, ut in ſuis ſchedis adnotavit Sitonus noſter.

MML.

## ANONYMUS LIV.

Dolendum eſt, quòd Anonymus iſte nimiùm breviter ſcripſerit librum infra recenſendum; ab ipſo verò alii forſan ad eandem Hiſtoriam pleniùs contexendam occaſionem ſument, quod optandum eſſet; ideoque hoc Opuſculum omittere minimè duximus, quod Typis datum eſt

Hoc titulo:

I. Compendioſo Catalogo di tutti li Prencipi, e Governatori di Milano, con i loro Ritratti. *Milano, preſſo il Monza*, 1670. *in* 12.

MMLI.

## ANONYMUS LV.

Hunc Ordinis Prædicatorum Alumnum non improbabiliter cenſent Mediolanenſem Cll. Quettif, & Echard in Biblioth. Scriptorum ejuſdem Ordinis, Tomo II. fol. 644., referendusque videtur ad Sæculum XVII.

Scripſit:

I. Riſtretto della Vita, Virtù e Miracoli del B. Pio V. Sommo Pontefice. *Milano per il Malateſta*, 1672. *in* 8.

MMLII.

## ANONYMUS LVI.

Etſi duo ſint MSS. Codd. quorum titulum infra dabimus, attamen æquè ſuſpicari poſſumus, unum tantùm eorumdem fuiſſe Auctorem; nam, & ætas, ſcilicet Sæculi XVII., & res ipſæ, quas continent, inter ſe optimè conveniunt.

Sunt autem:

I. De Montiorum Familia, cum Vita Cardinalis Cæſaris Montii Archiepiſcopi, MS. in Cod. ſignat. A. num. 66. in fol. Extat in Archivo Monachorum S. Ambroſii Mediol.

II. Raccolta di tutte le Azioni del Cardinale Ceſare Monti, durante il ſuo Arciveſcovato di Milano, con il di lui Teſtamento, ed altre Memorie ad eſſo appartenenti. MS. in fol., extat in Cod. ſign. ✠ in Bibliotheca ſupradicta Monachorum S. Ambroſii.

MMLIII.

## APPLANUS JOHANNES BAPTISTA.

Non infimi ſubſellii Medicus, & in Scholis Canobianis Logicæ Lector, florebat Anno MDCXVI. De eo nil aliud habemus,

Præter:

I. Relationem diligentem de Peſte, quæ typis impreſſa legitur apud Tadinum, in Tract. de Peſte pagg. 93. & 94.
Ex Clar. Fuſio in Addendis MSS. ad Picinellum, & Curtio in Script. Medicis Mediol. pag. 171.

MMLIV.

## APPLANUS RAPHAEL.

Mirum eſt, quòd de Auctore iſto apud Barthomæum Curtium ne verbum quidem legatur. Attamen teſtibus Jo. Petro Creſcentio in Amphitheatro Parte prima, & Abbate Picinello in Athenæo pag. 478. Medicinam coluit, eratque inter vivos anno MDXC.

Scripſit:

I. Opera quædam Medica, quæ morte præventus edere non potuit.

MMLV.

## ARCHINTA MARGHARITA.

Patre Chriſtophoro Archinto, Matreque Magdalena Turriana nobilibus conjugibus orta eſt in hac Urbe, & à parentibus optimè exculta, inter alias animi dotes Poëſim, & Muſicam mirabiliter coluit, ita ut Carmina Italica, ab ipſamet compoſita, modulatè canenda parare conſueſceret. Anno MDXXX. nupta fuit Joanni Auguſtino de Caſtro Sancti-Petri, ex LX. Decurionibus hujus Urbis, & in laudem iſtius illuſtris Fœminæ ſatis eſt dicere, habuiſſe fratres Philippum Archintum Mediolani Archiepiſcopum, necnon Alexandrum J. C. C., & Magiſtratus Reddituum extraordinariorum Quæſtorem, ambos à nobis ſuis in locis laudatos.

Habemus de ipſa, ut ſupra,

I. Carmina quædam Italica, cum notis Muſicalibus ab eadem exornata.
Laudatur à Cl. Franciſco Xaverio Quadrio Societ. Jeſu in Libro cui titulus: „ Della Storia, e della „ Ragione d'ogni Poeſia „ Tomo III. pag. 322. aliiſque ab eo citatis.

## MMLVI.

### ARCIMBOLDUS JACOBUS.

CUm à pluribus Viris doctis laudatum vidiſſem Jacobum Arcimboldum, nihil tamen ab eo typis datum, vel MS. ad manus meas perveniſſet, in ſchedis nomen illius minimè poſui. In percurrendis poſtmodum Epiſtolis Æneæ Sylvii, qui fuit Pius II. Pont. Max. agnovi Litterarium Commercium cum eodem Arcimboldum habuiſſe, ut apparet ex ſequenti Epiſtola lectu digniſſima; prætereundum igitur non eſſe credidi, etſi tantùm de eo

Invenerim

I. Epiſtolam ad Æneam Sylvium ſcriptam, quæ eſt n. 173. hoc titulo: „ Jacobus de Arcimboldis Doctor ſcri- „ bit Æneæ Sylvio Poëtæ, ſingularique Amico „. Data eſt Mediolani, die XIII. Octobris, anno MCCCCXLIIII., incipit autem: „ Gratiſſimum fuit „ nuper ex tuis intellexiſſe litteris, te eſſe ſoſpi- „ tem &c. „ In iſta illi nunciat Fœdus inter Venetos & Ducem Mediolani initum eſſe.
Legitur inter Epiſtolas ipſius Æneæ Sylvii, ut ſupra.

## MMLVII.

### ARCIMBOLDUS JOANNES alter.

UNus ex LX. Decurionibus hujus Urbis Filius extitit Joannis Angeli Arcimboldi Senatoris, ante Archiepiſcopatum Mediolanenſem ſuſceptus, genuitque Joannem Baptiſtam Abbatem Commendatarium Creſcenciaci, & Vicoboldoni, necnon Utriuſque Signaturæ Referendarium, primumque Arcimboldii Gymnaſii, apud Ædem S. Alexandri Inſtitutorem; humanitatem verò depoſuit anno Domini MDLXXXVIII.

In lucem edidit

I. Conſolatoria ad un' Amico. Legitur in Libro, cui titulus: „ Conſolatorie di varj Autori, conſegrate al „ Sig. Galeotto Pico della Mirandola. *Venezia* 1550. pag. 56.
II. Oracoli. Extant in Libro Hortenſii Landi, inſcripto: „ Oracoli di moderni ingegni, sì d'Uomini, che di „ Donne „ pag. 17.
Ex Morigia, & ex Sitono noſtro in Chron. J. PP. Mediol. pag. 72. Art. 315., tum in Theatro genealogico Sitoniano, pag. 22. MS. in fol. penes Auct. &c.

## MMLVIII.

### ARCONATUS CAROLUS.

COmite Hieronymo, & Hippolyta Lampugnana Parentibus ortus eſt, & in Mediolanenſe Juriſperitorum Collegium cooptatus anno MDCLXXII. claruitque publicus Juris Canonici in Academia Ticinenſi Interpres, & dein obiit Mediolani die VI. Februarii anno Chriſti MDCCXXX.

Supereſt ipſius tantùm

I. Oratio habita in laudem Eminentiſſimi Federici Cacciæ. Extat in libro cui titulus: „ Il Campidoglio di Trion- „ fo per la promozione all' Arciveſcovato ed alla „ Porpora del Sig. Cardinale Caccia „. *Milano per il Gagliardi* 1698. *in* 4.
De eo Cl. Sitonus in Chron. Coll. J. PP. pag. 231. Art. 1050., & in Theatro genealogico Sitoniano pag. 23. MS. in fol. penes Auctorem &c.

## MMLIX.

### ARESINUS PETRUS FRANCISCUS.

CLericali Militiæ adſcriptus, Oratoriam, & Poëſim utrâque linguâ colens, vivebat exeunte Sæculo XVII.

Edidit

I. L' Amazone. Panegirico in lode della B. V. Maria di Pietro Franceſco Areſino Chierico Milaneſe. *Milano per Gio. Battiſta Ferrario*, 1665. *in* 4.
II. Carmina Italica, vulgo Sonetti, e Madrigali, & Epigrammata latina. Extant in eodem Libro.

## MMLX.

### ARRIGONUS ATILIUS.

AMavit Atilius Arrigonus Mediolanenſis amœniores Muſas, cùmque anno MDCLXXXIII. jucundiſſima toti Chriſtiano Orbi de Turcis victoria ad Viennam Auſtriæ contigiſſet, typis dedit ſequentem Opellam, cujus Prologus, & Concluſio Metro Italico conſtant.

En titulus

I. La Schiavitù Liberata. Opera Scenica; compoſta in occaſione della liberazione di Vienna. *Milano per il Ghiſolfi*, *in* 12. ſine anno.

## MMLXI.

### ARRIGONUS PETRUS PAULUS alter.

EX Joanne Maria, & Juſta de Gazeris nobilibus Conjugibus diem vidit primam menſe Junio anni MDCXL. In Ticinenſi Archigymnaſio utriuſque Juris laureâ decoratus, inter primarios Mediolanenſis Fori Advocatos, celebri adhuc vigente fama, claruit. Mortem verò obivit die V. menſis Novembris anno MDCCI. Plura ſcripſit, quæ nimis ſerò ad manus noſtras pervenere, ideoque hìc indicanda cenſuimus.

Hæc ſunt

I. Hiſtorica Commentaria de Nobili Familia Arrigona; plurimis Documentis, Principumque Diplomatibus comprobata. MS. in fol. magnæ molis, reperitur apud J. C. Jacobum Arrigonum Regium Civitatis Laudæ Prætorem, ejuſdem Auctoris filium.
II. Tractatus de legitima, & Canonica electione Sereniſſimi Ludovici de Bavaria in verum Imperatorem; deque Privilegiis ab eo conceſſis inconcuſſè dudum obſervatis, & in futurum obſervandis. *Mediolani* 1686. *in fol.*, extat penes Clar. Advocatum Sitonum &c.
III. Obſervationes Legales ad Statuta Civitatis Mediolani, edita de annis 1498., & 1502., Tomi duo in fol. MSS. maximæ molis, apud præfatum Auctoris filium.
IV. Legalium Conſultationum Volumina XXX. in fol.; potiori ex parte impreſſa, partimque MSS., extant penes eundem Auctoris filium, & partim penes Advocatum Sitonum.
Auctorem hunc debemus ditiſſimis ſchedis Sitonianis, pluries à nobis laudatis.

MMLXII.

Digitized by Google

# B

### MMLXII.

### de BALSAMO BLANCA.

ANno MDIV. in Monaſterio S. Marthæ Mediolani ſe Deo dicavit. De ea hæc ſcribit Anonyma Monialis ejuſdem Parthenonis, de qua egimus Artic. MDCCCLXXXVI. „ Eſſendo ſtata un vero „ ſpecchio di ſantità, e li ſteſſi ſuoi ſcritti ne mantengono la memoria, conciofiachè non havendo „ ella lettere, ne ſcienza imparata, con tutto ciò, „ ha ſcritto coſe ſpirituali di dottrina tanto profonda, che eſſendo ſtate lette da perſone dotte, „ e letterate, hanno affirmato, non poterſegli opporre, ſicchè ben pare lei haver ſtudiato la vera „ ſcienza a' piedi del Crocefiſſo ſuo Spoſo „. Fuit auſteræ Vitæ, ſilentii amantiſſima, orationi aſſidua. Tyronibus Magiſtra præfuit. Obiit anno MDXLV.

Scripſit

I. Quædam Aſcetica, ut ſupra.

### MMLXIII.

### BANFIUS JULIUS.

PAtrem habuit Medicinæ Profeſſorem, cujus nomen Picinellus reticet, quo in primis ætatis ſuæ annis amiſſo, in clientelam tranſiit Caroli Franciſci Banfii inſignis Collegiatæ Sancti Georgii ad Palatium Canonici, & Julii noſtri Conſobrini; at cùm idem Canonicus in pulſanda Teſtudine ſummopere excelleret, eandem artem Julio tam perfectè communicavit, ut inter alios ipſius Caroli Franciſci diſcipulos emicuerit. Satis lepidum eſt quod in ſupradicto Picinello legitur de Banfio noſtro, ideoque Lectorem ad Athenæi Mediolanenſis locum infra citandum amandamus. Artem Militarem quoque Julius ita profecutus eſt, ut à Philippo IV. Hiſpaniarum Rege, titulis & muneribus exornatus extiterit. Vivebat tempore, quo Picinellus ipſe ſcribebat, & ab eodem didicimus, Banfium Auctorem fuiſſe Libri,

Cui titulus

I. Il Maeſtro di Chitarra; all' Altezza Sereniſſima di Ferdinando II. Gran-Duca di Toſcana. *Milano* 1653. Opus eſt ex integro ære inciſum.
Ex Picinelli Athenæo pag. 354.

### MMLXIV.

### BARBAVARA JOSEPH.

LUdovici Ordinis S. Stephani Equitis, ac Lucretiæ Beſutiæ conjugum filius, Collegium J. PP. Mediolanenſium ingreſſus eſt anno MDCLXXVII. A Conſultationibus S. Officii, necnon Provicarius Banchi Sancti Ambroſii extitit, & bis Patriæ Præfecturam non ſine plauſu egit, videlicet annis MDCXCVIII., & MDCCVI. Diem clauſit extremum anno MDCCXXI. menſe Majo.

Habemus de eo

I. Reſponſa varia Hiſtorico-Juridica, inter quæ eminet illud pro Barone Hermete Vicecomite, in quo agit de validitate cujuſdam Privilegii Ludovici Bavari Imperatoris, *Mediolani*, 1686. *in fol.*
De ipſo Balthaſſar Parravicinus in libro inſcripto: „ Milano ſempre grande „ pag. 12. Cl. Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 196., & Sitonus noſter in Chron. J. PP. Mediol. pag. 234. Art. 1968.

### MMLXV.

### BARBOVIUS AUGUSTUS.

ALiis familiæ Barboviæ addo Auguſtum, ſequentibus verbis à doctiſſimo P. Quadrio loco infra citando celebratum; ſic: „ Dopo la ſeconda „ Parte delle Rime di Angelo Peregrino Accademico Deſioſo di Pavia, ſtampata in quella Città „ appreſſo Andrea Viano, 1593. in 12. ſi trovano „ Rime di Don Agoſto Barbò Milaneſe.

De eo igitur leguntur

I. Carmina Italica, ut diximus:
Ex ſupradicto P. Quadrio Soc. Jeſu in Libro „ della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 276.

### MMLXVI.

### BAROFFIUS CÆSAR.

FIlius Johannis, claruit Juris utriuſque Doctor, Prothonotarius Apoſtolicus, atque unus ex Regiis Canonicis Sanctæ Mariæ Scalenſis Mediolani ab anno MDCXX. ad annum MDCLI. Reſidens etiam fuit penès Excellentiſſimos Mediolani Gubernatores pro Sereniſſimis Sigiſmundo, & Ladislao, ac Johanne Caſimiro ſucceſſivis Poloniæ Regibus.

Proſtat ejuſdem Liber inſcriptus

I. In Triumpho Sereniſſimi, ac Potentiſſimi Principis Sigiſmundi III. Poloniæ, & Svetiæ Regis &c. è Moſcovia poſt inſignes glorioſè partas victorias fœliciter redeuntis, Oratio Cæſaris Baroffii Mediolanenſis J. U. D., Prothonot. Apoſtol., & Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. D. Comitis Franciſci Simonetæ Epiſcopi Fulginatenſis Nuncii in Regno Poloniæ Apoſtolici à Secretis. *Vilnæ*, *in Typographia Petri Blaſii*, 1611. *in* 4., *& Mediolani apud Comum*, 1612. *item in* 4.
Videndum Picinelli Athenæum pag. 135. De ipſo etiam agit Cl. Sitonus in Schedis.

### MMLXVII.

### BASSUS JOANNES BAPTISTA.

FAmiliam de Baſſis inter Nobiles, & antiquas Mediolanenſes refert J. C. C. Raphaël Fagnanus in Commentario familiarum Nobilit. Mediol. ſub littera B. MS. Floruit verò in Religione Carmelitarum Nudipedum Bartholomæus à Sancta Maria in Seculo Joannes Baptiſta Baſſus, qui obiit annorum LXIX. die XXXI. Octobris MDCCXIX.

Scripſit, & edidit

I. Panegirici varj. *Piacenza*, *nella Stamperia Ducale del Bazacchi*, 1686. *in* 4.
II. Scuola di Verità, e di Prudenza aperta alle Sacre Vergini. *Pavia*, *preſſo Gio. Battiſta*, *e Fratelli Gradignani*, 1674. *in* 4.
A Suis.

MMLXVIII.

Digitized by Google

## MMLXVIII.

### BAZETTA CAROLUS THOMAS.

Hieronymus Bazetta J. C., & Eliſabeth de Albergantis in inſigni Omeniæ Oppido, ditionis Mediolanenſis, Carolum genuerunt, qui ad maturiorem ætatem progreſſus, in Juribus & Cæſareo, & Pontificio ſic eminuit, ut in Papienſi Univerſitate, non tantùm Laureâ exornari, quàm etiam publicus Juriſprudentiæ profeſſor eligi ab Excellentiſſimo Mediolanenſi Senatu promeruerit. Apud Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem de Abdua in ſua Bononienſi Legatione Cameræ Auditor extitit, & in eodem munere tam rectè ſe geſſit, ut verba Sententiæ à Syndicatoribus illius Urbis habitæ anno Chriſti MDCCVI. juvet hîc exſcribere, quia non tantùm illum abſolvendum fore judicaverunt „ quia nulla „ accuſatione notatus fuit „; ſed ut Vir integerrimus, prudentiſſimus, atque juſtiſſimus. Anno verò MDCCXII. inter Canonicos, quos Ordinarios vocant, hujus Metropolitanæ Eccleſiæ locum obtinuit, quem deinde Chriſtophoro ejus ex fratre nepoti anno MDCCXXIX. reſignavit, Romam proficiſcendi causâ, ubi diem clauſit extremum die XIV. Januarii MDCCXXXI., & in Eccleſia SS. Ambroſii, & Caroli tumulatus fuit, appoſita ſequenti ex marmore Inſcriptione:

D. O. M.
CAROLVS THOMAS BAZETTA MEDIOLANENSIS
HORATII SENATORIS FRATER
E PVBLICO IVRIS MAGISTERIO
ROMAM AD MAIORA MVNERA TRANSLATVS
FERRARIAE ET BONONIAE IN ECCLESIAE SERVITIO DIV VERSATVS
BARCINONAM PRO REBVS GRAVISSIMIS MISSVS
HIC IACET
OBIIT ANNO SALVTIS MDCCXXXI. AETAT. SVAE ANN. LXXV.

Ejus Opera ſunt

I. Commentaria in Juſtiniani Inſtitutiones. MSS. in fol.
II. Commentaria in Jus Canonicum. Tom. III. in fol. MSS. Servantur penès J. C. Hieronymum Bazettam ex Regiis Vicariis generalibus Status Mediolani, ac Juſtitiæ Vicarium in toto eodem Dominio, Auctoris noſtri ex fratre nepotem.
III. Allegationes Juridicæ tam editæ, quàm MSS. Tom. III. in fol. extant apud eundem.

Ipſius cum laude meminit Lazarus Auguſtinus Cotta in Chorographica Deſcriptione Verbani Lacus pag. 69., & in Muſæo Novarienſi pag. 308. Art. 888.

## MMLXIX.

### BAZETTA FRANCISCUS CHRISTOPHORUS.

Ex iiſdem parentibus fratris ſui Caroli, quem in Articulo præcedenti laudavimus, lucem vidit primam in eodem Omeniæ Oppido Franciſcus Chriſtophorus noſter, ipſumque Carolum in literis emulatus, Juris Civilis & Canonici publicus Profeſſor primarius in Ticinenſi Univerſitate claruit per annos quinquaginta, ſcilicet ab anno MDCLVI. ad MDCCVI. qui fuit ei extremus, die XXVII. menſis Octobris. Tanti fecit eundem Senatus Excellentiſſimus Mediolanenſis, ut ſtipendio majori quàm aliis primariis Profeſſoribus ipſum decoratum voluerit. Papienſis etiam Principatus Auditor extitit, & ob inſignia ejus merita à Conſilio generali Urbis prædictæ Civitate donatus fuit. Plurimis cumulatus meritis non tantùm apud Suos & Exteros nomen magnum ſibi acquiſivit, ita ut Juris Oraculum diceretur, ſed & moribus exquiſitis excultus ab omnibus in admiratione habitus fuerit. In eadem Civitate Papiæ deceſſit die XXVII. Octobris anno MDCCVI., cucullatoque habitu indutus in Eccleſia S. Antonii de Padua PP. Capuccinorum ibidem tumulatus eſt. Plurima ſcripſit,

Videlicet

I. Commentaria ſuper omnes Titulos Juris tam Cæſarei, quam Pontificii. Vol. X. in fol MSS., extant penes J. C. Hieronymum Bazettam, de quo in anteriori Articulo.
II. Allegationes Juridicæ, præſertim de Jure Patronatus, laudatiſſimæ. Tom IV. in fol tam editæ quam MSS. extant apud eundem.

Laudatur à Lazaro Auguſtino Cotta in Chorographica Deſcriptione Verbani Lacus &c. pag. 69. Artic. 120., & in Muſæo Novarienſi pag. 122. Artic. 296., & pag. 309. Artic. 902.

## MMLXX.

### BAZETTA HORATIUS.

Prædictorum Caroli, & Franciſci Chriſtophori frater fuit Horatius, natus & ipſe in eodem Omeniæ Oppido anno Reparationis noſtræ MDCXLVIII. Poſt Lauream in utroque Jure in Archigymnaſio Ticinenſi acceptam, inter Mediolanenſis Fori Advocatos eximium ſibi nomen comparavit. A Carolo II. Hiſpaniarum Rege unus ex Vicariis generalibus Mediolanenſis Dominii creatus anno MDCXCV., Cathedram Senatoriam aſcendit anno MDCCVIII. Ob eximiam ejus probitatem, & in rebus publicis, ac politicis dexteritatem, primùm à Leopoldo Cæſare anno MDCCIII., deinde ab Auguſtiſſimis Joſepho I., & Carolo VI. Imperatoribus plenam poteſtatem adeptus, pro graviſſimis negotiis Inſubriæ cum Regia Celſitudine Victorii Amadei Ducis Sabaudiæ, unà cum Deputatis Angliæ, & Hollandiæ ab anno MDCCVIII. ad annum MDCCXII. integram eorundem Cæſarum approbationem conſecutus eſt. Itaque in rebus tam arduis, & magni momenti ita ſe geſſit, ut in tribus Diplomatis Auguſtiſſimi Cæſaris Caroli VI. ejuſdem anni, & ſubſequentis, ſummis laudibus extolli, & DC. aureis annuis donari meruerit. In ferè omnibus hujus Dominii Conſiliis plurimas Conſultationes pro bono publico edidit tantus Vir, qui cùm bonorum omnium mœ-

Digitized by Google

mœrore è vivis abiit die XXVII. Maji, anno MDCCXX. ejuſque cadaver in Eccleſia S. Joſeph hujus Urbis conditum jacet.

Scripſit

I. Conſultationes plures Politico-Juridicas de rebus ad fœdus inter Leopoldum I. Cæſarem, & Sabaudiæ Ducem anno MDCCIII. initum, ejuſdemque continuationem ſub Auguſtis Filiis. Extant partim inter ſchedas olim Marchionis Pyrrhi Vicecomitis magni Cancellarii, partim apud Marchionem Senatorem Hieronymum Erbam Parmæ Progubernatorem.

II. Epiſtolas plures de eadem re, una cum Relatione Tractatuum, quos habuit cum Miniſtris Angliæ Regis, & Reipublicæ Holandiæ, à me non ſine voluptate inſpectas. Reperiuntur apud Amicum.

III. Conſultationes ſuper Onera, Annonam, Contractus Camerales &c. MSS. extant in Archivo Senatus Mediolani.

IV. Allegationes plurimas eruditiſſimas, præſertim in re Fideicommiſſaria, Vol. VI. in fol. Leguntur apud J. C. Hieronymum Bazettam ſupralaudatum, Auctoris noſtri Filium.

V. Orationem in Funere Auguſtiſſimæ Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ Neoburgenſis Auſtriacæ. Extat in libro, cui titulus: „ Relazione de' Funerali celebrati in Milano per l'Auguſtiſſima Imperatrice „ Eleonora Maddalena Tereſa Madre di Carlo VI. „ Imperatore. „ *Milano, preſſo il Malateſta*, 1731. *in fol.*

Ejuſdem cum laude meminit Lazarus Auguſtinus Cotta in Chorographica Deſcriptione Verbani Lacus pag 69. Artic. 120., & in Muſæo Novarienſi pag. 323. Artic. 1144., Ferdinandus Innocentius Civalerius in Oratione pro laurea utriuſque Juris in Univerſitate Papienſi Hieronymi & Chriſtophori Fratrum de Bazettis publicè dicta anno MDCCXVIII. MS., & Sitonus noſter in ſchedis ſuis eruditis.

## MMLXXI.

## BEBULCHUS CAROLUS.

FRanciſci ex Mediolani Decurionibus, ac Ducalis Quæſtoris Magiſtratus Redditũum Ordinariorum, necnon Serenæ Anguiſſolæ conjugum filius, claruit dux Cohortis peditum ſub Carolo V. Imperatore anno Chriſti MDXLII. Ejuſdem eruditionis, uti Vatis optimi Sæculi XVI., in Poetica facultate teſtimonia

Habemus

I. Carmina Italica, quæ extant in libro, cui titulus: „ Rime „ di diverſi Autori eccellentiſſimi, raccolte da Giovanni Offredi libro nono, che è in ſeguito della „ Raccolta del Giolito „. *Cremona* 1560. *in* 8.

De ipſo Paulus Morigia in Hiſt. Nobilit. Mediol. lib. IV. cap. 39., Advocatus Sitonus in Theatro Genealogico MS. in fol. pag. 59. penes Auctorem.

## MMLXXII.

## BEBULCHUS MARCUS ANTONIUS.

PEtri Alberti & Mariæ Panigarolæ Conjugum filius, necnon Joannis Redditũum Ordinariorum Quæſtoris ex filio nepos; inter J. PP. Collegiatos hujus Urbis enumeratur ab anno MDXLVI. ad MDLXXXIII. Varia ejuſdem Poëmata ego vidi in pluribus Collectionibus Ticinenſibus pro laureis donandis, de quibus nunc locum, ubi ipſas adnotavi, non invenio. Accipiat igitur Lector quæ mihi ſuperſunt.

Scilicet

I. Poëmata varia Latina: Extant in Libro, cui titulus: „ Funerali, fatti fare dal Duca d'Albuquerque al „ Prencipe Carlo di Spagna. *Milano* 1568. *in fol.*

II. Alia Italica in Libro inſcripto: „ Per le Nozze del „ Sereniſſimo Gran-Duca Franceſco de Medici e „ Bianca Capello. *Venezia* 1583.

Ex Advocato Sitono in Chron. Coll. J. PP. pag. 116. Art. 477., & fuſiùs in Theatro ſuo Genealogico pag. 59. MS. in fol. penes Auctorem, ubi de parentibus iſtius Bobulci ſe ipſum ingenuè corrigit.

## MMLXXIII.

## BELLANUS CAROLUS HIERONYMUS.

FAmilia Bellana, à J. C. C. Raphaële Faniano enumeratur inter nobiles Mediolanenſes: ex ipſa ortus eſt Carolus Hieronymus die XV. menſis Auguſti anno MDCXLIII., parentibus Joanne Ambroſio & Anna Valſicca conjugibus. Philoſophiæ & Medicinæ laureâ decoratus extitit in Ticinenſi Archigymnaſio die XXI. Novembris anno MDCLXV., qua occaſione Orationem habuit Cl. Martinus de Saxis Artium & Medicinæ profeſſor in eadem Univerſitate. Per annos quadraginta Bellanus noſter eximia cum laude in patria Medicæ praxi operam navavit, dieque XI. Februarii anno MDCCIX. vitæ finem abſolvit, & in Templo S. Antonii Clericorum Regularium, vulgò Theatinorum, hujus Urbis, habuit ſepulchrum. Extat ejus memoria in ſequenti Inſcriptione marmorea, quæ legitur in Eccleſia Parochiali S. Victoris ad Theatrum:

D. O. M.
IOSEPHO BELLANO
RECTORI
ANTE HANC ARAM QVIESCENTI
AC
SACRVM IN HEBDOMADA PERPETVVM
TVTELARI SACELLO
MANDANTI
PHYSICVS HIERONYMVS BELLANVS FRATRI
PHYSICVS DOMINICVS PATRVO
AC HAEREDES M. P. P.
ANNO MDCXCIII.



Digitized by Google

Scripſit:

I. Elenchum ſelectiorum Remediorum ex probatis Auctoribus; MS. pagg. 216., extat penes Phyſicum Carolum Hieronymum Bellanum juniorem præfati Auctoris ex fratre pronepotem.

II. Diſſertationem de uterino vagitu; an ſcilicet infans, qui quadragintaquinque diebus, ante quàm exiret in lucem, triplici vice in Matris utero vagire auditus eſt, naturali, & non ſuperiori cauſâ id præſtare potuerit. Incipit: „ Mortalium nulli, qui conſuetum naturæ curſum didicerit &c. „ Definit autem: „ Sed præſtat ea, quæ fiunt, quomodo fiant, quærere, quàm quod fiant negare, ut acutiſſimus quidam Scriptor annotavit „. MS. in fol., extat ubi ſupra.

Videantur ſchedæ Sitonianæ.

A

## MMLXXIV.

## BELLANUS JOANNES DOMINICUS.

MArcus Antonius Bellanus, atque Thereſia Faniana Mediolanenſes conjuges in lucem ediderunt Joannem Dominicum die XX. menſis Octobris anno MDCLXVIII. Inter ſtudia, quibus ſummopere deditus extitit, Philoſophiam & Medicinam ex profeſſo coluit, in quibus Præceptorem habuit Phyſicum à nobis ſupra laudatum Carolum Hieronymum Bellanum, Scriptoris noſtri patruum, atque in eiſdem aſſecutus eſt lauream in Ticinenſi Academia die XIV. Junii anno MDCXC. Claruit non tantùm in Medica praxi, quam per annos quadragintaquinque in patria commendabiliter exercuit, ſed etiam in arte Oratoria, ut videbimus infra. Ultimos clauſit dies anno MDCCXXXVIII. die XXII. Aprilis, & in Eccleſia SS. Coſmæ & Damiani PP. Auguſtinienſium Nudipedum hujus Urbis jacet humatus.

Ejus ſcripta ſunt:

I. Compendium Dignoſticum, ſeu brevis deſcriptio ſignorum, quemcumque morbum comitantium. MS. in 4., extat penes Phyſicum Carolum Hieronymum Bellanum juniorem ejuſdem Scriptoris Filium.

II. Orationes XX. habitæ in collatione Laureæ Doctoralis in Philoſophia, Artibus, & Medicina ab an. 1692. ad an. 1711. Illuſtribus Viris gratulatoriæ &c. MS. in fol., penes Filium ut ſupra.

Habetur in ſchedis Sitonianis &c.

B

## MMLXXV.

## BERNARDINUS.

HUjus Mediolanenſis Eruditi ex Ordine Servorum Beatæ Mariæ nudum nomen, prout in Picinelli Athenæo legebatur, cùm nos proferre puderet, ejus diſtulimus hactenus meminiſſe, opinantes fore ut in Annalibus Gianii novæ editionis Lucenſis annor. 1719., & 1725. aliquid ampliùs ad ipſum pertinens reperire poſſemus. Sed nihil admodum, præter ea, quæ Picinellus ſcripſit, invenimus. Omnigenâ fuit literaturâ cultus, & Aſtronomiam, Matheſimque optimè calluit. Mediolanenſium Principum, qui ejus Operâ, atque conſiliis in arduis negotiis non ſemel uſi ſunt, gratiam adeò ſibi promeruit, ut eorum etiam nomine ad exteros Principes legationibus fungeretur. Romæ tandem publicè ſacras paginas non ſine plauſu interpretatus eſt. Floruit circa annum MCCCLXXXVII.

Scripſit

I. De Tranſubſtantiatione Sacramentali.

II. De cultu Feſtorum.

III. Contemplationes in librum Job, de hominis miſeria, quas pro concione ad Romanum populum habuerat. Hæc an edita ſint, nec ne, ignoramus.

Laudatur à Creſcentio in Præſidio Romano part. III. lib. 3. narrat. 3. num. XI. Picinello in Athenæo pag. 84. Gianio in Annal. Tomo I. fol. 347.

## MMLXXVI.

## BESANA JO. ANTONIUS.

DE hoc Poëta Mediolanenſi Sæculi XVI. etſi parum habemus, ut infra; nihilominus ipſum omittere non auſi ſumus, nam alia in dies inveniri poſſe, facilè ſperandum eſt.

I. Carmina varia Latina; adſunt inter Poëmata Joannis Biſſii, *Mediolani impreſſa anno* 1512. *in* 4.

II. Alia in fronte Libri, inſcripti: „ Carmina in laudem „ B. M. Virginis, Varior. Auctor. *Bergomi, apud Cominum Venturam, ſine anno, in* 4.

C

## MMLXXVII.

## BESUTIUS HORATIUS.

FOrtaſſis filius Joannis Franciſci Beſutii, & Annæ item Beſutiæ conjugum; hæc mihi perhumaniter reſcripſit Cl. Sitonus, dum ab eodem quæſivi aliqua de Auctore noſtro.

Edidit

I. Primizie Sacre, & Orazioni Accademiche. *Milano*, 1663. *in* 12.

II. Monarchia Cattolica; Diſcorſo fatto in S. Celſo. *Milano*, 1677. *in* 8.

D

## MMLXXVIII.

## BINAGUS MATRONIANUS.

TItulum tantùm profero hujus Operis, quod fortuitò, & carptim vidi in eximiis Collectionibus Jo. Baptiſtæ Cornei, de quo jam ſuo loco diximus. Aliàs, Binagam familiam inter nobiles, & antiquas Civitatis Mediolani refert J. C. C. Raphaël Fanianus in Commentar. Familiar. Nobil. Mediol. ſub litera B. En interim quod Lectoribus meis proferre poſſum.

Scilicet

I. Trattato delle Croci erette in Milano, Opera di Matroniano Binago, ſcritta l'anno MDCIV. MS. pagg. 60.

Extat in Vol. IX. MSS. Jo. Bapt. Cornei Junioris in Archivo Archiepiſc. Mediolanen.

## MMLXXIX.

## BIRAGUS LUDOVICUS.

E

CÆſaris ex LX. Mediolani Decurionibus, Ducaliſque Collateralis Generalis, & Flaviæ Turrianæ conjugum filius, claruit Peditum Italicorum Chiliarcha, mox & Præfectus Generalis, inde Gallici Exercitus Magiſter Generalis, Regius item Gubernator in Marchionatu Salutiarum pro Chriſtianiſſimis Franciſco Primo, & Henrico Secundo Francorum Regibus, necnon Eques Regii Ordinis Sancti Michaëlis in Gallia extitit, floruitque ab anno MDXXXV. natus enim erat anno MDV., obiitque anno MDLXXV.

Ejus ingenii teſtem habemus Volumen, inſcriptum:

I. Raccolta delle coſe allegate da Lodovico Birago contro Scipione Vicomercato: Manifeſto, Conſulto, & Ar-

Digitized by Google

Arbore dell' Illuſtre Famiglia Biraga. *Torino*, 1561. *in* 4.
De eo Paulus Morigia in Hiſtor. Antiquit. Mediol. lib. 4. cap. 14., item in Hiſtor. Nobilit. Mediol. lib. item 4. cap. 14. Hieronymus Ghilinus in Annal. Alexandriæ ſub annis 1544. &c. Franciſcus Sanſovinus in Hiſt. Famil. illuſtr. Italiæ, ubi agit de Biraga. Clar. Advocatus Johannes de Sitonis de Scotia in Theatro Genealogico Sitoniano pag. 72., & in Collectione Equitum Reg. Ordinis S. Michaëlis, ſub litera L., ambo MS. In fol. penes ipſum Auctorem.

## MMLXXX.

## BIZOZERUS HIERONYMUS.

FUit Præpoſitus & Vicarius Foraneus Seveſi, atque die tertia Synodi XXXVI. Mediolanenſis anni MDCLXIX.

Dixit

I. Orationem elegantem, quæ impreſſa eſt in eadem Synodo.

## MMLXXXI.

## BLANCUS CÆSAR.

FIlius alterius Cæſaris & Eliſabethæ Franzonæ conjugum, natus anno MDCXVI. vivebat anno MDCXLIII.

De eo reperi

I. La Fanciulla dalle Truffe Tereſa di Manzanare, nativa di Madrid. Romanzo tradotto dallo Spagnuolo dal Conte Ceſare Bianchi Milaneſe, dedicato al ſuo Amico Filippo Perlaſca. *Milano, per il Maleſte-ſta*, 1640. *in* 12.
Ex ſchedis Sitonianis.

## MMLXXXII.

## BLANCUS DOMINICUS.

SAcerdos Mediolanenſis ex Congregatione Clericorum Regularium è Somaſcha, politioris literaturæ, & Latinæ eloquentiæ profeſſor, necnon Rhetor eximius, Academiæ & Collegio S. Mariæ in Urbe Laudenſi per multos annos ſumma cum laude præfuit; decorem Domus Dei dilexit: Unus ex XL. Viris Jus ſuffragii in Comitiis generalibus habentibus fuit, morum elegantiâ, ac ſuavitate, rerum agendarum peritiâ, & nitore præcelluit. Obiit anno MDCL.

Scripſit Librum hoc titulo

I. Catalogus Virorum illuſtrium, gentis ac Familiæ Blancorum Cotonei.
Ita P. Mazzucchellus in ſuo MS. „ Degli Scrittori della Congregazione di Somaſca. Centuria prima, raccolta da un Sacerdote della medeſima Congregazione „. Extat in Biblioth. Suorum S. Petri in Monte-Forti Mediol.

## MMLXXXIII.

## BOLDONUS FLAVIUS.

FLavius Boldonus J. C. natus Mediolani die XIX. Januarii anno MDLXXXIX. ex Octavio Boldono J. C., ac Sacri Romani Imperii Equite aurato, & Cæſareo Comite Palatino, necnon ex Cæcilia Cattanea nobilibus conjugibus. In Regia Ticinenſi Univerſitate utriuſque Juris laureâ decoratus eſt anno MDCIX. die XXIII. Junii. Fratres autem extiterunt eidem Eques Aurelius J. C., Præpoſitus Baſilicæ Collegiatæ S. Stephani in Brolio Mediolani ſub annis MDCXXXIV. ad MDCXLVIII., necnon Joannes Nicolaus, & Octavius Epiſcopus Theanenſis, ambo ex Congreg. Cleric. Regular. Sancti Pauli Barnabitarum &c., & Sigiſmundus Phyſicus Collegiatus Mediolani; de quibus amplam mentionem fecimus in hac Bibliotheca ſuis locis.

Hæc tantùm de iſto dare mihi licet

I. Carmina varia tam Latina, quàm Italica, extant in pluribus Collectionibus Sæculi XVI. ad finem vergentis, Ticini & Mediolani impreſſis; quas inter in ea, cui titulus: „ Ignatii Albani lacrymæ in obitu Caroli Vicecomitis &c. „ de qua jam egimus in Albano, ubi adſunt
II. Carmina V. Flavii Boldoni, atque ejuſdem Inſcriptio ſepulcralis pro ſupradicto Carolo Vicecomite.
Ex Theat. Genealog. Sitoniano pag. 74.

## MMLXXXIV.

## BONARDUS FRANCISCUS.

ILluſtris Monaſterii S. Marthæ hujus Metropolis, in quo religioſiſſimæ degunt Virgines ſub regula S. Auguſtini, negotia diligenter geſſit. Quo autem tempore id agere cœperit, ipſemet indicat in Nuncupatoria Operis ſecundo loco numerandi, menſe videlicet Januario anni MDCI. Annus ejus ſupremus ignoratur.

Conſcripſit

I. Vita e Viſioni della B. Veronica Negroni da Binaſco Monaca nel Monaſtero di Santa Marta di Milano, tradotta dall' Idioma antico nel moderno da Franceſco Bonardo. *Milano, per il Monza*, 1669. *in* 8.
II. Avviſi neceſſarj al buon governo del Monaſtero di S. Marta, MS. in 4. in Archivo ipſius Cœnobii pagg. 60. cum præfixa Nuncupatoria ad ſacras Virgines in eodem Parthenone Domino ſervientes. In hoc Opere Bonardus non tantùm agit de his, quæ ad temporalem adminiſtrationem pertinent, ſed etiam de rebus ad pietatem, virtuteſque ſpectantibus.

## MMLXXXV.

## BONFANTUS ANDREAS.

EX titulo libri infraſcripti, quem vidi in Bibliotheca FF. Minorum de Obſervantia S. Angeli hujus Urbis, dignitas Auctoris ejuſdem Ordinis S. Franciſci apparet; nil aliud reperire potui, nec apud Wadingum, nec apud Suos. Liber autem, qui ſatis rarò occurrit, ſic prænotatur:

I. Vita, e Miracoli del Beato Fra Luceſi, detto da Pogibonzi, il primo veſtito dal Serafico Padre S. Franceſco dell' Abito del Terz' Ordine di Penitenza, con li Capitoli 28. della Regola, raccolti dal Venerabile Fra Andrea Buonfanti Milaneſe Miniſtro dell' Ordine. Seconda Impreſſione in Firenze l'anno 1615. ſine Typographi nomine in 12.

## MMLXXXVI.

## BONIPERTUS LANFRANCUS.

BArtholomæus Curtius, dùm in ſuo Opere de claris Medicis Mediolanenſibus mentionem facit Cæſaris Ricii, quem nos ſuo loco laudavimus, Conſultationem commendat, peſtis occaſione, ad Sanitatis Magiſtratum exhibitam à Lanfranco Boniperto Phyſico Mediolanenſi,

Hoc

Digitized by Google

Hoc titulo

I. Conſulta circa il purgare le coſe infette, preſentata al Tribunale della Sanità in congiuntura della Peſte, che affliſſe Milano l'Anno MDLXXVII.
Extat in Libro Aſcanii Centorii, cui titulus: „ Avvertimenti, Ordini, e Gride &c. *Milano, per Filippo Ghiſolfi*, 1631. *in* 4. ad paginam 300.

### MMLXXVII.

### BONSIGNORIUS BUSTUS BARTHOLOMÆUS

SAcræ Theologiæ, & J. U. Doctor inter Oblatos SS. Ambroſii, & Caroli, deinde Anno MDCXXVII. Canonicus Ordinarius Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis. Patrem habuit Carolum, obiitque Anno MDCXLV.

Vulgavit inter alias Orationes, quas frequenter habuit, & deperditas dolemus,

I. Orazione in lode di S. Carlo Borromeo, quam recitavit in ſupradicto Templo maximo, anno MDCXLV.
Ita Picinellus in Athenæo pag. 65.

### MMLXXXVIII.

### BONSIGNORIUS PETRUS MARIA.

MEdiolanenſis, Cler. Reg. S. Pauli profeſſus eſt anno MDCLXXIX. Docuit Piſis humaniores Literas, in quibus, præter alia ſtudia, excelluit. Deceſſit anno MDCCXXXII.

Extant ejuſdem ingenii teſtimonia

I. De Aſſumpta Virgine Panegyricus: *Lucæ, typis Mareſcanduli*, 1694. *in* 4.
II. Faſciculus Orationum diverſarum. MS. in fol. apud Suos.
III. Faſciculus plurium Carminum tam Lat., quàm Ital. MS. in fol. ut ſupra.
Ita P. Pezius pluries à me laudatus.

### MMLXXXIX.

### BONVICINUS MARCUS ANTONIUS.

EX Schedis doctiſſimi P. Joannis Pauli Mazzucchelli, ſeu in Cod. MS. ejuſdem, cui titulus: „ Degli Scrittori della Congregazione di Somaſca „ Centuria Prima, raccolta da un Sacerdote della „ medeſima Congregazione „ agnovimus Auctorem hunc fuiſſe ex eadem Congregatione Cler. Reg. Somaſchenſium, necnon patriâ Mediolanenſem.

Scripſit:

I. Specchio Spirituale, nel quale ogni giorno della Settimana rimirando la perſona divota, ſcorgerà la Miſericordia di Dio, e quanto di bene, e di male dalla ſua Giuſtizia ſi può ſperare. *In Pavia, per Giacomo Ardizzoni*, 1617. *in* 8.
Ex ſupradicto MS. in Bibliotheca S. Petri in Monte Forti ejuſdem Congreg. Mediol.

### MMXC.

### BOSSIUS ANDREAS.

ALterius Andreæ, Andreoli ſcilicet vocati, filius, claruit uſque ad finem Sæculi XV., & de eodem ſic loquitur Donatus Boſſius in Chronicis Mediolani impreſſis pag. 302. „ Anno MCCCCLXXXI. „ die quinto Septembris jacta ſunt fundamenta in „ Campo Arenghi Mediolani Templi Divæ Teglæ, „ Auctore Venerabili Viro Andrea Boſſio Præpoſito „ ejus Templi „ Vir certè fuit de rebus ſacris Mediolanenſibus optimè meritus, ut videre eſt in ipſius librorum editionibus, quas infra damus.

Videlicet:

I. Miſſale Ambroſianum, in fol. In calce: „ Laus Chriſto: pax vivis, & requies defunctis. Amen. Explicit Miſſale ſecundùm conſuetudinem Sancti Ambroſii. Impreſſum Mediolani per Magiſtrum Antonium Zarotum Parmenſem. Emendatum per Reverendum Dominum Presbyterum Andream de Boſſis, Præpoſitum S. Teglæ, qui ſuâ operâ, & impenſâ imprimi curavit Anno Domini MCCCCLXXXVIII. Calendis Martiis.
II. S. Ambroſii Liber Paſtoralis. Subſequitur admonitio ad Lectorem, his verbis: „ Non mirabere, Lector „ humaniſſime, ſi aliqua depravata invenies in primo Libro, & ſecundo de Fide; id enim defectu „ Exemplaris fuit: nam poſtea emendatiorem codicem habuimus, ex quo hæc inferiùs adnotata decerpſimus &c. „ In calce: „ Impreſs. Mediolani „ operâ, & impenſâ Vener. Presbyteri Andreæ de „ Boſſiis, Præpoſiti S. Teglæ; Magiſter verò Ulderi- „ cus Scinzenzeler impreſſit MCDXCII. die XVI. „ Junii, in 4.
Videnda eſt Hiſtoria Typographica Cl. Saxii ad annos ſupracitatos.

### MMXCI.

### BOSSIUS BERNARDINUS.

BErnardinus Boſſius filius Franciſci, & Anaſtaſiæ Carnaghæ conjugum, Phyſicus Collegiatus Mediolani cooptatus die XVIII. Junii, anno MDXI. Vir Philoſophicarum, Medicarumque ſcientiarum eminentiâ, & inſigni liberalitate commendatiſſimus claruit ad annum uſque MDLXX. Fratrem habuit Ægidium Boſſium J. C. Collegiatum, Cæſareum Mediolani Senatorem, Feudatarium Vallis Bodii in Ducatu Mediolanenſi.

Scripſit:

I. Opera varia Medica.
Ita Paulus Moriggia in Nobil. Mediol. lib. III. cap. IV. & ex eo Picinellus in Athenæo pag. 86., & Curtius in ſuo libro de Medicis Mediolanenſibus pag. 56, de ipſo etiam Sitonus noſter in Chron. Colleg. Medic. Mediol. MS. penès Auctorem part. II. artic. 133., & Lucas Contilis in Impreſ. Accad. Affidator. Papienſ. pag. 97.

### MMXCII.

### BOSSIUS FRANCISCUS.

EX Antonio Cæſareo Comite Palatino, cujus ultimæ Tabulæ conditæ anno MCCCCXXV. extant penès amiciſſimum Sitonum, ortus eſt in hac Urbe Franciſcus Boſſius, qui Inſulam Comenſem obtinuit à Martino V. Pont. Max. anno MCCCCXX. prid. Idus Februarii, minoris ætatis condonato defectu; præfuit eidem Eccleſiæ XV. annis, fatoque functus eſt Baſileæ, quò ad Concilium profectus fuerat anno MCCCCXXXV. ibidemque Sepulturam accepit; extat tamen ejus memoria in Inſcriptione poſita ad Aram D. Joannis Baptiſtæ in Cathedrali Novocomenſi, ſic:

VENERA-

Digitized by Google

VENERATIONI DIVI IO. BAPTISTAE ARAM VNAM, CVI CENSVS OB SACRA FACIENDA PERPETVO PENDERENTVR. FRANCISCVS BOSSIVS PONTIFEX CVMENSIS PIENTISSIMVS TESTAMENTO FIERI IVSSIT. VIR AVTEM NOBILISSIMVS THOMAS BOSSIVS EIVSDEM PONTIFICIS NEPOS, ET HAERES, HOC ALTARE IPSIVS DIVI NVNCVPANDVM CVRAVIT, ET EX BONIS HAEREDITARIIS HOSPITALI DOMVI MISERICORDIAE MEDIOLANI QVAEDAM PRAEDIA LARGITVS EST, EX QVORVM REDDITV QVOTANNIS LIBRAE NVMERO LXIV. SACERDOTI REM DIVINAM IN HAC ARA QVOTIDIE FACIENTI PER EIVSDEM DOMVS PROCVRATORES ELECTO, ET HVIVS TEMPLI COLLEGIVM AFFIRMATO, APVD IPSOS PROCVRATORES EAM REM DE MORE PERFECTAM EIDEM COLLEGIO EPISTOLIS SVIS ATTESTANTI PRAEBERENTVR. NOVISSIME VENERABILIS HOMO BAPTISTA BOSSIVS AEDIS HVIVS ARCHIPRESBYTER CHRISTO OPTIMO MAXIMO HOC CONSPICVVM PEGMA LIBERO MVNERE DEDICAVIT, ANNO ADVENTVS EIVSDEM MCCCCLXXXXVIII. OCTAVO KALENDAS APRILIS.

Thomas Rotarius fabrefecit.

Præfato autem Franciſco Boſſio frater extitit Eques Aloyſius Boſſius Ducalis Feudatarius Meleti in agro Laudenſi, qui ex Cœcilia Vicecomite filiam habuit Polyxenam Boſſiam nuptam Matthæo item Boſſio J. C. Collegiato, Ducalique Senatori Mediolani, quæ ex Teſtamento anni MCCCCXCIX. die XXVII. Junii Collegium Boſſiorum annuis redditibus dotatum in Civitate Papienſi erigi demandavit. Extat adhuc in fronte magni Caſtri Oppidi Meleti in agro Laudenſi ſequens ex marmore Inſcriptio, Boſſianæ magnificentiæ teſtis uberrima.

MELETVM DOTALE OPPIDVM
MAGNIS PRAETORIORVM ET STABVLORVM EXTRVCTIONIBVS
AQVARVM DVCTIBVS, AGRORVM IRRIGATIONE, CONSITIS ARBORIBVS
VIRIDARIO, NEMORIBVS, ET HORTIS
MATTHAEVS BOSSIVS I. C. SENATOR, AC
MAGNVS CONSILIARIVS DVCALIS
ET POLYXENA BOSSIA
IVGALES MEDIOLANENSESQVE PATRICII
AC DOMINI MELETI EXORNAVERE
TVM ETIAM INSTAVRATA ARCE, VALLO, FOSSA, TVRRIQVE
COMMVNIERE.
TEMPLOQVE CONSTRVCTO, ET DICATO
SACRAVERE ANNO A PARTV VIRGINIS MCCCCXCV.,
QVO ANNO CAROLVS REX FRANCIAE TVRBAVIT ITALIAM.
MARMORA QVID SPECTAS HOSPES NITIDASQVE COLVMNAS
PVLCHRAQVE CAELATIS ATRIA IMAGINIBVS?
MATTHAEVS FIERI, CONIVXQVE POLYXENA IVSSIT,
HIC LEGVM INTERPRES, ALTERA DIVES OPVM.
BOSSIA STIRPS ILLIS, SED QVAMVIS AMPLA VIDETVR,
NON TAMEN EST DOMINIS PORTICVS APTA SVIS.

Aliquibus forſan videbitur extra chorum, ut ajunt, nos hîc poſuiſſe hanc Inſcriptionem, ſed cum ex ipſa nonnulla habeantur ad illam ætatem pertinentia, quæ fruſtra alibi quæruntur, non injucunda erunt Antiquitatum amatoribus.

Habemus de eodem Franciſco

I. Epiſtolæ ad Gaſparinum Barzizium, uti eruitur ex iſtius reſponſionibus, quæ extant in MS. Biblioth. Ambroſianæ ſignat. M. num. 4. in fol.

II. Aliæ ad Petrum Candidum Decembrium annis MCCCCXXXII., & MCCCCXXXIV. cum reſponſionibus; extant in MSS. ſæpè laudati ejuſdem Decembrii.

De ipſo Ughellus in Epiſcopis Comenſibus Tom. V. pag. 311. Franciſcus Ballarinus Chronic. Comenſ. parte II. pag. 136. Advocatus Sitonus in Monumentis genealogicis familiæ Boſſiæ pag. 5. impreſs. an. 1743. in folio penès Malateſtam, ac in Theatro genealogico Sitoniano pag. 82. MS. in folio penès Auctorem, ex quo agnovimus, Jacobinum Boſſium J. C. Colleg. Mediol primum fuiſſe anno MCCCLV. Stipitis Auctoris noſtri.

## MMXCIII.

## BOSSIUS TIBURTIUS.

DE iſto Auctore nudum titulum duarum Lucubrationum profero, alii forſan plura dabunt.

I. Scala di Giacobbe predicata nella Chieſa del Gesù di Roma: Opera del P. Muzio Vittelleſchi Generale della Compagnia di Gesù, con le Tavole aggiunte dal P. Don Tiburzio Boſſi Milaneſe Predicatore de' Canonici Regolari. MS. in fol. juſtæ molis ſign. 40. 16. extat in Biblioth Suorum S. Mariæ Paſſionis.

II. Il Cielo aperto: Panegirico detto in onore di S. Carlo Borromeo nella Chieſa de' Milaneſi. *Roma, ſine anno, & Typographi nomine.*

## MMXCIV.

## BREBBIA JOANNES BAPTISTA.

QUòd Gens Brebbia ſit inter antiquas, & nobiles Mediolani familias conſcribenda, eruitur à ſtemmate genealogico penès Cl. Sitonum, qui nobis ipſum oſtendit à Joanne Mediolani Decurione anno MCCCXL. incipiens uſque ad Ludovicum J. C. & ipſum Decurionem anno MDLXX. Joannes Baptiſta verò Hieronymi ex LX. Decurionibus Mediolani, ac Theſaurarii generalis, & Angelæ Caſatæ conjugum filius, claruit inter Italos Poëtas optimi Sæculi XVI., ſcilicet anno MDLIV., ut videre eſt in Collectione infraſcripta ſatis eleganti; at interim ne ex integro pereat memoria Laurentii Brebbiæ anno MCCCCLXXIV Decurionis, juvat hîc exſcribere Sepulchralem ejuſdem Inſcriptionem ad ejus Tumulum olim poſitam in Templo S. Petri Cœleſtini hujus Urbis, quam nobis ſervavit, etſi mancam, millies laudatus Sitonus noſter.

 D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

*SOPRA TVTTO DIO PER TVTTO.*

VIRTVTE ATQVE FIDE INSIGNES ADVERTE VIATOR
EGREGIO FRATRES REQVIESCVNT MARMORE, MAIOR
NAM ET CHRISTOPHORVS, ET LAVRENTIVS ALTER IN AEVO
SANGVINE DE BREBIO = = = = = = = = = = PROLES.

Habemus itaque ejuſdem Jo. Baptiſtæ

I. Carmina plura Italica in libro, cui titulus: „ Seſto „ libro delle Rime di diverſi eccellenti Autori, rac- „ colte da Andrea Arrivabene in ſeguito alla rac- „ colta del Giolito, in 8.
Laudatur à Paulo Morigia in Hiſt. Antiquit. Mediol. lib. IV. cap. XIII., & in Theatro genealogico Sitoniano MS. in fol. penès Auctorem pag. 85.

## MMXCV.

## BRIPPIUS DIONYSIUS.

EQuitis Joannis Franciſci Magiſtratus RedditUum Ordinariorum Præſidis, & Margaritæ Landrianæ conjugum filius recenſetur inter Patres conſcriptos Senatus Mediolanenſis ab anno MDXLII. ad MDLVII.

Vidimus tantùm de ipſo

I. Præſtantiſſimi Advocati Dionyſii Brippii Mediolanenſis Patricii Carmen in Bartholomæi Gaphuriani primitiis impreſſus *Taurini*, *per Franciſcum de Sylva*, 1521.

II. Conſilium Juridicum de Mercimonio Mediolani inſtaurando. *Mediolani*, 1549. *ſine Typographi nomine*, *in fol.*
Agit de ipſo Advocatus Sitonus in Syllabo Senatorum Mediolani num. 143. pag. 9., & in ſuo Theatro genealogico MS. in fol. pag 87. penès Auctorem.

## MMXCVI.

## BRIPPIUS GUIDUS ANTONIUS.

MArchionis Aloyſii J C. C., & Thereſiæ Stampæ de Leyva nobilium conjugum filius numerabatur inter LX. Decuriones hujus Metropolis. Vir fuit in rebus Mathematicis ſatis eruditus, atque unus ex nobilibus Viris Conventus Literarii penès Comitem Carolum Archintum, cujus Elogium jam dedimus. Deceſſit die XI. menſis Auguſti MDCCXXX.

De ejuſdem Scriptis ſuperſunt tantùm, quæ ſequuntur; alia verò deperdita ſunt miſerè.

I. Della Meccanica, o ſia Statica, Diſcorſi cinque. MSS. in fol. Extant apud Comitem Maximilianum Stampam Marchionem Soncini.
Memoratur in Theatro genealogico Sitoniano MS. in fol. penès Auctorem pag. 87.

## MMXCVII.

## BRIPPIUS SFORTIA.

PAtre Dionyſio Senatore, & Iſabella Puſterla Matre extitit Regius Quæſtor utriuſque Magiſtratus, ex LX. Decurionibus, & Commiſſarius generalis Exercitus in toto Mediolani Dominio. Patriæ Legatus mittitur ad Pium V. Pont. Max. pro Negotiis Ordinis Humiliatorum, & ab eodem Pontifice Eques calcaris aurei creatus eſt anno MDLXXI. die II. menſis Aprilis.

Hæc de ipſo ſuperſunt:

I. Oratio ad Pium V. Pont. Max. MS.

II. Plures Epiſtolæ ad Decuriones Mediolanenſes ex Urbe Roma, dum ibi Patriæ Legatus morabatur, ut ſupra. Extant in Cod. ſign. C. num. 74. in fol. in Biblioth. Ambroſ. inter MS. Puricelli.
Hujus Scriptoris munerum, & dignitatum plurima mentio eſt apud Hieronymum Frovam in Epiſtola gratulatoria impreſſa *Mediolani* 1590., prout in Articulo ejuſdem Hieronymi Frovæ diximus.
Videndus quoque eſt Cl. Sitonus in ſuo Theatro genealogico pag. 87. MS. penès Auctorem.

## MMXCVIII.

## BRIPPIUS SFORTIA alter.

MArchionem Cæſarem, ex LX. Decurionibus, & Magiſtratus Reddituum Ordinariorum Quæſtorem, necnon Iſabellam Vertematam parentes habuit, atque inter J. PP. Colleg. hujus Metropolis numeratur ab anno MDCXXXVIII. ad annum MDCLX.

Vidi de ipſo

I. Carmen Latinum in laudem Immaculatæ Conceptionis B. M. V. *Mediolani*, *apud Impreſſores Archiepiſcopales*, 1629. *in* 4.

II. Aliud, cui titulus: *Oden*. Præfixum eſt libro Leonis Matinæ Neapolitani, inſcripto: „ Ducalis Regiæ „ Lararium, ſive Sereniſs. Reip. Venetæ Principum „ omnium Icones, & Elogia „ *Patavii*, *Typis Hertianis*, 1659. *in fol.* Nonnulla quoque ipſius Carmina recitat Armellinus in Bibliotheca Benedictino-Caſſinenſi, parte II. pag. 75.
De eodem Advocatus Sitonus in Chron. Colleg J PP. Mediol. Art. 911. pag. 211., & in Theatro genealogico MS. in fol. penès Auctorem pag. 87.

## MMXCIX.

## BULLA JOANNES AMBROSIUS.

BUllam familiam inter nobiles ac vetuſtas Mediolanenſes commendant infraſcripti Auctores. Sanè memorabilis eſt Sepulcralis ex marmore Inſcriptio in interiori Eccleſia Monialium S. Catharinæ ad Cluſam Mediolani, poſita Ven. Modeſtæ Bullæ Abbatiſſæ, filiæ Chriſtophori Ducalis Legati, ac relata per Paulum Morigiam loco infrà citando, ut ſequitur:

HIC

HIC QVIESCIT MODESTA BVLLA INCOMPARABILIS SANCTIMONIAE ABBATISSA, QVAE MONASTERIVM HOC IN POST DIRVPTVM, OPPRESSVM, VIRTVTE PRAEVIA, INTRA XXXII. ANNOS EREXIT, AVXIT, AMPLIFICAVIT, SANCTORVM QVOQVE CATHARINAE, ET VICTORELLI VNIVIT. OBIIT ANNO MDII. XXI. APRILIS.

Præter Orationem verò Jo. Ambroſii iſtius, quem damus, nil aliud de ejus Actis, atque Operibus reperimus.

I. Oratio ab eo habita in primis ſacris ſolemniis Fabricii Caſtrofranchi Majoris Mediolanenſis Eccleſiæ Cardinalis Ordinarii. *Mediolani*, 1557. *ſine Impreſſoris nomine*, *in* 4.

Laudatur in Notis ad Landulphum Juniorem in Tomo V. Rer. Ital. Script. pag 493., & de Gente Bulla agunt Bernardinus Corius in Hiſtor. Mediol ſub an. MCCCCLXXX., Iſidorus Iſolanus in Panegyri de laudibus Urbis Mediol. & Nobil. familiarum ejus ſub an. MDXVIII., Paulus Morigia in Nobilit. Decurion Mediol. cap. XXIV. pag. 58., ac J. C. C. Raphaël Fanianus in Commentar. Nob. famil. Mediol. ſub litera B. necnon Schedæ Sitonianæ.

## MMC.

## BURRINUS JACOBUS.

SAcræ Theologiæ Doctor præfuit Eccleſiæ Parochiali Sanctiſſimæ Trinitatis in Suburbio Olitorum hujus Metropolis, atque in Compendium reduxit Librum de Caſibus Reſervatis Oliverii Mazzucchelli, quem typis dedit

Hoc titulo

I. Compendium Oliverii &c. *Mediolani*, *apud Ghiſulphum*, *in* 12.

Ex Picinelli Athenæo pag. 239. Familiam verò Burinam inter antiquas & nobiles Mediolanenſes refert J. C. C. Raphaël Fanianus in Commentar. familiarum Nobil. Mediol. ſub litera B.

## MMCI.

## de BUSSERO ONUPHRIUS.

DE Buſſera Familia egimus ſuo loco, ſed de Poëta, quem commendamus, nil præter hunc Librum invenimus,

Cui titulus

I. Poema in lingua Milaneſe di Onofrio Buſſero per l'arrivo della Sereniſſima Infanta Margarita d'Auſtria Moglie di Leopoldo Ceſare. *Milano*, *preſſo il Ghiſolphi*, 1666. *in* 4.

## MMCII.

## de BUSTO JOANNES BAPTISTA.

SAcræ Theologiæ Doctor inter Oblatos SS. Ambroſii & Caroli locum habuit, eandem facultatem profeſſus eſt in Seminario hujus Urbis, atque in altero, cui nomen la Canonica. Magiſtrum ſortitus eſt Cl. Virum Petrum Paulum Boſcam, pluries à nobis in hac Collectione laudatum. Orationes Panegyricas dixit variis in Templis & occaſionibus, quarum duas tantùm nobis licet proferre.

Scilicet

I. Panegyrim elegantiſſimam pro Federico Borromæo recens in Purpuratorum Collegium cooptato. Ita Boſca ut infra.

II. Panegirico per S. Carlo detto il giorno IV. Novembre 1671. *Milano nella Stamperia Arciveſcovile*, *in* 4.

Videatur ſupracitatus Boſca in lib. V. de Origine & Statu Bibliothecæ Ambroſianæ.

## MMCIII.

## de BUSTO JOANNES PETRUS.

DOlendum eſt, quod de Joanne Petro de Buſto, qui Ordinis Capuccinorum Generalis obiit Genuæ anno MDCC. reperiri nobis datum ſit tantùm Orationem infra recenſendam, quamvis uti Concionator eximius celebretur à nonnullis ejus Auditoribus, qui adhuc ſunt in vivis; affirmant tantummodo Sui, quòd Quadrageſimale ipſius, Orationes Panegyricæ, aliæque plures Lucubrationes deperditæ ſint.

Hæc de eo

I. L'Idea del buon governo, Diſcorſo fatto nella Sala dell'Eccellentiſſimo Senato di Lucca il ſecondo Sabbato di Quareſima dell'anno 1693. *Lucca per Favorito Paci*, 1693. *in* 4.

II. Quadrageſimale, Panegyres, & nonnullæ ſacræ Conciones, quæ periere.

Ita à Suis.

## MMCIV.

## BUTIUS MATTHÆUS.

CLaruit inter Oblatos SS. Ambroſii & Caroli Rhetoricorum Interpres, & Philoſophiæ Lector, deinde honorarius Ephæborum Caroli VI. Cæſaris, tunc III. Hiſpaniarum Regis Præceptor creatur, uti etiam ſacris largitionibus Præfectus, & à Concionibus Italicis. Deceſſit Valaguariæ in Catalauniæ Regno, non ſine ipſius Regis, & totius Aulæ mœrore, ideoque ſcripta ejuſdem ad nos minimè pervenerunt, proinde

Damus tantùm

I. Orazione detta ne i Funerali dell' Eminentiſſimo Sig. Cardinale Federigo Caccia Arciveſcovo di Milano. *Ivi*, 1699. *in* 4.

MMCV.

Digitized by Google

# C

## MMCV.

### CACCINUS CAROLUS ANTONIUS.

A

SAcerdos Oppidi Vicemeniæ vulgo Omegna, ditionis Mediolanenſis, Diœceſis autem Novarienſis, laudatur à Cl. Cotta in ſuo Muſæo ob Orationem, quam habuit in Funere Hectoris Alberganti, quem nos ſuo loco commendavimus; nos itaque ipſum Mediolanenſibus reſtituimus.

Hæc tantùm ſupereſt de eo

I. Orazione detta nel meſe di Ottobre dell'anno 1698., dandoſi ſepoltura ad Ettore Secondino Albergante. Extat MS. inter Miſcellanea Novarienſia, Vol. X. in Biblioth. Ambroſiana. B

Ita Cl. Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 89.

## MMCVI.

### CAIMUS FRANCISCUS.

JOanne Baptiſta J. C. Mediolani Decurione, & Clara Valiana Parentibus ortus, Ducalis Aulicus extitit ſub Ludovico Maria Sfortia Vicecomite Mediolani Duce, dein Eques Militaris Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani, ſicut & à Cubiculo Hadriani VI. Summi Pontificis, floruitque ab anno MCCCCLXXXV. ad annum MDXXXXIV., quo adhuc in humanis erat; nihil aliud de eo dicere licet, præterquamquod C

Edidit

I. Librum Franciſci Petrarchæ de Vita ſolitaria, quem aſſerit nunquam antea impreſſum, dicavitque Ludovico Mediolanenſium Duci; in eadem Epiſtola aſſerit, in Codice MS. ejuſdem Operis inſcriptum fuiſſe nomen Azini Caymi proavi ſui, cujus fama adhuc in hominum memoria extaret; & quidem Azinus Caymus erat Cæſaris Venceslai Scutifer multiſque privilegiis ab eodem donatus; anno verò MCCCCII. extitit unus inter Equites auratos in funere Joannis Galeacii Vicecomitis I. Inſubrum Ducis. Opus ſterio emendavit pro amore Auctoris & Scriptoris; ſunt ejus verba. Epiſtolam hanc inter alias dedit Cl. Saxius in Hiſtoria ſua Typographica pag. DXXII.

Videndus J. C. Advocatus Sitonus in Diſſertatione ſua Geneal. Familiæ Nobilium de Caymis; de Azino ſeorſim Scipio Vegius in Ephem. Barthol. de Putheo in ſerie Equitum Hieroſol. & alii.

## MMCVII.

### CALVUS SEBASTIANUS.

PHyſicus Mediolanenſis Matthæi pariter Phyſici, & Juliæ Piſanæ conjugum filius. Lauream in Phyloſophia & Medicina Bononiæ ſuſcepit anno Chriſti MDCXXXIX., & Mediolani deceſſit anno MDCLXXIV. memoratur in ſepulchrali marmorea Inſcriptione ab ejuſdem Genitore in Eccleſia Sanctæ Mariæ, vulgo *del Giardino* in hac Urbe poſita, his verbis:

MATTHAEVS CALVVS SEBASTIANI FILIVS<br>
PHILOSOPHVS AC MEDICVS<br>
NVPER ORBATVS ANGELA AMATISSIMA FILIA<br>
SEPVLCRVM HOC ILLI SIBI IPSI<br>
IVLIAE PISANAE VXORI DILECTISSIMAE<br>
SEBASTIANO FILIO CHARISSIMO<br>
POSTERISQVE PARARI IVSSIT<br>
XII. CALEND. MARTII MDCXVI.

Scripſit D

I. Conſultationem pro uſu Chinæ Chinæ, inſtante Cardinali Joanne Stephano Dongo.

Ita Sebaſtianus Badius in Libro de Cortice Peruviano cap. 7. pag. 49., & ex eo Curtius de Medicis Mediolanenſibus pag. 115. videndæ ſunt etiam ſchedæ Sitonianæ.

## MMCVIII.

### CAMBIAGUS JOANNES PAULUS.

FIlius Franciſci Juriſconſulti, Regii Prætoris Oppidi Gallarati, & Luciæ de Romanis conjugum. Inter Phyſicos Collegiatos Mediolani adnumeratur die XXIII. Decembris anno MDCLXV., obiitque anno MDCXCI. E

Edidit

I. Conſultationem de uſu Chinæ Chinæ ad petitionem Cardinalis Jo. Stephani Donghi.

Ita Badius in Libro de Cortice Peruviano cap. 7. pag. 49. Et ex eodem Curtius de Medicis Mediol. pag. 115. Necnon Advocatus Sitonus in Chronic. Colleg. Phyſicor. Mediol. parte 2. artic. 315. MS. in folio penes Auctorem.

Præfati autem Joannis Pauli Abavus extitit Octavianus Cambiagus J. C. Collegiatus Mediolani ſub annis 1489. ad 1519., cujus ſepulcralem Inſcriptionem olim in veteri Eccleſia S. Angeli extra P. N. Mediolani, Franciſcus Cicerejus in Collectione Selectarum Urbis Mediol. Inſcriptionum MS. in hanc formam refert:

SEPVLCRVM DOMINI OCTAVIANI DE CAMBIAGO<br>
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS<br>
ET SVCCESSORVM SVORVM.

## MMCIX.

### CAMPATIUS ARCANGELUS.

ABbas Picinellus in ſuo Athenæo Mediolanenſi refert Arcangelum Campatium, & ipſum Mediolanenſem, & ex eadem Congregatione Canonicor.

Digitized by Google

nonicorum Lateranenſium, necnon Abbatis vices-gerentem in Monaſterio S. Joannis in Viridario, vulgo *Verdara*, in Urbe Patavina ſito, nonnulla Carmina Latina edidiſſe in laudem Abbatis Aſcanii Martinenghi, dum Romam ſe contulit. Ea occaſione typis data fuit flebilis Elegia à quodam Viro docto, cui reſpondit Campatius, edito ſequenti libro,

Hoc titulo

I. Ad Metricam deplorationem Reſponſio, Epigrammata. *Patavii*, 1596 *in* 4.
Ex ſupradicto Athenæo pag. 54.

## MMCX.

### de CAMPONIBUS CHRISTOPHORUS.

IN Oppido Abbiate Ducatus Mediolanenſis natus medio Sæculo XV. ſcilicet anno MCDLX. inter Scalenſis Baſilicæ Canonicos computabatur; deceſſitque die XVIII. menſis Octobris MDX. Etenim cum Stephano Dulcinio Viro eruditiſſimo, cujus laudes dabimus in Claſſe Exterorum,

Elaboravit

I. Necrologium præmemoratæ Baſilicæ Scalenſis ab anno MCDLVIII. ad MCDXCII. MS. in Pergameno in fol. Servatur in Archivo ejuſdem Eccleſiæ, & de eo uberiùs dicemus in præfato Dulcinio.
Ex ſchedis Sitonianis.

## MMCXI.

### de CAPITANEIS de ARSAGO HENRICUS.

HEnricus de Capitaneis de Arſago, dictus etiam de Ripalta, Clementis Magiſtratus Extraordinariorum Redditaum Quæſtoris, & Corneliæ Mantellæ conjugum filius, inter J. C. Coll. cooptatus fuit anno MDXCII. Primarius Juris Civilis Profeſſor in Ticinenſi Archigymnaſio claruit uſque ad annum MDCXLIV. qui fuit eidem poſtremus. Scripta ipſius periere.

Supereſt tantùm

I. Oratio in laurea Bartholomæi Ariſii. *Mediolani, ex Typographia Ambroſiana*, 1630. *in* 4.
Eidem Tractatum XXXIV. Clariſſimus olim Jatro-Phyſicus Joannes Baptiſta Sitonus nuncupavit Jatroſophiæ Miſcellan. pag. 195. anno 1639. impreſs., in 4.
Videndi ſunt Blanchinus in Styllat. Cauſ. Colleg. Mediol. atque Advocatus Sitonus in Chron. Coll. J. PP. Art. 708. pag. 174. &c.

## MMCXII.

### de CAPITANEIS de FIGINO CAMILLUS.

FRanciſci, & Octaviæ Ferrariæ conjugum filius Collegium J. PP. Mediol. ingreſſus eſt anno Chriſti MDCLXV. Fuit quoque Patriæ Proprætor, floruitque uſque ad annum MDCLXXXXIV.

Vidi ipſius librum, cui titulus;

I. Geneſis Heroum Salazariæ Familiæ. *Mediolani, apud Montiam*, 1674. *in* 4.
Memoratur à Cl. Sitono in Chron. Coll. J. PP. Art. 1012. pag. 225. & in ſuo Theatro Genealogico MS. in fol. pag. 210.

## MMCXIII.

### CAPRETTUS CLEMENS.

ORdinem ſuum, ſcilicet Minorum Obſervantiæ S. Franciſci, non parum illuſtravit Clemens Caprettus, qui ſe ipſum Mediolanenſem dicit in Opuſculis infra recenſendis; nam Lector non infimi nominis, Concionator eximius, & totius Ordinis Generalis extitit. Alia ejuſdem ſcripta non reperimus, nec annum mortis, ſupervixit tamen ultra vigeſimum annum Sæculi currentis.

Hæc de ipſo præmanibus habuimus

I. Panegirico per S. Nicola da Tolentino. *Torino, preſſo il Colonna*, 1674. *in* 4.
II. Applauſo Laureato nel paſſaggio per Milano verſo Roma del Reverendiſſimo P. Fr. Franceſco Maria Rini da Polizzi, Guardiano del Monte di Sion, e Miniſtro generale di tutto l'Ordine di S. Franceſco. *Milano, nella Stamperia Arciveſcovile*, 1671. *in* 4. Continet Carmina tam Italica, quàm Latina, necnon Orationem item Latinam in laudem ſupradicti P. Rini.
Hæc, etſi pauca, à Suis,

## MMCXIV.

### CARANZA NICOLAUS.

ECcleſiæ Parochialis S. Petri Cornaredi, vulgo *con la Rete*, hujus Urbis Rector; ſcripſit, ac typis dedit librum infra recenſendum, quem profero, ne aliquis delicatulus me arguat, quòd ex Athenæo Picinelli ipſum expunxerim.

En titulus

I. Eſercizj Spirituali, che far ſi devono di tempo in tempo in tutto il corſo dell'Anno. *Milano*, 1615. & iterum 1641. *in* 12.
Ex ſupradicto Picinello pag. 429.

## MMCXV.

### CARCANUS GABRIEL.

CHriſtophori, & Paſinæ Ripæ nobilium conjugum filius claruit ab anno Chriſti MCCCCL. uſque ad MCCCCLVII. ut nos monuit Cl. Sitonus, penès quem extat Documentum autenticum ſatis præclarum, creationis ſcilicet in Ducem Mediolani factæ per Magnates, & Populum Franciſci Sfortiæ Vicecomitis, ubi inter alios Teſtes interfuit Gabriel noſter de Carcano, die XI. Martii, anni MCCCCL. Parum invenimus de eodem, ſed ob vetuſtatem, & Carminum elegantiam, pro more Sæculi, in quo ipſe vivebat, prætereundum eſſe minimè cenſuimus,

Damus ideo

I. Carmen Latinum; extat ad calcem libri, cui titulus; „ Senecæ Philoſophi Opera, ſub Blaſio Romero Mo„ naco Populeti per Matthiam Moravum. „ *Neapoli*, 1475. *in fol.*
II. Aliud ſatis longum Divo Ferdinando Neapolis, & Siciliæ Regis; adeſt ad calcem Operum Raymundi Lulli. *Panormi*, 1477. *in fol.*
De ipſo Maittaire in Annalibus Typographicis Tom. I. pag. 115. ubi editio tantùm Senecæ memoratur, nam ei ignota fuit altera Raymundi Lulli, Advocatus Sitonus in Stemmate genealogico familiæ Carcanæ. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1742. *in fol.*, & Saxius noſter in Hiſtoria Typographica.



Digitized by Google

A

## MMCXVI.

### CARDANUS HIERONYMUS alter.

LEonardi, & Beatricis de Currentibus conjugum filius inter Phyſicos Collegiatos Mediolani fuit cooptatus die XXX. menſis Julii, anno MDCXLV., ſeditque quater inter XII. Viros Tribunalis Proviſionum hujus Urbis ab anno MDCLIII. ad MDCLXXII., deceſſit verò die IX. Februarii MDCLXXIX., & jacet in Eccleſia Parochiali S. Michaëlis ad Cluſam. Unus fuit, qui cum aliis à Curtio memoratis, de uſu Chinæ Chinæ, inſtante Cardinali Stephano Dongo,

Scripſit

I. Conſultationem, ut ſupra, de Uſu Chinæ Chinæ, ſeu Corticis Peruviani.
De ipſo Placidus Puccinellus in Nuncupatoria ad Vitam S. Ambroſii; Carolus Hieronymus Cavatius à Somalea in Deſcriptione Status Mediol. pag. 10., Curtius de Claris Medicis Mediol. pag. 115. Advocatus Sitonus in Chron. Colleg. Phyſic. part. II. Art. 310, & in ſuo Theatro Genealogico pag. 123. MSS. in fol. penès Auctorem.

## MMCXVII.

### CARLIUS VENTURIANUS.

EX Allatii Drammaturgia Cl. Abbas Fuſius hunc Mediolanenſem Scriptorem eruit, & nobis perhumaniter communicavit, ob Dramma

Inſcriptum

I. Il Mirtillo.
Ita ſupradictus doctiſs. Abbas Fuſius in Appendice ad Picinelli Athenæum, MS. penès me.

## MMCXVIII.

### ÇARPANUS ANDREAS.

ALterius Andreæ filius, ut apparet ex Inſtrumento autographo anni MCCCCLXXIX. penès amiciſſimum Sitonum. Vir fuit eruditus, ut videtur ex Epiſtolis Petri Candidi Decembrii, & aliorum, inter quas ſequentem refero; nam poſt elapſa ferè tria Sæcula, ſatis eſt de Scriptore noſtro aliqua Lectoribus proferre, etſi parvi momenti.

Vidi igitur:

I. Epiſtolam Latinam ad Petrum Candidum Decembrium, datam ex Ponteligno XI. Kal. Septembris MCCCCLVIII., in qua gratulatur Decembrio ob reditum ſuum ex Urbe Roma in patriam; auditoque ipſum novum iter moliri, offert ſe ſtudiorum, & viæ comitem. Adeſt etiam ejuſdem Decembrii Reſponſio, qua ei gratias agit, & inter cetera hæc ait: „ Amplector itaque libenti animo, ſi quæ peregrinatio „ inciderit, habiturum te non comitem meum tantùm, ſed conſiliorum meorum participem, ac ſtu„ diorum, quibus delectaris, & eruditus es, ut ex „ literis cognovi tuis &c. „ Data XIII. Kal. Octobris.
In MS. Cod. Epiſt. Decembrii in fol. ſign. I. nu. 235. in Ambroſiana Bibliotheca.

## MMCXIX.

### CARPANUS JACOBUS ANTONIUS

JOannis Philippi, & Margaritæ Moreſinæ filius. Collegium J. PP. Mediolani ingreſſus eſt anno Chriſti MDLXXV. Rerum Capitalium Præfectus claruit, hinc Advocatus Fiſcalis, mox Reddituum Ordinariorum Quæſtor, deinde Regius Ducalis Senator. Deceſſit anno MDCXII.

Scripſit:

B

I. Reſponſa XV. Juridica.
II. Allegationes Fiſcales permultas.
III. Vota plura Fiſcalia.
Extant partim edita, partim MSS. in Collectionibus J. PP. Mediolanenſium, & Ticinenſium; nonnulla quoque cuſtodit J. C. & Advocatus Solivetta.
Ita in ſuis Schedis P. D. Gaſpar Berretta, atque Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. pag. 156. Art. 628.

## MMCXX.

### CARPANUS JACOBUS PHILIPPUS.

PAucis me expediam de Carpano iſto J. C. Mediolanenſi, nam ne tantillum invenire de ipſo datum mihi fuit apud Amicos, nec de anno mortis ipſius, nec de operibus, quæ ſine dubio poſteris eum reliquiſſe, patet ex Epiſtola, quam nunc profero, ex qua floruiſſe videtur medio Sæculo XVI.; reliqua forſan in dies apparebunt.

C

En titulus

I. Jacobi Philippi Carpani J. C. Mediolanenſis Epiſtola ad Benedictum Jovium pro explicatione quarumdam vocum Arabicarum, cum iſtius Reſponſione.
Extat inter Epiſtolas MSS. ſupradicti Jovii, quam cum Operibus ejuſdem, pro bono literariæ Reipublicæ brevì edendas promittit Co. Antonius Joſeph à Turre J. C. C. Comenſis, cui nonnulla debeo mihi communicata pro hac mea Bibliotheca adornanda.

D

## MMCXXI.

### CASATUS GABRIEL

EX Franciſco ortus, Collegium J. C. C. Mediol. ingreſſus eſt anno reparationis noſtræ MDXLVI. Regius inde Ducalis Senator, mox in Supremo Italicarum Rerum Conſilio apud Hiſpaniarum Regem Matriti Regens, ubi per quadriennium optimè adeò ſe geſſit, ut nihil à Principe, nihil in Republica, ſine ipſius Conſilio actum ſit. E vivis exceſſit anno MDLXIX., atque in Sacello maximo Templi S. Marci Mediol. hoc ſine fuco monumentum ſibi vivens poſuit:

E

GABRIEL CASATVS
SIBI AC SVIS V. P.
CINERIBVS MAIORVM SVORVM HVC ALLATIS
MDLVII.

Plura ſcripſit, quæ non habemus.

Supereſt tamen

I. Conſilium Juridicum, quod extat in Tomo II. Conſiliorum Jo. Baptiſtæ Ziletti pag. 77. num. 59.
De ipſo Ruginellus in libro de Senatoribus pag. 34., J. C. & Advocatus Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. pag. 114. Art. 468.

MMCXXII.

Digitized by Google

## MMCXXII.

### CASATUS PAULUS

CÆſaris Phyſici Collegiati, & Juliæ de Balbis conjugum filius, nobiliſſimam Societatem Jeſu amplexus, integris XXV. annis in Sacris Concionibus impenſis, piiſſimè obiit in Domo Profeſſa hujus Urbis anno redempti Orbis MDCXLI.

Reliquit poſt ſe

I. Conciones, & Panegyres plures MSS. de quibus nonnulla Volumina effici poſſunt. Extant in Bibliotheca Suorum S. Fidelis Mediol.
Memoratur ab Advocato Sitono noſtro in ſerie Gentis de Caſate, & alibi.

## MMCXXIII.

### CASATUS SCIPIO.

SCipio Caſatus, ſeu de Caſate, Joannem ex XII. Reipublicæ Mediol. Capitaneis, & Domninam Turrianam parentes ſortitus eſt; inter patrios Decuriones locum obtinuit, atque anno Domini MCCCCXLVII. Collegium Nobilium J. CC. ingreſſus eſt, & pro patria Legatus ad Rempublicam Venetam miſſus; floruit uſque ad annum MCCCCLXX. Dolendum eſt, quòd de ipſo nil aliud proferre mihi datum ſit, quàm ejus Epiſtolam Latinam ad Petrum Candidum Decembrium, & ex ipſa eruitur, ſatis eruditum fuiſſe literis Græcis, necnon Poëtica facultate: pro more igitur Scriptorem hunc, utpote Sæculi XV., prætereundum minimè cenſui.

Videnda eſt ejus

I. Epiſtola ad Petrum Candidum Decembrium, quæ cum iſtius Reſponſione extat inter MSS. Decembrii alibi citatos in Biblioth. Ambroſ.
Memoratur ab J. C. & Advocato Sitono in Chron. Colleg. J. PP. Mediol. Art. 182. pag. 47.

## MMCXXIV.

### CASTILLIONÆUS BALTHASSAR.

MIrum certè eſt, Balthaſſarem Caſtillionæum, de quo nunc agimus, P. Pezii ſæpiſſimè à nobis citati, diligentiam effugiſſe. Is enim Congregationem Clericorum Regularium S. Pauli ingreſſus eſt anno MDLXXXVII. In patria Mediolanenſi Provincia, ſtudiis ſemper intentus, & pietati moram, traxit ad annum uſque MDXCIII. quo cum Auguſtino Torniello Generali ſuo ex Collegio S. Barnabæ hujus Urbis Romam contendit. Hæc hauſta ſunt ex Actis Collegii ipſius, in queis deinceps altum de illo ſilentium, unde neque mortis annum ſcire licuit.

Scripſit plurimâ eruditione Eccleſiaſticâ refertam Opellam hanc

I. Ordo Officii Divini quotidie recitandi juxta Ritus Sanctæ Rom. Eccleſiæ ad decem futuros annos, ab anno ſcilicet MDC. uſque ad annum MDCXI. excluſivè, per P. D. Balthaſſarem Caſtillionæum Clericum Regularem Congreg. S. Pauli, in quo multa ad cultum Eccleſiaſticum, & celebrationem Miſſæ, ac Fidelium obſervantiam ſpectantia ritè, opportunè, ſtudioſèque denotantur, de quibus aliàs nulla mentio habebatur, cum omnibus Feſtis hucuſque Apoſtolico decreto additis. Impenſis Jo. Antonii, & heredum Hieronymi Franzini. *Romæ, apud Aloyſium Zanettum*, 1601. *in* 8.

## MMCXXV.

### CASTILLIONÆUS VICTORIUS.

DE præſenti Caſtillionæo Mediolanenſi, nihil aliud inveni, præter pauca, quæ Lectoribus meis infra exhibebo; pauca certè, ſed cùm ipſemet teſtetur in Epiſtola nuncupatoria primæ Poëſis, quòd alia Carmina pluribus occaſionibus edidiſſet, ſatius duxi inter Scriptores minoris notæ, & ipſum recenſere.

Hæc ſunt:

I. Alle Molto Reverende Madri di S. Maria degli Angioli nel paſſaggio, che fanno alla Vita Capuccina: Ode applauſoria di Vittorio Caſtiglioni. *Milano, per il Malateſta*, 1655. *in* 4.
II. Carmina duo Italica, vulgo *Sonetti*, extant in libro: „ Per le Nozze del Sig. Marcheſe Giuſeppe Maria „ Viſconti figlio del Marcheſe Vercellino Maria „ *Milano*, 1667. *in* 4.

## MMCXXVI.

### CATTANEUS HENRICUS.

PAtrem habuit Chriſtophorum Æliam nobilem Mediolanenſem, cui cordi fuit Henricum, non tam literis, quàm optimis moribus imbuere; nec ſpes eum fefellit, nam & eruditionem, & Legum peritiem Henricus ſummoperè coluit, itaut Collegium J. PP. hujus Metropolis ingredi meruerit anno MCDLXXV. Ætas nobis aliud de Viro iſto minimè ſervavit, præterquamquod dixit Cl. Saxius in ſua Hiſtoria Typographico-Literaria Mediol. loco infra citando.

Videlicet:

I. M. Tullii Ciceronis Rhetoricorum Libri. In calce ſic legitur: „ M. Tullii Ciceronis Rhetoricorum opus „ per ſpectabilem Virum D. Henricum de Cattaneis „ J. U. Doctorem diligenter emendatum „. *Mediolani, per Leonardum Pachel, & Uldericum Scinzenzeler*, 1479. *in fol.*
Vide igitur ſupradictum Cl. Saxium ad annum MCCCCLXXIX., & Cl. Sitonum in Chron. Coll. J. PP. Art. 236. necnon in ſuo Theatr. Genealogico pag. 113. MS. in fol. penès Auctorem.

## MMCXXVII.

### CAVALLERIUS BARTHOLOMÆUS.

CAvalleria gens enumerat ex Schedis Sitonianis VII. Patriæ Mediolanenſis Decuriones ab anno Chriſti MCCCLXXXVIII. ad MCCCCLXXIV. Ambroſius etiam Cavallerius fuit inter XII. Viros Proviſionum anno MCCCCXLVII. Bartholomæus verò noſter erat Rector Eccleſiæ Parochialis Colonii prope Modoëtiam anno Chriſti MDCLXXIX. Scripſitque librum, quem typis dedit,

Hoc titulo

I. Fioretto, overo breve Somma degli Uomini inſigni, ed illuſtri in Scienza, e governo, quanto in armi, religioſità, e ſantità dell'antichiſſima, e nobiliſſima Caſa Maggia; raccolta dall'antichità della Città di Breſcia, dall'Iſtorie di Milano, e di altri Stati, dove abitarono, governarono, e regnarono; riſtretta da Bartolomeo Cavallero Rettore di Cologno per conſolazione de' poſteri di detta Caſa. *Milano, preſſo il Ramellati*, 1679. *in* 4.
Videndæ ſunt ſupradictæ Schedæ Sitonianæ.

MMCXXVIII.

Digitized by Google

## MMCXXVIII.

### CERRONETTUS JOANNES BAPTISTA.

ETſi rem parvi momenti habeamus de Joanne Baptiſta Cerronetto Jo. Antonii filio, attamen, cui notum eſt, quantùm laboris inſumendum ſit in condendis Indicibus, & quantùm utilitati Lectores ab eiſdem accipiant, non incongruum videbitur inter hos Scriptores eidem locum obtigiſſe. Floruit in Collegio Notariorum Mediolanenſium, & inter Cauſidicos Collegiatos ab anno Chriſti MDXLVI. uſque ad MDXCI., qui fuit ei poſtremus.

Labor ipſius hunc habet titulum

I. Index locupletiſſimus rerum omnium ſcitu dignarum, quæ continentur ſecundo Volumine Commentariorum in Statuta Mediolani, Horatio Carpano Auctore, editorum; à Joanne Baptiſta Cerronetto Mediolanenſi Cauſidico, & Notario ad publicam Studioſorum utilitatem ſucciſivis horis editus an. MDLXXXVI. die XXVI. Februarii. *Mediolani, apud Johannem Baptiſtam Colonium*, 1586. *in fol.*
De ipſo amiciſſimus Sitonus in Schedis.

## MMCXXIX.

### COGLIATUS JOSEPH.

JOſeph Cogliatus honeſta ſtirpe ortus Mediolani, fuit à Secretis Generalis Congregationis Miniſtrantium Infirmis, atque obiit die XXII. Auguſti, anno MDCCVIII.

Scripſit:

I. Inſtitutiones Criminales cum pluribus eruditis Adnotationibus, MS. autograph. in 4. optimæ notæ. Extat in Bibliotheca Collegii S. Mariæ Salutis Cler. Regul. Miniſtr. Infirm. Mediolani.

## MMCXXX.

### De COMITIBUS FRANCISCUS.

ALoyſii Ducalis Peditum Capitanei filius, nec non Primi, quem ſuo loco laudavimus, frater. Claruit Phyſicus, ac publicus Medicinæ Profeſſor in Univerſitate Patavina anno MDL. Diſcipulum habuit celeberrimum Franciſcum Ciceregum, de quo plura dedimus. Inter cetera ipſius pietatis & largitionis monumenta numeratur Conventus Sancti Salvatoris ſupra Oppidum Herbæ, Plebis Incini, quem incolunt PP. Capuccini, illius ære conſtructus. Aliud de ipſo non vidi,

Præter

I. Diſſertationem de Peſte, quam obtulit Præſidi, aliiſque Viris Magiſtratus Sanitatis hujus Urbis, anno MDLXXVII. *Mediolani, apud Impreſſores Archiepiſcopales, eodem anno, in* 8
Agunt de ipſo Moriggia in Hiſt. Nobil. Mediol. lib.III. cap. XIII. pag. 245. Scipio Albanus in Vita Hieronymi Miani, Curtius in libro de Medicis Mediolanenſibus pag. 129., Antonius Riccobonus in Gymnaſio Patavino pag. 25., & Sitonus noſter in Schedis, tum in Chron. Colleg. Phyſicor Mediol. part. II. artic. 196. MS. in fol. penès Auctorem.

## MMCXXXI.

### CONAGUS LUCINUS.

QUòd Familia Conaga, ſeu de Conago, Mediolanenſis vetuſta ſit, ſatis patet ex Syllabo Decurionum hujus Urbis penès Advocatum Sitonum. Unus ex ipſis anno Chriſti MCCCCXLVII. fuit Lucinus, ſeu Luchinus, de quo nunc agimus, ut ex Tabulis authenticis, datis die XVII. Auguſti anni ſupradicti, quemadmodum videre licet inter Schedas ejuſdem Sitoni. Plures libros edidit Mediolani Sæculo XV., ut legitur in Hiſtoria Typographico-Literaria Cl. Saxii. Inter Poëtas etiam Latinos locum non infimum tenet,

Ob

I. Carmen ſatis elegans in laudem Ludovici Mariæ Sfortiæ Vicecomitis ad calcem practicæ Muſicæ Franchini Gafurii, de quo Cl. Saxius in Hiſt. Typograph. ad annum MCCCCXCII.
II. Aliud in fine Peroti Sipontini Grammaticæ, ex eodem Saxio, ad annum MCCCCXCVI.
III. Aliud inſcriptum „ Lucini Conagi Civis Mediolanenſis Epigramma in laudem Biſſi „; legitur inter Carmina Biſſi impreſſa Mediolani anno MDXII. die XV. Septembris.
Videndi Clariſs. Saxius de Studiis Mediol. pag. 41., & in Hiſtor. Typograph. Liter. Mediol. pag. 348. & 515., Joſeph Benalius in Hiſt. Magiſtr. Extraordin. pag. 11., & Schedæ Sitonianæ, necnon Raphaël Fanianus J. C. C. in Commentar. Famil. nobil. & antiquar. Mediol. ſub litera C. in verbo *Conagbi MS.* in fol.

## MMCXXXII.

### De CONCORETIO DANIEL.

ALiis Viris doctis de Concoretio in hac mea Bibliotheca cum laude relatis Danielem hunc addere hîc juvat, etſi de ipſius Actis literariis, & de tempore, quo è vivis abierit, nulla apud me extet memoria; laudatur tamen ab Antonio Peſſina, de quo egi ſuo loco, ex cujus Epiſtolis agnoſcitur Danielem floruiſſe anno MCCCCXXXVI.

Damus igitur

I. Epiſtolas ejuſdem ad Antonium Peſſinam cum iſtius Reſponſionibus, in quarum una, data anno ſupradicto, laudat.
II. Orationem à Daniele compoſitam, & Peſſinæ tranſmiſſam.
Extant in Codice MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. O. num. 57. in 4.

## MMCXXXIII.

### CONFALONERIA ANGELA FLAMINIA.

ANgela Flaminia Confaloneria, Camilli junioris, & Suſannæ Landrianæ nobilium conjugum filia, claruit Sanctimonialis in Cœnobio Sanctæ Catharinæ Braydenſis Ord. Humiliatorum hujus Urbis. Vitæ innocentiâ, ſacrarumque literarum notione inſignis fuit, quam unicè dilexit Federicus S. R. E. Cardinalis Borromæus Archiepiſcopus Mediolani venerandæ memoriæ. Eidem Angelæ Flaminiæ frater extitit Petrus Paulus Confalonerius junior natus anno MDCI., obiitque anno MDCLV., cui proſtat Sepulcralis ex marmore Inſcriptio in Eccleſia S. Caroli PP. Carmelitarum Nudipedum Mediolani, ut ſequitur:

PETRO

Digitized by Google

PETRO PAVLO CONFALONERIO PRAESTANTISSIMO VIRO
ANNAE OZENAE ET MARIAE ARCHINTAE
EIVS VXORIBVS LECTISSIMIS FOEMINIS
LIBERIS EIVSDEM POSTERIS OMNIBVS
ET SIBI
IOSEPH CONFALONERIVS VT FRATER AMANTISSIMVS
POSVIT
AN. SAL. MDCLX.

Ipſius Angelæ Flaminiæ extant

I. Literæ plures Aſceticæ, & lectu digniſſimæ, ab ea ſcriptæ ad Cardinalem Federicum Borromæum Archiepiſcopum Mediolani, de quibus integrum Volumen in fol. effici poteſt: extant in Bibliotheca Ambroſiana, unà cum Reſponſionibus ejuſdem, in Codicibus literarum ipſius Card. MSS. de quibus diximus.

Ejuſdem Angelæ Flaminiæ meminerunt Federicus Cardinalis Archiepiſc. Borromæus in Libr. de Amore Virtutis impreſs. an. 1623., Petrus Paulus Boſca Ambroſ. Bibl. Præfectus in Serie Illuſtr. Confaloneriorum MS. in fol., & Advocatus Sitonus in Monumentis genealogicis famil. Confaloneriæ MS. item in folio, ambo penès eumdem Advocatum.

## MMCXXXIV.

## CONFALONERIUS ALEXANDER.

Alexander Confalonerius, Camilli ſenioris, & Eliſabethæ de Toppis nobilium conjugum filius, natus eſt Mediolani anno Salutis MDLII. Congregationi Clericorum Regularium Divi Pauli Barnabitarum nomen dedit; verùm, propter mortem Petri Pauli Confalonerii ejus fratris unico filio quadrienni Camillo juniore poſt ſe relicto, ut nepotis tutelæ, & curæ incumberet, ſuaſu Divi Caroli Borromæi S. R. E. Card. Archiepiſcopi Mediolani anno MDLXXVIII. ex præfata Congregatione egreſſus eſt, factuſque Sacerdos ſecularis, dein Præpoſiturâ Eccleſiæ Collegiatæ S. Stephani Oppidi Marliani, Ducatus Mediolanenſis, decoratus eſt; Anno poſtea MDXCVII. Præpoſitus Eccleſiæ item Collegiatæ Divi Babilæ P. O. Mediolani delectus, filicam hanc integerrimè rexit uſque ad annum MDCXXIV., quo inter mortales eſſe deſiit. Ejuſdem Alexandri meminit Inſcriptio marmorea proſtans in præfata Baſilica Divi Babilæ tenoris, ut ſequitur:

D. O. M.
DIVOQVE CAROLO SACELLVM HOC EREXIT
IVLIVS CAESAR CONFALONERIVS
AVREOSQVE SVPRA MILLE SOLVIT
VENERANDO HVIVS TEMPLI COLLEGIO
A QVO SACERDOS DEPVTETVR
AB IPSO ERECTORE PROBANDVS
ET DEINCEPS A SVIS HAEREDIBVS
QVI REM QVOTIDIE DIVINAM
AD SACRAM HANC ARAM FACIAT
ALIAQVE CONVENTA SERVENTVR
EX IACOBI ANTONII CERVTI ACTIS
PRID. CALEND. IVNII MDCVI.
ARCHIEPISCOPALI AVCTORITATE FIRMATIS.
ALEXANDER SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR
EIVSDEM TEMPLI PRAEPOSITVS
NOBILI ET EGREGIO VIRO FRATRI SVPERSTITI
B. M. POSVIT.

Scripſit:

I. Commentaria in Univerſam Logicam Ariſtotelis. MS. in fol. extat penès Co. Anſpertum Confalonerium Magiſtratus Redditumm Extraordinariorum Quæſtorem, Auctoris ex fratre abnepotem.

II. Commentaria in Univerſam Phyſicam Ariſtotelis: MS. ibidem in fol.

III. Commentaria in Libros poſteriores Ariſtotelis. MS. in fol. ibidem.

IV. Commentaria in Univerſam Philoſophiam Moralem Ariſtotelis. MS. in fol. ibidem.



Digitized by Google

V. Commentaria in Rhetoricam Ariſtotelis. MS. in 4. ibidem.

VI. In Quatuor Evangeliſtas juxta Vitam Jeſu Chriſti, incipiendo à primo capite D. Matthæi, Elucidatio. MS. in fol. ibidem.

VII. De Peccatis, vel Caſibus Conſcientiæ Tractatus. MS. in 4 ibidem.

Diſcipulus extitit Joſephi Alamanni Soc. Jeſu, quem ſuo loco laudavimus, nam ab ipſo Rhetoricam audivit, eamque ſcripſit anno Chriſti MDLXVIII.

Ejuſdem Alexandri Præpoſiti meminerunt Jo. Baptiſta Villa in libro ſeptem Eccleſ. Stational. Mediol. pag. 227., Com. Octavius Archintus in inſigni ejuſdem Collectione Inſcriptionum Sepulcr. Mediol., & Clar. Advocatus Sitonus in Monumentis genealogic. nob. familiæ Confalonerii exaratis de anno MDCCX., & in Theatro genealogico Sitoniano pag. 160., ambobus MS. in folio penès Auctorem.

## MMCXXXV.

## CONFALONERIUS JO. AMBROSIUS.

Hieronymus Confalonerius à nobis ſuo loco commendatus fratrem habuit Joannem Ambroſium, qui in eadem Congregatione Clericorum Regularium, vulgo Theatinorum, profeſſus eſt anno Redemptionis noſtræ MDLXXX. die XIII. Martii, vitamque inter ipſos tam piè, tam exemplariter traduxit, ut oſſa ipſius à ceteris ſecreta peculiari in Urna, ſub Ara S. Andreæ Avellini locata fuerint; deceſſit verò anno MDCXXIII. die XIV. Februarii.

Superſunt

I. Epiſtolæ plures, quæ in Archivo Suorum Sancti Antonii Mediolani, tum ob Viri reverentiam, pro ſanctioris vitæ documentis, tum ob eruditionem ſacram, digniſſimè ſervantur.

De ipſo videndus Silos Hiſtor. part. II. lib. X. pag. 467.

## MMCXXXVI.

## CORIUS ALEXANDER

PArentes habuit Alphonſum, & Veronicam Tauram, ejuſque eruditionem ſatis indicavit in Epiſtolis Franciſco Cicerejo ſcriptis, necnon in Carminibus Latinis in Codice infra recenſendo non ſine voluptate à me inſpectis.

Extant ideo de Corio noſtro

I. Epiſtolæ Latinæ ad Alphonſum patrem datæ anno MDLXXXIX. adſunt in Codice Epiſtolari MS. Franciſci Cicereji Bibliothecæ Fratrum Marchionum Vicecomitum, in 4.

II. Carmina Latina. Extant ibidem.

De eo Advocatus Sitonus in ſuis Schedis, & in Theatro genealogico MS. in fol. pag. 165. penès Auctorem.

## MMCXXXVII.

## CORIUS JOANNES BAPTISTA

ALphonſo, & Sylvia Porra parentibus natus, claruit inter Cauſidicos Collegiatos Mediolanenſes ab anno MDCLXXVI uſque ad annum MDCCIV, ſcripſit, atque edidit librum pro iis in Foro verſantibus ſatis utilem,

Nempe

I. Actuarium Practicæ Civilis. *Mediolani*, *in* 8.

## MMCXXXVIII.

## CORNENUS PETRUS.

QUòd Cornena Mediolanenſis familia, forſan ſic dicta ab Oppido Corneno, Plebis Incini, Ducatus Mediolanenſis, inter nobiles fuerit, ſatis eruitur ex Collectione Decurionali Sitoniana, ubi V. ejuſdem Gentis Viros ab anno MCCCCXLVII. ad MDXIII. ſediſſe legitur in Conſilio generali hujus Urbis; Petrus verò claruit vergente Sæculo XV., ut videre eſt in Hiſtoria Typographica Mediolanenſi Cl. Saxii, ubi mentionem facit de tribus Codicibus à Corneno noſtro editis, ut infra. De ipſo quoque locuti ſumus in Articulo Theodori Plati, necnon in altero Facii Cardani, in quo retulimus Epigramma, ſeu potius partem Epigrammatis, quod extat ad calcem libri inſcripti „ Proſpectiva „ communis D. Joannis Archiepiſcopi Cantuarienſis, „ ad unguem caſtigata per Facium Cardanum „ &c. Sed quia præ manibus tunc librum non habuimus, mancum, & non ſatis correctum, illud Epigramma dedimus; nunc igitur Lector idem accipiat, ut jacet:

*Optima quæ fertur viſus pars optima, Lector,*
*Fauſtis Cornini clauditur auſpitiis.*
*Quem Petrus impreſſit parvo non ære: libellum*
*Hunc eme; tu doctum perlege Lector opus.*
*Prima ego ſum virtus, quid me fortuna relinquis?*
*Impreſſa eſt omnis pagina, noſtra vacat.*
*Ultima ſim miror; quid enim ſunt lumina? manca*
*Me ſine, & eſt illis, me ſine, nulla fides.*
*Et quis Ariſtotelem, ſine me, cognoſcere poſſit,*
*Scis dea? cognovi; ſed ſua cauſa ſubeſt.*
*Magna ratis magno curanda eſt remige, deerat*
*Navita, nunc Facius talia damna levet*
*Hoc Cardana viro gaudet domus; omnia novit*
*Unus: habent nullum Secula noſtra parem.*

Emendavit itaque, & typis dedit

I. Joannis de Mandevilla, Tractato delle coſe più maraviglioſe &c. in 4. Ad calcem legitur: „ Explicit „ Johannes de Mandevilla, impreſſus Mediolani, „ ductu, & auſpiciis Magiſtri Petri de Corneno, „ pridie Kalendas Auguſti MCCCCLXXX Johanne „ Galeatio Maria Sfortia Vicecomite Duce noſtro „ inviciſſimo, ac Principe jucundiſſimo

II. Tractato utiliſſimo circa la conſervazione della Sanitade, compoſto per il Clariſſimo, & Excellente Filoſofo, & Doctore di Medicina Meſs. Ugo Benzo di Sienà, in 4. Clauditur his verbis: „ Exactum eſt „ hoc Opus Mediolani, curâ, & diligentiâ Petri „ de Corneno Mediolanenſis, MCCCCLXXXI. pridie Kalendas Junias, Johanne Galeatio Sfortia „ Vicecomite Principe noſtro inviciſſimo dominante „.

III. Æmilii Probi Opus de Viris Illuſtribus abſque notis Typographicis, Mediolani verò impreſſum, cum Epiſtola nuncupatoria Petri Corneni, ſeu de Corneno, ad magnificum, & præſtantiſſimum Legum Enucleatorem Dominum Theodorum Platum Ducalem Conſiliarium.

IV. Epigramma ad ſupradictum Theodorum Platum. Extat in eodem libro.

Vide Saxium in Hiſtoria ſua Typographica pag. DXL.

MMCXXXIX.

Digitized by Google

## MMCXXXIX.

## CORRADUS ALPHONSUS

Marchione Mario patre, & Cæcilia del Rio matre in lucem venit Mediolani; fratremque habuit Marium alterum anno MDCCIII. Canonicum Ordinarium Eccleſiæ Metropolitanæ hujus Urbis; deceſſit verò anno Chriſti MDCCXXXVI. die XXX. Januarii. De ipſo nil reperi,

Niſi

I. Orazione Funebre per la morte della Sagra Maeſtà della Reina di Spagna Maria Luiſa di Borbone. *Milano, nella Regia Ducal Corte*, 1689. *in fol.*
Agit de eo Sitonus noſter in ſuo Theatro Genealogico pag. 168. MS. in fol. penès Auctorem.

## MMCXL.

## CORVINUS JOANNES ANTONIUS.

Alteri Corvino de Aretio nuncupato, ſed Mediolanenſi Civi, jam in hac Bibliotheca relato, addere inſtituo Joannem Antonium Co. Palatinum, filiumque Angeli, necnon inter Decuriones hujus Urbis florentem ab anno Redemptionis noſtræ MCCCCXLVII. uſque ad MCCCCXCVIII.; Ejus operâ, & impenſâ typis datum eſt in hac Urbe anno MCCCCLXXXI. per Antonium Zarotum Opus Stephani Dulcinii, cui titulus „ Nuptiæ Illu„ ſtriſſimi Ducis Mediolani VI. Jo. Galeaz Viceco„ mitis Sforti æ &c. „ in cujus fronte legitur etiam ipſius Epiſtola Latina, quæ ſic incipit,

Nempe

I. Johannes Antonius Corvinus de Aretio Stephano Dulcino, S. P. D. „ Vidi ſuaviſſime Stephane, quæ tu „ de Magnanimi Principis noſtri præſtantiſſimis, ex„ cellentiſsimiſque Nuptiis graviter, ornatèque „ ſcripſiſti &c. „
Vide Saxium in Hiſt. Typograph. ad annum MCCCCLXXXIX. col. CCCIX., & Advocatum Sitonum in ſuo Theatro Genealogico pag. 155. MS. in fol. penès eundem.

## MMCXLI.

## COSTA CAROLUS

Congregationi Clericorum Regularium Somaſchenſium ſe addixit, ibique eruditioni tam ſacræ, quàm profanæ ſummopere vacavit, necnon ob artem Oratoriam, & ob Conciones pluribus in Italiæ Urbibus habitas haud infimum nomen ſibi promeruit. Rebus interim ſuæ Congregationis minimè poſthabitis, munera uſque ad Definitoris gradum optimè geſſit. Pertinaci podagræ morbo acriter afflictus, in patrio S. Martini Orphanotrophio, ubi Præpoſituram agebat, diem clauſit ultimam anno MDCCIII. die XXII. Februarii.

Habentur de eo

I. L'Angiolo dell'Apocaliſſe: Panegirico pel B. Angelo Porro del P. Don Carlo Coſta Sommaſco. *Milano, per il Monza*, 1680. *in* 4.
II. Orazione Funebre recitata al Catafalco dell'Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Monſignor Girolamo Valvaſore Generale dell' Ordine de' PP. Eremitani di S. Agoſtino, e Veſcovo di Peſaro, dal P. Don Carlo Coſta Cherico Regolare della Congregazione di Somaſca. *Milano, nella Stampa del Monza, per Carlo Federigo Gagliardi*, 1685. *in* 4.
III. Carmina III. extant in Libro, cui titulus „ In Laurea „ Legali Co. Herculis Vicecomitis &c. „ *Mediolani, apud Agnellum*, 1681. *in fol.*
IV. Quadrageſimale. MS. in fol. Tom. II. extabat apud Suos in ſupradicto Collegio, ab Amico ejuſdem Congregationis olim inſpectum, & nunc in alicujus commodum forſan ſublatum.
Ita à Suis.

## MMCXLII.

## COTONIUS OCTAVIUS.

Octavius Cotonius majoris Tabellarii vices-gerens in Mediolanenſi Dominio, ſatis diligenter ſcripſit, & publici juris fecit librum infra recenſendum, qui pluries, non tam Mediolani, quàm alibi recuſus fuit, etiam Hiſpanico idiomate; Italicum verò titulum profert,

Sic

I. Itinerario delle Poſte per tutto il Mondo, d'Ottavio Cotogno, Luogotenente del Corriere Maggiore dello Stato di Milano. *Ivi, per il Bordoni*, 1616. *in* 24.

## MMCXLIII.

## COTTA ANASTASIA.

Pater Quadrius Societatis Jeſu in ſuo erudito Opere „ della Storia, e della Ragione d'ogni „ Poeſia „ alibi, & quidem pluries, à nobis laudato, ſic de Anaſtaſia Cotta Mediolanenſi loquitur: „ Anaſtaſia Cotta Milaneſe nobiliſſima Gentildonna, „ ebbe, oltre alla cognizione non mediocre delle „ Lettere, una eccellente ſcienza di Canto; e can„ tava, e ſuonava d'ogni ſtrumento con incredibile „ ſoavità. Compoſe molte Poeſie, ch' ella ſteſſa „ poſe ſotto le Note; e per la ſua eccellenza in „ ogni compagnia, dove ſi trovava, da' Muſici „ concordemente era eletta per Maeſtra di Cappel„ la. Fioriva circa l'anno MDLX.

Habemus igitur de ipſa

I. Carmina varia Italica.
Teſte ſupradicto P. Quadrio in ſuo Opere jam citato Tom. III. pag. 323.

## MMCXLIV.

## COTTA LUCIUS HADRIANUS

Ambroſio, atque Hortenſia de Caſtro S. Petri parentibus natus, inter J. PP. Collegiatos Mediolanenſes adnumeratur, faſces Prætorios Laudenſes non ſine æquitatis commendatione ſuſtinuit; In eodem Collegio Orationem infraſcriptam ingenti plauſu dixit anno MDCCXIII. in laudem Cardinalis Auguſtini Cuſani junioris. In Foro etiam Patrocinium Cauſarum egit pluries, donec fato ceſſit anno MDCCXXXII. die XXIV. Septembris.

Vidimus de ipſo

I. Orationem pro Purpura Cardinali Auguſtino Cuſano collata. *Mediolani, apud Gagliardum*, 1713. *in* 4.
II. Allegationes varias penès J. C. Collegiatos Mediol.

## MMCXLV.

## COTTA MARIUS.

Inter Poëtas optimi Sæculi XVI. recenſendus eſt etiam Marius Cotta Mediolanenſis, nam Collector emunctæ naris Titus Joannes Scandianenſis, in Opere inſcripto: *La Fenice*, in quod illata ſunt Car-

Digitized by Google

Carmina Italica Clariſſimorum ea tempeſtate Vatum pro natalitiis Phœnicis, Gabrielis Joliti celeberrimi Impreſſoris filiæ ,

Leguntur etiam Auctoris noſtri

I. Carmina Italica . *In Vinegia* , *appreſſo Gabriele Giolito de' Ferrari*, 1555 *in* 4 & iterum „ con nuove Ag„ giunte . *Ivi* , *per lo ſteſſo Giolito*, 1557 *in* 4.
Ex P. Quadrio Societatis Jeſu in Libro „ della Sto„ ria , e della Ragione d'ogni Poeſìa „ Tom. II. pag. 244. , & ex Hiſtoria Typographica Tridinenſi amiciſſimi , doctiſſimique Canonici Joannis Andreæ Irici typis parata .

## MMCXLVI.

## CRIBELLUS JULIUS CÆSAR

AMbroſii Mariæ , & Lauræ Maynæ filius , in Collegium J. PP. hujus Urbis cooptatus eſt anno MDCLXXXIII. Publicus Profeſſor Logicæ , deinde Juris Civilis extitit in Scholis Canobianis, aliiſque muneribus functus obiit anno MDCCXXXV.

Habemus ipſius

I. Orationem habitam pro Eminentiſſimo Federico Caccia in Collegio Juriſperitorum , extat in libro , cui titulus „ Il Campidoglio di Trionfo per la promo„ zione all' Arciveſcovato , ed alla Sacra Porpora „ dell' Eminentiſſimo Sig. Cardinale Federigo Cac„ cia . *Milano* , *preſſo il Gagliardi* , 1698. *in* 4.
II. Proluſiones varias in Scholis Canobianis , ut ſupra habitas. MSS. apud Abbatem Sfortiam Juſtinianum Cribellum Auctoris filium Commendatarium Prioratus S. Mariæ Pacis Mazentæ .
Memoratur à Clar. Sitono in Chron. J. PP. Mediol. pag. 236. art. 1086.

## MMCXLVII.

## CRIBELLUS PALADINUS

JOſephi ex Paladino Cribello ſeniore ex LX Decurionibus , & Lavinia Archinta nati , filius, Juris Conſultus Mediolanenſis , floruit erga finem Sæculi præteriti , & quantùm etiam in Poëtica facultate valeret, oſtendit liber ab ipſo typis vulgatus;

Cui titulus

I. Pindarici Concentus Comiti Joſepho Antonio Cacciæ, ideſt Elogia , & Epigrammata ipſius , & aliorum tam Italica, quàm Latina . *Mediolani* , *apud Agnellum*, 1671 *in* 4.
Videndæ ſunt Schedæ Sitonianæ .

## MMCXLVIII.

## CRIBELLUS QUINTILIANUS.

QUintilianus Cribellus Mediolanenſis , ex fide Picinelli , qui eum loco inferiùs citando inter hujus Metropolis eruditos Cives collocavit , non infimum locum inter Italicæ Poëſis cultores ſibi acquiſivit. Ætatem , qua fuit in vivis, nemo à me petat ; diligenti enim inveſtigatione incaſſum quæſitam ceteris tradere nequeo . Ex citati tamen Picinelli verbis licet conjicere, Scriptorem hunc longè ante initium Sæculi XVII. vixiſſe, nam ait, Opus ejuſdem ex hominum memoria ferè deletum Patavinis typis cuſum fuiſſe anno MDCXIII. Aliam recentiorem editionem nos dabimus .

Operis autem hic eſt titulus :

I. Ermilla Favola Boſcareccia . *Padova* , *per Gaſparo Crivellati*, 1613. *in* 12., *ed in Vicenza*, *per Perin Libraro*, 1687. *in* 8.
Vide Picinellum in Athenæo pag. 478.

## MMCXLIX.

## CRUCEJUS BONUS ALOYSIUS.

CIſtercienſes Monachi Caræsvallenſes habeant nunc primùm hunc eorum Alumnum eruditis Suis adjiciendum , cujus ſi Opera ſervaviſſent , locum inter Scriptores majoris notæ habuiſſet . Eruditio verò ipſius agnoſcitur non tantùm ex Epiſtola ſatis longa , quàm ille ſcripſit Franciſco Boſſio pariter Mediolanenſi , præfixa Tractatui Hieronymi Vicecomitis de Lamiis , ab eodem Crucejo Mediolani edito , anno MCCCCXC., ſed etiam ex altera Bonifacii Simonettæ , quæ eſt ſeptima libri primi in illius Opere inſcripto : „ Perſecutionum Chriſtiana„ rum hiſtoria „ . In eadem tantis laudibus Aloyſius extollitur , ut Antonio Eremitæ , Alberto Magno, aliiſque Viris ſanctitate , & doctrinâ illuſtribus compararetur, qui in ſupradicta Epiſtola ad Boſſium, poſtquam à Magiſtro Gabriele Birago Ducali Ciruſico accepiſſe aſſerit Librum de Lamiis , ſic proſequitur : „ Ipſum poſteaquam Opus habui , ſi ut „ theſaurum penès me abſconditum , ut in lucem „ prodiret . veritate pollens haud primo , & præ„ cipuo Patri meo obſervandiſſimo , & reverendiſ„ ſimo Domino Bonifacio Simonettæ celavi , Ab„ bati S Stephani , Ordinis Ciſtercii , Decretorum „ eximio Doctori , atque Artium profeſſori , nec„ non omni genere dicendi ornatiſſimo , Medicinæ„ que nec ignaro , ac inſigni Aſtronomo , ſub cu„ jus culmine doctrinæ humilis Doctor ſedeo &c. „ Quinimmo ad comprobandam Auctoris noſtri eruditionem , ſufficit , quod Bonifacius ipſe profitetur ſe ſcripſiſſe Hiſtoriam ſupradictam intuitu Cruceji noſtri , ideoque minimè omittendus erat, pro iis , quæ ſervata ſunt ;

Videlicet :

I. Epiſtola ad Tractatum ſupradictum de Lamiis , quem non tantum edidit , ſed etiam judicium ſuum in materia Maleficiorum ad calcem ſubjunxit ; Epiſtolæ verò titulus hic eſt „ Aloyſius de la Cruce , Caræ„ vallis Monachus , & Decretorum Doctor , pro „ continuatione ſequentium , Franciſco Boſſio, ami„ co ſuo Salutem plur. „ Hanc Clar. Saxius edidit inter alias Epiſtolas poſt Hiſtoriam Typographicam pag. CCCCXCVII.
II. Epiſtolæ aliæ plures ad Bonifacium Simonettam ſcriptæ , ut eruitur à jam ſupra memorata , & ab altera ipſius Simonettæ , quæ eſt num. 44. libri V. in eodem Opere de Perſecutione Chriſtianorum , ad Crucejum noſtrum ſcripta .

## MMCL.

## CUSANUS OCTAVIUS alter .

OCtavius Cuſanus, Clementis J.C. Colleg. & Joſephæ Sillæ conjugum filius , nobili Mediolanenſi familia progenitus, Congregationi Clericorum Regularium de Somaſcha nomen dedit . Præter alia animi ornamenta literaria , Matheſim , ſcientiaſque omnes, quæ Speculativæ nuncupantur, egregiè calluit , & in his poſtremis præcipuè magnam ingenii vim oſtendit ; adeout ab Eminentiſſimo Ferdinando de Abdua in Theologum ſuum eligeretur . Congregationis Procurator generalis in Urbe triennio commoratus, ad ſupremam Suorum Præfecturam anno MDCCIV. in Comitiis Mediolani habitis eſt evectus. Mirum qua diligentiâ Sodalibus conſuluerit ; vivit enim ipſius providentia in Conſtitutionibus ejuſdem, quæ adhuc uſui ſunt in Comitiis , & computis peragendis . Collegium Sanctæ Mariæ Secretæ pluribus auxit cenſibus , atque ædificiis . ibique anno ætatis ſuæ LXXII. Chriſti verò MDCCXXVII magno

Digitized by Google

gno cum eruditorum luctu deſideratus eſt, & communi Sodalium Conditorio tumulatus conquieſcit.

Poſt ſe reliquit

I. Codices MSS. plures de Theologicis præcipuè quæſtionibus, inter quos eminet Tractatus de Actibus humanis. De hujuſmodi Cuſani literariis laboribus hæc dicere ſolebat Auguſtinus Spinola Savonenſis Epiſcopus: *I Manoſcritti del Cuſani meritano ogni lode, ma il Trattato* de Actibus humanis *ſorpaſſa ogni lode*. Servantur apud Suos.

II. Provedimenti per il governo politico, ed economico della Congregazione. Servantur ibidem.

De eo P. D. Jacobus Cevaſchi ejuſdem Congregationis in libro ſuo, cui titulus: „ Somaſca graduata. *Vercelli, preſſo il Panealis*. 1743. in 8.

## MMCLI.

## CUSANUS PANTALEO.

IN Cœnobio Caſoretano floruit prope finem Sæculi XV. Pantaleo Cuſanus Canonicus Lateranenſis, ibique non ſine ingenti labore emendavit, atque edidit Lucidarium, de quo loquitur Clariſſimus Saxius in ſua Hiſtoria Literario-Typographica Mediolanenſi ad annum MCCCCXCIII., cui præfixit Epiſtolam, & ad calcem addidit Epigramma Latinum. Laudandus igitur eſt,

Propter

I. Dialogum, ſive Lucidarium ignoti Auctoris caſtigatum, & editum *Mediolani, per Philippum de Mantegatiis*, 1493. *in fol.*

II. Epiſtola ad Venerabilem Presbyterum Bernardinum Scarlonum, præfixa libro ſupradicto, & data eſt ex Caſoreto, anno MCCCCXCIII.

III. Epigramma ejuſdem, extat ut ſupra.

Videndus Cl. Saxius loco citato.

# D

## MMCLII.

## DARDANONUS SEBASTIANUS.

CEleberrimus Lucas Wadingus in Annalibus Minorum ad annum MCCCCIV. recitat Compendium Vitæ B. Jacobi Oldi Laudenſis Tertii Ordinis S. Franciſci Presbyteri, aſſeritque illud deſumpſiſſe ex integra Vita ejuſdem Beati per Sebaſtianum Dardanonum Mediolanenſem Minoritam, eidem à Confeſſionibus ſcriptam; anno Chriſti MCDXXIII.

Habemus igitur de Scriptore noſtro

I. Vitam Beati Jacobi Oldi Laudenſis.

Ex ſupradicto VVadingo Tom. IX. novæ editionis Romanæ 1734. pag. 235.

## MMCLIII.

## DOSSENA COSMUS.

TOt titulis illuſtris Congregatio Clericorum Regularium D. Pauli duos enumerat Doſſenas, unum nempe Derthonenſem Epiſcopum, ſed Patricium Papienſem; alterum verò, etſi ejuſdem nominis, Coſmum videlicet, Mediolanenſem, ideoque in hac Bibliotheca inſerendum propter ejus eruditionem, & pientiſſimum erga Deiparam affectum, qui in Civitate Parmenſi, libellum typis edidit pro cultu B. V. Mariæ, cujus Imago crebris miraculis fulgens ſervatur in Eccleſia S. Mariæ ad Populum, ejuſdem Congregationis. Dein Patriæ reſtitutus Collegii S. Barnabæ adminiſtrationem Superiorum juſſu ſuſcepit, ſed paulo poſt migravit è vita ſexageſimo ſecundo ſuæ ætatis anno, reparatæ verò Salutis MDCCXXVIII.

Reperiuntur de ipſo

I. Liber Aſceticus pro IX. diebus Veneris celebrandis in honorem B. M. V. *Parmæ*, in 12.

II. Conciones variæ, & nonnulli Sermones pluribus in locis, ac temporibus recitati. MSS.

Ita à Suis.

# E

## MMCLIV.

## Ab ECCLESIA FRANCISCUS.

CIrca annum Chriſti Salvatoris MCCCCXLIX. Ordinem Servorum Beatæ Mariæ plurimùm illuſtravit Franciſcus ab Eccleſia Mediolanenſis; Theologus enim fuit magni nominis, cui ſacræ facultati Oratoriam quoque conjunxit. A Sacris fuit Amadæi I. Allobrogum Ducis, qui aliquandiu Felix V. dictus, ut pax Eccleſiæ redderetur, ſe Pontificatu abdicavit. Ob vitæ probitatem Sabaudis Principibus chariſſimus, oblatas ab eis dignitates conſtanter reſpuit, id unum petens, ut Suorum Cœnobium apud Raconiſium à fundamentis reſtitueretur, quod anno MCCCCLX. à Ludovico Sabaudiæ Principe impetravit. Poſtremus ejus annus à nemine indicatur.

Supereſt illius

I. Oratio luculenta, & elegans in laudem Amedæi I. Sabaudiæ Ducis, & Cardinalis. MS. in præfato Conventu Raconiſii.

Ex Gianio in Annalibus Ordinis Servorum Tom. I. fol. 481., & 515. editionis Lucenſis 1719.



Digitized by Google

# F

A

## MMCLV.

### FERRARIA MARIA.

FŒminis Mediolanenſibus in arte Poëtica celebratis etiam hæc adjicitur ex verbis Clariſs. P Quadrii Societatis Jeſu loco infra citando; Librum verò, ubi leguntur Carmina ejus Italica, non vidimus, nec de ipſa aliquid invenire nobis licuit ad parentes, & annum mortis ipſius de more proferendos. Laudatur igitur,

Ob

B

I. Carmina Italica, quæ reperiuntur in Libro, cui titulus „ Scelta di Rime di diverſi moderni Autori non „ più ſtampate. *In Genova, appreſſo gli Eredi di Gerolamo Bartoli*, 1591. *in* 8. *parte I.*

Ex ſupradicto P Quadrio „ della Storia, e della Ra„ gione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 369.

## MMCLVI.

### FERRARIUS CAROLUS JO. BAPTISTA

CAnonicus Theologus extitit in Baſilica S. Joannis Baptiſtæ Modoëtiæ indèque promotus fuit ad Eccleſiam Parochialem Oppidi Dulciaghi, vulgo *Dolzago*, ad Montes Brianteos, Variſium verſus.

C

Scripſit, atque edidit

I. Le Coadjutorie Curate di S. Maurizio, e S. Michele in Monza, conſiderate in quanto all' Erezione loro, alla ſuſſiſtenza, ed all' obbligo, o autorità de' Coadjutori Titolari: Rifleſſioni fatte dal Canonico Teologo Carlo Gio: Battiſta Ferrari. *Milano, per Gio: Battiſta Ferrario*, 1671. *in* 4.

## MMCLVII.

### FERRARIUS JOANNES AMBROSIUS

D

FIlius Franciſci Ducalis Commiſſarii generalis Munitionum in Statu Mediolanenſi, & Catharinæ Calcaterræ conjugum: claruit Juris utriuſque Doctor, ac Canonicus Eccleſiæ S. Ambroſii Majoris Mediolani, necnon Prothonotarius Apoſtolicus, & Locum-tenens Generalis Officii Regii Ducalis, ac Apoſtolici Œconomatus in tota Mediolanenſi Ditione, ab anno MDLX. ad annum MDLXXX.

Scripſit:

I. De Officio, & Jure Oeconomatus in Ditione Mediolanenſi. MS. in fol. per me inſpectum. Extat apud Amicum, qui nomen ejus mihi hîc proferre omnino prohibuit.

E

II. Epiſtolæ plures ad S. Carolum Borromæum. Extant in ſæpè laudata magna Collectione in Bibliotheca Ambroſiana.

Reliqua ex Schedis Sitonianis.

## MMCLVIII.

### FOSSATUS JOANNES BAPTISTA

MArſilii, & Juniperæ Vicomercatæ conjugum filius, ac Joannis Franciſci, Epiſcopi Derthonenſis, frater; anno MDCIX. ingreſſus eſt Collegium J. PP. hujus Urbis, deinde Canonicus in Regia Ducali Baſilica S. Mariæ Scalenſis efficitur anno MDCXVII., floruitque uſque ad annum MDCLXII.

Habemus de eo

I. Jura, & Privilegia Capituli Regiæ, & Ducalis Baſilicæ S. Mariæ Scalenſis. *Mediolani*, 1621. *ſine Typographi nomine, in fol.*

II. Raccolta di varj Componimenti Latini, ed Italiani fatta da Gio: Battiſta Foſſati nel Dottoramento di Gio: Battiſta Viſconti. *Milano, preſſo il Paganello*, 1608. *in* 4. Al Sig Co. Carlo Borromeo. Ibi, præter Epiſtolam nuncupatoriam, atque Oratiunculam, adſunt plura Carmina Auctoris noſtri, necnon Epigramma Cæſaris Burri in ipſius laudem.

Ex J. C. & Advocato Sitono in Chron. Colleg. J. PP. Mediol. pag. 191. art. 801., & in Syllabo Canonicorum Scalenſium MS. apud eundem.

## MMCLIX.

### FORRERIUS ABBIATUS JOANNES.

JOannes Abbiatus Forrerius, Joannis Jacobi ex ſexaginta Mediolani Decurionibus, & Cæciliæ Pecchiæ nobilium conjugum filius, Alexandri pariter ex LX. Decurionibus, & Octaviani Metropolitanæ Eccleſiæ Mediolanenſis Archipreſbyteri germanus frater, in Collegium nobilium Phyſicorum Mediolani cooptatus eſt die XVI. Junii, anno MDLXXVIII. deinde in Tribunali XII. Proviſionum hujus Urbis ſedit per novem vices ab anno MDLXXXII. ad MDCXXIII. Anno etiam MDCV. die quinta Novembris inter LX. Patriæ Decuriones adlectus eſt in locum præfati Alexandri Decurionis ejus fratris prædefuncti. Deceſſit verò Mediolani menſe Aprilis, anno MDCXXXIV. Jacet in Eccleſia S. Mariæ Carmelitarum P. C Mediol. in Tumulo Majorum ſuorum per eundem ſepulchrali Inſcriptione adaucto, quæ relata fuit in hac Bibliotheca Tom. I. artic. DCCXCVIII. col. 640.

Ex ejus Scriptis ſupereſt tantùm

I. Oratio nomine Illuſtris Collegii Nobilium Phyſicorum Mediolani Equitum, & Comitum habita in gratiarum actionem ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. D. Federicum S. R. E. Cardinalem Borromæum Archiepiſcopum Mediolani anno MDXCVII., quum ipſe Cardinalis præſens in præfato Collegio, Clementis VIII. Pontificis Maximi nomine, Equeſtris dignitatis, ac Sacri Lateranenſis Palatii Apoſtolici Comitum quaſi poſſeſſionem, & inſignia aurea tradidit Abbatibus ejuſce Collegii, & Succeſſoribus perpetuò deferenda. MS. in folio extat in Archivo dicti Collegii, tum penès Clar. Advocatum Sitonum ejuſdem Collegii Chroniſtam.

De eodem meminerunt Paulus Morigia in Hiſt. LX. Decurion. Mediol. cap. XIII., & in Hiſt. Nobilit. Mediol. lib. VI. cap. IX., Advocatus Sitonus in Collectan. de legibus nobilitatis pag. 136. impreſs. an. 1724., & in Chronic. Colleg. Phyſic. Mediol. part. II. artic. 237., ac in Theatro genealogico Sitoniano pag. pr., ambobus MS. in folio penès Auctorem. Mangetus verò, & Curtius nihil.

MMCLX.

## MMCLX.

### FRANCINETUS ROBERTUS.

JOannes Baptiſta Francinetus Mediolanenſis incola ſub Paræcia S. Euphemiæ anno MDLXXVIII., ut ex Tabulis publicis penes Sitonum noſtrum, genuit Robertum, qui ſatis eruditum ſe oſtendit tam ſtrictâ, quàm ſolutâ locutione Latina; cùmque per obitum Joannis Baptiſtæ Raynoldi Præſidis Excellentiſſimi Senatus Mediolani promotus fuiſſet ad eam Senatus Præfecturam Jacobus Ricardus Laudenſis Senator, ac Præſes Magiſtratus Extraordinarii, oblata occaſione, ut infra,

Scripſit, & edidit

I. Roberti Francineti ad Patres Conſcriptos, & Mediolanenſes Cives de præſtantiſſimo Viro Jacobo Ricardo in Ampliſſimi Senatus Principem electo Gratulatio. *Mediolani, apud Pacificum Pontium*, 1588. *in fol.*

II. Roberti Francineti Poëma in laudem Gaſparis Vicecomitis Archiepiſcopi. *Mediolani, apud Impreſſores Archiepiſcopales, in* 4. ſine anno.

## MMCLXI.

### FRASCONUS, ſeu FROSCONUS FERNANDUS.

GEns Froſcona, quæ nunc corruptè dicitur Fraſcona, ex Oppido Variſii originem, & quidem ſatis antiquam trahit, ut videre eſt ex Documentis Sitonianis, & ex lapidibus ſepulchralibus, inter quos adhuc extat unus Jo. Froſconi, & Lucretiæ Orrigonæ conjugum in perenne monumentum illorum pietatis, & munificentiæ erga Canonicos Eccleſiæ Variſienſis, in Templo S. Laurentii ipſius Oppidi, anno MDLXXXVIII. poſitus. Fernandus verò patrem habuit Auguſtinum, & Franciſcam Mazziam matrem, patriamque Variſium, necnon inter Fratres Strictioris Obſervantiæ S. Franciſci vitam piè & doctè traduxit uſque ad annum ætatis ſuæ octuageſimum ſeptimum quo diem clauſit extremum menſe Novembri, anno MDCCXLII. Papiæ in Conventu Sanctæ Crucis. Scripſit atque edidit Librum

Cum hoc titulo

I. Moralis Epitome una cum conſcientiæ morali Anathome. Opus Polemichum, Dogmaticum, Morale, Juridicum, Theologicum Fernandi Fraſconi à Variſio Strictioris Obſervantiæ. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1735. *in* 4.

II. Idem Opus duplo auctum extat MS. apud Suos.
De eodem meminit Clar. Advocatus Sitonus in Monumentis Genealogicis Familiæ Froſconæ elucubratis an. 1718. artic. 105., & 147. MS. in fol. penes Auctorem.

# G

## MMCLXII.

### GALLARATA FRANCISCA CAMILLA.

FRanciſca Camilla Gallarata nobili ſanguine Mediolani progenita in Monaſterio S. Urſulæ ejuſdem Urbis, Minorum Inſtituto addicta, pluribus virtutum ornamentis decorata claruit. Multa divinitus ſibi revelata de Sororum ſuarum virtutibus, jubente Angelo Alciato Mediolanenſis Provinciæ ipſius Ordinis Præfecto, conſcripſit. Ad ultimum vitæ exitum in pietate perdurans, migravit ad Dominum circa finem Sæculi XVI. Venerabilis titulo apud Suos illuſtris.

Scripſit

I. De Clariſſimis Monialibus Cœnobii S. Urſulæ, earumque virtutibus. Ex quo Opere quædam deſcripſit F. Petrus Nicolaus Bonavilla in Notitia Chronologica Provinciæ Mediol. pag. 205. & alibi ſparſim.

## MMCLXIII.

### GALLARATUS ANTONIUS.

PRæter Carmina, quæ de Antonio Gallarato Mediolanenſi profert Cl. P. Quadrius, à nobis centies laudatus, ex libro Joannis Baptiſtæ Manſi, ut infra, alia duo invenimus Poëtæ iſtius in altero ejuſdem Manſi opere, cui titulus: „ Li Paradoſſi. Lector benevolus interim accipiat, quæ damus, nec aliud de Gallarato noſtro expectet, nam fruſtra Parentes ejus, Acta literaria, & annum mortis quæſivimus.

Proferimus itaque

I. Carmina Antonii Gallarati Mediolanenſis. Extant in Libro inſcripto: „ Poeſie Nomiche di Gianbattiſta „ Manſo, Accademico Ozioſo, diviſe in Rime Amo„ roſe, Sacre, e Morali. *In Venezia, preſſo Franceſco Baba*, 1635. *in* 12.

II. Carmina II. Italica, leguntur in libro, cui titulus: „ Li Paradoſſi dell'Amore „. Dialoghi di Gio. Battiſta Manſo. *Milano*, 1608. *in* 4.
Videndus P. Quadrius in Suo Opere „ della Storia, e „ della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 307.

## MMCLXIV.

### GALLUS STEPHANUS FRANCISCUS.

FRanciſcus Ariſta, Parochus Eccleſiæ Caſtelletti ſupra Ticinum, tantum eximiæ probitatis morum nomen ſibi acquiſivit, ut Joſeph Ariſta ejus Nepos Vitam illius ſcripſerit, atque ediderit, ſicuti ſuo loco diximus: Idem egit Stephanus Franciſcus Gallus in Oppido Sumæ ditionis Mediolanenſis natus, qui eandem Eccleſiam Parochialem regebat anno MDCCIII., publici Juris librum tradidit,

Inſcriptum

I. Il Curato in Prattica nella Vita di Franceſco Ariſta Curato di Caſtelletto ſopra Ticino, di Stefano Franceſco Galli da Somma Curato. A Monſignor Viſconti Veſcovo di Novara. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1703. *in* 12.

MMCLXV.

## MMCLXV.

## GANDINUS LUDOVICUS.

IN pluribus Collectionibus, tam pro Laureis donandis, quàm aliis occaſionibus Mediolani & Ticini editis, reperiuntur Carmina Ludovici Gandini Mediolanenſis; nos verò, præter ea, damus quæ vidimus ut infra. Florebat vergente Sæculo XVI. laudatuſque fuit unà cum Jo. Philippo Gherardino à Bernardino Baldino Epigrammate, qui extat in libro „ Luſus „ pag. 55.

Scripſit

I. Carmina Italica. Vide librum: „Relazione della Peſte „ che fu in Milano l'anno MDLXXVI. di Giacomo „ Filippo Betta. *Milano, per il Ponzio*, 1578. *in* 4.

II. Alia item Italica, leguntur in libro: „ Trattato dell' „ Arte della Pittura, Scultura, ed Architettura di „ Gio. Paolo Lomazzo. *Milano, preſſo il Ponzio*, 1584. *in* 4.

## MMCLXVI.

## GARBAGNATUS HIERONYMUS

JUriſconſultus Mediolanenſis, ex Joanne Thoma, & Paula Caſtillionæa Conjugibus natus, claruit ab anno Chriſti MDXXXVI. uſque ad annum MDLXIX., uti eruitur ex Inſcriptione marmorea in Templo S. Ambroſii Majoris hujus Urbis poſita tenoris ſequentis:

IOH. THOMAS GARBAGNATVS
PATRITIVS MEDIOLANENSIS
OCTAVVS FRANCISCI GARBAGNATI DESCENDENS
QVI HENRICO LVCEMBVRGENSI IMPERANTE
LEGIBVS ET ARMIS MAXIME FLORVIT
CVM PAVLA CASTILLIONAEA CONIVGE RELIGIOSA
HIC QVIESCIT
DONEC HVMANVM GENVS OMNE RESVRGAT
VT TVNC AVDITA COELESTI TVBA
EXILIENS ET OBVIAM CHRISTO REDEMPTORI
PER AERA PROCEDENS
CVM BONIS OMNIBVS
COELESTI FELICITATE PERPETVO PERFRVATVR
HIERONYMVS GARBAGNATVS I. C. FILIVS
O. C. A. V. I. P. P. S. Q. E. P. P.
ANNO MDLXIX. DIE XV. KAL. FEBR.

Ejus eruditas Epiſtolas ad ſe miſſas laudat Benedictus Jovius Novocomenſis his verbis: „ Quàm jucundæ fuerint, quantave incredibili penè lætitia „ me affecerint ſuaviſſimæ litteræ tuæ, nec ſcriptis „ nec verbis conſequi poſſum; nam præter elegantiam, & amœniorem ſtylum cum ipſis veteribus „ conferendum, ſingularem præſeferunt humanitatem, Viro undequaque doctiſſimo, & optimis „ moribus inſtituto dignam „. Plures alias ſcripſit Garbagnatus noſter ad Majoragium, ut infra, necnon ad S. Carolum Borromæum, ideoque meritò hìc eſt recenſendus

Ob

I. Epiſtolas ad Benedictum Jovium ſcriptas ut ſupra.
II. Alias ad Marcum Antonium Majoragium, ut eruitur ab iſtius reſponſionibus, & ab una, quæ extat inter illas à Gudio editas.
III. Alias ad S. Carolum Borromæum, quæ leguntur in magna Collectione ſæpè laudata Bibliothecæ Ambroſianæ.

Hieronymum noſtrum celebrant Laurentius Schraderus in Monumentis Italiæ pag. 365., Paulus Morigia in Theſauro pretioſo Mediolanen. cap. 38. pag. 83., & Advocatus Sitonus in Chron. Colleg. J. PP. artic. 19. pag. 27. & Co. Octavius Archintus in ſua magna Inſcriptionum Collectione.

## MMCLXVII.

## GARIBOLDUS STEPHANUS FRANCISCUS.

DOlendum eſt, quòd de hoc Phyſico Mediolanenſi nec tantillum reperire mihi datum ſit, niſi Librum infraſcriptum.

Hoc titulo

I. Simetria del perfetto Eroe. Diſcorſo Fiſico Morale ſopra l'Auguſtiſſima Perſona di Leopoldo Imperatore, aggionta alla Deſcrizione della ſolenne ſua Entrata in Vienna; del Dottor Stefano Franceſco Gariboldi Milaneſe, Collegiato, e del Conſiglio Aulico Imperiale. *Milano, preſſo il Cardi*, 1662. *in* 12.
Nil de ipſo Curtius, & Mangetus.

## MMCLXVIII.

## GARIMBERTUS FEDERICUS.

ECcleſiæ Parochiali Oppidi Tabiagi Plebis Incini in Montibus Brianteis præerat Federicus Garimbertus, dum ſacras Miſſiones ibi atque in vicinis Oppidis optimè peragebant de more PP. Socie-
tatis

Digitized by Google

tatis Jeſu, ideoque non tantùm hiſtoriam mirabilium ad Chriſtum converſionum, quæ hac occaſione evenerunt, ſcribere, ſed alias quoque Miſſiones alibi habitas diligentiſſimè narrare inſtituit, quapropter liber, quem edidit, dignè recenſendus eſt,

Sic inſcriptus

I. Racconto della Miſſione fatta nella Pieve d'Incino dalli PP. Fulvio Fontana, e Mauritio Taſſini della Compagnia di Gesù dal Prete Federigo Garimberti Curato di Tabiago della ſteſſa Pieve, dedicato al Cardinale Giuſeppe Archinto Arciveſcovo di Milano. *Ivi, preſſo l'Agnelli*, 1702. *in* 4.
In Ipſo nonnulla ſunt lectu digna.

### MMCLXIX.

### GIDONUS FULGENTIUS.

INter ſacros Oratores non infimæ notæ ex præclariſſimo Ordine FF. Carmelitarum Nudipedum locum ſibi meruit Fulgentius Gidonus, qui Sæculo relicto, à S. Joſeph appellari voluit, & non tantùm in Patria, ſcilicet Mediolani, pluries ſuæ eloquentiæ teſtimonia dedit, ſed, & Cremonæ, atque Placentiæ, necnon in aliis Italiæ Urbibus, uſque dum ad ſeptuageſimumſecundum ætatis ſuæ annum perveniens, mortem piiſſimè obiit in ſupradicta Urbe Cremonæ, die XXVIII. menſis Septembris anni MDCLXXXV. Dolendum eſt, quòd Scripta ejuſdem è Conventu Cremonenſi aliò tranſlata ſint, uti nos Alumni ſui monuerunt.

Hæc de ipſo dare tantùm poſſumus

I. Panegirico in lode di S. Tereſa detto in Cremona il giorno 15. d'Ottobre in memoria della Liberazione di quella Città dall'Aſſedio dell'Armi di Francia.
II. Orazione Panegirica detta nel monacarſi fra le Carmelitane Scalze di Parma la Sereniſſima Principeſſa Cattarina Farneſe. *Parma, in* 4.
III. Quadrageſimale, e varj Sermoni, e Panegirici. MSS. ſed ubi nunc ſerventur, ignoramus.
Ipſum laudant F. Joachimus à S. Maria in Hiſtoria Conventus S. Imerii Cremonæ, & Picinellus in Athenæo pag. 227.

### MMCLXX.

### GLUSSIANUS NICOLAUS.

ALiis Gluſſianis eruditis Mediolanenſibus, meritò à nobis ſuo loco relatis, addere juvat Nicolaum, etſi ejuſdem acta, Parentes, & diem ultimam ignoremus. Optandum foret, quod ex utilitate Libri Auctoris noſtri aliquando cordi eſſet Civibus ſuis, ut in hac tot titulis celeberrima Urbe Archivum publicum amplius non deſideraretur.

Edidit itaque ſequens Opus

I. Methodus Archivorum, ſive modus eadem texendi, ac diſponendi, Auctore Nicolao Gluſſiano Sacerdote Mediolanenſi. *Mediolani, apud Vigonum*, 1684. *in* 12.

### MMCLXXI.

### GNOCHUS HILARION

MEdiolanenſis Clericus Regularis D. Pauli, confecto ſtudiorum curriculo, Utinum profectus eſt, ubi plurima ſui præſtantiſſimi ingenii ſpecimina dedit. In publico ſuæ Congregationis Gymnaſio, in eadem Civitate ſito, politiores literas magna cum laude profeſſus eſt; in pluribus autem Italiæ Urbibus Orationes panegyricas, non ſine auditorum



A plauſu habuit, quæ tamen perierunt, nam acerba adhuc ætate vivis valedixit Neapoli anno MDCXCIII.

Supereſt de eo tantùm

I. Orazione Panegirica nel Reggimento dell'Eccellentiſſimo Sig. Gabriele Marcello Luogotenente del Friuli. *Udine, per li Schiratti*, 1686. *in* 12.
II. Panegirici varj. MSS. apud Suos Neapoli.
Ab amiciſſimo olim meo P. Pezio ſuo loco laudato, nunc, proh dolor, jam mortuo.

### MMCLXXII.

### B GOANUS PETRUS FRANCISCUS.

NUllum certè inter Mediolanenſes cum hoc Goani cognomine invenimus; ex fide igitur tantùm amiciſſimi, doctiſſimique P. Quadrii locum Petro Franciſco iſti hîc damus,

Ob

I. L'Antigono Tradito, di Pier Franceſco Goano, Milaneſe. *In Milano, nella Stampa Arcbiepiſcopale*, 1621. *in* 8.
Ita P. Quadrius in ſuo Opere inſcripto „ della Storia, „ e della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. IV. pag. 84.

### C MMCLXXIII.

### GRADIGNANUS FRANCISCUS.

QUòd Gradignana Familia Mediolanenſis ſit, ex variis Sepulchralibus Inſcriptionibus in Eccleſiis hujus Urbis exiſtentibus, facilè dignoſcimus, inter quas unam profert Co. Octavius Archintus in ſua inſigni Collectione, quæ extat in Templo S. Thomæ, vulgò in *Terramara*, ab Aloyſio Gradignano pro Ambroſio filio immatura morte erepto, poſita anno MDXII. Franciſcus verò Joannis Baptiſtæ, & Flaminiæ Beſutiæ nobilium conjugum Mediolanenſium filius, claruit inter Phyſicos Mediolanenſes ab anno MDCXXXIX. ad annum MDCLXXI., & unus fuit ex relatis à Bartholomæo
D Curtio, qui cum aliis jam laudatis, & laudandis

Scripſit

I. Diſſertationem de uſu Chinæ Chinæ, inſtante Cardinali Joanne Stephano Dongho.
Ex ſupradicto Clariſs. Curtio de Claris Medicis Mediolanenſibus pag. 115., & Advocato Sitono in Theatro genealogico Sitoniano pag. 243. MS. in folio penès Auctorem.

### MMCLXXIV.

### GRYPHIUS ANTONIUS.

E COdicem MS. Gaſparis Vicecomitis, quem ſervat Archivum S. Barnabæ ejuſdem Congregationis PP., de quo verba fecimus in ipſius Vicecomitis Articulo, habuit quoque præ manibus Clariſs. P. Quadrius Soc. Jeſu, obſervavitque ibi reperiri Carmina Italica Antonii Gryphii Mediolanenſis, ideoque & nos eundem hîc memorare ſtatuimus,

Ob

I. Carmina Italica, in ſupradicto Codice extantia.
Ex prælaudato P. Quadrio in ſuo Opere „ della Storia, „ e della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 211.

MMCLXXV.



Digitized by Google

### MMCLXXV.

### GRYPHIUS DESIDERIUS.

ALiis Viris Doctis gentis Gryphiæ Mediolanenſis addimus etiam Deſiderium, utpote, quia librum ab eo editum initio Seculi tranſacti præ manibus habuit Clariſs. P. Quadrius, ideoque eidem debemus Poëtam iſtum non contemnendum,

En titulus ejus Operis

I. Nuova Ghirlanda di Cingareſche di Deſiderio Griffo (ſunt autem XII.) *In Milano, preſſo Pandolfo Malateſta*, *1619. in* 8.

Ex Opere laudati P. Quadrii „ della Storia, e della „ Ragione d'ogni Poesia „ Tom. III. pag. 285.

# H

### MMCLXXVI.

### Ab HERBA BONAVENTURA.

MIrum eſt, quòd de hoc Viro, etſi inter FF. Minorum, qui Reformati dicuntur, longo tempore degente, nam à ſuis accepi in ſumma ſenectute ipſum è vivis migraſſe viginti circiter ab hinc annis, tam parum, immo veriùs nihil de eo ſervatum ſit, præter ſequentem librum,

Hoc titulo

I. Vita del divoto, e venerabile ſervo di Dio Fra Criſtoforo di Gambolato Laico Riformato della Provincia di Milano, deſcritta dal P Bonaventura d'Erba della medeſima Provincia, dedicata al merito dell' Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Sig. D. Giorgio Crivelli, Protonotaro Apoſtolico, Abate di S. Maria Eliſabetta, di Magenta: Feudatario ec. *Piacenza, nella Stampa Veſcovile del Zambelli*, *1699*.

# I

### MMCLXXVII.

### JACOMETTUS CAROLUS

IN Oppido Vicemeniæ, vulgò *Omegna*, Diœceſis Novarienſis, ditionis verò Mediolanenſis, natus, in Seminario prædictæ Urbis literis edoctus floruit tempore, quo Antonius Torniellus ad Sedem Epiſcopalem aſcenderat, ideoque in ejus laudem librum ſequentem compoſuit, atque edidit

I. Poema, Anagrammata, Epigrammata. *Varallo*, 1638. *in* 4.

Ex Muſæo Novarienſi Lazari Auguſtini Cottæ pag. 95.

# L

### MMCLXXVIII.

### LAMPUGNANUS CAROLUS.

IN lucem venit, Alphonſo, & Catharina Caſtilionæa Parentibus, atque inter Juriſconſultos & Advocatos Mediolanenſes recenſetur ab anno MDCXXIX. uſque ad MDCLXXII., qui ultimus ei fuit. Scripſit, præter doctos plures Allegationes juridicas, Quæſita IV., quæ ſequuntur, contra Franciſcum Tinellum Chirurgiæ Profeſſorem, quibus reſpondit Joannes Baptiſta Carcanus, ut diximus in iſtius Articulo num. CCCCXXXI. pag 302.

Sunt autem ſequentia

I. An poſſit ſequi inciſio arteriæ in brachio loco venæ baſilicæ, ſeu hepaticæ abſque culpa Chirurgi.

II. An poſſit cognoſci, poſtquam ſuppreſſus eſt ſanguis, ſi pars arteriæ ſit ſecta.

III. An ſecuta tali inciſione, & ſanguine ſuppreſſo, poſſit ex curſu menſium dari debilitatio talis in brachio, ut inabile reddatur ad munus ſuum.

IV. An, ex eo quod Chirurgus in ſecanda vena non adhibuerit lumen, poſſit dici in culpa.

V. Allegationes plures Juridicæ tam editæ, quàm MSS., & inter eas: „ Defenſio pro Marchione Franciſco Maria Lucino „ impreſs. Mediol. in fol. pagg. 44., extat penes Advocatum Sitonum.

De præfato Carolo Lampugnano J. C. & Advocato meminere Comes Bartholomæus Areſius J. C. Coll. in juris Allegationibus an. MDCXXXV. die XI. Aprilis, impreſs. in fol. penes Advocatum Sitonum. Franciſcus Nobilis in Stemmate genealogico Familiæ Lampugnanæ pag 33., & Curtius in Libro de Claris Medicis Mediolanenſibus pag. 244.

### MMCLXXIX.

### LAMPUGNANUS GASPAR.

QUòd Gaſpar Lampugnanus Clericalem militiam amplexus fuerit, ſatis apertè eruitur à Cl. Saxio in ſua Hiſt. Litterario-Typographica pag. DXLII., ubi etiam innuit, eundem Sacerdotio addictum admodum de Studiis noſtris benemeritum fuiſſe, multumque laboris & auri impendiſſe ut typis mandarentur in Urbe noſtra anno MCDLXXXIV. Epiſtolarium Marii Philelphi & S. Auguſtini Sermones, uti etiam anno MCDXC. Bartholi Lectura cum Additamentis Alexandri Imolenſis, de qua inferiùs ſermo erit. Pauca hæc ſuperſunt de ipſo, ſed poſt fermè tria Sæcula tranſacta ſatis eſt ejus memoriam literariam ſervari ob editionem libri infraſcripti,

Cujus eſt titulus

I. Svetonius Tranquillus de præclaris Geſtis Romanorum, ſine loco, Typographo, & anno, in 4. Ibi legitur Epiſtola nuncupatoria Lampugnani noſtri ad Bo-

Digitized by Google

Boninum Mombritium à nobis pluries laudatum.

II. Lectura Domini Bartoli de Saxo-ferrato, una cum apoſtillis, ſeu additionibus D. Alexandri Imol., ſuis locis collocatis, ſtudio & induſtria conſummatiſs. Juriſperit. D. Presbyteri Gaſparis Lampugnani. *Impreſſa Mediolani, per Magiſtrum Conradum Pachel, anno MCDXC. die XXIII. Martii.*

Vide Saxium ut ſupra pag. DXLII., & DLXXXVI.

## MMCLXXX.

## LANDRIANUS JOANNES BAPTISTA.

FRanciſcum J. C. C. & Victoriam de Lazaris Parentes ſortitus, à Conſultationibus S. Officii fuit, & patriæ Proprætor, cooptatus & ipſe in Collegium J. PP. hujus Urbis anno MDCXXXIII., obiitque poſt annos XL. Præter Legum peritiem, Carminibus quoque Latinis non mediocriter excelluit, ut videre licet in libro infra recenſendo.

Scripſit igitur

I. In virtutum honorem Joannis Baptiſtæ Trotti Senatus Præſidis Idylium. *Mediolani, apud Pontium, ſine anno, in 4.*

II. Conſilia Juridica, quæ laudantur à Franciſco Redenaſco in Conſilio 26. pag. 119.

III. Allegationes plures in Collectionibus Archintea, Solivetana, Areſiana &c.

Videndus eſt Sitonus in Chron. Coll. J. PP. Mediol. pag. 210. art. 902., & art. 756. pag. 184.

## MMCLXXXI.

## LANDUS JOSEPH

PAtrem habuit Philippum, ex Marco Antonio & Blanca Catharina Fontana, Nobilibus Mediolanenſibus genitum, Joſeph Landus, cujus in præſens agimus. Fratrem ſortitus eſt Horatium Hiſtoriographum, à nobis in hac Bibliotheca laudatum pag. 780. Juriſprudentiæ ſtudio non indiligentem navavit operam, Muſarum tamen amicus, quapropter inter Poëtas infeliciſſimi Sæculi XVII. adnumerandus eſt. Si tamen in Italico metro vitia ætatis damnanda occurrunt; Latinis verſibus meliorem ſibi famam comparavit. Dum Alexandrinæ Civitatis Præturam triennio miniſtraſſet, anno MDCXXX. ibi deceſſit, ſuperſtite ejus uxore Aloyſia de Ramirez.

Ipſum apud poſteros commendant Opera, quæ ſequuntur

I. Muſarum ſertum, quod Illuſtriſſimis Abbatibus DD. Gregorio & Joanni Baptiſtæ Sfondratis fratribus Laureatis Joſeph Landus Civis Mediolanenſis Sfondratæ Familiæ obſervantiſſimus intexuit, & Excellentiſſimo Marchioni Franciſco Laureatorum Patri DD. *Papiæ, apud Jacobum Ardizzonum 1618. in 4.*

In eodem ſunt Carmina ipſius Landi tam Latina, quàm Italica præter Epiſtolam nuncupatoriam &c.

II. Carmina Latina, atque Italica extant in pluribus Collectionibus Ticinenſibus, & ſignanter in illa pro Laurea Ludovici Meltii. *Papiæ, 1617. in 4.*

Ipſum laudavit Epigrammate Auguſtinus Terzagus in Opere primo loco indicato, Hieronymus Ghilinus in Annal. Alexandriæ pag. 211. & ſeqq., & Advocatus Sitonus in ſuo Theatro Genealogico pag. 259. MS. penes Auctorem.

## MMCLXXXII.

## de LAVELLO ANGELUS.

LAvellam familiam inter Nobiles Mediolanenſes refert J. C. C. Raphaël Fanianus in Comment. MS. ſub littera L. Etiam Poëtam hunc ex eadem Gente progenitum, debemus ſæpe laudato P. Quadrio Soc. Jeſu, nam cùm diligentiſſimè ipſe ſcrutatus eſſet MS. Gaſparis Vicecomitis apud PP. S. Barnabæ hujus Urbis ſervatum, & de quo jam egimus in Articulo ejuſdem Vicecomitis, Carmina Italica invênit Auctoris noſtri, & celebravit; ideoque nos etiam eundem minimè rejiciendum duximus

Propter

I. Carmina Italica, quæ extant ad calcem Codicis MS., cui titulus: „ Rime del Magnifico Meſſer Gaſpar „ Viſconte „ ut ſupra.

Ex prælaudato P. Quadrio, in Libro „ della Storia e „ della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 212.

## MMCLXXXIII.

## LOMATIUS JOANNES JACOBUS.

NIl aliud proferre mihi datum eſt de Lomatio iſto, præterquamquod ſeipſum Mediolanenſem vocat in fronte ſuorum Carminum,

Quæ ſunt

I. Joannis Jacobi Lomatii Mediolanenſis Carmen de Sacratiſſimo Redemptoris Clavo. Extat inter Carmina Maphæi Vegii Laudenſis, edita *Mediolani, per Magiſtrum Jo. de Caſtillione, 1521. 11. Octobris in 4.*

II. De Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis Ode. *Mediolani, apud Impreſſores Archiepiſcopales, 1525. in 4.*

## MMCLXXXIV.

## LONGUS MARTINUS.

DUm in hac mea Bibliotheca verba feci de Honorio Longo, Filium ejus Martinum quoque memoriæ poſterorum tradidi, ex Picinello, qui in ſuo Athenæo pag. 377. Carminum ſuorum partem primam indicavit, Neapoli editam anno MDCXL. Sed cùm librum iſtum minimè præ manibus habuiſſem, atque Auctor Romæ natalem ſortitus eſſet lucem, ſuborta quadam dubietate, eundem dimiſi. Non ita accidit diligentiſſimo P. Quadrio Soc. Jeſu, qui in ſuo Opere, centies à nobis relato, nam ſic de Poëta noſtro, non admodum eleganti loquitur: „ Nacque egli di Onorio, che fu di Vigiù, Terra del Milaneſe, fu Satirico al ſommo, e maledico, in particolare contra i Profeſſori di Architettura, ch'era ſua Arte. Fu litigioſo anche per modo, che per leggeriſſime cagioni poneva mano alla ſpada, del maneggio della quale peritiſſimo eſſendo, ſi faceva però contra ognuno confidente, ed ardito. Ma quanto fu valoroſo in Architettura, ed in Iſcherma, altretanto fu infelice Poeta; poiche non pure ſeguì la Scuola de' Mariniſti, ma colle ſtravagantiſſime iperboli, e fraſi volle loro paſſare avanti „. Scripſit igitur librum

Hujus tituli

I. Poeſie di Martino Longo „ Parte prima „. *In Roma 1639., & iterum in Napoli 1641. in 8.*

Ex Cl. P. Quadrio „ della Storia, e della Ragione „ d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 310.

MMCLXXXV.

Digitized by Google

# M

A

### MMCLXXXV.

### MACINAGUS ANTONIUS MARIA.

ALumnus primùm in Seminario hujus Metropolis, poſtea Canonicus Variſienſis, deinde Eccleſiæ Majoris ipſius Oppidi Præpoſitus vivebat adhuc anno MDCXC. Hæc tantùm mihi licuit reperire de hoc Viro à pluribus laudato ob varias Panegyres, & Orationes Mediolani, Variſii, & alibi, non ſine plauſu habitas; infraſcriptas verò ſolummodo videre mihi datum eſt,

Videlicet

B

I. Glaciei, ſive Frigidæ potionis laudes, Academica Proluſio Antonii Mariæ Macinagi Rhetoricæ ſtudioſi in Seminario Mediolani. *Ibid. apud Franciſcum Vigonum*, 1678. *in* 4.

II. Orazione per S. Carlo recitata in Milano nell' Ottava Solenne nella Metropolitana. *Ivi, per il Majetta*, 1679. *in* 4.

Familiam Maſnagam, ſive Macinagam, inter Nobiles Mediolanenſes refert J. C. C. Raphaël Fagnanus in Commentar. MS. ſub littera M.

### MMCLXXXVI.

### de MAGISTRIS JOANNES.

AD Auctores minoris Notæ referre olim ſtatuimus Joannem hunc de Magiſtris, uſque dum majora, quàm à Picinello relata, nobis invenire datum fuiſſet, ſed hactenus ea fruſtra quæſivimus, ideoque tantùm à Picinello didicimus, eumdem inter Academicos Affidatos nuncupatum fuiſſe *l'Invigorito*. Scripſit atque Typis commiſit librum hunc

C

Nempe

I. Deſcrizione dell' Apparato, fatto nel Borgo di Caſtano per ricevere le Sante Reliquie ottenute da Roma, e da Colonia. *Milano, preſſo il Como*, 1610. *in* 4.

II. Inſcriptiones, Elogia, & Carmina, tam Latina, quàm Italica, extant in ſupradicto libro.

Ex Picinelli Athenæo pag. 306.

### MMCLXXXVII.

### MAGNAGUS AMBROSIUS.

SAncti Caroli Borromæi Vitam à doctiſſimo Cardinali Auguſtino Valerio, Veronæ Epiſcopo Latinè ſcriptam, in Italicum Sermonem vertit Ambroſius Magnagus Mediolanenſis Sacerdos, necnon Sacræ Theologiæ Doctor, ideoque à Picinello in Suo Athenæo locum obtinuit; nos verò minimè expungendum duximus.

En Libri titulus

I. Vita di S. Carlo, ſcritta dal Cardinale Agoſtino Valerio Veſcovo di Verona in lingua Latina, e tradotta nella Volgare da Ambrogio Magnago. *Milano, per gl'Eredi Tini*, 1587. *in* 8.

Ex Athenæo Mediolanenſi Philippi Picinelli ſupradicti pag. 23.

### MMCLXXXVIII.

### MAGNUS ANDREAS.

VEtuſtatis gratiâ hunc Poëtam Mediolanenſem proferimus, etſi pauca de eo viderimus locis infra recenſendis: plura forſan aliis Collectoribus invenire datum erit.

Hæc de eo legimus, ſcilicet

I. Poëma Latinum. Extat inter Carmina Jo. Biffii impreſſa *Mediolani, apud Zarotum*, 1493. *in* 4.

II. Carmina alia, quæ reperiuntur inter Poëmata ejuſdem Biffii, Mediolani excuſa anno, 1512. in 4.

### MMCLXXXIX.

### MANRIQUIUS ANDREAS.

EXimiæ P. Quadrii Soc. Jeſu diligentiæ, hæc mea Bibliotheca debet & iſtum Vatem Mediolanenſem, ſcilicet Andream Manriquium. Gens iſta ex Hiſpania veniens in hac Urbe ſedem ſuam fixit, uti teſtantur Inſcriptiones variæ ſepulchrales, à Co. Octavio Archinto in ſua ampliſſima Collectione tranſcriptæ. Hujus autem Poëtæ parentes fuere Comites Georgius & Juſtina Borromæa Nobiles Mediol. Conjuges, & in hac Urbe natus eſt anno Chriſti MDLXX. obiitque anno MDCXIIX. Jacet in Eccleſia S. Mariæ Pacis cum hac ſepulchrali Inſcriptione:

ANDREAE MANRIQVIO MENDOTIO GEORGII FILIO
MARCHIONI DECII COMITI SEPTIMI
ABBIATEN. ARCIS ET TVRMAE EQVITVM CATAPHRACTORVM
PRAEFECTO
PHILIPPI III. HISPANIAR. INDIAR.
NOVIQVE ORBIS MONARCHAE
CONSILIARIO INTIMO
MARGARITA BECCARIA CAROLI FILIA
CONIVGI INCOMPARABILI
VIXIT ANN. XLVIII.
DECESSIT EIDIBVS MAII MDCXVIII.
GEORGII MANR. MEND. PATRIS
PRAETER SS. DIGNITATES FILIO DIMISSAS
REI FRVMENTARIAE IN GALLIA CISALPINA PRAFECTI
OSSA HIC SITA SVNT.

Eum

Digitized by Google

Eum damus propter

I. Carmina Italica, quæ leguntur in Libro, cui titulus: „ Le Muſe Toſcane di diverſi nobiliſſimi Ingegni „ del Signor Gherardo Borgogni, di nuovo poſte „ in luce „. *Bergomo, per Comino Ventura*, 1594. *in* 8. p. 11.
Ex ſupradicto Cl. P. Quadrio in ejus Opere „ della „ Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 369. Ex Paulo Morigia in Hiſtor. Nobilit. Mediol. lib. 3. cap. 34. ubi præfatum Comitem Andream Manriquium recenſet inter primos Academicos in Academia Mediolanenſi Mutii Sfortiæ Columnæ Marchionis Caravagii anno 1594. die 10. Junii erecta, & ex Advocato Sitono in Theatro genealogico pag. 279. MS. in folio penes Auctorem, necnon in Chronic. Colleg. J. PP. Mediol. artic. 1129.

## MMCXC.

## MARGARITONUS NICOLAUS.

IN libro ſubter recenſendo Auctor ſe ipſum Mediolanenſem patefacit. Nil amplius à me de eodem Lector expectet, nam fruſtra omnem lapidem movi.

Vidi igitur tantùm

I. Anfiteatro d'Eroi di Caſa Cibo. Poema Eroico. *Milano nella Stampa Arciveſcovile*, 1664. *in* 4.

## MMCXCI.

## MARLIANUS ALOYSIUS alter.

JUris-Conſultus & Comes, Caroli, Regii Feudatarii inſignis Oppidi Buſti Arſicii, necnon Antoniæ Puſterulæ nobilium conjugum filius, fratrem habuit Petrum Antonium ex LX. Decurionibus ac Judicem Vicarium Civitatis Mediolani anno MDCLXXVIII.

Scripſit, & edidit

I. Conſultationes plures Juridicas & eruditiſſimas, inter quas eminet illa „ de Jure accreſcendi in feudis „ *impreſſ. Mediolani*, *anno* 1662. *in fol.*, extat penes Advocatum Sitonum.

## MMCXCII.

## MARLIANUS PETRUS FRANCISCUS.

QUòd Petrus Franciſcus Marlianus Mediolanenſis in Rebus hiſtoricis & Philologicis valde excelleret, conſtat ex ejus literis ad Ericium Puteanum ſcriptis, necnon ab ipſius reſponſionibus, & præcipuè ex Epiſtola, quæ data eſt menſe Junio anni MDCIII. Nihil aliud autem de eo ſcire mihi datum eſt, præterquamquod

Scripſerit

I. Epiſtolas plures ad Ericium Puteanum, ſicuti cognoſcitur à ſupradicta iſtius Epiſtola, quæ eſt in Centuria III. pag. 23., ubi de Hiſtoria, atque Philologia eruditè cum Marliano noſtro agit, & ſic exorditur: „Eleganter ſanè, & amicè ad me ſcribis „ &c.

## MMCXCIII.

## MAZZA JOANNES DOMINICUS

INter Mediolanenſes Familias recenſetur & illa de Mazza, hactenus perdurans, ex qua claruit Hieronymus, Franciſci & Camillæ Gryphonæ conjugum filius, Canonicus Ordinarius in Eccleſia Metropolitana Mediolani ab anno MDXC. ad annum MDCII., qui fuit illi extremus. Ex eadem gente ortus eſt Jo. Dominicus noſter, de quo nihil aliud mihi innotuit, niſi quòd typis dedit librum,

Cui titulus

I. Gli Ozj dell'Eſtate, overo gli Amori caſti di Cinzia; diſeſi, e deſcritti da Giandomenico Mazza Milaneſe. *Venezia, per Giangiacomo Hertz*, 1657. *in* 12.
Videndæ ſunt ſchedæ Sitonianæ de hac gente agentes.

## MMCXCIV.

## MAZZUCHELLUS JACOBUS.

FAmiliam Mazzuchellam inter antiquas, & quidem nobiles, hujus Metropolis recenſet J. C. C. Raphaël Fagnanus in Commentario ſuo Familiar. Mediolanenſium jam à nobis ſuo loco relato, ac in hujus teſtimonium ſatis erit proferre Jacobum hunc, qui inter Decuriones florebat anno reparatæ noſtræ ſalutis MCCXLIX. & unus fuit ex Statutorum Mediolanenſium Conditoribus anno ſupradicto, ideoque cum aliis, quos laudavimus, hunc libenter accipiant Lectores mei

Ob

I. Statuta ab eodem edita, teſte Bernardino Corio ad annum ſupra relatum.

## MMCXCV.

## MAZZUCHELLUS JO. PAULUS alter.

SAcræ Theologiæ Doctor, Prothonotarius Apoſtolicus, & Parochus Eccleſiæ Metropolitanæ Mediol. Obiit die III. menſis Octobris, anni MDCLXXIX. atque Italicâ linguâ.

Edidit

I. Vita di S. Giovanni Bono Arciveſcovo di Milano. *Ivi, preſſo Filippo Ghiſolfi*, 1642. *in* 8.
Ex ſchedis P. Mazzuchelli & Sitonianis ſæpè laudatis. Vidi hujus Libri Exemplar. in Bibl. Ambr.

## MMCXCVI.

## MEDA BARTHOLOMÆUS.

GEns Meda jam Mediolani florebat tempore libertatis, ſcilicet Sæculo XV. nam inter Deputatos ad conficiendum Theſaurum S. Ambroſii anno MCCCCXLVII. & ad taxandos quoſcumque Cives, numerabatur Joannes Meda. Hìc ergo ex eadem Familia vetuſtatis gratiâ damus Bartholomæum, Poëtam Sæculi XVI. ut eruitur

Ex

I. Carminibus Latinis, quæ leguntur inter illa Jo. Biffii. *Mediolani impreſſa anno* 1512. *in* 4.

MMCXCVII.



Digitized by Google

A

## MMCXCVII.

## MEDIOBARBUS ANTONIUS.

MEdiolani quoque floruit Familia Mediobarba, quæ nunc Papiæ inter Patricias enumeratur. Antonius, de quo agimus, patrem habuit Joannem Dominicum J. C., Ducalemque Senatorem hujus Metropolis anno MDII., & alterum Senatorem genuit, ideſt Poliſtonium, qui claruit anno MDLXXIII. Poëta noſter pluribus annis moram traxit Venetiis, ideoque Sanſovinus ipſum inter Scriptores Venetos, licèt minùs verè, enumeravit. Dignus erat ut inter Auctores primæ Claſſis locum haberet, ſed nimis ſerò eum cognovi à Libro P. Quadrii, ut infra. In lucem igitur edidit Carmina Italica

B

Hoc titulo

I. Rime di M. Antonio Mezzabarba. *In Vinegia, per Franceſco Marcolini da Forlì*, 1536. *in* 4.
Ex Cl. P. Quadrio Soc. Jeſu in Libro „ della Storia, „ e della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 230., reliqua ex Theatro genealogico Sitoniano pag. 302. MS. in fol. penes Auctorem.

C

## MMCXCVIII.

## MELTIUS LUDOVICUS alter.

JUris-Conſultus Coll., Comes Burgi Mazentæ, Aloyſio Senatore, & Iſabella Brippia Parentibus, claruit anno MDCXVIII. atque obiit MDCXLIX.

Extat ejuſdem

I. Ob ingreſſum J. CC. Jacobi, Hieronymi, & Raphaëlis Fanianorum Fratrum, Ludovici Meltii Oratio. *Mediolani apud Columnium*, 1624. *in* 4.
In Encomiaſtico Hieronymi Boſſii Ticinenſis pag. 10. extat Epigramma ad Ludovicum Meltium, quod patre Aloyſio Senatore natus, patruum, & fratrem Equites habeat, & Juriſconſultus renuntietur.
De eo plura vide apud Advoc. Sitonum in Chron. Coll. J. PP. artic. 842.

D

## MMCIC.

## MENABENUS BASILIUS.

EX Cl. Curtio jam dedimus Apollonium Menabenum Medicum Mediolanenſem non ſecundi nominis: profert quoque idem Curtius Carmen Latinum Bartholomæi in laudem Apollonii ſupradicti ejus fratris; eadem ætate florebat etiam Baſilius, cujus Orationem ſequentem ſatis elegantem in evolvendis MSS. Bibliothecæ Ambroſianæ reperi

E

Hoc titulo

I. Baſilii Menabeni Epiſtola (ſeu Oratio) gratulatoria ad Balthaſſarem Sallazarium, Mediolani Regium Senatorem, pro Legatione ab eo egregiè geſta, cùm nomine totius Senatus Romam profectus eſt, ut Gregorio XIV. de accepto Summi Pontificatus honore gratularetur. Data Mediolani anno MDXCII. XVII. Calendas Aprilis.
Extat in Cod. MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. P. 122. in fol.

## MMCC.

## MENDRISIUS ANDREAS.

INſalutatum reliqueramus Andream Mendriſium Mediolanenſem, niſi ad nos tandem perveniſſent Annales Ordinis Servorum ab Archangelo Gianio conſcripti, noviterque anno MDCCXIX & MDCCXXV. Lucæ apud Mareſcandolos recuſi. Ex his novimus Andream hunc, cujus cognomen Gianius in Mandriſium vertit, præfatum Ordinem amplexum publicè in Ticinenſi Archigymnaſio Philoſophiam in juventute profeſſum fuiſſe, ejuſque doctrinam admirationi Galeatio Vicecomiti Mediolani Duci adeo extitiſſe, ut ipſum à ſacris, & à conſiliis ſibi conſtituerit. Oratoria facultate eundem excelluiſſe addit citatus Scriptor, Ducemque memoratum in Metropolitana Eccleſia Divinas Scripturas è ſuggeſtu interpretantem magna cum voluptate ſæpius audiviſſe. Aſſerit poſtremò, pluries Mendriſium ejuſdem Ducis nomine ad varios Principes Legationes obiiſſe. Tum tempus, quo florebat, indicans, aſſignat annum MDXLIX. Id quantùm cum Chronologia pugnet, ſupervacaneum ducimus Lectores monere, nam ſi Andreas noſter ſub Galeacio Maria Sfortia Vicecomite floruit, qui jam anno MCCCCLXXVI. vivere deſierat, ſive ſub ejus filio Joanne Galeacio, anno MCCCCXCIV. defuncto, fieri non potuit, ut ad annum MDXLIX pervenerit, niſi ætate Sæculum fermè ſuperaſſet. Hæc componant Sui, nos enim Opera ipſius indicantes ad alia properamus.

Scripſit Mendriſius

I. Commentaria in Pſalmos: Qui habitat: Miſerere mei Deus: & Miſericordias Domini in æternum cantabo.
II. Alia in Symbolum Apoſtolorum.
III. Tractatum de Fide Orthodoxa. Hæc omnia in Æde Majori magnâ populi frequentiâ ad Ducis votum à Mendriſio explicata, edita fuiſſe ait Gianius, nos ea nullibi impreſſa hactenus reperimus.
Ex citato Gianio Tomo II. fol. 148.

## MMCCI.

## de MIXIGIA GUTETUS.

DUm in Gutetum hunc de Mixigia incidi, anceps fui an allucinati fuiſſent infraſcripti aliàs Clariſſimi Viri Joannes Albertus Fabricius, & Simon Fridericus Hahnius, cùm ſcripſiſſent pro Noxigia Mixigiam Porro inter Familias Mediolanenſes floruerunt plures ab anno MCCLXXII. uſque ad MDLX. de gente Noxigia, atque recenſentur etiam inter Decuriones Conſilii generalis hujus Urbis, ut videre eſt apud Raphaëlem Fagnanum, & J. C. Advocatum Sitonum. Omnem verò dubitationem abſtulit Bernardinus Corius, qui in ſua Hiſtoria Mediolanenſi ad annum MCCLXV. memorat Bozium de Miſigia (forſan de Mixigia) Notarium Cameræ Civitatis Mediolani, uti etiam Monumentum citatum ab amiciſſimo atque eruditiſſimo Canonico Jo. Andrea Irico in ſua Hiſtoria Tridinenſi Lib. I. pag. 98. ſignatum per Pancirolum de Mexigia, qui erat Notarius Curiæ Archiepiſcopalis Mediolanenſis anno MCCLXXXVIII. ſub Ottone Vicecomite Archiepiſcopo & Principe. Gutetus igitur noſter annectendus eſt Scriptoribus hujus meæ Bibliothecæ, floruitque circa annum Domini MCCLVII. & tam proſâ, quàm verſu pro illius ætatis conditione ſatis enituiſſe videtur. Socios habuit Adhobatum, & Matthæum, quorum cognomina reticet, cum quibus Alphonſo Sapienti Legionis & Ca-

Digitized by Google

Caſtellæ Regi electionem ad Romanum Imperium tam ſolutâ, quàm adſtrictâ numeris Oratione gratulatus eſt. Quo extinctus fuerit anno, incompertum habemus.

Scripſit cum jam laudatis Sociis

I. Epigrammata IV. quorum primum hoc prænotatur titulo: „ Verſus comminatorii Imperatoris Al- „ phonſi ad Ducem Cornubiæ Richardum.
II. Epiſtolam ad præfatum Alphonſum, qua ipſi congaudet de electione prædicta, in qua meminit
III. Carminum ſuorum IX. quæ tamen perierunt, ut conjicimus. Hæc ſimul edidit Simon Fridericus Hahnius in Collectione Monumentorum veterum, & recentium ineditorum Tom. I. pagg. 394. & ſeqq. *Brunſvigæ, apud Meyerum*, 1724. *in* 8.
De eo Fabricius citatus Tomo III. pag. 523. laudatæ Bibliothecæ latinæ Medii Ævi.

## MMCCII.

## A MODOETIA JOANNES.

AN ſit Joannes iſte Regularibus adſcribendus, quorum inſtitutum eſt cognomen rejicere, & tantum à patria appellari, prorſus ignoro, nec lucem aliquam recipere mihi licuit ex ejuſdem literis, quas perattentè legi in Codice Ambroſiano infra recenſendo.

ſunt igitur

I. Literæ ad Joannem Petram-Sanctam, in quibus meminit Conſolatoriæ à ſe miſſæ, de quibus expectat judicium, quod plurimi ſe facere ait.
Extant in MS. Ambroſiano ſign. H. num. 49. in 4.

## MMCCII.

## A MODOETIA MAXIMUS.

IN Modoëtienſi Oppido, unde non paucos eruditos prodiiſſe, facilè agnoſcet Lector ex hac noſtra Collectione, primam hauſit lucem Maximus, qui pro conſuetudine Ordinis Minorum Obſervantium, quem mox lapſo Sæculo profitebatur, Familiæ cognomine depoſito, à patria nuncupatus fuit. Hic, petentibus piis quibuſdam Mulieribus, Sancti Franciſci Regulam ſervantibus, quæ Tertii Ordinis appellatur, quarumque cœtus religioſiſſimus convenire ſolet ad devotionis munera exercenda in Templo Sanctæ Mariæ Pacis in hac Urbe ſito, ſequens conſcripſit, atque vulgavit Opus, in quo pietatem ſuam erga Deiparæ Virginis Sanctiſſimam Genitricem ſatis ſuperque demonſtrat. Reliqua ad Auctorem pertinentia vano prorſus labore quæſivimus.

Opus illud ſic inſcribitur

I. Glorie di S. Anna Madre della gran Madre d'Iddio, e pratica d'alcune Divotioni da farſi in ſuo honore, ricavate da graviſſimi Autori da Fra Maſſimo da Monza Min. Oſſerv. di S. Franceſco della Provincia di Milano, ad inſtanza delle Sorelle del Terz' Ordine di S. Franceſco nel Convento di N. Signora della Pace di Milano. *Ivi, preſſo Lodovico Monza*, 1671. *in* 12.

## MMCCIII.

## MONDELLUS LUDOVICUS.

FAmiliam Mondellam inter antiquas & nobiles Mediolanenſes refert J. C. C. Raphaël Fagnanus in ſuis Commentariis; ex ea claruit Johannolus Mondellus Theſaurarius generalis ſub Joanne Vicecomite Archiepiſcopo, & Principe Mediolani aliarumque Civitatum Domino, anno MCCCLIII., de quo Petrus Azarius in Chronic. Lombardiæ cap. XI. & Bernardin. Corius Hiſt. Mediol. ad ſupradictum annum. In Catalogo autem, & Necrologio Benefactorum Eccleſiæ, & Conventus Patrum Conventualium S. Franciſci P. V. Mediolani MS. in fol. penes doctiſs. Sitonum noſtrum de Familia Mondella ſic legitur: „ MCCCXCV. die IV. Auguſti obiit „ Dominus Joannes Mondella, qui cum fratre ſuo „ Domino Galeaz fecit fieri Cappellam Spiritus „ Sancti in Conventu Fratrum S. Franciſci cum „ tota Infirmaria inferiori, quam adornavit, in „ quibus expenderunt ultra tria millia Florenorum. „ Hæc Cappella in anno Domini MCCCLXXXII. „ jam erat ædificata, quia in illa fuit ſepulta Do- „ mina Catharina de Terzago uxor præfati Domini „ Joannis, dicti Johannoli „. Extat adhuc in medio pavimenti præfatæ Cappellæ Spiritus Sancti in Clauſtro Noſocomii dicti Conventus S. Franciſci ſequens ex marmore, literiſque Gothicis, Mondellorum ſepulchralis Inſcriptio vetuſtiſſima:

. . . . . . . . . . . . . . . .

DOMINORVM IOHANNIS ET GALEAZII
FRATRVM DE MONDELLIS
ET VXORVM SVARVM
CONSTRVXERVNT HANC CAPPELLAM
CVM OMNIBVS CAMERIS
ET INGIOSTRA TOTIVS INFIRMARIAE.

Inter alios Viros doctos Ordinis Minorum S. Franciſci, Cl. Wadingo & Continuatoribus ejuſdem ignotos, recenſere nunc juvat Ludovicum Mondellum ex indicata Stirpe progenitum, Doctorem Theologum, non tantùm ob Epiſtolam Latinam infra recenſendam, ſed etiam ob laudes eidem collatas ab Octaviano Ubaldino in iſtius reſponſione ad Ludovicum, ubi Virum literis & negotiis præſtantem vocat, utpote in iſtis à magnis Principibus adhibitum, necnon propter alteram Epiſtolam Marii Philelphi ad ipſum Mondellum; ex hac enim quanta Marii exiſtimatio de eodem fuiſſet, ſatis agnoſcitur. Florebat ad finem vergente Sæculo XV. ideoque mirum non eſt, ſi ejus literarios labores Sui minimè ſervaverint;

Damus igitur tantùm

I. Ludovici Mondelli Ordinis Minorum, Doctoriſque Theologi ad Octavianum Ubaldinum Mercathelli Dominum, Illuſtriſſimi Ducis Urbini germanum digniſſimum, doctorumque Virorum patronum Epiſtola. Extat in fronte Epiſtolarii à Mario Philelpho conſcripti, & Mediolani editi anno MCCCCLXXXVII. in 4.
Poſt eandem ſequitur reſponſio Octaviani Ubaldini F. Ludovico Mondello; & poſt iſtam, legitur altera Epiſtola ſic inſcripta: „ Marii Philelphi artium, & utriuſque juris Doctoris, Equitis aurati, & Poëtæ Laureati ad religioſiſſimum Patrem, ſapientemque Theologum Ludovicum Mondellum Mediolanenſem ex Seraphico Minorum Ordine Præfatio in novum Epiſtolarium.
Vide Cl. Saxium in Epiſtolis poſt Hiſt. Typ. pag. CCCCLXXXVII. & Schedas ditiſſimas Sitonianas quibus debeo quod de Mondella gente profero.

MMCCIV.

Digitized by Google

A

### MMCCIV.

### MONETA ANTONIUS.

INvida bonarum artium cultoribus oblivio Antonii Monetæ Mediolanenſis poſteritati rapuit Actorum Monumenta. Parentes autem illius debemus incomparabili diligentiæ doctiſs. Sitoni noſtri, è quo didici, fuiſſe Leonem, & Iſabellam Burram conjuges nobiles; Fratrem habuit Joannem Baptiſtam inter J. PP. Collegiatos adnumeratum ab anno Chriſti Redemptoris MDLXXIV. ad MDCV. Interim memoriam Antonii iſtius nefas duximus prætetire; etenim, Clar. V. Franciſco Xaverio Quadrio teſte loco infra memorando, inter Vates Sæculo XVI. florentes recenſendus eſt;

B

Vulgavit enim librum hoc titulo:

I. Rime Amoroſe. *Venezia*, 1593.
II. Diſcorſi, e Diſſertazioni delle medeſime Rime. Edita ſunt hæc ut ſupra.
Ex præcitato P. Quadrio in Opere ſuo inſcripto: „ Della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia. Tomo II. pag. 277., & ex Theatro Genealog. Sitoniano MS. pag. 305.

### MMCCV.

### MONTORPHANUS PAULUS ANGELUS.

C

MOntorphana Familia inter Nobiles Mediolanenſes recenſetur à Com. Octavio Archinto, & è Raphaële Faniano. In Appendice ad Scriptores hujus Bibliothecæ Raphaëlem Montorphanum Mediolanenſem protulimus: hìc quoque damus Paulum Angelum ob ejus Librum, quem edidit,

Sic inſcriptum:

I. Il nuovo Galateo, ampliato da Don Paolo Angelo Montorfani, e ordinato a togliere non ſolo le male creanze nella converſazione civile degli Uomini, ma anche ogni indecenza nelle azioni ſacre con Dio. *Milano, preſſo il Vigone*, 1694. *in* 8.
Videndæ quoque ſunt ſchedæ Sitonianæ.

### MMCCVI.

### MORELLUS MICHAELANGELUS.

QUem Cl. Cotta ſuo Muſæo Novarienſi pag 233. num 465. attexuit, ſcilicet Michaëlem Angelum Morellum ( licèt paulò poſt eumdem malè appellet Auguſtinum Nicolaum ) Eremitam Auguſtinianum Congregationis Lombardiæ, Luzzonii ( pagus eſt in Valle Strona Ducatus Mediolani ) ortum, ac Cœnobii S. Nicolai Urbis Novariæ alumnum; cujus item aſſerit primum fœtum fuiſſe Opuſculum, Italicâ linguâ exaratum, infra indicandum; nos quoque noſtræ Collectioni inſerendum arbitrati ſumus, utpote quia Luzzonum Oppidum ditionis eſt Mediolanenſis. In edito nihilominus deſideratur pars illa, quâ tertia Potentia contrita exhibetur; eamque MS. deliteſcere fertur in Bibliotheca hujus Cœnobii S. Mariæ Coronatæ.

Memorati Opuſculi titulus talis eſt:

I. Campo di Marte, overo le trè Potenze atterrate, Politiche, e Morali *Milano*, 1691. *in* 12
II. Parte III. che contiene la Potenza contrita. MS. Extat ut ſupra.
Ita à Suis.

### MMCCVII.

### MORIGIA CÆSAR.

JOannis, & Victoriæ Puſterlæ nobilium conjugum Mediolanenſium filius, necnon affinis celeberrimo Viro F. Paulo Moriggiæ, natus & ipſe in Oppido Frini, ad Lacum Verbanum ſito, & Cubiculo Præfectus Cardinalis Sfortiæ. Eidem debemus Compendium Vitæ ſupradicti F. Pauli, cujus ſuo loco Elogium dedimus. Edidit ergo Librum

Sic inſcriptum

D

I. Sommario della naſcita, entrata in Religione, gradi, dignità, & Opere del P. Paolo Morigi. *Milano, preſſo il Ponzio*, 1544 *in* 4. In eodem Carmina variorum in laudem ejuſdem F. Pauli, & Cæſaris noſtri leguntur.
Ex Picinelli Athenæo pag. 140., & ex Theatro genealogico Sitoniano, MS. in fol. ad pag. 308.

# P

### MMCCVIII.

### de PADO DIOMEDES.

E

DIomedes de Pado filius Bertini, & Antoniæ Vicecomitis Nobilium Mediolani conjugum; Avum habuit Hectorem anno MCDXLVII. in Mediolanenſi Republica Decurionem; anno autem MCDLXX. ex Nobilibus pro Ticinenſi Porta delegatis, qui fidelitatis ſacramentum præſtitere in manibus Excellentiſſimi Galeatii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis &c. Ipſe Diomedes anno MDIX. claruit Ducalis Baſilicæ Sanctæ Mariæ Scalenſis Mediolani Canonicus, Italicâque potiſſimùm Poëſi inſignis extitit commendatus

Ob

I. Epigrammata Italica, vulgò Sonetti, quæ MS. per extenſum referuntur ab Jo. Andrea de Prato in ejus Mediolanenſi Chronico ſub annis MDVII. & MDXII. pag. 78. & 139. MS. in folio, quod extat penes Comitem Conſtantium Mariam de Abdua, & Comitem Carolum Littam.
De eodem Diomede meminerunt Continuatores Codicis Anniverſariorum, Piorumque Legatorum, ac Necrologii Scalenſis Baſilicæ compilati per Stephanum Dulcinium ibidem Concanonicum, MS. ex Pergamena in folio in eodem Archivo Scalenſi, & Advocatus Sitonus in ſuo Theatro Genealogico pag. 352., MS. in folio penes Auctorem, ubi viſitur ſeries Gentis de Pado à Gullielmo patricio Mediol. ſcilicet ab anno MCXXCVII. ad Nicolaum de Pado, de quo in ſequenti articulo ſermo erit.

MMCCIX.

Digitized by Google

## MMCCIX.

### de PADO NICOLAUS.

Nicolaus de Pado filius Gulielmi, olim nati ex altero Nicolao, non vulgari eloquentia clarus extitit ſub annis MCCCCLXXXII. & MCCCCXCI.

Cujus extant

I. Literæ Latinæ per eum datæ Magnifico Doctori Domino Andreæ Cagnolæ utriuſque linguæ perito, Patritio, & ſuo tanquam Patri honorando &c. dat. Quinto Idus Novembris anno MCCCCXCI., quas per tenorem refert J. C. C. Raphaël Fanianus in Commentar. Nobilis Familiæ de Pado, ſub litera P., MS. in folio in Archivo Collegii J. PP. Mediolani.

Ex Schedis Sitonianis &c.

## MMCCX.

### PAGANUS JOANNES.

Nil proferre potuiſſem Lectoribus meis de Pagano noſtro, præter titulum ejuſdem Poëmatis, ut infra, niſi amiciſſimus Sitonus mihi ſubminiſtraſſet perhumaniter nomina ipſius parentum, ſcilicet Joannis Antonii, & Laviniæ Solariæ nobilium hujus Urbis conjugum. Florebat anno MDCLX.

De ipſo tantùm habetur pro nunc

I. Gratulatio Poëtica ad Eminentiſſimum Principem Vitalianum Vicecomitem Borromæum, canente Joanne Pagano. *Mediolani, apud Ghiſulphum*, 1667. *in* 4.

## MMCCXI.

### PALLAVICINUS ROLANDUS.

Rolandus Pallavicinus, Marchionis Joannis Ludovici Senatoris, & Anaſtaſiæ Taurellæ filius edidit ære proprio quamplura Opuſcula Cardinalis Nicolai de Cuſa, & fuit ille primus, qui eadem dicavit Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo D. Georgio de Amboiſa Cardinali Rothomagenſi Legato Apoſtolico & Regio Locumtenenti generali in Ditione Mediolani, ubi poſt laudes Cardinali de Cuſa meritò datas, quem vocat „ Theologorum maximum „ hæc ſubdit: „ Hinc ego Theologiæ initiatus, zelo „ Fidei Orthodoxæ invitatus, illectus, impulſus „ nolui pro virili parte diutius pati, volumina tanti „ Viri, nullis ferè cognita, in tenebris jacere, „ ſed à ſitu, & tinearum morſibus vendicata im„ preſſoribus tradidi, ære meo excudenda „. Data eſt hæc Epiſtola ex Caſtro Lauro, anno gratiæ MDII. Fuit & ipſe Rolandus Eques, & Senator Mediolani, ac Marchio Curtis-majoris, & inſignis Oppidi Buſſeti annis MCDLXXXIX. & MCDIC. Edidit igitur atque recenſuit ſupradicti Cardinalis Cuſani Opuſcula,

Quæ ſequuntur

I. De Docta Ignorantia. II. De Conjecturis. III. De Mente. IV. De Viſione Dei. V. De Pace Fidei. VI. De Staticis Experimentis. VII. Cribrationes Alcorani. VIII. De Venatione Sapientiæ. IX. De Mathematica perfectione. X. De Ludo Globi. XI. De Beryllo.

Videndus eſt Cl. Saxius in Hiſtoria Literaria ad annum MCCCCLXXXIX. Col. CCCXI. & Franciſcus Sanſuinus de Familiis illuſt. Italiæ pagg. 378. & ſeqq.



## MMCCXII.

### PARONA HIERONYMUS.

Familia Parona Mediolanenſis quandoque etiam reperitur ſub voce *Perona*, & *Peroni*, quia promiſcuè ſic vocabatur. Ex ipſa ortus Hieronymus hic non modicum laudis ſibi promeruit ob librum ſatis proficuum, quem edidit

Hoc titulo

I. Ordines ac Declarationes ab Excellentiſſimo Senatu Mediolani editæ in re Sportularum, quibus Officiales, præcipuè Theſaurarii, quotidianam quandam, veluti in parietibus pictam habeant formam, quæ vel in nolentium oculos incurrens ſuorum, quemque Honorariorum commonefaciat; Operâ & ſtudio Hieronymi Peroni ab eodem Excellentiſſimo Senatu Delegati in unum collectæ, cum Indice copioſiſſimo. Ad Ampliſſimum Senatorem D. Balthaſſarem Lambertengum magni nominis Juriſconſultum. *Mediolani, ex typographia Jo Petri Cardi*, 1643. *in* 4.

II. Methodus exigendi Sportulas, brevis quidem & facilis ad præſcriptum ipſorum Ordinum in communem utilitatem. Extat ibidem.

In principio Libri adeſt Elegia Carminum 36. Auctore Joanne Baptiſta Perono, Auctoris filio, de quo infra.

## MMCCXIII.

### PARONA JOANNES BAPTISTA.

Hieronymi, de quo in Articulo præcedenti jam egimus, filius, in Ven. Collegio Notariorum hujus Metropolis locum obtinuit anno poſt Virginis Partum MDCLXV. menſe Decembri, & inter J. Conſultos non infimum nomen ſibi promeruit; nil verò ad Legalem hanc ipſius profeſſionem ſpectans vidimus; Muſas interim coluit, ut videre eſt in libris, quos publici juris fecit,

Sic inſcriptis

I. Invictiſſimi Erois Excell. D. March. Caracenæ univerſæ Italiæ Propugnatoris Adorea à J. C. Jo. Bapt. Parona adumbrata. *Mediolani, apud Cardum*, ſine anno in 4.

II. In Nuptiis Comitis Renati Borromæi, & Juliæ Areſiæ Carmen J. C. Joannis Baptiſtæ Paronæ. *Mediolani, apud Cardum*, ſine anno in 4.

III. Elegia ad Excellentiſſimum Senatum Mediolani. Extat in fronte Libri à parente ſuo, ut diximus, editi „ Ordines & Declarationes Senatus Mediol. „ in cauſa Sportularum &c.

Videantur uberrimæ Schedæ Sitonianæ.

## MMCCXIV.

### PARRAVICINUS CHRISTOPHORUS.

Joannis Petri filius, ac Hortenſii celeberrimi Soc. Jeſu Sacerdotis, de quo ſuo loco jam diximus, frater, Medicinæ Profeſſor floruit in hac Urbe ab anno MDCXXXI. ad MDCXLIX. quandoquidem etiam Pallavicinus dictus, aliiſque adnectendus eſt, jam à nobis in hac Bibliotheca relatis, qui, inſtante Cardinali Dongo, de uſu Corticis Peruviani ſcripſerunt.

In publicum igitur vulgavit

I. Diſſertationem de uſu ac utilitate Chinæ-Chinæ &c.

Ita Sebaſtianus Badus, & Bartholomæus Curtius in ſuo Opere de claris Medicis Mediolanenſibus pag. 115., & Cl. Sitonus in Schedis.

MMCCXV.

## MMCCXV.

### PEDROLUS JULIUS CÆSAR.

ALterum Pedrolum dedimus ſuo, loco ſcilicet Art. MCCLIV. Aronæ natum, nunc damus Julium Cæſarem, forſan ejus affinem, de quo pauca vidimus, ut infra, ideoque inter minores ei locum ſervavimus,

Propter

I. Panegirico in lode di S. Gaudenzio, detto in Novara l'anno 1690. *Ivi*, *in* 8. ſine Typographi nomine.
II. Panegirico per S. Giulio. *Milano*, 1697. *in* 8., extat etiam MS. in Bibliotheca Ambroſiana in Collectione rerum Novarienſium, quas ibi repoſuit Cl. Cotta.

## MMCCXVI.

### PELLIZARIUS FRANCISCUS MARIA.

DUm Cardinalis ampliſſimus Alphonſus Litta, Mediolani Archiepiſcopus, Plebem Modoëtienſem luſtrabat anno MDCLVI. exceptus magnificè fuit in inſigni illo Oppido, ubi & Theatra & Triumphales Arcus erecta fuere. Hac occaſione Franciſcus Maria Pellizarius Mediolanenſis, Inſcriptiones, Carmina, & Elogia compoſuit, necnon typis dedit in ſequenti libro, quem eidem Eminentiſſimo Præſuli nuncupavit, ut refert Picinellus, qui nec titulum ejus integrum nobis reliquit: ex fide igitur ejuſdem

Damus

I. Elogia, Inſcriptiones, & Carmina, &c. *Mediolani*, *in* 8. Teſte Picinello in ſuo Athenæo Mediolanenſi pag. 213.

## MMCCXVII.

### PERAGALLUS RAPHAEL.

EX ſtemmate Genealogico Gentis Peragallæ, ſeu Pirogallæ à Marco, qui anno Chriſti MCCCCII. florebat, incipiente agnovimus, quòd ab ea etiam ortus eſt Leonardus inter Quæſtores Magiſtratus Redditum extraordinariorum anno MCCCCIV., & quòd numerentur IV. Decuriones Conſilii generalis hujus Urbis ab anno MCCCCLXXIV. ad MDXIII. Raphaël verò noſter, cui pater fuit Philippus, qui anno MCCCCLXX. cum aliis Civibus Mediolanenſibus Parœciæ S. Michaëlis ad Gallum fidelitatem juravit Galeacio Mariæ Sfortiæ Vicecomiti Mediolani Duci. Raphaël ipſe claruit ab anno MCCCCLXXX. uſque ad MDIV., ediditque plures libros, quos emendavit, & ære ſuo imprimi curavit, cum Epiſtolis Nuncupatoriis, ut infra,

Videlicet:

I. Vocabuliſta Eccleſiaſtico; Auctore Joanne Bernardo Forti, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. *Mediolani*, 1489. Ad calcem Libri extat Epigramma in laudem Raphaëlis noſtri, quod dedit Cl. Saxius in Hiſtoria Literaria col. CCXVIII.
II. Sermonarium de Commendatione Virtutum &c. Fr. Michaëlis de Carcano. *Mediolani*, 1492. unà cum Epiſtola Nuncupatoria ad calcem poſita Raphaëlis Peragalli „ Reverendo in Chriſto Patri, D. Fr Hie- „ ronymo de Torniellis, Ordinis Minorum Obſer- „ vantiæ regularis, in partibus Ciſmontanis digniſ- „ ſimo Vicario generali „.
III. Figuræ Bibliorum, ſeu potius Compendium Figurarum ſecundùm ordinem Materiarum Alphabeticè digeſtum, Auctore Antonio Rampegoli, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. *Mediolani*, 1494. Raphaël Pirogallus hoc Opus ſupradicto Fr. Hieronymo nuncupavit Epiſtolâ ad eum datâ.
Videndus eſt ſupradictus Cl. Saxius in Hiſt. Typogr. Coll. CCXVIII. & CCCXCII. necnon ad annos MCCCCLXXX. MCCCCXCII. & MCCCCXCV.

## MMCCXVIII.

### De PEREGO CÆSAR.

NObilitatem Sanguinis ſui auxit, & illuſtravit Cæſar de Perego, ſibi in conjugem aſſumendo ſororem J. C. C., ac Senatoris Gluſſiani. Teſte verò Abbate Picinello ex divite in paupertatem incidit, ſed proſperè ad ſummam ſenectutem pervênit. Typis dedit Opellam,

Cujus titulus

I. Diarium Aſtronomicum ad inveniendas horas Planetarias, & Aſcendens, datâ quâcumque horâ, & dierum, ac noctium magnitudinem ad quinque dierum differentiam ad Polum XLV *Mediolani*, *in Typographia Palatina*, *Joannis Baptiſtæ Malateſtæ*, *in* 8. *ſine anno*. Epiſtola verò Nuncupatoria ad Comitem Jacobum Simonettam data eſt pridie Idus Februarii MDCXXXVII.
Videndus eſt Picinellus in Suo Athenæo pag. 142.

## MMCCXIX.

### De PEREGO PAULUS.

SI quemadmodum labores Eruditorum Virorum Scriptoribus immortalitatem largiri conſueſcunt, ita ipſi quoque Codices tanti muneris fontes ad doctorum hominum manus pervenirent, quibus curæ eſſet ne prorſus perirent, intercedere; creviſſet profectò in immenſum Bibliotheca hæc mea Scriptorum Mediolanenſium, neque tam ſæpe de his dolere coactus fuiſſem, quæ omnino ſunt deperdita. Id profectò non accidit Paulo de Perego Clerico Regulari, ex eorum Cœtu, qui Theatini dicuntur; ejus enim Italica varii generis Carmina ſparſim priùs, & Cremonæ præſertim edita Innocentius Raphaël Savonarola in unum Volumen redegit. Datum nobis non fuit plura de Perego noſtro quodque magis mirere, ætatem ſaltem noſſe, quo inter mortales eſſe deſiit; ſcimus tamen

Eundem ſcripſiſſe

I. Carmina varia Italica, ſcilicet *Ode*, *Seſtine*, *Sonetti* ec. Extant in Biblioth. Suorum Patavii.
Ita ex docto, amiciſſimoque P. Crucejo, nunc Collegio Suorum Ravennæ Præpoſito.

## MMCCXX.

### PETRASANCTA FABRITIUS.

NOn Epiſtolam tantùm, ut ſic prætitulatur liber Fabritii Petraſanctæ, ſed Hiſtoriam Genealogicam familiæ Venetæ de Puteo ex integro continet. Hunc debeo Cl. P. Joanni de Auguſtinis, alibi à me, & meritò commendato; nam & Opuſculum, & ejus Auctor hîc prorſus ignorabantur: adjiciendus ergo eſt aliis Scriptoribus Mediolanenſibus,

Ob

I. Lettera famigliare di Fabricio Petraſanta, nobile Milaneſe, diretta all'Illuſtre e Molto Reverendo Monſignor Gio: Franceſco da Pozzo, nella quale brevemente ſi tratta della vera origine, e diſcendenza delli Nobili, ed Antichi Cittadini Veneti della Caſa da Pozzo. *Milano*, *ſine Impreſſoris nomine*, 1603. *in* 4.

MMCCXXI.

Digitized by Google

## MMCCXXI.

### PETRASANCTA FRANCISCUS alter.

ALterum Franciſcum Petramſanctam laudavimus ſuo loco, ſcilicet Articulo MCCLXXIII., Sæculo XV. florentem; hunc verò inter Poëtas Mediolanenſes enumerandum eſſe cognovimus ex Opere pluries citato Cl. P. Quadrii, & ex altero infra recenſendo. Floruiſſe videtur initio Sæculi jam tranſacti.

Damus igitur de ipſo

I. Rime di Franceſco Pietraſanta Milaneſe. Extant in Libro „ Pompe Funebri nella morte dell' Illuſtriſſi„ mo Signor Conte Gentile Torriano Veroneſe, „ procurate, e raccolte da Celio Maffioli Salodiano. *In Verona, appreſſo Bartolomeo Merlo*, 1617. *in* 4.

II. Carmina duo Italica, vulgo *Sonetti*, leguntur in Collectione Jo. Baptiſtæ Foſſati pro Laurea Jo. Baptiſtæ Vicecomitis. *Mediol. apud Paganellum*, 1608. *in* 8.

De primis Carminibus loquitur ſupradictus Cl. P. Quadrius in ſuo libro „ della Storia, e della Ragione „ d'ogni Poesìa „ Tom. II. pag. 180.

## MMCCXXII.

### PIONNUS JOANNES ANDREAS.

PAtrem habuit Joannem Baptiſtam, matremque Iſabellam Cuſanam nobiles Mediolanenſes, fratrem verò Gabrielem Canonicum Ordinarium ab anno MDC. ad MDCXLIX. in Eccleſia Metropolitana Mediolani. Vir iſte eximiæ pietatis, & non infimæ literaturæ, floruit Eques Hieroſolymitanus ab anno Chriſti MDXCV. ad MDCXXVII. Meminit ejuſdem hæc Sepulchralis marmorea Inſcriptio in Eccleſia Collegiata S. Mariæ Novæ Burgi Abbiatigraſſi poſita, tenoris ſequentis:

IOANNI BAPTISTAE PIONNO
PATRI DILECTISSIMO
IO. ANDREAS, GABRIEL, IO. PAVLVS
ET IO. AMBROSIVS FRATRES
SIBI ET POSTERIS
SEPVLCRVM HOC POSVERVNT
MDXCV. DIE PRIMO IANVARII.

Poſtea religionis ergo ad ſacra Palæſtinæ loca ſe contulit, ibique per biennium moram trahendo, & perluſtrando pluries eadem viſitavit, demum in Patriam reverſus, typis Mediolanenſibus dedit librum

Hujus tituli

I. Vita di S. Onofrio, cavata dalle Opere del B. Giovanni Climaco: Alle Molto RR. Madri di S. Maria Roſa in Abbià Graſſo, di Gio: Andrea Pionno, Gentiluomo Milaneſe, Cavalier Geroſolimitano, e Protettore di detto Monaſtero. *Milano*, 1623., & iterum 1639. *penès Philippum Ghiſulphum*, *in* 12.

Ex J. C & Advocato Sitono in Chronico Colleg. Phyſicor. Mediol. part. II. Artic. 324., & in Theatro genealogico pag. 349., necnon ex Jo. Petro Puricellio in Diſſertatione Nazariana pag. 3.

## MMCCXXIII.

### PIROVANUS CAROLUS.

EX Jacobo J. C. Collegiato, & Senatore, nec non Anna Mirabilia ejus conjuge natus eſt Carolus Pirovanus, qui anno Chriſti MDLXXII. Collegium J. PP. hujus Urbis ingreſſus eſt, deinde patriæ Præturam, non ſine laude, geſſit anno MDXC., atque inter Advocatos non ſecundi nominis floruit uſque ad annum MDCXVIII. Ejuſdem mentionem faciunt bina Monumenta Sepulchralia in Templo S. Mariæ Paſſionis Mediol. exiſtentia.

Habemus eiuſdem

I. Conſilium pro excuſandis Medicis Collegii Mediolanenſis ab onere Menſuali: Extat in Codice Statutorum, atque Privilegiorum ejuſdem Collegii partim edito, & partim MS. in Biblioth. PP. Eremit. Diſcalceat. S. Auguſtini apud SS. Coſmam, & Damianum Mediol. ſign. H. V. num. 28. in fol.

II. Conſultationes Juridicæ plures tam editæ, quàm ineditæ leguntur in Collectionibus Archintea, Benaliana, Parodiana, &c.

Agunt de eo Cl. Sitonus noſter in Chron. J. PP. Mediol. pag. 148. ad Art. 599., & Moriggia in Hiſtor. Mediol. lib. IV. Cap. 40.

## MMCCXXIV.

### PITIUS JOANNES PETRUS.

PItiam familiam inter nobiles Mediolanenſes refert J. C. C. Raphaël Fanianus in Commentar. MS. ſub litera P. Claruit ex ea progenitus Joannes Petrus inter Cauſidicos Fori Archiepiſcopalis Mediolani; ſcripſitque librum ſi non mole, certè utilitate pergratum,

Scilicet

I. Directorium Notariale, ſive uniuncula Inſtrumentorum, Auctore Joanne Petro Pitio Cive originario Mediolanenſi, ac in Eccleſiaſtica, & Metropolitana Curia cauſas patrocinante; dicata, & conſecrata Illuſtriſſimo Domino Don Franciſco Caſtello, Regio, Ducalique Advocato Fiſcali generali hujus Status Mediolanenſis, Marchioni Parabiaghi &c. *Mediolani, typis Federici Agnelli*, 1697. *in* 12.

## MMCCXXV.

### PLANTANIDA JULIUS.

INitio Sæculi XVII. floruit Archipresbyter Baſilicæ S. Laurentii hujus Urbis Julius Plantanida, cui ob venuſtatem Carminum Italicâ, & Latinâ linguâ variis occaſionibus conſcriptorum locum damus in hac Bibliotheca. Ad manus noſtras tantùm quæ ſequuntur pervenere, etſi in Nuncupatoria præfixa libro num. I. alia plura ſcripſiſſe ipſemet teſtetur,

Hæc ſunt,

I. De Virtutibus S. Caroli Borromæi Carmen ad Eminentiſſimum Mediolani Archiepiſcopum Cardinalem Federicum Borromæum. *Mediolani, apud Impreſſores Archiepiſcopales, ſine anno, in* 4.

II. Carmina tria Italica, vulgo *Sonetti*. Extant in libro, cui titulus: „ Flavii Antonii Bonfilii Servitæ Viglevanenſis, Carmina in obitu Caroli, & Uberti „ ejus Patrui Vicecomitum. *Mediolani, apud Paganellum*, 1604. *in* 4.

III. Alia tam Latina, quàm Italica, pro Laurea Antonii Ferni. *Ticini*, 1610. *in* 4.

MMCCXXVI.

Digitized by Google

## MMCCXXVI.

## PORCARA CAROLUS MARIA.

DE Porcaria familia agit J. C. C. Raphaël Fanianus in ſuis Commentariis MS. ſub litera P. Filius Joannis Baptiſtæ, extitit hic Juriſconſultus Modoëtienſis, ac inter Notarios Collegii Mediolani locum obtinuit anno MDCCII.

Scripſit

I. L'Elemoſina Trionfante: Accademia Sacra in lode di S. Gherardo Tentorio Confeſſore di Monza. *Milano, preſſo il Vigoni*, 1694. *in* 4.
II. Orazione Panegirica in lode del medeſimo Santo. Extat ibidem.
III. Carmina Latina, & Italica. Ibidem.

## MMCCXXVII.

## PORRUS JOANNES BAPTISTA alter.

ARticulo MCCCXXVIII. alterum Joannem Baptiſtam Porrum Baſilianum protulimus; nunc verò iſtum eximiæ Soc. Jeſu Alumnum damus. Dolendum eſt, quod Sui memoriam iſtius Viri minimè, ut opus erat, ſervaverint.

Ad noſtram notitiam venere tantummodo

I. Joannis Baptiſtæ Porri Societ. Jeſu Oratio in laudem B. Caroli Borromæi habita in magno Conventu Virorum Eruditorum in Templo Braydenſi. *Mediolani*, 1591. *ſine Impreſſoris nomine*, *in* 4.
II. Oratio habita in Templo Braydenſi die II. Novembris, anno MDXCIX. utrum uni facultati dare operam præſtet, an pluribus. Incipit: „ Ea ſummi rerum „ Opificis in homine conſtituendo mens fuit &c. „ MS. pagg. 15. in fol. extat in Tom XXXVIII. Miſcellaneorum Bibliothecæ Braydenſis.

## MMCCXXVIII.

## PUSTERLA BASILIUS.

ALiàs dolebam, quòd Religioſi Viri Ordinis Servorum S. Mariæ Virginis Suorum memoriam non ſervaviſſent, optabamque novam Annalium ejuſdem Ordinis Cl. Gianii editionem Lucæ habitam præ manibus habere, ut meſſem majorem colligere mihi datum fuiſſet, ſed contra expectationem nec ipſos etiam, quos Picinellus refert in ſuo Athenæo, ne dicam alios Scriptores ſuos, in quos forte fortuna pluribus in Bibliothecis egomet incidi, etſi non Mediolanenſes, inſalutatos reperi, & quod plus eſt, Alumni ipſi Conventus hujus Urbis nec tantillum de Suis dedere. Ipſis igitur tribuat Lector ſi de Puſterula iſto ego referam tantùm verba Picinelli, quæ ſunt: Magiſterium in ſua Religione obtinuiſſe, & doctum in Scientiis Philoſophicis & Theologicis ſummopere evaſiſſe. Afferit quoque, multùm ipſum in Poëſi, & arte Oratoria ea tempeſtate quâ vixit ſcilicet medio Sæculo XVII. emicuiſſe, ſed non profert de eo laborem aliquem literarium, præter quam illum infra recenſendum ſub num. I., alterum nos damus, reliqua poſteris dimittendo, ut meliori fortuna in publicum ea proferant, una cum Actis ejuſdem literariis uberioribus, & mortis die

Edidit

I. Il Prato: Panegirico in lode di S. Carlo. *Milano*, 1636. *in* 4.
II. La lingua ancor parlante: Panegirico per S. Antonio di Padova. *Milano, nella Stamperia Arciveſcovile*, 1637. *in* 4.
Vide Picinellum in Athenæo pag. 74.

## MMCCXXIX.

## PUSTERLA JOANNES FRANCISCUS.

DE celeberrimo Equite Joanne Franciſco Puſterla, Petri Ducalis Mediolani Senatoris, ac Feudatarii Oppidi Fregaroli in Comitatu Alexandriæ, & Luciæ de Crottis conjugum, filio, agit Cl. Saxius in ſua Hiſtoria Typographica ad annum MCDXCVI. in Articulo Baptiſtæ Fulgoſii; nam Platinus Platus in Epiſtola ſua num. CXXXVII., in qua laudat librum Fulgoſii, cui titulus *Inopia*, Puſterlæ noſtro ab Auctore dicatum, ſic ſe exprimit: „ Et is inſcriptus eſt Joanni Franciſco Puſterlæ „ Equiti ornatiſſimo, & de rebus ipſis Jure dijudicaturo; valet enim Joannes Franciſcus ſumma & „ ingenii bonitate, & morum elegantia, & in hujuſmodi palæſtra jamdiu verſatus eſt, & adhuc „ verſatur egregiè „. Sufficit hoc proferre in laudem hujus Puſterlæ, qui Poëta fuit optimi Sæculi XVI., ut legitur in libro P. Quadrii loco infra citando

Edidit igitur

I. Carmina Italica, quæ extant in libro „ Rime di diverſi „ Autori eccellentiſſimi raccolte da Giovanni Offredi „. *In Cremona, per Vincenzo Conti*, 1560. *in* 8.
Ita ſupradictus Cl. P. Quadrius Soc. Jeſu in ſuo Opere „ della Storia, e della Ragione d' ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 364. Bernardinus Corius in Hiſt. Mediol. ad annum MCDLXXVI. Donatus Boſſius in Chronica Mediol., & Clar. Advocatus Sitonus in Theatro genealogico Sitoniano pag. 364. MS. in folio penes Auctorem.

## MMCCXXX.

## PUTEUS JACOBUS.

QUamvis non injuriâ credamus Ludovicum Puteum Societatis Jeſu Alumnum plura ſcripſiſſe, quàm hìc damus, ex monumentorum tamen inopiâ cogimur pauca admodum ipſius Opera proferre. Enituit præcipuè hujus Viri doctrina, tunc cùm extinctâ prorſus peſtiferâ lue anno MDCXXXII. quæ biennio Metropolim hanc vexaverat, ſolemni ſupplicatione peractâ die XXI. menſis Februarii ex Metropolitanæ Baſilicæ ſuggeſtu publicè ad populum verba fecit. Reliqua illius Acta felicior fortè Collector inveniet.

Superſunt ejuſdem:

I. Milano riſanato dalla peſte. Predica del P. Lodovico del Pozzo, Teologo, e Predicatore della Compagnia di Gesù detta nel Duomo di Milano. *Ivi*, 1632. *in* 4.
II. Paſtorale carità di S. Carlo. Sacro Ragionamento detto nel Duomo di Milano. *Ivi, per Filippo Ghiſolfi*, 1632. *in* 8.
III. La Paſtorale Providenza di S. Carlo, Diſcorſo fatto nel Duomo di Milano. *Ivi, per il Cerri*, 1632. *in* 8.
De eo Cinellus in Bibliotheca volante, Pluteo VIII. & Picinellus in ſuo Athenæo Mediolanenſi pag. 397.

MMCCXXXI.

Digitized by Google

# R

## MCCXXXI.

### RATTUS BARTHOLOMÆUS.

OB vetuſtatis gratiam Bartholomæo Ratto Mediolanenſi locum in hac Bibliotheca damus, nimirum ejus Epiſtolas tantùm ad Platinum Platum vidimus, nec de illo aliud habemus, quàm quòd anno MCCCCLXX. apud Senatum Mediolanenſem Secretariatus munere fungebatur, uti nos monuit amiciſſimus Sitonus;

Extant igitur

I. Epiſtolæ Latinæ ad Platinum Platum gratulatoriæ pro ejuſdem liberatione è Carcere, cum iſtius reſponſionibus. Leguntur inter Epiſtolas Platini, impreſſas anno 1506.

## MCCXXXII.

### De RAYMUNDIS PETRUS FRANCISCUS.

POſtquam eximium Cardinalem Joſephum Archintum laudavimus Artic. CVIII. ad manus noſtras pervênit liber Petri Franciſci de Raymundis, lectu dignus, ideoque hîc recenſendus videtur

Hoc titulo

I. Archintea Laus. Joſephus Archintus; ad Regem Catholicum Legatus, Archiepiſcopus Mediolanenſis laudatus inter feſtivas Sacræ Purpuræ Gratulationes, à Petro Franciſco de Raymundis, Sacerdote Mediolanenſi, & J. U. D. Sine anno, loco, & Typographo, in 4.

## MMCCXXXIII.

### RAYNOLDUS BERNARDUS.

PAuli Mariæ, & Barbaræ Carcanæ conjugum Mediolanenſium filius, claruit in facultatibus Poëtica, atque Oratoria ab anno MDLXXX. uſque ad annum MDCVIII., in quo ſuum Teſtamentum condidit, illudque ſervat Cl. Sitonus noſter.

Superſunt ipſius

I. Oratio in laudem Picturæ, atque Sculpturæ, habita in Scholis Palatinis anno MDLXXXIII. die XIV. Februarii. *Mediolani, apud Paganellum*, 1584. *in* 4.
II. Carmina plura tam Italica, quàm Vulgari Mediolanenſi Dialecto exarata. Extant in variis Collectionibus, & in Opere Joannis Pauli Lomatii, cui titulus „ Rabiſch „ unà cum Lomatii reſponſionibus.
Videndæ ſunt Schedæ Sitonianæ.

## MMCCXXXIV.

### RIPA MELCHIOR.

EX Schedis Sitonianis didicimus Ripam noſtrum Patrem habuiſſe Joſephum, atque Eccleſiam Parochialem S. Joannis ad quatuor Facies hujus Urbis prudenter, ſanctèque rexiſſe per annos vigintiquinque, ſcilicet ab anno MDCV. ad MDCXXX. qui fuit ei poſtremus. Reliqua ad eundem ſpectantia Lector agnoſcet ab Opere, quod edidit ſequenti titulo.

Videlicet

I. Iſtoria Pontificale di Milano di Gio. Franceſco Beſozzo, reviſta, corretta, & ampliata da Melchiore Riva Dottore di Sacra Teologia, e Curato di S. Gio. le quattro Faccie. *Milano, preſſo il Malateſta*, 1623. *in* 8.

## MMCCXXXV.

### RIPALTA FRANCISCUS MARIA.

FRanciſcus Maria Ripalta parentibus Franciſco, & Helena Ripa, Mediolani editus eſt in lucem anno Incarnationis Dominicæ MDCLXII. die II. Julii. Adoleſcens, cùm minoribus jam vacaſſet ſtudiis in Academia Braydenſi, annos natus XVIII. patrem amiſit, mox aliquantiſper apud Conſobrinum ſuum, qui animarum curam gerebat in Parochiali Templo Sanctæ Mariæ ad Portam, commoratus, clericalia exercuit miniſteria in altero Sancti Sepulchri. Anno poſtmodum MDCLXXXV. ſacris initiatus Ordinibus, die XIX. Auguſti primum ſolemne Sacrificium Deo obtulit in Æde S. Mariæ Beltradis. Mox ad audiendas Fidelium Confeſſiones admiſſus eſt, quo in munere prudentiæ, atque doctrinæ ſummum dedit ſpecimen. Theologiæ laureâ inſignitus, & Utriuſque Juris Doctor renunciatus, Protonotarii quoque Apoſtolici dignitatem obtinuit. Animarum curationem in Baſilica primùm S. Stephani in Brolio, deinde in Eccleſia Sancti Petri ad Vineam exercuit ad obitum uſque magna cum laude, confluentibus ex univerſa Urbe, ac Diœceſi ad ipſius Ædes Clericis, ut in ea, quam domi habebat, moralis Theologiæ palæſtra exercerentur, quorum quandoque numerus ad CC. excrevit. Sacris Virginum Aſceteriis Confeſſarius præfuit annos plurimos, in quibus & earum profectum curavit, & controverſias exortas mira dexteritate compoſuit. Examinator deinde Synodalis, & Librorum Cenſor deſtinatus extitit; ideoque mirum non eſt, ſi ad ipſum velut ad oraculum omnis generis Cives etiam Primarii, & Magiſtratus, conſcientiæ ſuæ, & ſummi momenti negotia deferebant, tantaque erat Viri exiſtimatio, ut nedum hujus Ambroſianæ Eccleſiæ Præſules, verumetiam Apoſtolica Sedes plurimis in cauſis vices ſuas eidem demandaverint. Obiit die XVII. menſis Januarii anno MDCCXLIII. cùm priùs Bibliothecam ſuam ditiſſimam Cœnobio Minorum, qui Capuccini dicuntur, extra Orientalem Portam legaſſet. Jacet in communi tumulo Parochorum prædicti Templi Sancti Petri ad Vineam, cujus aram majorem ære ſuo magnificè exornaverat.

Super-

A

Superſunt ipſius :

I. Conſultationes plurimæ in Cauſis Civilibus , Canonicis, & Moralibus, tam editæ, quàm MSS. Vol. III. in fol. juſtæ molis.

II. Sententiæ plures ab eo emanatæ, variis in occaſionibus, ſic inſcriptæ: „ Nos Franciſcus Maria „ Ripalta J. U. & S. Theol. Doctor, Prothono„ tarius Apoſtolicus &c. in hac parte Judex Com„ miſſarius, Delegatus Apoſtolicus &c. MS. in fol.

III. Carminum Italicorum & Latinorum varii generis Volumina II. in fol. MSS. magna ex parte ab ipſomet Auctore.

IV. Inſtructio pro promovendo ad Epiſcopatum, MS. in 4 juſtæ molis.

V. Sermones, Panegyres, & Orationes plures tam Italico, quàm Latino ſermone, MS. in 4. magnæ molis.

B

VI. Decade Solitaria di X. giorni di ritiro per rinovazione di ſpirito, MS. in 4.
Omnes reperiuntur in Bibliotheca PP. Capuccinorum, ut ſupra.

VII. Giornate VII. impiegate per li VII. dolori di Maria Vergine. *Milano*.

VIII. Curavit etiam iterum Typis Mediolanenſibus tradi *Dominici Bellagattæ* Opus magnum Caſuum conſcientiæ, Auctore Martino Bonacina, additis emendationibus pluribus in locis, ſignatiſque Sententiis ab Apoſtolica Sede damnatis, ad plenum commodum Morali diſciplinæ operam dantium .

IX. Relazione della morte di Monſignor Ercole Viſconti Arciveſcovo di Damiata. *Milano, per Marc' Antonio Malateſta*, *1712. in* 8.

X. Relazione del paſſaggio da queſta Vita di S. Eccel. il Signor D. Teobaldo Maria Viſconti Marcheſe di Ciſlago &c. *Milano* , *per gli Eredi Ghiſolfi* , *1701. in* 8.

C

XI. In eadem ſua Bibliotheca vidi Vol. XII. Allegationum tam Civ , quam Canon, & Crim. additis ut plurimum Sententiis Excellentiſſimi Senatus Mediol. & notis marginalibus manu Ripaltæ noſtri.
Vidi quoque Anonymi cujuſdam totam S. Scripturam manu exaratam XII. Voluminibus in fol. cum Explicatione Vocum Græcar. Hebræar. Caldear. &c. ( Labor verè improbus ) ab anno MDCCXXVIII. ad MDCCXXXIII una cum Epiſtola nuncupatoria ſic: „ Laborioſum ſiquidem , ſed „ delectabile quod Opus Bibliæ Sacræ currenti „ calamo, ad otia evitanda, fideliter traducen„ dæ, divini Spiritus afflatu , & te mihi an„ nuente, hilari animo ſuſcepi , ejuſdem divini „ Spiritus ope perfectè complevi , illudque tibi „ dilectiſſimo in Chriſto Jeſu Franciſco Mariæ „ Ripaltæ S T. D. & Philoſophiæ profeſſori , „ & in omnibus quorumcumque generum ſcien„ tiis verſatiſſimo ſimplici corde præſento , pre„ cans te hoc grati mei animi munuſculum ſu„ ſcipere ne dedigneris , ſicque memorem me „ ſemper in tuis Orationibus habere non obli„ viſcaris. Vale.
Ex ipſius Vita, quam ipſemet ſcriptam reliquit , Opera verò MSS. quæ dedimus, non ſine voluptate perluſtravimus.

## MMCCXXXVI.

## RUBEUS LEO.

Nimis jejunos reliquit nos Wadingus in Syllabo Scriptorum ſui Ordinis , nam , præter alios, de Leone Rubeo Mediolanenſi loquens, ejus tantùm Repræſentationem indicavit ; ex libri verò editione floruiſſe videtur Auctor initio Sæculi jam tranſacti.

En titulus

I. La Reina Eſter, Sacra Rappreſentazione del Padre Fra Leon Roſſi, Minor Oſſervante. *In Milano, per Giambattiſta Pagenello*, *1618. in* 12.
Ex Syllabo Scriptorum Ordinis Minorum Lucæ VVadingi pag. 247 , & Ex P. Quadrio Soc. Jeſu „ della „ Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. IV. pag. 82.

# S

## MMCCXXXVII.

## SALVATERRA JOANNES MARIA.

D

JOannem Mariam Salvaterram in Mediolanenſi Urbe natum anno ab Incarnato Domino MDCXLIV. Hieronymus , atque Barbara Vicecomes nobiles Conjuges genuerunt . Primos ſuæ ætatis annos inter bonarum artium ſtudia tranſegit Parmenſi in Collegio Societ. Jeſu. Cùm autem Margarita Auſtriaca Leopoldo Cæſari nupta Mediolano tranſiret, à parentibus in Patriam revocatus eſt, meditantibus eum Viennenſem ad Aulam mittere. Sed aliter decreverat rerum omnium Conditor , confractâ enim , qua vehebatur in ſolemni Principis fœminæ ingreſſu , rhedâ, monitus id vitæ genus ſibi nequaquam amplectendum, Collegium Parmenſe repetiit , & ſuadente Joanne fratre ſuo , de quo jam verba feci in articulo MCCCCXCVIII. hujus meæ Bibliothecæ, Societatis Jeſu Inſtitutum amplexus eſt

E

in Tyrocinio Genuenſi , cùmque aëris ibidem incommoda graviter ſentiret, Cherium in Subalpinis miſſus , à Joanne Paulo Oliva ſupremo tunc Societatis Moderatore ferventiſſimis literis poſtulavit, ut ad prædicandum Americanis Populis Evangelium ablegaretur . Sed dilato voti effectu ad docendos, pro inſtituti ſui ratione, adoleſcentes admotus quadriennium inſumſit Tandem ad quam diutius exoptaverat ad Indos miſſionem anno MDCLXXV. die XXI. Maji Gades versùs navem ſolvit, unde die VIII. Julii in optatiſſimas ſibi Provincias iter arripuit , quò tamdem die XIII. Septembris ejuſdem anni pervênit. Ut Mexicum attigit Sacræ Theologiæ curriculum cœpit , quem tamen abrumpere coactus eſt . miſſus ad Rhetores edocendos in Urbe Angelorum , ubi totus fuit in efformandis ad literas , atque pietatem Alumnis ; nihil interim omittens, quod ad Animarum ſalutem pertinere videretur ; ſæpiſſimè etenim ad populum publicè verba fecit. Exacto anno Mexicum reverſus, ſacras Literas egregiè didicit, ſolitus tamen profiteri, majora ſe à Redemptoris Crucifixi imagine , quàm à Præceptoribus percepiſſe . Apoſtolico demum officio maturus in Septemtrionalis Americæ Provincias Cinaloam , Sonoram , atque Taraomares juſſu Majorum ſe tranſtulit Ultrò progreſſus Evangelicam lucem tribus aliis Provinciis invexit omnium primus, videlicet Chinipi , Barrojas , & Guazapario , quibus in laboribus decennium tranſegit, adeo Barbaris, quos Chriſto lucrifecerat charus , ut cùm à Provinciali ſuo Mexicum revocaretur , armati eam ad Urbem accurrentes, Taraomari Patrem, ut ajebant, ſuum vi repeterent . Mexicani verò pari in Salvaterram amore flagrantes, correptis armis ad Collegii valvas excubantes, id impedire nitebantur. Tumultum tamen ipſe compeſcuit, impetratâ à Majori ſuo in Taraomaros redeundi poteſtate. Viſitator poſtmodum Cinaloæ , & vicinarum regionum conſtitutus eſt anno MDCLXXXVIII. quod munus dum gereret, Taraomaros, alioſque finitimos Hiſpani imperii impatientes, & turbas cientes, tam prudenter ſedavit , ut ei datis humaniſſimis literis Prorex gratias ageret . Hinc præfuit Rector Collegio atque Academiæ Guadalaxaræ , ibique Templum Lauretanæ Virgini exſtruxit. Mox Tyronibus Magiſter datus in Collegio Tepozotlanenſi, tandemque toti Provinciæ Præpoſitus fuit anno MDCCIV. Californiam jampridem

Digitized by Google

pridem erudiendam Chriſti Præceptis expetierat Salvaterra, cùmque id demum impetraſſet, & ſe contuliſſet in vaſtiſſimam æquè ac barbaram Regionem, non abſque præſenti Dei Omnipotentis ope, repugnantibus Idolorum Sacerdotibus, non verbis ſolùm, ſed inſidiis quoque, & armis, Evangelicus Præco Veritatis luce gentes perfudit, ut quæ prius ſuperſtitioſo Dæmonum cultu horrebat Ora, copioſam Fidei meſſem pareret, jureque merito Salvaterra Californiæ Apoſtolus nuncupari meruerit. Anno tandem MDCCXIV. cùm inde Mexicum pro graviſſimis Eccleſiæ, quam ipſe ſtatuerat, negotiis rediret, Guadalaxaræ graviſſimo correptus morbo, anno ætatis ſuæ LXXIII. die VIII. Julii Apoſtolatus ſui curſum conſummavit. Cadaver magnâ elatum pompâ ferè diſcreptum fuiſſet, quod veſtibus contigerat, à populo pietatis gratiâ, niſi maturiùs conditum multitudinis manus effugiſſet. Publico etiam ſumptu, omnibus Magiſtratibus adſtantibus, poſt trimeſtre ipſi juſta ſunt perſoluta in Templo Suorum. Non finit inſtitutum meum diutiùs in ejus virtutibus immorari, quæ integrum volumen exigerent, & liberiori calamo aliquando in lucem edentur. Gradum ergo faciemus ad ea, quæ ſcripſit,

Nimirum:

I. Lettera al P. Gianpaolo Oliva ſcritta dal Noviziato di Chieri. Ea ferventiſſimis precibus, quibus ad Indos mitti poſtulabat, referta, ſervatur autographa in Archivo Suorum Romæ.

II. Copia de quatro Cartas de el Padre Juan Maria de Salvatetra &c. las dos primeras cartas ſon a los Excellentiſſimos Señores Virreyes de eſta Nueva-Eſpaña. Las dos ultimas, la una al Licentiado Don Juan Cavallero y Oſſio, Comiſſario de Corte. La otra al Padre Juan de Ugarte Procurador de la Miſſion de Californias. *Con licentia, en Mexicon, en la Imprenta de Juan Joſeph Guillena Caraſcoſo, año de* 1698. *in fol.* Prodierunt etiam Italicè *Mediolani apud Malateſtam* 1699. *in* 4. præfixâ Epiſtolâ præfati Joannis de Ugarte ad Georgium Salvaterram, Joannis Fratrem, data Mexici die 29. Januarii 1698. Ex illis autem quatuor, tertia lectu digniſſima eſt, continet enim exactiſſimam narrationem omnium, quæ Auctori in Californiæ appulſu & mora acciderunt.

III. Plures aliæ autographæ ad eundem Georgium Fratrem ſuum ab Auctore ſcriptæ ſervantur apud Marchionem Joſephum de Abdua.

Vita ipſius, unde multa è ſuperiùs relatis hauſi MS. in folio ab Anonymo quodam non imperito elaborata, ſervatur apud eumdem Marchionem.

## MMCCXXXVIII.

## SANTAUGUSTINUS AUGUSTINUS.

Laudabilem conatum Auguſtini ex Familia Santauguſtina Mediolanenſi nati, utinam alius quiſpiam Concivis ejus feliciùs, aut ſaltem copioſiùs exequatur; cum enim hæc Metropolis præclariſſimos Pictores genuerit, optandum foret, ut Auguſtini noſtri Opus, mole quidem exiguum, ſed tamen non contemnendum, additamentis exornaretur, & meliore criterio publici juris fieret. Interim laude ſua fraudare noluimus Scriptorem ipſum, qui viam cæteris ſtravit.

En quis Operi ſit titulus

I. Immortalità, e glorie del Penello, o. ſia deſcrizione delle Pitture più inſigni di Milano, al Conte Antonio Renato Borromeo. *Milano, preſſo l'Agnelli*, 1671. *in* 12.

## MMCCXXXIX.

## De SANCTO-PETRO ALOYSIUS.

Gens de Sancto-Petro floret in hac Metropoli, teſte Cl. Sitono jam à IV. fermè Sæculis, nam inter Decuriones Mediolanenſes V enumerantur Viri ejuſdem Familiæ ab anno MCCCLXXXVIII. ad MDXIII. Noſter verò Rector extitit inſignis Templi B. V. Mariæ propè Burgum Seroni, ſcripſitque, atque edidit librum

Hoc titulo:

I. Il Maeſtoſo, e Famoſo Tempio della Miracoloſa Effigie di noſtra Signora dell'inſigne Borgo di Sarono, deſcritto fedelmente ab origine dal Prete Aloigi Sanpietro, ivi Rettore. *Milano, preſſo Lodovico Monza*, 1658. *in* 8.

Ex Picinelli Athenæo pag. 405., & ex Collectione Decurionali Sitoniana, MS. in fol. penes Auctorem.

## MMCCXL.

## SERAZONUS ſeu de SERAZONIBUS NICOLAUS.

Familiam de Serazonibus inter antiquas & Nobiles Mediolanenſes refert J. C. C. Raphaël Fanianus in Commentar. ſub litera S. Ex ea claruerunt Antonius annis MCCCLXIV. & MCCCLXXXV., ac Manfredus an. MCCCLXXXV. & MCCCXCI. ambo J. C. Collegiati Mediolani, & Ambroſius an. MCCCCLXXIV. Decurio Mediolani; de Nicolao interim iſto Ordinis Prædicatorum nec verbum quidem apud Cll. VV. Quetif, & Eccard, fruſtraque foret aliquid quærere apud Suos hîc degentes. Ipſum damus ob ſequentem Editionem,

Scilicet

I. S. Vincentii Ferrerii Sermones in 4. In calce: „ Expliciunt perutiles, atque devotiſſimi Sermones de „ Sanctis, Reverendi Patris S. Vincentii Ferrerii „ Ord. Prædicat., diligentiſſimè emendati per venerabilem Fratrem Ni. ejuſdem Ordinis Mediolanenſem, qui præſens Opus imprimi curavit, impenſis Aloyſii de Serazonibus fratris ſui. *Magiſter* „ *verò Ulderīcus Scinzenzeler Theutonicus impreſſit* „ *Mediolani anno Domini MCCCCLXXXVIII. die III.* „ *Martii*.

Frater ejus Aloyſius imprimi curavit etiam: „ Alberti „ Magni Tractatum ſuper Miſſus eſt in 4. „ in cujus calce legitur: „ Aloyſius verò de Serazonibus ſuâ „ operâ, & impenſâ imprimi curavit *Mediolani ab* „ *Ulderico Scinzenzeler Theutonico, anno Domini* „ *MCCCCLXXXVIII. die XVII. Aprilis*.

Ex Cl. Saxio in Hiſt. Liter. Typogr. pag. DLXXXIII. & ex Cl. Advocato Sitono in Chron. Colleg. J. PP. artic. 26 89, & 93., & in Collectione Decurionali Sitoniana MS. in fol. penes eundem.

## MMCCXLI.

## SETA HYPPOLITUS

Juris Utriuſque Doctor fuit, necnon Præpoſitus Eccleſiæ inſignis Oppidi Buſti Arſitii; ipſum laudavit Picinellus ob Panegyrem tantùm infra recenſendam. Nos verò aliam invenimus pro D. Antonio Patavino dictam in Eccleſia S. Franciſci hujus Urbis

Vide-

Videlicet :

I. Oratione Funebre per la Morte del Cardinale Carlo Borromeo. *Milano*, *preſſo il Tini*, 1585 *in* 4.
II. Il Santo de' Santi, Panegirico detto nell' Ottavario per la Feſta di S. Antonio di Padova *Milano*, *preſſo il Tini*, 1589. *in* 4.

Ex Athenæo Mediolanenſi Abbatis Picinelli pag. 383.

## MMCCXLII.

## SFONDRATUS PAULUS alter.

IN Sæculo Petrus, necnon Eques S. Jo. Hieroſolymitani, Marchione & Blanca Vicecomite parentibus natus eſt, ideoque Gregorii XIV. Summi Pontificis pronepos. Congregationem Clericorum Regularium Theatinorum ingreſſus, profeſſionem emiſit die XXIV. Februarii, anno MDCXXII. In facultatibus Philoſophicis, & Theologicis ſummopere exultus, non tantùm in Patria, ſed etiam in Aula Matritenſi magnum nomen ſibi acquiſivit. Dolendum eſt, quòd cùm longe à Suis obierit, nempe Barcinone, ætatis ſuæ anno quinquageſimo, Scripta ipſius minimè ad nos pervenerint.

Supereſt ideo tantùm de ipſo

I. Narratiuncula de Vita Pauli Areſii; hanc Comiti Bartholomæo Areſio Senatus Præſidi, die I. Aprilis anni MDCXLVII. nuncupavit, & Typis data fuit in Libro Velitationum in Apocalypſim ſupradicti Pauli Areſii, cujus Elogium nos jam dedimus ſuo loco.

Vide Picinellum in Athenæo pag. 454., Ludovicum Araldum in Equeſtri Nobilitate Civitatum Italicarum pag. 52., & Advocatum Sitonum in Chron. Colleg. J. PP. artic. 897. pag. 207.

## MMCCXLIII.

## SIMONETTA JOANNES JACOBUS.

PArentibus Ciccho Simonetta, atque Eliſabeth Vicecomite nobiliſſimis jugalibus ortus eſt Mediolani Joannes Jacobus, cujus literaturæ curam genitor Franciſco Philelpho Viro ſuæ ætatis eloquentiſſimo, ac doctiſſimo, tunc in hac Metropoli commoranti tradidit. Quantùm Simonetta tanto ſub præceptore profecerit facillimè oſtendit ſingularis in eum Philelphi amor, & exiſtimatio, qui etiam in epiſtolis, inferiùs recenſendis, ſummis effert laudibus ipſius ingenium, candidoſque mores. Amiciſſimus quoque extitit Platini Plati inſignis Poëtæ, cujus loco ſuo recitavimus laudes, ab eo Carminibus honoratus. Patris ſecutus veſtigia, in aula Galeacii Mariæ Sfortiæ Inſubrum Ducis fideliter adeo, modeſtèque ſe geſſit, ut eo etiam è vivis ſublato gratiam Bonæ, atque Joannis Galeacii Principum Mediolanenſium ſibi promeruerit, & ab eiſdem die V. Septembris anno MCCCCLXXVII. electus fuerit à Secretis. Annus obitus illius nos latet, cœlebs tamen deceſſit; cùmque ubi ſit conditus ignoremus, Inſcriptionis loco Carmen Plati memorati ſubjiciemus:

*Per qui te genuit ſimilem ſibi, perque tuorum*
*Stemmata, juventæ per bene facta tuæ,*
*Per commune ſophos, per magni Patris honores,*
*Te rogo, fac genitor me ſciat eſſe tuum.*

Eruditionem ipſius teſtantur,

I. Epiſtolæ plures ad Franciſcum Philelphum; quarum memorabilior ea eſt, in qua ſummis illum laudibus extulit; conſiliumque ab eo petiit, quo pacto ſe gereret adversùs eos, quibus cum benefeciſſet, ingratos deprehenderat.

Harum mentio eſt in nonnullis Philelphi ipſius Epiſtolis inter hujus edita *Venetiis*, *in ædibus Joannis*, & *Gregorii de Gregoriis*, 1502 *in fol.* Ex his ad Joannem Jacobum noſtrum ſuperſunt, quæ recenſentur nimirum: Prima data III. Non. Martias MCCCCLXXII. quâ reſpondet memoratæ quæſtioni à Simonetta propoſitæ. Altera VIII. Kal. Julias, quâ ipſum inſtruit ad aulam pergentem. Tertia demum XIII. Kal. Auguſti eodem anno, quæ jocoſa eſt, nam amiciſſimè illum carpit, quòd Principis negotiis occupatus ad ſe non acceſſerit.

## MMCCXLIV.

## SORESINA GABRIEL.

SOreſinam Familiam inter Nobiles Mediolanenſes refert J. C. C. Raphaël Fanianus in Commentar. MS ſub litera S. Juvat hîc excribere verba Cl. Belfortii in Chronologia Monachorum Montis Oliveti, nam de Gabriele iſto nihil quidem à Suis accipere potuimus; refert igitur ſummam virtutem alumni ſui, quam elucere aſſerit in ſequenti ejuſdem Opuſculo, inde pergit: „ Verus Religionis filius, benignus „ pietatis pater, vivere deſiit anno MDCXXXVIII.

Scripſit vulgavitque

I. De Fœlicitate Vitæ Monaſticæ Sermonem, quem anno MDCXI Mediolani explevit.

Ex eodem Belfortio, pag. 158.

## MMCCXLV.

## SOVANIUS JOANNES MELCHIOR.

ANno reparatæ ſalutis MDCLXVI. honeſtis è parentibus editus eſt in lucem Melchior Sovanius, Patriam ſortitus percelebre Oppidum Modoëtienſe; & quoniam in primis eloquentiæ rudimentis mente percipiendis haud vulgare ingenii acumen adoleſcentulus adhuc palàm oſtenderat; Mediolanum à Genitoribus miſſus, ibi Liberalibus ſtudiis operam navavit ſedulam in publico Athenæo Clericorum Regularium Congreg. S. Pauli, quos vulgus Barnabitas appellat, prope eorum Collegium S. Alexandri. Philoſophiæ, & Theologiæ curſum tanta ſollicitudine, ac diligentiâ complevit, ut inter primos ætatis ſuæ tyrones meritò ab Inſtitutoribus, & Condiſcipulis habitus fuerit; quapropter in ſacra Theologiæ facultate lauream Magiſterii obtinuit. Oratoris, ac Theologi clari nominis famam in dies celebriorem ſibi conciliavit, plures in commendationem Sanctorum è ſuggeſtu Panegyres recitans, necnon Apoſtolici Concionatoris munus ſuſcipiens, quod per XLII. annorum ſpatium in celeberimis Italiæ Urbibus, magno cum animarum proventu, per integras Quadrageſimas impigrè, feliciterque peregit, quemadmodum in literis commendatitiis Romæ datis extra Portam Flaminiam die VII Junii MDCCXXIV. teſtatus eſt S. R. E. Cardinalis Benedictus Odeſcalchus, Mediolanenſis tunc Archiepiſcopus, per hæc verba: „ Melchior Sovani noſtræ „ Diœceſis, abſoluto Rhetoricæ, Philoſophiæ, ac „ Theologiæ curriculo, hujus Facultatis lauream „ eſt aſſecutus; quique, præter varias Panegyricas „ Orationes, munus Concionatoris Quadrageſimalis per annos triginta, in noſtra primùm Diœce- „ ſi,

Digitized by Google

„ ſi, deinde in ipſa Civitate Mediolanenſi, & ſucceſſivè in inſignioribus Eccleſiis, & Cathedralibus, Bergomenſis, Placentinæ, Venetæ, Mantuanæ, Januenſis, & Laudenſis Civitatum, necnon & noſtra Metropolitana, itemque in Baſilica S. Laurentii in Damaſo de Urbe, & noviſſimè in Vaticana, laudabiliter implevit. Propriis ſumptibus Oratorium publicum extruxit, ( in Vico Mondonici ad radices Montis Briantei ) in quo pluribus ab hinc annis Doctrinæ Chriſtianæ inſtructionibus, aliiſque piis functionibus populum detinet. Exercitationum ſpiritualium à Clericis, Sacerdotibus, & Monialibus præfatæ Diœceſis peractarum, pluries Director extitit, &c. quin immo Mediolani etiam in Collegiata Eccleſia S. Mariæ Pedonis univerſis Civibus eaſdem ſacras exercitationes propoſuit; atque ut in primis Altaris Miniſtros hoc neceſſario ſpiritus pabulo reficeret, proprias ædes in memorato Mondonici vico reſtauravit, commoda ſuppeditans Sacerdotibus domicilia, illuc bis, terque in annum confluentibus, ut à mundanis curis ſemoti, Divinarum rerum contemplationi vacarent. Inſignis Baſilicæ Collegiatæ S. Jo. Baptiſtæ in Oppido Modoëtienſi Canonicus renunciatus, Sacellum S. Virgini, aç Martyri Luciæ diçatum ex polito marmore ſuo ære refecit, ſubterraneam ejuſdem Eccleſiæ Confeſſionem picturis, arâ, & Deiparæ dolentis effigie elegantiùs ornavit, aliaque ad Templi decorem augendum fieri curavit, ſupremis tabulis annuos etiam redditus aſſignans, ut ſextis quibuſque feriis ſalutares ibidem Hoſtiæ Deo offerantur. Longo concionandi labore, atque annis gravatus aurium incommodum ſenſit, nec tamen deſtitit aliorum ſaluti conſulere, ſpiritualium exercitationum ad uſum Sacerdotum normas exponens, inferiùs deſcribendas. Apoplexiâ tamdem correptus, vivere deſiit Januario menſe præſentis anni MDCCXLIV., in communi Canonicorum S. Jo. Modoëtienſis ſepulcro tumulatus.

Inter quamplures ingenii ſui fœtus, vix illo mortuo ab ignota manu celatos, enumerare nobis conceſſum eſt.

I. Al Sacerdote in Ritiro, Meditazioni ſopra il Vangelo del Convito regiſtrato in S. Matteo cap 22. con gli Eſami ſopra i Comandamenti del Decalogo, le Inſtruzioni ſopra la Dignità Sacerdotale, e gli affetti per prima, e dopo la Celebrazione &c. *Milano, per Giuſeppe Richino Malateſta*, 1740 *in* 4.

II. Al Sacerdote in Ritiro, Meditazioni ſopra il Vangelo de' Talenti regiſtrato in S Matteo cap. 25. con gli Eſami ſopra i Peccati Capitali, e Virtù oppoſte, le Inſtruzioni ſopra il Sacrifizio della Meſſa, e gli affetti per prima, e dopo la Celebrazione. *Milano, per il medeſimo*, 1740. *in* 4.

III. Al Sacerdote in Ritiro Meditazioni ſopra la Parabola Evangelica delle Vergini Prudenti, e delle Stolte. MS. prælo paratum.

IV. Quareſimale da eſſo recitato in varie Città dell' Italia, e per la terza volta nella Metropolitana di Milano ec. *Ivi, preſſo Giuſeppe Richino Malateſta*, ſub prælo.

V. & VI. Due Orazioni, recitate nel Duomo di Milano per l'apertura de' Tribunali. *Milano, in* 4.

VII. Panegirico in lode di S. Caterina di Bologna. *Bologna, in* 4. Tanto cum plauſu excepta fuit in Patria mea hæc Panegyrica Oratio, ut meminerim, pluribus Italicis Carminibus à Civibus meis commendatam extitiſſe; atque eadem ibidem impreſſa fuerit in 4.

VIII. Panegirico in lode di S. Filippo Neri, recitato in Milano, mentre dalla Congregazione de' Sacerdoti ſotto il patrocinio del medeſimo Santo, a cui era aggregato, ſe ne celebrava la Feſta Solenne. MS.

IX. Varj Panegirici de' SS, tra' quali uno per S. Carlo, altro per il B. GianAngelo Porro, e per S. Filippo Benizj dell' Ordine de' Servi di M. V.

## MMCCXLVI.

## SPECIANUS CÆSAR.

JOanne Baptiſta, ex Cremonenſi Nobili Familia Cæſareo Ducalique Mediolani Senatore, de quo in Exteris ſermo erit, & Magdalena Sacca conjugibus natus eſt in hac Urbe Cæſar noſter anno Chriſti MDXXXIX., ideoque juremerito in hac mea Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium recenſendus eſt, & præcipuè quòd etiam ejus fratres, Proſper ſcilicet, Octavius, & Alphonſus inter LX. Decuriones Conſilii generalis adſcripti fuerint, quod munus non niſi Patriciis Nobilibus conferri in aperto eſt. Ob doctrinam, morumque probitatem S. Carolo Borromæo ſummè charus extitit, & ab eodem Antiſtite Canonicus Ordinarius Eccleſiæ Metropolitanæ primùm electus, deinde Romam ob graviſſima negotia ad Eccleſiaſticam Juriſdictionem pertinentia miſſus, quantum in iis bene ſe geſſerit, ſatis ſuperque oſtendunt Epiſtolæ D. Caroli ad eundem, & Speciani noſtri ad S. Carolum, quæ ſervantur in Bibliotheca Ambroſiana. Magno nomine ſibi in Urbe acquiſito, Utriuſque Signaturæ Referendarius, & Sacræ Congregationis Epiſcoporum à Secretis conſtitutus eſt, inde à Sanctiſſimo Pontifice Pio V. unà cum Cardinali Alexandrino Nepote in Hiſpaniam Legatus mittitur, mox à Gregorio XIII. Novarienſibus Paſtor declaratur anno MDLXXXV, ubi Synodum celebravit, Ædes Epiſcopales & Sacra Eccleſiæ ſuæ ornamenta auxit. Sixtus verò V. pro Univerſalis Eccleſiæ beneficio ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem Apoſtolica Legatione decoravit, quem poſtea, nempe Anno MDXCI. Gregorius XIV. à Novarienſi Sede ad Cremonenſem tranſtulit; ſed paulo poſt Clementis VIII. juſſu novam inire Legationem ad Rodulphum Cæſarem coactus eſt. Quantùm in ea pro Catholica Fide, & Eccleſiaſticis juribus peregerit, omnibus notum eſt: indicare ſufficit, Huſſitarum Eccleſiaſtici Conciſtorii in Regno Bohemiæ abjurationem ipſius curâ, & non exiguo labore obtentam fuiſſe. Anno demum MDXCVIII. ad Epiſcopatum ſuum Cremonenſem reverſus, Eccleſiam Cathedralem conſecravit, inſignibuſque Sacris Lipſanis è Bohemia delatis exornavit. Alteram quoque Synodum habuit, & dum ad majora promovendus erat, obdormivit in Domino die XX. Auguſti, anno MDCVII. Jacet ante Aram Divo Petro Sacram in Majori Eccleſia, hoc à celeberrima Societate Jeſu, quam hæredem inſtituerat, appoſito Elogio:

CAESARI SPECIANO EPISCOPO CREMONAE
PATRI OPTIMO ET FVNDATORI
COLLEGIVM SOC. IESV HAERES POS.
OBIIT XII. KAL. SEPTEMBRIS MDCVII.

Apud idem Altare è ſiniſtro latere ſub ejus Effigie altera Inſcriptio legitur, quam, cum plura de Auctore noſtro recenſeat, hîc dare ſtatuimus:

CAESARI

CAESARI SPECIANO EPISCOPO CREMONAE VIGILANTISSIMO, NOBILITATE, DOCTRINA, REBVS GESTIS CLARISSIMO, QVI ROMAM A B. CAROLO CARDINALI SANCTAE PRAXEDIS PRO CAVSA PVB MISSVS, CVM MINORES HONORES ANTE MERITVS ESSET, ET ADEPTVS, EP. NOVARIAE A GREG. XIII. P. MAX. CREATVS EST. MOX NVNCIVS AD PHILIPPVM II. HISP. REGEM A SYXTO V. LEGATVS, TVM A GREGORIO XIV. SIBI IN HOC EPISCOPATV SVFFECTVS. NVNCIVM ITEM CLEM. VIII. IVSSV AD RODVLPHVM II. IMP. EGIT, QVIBVS MVNERIBVS SVMMA FIDE, PRVDENTIA, CONSTANTIAQVE PERFVNCTVS, CVM SE, SVAMQVE INDVSTRIAM PONT. MAX., AC PRINCIPIBVS, TVM RELIGIONIS LIBERALITATEM, VIRTVTESQVE OMNES OMNIBVS PROBAVIT; DE VTRAQVE ECCLESIA BENEMERITVS, EPISCOPIIS AMPLIFICATIS, TEMPLIS ARGENTO PRETIOSAQVE SVPPELLECTILI EXORNATIS, DE CREMONENSI PRAETEREA SACRARIO FVNDIS DONATO, SEMINARIO AEDIFICATO, NOVIS RELIGIOSORVM VIRORVM, AC FOEMINARVM ORDINIBVS IN VRBEM INDVCTIS, QVI DENIQVE COLLEGIVM SOC. IESV IN AVITA DOMO REDEMPTA, ALIISQVE CIRCVMIACENTIBVS COLLOCATVM VT INCHOATVM TEMPLVM PERFICERETVR, INSTITVIT HAEREDEM, ET AMPLIORIBVS DIGNVS, AC PROXIMVS HONORIBVS, MAIORA MEDITANS IN COMMVNE BONVM, ANNIS LXVIII. GRAVIS, DEFLETVS AB OMNIBVS CESSIT E VITA XII. KAL. SEPTEMBRIS MDCVII. IDEM COLLEGIVM HAERES GRATA MEMORIA PARENTIS OPTIMI BENEVOLENTIAM, ET FVNDATORIS MERITA PROSEQVENS, AD PERENNITATEM P.

A

Hæc ejus doctrinæ ſunt teſtimonia

I. Synodus Diœceſana habita anno Domini MDXC. Idus Maji Novariæ. *Ibid. ex typis Hæred. Franc. Sexali*, 1591.

II. Statuta Collegii Parochorum Civit. Cremonæ confirmata, & aucta. *Ibid. apud Chriſtoph. Draconium*, 1591.

III. Ordines circa Solutiones faciendas in cauſis Fori Epiſcop. Cremonæ, 1592.

IV. Edmundi Campiani Londinenſis Soc. Jeſu Theologi, qui non ita pridem pro Catholica religione in Anglia mortem oppetiit, oblati certaminis in cauſa Fidei rationes decem redditæ Academicis Angliæ &c. *Pragæ typis Michaëlis Peterla*, 1592. Hoc Opus vulgavit dum in Germania moraretur.

V. Articuli concordiæ inter RR. Paulum Albertum Scholaſticum, & Corradum Vaybellum Cancellarium Eccleſ. Vuratislavienſis cum Ven. Capitulo ejuſdem Eccleſ. &c. initi die 21. Septembris 1593.

B

VI. Index Librorum prohibitorum cum regulis confectis per PP. à Tridentina Synodo delectos auctoritate Pii IV. primùm editus &c. inſtructione adjecta de exequendæ prohibitionis, deque ſincerè concordandi, & imprimendi libros ratione. *Pragæ typis VVenceslai Marini à Genezic*, 1596.

VII. Decreta, & Acta edita, & promulgata in Synodo Diœceſana Cremon. prima. *Ibi apud Baptiſtam Pellizzarium*, 1599.

VIII. Decreta Provinciæ Mediolanenſis ſub B. Carolo Borromæo Card. Archiep. diverſis temporibus in ſex Conciliis, totidemque Voluminibus edita &c. juxta illius B. Cardinalis & Archiep. mentem ad inſtar Decretalium Gregorii Papæ IX. in unum Codicem collecta. *Brixiæ, apud Societ. Brixienſem*, 1603.

C

IX. Synodus Cremon. ſecunda, cui acceſſere Synodi duæ, Mediolanenſis Provincialis una, altera Cremonenſis Diœceſana à trecentis jam annis Cremonæ habita (fuit illa Raynerii Epiſc ex Nobiliſs. Familia Rubea Parmenſi Ep. an. MCCXCIII.) *Cremonæ impreſſa*, 1604.

X. Regole della Compagnia della Dottrina Chriſtiana. *Cremona*, 1604., & iterum, *ivi appreſſo Paolo Poveroni*, 1670. Juſſu Franciſci Vicecomitis Cremonæ Epiſcopi.

XI. Regole della Compagnia delle Figliuole della Madonna SS. *Cremona, preſſo gli Eredi Barrucini Zani*, 1616. Juſſu Johannis Baptiſtæ Bripii Cremonæ Epiſcopi.

XII. Propoſizioni Chriſtiane, e Civili, ſubalternate a Dio MS. in fol., extant in Biblioth. PP. Societatis Jeſu Cremonæ.

XIII. Epiſtolæ plures ad Sanctum Carolum Borromæum & iſtius ad Spetianum, de quibus integrum volumen effici poteſt. Extant in Biblioth. Ambroſiana in præclara Collectione ſæpè laudata Epiſtolarum Divi Caroli, & lectu digniſſimæ.

Ipſum laudarunt ex profeſſo Franciſcus Zava in ſua gratulatione pro Spetiani adventu ad Epiſcopatum Cremonæ. *Ibi apud Chriſtophorum Draconium*.

Joannes Vida Piſenattus in Oratione in laudem Spetiani *Cremonæ apud Draconium*, 1608

Gulielmus Labentius Rotopienſis in ſua Deploratione in Obitu Spetiani. *Mediolani apud Pontium & Picaleam*, 1607.

Præter ſupradictos agunt de ipſo Carolus à Baſilica Petri in Novaria Sacra, Ughellus in Epiſcopis Cremonenſibus Tom. IV. Italiæ Sacræ, Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſæo Novarienſi. Ariſius in Cremona Literata Tom. II. pag. 419. Paulus Morigia in Hiſt. Antiquit. Mediol. Lib. 4. Cap 25., & Hiſt. Nobil. Mediol. Lib. 2. Cap. 14. & Advocatus Sitonus in ſuo Theatro Genealogico pag. 422. MS. in fol. penes Auctorem.

## MMCCXLVII.

## SPREAFICUS JACOBUS.

FRatrem ſortitus eſt Gabrielem Mariam, quem ſuo celebravimus loco, atque inter Clericos Regulares Barnabitas Vitam & ipſe agebat, dum ſuum Athenæum Mediolanenſe Abbas Philippus Picinellus ſcribebat, ubi ad calcem Articuli Fratris ſui, curam animarum per plures annos Jacobum noſtrum geſſiſſe aſſerit in Collegio Suorum S. Alexandri, librumque ſub Anagrammatico nomine evulgaſſe,

Hoc Titulo

I. Teatro della Caccia, e Trattenimento geniale della Villa. *Milano, per Franceſco Vigone*, 1669. in 8.
Ex eodem Picinello pag. 229.

## MMCCXLVIII.

## STRABELLIUS BERNARDINUS.

SCriptoribus Mediolanenſibus Ordinis Minorum S. Franciſci addere juvat & hunc Bernardinum, qui in Conventu S. Mariæ Pacis hujus Urbis diem ſuum clauſit extremum anno Chriſti MDCCXII., librumque edidit

I. Vita di S. Gioanni da Capiſtrano. *Milano, preſſo Carl. Antonio Malateſta*, 1691. in 8.
Ita à Suis, & ex Schedis Mazzucchellianis.

MMCCIL.

Digitized by Google

# T

## MMCCIL.

### TERZAGUS UBERTUS.

UBertus Terzagus, quem alii Obertum, ſeu Humbertum appellarunt, nobiliſſimo ſanguine Mediolani natus, clericalem prioribus ætatis ſuæ annis amplexus vitam, ſic poſt humanas literas divina calluit, ut ſummus Theologus haberetur. In Academia Pariſienſi, toto terrarum Orbe celeberrima, annos X. docuit ſacras quæſtiones ſummo cum Auditorum plauſu. Mox in Patriam rediens Archipresbyteri dignitatem in Baſilica Modoëtienſi obtinuit; cùmque virtutum atque doctrinæ famam longè lateque apud Cives ſuos eſſet adeptus, defuncto Milone Cardano, de quo egimus in Artic. CDXL. hujus Operis, ad Ambroſianam Cathedram communibus Cleri votis aſſumi promeruit anno MCXCVI. die VIII. menſis Septembris, electionem confirmante Cœleſtino III. Pont. Max. Quantâ præditus eſſet in rebus agendis prudentiâ oſtendit fœdus eo curante initum inter Mediolanenſes, atque Novocomenſes Cives, Lanfranco Septala hujus Metropolis Conſule. Baſilicam B. Ambroſii vetuſtatis injuriâ collabentem novâ molitione reſtituendam aggreſſus, coactus eſt intercedente morte ab incœpto deſiſtere. Breve Præſulatus ſui ſpatium aliis etiam decoravit actibus, conſecratione videlicet Altarium Charævallenſis Cœnobii, dum Anſelinus eidem præeſſet Abbas; vetus enim ejuſdem Monaſterii Codex hæc habet: „ Anno MCXCVI. facta eſt conſecratio „ Altarium à Reverendiſſimo Oberto de Terza- „ ghis Archiepiſcopo Mediolani „. Nec minorem ei conciliavit famam illa, quâ apud Innocentium III Pontificem floruit, exiſtimatio, hancque indicant Epiſtolæ inferiùs memorandæ. Cæterùm Archiepiſcopalium jurium ſtrenuus defenſor extitit, & adversùs Monaſterium Sancti Donati de Scozula pro iis tutandis litem ſuſceptam proſecutus, victor tandem evaſit, & latam ab Adelardo Cardinali, & Veronenſi Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Delegato in ea cauſa ſententiam per Innocentium ipſum confirmandam curavit. Exiſtimat Ciacconius, Ubertum inter S. R. E. Cardinales ab eodem Pontifice fuiſſe relatum, atque Andreas Victorellus in Additionibus ipſi titulum aſſignat Sancti Stephani in Cœlio Monte. Verumtamen Ughellus in Italia Sacra Tomo IV. num. LXXXVI. id apertè inficiatur. Rem ſub judice relinquimus, utpote ab inſtituto noſtro alienam; opinioni autem Ciacconii favet plurimum aſſertio Alberici Monachi Trium-Fontium, qui in Chronico ſuo ad annum MCC. hujus Uberti meminit, quem Theologum, & Cardinalem, atque Mediolanenſem Archiepiſcopum nuncupavit. Ejus obitum aſſignat idem Albericus prædicto anno MCC. addens, Ubertum Mediolanenſem Eccleſiam annos VII. rexiſſe. Repugnant autem monumenta ipſius Eccleſiæ, ubi ſediſſe notatur menſes IX. dies V., & ad plures migraſſe anno MCXCVII. die XII. menſis Aprilis, ſepultuſque traditur in Eccleſia hyemali. Hæc ſimul componant, quibus otium eſt. Nos literarios ipſius labores indicamus ex memorato Alberico, quem citavit Fabricius in Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis Tomo III. pag. 899. quibus debent nobiſcum Lectores optimi Scriptorem hunc in primo Catalogo Auctorum majoris notæ, quos inter jure fuerat memorandus, prætermiſſum.

Scripſit:

I. Librum de Concordia Veteris, & Novi Teſtamenti: ex laudatis Alberico, atque Fabricio locis indicatis.
Extant ad eundem Innocentii III. Epiſtolæ II. quarum primâ ſuper quæſtione inter ipſum Archiepiſcopum, & Monaſterium S. Donati de Scozula Sententiam per Veronenſem Epiſcopum latam confirmavit. Altera autem eſt contra Paſſaguerram Mediolanenſem Romanæ Curiæ detractorem.
De ipſo, præter citatos, agunt quotquot de Mediolanenſibus Archiepiſcopis ſcripſerunt.

## MMCCL.

### TESTA FRANCISCUS.

FAmiliam Teſtam inter Nobiles Mediolanenſes refert J. C. C. Raphaël Fanianus in Commentar. MSS. ſub litera T. & Nicolaus Teſta J.C. Anno MCCCCLXXXIX. claruit ex Ducalibus Vicariis Generalibus in Statu Mediolani. In Epiſtola Nuncupatoria ad Marchionem Vaſti, & ad Antonium de Leyva, quam Orationi infra recenſendæ præfixit Franciſcus Teſta, ait ſe in bello contra Gallos ſub Signis Cæſareis militaſſe, ideoque juſſu Joannis Franciſci Gubernati, à Secretis Caroli V. Imperatoris, ſupramemoratam euchariſticam Orationem elucubraſſe ob celeberrimam Victoriam ſub Papiæ mœnibus, anno MDXXV. reportatam; cùm autem in ea ſe Mediolanenſem eſſe profiteatur, ideo & nos inter Scriptores medii ferme Sæculi XVI. ipſum reponendum cenſuimus.

Scripſit, atque vulgavit

I. Orationem in Supplicationibus trium dierum habitis in Templo Maximo Mediolani, pro Victoria Divi Caroli V. Cæſaris Auguſti apud Ticinum parta, in 4.
Ex Schedis Mazzucchellianis, & Sitonianis.

## MMCCLI.

### TUTTAVILLA HIERONYMUS.

IN Codice pergameno Gaſparis Vicecomitis, pluries à nobis laudato, quem ſervat Bibliotheca Clericorum Regularium S. Pauli in Collegio S. Barnabæ hujus Urbis, leguntur etiam Carmina iſtius Hieronymi, quem P. Quadrius, loco infra citando, vult Mediolanenſem, ideoque ex fide ejuſdem aliis Poëtis præſentis noſtræ Bibliothecæ adnectimus,

Ob

I. Carmina Italica, quæ extant in ſupradicto Codice.
Ex Opere Cl. P. Quadrii „ della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 211.

MMCCLII.

Digitized by Google

# V

## MMCCLII.

## à VALLE ASCALEON.

IN Articulo MDCCXL., ubi de Federico à Valle locuti ſumus, Inſcriptionem Aſcaleonis protulimus in Atrio Eccleſiæ S. Ambroſii Majoris hujus Urbis extantem, ibique diximus, nobis ignotum fuiſſe, an idem Federicus filius extitiſſet Lælii, cujus nomen in ipſamet Inſcriptione ſcriptum credidimus, ſed de altera in Eccleſia B. V. M. Gratiarum poſita, ſermo illic habendus erat, quam ſervavit Comes Octavius Archintus in ampliſſima ſua Collectione, atque ipſam hîc damus:

ANIMIS DESIDERATISSIMIS
DAMIANO ET MATTHEAE GENITORIBVS PIENTISSIMIS
ASCALEONI ET SANCTINAE VXORI EIVS DVLCISS.
FRATER LAELIVS VALLES
OPTIMO PIETATIS ET AMORIS FOEDERE
SVORVM MEMORIAE STVDIOSVS
B. M. P.

Supradictus igitur Aſcaleon, patre Damiano, matreque Matthæa Vapria natus, recenſetur inter Decuriones Mediolanenſes ab anno MDIV. uſque ad MDXXXIX., quo deceſſit die XIII. Octobris, necnon tumulatus fuit in Atrio ſupradicto Baſilicæ S. Ambroſii cum Inſcriptione jam relata in Articulo ſupramemorato Federici à Valle, ut innuimus. Inter Scriptores autem noſtros adnumerandus videtur,

Propter

I. Editionem ab eo factam Operis Bonini Mombririi, hoc titulo „ Trenodiæ in Funere Illuſtriſſimi quondam Domini Domini Galeaz Mariæ Sfortiæ Ducis Mediolani &c. „ cui Libro, cum primùm ab eo ederetur *Mediolani, typis Alexandri Minutiani, anno 1504. die 2. Martii, in 4.* Aſcaleon noſter præfixit Epiſtolam ſatis eruditam ad Jo. Jacobum Balſamum.
De ipſo Cl. Saxius in Hiſtoria Typographico-Literaria Mediolanenſi ad annum MCCCCLXXIV., ubi de Mombritio agit, & ad pag. DLIII., necnon Schedæ Sitonianæ.

## MMCCLIII.

## VARISIA JULIA.

JUliam Variſiam in hac noſtra Bibliotheca inſerendam eſſe duximus, ex verbis Cl. P. Quadrii Societatis Jeſu, quæ ſunt: „ Giulia Vareſe, Milaneſe, Monaca nel Moniſtero Maggiore di ſua patria, Muſica eccellente, non ſolo cantava colla viva voce ſopra ogni ſorta di Strumenti, coſe eziandio non prima vedute, tuttochè difficiliſſime, con tanta ſicurezza, che ne rendeva ſtupore ad ognuno; ma componeva ella pure aſſai leggiadre Canzonette, e Madrigali, che riduceva poi in Muſica; ed era tenuta per Maeſtra di Cappella eccellente ec. „ Ipſam ideo, atque Fabium Variſium, de quo parum infra ſermonem habebimus, contra votum, ob eorum ſolummodo peritiem in Muſices arte minimè Lectoribus noſtris dediſſemus, ſed quia etiam Carminibus excelluere, Lectores noſtri patienter ferant, ſi inter ipſos hos quoque enumeramus.

Scripſit igitur Julia

I. Madrigali.
II. Canzonette.
Ex Libro ſupradicti P. Quadrii inſcripto „ della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. part. II. pag. 323.

## MMCCLIV.

## VARISIUS FABIUS

FIlius Joſephi, & Claræ de Martinettis conjugum claruit annis MDXCII. MDXCVIII. & MDCIII. uti eruitur ex Schedis Sitonianis. Sicut diximus in antecedenti Articulo Juliæ Variſiæ, ægrè ferimus, Muſicæ profeſſores in hac Bibliotheca Virorum Literis illuſtrium recenſere, ideoque & Fabius iſte prætereundus foret cum aliis hujus notæ Viris, etſi à Picinello in ſuo Athenæo relatis, ſed quia Clariſs. P. Quadrius ipſum laudat etiam pro Verſibus maternâ linguâ exaratis, ei locum hîc damus, quamquam invito animo.

Scripſit igitur

I. Carmina plura, vulgò *Sonetti*, Mediolanenſi dialecto compoſita.
II. Canzonette a tre. *Milano*, 1592.
Ita Hieronymus Borſerius in Supplemento cap. XV., Abbas Picinellus in Athenæo pag. 179., & P. Quadrius in Libro „ della Storia, e della Ragione „ d'ogni Poeſia „ Tom. II. parte II. pag. 325.

## MMCCLV.

## VIANUS CAROLUS OCTAVIANUS.

QUòd Viana Familia inter antiquas Mediolanenſes extiterit, teſtes ſunt Raphaël Fanianus, Comes Octavius Archintus, & Cl. Sitonus noſter. qui ſtemma genealogicum à Joanne Viano J. C. florente anno Chriſti MCCCCXX. uſque ad noſtra tempora nobis humaniter de more communicavit; Carolus Octavianus patrem habuit Franciſcum,

ſcum, matrem verò Paulam Antoniam Canettam atque natales ſuos anno MDCXLV. in Oppido Palantiæ ſortitus eſt; Utriuſque deinde Juris laureâ in celeberrimo Bononienſi Archigymnaſio decoratus, magni nominis Advocatus claruit in Mediolanenſi Foro, ultimoſque clauſit dies in hac Urbe die XVIII. menſis Auguſti anni MDCLXXXIII. Jacet in Præpoſiturali Eccleſia S. Leonardo ſacrâ præfati Oppidi Palantiæ, ubi legitur ſequens meritorum ejuſdem memoria marmori inſculpta:

D. O. M.

CAROLO OCTAVIANO VIANO I. V. D.
NOBILITATE DOCTRINA VITA
VBIQVE SEMPER INTEGERRIMO
MEDIOLANI
TOGA IVRISPRVDENTIA PIETATE CLARISSIMO
QVOD NVLLIS LABORIBVS
PERICVLIS SVMPTIBVS PROPRIIS PEPERCERIT
VT PALLANTIAM PATRIAM
DIFFICILLIMO EIVSDEM TEMPORE
QVIETAM SECVRAM ET LIBERAM SERVARET
SCIENTIIS NIL SIBI AVXIT NEC SVIS
SED MERCES FVIT PVBLICAE FOELICITATIS PRAESIDIVM
OPPIDANI
TANTO VIRO
DE PATRIA ET DE OMNIBVS OPTIME MERITO
ANNORVM AETAT. XXXVIII. DECIMO OCTAVO AVGVST. MDCLXXXIII.
MORTE NIMIS IMMATVRA EREPTO
REFERENDAE GRATIAE CAVSA ET SOLATII LOCO
AETERNITATEM QVAM POSSVNT
P
KAL. IVNII MDCLXXXIV.

Opera ſunt hæc:

I. Diſſertatio Hiſtorico-legalis prò tutela finium; & juriſdictionis Regii Oppidi Pallantiæ Ducatus Mediolani. *Ibi*, 1679. *in fol.*
II. Legalium Conſultationum Volum. III. in folio partim impreſſ., partim MSS., extant penes Marchionem Joſeph Gabrium Vianum Scriptoris noſtri ex fratre Nepotem.

Ejuſdem cum laude meminerunt Joh. Bapt. Blanchinus in Hiſt. Regii Oppidi Pallantiæ pag. 34. & 64. MS., & Joh Joſeph Valianus in Deſcript. Verbani lacus, & locorum adjacent pag. 180.

## MMCCLVI.

## VICECOMES APOLLINARIS.

HAbitum Sacrum induit inter Monachos Ciſtercienſes Monaſterii Carævallenſis die XXV. menſis Martii, anno à Virginis Partu MDXLVII. Ita eruimus ex MS. quem ſervat Bibliotheca eorundem Monachorum S. Ambroſii hujus Urbis, cui titulus: „ De Origine Monaſterii Carævallenſis „ Mediolani Ordinis Ciſtercienſium in fol. „ Ibi poſt ſeriem Abbatum præfati Monaſterii ſequuntur immediatè Venerandi Patres Priores, inter quos reperitur, quòd anno MDLXXVIII. præcedat D. Apollinaris de Vicecomitibus, & iterum anno MDLXXXVI. unà cum duobus ſubſequentibus. Inter vivos eſſe deſiit initio Sæculi XVII. ediditque librum ſatis proficuum Suo Ordini,

Inſcriptum

I. Kalendarium Ciſtercienſe per Apollinarem Vicecomitem Ciſtercienſem ſub titulo Collectarium Sacri Ciſtercienſis Ordinis denuò impreſſum *Mediolani*, *apud Pacificum Pontium* 1594. Ut ex Præfatione D. Juſti Morbii; Reverendiſſ. P. D. D. Damiano Bizozero Abbati, & Italicæ Congregationis Præſuli emerito, A Suis.

## MMCCLVII.

## VICECOMES PETRUS FRANCISCUS.

COmes Petrus Franciſcus Vicecomes filius Comitis Ludovici ex Condominis Maſſini ad Verbanum lacum, & Confeudatarii Olgiati Ollonæ ac Comitiſſæ Franciſcæ Petraſanctæ conjugum, Ita-

lica Poëſi claruit anno MDCLXXVI., ſenexque admodum deceſſit Mediolani die primo Martii, anno MDCCXVII. typiſque edidit ſequentem Poëſim,

Videlicet

I. Il Serpe attaccato alla Baſe della Piramide de' Faticoſi per impreſa, col motto: *Impiger à Primo*, tolto da Claudiano lib. I. di Stilicone, e col titolo di Principiante. Oda compoſta, e dedicata all' Illuſtriſſimo Signor Conte Filippo Archinto, dal Conte Pietro Franceſco Viſconte, nel medeſimo giorno, che prende il poſſeſſo del Principato nell' Accademia. *Milano, preſſo Lodovico Monza, in 4.*

Ejuſdem meminerunt Joſeph Benalius in Hiſt. Magiſtrat. Extraord. pag. 179., & in Elencho Feudatar. Status Mediol. pagg 68. & 72., ac Advocatus Sitonus in Theatro genealogico Sitoniano pag. 487. MS. in folio penes Auctorem &c., necnon Jo. Auguſtinus Meda in Relat. ſolemn. ingreſs. Emin. Card. Herbæ Odeſcalchi Archiep. Mediol. pag. X.

## MMCCLVIII.

## VICECOMES PYRRUS

Ex Alphonſo, & Fulvia Thereſia Anulpha nobilibus conjugibus ortus eſt in hac Metropoli. Pluribus Feudis decoratus, & unus ex LX. Patriæ Decurionibus, in Collegium J. PP. cooptatus eſt anno MDCLXXVIII., biſque Urbis Præfectus extitit, ſicut & à Cubiculo & Conſiliis S. C. M. olim Caroli VI. Imperatoris, ſupremuſque in Mediolanenſi dominio Cancellarius, meuſque dum erat in vivis Patronus eximius. In Poëſi, & Oratoria facultate, præter res politicas, ſummè præditus, cum omnium bonorum tam Patriæ, quàm Exterorum mœrore ſuum clauſit diem, anno MDCCXXV. ſeptimo Junii, tumulatuſque jacet in Majorum Suorum Sepulchro poſito in Parochiali Eccleſia Caſtri Brignani, hujus Vicecomitum Familiæ Feudi. Digniſſimi Viri memoria celebratur in Inſcriptione, quæ legitur in Aula interiori Collegii ſupramemorati J. PP. Metropolis noſtræ indicatâ causâ hiſce notis:

AVGVSTISS. CAESARI CAROLO VI. HISP. REGI III.
SERENISS. PRINCIPI EVGENIO A SABAVDIA
MEDIOLANENSIS PROVINCIAE MODERATORI
EXCELLENTISS. MARCHIONI COLLEGAE DON PYRRHO
VICECOMITI SVPREMO CANCELLARIO
OB ADDICTA HVIC COLLEGIO
EORVM MVNIFICENTIA FAVORE PRAESIDIO
PERPETVA SVBSELLIA GALLI ET EQVI
ELEMENTA GRATIARVM.

Superſunt ipſius

I. Oratio in laudem Cardinalis Erbæ Odeſcalchi. Extat in libro „Concordia di applauſi conſecrati all' Emi-„nentiſſimo Signor Cardinal Erba Odeſcalchi nel „ſolenne di lui ingreſſo in Milano, fatto il dì XIX. „Agoſto MDCCXIV. *Ivi, per il Sirtori*, 1714. *in 4.*

II. Carmina plura Italica extant in Schedis P. Sementii, & P. Stampæ è Congregatione Somaſchenſi, de quibus mentionem faciemus in Exteris.

De ipſo agunt Balthaſſar Parravicinus in libro „Mila-„no ſempre grande„. Advocatus Sitonus in Chron. Coll. J. PP. art. 1072. pag. 234., & in Monumentis Vicecomitum. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1714. *in fol.* Jo Auguſtinus Meda in Relatione ſolemn. ingreſs. Emin. Card. Herbæ Odeſcalchi Archiep. Mediol. pag. 77. ad 80.

Oravit in ejus funere Leonardus de Comitibus Parochus Beſanæ, ejuſque Oratio prodiit *Mediolani, apud Blancum*, 1725. *in 4.*

## MMCCLIX.

## VICOMERCATUS JOANNES ANTONIUS

Filius Joannis Georgii, & Luciæ Terzagæ Nobilium conjugum claruit an. MCCCCXCIV. uſque ad MDXVIII., ita ex Schedis Sitonianis. In evolvendis Jacobi Antiquarii Epiſtolis, invenimus Auctorem hunc, patruelem ſortitum fuiſſe Franciſcum; & Græcæ linguæ, necnon Ariſtotelis Rhetoricæ publicum Profeſſorem exſtitiſſe, ſed ubi loci, ignoramus. Florebat vergente Sæculo XV., & ob commercium literarium, quod habuit cum ſupradicto Antiquario, cujus diſcipulus fuit, omittendus non eſt, ut ex infra recenſendis.

Memorantur igitur ipſius

I. Epiſtolæ plures Latinæ ad Jacobum Antiquarium; ut ex iſtius Reſponſionibus, videlicet

1. Meminit Antiquarius Literarum Vicomercati, adjunctis quibuſdam Iſocratis Orationibus, quas tandem ſe recepiſſe confirmat.
2. Docet eum, quibus moribus uti debeat in gymnaſio.
3. Nunciat eidem obitum Joannis Franciſci Vicomercati patruelis ſui.
4. Gratulatur ei amicitiam recenter initam cum Joanne Maria Vibio.
5. Gaudet Græcæ Lectionis publicè tributum eſſe Vicomercato Laborem, eumque hortatur, ut Franciſcum Maturantium imitari ſtudeat.
6. Ait, ſe ex Vibii literis intellexiſſe, Vicomercato delatum fuiſſe munus publicè docendi Ariſtotelicam Rhetoricam Græcè; rurſuſque monet, ut Maturantium colat.
7. Reſpondet Vicomercati literis, quibus eidem quædam erudita ſcripſerat.

Extant inter Antiquarii Epiſtolas editas *Peruſii, apud Leonem*, 1519. *in 4.*

## MMCCLX.

## UNGARDUS ARCHANGELUS.

Ex duobus documentis penes Cl. Sitonum noſtrum, annis MCCCCLXVIII., & MCCCCLXXII. exaratis, agnovimus Archangelum Ungardum Vicarium fuiſſe perpetuum Eccleſiæ Parochialis S. Zenonis hujus Urbis, vulgo in Paſquirolo. In eiſdem Tabulis vocatur etiam de Undegardis, ideo-

Digitized by Google

ideoque ex Familia inter Mediolanenſes antiquiſſima, ac è Vico hujus nominis forſan ſic nuncupata. De ipſo loquitur Cl. Saxius in Prolegomenis ad Hiſtoriam Typographicam Mediol. cap. IV. pag. XCII. ubi etiam opinatur, Ungardum iſtum non tantùm ad Editiones librorum parandas ſe ſtudioſe dediſſe, ſed etiam floruiſſe Arte impreſſoria; in Epiſtola verò præfixa libello Litaniarum triduanarum, de quo infra, ſatis oſtendit, ad curam quoque animarum Præpoſitum extitiſſe. Illi interim debemus Editionem libri infraſcripti,

A

Videlicet

I. **De Litaniis Triduanis, unà cum Epiſtola nuncupatoria „ Reverendo Patri, ac utriuſque Juris Doctori „ eximio, Domino Romano de Barni, Laudenſis „ Eccleſiæ Canonico, & Domini D. noſtri Stephani „ divina miſeratione Mediolani Archiepiſcopi, „ ac Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſub titulo Sancti „ Adriani, Cardinalis, Vicario Generali, Archangelus „ Ungardus indignus Presbyter S. P. D.**
**Videndæ ſunt etiam ſchedæ Sitonianæ, & Diamans Marinonus in libro de Origine Urbis Mediol. & Familiarum ejus, verbo *Ondegardi*.**

# Z

B

## MMCCLXI.

## ZUCCHETTUS JOANNES.

Nil præter nudum hujus Libri titulum proferre poſſumus; aſſerere tamen minime dubitamus, Opellam iſtam tam proficuam ab Aſceticis exiſtimatam fuiſſe, ut bis imprimendam curaverit Typographus, ut infra

Hoc titulo

I. **Diario cavato da' Scritti di Santa Tereſa, per far profitto nella vita Spirituale, del Rev. Prete Giovanni Zucchetti Milaneſe. *Milano, preſſo il Vigone*, 1671, *in 4., & iterum apud ejus Succeſſores*, 1737. *in* 12.**

Digitized by Google

Digitized by Google

# ADDENDA,

## ET

## CORRIGENDA.

[Library stamp]

# MONITUM.

EN, Lector optime, poſt extremam manum, favente Deo, Scriptorum Mediolanenſium Bibliothecæ impoſitam, quod mihi adhuc ſupereſt tibi exhibendum, Addenda nempe, & Corrigenda. Quemadmodum aliis hujuſmodi Collectoribus perſæpe contigit, ſicuti præfatus fui, mihi quoque evênit; nam in molem nimis grandiorem labor hic meus, qualiſcumque ſit, tantùm excrevit, ut vix mihi perſuadeam, inveniri potuiſſe numerum MMCCLXI. Auctorum Mediolanenſium. Ne mireris ideo, ſi ope etiam Amicorum tam noſtratium, quàm exterorum, plura ad manus meas pervenerint, pluraque etiam mihi videre contigerit tam pro additionibus, quàm pro correctionibus tibi opportunè tradendis. Invenies igitur ſphalmata quædam majoris momenti emendata, ea ſcilicet, quæ Typographorum incuriâ, ſenſum immutarent, vel Chronologiam nimis perturbabant; reliqua minoris momenti prudentiæ tuæ committere ſtatui, ratus pro inſita animi tui benignitate, nihil hæc te moratura, quin laborioſo ſanè Operi meo favere ne dedigneris. Vale.

Digitized by Google

# ADDENDA, ET CORRIGENDA.

# A

### ABDUA FERDINANDUS.

Addenda, & Corrigenda ad Articulum I. Col. 1.

XI. Carmen in laudem Beatæ Mariæ Virginis in Cœlum Aſſumptæ. *Mediolani, apud Fratres Metios*, 1564. *in* 4.
Eques Vendraminus Academicus Phœnicius Auctori noſtro dicavit Carmina ſua Italica inſcripta „ Stanze, e Capitolo „. *Milano, preſſo Gio: Antonio Borgia*, 1553. *in* 4. cum Nuncupatoria data Mediolani die XX. Julii eodem anno, & tribus Carminibus pariter Italicis, vulgo *Sonetti*, ad Abduam noſtrum; omnia verò ſunt in laudem cujuſdam fœminæ nobilis, inſtante Abdua ipſo.
Joannes Cinellus in Pluteo VI. pag. 33. carpit Orationem Scriptoris noſtri contra Juriſprudentiæ Vituperatores favore Medicinæ, & ei opponit Orationem Germani Benonis de Medicinæ dignitate.

*In Articulo Operum ejuſdem Col. 2. lin. ult. ubi legitur 1646. corrige 1546.*

### De ADVOCATIS CAMILLUS.

Addenda ad Artic. V. Col. 4.

Filius Jo. Jacobi, & Angelæ de Medicis de Serenio conjugum, genuitque Joannem Baptiſtam, de quo egi in Articulo VI. ſubſequenti. Obiit anno Domini MDCXVII.

IV. Carmina Latina in laudem B. Caroli Borromæi occaſione, quâ in numerum Sanctorum cooptatus eſt. *Mediolani, in Typographia Archiepiſcopali*, 1611. *in* 4.

### AELIUS JOANNES JACOBUS.

Addenda ad Art. XI. Col. 6.

Juriſconſultus Collegiatus Mediolanenſis ab an. MDLXX. ad MDCIII. Parentes ei fuere Nicolaus, & Antonia Alciata conjuges.

III. Oratio in laudem Polydori Craſſi ejus Præceptoris. MS in 4. Extat in Bibliotheca FF. Capuccinorum Portæ Orientalis hujus Urbis.
De ipſo Cl. Sitonus in Chron. J. PP. Coll. Art. 592.

### AGRIPPA CAMILLUS.

Addenda ad Art. XIII. Col. 7.

V. La Virtù: Dialogo ſopra la dichiarazione della cauſa de' Moti, tolti dalle parole ſcritte nel Dialogo de' Venti. *Romà, per Stefano Paulini*, 1598. *in* 4.

QUoniam Articulo Camilli Agrippæ hoc addere opus fuit, dignum exiſtimamus hîc ſubjicere inſigne monumentum alterius ex eadem familia Viri, nimirum Martini Agrippæ, cujus quamvis doctrina laudetur, nullum tamen Opus literarium nobis occurrit. Illud extat Bononiæ in Baſilica S. Petronii, ut teſtis eſt Laurentius Schraderus in Monumentis Italiæ pag. 55. in hæc verba:

MARTINO AGRIPPAE MEDIOLANENSI,
HVIVS AEDIS CANONICO
ALIIS SACERDOTIIS INSIGNI.
SI DOCTRINA, VIGOR MENTIS, FACVNDIA, VIRTVS;
IVS IN FATA HABEANT, SALVVS AGRIPPA FORES.
HEV! QVAM RARA AD EOS SOLET ADVENTARE SENECTVS,
QVI NIMIIS ANIMI DOTIBVS EXVPERANT.

### AGUDIUS CAROLUS.

Addenda ad Art. XIV. Col. 7.

XVIII. Oda Epitalamica nelle Nozze di Ercole Sfondrati, Conte della Riviera, colla Conteſſa Donna Laura Caimo. *In Milano, per il Ramellati*, 1677. *in* 4.

### ALAMANNUS BASILIUS.

Addenda ad Art. XXIV. Col. 13.

Ejus patrem jam dedimus, ſcilicet Benedictum, nunc nomen addimus etiam matris, quæ fuit Angela Urſina de Roma.

V. Oratio de Admirabili ingenii humani facultate, habita anno MDXCI. Incipit „ Si rebus creatis „ in omni præſertim graviſſimo Sapientum Viro„ rum Conſeſſu &c. „ MS. pagg. 8. extat in Tomo XXXVIII. Miſcell. MSS. in fol. in Biblioth. Braydenſi. Eruditiſſima, & ſtylo verè aureo exarata. Quoniam verò hujus Codicis mentio incidit, non abs re fore exiſtimo aliorum quoque, quamvis Exterorum, referre Orationes MSS. hoc Codice comprehenſas, nimirum Pauli Comitoli, Joannis Vagnori, Nicolai Magneſii, Cæſaris Iſnardi, Joannis Baptiſtæ Solarii, Angeli Groſſi, Horatii Montaldi, Franciſci Albritii, & Joannis Boteri.
VI. Tractatus de Actibus Intellectus, & Voluntatis: MS. in 4. Extat in Biblioth. PP. Soc. Jeſu Domus Profeſſæ S. Fidelis hujus Urbis.
VII. Problemata Ariſtotelis explicata, & examinata. MS. in 4. ibidem.
VIII. In Ariſtotelis Logicam Diſputationes centum. Vol. II. in 4. MSS. ibidem.
IX. Curſus integer de Eſſentia, & de Elementis. MS. in 4. magnæ molis. Ibidem.
X. De Phyſica Libri XVII. MS. in 4. ibid.
XI. Philoſophia Moralis examinata. MS. in 4. ibid.
XII. Miſcellanea Theologica. MS. in 4. ibid.
XIII. Præludia in univerſam Theologiam. MS. in 4. ibid.
XIV. Adnotationes in Suarez de Gratia. MS. in 4. ibid.
XV. In tertiam Partem D. Thomæ Commentarius. MS. in 4. ibid.

ALA-

Digitized by Google

## ALAMANNUS COSMUS.

### Addenda ad Art. XXV. Col. 13.

III. Correctiones in Fonſecam ſatis eruditæ. Codex MS. in 4. quem prælo paratum habebat cum Indice, atque Approbationibus anno MDXC. Extat in Biblioth. PP. Soc. Jeſu Domus Profeſſæ S. Fidelis Mediol.

De ipſo, præter ſuo loco citatos, agitur in Magna Biblioth. Eccleſiaſtica edita *Coloniæ Allobrogum*, *anno* 1734. *fol.* 179.

## ALAMANNUS JOSEPH.

### Addenda ad Art. XXVI. Col 14.

IV. Oratio de Inſcitia, animæ peſte, ejuſque Medicina, habita in Templo Braydenſi in Studiorum Inſtauratione, anno MDLXXVIII. Incipit „ Si quantum „ in comparandis opibus abjectæ mortalium cogita„ tiones evigilant &c „ MS. pagg. 10. in Tomo XXXVIII. Miſcellaneorum, in fol. Servatur in Bibliotheca Braydenſi.

V. Altera, cujus argumentum „ Quæ veræ divitiæ ſint „ habita in Inſtauratione Studiorum, anno MDLXXIX. Incipit „ Fallacium ne divitiarum magnificen„ tia &c. „ MS. in fol. pagg. 8. in eodem Codice.

VI. Tractatus de Elocutione. MS. in 4. manu Alexandri Confalonerii. Extat apud Comitem Anſpertum Confalonerium Magiſtratus Redditi Extraordinariorum Quæſtorem.

## ALBANUS IGNATIUS.

### Addenda ad Art. XXVII. Col. 14.

Alexandri filius, & inter Canonicos Scalenſes adſcriptus extitit anno Chriſti MDLXIX.

VIII. Libellus de piis Affectibus S. Caroli Borromæi ad Varallum. E ſchedis Sitonianis.

IX. Sententiæ inſignes Græcorum L. Comicorum, quorum integræ non extant Latino idiomate collectæ. Acceſſit cujuſque Poëtæ Vita accuratè conſcripta, & Platonis Fragmentum de Comœdiarum differentiis &c. Ignatii Albani C. M. operâ denuò in lucem edita. *Brixiæ, per Bartholomæum Fontanam*, 1612. *in* 12.

## ALBERGANTES HECTOR.

### Addenda ad Art. XXIX. Col. 15.

XXII. Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*: extat in Libro, cui titulus „ Vita di Difendente Quadrio. „ *Como, per Niccolò Caprani*, 1655. *in* 8 ſub nomine *Nibalgrate Trerote*, ideſt *Ettore Alberganti* Dottore di Sacra Teologia, e Provicario del Veſcovo di Como.

Ex P. Quadrio in Libro „ della Storia, e della „ Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. part. II. pag. 64.

## ALBERGONUS ELEUTERIUS.

### Addenda ad Art. XXX. Col. 16.

VIII. Predica del modo di lodare, ed eſaltare Dio nella Cattedra, ſopra l'Evangelo „ Super Cathedram „ Moyſi &c. „ e ſopra le parole del Salmo „ Exal„ tent eum in Eccleſia Plebis &c. „ Recitata in Venezia nella Chieſa de' Frari l'anno MDXCIII *Roma, per Stefano Paulini*, 1606 *in* 4.

Recudenda curavit opera Fratris Ludovici Cavalli, *Lugduni*, 1643. teſte Cotta in Addendis ad Muſæum Novarienſem. MS. apud Auctoris filium pag. 120.

Quorum autem filius fuerit Eleuterius, patet ex Inſcriptione ab eodem, & Joſepho fratre genitoribus poſita in Baſilica Sancti Stephani hujus Urbis. Ea eſt;

IOHANNI BAPTISTAE ALBERGONO
REGIO RATIONATORI
ET BRIGIDAE GORGONZOLAE
QVI PARES IN DEVM RELIGIONE
IN PROXIMOS PIETATE AC LIBERALITATE
IN SE IPSOS MVTVA BENEVOLENTIA
ANNOS XL. SIMVL VIVENTES
LIBERIS OCTO RELICTIS
ET SEPTEM AD COELVM TRANSMISSIS
OBIERVNT ANNO DOMINI MDIC.
FRATER ELEVTHERIVS
EPISCOPVS MONTIS MARIANI
AC IOSEPH
METROPOLITANAE ECCLESIAE MEDIOLANENSIS
CANONICVS ORDINARIVS
FILII DILECTISSIMI POSS.

## ALBICANTES JO. ALBERTUS.

### Addenda, & Corrigenda ad Art. XXXIII. Col. 17.

Hiſce jam ſcriptis prodiit Vita Petri Aretini à Cl. Comite Joanne Maria Mazzucchelli Brixienſi compoſita, quem librum adeat pagg. 173., & 249. qui plura cupit argumenta ad ſecernendum Jo Albertum à Julio Cæſare Albicante. Ex eo etiam novimus eundem Petrum Aretinum in hunc Albicantem noſtrum ſcripſiſſe Carmen Italicum, hoc titulo: „ Combattimento Poetico del divino Aretino, e del „ beſtiale Albicante, occorſo ſopra la guerra di Pie„ monte, e la pace loro celebrata nell'Accademia „ de gl' Intronati di Siena; „ ſine loci, & Typographi nomine, & anno, in 8.

Hac occaſione addimus, ejus patrem fuiſſe Jacobum Parœciæ S. Babilæ hujus Urbis, ex Tabulis autenticis penès Cl. Sitonum noſtrum.

Laudatur etiam in „ Libraria del Doni „ *In Vinegia, preſſo Altobello Salicato*, 1580. pag. 2., atque in „ Lettu„ ra di Girolamo Ruſcelli ſopra un Sonetto del Mar„ cheſe della Terza ec. „ *Venezia, preſſo Gio: Griffio*, 1552. *in* 4. pag. 66.

Col. 17. lin. 44. ſecernenda, corr. *ſecernendo*:
Ibid. lin. 59. Fontaninius, corr. *Creſcimbenius*:

## ALBICANTES JULIUS CÆSAR.

### Addenda ad Art. XXXIV. Col. 18.

IV. Julii Cæſaris Albicantis Monachi Orationes, & Opuſcula. MSS. in Vaticana, Cod. num 3501., & ſequenti, ex Montfauconio in Biblioth. Biblioth. MSS. Tomo I. fol. 109.

## ALBINUS.

### Corrigenda ad Art. XX. Col. 19.

Ibidem lin. 20. vel juxta Ughellum, corrige *obiit, juxta Ughellum, anno &c.*
Ibid. lin. 37. quo ſcripta, corrige *in quo inter ſcripta*;

AL-

Digitized by Google

## ALCIATUS ANDREAS.

### Addenda, & Corrigenda ad Art. XL. Col. 22.

**LXXVI.** Judicium de Legum Interpretibus parandis. Extat in Opere, cui titulus: „ Conradi Pagi „ Methodica Juris traditio „ 1566. in 8.

**LXXVII.** Apologeticus. Hunc ſcripſit in ſui defenſionem contra Franciſcum Floridum Sabinum, quem deriſoriè appellavit Ranciſſum Olidum. Ita Bailletus in libro „ Deguiſemens des Auteurs pag. 303

**LXXVIII.** Judiciarii Proceſſus Compendium, atque adeo Juris Utriuſque Praxis in gratiam ſtudioſorum nunc primùm excuſa. *Venetiis, apud Octavianum Scottum*, 1537. *in* 8. Hoc Opus, etſi ſub nomine Alciati editum, attamen in ſuis Commentariis, Tit. *Si certum petatur*, aſſerit ſe praxim ſupradictam minime ſcripſiſſe.

**LXXIX.** Encomium Hiſtoriæ. *Agenoæ*, 1530. *in* 4.

**LXXX.** Palma. Extat in Anphitheatro Sapientiæ Socraticæ Dornavii.

**LXXXI.** Notæ Marginales in Auſonium editum *Venetiis, anno* 1501. *in* 4. cum Præfatione Thaddæi Ugoleti Parmenſis. Extabant apud Jo. Albertum Fabricium, ut ipſe teſtatur in Tomo I. Biblioth. Latinæ medii ævi Tom. I. pag. 421.

**LXXXII.** Dictum ejus memorabile, extat in libro, cui titulus: „ Il Cancellieri del Doni Libro dell' „ Eloquenza, nel qual ſi vede per ſimilitu- „ dine le virtù del dire delli Antichi Savj, „ e de' Moderni Virtuoſi in ogni impreſa „ onorata di Guerra, di Stato, e Poten- „ za, riſolvendo con le vere Sentenze. *In Vinegia, per Gabriel Giolito de Ferrari*, 1562. *in* 4. pag. 61.

In Articulo LXII. titulum dedimus Alciati Tractatus contra vitam Monaſticam, editionis *Lugduno-Batavæ*, 1708., poſtea verò vidimus aliam recentiorem editionem tituli ſubſequentis: „ Andreæ Alciati J. C. Medio- „ lanenſis Tractatus contra Vitam Monaſti- „ cam, cui accedit Syloge Epiſtolarum va- „ riorum Illuſtrium Virorum &c., cum No- „ tis Antonii Matthæi „ *Hagæ Comitum*, 1740. *in* 4. Inter Auctores Epiſtolarum primùm ponit Matthæus Andream Alciatum, ſed nulla adeſt præter illam, quæ continet Tractatum ſupradictum Bernardo Matio inſcriptam.

Cùm de libro Auctoris iſtius inſcripto *Emblemata* ſermonem habuimus poſt ejuſdem Operum Art. XLII. nonnullas editiones variis in Idiomatis retulimus, aliaſque omiſimus, ideoque hîc melius Lectores noſtros inſtruere nobis placet, ſcilicet:

Andreæ Alciati Emblemmata cum Commentariis ampliſſimis, & Notis Laurentii Pignorii. *Patavii, apud Petrum Paulum Tozzium*, 1621. *in* 4.

Et cum Claudii Minois Commentariis. *Antuerpiæ, apud Plantinum*, 1608 *in* 8.

Et cum Commentariis Sebaſtiani Stok-Hameri. *Antuerpiæ ex Officina Plantiniana*, 1565. *in* 12.

Et cum Comment. Franciſci Sanchez Brocenſis. *Lugduni, apud Rovillium*, 1563. *in* 8.

Emblemmas de Alciato, con la explication del Autor, para Diego Lopez. *Naxeræ, apud Jo. Mongaſton*, 1615. *in* 4.

Las Emblemmas de Alciato traducida en Eſpañol por Bernardino Daza Pinçiano. *Lyon, por Gulielmo Roviglio*, 1549. *in* 4.

Eadem Emblemmata VVolfgangius Haverius Rhythmis Germanicis vertit, *apud VVechelium*, 1542., ex Geſnero.

Ejus effigies cum Elogio extat in Bibliotheca Calcographica Jani Jacobi Boiſſardi. *Heidelbergæ*, 1669. *in* 4.

Extant ad eundem Epiſtolæ IIII. Benedicti Jovii Novocomenſis, in quarum prima Alciati eruditionem ab ineunte ætate comparatam laudat; addens, ſe annis ſuperioribus annotationes quaſdam feciſſe adhuc ineditas in ejus libros Paradoxorum, Diſpunctionum, & Prætermiſſorum. In altera agit de interpretatione Pliniani Monumenti ab eodem Alciato facta. In tertia nunciat ſe ejus literas percepiſſe ſimul cum notitia novi Cæci-



liani Monumenti, ipſius Alciati diligentiâ eruti. Extant omnes in MS. Cod. in fol. apud Comitem Antonium Joſephum à Turre Rezzonici Patricium Novocomenſem. In altero autem Codice MS. apud eundem, quo continentur ejuſdem Benedicti Jovii adhuc inedita, legitur etiam quarta, qua Jovius ſe excuſat, quòd poſt Alciati reditum ex Gallia nullas ad eum dederit literas.

Ad Andream Alciatum Vitus Amerbachius Germanus ſcripſit Epiſtolam de furto per lancem & licium concepto. *Baſileæ, apud Oporinum*, 1548 ex Geſnero.

Anno MDL. die X. Januarii Teſtamentum condidit, inſcriptum „ Teſtamentum Magnifici J. C. D Andreæ Alciati filii quondam Magnifici Domini Ambroſii &c. „ in quo ſibi hæredes inſtituit Magnificum Legum Doctorem D. Franciſcum Alciatum, & Dominum Baptiſtam Alciatum, & Dominum Andream Alciatum, & alterum Dominum Andream Alciatum filium quondam Domini Baptiſtini. Actum Papiæ &c., rogatum per Girardum Madium filium D. Antonii publ. Papienſem Notarium &c. Extat penes Cl. Sitonum noſtrum.

Servatur apud Co. Jo. Mariam Mazzucchellum doctiſſimum Brixienſem Nummiſma Alciati noſtri, quod in poſtica parte exhibet Caduceum Mercurii, & duplex Cornucopiæ hiſce notis circumpoſitis: ΑΝΔΡΟΣ ΔΙΚΑΙΟΥ ΚΑΡΠΟΣ ΟΥΚ ΑΠΟΜΥΤΑ.

Col. 26. lin. 66. in quo etiam citat Levizanum, corr. *in cujus Notis citatur Nevizanus*.
Et ibid. lin. 72. Libros V., corr. *X*.
Et ibid. lin. 78. Levizanum, corr. item *Nevizanum*.

## ALCIATUS FRANCISCUS.

### Addenda ad Art. XLIII. Col. 28.

**XII.** Epigramma in tumulum Protaſii Porri. Extat in Collect. MS. Operum Benedicti Jovii ineditorum apud Comitem Antonium Joſephum à Turre Rezzonici.

## ALCIATUS JOANNES PAULUS.

### Corrigenda ad Art. XLIII. Col. 30. & 31.

Col. 30. lin. penultima MDCXL., corr. *MDXL*.
Col. 31. linea prima 1477., corr. *1577*.

## ALCIATUS MELCHIOR.

### Corrigenda ad Art. XLIV. Col. 31.

In obitus Melchioris Alciati anno aſſignando ſcripſimus Picinellum adnotaſſe annum MDCXIV. Sitonum verò MDCXVIII. ſed primus quidem diligentiùs inſpectus, verè ſcripſit MDCXVIII., alter autem nos monuit, quamvis diverſimodè in Chronico Collegii J. PP. aſſeruerit, mortem Alciati hujus contigiſſe menſe Decembri, exeunte anno MDCXIII.

## ALEXANDER II.

### Addenda, & Corrigenda ad Art. XLVII. Col. 33.

**XXV.** Decreta ejus reperiuntur apud Gratianum, alioſque poſt ipſum Canonum Collectores.

Tribuit huic Pontifici Oldoinus in Athenæo Collectionem Canonum in Vaticana exiſtentem, Tractatum in Pſalmos, & Libros duos contra Gibertum Antipapam, ſed eruditum Virum fefellit nominum ſimilitudo, quòd hiſce libris inſcriptum legiſſet nomen Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, quem ipſe arbitratus eſt unum eundemque cum Alexandro II., qui verè ante Pontificatum Lucenſem rexit Eccleſiam. Verùm hæc Opera non Alexandri II., ſed Anſelmi de Badagio ejus Nepotis, & in Lucenſi Epiſcopatu Succeſſoris eſſe jam diximus in ipſius Articulo.

Ceterùm Alexandri II. meminerunt Inſcriptiones duæ in memorata Lucenſi Urbe adhuc extantes, quarum prima in Cathedrali viſitur, his concepta literis:

L IIIIII HVIVS

HVIVS QVAE CELSI RADIANT FASTIGIA TEMPLI
SVNT SVB ALEXANDRO PAPA CONSTRVCTA SECVNDO
IPSE DOMOS SEDES PRAESENTES STRVXIT ET AEDES
IN QVIBVS HOSPITIVM FACIENS TERRENA POTESTAS
VT SIT IN AETERNVM STATVENS ANATHEMATE SANXIT.
MILLEQVE SEXDENIS TEMPLVM FVNDAMINE FACTO
LVSTRO SVB BINO SACRVM STAT FINE PERACTVM.

Altera verò habetur ad S. Alexandrum:

CORPVS BEATISSIMI ALEXANDRI I. PONTIFICIS MAXIMI
SVB HADRIANO IMPERATORE MARTYRIO CORONATI
VNA CVM CATENA QVA VINCTVS CVSTODIEBATVR
AB ALEXANDRO II. IN ARA HVIVS TEMPLI SVBTER-
RANEA CONDITVM DEBITA CVM REVERENTIA FVIT
IN HOC ALTARE TRANSLATVM ANNO DNI M.D.XXXIII.
MENSE DECEMBRI
CVRANTE NOBILI VIRO ARNOLFINO AEDILI.

Quamvis autem jam diximus, Alexandrum noſtrum ante Epiſcopatum Canonicum Regularem fuiſſe in Monaſterio Lateranenſi, unde anno MLVI. ad Lucenſes Infulas evocatus fuerit; nunc tamen publicis fulti Tabulis, id vix credibile arbitramur, cùm ab anno ML. claruerit Canonicus Ordinarius Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, dumque adhuc inter eos degeret anno MLV. fundaverit, & dotaverit in paterno allodio Eccleſiam ſub titulo Sancti Hilarii Epiſcopi Aquilejenſis, & Martyris in regione Portæ Comenſis hujus Urbis, adhuc ſuperſtitem in via nuncupata *del Lauro*, apud quam Eccleſiam aſſurgunt Ædes nunc Familiæ Patriciæ de Caſatis, olim Badagiorum Sedes, ubi lucem vidit Sanctus Anſelmus de Badagio, Pontificis noſtri, ut diximus, ex fratre Nepos. Aliam item poſuit Eccleſiam cum Animarum curatione Sancto Apollinari Sacram in Oppido Badagii, unde Familia nomen traxit, quarum quidem jus Patronatus diu in Badagiorum Familia perſeveravit, nunc verò poſtrema tantùm in ejus remanet poteſtate, etſi ætate noſtra ad Laudem Pompejam lares tranſtulerit: Eccleſia autem S. Hilarii permutationis titulo ad Nobilem Familiam Montiorum Vallis Saxinæ Comitum tranſiit. A

Quæ hic addimus ad Literariam rem ſpectantia, debemus Clariſs. Abbati D Iſidoro Fuſio Mediolanenſi, Congregationis Sancti Bernardi Monacho, in MS. Appendice ad Picinellum. Reliqua ſuppeditavit humanitas doctiſſimi Juriſconſulti Joannis Sitoni, & amiciſſimi Canonici Irici.

## ALEXANDER V.

### Addenda, & Corrigenda ad Art. XLVIII. Col. 35.

EJus Inſcriptio Sepulchralis ſic legitur in primis quatuor verſibus à Wadingo relatis, Annalium Tom. IX. editionis recentioris, pag 338. B

SVMMVS ALEXANDER PASTORVM QVINTVS ET OMNIS
SCRIPTVRAE LVMEN SANCTISSIMVS ORDO MINORVM
QVEM DEDIT ET PROPRIO CRETENSIS NOMINE PETRVS
MIGRAVIT SVPERVM AD LVMEN SEDESQVE BEATAS.
ANNO M. CCCC. X.

Wadingus etiam corrigit Joannem Baptiſtam Paganum, quem de Zanctinis, non de Zanetinis vocat, in numero menſium Pontificatus Alexandri, ubi pro octavo, legendum eſſe advertit undecimo. Plura certè eruenda ſunt de hoc Pontifice ex ſupradictis Annalibus Wadingi, digna ut videantur. C

XXII. Plures Alexandri V. autographæ Bullæ extant in Archivo Ducatus Minoris Britanniæ, teſte Montfaucon. Biblioth Biblioth. MSS. Tomo II. fol. 802. Ptolomæi Viri Alexandrini Coſmographiæ libri VII. cum præfatione Jacobi Angeli ad Beatum Patrem Alexandrum V. Pontificem Max. in memb. ſervantur in Bibliotheca S. Marci Florentiæ apud Prædicatores. Ex eodem Montfaucon. Biblioth. MSS. Tomo I. fol. 428.

Col. 37. lin. 58. MCDXCIX. corrige *MCDIX.*

## De ALIPRANDIS ARASMUS.

### Addenda ad Art. LII. Col. 40.

III. Conſilium Juridicum Sapientis Domini Araſmi Aliprandi Militis, & Legum Doctoris Mediolani in quæſtione vertente coram Domino Poteſtate Civitatis Laudæ inter Communitatem Laudæ ex una parte, & Dominum Abbatem de Cornu ex altera. Datum die XXVIII. Maji, anno MCCCLXXXIII. Memoratur in Cod. MS. Marchionis J. C. C. Gaſparis de Roſales, de quo alibi diximus. Continet enim Indicem Scripturarum, & Monumentorum Ducalium in variis Capſulis exiſtentium, uti reperiebantur in Archivo peculiari Jo. Galeacii primi Mediolani Ducis; Codex pergamenus certè magnifaciendus.

S. AM-

Digitized by Google

## S. AMBROSIUS.

### Addenda ad Art. LV. Col. 41.

GEnuinis Operibus præclariſſimi Eccleſiæ luminis Beati Ambroſii addere juvat etiam illa, quæ tametſi certum ſit ab eo fuiſſe compoſita, nihilominus hodie non extant. Illa ſunt:

XLI. In Davidis Pſalmos libri XI. Indicantur à Trithemio in Catalogo.

XLII. De Judiciis liber I. Citatur à Vincentio Belluacenſi.

XLIII. In Iſaïam Prophetam Commentarii. Hujus Operis teſtem habemus ipſum Ambroſium, qui libro II. in caput II. Lucæ circa medium ait: *Quid ſit autem in Jeruſalem ſiſti Domino, dicerem, niſi in Eſaïæ Commentariis ante dixiſſem.* Hoc etiam Opus ſæpè citavit S. Auguſtinus, videlicet libro IV. ad Bonifacium capite II., & libro II. contra Julianum Pelagianum.

XLIV. Commentarii adversùs nonnullos imperitiſſimos, qui de Platonis Libris Chriſtum Dominum profeciſſe jactarunt. Ejus mentio eſt apud eundem S. Auguſtinum in Epiſtola XXXIV. ad Paulinum prope finem, & cit. lib. II. contra Julianum Pelagianum cap. VII. & lib. II. Retractat.

XLV. Elucidationes, ſive Homiliæ in Sapientiam Salomonis. De his Caſſiodorius lib. I. Divinar. Inſtitut. cap. III., & V.

XLVI. Expoſitio in omnes S. Pauli Epiſtolas. Hanc etiam memorat Caſſiodorius, ejuſque ætate deſiderari cœpta fuerat; ei tamen ſuppoſititius fœtus obtruſus fuit ſub titulo Commentariorum in Epiſtolas III. Beati Pauli, ut inter Opera Beato Ambroſio falsò adſcripta diximus.

XLVII. Sermo de Judicio Salomonis, qui ab eodem Caſſiodorio memoratur.

XLVIII. Catechiſmus ad Fritigildem Mârcomannorum Reginam. Teſtis eſt Paulinus in Vita ipſius S. Doctoris.

XLIX. Inſtitutio puerilis ætatis ad Panſophium, quem Dei gratiâ revocavit à mortuis: ex eodem Paulino.

L. Evangelii S. Matthæi Latina Verſio. De ipſa meminit idem S. Doctor cap. VII. lib. III. de Spiritu Sancto.

LI. De Sacramento Regenerationis, ſive de Philoſophia liber, cit. à S. Auguſtino in jam laudato libro II. contra Julianum. Diverſus tamen eſt à libris de Sacramentis, in quibus agitur de Baptiſmo; ibi enim non extant verba à S. Auguſtino relata.

LII. Epiſtola ad Hilarium. Ex Præfatione Monachorum Bened.

LIII. Adversùs Apollinariſtas. Ex eadem.

LIV. Commentarius in Prophetas. Ex Caſſiodorio.

LV. Commentarius in Proverbia. Ex ipſo S. Ambroſio.

LVI. Contra eos, qui animam non confitentur eſſe facturam, aut eam ex traduce eſſe dicunt. Ex S. Auguſtini lib. II. Soliloq. cap. XIV.

Suppoſititiis verò hæc addenda:

XVIII. Egeſippi de Rebus à Judæorum Principibus in obſidione fortiter geſtis, deque excidio Hieroſolymorum, aliarumque Civitatum adjacentium, cum interpretatione S. Ambroſii. *Coloniæ, per Eucherium Cervicornum*, 1525. *in fol.*

XIX. Tractatus de Reſurrectione. Extat in Collectione Joannis Sicardi, cui titulus „ Antidotum „ contra diverſas omnium ferè Sæculorum „ Hæreſes. „ *Baſileæ, apud Henricum Petri*, 1528 *in fol.* pag. 93.

XX. Liber Phyſiologus, qui ab Hæreticis conſcriptus eſt, & B Ambroſii nomine præſignatus. Ex Decreto Gratiani, Diſtin. XV. C. Sancta Romana.

XXI. Liber in laudem Sanctorum compoſitus. Incipit „ Pertinere ad nos dilectiſſimi fratres &c.

XXII. Confeſſio Fidei S. Ambroſii. MS. in Ambroſiana. Incipit „ Sufficiebat fides conſcripta apud Ni„ cæam.

Præter ſupradicta Opera, Clariſs. PP. Congregat. S. Mauri in Præfatione jam citatæ editionis, aſſerunt, reperiri variis in locis, ut infra, ſequentes Tractatus MSS. ſub nomine Beati Ambroſii Mediolanenſis.

A XXIII. De B. Petro, & Simone Mago. MS. in Vaticana.

XXIV. Fragmentum libri II. Euſebii Pamphili Hiſtor. Eccleſ. à S. Ambroſio latinè redditum. Ibid.

XXV. De Pœnitentia Petri. Ibid.

XXVI. De Interfectione Agag. Ibid.

XXVII. De Fide ad B Hieronymum. Ibid.

XXVIII. Sententia in hominem pœnitentem. Ibid.

XXIX. De Euchariſtia; in Regia Pariſienſi.

XXX. De Cœco nato. Ibid.

XXXI. De Pace. Ibid.

XXXII. De Falſo Amico. Ibid.

XXXIII. Sermo in Nativitate Beatæ Mariæ; extat in Colbertina.

XXXIV. Ad habitantes in Cœnobiis. Ibidem.

XXXV. De malitia Carnis. Ibid.

XXXVI. Epiſtola de pudicitia, & caſtitate; in Ambroſiana.

XXXVII. De primitiis offerendis. Ibid.

B XXXVIII. De melioribus (fortè *mulieribus*) litigantibus. Ibid.

XXXIX. Adversùs Aſtronomos. Ibid.

Nos vero hos II. ſequentes Articulos addimus ex Cl. Montfauconio, ut infra:

XL. Inter MSS. Codices Reginæ Sueciæ nunc in Bibliotheca Vaticana ſervatos num. 1497. teſte Montfauconio Tomo I. Biblioth Bibliothecar. MSS. extat Opuſculum: De increpatione Ambroſii, & de ſatisfactione Theodoſii Imperatoris.

XLI. Sermonem habitum à S. Ambroſio in S. Martini tranſitu commemorat Sulpicius Severus in MS. olim Reginæ Sueciæ, nunc Biblioth. Vaticanæ num. 1624. ex Montfaucon. Biblioth. Bibliothecar. Tomo I.

Monemus Lectores tandem, in col. 43. ubi egimus, de Editionibus Operum S. Ambroſii, nos perperam aſſeruiſſe ſecundam Editionem
C Mediolanenſem curâ Presbyteri Georgii Cribelli, Tomis IV. conſtare, & in Archintea Bibliotheca ſervari; meliùs enim inſpectis Codicibus ipſis, deprehendimus tres priores Tomos ſine anno, loco, & Typographo; poſtremum verò tantùm, continentem Opuſcula quædam ejuſdem S. Ambroſii, verè, ut indicavimus, Mediolani prodiiſſe.

Qui verò Chronologicam ſeriem Operum præclariſſimi Doctoris, & Patroni Mediolanenſium cupit, notis etiam Criticis aſperſam, adeat Guillielmum Cave in Scriptorum Eccleſiaſticorum Hiſtoria Literaria, præcipuè editionis Baſileenſis anni MDCCXLI. ab Auctore ipſo ante obitum recognita, & auctiore facta, Tomo I. pag. 261. ubi & alii citantur.

## D AMBROSIUS alter.

### Addenda ad Art. LVII. Col. 44.

III. Epiſtolæ plures Italicæ, & Latinæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantes, Federico Cardinali Borromæo ſcriptæ, datæ anno MDCVI. Extant in ſæpè laudata Collectione Epiſtolar. ejuſdem Cardinalis in Bibl. Ambroſ.

## ANGELICUS.

### Addenda, & Corrigenda ad Artic. LXII. Col. 46.

COnſuetudo illa, quæ apud ſeverioris Inſtituti Re-
E ligioſos Viros inolevit, deponendi ſcilicet gentilitium cognomen, cùm in Clauſtra ſe recipiunt, in cauſa fuit, cur Scriptorem hunc Angelicum tantùm appellaremus; verè enim apud Suos Angelicus de Mediolano pro more dictus fuit. Innotuit poſtea ipſum ex Canevesia Familia ortum fuiſſe, quod reticendum non duximus, præſertim, cùm jam relatis ipſius Operibus hæc etiam ſint addenda.

III. Panegirico delle lagrime, che versò Maria Vergine di Treviglio, del Padre Angelico da Milano. *Ivi, per il Monza*, 1661. *in* 4

IV. Panegirici due in lode della miracoloſa Apparizione della B. Vergine Maria nella Valle di S. Bernardo vicino a Savona. *Cuneo*, 1671.

V. Il Soldato Evangelico &c. dedicato a Monſignor Giuſeppe Maria Maraviglia Veſcovo di Novara. Ex Cottæ Muſæo Novarienſi &c.

VI.

Digitized by Google

**VI.** Apparato Sacro per S. Gio. da Capiſtrano, e S. Paſquale B ylon.

**VII.** Il Giardino di Milano, o Deſcrizione dell' Apparato nella Chieſa del Giardino per la Canonizzazione di S. Giovanni da Capiſtrano, e S. Paſquale Baylon dal Padre Angelico Canevese Riformato. *Milano, per il Majetta*, 1691. *in* 4.

**VIII.** L'Aquila d'Ezechiele, Panegirico per S. Pietro d'Alcantara. *Milano, preſſo il Monza*, 1670. *in* 4.

Titulus vero libri, quem jam dedimus ſuo loco ſub numero II hic eſt ut jacet „ Fioretti Iſtorici di „ coſe curioſe ſucceſſe in diverſi tempi in Levante, raccolti dal P. F. Angelico da Milano Mi „ nore Oſſervante Riformato, Commiſſario Apoſtolico nelle parti d'Oriente, Cuſtode di Terra „ Santa, e Guardiano di Geruſalemme. Opera „ curioſa per qualſiſia perſona che deſidera ſapere la politica de' Turchi, la loro inſaziabile „ avarizia, e la grandiſſima averſione, che con „ eſſi hanno al nome Cattolico li Sciſmatici. *Milano, preſſo il Ramellati*, 1689 *in* 8.

Eidem dicavit P. Timotheus Caneveſius jam à nobis ſuo loco laudatus, librum ſuum, cui titulus: „ Sermoni del Santiſſimo Sacramento. *Milano*, 1685. *in* 4.

## De ANGLERIA PETRUS MARTYR.

Addenda, & Corrigenda ad Art. LXIV. Col. 47.

CUm jam Opus hoc ad umbilicum perduceretur, incidimus fortè in Bibliothecam Hiſpanicam à Clariſs. Viro Nicolao Antonio adornatam, & aliud agentes, invenimus in Appendicibus Tomo II inter exteros homines literatura celebres, qui in Hiſpania diu commorati ſunt, aut diem ſuum obierunt, Elogium quoque Petri Martyris noſtri, ex quo in Lectorum gratiam, nonnulla delibanda cenſuimus. Aſſerit prælaudatæ Bibliothecæ Scriptor, Petrum Martyrem non Angleriæ, ſed Aronæ primam vidiſſe diem, cujus rei teſtem exhibet Epiſtolam ipſius CXLII. ad Petrum Faxardum; id tamen parum negotii nobis faceſſit, cùm utrumque Oppidum in Ducatu Mediolanenſi conſiſtat, unum videlicet è conſpectu alterius Verbano lacu intermediante. Natalem ejus aſſignat circa annum Chriſti MCCCCLIX. Verumtamen Eruditiſs. V. Niceronius diem

A primam illi fuiſſe anno Chriſti MCCCCLV aſſerit allato ex ipſius epiſtolarum teſtimonio. Subdit Nicolaus Antonius eum Romæ, quò anno MCDLXXVII. contendit, gratiâ floruiſſe S R.E. Cardinalium Aſcanii Mariæ Sfortiæ, Joannis Arcimboldi Archiepiſcopi Mediolanenſis, atque alterius Aſcanii Vicecomitis, in quo tamen poſtremo falſus eſt, cùm nullus per ea tempora, præter memoratum Aſcanium Sfortiam, qui Vicecomitis cognomen gereret, inter Purpuratos Patres cenſeretur. Cùm jam Pomponio Leto, Petro Marſo, Theodoro Papienſi, Ludovici XII. Gallorum Regis Medico, & aliis Viris doctiſſimis, ob eruditionem magno eſſet in pretio, unà cum Eneco Lupi à Mendoza Tendiliæ Comite Româ die XXIX. menſis Auguſti, anno MCCCCLXXXVII.

B in Hiſpaniam profectum fuiſſe novimus. Adſcitum poſtea in Curiam Regum Catholicorum plures Latinam linguam, & antiquitatis rudimenta docuiſſe adoleſcentes è primaria nobilitate. Meminit etiam citatus Nicolaus Antonius Legationis ejus ad Rempublicam Venetam, & ad Babylonis Sultanum, quas ambas ſtatuit accidiſſe anno MDI. Secundam ad eundem Sultanum Legationem cum Antonio Mediolanenſi Ord. Min. Cœnobii Hieroſolymitani Præfecto feliciter ab Auctore noſtro obitam addit Niceronius. Ferdinando Rege defuncto parum abfuiſſe, quin ad Selimum Turcarum Tyrannum ablegaretur, excuſaſſe autem illum ſexagenario majorem ætatem. Abbas deinde omnium primus renunciatus eſt Jamaicæ Inſulæ in Orbe novo. Illum Ferdinandus

C Rex unicè dilexit, ut nedum in Conſiliarium Indicarum rerum eum, ut in Articulo diximus, ſelegerit, ſed etiam Apoſtolicæ Sedis Protonotarium creandum curaverit. Adriano VI. Pontifici Maximo fuit acceptiſſimus, cui jam ante ſupremam dignitatem charus extiterat, ideo cùm Hiſpanias pertranſiret, Petrum Martyrem perpetuò in comitatu habuit, & ipſo interprete uſus eſt Quin etiam Romam adducere ſtatuerat, niſi cauſatus ætatem jam effœtam id honoris recuſaſſet. Obiit tantus Vir in Urbe Granatenſi anno MDXXVI., & hoc eidem inſcripto Elogio ibidem tumulatus conquieſcit in Templo maximo.

RERVM AETATE NOSTRA GESTARVM
ET NOVI ORBIS IGNOTI HACTENVS ILLVSTRATORI
PETRO MARTYRI MEDIOLANENSI
CAESAREO SENATORI
QVI PATRIA RELICTA BELLO GRANATENSI
MILES INTERFVIT
MOX VRBE CAPTA
PRIMVM CANONICO DEINDE PRIORI HVIVS ECCLESIAE
DECANVS ET CAPITVLVM
CARISSIMO COLLEGAE POSVERE SEPVLCHRVM
ANNO MDXXVI.

Operum autem titulis hæc addenda

**IX.** Synopſis Latina Poëtica ad omnes Plinii libros. Ex eodem Nicolao Antonio.

**X.** Epitaphium Alphonſo Cardinali Manrico de Labra, impreſſum apud Palatium in Faſtis Cardinalium.

**XI.** De Legatione Babylonica libri III. *Hiſpali*, 1500. *in fol.* cum prima Decade, in quo Opera mira ab ſe

D in Ægypto viſa recenſet. Hos libros Italicè reddidit Carolus Paſſi, prodieruntque converſi *Venetiis*, 1564. *in* 8.

Videndus eſt P. Niceronius „ Memoires des hommes illuſtres „ Tom. XXIII. pag. 202., & ſeq.

Num. V. Machus, corrige *Inachus*.

AP-

## APPLANUS CONSTANTIUS.

### Addenda ad Artic. XCVI. Col. 59.

CUm Abbas Picinellus millies in Suo Athenæo Mediolanenſi in medium proferat Hieronymi Borſerii Librum inſcriptum : „ Il ſupplemento della No„ biltà di Milano „ credendum erat quòd eum ex integro legiſſet, & Opera Mediolanenſium , quæ ibi Borſerius refert , ſuis locis idem Picinellus retuliſſet ; ſed agnovimus , plura addenda eſſe contra expectationem : parcat igitur Lector benevolus , ſi extra chorum nonnulla ex ipſo Borſerio hîc adjicere coacti ſumus ; de Conſtantio igitur Applano hæc prætermiſit Picinellus ,

Scilicet

III. Opus de Gratia.
IV. Mariale.
Ex ſupradicto Borſerio pag. 29.

## ARCHINTUS JOSEPH.

### Addenda ad Art. CVII. Col. 70.

III. Epiſtolæ duæ Italicæ ad Bartholomæum Zucchium , Prima data eſt die XXV. Feb. MDXCV. altera die II. Junii ejuſdem anni ; extant in ſecunda parte libri ipſius Zucchii, inſcripti : „ Idea del Segre„ tario „ pagg. 180., & 181.
Hujus Operis partem quintam Joſepho noſtro Zucchius dicavit.

## ARCHINTUS PHILIPPUS.

### Addenda ad Art. CX. Col. 73.

IV. Pſalterium Davidicum uſque ad Pſalmum LXII. ex Hebræo , ut videtur , in Latinum ab eo translatum. MS. in fol. in Bibliotheca Archintea. Autograph.

V. Geneſis liber, ut ſupra, Latinè redditus. MS. in fol. Autogr. ibid.

VI. Exodus ſimiliter translatus uſque ad caput VI. incluſivè. MS. in fol. Autogr. ibid.

VII. Oratio habita in Conventu Nicienſi pro pace inter Carolum V. Auguſtum, & Franciſcum I. Gallorum Regem ineunda. MS. Ibid.

VIII. Altera habita coram Pontifice Paulo III. pro ſacro Fœdere adversùs Solimanum Turcarum Tyrannum inter Catholicos Principes feriendo. MS. Ibid. In hujus Orationis exordio , ait Archintus, ſe ſuperiori tantùm die à Pontifice juſſum , ut hac de re verba publicè faceret. Ibid.

IX. Capitula pro pacis prædictæ inter Carolum V. & Franciſcum I. negotio, de mente ſuæ Sanctitatis in hanc formam redacta , atque utrique parti ad examinandum danda. MS. Autograph. Scriptoris noſtri manu emendata ,& poſtillata, Data in Domo S. Franciſci extra muros Niciæ die XVIII. Maji, MDXXXVIII. Ibid.

X. Alia item Capitula pro eadem pace, à ſuperioribus diverſa. MSS. Autograph. emendata & poſtillata, ut ſupra. Ibid.

XI. Riſpoſta data al Signor Duca di Ferrara a nome di S. Santità. MS. Ibid.

XII. Ad S. R. E. Cardinales in Conclavi pro eligendo Summo Pontifice congregatos poſt obitum , ut videtur, Pauli III. Epiſtolæ V. plenæ roboris & pietatis , ſacràque eruditione memorabiles. MS. Ibid.

XIII. Aliæ ad eoſdem, ut ſupra, congregatos , numero III. Harum prima data eſt Venetiis prid. Kal. Aprilis anno MDLV.; in qua nunciat Venetæ Reipublicæ in Apoſtolicam Sedem ſtudium, & ſollicitudinem , ne Sede vacante Eccleſiæ Ditio ab hoſtibus turbetur. In ſecunda, datâ ibidem VIII. Idus Aprilis eodem anno, ſigna mœroris pro morte Pontificis, & exequias ei à Venetis decretas Cardinalibus ſignificat. In tertia autem, datâ ibidem Id. Aprilis ipſius anni, nunciat ingentem claſſem à Turcis inſtrui. MSS. ut ſupra.

XIV. Ad Marcellum II. Summum Pontificem Epiſtolæ IV., prima data Id. Aprilis MDLV., & ſecunda X. Kal. Maji : gratulatoriæ ſunt pro aſſumptione ad Pontificatum , in tertia datâ V. Kal. Maji ipſius anni, nunciat Pontifici ſtudium ſuum in purgando Archigymnaſio Patavino ab hæreticorum erroribus. Poſtremâ verò IV. nonas Maji ſignificat, Matthæum Gariboldum , quem vocat Anteſignanum Diaboli, fuiſſe devictum, reliquias tamen illius adhuc remanere, cum quibus ſibi dimicandum ſit. In calce hujus Epiſtolæ notatur, eam non fuiſſe miſſam , auditâ eâ die morte Pontificis. MSS. ibidem.

XV. Aliæ III. ad Sacrum Cardinalium Collegium Sede vacante poſt obitum prædicti Marcelli II. quarum primâ, datâ Venetiis IV. nonas Maji prælibati anni, dolet de optimi Paſtoris morte, & Cardinales hortatur, ut gregi dominico alium citiſſimè præficiant , ne à lupis invadi poſſit adhuc Paſtore carens, cùm Turcæ magno bellico apparatu Chriſtianæ Reipublicæ minarentur. In ſecunda, datâ V. Idus Maji, ait, ſe literas eorum reddidiſſe Venetorum Principi , & Eccleſiarum Præſules monuiſſe, ut preces ad Deum fundi jubeant pro negotiis Eccleſiæ. In tertia VIII. Kal. Junii res novas Byzantio allatas mittit. MSS ibidem.

XVI. Ad Paulum IV. Pont. Max. Epiſtolæ decem. In prima, datâ VI. Kal. Junii eodem anno, exultat de illius ad Petri Cathedram evectione, & ſeriò hortatur ad Eccleſiæ reformationem. In ſecunda VI. Idus Junii nunciat res Turcicas. In tertia mittit bina horologia, & baculum , munuſque cumulat ſapientiſſimis dictis ex Divina Scriptura petitis. In quarta, datâ IV. Nonas Septembris, lapidem quemdam mittit, quem accommodatiſſimis Scripturæ ſententiis exornat. In quinta ſine datâ mittit Pontifici tabellam pacis in Miſſæ Sacrificio oſculandam à ſe elaboratam, rogans, ut aliquando ad Altare Domini pro ſe preces fundat. Sextâ datâ Prid. Non. Septemb. anno MDLVI. petit modeſtè Archiepiſcopatum Mediolanenſem, multaque de Vita ſua narrat. Septimâ, datâ III. Kal. Januar. gratias agit Pontifici de collato ſibi prædicto Archiepiſcopatu , cujus argumenti eſt etiam octava ſine data. Binæ autem poſtremæ datæ ſunt Bergomi XIX. Kal. Aprilis, & X. Kal. Junii anno MDLVIII., atque in eis agit de exilio ſuo ab amatiſſimo grege , omneſque Patris, & Paſtoris affectus oſtentat. MSS. ibid.

XVII. Alia ad quemdam Anonymum Eccleſiaſticum Virum, quem plurimum commendat, & paternè monet, ne ob adverſariorum calumnias ab Altaris miniſterio abſit. Data eſt Romæ die XXIV. Junii, anno MDXXXIX. MS. ibid.

XVIII. Plurimæ aliæ integro volumine juſtæ molis comprehenſæ, & Italicè exaratæ annis MDLV., & ſequenti , ad Cardinalem de Monte , ad Comitem Montorii, ad Cardinalem Caraffam, & ad Ducem Paliani, cum eorum reſponſionibus, in quibus agitur de graviſſimis Eccleſiæ negotiis. In his ſæpe Archintus meminit literarum ſuarum ad R. F. Michaëlem Sacræ Inquiſitionis in Urbe Commiſſarium , qui poſtea ad Pontificatum promotus Pius V. dictus eſt , & ob vitæ ſanctimoniam inter cœlites colitur. MS. in fol. ibid.
Præfati autem Pontificis Sanctiſſimi Pii V. tunc vel in Ord. Prædicatorum, vel in Sacro Cardinalium cœtu degentis , ad Archintum noſtrum ſervantur MSS. autographæ Italicæ ibidem Epiſtolæ IV. Prima data Romæ Kal. Sept. MDLIV. agiturque in ea de graviſſimis Eccleſiæ negotiis, & de hæreſibus præſertim tunc graſſantibus. Aliæ tres datæ ſunt etiam Romæ anno MDLVIII. Reſponſoriæ ſunt, & conſolatoriæ de injuſto ejus exilio.

XIX. Epiſtola ad Hieronymum Cardanum, in qua tria ab eo poſtulabat. I. quomodo anni eo modo poſſint firmari, ut in ipſo reditu nulla temporum interſit differentia. II. An poſſibile ſit introitum Solis Chriſti tempore in ortu, ideſt conceptione in primum minutum Arietis XXV. Martii figere, ac invenire, qualiter eadem die fuerit Æquinoctium, vel die proximè antecedente. III. Quomodo tot diſcordiæ de revolutionibus annorum concilientur: ex reſponſione ipſius Cardani, de qua agemus in Addendis ſuo loco.

XX. Oratio habita in Baſilica Vaticana , cujus meminit Petrus Paulus Gualterius Aretinus Collegii Car-



Digitized by Google

Cardinalium Secretarius in Diariis ſuis MSS., ubi ad annum MDXXXVII. hæc leguntur: „ Die XXIII. Septembris habitæ ſunt ſupplica- „ tiones in Sancto Petro pro inita Liga. Ce- „ lebravit Cardinalis Contarenus, & Oratio- „ nem habuit Philippus Archintus Gubernator „ Urbis „. Hæc nos monuit Comes Albericus Archintus Archiepiſcopus Nicænus, & apud Magnum Hetruriæ Ducem Apoſtolicus Nuntius.

Inſtruzione al M. Magnifico S. Filippo Archinto Concittadino noſtro cariſſimo. Legatus patriæ tunc miſſus fuerat ad Carolum V. ut calamitates ejus exponeret. Data eſt II. Decemb. MDXXIX. ſubſcript. Vicario e Deputati della Città di Milano, MS. in Tom. III. Monum. Famil. Mediolanen. Comitis Octavii Archinti.

Alia pro eodem argumento. Dat. XXI. Junii MDXXVII. ſubſcrip. Ludovicus Vicarius, ibid.

Sequitur Epiſtola Caroli V. Cæſaris ad Mediolanenſes. Data Valleoleti I. Aug. MDXXVII., in qua laudat eloquentiam Philippi Archinti, dolet de miſeriis hujus Urbis; ait ſe vel non rogatum cogitaſſe de ſublevandis hujus populi calamitatibus, *præcipuè poſt liberationem Regis Franciſci, quem veſtra ope captivum penes nos detinebamus*. Juſſiſſe quoque comprimi militum inſolentiam &c. MS. ibid.

Alia data in Oppido Maſoretii IX. Octob. MDXXVIII. in qua rurſus meminit Philippi Archinti, & pollicetur ſe Urbem hanc ſublevaturum, cùm primùm quieſcere à tumultibus hoſtium ſibi licuerit, MS. Ibid.

Informazione del bando dato al Reverendiſſimo Arciveſcovo di Milano. MS. in T. II. Operis citati.

Miſſale Ambroſianum, MS. pergamenum, auro & picturis inſigne, quod uſui fuit Philippo Archinto Archiepiſcopo Mediol., villoſo ſerico violaceo contectum, ſervatur in ſæpe memorata Bibliotheca Archintea grandioribus characteribus exaratum.

Ad Philippum noſtrum tunc Salutienſem Epiſcopum, & Urbis Romæ Vicarium Apoſtolicum miſit Joannes Petrus Ferretus Ravennas Lavellinatis Eccleſiæ Antiſtes Correctionem Hymnarii Romani à ſe elaboratam, in cujus nuncupatoria aſſerit, ſe ab Archinto ad hoc Opus impulſum. Codex MS. Autographus juſtæ molis, in fol. ſervatur in eadem Bibliotheca Archintea.

## ARCHINTUS PHILIPPUS alter.

### Addenda ad Art. CXI. Col. 75.

VI. Syllabum ſuorum in Comenſi Eccleſia Prædeceſſorum conſcripſit. Citatur à Tatto in Notis, à Clariſs. Continuatoribus Bollandi ad diem III Junii in Vita S. Adelberti Comenſis Epiſcopi, atque ab Ughello, teſte Clar. Abbate Fuſio in ſuis MSS. Addendis ad Athenæum Picinelli.

Proceſſus Sancti Caroli Borromæi, de quo in Articulo meminimus, ſervatur Autographus in Bibliotheca Archintea.

Eidem inſcripſit Ballarinus Annales ſuos Comenſes; & Nicolaus Pellizarius Panegyrim ab eo habitam in laudem S. Caroli, de qua in ejus Articulo diximus.

## ARCIMBOLDUS JO. ANGELUS.

### Addenda ad Art. CXVI. Col. 80.

Filius Aloyſii J. C. C. Senatoris, & Beatricis de Federicis conjugum.

VI. Diploma pro Translatione Corporis Beati Pacifici de Ceredano, Ordinis Minorum, ab Eccleſia Sanctæ Mariæ Gratiarum Viglevani ad Oppidum Ceredanum. Datum Mediolani die VII. Januarii MDXLV. Extat in Tomo XVIII. Annalium Minorum novæ Editionis, fol. 106.

Eidem Camillus Bonus Brixianus dicavit Opus Matthæi Curtii Papienſis in Mundini Anatomen. *Papiæ, apud Franciſcum Moſchenum*, 1550. *in* 8.

## ARCONATUS HIERONYMUS.

### Addenda ad Art. CXX. Col. 83.

Filius Co. Caroli J. C. C., & D. Joſephæ de Roſales conjugum.

II. Proluſio ad B. M. V. verſibus expreſſa, ſtylo Virgiliano.

III. Lectiones Geographicæ in Academiis habitæ.

IV. Lectiones Mathematicæ, & Analyticæ.

Quantum in hac poſtrema Mathematicarum parte ipſe excelluerit, facilè conjici poteſt ex Problemate in eodem libro per tenorem deſcripto, unà cum ipſius Reſolutionis regula, quam laudavit doctiſſimus P. Abbas Grandi, Monachus Camaldulenſis, ut videre eſt ex Proluſione in ſupradicto Articulo relata num. I.

## ARCONATUS JOANNES BAPTISTA.

### Addenda ad Art. CXXI. Col. 84.

Filius Joannis Baptiſtæ, & Camillæ Nidaſiæ conjugum.

III. Poesìe varie. Extant in Libro „ Poesìe de' Signori „ Accademici Infecondi di Roma. „ *Venezia*, 1628. *in* 12.

## ARCONATUS LUCHINUS.

### Corrigenda ad Art. CXXII. Col. 84.

De Opere, quod ei tribuimus num. I. atque Epigrammate ibidem relato, vide quæ infra dicemus in Articulo Luchini Corvini de Aretio.

## ARESIUS PAULUS.

### Addenda, & Corrigenda ad Art CXXXII. Col. 132.

In Articulo CXXXII. Elogium texuimus laudatiſſimo Antiſtiti Derthonenſi Paulo Areſio; at quamvis ibi ſcripſerimus eum Mediolani natum fuiſſe, melioribus tamen nunc docti tabulis, didicimus ipſum Cremonæ lucem vidiſſe. Neque tamen ideo ex Mediolanenſium Scriptorum ſerie expungimus, cùm editus fuerit Patre Mediolanenſi tunc apud Cremonenſes prætorios faſces adminiſtrante, cujus proles Legum præſidio paternam Civitatem aſſequi debet. Addimus etiam ipſius literariis laboribus ea, quæ ſequuntur, quorum notitia ſeriùs ad nos pervênit. Illa verò ſunt:

XIV. Selva d'invenzioni, e di materie per le Prediche dalla prima Domenica d'Avvento fino a Quareſima. MS. in fol.

XV. Per tutta la Quareſima. MS. in fol.

XVI. Per le Feſte de' Santi, ed altre materie. MS. in fol.

XVII. Lezioni ſopra Tobia predicate al ſuo Popolo nel Duomo di Tortona. MSS. in fol.

XVIII. Lezioni ſopra le Lamentazioni di Geremia predicate allo ſteſſo. MSS. in fol.

XIX. Lezioni ſopra l'oſſervanza del Digiuno. MSS. in fol.

XX. Lezioni ſopra l'oſſervanza delle Feſte. Omnia extant in fol. in Bibliotheca PP. Teatinorum S. Antonii Mediolani.

XXI. Quareſimale. Extat MS. in D. Nicolai Veronæ.

XXII. Rhetorica Eccleſiaſtica. MS. extat Placentiæ apud Suos.

XXIII. Logica. MS. ibidem.

XXIV. Curſus Philoſophicus. MS. extat Neapoli.

XXV. Curſus Theologicus. MS. extat Neapoli, & Romæ in S. Andreæ, Suorum.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. Phyſicæ ſecundus Curſus. MS. extat Neapoli apud Suos.

XXVII. De Intellectu agente, ſpeciebus intelligibilibus, & de modo, quo noſter intellectus intelligit: Velitationes. MSS.

XXVIII. An verum ſit, quod quidam non ignobiles Auctores tradunt, S. Scripturam non ſemper ad veritatem, ſed ad vulgi opinionem, vel juxta apparentiam interdum loqui: Velitationes. MSS.

XXIX. An peccaverit Judith à Deo poſtulans, ut Olophernes ejus pulchritudine caperetur: Velitationes. MSS.

XXX. An de Judæorum Stirpe fuerit Herodes: Velitationes.

XXXI. An ex Latere Chriſti Sanguis, & aqua naturaliter fluxerint: Velitationes. MSS.

XXXII. Tractatus de Trinitate: de Gratia: de Creatione: de Angelis: de Euchariſtia: & de Incarnatione. Extant hi omnes Codices MSS. Romæ in S. Andreæ apud Suos.

XXXIII. Tractat. varii Theolog. MSS. ibid.
Cùm primùm Derthonenſis Epiſcopatus poſſeſſionem iniit Areſius, Orationem habuit Hieronymus Guidobonus, editaque eſt *Derthonæ*, 1621. *in* 4.
Funebris autem illius laudatio à Joſepho Cicala Clerico Regul. habita prodiit *Mediolani, per Georgium Rollam*.

## ARLUNUS JOANNES PETRUS.

Addenda ad Art. CXXXVIII. Col. 100.

DEdimus Tractatum hujus Scriptoris de Peſte ſub num. X. uti MS. in Bibliotheca Ambroſiana, poſtea illum vidimus impreſſum *Mediolani, per Zanottum de Caſtillionæo, impenſis D. Joh. Jacobi, & Fratrum de Legnano*, 1515. *die* 18. *Aprilis, in fol.*

XI. Deſcriptio elegantiſſima Verbani Lacus.
Ita Clar. Abb. Fuſius in Addendis ad Picinellum.

## ARNULPHUS.

Corrigenda ad Art. CXXXIX.

Columna 101. linea 73. MCXCV. corrige *MXCV.*

# B

## BARBAVARA MARCUS alter.

Corrigenda ad Art. CLXIII. Col. 120.

Lin. 11. anno MDCCXXIII. corrige *MDCCXV. die II menſis Novembris*.

## BARIOLA ALOYSIUS.

Addenda ad Art. CLXIX. Col. 122.

VI. Notabilia circa mulierum ſollicitationem in Sacramento Pœnitentiæ. *Mediolani*, 1610. *in* 8. ex Fontana Biblioth. Legali Tom. I. pag. 63.

## à BASILICA PETRI CAROLUS.

Addenda ad Art. CLXXIII. Col. 124.

LXII. Ad Clementem VIII. Pontif. Max. Relatio de Statu Novarienſis Eccleſiæ. MS. in fol. in Bibliotheca Archintea.
Epiſtola Italica de Obitu S. Caroli num. IV. indicata prodiit etiam *in Venezia, preſſo il Giolito*, 1584. *in* 4. *ed Ivi, ad iſtanza d'Iſeppo Marcello*, 1650. *in* 4.

## à BASILICA PETRI HIERONYMUS.

Addenda ad Art. CLXXIV. Col. 127.

HIeronymus à Baſilica Petri filius Chriſtophori, & Paulæ Moltenæ conjugum.

IV. Conſultatio pro Jure honorifico in Cauſa Cuſana, & Surrigona. *Mediolani*, 1619. *in fol.*, pagg. 18., extat penès Advocatum Sitonum.

## à BASILICA PETRI HIERONYMUS alter.

Addenda ad Art. CLXXV. Col. 128.

PAucis egimus de Hieronymo à Baſilica Petri Mediolanenſi, cùm primùm ipſius mentio occurrit in hac Bibliotheca Articulo CLXXV. ob ibi relatas rationes; at cùm nunc uberiora ſuppetant monumenta, æquum duximus, ipſa noſtris non invidere Lectoribus. Parentes illi fuerunt Hippolytus, atque Marſilia Porra jugales, cùmque Philoſophiæ, ac Theologiæ navaſſet operam, Sacerdos effectus, Neapolim ſe contulit, ubi anno LX. ætatis ſuæ Clariſſimæ Congregationi Oratorii à S. Philippo Nerio inſtitutæ ſe addixit. Sacris Confeſſionibus excipiendis, Concionibus publicè habendis, inopibuſque levandis totus incubuit. Temporis cuſtos avidiſſimus, nullam ipſius particulam ſine utili aliquo labore ſibi rapi patiebatur. Donec annum octogeſimum ſupergreſſus, cœcitate primùm, mox apoplexi percuſſus, piiſſimè, ut vixerat, in Domino requievit inter Suorum lachrymas Neapoli anno Salutis Dominicæ MDCCIII. die XXVII. menſis Martii.

Operibus autem hæc addimus:

IV. Indices duo Bibliothecæ Oratorii Neapolitani, quorum primus Codices, ut facilè poſſint reperiri, pulcherrimo recenſet ordine; alter verò laborioſiſſimus per materiarum ſeriem eſt compilatus. MSS. ſervantur Neapoli in eadem Bibliotheca.
E Schedis Sitonianis, & à Suis.

## BAZETTA FRANCISCUS.

Addenda ad Art. CLXXXI. Col. 131.

IV. Carmina plura tam Italica, quàm Latina. Extant in variis Collectionibus, præcipuè Papienſibus, & ſignanter in Laurea Ludovici Meltii. *Ticini*, 1617. *in* 4.

## BEBULCHUS MICHAEL.

Addenda, & Corrigenda ad Art. CLXXXIII. Col. 132.

CAroli, & Iſabellæ Billiæ conjugum filius. Verius ejuſdem nomen in Religione fuit Carolus Marianus à Sancto Michaële. Obiit Theologus Sereniſſimi Ducis Parmæ, & Placentiæ Franciſci I., necnon Vicarius Provincialis ſui Ordinis, atque Conſultor Sancti Officii perpetuus, & ubique, ex Diplomate Pontificio, cùm annos ageret LXXV. die XIV. Octobris MDCCXIX., ut Sui nunc melius nos monuerunt.

II.

Digitized by Google

II. Panegirici Sacri del M. Rev. Padre Fra Carlo Maria-no di S. Michele Carmelitano Scalzo della Provincia di Lombardia, Lettore di S T., e Conſultore del S Offizio in Malta. *Palermo, per l'Adamo*, 1694. *in* 8.

## BENIGNUS.

Addenda ad Art. CXCI. Col. 137.

CUm jam ad coronidem hujus Operis properarem, ſignificavit mihi Vir Cl Joannes de Auguſtinis Ordinis Minorum, qui Reformati dicuntur, Opus Benigni noſtri apud ſe impreſſum reperiri, ubi in fine ſic legitur:

> *Qui ſi contien del glorioſo e degno*
> *Hieronymo Doctor il bel finire,*
> *Che fece a noſtro exempio per ſalire*
> *Con verde palme nel beato Regno.*
>
> *Finita queſt' Opera in Venexia adì* 12. *Settembrio* 1476.

Ideò exiſtimarunt & idem Vir doctiſſimus, & alii quoque literatura celebres, Benignum noſtrum non Operis Scriptorem, ſed potius Amanuenſem fuiſſe; Verumtamen (debitâ cum veniâ) à ſententia mea minimè recedendum cenſui, immo magis magiſque Benignum Auctorem credimus. Primùm enim, cùm in Architeo, quem jam citavi, Codice legatur, ſicuti Lectorem monui „ che fù compito di „ ſcrivere, e di mia propria mano „ quis non videat, hiſce verbis ſignificari Benignum, Opus compoſuiſſe? Si enim tantum illud exſcripſiſſet, ſupervacaneum foret addere „ e di mia propria mano „ Tum re melius examinatâ comperi, Librum Benigni Mediolanenſis nihil aliud eſſe, quàm verſionem Italicam Epiſtolæ notiſſimæ, ſeu potiùs Voluminis de obitu S. Hieronymi, ſcriptæ ad Damaſium Epiſcopum Portuenſem, ac Theodoſium Senatorem Romanum à B Euſebio Cremonenſi ipſius S. Doctoris diſcipulo, Viro in Eccleſiaſticis Bibliothecis notiſſimo. Quapropter Benigno tam proficui Operis traductori laus ſua non eſt neganda. Inter cetera verò argumenta, quibus adducor, ut hoc credam, recenſenda ſunt iterum Carmina ſuperiùs enunciata:

> *Qui ſi contien del glorioſo e degno*
> *Hieronymo Doctor il bel finire;*

Ea enim certiſſimè innuunt, hîc agi de Obitu B. Hieronymi. Illa tamen addita opinor poſt completum Opus, deſunt enim in Codice Architeo. Aliam inſuper editionem hujus Verſionis protulit Clariſs. Ariſius in Tomo I. ſuæ Cremonæ Literatæ Artic. CCCIIC. pag. 46 „ Hanc habeo (Epiſtolam videlicet B. Euſebii ſuperiùs enunciatam) „ penès me „ Italico ſermone traductam Parmæ, excuſam anno „ 1489. per Matthæum de Codecha „. Benignus igitur Verſionem elaboravit anno 1474. quæ biennio poſt Venetiis, & quindennio exacto Parmæ prodiit, quamvis utrobique Traductoris nomen reticeatur.

## BERGAMIUS CÆSAR.

Addenda ad Art. CXCVII. Col. 141.

CÆſar Bergamius Mediolanenſis Phyſicus adhuc vivebat Mediolani anno MDCXII. die XVIII. Julii, uti me monuit C. Sitonus; interim verò ejuſdem Opera Literaria hactenus nondum typis edita ſunt, quæ ſequuntur:

V. Exquiſitorum Remediorum formula ad omnes morbos accommodata in Mediolanenſi Provincia, ſeu „ extremis morbis exquiſita remedia optima „ recenſita „. MS. in folio magno, incipit: „ Jam dudum excogitare cœpi primis annis hu„ jus meæ peregrinationis ad viſendos ægrotos „ in hac Provincia Mediolanenſi, undè ſum „ oriundus &c. MS. in fol.

In principio autem dicti Operis extat Elegia Carminum LVI. in laudem præfati Bergamii, Auctore Euſtachio Fonio, cui titulus: „ Ad Humaniſſi„ mum, & rei Medicæ ſcientiâ præſtantiſſimum, „ Cæſarem Bergamium. Euſtachius Fonius.

VI. Promptuarium Cæſaris Bergamii Mediolanenſis ad uſum Medicorum, & Pharmacopolarum feliciſſimi Dominii Mediolani. MS. in fol.

VII. Iſtoria, & vera dichiarazione de' Fruttici, & Alberi del Dominio Milaneſe. MS. in fol. max.

VIII. Dichiarazione di tutte le ſorti d'Animali, tanto terreſtri, quanto acquatici, & aerei, che in queſto Dominio Milaneſe vivono. MS. in fol. max.

IX. Dichiarazione della terra, acque, metalli, minerali. MS. in fol max Incipit: „ Quemadmodum Ar„ tes nullæ optatum valent aſſequi finem, niſi „ earum inſtrumenta magis neceſſaria ſint præ„ ſtò, & rectè fabricata &c.

Extant hæc omnia MSS. penes Jatrophyſicum D. Joſephum Tencam Mediolanenſem &c., & ſunt Autographa.

## BERRETTA JOANNES GASPAR.

Addenda ad Art. CXCV. Col. 139.

PArentis ejus nomen jam dedimus, mater verò ei fuit Joanna Perez.

XII. Liber Philoſophicarum Lectionum in Gymnaſio Ticinenſi habitarum. MS.

XIII. De Auctoribus, Viriſque doctis Congregationis Caſſinenſis Opus tamen imperfectum MS.

Ex Clariſs. P. Abbate Fuſio in Append. MS. ad Picinellum.

## BESUTIUS HIACYNTUS.

Addenda ad Art. CCIX. Col. 149.

VII. Panegirico in lode della Caſa d'Auſtria, detto nella Chieſa della B. V. preſſo S. Celſo. *Milano, preſſo il Monza*, 1677. *in* 4.

## BESUTIUS JO. FRANCISCUS.

Addenda ad Art. CCXI. Col. 150.

FIlius extitit Jo. Jacobi, & Claræ de Aprilibus conjugum Mediolanenſium.

VIII. Dictionarium Ciceronianum Franciſci Priſcianenſis à Joanne Franciſco Beſutio abſolutum. *Venetiis, apud Petrum Mariam Bertanum*, 1615 *in* 8

IX. La Storia ſacra degli ſtromenti della Paſſione di Criſto noſtro Signore. *Milano, preſſo il Como*, 1612. *in* 8.

X. Miracoli della B. Vergine di Mondovì volgarizzati. *Milano, per Pandolfo Malateſta*, 1597.

Jo. Baptiſta Seſſa, cui fuit Joannes Franciſcus Beſutius inter amicos ſuos ſumme charus, ei nuncupavit Obſervationes Philippi Venuti Cortonenſis in Librum ſequentis tituli: „ Lettere familiari „ Latine di Cicerone, traddotte da Giovanni Fa„ brini da Fighine ec. „ *In Venezia, appreſſo gl' Eredi di Marchion Seſſa*, 1576. *in fol.*, & ſic ab eodem Joanne Baptiſta Seſſa prætitulatur Epiſtola nuncupatoria „ Al coſtumato, & virtuoſo Giovi„ ne Meſſer Gianfranceſco Beſozzo Milaneſe.

BESU-

Digitized by Google

## BESUTIUS JO. JACOBUS.

### Addenda ad Art. CCXII. Col. 151.

XI. Theatrum ſuæ Gentis Genealogicum &c. MS.
XII. Deſcriptionem Oppidi Beſutii . MS.
Ex Clar. Abb. Fuſio in App. MS. ad Picinellum, qui Lazarum Auguſtinum Cottam citat in Deſcriptione Verbani lacus.

## BESUTIUS JOANNES PETRUS.

### Addenda ad Art. CCXIII. Col. 152.

PAtrem habuit Joannem Jacobum , uxoremque Viennam de Tattis , juxta Clar. Sitonum , non *Ivonam* , ut ſcripſimus , ſic moniti à Suis ; fuit quoque inter Notarios Collegiatos Mediolanenſes adſcriptus anno MDXXIV.

X. Trattato delli tre Voti, Ubbidienza, Povertà , e Carità , compoſto da Frate Umberto Quinto Maeſtro Generale dell' Ordine de' Predicatori , tradotto da Gian Pietro Beſozzi ec. *Ferrara* , *per Vittorio Baldini* , 1608. *in* 8.
De eodem Joanne Petro Beſutio Cler. Regul. Barnabita videndus Franciſcus Aloyſius Barellus in Hiſtor. memorabilium Congregationis Cler. Regular. S. Pauli Decollati Tom. I., ubi plura &c.

## BESUTIUS PETRUS.

### Corrigenda ad Articulum CCXV. Col. 154.

VEriùs filius extitit Antonii non Princivalli , ut diximus ; Princivallus verò , de quo in Articulo CCXVI. filius fuit Petri Antonii , & Urſulæ Mantegatiæ conjugum .

## BIFFUS JOANNES.

### Addenda ad Art. CCIX. Col. 155.

XVIII. Joannis Biffi Presbyteri Mediolanenſis Carmina in laudem Annunciationis B. Virginis Mariæ. *Mediolani* , *per Antonium Zarotum* , 1493. *in* 4. Præcedit Epiſtola Auctoris ad illuſtriſs. & Excellentiſs. Principem Joannem Galeacium Sfortiam Vicecomitem &c.

## BIFFUS JOANNES AMBROSIUS.

### Addenda ad Art. CCXX. Col. 158.

XII. Canzone in lode di Giovanni Fernandez di Velaſco , Governatore di Milano , intitolata *il Ritratto* . *Milano* , 1611. *in* 4.
XIII. Della Politica Ragione delle Leggi : Opuſcoli di Franceſco Grimaudet , tolti dalla lingua Franceſe da Gian Ambrogio Biffi . *Milano* , *preſſo Gian Giacomo Como* , 1640. *in* 8.
XIV. Il Dolore del peccatore pentito , Pianti ſette. *Milano* , 1605. *in* 12.
XV. Rime di Giovanni Ambrogio Biffi, extant in fronte libri „ L'Amoroſa ſperanza „ Favola di Girolamo Borſieri.
XVI. Verſi di Gio. Ambrogio Biffi. *In Milano*, *per Marco Tullio Malateſta*, 1616. *in* 12.
XVII. Epiſtolæ ad Ericium Puteanum ſcriptæ, uti ex iſtius Reſponſionibus eruitur, videlicet:
Joanni Ambroſio Biffio Ericii Puteani Epiſtola , qua ipſum rogat , ut Armidorum Opus ab eo inceptum perficiat „ & heroica Carminis maieſtate ſupra vulgum te effer , monumentum „ daturus ære perennius, & quod æternitatem „ poſſit provocare . Ego quia ſeriò ingenium „ tuum amo , ad magna & te digna hortor , „ digna quoque illo tuo Heroë , quem deſcri-„ bis .



Altera , in qua laudat Epiſtolas ab eo receptas , & proſequitur „ de *Roma* tua haud muto judi-„ cium : accurata illa , & ornata elocutio eſt „ &c. in amoris Encomio , & ſimul Vitupera-„ tione non infelix fuiſti &c.„ Lovanii V. Eid. Mart. MDCIX. Centuria IV. pag. 109.
In Epiſtola ad Raphaëlem Montorfanum data Lovanii , anno MDCVIII. ſic loquitur „ à Biffio „ Epiſtolam, verſuſque accepi. An vidiſti? boni „ ſunt, & altæ non dictionis tantum , ſed men-„ tis &c. „ Lovanii MDCVIII. ibid. pag. 46.
Hi ſunt tituli II. Opuſculorum Biffi noſtri , quæ jam dedimus ſub numeris III. & V. cum eorum editionibus poſtea viſis .
L'Adda nelle glorie di Franceſco d'Adda Conte di Sale. *Venezia*, *per Benedetto Somaſco*, 1609. *in* 8.
Diſcorſo de' Nei di Lodovico Settala , tradotto dal Latino da Gianambrogio Biffi . *Venezia* , *per lo ſteſſo*, *e ſudetto anno*, *in* 8.
Videndum eſt etiam Opus Cl. P. Quadrii Soc. Jeſu „ della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 296.

## BILLIUS ANDREAS.

### Addenda ad Art. CCXXIII. Col. 159.

XL. De Pace , & Victoria Romanæ Eccleſiæ ad Nicolaum Bononienſem Ord. Ciſterc. Cardinal. libri III. MS in Bibl. S. Marci , teſte Poſſev. pag. 82.
XLI. Expoſitio Univerſalium Porphyrii . Ex eodem.
XLII. In Lib. Perihermenias Ariſtotelis . Ex eodem .

## BIMIUS JOANNES PETRUS.

### Addenda ad Art. CCXXVII. Col. 163.

III. Conſiliorum , ſeu Reſponſorum Joannis Petri Bimii liber IV. ad Cardinalem Ludoviſium . *Mediolani* , *apud Marcum Antonium Malateſtam* , 1621. *in fol.* Opus poſthumum , in quo adſunt Carmina Variorum in laudem Auctoris, nempe Matthæi, & Jacobi Antonii de Bimiis Auctoris filiorum , Ludovici Magii Senatoris, Raphaëlis Faniani , Cæſaris Burri , Ludovici Mazentæ , Benedicti Soſſagi, aliorumque . Abbas verò Picinellus de Auctore noſtro duos perperam fecit , unum ſcilicet ſub nomine Joannis Petri pag. 320., alterum ſub Petri tantùm nomine pag. 458. ſui Athenæi .

## BIMIUS MATTHÆUS.

### Addenda ad Art. CCXXIX. Col. 164.

V. Conſultatio pro Phyſico Hectore Bimio petente cooptari in Ven. Collegium DD. Phyſicorum Mediolani. *Ibid.* 1625. *in fol.* pagg. 32. , extat penès Cl. Advocatum Sitonum .
VI. Conſultatio pro jure honorifico in Cauſa Cuſana , & Surrigona. *Mediolani* , 1629. *in fol.* pagg. 31. , extat penès eundem Cl. Advocatum Sitonum .

## BINASCUS MALACHIAS.

### Addenda ad Art. CCXXXIV. Col. 168.

JAm impreſſo Articulo novimus Malachiam Binaſcum Ordinem ingreſſum fuiſſe Ciſtercienſium die XXII. menſis Januarii , anno MDLIX Reliqua ipſius Acta non liquent . Inſuper æquum ducimus , & Lectori non injucundum , fuſiùs expreſſum dare Opus ibidem indicatum , prout infra :

I. Breviarium juxta Ritum Sacri Ordinis Ciſtercienſium . *Venetiis* , *apud Junctas* , 1579. *in* 8. cui præfigitur Epiſtola „ Rev. P. D. Coſmo Plantanidæ Mediolanenſi „ Ciſtercienſis Inſtituti , pro eximiis meritis Abbati „ S. Ambroſii , eruditione, Religioneque inſigni, D. „ Malachias Binaſcus Comproſeſſor felicitatem . „ Dicit onus impoſitum ei fuiſſe à Præſide ſui Inſtituti de emendando, atque caſtigando Breviario , & pro-



Digitized by Google

ſequitur his verbis : „ Non deſiit, idque maximis „ vigiliis, & laboribus, non tantùm ſemel, ſed „ iterum, atque iterum totum Breviarium perluſtrare. Sciunt enim omnes, quanti laboris ſit re„dundantia amputare, lucem obſcuris ſupplere, „ fidem dubiis, confuſis ordinem, involuta expe„dire, quiſquiliis, & ruderibus impedita extricare „ &c. Ex Cœnobio Torcellano IV. Nonas Octobris „ MDLXXIX. „ Adeſt etiam litera D Juvenalis Oraboni Monaſterii Divi Ambroſii Majoris Mediol. Abbatis, & Italicarum Congregat. Ordinis Ciſtercienſis Præſidis magnifico Lucæ Antonio Juntæ, in qua narrat in mandatis dediſſe Rev. D. Malachiæ tunc in Monaſterio Divi Thomæ Torcellarum Vicario, Viro, & optimis moribus, & Catholicâ doctrinâ prædito, provinciam Breviarii emendandi. Coſmus autem Plantanida ingreſſus eſt Religionem anno MDXLVII. die X Aprilis. Anno MDLXV. Viſitator major, & abiit ad Capitulum Generale Ciſterc. Anno MDLXVI. Abbas S. Crucis in Jeruſalem, deinde Abbas Carævallenſis, & Abbas Monaſterii S. Ambroſii anno MDLXXIII., quo iterum interfuit Capitulo Generali Ciſtercii, & fundavit partem Clauſtri prope Sanctam Valeriam Orientem versùs, & iterum anno MDLXXV. fuit Abbas Monaſterii S. Ambroſii, & Præſes, quo fundavit aliam partem Clauſtri ad Septentrionem ad S. Vitalem. Obiit anno MDLXXXII. die XII. Januarii.

De præfato etiam Reverendiſſimo Abbate Don Coſimo Plantanida latè diſſerunt Bartholomæus Areſius in Serie Abbat. S. Ambroſ. Mediolani pag. 75. & 77., Petrus Paulus Boſca in Martyrolog. Mediol. ſub die XX. Octobr. pag. 326., Advocatus Sitonus in Monumentis Nob. Famil. Plantanidæ pag. 5. impreſs. an. 1717. in fol. *penès Malateſtam*.

## BIRAGUS CORNELIUS FRANCISCUS.

Addenda, & Corrigenda ad Art. CCXXXVI. Col. 169.

OCcurrunt in Articulo CCXXXVI. in quo Cornelium Franciſcum Biragum laudavimus, quædam addenda, & nonnulla etiam corrigenda. Primùm Lectoribus nomina parentum hujus Viri doctiſſimi non invidebimus; hi enim fuere Rodomons Equitum dux, atque Cæcilia Annona nobiles conjuges. Cùm adhuc inter Minores degeret, in Cœnobio ſui Ordinis Patavino Adoleſcentes docuit, ubi etiam Orationem habuit elegantiſſimam, de qua infra. Quamvis autem in jam citato Articulo minùs de veritate edocti dixerimus, eum à Senatu poſt obitum celeberrimi Ludovici Septalæ delectum, ut in Palatinis Scholis Ethicam, atque Politicam prælegeret; novimus tamen id muneris delatum fuiſſe Birago noſtro à Collegio J. PP. hujus Metropolis in Gymnaſio Canobiano. Poſthabitis demum ſtudiis, relictâque patriâ Genuam migravit anno MDCLVII. cùm per ea tempora ibidem peſtis ſæviſſima graſſaretur, ut lue infectis piè deſerviret, præſertim in Loimocomio ipſius Urbis, cui cognomen *della Foce*, mirantibus tantam animi demiſſionem, & in proximum charitatem Genuenſibus Patribus. Cùmque & ipſe peſtifero tactus morbo concidiſſet, in Eccleſia S. Bernardi de Albaro Genuæ tumulatus eſt. Impoſita fuit publico Decreto ipſius Sepulchro ſequens Inſcriptio, in qua tamen Cornelii nomen eſt omiſſum, & eidem aſſignatur Ticinenſis patria, qui ex ſuperiùs dictis procul dubio Mediolanenſis fuit, niſi fortè in cauſa erroris fuerit Biragi diuturna apud Ticinenſes mora, cùm ibidem in Archigymnaſio Philoſophiam doceret.

FRANCISCO BIRAGO
NATIONE INSVBRO PATRIA TICINENSI (*)
LITTERATVRA PHILOSOPHO ORDINE SACERDOTI
QVOD GENVAM GRASSANTE LVE SPIRITV CHARITATIS ADDVCTVS
GENERIS CLARITATEM HVMILITATI CHRISTI LITAVERIT
AB EVANGELIO E DOMINO PENE SERVVS
LANGVENTIVM ANIMIS CORPORIBVSQVE CVRANDIS
OPERAM SIMVL ET VITAM DEVOVERIT
NE VIRORVM PHOENIX
TOT INTER FVNERA PENITVS EFFERATVR
EXCELLENTISSIMVS MAGISTRATVS
HOC PRAECLARO CINERI MONVMENTO POSITO
IMMORTALE NOMEN
AETERNAE GENVENSIVM GRATITVDINI COMMENDAVIT
MDCLVII.

(*) Corrige MEDIOLANENSI.

Operibus autem jam memoratis hæc ſunt addenda:

VIII. Oratio de laudibus Scientiarum habita Patavii in Studiorum ingreſſu anno MDCXVIII. *Patavii, typis Laurentii Paſq.* 1618.

IX. Oratio de Laudibus Civitatis Novocomenſis in Provincialibus Comitiis ibidem habitis anno MDCX. *Patavii, typis Laurentii Paſq.*

Hæc adjecimus ex Clariſs. Abbate Fuſio in ſuis Addendis MSS. ad Athenæum Picinelli, & humaniſſimo Sitono noſtro in Schedis.

## BIZOZERUS DOMINICUS.

Addenda ad Art. CCXLV. Col. 175.

VI. La Madre del bell' Amore; ex Diariis Literatorum, *Venetiis editis anno* 1742. pag. 165.

VII. Raccoglimento di trè giorni, o ſiano eſercizj Spirituali. *Milano, per il Ghiſolfi*, ſine anno in 12.

VIII. Ritiramento Spirituale di un giorno per ciaſchedun meſe. Citatur ab eodem Auctore in Præfatione Libri ſuperiùs indicati.

IX. Enchiridion pro Clericis Ordinibus initiandis. *Mediolani, in* 12.

X.

Digitized by Google

X. L'Amore degli Amori, Gesù Criſto nella SS. Eucariſtia, Conſiderazioni pratiche raccolte da diverſi Autori, e ridotte in Italiano, e diviſe in tre parti per animare la divozione verſo di queſto Auguſtiſſimo Sagramento, *In Milano*, *per gli Eredi Ghiſolfi*, 1702. *in* 12.

## BIZOZERUS JO. BAPTISTA.

Addenda, & Corr. ad Artic. CCXLVI. Col. 176.

PAtrem habuit Franciſcum, ſicuti ab iſtius ultimis Tabulis autenticis penes Cl. Sitonum noſtrum eruitur.

VI. De Furto, Tractatus abſolutiſſimus. MS. in 4., extat in Bibliotheca Cler. Regul. Somaſchenſium S. Petri Montis-fortis Mediol.

Corrigendum eſt Typographi ſphalma, qui in Articulo ejuſdem, linea 6. pro *Joanne Baptiſta*, impreſſit Joannem Dominicum.

## BLAGUAZONUS ANTONIUS.

Addenda ad Artic. CCXLVIII. Col. 177.

III. Epiſtola ad Lectores Italica, præfixa libro, cui titulus: „ Li Paradoſſi, overo dell' Amore, Dialoghi di Gio. „ Battiſta Manſo „. *Milano*, *preſſo Girolamo Bordoni*, 1608. *in* 4., in quâ Blaguazonus ait, Manſum, cùm Mediolanum veniſſet apud Petrum Cantonum hoſpitio exceptum; Cantonum ab ipſo ferè violenter extorſiſſe Dialogos eoſdem magna adhuc ex parte inconditos, quos poſtea reviſos, & correctos ſuis impenſis edendos curavit. Auctorem Operis laudat, ejuſque geneſim texit, commemoratis Viris illuſtribus, qui in Manſa Familia floruere.

IV. Carmina duo Italica, vulgo *Sonetti*, in laudem Manſi, extant in eodem libro.

V. In Libro, cui Titulus: „ Il Tempio, Panegirico del „ Cavalier Marino. „ *Macerata*, *per Pietro Salvioni*, 1615. *in* 12. Extat Epigramma Italicum Antonii Blaguazoni in laudem Auctoris pag. 107.

VI. In altero inſcripto: „ Rime di Claudio Trivulzio &c. de quo egimus ſuo loco, adeſt Carmen Italicum ejuſdem Blaguazoni.

## BLANCHINUS JOANNES BAPTISTA.

Addenda ad Artic. CCXLIX. Col. 177.

PArentes habuit Joannem Petrum, & Bartholomæam Marinam de Vianis conjuges. De hac Familia inter nobiles Mediolanenſes enumerata, ſuperſunt binæ Inſcriptiones in Oppido Pallantiæ; una nempe Maximiliano J. P. & Cauſidico Coll. Mediol. Auctoris noſtri Patruo magno in Eccleſia S Bernardini PP. Reform. Minoritar. Oppidi ſupradicti; altera verò ibidem in Templo S. Leonardi pro Jo. Jacobo, Scriptoris hujus Proavo his literis inſculpta:

D. O. M. I.
NOBILIVM BLANCHINORVM
FAMILIAE SEPVLCRVM
ANNO MDLXXXVIII.

Ad Joannis Baptiſtæ Opera jam relata hæc addimus

XXI. De Antiquitate, & Nobilitate Familiæ Quadriæ, impreſs. in folio, ſine anno, & Typographo; extat penes Advocatum Sitonum &c.

XXII. Compendio hiſtorico dell' antichità, e nobiltà della Famiglia Airolda Marcellina. MS. in Bibl. PP Ciſtercienſium S Ambroſii Mediol. in fol.

XXIII. Collectanea ſpectab. DD. Senatorum Mediol. MS. Extabant penes Auctorem, & Comitem Horatium Archintum, & in Collegio Notariorum, MSS. in fol.

Hæc omnia hauſimus ex monumentis chronogenethliacis Nob. Familiæ Blanchinæ evulgatis per Clar. Advocatum Joannem de Sitonis de Scotia, & an. 1710. impreſs. penes *Malateſtam*, in fol.

## BOLDONUS JO. NICOLAUS.

Addenda ad Art. CCLVII. Col. 182.

PAtrem habuit Octavium J. C., matremque Cæciliam Cattaneam nobiles conjuges; fratres eidem fuere Octavius Theani Epiſcopus, Aurelius J. C., & S. Stephani in Brolio hujus Urbis Præpoſitus, ac Sigiſmundus Phyſicus Col. de quibus nos egimus, uti legitur in Theatro Genealogico Sitoniano millies citato.

XI. Carmen Italicum, vulgo *Sonetto*. Extat in libro inſcripto: „ Li Doni di Parnaſo di Ferdinando Sola„ ri, nella laurea del Sig. D. Franceſco Bigarola „ ad pag. 68.

## BOLDONUS NICOLAUS.

Addenda ad Art. CCLVIII. Col. 183.

VI. Epiſtola, typis impreſſa poſt Deſcriptionem Larii lacus Pauli Jovii editionis *Venetæ Jordani Ziletti*, 1559. inſcripta. Illuſtriſs. D. Comiti Franciſco Sfondrato Cæſareo Senatori, Conſiliarioque ampliſſimo, in qua agitur de fluvio Lacteo, ſeu Albula, qui in Lacum defluit.

Ex Clar. Ab. Fuſio in App. MS. ad Picinellum.

## BOLDONUS OCTAVIUS.

Addenda ad Art. CCLIX. Col. 183.

FIlius Octavii J. C., Equitis aurati, Cæſareique Comitis Palatini, & Cæciliæ Cattaneæ conjugum, & ſuperiùs relati frater.

XIV. Academicæ Dictiones. *Neapoli*, 1674. *in* 8.

XV. Epigraphes Religioſæ memoriales. Vol. I. *Romæ*, 1670. *in fol.*

## BOLDONUS SIGISMUNDUS.

Addenda ad Artic. CCLX. Col. 185.

X. Epiſtola Latina ſatis erudita ad Dominicum Molinum Senatorem ſapientiſſimum. Data Ticini MDCXXVIII. IV. Idus Junias; extat in fronte Hiſtoriæ Patriæ Benedicti Jovii Novocomenſis Editionis *Lugduni Batavorum*, *apud Petrum Vander-Aa*.

XI. Epigramma ad ſupradictum Dominicum Molinum, legitur ad calcem enunciatæ Epiſtolæ.

## BOLOGNA JOANNES BAPTISTA.

Addenda ad Artic. CCLXIII. Col. 186.

III. Corona Poëtarum, Jocus Poëticus Joannis Baptiſtæ Bononiæ J. C. Mediolanenſis. Acceſſit Epigrammatum libellus, fragmentum rerum ab Auctore in vinculis indignè conſtituto conſcriptarum. *Mediolani*, *Typis Pandulphi Malateſtæ*, 1616. *in* 4. Librum nuncupavit Auctor Petro Toletano Oſorio Mediolanenſis Provinciæ Moderatori. Adſunt in eodem Epigrammata V. Severini Frigerii ingenioſiſſimi Monachi ad Joannem Baptiſtam Bononiam, cum totidem iſtius reſponſionibus, ſicuti & Franciſci Hoſii Carmen ad eundem.

BO-

Digitized by Google

## BONESANA FRANCISCUS.

Addenda ad Artic. CCLXIX. Col. 189.

IN Sæculo Joannes Baptiſta in lucem editus eſt die XXVII. Maji, anno MDCXLIX. ex altero Franciſco Boneſana, & Cæcilia Beſutia filia Alphonſi, ex LX. Decurionibus Mediolani, conjugibus. Tumulatus jacet in Sacello B. V. Mariæ ad Cœlum Aſſumptæ in ſua Eccleſia Cathedrali Comenſi cum ſequenti ex marmore Epitaphio:

FRANCISCVS BONESANA
PAT. MEDIOLANEN. ET CLER. REG.
APVD POLONORVM REGEM
SVB INN. XI. ALEX. VIII. ATQVE INNOC. XII.
CONTRA TVRCAS VRGENTE BELLO
PONTIFICII AERARII PRAEFECTVS
ET COMMISSARIVS APOSTOLICVS
TVM CALATINVS
AC DEMVM NOVOCOMEN. EPISCOPVS
PIETATE DOCTRINA ZELO CONSPICVVS
ECCLESIASTICAE LIBERTATIS AC DISCIPLINAE
STRENVVS DEFENSOR ET VINDEX
AC REI SACRAE TAM VIGIL CVSTOS
QVAM SVAE CONTEMPTOR
POST EFFVSAS IN PAVPERES LARGAS OPES
AC STRVCTIS AD SVCCESSORVM ANTISTIT. COMMODVM
BALERNAE AMPLISSIMIS AEDIBVS
DITIOR ADHVC IVVANDI CVRA QVAM POTESTATE
RESIDVO
IN ALVMNORVM COLLEGII GALLII BENEFICIVM
APOSTOLICA FACVLTATE EROGATO
CVM NIHIL VLTERIVS DARE POSSET
ANIMAM DEO REDDIDIT
A. S. MDCCIX. D. XX. DECEMB.
AETAT. LX. EPISCOPATVS XIV.

III. Sermo habitus ad Populum Comenſem inter prima ſollemnia ab eo celebrata in ſua Eccleſia Epiſcopali. MS. in 4. Extabat penes Annam Mariam Boneſanam ex fratre hujus Epiſcopi nepotem, & inter Matronas Regii Collegii Guaſtallæ hujus Metropolis, anno MDCCXLII. defunctam.

Ejus Vitam typis impreſſam edidit Auctor Anonymus, ſub titulo: „ Memorie della Vita di Monſignor Franceſco Boneſana Veſcovo di Como. *In Milano, preſſo Franceſco Agnelli*, 1742. *in* 8. De ipſo Advocatus Sitonus in Theatro genealogico Sitoniano pag. 76. MS. in folio penes Auctorem.

## BORROMÆUS S. CAROLUS.

Addenda, & Corr. ad Art. CCLXXIV. Col. 192.

XLIII. Sermoni di S. Carlo, raccolti da Agata Sfondrati. *Padova, per il Comino*, 1728. *in* 4.

XLIV. Regole per la Compagnia della Miſericordia, il cui principale fondamento conſiſte nella venerazione del Santiſſimo Sagramento eretta nella Chieſa di S. Celſo vecchio, dettate dal medeſimo Santo l'anno MDLXXI. *Milano, per il Monza*, 1654. *in* 4.

XLV. Inſtructiones Fabricæ, & Suppellectilis Eccleſiaſticæ. *Mediolani, per Pacificum Pontium*, 1577. *in* 12.

XLVI. Ricordi al Popolo della Città, e Dioceſi di Milano. *Ivi, per Pacifico Ponzio*, 1578. *in* 12.

XLVII.

Digitized by Google

XLVII. Tractationes de Symbolo Fidei, de decem Præceptis, de Sacramentis, de Oratione Dominica, & de ſingulis Sacroſanctis Myſteriis.

XLVIII. Sex Conciliis habitis, totidem Decretorum Volumina, & Orationes recitatas evulgavit.

XLIX. Modum viſitandi Baſilicam Apoſtolorum in Urbe.

L. Tractatum de cura tempore peſtis.

LI. De Tranſlatione ſacræ Imaginis B. Mariæ Virginis apud Vicum Saronium, literæ Paſtorales. *Mediolani*, 1581.

LII. De Inſtitutione SS. Roſarii, literæ Paſtorales. *Ibidem*, 1584.

LIII. Tractatus de Quadrageſima Romana, & Ambroſiana, ex MS. autographo S. Caroli. Extat in Vol. IX. MSS. Jo. Bapt. Cornei junioris in Archivo Archiep. Mediol.

LIV. Notæ marginales autographæ, quibus inſperſit librum, cui titulus: „ Sacramentarium „ juxta morem Mediolanenſis Eccleſiæ dili„ gentiſſimè reviſum, caſtigatum, redinte„ gratum, additionibus auctum à Hierony„ mo Aqueo. *Mediolani, apud Fratres Metios*, 1560. *in* 4. Codex ſervatur in Bibliotheca Ambroſiana.

LV. Inſtitutiones ad univerſum Collegii Helvetici regimen pertinentes à S. Carolo inchoatæ, & ab Illuſtriſs. & Reverendiſs. Cardinali Federico Borromæo abſolutæ. MS. in 4. Bibliothecæ Ambroſianæ, ſign. N. 70. In cujus fronte legitur „ ex Legato Joannis Mariæ „ Bidelli 1705. „

LVI. Ordini del Cardinal Borromeo Delegato da Pio V. alla viſita, e reformazione del Monaſtero Maggiore di Milano. Manu ipſius S. Caroli ſunt obſignata hujuſmodi Decreta ſub die 23. Feb. 1569. MSS. in fol. Bibliothecæ Ambroſianæ, ſign. D. n. 348.

Hymnus de S. Carolo Mediolanenſi Trochaicus purus ex Alamanio, & Euripidio Lyricus. Dicolos Exaſtrophos. Sic incipit:

*Pange lingua ſingularis*
*Caroli Sanctiſſimi &c.*

Hymnus Choriambicus Aſclepiadæus cum Glyconio ſexti generis Lyricorum, Dicolos Tetraſtrophos. Sic incipit:

*Sacris Officiis munera ſunt ſacra*
*Sunt Myſteria decreta fidelibus &c.*

In fine ſic legitur: „ Munus Domini Leſcot „ Abbatis Claromontani, Conſiliarii Regii „ in Supremo Parlamento Pariſienſi. MS. in fol. maximo, atque in pergameno optimæ notæ in Bibliotheca Ambroſiana ſign. E. n. 164.

Carolus Canda Prior Cœnobii Domp-Martini ex Italico Latinè reddidit Vitam S. Caroli Borromæi. Ex Catalogo Antonii Teiſſerii, *Genevæ edito*, 1686. *in* 4.

Franceſco Beſozzi Vita del B. Carlo Borromeo. *Breſcia*, 1602 *in* 8.

Eandem Vitam S. Caroli à Gluſſiano ſcriptam in Gallicum tranſtulit F. Cloyſeaut Presbyter Congregationis Oratorii. *Lugduni*, 1685. *in* 4.

Ferdinandus Balleſtras Vitam ipſius S Cardinalis Hiſpanicè edidit. *Compluti*, 1642.

Ferdinandus Arrias de Saavedra vertit Hiſpanicè Vitam ipſius Sancti Caroli à Franciſco Penna elaboratam. *Hiſpali*, 1609. *in* 8.

Penes Cl. amiciſſimumque Co. Jo. Mariam Mazzucchellum Brixienſem, & in Bibliotheca Ambroſiana extat Nummiſma S. Caroli, in cujus averſa parte viſitur Agnus ſuper ſtylobate cum lemmate *Sola gaudet humilitate Deus*.

Vide etiam Poſſevinum in Apparatu Sacro Tom. II. pag. 430., ubi de Synodis Mediolanenſibus; nonnulla quoque excerpſimus ex Appendice MS. ad Picinellum Cl. P. Abbatis Fuſii.

In eodem Articulo Col. 195. lin. 27. 1667. corr. 1567.



## BORROMÆUS FEDERICUS.

Addenda ad Art. CCLXXV. Col. 196.

CXVIII. Inſtitutiones ad univerſum Collegii Helvetici regimen pertinentes, à S. Carolo inchoatæ, & ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Cardinali Federico Borromæo abſolutæ. MS. in 4. Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. N. num. 70. in cujus fronte legitur „ ex Legato Joannis Ma„ riæ Bidelli MDCCV. „

Le trois Livres des loüanges Divines du Cardinal Frederic Borromée Archevêque de Milan; traduits en François, avec l'Italien à côté, par Antoin le Moine. *Paris, par Alexis de la Roche*, 1724. *in* 8.

In Bibliotheca Ambroſiana adeſt Nummiſma pro Card. Federico Borromæo, in quo viſuntur tres anuli inſimul colligati, cum lemmate *Collegiſſe juvat*.

## BORSA ALEXANDER MARIA.

Addenda ad Art. CCLXXIX. Col. 203.

III. Trattato della Felicità Umana. MS.
IV. La Donna Oneſta.
V. L'Uomo colpevole.
VI. Le delizie dello Spirito.

Hæc tria Opera poſtrema è Gallico idiomate in Italicum converſa fuiſſe, primum verò ab Alexandro Maria Borſa compoſitum, novimus ex Epiſtolis Franciſci de Lemene, Clariſs. Poëtæ Laudenſis, quæ numero III. ad hunc Borſam ſcriptæ habentur in Collectione MS. in fol. Epiſtolarum ipſius de Lemene ad Varios, apud Comitem Antonium Simonettam.

## BOSCA PETRUS PAULUS.

Addenda ad Art. CCLXXXII. Col. 204.

XXI. Diſcorſo di D. Fauſto Nairone Baneſio Maronita, Profeſſore di Lingua Caldea, overo Siriaca nella Sapienza di Roma, intorno alla ſalutevole bevanda detta *Cabue*, o ſia Caffè, volgarizzata da Pietro Paolo Boſca, della Congregazione degli Oblati, Bibliotecario della Libraria Ambroſiana: All' Illuſtriſſimo Sig. Sig. e Padrone Colendiſsimo, il Sig. Antonio Borromeo, Conte di Arona, Marcheſe di Angera, ed uno de' Signori Seſſanta Decurioni della Città di Milano ec. *In Milano, nella Stampa di Franceſco Vigone*, 1672. *in* 12.

## BOSSIUS ALOYSIUS.

Addenda ad Art. CCLXXXV. Col. 207.

X. De utilitate Spirituali capienda ex morbis corporalibus. *Mediolani, apud Pontium, & Piccaleam, ſine anno, in* 8.

## BOSSIUS AMBROSIUS.

Addenda ad Art. CCLXXXVI. Col. 207.

POſt id, quod ſcripſimus in Articulo iſtius Boſſii ſub Picinelli fide circa Codicem MS. relatum num. I. ipſum videre nobis licuit in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii hujus Metropolis, in quo poſt titulum Chronicæ ſic adnotatur „ Hoc Opus conſcripſit Ambroſius Boſſius anno „ MCCCXCIX., & originale priſco charactere ef„ formatum, extat penès hæredes Aloyſii ab Ec„ cleſia, à quo præſens Exemplar tranſcriptum „ fuit, & de verbo ad verbum collationatum à Jo„ anne Baptiſta Blanchino J. C., & publico Medio„ lani Notario. „ Exorditur autem his verbis „ In „ Nomine Domini. Amen. Incipit Lib. I. qui pro„ tenditur uſque ad Adventum Domini noſtri Jeſu

Ooooooo „ Chri-

Digitized by Google

„ Chriſti. De Creatione IV. Cœlorum &c. „ & deſinit in Cap. 682. ubi agit de Joanne Vicecomite Mediolani Archiepiſcopo, anno MCCCXLII., deinde habentur varia Documenta, inter quæ Inveſtitura Ducatus Mediolanenſis per Vinceslaum Imperatorem Joanni Galeacio Vicecomiti collata &c.

## BOSSIUS DONATUS.

Addenda ad Art. CCXCI. Col. 211.

III. Annotationes noſtri temporis, eventuſque bellorum.
IV. Lucubrationes in laudem Franciſci Sfortiæ.
De his videndus eſt Cl. Saxius in Hiſtoria Typograph. ad annum MCCCCXCII. Col. CCCXLII.

## BOSSIUS FRANCISCUS.

Addenda, & Corrigenda ad Art. CCXCIII. Col. 212.

Filius Ægidii J. C. C. Senatoris, & Angelæ de Plenis conjugum: frater ei fuit Marcus Antonius à nobis laudatus in Art. CCCV.

XIII. Oratio Latina in Funere Nicolai Sicci, quæ extat in Hiſtoria Genealogica ejuſdem Nobiliſſimæ Familiæ ſub nomine Hieronymi Boſſii Italicè ſcripta pagg. 99. & ſeqq.

In eodem Articulo lin. 3. anno MCLXXIX. corrige *MDLVIII.*

Hac occaſione Lectores monemus, Ægidii Boſſii ſupradicti Senatoris in Art. CCLXXXIII. Col. 206. jam laudati, parentes fuiſſe Franciſcum, & Anaſtaſiam Carnagam conjuges.

Inter Epiſtolas Æneæ Sylvii, poſtea Papæ Pii II. extant II. ad alterum Franciſcum Boſſium Seniorem, Antonii filium, J. C atque Epiſcopum Novocomenſem, qui claruit ab anno MCCCCXX. ad MCCCCXXXV. In prima agit Æneas de Rebus Tridentinis, & eſt in ſerie num. XLVIII. In altera verò Amicum laudat, quia diligenter rem commiſſam curaverit, & eſt num. LVIII. Scripſit quoque ad Franciſcum iſtum Gaſparinus Barzizius, ejuſque Epiſtola data Mediolani extat inter Opera Gaſparini, & Guiniforti Barziziorum, impreſſa *Romæ*, 1723. pag. 216.

## BOSSIUS HIERONYMUS.

Addenda ad Art. CCXCV. Col. 213.

III. Acta Reformationis Monaſterii S. Modeſti Beneventi. A Suis.

## BOSSIUS JACOBUS.

Addenda ad Art. CCXCVIII. Col. 215.

V. Ex Hiſpano Italicè traduxit Tractatum de Jubilæo Anni Sancti Hieronymi Gratiani. *Romæ*, 1599. *in* 4.

## BOSSIUS SIMON.

Addenda ad Art. CCCVII. Col. 219.

III. Allegationes plures Juridicæ, inter quas eminet illa in Cauſa Ripæ Hortæ, inter Epiſcopum Novarienſem, & Fiſcum, in fol. ſine anno, & Typographo, dignæ omnes ut legantur.

## BRAMBILLA HIERONYMUS alter.

Addenda ad Art. CCCXIII. Col. 222.

EN Sepulchralis Inſcriptio ex marmore in Sacello Divi Sebaſtiani in Baſilica Collegiata Divi Johannis Baptiſtæ Oppidi Modoëtiæ, quam promiſimus in Articulo Brambillæ iſtius:

D. O. M.
PRESBYTERO HIERONYMO BRAMBILLAE
OLIM HVIVS BASILICAE CAPPELLANO DVCALI
QVI LEGATO HVIC SACELLO
QVOTIDIANI SACRI ONERE
RESERVATOQVE FAMILIAE BRAMBILLAE IVREPATRONATVS
OBIIT ANNO MDCXVI. IDIBVS APRILIS
ARCHIPRESBYTER ANTONIVS MARIA BRAMBILLA
NEPOS PATRVO B. M. P.
ANNO DOMINI MDCXXVIII.

De præfato Hieronymo Brambilla Ducali Cappellano, & Antonio Maria Brambilla Archipresbytero in Baſilica Modoëtienſi meminerunt Advocatus Johannes Sitonus in Monumentis chronogenealogicis Familiæ Brambillæ pag. 4. impreſſ. Mediol. an. 1721. in fol. *penès Malateſtam*, necnon Juſtus Fontaninius in Diſſertatione de Corona ferrea Langobardorum pag. 101. & 102.

## BRASCA PHILIPPUS.

Addenda ad Art. CCCXVII. Col. 223.

QUandoquidem ætas hujus Scriptoris hactenus incomperta, diligentiori tandem indagine ad notitiam noſtram pervênit, æquum ducimus Lectores monere, ipſum Joannis Jacobi, & Hippolytæ Caſtellettæ jugalium filium anno MDLXVII. floruiſſe, ſupremaſque Tabulas ſignaſſe anno MDCXVII.

BRIP-

Digitized by Google

## BRIPPIUS JOSEPH.

### Addenda ad Art. CCCXXVI. Col. 230.

X. Epiſtola metro conſcripta ad Maphæum Vegium Laudenſem, qua poſt laudes eximias, eum invitat ad captandas ſecum Ruris delicias, cum ejuſdem Vegii metrica reſponſione. Ex Codice Ambroſianæ Bibliothecæ MS. ſign. D. num. 5. in 4.

Ita Cl. Joſeph Antonius Saxius in Hiſt. Typograph. ad annum MCCCCXCI. col. CCCXXXVIII.

XI. Poëma S. Alexii compoſuit, quod ex Membranis Halenſibus ſe deſcripſiſſe, ait Chriſtianus Daumius Epiſtola LXIV. ad Reineſium. Idem affirmat Konigius in Biblioth. veteri & nova.

Ex Cl. Abb. Fuſio in Append. MS. ad Picinellum.

## BUGATUS GASPAR.

### Addenda ad Art. CCCXXXII. Col. 234.

VIII. Libro dell'Inſalata. MS.

IX. Lezione ſcritta contra li Riſari, per quali Riſari molti danni ſeguivano, e ſeguono in pregiudizio della Città, e Stato di Milano. Extat in eodem MS., prout ipſemet Pater Bugatus teſtatur in Libro „ Aggiunta all' Hiſtoria univerſale di „ Milano „ pag. 165., & in altero, cui titulus: „ I Fatti di Milano al contraſto della Peſte, over „ peſtifero Contagio dal primo d'Agoſto MD- „ LXXVI. fin all' ultimo dell'anno MDLXXVII. pag. 47., quos jam dedimus ſuo loco.

## BURRUS CÆSAR.

### Addenda ad Art. CCCXXXVI. Col. 238.

XVII. Rime: Extant ad calcem Libri „ Poeſie Nomi- „ che di Giambattiſta Manſo. „ *Venezia, preſſo il Bada*, 1635. *in* 12.

XVIII. Rime: Extant in II. parte Carminum Aſcanii Ordei. MS. Italicè ſcriptus apud Carolum Antonium Tantium, de quo alibi.

Ex Cl. P. Quadrio Tom. II. pagg. 307. & 319.

XIX. Canzone, pagg. 10. Extat in libro, cui titulus: „ Muſarum Sertum pro laurea Gregorio, & „ Joanni Baptiſtæ Sfondratis collata, à Joſepho „ Lando intextum. „ *Papiæ*, 1618. *in* 4.

XX. Conſultatio pro jure honorifico in Cauſa Cuſana, & Surrigona, impreſs. *Mediolani*, *anno* 1629. *in fol.*, pagg. 15., extat penès Advocatum Sitonum.

In Articulo II. loco verborum Adonida Poëma, repone: „ Adone di Ceſare Borri dedicato al „ Co. Vitaliano Viſconte Borromeo. *Milano*, 1614 *in* 12., ſono Ottave 110.

## BURRUS CHRISTOPHORUS.

### Addenda ad Artic. CCCXXXVII. Col. 238.

Elogia, ſeu breves Vitæ:

VI. Conſalvi Henriquez.
VII. Stephani Zurair.
VIII. Antonii Suarez.
IX. Petri Nunnez.
X. Hernandi Sanchez.

Omnes de anno MDLXX.

Extant in Libro, cui titulus: „ Elogia PP. Societ. „ Jeſu pietate, ac morte pro Chriſti Fide obitâ, „ illuſtrium. „ MS. in Bibliotheca Braydenſi.

## De BUSTIS BERNARDINUS.

### Addenda ad Art. CCCXLVIII. Col. 244.

FAmiliæ de Buſtis ſtemma gentilitium nobis de more perhumaniter communicavit amiciſſimus Sitonus noſter, à Martino, florente anno Chriſti MCCCL uſque ad Laurentium Phyſicum Mediolanenſem, anno MDXVI. Ex Laurentio, ut diximus, J. C. Colleg, necnon Decurione hujus Urbis anno MCCCCXLV., natus eſt Bernardinus, cujus Operibus, quæ in memorato Articulo recitavimus, hæc etiam poſtmodum cognita duximus addenda, ſervatâ titulorum, prout jacent, Ortographiâ.

XIV. Nel nome di Noſtro Signore Jeſu Criſto incomencia la Corona della B. V. Maria, e queſta devotione ſi deſtingue in LXIII. capituli, ſecondo gli anni, che vivette eſſa Immaculata Matre di Dio in queſto Mondo ec., con altri verſi ſopra la ſalutazione Angelica, ſopra la Paſſione, le Opere della Miſericordia ec. Queſt' Opera divotiſſima ſi è appellata Theſauro Spirituale, il quale ha cavato nel Zardino de li Frati Minori. *Impreſſo a Milano in Caſa di Maiſtro Antonio Zaroto, nell'Anno del Signore* 1462. *a dì primo di Junio*, *in* 8.

XV. Devota Meditatio Paſſionis Elegiaco Carmine; cum Officio S. Crucis. *Mediol. per Uldericum Scinzenzeler*, 1492. *in* 8.

Roſarium Sermonum &c. num. I. recenſitum habet etiam ſequentes editiones *Agbenau*, *ſine Typographo*, 1518 *in fol.*, *&* *Lugduni*, *per Antonium du Ry*, 1525. *Tom. II. in* 4, *&* *Brixiæ*, *per Petrum Pachel*, 1493 *non* 1494 *in* 4, *Nurembergæ*, *per Antonium Roberger*, 1503. *in fol.*

Defenſorium Montis Pietatis num. IV. indicatum fuit etiam impreſſum *Venetiis*, *per Petrum de Quarengiis*, 1498. *in* 4., & iterum ad calcem Operis ſupradicti „ Roſarium Sermonum „ *Agbenau*, 1518.

# C

## CÆSARIANUS CÆSAR.

### Addenda ad Art. CCCLXI. Col. 255.

QUandoquidem Cæſaris Cæſariani refricare cogimur memoriam ob ea, quæ jam è prælo dimiſſo præfati Auctoris Articulo ad noſtram pervenere notitiam, nonnulla hoc loco ad eundem, tempuſque, quo in vivis extitit, pertinentia æquum ducimus Lectoribus optimis ſignificare. Auctor igitur noſter ejus, qua pollebat, Architectonicæ Artis commendatione à Ducalis Cameræ Mediolanenſis Miniſtris Architectus Principis renunciari promeruit die XIII. menſis Januarii, anno poſtquam redempti ſumus MDXXVIII. quemadmodum Diplomate inſpecto monuit nos humaniſſimus, & in hujus Metropolis monumentis verſatiſſimus JC. Sitonus. Huic etiam acceptum referimus emortualem Cæſariani noſtri annum, qui fuit Chriſti MDXLII., quod ex certis, fideque dignis locis hauſtum nos docuit; tametſi non conſtet, utrum in Patria, vel alibi mortalitatem depoſuerit. Ceterùm quamvis Italicè reddiderit Auctor Vitruvii Opus, Græcas etiam literas eundem calluiſſe patet; nullo enim pacto fieri poterat, ut pro dignitate illud transferret, propriiſque vocabulis omnia ſignificaret, niſi græcè didiciſſet. Sed & Aſtronomiam inſalutatam non reliquiſſe facilè ſcient, qui ad Benedicti Jovii Epiſtolam inferiùs indicandam oculos convertent.

Ope-

Operibus addendum :

II. Opus de Templo Maximo Mediolanenſi , quod eum ſcripſiſſe eruimus ex Carminibus Joannis Baptiſtæ Scaravagii, ut in hujus Articulo ſuo loco indicavimus.
Duæ ad eundem Benedicti Jovii Epiſtolæ habentur inter hujus MSS. Latinas apud Comitem Antonium Joſephum à Turre Rezzonici, in quarum una eruditiſſimè agit de variis ad Aſtronomiam ſpectantibus ; in altera verò de editione Vitruvii diſſerit.
De ipſo quoque agit Benalius in Hiſt. Relat. Magiſtr. Extraord. pag. 77.

## De CANARO ANTONIUS.

Addenda ad Art. CCCLXXVII. Col. 267.

V. Tractatus de poteſtate Papæ ſupra Concilium. MS. in Vaticana 4505. ex Montfauconio in Biblioth. MSS. Tomo I. fol. 118.

## CANDIANUS ANGELUS.

Corrigenda ad Art. CCCLXXVIII. Col. 267.

MOniti à Clariſs. Sitono noſtro mortem Candiani iſtius , quam fiximus anno MDIX. reponendam eſſe advertimus ad annum MDLX , ultimaſque ejus Tabulas ſub die XII. menſis Octobris MDLIX. ſervat Sitonus ipſe .

## CANEVESIUS TIMOTHEUS.

Addenda ad Artic. CCCLXXXII. Col. 269.

VIII. Sermoni del Santiſſimo Sacramento . Extant in Libro , quem ſuo loco dedimus ſub numero II. hoc titulo „ Lezioni Scritturali ec., ſed in ſecunda „ editione *Milano, nella Stamperìa Arciveſcovile* ; „ 1685., cum Auctoris Epiſtola Nuncupatoria ad „ P. Angelicum Caneveſium .

IX. Vita di Giacobbe in LXII. Lezioni , con il principio della Vita , ed Opere del famoſo Mosè . Hæc ſe ſcripſiſſe aſſerit Auctor ipſe in ſupradicta Epiſtola Nuncupatoria .

X. Viaggio del P.F. Timoteo Caneveſe da Milano Lettore , e Predicatore generale de' Minori Oſſervanti Riformati a S. Giacomo di Galizia , e ſua preſura nell'Oceano dagli Algerini , vendita , e liberazione ſeguita dalla carità , e beneficenza del Cardinale Federico Borromeo, allora Nonzio in Spagna : dedicato al Preſidente Bartolomeo Areſe . *Milano , preſſo il Malateſta* , 1671 *in* 8.

XI. Preparazione al ſanto Eſercizio della Predica col timore , e confidenza in Dio. *Milano , preſſo il Ramellati , ſine anno , in* 12.

## CANTIANUS STEPHANUS ANTONIUS.

Addenda ad Art. CCCXCI. Col. 274.

AD hujus Viri laudem illa addere juvat , quæ impreſſo jam ejus Articulo nobis ſignificavit ſtudioſiſſimus Juvenis , & Italicâ Poëſi ſatis notus Carolus Antonius Tantius Mediolanenſis , Cantianum ſcilicet noſtrum ſupremis Tabulis Seminario Montis Sancti Caroli apud Aronam , ſelectam Bibliothecam legaſſe , præter alia pia Opera ab eo conſtituta .

IV. Innumeras penè Epiſtolas ſcripſit ad rem Literariam pertinentes ad varios, præſertim verò ad Federicum Cardinalem Borromæum juniorem , tunc Patriarcham Alexandrinum , Gibertum item Cardinalem Borromæum , & ad Carolum Datum Florentinum, ut patet ex eorum Reſponſionibus , quæ ſervantur autographæ apud Joſephum Cantianum Aronenſem Auctoris noſtri pronepotem .

## CANTONUS PETRUS.

Addenda, & Corrigenda ad Art. CCCXCIV. Col. 276.

ERuditis notum eſſe arbitror , nominum ſimilitudinem , quæ in familiis frequens eſſe ſolet, non rarò etiam diligentiſſimos in fraudem inducere . Hæc præfatus ſum , ne quis mihi vitio vertat, quòd in Articulo hujus Scriptoris lapſus ſim, aſſerens Catharinam Leucam Bartholomæi Cantoni uxorem Nurum fuiſſe Scriptoris noſtri, cùm Bartholomæus ipſe, & Catharina parentes ejus fuerint . Fefellit nos nomen Petri , qui eidem cum Avo communis extitit , ut ex publicis Tabulis mihi ſuggeſſit, Vir doctiſſimus , amiciſſimuſque J. C. Sitonus .

Operibus autem , correcto prius ſphalmate , quod ex Typographorum incuriâ irrepſit in editione Libri „ De definitione &c , ubi pro anno MDXXIV. reponendus eſt annus MDCXXIV. hæc ſunt addenda :

IV. Epiſtolæ plures ad Ericium Puteanum , de quibus hic meminit in reſponſis ad Cantonum datis , præſertim verò in Centuria prima , Epiſtola IV. data Lovanii poſtrid. Kalend. Apr. MDXCVII , in qua agit de Inſcriptiunculis à Cantono miſſis pro interpretatione habenda . Item in Centuria IV. literis datis ibidem VIII. Kal. Majas , ubi gratulatur de filio ei nato .

V. Li Paradoſſi , overo dell' Amore , Dialoghi di Gio: Battiſta Manſo. *Milano , per il Bordoni* , 1608. *in* 4. Hoc Opus ideo Cantono tribuimus , quòd, teſte Antonio Blaguazono in Epiſtola ad Lectorem libro præfixa , illud adhuc indigeſtum , & informe Auctori amicè ſubreptum, non caſtigaverit ſolùm, & recenſuerit, ſed completum quoque , ſuis ſumptibus edi curaverit .

VI. Conſultatio de Arboribus controverſis apud Ruginellum de Arboribus pag. 183.
Præter jam indicatas Puteani Epiſtolas , habemus etiam ſequentes :
In Centuria I. pag. 47. ei mittit Inſcriptionem Parmæ ab Andrea Naugerio repertam , anno MDCXXV., & explicationem à Cantono petit . Data eſt Epiſtola Puteani , Patavii Prid. Eid. Sex. MDXCIX.
Alia in Centuria II. pag 105. dolet de ſilentio Cantoni , & illius Epiſtolas ardentiſſimè cupit . Data eſt Patavii VI. Mart. MDC.
Alia in Centuria III. Bellaria inſcripta pag. 61 ſic Cantonum laudat „ In pectore mihi Cantonus , „ immo in ore eſt ; & nunc abſentis deſiderio „ torqueor . Amicum enim te animo habui, judicio colui bonum , doctum , humanum inter „ paucos, velut gemmam inter ſaxa, breviter dicam : virum

„ - - - - *mores vetereſque novoſque tenentem* ,
„ *Multorum veterum leges , divumque hominumque*
„ *Prudentem* ;

Lucubrationes ſuas Cantono mittit, & Laudationem juventutis Belgicæ promittit , ut judicium ſuum Cantonus proferat . Data eſt Lovanii poſtridie Kal. Aprilis MDCVII.
Alia Conſolatoria pro morte filii ſatis erudita . Data Mediolani Kal. ipſis anni MDXCVI.
In Encomiaſtico Hieronymi Boſſii Ticinenſis pag. 9. extat Epiſtola ſatis elegans ad Petrum Cantonum noſtrum .

## CAPRA BARTHOLOMÆUS.

Addenda ad Art. CCCCVIII. Col. 284.

III. Literæ ad Antonium Panormitam, ut eruitur ex iſtius Reſponſionibus ad Bartholomæum noſtrum , quæ ſunt in MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſignat. H. num. 49. Aliæ V. ejuſdem Panormitæ ad Bartholomæum Capram ſcriptæ , cum reliquis ejuſdem extant in editione peracta *Venetiis, apud Bartholomæum Ceſanum* , 1553. *in* 4.
Panegyricus in ejus laudem Guarini Veronenſis, extat in eodem MS. Ambroſiano.

CA-

Digitized by Google

A

## CARATUS LEO.

Addenda ad Art. CCCCXV. Col. 291.

II. Acta Reformationis Monaſterii Tremitani ſub Thaddæo Binaſco Generali Ordinis, anno MCCCCXLI. Teſte Roſino in Licæo Lateranenſi.
Claruit etiam ex hac Familia Jacobus de Carate Conſul, & Judex Cameræ Civitatis Mediolani anno MCCL., qui ſub die quinto ante Calendas Februarii anno eodem Sententiam protulit, traditam, & receptam per Guidotum Truliam Civitatis Mediolani Notarium deputatum ad Sententias Cameræ ejuſdem Civitatis recipiendas &c. extat in pergamena penès Advocatum Sitonum amiciſſimum.

B

## CARAVAGIUS PETRUS PAULUS alter.

Addenda ad Art. CCCCXX. Col. 294.

CUm de Petro Paulo Caravagio juniore ſermonem habere debeam, juvat etiam hîc Lectorem admonere, quòd Jo. Andreas jam laudatus in Articulo CCCCVIII Col. 292. extiterit Patruus ejuſdem, ſcilicet Petri Pauli ſenioris frater; Operibus interim Petri Pauli iſtius junioris addimus:

LIII. Synopſim Arithmeticæ practicæ. MS. in fol. extat penès Marchionem Petrum Paulum Caravagium Auctoris filium.
In Bibliothecæ Ambroſianæ Muſæo cernitur ejuſdem Numiſma. Iconem hæc exornant verba: *Petrus Paulus Caravagius Secundus*. Averſa pars habet Mercurium globum tangentem, qui baſi inſidet; Lemma: *Major nomine Virtus*.

C

## CARCANUS CHRISTOPHORUS.

Addenda ad Art. CCCCXXV. Col. 298.

ANno MDCXXXVI. conſtitutus fuit à Magiſtratu Sanitatis hujus Urbis plena cum poteſtate vitæ, & necis ad exequendos Ordines ejuſdem Magiſtratus in Plebe Appiani pro ſanitate tuenda, ob dubium Peſtis in Oppido Variſii, aliiſque Terris Larii Lacus. Obiit verò anno MDCXXXIX.

D

II. Operetta contro la Peſte: Al Senatore Marcantonio Monti. *Milano, preſſo il Bidelli*, 1630. *in* 12.

## CARCANUS DESIDERIUS.

Addenda ad Art. CCCCXXVI. Col. 299.

DEſiderius Carcanus, in Sæculo autem Julius Cæſar, natus eſt die XXI. menſis Decembris, anno MDLXVIII. patre Barnaba Præfecto turmæ Equitum Cataphractorum Excubiarum Pii IV. Pontif. Max. atque Carſolarum Moderatore, matre Veronica de Nigronibus de Ello nobilibus conjugibus. Diſtinguendus ideo eſt ab altero Julio Cæſare Carcano iſtius nepote, de quo egimus in Articulo CCCCXXXIII. Col. 303. Diem ejus ultimum ignoramus, tantùm à Cl. Sitono didicimus, quòd die XXVII. Auguſti, anno MDXCIV. Teſtamentum ſuum condiderit, dein Profeſſionem in Congregatione Clericorum Divi Pauli, ut innuimus, emiſerit.

E

IV. Carmina Latina. Extant in Libro inſcripto „ Mauſoleo di varie Poeſie in morte di Giuliano Goſſelini. *Milano*, 1588 *in* 12.
V. Aliud Italicum, extat in Libro „ Rime del Lomazzi „ Ita ſupradictus Sitonus, qui nobis Stemma gentilitium hujus Auctoris perhumaniter communicavit à Beltramo de Carcano Mediolanenſi Patricio, Genuæ Poteſtate anno MCCLXXXIX., dein Bononiæ anno MCCXCV., definitque in hoc Auctore.

## CARCANUS JOANNES BAPTISTA alter.

Addenda ad Art. CCCCXXXI. Col. 302.

III. Tractatio brevis de humani corporis Anatome. MS. ad calcem Operis iſtius Auctoris, quod dedimus ſub num. I. Hic verò Articulus deſideratur ſuo loco in editis ob Typographorum inſcitiam.
Legitur in libro Bartholomæi Curtii, ut jam adnotavimus.

## CARCANUS JULIUS CÆSAR.

Addenda ad Art. CCCCXXXIII. Col. 303.

JUlius Cæſar Carcanus filius Johannis Baptiſtæ, & Catharinæ Cribellæ nobilium conjugum, natus eſt anno MDCXXIII., ac Præpoſitus Oppidi Miſſaliæ creatus fuit anno MDCLVII.; deceſſit autem anno MDCLXXII. die undecima Decembris, & in ſua Præpoſiturali Eccleſia tumulatus eſt cum Sepulchrali marmorea Inſcriptione nunc penitus corroſa, nec intelligibili.

Extat aliud ejuſdem Opus literarium, cui titulus:

IV. De origine, & progreſſu Ven. Seminarii Majoris Clericorum ſub titulo S. Johannis Baptiſtæ in Porta Orientali Mediolani ab anno ejuſdem originis MDLXV. ad annum MDLXXXVII. MS. in fol. magno. Incipit in hæc verba: „ Decidens in dies magis ad ludibrium requirebat ante omnia ſanam Miniſtrorum mentem Mediolanenſis „ Eccleſia, cùm Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus „ Mediolani Archiepiſcopus Carolus Borromæus, „ qui Cœlo receptus Sanctorum numerum auxit, „ id Seminarium inſtituit, in quo dicati Deo „ adoleſcentes iis artibus enutrirentur, quibus ad „ omnes Eccleſiæ juvandæ partes excitarentur, &c. Extat penès Presbyterum Carolum Barnabam Carcanum præfati Auctoris ex fratre pronepotem; item penès Advocatum Sitonum.
Cetera porrò Seminarii incrementa uſque ad annum MDCCXXXVII. videri poſſunt in libro, cui tit. „ De origine, & progreſſu Congregationis Oblatorum SS. Ambroſii, & Caroli Mediolani, ab „ anno Congregationis conditæ MDLXXVIII. uſque ad annum MDCCXXXVII. „ edito per Cl. Virum, meique amiciſſimum, Bartholomæum Rubeum, inſignis Oppidi Canturienſis Eccleſiæ olim Præpoſitum, cap. III. pag. 51. & ſeqq.
Extat in Eccleſia S. Franciſci præfati Oppidi Canturii Sepulchralis Inſcriptio Triſtani Carcani, Tritavi Julii Cæſaris, tenoris ut ſequitur, unà cum inſignibus gentilitiis Familiæ Carcanæ:

HOC SEPVLCRVM EST
SPECTABILIS DOMINI TRISTANI DE CARCANO
ET HAEREDVM ANNO MCCCCLXXVIIII.

Ita ex Advocato Sitono in magno Stemmate Genealogico Nobilium de Carcano ab an. MCCLXXXIX. ad annum MDCCXLII., impreſs. anno eodem in fol. *penès Malateſtam*.

## CARCANUS MICHAEL.

Addenda ad Art. CCCCXXXIV. Col. 303.

MOnuimus jam Lectores noſtros maximam, quæ ſe offert difficultatem in ſecernendis Operibus Michaëlis Carcani, ab altero Michaële ſine cognomine, ſed & ipſo Mediolanenſi, & ejuſdem Ordinis Minorum Obſervantiæ, ut vocant, S. Franciſci. Eadem difficultas occurrit in ſubſequentibus Operibus, quæ ingenuè fatemur ignorare, ſint, necne Carcani iſtius, aut Michaëlis, de quo egimus litera M. Accipiat Lector, quod poſſumus, & per ſe tribuat, cui magis vult, quæ ſequuntur,



Digitized by Google

I. Sermones Quadrageſimales de X. Præceptis. *Venetiis, per Johannem, & Gregorium de Gregoriis*, 1492. *in* 4.

II. Quadrageſimale, ſeu Sermonarium duplicatum per Adventum, & Quadrageſimam. *Venetiis, per Georgium de Arrivabenis*, 1496. *in* 4.

III. Confeſſionale Generale della gran Tuba. *Venezia, per Franceſco de' Bindoni*. 1524. *in* 8.

Extat Cardinalis Papienſis Epiſtola ad Michaëlem, quâ ejus ſanctitatem, & zelum plurimum commendat, eique Papienſem Eccleſiam contra conatus Galeacii Mediolani Ducis tutandam commendat.

Qui plura cupit, adeat quoque Poſſevinum in ſuo Apparatu Sacro Tom. II. pag. 444.

## CARDANUS HIERONYMUS.

Addenda ad Art. CCCCXXXVIII.

CCXXIII. Hieronymi Cardani ad Magnif. Mediolanenſium Legatum, & Oratorem Dominum Philippum Archintum Epiſtola. MS. in Archintea. Tractatus eſt potius pagg. 25. quo reſpondet Archinto qui tria ab eo per Epiſtolam poſtularat. I. Quomodo anni eo modo poſſint firmari, ut in ipſo reditu nulla temporum interſit differentia. II. An poſſibile ſit introitum Solis Chriſti tempore in ortu, ideſt conceptione in primum minutum Arietis 25. Martii figere, ac invenire qualiter eadem die fuerit Æquinoctium, vel die proximè antecedente. III. Quomodo tot diſcordiæ de revolutionibus annorum concilientur cum variis Tabulis, & figuris Aſtronomicis. MS. in fol. ut ſupra in Archintea.

Jam meminimus in Articulo Nummiſmatis hujus Auctoris, quod Felix Hoſius ad Thomaſinum miſerat. Eruditiſſimus autem Comes Joannes Maria Mazzucchellus Brixienſis alia duo apud ſe extare nobis humaniter ſignificavit, quorum utrumque a priore diverſum credimus. Unum autem hanc præfert Epigraphem: HIERONYMUS CARDANUS ÆTATIS AN. XLVIII Averſa autem facies nullo ſignatur Emblemmate. Alterum nomini adjectum habet: ÆTATIS AN. XLVIIII., & in poſtica plures viſuntur Icunculæ, cum ſubjecto Lemmate: ONEIPON.

## CARINUS ANTONIUS.

Addenda ad Art. CCCCXLIII. Col. 319.

VIII. Orazione Funebre nell' Eſequie del Sereniſſimo Duca di Lorena. Extat in Libro, cui titulus: „ Melpomene piangente „ quem dedimus ſuo loco; editionem verò ipſius nunc addimus, ſcilicet. *Milano, nella Stampa del Remenolfo*, 1690. *in* 8.

## CARISIUS JO. BAPTISTA.

Addenda, & Corr. ad Art. CDXLV. Col. 320.

IN evolvendis MSS. Codicibus Joannis Baptiſtæ Cariſii apud JCtum Jacobum Porrum, mihi ſe obtulerunt Codices duo, quos ſub numero nono, & decimo hujus Articuli memoravi, tamquam ipſius Cariſii Opera forent, cùm mihi ipſius manu exarata viderentur. Monitum igitur volo Lectorem, geminos illos Codices à me vero eorum Auctori, ſcilicet Camillo Sitono Juniori reſtitutos fuiſſe in Articulo MDCI ſub numero III. ad quem Lectorem ipſum remitto. Interim addo, ejus patrem fuiſſe Cæſarem, & die V menſis Septembris, anno MDCLXXXI. ultimas ſuas condidiſſe Tabulas à Cl. Sitono noſtro ſervatas; accipiat interim Lector optimus ſepulcralem Inſcriptionem ejuſdem Cariſii ex marmore, proſtantem in Eccleſia Monialium S. Mariæ Aſſumptæ, vulgo *del Capuccio* P. V. Mediolani tenoris ut ſequitur:

IO. BAPTISTA CARISIVS
IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR PROTONOTARIVS APOSTOLICVS
SACRARII AQVILONARIS IN BASILICA METROPOLITANA
MEDIOLANI PRAEFECTVS
ET SACRARVM VIRGINVM HVIVS COENOBII
PER TRIENNIVM A CONFESSIONIBVS
HIC IACET
OBIIT III. CAL. MAII ANNO DOMINI
MDCLXXXIV.

Scripſit etiam

XIV. Seriem, ac Notitiam Vetuſtarum LXVIII. Eccleſiarum Civitatis Mediolani dudum per ſex Portas ejuſdem Urbis ſuppreſſarum, & demolitarum. MS. in folio autographus, extat penes Clariſs. Advocatum Joannem Sitonum de Scotia.

## CARMENUS JOANNES FRANCISCUS.

Addenda ad Artic. CCCCXLVI. Col. 321.

IV. Conſilium juridicum pro Reſolutione Motivi editi per Ven. Collegium DD. Phyſicorum Mediolani excitati contra D. Joannem Baptiſtam Gambarellum Phyſicum petentem in ipſum Collegium cooptari. *Impreſſ. Mediolani, in folio, anno* 1611. *die* 3. *Februarii*, pagg. 44. Conſtat extatque penes Advocatum Sitonum.

CAR-

Digitized by Google

## CARMINATUS BRAMBILLA PLACIDUS.

Addenda ad Artic. CCCCXLVIII. Col. 322.

III. Vero Specchio del Chriſtiano, nel quale ſi figurano tutte le coſe, che ſuccederanno, avanti, & dopo l'univerſale Giudizio. Di novo raccolto, a beneficio univerſale de tutti i fedeli Chriſtiani. Da Frate Placido Carminati Brambilla di Milano dell' Ordine de' Frati Gieſuati di Santo Girolamo. *In Piacenza, per Giovanni Bazzachi*, 1594. *in* 12.

## CASATUS COMES.

Addenda, & Corr. ad Art. CCCCLVII. Col. 326.

IV. Conſultatio de non abrogando Ordine Servorum B. M. ex Decretis Conciliorum Lateranenſis, & Lugdunenſis. Incipit „Religioſis & diſcretis Viris „ Priori Generali, & Fratribus dictis Servis Sanctæ Mariæ Ordinis S. Auguſtini, Comes Archi„ diaconus Mediolanenſis &c. Salutem in eo, qui „ eſt omnium ſalus„. Volentes veſtras certificare conſcientias &c. Edita eſt à Carthario in Syllabo Advocatorum Conſiſtorialium, Edit. Rom. pag. 8. & memoratur ab Archangelo Gianio in Annalibus Servorum cap. VI. Centur. I. lib. IV., & à Clar. Fuſio in Addendis MSS. ad Athenæum Picinelli.

Quoniam verò in numero II. hujus Articuli irrepſit error palmaris Typographi, nimirum MDCCXX., pro eo reponatur MCCLXX.

## CASATUS HORATIUS.

Addenda ad Artic. CCCCLXI. Col. 330.

IV. Exemplum Cæremonialis Ambroſiani, ad uſum præſertim Eccleſiæ Metropolitanæ, in quo deſcripti ſunt Ritus, tam in cæremoniis, quàm in cantu cujuslibet Officii per totum Annum, & alia multa. Auctore M. R. D. Horatio Caſato Magiſtro Cæremoniarum tempore Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Gaſparis Vicecomitis Archiepiſcopi. Incipit Liber his verbis: „ De Divinis Officiis, & „ actionibus per anni Circulum. De tempore Ad„ ventus &c. „ MS. in fol. penes Bernardinum Caſſinum S. T. D. Magiſtrum Cæremoniarum Eccleſiæ Metropolitanæ.

## CASNEDI CAROLUS ANTONIUS.

Addenda ad Art. CCCCLXVI. Col. 334.

JAm impreſſo Articulo innotuit, Opus hujus Scriptoris, quod indicavimus numero primo, non in quatuor, ſed in quinque Tomos eſſe diviſum, quorum tres primi cum jam prolato titulo prodierunt annis MDCCXI & MDCCXII. Quartus autem inſcriptus „In abſtruſas Theologiæ Myſticæ Controverſias; & quintus, cui titulus: „ In difficiliores „ opinionum damnatarum Controverſias, editi ſunt „ *Uliſippone*, 1719. *in fol.*

II. Narratio Itineris ſui Hiſpanici. MS. apud Suos in Biblioth. S. Fidelis.

## De CASSINIS SAMUEL.

Addenda ad Artic. CCCCLXXVI. Col. 339.

FRuſtra quæſivimus acta & ſcripta Samuelis de Caſſinis apud Suos Alumnos, à quibus nec indicationem habuimus, quærenda eſſe apud Wadingum in Bibliotheca Minorum, quam tunc præ manibus minimè tenebam; debeo itaque Clariſſimo P. Joanni de Auguſtinis, quæ addenda ſunt Auctori noſtro provinciæ Januenſi inter Suos adſcripto, ideoque Mediolanenſibus parum noto:

V. De Stigmatibus Sacris D. Franciſci, & quomodo impoſſibile eſt aliquam mulierem, licèt ſanctiſſimam, recipere Stigmata. *Papiæ, per Bernardinum de Garaldis*, 1508 *in* 4.

VI. Quæſtio de Dæmonibus, ſtriges, ſagas, & magos, de loco in locum etiam remotiſſimum per aëra, ut dicunt, transferentibus, in qua oſtenditur, illuſtre tantùm, & per immaginationem, non autem realiter fieri poſſe. Ex Quetif, & Eccard loco infra citando.

VII. Reſeratio, atque Clarificatio falſarum ſolutionum ad argumenta Samuelis Caſſinenſis. Quæ facta fuerunt in falſam prophetiam Hieronymi Ferrarienſis; & quoniam expreſſum eſt, quod prædictæ ſolutiones à Domino Joanne Franciſco editæ, nullius ſunt roboris, atque momenti, non fiunt argumenta nova, ſed aliqua ex prioribus explicantur, & intacta, atque inſoluta demonſtrantur, & ſic invectiva Fratris Samuelis in ſuo robore perſeverat: Ad Alexandrum VI. Summum Pontificem. *Mediolani*, ſine Typographo 1498. in 4. Occaſio ſcribendi hoc Opuſculum fuit alterum editum per Joannem Dodo Ordinis Prædicatorum, cui titulus: „ Ubi tra„ ctat ſententiam, quod licèt ita ſit, quod ple„ rumque iſta fiant à Dæmone per ſolum præ„ ſtigium & illuſionem ſenſuum, tamen ali„ quando verè geruntur &c. Apologia de ſtri„ gibus, ſagis, & magis, adverſùs librum de „ iiſdem F. Samuelis Ordinis Minorum provin„ ciæ Januenſis.

VIII. Varia Opuſcula, quæ ſimul prodierunt. *Venetiis*, 1502. *&* 1503.

IX. Liber III. Iſagogicus ad Phyſicos apices aſſequendos. Ad Julium II. Summum Pontificem. *Cunei ad Pedemontes, apud Simonem Bevilaquam*, abſque anno impreſſionis.

X. Commentaria in VIII. Libros Phyſicorum. *Ibid.*

XI. Argumentatio contra Magiſtrum Damianum Craſſum de Ripolis Ordinis Prædicatorum circa modos loquendi Liber I.

XII. Magiſtri Stephani Burlifer Doctoris Pariſienſis formalitates cum argumentationibus ad eas.

Hoc Opus edidit Samuel noſter addito proëmio, in quo narrat, ſe aliquando divertiſſe in hortos Hieronymi Landriani Humiliatorum Generalis, ibique diſceptationem habuiſſe cum Stephano ejuſdem Ordinis Humiliatorum Theologo, & Præpoſito Sanctiſſimæ Trinitatis in Suburbio Comenſis Portæ circa Opus Burliferi. Non dubitamus, Stephanum iſtum Theologum unum eundemque eſſe cum Stephano de Nottis, de quo egimus in Articulo MCLXXXV. Col. 995. hujus Operis, cùm hoc ipſo tempore floruerit, & prædictam Domum Humiliatorum rexerit. Burlifer autem fuit ex Ordine Minorum, & doctor Pariſienſis. Operi ipſi ſubjecit de ſuo Samuel, Argumentationes in formalitates ſupraſcriptas, ut veritas magis eluceſcat, quæ quidem Opuſculum conſtituunt in tres partes diviſum.

XIII. Retractationes breves in formalitates Magiſtri Antonii Sireti Ordinis Minorum Doctoris Pariſienſis. Has etiam Proëmio ditavit Samuel, cui ſubjecit perorationem, in quam intulit Epiſtolam Gometii cujuſdam ea tempeſtate Theologi celeberrimi Papiæ degentis, cum quo Opus Suum communicaverat. Hæc duo Opera hoc, & ſuperiori numero memorata unà ſimul prodierunt, & in fine Codicis iſta leguntur: „ Editum atque perfectum extat hoc Opus „ Argumentationum Mediolani MCCCCXCV. „ Impreſs. autem in eadem inclyta Urbe MCD„ XCVI. quinto Kal Februarii. Ad honorem, „ & laudem Omnipotentis Dei, & Matris ejus, „ ac Divi Franciſci, totiuſque Curiæ trium„ phantis. Amen „. Ibi eſt Monogramma Ulderici Scinzenzeler.

XIV. Quæſtio ab eo diſputata in Univerſitate Ticinenſi circa Joannis Evangeliſtæ Conſanguinitatem, & Fraternitatem cum Chriſto Domino. MS. in Bibliotheca Montis Alvernæ, & Conventus Urbetenſis Provinciæ Granatæ.

XV. Quæſtio altera copioſior de Immortalitate Animæ ad Ludovicum Sfortiam. MS. ut ſupra.

XVI. Apologia pro Nicolao de Lyra contra Joannem Viterbienſem Ordinis Prædicatorum. MS. ut ſupra.

VII. Quæſtio Lamiarum ſcripta anno MDV., de qua vide Cl. Saxium in Hiſt. Typograph. ad annum MCCCCXC. Col. CCCXXVII.

De aliis verò, quæ dedimus ſub numeris I. II., & III. accipiat Lector infra titulos genuinos, nobis à ſupradicto Cl. P. Joanne de Auguſtinis communicatos. In fine ſic legitur: „ Edita eſt quæſtiuncula in Civitate Aquenſi Liguriæ anno „ ſalutis MCDXCVII. menſe Majo impreſſa „ verò in Civitate Mediolano anno ſalutis „ MCDXCVIII. menſe Majo ad honorem „ Omnipotentis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac „ Beatiſſimæ Mariæ Dominæ noſtræ Matris „ ejuſdem Domini, ac Beati Franciſci Patris „ mei, totiuſque Eccleſiæ triumphantis. Amen.

Opus, quod liber yſagogicus inſcribitur. Quia ad doctrinam Scoti, & ad Ariſtotelica logicalia mirabiliter introductorius. Cujus utilitas agnoſcitur, ſi benevolus accedas, ſtudeaſque diligenter. Nam ejus incredibili ordine repente nimis quis logicus evadet, ut experientia teſte à multis jam probatum eſt. Qui & ad alias liberales diſciplinas ſe noverunt hoc duce libello ſolenniter evectos. In quo quidem libello ſunt infraſcripti tractatus:

Primus eſt tractatus univerſaliter pertinens ad generationem intentionum omnium logicalium.

Secundus eſt tractatus correſpondens prædicabilibus, & prædicamentis.

Tertius eſt tractatus correſpondens libro Peryermenias.

Quartus eſt tractatus correſpondens libro priorum.

Quintus eſt tractatus correſpondens libro poſteriorum.

Sextus eſt tractatus correſpondens libro topicorum.

Septimus eſt tractatus correſpondens libro elenchorum.

In fine ſic legitur: „ Impreſſum Mediolani, anno „ Chriſtianæ ſalutis MCDXCIV. die XXII. „ Aprilis. In quo ſi quid errati vel mendoſi „ fuerit inventum, Impreſſorum imputetur, „ aut impericiæ, aut incuriæ, non ſollertiæ „ Auctoris libri, qui omnia caſtigatiſſimè ſcripta dereliquit „. Appoſitum eſt ſignum Ulderici Scinzenzeler. Præfixam habet Epiſtolam Franciſci Rueri Sacerdotis ad Magiſtrum Gabrielem de Pirovano Medicum Ducalem celeberrimum.

Samuelis Caſſinenſis invectiva in prophetiam Fratris Hieronymi, quam rationibus invictiſſimis falſam eſſe demonſtrat, & hoc zelo fidei, & veritatis, ne homines ſub ſpecie boni fallantur. Et primo proëmium, in quo admonet, male docentes, fugiendos eſſe, tam propter fragilitatem audientium, quàm propter malitiam docentium, qui ea docent latenter, quæ maxime officiunt, qui quum etiam decepti ſunt ſub ſpecie boni, erroneas etiam ſectas demum conſtituunt, quod & de præſenti propheta concluditur. Titulus verò hujus Opuſculi hic eſt: „ De modo deſcernendi falſum Prophetam à „ vero Propheta inter reprobandum falſam „ prophetiam atque viſionem Fratris Hieronymi „ præfigitur Epiſtola Samuelis ad Fratrem Hieronymum, forte Savonarolam Ordinis Prædicatorum, nam & tempora, & argumentum operis concordant. In fine adeſt Carmen Italicum ſatis inſulſum, prætitulatum „ Sommario del libro „ *Impreſſum in alma Urbe Mediolani MCCCCLXXXXVII. primo Aprilis*. Ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei glorioſæ Virginis Matris ejus, ac totius cœleſtis Curiæ triumphantis. Amen. Laus Deo ſemper. „

Quæſtio de Immortalitate Animæ ad Ludovicum Sfortiam Vicecomitem Mediolani Ducem. In fine ſic legitur „ edita eſt hæc Quæſtiuncula in „ Civitate Aquenſi Liguriæ anno ſalutis MCD- „ XCVII. menſe Majo. Impreſſa noviter in „ Civitate Mediolani ein die, anno ſalutis „ MCDXCVIII. menſe Majo ad honorem Om- „ nipotentis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac „ Beatiſſimæ Mariæ Dominæ noſtræ Matris „ ejuſdem Domini, ac Beati Franciſci Patris „ mei, totiuſque Eccleſiæ triumphantis. Amen. Extat in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii Mediol. in 4.

Videndi igitur, præter citatos, Quetif, & Eccard in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædicatorum Tom. II. pag. XI. ubi citatur Franciſcus de Victoria part. II. Relat. 3. de Magia pag. 310. Cl. etiam Saxius in Hiſt. Typograph. ad annum MCDXCIV. Col. CCCLXXI., ubi plura invenies ſpectantia ad ſupradictum Samuelem de Caſſinis.

## CASTILLIONÆUS BRANDA.

### Addenda ad Art. CCCCXC. Col. 350.

DUm Legatione Germanica fungeretur Cardinalis Branda, Theologum ſibi adlegit Jacobum Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtrum, quem Clariſſimi Quetif, & Eccard in Bibliotheca ejuſdem Ordinis Tom. I. fol. 773. cenſent Ligurem fuiſſe ex Oppido Claverio, vulgò *Chiavaro*, qui etiam eodem Cardinale inſtante, unà cum duobus Ciſtercienſis Ordinis Monachis, Opus ſcripſit, hoc titulo:

I. Tractatus contra Articulos principales Huſſitarum, collectus in Univerſitate Viennenſi, quæ ſita eſt in Ducatu Auſtriæ, & ad inſtantiam Reverendiſſimi in Chriſto Patris D. Placentini Presbyteri Cardinalis S. R. E., & Apoſtolicæ Sedis Legati per Egregios Sacræ Theologiæ profeſſores, ac Magiſtros Jacobum Ordinis Prædicatorum, Doctorem ejuſdem Cardinalis, Petrum Pullia, & Bartholomæum de Ebraco Ordinis Ciſtercienſis, anno Domini MCCCCXXIII. MS. in Monaſterio Aquiſcinctino, vernaculè *Anchin*, ad Scarpam in Flandria.

## CASTILLIONÆUS CLEMENS.

### Addenda ad Art. CCCCXCVI. Col. 357.

CUm de hoc Scriptore verba fecimus, queſti ſumus, quòd Suorum incuriæ tribuendum foret ſilentium noſtrum, coacti id ſolùm proferre in hujus Elogio, quod Picinellus, & ex eo Belfortius retulerant. Temporis tamen beneficio ex monumentis Archivorum Congregationis Montis Oliveti diligenter exquiſitum nobis poſtmodum communicatum fuit quicquid de eodem Caſtillionæo ſubnectimus. Natalis fuit Clementi huic annus Chriſti Domini MDLXXXV. Monachi indumenta ſuſcepit anno MDC., ac ſolemnia Deo Vota nuncupavit Badagii poſt biennium, dum illi præeſſet Cœnobio D. Michaël Reſta. In eodem Monaſterio Adoleſcentibus majores prælegit ſcientias anno MDCXI. tum etiam Placentiæ anno MDCXXIII. Obitus ipſius incidit in annum MDCXLIII. in Monaſterio Nerviani.

## CASTILLIONÆUS FRANCISCUS ABUNDIUS.

### Addenda ad Art. CCCCXCVIII. Col. 359.

X. Carmina Italica in Libro, cui titulus: „ Rime di di- „ verſi Signori Napolitani, ed altri nobiliſſimi In- „ gegni nuovamente raccolte, e con nuova edizio- „ ne riſtampate, Libro V. „ *In Vinegia, appreſſo Gabriel Giolito de' Ferrari, e Fratelli*, 1552. *in* 8.

Ex Cl. P. Quadrio „ della Storia, e della Ragione „ d'ogni Poesìa „ Tom. II. pag 358. Laudatur quoque in Libro „ Lettura di Girolamo Ruſcelli, ſo- „ pra un Sonetto dell' Illuſtriſſimo Sig. Marcheſe „ della Terza alla divina Signora Marcheſa del Va- „ ſto. „ *In Venezia, per Gio. Griffio, l'anno* 1552. *in* 4., & in Hiſtor. Typograph. Tridinenſi ab amiciſſimo Canonico Irico.

## CASTILLIONÆUS GOTIFREDUS.

### Corrigenda ad Art. CCCCXCIX. Col. 360.

Ibi lin. 17. Cœleſtinus V. corrige *IV*.

CA-

### CASTILLIONÆUS JOANNES.

Corrigenda ad Art. DIV. Col. 366.

Ibi lin. 2. MCCCXCIV. corrige *MCCCXLIV.*

### CASTILLIONÆUS JOANNES alter.

Addenda ad Art. DV. Col. 367.

III. Oratio habita in Conventu Ratiſponenſi. Ipſam extitiſſe apud Cardinalem Sirletum aſſerunt Auctores Galliæ Chriſtianæ.
Videndi quoque ſunt Oldoinus, Palatius, aliique.

### CASTILLIONÆUS JOANNES HONORATUS.

Addenda ad Art. DXIII. Col. 374.

II. Conſultatio de Uſu Chinæ Chinæ, inſtante Cardinali Joanne Stephano Dongo.
Ita Curtius jam citatus.

### CASTILLIONÆUS JOANNES JACOBUS.

Corrigenda ad Art. DXIV. Col. 375.

Col. 376. lin. 8. ab Innocentio P. III. corrige *VIII.*

### CASTILLIONÆUS JOSEPH ANTONIUS.

Addenda ad Art. DXVI. Col. 378.

VI. Carmina IV. Italica, extant in Libro, cui titulus: „ Canti Genetliaci nella naſcita del Real Principe „ di Piemonte Vittorio Amedeo Giuſeppe Filippo „ di Savoja. „ *Milano, preſſo il Malateſta*, 1699. *in* 4. pag. 41. & ſeq.

### CASTILLIONÆUS NICOLAUS.

Addenda ad Art. DXX. Col. 381.

III. Epiſtolas duas ſcripſit ad Benedictum Jovium Novocomenſem, ut ex ejus Reſponſionibus eruitur, in quarum prima Jovium ipſum conſuluerat de quadam Inſcriptione L. Victullieni, & ab eo fuerat percunctatus, cur Novocomenſes utriuſque Plinii Statuas in fronte Cathedralis ſuæ Urbis collocandas curaſſent; in reſponſione ait Jovius, ſe illi mittere libellum de Immortalitate Animæ, ut ipſum poſtea cum annotationibus ſuis reddat. In altera petebat Caſtillionæus à Jovio Appendicem quamdam ad Epitaphia variorum in Juliam Caſtillionæam. Reſponſiones autem Jovii habentur in hujus Codice Epiſtolari MS. in fol. apud Comitem Antonium Joſephum à Turre Rezzonici Patricium Novocomenſem, brevì edendo.

### CAVALLERIUS BONAVENTURA.

Addenda ad Art. DL. Col. 406.

EX Familia Cavalleria Mediolanenſi claruerunt VI Decuriones Conſilii generalis ab anno Chriſti MCCCLXXXVIII. ad MCCCCLXXIV. ſicuti nos monuit Cl. Sitonus: Auctorem noſtrum obiiſſe die III. Decembris, anno MDCXLVII. ſcripſit doctiſs. P. Joannes Baptiſta Ricciolius in ſua Chronologia Reform. Tom. IV. pag. 208.

IX. Compendio delle Regole de' Triangoli, con le loro dimoſtrazioni. *Bologna, per Giacomo Monti*, 1638. *in* 12.



Speculum autem Uſtorium editum fuit primùm anno 1632. *Bononiæ, apud Ferronum*. Nos verò in aſſignando mortis anno P. Cavallerii MDCXLIV. diximus Opus ſupradictum poſthumum fuiſſe, nam editionem primam ignoravimus.

### CENTORIUS de HORTENSIIS ASCANIUS.

Addenda ad Art. DLIV. Col. 409.

XV. Carmina Italica: Extant in Libro, cui titulus: „ La Fenice di Tito Giovanni Scandianeſe. „ *In Vinegia, appreſſo Gabriel Giolito de' Ferrari*, 1555. *in* 4., *e con nuove Aggiunte, ivi per lo ſteſſo Giolito*, 1557. *in* 4.

XVI. Rime Amoroſe. *Venezia, per il Pagani*, 1653. *in* 8. *& in Milano*, 1557. *in* 8.
Ex Cl. P. Quadrio Soc. Jeſu, in Lib. „ della Storia, „ e della Ragione d'ogni Poeſia „ Tom. V. adhuc ſub prælo.

### CEVA CAROLUS FRANCISCUS.

Addenda ad Art. DLXI. Col. 415.

XII. Il Moto perpetuo dell' Eccleſiaſtico governo: Panegirico in lode di S. Carlo, detto nel Duomo di Milano. *Ivi, preſſo il Monza*, 1682. *in* 4.

### CEVA THOMAS.

Addenda, & Corrigenda ad Art. DLXIV. Col. 417.

XXIX. Epiſtolæ plures ad Carolum Mariam Maddium. MS. in 4. penès me.

XXX. Aliæ non paucæ ad Franciſcum de Lemene, ut eruitur ex Reſponſionibus iſtius, quæ extant in Collectione Epiſtolarum ad Varios ejuſdem de Lemene. MS. in fol. apud Comitem Antonium Simonettam.
Has autem juvat per compendium hic attexere, cùm multa ſcitu non injucunda contineant hactenus inedita.
Primâ igitur gratias agit Cevæ, quòd Carmina ejus laudaverit, & nunciat brevì ſe miſſurum Opus metricum de Deo, ut de ipſo proferat Sententiam ſuam.
In ſecunda pluribus extollit *Suſpendium Corvi*, de quo egimus num. XXVIII. à Ceva ad ſe miſſum, & lepidè arguit Auctorem, quòd infelici Volucri Epitaphium non poſuerit. Erroris autem corrigendi gratiâ Tetraſticon à ſe compoſitum ſubjicit, his verbis:

*Hoc jacet in tumulo Cippus de ſanguine Thracum;*
*Cui fuit heu miſero non tacuiſſe mori.*
*Sit tibi terra levis, tutaque in pace quieſce,*
*Æternumque, iterum ne moriare, ſile.*

Tertia, quæ eruditiſſima eſt, continet Allegoriam, & Judicium Poëmatis, cui titulus: *Jeſus Puer*, de quo num. I.
In quarta gratias agit Cevæ ob receptas ab eo literas P. Scolarii.
In quinta mittit Cevæ Carmina duo Italica, vulgò *Sonetti*, ejuſque judicium expoſcit.
In ſexta agit de Verſione Carminum ſuorum Italicorum Operis inſcripti *il Roſario* in Epigrammata Latina, quam confecerant Alumni Societ. Jeſu in Collegio S. Hieronymi Rhetoricæ ſtudentes. Pro iis ad ſe à Ceva miſſis gratias rependit hoc Exaſtico:

*Ad ſelectiſſimos Societatis Jeſu Ephebos*
*Rhetoricæ ſtudioſos*
*In obſequii, & grati animi argumentum:*

*O pia Loyolæ ſoboles, tu noſtra Latinis*
*Dulce canens reddis Carmina Tuſca modis.*
*Carmina ſic totum peragrabunt veſtra per orbem,*
*Noſtraque ſuſcipiet vix brevis Auſonia.*
*Veſtra igitur noſtræ, ſi qua eſt mihi, gloria præſtat*
*Quantum Orbis, ſi quis conferat, Auſoniam.*

In ſeptima iterum gratias agit Cevæ pro Verſione prædicta; eique mittit Carmina Chriſtophori Cevæ ipſius fratris, & quædam ſua Italica, hortaturque Cevam ipſum, ut in nova editione cujuſdam ſui Poëmatis Collectionem aliorum Carminum addat. A

In octava tandem, quæ poſtrema eſt, ait, expectare ſe à Ceva dudum promiſſa Carmina.

Miſſivæ autem ipſius Thomæ Cevæ ſervantur autographæ apud hæredes ipſius Franciſci de Lemene, ut in citata MS. Collectione penès Comitem Simonettam adnotatum reperimus.

XXXI. Il Cajo Pontefice Martire: Oratorio.
XXXII. Il Trionfo della Caſtità, o Santa Franceſca Romana: Oratorio.
XXXIII. La Cauſa dell' Uomo al Tribunale di Dio: Oratorio.
XXXIV. La Trinità in Conſulta per l'unione Ipoſtatica: Oratorio. B
XXXV. Il Colloquio delle due Nature: Oratorio.
XXXVI. Il Viaggio di Betelemme: Oratorio.
XXXVII. La Naſcita di Gesù: Oratorio.
XXXVIII. L'Ambaſciata a Maria: Oratorio.
XXXIX. Il peccato d'Adamo: Oratorio.
XL. Il Gaſtigo d'Adamo: Oratorio.
XLI. Serenata al Preſepio: Oratorio.
XLII. Giuditta: Oratorio. Hæc omnia variis temporibus Mediolani edita ſunt.
XLIII. Il Sagrifizio d'Abele: Oratorio. *Cremona, per li Fratelli Zanni*, 1696 *in* 4.

In Articulo ejuſdem, Col. 418. lin. 60. initus, corrige *irritus*.

## CHALCUS JACOBUS.

### Addenda ad Artic. DLXVIII. Col 422.

IMpreſſum poſt Articulum hujus Scriptoris offendimus alia ipſius Opera in Bibliotheca Conradi Geſneri ſerò nimis diligentiùs inſpecta, quæ titulo tenus infra dabimus, monitis priùs Lectoribus, falli Geſnerum ipſum ibidem aſſerentem Jacobum Chalcum Papiæ natum. Etenim id omnibus veroſimile non videbitur ſcientibus Chalcam gentem omnino Mediolanenſem eſſe, niſi fortè caſu quodam Jacobus inter Ticinenſes editus fuerit in lucem, vel quod probabiliùs exiſtimamus, Scriptor de Papia dictus reperiatur Cœnobitarum more, qui non ſemel etiam à Regularis Profeſſionis loco nuncupari conſueverunt. C

II. De incerto Purgatorii loco lib. I.
III. De Impunitione ſpiritus lib. I.
IV. De Genealogia Chriſti lib. I.
V. De Filio hominis lib. I.
His addit Geſnerus alia multa, quæ tamen non recenſet.

## CHALCUS SEVERINUS.

### Addenda ad Art. DLXIX. Col. 423.

III. Epiſtola ad Joannem Cribellum S. Petri de Ulmo Præpoſitum, extat in fronte Operis Euſebii Corradi, cui titulus. „ Reſponſio pro venerabili, & erudito „ Dei Prædicatore D. Dominico Can. Regulari &c. Vide Cl. Saxium in Hiſt. Typograph. ad annum MCDLXXIX. E

## CHALCUS TRISTANUS.

### Addenda ad Artic. DLXXI. Col. 425.

XII. Epiſtolæ plures ad Angelum Politianum, cum iſtius Reſponſionibus, præter illam, de qua egimus poſt Auctoris noſtri Opera, ſuo loco relatam, & extant inter Politiani Epiſtolas editas.

## CHOEREZ ANTONIUS.

### Addenda ad Art. DLXXIII. Col. 428.

XV. Il Serafino d'Aſſiſi. Ad Aleſſandro Pico Duca della Mirandola. *Venezia*, 1676. *in* 12.
Titulus Libri ſub numero I. jam ennunciati genuinus hic eſt: „ Herois Alcantarenſis virtutes, & „ prodigia cum Inſcriptionibus, Elogiis, & Carminibus Antonii Choërez ad Cardinalem Vitalianum Vicecomitem. *Cremæ*, 1670. *in* 4., ſed alius, quem vidimus, ſic inſcriptus eſt:
XVI. Arco Celeſte, Panegirico per S. Pietro d'Alcantara. *Crema, per il Marchetti*, 1670. *in* 4.

## CINQUANTA BENEDICTUS.

### Corrigenda ad Art. DLXXX. Col. 433.

Ibi lin. 11. MDXVIII. Corrige *MDCXVIII*.

## CIVELLUS FRANCISCUS.

### Addenda ad Art. DLXXXVIII. Col. 437.

VIII. Franciſci Civelli Carmina, quibus ob acerbam peſtem Mediolanenſium Status deploratur *Mediolani, apud Joannem Baptiſtam Pontium*, 1587. *in* 4.
Nonnulla ad varios Mediolanenſes inſcripta ſuntnempè: Ad Joannem Baptiſtam Foſſanum Antonii filium J. C Ad Chriſtophorum Tantium Alciatum J. C. ac Sacerdotem. Ad Joannem Paulum Carcanum. Ad Franciſcum Cermenatum Commendatarium Canturienſem.

## De COMITIBUS ROGLERIUS.

### Addenda, & Corr. ad Art DCIII. Col 449.

IN Vita hujus Roglerii, ſive Ruglerii, annum ejus mortis notavimus MCCCCLXXXIX., ſed cùm ex Diplomate Ludovici Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis, quod ſervat Cl. Sitonus, agnoſcatur ipſum creatum fuiſſe Quæſtorem Magiſtratus Redditvum extraordinariorum die XVI. Januarii anno MCCCCXCV. rejiciendus eſt illius obitus ad eundem annum, eo magis quia ab altero Diplomate ipſius Mediolani Ducis. quo die XV. Decembris MCCCCXCV. ſubrogatur Joannes Petrus de Riſiis in eadem Quæſtura loco Ruglerii noſtri, obiiſſe ipſomet anno certò certiùs viſitur. D

VII. Epitaphium Cl. Juvenis Simonis de Comitibus Phyſici Collegiati fratris ſui, ad Fr. Vincentium germanum ſuum, & Artium doctorem, & Theologiæ Magiſtrum, Carmen in ejus laudem.
VIII. Cl. Viri Catonis Sacci Elogium,
IX. Prælectio in principio ſtudiorum. Extant omnia in MS. Codice Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. S. n. 21. in 4.

## De CONCOREGIO JOANNES.

### Corrigenda ad Artic. DCVI. Col. 451.

Lin. ultima in ejuſdem Vita MCDLXXXVIII. corrige *MCDXXXVIII*.



Digitized by Google

## De CONCOREGIO RAYNALDUS.

### Addenda ad Artic. DCVII. Col. 452.

DE hujus præclariſſimi Scriptoris Actis aliqua prætermiſimus, cùm nondum ad nos perveniſſet liber inſcriptus: „ Sagre Memorie di Ravenna antica „ à Hieronymo Fabri compoſitus. Ex eo agnovimus Raynaldum etiam Eccleſiæ Sancti Martini Oppidi Bolati Diœceſis Mediolanenſis Canonicum extitiſſe, advocatumque Romam à Benedicto Cardinali Cajetano Bonifacii VIII. Pont. Max. Nepote, ſacram illam Aulam virtutum ſuarum ſplendore illuſtraſſe.

Operibus addimus:

V. Concilium alterum Provinciale Ravennæ habitum.

VI. Alterum Bononiæ. Hæc atque alia Concilia loco ſuo memorata in lucem edita fuiſſe, Fabri jam citatus aſſerit.

VII. Conſtitutiones pro Sacrarum Virginum Reformatione.

VIII. Alias pro reformandis Monachis Ordinis Sancti Benedicti.

IX. Alias pro Eremitis Sancti Auguſtini nuncupatis.

X. Alias pro reſtitutione Congregationis Parochorum Urbis Ravennæ jam olim erectæ pro Defunctorum ſuffragio. Eaſdem laudat memoratus Fabri, nullibi tamen indicat, editæ fuerint, nec ne. Vide Fabri citatum parte I. pagg. 14. & ſeqq.

Plures Epiſtolæ, & Diplomata ad eundem Romanorum Pontificum habentur autographa in Archivo Eccleſiæ Ravennatenſis; ex Montfauconio in Biblioth. MSS. Tomo I. fol. 439. & ſequentibus pro gravibus Eccleſiæ Romanæ ipſi commiſſis negotiis, præcipuè pro recto regimine Lombardiæ.

## CONFALONERIUS JO. AUGUSTINUS.

### Addenda ad Artic. DCXIII. Col. 455.

VIII. Auguſtini Confalonerii Soc. Jeſu Oratio de Bono Magiſtratu, habita die II. Novembris MDXCII. Incipit „ Cùm in omnibus principiis dicendi ea „ timere ſoleam &c. MS. pagg. 18. in fol., extat in Tomo XXXVIII. Miſcell. Bibliothecæ Braydenſis.

IX. Oratio de optimo Cive. Incipit „ Credo ego Me- „ diolanenſes ſatis jam longo uſu vobis eſſe com- „ pertum &c. MS. pagg. 24. in fol., extat in Tomo XXXVII. Miſcell. ejuſd. Bibl.

X. Alia de ſapienti cognitione ſui, habita anno MDLXXXVIII. Incipit „ Vellem equidem Mediolanen- „ ſes, ut meus hic dicendi labor &c. MS. pagg. 28. in fol., extat in eodem Codice.

XI. Jo. Auguſtini Confalonerii Mediolanenſis è Soc. Jeſu de celebratione Miſſæ Opuſculum. Secunda editio ab Auctore recognita. *Mediolani, apud Jo. Baptiſtam Bidellum*, 1613. *in* 12., *& iterum* 1620.

In citato Codice Braydenſi habentur aliorum Orationes MSS., quorum meminiſſe juvat in gratiam Eruditorum: nempe Bartholomæi Cicadæ Orationes IV., quarum prior inſcribitur de laudibus Urbis Mediolanenſis. Incipit „ Urbem veſtram Cives Mediolanenſes &c. pagg. 40. Altera inſcripta eſt de avita Mediolanenſium pietate. Incipit „ Alteram vobis Viri Mediolanenſes &c. pagg 36. Tertia de Doctrinæ ad Chriſtianum cultum neceſſitate. Incipit „ Quid nam cauſæ dicemus &c. pagg. 38. Quarta de Oratoris Regno, & ratione affectuum movendorum. Incipit „ Oratoria facultas debebat ſane &c. pagg. 24. Fidelis Danielis Oratio de æternitate Literarum, habita anno MDLXXXIX. Incipit: „ Si quis veſtrum forte admiratus Auditores &c. pagg. 32. Cæſaris Antoræ Oratio. Omnes bonas Artes eſſe inter ſe ita colligatas, ut ſingulæ certo ordine debeant addiſci, habita anno MDLXXXVI. in renovatione ſtudiorum. Incipit „ Si quis „ forte requiret &c. pagg. 31.

## CONFALONERIUS JO. BAPTISTA.

### Addenda ad Art. DCXIV. Col. 455.

II. Jo. Bapt. Confalonerii Opera omnia. *Venetiis*, 1525. *in fol.*

## COPPINUS AQUILINUS.

### Addenda ad Art. DCXIX. Col. 461.

VII. Carmen Latinum. Extat in Libro, cui titulus „ Lo „ Armidoro; Poema di Giovanni Soranzo, al Conte Franceſco d'Adda. *Milano*, 1611. *in* 4.

VIII. Diſſertationem Aquilini Coppini de Stilo ſe accepiſſe aſſerit Ericius Puteanus in ſua Epiſtola, atque eam approbat exemplis Græcorum, & Latinorum. Eſt ſine data in Centuria II. pag. 48.

## CORNEUS JO. BAPTISTA alter.

### Addenda ad Art. DCXXXIV. Col. 474.

POſt impreſſum Cornei hujus Articulum, mihi perhumaniter communicata hæc fuerunt à Doctore Macinago Cœremoniarum Magiſtro Eccleſiæ Metropolitanæ hujus Urbis, ideoque hìc imprimenda eſſe cenſui:

„ Adì 19. Decembre 1688.

„ Domenica VI. d'Avvento all'Ambroſiana. Queſta mattina S. Eminenza (ſcilicet Card. Fed. Vicecomes) ha dato la benedizione in articulo mortis al Molto Rev. Sig. Gio. Battiſta Corneo Maeſtro di Coro in Duomo, ed è morto al ſonarſi dell' Ave Maria del Veſpro di detto giorno, havendo ſervito queſta Chieſa per il ſpazio di LVI. anni, in età d'anni LXXXIV.

„ Adì 20.

„ Il Reverendiſs. Capitolo fece a ſue ſpeſe, atteſi gli meriti di queſt' Uomo, l'Eſequie al medemo nella conformità, che ſi pratica nella morte de' Signori Canonici Ordinarii, quando eſſo aveva ordinato di farli gli Funerali con il ſolo accompagnamento di ſei Sacerdoti.

„ Il ſuo Cadavero è ſepolto in Duomo nel ſepolcro delli Operarj della Dottrina Chriſtiana, quale è nel ſito, ove ſi fà la Schuola delli fanciulli.

## CORRADUS MARIUS.

### Addenda ad Art. DCXXXVII. Col. 480.

IV. Marchionis Marii Corradæ J. U. D. Carmen Latinum in laudem Auctoris, & Anagramma; extant in libro, cui titulus: „ Portugal convencida de D. Nicolas Fernando de Caſtro. „ *Milan, por Malateſta*, 1648. *in* 4.

V. Carmina Italica II. vulgò *Sonetto*, *e Canzone*. Extant in Libro inſcripto „ I Doni di Parnaſſo di Ferdinando Solari nella Laurea del Signor D. Franceſco Bigarola „ pagg. 83. & 87.

## COTTA CATTELLIANUS.

### Addenda ad Art. DCXLI. Col. 483.

CUm numero III. jam titulum nos exhibuerimus Operis Cattelliani noſtri, poſtmodum à Clariſs. P. Joanne de Auguſtinis moniti fuimus, non unum tantùm ſub eodem titulo *Memorabilia*, ſeu *Memoralia* reperiri, ideoque ſatius duximus hìc referre unum, & alterum titulum, ut infra.

C. Cat-

Digitized by Google

C. Cattelliani Cottæ Legum Scholaſtici Memoralia, ex Jure Divino, & Humano excerpta, per ordinem literarum. *Ticini, apud Jacob. de Burgo-Franco, Kal Martii*, 1511. *in* 4. Hæc fuit prima editio, quam Auctor nuncupavit Cardinali Scaramutiæ Trivultio, tunc Epiſcopo Novocomenſi. In Epiſtola ad eundem, quæ data eſt Ticini XIII. Kal. Novemb. MDX. Cattellianus aſſerit, ſe inviſiſſe plures Italiæ Academias, inter quas Ticinenſem excellere ſupra Bononienſem, & Patavinam, aut ſaltem æqualem fuiſſe agnoſcens, ſatiùs duxit ad eandem regredi pro ſtudiis Legalibus proſequendis.

C. Cattelliani Cottæ Legum Scholaſtici Memoralia, ex variis Doctorum lectionibus per ordinem literarum. *Ticini, apud Jacob. de Burgo-Franco, Nono Kal. Maji* 1511. *in* 4. Hoc Opus ex integro differt à ſupradicto, uti facilè agnoſcitur ex Epiſtola Nuncupatoria ad eundem Scaramutiam Trivultium, data Ticini, Prid. Eid. Decembris MDX. In eadem aſſerit Auctor, hoc Opus ſcripſiſſe, dum tempore Autumnali febre laborabat, ne ſtudia Legalia ex integro intermitteret. In eodem Libro adeſt ſequens Epigramma Joannis Stephani Cottæ, de quo ſuo loco egimus.

*Has ſibi collegit notulas, creſcentibus annis,*
*Cotta: nec ingratum Cattellianus Opus.*
*Multaque correxit: necnon obſcura retexit,*
*Scriptorum aut vitio, vel male nota prius.*
*Gratulor & noſtro generi, Patriæque futurum*
*Auguror hunc columen, perpetuumque decus.*
*Expectet quantum maturo tempore Lector:*
*Primitiis docuit vix modo tyro ſuis.*

Claudunt librum

VIII. Exaſticon Cattelliani Cottæ ad Lectorem.
Deinde Octoſticon Præceptoris Cottæ pariter ad Lectorem, poſtea Carmen Phaleucium Joannis Franciſci Quintiani Stoæ Poëtæ laureati, quo Liber Lectores alloquitur.

IX. Carmina quædam.

X. Epiſtolæ plures. His duobus numeris comprehenſa damus ex fide Jani Parrhaſii, de quo videndus Cl. Saxius in Hiſtoria ſua Typographico literaria ad annum MD. col. CCCCXXVIII.
Janus Parrhaſius ipſe ei dicavit Librum, cui titulus: „ Enarrationes in Claudiani Raptum Proſerpinæ, *Mediolani editum anno* 1500. Vide eundem Cl. Saxium ad ſupradictum annum col. CCCCXXVII.
Monendus tandem eſt Lector, quòd Opus MS. de laudibus Patriæ à nobis indicatum ſub num. V. extat in Bibliotheca Archintea.

## COTTA POMPONIUS.

### Corrigenda ad Art. DCXLVII. Col. 489.

Col. 490. lin. 2. ob mortem, corrige *ob tranſlationem ad Epiſcopatum Bergomenſem.*

## CRASSUS BARTHOLOMÆUS.

### Addenda ad Art. DCXLIX. Col 491.

IV. Oratio in Laurea Franciſci Pezzoli Bergomenſis. *Mediol. apud Agnellum, ſine anno, in* 4.

## CRASSUS FRANCISCUS.

### Addenda ad Art. DCL. Col. 492.

XI. Repetitio in C. Cùm ad Sedem. De Reſtitut. Spoliat. extat in Tom. III. Repetit in Jure Canon. Ex Fontanæ Bibliotheca Legali pag. 262.

## CRASSUS FRANCISCUS alter.

### Addenda ad Art. DCLI. Col. 494.

IV. Statuta Viglevani maximo ſtudio, & labore ab eo compilata, & in ordinem digeſta, ut ex Epiſtola Nuncupatoria ejuſdem ad Conſules, & XII. Proviſionum ipſius Civitatis, data die XV. menſis Novembris, anno MDXXII. *Mediolani, per Gottardum Ponticum*, 1532. *die* 30. *Octobris, in fol.*

## CREMOSANUS MARCUS.

### Addenda ad Art DCLVII. Col. 498.

Filius Hieronymi, uti ex Inſtrumento penès Cl. Sitonum.

III. Diario Iſtorico dal giorno XIII. Giugno MDCXLII. ſino al meſe d'Agoſto MDCXCI. MS. in fol. aliis jam indicatis copioſior. Extat in Biblioth. PP. Soc Jeſu Domus Profeſſæ S. Fidelis Mediol.

IV. Miſcuglio di diverſe memorie Iſtoriche antiche, e moderne, ed altre curioſità di Milano, raccolte da Marco Cremoſano Profeſſore d'anticaglie. MS. in fol. extat ibidem.
Prædicta Opera MSS. Cremoſani anno MDCCV. erant etiam penès Abbatem Joſephum Biſſium, de quo egimus ſuo loco.

## CRIBELLUS GEORGIUS.

### Addenda ad Art. DCLXVIII. Col. 505.

Franciſci Cribelli, & Franciſchinæ de Boſchainis conjugum filius; obiit anno Chriſti MDII. uti ex Tabulis autenticis in pergameno pœnes Cl Sitonum.

V. Emendavit, atque edidit Opera Divi Ambroſii, nempe Epiſtolarum Libros X. De Vocatione omnium Gentium Lib. II. Sermonum Lib. XC. Orationum dicendarum ad Miſſam Lib. II. De Sacramentis, & Myſteriis Lib I. De Virginibus Lib II. De Cohortatione Virginum, & Dedicatione Templi à Juliana ſtructi Lib I. De Inſtitutione Virginis, ad Euſebium Lib. I. De Jejunio Lib. I. Extant omnia uno Volumine, ad cujus calcem legitur

VI. Elegiola ejuſdem Cribelli non ineleganti Carmine ſcripta.

VII. Epiſtola ad Lectorem. Extat in fine editionis Epiſtolarum S. Ambroſii, de ordine & emendatione earundem per Cribellum facta.
Videndus eſt Cl Saxius in Hiſt. Typograph. Mediol. ad annum MCCCCXC.

## CRIBELLUS LEODRISIUS alter.

XVI. Il Trionfo d'Auguſto in Egitto: *Milano, per il Malateſta*, 1672. *in* 8. Scenicum hoc Opuſculum prætermiſere ipſius Carminum Collectores.

XVII. Amor fra l'armi, overo il Corbullone in Armenia. *Ivi, per lo ſteſſo*, 1673. *in* 8.

XVIII. Ippolita Regina delle Amazoni. *Milano, per il Malateſta*, 1670. *in* 12.

XIX. L'Orbin al Preſepi. Opuſculum Poëticum Mediolanenſis populi dialecto compoſitum, miroque ſimul ac lepido artificio compactum. MS. in fol. apud amiciſſimum Canonicum Iricum.

Ad eum dedit Franciſcus de Lemene Epiſtolas tres Italicas. Prima eſt in laudem cujuſdam Pignatelli, cujus Orationem de Triumphis Armorum Chriſtianorum Maddius ad eum miſerat. Secunda eſt in commendationem Vincentii Plateæ pro Epico ejus Poëmate, cui titulus: *Bona eſpugnata*, hujuſque Operis Exemplar ipſo Auctore petente ad Maddium mittit. Tertia jocoſa eſt pro quodam munere Maddii eſculento Epigrammate Mediolanenſis dialecti ſociato. Extant in Collectione MS. Epiſtolarum ipſius de Lemene ad Varios apud Comitem Antonium Simonettam, in fol.

In Muſæo Bibliothecæ Ambroſianæ ſervatur Nummiſma Maddii noſtri. Iconi circumſtant verba: *Carolus Maria Maddius*. In poſtica parte: Paludatus Vir lauro redimitus, dextera coronam geſtans, appoſito ad pedes Cornucopiæ. Lemma: *Corona Sapientiæ timor Domini*.

## MADDIUS MICHAEL.

Addenda ad Art. MXIII. Col. 825.

VIII. Carmina II. Latinum unum, alterum Græcum; quæ extant in libro, cui titulus „ Per le Nozze „ di Rinaldo d'Eſte, Duca di Modena ec. e Car„ lotta Felicita, Principeſſa d'Annover. „ *In Bologna*, 1696. *in fol.*

## MADRIGNANUS ARCHANGELUS.

Addenda ad Art. MXVIII. Col. 829.

MAdrignanum autem, & alia ſcripſiſſe, nempe:

II. Hiſtorias, &

III. Magni Trivultii Geſta,

Conſtat ex Lancino Curtio hæc ſcribente:



Digitized by Google

*At utilis labor eruditione omnì*
*Notiſſimum operi prabito ære conjunxit*
*Interpretem acrem Archangelum Madrignanum*
*Archangelum Hiſtoriæ Patrem : ſuis Scriptis*
*Trivultii perire qui vetat geſta ,*
*Et Patriam effert : Patriæ excolit nomen :*
*Orbis novi miracula & refert . . . . . .*

IV. Aloyſii Cadamuſti Patricii Veneti Navigatio ad terras novas ex Italico latinè reddita ab Archangelo Madrignano . Extat in Simonis Grynæi novo Orbe . *Baſileæ* , 1532. *in fol.*
Editio Itinerarii Ludovici Patricii , quod dedimus numero II. prodiit *Mediolani* , *apud Jo. Jac. de Lignano in fol.*

## MAGNUS VALERIANUS.

### Addenda ad Artic. MXXIII. Col. 833.

XX. Demoſtratio Ocularis. *Venetiis* , *apud Hertz* , 1629. *in* 8., & *Bononiæ* , 1648. *in* 4.
Ex Vol. III. Theol. Catalogi Bibliothecæ Regiæ Col. 140. hæc addimus ad eum ſpectantia:
Reſponſio Apologetica Anonymi pro Valeriano Magno. *Monopoli ſine Typographo* , 1661. *in* 12.
Additur & altera pars , ſeu copia literarum Erneſti Haſſiæ Landgravii ad Valerianum Magnum . *Herbipoli* , *apud Silveſtrum Geſner* , 1661. *in* 12.
Vindiciæ Eccleſiæ Lutheranæ contra Judicium Valeriani Magni Capuccini, abſurdas conſequentias & ſententiam ejus de Regula credendi, Auctore Jacobo Martini. *VVittebergæ* , *apud Jo. Elvvigium* 1631. *in* 8.
Judicium de Judicio Valeriani Magni Mediolanenſis Catholicorum , & Accatholicorum credendi Regula : ſive Abſurditatum Echo, Auctore Herico de Neufeldt. *Amſtelodami* , 1640. *in* 8.
Georgii Calixti reſponſum ad tertiam Actionem Valeriani Magni Capuccini de Fide Chriſtiana. *Helmeſtadii* , *apud Henningium Mullerum* , 1652. *in* 4.
Gorgias Leontinus Sophiſta in Valeriano Magno Redivivus , ſive Annalyſis Judicii de Accatholicorum & Catholicorum regula credendi, producti à Valeriano Magno Capuccino, adornatore Joanne Conrado Dannhavvero. *Argentorati* , *apud Petrum ab Heyden* , 1652. *in* 4.
J. Micrællii Diatriba de Erhardi S. R. J. Comitis Truchſes de VVetzhauſen Recognitione Eccleſiæ univerſalis antiquæ , Viennæ anno MDCLII. facta, unà cum ſolutione IV. Quæſtionum & Reſponſione ad XII. poſtulata Keddii Jeſuitæ , & ad Sophiſmata Valeriani Magni Capuccini de Regula credendi. *Stetini* , *apud Joannem Valerium Rhetium* , 1652. *in* 4.
Valeriani Magni Capuccini methodus ἀμίϑοδος & ignis fatuus; ſive primò examen theologicum novæ methodi ab ipſo procuſæ, ad retrahendos Proteſtantes ſub jugum Pontificis ; ſecundò , refutatio libelli alterius , quem poſtea ſub titulo Lucis in tenebris lucentis emiſit; utrique inſeritur integer textus Opuſculi Monachalis, adduntorque ad calcem obſervationes aliquot Theologicæ in Epiſtolam peremptoriam Erneſti Landgravii, inſcriptam Doctori Calixto XXVI. Feb. MDCLIV. Auctore Samuele Mareſio. *Groningæ* , *per Joann. Nicolaum* , 1654., *in* 4.

## MAJORAGGIUS MARCUS ANTONIUS.

### Addenda ad Artic. MXXV. Col. 839.

XLII. Declamatio in Aleatores. Ex Geſnero.

## MAPELLUS JOANNES.

### Addenda ad Artic. MXLI. Col. 851.

PRima editio Conformitatum Bartholomæi de Piſis debetur Franciſco de Sancto Columbano Provinciæ Mediolanenſis Vicario, jubente F. Franciſco Zeno Mediolanenſi totius Ordinis Minorum Generali . Idem F. Franciſcus eamdem dicavit PP. ipſius Ordinis Deſſinitoribus , ſcilicet Paulo Balſamo , Raphaëllo à Variſio , Dionyſio Leonardi Novarienſi , atque Hieronymo Battalea . Data eſt Epiſtola è Conventu S. Angeli Mediol. IV. Idus Maji MDX. Aliæ duæ editiones prædicti libri Conformitatum S. Franciſci adnumerantur , videlicet *Mediolani* , 1514. *in fol.* , & *Bononiæ* , *per Alexandrum Benatium* , 1590. *in fol.* cum Adnotationibus Hieremiæ Bucchii .

De editione vero Quadrageſimalis vide Saxium in Hiſt. Typograph. Col. CCCCXII.

## MARCALDUS FRANCISCUS.

### Addenda ad Artic. MXLIV. Col. 856.

III. Narratione delle coſe più importanti del Duca di Ferrara. MS. in 4. in Bibliotheca Ambroſiana ſign. N. num. 113. In Epiſtola nuncupatoria Auctoris ad Cardinalem Federicum Borromæum, ſic legitur: „ Onde io mi ſon riſoluto di preſentar- „ gli queſta Narratione delle coſe più importanti „ del Duca di Ferrara, nella quale ſi tratta de i „ Luochi, Stati, e Fortezze, che Sua Altezza poſ- „ ſiede, con l'entrata e ſpeſa ſua, e quanto anco „ al preſente ſi ritrova de contanti, con altre de- „ gne ed onorate coſe ec. „ Data eſt Mediolani, die XXIV. Januarii, MDXCVII.

## MARLIANUS ALOYSIUS.

### Corr. ad Artic. MLIII. Col. 861.

In Operum num. III. linea 3. Petri Martyris de Angleria, corr. *Petri Mar. Aleandri* , *ex Corneliano* .

## MAURUS MAURITIUS.

### Corr. ad Art. MLXXVIII. Col. 885.

IN dubio eſt Cl. P. Jo. de Auguſtinis , an Carmina V. Italica, quæ dedimus ſub num. II. ſint, nec ne Auctoris noſtri , vel Mauritii Veneti , quem Cl. Marchio Maffejus Veronenſem fecit in ſua Verona illuſtrata, eo quia Opus ſcripſerit in laudem illius Urbis.

## MAYNUS JASON.

### Addenda ad Artic. MLXXXIII. Col. 887.

XIX. Jaſonis Epiſtola ad Petrum Caram Sabaudiæ Senatorem ; impreſſa eſt inter Opera ejuſdem Petri. *Auguſtæ Taurinorum* , *per Porrum Calchographum* , 1520.
Juvat hic addere poſtremam editionem Operum omnium Auctoris noſtri ſub hoc titulo „ Opera „ omnia juridica, cum adnotationibus Purpurati, „ Bellacombæ , Panciroli , Trotti , Manſueri, „ aliorumve, necnon additionibus Jacobi Menochii. *Venetiis* , *ſine Typographo* , 1590. *T. IX. in fol.* In Vol. verò, quod continet Repertorium, adeſt Vita Jaſonis.

Ad

Digitized by Google

Ad eundem legi Epiſtolam ſatis eruditam Joannis Baptiſtæ Caſtillionæi, ſic prætitulatam „ Jaſoni „ Mayno Jureconſulto, atque Oratori celeberri- „ mo Jo. Baptiſta Caſtillionæus Genevenſis Juris „ ſectator S. D. perpetuam „. In Epiſtola ait: Quintum verti annum, ex quo ſtudiis Oratoriis expletis ſub Rhetoricis Cremonenſibus in Patriam reverſus fuerit. Scribendum igitur duxiſſe Opuſculum de Arte Oratoria, quod Jaſoni dicat. Et ſic finit „ Vale præſidium novum, & „ noſtri ſeculi decus „ ſine loco, anno, & Typographo, ſed certè *Mediolani*, *in* 4.

## MAYNUS JASON alter.

### Addenda ad Artic. MLXXXIV. Col. 892.

III. Carmina Italica, extant in libro, cui titulus: „ Il „ Sepolcro della Illuſtriſſima Signora Beatrice „ di Dorimbergo. *In Breſcia, preſſo Vicenzo di Sabbio*, 1568. *in* 8.

Ex Cl. P. Quadrio Soc. Jeſu in T. II. ejus Operis „ Della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia „ pag. 676.

## MAZENTA GUIDOTTUS.

### Addenda ad Artic. MLXXXVI. Col. 894.

III. Carmen Italicum, extat in libro, cui titulus: „ Oratio Bartholomæi Baphii Lucinianenſis Conventualis Franciſcani de laudibus Mediolanenſium, habita ab eodem in communibus Comitiis Mediolani, in æde Summa. *Bononiæ*, 1562. *in* 4. Carmen Guidotti noſtri eſt pro reſponſione alterius ejuſdem Baphii inſcripti „ In lode „ dell'Eccellentiſſimo Fiſico Maeſtro Guidotto da „ Mazenta per una zentil Dama inferma &c.

## MAZENTA GUIDUS.

### Addenda ad Artic. MLXXXVII. Col. 893.

VI. Conſultatio pro utilitate Regii Ærarii, & Civitatis Mediolani, non ſufficientibus ordinariis proventibus ad munera publica obeunda, potiùs Ultrotributa, veluti habiliora, & voluntaria exigenda, quàm realia, vel perſonalia onera indicenda, incipit „ Animum ad utilia pro Regio Ærario „ & pro Mediolanenſi Civitate ſcribenda invita- „ vit injunctum mihi munus, amor in Patriam, „ & Sexaginta Virorum ſtudium, qui ut Poten- „ tiſſimo Regi, & publicæ utilitati ſerviant, unà „ cum Excellentiſſimo Fontium Comite, maximo „ charitatis affectu commoto, continuò conſilia „ de adjuvanda Republica undique requirunt, &c., impreſſ. anno 1610. in fol., ſine Impreſſoris nomine; extat penes Cl. Advocatum Joannem Sitonum de Scotia.

## MEDICES JOANNES JACOBUS.

### Addenda ad Artic. MXCVIII. Col. 909.

IX. Ejus dicta memorabilia ſunt in Libro, cui titulus „ Detti memorabili di Perſonaggi illuſtri di Gio „ vanni Botero. *Torino*, 1608. pagg. 92., e 145.

X. In altero Libro inſcripto: „ Il Cancellieri del Doni „ Libro della memoria, contiene varj Paragoni „ della Prudenza delli Antichi con la ſapienza „ de' Moderni, con le proprie ſentenze. *In Vinegia, appreſſo Gabriel Giolito de' Ferrarj*, 1552. *in* 4. Extat „ Paragone di Paolo Emilio col Marcheſe „ di Marignano, ed una ſentenza di queſto.

XI. Altra ſentenza; eſt in Libro, cui titulus „ il Cancellie- „ ri del Doni Libro dell'Eloquenza, nel qual ſi „ vede per ſimilitudine la virtù del dire delli „ Antichi ſavj, e de' Moderni virtuoſi in ogni „ impreſa onorata di Guerra, di Stato, e Poten- „ za, riſolvendo con le vere Sentenze. *In Vinegia, per Gabriel e Giolito de' Ferrari*, 1562. *in* 4. ad pag. 48.

Acta inſigniora ejuſdem, Carminibus VIII. deſcripſit Joſeph Maria Stampa Somaſchenſis in libro, cui titulus „ Epigrammata Sacra, Heroica, Ethica, „ Miſcellanea &c. *Mediolani*, 1727. *in* 8. pag. 88. & ſeq.

In Muſæo Braydenſi ſervatur Nummiſma exhibens ipſius Iconem; circumpoſitis verbis: „ Jo. Jac. „ Mediceus Marchio Melegnani ex Cæſ. Cap. Gen. Poſtica pars habet Pegaſum Parnaſſo ſuperpoſitum alis expanſis cum lemmate: *Quo me fata vocant*.

## MEDIOBARBUS JOANNES ANTONIUS.

### Addenda ad Artic. MC. Col. 912.

IX. Hiſtoria Gymnaſii Ticinenſis Auctore Antonio Gatto. *Mediolani*, 1704. *in* 8. cum Notis marginalibus MSS. P. Joannis Antonii Mediobarbi.

X. Diſcorſo Accademico detto in Pavia per S. Agoſtino „ Se ſia più avantaggioſo alle glorie „ del Santo il ſaperſi il luogo preciſo delle „ ſue Ceneri, o no „ MS. in 4.

XI. Somnium Alcibiadis: Diſſertatio eruditiſſima habita Pariſiis anno MDCCII. MS. in fol.

XII. Virtus qualis vera ſit: Diſſertatio altera habita ut ſupra. MS. in fol.

XIII. Severus Nummus Græcus: Epiſtola, ſeu potius Liber: ad Cl. Giſbertum Cuperum. MS. in 4.

XIV. Adrianopolis: Diſſertatio de Re Nummaria. MS. in fol.

XV. Dubia Chronologica de Nummis Hadriani. MS. in fol.

XVI. Diſſertatio contra T. Livium de Conſulatu Livii. MS. in fol.

XVII. De Religione Gentilium: Dialogus. MS. in 4.

XVIII. De Ara Victoriæ. MS. in 4.

XIX. Incerti cujuſdam Sigilli explicatio: Diſſertationes II. ad Illuſtriſſimum D. Cæſarem Paganum Senatus Mediolanenſis Patrem conſcriptum. MS. in fol.

XX. Adnotationes ad Nummiſmata Occonis, poſt editionem parentis ſui. Vol. III. MS. in fol., quos utinam habuiſſem cùm dedi meis curis, & ære Typis Palatinis Opera ſupradicta parentis optimi hujus Scriptoris.

XXI. Repertorium Alphabeticum de Nummis Imperatoriis, & Conſulum Romanorum. MS. in fol.

XXII. Epiſtolæ plures Latinæ, & Gallicæ de Re Nummaria. MS. in fol.

XXIII. Principi de Boumonville in Caſtra Ducis Burgundiorum Epiſtola Latina, & Carmina, data Pariſiis, menſe Auguſti, 1702. MS. in fol.

XXIV. Panegirico Accademico per li Santi Protettori di Breſcia Fauſtino, e Giovita, detto li V. Febbrajo MDCXCV. MS. in 4.

XXV. L'Obbedienza: Poema; pagg. 8. MS. in 4.

XXVI. Carmina plura Latina, Gallica, atque Italica, necnon vulgari Dialecto Mediolanenſi; inter ultimos eminent „ La Satira III. di Per- „ ſio: La Batracomiomachia al P. Borſa, „ Stroffe XXX. „ & alia. MS. in fol.

XXVII. Delli Scrittori della Congregazione di Somaſca, Centuria prima, raccolta da un Sacerdote della medeſima Congregazione. Codex MS. in fol. ordine alphabetico diſpoſitus, ſed inconditus, in quo adſunt etiam Inſcriptiones plures antiquæ, variaque Adverſaria.

XXVIII. Oratio in Studiorum inſtauratione habita in Collegio S. Majoli, cui titulus „ in Armorum „ ſinu literas nutriri &c. „ MS.

XXIX. Laus Leganeſii pro Arce Caſalenſi expugnata: Carmen. MS. in 4.

XXX. Oratio in Funere Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi D. Ulderici Turriani S. R. I. Comitis &c., necnon Mareſchalli Hæreditarii, & Conſiliarii Status S. Cæſareæ Majeſtatis, ejuſdemque apud Sereniſſimam Venetam Rempublicam Oratoris. MS. in fol.

Extant omnes in Bibliotheca Suorum S. Petri Montis-Fortis, Mediolani.

Libri, quem dedimus ſub numero III. hic eſt titulus „ Il replicato Terremoto „ Oda tradotta dall'Autore in verſi Eroici latini. *Parigi, preſſo Simone Langlois*, 1703. *in* 4.

MEL-

Digitized by Google

## MELLIAVACCA BENEDICTUS.

Addenda ad Art. MCIII. Col. 914.

IV. Vita di S. Orſola Vergine, e Martire. Extat ad calcem libri „ Vita di S. Chiara ſcritta da Salvator „ Vitale „ . *Milano, per Gianpietro Cardi*, 1653. *in* 4.

## MICHAEL.

Addenda ad Art. MCXIV. Col. 925.

AD clariorem hujus Michaëlis cognitionem juvat hîc addere id, quod ex Wadingo novæ editionis Romanæ excerpſimus Vol XIV. pag 476. „ Obiit hoc anno in Conventu Sancti Angeli Mediolani Beatus Michaël de Mediolano, alius à Michaële de Carcano, ea Civitate oriundus, de quo Bartholomæus de Peregrinis ita habet in ſua vinea Bergomenſi : „ In hac vinea laboravit digniſſimè Beatus Michaël Mediolanenſis, Ordinis Minorum de Obſervantia, multos annos in diverſis temporibus, bonis exemplis, concionibus aſſiduis, confeſſionibus audiendis, miraculis multis. Qui tandem præfato anno humani generis MCCCCXC. in Chriſto obdormivit Mediolani, magnis prodigiis, & miraculis coruſcans. Aliqui dicunt creatum fuiſſe Epiſcopum Bergomenſem.

## MILANUS JOSEPH.

Addenda ad Art. MCXV. Col. 926.

XI. Il Supplemento, overo Aggiunta di Matteo Veggio al duodecimo Libro di Virgilio ; data in luce da Giuſeppe Milani Milaneſe, con l'Argomento, e morali Documenti del Poema : Aggiuntavi nel fine una copioſiſſima Tavola, la quale per ordine d'Alfabetto, contiene i nomi proprj degli Uomini, e de' Luoghi, de' quali nell'Opera ſi fa menzione. *Milano, appreſſo Ponzio, e Piccaglia*, 1600. *in* 4. Liber nuncupatus eſt Horatio Maynoldo J. C. C. Cremonenſi, Regioque Ducali Juſtitiæ Capitaneo in toto Mediolani Dominio. Milanus noſter in Præfatione invehitur in eos, qui malè ſenſerunt de Continuatione Maphæi Vegii XII. librorum Æneidis Virgilii, inde ſe excuſat penès Lectores circa linguæ puritatem in vertendis Carminibus ſupradicti Vegii in Italicum Idioma.

## MIRABILIA JOSEPH MARIA.

Corrigenda ad Art. MCXX. Col. 930.

Linea 3. MDLXVII. corrige MDCXVII.

## MOMBRITIUS BONINUS.

Addenda ad Art. MCXXXII. Col. 939.

NAtus eſt Mediolani, anno MCCCCXXIV. teſte Donato Boſſio in Chronica Mediol. ad eundem annum pag. 258.

XVI. Carmen Latinum. Extat ad calcem Summularum Pauli Veneti, cujus editionem *Mediolani, apud VValdarfer*, *anno* 1474. curavit Mombritius noſter. Vide Clar. Saxium in Hiſt. Typographica.

XVII. Aliud ſimile. Extat in fronte Julii Solini de Mirabilibus Mundi. Hunc librum edi curavit Mombritius, reticens locum, annum, & Typographi nomen, ipſumque Antonio Trivultio Juris Pontificii Doctori Clariſs., poſtea Cardinali, ut in ejuſdem Articulo, nuncupavit Carmine latino ſupra indicato. Vide Saxium loco citato.

XVIII. Epiſtolæ ad P. Candidum Decembrium citantur à Clar. Saxio in Hiſtor. Typogr. Col. CCCII. ad calcem.

XIX. Poëma de Planctu Virginis, extat ad calcem Libri de Dominica Paſſione editi *per Antonium Zarotum*, *ſine anno*, *Mediolani*. Vide Saxium pag. DCIX.

XX. Tria Epigrammata extant in fronte Chronici Euſebii *Mediolani editi per Philippum Lavaniam*. Vide Saxium pag. DCVIII.

XXI. Elegiolæ tres, leguntur in ejus Opere de Vitis Sanctorum, una ad Lectorem, aliæ duæ ad Cichum Simonettam, cui librum dicavit. Vide Saxium pag DCX.

Epiſtolas plures ad Boninum Mombritium dedit Vir doctiſſimus Petrus Candidus Decembrius, ut ſupra, quæ MSS. reperiuntur in Codicibus Ambroſianis, uti monet Cl. Saxius in dicta ſua Typogr.

Ei dicavit Gaſpar Lampugnanus librum Svetonii Tranquilli de Viris Illuſtribus, Mediolani editum, de quo vide Saxium Col. DXLII.

De eo Scaliger lib. VI. de Arte Poëtica pag. 770. hæc habet : „ Mombritius generoſioribus utitur dicendi legibus ; & cum multa admittat, conſtat ſibi tamen, neque dejicitur de animi contentione.

## MONETA CAROLUS.

Addenda ad Art. MCXXXV. Col. 942.

FIlius Joannis Baptiſtæ, & Catharinæ Biraghæ conjugum.

III. Reſponſum, & juris Allegationes de Reductione Cenſuum facta in Dominio Mediolani anno MDCXLII. extat impreſs. inter Reſolutiones practicas Cæſaris Carenæ, videlicet poſt Reſolut. 174., à pag. 384. ad pag. 393. ex Schedis Sitonianis.

IV. Conſultatio pro jure honorifico in Cauſa Cuſana, & Surrigona impreſs. Mediol. in folio pagg. 10. an. 1629., extat penès Advocatum Sitonum.

## MONETA JOANNES PETRUS.

Addenda ad Art. MCXXXVI. Col. 943.

XIII. Verſi Latini d'incerto Autore ſopra la Natività del Signore, tradotti in terza rima Toſcana da Monſignor Aleſſandro Moneta, Dottor Teologo, e Canonico Ordinario di Milano. *In Milano, per l'Erede del quond Pacifico Ponzio, e Gio. Battiſta Piccaja Compagni*, 1601. *in* 8.

Ex Cl. P. Quadrio „ della Storia, e della Ragione „ d'ogni Poeſia „ Tom. II. pag. 524.

## MONTIUS CÆSAR.

Addenda ad Art. MCXLI. Col. 948.

XVIII. Nonnullas ejus Epiſtolas ad Auguſtinum Coltellinam datas vulgavit Michaël Abbas Juſtinianus in tertia parte ſuarum Epiſtolarum. *Romæ*, 1675.



Digitized by Google

## MONTIUS MARCUS ANTONIUS.

Addenda ad Art. MCXLVI. Col. 953.

IX. Epiſtola Latina ſatis erudita ad Lectorem, extat in Libro, cui titulus „ Joannis Baptiſtæ Coſtæ Praxis Conventionalis „ *Mediolani*, 1615. *in* 4.

Eidem Paulus Bellonus dicavit Librum ſuum de Poteſtate eorum, quæ incontinenti fiunt. *Mediolani*, 1623.

In Encomiaſtico Hieronymi Boſſii Ticinenſis pag. 3., extat longum Carmen „ Ad Cæſarem, & M. Antonium Montios fratres, quòd belli tempore „ fuerint J. C. renunciati. „

## MONTIUS PETRUS.

Addenda ad Art. MCXLVIII. Col. 956.

VII. De Legum Origine. Ita Struvius in Hiſtoria Juris editio III. pag. 413.

Nummiſma ejuſdem in Muſæis Braydenſi, atque V. Clariſs. Comitis Mazzucchelli Brixienſis exhibet effigiem cum figlis : *Petrus Montius*. Poſtica pars Virum præfert haſtam manu geſtantem, ad cujus pedes tres jacent libri ex una, & arma quædam ex altera, cum lemmate: *Vis temperata ferit*, atque in medio: *In Vita*.

## MORESINUS STEPHANUS.

Corr. ad Artic. MCLIII. Col. 960.

Lin. ultima, ab anno MDCXXXV. ad MDCLX. Corr. *MDXXXV. ad MDLX.*

## MORONUS BERNARDINUS.

Addenda ad Artic. MCLXIII. Col. 969.

JAm impreſſo Bernardini Moroni Articulo pervênit tandem ad manus noſtras ſæpius expetitum Opus Annalium Ordinis Servorum ab Archangelo Gianio conſcriptum, noviterque recuſum *Lucæ apud Mareſcandolos anno* 1719 cùmque ibidem præclari hujus Viri mentio non ſemel occurrat, non ab re fore duximus ea, hìc Lectoribus noſtris exhibere. Bernardinus igitur noſter anno MID. Sacram Scripturam in Patria interpretabatur. Librum Geneſeos Ticini è primaria cathedra explicabat anno ſalutis MDIX.

Ex citato Gianio Tomo II. pagg. 4, & 32.

## MORONUS JOANNES.

Addenda, & Corr. ad Artic. MCLXV. Col. 972.

XV. Oratio habita nomine Pauli III. Pont. Max. coram Ferdinando Romanorum Rege. Extat in Libro inſcripto „ Orationes Procerum illuſtrium à „ Carolo Herneſto Neib collectæ „. *Friburgi*, 1543. *in* 8.

Bina hujus Cardinalis Nummiſmata habet in Muſæo ſuo doctiſſimus Comes Joannes Maria Mazzuchellus Brixienſis. Primum oſtentat ipſius Protomen adjectis figlis: *Jo. Card Moron. Fidei Cath. P. Pugn.* in averſo autem cernitur Matrona, cujus nomen indicatur per verba: *Anna Morona Stampa Mar. So* Alterius poſtica pars iconculam præfert circumpoſitis literis: *Et tenebræ eum non comprehenderunt*; & in medio: *Vox de Cœlo*.

Ibi prope finem, Vita Caroli Sigonii, corr. *Vita Ludovici Caſtelvetri*, & parum infra: Difeſa della Vita di Carlo Sigonio, Corr. *Difeſa della Vita di Lodovico Caſtelvetro*.

## MUTONUS ANGELUS.

Corr. ad Artic. MCLXXIII. Col. 983.

Linea ultima, MDCLXXXIV. Corr. *MDLXXXIV.*

# N

## De NOTTIS ſeu NOTTIUS STEPHANUS.

Addenda ad Artic. MCLXXXV. Col. 995.

III. Breviarium Ordinis Humiliatorum in 8. Legitur in calce; „ Breviarium hoc Sacræ Humiliatorum „ Societatis, per Stephanum de Nottis ſacrarum „ Literarum Magiſtrum eximium, Sanctæ Trini- „ tatis ipſius Ordinis Mediolani Præpoſitum, „ multis lucubrationibus quam emendatiſſimè „ caſtigatum, Philippus de Sanctis, Vicoboldoni „ Profeſſus, ad ſui Ordinis utilitatem, & com- „ moditatem, & omnium Chriſtianorum devo- „ tionem, ſummo cum labore, & induſtria fide- „ liſſimè imprimi curavit *per Joannem Antonium de Honate, Mediolani, anno à Dominica Nativitate MCDLXXXIII. quarto Cal Septembris, regnante Joanne Galeacio Sfortia Vicecomite Duce Sexto invictiſſimo*.

Ex Cl. Saxio in ſua Hiſt. Typograp. ad eundem annum pag. DLXXIX.



Digitized by Google

# O

## ODDONUS JOANNES BAPTISTA.

A

### Addenda ad Artic. MCXC. Col. 999.

VI. Nel felice natale del nuovo Sereniſſimo Prencipe di Carigano, Idillio di Giovan Battiſta Oddoni. Extat in libro, cui titulus „ *L'Euterpe* di Giovanni „ Caponi „. *Milano, per il Bidelli, 1619. in 12.* Ex P. Quadrio Soc. Jeſu, in ejus Opere millies adducto T. III. pag. 356.

## OLDRADUS VITALIANUS.

### Corrigenda ad Artic. MCXCIX. Col. 1006.

Linea 18. MDLXXXVIII. Corrige *MDCLXXXVIII.*

## OPICELLUS JACOBUS PHILIPPUS.

B

### Addenda ad Artic. MCCII. Col. 1008.

V. Carmina varia Latina in laurea Ludovici Meltii. *Ticini, 1617. in 4.*

VI. Alia in Lauream Cæſaris, & Marci Antonii Montiorum. *Papiæ, 1617. in 4.*

## ORMANICUS PETRUS PAVLUS.

### Addenda ad Artic. MCCX. Col. 1013.

IV. Diſcorſo intorno l'Iſcrizione d'antico marmo nella muraglia laterale verſo Oriente al di fuori del Tempio di S. Giuſeppe a Breſcia, concernente l'opinione dell' antichiſſima, e nobiliſſima Famiglia de' Signori Medici di Breſcia, e di Verona, Conti di Gavardo. *Milano, nella Regia-Ducal Corte, per Giulio Ceſare Malateſta, 1656. in fol.*

C

## ORIGONUS CAROLUS JOSEPH.

### Addenda ad Artic. MCCVI. Col. 1010.

XIX. Lettera al Prencipe Don Lorenzo di Toſcana contenente la notizia delle Opere di varj Soggetti della Compagnia di Gesù. *Genova, 1631 in 4.* Hoc agnovimus ex Joannis Cinelli Biblioth. Vol. Pluteo VI. pag. 25., ubi loquitur de P. Camillo Rodengo Societatis Jeſu, ſic: „ Di qual letteratura e „ ſcienza foſſe il P. Rodengo non occorre, „ ch'io ne favelli, a baſtanza celebrandolo „ le ſue erudítiſſime ed elaboratiſſime fatiche, e baſti il dire, ch'era germoglio di „ quella Compagnia, che produce moſtri „ di Lettere; delle moltiplicate Opere di „ tanti degni Soggetti, n'è già compoſta „ un' intiera e copioſa Libreria, come „ dalla Lettera di Carlo Giuſeppe Origoni „ al Prencipe Don Lorenzo di Toſcana &c.

XX. Ode nella promozione alla Sacra Porpora del Sig. Prencipe Teodoro Trivulzio. *Genova, preſſo il Pavoni, 1630. in 4.*

XXI. Carmina varia Latina pro laurea Ludovici Meltii. *Ticini, 1617. in 4.*

XXII. L'Età dell'Oro, Encomio nella Creazione di Giovanni Stefano Doria Duce della Republica di Genova. *Ivi, per il Pavoni, 1630. in 4.*

XXIII. Pronea, Allegoria Encomiaſtica al Cardinale Duca di Richelieu. *In Genova, per lo ſteſſo, 1634 in 4.*

XXIV. Le Glorie del Vaticano, alla Santità di N. S. Urbano VIII. *Ivi, per lo ſteſſo, 1641. in 4.*

XXV. Il Trionfo Amoroſo, Epitalamio nelle Nozze di Criſtoforo, e Barbara Centurioni. *Ivi, per lo ſteſſo. 1636. in 4.*

XXVI. La Fama Pronuba, Epitalamio nelle Nozze di Ercole Grimaldi da Monaco Marcheſe di Campagna, e di Aurelia Spinola. *Ivi, per lo ſteſſo, 1641. in 4.*

XXVII. Le Grazie, Epitalamio nelle Nozze di Ettore Martini, e Chiara Maria Romana. *Ut ſup.* Ex Cl. P. Quadrio S. J. in Libro „ Della Storia „ e della Ragione d'ogni Poeſia „ T. II. pag. 302.

XXVIII. Oſmam diſgorgogliato Poema alla gloria di Uladislao IV. Re di Polonia &c. *Genova, per il Calenzano, 1641 in 4.*

XXIX. Il Tributo alle allegrezze, Epitalamio nelle Nozze di Gio. Matteo Pozzo, e Paola Maria Imperiale Lercara Patrizii Genoveſi, a Monſignor Franceſco Durazzo Veſcovo di Brugneto. *In Genova, per Nicolò Peſagno, e Pier Franceſco Barbieri, 1644. in 4.* Hæc duo hauſimus ex libro „ La Bibliotheca „ Aproſiana „. *Bologna, 1673.* pag. 616., ubi legitur etiam Carmen Italicum Gabrielis Chiabreræ in laudem Auctoris.

# P

## PAGANUS CÆSAR..

D

### Addenda ad Art. MCCXIV. Col. 1017.

VII. Defenſas del Capitan Don Fernando Sanûdo: Antes, que ſe lean eſtas defenſas propone el Author dellas las Suias por haverlas eſcrito contra el precepto de Ciceron en idioma que no Sabe, Pues lo hizo por conſuelo de la parte, y fiado en la doctrina de Solorzano, de que no ſe ha de reprehender El que uſa, aunque no la pronuncié bien, de una lengua, de quien ſe precia haver naçido Vaſſallo. In fine ſic legitur: „ Milan a 3. Agoſto 1670. dia en el qual por la porfia de los „ Judios fue deſtruido en Jeruſalem ſu Templo. „ El Doctor Ceſar Pagan del Noble Collegio deſta ciudad, del Conſejo delos Seſenta della; y „ Auditor de ſu Real Caſtillo. „ *In fol. ſine Typographi nomine.*

E

Ex his, & aliis ſimilibus Conſiliis Jurid. lingua Hiſpanica ſcriptis, colligitur, quantùm Auctor in eadem quoque valeret.

In Muſæo Braydenſi Nummiſma maximi moduli ipſius præfert imaginem cum lemmate: *Marchio Ceſar Paganus Sen. Med.* In poſtica parte ſtat Hercules, adjectis verbis: *Virtus roborat.*

## PAGNANUS JOANNES FRANCISCUS.

### Corrigenda ad Art. MCCXIX. Col. 1021.

In Inſcriptione lin. ult. DDCXCIII. Corrige MDXCIII.

## PANIGAROLA FRANCISCUS.

### Addenda ad Art. MCCXXX. Col. 1029.

Cum de hoc celeberrimo Viro ſermo recurrat juvat hîc Lectoribus noſtris proferre Opera in Articulo prætermiſſa, & nonnullas ejuſdem operum editiones, quas ſub oculis poſt impreſſionem hujus Bibliothecæ habuimus, quæ ſunt:

XCVIII. Ragionamenti fatti al Clero d'Aſti, dati in luce dal Padre Zanobio Bocchi Fiorentino del medeſimo Ordine. *Venezia, per il Fioravante Prati, 1597. in 8.*

XCIX. Libri duo pro inſtituendis iis, qui viſitaturi ſunt Diœceſes. MSS. ex VVadingo.

C. Traslazione dell' Opere di S. Gregorio Nazianzeno dal Greco in Italiano. MS. ex eodem.

CI. Oratorio della Medicina Spirituale. MS. ex eodem.

Pre-

Digitized by Google

Prediche Quareſimali con nove Diſcorſi ſopra le ſette parole di Criſto „ Pater ignoſce illis. *Venezia, per Roberto Mejeti*, 1597. *in* 4.

Prediche varie. *Genova, per gli Eredi di Girolamo Bartoli*, 1592. *in* 4.

Prediche dette fuori de' tempi Quadrageſimali, con le poſtille d'Iſidoro Rota Tom. I. *Venezia, per Gian Battiſta Cioti*, 1596. *in* 8.

Prediche Quareſimali dette in Roma l'anno MDLXXXVII. *Venezia, per Domenico Farri*, 1597. *in* 8. *ed ivi per Roberto Mejeti, lo ſteſſo anno, in* 4.

Prediche Quareſimali dette in Roma l'anno MDLXXXVIII. *Venezia, per Gian Battiſta Cioti*, 1598 *in* 8.

Beati Petri Apoſtolorum Principis Geſta ex ipſis Divinæ Scripturæ locis, graviſſimorumque Patrum, qui ante annos mille conſcripſerunt, ſententiis collecta, & in Rapſodias, quam catenam appellant, ſpeciem diſpoſita. *Aſtæ, per Virgilium de Zangrandis*, 1591. *in* 4.

## PARAVICINUS BALTHASSAR.

Addenda ad Art. MCCXXXV. Col. 1038.

III. L'inegualità del Peſo, Diſcorſo ſopra l'origine, e diviſione del Menſuale, parte ſpettante alla Città, e Ducato: Danno del ripartirlo, modo di ripararlo; con la diviſione della Pertica Civile rilaſciata dalla Città al Ducato di Milano; diretto agl' Illuſtriſſimi Signori Dottor Collegiato Sigiſmondo Calchi Vicario di Proviſione, e Seſſanta Decurioni della medeſima Città di Milano, da Baldaſſarre Paravicini. *Mediolani, an.* 1682. *apud Hæredes Malateſtas, in fol.* pagg. 40., extat penès Advocatum Sitonum.

## PARONA CÆSAR.

Addenda ad Art. MCCXL. Col. 1042.

V. In Libro inſcripto „ Pianto d'Apollo: Rime Funebri „ in morte d'Iſabella Andreini, Comica Geloſa ec. *In Milano, appreſſo Girolamo Bordone, e Pietro Martire Locarni*, 1605. *in* 12., *e* 1606. *in* 8. Extant Carmina, vulgo „ Rime di Ceſare Parona „

Ex Clariſs. P. Quadrio Societ. Jeſu Tom. II. pag. 679. „ Della Storia, e della Ragione d'ogni Poeſia „

## PATELLANUS CAMILLUS.

Addenda ad Art. MCCXLV. Col. 1045.

II. Rime: Ext. in Libro „ Gareggiamento Poetico raccolto da Carlo Fiamma.

## PELLIZARIUS NICOLAUS.

Addenda ad Art. MCCLVI. Col. 1053.

IV. Carmina varia Latina in Lauream Ludovici Meltii. *Ticini*, 1617. *in* 4.

V. Carmina III. Latina, & I. Italicum. Extant in Libro, cui titulus „ Muſarum Sertum pro Laurea Gregorio, & Joanni Baptiſtæ Sfondratis à Joſepho Lando intextum. „ *Papiæ*, 1618. *in* 4.

## PELOTUS ANTONIUS.

Addenda ad Art. MCCLVII. Col. 1054.

VI. Tetraſticon Antonii Peloti de Theodoro Plato, editum eſt ad calcem Æmilii Probi, de qua impreſſione videndus Clariſs. Saxius in Hiſtoria Typographica Mediolanenſi.

Ut melius Lector habeat, quod ſub numero V. dedimus titulo *Moſci Carmen* hujus Auctoris, profero diſtinctiùs contenta in MS. Ambroſiano, ut infra: Moſci Poetæ Carmen Græcum in Latino, & Italico ſermone converſum, ad Illuſtriſſimum Principem, & Excellentiſſimum D. D. Joannem Galeacium Mariam Sfortiam: Epiſtola contra deſpicientes Poëſim. Incipit: „ Delirant plurimi „ Joannes Galeaz Dux Sexte Inſubrium Illu„ ſtriſſime &c. „ Sequitur hoc Carmen:

*Quamquam Purpureus fatetur Index*
*Amorem Veneris genus malignum*
*Nil noxæ eſt tamen, aut mali: docetur*
*Credendum minus, & magis cavendum.*
*Frontem non igitur trabes libello*
*Joannes Galeaz Ducum venuſtas;*
*Illum ſed cupidis leges ocellis,*
*Ut cum veſtieris genas adultus*
*Moſci ſeria doctus elegantis*
*Evitare hominum ſcias venenum.*

Sequitur Moſci Carmen Græcum cum ejuſdem verſione Italica, cui ſubjiciuntur ii verſus Peloti noſtri.

Saphicum Carmen:

*Aditum, ademptum nihil eſt libello,*
*Nilque mutatum decus, o Latini*
*Sanguinis Princeps: potes hoc videre*
*Si utraque noſcas.*

*Dixeris forſan magis hac Pelote*
*Nos juvant Græco modulata cantu*
*Hoc idem claro fateor palato;*
*Non ego Moſcus.*

*Eſt tamen quædam ratio ferenda*
*Cur cœli Graja meliora conſtant.*
*Dulcius lympha gelidæ ſub ipſo*
*Fonte bibuntur.*

Poſt hæc habetur verſio Italica Moſci Carminis, cujus ſpecimen juvat hîc ex parte Lectoribus noſtris exhibere, ut melius agnoſcant Peloti noſtri fraſim Poëticam pro more Seculi minimè ſpernendam.

*Vener intenta el ſuo figliuol chiamando,*
*Se per le Strate alcun veduto Amore*
*Haveſſe, il vago fuggitivo errando.*

*Mio figlio e chi mi moſtra, el ſuo errore*
*Un baſio harà da me: ſe per ventura*
*Mel prendi amico, il premio fia maggiore ec.*

Sunt, ut vulgò dicuntur, Terzetti numero XV. in Codice Ambroſiano ſignat. T. num. 20. in 4.

In MS. Codice Bibliothecæ Ambroſianæ ſignat. H. num 21. adeſt Epiſtola Latina Marſilii Ficini Antonio Peloto Poëtæ. Incipit: „ Quod ad Matri„ monium jam diu animum applicueris mi Pelo„ te, non ſummopere probare non poſſum &c. data eſt anno MCCCCLXXVI. Quæ Epiſtola Italicè redita legitur inter Epiſtolas Marſilii Ficini. *Venezia, preſſo il Giolito*, 1546. Tom. I. pag. 275.

## De PEREGO PETRUS.

Addenda, & Corrigenda ad Art. MCCLXI. Col. 1057.

II. L'Aſilo de' Peccatori: Maria Regina del Cielo, o ſiano XV. diſcorſi. *Bologna, preſſo il Monti*, 1687. *in* 4.

Linea 9. Anno MDCXLV. Corrige *MDCLV.*

## PETRASANCTA CAROLUS.

Addenda ad Art. MCCLXXII. Col. 1065.

IX: Orazione per la Beata Catterina da Bologna. Extat in Libro, cui titulus „ Penne Rettoriche de' PP. „ Somaſchi pag. 119.

X. Orazione per il Beato Bernardo Tolomei. Ibidem pag. 247. *& Mediolani, penès Marcum Antonium Pandulphum Malateſtam, in fol.*

XI. Pa-

Digitized by Google

XI. Panegirici Sacri parte II. *Pavia, per Giacomo Andrea Ghidini*, 1687. *in* 12. Liber impreſſus fuit poſt Auctoris obitum.

XII. Carmina II. Italica Extant in Libro, cui titulus: „ Trivia Panegyrico plauſu excepta in gentilitio „ Stemmate Hieronymi Lunati. „ *Papiæ*, 1645. *in* 4.

## PETRASANCTA PAULUS.

### Addenda ad Art. MCCLXXVII. Col. 1068.

IV. Magnifici J.C. atque Oratoris præſtantiſſimi Pauli Petraſanctæ Equitis, & Senatoris Oratio in fœliciſſimum Maximiliani Mediolanenſium Ducis inclyti in Urbem reditum publicè habita. Sine loco, anno, & Typographo, in 4. Extat in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii hujus Urbis.

## PICINELLUS CHRISTOPHORUS.

### Addenda ad Art. MCCLXXXIV. Col. 1073.

PRæclariſſimi hujus Scriptoris breviſſimè loco ſuo meminimus; nos enim Philippus Picinellus in errorem induxit, cùm ibi Wadingus citetur, quem ipſe certè vel non inſpexit, vel oſcitanter vidit. Quandoquidem igitur Opera quædam ipſius hìc Lectoribus exhibenda ſunt, quæ illic nos effugerant, grave illi non ſit multa ex Actis quoque omiſſa percipere. Doctrina illius mirabilis erat Sacrorum Codicum peritie; præſtantior autem Juris utriuſque prudentiâ, adeo ut Pinjevius tunc Cracovienſis Adminiſtrator dictitare ſoleret: ſi omnia Juris Volumina perirent, meliora poſſe per Variſium (ſic enim à patria dicebatur) componi; Auditoreſque omnes plurimùm mirarentur, dum Viennæ, Uratislaviæ, & Cracoviæ verbum Dei exponens Chriſtophorus, utriuſque Legis Textus ad ſingula appoſitè, & copiosè citaret, Sacriſque Bibliis adaptaret. Pro Provincia Poloniæ plurimum laboris impendit, & jubente ſui Ordinis Vicario Generali anno MCCCCXC. pro ipſius recto regimine Conſtitutiones inferiùs recenſendas ſcripſit, quamvis jam ægritudine languidus. Prudentiam in iis maximam oſtendit, nam locorum diſtantiâ, regioniſque amplitudine perpenſâ, ne inutiliter ſui Inſtituti Sodales diſcurrere cogerentur, univerſam provinciam in tres partes diremit à tribus Commiſſariis, Guardianis ſcilicet Cracovienſi, Poſnavienſi, atque Wilnenſi, Miniſtro tamen per omnia ſubjectis, regendas. Mox Suorum Cœnobia in eis regionibus omnia luſtravit, tum prope Varſaviam equo decidit, dorſique ſpinâ graviter offenſâ gibboſus exinde incedere coactus fuit. Viſitationis quoque munus impendit Provinciis Auſtriæ, & Bohemiæ, ubique doctrinæ, & pietatis perpetua relinquens exempla. In Mediolanenſi etiam Provincia Vicarii munus jam geſſerat, nam anno MCCCCLXXVI. die VII. Julii interfuit Conſecrationi Eccleſiæ Sui Ordinis in Patria, dum id officii gereret. Tandem meritis cumulatus, & Hieronymi Katousby teſtimonio lumen & columen Minorum, eminentiſſimus Theologus, & Canoniſta doctiſſimus, qui ſimilem ſibi illo ſæculo non videbatur habere, exiſtimatus, deceſſit Mediolani anno Salutis MCCCCXCI. in Cœnobio Sancti Angeli, ubi, ut diximus, corpus illius conquieſcit.

Jam indicatis Operibus addimus:

V. Conſtitutiones pro Provincia Poloniæ, de quibus VVadingus in Tomo XII. Annalium Minor. pag. 498.

VI. Epiſtolam prolixam Latinam, pietatis, & ſacræ eruditionis plenam, cùm ad Sancta Hieroſolymæ loca profecturus eſſet, ad Patres Provinciæ Boſnæ. Data in Loco Sanctæ Radegundis, die XXII. Januarii MCCCCLXVIII. Extat apud VVading. Tom. XIII.



In ea Epiſtola, ait ſe à Beato Patre Fratre Joanne de Capiſtrano juvenili adhuc ætate Provinciis Boſnæ, & Dalmatiæ Præfectum fuiſſe, & propter dilectionem erga eos conceptam ſtatuiſſe cum eis vivere, & mori, adeo ut nativam Provinciam velut exilium reputaret, & ſe non amplius Italicum, ſed Alemanicum exiſtimaret. Nunc tamen libenter acquieſcere mandatis Vicarii generalis, & ideo ab eis recedere, propoſuiſſe Sacra Palæſtinæ loca inviſere, & optare ibi vitam in pace finire. Se cum eis juventutem, & corporis valetudinem in laboribus pro Religione toleratis inſumpſiſſe &c.

## PICINELLUS PHILIPPUS.

### Addenda ad Art. MCCLXXXVI. Col. 1075.

XXV. Panegirico recitato in lode di S. Antonio di Padoa nella Chieſa di S. Franceſco di Piſtoja, li XV. Febbrajo MDCXLVIII. *Piſtoja*, *in* 4.

XXVI. Panegirico in lode di S. Franceſca Romana, recitato nel Tempio di Monte Oliveto. *Piſtoja*, 1647. *in* 4.

Ex Clariſs. Abb. Fuſio in Append. MS. ad Picinellum.

An ſint, nec ne, in Collectione Panegyrum aliarum, quam dedimus ſub numeris VII. VIII., & XI., ignoramus, nam præ manibus noſtris non adſunt.

## PIOLA DESIDERIUS.

### Corrigenda ad Art. MCCXCII. Col. 1085.

In Inſcriptione lin. 4. AMICI, corrige *ANRICI*.

## PIONUS ALOYSIUS.

### Addenda, & Corr. ad Art. MCCXCIV. Col. 1086.

OBiit verò anno MDCLXXXIX.

Linea 6. à Secretis, corrige *Cancellarius*.

## PIROVANUS OBERTUS.

### Addenda ad Art. MCCXCIX. Col. 1089.

IX. Sententia Oberti Mediolanenſis Archiepiſcopi in controverſia de electione Parochi Eccleſiæ Sanctæ Mariæ ad Circulum, agitata inter Abbatiſſam Monaſterii Majoris, & Parochianos ipſius Eccleſiæ Anno MCXLVIII. Ex Collectaneis MSS. Puricellianis in Ambroſiana, uti refert Ludovicus Antonius Muratorius in Differt. LXVI. Antiquit. Medii Ævi Tom. V. Coll. 564. 565. & 566.

X. Diploma ampliſſimum, datum Martino Abbati Monaſterii Santambroſiani, quo confirmat omnia Privilegia, & gratias à Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, & Archiepiſcopis eidem Monaſterio indulta, & conceſſa. Dat. anno Dominicæ Incarnationis MCXLVIII. IV. Nonas Aprilis Indictione undecima, apud Bartholomæum Areſium in calce Abbatum Ambroſiani Monaſterii pag. 66. impreſſ. an. 1674. in 4. *penès Ambroſium Ramellatum*.

## PIROVANUS PHILIPPUS.

### Addenda ad Art. MCCC. Col. 1090.

V. Aliæ ejuſdem Deciſiones impreſſæ leguntur in Tomis II. & III. Deciſionum Proſperi Farinacii. *Coloniæ Allobrogum*, 1651.

Eum Theodorus Rubeus Singular. Tom. I. pag. 462. vocat „ Virum doctrina, & morum integritate „ nemini ſecundum „.

## PIUS IV.

Addenda ad Art. MCCCII. Col. 1091.

DUm Typis trado, quæ addenda, & corrigenda ſunt ſub hac litera P. opportunè præ manibus mihi venit folium Diarii Literarii num. 24. Florentiæ impreſſi, die 12. Junii 1744. ubi ſic lego: „ E' venuto in luce il Tomo quintodecimo de' „ Sigilli antichi de' Secoli baſſi, illuſtrati con Oſ- „ ſervazioni Iſtoriche del *Sig. Domenico Maria* „ *Manni*, il quale contiene le ſpiegazioni di dodici „ Sigilli ec. Il primo Sigillo ſi crede con ragione „ eſſere ſtato di Pio IV. Papa, il quale fu figliuolo „ di un tal *Gio: Battiſta*, che per eſſer nato d'un „ Ceruſico Milaneſe, lo chiamavano *Gio: Battiſta* „ *del Medico*; onde poi queſto Papa fu detto de' „ *Medici*, ed inalberò in Roma l'Arme de' Medici „ di Firenze, diſſimulando ciò queſti ec. „ Cùm verò totum id repugnet Hiſtoriæ, & Genealogiæ, quas præ oculis habui in texendo hujus Pontificis Articulo, perneceſſarium mihi viſum eſt, quæ ſequuntur Lectori meo exhibere, ut Sole clariùs agnoſcat, quantum à recto veritatis tramite diſtent verba ſuperiùs relata.

Primo loco perperam dicitur, nomen parentis Pii IV. fuiſſe *Joannis Baptiſtæ*, nam, uti patet ex Tabulis autenticis penès Cl. Sitonum noſtrum, *Bernardinus* appellatus fuit; ad id quoque aſſenſere Scriptores omnes infra citandi; *Jacobus* verò junior de Medicis, qui pater extitit Bernardini, Artem minimè Medicam exercuiſſe conſtat ab his, quæ nunc dicturi ſumus.

Porrò à Serie genealogica Familiæ Medicææ Mediolanenſis, ab eodem Sitono mihi de more perhumaniter communicata, citra ullam dubitationem evincitur floruiſſe anno Salutis MCCCXL. in hac Urbe *Paulum* dictum *Perolum* de Medicis, & uti Vir Nobilis, & Mediolani Decurio vocatur in publicis Tabulis, ſicuti reliqui omnes ab illo deſcendentes per rectam lineam uſque ad dictum Bernardinum inter Nobiles adſcribuntur, nec ullus eorundem Medicus, ullus Chirurgus nuncupatus eſt. Immo, præter Paulum jam memoratum, alter ejuſdem nominis, ac illius nepos, dignitate Decurionali inſignitus reperitur anno MCCCLXXXVIII.

Sed multò antiquiùs Familia hæc Medicæa florebat inter nobiles Mediolanenſes, nam in Bernardini Corii Hiſtoria legitur, quòd dum anno Chriſti MCLXXVII. Henricus Friderici I. Imperatoris filius veniam apud Auguſtum patrem imploraverat Mediolanenſibus, reperiebantur pro patria ad eundem Cæſarem Nuncii Guidus de Landriano, Ardericus de Bonate, & *Lotharius de Medicis*.

Addere hìc juvat, Bernardinum Pii IV. Pontificis patrem ortum fuiſſe ex jam dicto Jacobo de Medicis, & Concordia de Nuxigia, de cujus Familia Decurionali Mediolanenſi in Articulo MMCCI. meæ Bibliothecæ in Guteto videlicet de Mixigia latè diſſerui, eundemque habuiſſe Cœciliam, ex illuſtri, nobilique gente Sorbellona, adhuc inter primarias hujus Metropolis, è quibus prodierunt, præter Pium IV. Pontif., Joannes Jacobus Dux celeberrimus, Marchio primùm Muſſii, dein Melegnani, qui nupſit illuſtri fœminæ Martiæ Urſinæ ex Comitibus Pitiliani, necnon Margharita Giberti Borromæi Aronæ Comitis anno MDXXXVI. uxor, & Divi Caroli Mater. Quis non videt, tam illuſtria connubia ante Pontificatum obtentum minimè inita fuiſſe, ſi genitor ab Arte Medica, & Chirurgica Medicæum cognomen tantùm aſſumpſiſſe diceretur? Nec Lector gravari poſſe mihi videtur, ſi pro coronide hujus Articuli ad nobilitatem Medicæorum Mediolanenſium pertinentis, hìc proferam partem Orationis celeberrimi Pomponii Cottæ J. C. C. patriæ nomine, in publico Purpuratorum Patrum Conciſtorio habitæ pro gratiarum actione ob electionem Pii IV. in Pontificem: „ Nam quòd Medicæa familia in Urbe noſtra (Mediolani) antiquiſ- „ ſima, & nobiliſſima ſit, vel ex eo conſpicuè ab „ omnibus cognoſci poteſt, quòd Juriſconſultus in „ Collegium noſtrum communi omnium ore fuerit „ adſcitus; eſt enim in jure noſtro municipali ſcri- „ pta lex, quâ præter cætera diſertè cavetur, ne „ quis in Ordinem noſtrum recipiatur, niſi qui ſtir- „ pe, & antiqua, & pernobili fuerit prognatus „ &c. „

Gratis etiam aſſeritur in eodem folio, quòd Inſignia Medicæorum Florentinorum aſſumta fuerant à Pio IV. poſt ejuſdem in Pontificem Max. electionem, nam Pilam unam tantùm fuiſſe antiquitus in ſtemmate Familiæ Medicææ Mediolanenſis, procul dubio evincitur ex publicis marmoreis Monumentis, & ex Sigillo tam ipſius Pontificis, qui antea *Jo. Angelus* dicebatur, quàm ejus fratris *Jo. Jacobi* Muſſii Marchionis, cujus Literæ patentes datæ ex dicto Oppido Muſſii ad Prætorem Bellani, & Varenæ die XIV. Auguſti MDXXIX. autographæ extant penès Sitonum noſtrum, appoſito ſtemmate in cera viridi, ſcutum exhibente bifariâ diviſum, cujus pars inferior unicam *pilam* continet, ſuperior verò *Aquilam* alis expanſis; nec equidem fuerunt ſemper ſex pilæ in Inſigniis Medicæorum Florentinorum, nam in ſerie Genealogica à Scriptoribus ſuis exhibita, incipiente ab *Averardo*, *Lippo nuncupato*, *Philoſopho*, & *Medico*, qui claruit anno tantùm Salutis MCCXXXVIII. alter ex eadem Gente viſitur ſub anno MCCCXIV. in cujus ſtemmate ſunt *Pilæ novem*.

Quidnam dicendum eſt de fabuloſa hac narratiuncula de tanto Pontifice, & ejus Genealogia in ſupradicto folio Florentino expreſſa? niſi quòd forſan in errorem traduxerit Sigillorum antiquorum Scriptorem, ſi tamen ſunt verba ipſius, *Fortunatus Sprecherus* in ejus Opere, cui titulus: „ Hiſtoria Palladis Rheticæ Armatæ, & Toga- „ tæ „ *Baſileæ*, 1617. *in* 4. ubi pag. 121. ſic legitur „ Expliciti è bello Svevico, qua brevitate „ fieri poteſt, alterum quoque cum Jo. Jacobo Me- „ dicæo, Arcis Muſſii Præfecto, enarrabimus. Iſte „ Bernardini Civis Mediolanenſis, & Medicinam, „ & Chirurgiam exercentis, filius fuit, & inde „ Medichinus dictus, quanquam moderni aliqui „ Scriptores ejus familiam à Medicæorum Florenti- „ norum domo, quorum aliqui factionibus pulſi „ Mediolanum devenerint, deducant &c. „ Certè nec Sprecherus, nec Auctor Sigillorum hæc inconſideratè ſcripſiſſent, ſi præ oculis Auctores, quos ego ſuo loco protuli, & ſequentes, denuò ſubter adnectendos, vidiſſent, & hoc ſatis ſuperque.

Videantur ergo Raphaël Fanianus in Commentariis Familiar. nobil. Mediol. Marcus Antonius Miſſalia in Vita Jo. Jacobi Medicæi, Petrus Angelus Lavizarius in Hiſt. Vallis-Tellinæ lib. II. pag. 79. Franciſcus Zazzera in Libro inſcripto „ Della No- „ biltà dell' Italia „ *Napoli*, 1615. *in fol.* pag. 197. & ſeqq. Erycius Puteanus in Hiſt. Ciſalpina pag. 10. ubi Series genealogica Jo. Jacobi per extenſum exhibetur &c.

## PLATUS HIERONYMUS.

Addenda ad Art. MCCCXI. Col. 1105.

III. Vocatio Beati Aloyſii Gonzagæ ad Societatem Jeſu ſcripta anno primo Tyrocinii ejus per Hieronymum Platum Soc. Jeſu, tunc Confeſſarium ejuſdem MS. Opus eſt in V. Capita diviſum, atque extat in Tom. IV. Junii, Continuat. Bolland. pag. 896.

PLA-

Digitized by Google

## PLATUS PLATINUS.

### Addenda ad Art. MCCCXIV. Col. 1107.

XXII. Opuſculum metricum de utriuſque Juris Epitome. Hujus meminit Platus ipſe ſcribens ad Bernardinum Criſpum, ei gratias agens, quòd laborem hunc ſuum collaudaverit plurimùm. Illud nunquam in lucem editum fuit, quod ſciamus, quemadmodum & ſequenti numero indicandum.

XXIII. Commentariolus Catonis. De hoc etiam Platus idem ſcribit in Epiſtola LXXXIX. ad Joannem Placentinum, cujus unicâ Epiſtolâ illud immortalitate donatum fuiſſe affirmat.

## POGIANUS JULIUS.

### Addenda ad Art. MCCCXVI. Col. 1110.

VII. Funebris Concio de Franciſco Lotharingio Guiſiæ Duce, in Sacris Pontificiis habita à Julio Pogiano IV. Kal. Aprilis MDLXIII. Incipit „ Quod „ veteri memoria ſemper in tanta difficultate „ verſatum eſt munus laudandi eos &c. „ MS. pagg. 10. in Cod. Biblioth. Ambroſianæ ſignat. R. num. 101. in fol.

Epiſtola Latina Julii Jacobonii ad Pogianum noſtrum data XVIII. Kal. Novemb. MDLXVII. in qua mentio occurrit ſummæ benevolentiæ Cæſaris Glorierii in Pogianum. MS. apud amiciſſimum Canonicum Iricum.

## PUSTERLA BARTHOLOMÆUS.

### Addenda ad Art. MCCCLV. Col. 1147.

V. Phyſica particularis, & Metaphyſica examinata. MS in 4. extat in Biblioth. PP. Societ. Jeſu Domus Profeſſæ S. Fidelis Mediol.

## PUSTERLA FABRICIUS.

### Addenda ad Art. MCCCLVIII. Col. 1148.

III. Conſultatio de nimio abuſu Aſylorum Eccleſiaſticorum. MS. in fol. Extitiſſe olim penès ampliſſimum Senatorem de Colla, de quo in Exteris ſermo erit, nos monuit Amicus eruditiſſimus.

Nummiſma illius habetur in Bibliothecæ Ambroſianæ Muſæo. Icon hæc verba præfert: *Co Fabricius Aloyſius Puſterla*. Averſâ in facie cernitur Virtus inter Famam, & Tempus ſtans; Lemma: *Semper honos nomenque tuum*.

## PUSTERLA PETRUS.

### Addenda ad Art. MCCCLXI. Col. 1151.

JOannis, & Catharinæ item Puſterlæ conjugum filius, Ducaliſque Feudatarius Oppidi Fregarolii &c. cùm anno MCCCCXLVIII. die XVIII. Octobris eſſet Commiſſarius, & Præſes ( unà cum Araſmino Trivultio, & Comite Vitàliano Borromæo ) in fœliciſſimo Mediolanenſium Exercitu adversùs Civitatem Laudæ, ſcripſit, & condidit

III. Capitula XXIX. Pacis, Fœderis, & adhærentiæ inter Spectabiles Mandatarios DD. Capitaneorum, & Defenſorum Libertatis Illuſtris & Excelſæ Communitatis Mediolani, & Spectabiles Cives Deputatos pro Communitate Civitatis Laudæ. Extant MSS. in fol. penès Cl. Advocatum Sitonum.

Eidem dicavit Petrus Melleus librum Svetonii de Viris Illuſtribus Mediolani editum Epiſtolâ ſic inſcriptâ „ Petrus Melleus magnifico, & præclariſ„ ſimo Viro Petro Poſterulæ Ducis Inſubrium Se„ natori digniſſimo S. P. D „ Vide Cl. Saxium in Hiſtor. Typogr. Col. DXLVII. atque Notulam ipſius ad calcem Columnæ ſubſequentis, in qua contendit, Epiſtolam ſupradictam eſſe eandem cum altera à Gaſpare Lampugnano ſcriptam Bonino Mombritio.

## PUTEOBONELLUS FRANCISCUS.

### Addenda ad Art. MCCCLXIII. Col. 1152.

PRæfati Franciſci Puteobonelli J. C. C. Senatoris ex filio pronepos nunc floret JOSEPH PUTEOBONELLUS J. C. Collegiatus, olim Canonicus Ordinarius, & Archipresbyter in Eccleſia Metropolitana Mediolani, qui ex Vicario Generali Capitulari, Sede vacante per obitum Eminentiſſimi S R E. Card. Mediol. Archiep. Stampæ, nuper menſe Junio MDCCXLIII. electus eſt Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & inter Patres Purpuratos à SS. D. N. BENEDICTO XIV. Pontif. Max. adnumeratus, nempe filius olim Marchionis Franciſci junioris J. C. C., ac Regii Quæſtoris, & Camillæ Dardanonæ conjugum.

Franciſci Operibus hæc addimus:

VII. Carmen Latinum: extat in Libro, cui titulus „ Lo „ Armidoro Poema di Giovanni Soranzo al Con„ te Franceſco d'Adda. „ *Milano*, 1611. *in* 4.

Eidem pariter Franciſco Puteobonello nuncupatus fuit à Melchiore Malateſta ſequens Liber, cui titulus: „ Della Ribellione de' Boemi contro „ Mattia, e Ferdinando Imperatori Iſtoria di Lo„ dovico Aurelj Perugino, al Molto Illuſtre Si„ gnore, il Signor Franceſco Pozzobonello J. C. „ Collegiato, e Vicario di Proviſione della Città, „ e Ducato di Milano. „ *Ivi, preſſo il Malateſta*, 1616. *in* 12.

# Q

## QUADRIUS ANGELUS MARIA.

### Addenda ad Art. MCCCLXXVI. Col. 1161.

IX. Carmina II. Italica, vulgò *Sonetti*. Extant in Libro, cui titulus: „ Canti Genetliaci nella naſcita del „ Real Principe di Piemonte Vittorio Amedeo Giu„ ſeppe Filippo di Savoja. „ *Milano, preſſo il Malateſta*, 1699. *in* 4. pagg. 79., & 80.



Digitized by Google

# R

### RADAELLUS ANDREAS.

A Addenda ad Art. MCCCLXXXV. Col. 1168.

X. Panegirico per la naſcita del Sereniſſimo Carlo Prencipe delle Spagne. *Milano*, *preſſo il Menza*, 1662. *in* 4.

### RANCATUS CAROLUS.

Addenda ad Art. MCCCXCII. Col. 1174.

VI. Carmen Italicum, vulgò *Canzone*. Ext. in libro „ Li „ Doni di Parnaſo di Ferdinando Solari nella „ laurea del Sig. D. Franceſco Bigarola „ pag. 38.

B VII. Carmina Italica, atque Latina. Extant in Libro, cui titulus: „ Trivia Panegyrica plauſu excepta „ in gentilitio ſtemmate Hieronymi Lunati. „ *Papiæ*, 1645. *in* 4.

### RAYNERIUS ANTONIUS FRANCISCUS.

Addenda ad Art. MCCCCIV. Col. 1187.

XIX. Inter Carmina Italica, vulgò *Sonetti*, quibus reſpondit Annibal Carus, extat unum Antonii Franciſci Raynerii pag. 24. editionis *Venetæ*, *Aldi Manutii*, 1572. *in* 8.

XX. Canzone di Meſſer Antonio Raineri nella morte della Gran Ducheſſa di Toſcana. *In Firenze*, 1578. *in* 4.

### RAYNOLDUS JOANNES BAPTISTA.

Addenda ad Art. MCCCCVIII. Col. 1191.

III. Epiſtola Italica ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem de Peſte, qua Mediolanum affligebatur anno MDLXXVI. cum omnibus, quæ ad avertendam vel ſedandam luem ipſam decreta ſunt, ſcripta verò eſt anno ſubſequenti, ſcilicet MDLXXVII. MS. in fol. pagg. 44., extat in Codice Biblioth. Ambroſianæ ſign. Q. num. 117.

### RAYNOLDUS PHILIPPUS.

Addenda ad Art. MCCCCXI. Col. 1195.

PHilippi Raynoldi ſuo jam loco patrem memoravimus, matris hìc etiam nomen ſubjiciemus, quæ fuit Innocentia Taberna. Addimus quoque Inſcriptiones geminas adhuc in Templo Sanctæ Mariæ Aræcœli in Urbe extantes, quarum primam Auctor noſter Ludovico Fratri ſuo poſuit; in ſecunda verò mentio eſt alterius Fratris, cujus nomen in ejuſdem Philippi Articulo jam indicavimus.

LVDOVICO RAYNOLDO
NOBILI MEDIOLANENSI
PHILIPPVS FRATER
DVM SENATORIS MVNERE FVNGITVR
M. P. M. D. LXI. MENSE OCTOBRIS.

Altera autem:

HIERONYMVS RAYNOLDVS NOBILIS MEDIOLANENSIS
IN ECCLESIA B. MARIAE A SCALA MEDIOLANENSI CANONICVS
DVM ROMAE VISENDAE ET SACRARVM LITERARVM STVDIO PEREGRINATVR
MORTE INTERCEPTVS
HIC IVXTA FRATRIS CINERES QVIESCIT.
OBIIT ANNO M. D. LXVII. DIE XXII. MAII.

C II. Diſſertatio Epiſtolaris ad Bartholomæum Taegium de amore erga liberos. MS. in fol. pagg. 78. Ext. apud me.

Binas Inſcriptiones debemus Cl. P. Abbati Fuſio, nomenque matris Philippi noſtri Cl. Sitono ex ejuſdem Theat. Genealog. MS. apud Auctorem.

### REGNA THOMAS.

Addenda ad Art. MCCCCXXI. Col. 1201.

IV. Oratio de honeſta Scholaſticorum veſtiendi ratione habita anno MDCVI. Incipit „ Quodnam eſſet „ præcipuum Urbis noſtræ ornamentum audituri „ conveneratis &c. „ MS. pagg. VI. in fol., extat in Tomo XXXVIII. Miſcell. Bibliothecæ Braydenſ.

### RESTA ANTONIUS.

Corrigenda ad Art. MCCCCXXIV. Col. 1204.

In Operum num. I. Leonardi, corrige *Leonelli*.

### RHAUDENSIS ALEXANDER.

Addenda ad Art. MCCCCXXXII. Col. 1211.

XVII. De abuſu Aſylorum Eccleſiaſticorum. *Lucernæ*, *ſine Impreſſoris nomine*, *in fol.*, ſed veriùs creditur *Mediolani*, pagg. 87.

In Templo Sancti Fridiani Piſis Alexander noſter, cùm ab ea Academia diſcederet, marmoreum ſtatuit monumentum, quo in eam Urbem ſummum teſtaretur affectum. Illud eſt hujuſcemodi ſiglis conceptum:

ALE-

ALEXANDER RHAVDENSIS MEDIOLANENSIS
COMES BVRGETI E PRIMO LOCO LL. INTERPRES
IN PATRIAM REVERSVRVS AD HONESTVM OTIVM
VT HINC ETIAM INNOTESCAT
EIVS VERISSIMI AMORIS VESTIGIVM
C. F. ANNO MDC.

## RHAUDENSIS ANTONIUS. A

Addenda, & Corrig. ad Artic. MCCCCXXXIII. Col. 1213.

Impreſſo jam hujus Scriptoris Articulo advertimus Amanuenſium incuriâ accidiſſe, ut in Editione erratorum Lactantii Firmiani à Rhaudenſi collectorum, pro anno MCCCCLXVIII. reponeretur annus MCCCCLXXVIII. Id ergo Lectorem candidum monentes; addimus interim eam prodiiſſe *Romæ in domo Petri de Maximis*. Anno verò MCCCCLXXII. iterum Opus ipſum in lucem prodiit *Venetiis per Vindelinum de Spira in fol.*

Advertendum etiam, clariſſimum Virum Joannem Mabillonium in libro ſuo, cui titulus: Iter Italicum
B Tomo I. pag. 597. inter Codices Manuſcriptos Monaſterii S. Salvatotis Bononiæ recenſere Volumen, quod continet P. Candidi Decembrii Epiſtolarum Libros octo ineditos, quibus præfixa eſt Auctoris Epiſtola ad Bartholomæum (is eſt Bartholomæus Capra ſuo loco à nobis laudatus) Mediolanenſem Antiſtitem, cujus hortatu Epiſtolas ſuas in unum corpus collegit. „ Ultimus liber eſt (ait Mabillo-„ nius) totus ad Fratrem Antonium Rhaudenſem, „ aliàs Panormitanum, Ordinis Minorum, quem „ petulanter irridet ob Philippicam ab eo nuper „ editam. Ad Candidi invectivas reſpondet Jacobus „ Modoëtienſis „. Verùm tanti Viri pace dictum ſit, adeo diverſi ſunt Antonius Rhaudenſis, & Panormita, ut planè miremur eruditiſſimum Mabillonium ambos pro uno eodemque ſumpſiſſe. Philippicam, de qua hic agitur, eandem exiſtimamus cum Apologia, de qua num. XI. verba jam fe-
C cimus.

Inſuper Albertus Sarthianenſis aliam, præter memoratam, ad Antonium noſtrum dedit Epiſtolam ſcriptam Papiæ die XXII. menſis Novembris, anno MCCCCXLVI. cujus Argumentum eſt: „ Epiſto-„ lam debitam, promiſſamque repoſcit, & biennale „ ſilentium amicâ objurgatione caſtigat „. Edita eſt alia inter Opera præfati Sarthianenſis, quæ prodierunt Romæ pagg. 393., & 427.

Jam enunciatis illius laudatoribus addantur Flavius Blondus, Guinifortus Barzizius in ſupplici libello ad Philippum Mariam Mediolani Ducem, in parte II. ejus Orationum, & Epiſtolarum, atque Olearius, qui ait, plura hujus Auctoris ſcripta periiſſe.

In Codice Biblioth. Ambroſ. MS. Epiſtolarum Petri Candidi Decembrii in fol. ſign. I. n. 235. legitur una ejuſdem Decembrii ſine data, cum qua Antonio noſtro mittit Vitam Homeri, & hæc de Rhaudenſi ſcribit „ Sacris literis Latinas Muſas
D „ ſemper addidiſti, & Græcas non inepte tuis ſtudiis „ adjicis „. Laudat Opus ejuſdem Rhaudenſis in Lactantium Firmianum.

Annotationes verò Laurentii Vallæ in Antonii Rhaudenſis errores ſpectant ad librum iſtius de imitatione Eloquentiæ, non ad Errata Lactantii Firmiani, quod advertendum duximus pro errore Typographi noſtri, qui Articulum incipiens „ Laurentius Valla &c. „ poſuit poſt num. I. & collocare ipſum debuerat poſt num. II.

## RHAUDENSIS JOHANNES.

Addenda ad Artic. MCCCCXXXIX. Col. 1219.

OBiit Romæ X. Novembris MDCLXII.

XXIX. Delle Lodi della Sereniſſima Maria Farneſe Eſtenſe Ducheſſa di Modena. Orazione del Padre Giovanni Rhò della Compagnia di Gesù. *In Modena, per Giuliano Caſſiani*, 1646. *in* 4. Ex Cinelli Biblioth. Vol. Pluteo 8. pag. 46.

XXX. Panegirici ſopra gl' Apoſtoli. Vol. II. MSS. in 4. Ext. in Bibliotheca PP. Soc. Jeſu S. Fidelis Mediol.

XXXI. Panegirici de' SS. e Feſte fra l'anno. MS. in 4. ibid.

XXXII. Tractatus de Charitate. MS. in 4. ibid.

XXXIII. Apologia Soc. Jeſu contra Paſqualigum. MS. in 4. ibid.

## RHAUDENSIS JOANNES ANDREAS.

Addenda ad Artic. MCCCCXL. Col. 1220.

III. Conſultationes plurimæ ſatis commendatæ tam editæ quàm MSS., inter quas illa de Recognitione libellaria inter Dominum directi, & Emphiteotam, ejuſque effectibus. impreſs. in folio an. 1665. ſinè Typographi nomine, quæ extat penes Advocatum Sitonum noſtrum.

## RIPA BONVICINUS.

Addenda ad Artic. MCCCCXLIX. Col. 1226.

V. Carmen Italicum quaternis verſibus vulgari dialecto ſatis prolixum, cujus argumentum eſt „ Cinquan-„ ta bone creanze da uſarſi a Tavola „. Extat MS. in Codice Biblioth. Ambroſianæ, ſignato N. num. 95. in 4.

IV. Hiſtoria Ordinis Humiliatorum, quam fruſtra quæſivit Clar. Saxius, ut ipſemet aſſerit in Hiſt. Typografica ad annum MCCCCLXXXIII. Col. CCLXI.

## RIPAMONTIUS JOSEPH.

Addenda ad Artic. MCCCCLIV. Col. 1230.

IX. Bernabovis Barbovii Elogium, Auctore Joſepho Ripamontio &c. *Mediolani, apud Impreſſores Archiepiſcopales*, 1633. *in* 4.

## ROBALDUS ſive ROBOALDUS.

Addenda ad Artic. MCCCCLIX. Col. 1236.

XI. Breve, ſeu Recordatio ſententiæ &c. datæ ad ſedandas contentiones inter Epiſcopos Derthonenſem, & Laudenſem pro quibuſdam Cœnobiis; legitur apud eundem Ughell. in Epiſcopis Laudenſibus.

## ROVELLUS CAROLUS FRANCISCUS.

### Addenda ad Art. MCCCCLXVIII. Col. 1244.

**III.** Carolo VI. Cæſari Auguſtiſſimo, atque Catholico Regi Tributum Literarium Caroli Franciſci Rovelli Clerici Regul. Somaſchi, Publici in Ticinenſi Univerſitate Profeſſoris, atque Sancti Officii pro Fide Catholica Conſultoris. *Mediolani*, 1717., *à Prelo Dominici Bellagattæ*, *in* 4.

Ex hujus Libri editione agnovimus, Auctorem produxiſſe vitam ultra ſupradictum annum.

## ROZZONUS BARTHOLOMÆUS.

### Corrigenda ad Artic. MCCCCLXXI. Col. 1251.

In Operum num. I. ad Maximilianum, Corrige *ad Franciſcum II.*

## RUGERIUS FRANCISCUS.

### Addenda ad Art. MCCCCLXXXI. Col. 1261.

**XII.** Defenſio Joannis Georgii Triſſini, & de ejuſdem Stemmatis nobilitate, habita in Academia Generoſorum, anno MDCXX. *Verona*, *in* 4.

**XIII.** Carmen Latinum in laudem Laurentii Friſoni; extat in libro ejuſdem, cui titulus „ Trattato del „ Canto Fermo ec. „ de quo diximus ſuo loco.

## RUSCA ANTONIUS.

### Addenda ad Art. MCCCCLXXXV. Col. 1263.

**III.** Oratio habita in Synodo Mediolanenſi anno MDCIX. *Ibi*, *ſine Impreſſoris nomine*, *in* 4.

**IV.** Concluſiones in Sacram Theologiam circa varias Doctorum opiniones, ad Reverendiſſimos Patres Provinciæ Mediolanenſis Epiſcopos in VII. Synodo Congregatos. *Mediolani*, *apud Impreſſores Archiepiſcopales*, 1609. *Vol. I. in* 4. juſtæ molis.

# S

## SACCUS JOANNES BAPTISTA.

### Addenda ad Art. MCCCCXCIII. Col. 1269.

**X.** Coram Excelſo Rerum Italicarum in Regia Catholica Concilio Joannis Baptiſtæ Sacci Actio pro Genero. Extat in Libro num I. jam relato pag. 106.

**XI.** Deſcriptio Sclopoli rotati ad explodendum inſtructi. Extat ibidem pag. 111.

## SADARINUS FRANCISCUS.

### Addenda ad Art. MCCCCXCIV. Col. 1272.

**VIII.** Præſidi Bartholomæo Areſio Theatrum instruxit Franciſcus Sadarinus Mediolanenſis Senatus à Secretis. *Mediolani*, *apud Montiam*, 1685. *in* 4. Oratio eſt Funebris in laudem ſupradicti Areſii.

Opus vero ejuſdem, quod dedimus num. I. impreſſum fuit etiam *Mediol.* 1680., *& Bononiæ apud hæredes Dominici Barberii* 1681., ubi in calce adſunt II. Reſponſa Octaviani Picenardi, & alterum Senatoris Sertorii.

## SALVATERRA JOANNES.

### Addenda ad Art. MCCCCXCVIII. Col. 1275.

PRofeſſor IV. Votorum, moritur Saroni IV. Februarii MDCLXXX.

**V.** Conciones plures tam Quadrageſimales, quàm in Adventu, necnon de Sanctis. Vol. V. MSS. in fol. juſtæ molis, extant in Bibliotheca PP. Soc. Jeſu Domus Profeſſæ S. Fidelis Mediol.

## SANGIORGIUS JOANNES ANTONIUS.

### Corrigenda ad Art. MDV. Col. 1282.

In Operum num. VII. lin. 9. Sixti V. corrige *Sixti IV.*

## SANSONIUS HIERONYMUS.

### Addenda ad Art. MDVII. Col 1283.

PRæfatus Don Hieronymus Sanſonius Ciſtercienſis Monacus, de anno MDXXVI. claruit electus Epiſcopus Civitatis Laudenſis in locum Octaviani Mariæ Sfortiæ Vicecomitis ab anno MDXIX. promoti ad Epiſcopatum Aretinum; uti conſtat ex publico Inſtrumento, ſub die XX. Auguſti MDXXVI., quod extat penes Clar. Advocatum Jo. Sitonum de Scotia.

## SANSONIUS PAULUS.

### Addenda ad Art. MDIX. Col. 1285.

**III.** Pauli Sanſonii Mediolanenſis Minorum Conventualium Baccalaurei de trium Animæ graduum perfectione; ad Fratrem Thomam Orrigonium Variſinum, Viſitatorem Apoſtolicum. *Patavii*, *apud Paulum Majetum*, 1581. *in* 4.

## SANTAUGUSTINUS THOMAS.

### Addenda ad Art. MDX. Col. 1287.

JUriſconſultus, filius Caroli P. T. P. S. Mariæ Beltradis Mediolani, anno MDCLX. creatur Notarius Collegiatus Mediolani, ex Matricula &c.

**XXIII.** L'Era volgare Dioniſiana di Criſto. Hoc Opus prodiit cum jam indicato ſub num. X. cujus titulus eſt, ut ſequitur: „ Breve ſaggio della „ noviſſima Epatta Luni-Solare perpetua di To- „ maſo Santagoſtino. Al Cardinale Fabricio „ Spada. „ *Macerata*, *per Michelangelo Silveſtri*, 1697. *in* 4.

**XXIV.** Ipparco in Atene, o ſia la Tirannia d'Amore, non vuol conſiglio, Operetta per Muſica del Dottore Sottogiſnio Manaſta, privatamente recitata in Milano l'anno MDCLXXX. *Ivi*, *per Marcantonio Malateſta*, *in* 12.

**XXV.** Amore non vuol forza.

**XXVI.** La Rinegata di Vagliadolid.

Hæc II. ex Cl. P. Quadrii libro „ della Storia „ e della Ragione d' ogni Poeſia „ Tom. V. ſub prælo.

A SAR-

## A SARTIANO ALBERTUS.

Addenda ad Art. MDXIII. Col. 1290.

MOnuit nos Vir Clariſſimus P. Joannes de Auguſtinis Ordinis Minorum, ex eo Cœtu, qui Reformati nuncupantur, Albertum Sartianenſem, cui vitæ ſanctitas, & præclarè geſta Beati cognomen fecere, inter Mediolanenſes Scriptores non eſſe recenſendum, quòd verè in Oppido Sartiani, non autem in hac Metropoli editus fuerit in lucem. Id confirmat allato teſte omni exceptione majore, ipſo videlicet Alberto; qui in Epiſtola ſua ſecunda ad Antonium Rhaudenſem hæc diſertè ſcribit: „ En „ nobis relicto Rhaudenſi, & Sarthianenſi ſive Oppi„ dis, ſive quid aliud nuncupari potius, nativitatis „ noſtræ terris volueris &c. „ Adjecit tanto teſtimonio, cui fidem negare nefas eſſet, Scriptoris celeberrimi cognomentum, ipſum nempe fuiſſe ex familia Berdina Sartianenſi. Aſſentimur & Nos ipſius Patris de Auguſtinis ſententiæ, ſed noſtrum eſſe judicamus, ut Criticos nimis acres effugere liceat, fontes indicare, unde hauſimus, quæ in Articulo diximus, contendentes Albertum patriâ Mediolanenſem fuiſſe. Et primò quidem nos exteros in fraudem induxere ipſius Inſtituti Conſodales, qui rogati ut Suorum Mediolanenſium monumenta ſuppeditarent, inter ceteros Albertum hunc recenſuere, mordicus aſſerentes, eum inter hujus Urbis cives numerandum, quòd hîc lucem hauſerit, citatis teſtibus, nempe Rodulphino Tuſſianenſi in Hiſtoria Seraphicæ Religionis lib. I. pag. 72. Paulo Moriggia in Summario, Henrico Willot in Athenis Orthodoxorum Sodalitii Franciſcani pag. 8. Neque tamen illicò hæc nos moverunt, ſed ſcrutari alios placuit, ne deviaremus à veritate. Inſpecto igitur Apparatu Sacro Antonii Poſſevini Tomo I. pag. 35. hæc legimus: „ Albertus Sartianus Mediolanenſis Ord. Min. celebris „ ſui Ævi Concionator &c. „ tum etiam Joanne Baptiſta Cariſio in Diario Sacro perpetuo Mediolanenſi ſub die XV. Auguſti hæc ſcribente: „ Il Beato Alberto Milaneſe dell'Ordine di S. Franceſco. „ Il ſuo Corpo giace in Sant' Angelo in Porta Nuo„ va „ tandemque Paulo Moriggia in Nobilitate Mediolani lib. I. cap. XI. pag. 32. in hæc verba: „ Il Beato Alberto da Sarziano Milaneſe; queſto fu „ gran dotto sì nelle Lettere Greche, come nelle „ Latine &c. „ atque Picinello in ſuo Athenæo, omnem depoſuimus dubitationem. Verumtamen nunc meliùs agnitâ veritate, Sartianenſibus ſuum reddimus Albertum, quem tamen omnino Mediolanenſibus non eripimus. Transferendus idcirco eſt Scriptor inſignis ad eorum Catalogum, qui aliis in regionibus nati, diuturnæ moræ gratiâ inter Cives hujus Metropolis recenſentur, præſertim cùm Alberti oſſa hîc colantur, unde fortaſſe citati Auctores non dubitarunt eundem Mediolanenſem affirmare, non alio prorſus argumento, quàm eo, quo Sanctus Antonius Uliſſippone ortus, appellatus eſt Patavinus, quòd ibidem migraverit ad Dominum, ſacrumque illius Corpus Patavii ſummo cum honore ſervetur.

Ceterùm, ut cum fœnore ad Lectores redeat Alberti memoria, eos monemus, corrigendum eſſe, quod diximus, Opera ipſius Omnia prodiiſſe *Romæ, apud Patricium Duffium, anno* 1688. quibus ex verbis videtur Duffius Impreſſor fuiſſe. Verùm Patricius Duffius non Typographus extitit, ſed Editor. Erat enim ejuſdem Ordinis Minorum Chronologus natione Hibernus. Prodierunt autem è prælo *Joannis Baptiſtæ Buſſotti*, cum Duffii Notis, & Indicibus. Fefellit etiam hîc nos formula loquendi Continuatorum Bollandi loco indicato, ſcribentium Opera ipſa prodiiſſe Romæ per Patricium Duffium.

Qui cupit Epiſtolarum Beati hujus Viri diligentiorem Indicem, adeat Magnam Bibliothecam Eccleſiaſticam editam *Coloniæ Allobrogum*, *anno* 1734. *fol.* 221. &. Tom. III. Veterum Scriptorum, & Monumentorum hiſtoricorum, Dogmaticorum, Moralium &c. per Edmundum Martene, & Urſinum Durand Collect. *Pariſ.* 1724. ubi recenſentur Epiſtolæ XXII., & memoratur in Præfatione.

Adde ejus Operibus

XIII. Orationem habitam Ferrariæ die ſeptima Maji, anno MCCCCXLVII.

## SAULIUS ALEXANDER.

Addenda ad Art. MDXIV. Col. 1293.

XXX. Confeſſionale Hieronymi Savonarolæ Ordinis Prædicatorum pro inſtructione Confeſſorum, cum Additionibus Alexandri Saulii. *Papiæ*, *per Hieronymum Bartbolum*, 1573. *in* 8., *& Placentiæ*, *apud Joannem Bazachium*, 1598. *in* 8.

De laudibus B. Alexandri Saulii Congregationis Divi Pauli, olim Ticinenſis Epiſcopi, Oratio Pauli Belloni J. C. in Ticinenſi Gymnaſio Legum interpretis Primarii, nunc Senatoris Regii Mediolani. *Papiæ*, *apud Jo. Baptiſtam Rubeum*, 1620.

In Encomiaſtico Hieronymi Boſſii Ticinenſis *Mediolani* impreſſo, extat Acclamatio IX. in laudem Beati Alexandri Saulii.

## SCANTIUS JOANNES FRANCISCUS.

Addenda ad Art. MDXX. Col. 1300.

SCantius hic noſter promiſcuè vocatus eſt Joannes Franciſcus, & quandoque Franciſcus tantummodo, quod Lectores optimos ignorare nolumus, ne geminos credat, ſi fortè in Opera quædam inciderit, ubi modico hujuſmodi nominis diſcrimine nuncupatur. Quamvis autem in memorato Articulo dixerimus, ipſum floruiſſe ad annum uſque MDLXXV. addendum hoc loco arbitramur, eundem nomini ſuo famam comparare cœpiſſe anno MDLV. quemadmodum didicimus ex humaniſſimo JC. Sitono. Eloquentiam Scantii noſtri ſæpiſſimè mirata eſt Aula Pontificum, quod facili negotio percipere poſſunt quicumque illius Orationes jam priùs relatas, & alias quoque mox referendas inſpexerit, è quibus etiam patet, qua apud præcipuos ſui ſæculi Principes gratiâ polleret, cùm Pontifices, Cæſares, Reges, Cardinales, & hujuſmodi Viros ampliſſimæ dignitatis ornamentis inſignitos habuerit Mecœnates. Tribus igitur Orationibus recenſitis, ſequentes addimus, quarum jam edito Articulo ad nos pervênit memoria.

Sunt autem:

IV. De Morte Chriſti Triumphatoris Oratio II. D. Gabrieli de la Cueva Duci de Alburquerque, & Gubernatori Status Mediol. dicata. *Romæ*, *apud Antonium Bladum*, 1566. *in* 4.

V. De Morte Chriſti Triumphantis Oratio III. habita in Sacello Rom. Pont. D. Gabrieli Caſato Senatus Mediol. Præſidi dicata. *Ibid. ut ſupra*, *in* 4.

VI. Oratio de Divo Joanne Evangeliſta, habita in Sacello Rom. Pont. Scipioni Rebibæ Piſarum S. R. E. Card. ampliſſimo conſecrata. *Ibidem*, *in* 4.

VII. Oratio de Rege Catholico: Franciſco Paciecco Card. ampliſſimo conſecrata. *Ibid. in* 4.

VIII. Oratio in Funere Roberti Nobilioris piiſſimi Cardinalis; habetur ſub finem Vitæ dicti Eminentiſs. Principis editæ à Julio Bartoloccio S. Bernardi Monacho. *Romæ*, 1575. *in* 4., & ſeorſim *Romæ*, *apud Bladum*, 1566. *in* 4. Aurelio Abbati ejuſdem fratri dicata.

IX. De Puero Nazareno Rege Circumciſo; Oratio habita in Sacroſancto Senatu Pii IV. Pont. Max. Franciſco

ciſco Alciato S. R. E. Cardinali ampliſſimo. *Sine loco, anno, & Typograpbo, in* 4.

X. Orationes aliæ XII. ſicuti eruitur à ſequentibus verbis ad calcem ſupramemoratæ Orationis; ſic: „ Sequuntur aliæ duodecim Orationes locupletiſſimæ, quæ ordine ſuo, commodiore opportunitate, (dante Deo) imprimentur.

XI. Oratio in Parentalibus Jacobi Putei S. R. E. Cardinalis. Cod. MS adſervatur in Biblioth. Sereniſs. Reipublicæ Venetæ. Ita Palatius in Faſtis.

Agit de eodem citatus Cl. Sitonus in ſuo Theatro Genealogico pagg. 316., & 399. MS. in fol. penès Auctorem, & in Chronico Coll. J. PP. pagg. 124. art. 516.

## SCLAFENATUS JOANNES BAPTISTA.

Addenda ad Art. MDXXIV. Col. 1304.

IV. Rime di Gio: Battiſta Schiaffenato Milaneſe. *In Venezia, per il Sabbio*, 1534. *in* 8.

## SCOTTUS BERNARDINUS alter.

Addenda ad Art. MDXXVI. Col. 1306.

QUamvis piiſſimi hujus Cardinalis Operibus litterariis nihil addendum ſuperſit, juvat tamen Lectoribus exhibere quantâ religione in ſacras Deo Ædes, & pauperes fuerit prædítus, quod & dum eſſet in vivis, & cùm ad immortalitatem pergeret manifeſtiſſimis argumentis ſignificavit. Etenim Aram principem B Carolo ſacram in ejus Eccleſia in Urbe inſtauravit, multiſque æneis ornamentis auro illitis adornavit, aulæiſque oloſericis auro phrigiatis ditavit, erogatis in eam rem decem aureorum millibus. Moriens triginta millia aurea legavit fœminarum pœnitentium Monaſteriis, Eccleſiæ S. Caroli quatuor millia, Pauperibus Parœciæ tria millia, & totidem domeſticis, cum omnibus Cardinalitiis indumentis. Obiit die XVI Novembris, anno MDCCXXVI., & in Eccleſia SS. Ambroſii, & Caroli nationis Mediolanenſis ſepultus jacet hoc ſub lapide:

OSSA
BERNARDINI S. R. E. TIT. S. PETRI IN MONTE AVREO
PRESBYTERI CARDINALIS SCOTTI MEDIOLANENSIS
HIC EXPECTANT RESVRRECTIONEM AETERNAM.
ORATE PRO EO.
OBIIT XVI. NOVEMBRIS ANNO M. DCC. XXVI.
AETATIS SVAE LXX. MENSE I. DIEB. XVI.

Ex Clar. Abb. Fuſio in Append. MS. ad Picinellum.

## SEPTALA CLAUDIUS FRANCISCUS.

Addenda ad Art. MDXXXI. Col. 1311.

Elogia, ſeu breves Vitæ:

III. Blaſii Riberæ.
IV. Petri Pontaurei.
V. Joannis Fernandez.
VI. Gaſparis Alvari.
VII. Gregorii Scribæ.
VIII. Alvari Mendez.

Omnes de anno MDLXX.

Extant in Libro, cui titulus „ Elogia PP. Soc. Jeſu „ pietate, ac morte pro Chriſti Fide obitâ illu„ ſtrium. „ MS. in Coll. Braydenſi ejuſdem Societatis Mediol.

## SEPTALA MANFREDUS.

Addenda ad Art. MDXLI. Col. 1328.

IV. Deſcrizione della ſua Galleria. MS. in fol. Extat apud Amicum.

In Bibliotheca Ambroſiana ſervatur ejus Nummiſma his literis exornatum *Manfredus Septalius Mediolanenſis Annor.* 77. In altera parte viſitur Mundi Globus ſuperpoſitis VII. Planetis, & Tuba cum lemmate *Percurrit utrumque*.

## SERBELLONUS JOANNES ANTONIUS.

Addenda ad Art. MDXLIX. Col. 1338.

Edidit quoque ex Turrigio:

VI. Votum, ſive Relationem factam in Conſiſtorio Secreto ſuper erectione Domus Lauretanæ in Eccleſiam Cathedralem die XVII. Maji MDLXXXVI.

VII. Sermones ad populum, qui MSS. adſervantur in Novarienſi Cathedrali. Ita Ciacconius, Petramellarius, Carolus à Baſilica Petri &c.

## SERENIUS BASILIUS.

Addenda ad Art. MDLII. Col. 1341.

XVII. De Doctoratu D. Caroli. *Mediolani*, 1619. *in* 4.

XVIII. Opus ſuper Salutationem Angelicam *Ave Maria*, ad Cardinalem Sabaudiæ Principem, teſte Borſerio in Supplemento pag. 101.

XIX. Carmina plura tam Italica, quam Latina, præter ea jam à nobis relata, teſte eodem.

Sereniorum autem tumulus ad S. Simplicianum hujus Urbis cum hac Inſcriptione eſt:

D. O. M.
PAVLVS SERENIVS ANNOS NATVS XLII.
MORTIS MEMOR SIBI POSTERISQVE F. C.
AN. M. D. LXVII.

Ex Clariſs. Abb. Fuſio.

SER-

Digitized by Google

## SERPONTUS BERNARDUS.

### Addenda ad Art. MDLVII. Col. 1345.

GLiſcente lite de exiſtentia, & identitate Corporis S. Auguſtini, ſcripſit Librum

V. De Corpore S. Auguſtini.
Ex Clariſs. Abb. Fuſio in Append. MS. ad Picinellum.

## SESSA FRANCISCUS BERNARDINUS.

### Addenda ad Artic. MDLXI. Col. 1348.

IV. Riſpoſta a certa Cenſura ſopra il ſeguente Sonetto, fatto già in lode del Sig. Giulio Areſe nel veloce cammino (dopo il Magiſtrato Straordinario) ai Carichi di Senatore, e di Preſidente del Magiſtrato Ordinario, come or preſiede sì degnamente; al Senato Eccellentiſſimo. *In Milano, appreſſo Gio. Battiſta Bidelli*, 1623. Carmen verò ſupradictum, vulgò *Sonetto*, ſic incipit:

*Move di merci, e d'or legno peſante*
*A lento piè da le marine ſponde &c.*

## SFONDRATA ANGELICA AGATHA.

### Addenda ad Art. MDLXVII. Col. 1353.

QUandoquidem de tam clara Virgine alia reperimus Opera, non abs re fore exiſtimamus aliquid etiam de ipſius Actis adjicere. Nata eſt die VIII. menſis Januarii, anno MDLXVI. Grammaticæ rudimenta percepit ab Amita ſua Antonia Maria Sfondrata, quam ſuo laudavimus loco. In Monaſterio S. Pauli, ubi, ut diximus, Deo ſe devoverat, ad Deiparæ Lauretanæ Domus imitationem Sacram Ædiculam, impenſis Pauli Æmilii Cardinalis Fratris ſui excitavit, tantoque virtutum & religioſæ perfectionis ſplendore emicuit, ut non ſine magna Sanctitatis laude apud ejuſdem Cœnobii Virgines ipſius vivat memoria.

Jam recenſitis Operibus addenda ſunt hæc, quæ poſtmodum innotuere:

VII. Meditazioni per tutti li giorni dell'Avvento ſopra il *Miſſus eſt*. MSS. ſervantur in prælaudato Cœnobio, cum aliis, quæ ſequuntur.
VIII. Altre ſopra tutti li giorni dell'Avvento, ſopra le Membra della Santiſſima Vergine.
IX. Due Quareſimali di Meditazioni per ogni giorno di Quareſima. Uno ſopra la Storia della Paſſione del Signore, l'altro ſopra i di lui Santiſſimi Membri.
X. Due Eſercizj ſopra la Feſta del Corpus Domini.
XI. Altri due per la Feſta dell'Aſſunzione.
XII. Altri due per la Feſta della Natività della Beata Vergine.
XIII. Altri due ſopra la Feſta di S. Paolo.
XIV. Trattato ſopra il *Magnificat*.
XV. Quaranta Meditazioni ſopra il Sermone di S. Ambrogio: *Sit vobis tamquam in Speculo &c.*
XVI. Seſſanta Meditazioni ſopra gli anni della Santiſſima Vergine.
XVII. Una Inſtituzione, che fece a sè ſteſſa, eſſendo giovane di ventiſette anni.
Hæc debere nos fatemur Nobiliſſimis Sanctimonialibus prælaudati Parthenonis Sancti Pauli ad Portam Ludovicam hujus Metropolis.

A

B

C

D

E

## SFONDRATA ANTONIA MARIA.

### Addenda ad Art. MDLXVIII. Col. 1355.

PRæclaræ hujus Virginis Baptiſmale nomen fuit Lavinia, adeòque humanioribus literis excelluit, ut Angelicam Agatham ex fratre Nepotem, jam à nobis commendatam, Inſtitutiones Grammaticas edocuerit. Præter Verſionem Sermonum S. Bernardi jam indicatam numero I. Scripſit etiam:

II. La Storia riſtretta della Fondazione del Moniſtero di S. Paolo. MS. ſervatur in eodem Cœnobio. Hunc literarium Amitæ laborem fuſiùs proſecuta eſt Neptis, quæ, ut diximus, Chronicon poſtmodum texuit.
Hoc etiam mihi humaniter ſuppeditarunt nobiliſſimæ Virgines ibidem Chriſto famulantes.

## SFONDRATUS CŒLESTINUS.

### Addenda, & Corrig. ad Art. MDLXXI. Col. 1358.

XVI. Tractatus de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, continens amplam diſcuſſionem Declarationis factæ ab Illuſtriſſimis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Pariſiis mandato Regio congregatis anno MDCLXXXII. *Leodii, apud Matthiam Hovium*, 1684. *in* 4.
Opus num I. indicatum prodiit etiam typis Monaſterii S. Galli *apud Mullerum*, 1693. *in* 4.
Juvat hîc addere aliqua ad noſtri Auctoris Opus, cui titulus „ Nodus Prædeſtinationis „ pertinentia, videlicet:
Appendix ad Nodum Sfondratianum, ſive Literæ parvulorum ſine baptiſmo mortuorum, ſcriptæ è Limbis ad ſuæ quietis perturbatores. *Coloniæ Agrippinæ, apud Servatium Noëthen*, 1698. *in* 8
Sentiment de M. Le Tellier, Archevêque de Reims, ſur le livre du Cardinal Sfondrate, qui a pour titre: *Nodus prædeſtinationis*, &c. contenu dans une Lettre de ce Prelat, du 14. Janvier 1697 in 12.
Epiſtola Eccleſiæ Principum Car. Mar. Le Tellier, Archiepiſcopi Rhemenſis, Lud Ant. de Noailles Archiepiſcopi Pariſienſis, Jac. Ben. Boſſuet Epiſcopi Meldenſis, Guid. de Seve, Epiſcopi Atrebatenſis, & Henr. Feydeau de Brozi, Epiſcopi Ambianenſis, ſcripta VII. Cal. Martii MDCXCVII. ad Innocentium XII. contra Librum, cui titulus: *Nodus prædeſtinationis diſſolutus*, è Gallico in Latinum ſermonem verſa, interprete Ludovico Paulo Du Vaucel, cum Reſponſione Innocentii Papæ, die VI. Maji MDCXCVII. data *Pariſiis, apud Joan. Anniſſon*, 1697. *in* 4.
Ludovici Pauli Du Vaucel Animadverſiones in *Nodum prædeſtinationis* Cardinalis Sfondrati diſſolutum: quibus acceſſerunt Sententia Archiepiſcopi Rhemenſis de eodem libro, necnon excerptum ex hiſtoria Congregationis de auxiliis Gratiæ, recèns edita, adversùs quatuor nova Enodatoris paradoxa de naturali beatitudine parvulorum ſine baptiſmo decedentium &c. *Coloniæ, apud hæredes Corn. ab Egmond*, 1707. *in* 4.
Diſpunctio notarum quadraginta, quas Scriptor Anonymus Cardinalis Cœleſtini Sfondrati libro, cui titulus: *Nodus prædeſtinationis*, inuſſit. *Coloniæ, apud Servatium Noëthen*, 1699. *in* 8.
Collectio variorum Scriptorum adversùs librum, cui titulus: *Nodus prædeſtinationis*; ſive Auguſtiniana Eccleſiæ Romanæ doctrina à Cardinalis Sfondrati Nodo extricata, per varios Sancti Auguſtini diſcipulos. *Coloniæ, apud Hæredes Corn. ab Egmond*, 1700. *in* 12.

In num. autem III. corrigatur ſphalma Typographi, qui in ultima linea pro 729. ſuppoſuit 109.



Digitized by Google

## SFONDRATUS FRANCISCUS.

### Addenda ad Art. MDLXXII. Col. 1361.

VIII. Variæ ejus Orationes MSS. adſervantur in Bibliotheca Vaticana, fortaſſe à jam indicatis diverſæ. Ex Clariſs. Abb. Fuſio in Append. MS. ad Picinellum.

Geminas ad eum Epiſtolas Latinas dedit Benedictus Jovius Novocomenſis, quarum prima ſcripta eſt ad eundem adhuc Senatorem, quâ ipſi commendat Marcum Antonium Somelianam affinem ſuum. Altera verò eſt ad eum electum Amalfitanæ Eccleſiæ Antiſtitem, quâ ipſum ſummis extollit præconiis. Extant omnes in MS. ejuſdem Jovii Epiſtolari apud Comitem Antonium Joſephum à Turri Rezzonici Patricium Novocomenſem brevì edendo.

Eidem M. Antonius Majoragius inſcripſit Vindicias ſuas M. Tullii Ciceronis, quibus ipſum tuetur à calumniis Cœlii Calcagnini; ſummis etiam laudibus Franciſcum in Præfatione exornat. Nec ſine commendatione celebratur ab Aonio Paleario in Oratione III. pro ſe ipſo pagg. 73. & 93. quam habuit, dum Sfondratus noſter Senenſibus jura dabat.

## SFORTIA ASCANIUS MARIA.

### Addenda ad Art. MDLXXVII. Col. 1371.

XVII. Præter Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, quo amplexus eſt Opus Betini Tricii de Peſte, edidit etiam Epigramma in ejuſdem Auctoris laudem, ut videre eſt apud Clar. Saxium in Hiſt. Typograph. ad annum MCCCCLXXXVIII. Col. CCLXXXIX.

XVIII. Epiſtolæ ad Angelum Politianum ſcriptæ anno MCCCCLXXXV. cum iſtius Reſponſionibus. Extant inter Epiſtolas Angeli Politiani editas.

Quoniam in memorato Articulo mentio incidit proditionis Aſcanii Mariæ Sfortiæ per Conradum Landum Placentinum, moneo Lectores, Marchionem Ubertinum Landum amiciſſimum, Patronumque meum Apologiam ſcripſiſſe, quâ Conradum ipſum per ſummam injuriam tanti ſceleris accuſatum oſtendit, ut nobis ſignificavit Clariſs. Ludovicus Antonius Muratorius.

## SFORTIA GALEACIUS MARIA.

### Addenda ad Art. MDLXXX. Col. 1378.

VI. Epiſtolæ Latinæ V. ad Hippolytam Sororem ſuam, in quibus receptas ab ea viciſſim literas Latinas, & mores ipſius, atque ſtudia plurimum commendat. Datæ ſunt ex Bibliotheca ſua, anno MCCCCLX.

VII. Alia ad Blancam Mariam Matrem, in qua eleganter exponit, & Ciceronis potiſſimum auctoritate confirmat Sententiam Franciſci Sfortiæ parentis de excellentia dignitatis militaris ſuper Juriſprudentiam, ſine data. Extant omnes MSS. in Codice pergameno Bibliothecæ Ambroſianæ, in 4. ſignato N. num. 15.

## SFORTIA HIPPOLYTA MARIA.

### Addenda ad Art. MDLXXXI. Col. 1380.

III. Epiſtolas plures Latinas ad Galeacium Mariam fratrem anno MCCCCLX. ſcriptas memorat ipſe Galeacius in Reſponſionibus, de quibus in præcedenti Articulo egimus, dum de eodem ſermo eſſet.

IV. Geſta Majorum ſuorum eam conſcripſiſſe teſtatur idem Galeacius frater his verbis, quæ habentur in Epiſtola II. inter MSS. in ipſius Articulo indicatas: „ Gaudeo, atque lætor me videre, mea Ill. „ Soror, te his cogitationibus, quæ te dignæ ſunt, „ animum apponere; nam his, quæ ornatiſſimâ „ Epiſtolâ tua ad me ſcribis, te vitam, ac mo„ res Majorum noſtrorum perquirere intelligo, „ ut eos, ſi non ſuperare, ſaltem æquare poſſis, &c.

Quandoquidem autem in his verſamur Epiſtolis fraterno amore plenis, non incongruum arbitramur ad tantæ mulieris laudem nonnulla addere ex ejuſdem Galeacii Epiſtola IV. ad eam data: „ Aliud quoque eſt, de quo non jam tibi gratu„ labor, quando ita modeſta es, ſed mecum ipſe „ gaudebo. Vidi enim in Epiſtolæ tuæ fronte Je„ ſus nomen literis græcis inſcriptum, quæ res „ mihi indicant, quod cùm latinas literas tibi „ familiariſſimas feceris, nunc etiam græcas ad „ familiaritatem tuam advoces, quod quantum „ decoris, quantum ornamenti ſit allaturum, non „ dubito quin intelligas. Ego certè præ gaudio „ triumpho, dum mihi Sororem obtigiſſe cogito, „ quæ ut inter latinas Virgines ſplendet, ita in„ ter peregrinas omni ſit virtute illuſtris futura. „ Vale. Ex Bibliotheca mea IV. Nonas Septem„ bris MCCCCLX.

## SFORTIA MUTIUS.

### Addenda, & Corrigenda ad Art. MDLXXXIII. Col. 1387.

Canzone di Vincenzo Bilotta nelle Nozze di Muzio Sforza Marcheſe di Caravagio. *In Roma, preſſo Guglielmo Faccioti*, 1598. *in* 4.

Cùm Mutius Sfortia Monopolitanus, & Mutius Sfortia Caravagii Marchio eodem floruerint tempore, veniam facilè ab Eruditis Lectoribus impetrabimus, ubi nos falſos fateamur in aſſignandis Mediolanenſi Operibus num. I & II. indicatis, quæ poſtmodum alterius Monopolitani eſſe moniti ſumus à doctiſſimo P. Joanne de Auguſtinis, cui nos aliis etiam titulis obſtrictos eſſe jam teſtati ſumus.

## SFORTIA SFORTIA MARIA.

### Addenda ad Art. MDLXXXV. Col. 1389.

III. Ejus Sententiæ extant in Libro inſcripto „ il Cancel„ lieri del Doni: Libro dell'Eloquenza, nel qual ſi „ vede per ſimilitudine la virtù del dire degli Anti„ chi Savj, e de' Moderni Virtuoſi in ogni impreſa „ onorata di Guerra, di Stato, e Potenza, riſolven„ do con le vere Sentenze. „ *In Vinegia, per Gabriel Giolito de' Ferrari*, 1562. pagg. 11. & 25.

IV. Aliæ in libro, cui titulus „ Oracoli de' moderni in„ gegni sì d'Uomini, come di Donne, ne' quali „ unita ſi vede tutta la Filoſofia Morale, che fra „ molti Scrittori ſparſa ſi leggeva: Al Signore Ago„ ſtino d'Adda. „ *Vinegia, appreſſo Gabriele Giolito de' Ferrari*, 1550. *in* 8.

## SIMONETA ALEXANDER.

### Addenda ad Art. MDLXXXIX. Col. 1392.

V. Le Finezze dell' Amor di Dio verſo l'Uomo, e ſua vera corriſpondenza: Opera del P. Aleſſandro Simonetta Teologo della Compagnia di Gesù: Dedicata all' Illuſtriſſimo, ed Eccellentiſſimo Signore D. Alfonſo Gonzaga Conte di Novellara ec. *In Bologna, preſſo Gio. Battiſta Ferroni*, 1669. *in* 8.

SIMO-

Digitized by Google

A

### SIMONETTA JACOBUS.

Addenda ad Art. MDXCII. Col. 1398.

PErlectis Cardinalis Jacobi Simonettæ ſupremis tabulis Vicentina in Urbe conditis anno MDXXXVIII. die XV. menſis Julii, quædam reperimus ab eodem vel conſcripta, vel incœpta, quæ hic recenſemus:

VIII. Annotationes in Opera Bartholi. MSS.
IX. Aliæ in Opera Abbatis Panormitani. MSS.
X. Aliæ in Opera Alexandri Imolenſis. MSS.
XI. Aliæ in Opera Felini Sandei. MSS.
XII. Schedæ copioſiſſimæ in materia Teſtium, ex quibus ait Teſtator voluntatis ſuæ fuiſſe Tractatum integrum, & abſolutum edere, ſed variis impeditum occupationibus id perficere non potuiſſe. Ea omnia, unà cum Bibliotheca ſua, legavit Jacobus Ludovico Nepoti, tunc Piſaurenſi Epiſcopo, qui poſtmodum & ipſe Sacram Purpuram eſt adeptus, eumque commendavimus in Articulo MDXCIV.

B

### SIMONETTA JACOBUS PHILIPPUS.

Addenda ad Art. MDXCIII. Col. 1400.

VI. Felini Sandei Commentarii in V. lib. Decret. cum Additionibus Benedicti Vadi, Andreæ Mocenici, Jacobi Philippi Simonettæ, & Joannis à Gradibus. *Lugduni, ſine Typographi nomine*, 1540. *Tom. IV. Vol. II. in fol.*

C

### SOLARIUS JOANNES DOMINICUS.

Addenda ad Art. MDCIX. Col. 1423.

OBiit ætatis annorum LXXVII.

IV. Miſtico Ritratto per li dieci Mercoledì in onore di Santa Tereſa.
V. Panegirici varj.
Omnia apud Suos in Conventu Mediolani.

### SOVICUS THEODORUS.

Corrigenda ad Artic. MDCXVII. Col. 1429.

In Vita propè finem, *Cæterum Thomas*, corrige *Theodorus*.

### STAMPA GUIDUS.

Corrigenda ad Art. MDCXXVI. Col. 1437.

In Operum numero I. Arnulphus Imp. corrige *Adulphus Romanorum Rex*.

### STAMPA HERMES.

Addenda ad Art. MDCXXVII. Col. 1438.

III. Adnotationum tam hiſtoricarum, quàm poëticarum Latinè, & Italicè ex Auctoribus optimis utriuſque linguæ, necnon Græcæ deſumptarum Vol. II. in 4. MSS., extant apud Marchionem Soncini Joannem Maximilianum Stampam.
IV. Tractatus de Subſtitutionibus. MS. inſertus in Tomo II. prædicti Operis.
V. Miſcellanea varia poëtica, hiſtorica, & legalia, è quibus plura confici poſſunt Volumina, adhuc in ſchedis, MSS. ibid.

### SYLVESTER.

Addenda ad Art. MDCL. Col. 1455.

II. Vita di Fr. Franceſco Antonio Maria da Milano Cherico Profeſſo Cappuccino, figlio unico del fu Eccellentiſſimo Signore Don Ceſare Viſconti, Marcheſe, e Conte di Gallarate ec. Cavaliere dell' Inſigne Ordine del Toſon d'Oro, Grande di Spagna ec. Dal P. Fr. Silveſtro da Milano, Annaliſta Generale de' Cappuccini. *Milano, per Giuſeppe Pandolfo Malateſta*, 1732. *in* 8.

# T

D

### TABERNA BRUNORUS.

Corrigenda ad Art. MDCXLIII. Col. 1459.

Linea 20. MDCLXXXVIII. Corrige *MDLXXXVIII.*

### TABERNA FRANCISCUS.

Addenda ad Art. MDCLVI. Col. 1461.

IV. Epiſtolæ plures ad S. Carolum Borromæum, ext. in Collectione Ambroſiana, & in Archivo Oblatorum S. Sepulchri.
Viſitur in Muſæo Braydenſi ipſius Nummiſma, exhibens effigiem cum verbis: *Franciſcus Taberna Comes Landriani Magnus Cancellarius Status Mediolani ann. LXXVI* Poſtica pars præfert agrum multis arboribus conſitum, quas inter eminet Palma cum ove, & cane; addito lemmate: *In Conſtantia, & Fide fœlicitas*.

E

### TABERNA MATTHÆUS.

Addenda ad Art. MDCLXI. Col. 1465.

V. Selva per comporre Prediche, Sermoni, e Panegirici: Tom. II. in 4. MSS. magnæ molis. Extat in Bibliotheca Domus Profeſſæ S. Fidelis Soc. Jeſu Mediolani.

### TAEGIUS BARTHOLOMÆUS.

Addenda ad Art. MDCLXVII. Col. 1472.

XVIII. Nuove Rime di M. Bartolomeo Taegio in lode della Molto Illuſtre D. Porzia Toralta, Conteſſa Torniella. *In Novara, appreſſo Franceſco, e Jacobo Seſalli, ſine anno, in* 4.

### TANTIUS CORNIGER FRANCISCUS.

Addenda ad Art. MDCLXX. Col. 1477.

X. Epiſtola ad Lectorem; extat in fronte editionis ſuæ Rhythmorum Gaſparis Vicecomitis. *Mediolani*, 1493., de qua Cl. Saxius ad eundem annum.

TER-

## TERZAGUS AUGUSTINUS.

### Addenda ad Art. MDCLXXIII. Col. 1480.

XV. Poëmata varia tam Latina, quàm Italica. Extant in Libro, cui titulus „ Muſarum Sertum pro Lau„ rea Gregorio, & Joanni Baptiſtæ Sfondratis à „ Joſepho Lando intextum. „ *Papiæ*, 1618. *in* 4.

## TERZAGUS JACOBUS PHILIPPUS.

### Addenda ad Art. MDCLXXV. Col. 1482.

VIII. Elogium Petri Franciſci Paſſerini ad ejuſdem Schediaſmata Academica. *Placentiæ, apud Bazachium, & Bononiæ, apud Barberium*, 1650. Vide Schedarium liberale Petri Franciſci Paſſerini.
Ex Clariſs. Abb. Fuſio in Append. MS. ad Picinellum.

## TORNIELLUS CAROLUS.

### Addenda ad Art. MDCXCVII. Col. 1506.

II. Elogia, ſeu breves Vitæ Gaſparis Gois, & Joannis Alvarez, Societatis Jeſu. Extant in Libro, cui titulus „ Elogia PP. Soc. Jeſu pietate, ac morte pro „ Chriſti Fide habita illuſtrium. „ De anno MDLXXI. MS. in Collegio Braydenſi PP. Soc. Jeſu &c.

## TOSCANUS JO. ALOYSIUS.

### Addenda ad Art. MDCXCVIII. Col. 1506.

V. Declamationes in Turcum.
VI. Epithalamium in Vincentium, & Jo. è Publicolarum familiâ ortum.
VII. Oratio in Coronatione Sixti IV.
VIII. Alia ad Pium II. in Conventu Mantuano.
Hæc Opera ex libro memorato Paradoxorum in Juvenalem A. Sabini Poëtæ laureati ad Nicolaum Perotum Pontif. Sipontinum; *Romæ* edito *per Sachſel, & Gloſch Clericos*, 1474. quem antea nobis videre non licuerat, hauſit, & humaniſſimè indicavit Clariſs. Saxius, addens, Sabinum teſtari Opus ipſum à Toſcano noſtro editum fuiſſe, quem laudat ut Juriſperitum inſignem, & Poëtam ita facundum, ut extemporaneè canens Scriptores defatigaret.
Monuit etiam nos Eruditiſſimus Pater Joannes de Auguſtinis, extare apud ſe MS. Codicem chartaceum Miſcellaneorum, ubi habentur nonnulla Toſcani noſtri
IX. Ad Magnificum, ac Eruditiſſimum Virum Dominum Zachariam Barbarum Venetorum facundiſſimum Oratorem, Johannes Aluyſius Toſcanus puer annorum nondum duodecim, Elegia.

Incipit: *Sfortia cum doctos juſſiſſet adire pœnates*
*Non potui tanti ſpernere juſſa Ducis &c.*

Deſinit: *Ergo vale Zacharia tuo me pectore ſerva*
*Parvula nunc pueri Carmina tene precor.*

X. Ad doctiſſimum Leodriſium Cribellum Ducalem Cancellarium, Tetraſticon.
XI. Ad Reverendiſſimum in Chriſto Dominum Chriſtophorum Fanenſem Philoſophum, Oratorem, Poëtamque Clariſſimum, Elegia.

Incipit: *Alme pater legi reſonantia Carmina nuper*
*Crediderim miſſum Carmen ab arce poli.*

Deſinit: *Sicque meos verſus nunc ſuſcipe corde ſereno*
*Ut vigeat per te fama mihi celebris.*
Vale.

A „ Ex Academia Georgii Vallaguſſæ: Idibus Auguſti „ Johannes Aloviſius Toſcanus, uti filius.
Extat quoque in eodem Codice Incerti Elegia, ſic inſcripta „ Ad nobilem, & heliconium puerum „ Johannem Aloviſium Toſcanum „.
In Muſæo Petri Gradenighi Patricii Veneti, Jacobi Senatoris filii, ſervantur Nummiſmata duo Ærea mediocris moduli, quorum frons exhibet Auctorem noſtrum ſub juvenili effigie cum lemmate: *Johannes Aloiſius Tuſcanus Advocatus*: primæ averſa pars refert hanc Epigraphem: *Incertum Juriſconſultus Orator an Poëta præſtantior*: alterius verò hæc verba eadem averſa pars inſcripta gerit: *Prævenit ætatem ingenium præcox*. Tertium addimus apud Comitem Joannem Mariam Mazzucchellum Brixienſem Virum Cl. in cujus poſtica parte viſitur Neptunus, cum hoc lemmate: *Victa jam Nurſia fatis*. In Braydenſi verò Muſæo alterum cernitur, referens effigiem Auctoris cum his verbis:
B *Joannes Aloyſius Toſcanus Auditor Cameræ*. Averſa pars exhibet Columnam, cui Aquila expanſis alis inſidet; geminæ hinc inde Claves, adjectis literis *L. P.*

## TOSCANUS LAURENTIUS.

### Addenda ad Art. MDCC. Col. 1509.

V. Carmina III. Italica, vulgò *Sonetti*, extant in Cod. MS. variorum Carminum Italorum Seculi XVI. & XVII. apud me, in 4.
At cùm ſermo eſt de hoc Laurentio juvat hic addere, quod notatum eſt in Tomo III. Menagianæ jam in citato Articulo à nobis memorato, ubi corriguntur Auctores Galliæ Chriſtianæ, qui Laurentium Tuſcanum Epiſcopum Lodevenſem Etruſcum faciunt,
C à voce *Toſcanum* decepti pro patria Laurentii aſſumta; & quòd ille fuerit Mediolanenſis profert verba Epiſtolæ Nuncupatoriæ Bandelli, in Hiſtoriola XXVI. Tomi II. ſic: „ Si ritrovò quivi il diſcreto, e „ virtuoſo M.r Lorenzo Toſcano, Cittadino Mila„ neſe, il quale allora governava le Caſe del Car„ dinal del Caretto di Finario, che poi abbiamo „ veduto Veſcovo di Lodeva in Francia.
De eodem Jo. Matthæus Toſcanus, jam à nobis ſuo loco laudatus, ita cecinit.

Tumulus Laurentii Toſcani Epiſc. Lodeveri.

*Si Virtus, Pietaſque mori, ac Prudentia poſſint*
*Debuerant, Laurens, te moriente, mori.*

D
## TOSCANUS RAPHAEL.

### Addenda ad Art. MDCCI. Col. 1511.

IV. Sonetti. *Lione, per Giovanni Carrè*, 1582. *in* 8.

## TRIVULTIUS JOANNES JACOBUS.

### Addenda ad Art. MDCCXVII. Col. 1524.

Eidem dicavit Alexander Minutianus M. Tullii Ciceronis Opera, Epiſtolâ ſic inſcriptâ „ Illuſtri, & Ex„ celſo Principi Joanni Jacobo Trivultio, Regio „ Locumtenenti in Inſubria Univerſali, Alexander „ Minutianus ſalutem, & fœlicitatem. „ Editio-
E nem hanc magnificentiſſimam complevit Minutianus in hac Urbe anno MCCCCXCIX., ad quem annum Clar. Saxius dedit ſupradictam Epiſtolam pag. DXXV.
Joannes Petrus Valla Georgii filius Opera Omnia parentis ſui, duobus Voluminibus in fol. magno, *Venetiis, apud Aldum Manutium*, 1501. dicavit Joanni Jacobo Epiſtolâ ſatis eruditâ præfixâ.
Præter memoratum Nummiſma, aliud ſervatur apud Cl. V. Comitem Joannem Mariam Mazzucchellum Brixienſem, in quo effigies ipſius additis literis: *Jo. Ja. Tri. Mar. Vigle. Mareſcal. Fran.* in altera parte ſtat Victoria palmam ſiniſtrâ, caduceum dexterâ tenens, cum lemmate: *Me duce tutus adibis aſtra*.

TRIVUL-

Digitized by Google

### TRIVULTIUS SCARAMUTIA.

Addenda ad Art. MDCCXVIII. Col. 1529.

III. Epiſtolæ plures ad Petrum Martyrem de Angleria ; memorantur in Reſponſionibus iſtius ſuo loco relatis.

Nummiſma ejuſdem in Braydenſi Muſæo ſervatum, has Iconi habet circumpoſitas ſiglas : *Scaramutia Trivultius S R E. Card. Jo. Firmi Primi F.* Averſa pars exhibet Fœminam Uſtorium ſpeculum geſtantem, furente ad pedes dracone ; nullo appoſito lemmate.

### TROTTUS JOANNES BAPTISTA alter.

Addenda ad Art. MDCCXXIV. Col. 1537.

IV. Conſultazione per l'Erezione dell' Albergo, overo Oſpedale de' Poveri in Milano. MS. in fol. Hanc ſcripſit anno MDCCXXIX. dum erat Præſes Magiſtratus Sanitatis hujus Metropolis.

### à TURRE CAROLUS.

Addenda ad Art. MDCCXXV. Col. 1538.

LV. Il Paſtor pentito. *Milano*, 1659.
LVI. Sciagure Avventuroſe, overo le Nozze di Semiramide. *Bologna, per Carlo Zenero*, 1662. *in* 12.

# V

### VALERIUS MATTHÆUS.

Corrigenda ad Art. MDCCXXXVI. Col. 1557.

Linea 32. MDCXLV. Corrige *MDCXLVI*

### VALLAGUSSA GEORGIUS.

Addenda, & Corrigenda ad Art. MDCCXXXVIII. Col. 1558.

IV. Epiſtola ad Joannem Antonium de Girardis Ducalem Cancellarium Papienſem, quæ præfixa eſt Operi inſcripto: „ Elegantiæ Ciceronianæ materna lingua &c. „ quod dedimus numero III. MS. in Bibliotheca Ambroſiana ſign. S. num. 37. Hanc primò non advertimus, ſicuti & Elegiam Leonardi Gryphii ad eundem Joannem Antonium, de qua in Addendis ad Gryphium ipſum jam diximus.

Quandoquidem de hoc Opere recurrit mentio, juvat Lectores monere, in fine ejuſdem MS Codicis, veluti in altero ſine loco, anno, & Typographo, ſic legi: „ Ringrazia Johanni Antonio da Pavia, „ che per ſua cagione Georgio Vallaguſſa ha vol „ garizzato queſte Epiſtole de Tullio. „ Veruntamen ad calcem editionis anni MDXLVIII. hæc ſunt impreſſa „ Summas gratias tu Lector agas „ Franciſco, cujus gratia Georgius Vallaguſſa „ has Ciceronis clauſulas materno ſermone in- „ terpretatus eſt, per id ferè tempus, quo Pater „ ſuus Vir Clariſſimus Carolus Antonius Elefan- „ tucius Felſineus, Quæſtor Ærarii publici inte- „ gerrimus, & Eques benemeritus, ac ex eorum „ ſexdecim Viratibus ſingularis Legatus à Bono- „ nienſibus ad Illuſtriſſimum Galeacium Mediola- „ nenſium Ducem honorificè miſſus eſt anno videlicet MCCCCLXXVI. „

Linea 15. MCCCCIV. Corrige *MCCCCLXIV.*

### à VALLE FEDERICUS.

Addenda ad Art. MDCCXL. Col. 1559.

IV. La Reina di Scozia, Tragedia di Federigo della Valle. *In Milano, per Melchior Malateſta*, 1628. *in* 4.

Ex Cl. P. Quadrio „ della Storia, e della Ragione „ d'ogni Poeſia „ Tom. IV. pag. 85.

### De VALVASORIBUS ANSELMUS.

Corrigenda ad Art. MDCCXLIV. Col. 1564.

In num. V. MLXXXIX. Corrige *MXCIX.*

### De VALVASORIBUS JOSEPH.

Addenda ad Art. MDCCXLVIII. Col. 1567.

III. Le due Verghe: Diſcorſo detto in Duomo nell'aprirſi de i Tribunali, dedicato all'Eminentiſſimo Sig. Cardinal Litta. *Milano, preſſo il Monza*, 1671. *in* 4.

### VEGIUS SCIPIO.

Corrigenda ad Art. MDCCLXI. Col. 1579.

In Articulo, qui incipit „ Jo. Petrus Arturus „ corrige *Joannes Petrus Arlunus*.

### VENUSTUS ANTONIUS MARIA.

Addenda ad Art. MDCCLXVI. Col. 1583.

VI. Epiſtola quâ vivus, & Oratio quâ mortuus laudatur Auguſtinus Montalcinus Eremitani Ordinis Theologus, & Orator, in quibus ad imitandum Lectoribus exemplar Sacerdotis, atque Oratoris boni proponitur. *Mediolani, typis Metii, apud Antonium Antonianum*, 1560. *in* 8.

Dum hæc ſcribo ad manus pervênit liber, quem dedi num. I. ideoque ob ipſius raritatem titulum integrúm hîc profero.

Compendio utiliſſimo di quelle coſe, le quali a nobili, e criſtiani Mercanti appartengono, ſiccome nella ſeguente pagina ſi può vedere, ſcilicet

1. Diſcorſo della Mercanzia.
2. Trattato del Cambio di Biſenzone.
3. Eſortazione a' Mercanti.
4. Inſtituzione de' Mercanti.
5. Trattato de' Cambj in generale.

Tam in eodem libro, quàm in altero, quem dedimus num. VI. adſunt Carmina Variorum in laudem ipſius Auctoris, videlicet Primi Comitis, Bernardini Baldini &c.

### VICECOMES ALEXANDER.

Addenda ad Art. MDCCLXXIV. Col. 1589.

XI. Carmina varia Latina in Lauream Ludovici Meltii: *Ticini*, 1617. *in* 4.

XII. Carmina III. Latina; extant in libro, cui titulus: „ Ignatii Albani Lacrymæ in obitu Caroli Vicecomitis, Patricii Mediolanenſis. „ *Mediolani, apud Medam*, 1604. *in* 4.



Digitized by Google

## VICECOMES BARTHOLOMÆUS.

Addenda ad Art. MDCCLXXX. Col. 1594.

III. Epiſtolæ plures ad Maffæum Vegium, cum quo agebat de rebus ſuis literariis. Id eruitur ab Epiſtolis ejuſdem Vegii, inter quas una adeſt in Codice MS. Bibliothecæ Ambroſianæ ſign. M. num. 26. in 4. ad B. (Bartholomæum) Vicecomitem Novariæ Præſulem ſcriptam, cum qua ei mittit Ruſticalia ſua (Aſtianax), & judicium Vicecomitis poſcit. Data eſt Papiæ Id. Decembris MCCCCXXXIII.

Ad eundem nuncupavit Guinifortus Barzizius librum ſuum „ de Rebus geſtis ab Alphonſo Rege Aragonum, & Siciliæ adversùs Regem Tunes apud Inſulam Gerborum. „

Ad ipſum quoque ipſius Guiniforti Barzizii Epiſtola data Mediolani XIII. Kal. Martii MCCCCXXXIV. in editione Romana pag. 405.

## VICECOMES CAROLUS.

Addenda, & Corrig. ad Art. MDCCLXXXIII. Col. 1597.

In fine Operum num. IX. indicavimus editionem quamdam *Hagæ-Comitum*, cujus meliùs inſpectæ hic eſt titulus „Lettres anecdotes, & memoires hiſtoriques du „ Nonce Viſconti Cardinal préconiſé, & Miniſtre „ Secret de Pie IV., & de ſes Creatures au Concile „ de Trente, dont pluſieures intrigues inouies ſe trou„ vent dans ces relations, miſes au jour en Italien, „ & François por Mr. Aymon ci-devant Prelat Theo„ logal, & Juriſ-conſulte gradué a la Cour de Rome. *A Amſterdam, chez les Freres VVeiſtein*, 1719. *Avec Privilege de N. S. les Etats de Hollande, & de VVeſt-friſe*.

In præcedenti num. VIII. linea 2. ſcriptæ, corr. *ſcriptas*. Et in præfato num. IX. linea 1. comprehenſæ, corrige *comprehenſas*.

## VICECOMES FEDERICUS.

Addenda ad Art. MDCCLXXXVII. Col. 1601.

III. Viſita del Cardinale Federico Viſconti del Borgo, e Chieſe di Vareſe, fatta l'anno MDCLXXXVII. MS. in fol. magnæ molis, ext. in Archivo ejuſdem Oppidi.

Braydenſe Muſæum Nummiſma ipſius ſervat, in quo Icon ejuſdem, & lemma: *Card. Federicus Vicecomes Archiep. Mediol.* Averſa in parte Serpens Moyſis cum literis: *Hinc ſalus*.

## VICECOMES de ARAGONIA GALEACIUS.

Addenda ad Art. MDCCLXXXIX. Col. 1603.

VII. Conſultatio ad Excellentiſſimum Senatum Mediolani, de jure publicæ Acclamationis in Eccleſia, deque Familiæ ſuæ Vicecomitum prærogativis, impreſſ. an. 1679. in fol. Volumen juſtæ molis, extat penès Marchionem Don Albertum Vicecomitem de Aragonia Reg. Duc. Senatorem, Auctoris filium &c. item penès Advocatum Sitonum.

## VICECOMES JOANNES.

Addenda ad Art. MDCCXCVI. Col. 1610.

XIV. Exemplum literarum Domini Joannis Epiſcopi Mediolanenſis pro confirmatione Tabellionatus Bononienſis ânno MCCCLI. extat in Archivo Eccleſiæ Ravennatenſis, ex Montfaucon. Biblioth. MSS. Tomo I. fol. 444.

## VICECOMES JOANNES GALEACIUS.

Corrigenda ad Art. MDCCCV. Col. 1627.

Prope finem: Diſpenſatio &c. inter Galeacium Mariam, corrige *inter Joannem Galeacium*.

## VICECOMES JOANNES MARIA.

Addenda ad Art. MDCCCVI. Col. 1628.

VIII. Poëma de Sancto Joanne Baptiſta, cui titulus: „ Aquarum de Numine Maris, & fluvii certa„ men. „ Incipit:

*Nunc age, pugna vocat; neque enim certamine nullo &c.*

Conſtat heroicis verſibus 268. MS. in 4. in Biblioth. Braydenſi.

Vitam Antonii Julii Brignole Sale, de qua diximus numero I., Latinam fecit Franciſcus l'Hermite ejuſdem Societatis Jeſu. *Antuerpiæ*, 1671. *in* 8.

## VICECOMES JOSEPH MARIA.

Addenda ad Artic. MDCCCXI. Col. 1632.

III. Panegirici del Reverendiſſimo Padre F. Giuſeppe Maria Viſconti dell'Ordine de' Predicatori, Maeſtro in Sacra Teologia, Predicatore di S. M. Cattolica, ed Inquiſitore generale di Novara. *Ivi, preſſo gl' Eredi Caccia*, 1698. *in* 4. In Epiſtola Nuncupatoria Impreſſorum ad Joannem Baptiſtam Vicecomitem Epiſcopum Novarienſem, legitur, has Panegyres numero tantùm XIV. ſelectas fuiſſe ab immani copia MSS. Joſephi Mariæ Vicecomitis poſt illius deceſſum. In calce adeſt Oratio funebris pro eodem Vicecomite noſtro Fr. Joſephi Mariæ Ripæ.

## VICECOMES OTHO.

Corrigenda ad Artic. MDCCCXXI. Col. 1639.

In num. I. lin. 2. Anno MCCLXXXVII. corrige *MCCLXXXVI*.

Et Col. 1640., in num. II. lin. 2. MCCXCI. corrige *MCCXCII*.

## VICECOMES PHILIPPUS MARIA.

Corrigenda ad Artic. MDCCCXXIV. Col. 1645.

Monemus Lectores humaniſſimos, mancipibus properantibus ſub numero XVI. rurſus repetitam fuiſſe mentionem Epiſtolarum Philippi Mariæ Vicecomitis ad Franciſcum Barbavariam, dat. Mediolani anno MCDXXXIII., extantium in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum, quæ ſimul cum aliis ejuſdem argumenti memorandæ erant ſub numero V. Ad citatum verò numerum XVI. hæc reponantur.

Altera Epiſtola ad Antonium Panormitam Siculum ſine data, quâ reſpondet ipſius Panormitæ literis; extat in libro, cui titulus: „ Antonii Bononiæ Beccatelli „ cognomento Panormitæ Epiſtolarum libri quinque. *Venetiis, apud Bartholomæum Cæſanum*, 1553. *in* 4. Ubi plures ipſius Auctoris ad Philippum Mariam Epiſtolæ reperiuntur.

## VINCENTIUS.

Corrigenda ad Artic. MDCCCLIX. Col. 1681.

In num. I. Spoglio, corrige *Speglio*.

UR-

Digitized by Google

A

### URBANUS III.

Addenda, & Corrigenda ad Artic. MDCCCLXII. Col. 1687.

XIX. Epiſtola ad VVilelmum Rothomagenſem Archiepiſcopum.

XX. Altera ad Anſelmum Abbatem Beccenſem. Extant ambæ in Codice 771. Bibliothecæ S. Germani à Pratis Pariſien. teſte Montfauconio in Bibl. Biblioth. MSS. Tomo II. fol. 1137., & 1138.

Col. 1688. circa finem anno MCLXXXIX., corrige *MCLXXXVII.*

### URSINUS CAROLUS FRANCISCUS.

Addenda ad Art. MDCCCLXIII. Col. 1690.

VII. Oratio in Laurea Sancti de Moſconibus in Sacra Theologia, & J. U. *Mediolani, apud Gagliardum*, 1684. *in* 4.

# Z

B

### ZUCCHIUS BARTHOLOMÆUS.

Addenda ad Art. MDCCCLXXV. Col. 1702.

XXXIX. Seraſico Eſercizio, e Sentiero del Paradiſo. *Venezia, preſſo il Duſinello*, 1614. *in* 12.

XL. Vita del B. Felice Porri Cappuccino da Cantallice. *Forlì, per li Savoretti*, 1630. *in* 4.

XLI. Regole della Congregazione della Dottrina Criſtiana di Monza, approvate da S. Carlo Borromeo Arciveſcovo di Milano, dal Sig. Bartolomeo Zucchi illuſtrate, e pubblicate. *Milano, nella Stampa Arciveſcovale*. 1632. *in* 4.

XLII. Predica ſopra l'Annonziazione della B. V. *Milano, preſſo il Ponzio*, 1602. *in* 8.

XLIII. Predica ſopra l'Aſſonzione della B. V. *Ivi, preſſo lo ſteſſo*.

Librum, quem num. VI. ex Picinello retulimus ſub titulo „ Conſiderazioni per li giorni del- „ la Settimana „ edidit *Venetiis, apud Duſinellum*, 1614. *in* 12.

Laudatur etiam ab Hippolyto Maraccio in Bibliotheca Mariana Tom. I. pag. 201.

## ADDENDA, ET CORRIGENDA AD SCRIPTORES PRÆTERMISSOS.

C

### De AMBROSIIS FRANCISCUS.

Corrigenda ad Artic. MDCCCLXXXII. Col. 1714.

Col. 1716. lin. prima XXIX., corrige *XIX.*

### BATTALEA AARON.

Addenda ad Art. MDCCCCXI. Col. 1731.

V. Aaronis Batalei Trivilienſis recta interpretatio, & diſpoſitio verſuum aliquot in Heroidas Ovidii. *Venetiis*, 1543.

D

### De CONCOREGIO GABRIEL.

Addenda ad Artic. MDCCCCXLV. Col 1753.

II. In MS. in fol. ſign. E. 124 Biblioth. Ambroſ. inter Epiſtolas Poggii Florentini adeſt una ejuſdem Gabrielis Domino Baptiſtæ Pallavicino, in qua de rebus ſuis diſſerit, & inter ipſas de ſuo diſceſſu Brixiâ, peſtis cauſa, & de ſuo itinere Cremam, ubi Uxorem, & liberos duos amiſit eodem morbo, & de ſuo reditu Brixiam die XVII. Julii MCDXLI., ubi ſcholam Grammaticæ aperuit &c.

Alias Epiſtolas, de quibus diximus ſuo loco, non ſine voluptate, legi in Volumine Epiſtolar. Franciſci Barbari, quod in lucem his diebus, univerſali literatorum plauſu, Eminentiſſimus Quirinus Purpuræ, & ſcientiarum decus eximium, edidit.

E

### CONFALONERIUS HIERONYMUS.

Corrigenda ad Artic. MCMXLVI. Col. 1755.

Linea 1. MDLX., corrige *MDLXIX.*

### GHIOLDUS CAROLUS.

Addenda ad Artic. MCMLXXV. Col. 1776.

IV. Myſterium Sacramentorum. *Mediolani, apud Ghiſulphum*, ſine anno, in 4.

### LUCCIONUS THOMAS.

Addenda ad Artic. MCMLXXXI. Col. 1779.

VI. Panegirico per S. Rocco. Extat in libro, cui titulus; „ Panegirici Sacri d'alcuni Dicitori più Inſigni de' „ noſtri tempi, à Monſignor Carlo Franceſco Ceva. *Milano, preſſo il Monza*, 1673. *in* 12.

### MANLIUS THEODORUS.

Addenda ad Artic. MCMLXXXIV. Col. 1782.

IV. De Ponderibus & Menſuris Libellus. Opus hoc Theodoro Manlio ( noſtro ne an alteri? ) tributum extare dicitur in Membranis, teſte Philippo Labbè in par. II. Bibliothecæ Nummariæ, citante paginam 198. Speciminis novæ Bibliothecæ MSS. Librorum.

V. Excerptum metrorum de libro Manlii Theodori ad Albinum. MS. ait Montfauconius reperiri inter Codices Reginæ Svetiæ, nunc in Vaticana num. 1508. Noſtri, an alterius, quis divinet? quod etiam dicimus de ſequenti.

VI. Manlii Theodori libellus de Metris. In Biblioth. Caroli de Montchal Archiepiſcopi Toloſani in Cod. num. 100. ex Montfauconii Bibl. Biblioth. MSS. Tomo II. fol. 901.

Diſſertationem de Vita Manlii Theodori Albertus Rubenius Philippi IV. Regis Hiſpaniarum à Secretis edidit. *Ultrajecti, apud Gulielmum Broedelot*, 1694. *in* 12.

MA-

Digitized by Google

A

### MARINONUS MARCUS.

Corrigenda ad Artic. MCMLXXXVI. Col. 1785.

Col. 1786. lin. 5. MCMLIV., corrige *MCMLXXVI.*

### OLIVATIUS GEORGIUS.

Corrigenda ad Artic. MCMXCVIII. Col. 1795.

Col. 1796. lin. 9. MDCCXLI., corrige *MDCCXIII.* Et lin. 12. anno, adde *eodem*.

B

### SORMANUS PAULUS ANTONIUS.

Addenda ad Artic. MMXXVI. Col. 1820.

V. Quadrageſimale. Codex MS. extat apud Suos in Bibliotheca S. Mariæ Secretæ Mediolani.

### A VARISIO CHRISTOPHORUS.

Addenda ad Art. MMXXXI. Col. 1823.

V. Roſarium ſeu rhythmicæ preces, vitam, & mortem Chriſti Domini devotè exponentes &c. in 8. Ad calcem legitur: „ Explicit devotiſſimum Opuſculum, „ quare omnis creatura habeat in ſe moralem „ vivendi modum, & finaliter gloriam vitæ æternæ. *Impreſſum Mediolani, per Ulderieum Scinzenzeler, die IX. Martii MCDXCIII.*
Vide Cl. Saxium pag. DXCII. in notis.

### VICECOMES HIERONYMUS alter.

Addenda ad Artic. MMXXXIII. Col. 1825.

III. Tractatus Artis Magicæ. Hoc Opus Vicecomitem ſcripſiſſe eruitur ex Epiſtola Boni Aluiſii de la Cruce, præfixa Tractatui de Lamiis, & quam dedit Cl. Saxius inter alias Epiſtolas ad annum MCDXC. pag. CCCCXCVII. ubi idem Bonus Aluiſius aſſerit, imprimendum hoc Opus alio tempore ſe reſervare, atque è vivis jam exceſſiſſe Hieronymum ibi indicatur, laudeſque illius fuſè in eadem Epiſtola legi poſſunt.

## ADDENDA, ET CORRIGENDA AD SCRIPTORES MINORIS NOTÆ.

C

### BONIPERTUS LANFRANCUS.

Corrigenda ad Artic. MMLXXXVI. Col. 2846.

Linea 3. Cæſaris Ricii, corrige *Cæſaris Rincii*.

### CAIMUS FRANCISCUS.

Corrigenda ad Artic. MMCVI. Col. 1855.

Col. 1856. lin. 9. MCCCCII., corrige *MCCCCIV.*

### PUTEUS JACOBUS.

Corrigenda ad Artic. MMCCXXX. Col. 1904.

In Titulo Jacobus, corrige *Ludovicus*.

### SFONDRATUS PAULUS alter.

Addenda ad Art. MMCCXLII. Col. 1911.

Lin. 2. Marchione, adde *Franciſco*.

Digitized by Google

# LECTORI MONITUM.

Miraberis fortaſſe, Lector optime, poſt primam additionem huic Bibliothecæ factam, aliquos hìc extra ordinem Scriptores Mediolanenſes inveniens; ſcias tamen velim, dum diligentiùs immenſam Schedarum, quæ ad hoc Opus comparavi, ſeriem evolverem, eos mihi oblatos fuiſſe, neſcio quo fato, prætermiſſos. Quocirca ſatiùs duxi, Mediolanenſi Urbi Auctores ipſos non invidere, atque eorum gloriæ pro modulo meo conſulere, cùm præſertim in Indice laborioſiſſimo locis ſuis poſtmodum ſint exhibendi. Profectò neſcius non ſum, ubi diutiùs Operis hujus Editio differretur, multa in dies & addenda, & fortaſſe corrigenda mihi obventura fore; ſed cùm ſcribendo jam feſſum ætas me moneat ſarcinulas colligere, qualemcumque laborem hunc in lucem emittendum ſum arbitratus. Sanè ex unico, quem hìc profero, Scriptore, didici quàm multa in aliis quoque ex Monumentorum inopia ſint omiſſa, vel emendanda. Is eſt Auguſtinus de Caſtano laudatus in Art. CCCCLXXII. col. 336. cùm revera cognomen ejus Ruſnatus, non autem de Caſtano fuerit, ut perperam ſcripſit in Athenæo Mediolanenſi Picinellus. Verum quidem eſt, matrem illi fuiſſe Monicam Thereſiam Caſtanam, in cujus fortaſſe gratiam patris ſui Balthaſſaris cognomen rejecerit. Natus eſt ipſe, ut recèns novi, die XXVI. menſis Aprilis, anno Jubilæi MDCXXV. Clericorum Regularium profeſſus eſt Inſtitutum die XXVIII. ejuſdem menſis anno MDCXLI. atque Patavii, dum Sacram Theologiam prælegeret, menſe Octobri anno MDCLXXIX. migravit è vita. Ut interim non ſine fœnore Scriptoris hujus memoria recurrat, adde Operi in Articulo prædicto indicato Tractatus illius Philoſophicos, & Theologicos MSS. Tomis VII. comprehenſos, & in Bibliotheca Suorum Patavii, alibique ſervatos. Oh! utinam hinc animi mei candorem perſpectum habeas, quod votis omnibus expoſco. Hac occaſione, etſi non ſine animi mœrore, Scriptoribus Mediolanenſibus addo P. Joſeph Mariam Felicem Ferrarinum Ord. Prædicatorum, duobus tantùm ab hinc menſibus è vivis ereptum; nam & ob ejuſdem merita, & ſingularem ob amicitiam, qua longo jam tempore mihi arctiſſimè conjunctus fuerat, eum inſalutatum relinquere haud potui. Tu interim vale, & me ama.

### MMCCLXII.

### FERRARINUS JOSEPH MARIA FELIX.

Ex Joſepho peditum Duce, & Anna Catharina, cujus cognomen intercidit, Hiſpanâ tamen origine, jugalibus, natus eſt Mediolani anno Chriſti MDCLXX. Joſeph Maria Felix Ferrarini, mihi, dum viveret amiciſſimus. Hic pueritiâ inter pietatis, & ſtudiorum rudimenta laudabiliter exactâ, præclariſſimo Prædicatorum Ordini ſe addixit, annoſque natus XV. ſolemnia Deo vota nuncupavit inter Alumnos Ducalis Cœnobii Sanctæ Mariæ Gratiarum in patria computatus. Philoſophicis poſtmodum, atque Theologicis ſtudiis opportunè imbutus, aliis erudiendis admotus, pluribus in Suorum domiciliis recenſitas facultates è cathedra prælegit, quemadmodum divinos etiam Codices interpretatus eſt; Mediolani ſcilicet, Cremonæ, Mantuæ, & alibi. Magiſter tandem creatus, in Ædibus Sanctæ Mariæ ad Roſam ad obitum uſque permanſit, ibique Sanctiſſimæ Inquiſitionis Commiſſarii munus integerrimè geſſit annos XX. & ampliùs. In eodem autem Templo annuas habuit ſæpius conciones, & fermè omnium ſui Ordinis Sanctorum Panegyres recitavit. Plurimùm etiam & ibidem, & Mantuæ, dum in ea Urbe degeret, populi in Deiparæ Roſarii Reginam augere ſtuduit pietatem, cujus religioſæ curæ teſtimonia etiam poſt ſe reliquit. Verbum Dei, & Laude Pompejæ, & in hujus Archidiœceſis Oppidis præcipuis non abſque plauſu diſſeminavit. Myſticæ inſuper Theologiæ peritiſſimus fuit, pluresque ſacris miniſteriis addictos Viros, & Deo dicatas Virgines ad Chriſtianam perfectionem informavit. Amœniora ſtudia etiam coluit, Poëſim nempè Latinam, & Italicam, cooptatus ideo inter Arcades tam Mediolanenſes, quàm Cremonenſes, & inter Faticoſos dictus eſt *Il Raſſegnato*. Eruditorum Virorum amicitiâ floruit, præſertim verò Clariſſimi Viri Franciſci Ariſii, qui plures ad eum dedit epiſtolas, in queis eruditionem ipſius magnis effert encomiis. Cùm autem in Sacerdote dignis operibus vitam produxiſſet ad annum uſque ætatis ſuæ LXXV. dum ſacras perſolveret horas, die III. Julii apoplexi correptus eſt, vixit tamen ad XX. ejuſdem menſis, ann. MDCCXLIV. ſæpiuſque interim Sacramentis Eccleſiaſticis munitus, animam Deo piè reddidit, non ſine Suorum, aliorumque optimorum omnium mœrore.

Hæc elaboraſſe hactenus repertum eſt:

I. Ragguaglio Iſtorico della Vita Appoſtolica, e Taumaturga di S. Vicenzo Ferreri dell'Ordine de' Predicatori. *Milano, per Giuſeppe Pandolfo Malateſta*. 1732. *in* 4. Opus inſcripſit Excellentiſſimæ Urbis Mediolani Decurionibus.

II. Ragguaglio diſtinto della Solennità fatta celebrare da' RR. PP. Domenicani del Ducale Convento delle Grazie di Milano nella inſigne loro Chieſa della Roſa per la Canonizzazione di S. Agneſa da Monte Pulciano. *Ivi, per Michel' Antonio Panza*, 1728. *in* 4.

III. Elegia, cum paraphraſi Italica in ejuſdem Sanctæ Agnetis laudem, extat in eodem libro.

IV. Notizie Cronologiche appartenenti alla predetta Chieſa della Roſa. Extant ibid.

V. Elogia, & Epigrammata varia eadem occaſione ab Auctore compoſita. Sunt ibidem.

VI. Carmina plura tam Italica, quàm Latina ſparſim edita variis in Collectionibus. Ex his multa Dialecto tam Mediolanenſi, quam Neapolitanâ ſcripſit.

VII. Prediche in gran numero fatte in varj luoghi. Has MSS. reliquit apud ſui Ordinis Alumnos.

VIII. Panegirici di quaſi tutti i Santi dell' Ordine de'

Pre-

Predicatori da lui recitati nella Chieſa della Roſa, ed altrove. MSS. ibidem.

IX. Notizie Storiche de' due Conventi di Sant'Euſtorgio, e di S. Maria delle Grazie di Milano. Has ſe collegiſſe teſtatur Auctor in Opere, quod dedimus num. II. pag. 22. quas etiam congruo digeſtas ordine ſe publici juris facturum promiſerat, at ex epiſtolis ad eum datis ab inſigni Viro S. T. Magiſtro Antonio Bremondo, qui actu Ordinis Prædicatorum Annalibus conſcribendis inſudat, apparet, per Auctorem noſtrum omnia, ut ſupra collecta Romam fuiſſe miſſa, Chronicis prælaudatis inſerenda.

X. La Forza del Sangue. Opera Scenica. Hanc conſcripſit Hieronymum Gilium imitatus. MS. viderunt Viri fide digni; nunc autem hactenus deſideratur.

XI. Scritti attinenti alla direzione dell' anime per la perfezione. Hæc optimis præceptis referta MSS. ſervantur apud Suos.

Omnia ſuppeditavit Reverendiſſimus P. S. T. Magiſter Hermenegildus Todeſchini Mantuanus, in tota Mediolanenſi ditione Inquiſitor Generalis, Vir omni laude major, Patronuſque meus peculiaris.

## MMCCLXIII.

## ISIMBARDUS AUGUSTINUS.

Ex celeberrima Caſſinenſi Monaſtica Congregatione Auguſtinus Iſimbardus Mediolanenſis Marchionis Petri, atque Annæ Franciſcæ Beccariæ conjugum filius, ad Cremonenſis Eccleſiæ Inſulas, quas haud pridem laudabiliter geſſerat frater ipſius Petrus Carmelita, evocatus eſt à Clemente X. Summo Pontifice anno ſalutis MDCLXXV. die XXIV. menſis Februarii, cùm prius inter Cœnobitas ſuos Abbatiali dignitate fulgeret. Deceſſerat autem Petrus anno ſuperiore, die XVII. menſis Septembris, quamvis in Additionibus ad Italiam Sacram Ferdinandi Ughelli edit. Venetæ, *apud Sebaſt. Coletum*, *anno* 1719. Tomo IV. in Cremonenſibus, ſub num. LXXXIV. ſphalmate Typographico pro anno MDCLXXIV. ſuppoſitus fuerit annus ſuperior. Auguſtinus igitur fratri ſuffectus, quam ille Diœceſis luſtrationem morte raptus perficere non potuerat, diligentiſſimè obivit. Tum coacto Diœceſano Concilio, ſaluberrimas edidit Conſtitutiones ad componendos Cleri, populique mores. At cùm annos V. Cremonenſibus jus ſacrum dixiſſet, magna cum laude, fato conceſſit die II. menſis Junii, anno poſt Chriſti ortum MDCLXXXI.

Superſunt ejus

I. Conſtitutiones Synodales habitæ Anno MDCLXXIX. *Cremonæ*, *apud Franciſcum de Zannis*, 1680. *in* 4. Laudatur ab Ughelli Continuatoribus loco cit. Franciſco Ariſio in ſerie Prætor. Cremonæ pag. 60. & ab eruditiſſimo JC. Sitono in Opere ſuo, cui titulus: „ Probationes Nobilitatis, puritatis, legitimæ gradatim deſcendentiæ, & civilitatis Equeſtris generoſæ Familiæ de Iſimbardis, ab anno MCCCXII. ad annum MDCCXXXV. per publica ſyncera Documenta ſpecificè demonſtratæ. *Mediolani*, 1735. *in fol. penes Malateſtam*.

## MMCCLXIV.

## à MODOETIA JACOBUS.

Evolvens iterum, atque iterum MSS. Ambroſianæ Bibliothecæ Codices, incidi in Epiſtolas plures Latinas Jacobi Modoëtienſis, quem, licèt in Minorum Ordinem cooptatus eſſet, Lucas Wadingus in Syllabo ſuo prætermiſit. Floruit eruditus hic Scriptor medio fermè ſeculo XV. at ubique familiæ ſuæ nomen reticet. Arbitratus ſum primâ ſtatim fronte, hunc unum, eundemque eſſe cum Jacobo Becheto, ad quem Petrus Candidus Decembrius epiſtolam ſcripſit, datam die V. Septembris anno MCCCCLX. inter reliquas ejuſdem Candidi ineditas; ſic enim inſcribitur: *P. Candidus Jacobo Becheto Modicienſi*. Sed cùm Bechetus, monente Clariſs JC. Sitono, nunquam inter Minores fuerit adſcriptus, & in ſæculo adhuc degeret anno MCCCCLXVIII ab opinione recedendum duxi, quamvis Decembrius ad utrumque ſcripſerit, ut infra memorabimus. Hoc autem amicitiæ vinculum, quod inter Auctorem, & Petrum Candidum intercedebat, non diuturnum fuit. Illud nempe ſolvit contentio Decembrii cum Antonio Rhaudenſi ejuſdem Ordinis Minorum Alumno, loco ſuo commendato. Suum enim duxit Jacobus noſter Sodalem ab Invectivis Petri Candidi vindicare, in cujus gratiam amico veteri nuncium remiſit, eumque res ſuas habere juſſit. Boni conſulat Lector pauca, quæ de hoc erudito Viro damus; plura enim proferre, ſuis omnino ſilentibus, non licet.

Habemus illius, quæ ſequuntur, ſcilicet

I. Epiſtolæ plures latinæ ad Antonium Panormitam, ad Petrum Candidum Decembrium, ad Stephanum Monoculum, Soncinumque, & ad alios Viros eruditos medii ſæculi XV. dignæ profectò quæ legantur. Extant in variis Codd. MSS. Biblioth. Ambroſianæ, & ſignanter in duobus ſign. I. 235. in fol. & P. n. 4.

II. Adnotationes in A. Gellium. Hoc eruitur à ſupradictis Epiſtolis Petri Candidi Decembrii, in quarum una aſſerit ſe magna cum voluptate perlegiſſe A Gellium ab eo ad ſe miſſum, & Interpretationem magno labore à Jacobo ſuſceptam. Ita in ſupramemorato Codice Ambroſiano I. 235.

III. Reſponſiones ad Invectivas Petri Candidi Decembrii contra Fr. Antonium Rhaudenſem. De iſtis videndus eſt Clar. Mabillonius in Tom I. Itineris Italici pag. 197. ubi in deſcribendis Codicibus ineditis Bibliothecæ Canonicorum Regularium Congregationis Rhenanæ Sancti Salvatoris Bononiæ, hæc habet: „ Alter Codex continet P. Candidi Decembrii Epiſtolarum Libros VIII. ineditos, quibus præfixa „ eſt Auctoris Epiſtola, ad Bartholomæum (Capram) Mediolanenſem Antiſtitem, cujus hortatu Epiſtolas ſuas in unum corpus collegit. Ultimus liber eſt totus ad Fr. Antonium Rhaudenſem Ordinis Minorum, quem petulanter irridet ob Philippicam ab eo nuper editam. Ad Candidi Invectivas reſpondet Jacobus Modoëtienſis. „ De hoc Codice alibi loquuti ſumus.

## MMCCLXV.

## RABBIA JOANNES.

Ex Franciſco Rabbia, atque Cornelia Gambarana conjugibus, Mediolani ortus eſt anno MDCXXVI. Joannes, cujus nunc ſunt promendæ laudes. Frater hic fuit Joannis Baptiſtæ Laudenſis Epiſcopi, quem in Articulo MCCCLXXXIII. memoravimus; ejuſque doctrinam æmulatus, bonis & ipſe

ipſe ſtudiis operam dedit, cujus quidem rei teſtes ſunt Lucubrationes ipſius etiam exoticis linguis, infra commemorandæ. Inter Faticoſos Academicos floruit, appellatus *il Sollecito*. Ad Rempublicam accedens inter Decuriones Patriæ computari meruit; & ne militaris quoque ipſi deeſſet gloria, Equeſtris Turmæ præfecturam geſſit. E vivis abiit anno redempti Orbis MDCLXXXIX. Supereſt Proavi ipſius, qui Patruus extitit Hieronymi, & Floravantis, quorum laudes dedimus ſuo loco, Monumentum in Templo S. Mariæ Servorum hujus Metropolis hac Inſcriptione inſignitum à Beatrice Gallerana conjuge poſita.

DEO OMNIPOTENTI
ANTONIVM RABIAM PATRITIVM MEDIOLANENSEM
MELTII COMITEM ANNONAE PRAESIDEM
ANIMI CORPORIS ET NATVRAE DOTIBVS FELICEM
AB AMICO BENEFICENTIA INVICTVM
MORS ADVERSO FATO INTACTVM
REDDIDIT FELICIOREM
BEATRIX CONIVX CHARISSIMA MVLIERVM
INTER LACHRYMAS POSVIT
ANNO A REDEMPTORE GENITO MDXXIX.
DIE FESTO SERAPHICI FRANCISCI
SIBI HEV NIMIS INFESTO.

Joannis autem hæc reperimus Opera.

I. Ippolita Regina delle Amazoni. Drama per Muſica. *Milano*, 1670.
II. Amore fra l'Armi; o ſia il Corbulone in Armenia Drama. *Ivi*, 1680.
III. Il Palazzo del Secreto. *Ivi*, 1683.
IV. Madrigal del Conde Ivan Rabbia. Extat in Libro, cui Titulus: El Prencipe deliberante por Sevaſtian de Ucedo. *Milan*, 1670. *in* 4.
V. Carmen Italicum, vulgo *Sonetto*. Extat in libro, cui titulus: „ Pareri per la Facciata del Duomo „ di Milano.
VI. Selva di varie Amplificazioni, Deſcrizioni, e Fraſi tolte da' Poeti, Iſtorici, ed Oratori così antichi, che moderni. MS. in fol. pagg. 750. Extat apud Comitem Franciſcum Antonium Rabbiam Auctoris filium, mihi amiciſſimum.
VII. Selva d'Aſſunti politici ſopra la vita di Davide; Diſcorſi 300. Morali, e Politici appartenenti all' inſtruzione d'un Principe. MS. in fol. Vol. II. pagg. 1300. Ibid.
VIII. Canzoni, Ode, Sonetti, Madrigali, ed altre Rime ſopra varj ſogetti. MSS. in fol. Ibid.

De eo agit doctiſs. JC. Sitonus noſter in Chron. Coll. Phyſicor. MS. Parte II. Artic. VIII., & in Theatro Genealogico pag. 370., & demum in Schedis.

## MMCCLXVI.

## ROVIDIUS JOANNES.

JOannes Rovidius Mediolanenſis, cujus parentum nomen incaſſum quæſivimus, anno MDXCIX. die XVII. menſis Octobris, in Collegio Sancti Antonii hujus Metropolis Clericorum Regularium Inſtituto, ſolemnibus votis emiſſis, perpetuò ſe addixit. Inter eos præclariſſimos Vineæ Domini Operarios ita vixit, ut, quamvis haud diu ſuperfuerit, multùm tamen de Congregatione univerſa benemeritus habeatur. Cùm aliquando animi relaxandi causâ in conſanguineorum ædes per autumnales ferias ſeceſſiſſet, in Pago, cui nomen *la Caſſinetta*, mortalis eſſe deſiit die XXIII. Septembris anno MDCXXX. tumulatuſque jacet in ejuſdem Oppiduli Parochiali Templo.

Scripſit Latino eleganti ſermone

I. Geſta Congregationis ſuæ ab anno MDCXX. ad MDCXXX. & præcipuè labores Alumnorum ejuſdem Ordinis tempore peſtis. MS. in fol. in Archivo Collegii S Antonii Mediol.

De eodem P. Silos ad ann. MDCXXX. Reliqua mihi humaniter de more ſubminiſtravit P. Crucejus, memorati Collegii S. Antonii Alumnus doctiſſimus, nunc Præpoſitus Collegio Ravennati Cler. Reg.

Digitized by Google

Digitized by Google

# SCRIPTORES
# E X T E R I,
SED VARIIS DE CAUSIS
# MEDIOLANENSIBUS
A D J I C I E N D I.



Digitized by Google

Digitized by Google

# LECTORI MONITUM.

PRomiſſa ſæpius Exterorum, qui hanc Metropolim, translatis in eam laribus, & apud Mediolanenſes diu verſati, tamdemque hìc mortalitate depoſitâ, eruditione ſuâ illuſtrarunt, monumenta en tibi Lector candidiſſime tandem exhibeo. Quid me ad hoc impulerit, ſupervacaneum arbitror proferre iterum, in generali enim Operis Præfatione id ſatis ſuperque ſignificavi. Unum te monitum volo, non eos omnes Exteros, quos inter Mediolanenſes Scriptores Picinellus recenſuit, me hoc loco commemorandos duxiſſe, cùm eorum plures neque hìc natale ſortiti fuerint, neque Mediolani è vita migraverint. Hujuſmodi ſunt *Petrus Azarius* certiſſimè Novarienſis, de quo Cl. Cotta in ſuo Muſæo diſſeruit, & quem vix novimus hac in Urbe moram traxiſſe, vel in ea defunctum: *Marcus Antonius Blancus* Mantuanus nunquam inter Mediolani vel Cives, vel Incolas computatus: *Eugenius Cattaneus* in Oppido Novarum Liguriæ ortus: *Bernardus Bellinzonus* Florentinus origine, quamvis Mediolanenſium Ducum in aula aliquando verſatus: *Bertrandus Turrianus* Allobrox: *Carolus Goranus* in Plebe Cairi natus: *Franciſcus Romeus*, quem Quetif & Echard Florentinis accenſent: *Franciſcus Turrianus* abſque hæſitatione Hiſpanus: *Gaſparinus Burrus*, quem licèt Giannius in Annalibus Ordinis Servorum Mediolanenſem cenſuerit, monente tamen Viro eruditiſſimo Joanne de Auguſtinis Ord. Minor. Obſervantium, Venetum fuiſſe cognovi: *Joannes Antonius Bovius* Novarienſis: *Joannes Baptiſta Velatus* Pedemontanus: *Hieronymus Mercurius* Romanus: *Ludovicus Folianus* Mutinenſis: & *Pandulphus Sfondratus* Cremonenſis. Cùm autem Bartholomæus Curtius in Opere ſuo de Claris Medicis Mediolanenſibus, non ſuos tantummodo Cives recenſuerit, ſed pleroſque etiam aliarum Italicarum Urbium eximios Phyſicos laudarit, immo etiam non paucos extra Italicos fines degentes commemoraverit, ex ejuſdem Opere ſelegi haud multos, eâ ductus ratione, quòd diutiùs Mediolani verſati fuerint, atque ibi defuncti. Si verò in animum induxiſſem, ut plerique hujuſcemodi Collectionum Auctores conſueverunt, undique Scriptores coacervare, quò copioſior fieret, & illuſtrior Exterorum numerus, quis non videat quantam in molem Opus hoc excreviſſet? Etenim facili negotio S. Auguſtinus, eximium illud Catholicæ Eccleſiæ lumen, Eloquentiæ in Palatino Mediolanenſi Gymnaſio diu Profeſſor, quique hìc Cœlo natus eſt Sancti Ambroſii operâ, eadem de cauſa, quâ ipſum in Martyrologium ſuum Mediolanenſe intulit Boſca, congruum ſibi vindicaſſet locum. Cajus item Albutius Silo, qui ſub L. Piſone Proconſule, teſte Svetonio, cauſas in hac Urbe agebat, inter Exteros poterat numerari, quemadmodum & celeberrimus, omnique laude major Franciſcus Petrarca, necnon Chryſoloras, Franciſcus Philelphus, Franciſcus Puteolanus, innumerique alii, præſertim, ſi libuiſſet, cunctos Civitate donatos enunciare. At cùm Clariſs. Saxius de eis abundè egerit in præclariſſimis Operibus de Studiis Mediolanenſibus, & Hiſtoria Typographico-literaria huic Bibliothecæ annexis; ſatiùs duxi, eoſdem vel omnino omittere (præſertim eos, qui alibi terris valedixerunt), vel eos, qui hìc ſunt fato ſublati, jamque ab eodem Viro doctiſſimo commendati, proferre, illis tantùm adjectis, quæ, cùm ab illius inſtituto aliena forent, ipſe prætermiſit. Ne quis demum mihi ſuccenſeat, ſi inter Exteros Senatoriâ dignitate inſignes, multos nec de nomine ſalutatos reperiet, quamvis certo certius ſciam, complures eorum literarios fœtus ineditos maximè ſupereſſe; nam Schedas illas, quas ad efformandam abſolutiſſimam Senatus Mediolanenſis Hiſtoriam, Vir Clariſsimus Gaſpar Beretta Monachus Caſſinenſis collegerat, ſemel tantùm inſpicere mihi licuit, eoque tempore, quo nondum de Exteris etiam verba facere decreveram. Cùm verò rurſus eas ſpectandas poſtulavi, reſtiterunt mihi nonnulli, datam fallentes fidem, quorum nomini parcendum arbitror. Hoc eſt, quod te monitum volebam, Lector benevole. Vale, ac laboribus meis felix fruere.

INDEX

Digitized by Google

# INDEX
## SCRIPTORUM EXTERORUM.


Jacobus ANTIQUARIUS. Col. 2055.
Gaſpar ASELIUS. 2058.
Bartholomæus BAYPHIUS. 2059.
Gaſparinus BARZIZIUS. 2061.
Guinifortus BARZIZIUS. 2064.
Carolus BELLONUS. 2066.
Paulus BELLONUS. 2066.
Bartholomæus BERSANUS. 2068.
Petrus Paulus BONETTUS. 2069.
Gherardus BORGOGNI. 2070.
Hieronymus BORSERIUS. 2071.
Jacobus BOSCALINUS. 2072.
Jacobus BRACHIUS. 2074.
Julius Cæſar CALVINUS. 2075.
Maximilianus CALVUS. 2075.
Andreas CAMUTIUS. 2075.
Cæſar CARENA. 2077.
Placidus Aloyſius CAROELLUS. 2078.
Balthaſſar CASTILLIONÆUS. 2081.
Papyrius CATTANEUS. 2086.
Carolus Franciſcus CERESOLUS. 2087.
Demetrius CHALCONDYLES. 2090.
Julius CLARUS. 2093.
Martinus de COLLA. 2095.
Petrus Joſeph CROTTA. 2098.
Petrus Candidus DECEMBRIUS. 2099.
Ubertus DECEMBRIUS. 2106.
Joſeph DONDEUS. 2109.
Stephanus DULCINUS. 2109.
Julius Æmilius FERRARIUS. 2111.
Petrus GALESINUS. 2113.
Julianus GOSELINUS. 2119.
Petrus LEO. 2123.
Jacobus MAYNOLDUS GALARATUS. 2123.
Franciſcus MEDIOBARBUS BIRAGUS. 2127.
Jacobus MENOCHIUS. Col. 2128.
Julius MERCORUS. 2131.
Gaudentius MERULA. 2132.
Georgius MERULA. 2134.
Stephanus de NIGRIS. 2137.
Tydeus OLDOINUS. 2137.
Ziliolus OLDOINUS. 2139.
Fabricius PARAVICINUS. 2141.
Petrus Paulus PARAVICINUS. 2141.
Hieronymus PERBONUS. 2142.
Lucillus PHILALTHÆUS. 2144.
Octavianus PICENARDUS. 2146.
Sigiſmundus PICENARDUS. 2147.
Protaſius PORRUS. 2148.
Jacobus PUTEUS. 2149.
Carolus Gregorius ROSSIGNOLUS. 2149.
Gregorius ROSSIGNOLUS. 2151.
Auguſtinus RUBEUS de ARAGONIA. 2152.
Alexander RUBINUS. 2153.
Didacus SALAZARIUS. 2153.
Joſeph Hieronymus SEMENTIUS. 2155.
Nicolaus SICCUS. 2158.
Bonifacius SIMONETTA. 2160.
Cicchus SIMONETTA. 2163.
Joannes SIMONETTA. 2169.
Joannes Baptiſta SPECIANUS. 2172.
Joannes Petrus STAMPA. 2174.
Joſeph Maria STAMPA. 2175.
Balthaſſar TACCO, ſeu TACCONUS. 2177.
Julia TORNIELLA. 2178.
Auguſtinus TORNIELLUS. 2179.
Franciſcus Antonius TRANCHEDINUS. 2180.
Andreas TREVISIUS. 2181.
Georgius VALLA. 2181.
Ludovicus VIGNATUS. 2185.


Digitized by Google

# SCRIPTORES EXTERI.

# A

## I.

## ANTIQUARIUS JACOBUS.

EXterorum omnium Eruditorum, quorum hìc mentio habenda eſt, primus, elementario ordine ſervato, occurrit Jacobus Antiquarius Peruſinus Joannis filius, cujus Acta fuſiùs proſequi ſupervacaneum arbitramur, cùm hanc ſpartam more ſuo eruditiſſimè jam adornaverit Clariſs. Saxius in Hiſtoria Typographico-literaria Mediolanenſi, col. CCXLII. Immo eam ad rem Viro doctiſſimo omnia, quæ in ſchedulis noſtris collegeramus, libenter obtulimus, rati, ſi ipſa adderentur his, quæ ſummo labore ille jam comparaverat, ornatiorem Antiquarii memoriam in publicum proceſſuram. Neque nos ſefellit opinio; nihilque hìc addendum ſupereſt nobiliſſimo Operi, præter nomen jam prolatum Genitoris ipſius Jacobi; & nomen item patris Nicolai Antiquarii, de quo præfatus Clariſs. Saxius meminit in poſtremis lineis Actorum Jacobi. Is fuit Severus Jacobi frater, quemadmodum nos monuit humaniſſimus JC. Sitonus, quo teſte, Nicolaus ipſe anno Salutis MDXIII. inter Decuriones patriæ hujus computabatur, anniſque MDXXXI. & ſequenti inter XII Viros Proviſionum appellatos florebat; cùm priùs anno MDIX. unus fuiſſet ex VIII. Mediolanenſis Reipublicæ Legatis ad Ludovicum XII. Francorum Regem, Inſubriæ per ea tempora dominantem, Victoriam de Venetis partam gratulatum miſſis. Ex Blanca autem præſtantiſſima uxore Aurelium genuit, & Severum, quorum primus anno MDXXXI. alter verò anno MDXLIII. inter mortales degebant. Jacobus autem noſter obiit menſe Novembri, anni MDXII., & in Eccleſia S. Petri in Glaſſiate ſepultus jacet in hac Metropoli. His ad Familiæ hujus notitiam ſervandam poſteritati recitatis, pro Inſtituti noſtri ratione ſubdimus Jacobi ipſius Opera; neque enim prælaudatus Saxius, ne extra metam ſibi propoſitam vagari videretur, omnia recenſere voluit.

Ea ſunt :

I. Oratio Jacobi Antiquarii pro Populo Mediolanenſi in die Triumphi Ludovici Galliarum Regis, & Mediolani Ducis de fractis Venetis. *Mediolani, apud Alexandrum Minutianum, die 28. Junii 1509. curâ, & impenſâ Franchini Gafurii, in 4.*

II. Dicolos Tetraſtrophos. Ext. ad calcem ejuſdem libri.

III. Epiſtolæ eruditiſſimi, atque optimi Viri Jacobi Antiquarii Peruſini. *Impreſſa Peruſiæ, apud Leonem, operâ, & induſtriâ Coſmi Veronen. cognomento Blanchini, anno à partu Virginis 1519. in 4.*

IV. Epiſtola ejuſdem ad Jacobum Piccolomineum Cardinalem Papienſ. Dat. Kal. Januar. MCCCCLXXVIII. in qua deplorat cauſam belli moti à Pontifice Florentinis, excuſat illorum facinus, ſuadet, ut Pontificem ad pacem flectant. Extat inter Epiſtolas ejuſdem Cardinalis.

V. Plures ad Angelum Politianum, alioſque, cum eorum Reſponſionibus, nimirum:

1. Data Id. Novemb. MCCCCLXXXIX. in qua Antiquarius Politiani Miſcellanea impensè laudat, & Domitium Calderinum, apud eumdem excuſat.



2. Data Mediol. V. Id. Decemb. eodem anno, in qua rurſus de Calderino agit, & eruditionem Politiani iterum commendat, eundem Bartholomæi Chalchi verbis ſalutans.
3. Data ibid. XVI. Kal. Januar. ipſius anni, ubi meminit literarum Hieronymi Donati à ſe receptarum, quas ſe debere ait Politiano, quòd ſe apud Donatum in gratiam induxiſſet: humillimè de virtute ſua ſentit, ſibi gratulans, quòd eo ſæculo viveret, quo florebant latinæ linguæ inſtauratores Angelus Politianus, Joannes Picus, & Hermolaus Barbarus.
4. Data Mediol. Kal. Septemb. MCCCCXCIX. Sciſcitatur à Politiano, quid ſibi vindicet de tot laudibus, quibus quaſi gregatim ab omnibus celebratur.
5. Data ibid. XVIII. Kal. April. MCCCCXCII. Dolet de morte Laurentii Medices, rogatque Politianum, ut pompam, qua elatus eſt, ſibi ſcribat.
6. Data ibid. ſine die, & anno ad Marſilium Ficinum, cujus libros commendat.
7. Data ibid. Nonis Junii MCCCCXCIV. ad Bernardum Riccium, laudat Joannem Picum.
8. Data ibid. Nonis Auguſti ipſo anno ad Joannem Picum Mirandulanum, qua totus eſt in ipſius commendationem effuſus.
9. Data eodem die, & anno ad Politianum, cui gratias agit, quòd Pici amorem in ſe foveret, amborumque opem adversùs ſciolos quoſdam implorat.
10. Data ut ſupra ad eundem, in qua rurſus Picum laudat.
11. Data ibid. ipſoque anno XV. Febr. ad Politianum eundem, cujus literas ad Merulam, & Ludovicum Mariam Sfortiam Mediolani Ducem commemorat, & ſe daturum operam pollicetur, ut Merula oſtendat, quæ errata in Miſcellaneis Politiani deprehenderit.
12. Sine anno. Ad Politianum, quem docet de Merulæ ægritudine, & morte.
13. Data Mediol. Non. Aprilis MCCCCXCIV. ad eundem, in qua meminit concertationum ejus cum Merula.
14. Sine data. Politianum rogat, ne Georgii Merulæ Centurias edendas poſtulet.
15. Sine data. Eundem de eodem negotio precatur.

Omnes editæ ſunt inter Epiſtolas Angeli Politiani impreſſas apud *Aſcenſium, 1520 in 4.*

VI. Epiſtola ejuſdem ad Michaëlem Fernum de laudibus Jo. Antonii Campani, præfixa eſt Operibus ejuſdem Campani à præfato Ferno collectis, & *Romæ editis 1495. in fol.*

VII. Epiſtola ejuſdem, eſt poſt Bernardini Corii hiſtoriam edit. *Mediol. 1503.*

VIII. Altera in fronte Pſalterii Pentilinguis, eo hortante editi, data eſt Mediolani MDVI. *Genuæ, 1516.*

IX. Plurimæ aliæ, de quibus Joannes Maria Vibius ad calcem editionis *Peruſinæ*, 1519., de qua ſupra egimus, ita Lectorem monet: „ Reliquas „ Auctoris propinqui, quum ſibi laudem, & „ ſtudioſis voluptatem diutiùs invidere pigue„ rit, quas complures ingenioſas, doctas, mul„ tòque his fœliciores habent, imprimendas cu„ rabunt; interim has pauculas, quaſi guſtum „ non aſperneris „ &c.

X. Epitaphium Balioni Vibii. Extat cum Epiſtola ad Jacobum Paulinum Cancellarium Peruſinum inter editas *Peruſiæ*.

XI. Epigramma de morte cujuſdam Micheleti Hiſpani, qui ſub Cæſare Borgia ſtipendia meruerat. Habetur inter Epiſtolas editas ut ſupra.

XII. Aliud lepidiſſimum de Cremonenſi quadam puella, quæ ſenem eviraverat. Editum eſt inter Epiſtolas prædictas.

XIII. De Maximiliano Sfortia Mediolani Duce Epigramma. Extat ibidem.

XIV. Aliud in laudem Auctoris ſequentis libri, cui titulus „ Titi Romani, Egeſippique Athenienſis „ Amicorum Hiſtoria, in latinum verſa per Fr. „ Matthæum Bandellum Caſtronovenſem, Or„ dinis

Digitized by Google

„ dinis Prædicatorum : „ *Mediolani, per Gotardum Pontium*, 1509. *menſe Decembri*, *in* 4.

XV. Plurima alia Epigrammata, & Epiſtolæ, quæ paſſim occurrunt impreſſa in libris, qui ea ætate in lucem prodierunt, ut teſtis eſt Cl. Saxius in memorata Hiſtoria Typographico-literaria Mediolanenſi, quemadmodum & Carmina, quæ laudat Franciſcus Puteolanus, eodem Saxio teſte.

XVI. De Rebus Peruſinorum. Hoc Opus ſcribere aggreſſus fuerat primo juventutis flore, ſed prætermiſit incœptas lucubrationes ob diuturnam Mediolani moram, neque edere voluit ex eis quidquam, ut idem Auctor ſcribit Franciſco Maturantio, quem removet à ſpe concepta fore, ut hiſtoriam ipſam compleret.

XVII. Commentarioli breves, & conciſi de afflictis Inſubriæ rebus, exciſo Sfortiadum Principum imperio: de his Jacobus ipſe teſtatur ad eundem Maturantium ſcribens.

XVIII. Epigramma: Extat in fronte libri inſcripti „ Fun„ dationis Hoſpitalis magni Mediol. &c. „ *per Antonium Ghilinum*, *Mediolani* 1508. *in* 4.

Plures eruditiſſimi Viri eidem Antiquario literarios labores ſuos misêre, quos inter Michaël Fernus ei dicavit Opus ſuum de Legationibus Italicis.

Franciſcus Philelphus, præter Epiſtolas, quas eidem dedit, quæque leguntur inter ipſius Philelphi editas *Venetiis*, 1502. *in fol* pagg. 204. 207., & 257., eidem inſcripſit Inſtructionem bene vivendi, quæ vulgata eſt inter Orationes, & Præfationes ipſius Philelphi.

Franchinus Gafurius Laudenſis prælaudato Antiquario inſcripſit Opus Maphæi Vegii, cui titulus: „ Diſceptatio inter Terram, Solem, & Au„ rum. Item Epiſtolam ad eundem conſcripſit „ ante Dialogum Veritatis, & Philaletis ejuſ„ dem Vegii, atque demum alteram ante Dia„ logum ipſius de felicitate, & miſeria. „ *Mediolani, per Gulielmum Signerre*, 1497.

Eidem dicavit Georgius Valla Placentinus librum inſcriptum „ Introductorium in Galenum de „ Medicinæ principiis „ *Mediolani* editum; Vallæ verò Epiſtolam edidit Clariſs. Saxius pag. DXXXVI.

Franciſcus Puteolanus nuncupavit eidem „ Plinii „ Cœcilii Secundi ad Trajanum, aliorumque ad „ diverſos Principes Orationes „ de quo vide Cl. Saxium in Hiſtoria Typographico-literaria Col. CCXXXVII. Idem Puteolanus dicavit Antiquario librum „ Chirii Fortunatiani Conſulti de „ ratione dicendi „ *Mediolani* impreſs. Vide Saxium pag. DL.

Legitur etiam Franciſci Puteolani Epiſtola ad Jacobum Antiquarium, ante XII. Panegyricos veterum, *Mediolani* impreſſos, anno 1472. Hanc dedit Cl. Saxius pag. CCCCLXXXIII.

Philippus Beroaldus Antiquario miſit Canticum Franciſci Petrarchæ de Virgine Deipara à ſe in latinum converſum, cum Epiſtola. Extant inter Carmina Beroaldi.

Hieronymus Moronus plurimas ad Antiquarium Epiſtolas exaravit, quæ leguntur in Tomo I. Opuſculorum Moroni datæ annis MCCCCXCIX. & ſequentibus, pagg. 3. 7. 12. 35. 61. 62. 68. 70., & 127., atque in Tomo II. pag. 6. MSS. apud Marchionem de Sylva.

Ad eundem Epiſtolæ II. Joannis Pici Mirandulani reperiuntur inter hujus editas, in quarum prima meminit Picus literarum Jacobi ad Angelum Politianum, eaſque graves, & elegantes vocat; ſecunda verò ſic inſcribitur: „ Præcellenti, „ atque doctiſſimo Viro Domino Jacobo Anti„ quario tamquam Patri.

Extant etiam Epigrammata III. Joannis Biſſii ad eundem inter Carmina ipſius Biſſii impreſſa *Mediol.* 1493.

Lancini Curtii Ode ad Antiquarium, & ad Joannem Jacobum Ghilinum, præfixa eſt libro V. Sylvarum pag. 96. edit. *Mediol* 1521., quemadmodum ultima libri VI. pag. 129., atque altera libri IX. pag. 179.

Platini Plati Epigramma ad Antiquarium habetur inter Carmina Illuſtrium Poët. Ital. Tom. VII. pag. 265.

Celebratur Antiquarius noſter, præter jam citatos, à Pompejo Pellini in Hiſt. Peruſina, Alexandro Balleſtrino in Monumentis Gymnaſii Peruſini, Ludovico Jacobillo de Scriptoribus Umbriæ, Joanne Baptiſta Lauro Epiſtola LXXXII. Cent. II., Cæſare Alexio in Elogiis Cent. II., Paulo Merula in Deſcriptione Italiæ, Cæſare Criſpolto in Peruſia Auguſta, P. Joanne Paulo Mazzucchello in Schedis, atque humaniſſimo J. C. Sitono, qui nobis ejuſdem Geneſim tradidit deductam à Joanne Antiquario Auctoris patre uſque ad Severum Jacobi pronepotem, viventem anno MDXLIII.

## II.

## ASELLIUS GASPAR.

GAſpar Aſellius Cremonenſis, ſed Bartholomæi Curtii teſtimonio loco infra citando, Mediolanenſi Civitate donatus, ob eamque rem ab eodem inter Medicos hujus Urbis recenſitus, diu in Archigymnaſio Ticinenſi Chirurgiam, atque Anatomem auditoribus non ſine plauſu tradidit. Verſabatur tamen ferè ſemper Mediolani, quapropter hìc anno MDCXXII. die XXIII. Julii exceptum à Neotericis omnibus, magna cum admiratione detexit Arcanum de Lacteis Venis, adſtantibus celeberrimis Viris Alexandro Tadino, & Senatore Septala Ludovici Archiatri filio. Experimentum die XXVI. ipſius menſis, immo ſæpiſſimè poſtmodum iteravit in variis Animalium cadaveribus coram prædictis, & etiam jam laudato Ludovico Septala, Andrea Treviſio, & Quirino Cnoglero; de quo labore Opus conſcripſit numero I. à nobis recenſendum. Inde Joannes Pecquettus profeciſſe traditur ad indicandam nutritionis viam ex ductu, cui de ſuo cognomen fecit, per alium ductum Thoracicum in vena ſubclavia ad cor. Denatus eſt anno poſtquam redempti ſumus MDCXXVI. die XXIV. menſis Aprilis, conditusque jacet in Templo Sancti Petri Cœleſtini hujus Urbis, cum hoc Elogio:

B. M. S.

B. M. S.
GASPARI ASELLIO VIRO
MORVM SVAVITATE INCOMPARABILI
CIVI CREMONENSI
ANATOMES ET CHIRVRGIAE
IN TICINENSI ACADEMIA PVBLICO INTERPRETI
ATQVE IN BELLO CISALPINO
REGII EXERCITVS PROTOCHIRVRGO
QVI ANNVM AGENS XLV. OBIIT
ALEXANDER TADINVS ET SENATOR SEPTALIVS
EX COLLEGIO NOBIL. MEDIOL.
PHILOSOPHI AC MEDICI
AMICO OPTIMO MOESTISSIMI
PP.
DIE XXIV. APRIL. MDCXXVI.

Habentur illius :

I. De Lactibus, ſive lacteis Venis, quarto Vaſorum neceſſariorum genere, novo invento. Diſſertatio, qua ſententiæ Anatomicæ multæ, vel perperam receptæ convelluntur, vel parùm perceptæ illuſtrantur. *Mediolani, apud Jo. Baptiſtam Bidellium*, 1627. *in* 4. *cum figuris*. *Baſileæ, ex Officina Henrici Petri*, 1628. *in* 4. *& ibid. ex Officina Joannis Maire*, 1640. *in* 4. *& Amſtelodami, apud Jo. Blaëu*, 1645. *in fol.* ex recenſione Joannis Van-der-linden. Editionem Mediolanenſem curarunt, addita etiam præfatione, Alexander Tadinus, & Senator Septala, Auctoris amiciſſimi, jam memorati, atque Senatui Mediolanenſi nuncuparunt.

A

II. De Venenis.

III. Obſervationes Chirurgicæ. Hæc duo poſtrema Opera MSS. pervenerunt ad eoſdem Tadinum, & Septalam, atque hactenus ſunt inedita.

Ipſum laudarunt Auctores Ephemeridum Eruditorum Lipſiæ ad annum MDCLXVII. ſupracitatus Van-der-linden de Script. Medicis, præfatus Curtius de Medicis Mediol. pagg. 136. 165., & 176. Ariſius in Cremona Literata pagg. 80, & ſequenti. Mangetus in Biblioth. Scriptor. Medicor. Tomo primo, aſſerens ſe aliàs exiſtimaſſe ipſum patria Ticinenſem.

# B

## III.

## BAPHIUS BARTHOLOMÆUS.

Bartholomæus Baphius Luciniani in Etruria natus hìc recenſendus eſt, ne vitio mihi tribuatur, quòd ipſum à Picinelli Athenæo Mediolanenſi expunxerim. Hic à pueritia non uno ſcientiarum genere, & bonarum artium ſtudio ſe exercuit; juvenilique ætate, quo liberiùs Deo vacare poſſet, mundo valedicens, Minorum Conventualium Inſtituto ſe addixit. Religioſis in eo cœtu moribus aliquandiu effulſit, & perpeti divinorum Codicum lectione, orationiſque ſtudio addictus, non doctrinâ solùm, ſed virtutum quoque ſplendoribus coruſcavit. Veruntamen perfectioris vitæ deſiderio flagrans, anno ſuæ ætatis XXX. ad Capuccinorum clauſtra convolavit; votique ſui compos effectus, alumnis Mediolanenſis Provinciæ annumeratus eſt. Ipſius eruditione perſpectâ, majorum decreto generalis Lector inſtitui meruit, & in hac Metropoli compluri mos divini verbi præcones ſapientiâ præſtantes efformavit. Ipſum Wadingus ſacræ Theologiæ profeſſorem

B

inſignem extitiſſe aſſerit in Academia Ticinenſi, verùm ignoramus, utrum hoc munus exercuerit, dum Conventualium leges ſequebatur, vel poſtquam ad Capuccinos tranſivit. Certum illud tenemus, Baphium eloquentiâ plurimum valuiſſe, ut oſtendunt elegantiſſimæ Orationes, quas variis in locis habuit, inferiùs recenſendæ. Dignum ipſum habuit Summus Pontifex, qui ad ſacrum Tridentinum Concilium mitteretur; & ibi Patres facundiam illius mirati ſunt, cùm Dominica II. Adventus Domini publicè dixit. Virtutes ſui Inſtituti peculiares egregiè coluit, & piè geſtis illuſtris, die VI. menſis Januarii, anno ſalutis humanæ MDLXXVII. Mediolani apud Suos diem obiit.

C

Superſunt ipſius

I. Oratio ad Patres in Tridentino Concilio congregatos. *Brixiæ, apud Ludovicum Sabienſem*, 1563. & in editione Lovanienſi Concilii Tridentini pag. 348., & in Conciliis Labbei Tomo XIV. col. 1462.

II. Aliæ plures Orationes Latinæ. *Brixiæ*, 1570.

III. De admirabili Dei providentia erga Romanum Populum, Opuſculum. *Mediolani*, 1562. *in* 4.

IV. Oratio de Nobilitate Urbis Mediolani. *Bononiæ*, 1562. *in* 4.

V.

V. Alia ad Populum Romanum in Comitiis generalibus habita. *Mediolani, apud Pacificum Pontium*, 1567.

VI. Oratio ad M. Antonium Columnam Cardinalem, de admirabili Dei in Romam charitate. *Ibid. apud eundem*, 1569. *in* 4.

VII. De Sacroſanctæ Theologiæ præſtantia, deque Dei Opt. Max. pro eadem propugnatione, Oratio, in exordio ſuarum Lectionum, habita VIII. Id. Novembris MDLXIX. *Papiæ, apud Barthol.um*, *in* 4.

VIII. Tractatus plures Philoſophici, MSS.

IX. Alii permulti Theologici, MSS. De his poſtremis Articulis teſtem adducimus Dionyſium Genuenſem infra citandum, qui aſſerit hæc Baphii Opera in variis ſui Ordinis Bibliothecis aſſervari.

Ipſius cum laude meminerunt Boverius Tomo I. Annal. Capuccinor. Toſſinianus lib. III. Hiſtor. Seraph. pag. 311. VVadingus inter Scriptores Ord. Minor. Martyrol. Franciſcanum ad diem VI. Januarii. Dionyſius Genuen. in Biblioth. Script. Capuccinor. pag. 45., & Sitonus noſter in Schedis. Ignotus verò fuit Cl. P. Julio Negri Soc. Jeſu, qui de Scriptoribus Florentinis Volumen typis dedit, ut alibi monuimus.

## I V.

## BARZIZIUS GASPARINUS.

PRæclariſſimum Virum Gaſparinum Barzizium pro inſtituti noſtri ratione hoc loco laudandum ſuſcipimus, eoque libentiùs, quòd nullus ad hanc uſque diem Opera omnia, inedita præſertim, & in Bibliothecarum ſcriniis, cum blattis tineiſque pugnantia, in medium protulerit ad poſterorum memoriam deducenda. Natus ille eſt Barziziæ minimi nominis vico, haud longè ab Urbe Ciſalpinæ Galliæ Bergomo, atque à natali ſolo cognomen traxit, quamvis perſæpè non Barzizius, ſed Bergomenſis, ſive ut alii ſcribunt Pergamenſis, nuncupetur. Pater illi fuit Bettinus, cùm per ea tempora, in finem ſcilicet vergente ſeculo XIV. Barnabas Vicecomes Galeacii Frater Bergomenſibus imperitaret. Pueritiam, atque adoleſcentiam inter bonarum artium ſtudia tranſegit, quæ tametſi tempeſtate illâ ſordida adhuc eſſent, & obſcura, Gaſparinus tamen, ut præclarâ indole præditus, Marcum Tullium ſibi exemplaris loco proponens, illius Volumina ſedulo pervolutans, ad eum Latini ſermonis candorem, vimque eloquentiæ pervênit, quæ ipſius in Operibus ſatis eluceſcunt. Adultus, quæ ſummo labore didicerat, aliis tradere cœpit, ne ſibi tantummodo natus videretur, inſignemque literarium ludum Bergomi ſtatuit; interim Lucretiam de Alliardis nobiliſſimam conjugem, ex qua plures liberos, quos inter Guniſortum haud multò poſt laudandum, ſuſcepit, ſibi deſpondens. Ineunte autem ſeculo XV. Mediolanum, ex patria veniens, ad Joannem Galeacium Vicecomitem Inſubriæ Principem, Ticini aliquandiu conſtitit, donec anno MCCCCVI. Venetias profectus, ibidem adoleſcentes eloquentiæ præceptis imbuendos ſuſcepit. Sequenti verò anno Patavium à Reipub. Moderatoribus miſſus, conſtituto centum viginti Ducatorum ſtipendio muneratus, tantùm laudis ſibi promeruit, ut mirabili concurſu adoleſcentium, Gymnaſium illud frequentaretur. Eos inter commemorandus eſt inſignis ille Orator Franciſcus Philelphus Tolentinas Vir ſummo ingenio, & incomparabili eruditione. Anno autem MCCCCX. defuncti Jacobi fratris ſui ſuperſtites liberos octo piiſſimè laribus ſuis excipiens, brevì rei familiaris penuriâ laborare cœpit, ideoque annonæ caritate Patavium premente, Ferrariam profiſci ſtatuit, ubi Familiam ſuam Comiti Ludovico Bonifacio alendam commendavit. Perſonabat inte-

A rim Viri famâ, & nominis celebritate Italia univerſa, ideo Bononiam accerſitus eſt, curantibus Andrea Barbatia, atque Jacobo Iſolano, ſed cùm liberos ſuos, & fratris filios eò traducere difficillimum foret, oblatam cathedram modeſtè recuſavit, Patavium reverſurus. At cùm Gymnaſium illud ob bellorum motus, ferventeſque armorum tumultus interceptum foret, atque juvenes in vicinas quiſque Urbes digreſſi, auditorium fermè vacuum reliquiſſent, maluit Barzizius Venetias ſecedere, tantâ tamen preſſus inopiâ, ut libros etiam, quibus nihil ei charius, diſtrahere ſit coactus. Verùm cùm tantiſper ceſſaſſent arma, & Patavium anno MCCCCXII. repetiiſſet, adeo Lycæi dignitati amplificandæ ſtuduit, ut apud Fantinum Dandulum, Virum de Literaria Repub. optimè meritum, magnam ſibi gratiam

B comparaverit, eoque curante, Senatus Venetus Gaſparino quadraginta Ducatorum annuum Minerval veteri ſtipendio addiderit. Interim Barzizius emendandis Ciceronis Operibus, quæ ſolertiſſimâ curâ undique collegerat, ſedulam navavit operam. Principibus Viris chariſſimus extitit, Nicolao ſcilicet Eſtenſi Ferrariæ Marchioni, atque Philippo Mariæ Mediolani Duci; ſummiſque ſuæ tempeſtatis Eruditis Franciſco Cardinali Zabarellæ, Andreæ Juliano, Danieli Victurio, Franciſco, & Zachariæ Barbaris, Petro Thomaſio, Lazarino Reſtæ, Facino Ventrariæ, aliiſque non minimi nominis. Cùm autem horum conſuetudine jocundiſſimâ frueretur, nihil tale unquam ſuſpicatus, à Philippo Maria Vicecomite præmemorato Domino ſuo evocatus fuit Mediola-

C num, quod ægrè licèt perficere coactus, hanc ad Metropolim venit. Exceptus eſt benigniſſimè adeo, ut quotidie ad miſcendos cum Principe literariis de rebus ſermones admitteretur. Quod reliquum erat temporis impendebat Barzizius excolendis nobilium adoleſcentum ingeniis, vel Codicibus Latinis emendandis, quos inter Quintilianum purgatiſſimum reddidit, atque Ciceronem de Oratore ad M. Brutum ex Codice Gerardi Landriani, tunc Laudenſis, poſtmodum Comenſis Epiſcopi, & Cardinalis, quem ſuo loco laudavimus. Demum literariis laboribus fractus, nunquam à docendo, ſcribendoque feriatus, anno MCCCCXXXI. Mediolani, non autem Bononiæ, anno MCCCCXXVIII. vel ſe-

D quenti, ut Konigius, Calvus, & alii ſenſerunt, diem clauſit ſupremam, mœrentibus Civibus tanti Viri jacturam, qui jacentes Latinas literas ſua virtute, perennique ſtudio reſtituerat. Superſtites reliquit Barzizius Chriſtophorum inſignem Medicum in Patavino Gymnaſio ejuſdem facultatis Interpretem, Joannem Auguſtinum Juriſperitum, & Guiniſortem, de quo mox dicendum.

Barzizii ingenium commendant, quæ ſequuntur, Opera:

I. Gaſparini Barzizii Bergomatis, & Guiniforti Filii Opera, quorum pleraque ex MSS. Codicibus nunc primùm in lucem eruta recenſuit, ac

E edidit Joſeph Alexander Furiettus Bergomas utriuſque ſignaturæ Referendarius. Pars I., & II. *Romæ, apud Jo. Mariam Salvioni*, 1723. *in* 4.

II. De compoſitione, prima elocutionis parte. Extat ibid.

Idem Opus ſcriptum anno MCCCCXXVIII., ext. MS. in 4. Biblioth. Ambroſ. ſign. R. n. 1.

III. Orationes Variæ, numero XXVII., extant in ſuprà laudata editione Romana.

Gaſparini Barzizii ad Regem Cypri, Orationes duæ, MS. in Laurentiana Medicea. Pluteo XLVIII. num. V ex Montfaucon Tom. I. col. 334.

Oratio in morte Zanini Riccii, MS. Bibl. Ambroſ. ſign. M. n. 4. in 4.

Oratio ad Alexandrum Papam.

Altera ad Fantinum Dandolum. Extant ambæ in Cod. MS. Biblioth. Ambroſ. ſign. S. n. 37. in 4.

IV. Epiſtolæ Familiares. Ext. in dicta editione Cl. Furietti.

V. Epiſtolæ ad Exercitationem accommodatæ. Ibid.

Ejuſdem

Digitized by Google

Ejuſdem Epiſtola in laudem S. Baſilii, & ad eam reſponſio, in Cod. olim Alexandri Petaccii, nunc in Vaticana ſign. 973. ex Montfaucon.

Epiſtolæ Gaſparini Pergamenæ.

Ejuſdem exordia Epiſtolarum MS. uno volumine membranaceo in Bibliotheca Laurentiana Medicea Pluteo XLVII. num. XXXV., ex Montfauconii Bibl. MSS. Tom. I. fol. 333.

Gerardi Landriani Epiſtola ad Gaſparinum Barzizium. Extat inter Epiſtolas familiares iſtius, editionis *Romæ*, 1723. pag. 151.

Gaſparini Barzizii Epiſtolæ ad Gerardum Landrianum Extant in MS. Cod. Bibliothecæ Ambroſianæ ſign L. n. 69. in 4.

Gaſparini Pergamenſis Epiſtolæ, MS. in Regia Pariſien. num. 6436., & 6465., ex Montfauc. Biblioth Biblioth. MSS. Tomo II. fol. 763.

Altera ejuſdem MS. in Biblioth. Monaſterii Murbacenſis in Alſatia, teſte Montfauc. Tom. II. fol. 1177. ſed ad quem ſcripta ſit, reticetur.

Gaſparini Pergamenſis, clariſſimi Oratoris, Epiſtolarum liber impreſſus ſine anno, loco editionis, & Typographi nomine. Extat in Biblioth. Cathedralis Metenſis, teſte Montfauconio Tomo II. Biblioth. Biblioth. MSS. fol. 1381.

Ejuſdem ad Franciſcum Boſſium Epiſcopum Cumanum in morte patris conſolatoria, ext. in Cod. MS. Bibliothecæ Ambroſ. ſign. M. n. 40. in 4., & in altero ſign. M. n. 4. in 4.

VI. Gaſparini Pergamenſis Orthographia. MS, in fol. Extat in Biblioth. Taurinenſi ex eodem Montfauc. Tomo II. fol. 1397.

Idem Opus MS. in fol. in pergameno cum miniaturis deauratis, & literis rubronigris, Codex certè magnifacendus, qui erat Bibliothecæ FF. S. Mariæ Coronatæ Mediol. extat in Bibliotheca Ambroſiana ſign. R. n. 67., ſicut & alter Codex chartaceus ſign. A. n. 135. in fol.

VII. Ortographia, quam multis in locis publicè docuit, ut recta ſcribendi ratio ad certam legem aliquando, ordinemque revocaretur. *In Sorbonæ ædibus impreſs.* 1470.

VIII. Ethimologica, & Ortographica, MS. in Bibliotheca Ambroſiana ſign. Q. n. 10. in 4.

Latinarum Vocum Ethymologia. *Brixiæ*, *per Damianum Turlinum*, 1573.

IX. Gaſparini Oratoris de præceptis elocutionis. In Vaticana inter MSS. Reginæ Sveciæ 1395., ex Montfaucon. Biblioth. Biblioth. MSS. Tom. I.

De Elocutionis ordine, junctura, numeris, &c. MS. Biblioth. Ambroſ. ſign. G. n. 44. inter, impreſſos cum Fliſco de modis loquendi ex Geſnero.

X. Practica Oratoris, MS. Biblioth. Ambroſ. ſign. A. n. 36. in 4.

XI. Vocabularium de Rebus Divinis, &
De Elementaribus,
De Volatilibus,
De Aquaticis,
De Terreſtribus,
De Sylvis, & Arboribus,
De Ædificiis Ruſticis,
De Suppellectile, & Vaſis Domeſticis, ſecundùm ordinem partium domus,
De Homine, & partibus ejus,
De Ornamentis, & Veſtibus.
De Armis.

MS. in Ambroſiana ſign. Q. n. 10. in 4., & Impreſs. *Venetiis*, 1524. juxta Geſnerum, ſed ſi ex integro, juxta hunc Cod. MS. ignoramus.

XII. De Magiſtratibus Romanis, in Taurinenſi num. 1922. teſte Montfauc.

XIII. Epitome Livii per Gaſparinum Bergamenſem. Deſinit in hæc verba: „ & ſupremis plures honores dedit „ MS. in Vallicellana Bibliotheca, Cod. ſign. G. num. 8. ex eodem.

XIV. Ciceronis Libri de Oratore, de Senectute, de Officiis, & Epiſtolæ cum Commentariis doctiſſimis Gaſparini Barzizii, ex Præfatione Cl. Joſephi Alexandri Furietti, editioni Operum ejuſdem Gaſparini, & Guiniforti præfixa, teſte adducto Marco Antonio Sabellico in libro de Latinæ linguæ reparatione: dolendum eſt, quòd Commentaria iſta deperdita ſint, nonnulla verò eorundem fragmenta in Orationes in Marcum Antonium, atque in libros de Oratore, extant in Bibliotheca Camaldulenſium Eremitarum in Tuſcia, in MS. Codice anni MCDXXVI., teſte eodem Furietto.

XV. Quintilianus, quem Poggius fortunæ beneficio ſervatum, unà cum Valerio Flacco, & Aſconio. Pediano in Monaſterio S. Galli integrum detexit, veteri ſquallore deterſus, ac priſtinæ reſtitutus dignitati, Aretini, & Barzizii operâ, ad maximum Latinæ linguæ incrementum acceſſit. Teſtibus Marco Antonio Sabellico, Blondo Flavio, & Raphaële Volaterrano.

XVI. Tractatus de Eloquentia, quem de ratione ſcribendi Sabellicus vocat, ita Simlerus, ipſumque extare aſſerit unà cum Stephani Andreæ Fliſci de modo loquendi.

XVII. Quædam ejuſdem reperiri inter MSS. ejuſdem Biblioth. Vaticanæ num. 1877. ait idem Montfauconius.

De ipſo videndi ſunt Fabritius Bibliothecæ Latinæ medii ævi Tom. I. pag. 488., & Tom. III. pag. 65. Calvus in Libro „ Scena Letteraria „ degli Scrittori Bergamaſchi „ p. p. pag. 184., & ſupradictus Furiettus in editione ſupra laudata.

## V.

## BARZIZIUS GUINIFORTUS.

Ex Viro præclariſſimo Gaſparino Barzizio, cujus mox elogium dedimus, atque Lucretia de Alliardis, anno MCCCCVI. ortus eſt Guinifortus, & ut ſuſpicamur Ticini, ubi ad id uſque temporis pater conſtitit, idque indicat nomen ipſum, ſatis ea in Urbe notum ob memoriam Sancti Martyris Guiniforti, qui cœptam Mediolani glorioſiſſimam confeſſionem, Ticini perfecit, ibique tumulatus conquieſcit, de quo fuſiùs agit Boſca in Martyrologio Mediolanenſi ad diem XI. Kalendarum Auguſti. Indolem mirabilem ſortitus Barzizius lauream percepiſſe traditur Ticini, annos natus XI. nullamque bonarum artium inſalutatam reliquit; immo nec ab armis abhorruit; anno etenim MCCCCXXXII. in Hiſpaniam profectus, militiæ nomen dedit, atque Alphonſum Regem ad Gerbim Inſulam oppugnandam ſecutus eſt. Sequenti tamen anno Mediolanum veniens latinis tradendis literis totus vacavit. Aſſerit Calvus, ipſum ab Alphonſo conſtitutum Præfectum Portus Veneris, & Erycis in ora Liguſtica. Philippus autem Maria Vicecomes Mediolani Dux, Conſiliarii, Vicariique ſui dignitate Barzizium decoravit, & ad Principes aliquot Oratorem miſit. Novariæ primùm, mox etiam Mediolani literas docuit, atque in hac Urbe lares ſtatuit, deſponsâ ſibi Joanninâ Malabarbâ ex Capitaneis de Sexto. Ex eadem ſuſcepit Joannem Paulum Magiſtratus extraordinariorum redditum Quæſtorem, & Gaſparem Ambroſium, Bonæ, & Joanni Galeacio Mediolanenſibus Ducibus chariſſimum, atque ab iiſdem magnis muneribus affectum. Quis emortualis Guiniforto annus extiterit, divinent alii, certè nulla ipſius occurrit mentio poſt annum MCCCCL. ex quo conjicimus, paulò poſt deſideratum fuiſſe. Ceterùm Mediolani diem clauſiſſe ſatis evincit filiorum dignitas patri ſuperſtitum.

Quanto autem ingenio floruerit, teſtantur:

I. Guiniforti Barzizii Bergomatis Gaſparini filii, Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolani Ducis Oratoris, ac Ducalis Vicarii, Orationes, & Epiſtolæ. *Romæ*, *apud Jo. Mariam Salvioni Typographum Vaticanum in Archigymnaſio Sapientiæ*, 1723. *in* 4.

Orationes ſunt numero XIV.

Oratio in Sponſalibus Philippi Borromæi. Extat in Bibliotheca Ambroſiana MS. in 4. ſign. M. n. 40. & eam edidit Cl. Muratorius in Anecdotis Tom. II. pag. 241.

Epiſtolæ verò ſunt XXXIX. Ext. in ead. edit.

II. Ex Plutarcho de liberis educandis, & de procreatione liberorum. Ibid. pag. 175.

III. Commentaria in Dantis Poëmata. Ex Calvi pag. 311. & ex Præfatione Furietti.

Hæc addere juvat, ad uberiorem notitiam Operum hujus Scriptoris.

IV. De rebus Geſtis ab Alphonſo Rege Aragonum, & Siciliæ adverſus Regem Tunes apud Inſulam Gerborum: Ad Bartholomæum (*Vicecomitem*, de quo

quo nos ſuo loco in noſtra Bibliotheca,) clariſſimum Novarienſem Pontificem. Incipit *Sæpe numero*, &c.

Oratio habita in Civitate Barchinone penès Sereniſs. Principem, & Clementiſs. Dominum D. Alphonſum D. G. Aragonum, Siciliæ, Valentiæ, Sardiniæ, Majoricarum, Corſicæ, &c. Regem. Incipit: *Conſtitueram primum*, anno MCCCCXXXII. die XIV. menſis Martii habita fuit.

Oratio in Sponſalibus Philippi Borromæi adoleſcentis ornatiſſimi. Incipit: *Video Magnifici Domini* &c.

Oratio in Sponſalibus Joannis de Federicis, viri generoſi. Incipit: *Quæ duo commoda* &c.

Epiſtolæ quamplurimæ.

Epiſtola elogialis ad divinum Principem Joannem Sereniſſimum Regem Caſtellæ. Incipit: *Sæpe antea* &c Hæc omnia extant in MSS. Cod. Biblioth. Ambroſianæ.

V. Expoſizione de alcuni Sonetti di Meſſer Franceſco Petrarcha facta da Meſſer Guiniforto de Barzizii, a diſpoſizione de lo Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Signore Duca di Milano; extat in Cod MS. Comitis Donati de Sylva Equitis eruditiſsimi Mediol.

VI. Senecæ Tragœdiæ cum nonnullis Notis marginalibus Guiniforti Barzizii. Codex ſcriptus manu ejuſdem Barzizii, optimæ notæ; extat apud eundem.

Videndi ſunt Scriptores omnes, quos jam citavimus ad calcem Articuli ſuperioris ejus patris.

A

## VI.

## BELLONUS CAROLUS.

PAuli, de quo ſequenti Articulo verba fient, atque Aureliæ Viſcardæ conjugum filius extitit Carolus Bellonus, anno MDCVI. in Urbe Ticinenſi natus. Per egregia parentis optimi veſtigia ad honores tendens, viam ſibi ſtravit ingenii culturâ; minoribus etenim ſtudiis ritè perfectis, ad Juriſprudentiam ſe convertit, in qua facultate lauro donatus ſic claruit, ut etiam Senator Inſubriæ primùm, mox Regens, tandemque Præſes renunciari meruerit. Oratoriam Artem, præter Juriſperitiem coluit, ejuſque plura dedit ſpecimina. Tandem mortalibus, magnâ cum integritatis laude ſibimetipſi ſuperſtes, anno MDCLXXXII. valedixit, atque in Templo Sancti Caroli apud Nudipedes Carmelitas hujus Metropolis tumulatus eſt, hac Inſcriptione à Carolo Maria Maddio V. Cl. conſcriptâ, Sepulchro ejus appoſitâ, quam hîc damus:

B

COMES DON CAROLVS BELLONVS
E SENATORIA DOMO PATRIAE ORATOR,
REGII FISCI ADVÓCATVS, SENATOR,
ET IN SVPREMO RERVM ITALICARVM CONSILIO
APVD CATHOLICAM MAIESTATEM REGENS,
MEDIOLANENSIS REDDITVVM ORDINARIORVM MAGISTRATVS,
MOX SENATVS PRAESES
POST OMNES TOGAE GRADVS
DOCTRINAE LVCE,
ET INTEGRITATIS CONSTANTIA INSIGNITVS
HVMANITATIS SVAE RELIQVIAS
BEATAM AETERNITATEM EXPECTANTES
HIC COLLIGI IVSSIT.
COMES DON ALOYSIVS REGII FISCI ADVOCATVS,
ET DON IOANNES FILII
OBEDIENTIAM, ET PIETATEM PRAESTITERE
ANNO MDCLXXXIII.

Scripſit:

I. Orationes plures Latinas, inter quas eminet illa, quam habuit in Laurea Legali Comitis Bartholomæi Areſii.

II. Allegationes Juridicas quamplurimas tam editas, quàm MSS., quæ extant apud J. PP. Mediolanenſes, & penès eruditiſſimum Comitem Carolum Bellonum Auctoris nepotem.

III. Vota Fiſcalia, de quibus Volumen effici poteſt. Extant apud eundem.

C

## VII.

## BELLONUS PAULUS.

PAulum Bellonum, Aloyſio, & Angelica Roſa parentibus natum in inſigni Oppido Valentiæ ad Padum anno MDLXXIII. Ticinenſis Urbs inter præclariſſimos Cives ſuos jure ſemper memorabit; ſive enim Eruditionis legalis, ſive Oratoriæ facultatis ornamenta, quibus ingenium ejus eluxit, inſpiciamus, mira ſemper erit apud poſteros tanti Viri ſuperſtes cineribus fama. Laureâ inſignitus, haud multò poſt in Archigymnaſio Papienſi publicus atque primarius Juris Interpres conſtitui promeruit, quo in munere, cùm utriuſque linguæ, Latinæ videlicet & Græcæ, ſingularem ſibi peritiem jampridem comparaſſet,

Digitized by Google

paraſſet, acuta etiam polleret, vivacique mente, Auditoribus ſic profuit, ut & nominis ſui celebritatem longè latèque diffunderet. Quapropter virtutis commendatione ad Senatoriam Cathedram in ſummo Inſubriæ Magiſtratu evectus eſt anno MDCXIX., & poſtmodum Prætorios Faſces Cremonenſes ſummâ cum laude geſſit, ejuſdem Urbis Civibus adeo charus, ut tributim centuriatimque inter Patricios, ac Decuriones illius computatus fuerit. Anno demum MDCXXV. Mediolani diem vidit extremam XI. Kal. Maji, cùm ejuſdem meritis majores jam pararentur gradus. Conditus eſt in Templo Sancti Fidelis Societatis Jeſu, iſque primus ad hanc Metropolim lares tranſtulit, gentemque propagavit adhuc in ea florentem. Frater illi fuit Fabius JC. Clariſs. de quo nonnulla dicemus infra num. V. inter Pauli Opera.

Ea ſunt:

I. Pauli Belloni JC. Coll. & Advocati, Excellentiſſimi Senatus Mediolanenſis beneficio primarii horis matutinis Profeſſoris, & in Sacroſancto Tribunali Inquiſitionis Commiſſarii, de Poteſtate eorum, quæ incontinenti, vel ex intervallo fiunt, liber primus. Ad Mutium Sfortiam Vicecomitem, Marchionem Caravagii &c. *Ticini, apud Andream Vianum*, 1618. *in fol.*

II. Pauli Belloni JC. Coll. Ticinenſis Patricii, Regii Mediolanenſis Senatus Præſidis &c. de Poteſtate eorum, quæ incontinenti, vel ex intervallo fiunt, ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Feriæ Ducem, Mediolani Gubernatorem, liber ſecundus. *Mediolani apud Joannem Baptiſtam Bidellum*, 1621. *in 4.*

Hoc Opus manu Auctoris ſcriptum, extat apud Com Carolum Bellonum inter Equites Mediolanenſes omni eruditione, & præſertim in Mathematicis ſcientiis ornatiſſimum, Pauli iſtius pronepotem.

III. De Georgio Ripa JC. Academico (l'*Arrivato*) Senatore creato, Oratio habita in Illuſtriſſima Intentorum Academia à Paulo Bellono JC. Coll. in eadem Academia (l'*Inquieto*) ad Bartholomæum Brugnolum. *Papiæ, apud Hæredes Bartoli*, 1598. *in 4.*

IV. De Laudibus B. Alexandri Sauli Congregationis D. Pauli, olim Ticinenſis Epiſcopi, Oratio Pauli Belloni, in Ticinenſi Gymnaſio Legum Interpretis primarii, nunc Senatoris Regii Senatus Mediolani. *Papiæ, apud Joannem Baptiſtam Rubeum*, 1620. *in 4.* Hunc librum edidit Octavianus Picenardus JC., dicavitque Fabricio Landriano Ticinenſi Epiſcopo.

V. Fabii Belloni JC. Clariſs., olim in Ticinenſi, deinde Primarii in Taurinenſi Academia Legum Interpretis de Jure ſui liber. *Ticini, apud Petrum Bartoli*, 1617. *in 4.* maximo. Hunc librum edidit Paulus Bellonus, dicavitque Julio Areſio Præſidi Senatus Mediol. Regioque Conſiliario, & ut meliùs Lector agnoſcat ſupradicti Fabii Belloni merita, & virtutes, juvat, hîc aliqua verba excribere ejuſdem Epiſtolæ nuncupatoriæ, in qua ſic loquitur Paulus Bellonus „ nemini puto magis te „ ipſo, Præſes ampliſſime, notum eſſe quinam fue„ rit Fabius Bellonus frater meus, qualis quan„ tuſque JC. quanta dicendi planè Romana, & „ Attica inſtructus ſuppellectile „ &c. Inde proſequitur narrando, Fabium ætatis annorum XXV. ad Lecturam Juris Civilis in Univerſitate Taurinenſi ibidem biennio tranſacto è vivis exceſſiſſe, poſtea verò Paulus de eadem Fabii morte ſic „ immatura familiæ noſtræ, atque adeo „ toti Inſubriæ, quibus maximum erat conciliatu„ rus ſplendorem &c. Si diutius vixiſſet priſti„ no nitori Juriſprudentiam noſtram, depulſa „ barbarie, reſtituturum &c. In bonos quoſque „ Scriptores lucubrationes Miſcellaneæ, quæ pro„ pediem lucem adſpicient &c. Quam plurima „ alia interierunt, ſed eum libellum doleo, an„ gorque vehementer fuiſſe ſubtractum, quo „ centum obſcuriſſimos noſtrorum JCrum locos „ frater illuſtraverat, quemque typis deſtinaſſe „ mihi ſuis literis ſignificaverat &c. Illi (ſcilicet „ Fabii diſcipuli) Opus perfectum & plane di„ gnum, quod in Arce Minervæ omnibus ſpe„ ctandum proponeretur, vidiſſe ſe mihi, fratre „ mortuo, adfirmarunt „.

VI. Orationes aliæ plures Latinæ, inter quas eminet illa quam habuit in funere Philippi *III.* Hiſpaniarum Regis, VII. Idibus Junii, MDCXXI in Templo Maximo hujus Urbis. *Mediolani, apud Malateſtam, in 4.*

VII. Poëmata varia in Laurea Antonio Ferno collata, ad Cardinalem Federicum Borromæum. *Mediolani* 1610. *in 4.* Præter Carmina Pauli noſtri, extat etiam Oratio Latina ejuſdem Pauli.

De eo Ghilinus in Theat. Eruditor. Part. I. pag. 351., & Amiciſſimus Sitonus noſter in Schedis.

## VIII.

## BERSANUS BARTHOLOMÆUS.

BArtholomæus Berſanus Julii filius in Oppido Hortæ, quod caput eſt Ripariæ Sancti Julii Diœceſis Novarienſis, natus, perceptis legalibus ſcientiis, lauream conſecutus eſt in Archigymnaſio Ticinenſi. Praxim forenſem in Mediolanenſi Urbe peregit ſub Magiſterio celeberrimi Cauſarum patroni Joſephi Mariæ Fulli JC C. Laudenſis, in hac Metropoli apud Regios Inſubriæ Moderatores Patriæ ſuæ Oratoris, hujuſque Ditionis Regii generalis Vicarii. Laribus hìc fixis potiorem vitæ ſuæ partem duxit, bonis ſemper ſtudiis intentus; nam præter Juriſprudentiam, in qua præſertim excelluit, Oratoriam quoque, & Poëſim Latinam non injucundè coluit. Deſideratus eſt in hac Urbe annos natus XXXIX. Chriſti verò MDCCVII. dolentibus omnibus præmaturum tanti Viri obitum, cujus ingenium, ex optimis, quæ protulit, majora in dies expectanda pollicebatur.

Ea ſunt:

I. Oratio in adventu Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Joannis Baptiſtæ Vicecomitis Novariæ Epiſcopi. *Mediolani, apud Carolum Antonium Seveſum*, 1688. *in 4.*

II. Carmina varia Latina. Extant in eodem Libro.

III. Tractatus de Compenſationibus. *Mediolani, apud Carolum Joſephum Quintum*, 1691. *in fol.* Hoc Opus Auctor ſcripſit annum agens vigeſimumtertium.

IV. Tractatus de Viduis, earumque Privilegiis, & Juribus, tum etiam de Viduis ſecundò nubentibus, & pœnis illarum. *Genevæ, Sumptibus Cramer & Perachon*, 1699. *in fol.*

V. Tractatus de Pupillis, eorumque Privilegiis, & Juribus. *Lugduni, apud Aniſſonios*, 1705. *in fol.*

VI. Quæſtiones ſingulares in duo capita diſtributæ, nimirum de ultimis voluntatibus, ſucceſſoribus ſtatutariis, & de variis contractibus, cum rebus ſeperinde judicatis per Senatum Mediolani. *Bononiæ, apud Petrum Mariam Montium*, 1707. *in fol.*

Omnia ſupradicta Auctoris noſtri Opera Legalia prodierunt ſimul *Venetiis, ex Typographia Balleonia*, 1717. *Tom. III. in fol.*

VII. Reſponſio ad Objectiones excitatas per D. Don Leonardum Guttierez de Huerta celeberrimum Advocatum Neapolitanum in ſuo eruditiſſimo Tractatu de Compenſationibus adversùs nonnulla perpauca loca Tractatus de Compenſationibus antea editi per me JC. Bartholomæum Berſanum, Advocatum Mediolanenſem. MS. in fol., extat apud eruditum Julium Cæſarem Berſanum JC., & à Secretis Excellentiſſimi Senatus Mediolani, Auctoris filium, mihique ſingulari amicitia junctum.

Ipſum laudant Cl. Abbas Bacchinius in Diario Literatorum. *Mutinæ*, 1692. *in 4.* pag. 95, & in Synopſi Biblica Parmenſi eodem anno pag. 44., prælaudatus JC. & Advocatus Fullus ejus Præceptor in Jurium Allegatione typis edita *Mediolani in fol.*, hoc titulo „ Ragioni di Gio. Paolo „ Brocco contro il preſentatore d' alcune Lette„ re di cambio da lui firmate ec. „ Altimarius in ſuo Tractatu de Nullitatibus, Leonardus Guttierez de Huerta in Tractatu de Compenſatione

Tom.

Tom. I. Lib. II. Quæſt. 17. n. 4., & Quæſt. 23. n. 8. Deciſiones Rotæ Romanæ poſt Cardinalem de Lucca de Teſtamentis, Diſc. 18. n. 20., Torre in ſuis Juris Quæſtionibus Tom. III. tit. 13., Carolus Antonius de Lucca in Additionibus ad Golinum de Procuratoribus, Ludovicus de Ameno in Praxi Criminali de delictis & pœnis lib. 3., Fontana in Bibliotheca Legali p. 6. Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſæo Novarienſi pagg. 76. & 178., & demum Burchardus Gotthelfius Struvius in Bibliotheca Juris ſelecta, & in Bibliotheca Juris Studioſorum, cap. 6. §. 69.

## IX.

## BONETTUS PETRUS PAULUS.

JOannes Baptiſta Bonettus Cremonenſis Patricius, & in Mediolanenſi Senatu Ampliſſimus Pater, atque Granella de Granellis conjuges Petrum Paulum genuere Cremonæ, in cujus Urbis Juriſperitorum Collegio, atque inter Decuriones hic computatus fuit. Pro patria inſuper apud Inſubriæ Regios Moderatores Orator conſtitutus, lares fixit in Parochia Sancti Babilæ. Vicarius Generalis Status Mediolanenſis primùm, mox anno MDCLXXVII. Regius Fiſcalis Advocatus creari meruit, quo ex munere anno MDCLXXXIV. ad Senatoriam dignitatem aſcendit. Vir fuit omni ſcientiarum genere imbutus, ingenioque non minus quàm virtute clarus. Illud præcipuè de ipſo memoratur, calluiſſe Legum omnium fontes, illaque omnia, quæ perfectum Juriſconſultum conſtituunt. Plurimùm etiam Aſtrologicis delectabatur notionibus, aliiſque hujus naturæ amœnioribus ſtudiis, quibus laſſum forenſibus laboribus animum identidem relaxabat. Fratrem habuit Hortenſium Baſilicæ Schalenſis anno MDCXLVI. Canonicatu potitum. Deceſſit Petrus Paulus Mediolani anno Chriſtiano MDCXCI cùm jam annis ſupra L. in hac Urbe domicilium retinuiſſet.

Edidit :

I. Antiqua Ducum Mediolani Decreta. *Mediolani, apud Fratres Malateſtas*, 1654. *in fol.* Opus dicavit Excellentiſs Mediolanenſi Senatui, atque in Nuncupatoria hæc inter alia ſcribit: „ Opus, quod olim fel. „ record. Senator Pater meus, dum typis præſide- „ ret, in animo habuit, & quando ante ejus obi- „ tum ferè ad finem perduxerat.

II. Armamentarium, ſive Edicta de Armis, edita ab Excellentiſſimis Mediolani Gubernatoribus, collecta, congruè diſpoſita, & Commentariis illuſtrata. Opus in duas partes diviſum, in quarum altera de Armis in genere, & de iis, quæ cominùs; in altera de Armis, quæ eminùs adhibentur, pertractatur, ubi plura, ac præcipua ad materiam criminalem attinentia, explicantur, allatis etiam Deciſionibus Excellentiſſimi Senatus. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1688. *in fol.*

III. Elenchum omnium onerum impoſitorum Subditis Mediolanenſis Provinciæ ab exceſſu Franciſci II. poſtremi Ducum Sfortiadum ad hæc uſque tempora: Scilicet ad annum MDCLXII. *Mediol. in fol.*

IV. Epiſtolam præmiſſam Operi Placidi Titi Peruſini Olivetanæ Congregationis Monachi ſub Anagrammatico nomine Didaci Pritti Peluſienſis, hoc titulo: Quæſtionum Phyſico-mathematicarum libri III. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1650.

Ejuſdem Titi Compendiolum, cui titulus: De modis directionum in Genethlialogicis ad Medicinæ uſum Mediol. editum fuit, approbante Bonetto noſtro.

Ipſum laudarunt Ephemerides Literatorum Parmæ MDCLXXXVIII. Joſeph Benalius in Hiſtor. Magiſt. Extraord. pag. 183. Jo. Petrus Creſcentius in Amphitheat. p. p. pag. 128. Ariſius in Cremona Literata Tomo III. pag. 293. atque in Serie Prætor. Cremonæ pagg. 57. & 61. tandemque humaniſſimus JC. Sitonus in Syllabo Senatorum art. CCCXLII. pag. 15. in Theatro Genealogico MS. penès eundem pag. 76., & in Schedis.

## X.

## BORGOGNI GHERARDUS.

GHerardus Borgogni natales hauſit Albæ Pompejæ in Ducatu Montisferrati, nobilibus parentibus in lucem editus, atque in patria primos tranſegit annos inter bonarum artium rudimenta. Mox Mediolanum ſe conferens, hic duxit uxorem, ſtabiles fixit lares, poſtremoſque viginti & amplius vitæ annos tranſegit. Summa fuit animi moderatione præditus, & ſorte ſuâ, quamvis non admodum opulentâ, contentus. Optimis ornatus moribus, & acri dotatus ingenio, tam ſoluta, quàm ſtricta numeris Oratione plurimùm valuit. Quapropter gratiſſimus extitit Comiti-ſtabuli Caſtellæ Regio Inſubriæ Moderatori, qui non raró Magnatum deſerens colloquia, Gherardi eruditis ſermonibus familiariter uti conſueverat. In Academia Mutii Sfortiæ Caravaggii Marchionis, de quo loco ſuo meminimus, Errantis nomine, fluvioque Meandro Symboli loco aſſumpto, eruditorum omnium plauſus ſibi promeruit. Summa inter ipſum & celeberrimum Vatem Torquatum Taſſum neceſſitudo, & literarium commercium interceſſit, quod etiam præſtitit Gherardus noſter cum Abbate Angelo Grillo, aliiſque ſui temporis eruditis. Incertum habemus, quo anno migraverit è vita; certum nihilominus eſt, eum obiiſſe Mediolani, quod accidiſſe videtur ineunte Sæculo XVII. Nulla illius tumulo impoſita eſt Inſcriptio; ejus idcirco loco damus Carmen Bernardini Baldini in libro ſuo, cui titulus: *Luſus*, ſic eum alloquentis:

*Res tenues, Gherarde, tibi fortuna miniſtrat;*
*Sed ſanam mentem genitrix in corpore ſano*
*Ingenuit natura; modos Thymbreus Apollo*
*Scribere poſſe dedit Tuſcos, Tuſcæque Camœnæ.*
*Tu tibi quæſiſti pulchras ope Palladis artes,*
*Nec plus æris aves, quàm victus poſcit, & uſus*
*Iſta mente viges Craſſo locupletior. Æquum*
*Te Deus ut finxit, ſic omni proſperet ævo.*

Operum illius hi ſunt tituli :

I. Carmina plura Italica varii generis; edita ſunt inter Carmina Cæſaris Caporalis Italica. *Mediolani, apud Petrum Tinum*, 1585. *in* 12.

II. Rime di diverſi illuſtri Poeti raccolte da Gherardo Borgogni. *Venezia, preſſo la minima Compagnia*, 1599. *in* 12. In hoc Opere Gherardus plurima è ſuis etiam Italicis Carminibus inſeruit, & librum Julio Areſio Poëmate, loco nuncupatoriæ Epiſtolæ, dicavit.

III. Il Tancredi Tragedia del Conte di Camerano (Ottaviano Aſinari) dal Sig. Gherardo Borgogni di nuovo poſta in luce. *Bergamo, per Comin Ventura*, 1583. *& iterum* 1598. *in* 4. Opus hoc è duobus MSS. Codicibus hauſit, & emendavit Scriptor noſter, atque dicavit Comiti Joanni Baptiſtæ Borromæo. In Epiſtola verò Nuncupatoria laudat Joannem Ambroſium Figinum uti Pictorem, & Poëtam eruditiſſimum.

IV. Capitoli Bernieſchi. Reperiuntur in Tomo III. libri, cui titulus: „ Rime piacevoli di diverſi. „ *Vicenza, per Barezzo Barezzi*, 1603.

V. Rime Toſcane. *Bergamo, per Comin Ventura*, 1592. *in* 16. Collectio eſt Carminum Italicorum Variorum, ubi plura habentur Auctoris noſtri.

VI. Le Muſe Toſcane. Hunc librum indicat Picinellus, quemadmodum etiam ſequentes tacito, ſed de more Impreſſoris nomine, & editionis loco, & anno.

VII.

Digitized by Google

VII. Le Diſcordie Criſtiane, le quali cauſarono la grandezza di Caſa Ottomana, inſieme con la vera origine del nome Turco, ed un breve Sommario delle Vite, ed Acquiſti de' Prencipi Ottomani, ed in fine un Paragone della poſſanza del Turco, e di quella del Cattolico Re Filippo, da Gherardo Borgogni di nuovo poſte in luce: All' Illuſtriſſimo Sig. Grancancelliere Daneſe Filiodoni. *Bergamo, preſſo Comino Ventura*, 1590. *in* 4.

VIII. Sommario delle Vite di tutti gl' Imperatori.

IX. La Fonte del Diporto: Dialogo del Sig. Gherardo Borgogni l'Errante Accademico Inquieto di Milano, nel quale ſi raccontano alcuni belliſſimi, e morali avvenimenti, e ſi leggono nuove, e diverſe Poesìe, ed altre materie curioſe: All' Illuſtriſſimo Sig. Conte Pirro Viſconte. *Bergamo, per Comino Ventura*, 1598. *in* 4. Ibi adſunt Carmina duo, Latinum unum, alterum Italicum Franciſci Picinelli, & unum item Latinum Herculis Ciliocti.

Geminas Torquati Taſſi ad eum datas Epiſtolas Italicas, quibus eidem gratias agit, quòd libros aliquot Mantuam Mediolano ad ſe miſerit, editas habemus in libro II. Epiſtolarum ipſius Torquati.

Plures alias ad ipſum Angelus Grillus conſcripſit, quæ pariter inter hujus impreſſas leguntur.

Ipſum laudarunt Ghilinus in parte II. ſui Theatri, Paulus Moriggia in Nobilitate Mediolani. Roſſottus in Syllabo Scriptorum Pedemontii. P. Quadrius in Opere ſuo, cui titulus: „ Della Storia, e Ragione d'ogni Poesìa „ Tomo II. pag. 273. Creſcimbenius in Commentar. Poëſis Italicæ Vol. IV. lib. III. pag. 150. num. 37. Oldoinus, qui perperam illum Genuenſem facit, & Picinellus in Athenæo, ſed breviſſimè pag. 236.

## X I.

## BORSERIUS HIERONYMUS.

Hieronymus Borſerius Novocomenſi in Urbe genitus, quamvis incompertum hactenus habeamus an Mediolani diem clauſerit (nihil enim hac de re Cives illius rogati ſcire ſe reſponderunt) inter doctos Viros tamen recenſendus eſt meritò, qui Metropolim hanc illuſtrarunt, quòd & diu hìc moram traxerit, & plura ſcripſerit ad Mediolanenſem hiſtoriam pertinentia. Vir certè fuit magnâ eruditione præditus, ut nullum fermè literaturæ genus inſalutatum reliquerit. Nam Hiſtoriam, Poëſim tam Italicam, quàm Latinam, vetuſtatis peritiem, Græcas etiam literas adamavit. In Academia Braydenſi ad omnem ingenii culturam efformatus, ibidem diutiùs ſtudiis dedit operam. Ceterùm non mediocris Borſerii laus extat conſuetudo literatorum ſuæ tempeſtatis Virorum, & cum eo Epiſtolare commercium, inter alios Joannis Baptiſtæ Guarini, Erycii Puteani, Chryſoſtomi Talenti, Aquilini Coppini, Cardinalis Manticæ, Valerii Antiquarii, & Marci Velſeri, quorum hic poſtremus de veteribus Nummis Hieronymum noſtrum non raròconſuluit. Eleonoram Luragam magni ingenii fœminam tradunt Borſerio Italica ſua Carmina corrigenda mittere conſueviſſe. Floruit annis MDCXVI. & MDCXXVI. Plura ad eundem ſpectantia à Novocomenſibus Eruditis expectent poſteri.

Operum illius titulos, majori ex parte, ego primus ſubjicio:

I. Il Supplemento della Nobiltà di Milano raccolto da Girolamo Borſerio. *Milano, preſſo il Bidelli*, 1619. *in* 8.

II. La Vita della Beata Maddalena Albrizia Comaſca Agoſtiniana, raccolta da Girolamo Borſieri, ed illuſtrata con ammaeſtramenti così per le Monache, come per qualſiſia altra perſona ſpirituale. *Como, preſſo Baldaſſarre Arcione*, 1624. *in* 4.

III. Amoroſa prudenza: Favola paſtorale. *Milano, preſſo gli Eredi di Pacifico Ponzio, e Gianbattiſta Piccaglia*, 1610. *& iterum* 1611. *in* 12. In hac ſecunda Editione adjectum eſt Opuſculum inſcriptum: „ Diſcorſo Allegorico di Ettore Capriolo „ Giureconſulto „.

IV. Madrigali di Gerolamo Borſieri Libri II. raccolti da Girolamo Rezzani, al Sig. Co. Vitaliano Viſconti Borromeo. *Milano, preſſo Ponzio, e Piccaglia*, 1611. *in* 12.

V. Madrigali pubblicati ſotto altrui Nome.

VI. Epigrammi Commentati da Ettore Caprioli. *Napoli*, 1622., editio altera copioſior in 4.

VII. Epitafj degli Uomini Illuſtri del ſuo Secolo.

VIII. Notizie delle coſe ſpettanti alla Guerra di Muſſo. Has ſubminiſtravit Erycio Puteano.

IX. Epiſtolæ plures, quas Typis edendas cupiebat Joannes Baptiſta Guarinus.

X. Aliæ Latinæ, & Italicæ. Extant in Cod. MS. Bibliothecæ Ambroſianæ, qui dicitur Craſſi Novocomenſis.

XI. Traductiones plurimor. Auctorum, tam Latinor. quàm Græcorum, quæ præmanibus eruditor. Siculorum verſabantur. MSS.

XII. Vita Beati Manfredi Septalæ Eremitæ, & Confeſſoris, MS.

XIII. Theatrum Inſubricæ magnificentiæ, Auctore Hieronymo Borſerio. MS. in fol. juſtæ molis.

Hæc II. extant penès J. C. Joannem Jacobum de Sancto Benedicto Novocomenſem Patricium.

XIV. Degli Affetti Spirituali Libro I. MS.

XV. Trattato ſopra gli Agnomi de i Liberti. MS.

XVI. Annotazioni ſopra gli errori del Caſaubono, al Signor Cardinal Mantica. MSS.

XVII. Del Fluſſo, e Rifluſſo della Fonte Pliniana. MS.

XVIII. Storia della Caſa, e Famiglia di Valditaro, ad inſtanza del Prencipe di tal Cognome. MS.

XIX. Memorabilia Patriæ ſuæ, quæ typis dare meditabatur, ut ex ejus Epiſtola ad Epiſcopum Novarienſem, forſan Carolum à Baſilica Petri.

Notitiam MStorum iſtius Auctoris hauſi ab altero MS., cui titulus „ Adverſaria „ quem poſſidet Marchio & Senator Hieronymus Herba à Secretioribus Conſiliis Sereniſſimæ Reginæ Hungariæ, Bohemiæ &c., & Pro-Gubernator Parmæ, eundemque MS. mihi perhumaniter communicavit Co. Antonius Joſeph à Turre Rezzonici J. C. & Patricius Novocomenſis, cui quantum debeat hæc mea Bibliotheca, pluribus aliis locis jam indicavi.

Laudatur à Franciſco Ballarino in Chron. Comenſi pag. 215. Quintilio Lucino Paſſalaqua in Epiſt. hiſt. pagg. 152. 154., & 162. Aloyſio Ruſca in Poëmatis Larii Lacus, pluribus in locis, Primo Aloyſio Tatto in Martyrolog. Novocom. pagg. 13. & 98., & in Annalibus Sac. Novocom. T. I. pag. 1038, & Tom. II. pag. 1015., & in Schedis Sitonianis.

## X I I.

## BOSCALINUS JACOBUS.

Jacobus Boſcalinus à patria in Agro Cremonenſi Mozanica dictus, non modicum ſplendoris contulit inclyto Minorum Ordini, cui nomen dederat. Nam Sacræ Theologiæ Magiſterio inſignitus ad Mediolanenſis Provinciæ regimen evehi promeruit. Dum eo munere fungeretur anno MCCCCLIII. coram Nicolao V. Summo Pontifice magna excitata eſt controverſia inter Conventuales, & Obſervantes; hi enim poſtremi de priorum oblocutionibus, illi verò de Cœnobiis ſibi ſubtractis conquerebantur. Jacobus igitur inter cœteros primarios ſui Inſtituti Viros in Concilium à Pontifice advocatus, animoſiùs reliquis ad Nicolaum verba fecit, contendens, Obſervantes in unum corpus cum Conventualibus redigendos, & ejuſdem Miniſtri imperio gubernandos fore. Re compoſitâ nihil de exiſtimatione ſua apud ſummum Antiſtitem deperdidit, immò tanti ab eodem eſt habitus, ut defuncto Angelo Peruſino totius Ordinis Generali ſufficeretur, anno præcitato Pontificio Diplomate, qui Vicariâ poteſtate ſuis præeſſet quoad Comitia celebrarentur. Indixit ea Jacobus anno ſequenti haben-

da Bononiæ die VII. menſis Junii; ibique omnium votis conſentientibus ad ſummum Ordinis apicem aſſumptus fuit. A Calixto III. in mandatis habuit, ut in ditionibus Mediolanenſi, & Montisferrati ad incitandos adversùs Turcas populos Apoſtolici Nuncii munus obiret. Id diligentiſſimè præſtitit anno MCCCCLVII. plurimùm eam ob rem à Calixto commendatus; verùm imminente generali Capitulo humiliter petiit Jacobus hujus officii veniam, ſimulque plenariam peccatorum Indulgentiam his, qui durante Capitulo, Templum Mediolanenſe Sancti Franciſci, ubi celebrandum erat, piè inviſerent. Narrat Boſſius in Chronica, ultra C. hominum millia ad eam Baſilicam de exteris locis conveniſſe; ad-ditque, Marianus oblationes fidelium X. aureorum millia fuiſſe tranſgreſſas. Enituit etiam Mediolanenſium Civium pietas, alimenta tam copioſa Minoribus ſufficiens, ut curribus, & plauſtris ad ea Cœnobio inferenda opus eſſet. Vix abſolutis Comitiis apud Suos Mediolani Jacobus ætatis ſuæ anno L. die IX Julii ſublatus eſt, & in Baſilica prædicta S. Franciſci conditus fuit hoc appoſito Elogio:

IACOBO DE MOZANICA
MINORVM GENERALI MINISTRO
THEOLOGO ET LIBERALIVM DISCIPLINARVM PERITISSIMO
FRATRES HOC MONVMENTVM FECERVNT
VIXIT ANNIS QVINQVAGINTA
OBIIT ANNO MCCCCLVII. DIE IX. IVLII.
HAC IACOBVS HVMO TEGITVR MOZANICA FRATER
INGENIO SALOMON INTEGRITATE CATO
HIC FRATRVM PRINCEPS HIC GLORIA SVMMA MINORVM
HIC FVERAT SANCTAE RELIGIONIS HONOS.

Scripſit:

I. Lectiones ſuper Pſalmum „ Beati immaculati &c. ita VVadingus de Script. Ord. Min.

II. Epiſtolam ad Baptiſtam de Levanto Ordinis Minorum Provinciæ Januenſis, in qua eum conſtituit Vicarium, & Commiſſarium ſuum. Data Cremonæ XXII. Aprilis, MCDLVI. Extat apud eundem VVading. Tom. XII.

III. Epiſtolas alias plures ad Varios, uti eruitur à ſubſequentibus.

1. Caliſti III. Summi Pontificis ad Jacobum de Mozanica, cui gratias agit, quòd benè ſe geſſerit in collectione decimarum, & oblationum pro Cruciata; eum abſolvit ab ipſo munere, & inſtante Capituli generalis tempore, diſcedendi ab Urbe facultatem impertitur. Data Romæ IX. Kal. Martii MCDLVII. Extat apud ipſum VVading. Tom. XIII.

2. Ejuſdem Caliſti III. ad eundem, nunciat ſe in mandatis dediſſe Vicario generali Ordinis, ut ab eo inſtitutionem muneris petat. Data Romæ XV. Februarii MCDLVI. Extat ibid

3. Nicolai V. ad eundem tunc Provinciæ Mediolanenſis Miniſtrum, quâ eum inſtituit Vicarium generalem Ordinis. Data Romæ IV. Idus Septemb. MCDLIII. Extat apud VVading. Tom. XII.

4. Friderici III Imperatoris ad eundem generalem Miniſtrum Epiſtola, qua petit ut Obſervantibus Conventum Judemburgenſem in Ducatu Stiriæ, olim Conventualium, aſſignari ægrè non ferat. Data anno MCDLV. Extat ibid.

5. Marci de Bononia familiæ Ciſmontanæ Ordinis Minorum Vicarii, Gratulatoria ad eundem pro ejus electione ad Vicariatum generalem. Data ex Cœnobio Sancti Spiritus prope Ferrariam X. Decembris MCDLIII. Extat ibidem.

6. Baptiſtæ de Levanto ad eundem: Petit ſe confirmari in munere Vicariatus generalis. Data XII. Februar. MCDLVI. Extat ibid.

Inter Epiſtolas Franciſci Philelphi editionis *Venetæ anni* 1502 *in fol.*, extat Epiſtola Jacobo Mozanicæ Theologo, ac Generali Ordinis Minorum, pag. 97.

Extat ad eum Epigramma Petri Leonis Vercellenſis inter Opera ejuſdem Leonis *Mediolani* impreſſa.

De eodem agit VVadingus in Scriptoribus Ord. Min. ubi Mediolanenſem illum appellat ob diutinam in hac Urbe moram; itemque in Annalibus, locis citatis. Ariſius in Cremona Liter. Tomo I. fol. 281. Marianus lib. 5., & JC. Sitonus noſter in Schedis. Notandum etiam quòd JC. C. Raphaël Fagnanus Familiam Mozanicam inter antiquas, & nobiles Mediolanenſes retulit ſub litera M. MS. in fol &c., & prope palatium olim Laurentii Mozanicæ Commiſſarii generalis Equitum ſub Duce Ludovico Maria Sfortia Vicecomite anno MCDXCIV. in Eccleſia S. Mariæ Servorum adeſt ſepulchralis Inſcriptio Annæ Benemeritæ Mozanicæ, à parentibus poſita anno MDXVIII.

## XIII.

## BRACHIUS JACOBUS.

JAcobum Brachium licèt nativitatis ergò Venetum, tamen ob diuturnam apud Mediolanenſes moram, atque prædia hìc acquiſita Clariſſimus Curtius inter hujus Metropolis Scriptores recenſere non dubitavit. Uxorem etiam hìc duxit Magdalenam de Abdua Joannis Baptiſtæ nobilis Mediolanenſis filiam, atque ob Medicæ facultatis præſtantiam Civibus omnibus gratiſſimus fuit, præſertim Comitibus Carolo Archinto, & Conſtantio de Abdua quorum prior jam defunctus ſuo eſt commendatus loco; alter verò adhuc inter vivos degens, & probitate morum, & eruditione Patriam exornat. Deſideratus eſt Jacobus anno MDCCXXXVII.

Hæc poſt ſe reliquit

I. Penſieri Fiſico-Medici circa gli animali, che muojono, e ne' recipienti vacui d'aria, e ne' ripieni d'arie fatizie. *Venezia, per il Poletti*, 1685. *in* 8., ad Sereniſſimum Marcum Antonium Juſtinianum, Venetorum Ducem.

II. Saggio di Oſſervazioni circa alcuni Fenomeni del Baroſcopio: in Tom. XII. Ephemeridum literatorum Italiæ Art. XIV.

III.

Digitized by Google

III. Diſertazione ſopra la forza elaſtica dell'aria, e quanto influiſca nella produzione de' mali, eſcluſone il peſo. MS.

IV. La natura ſempre coſtante ne' ſuoi moti, circa le generationi, eſcluſe l' equivoche, ed ammeſſe le ſpontanee. MS. Hoc Opuſculum aſſerit Curtius, extitiſſe olim penes Auctorem.

A

V. De Ovis Oſtreorum. Extat in Miſcell. Cur. II. A. VIII. Obſervat. 203., & apud Mangetum loco infra memorando; qui tamen alia ejus Opera non novit.

De eo cum laude agit citatus Curtius in Script. Medicis Mediol. pagg. 195. & ſeq., necnon citatus Mangetus in Tomo I. Bibliothecæ Scriptorum Medicorum.

# C

## XIV.

## CALVINUS JULIUS CÆSAR.

JUlium Cæſarem Calvinum Alexandri filium, tametſi Derthonenſi in Urbe natum, reliquis Eruditis Exteris, qui nomen ſuum Scriptis immortalitati ſacrarunt in hac Metropoli, adjungimus, Picinellum ſecuti, qui ejus mentionem inſeruit Athenæo ſuo. Hic inter Legum ſtudia adoleſcens, poſtmodumque lauro donatus, inter Patriæ ſuæ Collegiatos Juriſperitos locum promeruit. Civis exinde Mediolanenſis effectus eſt, atque hìc in Foro diutiſſimè verſatus, magnam ſibi peperit famam. Anno MDCXXXV. Prætorius Judex Ticinenſibus jura dedit. Lucretiam de Scaravagiis Juriſconſulti Leonardi Mediolanenſis filiam, atque hæredem, duxit conjugem, ex qua Alexandrum, poſtea in Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Decollati Florentium nuncupatum, atque Homobonum JC., & Scalenſis Baſilicæ Canonicum, ſuſcepit. Deſideratus eſt anno Salutis MDCLXIV.

B

Edidit quæ ſequuntur, ſcilicet:

I. De Æquitate Tractatus novus, uſuque acceptiſſimus, Liber primus, in quo univerſa Æquitatis materia perſpicuè, ac planè examinatur, & Caſus, ſive Quæſtiones ſingulares, in quibus de Æquitate judicari debet, proponuntur, & dilucidantur, multis Senatus Excellentiſſimi Mediolanenſis, & aliorum Tribunalium Deciſionibus ornatæ, Auctore Julio Cæſare Calvino Patricio, & J. C. Coll. Derthonenſi, Cive, & Advocato Mediolanenſi, Judiceque Prætorio Papiæ: Ad Eminentiſs. & Reverendiſs. Cardinalem Ægidium Albornotium Mediolanenſis Dominii Gubernatorem. *Mediolani, apud Ghiſulphum*, 1635. *in fol.*

D

II. Ejuſdem Operis Liber Secundus, dum erat Auctor Vercellarum Prætor: Ad Philippum IV. Hiſpaniarum Regem. *Mediolani, ut ſupra*, 1643. *in fol.*

III. Ejuſdem Operis Liber Tertius poſthumus. *Mediolani, apud Vigonum*, 1676. *in fol.*

IV. De Dubio Juris, & Facti. *Mediolani, apud Montiam*, 1651. *in* 4. *& iterum* 1654. *in* 4.

V. Allegationes plurimæ, quæ in Collectaneis ſæpè memoratis J. PP. Mediolanenſium ſervantur.

De eo JC. Sitonus noſter humaniſſimus tam in ſuo Theatro Geneal. MS. pag. 116., quàm in Schedis, & Picinellus in Athenæo pag. 358.

## XV.

## CALVUS MAXIMILIANUS.

MAximilianum Calvum in Burgo Menaſii Comenſis Diœceſis Andreas genuit; cùmque Juris lauream percepiſſet, Maximilianus in hac Metropoli ſedem fixit. Præter Legum ſtudia exoticas linguas, Hiſpanam præſertim plurimùm coluit, adeò ut eo Idiomate Carmina non injucunda conſcriberet. Neque tamen ſic Poëſim adamavit, ut forenſia negligeret negotia, in quibus tam clarus extitit, ut anno MDLXXIII. in Extraordinariorum Redditituum Magiſtratu Quæſtor creari meruerit. Eo in munere perſpicuum æquitatis, & literaturæ ſpecimen dedit ad annum uſque Salutis MDLXXXV. quo in hac Metropoli deceſſit.

Habet illius ingenii poſteritas, quæ ſequuntur, monumenta:

I. Del profondo penſamiento amoroſo: Poema Eſpagnol de Maximiliano Calvi; al Marques de Ayamonte, Lugar Teniente, y Capitan General en el Eſtado de Milan, *por Gotardo Pontio*, 1579 *in* 4.

II. Tractado della Hermoſura, y dell' Amor, lib. III. alla Mageſtad de la Reyna Doña Anna. *En Milan, por Pontio*, 1576 *in fol.*

III. Carmina duo Hiſpanica, vulgò *Sonetti*, ejuſdem Calvi, primum de libro, alterum ad Hiſpaniarum Reginam. Extant in eodem Opere.

De eo agunt Jo. Petrus Bimius in Conſil. 105. Ballarinus in Chron. Comenſi pag 216. Bertarellus in Hiſtor. Burgi Menaſii. Benalius in Hiſtor. Magiſtr. Extraord pag. 28. & doctiſſimus JC. Sitonus in Monum. Genealog. familiæ Calvæ pag. 4. quemadmodum & in Schedis.

C

## XVI.

## CAMUTIUS ANDREAS.

ANdreas Camutius, qui patrem habuit Franciſcum Medicum & Phyſicum Oppidi Lugani Diœceſis Comenſis, inter Cives Mediolanenſes, unà cum ejus ſucceſſoribus adſcriptus fuit die I. Februarii, anno MDLVII. ab Excellentiſſimo Mediolani Senatu, ideoque, & ob ejus moram uſque ad vitæ exitum in hac Urbe, cum aliis, etſi non Mediolanenſibus, hìc recenſendus videtur. Publicus Medicinæ & Phyſicæ Profeſſor extitit primo loco in Ticinenſi Archigymnaſio, necnon Maximiliani II. Cæſaris Protophyſicus, & à Conſiliis Medicis ab anno MDLXIV. ad MDLXXVIII. Filius ei fuit inter alios Eugenius, qui Infulas Bobienſes obtinuit anno MDLXXXIII. Plura ſcripſit, quibus magnum nomen in tota Literatorum Republica ſibi acquiſivit.

E

Hæc ſunt

I. Diſputationes, quibus Hieronymi Cardani magni nominis Viri Concluſiones infirmantur, Galenus ab ejuſdem injuriis vindicatur, Hyppocratis præterea aliquot loca diligentiùs, multò quàm nunquam aliàs, explicantur. Ad Danielem Barbarum Patriarcham Aquilejenſem. *Papiæ, apud Bartolum*, 1563. *in* 4. Quidquid Cardani laudatores dixerint tam veteres, quàm recentiores, & inter ipſos Bartholomæus Curtius in ſuo Opere de Medicis Mediolanenſibus, loco infra citando, videlicet Camutium ſcripſiſſe hunc librum ad Cardani æmulationem, juvat ipſius verba audire in ſupradicta nuncupatoria ad

ad Barbarum, quæ ſunt „ Siquidem in hac Inſubria noſtra quamplures videas non ſolùm Auditores, verùm etiam jamdiu promotos ad Lauream, quos minimè pudeat Cardanum contra Galeni placita, veluti Phyſicum Apollinem in medium producere, idque non mediocri laborantium diſpendio. Cæterùm primitias elucubrationum mearum tibi uni dicandas cenſui „ &c. Ticini Kal. Junii MDLXIII.

II. Tractatus de Reſidentia Epiſcoporum, videlicet utrum ad Jus divinum, vel ad Eccleſiaſticum pertineat; ad Cardinalem Ludovicum Simonettam ad Oecumenicam Synodum Apoſtolicum Legatum. *Papiæ, apud Bartolum*, 1563. *in* 8.

III. De Humano intellectu libri IV. ad Cardinalem Carolum Borromæum, poſtea inter Sanctos relatum. *Ibid. apud eund.* 1564. *in* 8.

IV. Apologia ad ſupradictum Cardinalem Borromæum, in qua Camutius pollicetur ſe publica diſputatione defenſurum quidquid hactenus Scriptis prodidit. Extat in eodem libro.

V. De Amore atque Fœlicitate, libri IX. hactenus in lucem nuſquam editi: ad Maximilianum II. & Mariam Auſtriacam Impp. *Viennæ Auſtriæ, apud Stephanum Kreuzer*, 1574. *in fol.*

VI. Defenſiones Humani generis. Extant ibid.

VII. De Nobilitate Libri VIII. Opus poſthumum: ad Eminentiſſimum Cardinalem Cæſarem Montium Mediolani Archiepiſcopum. *Mediol. apud Btdel.* 1650. *in* 8.

VIII. Epiſtolæ II. ad Franciſcum Cicerejum. Editæ ſunt inter Gudii Epiſtolas pag. 118.

Meminerunt Bartholom. Curtius de Claris Medicis Mediol. pagg. 82. 101., & 258., Joannes Jacobus Mangetus in Biblioth. Scriptor. Medicor. Tom. I. pag. 25., Franciſc. Ballarinus in Chronico Comenſi pag. 197. ac 216., & Advocatus Joannes de Sitonis de Scotia in Tractatu de Legibus Nobilitatis pagg. 4. 67., & 68. impreſs. an. 1724. in folio, qui nobis quoque dedit ſeriem genealogicam Camutiam a Seculo XV. ad Auctoris iſtius filios.

## XVII.

## CARENA CÆSAR.

HEnrici Carenæ Civis Mediolanenſis, & Cremonenſis, atque Hortenſiæ Gallaratæ jugalium filius extitit Cæſar, qui Patris Civilitates in utraque Urbe retinuit. Legalibus ſtudiis, in quibus lauream promeruit, Theologiæ Magiſterium addidit. Lares in hac Metropoli figens, inter primarios Cauſarum Patronos emicuit. Jam Cremonæ Conſultoris, & Advocati Fiſcalis in Sacro Inquiſitionis Tribunali munus geſſerat, & Cardinalis Petri Camporei ejuſdem Urbis Antiſtitis Auditor fuerat. Adoleſcentiam tranſegerat in Nobilium Parmenſi Collegio, annoque Chriſti MDCXIII. in Templo Cremonenſi Societatis Jeſu, Octobri menſe Theſes ex Univerſa Philoſophia, Logica, Phyſica, Metaphyſica, atque Ethica, cunctis ingenium ejus mirantibus, biduo ſuſtinuerat. Ceterùm Mediolani tam apud Optimates, quàm apud Ampliſſimi Senatus Patres magnâ in exiſtimatione habitus fuit ob egregiam Legum peritiem, & in cauſis pertractandis prudentiam. Ex Angela Freganeſca conjuge nullam reliquit virilem prolem, ſed tantùm Claram Carenam, quæ poſtmodum Antonio Bigarolæ nobili Mediolanenſi Civi nupſit. Obiit Cæſar Mediolani circa annum Domini MDCLIX.

Scripſit, & edidit, quæ hìc damus Opera:

I. Reſolutionum practicarum, ſeu rerum in Foro præſertim Cremonenſi judicatarum, Librum, in quo CCL. Reſolutionibus plurimæ materiæ & Civiles, & Canonicæ pertractantur, & earum occaſione multæ Deciſiones, & maximè Ampliſſimi Mediolani Senatus referuntur. *Cremonæ, apud M. Ant. Belpierum*, 1648. *in fol. & Lugduni, apud de Berde*, 1691 *in fol.*

II. Tractatum de modo procedendi in cauſis S. Officii. *Cremonæ, apud Marcum Antonium Belpierum*, 1636. *in* 4.

III. Tractatum de Officio Sanctiſſimæ Inquiſitionis, & modo procedendi in cauſis Fidei in tres partes diviſum, in quarum Prima agitur de Romani Pontificis poteſtate, univerſali Romana Inquiſitione, & ſupremo Tribunali S. Officii in Regnis Hiſpaniarum, Epiſcopis, Inquiſitoribus, ac cæteris Judicibus, & Miniſtris S. Inquiſitionis, deque eorum electionibus, dignitatibus, præcedentiis, & muneribus. In Secunda tractatur de Hæreſi, & omnibus aliis delictis in ſpecie ad S. Inquiſitionis Tribunal ſpectantibus, antea quidem ſeorſim impreſſa, nunc verò multis additionibus auctior reddita. In Tertia verò tota Theorica, & Practica Criminalis breviſſimè abſolvitur, maximè in ordine ad hoc S. Tribunal. His acceſſerunt XV. Quæſtiones ad Inquiſitores D. Guidi Falcodii, olim Card. Sabinen. & poſtea S. P. Clementis IV. nuncupati, nunc primò impreſſæ, & ejuſdem Auctoris Annotationibus illuſtratæ. *Cremonæ*, 1642. *apud Belpierum, & iterum apud eundem*, 1655. *in fol* editio ſecunda. Opus hoc Auctor nuncupavit Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D. Joanni Velaſco Cuevæ, Mediolanenſis Dominii Gubernatore. In Epiſtola ad Lectorem Auctor aſſerit prælo ſe paratum habuiſſe ſequens Opus, videlicet

IV. Inſtructiones S. Officii in Regnis Hiſpaniæ, unà cum (meis) Adnotationibus, ex quibus apparebit ſumma concordia, qua cauſæ Fidei peraguntur, & in Supremo Hiſpaniarum, & in Univerſali Romano Tribunali, ubi multa de pietate, & Religione potentiſſimorum Regum (noſtrorum) & totius Hiſpaniæ nationis (videbis). Gloſſam ſuper Inſtructione, quæ in Tribunalibus Italiæ circumfertur, de modo formandi proceſſus in cauſis Sancti Officii; Centum Vota in Caſibus fictis in materia S. Inquiſitionis. Ignoramus verò, ubi nunc hoc Opus cuſtodiatur.

V. Praxis Inquiſitorum Franciſci Pegnæ S. T. ac J. U. D. cum additionibus ipſius Carenæ. Edita eſt in hac ſecunda Impreſſione Operis ſupradicti.

VI. Tractatus de Strigibus. Extat ibid

VII. Communes in dubiò Juris Concluſiones, quæ Singularia vocantur, tam in Dubio Juris, quàm Facti, ſummo labore in unum congeſtæ, & alphabetico ordine diſpoſitæ, Auctore Cæſare Carena Judice in Prætorio Mediolanenſi, ad Signum Equi. *Mediolani, apud Ludovicum Montiam*, 1651. *in* 4.

VIII. De Officio Advocationis, & Statutis reſtringentibus hoc munus ad certum genus perſonarum, unà cum Decreto Excellentiſs. Senatus Mediol. emanato ſub die XXII. Junii MDCXXXIV. Extat inter Collectanea de Legibus Nobilitatis Cl. JC. Joannis Sitoni à pag. 75. ad pag. 82. *Mediol penès Malateſtam*, 1724. *in fol.*

Epigrammata IX. in laudem ipſius Carenæ leguntur impreſſa *Cremonæ* cum Theſibus Philoſophicis ſuperiùs memoratis, 1613. *in* 4.

De ipſius familiæ Nobilitate, & peculiari ejuſdem doctrina agunt eruditè Leonardus Vellus Soc. Jeſu in Opere Articulo II. memorato. Ghilinus in Theat. Viror. Illuſtr. Ariſius in Cremona Liter. Tomo III. pag. 40. ac prælaudatus JC. Sitonus loco cit., & in Theatro Genealogico MS. apud eundem pagg. 68., & 292. ſicut etiam in Schedis.

## XVIII.

## CAROELLUS PLACIDUS ALOYSIUS.

PLacidus Aloyſius Caroëllus in Urbe Novariæ natus eſt anno Salutiferæ Incarnationis MDCXLIV. die XVII. menſis Auguſti. Illi Genitores fuerunt Alexander, cujus mentio eſt apud Cottam in Novarienſi Muſæo pag. 24., & Veronica Baliotta Philippi Mariæ J. C. C. & Decurionis Novarienſis filia Nobiles conjuges. Optimo præditus ingenio adoleſcens bonarum artium rudimenta tantâ contentione ſuſcepit, ut æquales ſuos longè ſuperaverit. In addiſcendis humanioribus literis in Braydenſi Medio-

diolani Archigymnaſio Magiſtrum habuit Joannem Baptiſtam Barellam Soc. Jeſu Presbyterum, quem in Articulo CLXVIII. hujus Operis commendavimus. Philoſophiæ curriculo emenſo, publicaque diſputatione abſoluto, Matheſim didicit ſub diſcipli na celeberrimi Viri Petri Pauli Caravaggii, de quo etiam ſuo egimus loco. Ad majorem quoque mentis eruditionem, & morum cultum, principes Italiæ Urbes inviſit. Juris autem prudentiam, & Canonum, ac Legum ſcientiam amplexus, quantùm in illa excelluerit, indicant apertiſſimè præclari ejus literarii labores, de quibus inferiùs ſermo recurret. Jure igitur in Ticinenſi Univerſitate laureâ redimitus anno MDCLXVIII. magnum ſibi in Foro nomen peperit cùm Novarienſium J.PP. Collegio, & ejuſdem Urbis Decurionum Cœtui aggregari meruiſſet. Forenſibus palmis Illuſtris, jamque anno MDCXCII. Regii generalis Vicarii in Mediolanenſi Ditione munere functus, anno MDCCII. ad Patrocinium Regii Fiſci, ineunte autem anno MDCCVIII. ad Senatoriam Cathedram in Supremo Inſubriæ Senatu evectus fuit, cùm paucos ante menſes ob ſtudium naturali ſuo Principi inſerviendi, Primi Præſidis Senatus Taurinenſis dignitatem, quam Regius Sabaudiæ Dux ſpontè obtulerat, modeſtiſſimè recuſaſſet. In benemerito dein hoc Viro gratiis, ac beneficiis cumulando, conſentientibus Auguſto Imperatore Joſepho I., & Catholico Rege Carolo III. ille Comitem Sacri Romani Imperii cum deſcendentibus omnibus utriuſque ſexus creat, Diplomate dato Viennæ Auſtriæ XXVII. Septembris MDCCIX. hic Marchionis titulo ipſomet anno, ac Regentis dignitate ſub initium ſequentis anni decorat. Vigentibus eâ ætate Romanam inter & Cæſaream, ac Hiſpano-Auſtriacam Aulas controverſiis, Imperatore, ac Rege mandante Romam petit, & dum res ad eorumdem placitum per biennium gerit, atque componit, Summi quoque Pontificis benevolentiam, ejuſdemque Curialium exiſtimationem acquirit, & laudem. Interea Supremi rerum Italicarum Conſilii Regens penès Curiam Hiſpanicam pronunciatus fuerat, ut ſuperiùs innuimus, verùm adversâ valetudine longum adeò iter vetante, Mediolanum remittitur, ubi Excelſo Gubernii Cœtui (Junctam vocant) Adminiſter, aſſiduus Senatus Pater, bis Sanitatis Magiſtratui Præſes extitit, honore haud mediocri habitus, non apud indigenas tantùm, ſed apud exteros quoque, & præſertim Principes, à quibus pluries conſultus fuit. Deceſſit Vir doctrinæ, prudentiæ, & æquitatis laude clariſſimus Mediolani XVI. Kalend. Januar. anno poſt Chriſtum natum MDCCXX conditumque jacet ejus cadaver in Templo Sancti Fidelis hujus Metropolis hac Inſcriptione impoſitâ;

ALOYSIVS CAROELLVS
I. C. C. ET EX LX. DECVR. NOVARIAE
S. R. I. COMES
OPPIDI VESPOLATI R. FEVDATAR.
SVPREMI ITALICARVM R. CONSILII
REGENS
MEDIOLANI SENATOR
SAPIENS, IVSTVS, ET PIVS
OBIIT XVI. CAL. IAN.
ANNO MDCCXX.
EIVS CADAVER
IN SACELLO FVNERATI NVMINIS
IACET
MONVMENTVM HOC
PARENTI OPT.
MOESTISSIMI FILII
P. P.

Scripſit Opera hoc titulo:

I. Tractatus varii Juridici de Fideicommiſſis, de Contractibus, de Feudis, de Primogeniis, aliiſque plurimis Juris Civilis Titulis, in XX. & amplius Vol. in fol. MSS. digeſti, Opus verè magnifaciendum, & Typis paratum, de quo tamen unum tantùm Volumen lucem vidit ſequenti titulo:

II. Diſquiſitiones Juridicæ, nempe ad Statuta, & Conſtitutiones Mediol., necnon ad alia Municipalia ejus Dominii &c. Adnectitur titulus de Servitutibus, & Aqua. *Mediol. apud Hæredes Bellagatta*, 1728. *in fol.*

In Codice magnæ molis MS. in fol. inſcripto: „ Geſta Romæ „ infraſcripta reperiuntur.

III. Diſſertationes II. Hiſtorico-Politico-Juridicæ ſuper Recognitionem habendam à Summo Pontifice Caroli III. in Regem Cathol. Hiſpan.

IV. De Juribus S. R. I., & Mediolani Ducatus in Civitatibus Parmæ, & Placentiæ, ac eorum Territoriis, cum Animadverſionibus ad Scripturam, quæ dicitur vulgata Romæ. Hoc Opus ibi impreſſum fuit, & pro Sancta Sede ſcripſerunt, inter alios Cl. Fontaninius, & alii nonnulli poſt Auctoris mortem.

V. De Comaclenſi Controverſia Seſſiones plures habitæ cum Reverendiſſimo Papæ Auditore, mox Eminentiſſimo Cardinali Corradino, de anno MDCCX. &c. Ex his integrum magnum Volumen fieri poteſt.

VI. Vota Fiſcalia Vol. VI. in fol. MSS.

VII. Diſſertatio Juridica pro validitate quorumdam Contractuum à Regia Ducali Camera Mediol. initorum tempore Gubernii Gallo-hiſpani.

VIII. Conſultationes II. nempe CCCCLVI., & CCCCLXXII. inter alias Aloyſii Manſii, *Lucæ* editas anno

no 1685. Tomo V. quarum poſtrema acerrimi ſtudii cauſa fuit Hieronymo Palmæ juniori, atque Joanni Baptiſtæ Samminiato.

IX. Reſponſum Juris. Habetur inter alia Juriſconſultorum Illuſtrium in Opere, cui tit. „ Mediolanenſis „ Fid. Trivultii „ *Mutinæ*, 1684. *in fol.*

X. Aliud eſt apud Blanchinum in Compendio Ordinum Collegii Notariorum Mediol. pag. 79. *Mediolani*, 1700.

XI. Traſcorſi d'una penna divota. *Novara*, 1672.

XII. Clio feſteggiante. *Ivi*, 1674. Hoc Opus inſeruit Cotta in Novar. Miſcell. in Bibliotheca Ambroſiana.

XIII. Ode, Elogj, Sonetti, Madrigali, ed altri Scherzi poetici; hæc omnia aſſerit idem Cotta extare apud Joannem Antonium Riccium, Dominicum Gollium, atque Archangelum Stampam.

XIV. De Re Veſtiaria Tractatus Juridico-eruditus. Hunc teſtatur ſupradictus Cotta relictum fuiſſe ab Auctore noſtro adhuc imperfectum.

Reliqua verò ejuſdem Opera hactenus inedita, & à nobis hîc relata, cuſtodiuntur ab eruditiſſimo, digniſſimoque Senatus Mediolanenſis P. optimo Comite Paulo, aliiſque fratribus Comitibus Caroellis Auctoris hujus filiis.

De eo cum laude loquuntur Fontana in Bibliotheca Legali part. 6. pag. 53. Aloyſius Manſius Tom. V. Conſultation. 456., & 457. Joſephus Benalius in Hiſt. Magiſtrat. Extraordinar. pag. 38., & 183. Advocatus Sitonus in' Theatro genealogico Sitoniano pag. 123. MS. penes Auctorem, Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 260. 261., & 306. Marchio Senator Martinus Colla in Apologia pro Juribus Sacr Rom. ſuper Ducatu Parmæ, & Placentiæ. *Mediol.* 1727. *in fol*, & Ludovicus Antonius Muratorius in libris ſuis editis de Controverſia Comaclenſi.

## XIX.

## CASTILLIONÆUS BALTHASSAR.

Quamvis Balthaſſar Caſtillionæus Eruditiſſimorum Virorum judicio laudatiſſimus, Caſatici in agro Mantuano, genitoribus Chriſtophoro, atque Aloyſia Gonzaga, natus fuerit die VI. Decembris, anno ſalutis humanæ MCCCCLXXVIII. non ideo tamen ab hac Mediolanenſium Literatorum Bibliotheca excludendus eſt omninò duplici de cauſa, & quòd jam à Picinello fuerit inter alios relatus, & quòd à nobiliſſima Inſubri Caſtillionæa gente ortum traxerit, eoque fit, ut de tanto Viro jure Mediolanenſes quoque valeant gloriari. Dum ſacris ablueretur Undis nomen Avi reddidit, qui à Ludovico Gonzaga Marchione Mantuæ, tunc Mediolanenſis Ducis Armorum Supremi Præfecto expetitus fuerat, ſecumque Mantuam ex Inſubria adductus; quem Avum vita functum laudavit in funere Franciſcus Philelphus, cujus MS. Orationem ſervat Biblioth. Ambroſiana in Codice ſignato N. num. 165. Sedulò à parentibus educatus, iiſque omnibus imbutus artibus, quæ ad veram conducunt laudem aſſequendam, præſtantiſſimis ſub Præceptoribus literis dedit operam. Græcas præcipuè literas Mediolani percepit à Demetrio Chalcondyla, Latinas etiam ſic didicit, ut vel puer omnium admirationem ob ingenii acumen, atque memoriæ tenacitatem promereretur. Muſicam, & Architecturam ceteris animi dotibus addidit; Sculpturam, & Picturam adeò calluit, ut ejus judicium non raró Raphaël Urbinas, ac Michaël Angelus Bonarota ſæpiùs poſtulaverint. Ab armis non abhorruit, atque pedeſtri ſimul & equeſtri militiâ plurimùm valuit, ambigentibus omnibus utrum eruditione, vel bellicâ fortitudine

A major habendus eſſet. Sæpiùs ne corporis veternum contraheret, in palæſtra exercebatur, quo fiebat, ut corporis vires augeret. Annos natus XVIII. in Aula Ludovici Mariæ Sfortiæ Mediolani Ducis exceptus fuit, ſed brevì Patre orbatus, aliis etiam inſurgentibus in Ludovicum ipſum calamitatibus toti Italiæ perniciosiſſimis, Mantuam redire coactus eſt, atque à Franciſco Gonzaga Mantuæ Marchione raris ejus dotibus capto ad arma vocatus ſtrenuè militavit. Romam exinde petiit Julio II. in Petri Cathedra ſedente, cui ob merita jam notus tam fuit acceptus, ut eum Urbinum miſerit ad Guidobaldum ejus Urbis Principem conſanguineum ſuum, cupiens tanto ornamento illam Aulam decorare. A Franciſco Maria Guidobaldi Nepote, & Succeſſore ablegatus ad

B Henricum VIII. Angliæ Regem, quali in exiſtimatione fit habitus, oſtendit Regiæ Periſcelidis honor ipſi collatus. Ipſius quoque Urbinatis Ducis nomine legationem obivit ad Ludovicum XII. Francorum Regem, quo ſuadente manum admovit conſcribendo inſigni Operi ſuo, cui titulus: *il Cortegiano*, quod poſtea paucos intra menſes Romæ feliciter abſolvit anno MDXVI. Poëſi tam Latina, quàm Italica plura elucubravit, tantâ venuſtate, elegantiâ, atque ingenii laude, ut ei poſt Virgilium primas tribuere Jovius non dubitaverit. Ob virtutum merita pluribus donis, atque in primis die II. Septembris, anno MDXIII. ab jam laudato Franciſco Maria Urbini Duce Nebulariæ Caſtro donari in agro Piſaurenſi, ampliſſimoque Privilegio pro ſe, hæredibus, & ſucceſſoribus ornari promeruit. Anno

C ætatis ſuæ XXXVIII. matrimonio ſibi copulavit Hippolytam Comitis Guidonis Taurelli filiam, quam tamen quarto poſt anno amiſit, ſuſceptis ex ea Camillo Viro ob benè geſta poſtmodum inſigni, duabuſque ſequioris ſexus Anna, & Hippolyta, cujus ex partu Mater obiit. Hujus funus Balthaſſar uberrimis deflevit lachrymis, quibus addidit Carmen ſuum latinum graviſſimis Verſibus compactum Baptiſta Fera. Paulò ante uxoris obitum à Federico Gonzaga Marchione Mantuæ ad Leonem X. Pontificem Maximum Orator miſſus fuerat Balthaſſar ob magni momenti negotia, ſibique adeò ſummum Antiſtitem devinxerat, ut, niſi hujus mors interceſſiſſet, Caſtillionæus ad Sacram Purpuram aſſumendus crederetur. Rurſus ad Clementem VII.

D qui Adriano Pontifici ſucceſſerat, ablegatum ab eodem Mantuæ Marchione, Clemens ipſe, qui eum optimè jampridem noverat, ad Carolum V. Cæſarem, ſuum, & Apoſtolicæ Sedis Nuncium miſit, quo in munere Procerum Hiſpanorum, ipſiuſque Auguſti gratiam promeruit. Ab hoc igitur dato Diplomate muneratus eſt, quo ſanciebatur Caſtillionæum perinde habendum eſſe in aſſequendis in Hiſpaniis honoribus, & dignitatibus, ac ſi in eiſdem natus eſſet. Abulenſis Urbis Epiſcopatum Carolus V. eidem Balthaſſari obtulit, quam tamen Inſulam hic modeſtè recuſavit. Anno demum MDXXIX. die II. Februarii, Toleti naturæ debitum perſolvit vix quinquagenario major, dolente Cæſare tanti Viri mortem. Cadaver illius, funus deducen-

E tibus Auguſti juſſu Præſulibus, & Optimatibus, primùm in Metropolitana illius Urbis Baſilica depoſitum, poſt menſes XVI. curante Matre, Mantuam translatum eſt; & in extramurano Templo Sanctæ Mariæ Gratiarum conquieſcit in marmoreo inſigni Tumulo, ubi etiam uxoris ipſius cineres jacent; addito Elogio à Cardinali Petro Bembo conſcripto in hæc verba;

BAL-

Digitized by Google

BALDASSARI. CASTILLIONI. MANTVANO.
OMNIBVS. NATVRAE. DOTIBVS.
PLVRIMIS. BONIS. ARTIBVS. ORNATO.
GRAECIS. LITERIS. ERVDITO.
ET. HETRVSCIS. ETIAM.
POETAE.
OPPIDO. NEBVLARIAE. IN. PISAVREN.
OB. VIRT. MILIT. DONATO.
DVABVS. OBITIS. LEGATIONIBVS. BRITTANICA. ET. ROMANA.
HISPANIENSEM. CVM. AGERET.
AC. RES. CLEMENTIS. VII. PONT. MAX. PROCVRARET.
QVATVORQVE. LIBROS. DE. INSTITVENDA. REGVM. FAMILIA.
PERSCRIPSISSET.
POSTREMO. CVM. CAROLVS. V. IMPERATOR.
EPISCOPVM. ABVLAE. CREARI. MANDASSET.
TOLETI. VITA. FVNCTO.
MAGNI. APVD. OMNES. GENTES. NOMINIS.
QVI. VIXIT. ANNOS. L. MENSES. II. DIEM. I.
ALOYSIA. GONZAGA. CONTRA. VOTVM. SVPERSTES.
FIL. B. M. P. ANNO. DOMINI. M. D. XXIX.

Quàm egrè tulerit Pontifex Clemens VII. Balthaſ- A
ſaris mortem, oſtendunt ejus Literæ ad præfatam
ejus Matrem Aloyſiam, datæ Romæ die XXIX.
Aprilis MDXXIX., quibus eam conſolatur de Filii
obitu. Vulgatæ ſunt in editione Patavina anni 1733.
infra memoranda Operum omnium Auctoris noſtri.
Monemus poſtremò Lectores, non deeſſe, qui ſcri
pſerint Caſtillionæum non Toleti, ſed Matriti diem
obiiſſe, inter quos Varillas in Anecdotis Florenti-
nis Tomo II. ubi etiam ridiculum vaticinium de
morte ſibi Mantuæ imminente Auctorem ex Italia
fugaſſe aſſerit, non recogitantem Matritum quoque
Mantuam Carpetanorum nuncupari; quod quàm
alienum à veritate ſit, ſatis indicat Bembus in In-
ſcriptione ſuperius relatâ. Addit etiam idem Varil-
las, Caſtillionæum malè ſervaſſe præcepta, quibus B
Aulicum inſtruxerat. Verumtamen refellit. hominis
(abſit injuria verbo) impudentiam Clariſſimus Ita-
lorum Vatum Ludovicus Arioſtus, qui in Cantu
XXXVII. magni Operis ſui inſcripti: *L'Orlando*,
hæc de Balthaſſare noſtro ſcribit:

*C'è il Bembo, c'è il Cappel, c'è chi qual lui*
*Veggiamo, ha tali i Cortegian formati.*

Neque minus carpendus Picinellus noſter, qui non in Mantuano, ſed in Mediolanenſi Gratiarum Templo Balthaſſaris tumulum collocat, citata etiam præfata Inſcriptione Bembi, quam, ſi Mediolani extitiſſet, facilè videre poterat.

Operum ipſius tituli ſunt:

I. Il Libro del Corteggiano del Conte Baldeſſar Caſtiglione. *In Venezia, nelle Caſe d'Aldo Romano, e d'Andrea d'Aſola ſuo Suocero, nell' Anno* 1528. *del meſe d'Aprile in fol.* Poſt hanc primam Aldi editionem recenſentur à Cll. Viris Joanne Antonio, & Cajetano VVulpiis in Libro, cui titulus: „ Opere „ Volgari, e Latine del Conte Baldeſſar Caſtiglione novellamente raccolte, ordinate, ricorrette, ed illuſtrate, come nella ſeguente Lettera può vederſi, da Gio: Antonio, e Gaetano „ Volpi. *In Padova, preſſo Giuſeppe Comino*, 1733. „ *in* 4. „ aliæ numero XXXVII. editiones Italicæ hujus Operis, partim Venetiis, partim Florentiæ, & Parmæ ab anno ſupradicto 1528. uſque ad jam dictam Patavinam, anni 1733. peractam, ad quarum Catalogum Lectores noſtros libenter amandamus. Præter ſupradictas Italicas editiones, aliæ tres in Latinum ſermonem verſiones indicantur, prima *Vitembergæ*, *anno* 1574., ſecunda *Argentorati*, *anno* 1577. tertia verò *Londini*, *anno eodem à Bartholomæo Clarke* condita. Duæ quoque viſuntur in Gallicam linguam, *Pariſiis* ſcilicet *anno* 1537., *&* 1540., *& Lugduni*, 1580. *in* 8. Sex verò aliæ editiones Hiſpanico Idiomate vulgatæ in eodem Catalogo enunciantur; tandem anno 1727. P. Caſtillionæus idem Opus in lucem emiſit *Londini* Italico, atque Anglico ſermone, unà cum Auctoris Vita, Epiſtolis, & Carminibus.

II. Alcune Lettere, e Rime del Conte Baldeſſar Caſtiglione, e d'altri a Lui, eſtratte da varj Libri ſtampati, e manoſcritti. Extant in ſupradicta editione Patavina Operum omnium Auctoris noſtri; Collectores verò has Epiſtolas hauſiſſe aſſerunt ab infraſcriptis Editionibus.

1. Lettere di diverſi al Bembo, raccolte, e ſtampate dal Sanſovino. *In Venezia*, 1560 *in* 8.
2. Lettere di Principi a Principi. *In Venezia*, *preſſo il Ziletti*, 1581. *in* 4.

3.

3. Lettere facete, e piacevoli di diverſi, raccolte da Dionigi Atanagi. *Venezia, appreſſo Bolognino Zaltieri*, 1561 *in* 8.
4. Lettere Volgari di diverſi nobiliſſimi Uomini, ed eccellentiſſimi ingegni ſcritte in diverſe materie. *In Venezia, in Caſa de' figliuoli d'Aldo*, 1551. *in* 8.
5. Lettere di Monſignor Giovanni Guidiccioni, Veſcovo di Foſſombrone, Preſidente di Romagna. MS. del Padre Don Mariangelo Fiacchi, Monaco Camaldoleſe, e Bibliotecario della celebre Libreria di Claſſe in Ravenna.
6. Idea del Secretario di Bartolomeo Zucchi. *Venezia, preſſo Pietro Duſinelli*, 1614. *in* 4.
7. Raccolta delle Lettere del Pino. *Venezia*, 1574. *in* 8.

Ex Elogiis Virorum Illuſtrium gentis Caſtillionææ Antonii Beſſæ Negrini eruitur, plures alias Epiſtolas ſcripſiſſe Auctorem noſtrum, quæ aut deperditæ ſunt, aut in ſcriniis cuſtodiuntur, utpotè quia res politicas ſui temporis continent. Clariſſimus quoque Marchio Maffejus in ſuo Libro inſcripto „ Rime, e Proſe ec. „ aſſerit, adſervari in Bibliotheca Regia Taurinenſi Codicem MS. plurium Epiſtolarum hujus Balthaſſaris, dignum prælo. Ab eodem Codice forſan hauſit Vir ſupradictus doctiſſimus ſequentem, quæ ad calcem editionis Patavinæ legitur hoc titulo:

III. Lettera non più ſtampata del Conte Baldeſſar Caſtiglione a Papa Leone X. comunicataci, dopo finito il Volume, dal Sig. Marcheſe Scipione Maffei, preſſo il quale ſi conſerva.

IV. Rime del Sig. Baldeſſare Caſtiglione. Extant in eadem Collectione VVulpiana, ex variis Libris collectæ, nempe:
1. Stanze Paſtorali del Conte Baldeſſar Caſtiglione, e del Sig Ceſare Gonzaga, con le Rime di M. Antongiacomo Corſo. *In Vinegia, preſſo i figliuoli d'Aldo*, 1553. *in* 8.
2. Rime di diverſi ec. *In Venezia, al Segno del Pozzo*, 1550. *in* 8.
3. Rime di diverſi. *In Venezia, preſſo il Giolito*, 1549. *in* 8
4. Ex Cod. MS. Cl. Viri Apoſtoli Zeni.
5. Ex Elogiis Antonii Beſſæ Negrini.

V. Balthaſſaris Caſtillionæi Patricii Mantuani Carmina, & alia Opuſcula, aucta, emendata, & illuſtrata. Extant in eadem Collectione VVulpiana. Hæc quoque reperiuntur inter Carmina Illuſtrium Poëtarum *Venetiis, apud Valgriſium, & Florentiæ, apud Torrentinum*, ſicuti & in opere inſcripto „ Carmina Illuſtrium Poëtarum Italorum „ *Florentiæ, in Typographia Magni Ducis Tom. III* pag. 295. Carmina hujus Balthaſſaris habentur impreſſa: nonnulla quoque MSS. cuſtodiuntur in Bibliotheca Vaticana Cod. num. 1747. teſte Montfauconio in Biblioth. MSS. Tomo I.

VI. Balthaſſaris Caſtillionæi Epiſtolæ Latinæ; extant in ſupradicta Collectione, unà cum nonnullis Privilegiis Variorum Principum favore Auctoris noſtri.

VII. Parere intorno al vero nome della Volgar lingua. Extat ad calcem Collectionis Patavinæ ſupradictæ.

VIII. De Laudibus Picturæ, & Sculpturæ, ita Picinellus ex Geſnero.

IX. Ejus Sententiæ ſunt in Libro „ il Cancellieri del „ Doni, Libro dell' Eloquenza; nel qual ſi vede „ per ſimilitudine la virtù del dire degli Antichi „ Savj, e de' Moderni Virtuoſi in ogni impreſa „ onorata di Guerra, di Stato, e Potenza, riſolvendo con le vere Sentenze. *In Vinegia, per Gabriel Giolito de' Ferrari*, 1562. *in* 4. pagg. 35., e 36.

In Libro, cui titulus „ Kimeria Literaria „ inter Opuſcula Pauli Colomeſii cap. XXXVI. pagg. 79. & 88. adeſt Elegia Latina Hippolytæ Taurellæ, Caſtillionæi noſtri Uxoris ad eundem ſcripta, unà cum Epitaphio ipſius Hippolytæ.

In obitu ejuſdem Balthaſſaris ad Clementem VII. legitur Epigramma Latinum ſatis elegans, ſed corruptè à Beſſa Negrino prolatum, correctius verò habetur in Editione pluries laudata Patavina. Verſibus etiam celebratur à Jano Vitali, Marco Antonio Flaminio, Achille Bocchio, Benedicto Lampridio, Matthæo Toſcano, aliiſque, ut videre eſt inter Carmina Illuſtrium Poëtarum Italorum Tom. II. pag. 356. Tom. IV. pag. 415. Tom. VI. pag. 22. Tom. IX. pag. 287.

In Muſæo Bibliothecæ Ambroſianæ ſervatur hujus Auctoris Nummiſma, in quo ipſius Icon cum verbis: *Balthaſſar Caſtillionæus Cr. F.* Averſa pars exhibet Tritones duos, cum alia icuncula, & lemmate: *Tenebrarum & Lucis*.

Innumeri verò ſunt, qui Elogia Auctori noſtro texuere, inter quos Paulus Morigia in Nobil. Mediol. lib. III. cap. V. Franciſcus Guicciardinus in Hiſtor. lib. X. & XV. Matthæus Caſtillionæus in Comment. de Origine, Rebus geſtis, ac Privilegiis gentis Caſtillionææ, pag. 31., Paulus Jovius in Elogiis Virorum Literis Illuſtrium, Jacobus Sadoletus in lib. V. Epiſtolarum, Joannes Pierius Valerianus de Literatorum infelicitate lib. II., Marius Corradus in lib. XIII. de lingua Latina, Benedictus Varchius in Hiſtoria Florentina lib. IV. pag. 87. Petrus Bembus in Tom. III. Epiſtolar., Hieronymus Rubeus in Hiſt. Ravennæ lib. VIII., Joannes Sambucus in Dialogo II. de Imitatione à Cicerone petenda pag. 78. Odoardus Verus Comes Oxoniæ in editione Caſtillionæi Aulici *Londini* 1577., Bartholomæus Zucchius in libro „ Idea „ del Secretario „ Tom. I. Cap. XXIX., Juſtus Fontaninius in libro *l'Aminta difeſo* pag. 264, Creſcimbenius in Opere „ Iſtoria della Volgar „ Poeſia „ lib. II. cap. XIX. pag. 353. Niceronius Tom. XXVI., amiciſſimus Iricus noſter in Hiſt. Typograph. Tridinen., & tandem Picinellus in Athenæo pag. 62.

## XX.

## CATTANEUS PAPYRIUS.

PApyrium Cattaneum Matthæo Patre natum in Oppido Caſtrileonis, quod in Diœceſi, Agroque Cremonenſi comprehenditur, hoc loco reponimus inter Exteros Eruditos doctrinæ ejus gratiâ. Cremonæ primùm minoribus ſtudiis dedit operam, mox Mediolanum veniens hìc Juriſprudentiam percepit diligenter adeò, ut poſt adeptam lauream inſignis cauſarum patroni nomen adeptus fuerit. At verò majus ſibi decus Vir præſtantiſſimus acquiſivit cùm ad Senatoriam in ſummo Inſubriæ Magiſtratu dignitatem aſcendit; in eo enim Ordine ampliſſimo eximiæ eruditionis, & integritatis argumenta immortalia reliquit, donec anno MDCXXVII. die VIII. menſis Martii deceſſit. Cadaver paternum Camillus Canonicus Scalenſis Baſilicæ monumento ad hæredes tranſituro condidit in Templo S. Barnabæ hujus Metropolis cum hoc Elogio:

PAPY-

Digitized by Google

PAPYRIO CATTANEO CREMONENSI
MATTHAEI FILIO MVSARVM ALVMNO
VBI NOMEN ET OMEN PAPYRII
LAVREA PATROCINIIS SENATORIA DIGNITATE
ORNAVIT AMPLIFICAVIT PERFECIT
VNDE MENS IVRIS TVTELA POPVLI PATER SENATVS
VICE SVA NEDVM PRAESIDIS
IMMO IVRIS AC FORI VTRIVSQVE CONCORDIA
APPELLABATVR
DVM TESTIMONIVM VIRTVTVM DIGNIS PRO MERITIS
PARATVR
VITA ET HONORIBVS FVNCTO
ANNO MDCXXVII. MAR. VIII.
CAMILLVS FILIVS CANONICVS SCALIGER
HOC SEPVLCHRVM POSVIT
IN QVO PATER CONDI VOLVIT CVM TESTAMENTO
REDDITVS ANNVOS PRO QVOTIDIANO SACRIFICIO
DEO DIVOQVE BARNABAE DEDIT LEGAVITQVE
IVRE HAEREDIBVS HIC HVMANDI RELICTO
VIXIT DIES PAVCOS
DVRAVIT ANNOS LXVI. MENS. VII.

A

Eruditionis ſuæ teſtimonia reliquit hoc titulo:

I. De Politica Libri X. Eos MSS. extare retulit Clariſs. Ariſius loco mox citando, ſed neque iſti, neque alia ſequentibus numeris referenda, ubi ſerventur indicavit.

II. De componendis litibus Libri III. MSS.

III. De ſedandis diſcordiis Civilibus Libri II. MSS.

IV. Reſponſum Juris ſuper argumento: An bona publicè allibrata, & deſcripta in Cataſtro, pro militum hoſpitatione in totum, vel quatenus capit ſumpsum, quod eis adveniebat ad ratam æſtimi, ſimili onere affecta remaneant, & durent, etiam poſtquam in Eccleſiam pervenerint. Extat in Catena aurea Hieronymi Gattici pag. 36.

De ipſo prælaudatus Ariſius in ſua Cremona Literata Tomo II. pag. 381. agens de Matthæo illius Patre, & in Tomo III. pag. 245., atque etiam in altero Opere ſuo, cui titulus: „ Spectabiles Cauſarum Pa„ troni ex inclyto Cremonenſi Collegio „ pag 41. Landus de Senatu Mediolan. pag. 207. & Melchior Alciatus in Tractatu de præcedentia pag. 69. num. 59.

B

## XXI.

## CERESOLUS CAROLUS FRANCISCUS.

Carolo Franciſco Cereſolo natalis annus fuit humanæ Reparationis MDCXIV. die VII. menſis Martii in Ditione Bergomenſi; illum tamen Picinellus in Athenæum Mediolanenſium Scriptorum



A

intulit, quòd & in Mediolanenſi Diœceſi ortus fuerit, in Seminario Clericali, quod Majus dicitur Mediolani, literarium poſuerit Tyrocinium, Congregationi Oblatorum SS. Ambroſii, & Caroli nomen dederit, & tandem quòd in Oppido Verdelli in præfata Mediolanenſi Diœceſi conſtituto, Præpoſiti, atque Vicarii Foranei munera geſſerit. Nos igitur, ne Mediolanenſibus injurii ſimus, hunc etiam Eruditum Virum hîc laudandum ſuſcepimus, quamvis Donatus Calvi ipſum jure ſuo in Literariam Bergomatum Scenam induxerit. Theologicam lauream Mediolani percepit, cùmque hic honos eruditioni ipſius debitus, eidem conferretur, Alexander Perlaſca eum eloquenti Panegyri commendavit. Protonotarii Apoſtolici dignitate auctus,

B

Mariano Collegio Bergomenſi aliquando præfuit; mox in Templo maximo ipſius Urbis Canonicatu potitus eſt. Inter Academicos Excitatos nomen Candidati geſſit, illique fuit Inſigne Sinenſis Roſa cum lemmate: *Tinget orta dies*. Præpoſituram tandem prædictam Oppidi Verdelli laudabiliter adminiſtrabat eo tempore, quo jam citatus Picinellus ſcribebat; emortualem tamen illius annum hactenus ignoramus. Supervixiſſe nihilominus videtur ad annum uſque MDLXXXIII. cùm præcedenti anno ejus Opus infra memorandum num. X. typis prodierit.

Quæ ſcripſit hæc ſunt:

I. Oratio ad Franciſcum Zenum Bergomi Prætorem. *Bergomi, apud M. Antonium Rubeum*, 1636.

II.

II. Panegyricus dictus Illuſtriſſimo, atque ampliſſimo Senatori Mario Georgio Bergomi Prætori. *Ibid.* 1636. A

III. Oratio in funere Paulinæ Bragadinæ Muſtiæ. *Ibid.* 1641.

IV. Oratio in Synodo Diœceſana Secunda Aloyſii Grimani Epiſc. *Ibid.* 1648.

V. La Vite Regnante: Panegirico per il P. D. Bonifacio Miardi Generale de' PP. Teatini. *In Bergomo, per il Roſſi*, 1653.

VI. Oratio in Laurea Theologica Hieronymi Putei Academ. Hermathen. Principis in Seminario Mediolan. *Mediolani, in fol.*

VII. Poëmata IV. Latina in laudem Cæſaris Cardinalis Montii, & Hieronymi Putei laureandi. Ext. ibidem.

VIII. Ragionamento fatto nel ſecondo giorno della Sinodo trigeſimaquarta celebrata l'anno MDCLVIII. nella Metropolitana di Milano. *In Milano*, 1658.

IX. Orazioni Latine in lode di S. Gio: Griſoſtomo Protettore dell'Academia Mariana. MS. B

X. Tritonis Buccina, ideſt Elogia, Orationes, Epiſtolæ, & Carmina Caroli Franciſci Cereſoli S.T.D., & in Oppido Verdello Præpoſiti. *Mediolani, apud Ramellatum*, 1682. *in* 4.

XI. Poesie Latine Liriche. MS.

XII. Diſcorſo fatto nel Duomo di Milano a' Magiſtrati nell' aprirſi de' Tribunali l'anno MDCLVIII. MS.

XIII. Deciſioni di CC. Caſi di Conſcienza, con il Preambolo addattato alle materie, MS. Omnia ex Calvi.

XIV. Petri Syndon evolvens nova Volucria, Quadrupedia, & Serpentia. *Bergomi, apud Fratres Rubeos*, 1680. *in* 12.

Eum laudant Boſca in Martyrologio Mediolanenſi, in Notis ad diem XV. Junii, Donatus Calvi in Scriptoribus Bergomenſibus part. II. pag. 20., & Picinellus in Athen. pag. 115.

## XXII.

## CHALCONDYLES DEMETRIUS.

Si nos libido teneret quoſcumque obvios magni nominis Viros Exteros, qui Mediolanenſem Urbem literis, morâ, & ſepulchro decorarunt, hìc referre, ſique fidem vetuſtis etiam marmoribus inconſideratè haberemus, duos egregiæ famæ & in literaria Republica celeberrimos, in Græcia natos inſerere deberemus, nimirum Demetrium Chalcondylem, atque Emmanuelem Chryſoloram. Hujus enim tamquam hìc ſepulti meminit Inſcriptio non recentis notæ, quæ adhuc viſitur in Euſtorgiana Baſilica in hæc verba:

EMMANVELI CHRYSOLORAE CONSTANTINOPOLITANO
LITERARVM GRAECARVM
IN INSVBRIBVS ET RELIQVA ITALIA
SVB VICECOMITIBVS PRINCIPIBVS
RESTITVTORI
THEODORAEQVE EIVS FILIAE
FORMA ET ELOQVENTIA PRAESTANTI
FRANCISCI PHILELPHI
VIRI AETATIS SVAE DOCTISSIMI
VXORI
AMICVS HIC SEPVLTIS
M. H. P.

Cùm autem certiſſimum ſit apud Eruditos, Theodoram Philelphi uxorem non Emmanuelis, ſed Joannis Chryſoloræ filiam fuiſſe, ut patet vel ex unico teſtimonio Philelphi ipſius, quod retulit Clariſs. Saxius in ſua Typographico-literaria Mediolanenſi Hiſtoria Col. CCXXIV. ſuſpicari cœpimus de hujus C marmoris fide. Sed lux nobis major effulſit, cùm certiores facti fuimus, Emmanuelem Conſtantiæ mortuum, ibique ſepultum adhuc jacere in Eccleſia Prædicatorum cum hac Inſcriptione à Petro Paulo Vergerio ſeniore, ipſiuſque olim auditore compoſita:

ANTE

ANTE ARAM HANC SITVS EST
D. MANVEL CHRYSOLORAS EQVES CONSTANTINOPOLITANVS
EX VETVSTO GENERE ROMANORVM
QVI CVM CONSTANTINO IMPERATORE MIGRARVNT
VIR DOCTISSIMVS PRVDENTISSIMVS OPTIMVS
QVI TEMPORE GENERALIS CONCILII CONSTANTIAE
DIEM OBIIT EA EXISTIMATIONE
VT AB OMNIBVS SVMMO SACERDOTIO
DIGNVS HABERETVR
XVI. KAL. MAIAS CONDITVS EST
ANNO INCARNATIONIS VERBI MCCCCXV.

Idcircò putidum ſcioli alicujus fœtum credimus Euſtorgianum Marmor ; neque enim fieri poterat , ſi Emmanuelis oſſa indè Mediolanum translata fuiſſent, ut apertiſſimum mendacium craſſiſſimo errore confictum , tumulo ejus ab Amico inſcriberetur . Quomodo enim Amicus , qui res tam domeſticas , hoc eſt Theodoræ patrem legitimum ignoraret ? Nil ergo mirum, ſi mendax homo nomen reticuit, cùm qui malè agit lucem odiſſe conſueſcat. Rejectâ igitur cum ipſo Marmore Auctoris impudentiâ , ad Chalcondylam convertimur . Eum Athenis natum , hoc eſt in vetuſtiſſima Minervæ ſede, novis Athenis Mediolani videlicet ſepultum, jam pro more ſuo ſatis luculenter commendavit Clariſs. Saxius in ſua Hiſtoria Typographico-literaria huic Operi adnexa

A

Coll. CCCCXX. & ſequentibus . Supervacaneum eſſet eruditiſſimi Viri laboribus quicquam addere , niſi emendandus eſſet Joannes Albertus Fabricius , qui Tomo X. pag 391. Bibliothecæ Græcæ, editionis *Hamburgen.* 1721. aſſeruit . Demetrium anno Chriſti MDX diem obiiſſe . Nam ex Epitaphio, Tumulo ejus impoſito , quod adhuc candido marmori inciſum conſpicitur in Sacrario Templi Canonicorum Lateranenſium hujus Metropolis, ſub nuncupatione Sanctæ Mariæ Paſſionis , quodque Vir in literaria Repub. celeberrimus Joannes Georgius Triſſinus grati animi ergo tanto Præceptori poſuit , patet, eum non ante annum MDXI. deſideratum fuiſſe. En ipſas marmoris ſiglas :

P. M.

DEMETRIO CHALCONDYLAE ATHENIENSI
IN STVDIIS LITERARVM GRAECARVM
EMINENTISSIMO
QVI VIXIT ANNOS LXXXVII. MENS. V.
ET OBIIT ANNO CHRISTI MDXI.
IOANNES GEORGIVS TRISSINVS GASP. FILIVS
PRAECEPTORI OPTIMO ET SANCTISSIMO
POSVIT.

Scripſit :

B

I. Grammaticæ Græcæ Inſtitutiones . Sine anno , loco, & Typographo . Hujus primam editionem *Mediolani* prodiiſſe aſſerit loc. cit. Clariſs. Saxius . Prodiit etiam *Pariſiis*, 1525. *& Baſileæ*, *apud Oporinum*, 1546.

II. Epiſtola Græca præfixa Lexico Suidæ, cujus editionem ipſe curavit diligentiſſimè . *Mediol.* 1499.

III. Homeri Carmina Græca ad MSS. fidem caſtigata . *Florentiæ*, 1488.

IV. Anthologia , ſeu Florilegium Epigrammatum diverſorum Poëtarum juxta Collectionem Maximi Planudæ Monachi, libri VII. ex emendatione Demetrii Chalcondylæ, & Joannis Laurentii , anno à Nativitate Domini MCCCCLXVI. MS. in Laurentiana, Pluteo XXXI. ex Montfaucon. Biblioth. MSS. Tomo I. fol. 304.

V. Iſocratis Orationes Græcè , præmiſsâ vitâ ejuſdem è Plutarcho, & Philoſtrato, & judicio de eodem Dionyſii Halicarnaſſei . Codex excuſus *Mediolani* ex emendatione Demetrii Chalcondylæ, *ab Henrico Germano*, *& Sebaſtiano Pontremulenſi*, *ſumptibus Illuſtriſſimi Ducis Mediolani*, *manu Bartbolomæi Scyaſi*, *Vicentii Aliprandi*, *& Bartbolomæi Rozoni*, *anno à C. O MCCCCXCIII. Menſis Jan.* 24. Ex Montfaucon. Biblioth. MSS. Tom. I. pag. 352., & ex Cl. Saxio ad eundem annum.

Inter ipſius diſcipulos fuit Antonius Motta , qui duo elegantiſſima Epigrammata edidit in ejus laudem , & extant in fronte Suidæ Lexici à Demetrio latinitate donati , & *Mediolani* impreſſi . Vide Cl. Saxium in Hiſt. Liter. Typogr. ad annum MCCCCXCIX. Col. CCCCXXIII.

Videndi ſunt etiam Jo. Baptiſta Ricciolius S. J. in Chronologia Reformata Tom. III. pag. 218. Fabricius in Bibliotheca Græca , Tom. I. Jovius in Elogiis Cap. XXIX. Clariſs. Saxius in Hiſt. Typog. Col. CCCCXX., ubi alios plures citat de hoc Auctore tractantes , & Sitonus noſter in Schedis .

XXIII.

Digitized by Google

## XXIII.

## CLARUS JULIUS.

JUlius Clarus Vir ſummi nominis, & immortalis memoriæ, Alexandriæ Statiellorum natus eſt anno MDXXV. patre Aloyſio Mediolanenſi Senatore, matre verò Hippolytâ Gambarutâ, atque patricii generis ſplendorem eruditione ſuâ cumulavit. Ceteris minoribus ſtudiis excultus, Juriſprudentiæ arcana ingreſſus, tantùm in ea facultate profecit, ut anno MDL. Doctoris infulas in Ticinenſi Archigymnaſio fuerit conſecutus; quintoque nondum elapſo menſe ad Senatoriam Cathedram aſſumi promeruerit in Supremo Inſubriæ Magiſtratu. Præſes quoque fuit Quæſtorum extraordinariorum reddituum, publicarum aquarum curæ præfectus, quemadmodum etiam ad rem frumentariam adhibitus. Anno MDLIX. prætórios Cremonenſium Faſces adminiſtravit tantâ cum laude, ut apud ejus Urbis Cives magnum ſibi nomen conquiſiverit. Nam ingraveſcente per ea tempora annonæ penuriâ, non prudentiâ ſolùm, & hortationibus ſed etiam exemplo, & munificentiâ ſic divitum animos accendit, ut quinque & ampliùs ino-

A pum millia victum inde perciperent; ideoque Patriæ ſuæ Patrem, & Servatorem non raró illum, populus vivâ voce nuncupavit. Impios, ſceleſtoſque homines mirâ ſeveritate compeſcuit, publicæque tranquillitatis ſtudioſiſſimus, aliquando inter furentium rixas impavidus irrupit, propriiſque manibus è digladiantium dextra tela extorquens, auctoribus ſeditionis in vincula conjectis, omnia ſedavit. Quæ hactenus de Cremonenſi Julii noſtri Præturâ narravimus, publicis Tabulis anno MDLXI. die II. menſis Decembris datis, teſtati ſunt ejuſdem Urbis Decuriones, cùm gratum erga tanti Viri merita animum teſtaturi, eundem Civilitate ſua cum filiis, & poſteris donandum cenſuerunt. Eas affert Ariſius loco in fine citando. Ceterùm Philippus II. Hiſpaniarum Rex plurimi fecit Eruditiſſimum hunc Virum; etenim ipſum ad ſe Conſiliarii munere, & Regentis dignitate auctum accerſivit. Ardentibus verò inter Genuenſes controverſiis ob novarum, veterumque Familiarum diſcordias, ab ipſo Rege Philippo unus omnium aptiſſimus judicatus eſt, qui laboranti illi Reipublicæ opem ferret, civiumque animos pacaturus mitteretur. Dum igitur Italiam repetit, Carthagine novâ, ut Ghilinus ſcribit, ſeu, ut ſentit Pancirolus, Cæſarauguſtæ, die XIII. menſis Aprilis, anno ſalutari MDLXXV. obiit. Julii cadaver Mediolanum, ut ipſe juſſerat, delatum, in Templo Pacis apud Minores reconditum eſt in Tumulo, quem ſibi vivens paraverat, hoc Elogio inciſo:

IVLIVS CLARVS
ALOYSII F. IVR. CONS. SENATOR
PRAESES QVAESTORVM EXTRAORD.
CVRATOR AQVARVM PVBLICARVM
PRAEFECTVS REI FRVMENTARIAE
DEIN
PHILIPPI REGIS HISPANIARVM
IN HIS QVAE PERTINENT AD RES ITALAS
CONSILIARIVS
ANNOS NATVS VNVM ET XXXX.
SECVNDIS REBVS SVIS SVPREMI DIEI MEMOR
VT HANC POSTERIS CVRAM ADIMERET
MONVMENTVM SIBI SVISQVE VIVENS FECIT
ANNO M.D.LXVI. VIII. ID. IAN.
IPSO DIE SVO NATALI.

C In eodem Templo conditus eſt etiam Aloyſius Julii pater, quem ſupra memoravimus, qui migravit è vita XIV. Kal. Febr. anno MDXXXVII. cujus ibidem ſupereſt Inſcriptio, in qua mentio eſt Julii noſtri, atque Camilli ipſius fratris, Juriſconſulti, & Equitis.

Hæc ſcripſit Julius:

I. Sententiarum receptarum Opus in libros VII. diviſum, in quorum primo de Legibus, Conſtitutionibus, & Statutis; in ſecundo de Jure perſonarum, in quo non ſolùm de ipſo ſtatu hominum, ſed etiam de ſingulorum officiis, & dignitatibus; in tertio de Succeſſionibus, & ultimis Voluntatibus; in quarto de Contractibus, & de Feudis, Donationibus, & Emphyteuſi; in quinto] Practica Criminalis; in ſexto Practica Civilis; in ſeptimo Index generalis, continens materias ſupradictorum librorum, & cum Animadverſionibus Manfr. Goveani. *Francof.* 1613. & cum Animadverſionibus Joannis Guiotii. *Ibid.* Prima pars hujus Operis, quæ ad Teſtamenta, & ad Donationes, Emphyteuſes, & Feuda pertinet, edita fuit *Venetiis, per Joannem Antonium de Antoniis Mediolanenſem*, 1574. *in* 4. unà cum Epiſtola nuncupatoria Auctoris Antonio Perenoto Atrebatenſi Epiſcopo, data Mediolani anno MDLIX.

II. Tractatus de Feudis. *Venetiis*, 1566. *in* 8.

III. Opera Omnia, ſive Practica Civilis, & Criminalis cum additionibus Joannis Baptiſtæ Bajardi Parmenſis, Bernardini Roſignoli Mediolanenſis, Hieronymi Giacharii Lugienſis, Joannis Guiotii Nivernenſis, Antonii Brochi è Caſtro Lauro, Joannis Harprecti, & Manfredi Goveani Germanorum. *Francofurti*, 1636. *Venetiis*, 1640. *Lugduni*, 1661. *Genevæ*, 1666. *in fol.*

IV. Ammaeſtramenti dell' eccellente Dottore il Sig. Giulio Claro ſopra il ben vivere, ed il ben morire; tradotti di Spagnuolo in lingua Toſcana dal Rev.

M.

Digitized by Google

M. Pietro Buonfanti Piovano di Bibbiena. *Firenze, per Giorgio Mareſcotti*, 1582. *in* 12. liber rarus.

V. Titolo del Magiſtrato Straordinario dellò Stato di Milano. Hoc Opus majori ex parte Julius Clarus poſt annum MDLXIII. compoſuit. Editum fuit ad calcem Relationis Hiſtoricæ ejuſdem Magiſtratus elaboratæ à Joſepho Benalio, de quo ſuo loco jam diximus. *Mediol. apud Malateſtam*, 1711. *in fol.*

Opera varia ejuſdem à nobis jam recenſita extant inter Tractat. Juris Tom. VIII. part. I. pag. 18.

Ad Julium Clarum ex ordine Senatorio Cremonæ Prætorem, Cremonenſeſque Decuriones pro rei literariæ veteri inſtituto ſervando: Oratio Franciſci Zavæ Cremonenſis. *Cremonæ*, 1661. *in* 4.

Franciſci Cicereji Mediolanenſis Philippus, vel de Iſocratis laudandi ratione, unà cum Epiſtola de eodem Argumento ad Julium Clarum Virum ſummum, & ſingularem. MS. in 4 Extat in Biblioth. Marchionum Vicecomitum.

Extat quoque ad eundem Bernardi Taſſi Epiſtola, in qua reſſignationem Viri Chriſtiani in adverſis laudat in Claro. Data eſt è S. Germano die XX. menſis Martii, anno MDLIII., & legitur inter Bernardi Epiſtolas Italicas. *Venetiis, apud Jolitum*, 1575. Tom. I. pag. 64.

In Syntagmate communium opinionum ex pluribus Auctoribus congeſtarum ab Antonio Maria Curatio, Tomis III. *Lugduni*, 1658. editarum, inter præcipuos Auctores, habetur Julius Clarus.

Eum laudarunt Ghilinus in Annalibus Alexand., & in Theatro Virorum Doctorum parte I. eumque ſecutus Julianus Porta in Theat. Alexandr. Landus de Senatu Mediol. Jo. Stephanus Lambertengus ad Statuta Mulierum, in fine, num 157. 159. pag. 469., Joſeph Benalius in Hiſtor. Magiſtrat. Extraordin. pag. 28. & 201., Ariſius in Cremona Literata Tomo II. pag. 268. Pancirolus de Claris Legum Interpretibus lib. II. cap. CLXXXI. Sitonus etiam noſter doctiſſimus in Chronico Collegii J. PP. Mediol. art. 746. pag. 180., & in ſuo Theatro Genealogico MS. pagg. 26. & 498. aliiſque plurimis.

## XXIV.

## De COLLA MARTINUS.

MArtinus de Colla Anaſtaſii cohortis peditum Ducis, atque Juliæ Mariæ Gandulinæ jugalium filius, die XXIV. menſis Octobris, anni MDCLXVII. in lucem editus eſt in Oppido Finarii. Admodum puer ad hanc Metropolim ductus, hìc literarum Tyrocinium poſuit, humanioreſque literas, Eloquentiam, ac Philoſophiam in Braydenſi Academia didicit. Tum Piſis emenſo legalium ſtudiorum curriculo, die XVIII. Auguſti, anno MDCXC. utriuſque Juris lauream Ticini ſuſcepit. Octennio poſt conſtitutus eſt Præfectus nobilium Conſulum pro regimine Univerſitatis Oræ maritimæ Marchionatus Finarienſis; eodemque anno à generali ipſius Marchionatus Conſilio, cum aliis duobus Oratoribus miſſus fuit ad Marchionem Leganeſium, Inſubriæ Moderatorem pro graviſſimis negotiis pertractandis; quod etiam iterum munus geſſit anno MDCCVII. penes Sereniſſimum Eugenium à Sabaudia. Apud ipſum Principem anno MDCCXII. dum Togatus Patriæ Orator reſideret, pro magni momenti rebus eum Auguſtiſſimus Carolus VI. Viennam evocavit, à quo die XXVI. Auguſti ſequentis anni conſtitui meruit ab Epiſtolis Cancellariæ Secretioris Ditionis Mediolanenſis, interimque plurima ſcripſit, atque vulgavit ad jura Imperii, & Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ tutanda. Fiſci Regii patrocinium ipſi eſt demandatum anno MDCCXXV. demumque ad Senatoriam dignitatem in Ampliſſimo Inſubriæ Patrum conſcriptorum Ordine evectus fuit anno MDCCXXXVIII. delectus inſuper, ut cum Miniſtris Sardiniæ Regis de finibus ſtatuendis ageret. Juvat hìc Elogii partem dare, quod Ampliſſimi Inſubriæ Senatus Patres eidem conſcripſere tunc cùm in eorum numerum eſt cooptatus: „ Quem inſignis hæc „ Metropolis non genuit, ſed quolibet Cive cariorem habuit, tanquam Virum omni Scientia, Doctrina, & Eruditione excultum, qui nunquam otioſos ejuſdem typos reliquit in eruditiſſimis ejus „ Elucubrationibus non tam per Urbem, quàm per „ Orbem ſparſis, ac ſummopere commendatis, qui „ demum vix in Fiſci Patronum cooptatus, in id „ munus tota mente incubuit, ejuſdem cauſas præcipuè mixti Fori adeò ſtrenuè complectens, ut „ non tam Vindex Juſtitiæ in reorum perniciem, „ quàm etiam Regia juriſdictio præ ceteris omnino „ prævaleret, ac triumpharet &c Deceſſit die XXI. menſis Auguſti, anno MDCCXLIII. Ciſnuſculi in Plebe Gorgonzolæ, magnificoque funere elatus, jacet in ipſius Pagi Eccleſia Parochiali, cum hoc Elogio:

MARCHIONI MARTINO COLLAE
SENATORI MEDIOLANENSI
NVNQVAM INTERITVRIS MONVMENTIS
SINGVLAREM IN REGES SVOS FIDEM TESTATO
POST PVBLICAM PRIVATAMQVE REM
IVSTE SAPIENTERQVE ADMINISTRATAM
XII. KAL. SEP. MDCCXLIII. AET. A. LXXV.
IMMORTALITATEM ADEPTO.

Plura ſcripſit Vir iſte nunquam feriatus à ſtudiis, variis temporibus partim edita, partim inedita,

Hiſque ſunt inſcripta titulis:

I. Diſſertationes II. altera de Regalia Salis Marchionatus Finarii, altera pro Conſtructione Portus in eodem Marchionatu. *Sine loco, & Typographi nomine*, 1712. *in fol.*

II. Diſſertatio de dignitate, prærogativis, ac immunitatibus Regiorum, & Ducalium Secretariorum in Cancellaria Secretiori Status Mediolani. *Mediol.* 1715. *in fol.*

III. Apologia del Dominio Imperiale ſopra Parma, e Piacenza. *Milano, nella Regia Ducal Corte*, 1727. *Tom. III. in fol.*

IV. Diſſertatio Politico-Hiſtorico-juridica de juſtitia proſcindendi tum ob publicam neceſſitatem, tum ob publicam utilitatem alienationem Marchionatus Finarii factam in Sereniſſimam Rempublicam Genuæ, ipſamque Provinciam iterum jun-

jungendi Mediolani Dominio, à quo avulſa fuit, reluctantibus lege & fine unionis olim demandatæ ab Auguſtiſſimis Maximiliano I., & Matthia hujus nominis unico, necnon & Vindiciæ Supremi Imperialis Dominii adversùs Turrem Genuenſem Scriptorem, & Aſſertorem libertatis Genuæ, cum omnimoda independentia à Romano-Germanico Imperio. *Mediolani, ſine Typographi nomine*, 1729. *in fol.* A

V. Apologia per la legge, e diſpoſizione generale, con cui ha l'Auguſtiſſimo Imperadore Carlo VI. noſtro clementiſſimo Signore riunito alla ſua Real Corona tutti gli Officj del Corſo pubblico della ſua glorioſa Monarchia; ed Oſſervazioni Fiſcali, che moſtrano l'inſuſſiſtenza delle pretenſioni promoſſe per tal unione dagl' Intereſſati nell'Officio di Corrier Maggiore dello Stato di Milano; colla Scrittura legale da eſſi prodotta innanzi l'Illuſtriſſima Giunta deſtinata dalla Maeſtà Sua a decidere la loro Cauſa in Giuſtizia. *Milano, ſenza nome dello Stampadore*, 1731. *in fol.* B

VI. Rappreſentazione umiliata a S. M. C. C. per rimoverlo dalla alienazione del Marcheſato del Finale. *Viennæ, ſine Impreſſoris nomine, & anno, in fol.*

VII. Vindiciæ pro Fide, & Innocentia Finarienſium. *Mediolani, ſine Typogragbi nomine, & anno, in fol.*

VIII. Veritas Facti, & Juris, quâ, excuſſis contrariorum pro Republica Sereniſſima Genuæ Scribentium fallaciis, vel eorum adductis juribus, titulis, & documentis, oſtenditur, Finarienſes ritè, & juſtè conqueſtos coram Auguſtiſſimo Imperatore, Supremoque Domino Carolo VI. *Sine loco, anno, & Typograpbo, in fol.*

IX. Conſulta, con cui il Senato amparò le Suppliche dello Stato di Milano per le Fazioni, o ſiano ſpeſe Militari, dal medeſimo ſoſtenute in tempo de' Gallo-Sardi. *In Milano*, 1734. *in fol.* C

X. Rappreſentazione a favore dello Stato di Milano in ordine alla Diaria attraſata, preteſa dal Sig Duca Mareſciallo di Noailles. *In Milano*, 1736. *in fol.*

XI. Jura Marchionis Regentis Don Caroli Caſtillionæi Magiſtratus Redditųum Ordinariorum Præſidis in Controverſia præcedentiæ inter ipſum, & Magnificum Comitem Regentem Senatorem Perlongum. MS. in fol.

XII. Diſſertatio ſuper natura, & qualitate Feudi de Trecate. MS. in fol.

XIII. Diſſertazione dell' origine, della giuriſdizione, e delle prerogative della Carica di Grancancelliere del Senato, e degli altri Magiſtrati dello Stato di Milano. MS. in fol.

XIV. Relazione giuridica, come Delegato di S. M. C. C., per la Regalia delle Poſte di Milano. *Vienna*, 1726. *in fol.* D

XV. Conſultatio de ſacris Aſylis. *Mediolani*, 1732. *in fol.*

XVI. Diſſertatio, cui titulus „ Eccleſiaſticus Vir ad Regii Oeconomatus Dignitatem provectus, non eſt à munere removendus, licèt Matrimonium contraxerit, dummodo utatur habitu Clericali, & Tonſura. „ MS. in fol.

XVII. Allegationes Juridicæ partim editæ, partim MSS. Vol. V. in fol.

XVIII. Vota Fiſcalia, partim typis data, partim MSS. Vol. III. in fol. Hæc, ut in lucem proferantur brevì, optandum eſt.

XIX. Diſſertazione Politico-Iſtorico-Legale affine d'impetrare da S. M. C. C. la riunione di Parma, e Piacenza allo Stato di Milano. MS in fol.

XX. Diſſertazione ſopra una materia di Stato incaricatagli dalla Maeſtà della Regina d'Ongheria, Boemia ec. MS. in fol. MDCCXLIII.

XXI. Diſſertazione per provare la pertinenza di certo Ducato in Italia allo Stato di Milano, ſcritta per ordine della Maeſtà della Regina d'Ongheria, Boemia ec. MS. in fol. l'anno ſodetto. E

XXII. Confutazione delle Ragioni della Sede Apoſtolica ſopra il Ducato di Parma, e Piacenza. Hanc ſcribebat dum morte præventus eſt, ideoque perficere ipſam minimè potuit; id verò peregregiè proſecutus eſt Marchio Xaverius Auctoris noſtri filius, Regiuſque à Secretis in Cancellaria Secretiori, penès quem MSS. ſupradicta Opera doctiſſimi ejus Genitoris cuſtodiuntur.

Ejuſdem cum laude meminit Antonius Gattus in Serie Facti, & Juris pro Repub. Genuenſi in Cauſa Finarienſi pag. 4. & 35. impreſs. *Genuæ, an.* 1729. *in fol*, & Advocatus Joannes Sitonus de Scotia in Monumentis genealogicis Familiæ Collæ an. MDCCXVII exaratis ad Supremum rerum Italicarum Conſilium in Aula Cæſarea Viennæ Auſtriæ, MS. in fol. penès Auctorem.

## XXV.

## CROTTA PETRUS JOSEPH.

Ticinenſes inter Cives, qui fixis Mediolani laribus, morteque hìc obitâ, pro Inſtituti noſtri ratione, locum ſibi inter Exteros Eruditos promeruerunt, infimum certè non occupat ſubſellium Petrus Joſeph Crotta, ab Auguſtino, atque Thereſia de Orlandio Papiæ genitus. Hic præ ceteris ſtudiis Juriſprudentiæ ſe totum addixit, perceptâque legali Laureâ, cùm domicilium in hac Metropoli ſtatuiſſet, tale ſibi nomen in foro comparavit, ut non privatorum tantùm, ſed Urbium quoque Ticinenſis, & Cremonenſis negotia annis fermè XL. ejus diligentiæ commiſſa fuerint. Mirum eſt, quàm indeſeſſus fuerit Crottæ labor in compingendo Opere, de quo agemus infra num. I. quodque, præter ipſum, certè Scriptores omnes facilè terruiſſet, ſive ordinem ſpectemus, ſive molem. Huic Operi vix fine impoſito, illum mors terris rapuit Mediolani die XXV. menſis Maji, anno Chriſti MDCCXLIII. ætatis verò ſuæ LXIII. tumulatuſque jacet in Parochiali Templo Sancti Matthæi, cognomento ad Monetam.

Hæc ſcripſit:

I. Theatrum cujuſcumque Juris, ſeu Elenchus, & Index Titulorum, & Rubricarum omnium cujuſcumque Juris, videlicet: Divini prius, & Humani, Publici, & Privati, Naturalis, Gentium, Communis Canonici, & Civilis, tum Ante-Juſtinianei, tum Juſtinianei, tum Baſilicon Græci, itemque Langobardici, & Feudalis; addito etiam SS. OEcumenico Tridentino, necnon hujus noſtri Mediolanenſis Dominii Jure Provinciali, Municipali, & Conſuetudinario, alphabetico ordine, ut jacent, primò Rubricæ omnes, & Tituli materialiter diſpoſitus, mox Synonymis undique, & Homonymis, ac hujuſmodi Connexionibus, & Paratitlis interjectis ad induſtriam novo invento pro viribus locupletatus, & pro opportunitate locupletandus, atque digeſtus per ſingulas Materias, ex eiſdem tamen ſemper Titulis, & Archetypo ſcatentes, & quomodocumque connexas, ſeu etiam affines, de Aqua Fontis ſemper bibendo ad Commune Bonum. Labor J. C. Papienſis, & in Mediolanenſi Foro Advocati D. Petri Joſeph Crottæ, ad majorem ſemper Dei Omnip. gloriam, & Immaculatæ Virginis Mariæ, necnon ad majorem hujus titularis, & originariæ de Fonte ſemper Cognitionis, Cognationis, Connexionis, & Adinventus facilitatem, præſertim pro Canonico-Legali Scientia. Vol. VIII. in fol. magnæ molis cum Epiſtola Nuncupatoria „ Excellentiſſimo, ac „ verè illuſtri undique Viro, Mecœnati, ac Domi„ no meo D. Julio Vicecomiti Borromæo Areſio &c. Data eſt Mediolani IV. Junii MDCCXL. Sequuntur „ Præmonita ad Auguſtinum Julium dilectiſſimum „ filium, ubi ratio redditur univerſi hujus Operis, „ ſimulque nonnulla tum ad moralis Vitæ, tum „ ad Canonico-Legalis Scientiæ eruditionem interſe„ runtur, quæ pater ſibi, mox etiam publico bono „ duxerat comparare. „ Diviſa ſunt hæc Præmonita in Capita LX. Totum Opus ſcriptum eſt manu Auctoris, & prælo paratum erat, cum Approbatione Nicolai Sormani, Bibliothecæ Ambroſianæ Doctoris, pro S. Officio.

II. Memorabilia Senatus Mediolanenſis, ordine alphabetico diſpoſita, cum Obſervationibus hujus Auctoris. MS. in fol. ejuſdem manu exaratus.

III. Allegationes Juridicæ tam editæ, quàm MSS. de quibus plura Volumina effici potuiſſent.

Extant omnes apud Auctoris filium.

XXVI.

# D

## XXVI.

## DECEMBRIUS PETRUS CANDIDUS.

PEtrus Candidus Decembrius Poëta laureatus, Uberti, quem paulò poſt commendabimus, atque Catharinæ jugalium filius, origine Viglevanenſis, die XXIV. menſis Octobris, anno MCCCXCIX. Ticinenſi in Urbe lucem vidit; hanc autem Inſubriæ Metropolim uſque adeò dilexit, ut ipſeſe Mediolanenſem quandoque appellaverit, teſte Hieronymo Squarciafico Alexandrino in Vita Franciſci Petrarchæ, cum ipſius Operibus impreſſa *Venetiis*, 1503. Dum ſacris Undis perfunderetur, in gratiam Petri Cretenſis tunc Eccleſiæ Novarienſis Antiſtitis, poſtmodum Alexandri V. Summi Pontificis, de quo in Articulo XLVIII. hujus Operis egimus, Petrus eſt appellatus. Adhuc puerulus non Latinis tantummodo, ſed etiam Græcis literis imbutus fuit, eumque pater ad Romanam Aulam mittere ſtatuit. Utrâque linguâ floruit, tantùmque in Poëſi, qua Tibaldeum imitatus eſt, in Oratoria facultate, Philoſophicâ, & Politica profecit, ut ab Eugenio IV expetitus fuerit, qui Romam ſe conferret. Ibidem à Nicolao V. à Secretis Brevium Literarum conſtitui meruit. Mox Philippo Mariæ Vicecomiti Inſubriæ Duci fuit ab intimis Epiſtolis, eoque defuncto, cùm Mediolanenſes Cives in libertatem ſe erexiſſent, apud Reipublicæ Moderatores idem munus obtinuit. Pro iiſdem Mediolanenſibus Legatus abiit ad Carolum Galliarum Regem, aliosque Francorum Principes; Alphonſo etiam utriuſque Siciliæ Regi, & Franciſco I. Sfortiæ Mediolani Duci fuit gratiſſimus, & eorum non parvi momenti negotia prudenter egit. Equitis aurati dignitate augeri meruit, & ob ſingularem eruditionis laudem inter primarios ſuæ tempeſtatis Eruditos Viros recenſeri. Mediolani Græcæ ac Latinæ linguæ Inſtitutiones tradidit, Poëſim quoque Italicam adamavit, & Laurentii Vallæ teſtimonio, exactiſſimæ fuit cenſuræ Grammaticus. Geminas duxit uxores, primis quidem nuptiis Catherinam de Boſſis, eâque die XX. Maji, anno MCCCCLXIV. defunctâ, Baptiſtinam de Camulio, anno ſequenti die XXIV. Januarii ſibi conjugio copulavit. Candidum Mariam, & Candidum Antonium ex prima conjuge ſuſceptos immaturo fato præreptos doluit, ipſeque tandem, vitam optimorum ornamentis morum, & integerrimæ modeſtiæ laude conſpicuam depoſuit die XII. menſis Novembris, anno reparatæ Salutis MCCCCLXXVII. Jacet in Periſtylio ante Baſilicam Ambroſianam hujus Metropolis in marmorea inſigni Urna ad lævam majoris Portæ, ejus memoriæ poſita ab uxore Baptiſtina cum hoc Elogio:

SCANDERE SYDEREAS VIRTVS SI NOVIT AD ORAS
CANDIDVS ASTRA TENET TEMPLI DVM NVMEN ADORAS
PONTIFICI SVMMO REGI POPVLOQVE DVCIQVE
MILES ET ELOQVIO CLARVS GRAIISQVE CAMOENIS
INSTRVCTVS LATIVM STVDIIS ORNAVIT AMOENIS
MVNDANIS FESSVS CVRIS ET IN AETHERE PVLCHRO
ELATVS GELIDO LIQVIT SVA MEMBRA SEPVLCHRO.

In ſiniſtro autem Urnæ ipſius latere hæc ſcripta ſunt:

P. CANDIDVS VIGLEVANENSIS MILES PHILIPPI MARIAE DVCIS
SECRETARIVS SVBINDE MEDIOLANENSIVM LIBERTATI PRAEFVIT
PARIQVE MODO SVB NICOLAO PAPA V. ET ALPHONSO
ARAGONVM REGE MERVIT OPERVMQVE A SE EDITORVM
LIBROS SVPRA CXXVII. VVLGARIBVS EXCEPTIS POSTERITATI
MEMORIAEQVE RELIQVIT.

Literarios hujus Clariſſimi Viri fœtus, eos præcipuè, qui in ſcriniis Ambroſianæ Bibliothecæ, & PP. Teatinorum S. Antonii hujus Urbis, permittente humanitate P. Crucei ejuſdem Congregationis, alibi laudati, à nobis inſpecti, MSS. aſſervantur, præter eos, quos diligentiſſimè proſecutus eſt Cl. Saxius in ſua Hiſtoria Typographico-literaria Col. CCXCII. & ſeqq. Nos pro more noſtro, meliùs quàm in Muſæo Novarienſi Clariſs. Cottæ, nunc Lectoribus exhibemus:

I. Vita Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolanenſium Ducis III. Auctore Petro Candido Decembrio jam edita; nunc verò cum Codice Bibliothecæ Monachorum Sancti Ambroſii Mediolani collata, & aucta. Extat in Tom. XX. Rerum Italicar. Script. pag. 981. Primam lucem vidit *Mediolani*, *anno* 1625., ſed à Codice MS ſatis manco excerpta; ego itaque ipſam contuli cum altero pergameno in Bibliotheca ſupradicta exiſtente, pluribuſque in locis ſupplevi, & variantibus Lectionibus exornavi. De hac Vita agit Auctor cum Leonello Eſtenſi, uti in Epiſtolis ſuis infra re-

Digitized by Google

recenſendis videre eſt : Bibliotheca Eſtenſis eandem ſervat Vitam à Poliſmagna in Italicum ſermonem tranſlatam .

II. Vita Franciſci Sfortiæ IV. Mediolanenſium Ducis per Epitomen ſcripta à Petro Candido Viglevanenſi Auctore Synchrono, ab anno MCCCCI. uſque ad annum MCCCCLXII. Nunc primùm luci reddita è manuſcripto Codice Bibliothecæ Chriſtianiſſimi Regis . Extat in ſupradicto Tomo XX. Rerum Ital. Script. pag. 1022. Hanc habuit ſupradictus Cl. Muratorius è citata Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi ope Dominici Vandellii Mutinenſis .

III. Vita ejuſdem Franciſci Sfortiæ Carmine Heroico deſcripta . Qua occaſione Candidus hoc Opus ſcripſerit, agit Vincentius Amidanus in Epiſtola num. CXC. inter alias Decembrii .

IV. Vita di Franceſco Sforza : ſic eſt inſcripta „ Incomincia la deſcrizione de li facti militari, e bellicoſi del victorioſiſſimo Principe, e Signore Franceſco Sfortia Duca de Milano, ordinata da P. Candido prima in Latino , poi traducta in Volgare, al dicto Principe „ Incipit „ Quelle choſe che &c. „ atque in fine ſic legitur „ Finiſſe la Notazione de le facende de agitate nella Vita de lo Illuſtriſſimo Franceſco Sfortia quarto Duca de Milano per P. Candido felicemente ſcripta in Latino , poi traducta in Volgare . „ Deo Laus . „ MS. in 4. in pergameno optimæ notæ , cum literis rubro-nigris . Extat in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii Mediol. Cod. ſignat. num. 80.

V. Oratio Petri Candidi Decembrii in funere Nicolai Picinini , ſive Vita ejuſdem bellicoſiſſimi Ducis anno MCCCCXLIV. à Poliſmagna in Italicum ſermonem converſa, nunc primùm luce donatur è MS. Codice Bibliothecæ Eſtenſis . Dolendum eſt, quòd Opus hoc Latinè exaratum ab Auctore noſtro minimè hactenus repertum ſit . Poliſmagna traductionem ſuam Borſo Ferrariæ , & Mutinæ Duci dicavit . Extat in eodem Tom. XX. Rerum Ital. Script. pag. 1047.

VI. Oratio Petri Candidi Decembrii de laudibus Mediolani . MS. extat in Bibliotheca Eſtenſi, ex quo Cl. Muratorius excerpſit ſolummodo Fragmentum ad Hiſtoriam Italicam ſpectans , nempe ad ann. MCCCCXXXI quod in eodem Tomo XX. Rerum Italic. Scriptor. inſeruit pag. 1085. In Bibliotheca verò Fratrum Marchionum Vicecomitum pluries à me laudata , extat MS. Codex pergamenus in 4., literis rubro-nigris, ac miniaturis deauratis pagg. 42. hoc titulo „ Ad Illuſtriſſimum Principem , & Excellentiſſimum Dominum Galeacium Mariam Ducem Mediolani &c. Petri Candidi Decembrii Oratoris de laudibus Mediolanenſium Urbis in comparatione Florentiæ Panegyricus ; „ ignoramus verò an ſit idem , qui in ſupradicta Bibliotheca Eſtenſi cuſtoditur, ut ſupra .

VII. Codex Epiſtolarum numero CCLXVIII. Extat in Bibliotheca Ambroſiana ſign. S. nu. 157. in fol. Ludovico Caſelio Borſii Ducis Mutinæ Referendario , & Conſiliario à Candido nuncupatus . Clariſs. Saxius ex eadem Epiſtola nuncupatoria oſtendit, ipſum Candidum ſcripſiſſe Epiſtolarum libros XXV., de quibus fusè loquitur in ſua Hiſtoria Typographica Col. CCXCIII. Non tantùm verò in ſupradicto Codice Ambroſiano leguntur Epiſtolæ Candidi noſtri , ſed aliorum ad eundem, nempe Gerardi Cardinalis Landriani , Leonelli Eſtenſis , Flavii Blondi , Alphonſi Aragonum Regis, Epiſcopi Vercellenſis, Federici Urbini Comitis , Ducis Burgundiæ, Hunphridi Gloceſtriæ Ducis , Delphini Viennenſis, Franciſci Barbari, Alphonſi Epiſcopi Burgenſis, Petri Epiſcopi Brixienſis , Ludovici Patriarchæ & Cardinalis, Ruglerii Comitis , Lancellotti Decii , Pogii, Nicolai Arcimboldi Parmenſis Epiſcopi , Cichi Simonetæ, Ludovici Petronii Senenſis, Nicodemi Tancredini , Antonii Fregoſii Poëtæ, Antonii Luſchi Poëtæ , Bonini Mombritii Poëtæ , Jacobi Papiæ Epiſcopi , Hugolini Parmenſis, Simeonis de Comitibus, Joannis Baptiſtæ Bentivoli ; Andreæ Biragi, Angeli Reatini J. C. , Franciſci Aretini J. C. , Cardinalis Ravennatini, Michaëlis Pizolpaſſi , Joannis Matthæi Butigellæ , Epiſcopi Tarviſini , Titi Strozzæ Poëtæ , Nicolai V., Pii II., Eugenii IV. Guidonis de Prato , Innici Davali , Theodori Theſſalonicenſis , Lampugini Biragi, Andreæ Carpani , Lazarini Reſtæ Scriptoris Apoſtolici, Johannis Calcaterræ Quæſtoris Ducalis , Vincentii Amidani , Franciſci Philelphi , aliorumque ab anno MCCCCXLI. ad MCCCCLXV. Bibliotheca quoque Canonicorum Regularium Congregationis Rhenanæ Bononiæ ſervat Codicem alterum Epiſtolarum Candidi Decembrii in libros VIII. diſtinctum , cui præfixa eſt Epiſtola ad Bartholomæum ( Capram ) Mediolanenſem Antiſtitem ; refert hoc exemplar Cl. Mabillonius in Itinere Italico pag. 197. Ultimus verò Liber iſtius Codicis totus eſt ad Fratrem Antonium Rhaudenſem Ordinis Minorum à nobis jam ſuo loco laudatum, & quem Candidus irridet ob Philippicam ab eo editam , ut diximus .

VIII. Platone della Repubblica libri X. Hoc Opus nuncupavit Glocestriæ Duci , & ejus Autographus, extat in Cod. pergameno apud Henricum VVorſeley Anglum , in cujus fine ſic legitur : „ Ceſt Livre eſt a moy „ Homfrey Duc de Glocestre du Don P. „ Candidus Secretaire du Duc de Milan „ Extat etiam in duobus Codicibus MSS. Biblioth. Ambroſ. ſignat. P. num. 107. & Q. num. 130. , cum nonnullis Epiſtolis ejuſdem Glocestriæ Ducis .

IX. De genitura hominis . MS. in Biblioth. Ambroſ. ſign. Q. num. 186. in fol. Geſnerus verò , & Georgius Abrahamus Mercklinus in Lindenio renovato pag. 882. contendunt hoc Opus impreſſum fuiſſe *Romæ* , nullo tamen indicato anno, & Typographo.

X. De origine Fidei , extat inter MSS. lat. in Bibliotheca Lugduno-Batava Cod. n. XXI. in fol.

XI. Dialogus de Ignorantia Vitæ . MS. in fol. extat ibidem . Et in Bibliotheca Ambroſiana Cod. MS. ſign. X. num. 365. Auctor ipſum Dialogum inſcripſit Roglerio de Comitibus , de quo nos egimus in hac Bibliotheca Art. DCIII. Col. 449.

XII. Homeri Iliadis libri VI. in Latinum verſi . Hoc habetur ex Epiſtola Decembrii num. CLXXXV. Alphonſo Aragonum Regi ſcripta an. MCCCCLI. ubi aſſerit, ſe hanc verſionem Caſtellæ Regi Joanni nuncupaſſe . Sed Bibliotheca Clericorum Regularium , vulgò Teatinorum , Collegii S. Antonii hujus Urbis, Codicem ſervat Verſionis Iliadis Decembrii noſtri Libros XII. continentem, in quo poſt Epiſtolam Nuncupatoriam ad ſupradictum Joannem Caſtellæ Regem, ſequitur „ Homeri Vita è Græcis, „ & Latinis literis fideliter interpretata, „ & compoſita per Petrum Candidum „ deinde „ I. Trojanæ Hiſtoriæ argumentum , quem Homerus Poëta potiſſimùm „ imitatus eſt . II. Verius Trojanæ Hiſtoriæ argumentum . III. Quæ in Homeri „ principiis dubitationes afferri videantur . „ Dubitationes verò ſunt numero VI. Subſequitur Auctoris ratio, cur ſoluta Oratione è Græcis Carminibus in Latinum relata ſit Homeri interpretatio ; Illiadi verò in Latinum verſæ, ut ſupra , ſoluta Oratione , totidem lineis reſpondent ſinguli Verſus Græci .

XIII. Diodori Siculi Hiſtoria è Græco in Latinum translata , ut ipſemet teſtatur in Epiſtola num. LX. ad Cichum Simonetam, ubi aſſerit, ſe librum XVI. hujus Hiſtor. ad Joannem Antonium de Vicomercato miſiſſe , non integram verò Diodori Siculi translationem compleviſſe, dum Romæ degebat, in ipſa Epiſtola profitetur . Idem lib. XVI. extat MS. in Biblioth. PP. S. Antonii Mediol. , ideſt Liber XVI. tantùm cum hac adnotatione „ Poggius ſex Libros prius „ tranſtulit , & P. Candidus XVI. „

XIV. Vita Franciſci Petrarchæ , ut eruitur ex Epiſtola Federici Galli , quæ eſt inter alias Decembrii num. CXCVII.

XV. Commentaria in Italicam ejuſdem Petrarchæ Poëſim ; ex eadem Federici Galli Epiſtola.

XVI.

Digitized by Google

XVI. Liber in Lactantium Firmianum pro defenſione Illuſtrium Virorum. Id aſſerit Auctor in Epiſtola CCXII. ad Magnificum Equitem Franciſcum Vicecomitem. Data pridie Kal. Januarias MCCCCLXIV. In Laurentiana verò Medicea Bibliotheca Pluteo XXI. teſte Cl. Montfauconio in ſua Bibliotheca MSS. Tom. I. pag. 287. habetur Codex membranaceus num. VI. cui titulus „ Firmiani Lactantii Divinarum Inſtitu- „ tionum lib VII. Epiſtola ſcripta è Me- „ diolano ex ædibus Mediceis decimoter- „ tio Cal. Febr. MCCCCXXXII. „ Verſus „ Lactantii de Phœnice. Græcis literis in „ corpore reſpondent ad marginem latinè „ redditæ. „ Ad finem duodecimi Capitis libri ſecundi, hæc leguntur: *Candidus addidit cùm deſiteret Græca Literatura*.

XVII. Platonis de Amicitia Liber è Græco Latinus factus. Ex Octavii Vicomercati Epiſtola ad Candidum, quæ eſt numero CCXIV., & ex altera Candidi noſtri ad Alphonſum Burgenſem Epiſcopum, quæ eſt numero LXXXVIII.

XVIII. Homeri Vita; non ut Cl. Cotta ſcripſit è Græco in Latinum translata, ſed ex integro à Decembrio condita, ut ex Epiſtolá num. LXXVII. ad Antonium Rhaudenſem.

XIX. Apologia contra Antonium Caſſarinum; de iſta fusè ſcribit Candidus in Epiſtola CXXXV. ad Lampuginum Biragum.

XX. Xenophontis Opera è Græco in Latinum translata, ut in altera Epiſtola Decembrii num. CXXVIII. ad eundem Lampuginum Biragum.

XXI. Ariſtotelis Ethica è Græco in Latinum ſermonem traducta. Sic eruit Cl. Saxius ex Epiſtola CXXI. ad Cichum Simonetam.

XXII. Oratio in funere Illuſtris Nicolai Marchionis Eſtenſis, Leonello filio à Candido dicata. Hanc ad Joannem Calcaterram Quæſtorem Ducalem legendam miſit per Epiſtolam numero CVI.

XXIII. Vita S. Ambroſii; ex Decembrii Epiſtola numero CCLIII. ad Boninum Mombritium.

XXIV. Marci Antonii Vita; ita Candidus ad T. de Fixeraga Abbatem Laudenſem in Epiſtola numero CXIX.

XXV. Agidis, & Cleomenis Vita; ex eadem Epiſtola.

XXVI. Peregrina Hiſtoria Libri III. ad Nicolaum Arcimboldum Epiſcopum Parmenſem. MS. in Ambroſiana, de quo fuſiùs Cl Saxius; extat etiam apud PP. Teatinos S. Antonii Mediolani, ubi indicantur quoque libri hujus Operis IV. V. VI. ſed deſiderantur.

XXVII. Grammatices libri II. ad Virum Inſignem & Eruditiſſimum Guarnerium Caſtellionum MS. in Bibliotheca Ambroſiana, & in altera Clericorum Regularium Teatinorum S. Antonii Mediol.

XXVIII. Epitomen Hiſtoriæ Romanæ, Sereniſſimo Principi Alphonſo Aragonum, Hieruſalem, & Siciliæ Regi. Codex MS. in Ambroſiana ſign. P. num. 163. in fol., qui olim ad Jacobum Antiquarium ſpectabat, & à Paulino Suardo Mediolanenſi Aromatario ſe emiſſe ſcribit ad calcem ipſius Codicis idem Antiquarius. De hoc Opere locutus eſt Auctor in ejus Epiſtola ad ſupradictum Aragonum Regem, anno MCCCCXLII. ſcripta.

XXIX. Appiani Alexandrini de Romana Hiſtoria libri IV. ſive de Bello Libico, Syrio, Parthico, & Mithridatico, è Græco in Latinum verſi, ad Nicolaum V. Pontificem Maximum. *Venetiis, apud Vindellinum de Spira*, 1472. *in fol.*, *& iterum ibidem* 1477. *& Lugduni*, 1551.

XXX. Appiani Alexandrini de Civilibus Romanorum Bellis Libri V., unà cum de Bellis Gallico, & Illyrico, è Græco in Latinum verſi ad Alphonſum Aragonum Regem. *Romæ*, 1472. *Venetiis*, 1477., *&* 1479. ad calcem editionis *Romanæ* legitur ſequens Epigramma Raphaëlis Zovenzonii Iſtri Poëtæ:

*Hic eſt Alexandrinus Appianus*
*A Candido linguæ Latinæ patrono*
*Romanus; hunc impreſſit & Vindelinus,*
*Quem Spira nobilis parens Dædalei*
*Produxit ingenj facetique lepidique.*

In MS. Codice Bibliothecæ PP. Teatinorum hujus Urbis extat Carmen Lippi Bononienſis ad Candidum pro Operum Appiani traductione. In Bibliotheca quoque Ambroſiana hæc Candidi Verſio ſervatur MS. in Cod. ſign. P. num. 102. in fol. & in altero ſign. A. num. 714. in 4.

XXXI. Ad Illuſtrem Inichum Davalum Magnum Regni Siciliæ Camerarium Petri Candidi Metricarum Epiſtolarum libri II. MS. in fol. extat in ſupradicta Bibliotheca PP. Teatinorum Mediol. in quo Codice ſunt aliæ Epiſtolæ metro conſcriptæ Bonini Mombritii, & Hubertini Creſcentinatis ad Candidum.

XXXII. In Philelphum Quæſtio: num milles ſit: cum Reſponſione Petri Candidi „ non militem „ eſſe Philelphum. „ Extat in eodem Codice.

XXXIII. Irriſio Petri Candidi in Philelphum. Extat ibidem.

XXXIV. Epigrammata nonnulla. MSS. in fol. extant in Biblioth. Ambroſ. Cod. ſign. Q. num. 190.

XXXV. Epitaphium Viri Clariſſimi Uberti Decembrii per Petrum Candidum parenti ſuo amantiſſimo. Extat ibidem.

XXXVI. Principium Libri XIII. Æneidos, ſuffectum per Petrum Candidum adoleſcentem. MS. ibidem.

XXXVII. Vita Illuſtriſſimi Principis Herculis Eſtenſis Ferrariæ Ducis II. feliciter edita per Petrum Candidum, enunciatur in MS. ejuſdem Bibliothecæ, ſed ab Auctore aut non completa, aut deperdita eſt, nam tantùm Proœmium ibi reperitur.

XXXVIII. Ex Illuſtrium Comparationibus in Plutarchum Cheronenſem Epitomatum libri IV. Liber primus ſic incipit: „ De Theſeo Athe- „ nienſium Rege illuſtrium comparatio „ prima. „ Codex membranaceus MS. in 4. pagg. 275. optimæ notæ ſervatur in Biblioth. SS. Joannis, & Pauli Venetiis, apud Ord. Præd. Alumnos. Ex Cl. P. Jo. de Auguſtinis, Bibliothecæ FF. Minor. Obſerv. S. Franciſci, Venetiis ad Vineas Præfecto.

XXXIX. Vitæ quorumdam Poëtarum Latinorum à P. Candido editæ num. XLII. MS. membran. in Laurentiana Medicea Pluteo LXV. numero XXVI. teſte Montfauconio in Bibliotheca MSS. Tom. I., & Cl. Cotta in Muſæo Novarienſi.

XL. Orationes variæ Panegyricæ, teſtibus Stephano Dulcino in libro, cui titulus „ Nuptiæ „ §. de Vicecomitum Genealogia, & Antonio Panormita in Epiſtolis.

XLI. Tractatus de Anima, & ejus immortalitate. MS. in Biblioth. Ambroſiana ſign. Q. num. 163. in fol.

XLII. Collectanea ex variis Scriptoribus. MS. in Biblioth. Ambroſ. ſignat. P. num. 163. in fol.

XLIII. De Romanorum Muneribus, teſte Cl. Cotta in Muſæo Novarienſi, ſed ubi reperiatur, reticet.

XLIV. Octavii Auguſti Vitá Teſte eodem ut ſupra.

XLV. Deſcriptio mortis Darii, extat in Cod. MS. Biblioth. Ambroſ. ſign. Q. n. 163. in fol.

XLVI. Catonis Uticenſis Vita.

XLVII. Phocionis Vita.

XLVIII. T. Flaminii Vita. Hæc tria Opuſcula Idiomate Græco ſcripſit anno MCCCCXXXVII., & extant in Cod. MS. Biblioth. Ambroſianæ ſign. Q. num. 163. in fol. De ſupradicta verò Catonis Vita locutus eſt Auctor in duabus Epiſtolis ad Antonium Rhaudenſem num. XXIX. & num. LXXVI.

XLIX. Commentarj di Giulio Ceſare tradotti in lingua Italiana, hoc eruitur ex Libro ſequenti. Immo hujus Operis Codicem MS. apud ſe ſervaviſſe in pergameno eximium olim Antonium Valliſnerium, Philippo Mariæ Vicecomiti Mediolani Duci inſcriptum aſſerunt Auctores Veneti Ephemer. Literar. Tom. XII. pag. 343.

L. Comparazione di Cajo Giulio Ceſare Imperadore, con aſſieme il giudizio di Candido. Extat in Cod. MS. Biblioth Ambroſ. ſign. P. num. 163. in fol. Hoc Opuſculum vidimus impreſſum ad calcem Verſionis Q. Curtii, de qua infra num. LIV. cujus initium eſt „ Al Sereniſſimo Principe, & „ Eccellentiſſimo Signore Philippo Maria „ Duca

„ Duca di Milano, di Pavia & Angiera „ Conte, di Genova Signore. Incomincia „ la comparazione di Cajo Julio Ceſare Im„ peradore, e d'Aleſſandro Magno Re di „ Macedonia da P. Candido ordinata col „ judicio ſuo inſieme felicemente.

LI. Opere di Columella, e di Apulejo tradotte in lingua Italiana. Hoc ſcribit Cl. Gotta in ſuo Muſæo Novarienſi erui poſſe ex Decembrii Epiſtolis ad Humfredum Glocestriæ Ducem anno MCCCCXLIV. ſcriptis.

LII. Carmina varia Italica, quorum Specimen profert Cl. Creſcimbenius loco infra citando, ex MS. Codice P. Petri Hieronymi Vernacci Clerici Regularis Scholarum Piarum.

LIII. Vita di Giulio Ceſare tradotta dal Latino in Italiano, ita aſſerit Decembrius ipſe in Epiſtola nuncupatoria Philippo Mariæ Vicecomiti, præfixa Cod. MS. Biblioth. Ambroſ. ſign. P. num. 155. in fol. qui continet Q. Curtii Hiſtoriam, ut infra.

LIV. Quinto Curtio Ruffo Hiſtorico, nel qual ſi trattano i fatti, e le guerre de Aleſſandro Magno, tradotto di latino nella volgar lingua per l'eccellente huomo P. Candido. Incipit a libro III. *In Vineggia per Vettor. q. Pietro Ravano, della Serena e Compagni, nell' anno del Signore M. D. XXXV. del meſe di Settembrio*, *in* 8. Hoc Opus anno MCCCCXXXVIII. die XI. Aprilis Philippo Mariæ Vicecomiti Mediolanenſium Duci Decembrius nuncupavit. Extat etiam MS. in Bibliotheca Ambroſiana ſign. P. n. 155. in fol., de quo agit Cl. Saxius in Hiſtoria Typographica Mediol. pag. CCXCI. Primùm verò Liber iſte lucem vidit *Mediolani*, *anno* 1488. *in fol.* deinde *Florentiæ*, 1519., *&* 1531. *& Venetiis*, 1524. *&* 1535.

LV. Ecloga, inſcripta „ Galathea „ cujus primos Verſus jam dedit Cl. Saxius Col. CCCII. Extat in Codice PP. Teatinorum D Antonii Mediol. à nobis relato ſub num. XXXI.

LVI. De Ludicris Liber; hunc ſcripſiſſe Decembrium colligitur ex ſupradicto Cod MS.

In Cod. MS. Ambroſ. ſign. B. num. 124. in fol. extat, inter alia Opuſcula Coſmæ Raymundi, Philippica in Antonium Panormitam ad Candidum Decembrium.

Ad eundem Laurentius Valla ſcripſit Epiſtolam doctiſſimam „ in Barholi de inſigniis, „ & armis libellum „ quæ legitur inter Opera ipſius Laurentii, editionis *Baſileæ*.

Agunt de eo Gulielmus Cave in Hiſtoria Literaria, Jovius in Elogiis, & in Vitis Ducum Mediolanenſium, Geſnerus in Bibliotheca, Gaudentius Merula, Laurentius Valla, Gherardus Joannes Voſſius, Petrus Lambecius, P. Mabillonius in Itinere Italico Tom. I. pag. 597., Creſcimbenius in Commentariis Poëſis Italicæ Vol. II. part. II. lib. VI. pag. 304., Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 250., & ſeqq., Fontaninius in Libro „ dell' Eloquenza Ita„ liana „ edit. III. pag. 620., Marchio Scipio Maffejus in Libro „ Traduttori Italia„ ni „ P Quadrius in Opere „ della Sto„ ria, e della Ragione d'ogni Poesia „ Tom. II. pag. 214., Muratorius in Tom. XX. Rerum Italicarum, Auctores Veneti Ephemer. Literar. Ital. Tom. IX. pag. 166., Tom. X. pag. 252., Tom. XII. pag. 343., & Clariſs. Saxius in Hiſtoria Literaria Col. CCXCII. aliique innumeri.

## XXVII.

## DECEMBRIUS UBERTUS.

Filium eruditiſſimum ſequitur non minoris nominis Genitor, Ubertus ſcilicet Decembrius Anſelmi filius, Viglevanenſis, ſed Incola hujus Metropolis, & ſignanter in Parœcia S. Petri, vulgò *in Caminadella*, ut conſtat ex duabus Tabulis authenticis annorum MCCCCVIII., & MCCCCXVIII. penès amiciſſimum Sitonum. Ubertum ſatìs ſuperque laudabit, quiſquis eundem Græcas literas ab Emmanuele Chryſolora didiciſſe commemoraverit. Huic tamen ingenii ornamento alias addidit facultates, Oratoriam, Poëſim, Philoſophiam. Acceptiſſimus fuit Petro Philargo tunc Novarienſi Epiſcopo, poſtmodum Mediolanenſi Archipræſuli, tandemque Alexandro V. Summo Pontifici, de quo jam alibi egimus, eique ab anno MCCCXCI. à Secretis extitit uſque ad annum MCCCCVII. cujus etiam gratiâ filium Petrum Candidum appellavit. Cum Philargo plurimas Italiæ, atque Germaniæ provincias peragravit; mox eodem anno MCCCCVII. exeunte electus eſt ab Epiſtolis Joannis Mariæ Vicecomitis. Hunc Philippo Mariæ fratri conciliare cùm niteretur, interceptis à Facino de Canibus celebri ejus Ævi militum duce literis, cuſtodiæ eſt mancipatus, diuque detentus in Arce Portæ Romanæ hujus Metropolis, indeque eductus Carmina nonnulla ſcripſit, de quibus infra mentio recurret. In ea procella bonorum omnium perpeſſus fuerat jacturam, quod teſtatur memoratus ejus filius Petrus Candidus in Vitâ præfati Philippi Mariæ Vicecomitis. Plura è Græco tranſtulit, plura proprio marte conſcripſit, & advenienti Martino V. Pontifici Maximo eloquentiſſima Oratione gratulatus eſt, de quibus omnibus inter Opera agemus. Ex Catharina conjuge genuit Paulum Valerium, Modeſtum, Angelum, & Petrum Candidum. Anno tandem MCDXXVII. die Veneris XXV. menſis Aprilis, inter primam & ſecundam noctis horam, dum Trivilienſis Oppidi Præturâ fungeretur, migravit è vita. Cadaver Uberti Mediolanum delatum conquieſcit in clauſtro Baſilicæ Ambroſianæ apud valvas majores ad lævam intrantis, inciſo marmori Elogio, quod utrâque linguâ ſibi vivens conſcripſerat:

SORTE

Digitized by Google

SORTE NECIS PARITER STRATIS CVM CORPORE MEMBRIS
HIC LOCVS OSSA TENET VBERTI INCLVSA DECEMBRIS
ISTE DVCIS LIGVRVM SECRETA PEREGIT ET VRBIS
PLATONICAE DEDERAT TRANSLATA VOLVMINA TVRBIS
ARGIVAE AC LATIAE LINGVARVM DOGMATE FVLTVS
VIGLEVANI NATVS FAMOSA EST VRBE SEPVLTVS
NON TAMEN EXTINXIT SAEVO MORS OMNIA TELO
TERREA PARS TERRAE CESSIT PARS OPTIMA COELO.

ΕΛΕΗCΟΝ ΜΕ Ω Θ.C ΜΟΤ
ΕΙC ΧΕΙΡΑC ΣΟΤ ΠΑΡΑΘΗΣΟΜΑΙ ΤΟ ΠΝΕΤΜΑ ΜΟΤ
ΕΛΤΤΡΩΣΩ ΜΕ ΚΕ Ω ΘΕΟΣ ΤΗΣ ΑΛΗΘΕΙΑC
ΕΛΕΗCΟΝ ΜΕ ΚΕ ΟΤΙ ΘΛΙΒΟΜΑΙ
ΕΓΟ ΔΕ ΕΠΙ ΣΟΙ ΚΕ ΗΛΠΙCΑ.

CIↃCCCCXXVII. DIE VENERIS XXV. APRILIS.

Hæc ſunt Uberti Decembrii Opera

I. Platonis de Republica libri X. è Græco in Latinum verſi. MS. in Biblioth. Ambroſiana in fol in cujus margine legitur „ Quam traductionem „ ſubinde Petrus Candidus ejus filius alio Volu„ mine exornavit „; in fine autem ſic „ Expli„ cit liber X. & ultimus Platonis de Republica, „ ſive de Juſtitia fœliciter, manu Uberti Decem„ brii de Viglevano, qui librum ipſum de Græ„ co in Latinum, ope Viri conſpicui D. Emma„ nuelis Chryſoloræ Præceptoris ſui fœliciter è „ Græca lingua tranſtulit in Latinam „.

II. De Republica libri IV. ad Illuſtriſſimum Dominum Philippum Mariam Ducem Mediolani, totiuſque Liguriæ. MS. in eadem Bibliotheca ſign. S. num. 504. in fol.

III. Moralis Philoſophiæ Dialogus libri II. Interlocutores Andreas Ariſius Ducalis Conſiliarius, Beltraminus Rivola, & Auctor. Extat in eodem Codice. Incipit „ Veritatis vim ſæpenumero cogitanti mihi „ &c.

IV. De Modeſtia ad Modeſtum filium ſuum, ſic incipit „ Multa animo plerumque volventi „ &c. extat in eodem Codice.

V. De Candore ad Petrum Candidum filium ſuum, ſic incipit „ Cùm Orbis totius decus, atque or„ namenta conſidero „ &c. Extat ibid.

VI. Epiſtolæ ad Varios, nempe ad Collutium Pierium, ad Antonium Vicomercatum, ad Cives primarios Laudenſes, ad Bonfilium Ravennatem, ad Bartholomæum Capram Cremonæ Epiſcopum, ad Modeſtum Decembrium, ad Emmanuelem Chryſoloram, ad Magnum Comitem-Stabuli, ad Joannem Galeacium Vicecomitem, ad Venceslaum Cæſarem, ad Innocentium VII., Gregorium XII., Alexandrum V., & Joannem XXII. Pontifices Maximos; ad Amicum, de miſeria humanæ Vitæ conſolatio; ad Amicum deſcriptio Pragæ, & morum ejuſdem habitantium; ad Hypolitum Adhortatio ad Religionis Minorum Obſervantiam, ad Florentinos, ad Simonem Morigiam, ad Leonem Morigiam &c.

VII. Oratio ad Cardinales; extat in eodem Codice.

VIII. Oratio de adventu Martini V. Pontificis. Ibidem.

IX. Verſus editi ab Uberto Decembrio Viro Græcis, Latiniſque literis eruditiſſimo in traductione Librorum Platonis de Republica, quam Nebulo quidam Antonius Caſſarinus nixus eſt redarguere quadam Sicula loquacitate ſua. Extant ibidem.

X. Ad Reverendiſſimum P. D. Joannem Vicecomitem II. electum Archiepiſcopum Mediolani Carmen, ſic incipit:

*Acta Vicecomitum celebres dedit Aula Joannes.*

Extat in Novariæ Miſcell. Vol. V. MS. in Bibliotheca Ambroſiana.

XI. Ad Magnanimum, & Excelſum Dominum Malateſtam de Malateſtis Cæſenæ Vicarium Carmen, ſic incipit:

*Quamquam perpetuò Dux hoc memorandus in ævo*, &c.

Extat ibidem.

XII. Ad Egregium, Doctumque Virum Joſephum de Brippio Eccleſiæ Dei almæ Genitricis Ordinarium Mediol. Carmen, ſic incipit:

*Si mea Calliope vidiſſet Carmina forma.*

Sequuntur alia II. Carmina ejuſdem Brippii ad Decembrium; extant ibidem.

XIII. Ad Virum præſtantiſſimum, & conſpicuum Antonium Luſcum de Vicentia, Muſarum celebritate famoſum Carmen; incipit:

*Solamen præſtaſſe pium tua Carmina Luſche*, &c.

extat ibidem.

XIV. Orationes, ac Epiſtolæ Demoſthenis, Liſiæ, & Platonis. Sic aſſerit Angelus Auctoris noſtri filius in Lib I Politiæ pag 51. & in lib. IV. pag. 454. Clariſſimus autem Cotta judicat Liſiæ Orationes ab Uberto in Latinum verſas, fuiſſe illas, quæ ad manus Jani Vitalis Panormitæ pervenerunt, & Romæ anno MDXV. editæ. Ex eiſdem altera eſt num. I., & altera num. XXX. inter eas, quas interpretatus eſt Jodocus vander Heindius. Prima incipit „ Plurimi certè facerem „ Viri Athenienſes, ſi tales vos Judices meam „ in cauſam præberetis, quales veſtram „ &c. Altera verò „ Si fieri poſſe exiſtimarem, o Viri, „ qui huic funeri adeſtis, ut eorum, qui hoc „ loci conditi ſunt, fortium virtus hominum „ Oratione oſtendi poſſet „ &c. Has Orationes ſe vidiſſe teſtatur Cotta penès Cl. P. Joſephum Hieronymum Sementium Cler. Reg. Somaſchenſem, quem & nos laudabimus infra.

XV. Carmina varia Latina. Leguntur in Cod. MS. Carminum, & Epiſtolarum Petri de Valvaſſoribus, de quo jam egimus in hac Bibliotheca Artic. MDCCXLIX. inter quæ I. „ Exeunte de Rocca „ Portæ Romanæ, de mandato Facini Comitis „ Blandrati „. Extat in Bibliotheca Fratrum Marchionum Vicecomitum, & ad calcem ipſius Codicis leguntur etiam Carmina Italica Franciſci Philelphi.

De eo Cotta in Muſæo Novarienſi pag. 335. Sacchettus in Libro „ Vigevano illuſtrato „ pag. 106. Laſor à Varea, & Cll. VV. Saxius, & Sitonus.

## XXVIII.

## DONDEUS JOSEPH.

IN Urbe Derthona, Bernardo genitore, in lucem editus Joſeph Dondeus, bonarum artium ornamentis, & præſertim Juriſprudentiæ laude claruit, cùmque legalem lauream fuiſſet adeptus in Juriſconſultorum Patriæ ſuæ Collegio locum obtinuit. Hujus tamen Metropolis Eruditis Exteris meritò jungendus eſt, in qua Civitate donatus, lares jam fixerat anno MDCXXXIV. Emicuit in Cauſarum forenſium patrocinio, adeò ut inter primarios ſui Sæculi computaretur. Summâ fuit amicitiæ neceſſitudine conjunctus cum doctiſſimo Mediolanenſis Senatus Præſide Octaviano Picenardo Cremonenſi, atque Joanne Bracherio Senatore eruditiſſimo, quorum poſtremo hortante, Conſultationes ſuas rurſus memorandas typis tradidit. Anno MDCLXVII. dum ad Regii Miniſtri dignitatem expeteretur, vivere deſiit in hac Urbe.

Habet poſteritas hujus Eruditi Viri

I. Conſultationes. *Mediolani*, 1667. *in fol.*

II. Alias plurimas adhuc MSS., quas Picinello ſcribente apud ſe habebat Joſeph Goldaniga JC. Auctoris gener.

De eo cum laude meminerunt Cæſar Carena in Reſolutionibus, Radenaſcus in Conſiliis, JC. Sitonus noſter in Schedis, atque citatus Picinellus in Athenæo pag. 365.

## XXIX.

## DULCINUS STEPHANUS.

DE Stephano Dulcino Cremonenſi eruditè jam egit, prout ſemper, Clariſs. Saxius in Typographico-literaria Mediolanenſi Hiſtoria Coll. CCCVII., & ſequentibus, ideoque Lectorem optimum eò libentiſſimè amandamus, monitum tamen priùs, eundem Dulcinum Aprili menſe, annoque MCCCCLXXXVI in Baſilica Scalenſi hujus Metropolis Canonicatu auctum fuiſſe, ſuffectumque Michaëli de Olegio ibidem Canonico, qui die XXV. Martii ejuſdem anni defunctus fuerat. Apud Collegas magni habitus eſt, & cum Chriſtophoro de Camponibus Abbiatenſi, à nobis inter minoris Notæ Scriptores recenſito, Baſilicæ præfatæ Necrologium exaravit, in quo Anniverſaria, Legata pia, & emortuales Canonicorum dies accuratè recenſuit ab anno Chriſti MCCCCLVIII. uſque ad MCCCCXCII Hoc Opus Præfatione Dulcini illuſtratum, aliorum poſtea Canonicorum labore deductum fuit ad annum MDCX. Joannem Tolentinum Equitem eruditum, ſuo à nobis loco laudatum, inter amiciſſimos habuit, hortatuſque eſt peculiaribus literis inferiùs memorandis, ut Epiſtolarum ſuarum Libros vulgaret. Obiit Dulcinus Mediolani, ut præfatus Clariſs Saxius à Sitono noſtro monitus, ſcribit, die XIII. Octobris, anno MDVIII. tumulatuſque jacet in communi Canonicorum Scalenſium Sarcophago.

Scripſit, & edidit

I. De Nuptiis Illuſtriſſimi Joannis Galeacii Mariæ Sfortiæ Vicecomitis Ducis Mediolani cum Illuſtriſſima Iſabella de Aragonia. *Mediolani*, 1489. *in* 4., extat etiam MS. in Bibliotheca Monachorum Ciſtercienſium Ambroſianæ Baſilicæ Mediolani.

II. Codex Anniverſariorum, & Legatorum piorum, necnon emortualium dierum Ven. DD. Canonicorum Scalenſis Baſilicæ, compilatus per Stephanum Dulcinum, & Chriſtophorum de Camponibus de Abbiate Scalenſes Canonicos, ab anno MCCCCLVIII. uſque ad annum MCCCCXCII., & deinde per alios Canonicos continuatus uſque ad annum MDCX., unà cum egregia Præfatione ejuſdem Dulcini ad Lectorem data die XII. menſis Julii, anno MCCCCXCII. Incipit in hæc verba: „ Summâ prudentiâ, ingenuoque animo ma„ jores noſtri fuiſſe mihi videntur, qui mortuo„ rum memorias crebrò recolere inſtituerunt. „ Quid enim nominum generi convenientius „ &c. Definit autem ſic: „ Valeant interim mortui, „ & tu Lector felix vive Dulcini memor, ut cùm „ ex hoc carnis ergaſtulo ſolutus fuero, atque „ in hujus libri parte conſcriptus, tuis orationi„ bus apud Chriſtum meum cœleſti in pace „ quieſcam „. Extat uno Volumine ex pergamena MS. in folio, in Archivo præfatæ Scalenſis Baſilicæ.

III. Manilii Opus Aſtrologicum ab eo emendatum, & Marchioni Rolando Pallavicino Ducali Mediolani Senatori nuncupatum. *Mediolani, per Antonium Zarotum*, 1499. *in fol.*

IV. Breviarium ad Bonifacii Simonettæ de Chriſtianæ Fidei, & Romanorum Pontificum Perſecutoribus Epiſt. libr. ſex, cum Summariis. Hoc Opus edidit primùm *Mediol. anno* 1492. cum Epiſtola Nuncupatoria Jo. Baptiſtæ Ferro Mediol. Archiepiſcopali Vicario, prodiit etiam *Baſileæ anno* 1509. *in fol.*

V. Inter Epiſtolas Equitis Joannis Tolentini impreſſas *Mediolani, anno* 1511. *in* 4 una adeſt tenoris ſequentis: „ Stephanus Dulcinus Magnifico Joanni „ Tolentinati Equiti S. P. Epiſtolarum tuarum „ libros duos legi, Eques Magnifice, quæ & ver„ borum, ſententiarumque elegantia, & erudi„ tionum, varietatumque copia me adeò tenue„ runt, ut te unum è paucis omnino exiſtimem, „ qui & antiquæ nobilitatis ſplendore, & litera„ rum ſtudio tui Ordinis Viros ferè omnes ſine „ controverſia antecedas. Quare tu ad hæc præ„ clara ſpecioſaque omnia natus, reliqua ingenii „ tui Monumenta, quæ domi celas, his tandem „ adde, atque in lucem ede, ut poſteris utilitati, „ & Principibus aliis exemplo fias. Vale. „ Mediolani ex Scala, Idibus Martiis MDV.

VI. Edidit, atque correxit Epiſtolas Divi Ambroſii, eaſque nuncupavit Ludovico Mariæ Sfortiæ Vicecomiti Duci Barii, & adjutorem habuit Nicolaum Antiquarium. *Mediolani, per Antonium Zarotum*, 1491. *in fol.*

VII. Ad calcem Rhythmorum Gaſparis Vicecomitis editionis *Mediolanenſis, anni* 1493. adeſt Epiſtola Franciſci Tantii Cornigeri ad Lectorem, & poſt ipſam altera ſic inſcripta „ Dulcinus pro Cornigero „ Vide Cl. Saxium ad hunc annum.

VIII. Carmen Anacreonticum ad normam Epigrammatum Italicorum, unà cum Exaſtico. Extant in Libro ſupra relato Gaſparis Vicecomitis.

IX. Opuſcula varia, & Epiſtolæ. *Mediolani*, 1492. Ex Pellegrino Antonio Orlandi Carmelita in Libro „ de Ortu, & progreſſu Artis Typographicæ „ & ex Cornelio à Beughem.

X. Ejus Epigramma in laudem Bernardini Corii. Extat in Libro, cui titulus „ Utile Dialogo Amo„ roſo „ de quo jam diximus in Corio.

De præfato Canonico Dulcino meminere Philippus Picinellus in Athenæo Liter. Mediol. pag. 479. Franciſcus Ariſius in Cremona Literata Tom. II. pag. 2., ubi plures alios allegat Scriptores, videlicet Lancinum Curtium, Paulum Jovium, Io. Jacobum Crottum, Federicum Scottum, Jo. Petrum Puricellum; & tandem Sitonus noſter in Schedis.

XXX.

Digitized by Google

# F

## XXX.

## FERRARIUS JULIUS ÆMILIUS.

JEjunè admodum, ut jam advertit Clariſs. Saxius in Hiſtoria Typographico-literaria Mediolanenſi Col. CCCXXIV. de Julio Æmilio Ferrario egit Lazarus Auguſtinus Cotta, nudum tanti Viri nomen proferens in ſuo Muſæo Novarienſi pag. 315. Ne igitur Ferrarii memoriam inſalutatam relinqueret præfatus Doctiſſimus Saxius plura ex illius Ævi monumentis hauſta poſteris indicavit, quibus Acta ipſius illuſtravit. His tamen addimus & quiſquilias noſtras, nimirum Julium Æmilium hunc Novariæ natales habuiſſe anno Salutari MCCCCLII. patre

A

Jacobo, qui & ipſe Magiſtri vocabulo prænotatus in publicis Tabulis reperitur, de quibus inferiùs ſermo recurret. Inſigne ſibi nomen Ferrarius peperit Eloquentiæ præcepta adoleſcentibus plures annos tradens, immo & Grammaticam poſtremâ quoque ætate docuiſſe in Oppido Arona narratur in Inſtrumento venditionis à Jacobo de Annono Gabrielis filio Mediolanenſi Tabellione conſcripto die XV. menſis Octobris, anno MDII. ubi hæc leguntur: „ Spectabilis Dominus Magiſter Julius Æmilius Ferrarius filius quondam Domini Magiſtri Jacobi, „ Grammaticæ Profeſſor, & habitans in Burgo „ Aronæ Diœceſis, & Ducatus Mediolanenſis &c.„ E vivis abiit anno MDXIII. die XXIX. menſis Julii. Jacet Corpus illius in Baſilica Sanctorum Naboris & Felicis, nunc Sancti Franciſci hujus Metropolis cum hoc Elogio:

MEMORIAE
IVLII FERRARII VIRI INTEGERRIMI
CVIVS ERVDITISSIMI PROFESSORIS VIGILIAE
SVB IO. GALEATIO LVDOVICO AC MAXIMILIANO
ILLVSTRISSIMIS DVCIBVS
LITERATISSIMAE DESERVIEBANT
ANGELA CONIVX
EIVSQVE FRATER D. HIERONYMVS
H. M. MOESTISS. P.
NATVS ANNOS LXI.
OBIIT MDXIII. IV. KAL. AVGVSTI.

Scripſit, & edidit:

I. Auſonii Opera, ab ipſo emendata, & caſtigata Permagnifico Ambroſio Variſio Roſato Philoſopho præſtantiſſimo, Ducali Phyſico primario, & patrono ſuo optimo, additâ ipſius Auſonii Vitâ ab eodem Julio Æmilio Ferrario ſcriptâ. *Mediolani*, 1490. *in fol.*

II. Plinii Opera ab ipſo edita teſtatur Petrus Leo Vercellenſis in Epigrammate de laudibus Ferrarii iſtius, à Cl. Saxio in Hiſt. Typogr. liter. Mediol. edito Col. CCCXXIV.

III. Hermogenis Opera ab eodem in lucem prolata, ex prædicto Epigrammate.

IV. Ciceronis Opera ſuis curis in publicum relata, teſte eodem Epigrammate.

B

V. Oratio ad Ambroſium Variſium Roſatum: Extat MS. in Tomo XVI. Novariæ Miſcell. in Ambroſiana.

De Julio Æmilio Ferrario meminerunt Lancinus Curtius in Epigrammat. Decad. I. pag. 130. Joannes Biſſius in Carminibus, Placidus Puccinellus in Memor. antiqu. Mediol. cap. XVII. num. 141. pag. 85., Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſæo Novarienſi, Artic. CI. pag. 315., & in Epiſtola in calce Bartholomæi Curtii de Claris Medicis Mediol. pag. 265., Clariſs. Saxius de Studiis Mediolanenſ. cap. IX col. XLIV., & in Hiſtor. Typographica Mediol. ad ann. MCCCCXC. col. CCCXXII. ad CCCXXV., & JC. Sitonus in Schedis.



Digitized by Google

# G

## XXXI.

## GALESINIUS PETRUS.

TAmetſi non defuerint Scriptores, qui Petrum Galeſinium, Virum eruditionis famâ clariſſimum, Mediolanenſem exiſtimaverint, nihilominus verè editus eſt in lucem Anconæ, quamvis inter doctos Viros, quorum meminiſſe in hoc Opere noſtri eſt inſtituti, ob diuturnam in hac Urbe moram jure ſit recenſendus. Inter bonarum artium ſtudia cùm adoleviſſet, linguarum, quæ ad Eccleſiaſticam pertinent eruditionem, ſibi peritiem comparavit. Sacræ etiam Antiquitatis avidiſſimus fuit, in qua recondita multa detexit ad poſteritatis utilitatem accommodatiſſima; quemadmodum ſatis ſuperque in Operibus inferiùs memorandis teſtatum reliquit. Nil mirum igitur, ſi apud laudatiſſimos S.R.E. Cardinales, Sanctum Carolum Borromæum, atque Franciſcum Alciatum plurimum ſibi gratiæ comparaverit; Alciatus enim Galeſinium Gregorio XIII. Pontif. Max. adeò commendavit, Viri exponens meritum, ut ab eodem inter Apoſtolicæ Sedis Protonotarios fuerit cooptatus. Sanctus autem Carolus nedum Romæ, ſed etiam Mediolani ipſius operâ in arduis rebus uti conſueverat, & in his potiſſimùm, quæ tam ad Sacros Ritus Ambroſianos attinent, quàm ad hujus Eccleſiæ, atque Provinciæ regimen ſpectant. Ut Gregorio Pontifici ob collatam ſibi Protonotarii dignitatem gratum oſtenderet animum, Martyrologium Romanum conſcripſit, adjectis etiam Notis eruditiſſimis, quod Opus eidem Summo Antiſtiti nuncupavit. Illud tamen, quòd longum nimis videretur ad uſum Eccleſiaſticum publicum in Divinis Officiis, poſtpoſitum fuit alteri ab immortalis memoriæ Cardinali Cæſare Baronio edito. Præterea ſunt, qui in Galeſinii Martyrologio majorem diligentiam in ſecernendis Martyrum, atque locorum, ubi paſſi ſunt, nominibus cupiant. Ceterùm, quidquid hæc aliter innuere poſſint, plurimùm tanto Scriptori obſtricta eſt Eccleſia Dei ob tot Sanctorum Patrum Codices vel translatos, vel emendatos, vel editos, vel notis illuſtratos. Neque minor illi laus ab Hiſtoria tam Sanctorum, quàm Pontificum, à Commentariis in divinos Libros, ab Oratoria Eccleſiaſtica, aliiſque præclariſſimis laboribus provenit. Elogium ſanè illi texuit ſatis nobile Emmanuel Sà Societ Jeſu magni nominis Theologus in Epiſtola ad eundem data, quam hìc juvat rurſus vulgare, quamvis jam editam, & præfixam ſæpius memorato Martyrologio Auctoris noſtri:

„ Mirum, Galeſini doctiſſime, quantum tibi Eccle-
„ ſiam univerſam tuo iſto præclaro Martyrologio
„ devinxeris. Debebat planè adhuc plurimum tibi
„ Eccleſia Mediolanenſis, quam tuis Scriptis ma-
„ gnopere illuſtraveras, & per ſe non parum ſplen-
„ didam tua iſta tamen ſingulari eruditione miri-
„ ficè exornaveras. Rem dico non ignotam vulgo;
„ quis enim non tua legit, quæ ab hinc annis fer-
„ mè duodecim, dum ampliſſimo Cardinali, Carolo
„ Borromæo viro Sanctiſſimo, & vigilantiſſimo Pa-
„ ſtori, in reſtituenda Eccleſiæ diſciplina operam
„ das, ad ejus Eccleſiæ ornamentum diligentiſſimè
„ elaboraſti? Quis ea cùm legit, non te faciat plu-
„ rimi de nobiliſſima Diœceſi, & provincia optimè
„ meritum? Nunc verò quis tibi hominum non
„ multum debet? quis te autem non meritò amet,
„ & celebret, qui totam omnino Eccleſiam ſic or-
„ nâris, ejuſque, auſim dicere, dignitatem tam in-
„ ſigni opere tantopere amplificaveris? Niſi verè
„ Sanctorum facta præclara, egregiaque martyria,
„ negandum ſit ad Eccleſiæ ornatum, & ſplendo-
„ rem magnopere pertinere, aut eum, qui illa di-
„ ligenter & ornatè deſcripſerit, operæ pretium
„ feciſſe. Debent tibi ſanè omnes, plurimum: at
„ tu infinitis partibus plus debes Deo, cujus mu-
„ nere id es aſſecutus, ut te ejus Eccleſia tota me-
„ ritò amet, tantamque tibi fœlicitatem optimus
„ quiſque poſſit invidere. Quamobrem verè gratu-
„ lor tibi, qui tantum potueris: gratulor Eccleſiæ,
„ cui tantum contuleris: gratulor mihi ipſe deni-
„ que, qui te familiariſſimè noverim, ſimque uſus
„ amiciſſimè. Macte virtute, mi Galeſini, perge
„ porrò tuâ iſtâ diligentiâ, labore, induſtriâ, ſtu-
„ dio in Eccleſi·a juvanda æternum à Deo pro iis
„ præmium tandem accepturus. Vale in Domino.
„ Ex ædibus noſtris Mediolanenſ. XVII. Septem-
„ bris MDLXXVIII. „ Tot clarè geſtis clarus

Galeſinius noſter obiit circa annum Chriſti MDXC.

Operum illius tituli hìc exhibentur, quàm diligentiſſimè fieri potuit, & ego certè primus id egiſſe videor:

I. Sancti Gregorii Nyſſeni Liber de Virginitate Latinè redditus. *Romæ, per Paulum Manutium, ſumptibus Pontificiis*, 1562. Extat etiam inter Opera Nyſleni Tom. III. pag. 3.

II. Ejuſdem S. Gregorii Conciones V. de Oratione Dominica.

III. Conciones VIII. ejuſdem Gregorii de beata vita comparanda; cum ſuperioribus è Græco in Latinum converſæ. *Romæ*, 1563. *in* 4. ex Geſnero.

IV. Vita ejuſdem Nyſſeni, è veteribus Auctoribus collecta; omnia uno Volumine. *Romæ, apud Paulum Manutium*, 1563. *in* 4.

V. D. Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis Opera, ſeu Commentarii in Geneſim, & in Libros Regum &c. à mendis expurgata, quibus Epiſtolam eruditiſſimam præfixit. *Ibidem, apud eundem Manutium*, 1564. *in fol.*

VI. Salviani Epiſcopi Maſſilienſis de vero Judicio, & Providentia Dei, libri VIII.

VII. Maximi Taurinenſis Homiliæ.

VIII. Paciani Barcinonenſis de Pœnitentia, & Confeſſione.

IX. Sulpitii Severi Sacræ Hiſtoriæ libri II.

X. Dorothei Tyrii de Prophetis, & Diſcipulis Domini.

XI. Haymonis Halberſtattenſis Sacræ Hiſtoriæ Epitome, adjunctis in tres poſteriores Petri Galeſinii Notationibus, Vol. I. in fol. *Romæ, apud Paulum Manutium in Ædibus Populi Romani*, 1564. In fronte ejuſdem adeſt Epiſtola eruditiſſima, ſeu potius Præfatio Galeſinii, pagg. 8. ad Cardinalem Carolum Borromæum, in qua, præter alia, ſe dicit deditum translationibus SS. PP. Græcorum, permotum peſſimis Verſionibus Operum SS. Baſilii, & Gregorii Nazianzeni, quas vocat horridas, incultas, putridas. Sequitur alia Epiſtola ad Lectorem, in qua ipſe Galeſinius agit eruditè de prædictis Salviano, Maximo, & Paciano.

XII. Dedicatio Columnæ Cochlidis Trajani Cæſaris Auguſti ad honorem S. Petri, celebrata à Sixto V. Pont. Max. IV. Kal. Decemb. die Sabbato, anno MDXXCVII. *Romæ, ex Typographia Vaticana, in* 4.

XIII. S. Didaci Complutenſis Canonizatio, ab eodem Sixto V. Pont. Max. celebrata IX. Jul. anno MDXXCVIII. à Petro Galeſinio deſcripta, diſtinctaque partibus tribus. *Romæ, Typis Vaticanis.* Hoc Opus in Italicum con-

„ que, qui te familiariſſimè noverim, [illegible]
„ amiciſſimè. Macte virtute, mi Galeſ[illegible]
„ porrò tuâ iſtâ diligentiâ, labore, [illegible]
„ dio in Eccleſia juvanda æternum à De[illegible]
„ præmium tandem accepturus. Vale in D[illegible]
„ Ex ædibus noſtris Mediolanenſ. XVI [illegible]
„ bris MDLXXVIII „ Tot clarè [illegible]
Galeſinius noſter obiit circa annum Chriſti [illegible]

Operum illius tituli hic exhibentur, [illegible]
[illegible] fieri potuit, & ego cenſ[illegible]
[illegible] videor:

I. Sancti Gregorii Nyſſeni Liber de [illegible] Latinè redditus. *Romæ, per Pau[illegible] tium, ſumptibus Pontificis*, [illegible] eu[illegible] inter Opera Nyſſeni Tom. [illegible]

II. Ejuſdem S. Gregorii Conciones [illegible] tione Dominica.

III. Conciones VIII. ejuſdem Gregorii [illegible] vita comparanda; cum ſuperiori[illegible] co in Latinum converſæ. *Romæ*, [illegible] ex Geſnero.

IV. Vita ejuſdem Nyſſeni, è veteribus [illegible] bus collecta; omnia uno Volum[illegible] *næ, apud Paulum Manutium*, 15[illegible]

V. *D. Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis* [illegible] Commentarii in Geneſim, & in L[illegible] gum &c. à mendis expurgati, [illegible] [illegible] eruditiſſimam præfixit [illegible] *apud eundem Manutium*, 15[illegible]

VI. Salviani Epiſcopi Maſſilienſis de [illegible] & Providentia Dei, libri VIII.

VII. Maximi Taurinenſis Homiliæ.

VIII. Paciani Barcinonenſis de Pœnitentia, [illegible] feſſione.

IX. Sulpitii Severi Sacræ Hiſtoriæ libri II.

X. Dorothei Tyrii de Prophetis, & Di[illegible] Domini.

XI. Haymonis Halberſtattenſis Sacræ Hiſtori[illegible] [illegible] in tres poſteriores [illegible]

„ [illegible] verò, quo plurimi omnes id intelli-
„ gant explicabo uberrimè libro ſingulari,
„ qui propediem emittetur in lucem. „
Ideoque addendus

XV. De Reſtauratione Typographiæ Vaticanæ à Sixto V. peractâ liber ſingularis. Hic fortè adhuc inter MSS. deliteſcit.

XVI. Translatio Corporis Pii Papæ V. beatæ memoriæ à Sixto V. Pont. Max. celebrata VI. Id. Januarii, anno MDXXCVIII. *Romæ, Typis Vaticanis, in 4.*

XVII. De Bibliis Græcis Interpretum LXXII. Sixto V. Pont. Opt. Max. Auctore editis Commentarius brevis ac dilucidus: ad Alexandrum Peretum Cardinalem Montaltum. *Romæ, per Bartholomæum Graſſium*, 1587. *in 4.* In Epiſtola Dedicatoria ita Galeſinius poſt utilitates ex editione Græca prolatas „ ego ſanè, quæ eo de genere C
„ hiſtoriis, non modò Græcis, & Latinis,
„ verùm etiam Hebræis, Syris, aut Chal-
„ dæis olim mandata ſunt, ea in unum
„ conferre aggreſſus, librum jam pridem
„ inſtitui, quem emittere decreveram;
„ ſed cùm nondum omnibus partibus ab-
„ ſolverim, nunc recentis hujus editionis,
„ quæ Caraffæ Cardinalis ampliſſimi, om-
„ ni Eccleſiaſtica & Græca, & Latina
„ eruditione præſtantiſſimi curâ inprimis
„ ſingulari, & aliorum Virorum libros
„ corrigendi uſu, literatè peritorum,
„ Theologiæ ſcientiâ præcellentium ſtu-
„ dio correcta, emendataque putatur,
„ occaſio oblata fuit, ut quæ aliàs in D
„ animum induxeram, diſtinctè, explicatè,
„ atque adeò pluribus ſcribere, ea modò
„ paucis complectar. „ De Opere, quod hic Galeſinius innuit, ſermo infra recurret.

XVIII. Luculenta Epiſtola præfixa Theodoreti Commentariis in Cantica Canticorum. *Romæ*, 1563.

XIX. Alia adjuncta libris III. Rhetoricæ Eccleſiaſticæ Auguſtini Valerii Epiſcopi Veronenſis, poſtea Cardinalis. Primùm *Mediolani*, deinde *Pariſiis*, 1576.

XX. Pars Catechiſmi Romani, præſertim, quæ ad Decalogum pertinet, ad cujus Operis ex-[illegible]

In Bibliotheca Ambroſiana ſervatur Codex impreſſus ſine anno, loco, & Typographi nomine, ſignatus O. num. 266. in fol. cui titulus: „ P. Galeſinii Protonotarii Apoſto-
„ lici, Monumenta Eccleſiaſtica perpetuis
„ vigiliis conquiſita, & elaborata ad uſum
„ S. Catholicæ Eccleſiæ Romanæ. „ Nihil autem continet, niſi frontes Operum impreſſas, quæ Scriptor noſter vel jam confecerat, vel præ manibus habebat. Ea verò ſunt:

XXX. Conciliorum Volumina VIII. à Petro Galeſinio Protonotario Apoſtolico Canonibus tam Græcis, quàm Latinis edita, multis item partibus aucta, Notationibus præterea, in quibus emendationis ratio conſentienſque canonum, diſciplina, & antiquitatis ſplendor elucet; præclarè illuſtrata: Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Patri Gregorio XIII. Pont. Opt. Max. dicata.

Inter evolvendum MSS. Cod. Bibliothecæ Ambroſianæ incidi in Galeſinii Autographum ſign. D. num. 303. in fol. ſic inſcriptum:
„ Conciliorum Volumen III. à Petro Gale-
„ ſinio multis partibus auctum, atque illu-
„ ſtratum, Lucubrationibus ad rem perfi-
„ ciendam adhibitis, Auctorum & Latino-
„ rum, & Græcorum diſciplinæ Synodalis,
„ & Canonum ſcientiâ, uſuque præſtan-
„ tium. „ In fronte adſunt Præfationes perpetuæ de Conciliis; deſinit verò in Synodo Rhemenſi.

XXXI. Commentarii in Sacros Bibliorum libros à Petro Galeſinio Protonotario Apoſtolico confecti ex locis, quos & Latini, & Græci Patres, variis Commentariis, & Concionibus explicarunt; acceſſit præterea omnis locorum editio ex Septuaginta Interpretibus, Aquila, Theodotione, Symmacho, Luciano Martyre, Hebræo, Chaldæo, Arabicoque Codice collecta: ad Sanctiſſimum Patrem Gregorium XIII. Pont. Opt. Max. & Sacroſanctum S. R. E. Cardinalium Collegium. Hujus Operis epitome edita eſt, atque de ipſa jam egimus ſub num. XVII.

XXXII. P. Galeſinii Protonotarii Apoſtolici de Republica Catholica libri XX., quibus & Barbararum Gentium Idola colentium, &

Digitized by Google

tario Apoſtolico converſa: ad Carolum S. R. E. Cardinalem tit. S. Praxedis Archiepiſcopum Mediolani. Ejuſdem in Eſaïam Prophetam, & Evangeliſtas Commentarii. Multæ præterea de moribus Orationes, complures Epiſtolæ, plurimaque alia, quæ nunquam antea in vulgus edita, jam ſummo ſtudio ab eodem quæſita, in lucem exeunt: additis in extremo Volumine Notationibus, ex veterum Patrum ſententia deprompsis, in eos præſertim locos, quibus improba eorum, qui de Catholica Fide malè ſentiunt, temeritas maximè rejicitur. Sed hæc ipſa, atque adeò omnia, quibus ejus induſtriâ auctus Baſilius eſt, atque ornatus, ex Epiſtolis, quæ ſequuntur, faciliùs ipſe cognoſces. Hoc Opus habemus autographum in Bibliotheca Ambroſiana MS. in fol. magnæ molis ſign. D. num. 302.

XI. Dialogus ex Pauſania de reconditis Græcarum literarum penetralibus . *Mediolani*, 1517. *in fol.*

XII. Commentaria in Hermogenem . Ad prædictum Antonium Pratum . Ex Ariſio .

XIII. Dialogus Mercurii , & Stephani de laudibus Joannis Grolierii Lugdunenſis . Ex eodem .

XIV. Commentaria in aurea Carmina Pithagoræ . Ex eodem .

XV. Præfationes in Homerum, Pindarum, & Titum Livium . Ex eodem .

XVI. Epiſtolæ nonnullæ . Ex eodem .

XVII. Oratio in Adventu Patriarchæ Aquilejæ in Forum Julium habita . Ex eodem .

XVIII. Carmina varia , inter quæ unum indicat idem Ariſius extare in limine „ Introductionum Anatomicarum Jacobi Berengarii de Carpo „ *Bononiæ, typis Benedicti Hectoris* , 1523.

Ejus Opera Carminibus laudarunt Bartholomæus Dardanus , Franciſcus Philippinæi , Jo. Bithynius Puſterla Placentinus, Albertus Laureolus, Hiacynthus Arpinus , Jo. Petrus Ghurcius Vercellenſis, & Jo. Bartholomæus Marlianus .

Videndi ſunt quoque Aproſius in ſua Bibliotheca pag. 412. Ariſius in Cremona Literata Tom. I. pag. 397., ubi alios plures citat Auctores de Nigro noſtro loquentes , & Picinellus in ſuo Athenæo Mediol. pag. 499.

# O

## XLI.

### OLDOINUS TYDEUS.

TYdeum Oldoinum Cremonenſem Petri J. C. filium , utriuſque Juris laureâ decoratum , & patrio Judicum Collegio adſcriptum, tanta nominis fama eſt conſecuta , ut ea , qua inter vivos fuit , ætas nedum majorem, ſed illi æqualem vix invenire poſſet . Ipſum Maximilianus Cæſar Sacri Romani Imperii Comitem renunciavit, Franciſcus autem II. Sfortia Mediolani Dux Senatorem conſtituit , quo in munere à Carolo V. Auguſto confirmari promeruit, tunc cùm Inſubriâ potitus eſt . Ad tantam dignitatem aſcenderat per minores gradus , nam Ticinenſes, Genuenſes, Alexandrinos Prætorios faſces adminiſtraverat non abſque ſummæ integritatis commendatione. Uxor ei fuit Boëtia de Belingardis de Leuco, Joannis nobilis Mediolanenſis filia, ideoque Tydeus noſter Civilitatem hujus Metropolis obtinuit per Ducales Literas, quæ extant in Archivo Panigarolarum. Eodem Prætoris officio dum Mediolani iterum fungeretur, anno MDXLVI. ineunte Octobri diem ſuum clauſit . Corpus illius Cremonam delatum in Templo Sancti Dominici conquieſcit, atque olim ad ejus tumulum marmoream extitiſſe Tabulam ſequentibus verbis exaratam aſſerit Ariſius ex Breſciano :

D. O. M.

Digitized by Google

IX. Alia Plutarchi Opuſcula latinitate donata [illegible] teſte eodem Ariſio.
X. Theophraſti Opera è Græco in Latinum [illegible] Ita Cavitellus ad annum MCCCCLX[illegible] eodem Ariſio.
XI. Dialogus ex Pauſania de reconditis Græc[illegible] terarum penetralibus. *Mediolani*, 15[illegible]
XII. Commentaria in Hermogenem. Ad [illegible] Antonium Pratum. Ex Ariſio.
XIII. Dialogus Mercurii, & Stephani de laudib[illegible] nis Grolierii Lugdunenſis. Ex eode[illegible]
XIV. Commentaria in aurea Carmina Pytha[illegible] eodem.
XV. Præfationes in Homerum, Pindarum, & [illegible] Livium. Ex eodem.
XVI. Epiſtolæ nonnullæ. Ex eodem.
XVII. Oratio in Adventu Patriarchæ Aquilej[illegible] Julium habita. Ex eodem.
XVIII. Carmina varia, inter quæ unum [illegible] Ariſius extare in limine „ Introduction[illegible] „ tomicarum Jacobi Berengarii de Car[illegible] *[illegible]*, typis *Benedicti Hectoris*, 15[illegible]

Ejus Opera Carminibus laudarunt [illegible] Dardinus, Franciſcus Philippus, [illegible] nus Puſterla Placentinus, Albertus L[illegible] Hiacynthus Arpinus, Jo. Petrus G[illegible] cellenſis, & Jo. Bartholomæus M[illegible] Videndi ſunt quoque Aproſius in [illegible] pag. 412. Ariſius in Cremona Litera[illegible] pag. 397., ubi alios plures citat [illegible] pag. 397., ubi alios plures citat [illegible] Nigro noſtro loquentes, & Picin[illegible] Athenæo Mediol. pag. 499.

[illegible], tunc cùm Inſubriâ potitus eſt. Ad [illegible] [illegible]tatem aſcenderat per minores gradus, [illegible] Genuenſes, Alexandrinos Præto[illegible]

DVCE FRANCISCO II. SFORTIA IMPERANTE
TYDEVS OLDOINVS IVRECON. CREMON.
AC DVCALIS SENATOR
MEMORIAE MEDIOLANENSIS PRAETVRAE BENE ACTAE
SVVM HOC INSIGNE RELIQVIT.
PRIMO IANVAR. MDXXIV.

Hiſce monumentis literariis commendabilis extitit:

I. De effectu Sententiarum lib. III.
II. De Officio Prætoris lib. II. Hæc nunquam edita vidimus, quocirca ſuſpicamur adhuc inter Anecdota deliteſcere. Ea tamen referimus ex Ariſio,

Qui Auctorem laudavit in Tomo II. ſuæ Cremonæ Literatæ fol. 66. citans Danielem Cajetanum in Carm. MSS. Antonium Campum in Hiſt. Cremon. lib. III. Landum de Senatu Mediol. lib. IV. Breſcianum in Colleg. JCC. Cremonen. & Ghilinum in Annalib. Alexand. ad annum MDXLII.

## XLII.

## OLDOINUS ZILIOLUS.

Ziliolus Oldoinus, qui & Ægidiolus nuncupatus reperitur, filius extitit Spectabilis Viri Domini Joannis, Jureconſultus, origine Cremonenſis, & ex Ducali Diplomate Civis Mediolanenſis ut infra. Virtutis, & integritatis famâ Ducalis Quæſtor Magiſtratus Extraordinariorum Redditium Secreto Ma-

A præſtitit nomine Concivium ſuorum Portæ Vercellinæ hujus Metropolis Excellentiſſimo Galeacio Mariæ Sfortiæ Vicecomiti Mediolanenſium Duci, uti conſtat ex Tabulis authenticis penès Cl. Sitonum noſtrum. Vitam clauſit vergente Seculo XV. in hac Urbe.

Scripſit

I. Tractatum abſolutiſſimum de Feudis MS. ingentis molis in fol. Extat in Bibliotheca Vindobonenſi, ut me monuit per literas doctiſſimus, & olim mihi ſingulari amicitiâ junctus Eques Pius Nicolaus Garellius.

II. Conſultationem in Cauſa, & favore Nobilium familiæ de Rhaude Ducalium feudatariorum Oppidi Burghetti, in Comitatu Laudenſi. Extat in Codice ſign. H. pag. 27. Officii Statutorum Mediolani, ubi etiam adſunt Literæ Ducales Civilitatis Mediolanenſis conceſſæ præfato J. C. Ziliolo Oldoino in Codice MS. ſign. F. pag. 228.

B Ejuſdem mentionem agunt Cæſar Picinellus in Monument. Offic. Statut. Mediol. pag. 27. & 66., Joſeph Benalius in Hiſtor. Magiſtrat. Extraordin. Mediol. pag. 11., Franciſcus Ariſius in Cremona Literata Tom. I. pag. 281., Joannes Chriſtianus Lunig in Codice Ital. Diplomat. Tom. III. pag. 715., & 727., & Advocatus Sitonus in Chronic. Colleg. J. PP. Mediol. pag. 24. num. 104., necnon J. C. C. [illegible]

Digitized by Google

# P

## XLIII.

## PARAVICINUS FABRICIUS.

IN Oppido Vallis Tellinæ, cui nomen Trahona, patre Bernardo Paravicino, editus eſt in lucem Fabricius non ob eruditionem tantùm, ſed etiam ob generis nobilitatem magni nominis Vir; quem, Bartholomæi Curtii veſtigiis inhærentes, reliquis exteris quidem, ſed inter Mediolanenſes Scriptores memorandis addimus, quòd in Oppido hujus Ducatus Tricio nuncupato, ob arcem vetuſtiſſimam celebri, quadraginta integros vitæ annos inſumpſerit, ibidemque defunctus fuerit. Medicam profitèbatur facultatem tanta cum laude, ut Comenſis Urbis Cives eum expetierint magna mercede propoſita, ſi ad eos commigraret. Ille verò oblatas ſemper conditiones recuſavit, ne ſibi libertatem ſtudia colendi adimeret. Interim tamen ſæpiſſimè ad ægrorum levamen advocabatur, etiam extra Tricienſium fines, vulgatâ quoque apud exteros virtutis ejus famâ. Annos tandem natus LXIV. menſe Majo, anno ſalutis MDCXCV. Tricii diem obiit.

Illius Operum tituli ſunt.

I. Sogliævo dell'età cadente, per la M. Rev. Signora Donna Antonia Cattarina Paravicina Abadeſſa in S. Lorenzo ſopra Sondrio in Valtellina. *Milano, preſſo Franceſco Vigone*, 1690. *in* 8. Hæc Soror erat Auctoris.

II. La regola di vivere. *Milano, per lo ſteſſo*, 1690 *in* 8 Epiſtola eſt erudita ad Mariam Fabriciam, & Mariam Thereſiam filias ſuas in præfato Monaſterio degentes.

III. Abuſo de' Medici nel medicare gli abſenti infermi. *Milano, per il Gagliardi*, 1694. *in* 8.

IV. Acque Minerali del Maſino deſcritte. *Ivi, preſſo lo ſteſſo*, 1694 *in* 8.

Laudatur à prædicto Curtio pagg. 197. & ſequ., nec non à Mangeto in ſua Bibliotheca Scriptor. Medicor. T. III. pag. 444.

## XLIV.

## PARAVICINUS PETRUS PAULUS.

PEtrum Paulum Paravicinum, Joanne Phyſico, atque Urſina Lavizaria parentibus, in Novocomenſi Urbe genitum, Senatus privilegio anno MDXLVII. ineunte dato, reliquis Mediolanenſibus Civibus additum, Clariſſimus Bartholomæus Curtius inter hujus Metropolis Scriptores recenſuit. Ejus nos quoque ſententiam ſecuti, hìc inter Exteros eruditos ipſum referimus. Collegio Phyſicorum in patria ſua fuit adſcriptus, cui cœtui genitor etiam illius nomen dederat. Pater extitit Joannis Baptiſtæ JC. Regii Quæſtoris, Patruus Octavii Cardinalis & Epiſcopi Alexandrini, Avuſque Hieronymi Inſubriæ Senatoris. Obiiſſe videtur circa medium Sæculi XVI.

Scripſit Opus hoc titulo

I. De Thermis Maſinenſibus, & Burmenſibus; *Mediolani*, 1545 *in* 4., & in Opere de Balneis omnibus totius Orbis. *Venetiis, apud Juntas*, 1553. *in fol.* pag. 194. Huic Operi Præfationem addidit Benedictus Jovius Novocomenſis. Poſtmodum Opus ipſum recenſitum, & auctum Joannes Petrus Paravicinus edidit hoc titulo: „ Avvertimenti ſopra li bagni „ del Maſino. Aggiuntavi una breve Relazione „ del ſito, miniere, qualità, e virtù di detti bagni, „ e a che mali ſiano giovevoli, già per avanti ſcritta dall' Eccellentiſs. Medico Malacrida di Sondrio „. *Milano, per li Cardi*, 1658. *in* 12., inſcriptumque fuit Roccho Caſato, jam ſuo loco laudato.

Meminerunt ejuſdem Alexander Tadinus in Compendio Decretor. Colleg. Phyſicor. Mediol. pag. 25. citatus Curtius de Scriptoribus Medicis Mediol. pagg. 89. & ſequenti, Mangetus in ſua Bibliotheca Scriptor. Medicor. T. III. pag. 444., atque Sitonus noſter in Schedis.

## XLV.

## PERBONUS HIERONYMUS.

ANtonio Ducali Aulico patre, nobiliſſimoque genere ortus eſt in Urbe Alexandria Hieronymus Perbonus, omnigenæ eruditionis Vir, aurati Equitis dignitate, atque Juriſprudentiâ celebris. A Maximiliano Maria Sfortia Vicecomite Mediolani Duce anno MDXIII. in Secretius Conſilium advocatus eſt, & Oppidi Oviliarum, in Agro Alexandrino, dominio donatus; tum anno ſequenti Mediolanenſis Civis cum filiis, ac deſcendentibus in perpetuum creari promeruit. Id gratiſſimus Princeps Perbono præſtitit, ut fidei illius aliquam rependeret vicem; cùm enim Maximilianus in Urbe Novarienſi magnis Gallorum copiis premeretur, nullaque eſſet parata pecuniæ copia, ut Helvetiis, quibus tantummodo Ducis ſalus, atque libertas nitebatur, ſtipendium penderetur, timorque Principem invaſiſſet ne quod Ludovico Patri evenerat, ſibi etiam accideret, nimirum ne in Gallorum poteſtatem deveniret, Perbonus quinque ſcutorum millia libentiſſimè obtulit, quibus uſus Maximilianus inquietos ſedavit Helvetiorum animos, ac tandem victoriâ, & Mediolanenſi Ditione potitus fuit. Anno poſtmodum MDXVI. à Maximiliano Auguſto Marchionatu Inciſæ, & Comitatu Palatino donatus eſt, quod munus eidem confirmavit Carolus V. Cæſar anno MDXXI. Franciſcus etiam II. Sfortia Mediolani Dux poſtremus Hieronymum noſtrum Senatoriâ dignitate honeſtavit anno MDXXVI. Gratiſſimus adeò fuit Paulo III. Summo Pontifici, ut ab eodem anno MDXXXVIII. Præſidi, ac Senatui Mediolanenſi per literas plurimùm commendaretur. Obiit Ticini, ibique in Eccleſia Carmelitarum conditus eſt humili, ut ſupremis juſſerat tabulis, ſepulchro, cui has ſiglas incidi mandavit.



Digitized by Google

HIC SVNT HIERONYMI PERBONI CINERES
CVM BLANCA DILECTISSIMA CONIVGE.
AMBO SIMVL ESSE VOLVNT
QVI DVM VIVERENT INCOMPARABILI FIDE
ITA PIETATE NVMINIS
IN COELO ESSE SPERANT.
VALETE FILII ET POSTERI ET REMINISCIMINI
ET NOSTRAM COLITE MEMORIAM.

Poſt ſe reliquit :

I. Oviliarum Opus. *Mediolani, apud Vincentium Medam*, 1533. *in fol.* Codex hic continet varia eruditioni argumenta, illumque hoc nomine nuncupavit ex vocabulo Oppidi, cujus dominium ei Sfortia Dux donaverat, ut jam memoravimus.

II. Plures etiam ibi habentur Perboni Epiſtolæ elegantiſſimæ ad Principes, varioſque Amicos eruditos, libris IV. comprehenſæ. Quæ verò ad Mediolanenſes ſcriptæ ſunt hîc recenſere juvat, ne exteris potiſſimùm eorum mentionem defraudemus; Sunt igitur :

1. Plurimùm Reverendo, & Multùm illuſtri Hermet' Stampæ.
2. Sapienti Jureconſulto Ægidio Boſſio Senatori.
3. Præſtanti Ducalis Fiſci Patrono Juliano Piſcinæ.
4. Sapienti Jureconſulto Mercurino ( ideſt *Marcolino* ) Barbavariæ.
5. Illuſtri, & Excellentiſſimo Jureconſulto Franciſco Tabernæ Illuſtriſſimi Principis Franciſci Sfortiæ Magno, & integerrimo Cancellario.
6. Plurimùm Reverendo Joanni Angelo Arcimboldo Epiſcopo Novarienſi.
7. Illuſtri, ac Magnanimo Armorum Capitaneo, Ducalique Locumtenenti Gaſpari Mayno Compatri ſuo.
8. Illuſtri Domino Petro Franciſco Vicecomiti Primario Civi Mediolanenſi.
9. Illuſtri Senatori Ludovico Piolæ Patricio Mediolanenſi, & Jureconſulto ſapientiſſimo.
10. Excellentiſſimo Renato Trivultio.
11. Illuſtri Ducali Senatori, Equiti ſplendidiſſimo Jacobo Trivultio.
12. Excellentiſſimo Jureconſulto Hieronymo de Novate, ex Stemmate Medices.
13. Illuſtri Senatori, ac Jureconſulto ſapientiſſimo Andreæ Alciato
14. Omnium Jureconſultorum Monarchæ Philippo Decio.
15. Plurimùm Reverendo Joanni Morono, electo Mutinenſi, juveni uni ex paucis ingenioſo, ac prudenti.
16. Plurimùm Magnifico Aloyſio Trotto Quæſtori Ducali, ac Præſidi ſuper Annona.
17. Magnifico, & Clariſſimo Jureconſulto, & Senatori ſapienti Franciſco Lampugnano Patricio Mediolanenſi.
18. Excellentiſſimis Jureconſultis Franciſco Sfondrato, ac
19. Joanni Baptiſtæ Speciano Ducalibus Senatoribus integerrimis.
20. Magnifico Ducali Quæſtori integerrimo Marco Antonio Cagnolæ.
21. Plurimùm Magnifico Joanni Angelo Ritio à Secretis Excellentiſſimi Ducis Franciſci II., Achati integerrimo

III. Chronicon memorabilium rerum ab Orbe condito ad ſua uſque tempora deductum. MS. apud hæredes illius ſervatum aſſerit Ghilinus in Theatro Literatorum loco citando.

IV. De Vita hominis. Opus hoc exhibet mortalitatis noſtræ ſchema à nativitate uſque ad obitum, ingenioſiſſimè elaboratum. MS ibidem.

De eo citatus Ghilinus in Theatro Literator. parte I. pag. 239. & in Annalibus Alexandrinis pluries. Landus de Senatu Mediol. lib. IV. pag. 127. Salvator Vitalis in Theatro Magnal. Mediol. pag. 22. Cæſar Picinellus in Monument. Offic. Statut. Mediol. pag. 44. Julianus Porta in Theatro Alexandrino pag. 134., & amiciſſimus JC. Sitonus in Schedis.



## XLVI.

## PHILALTHÆUS LUCILLUS.

LUcillus Philalthæus, quem Curtius Patavinum fuiſſe arbitratur, Ghilinus verò Brixienſem, ex Maddiorum familia ortum ſcribit, locum inter Inſubres Scriptores promeruit, cùm annos XXV, eodem Ghilino teſte, in hac Urbe tranſegerit Vel puer natum ad bonas artes ingenium portendit, nam tertium nondum egreſſus luſtrum plures ad varios Eruditos Latinas dedit Epiſtolas, quas etiam publici juris fecit. Græcè, Latinèque peritiſſimus extitit, quorum Idiomatum ornamenta Hetruſcæ, quam optimè callebat, adjungens Linguæ, ad ampliora ſibi gradum aperuit; Philoſophiæ enim & Medicinæ ſcrutatus arcana, lauream in utraque conſecutus eſt. Has etiam facultates Bononiæ uſque ad annum MDXXXV. publicè docuit, poſtmodum Neapolim, inde hùc ſe contulit, nam ipſe dicit in Nuncupatoria Paulo ab Eccleſia, poſita in fronte libelli inferiùs recenſendi, cui titulus : Methodus recitandi curas. „ Poſt vagum, & multiplicem for„ tunæ ( ut ajunt ) curſum, veni Mediolanum Ur„ bem antiquiſſimam, nobiliſs auſpiciis quond. Ex„ cell. ſemperque Illuſtriſs. Marchionis Vaſti, qui „ tum ſe ſtrenuiſſimum belli ducem pro Cæſare in „ Italia gerebat. „ Celeberrimus hic Inſubriæ Moderator Philalthæum ſui, atque Familiæ ſuæ Medicum conſtituit, cupiens eidem locum inter publicos Ticinenſis Academiæ Profeſſores conferendum curare. Verumtamen ardentibus tunc in Italia bellorum tumultibus id differre oportuit, ipſo teſte, qui loco citato hæc habet de ſe: „ Hinc „ conticuere Literæ, & ſtudia Gymnaſiorum pu„ blica vel biennio quaſi; cùm interea ille de me „ retinendo cogitaſſet, ſuæque me familiæ Medi„ cum aſcripſiſſet. Verùm cùm me plus triennio „ in præliis comitem exercendi muneris mei causâ „ habuiſſet, & penè confeciſſet itineribus diu, no„ ctuque non ſine metu hoſtium, vitæque ſæpe di„ ſcrimine, animo meditabar, quâ poſſem indu„ ſtriâ nervum ingenii, & Minervæ palæſtram ad „ ſtudia perpetua revocare. „ Tandem, reverſis poſtliminio quodam ſtudiorum commodis, ab Senatu ad exedram Medicinæ in præfato Ticinenſi Lycæo promotus, plures Diſcipulos ſic inſtituit, ut in doctiſſimos Viros evaſerint. Quapropter plurimi habitus eſt, adeòque in ore hominum ob eruditionis laudem verſabatur, ut Martinus Enricus in Præfatione ad Lectorem libri ſui pulcherrimarum Quæſtionum medicarum ipſum hoc Elogio commendaverit: „ Lu„ cillus Philalthæus, qui Græcam, & noſtram Mi„ nervam ita pulchrè amplectitur, quaſi Cignus „ utriuſque linguæ, ut quæ inſcititia ſit, quæ genui„ na, non facilè diſcerni poſſit. „ Quicquid à pu-

blicis Ticinenſis Gymnaſii prælectionibus vacuum habebat temporis, Mediolani tranſigebat, ubi plurimos ſibi Patronos illico invenerat. Gratiſſimus enim fuit Gabrieli de Cueva Duci Alburquerque, Mediolanenſi Gubernatori, Paulo ab Eccleſia tunc Senatori, poſtmodum S. R. E Cardinali, Sancto Carolo Borromæo, demumque Pio IV. Pont. Maximo, quibus omnibus ſingillatim ex infra memorandis Lucubrationibus ſuis quaſdam nuncupavit. Nepotem habuit Andream Ronzonium Juriſconſultum, & Equitem, qui ſub eodem Pio IV. Romani Senatoris dignitatem obtinuit. Obiiſſe videtur circa annum Chriſti MDLXX. Mirum dictu eſt, quot ipſe literarios fœtus ediderit, etenim in Nuncupatoria prædicta Methodi recitandi curas, hæc de ſe ipſe aſſerit: „ Quippe cùm uſque ad id ævi ( annus tunc erat Salutis MDLXV. ) „ nullum elapſum ſit „ anni curriculum ſine aliqua editione in omni ge„ nere artium, præter Theologiam, & Civilem „ diſciplinam ; „ quæ verba ſatis probant Eruditionis, qua pollebat, varietatem.

Quæ reperimus ex ipſius Operibus hìc ſubteximus :

**I.** Epiſtolarum Latinarum Tomus I. Ex hoc libro, quem videre nobis hactenus non licuit, licèt impreſſus fuerit, hauſit quædam Curtius loco infra citando. Credibile eſt Tomum quoque II. prodiiſſe.

**II.** Primum Volumen Conſiliorum de graviſſimis morbis. *Baſileæ*, ut infra.

**III.** Secundum Volumen Conſiliorum de graviſſimis morbis nuper editum. *Papiæ, apud Hieronymum Bartbolum, & Conſtantinum Soncinum ſocios*, 1565. *in* 8 Impreſſum hinc eruitur etiam Volumen I. qui diligentiam noſtram effugit ; namque in Nuncupatoria ad Ducem de Alburquerque ſic ſcribit Auctor : „ Primum *Baſileæ* multò cumulatiorem „ tradendum curavi. „

**IV.** In quatuor Libros Ariſtotelis de Cœlo, & Mundo Commentarius, unà cum eorundem librorum è Græco in Latinum per eundem converſione. *Venetiis, apud Vincentium Valgriſium*, 1565. *in fol.* In Nuncupatoria hujus libri ad Pium IV. meminit Philalthæus Andreæ Ronzonii Nepotis ſui.

**V.** Libellus de Methodo recitandi curas ad eos, qui Lauream petunt, nuper editus. *Papiæ, apud Hieronymum Bartbolum, & Conſtantinum Soncinum ſocios*, 1565. *in* 8. ad Paulum ab Eccleſia Mediolani Senatorem.

**VI.** In duos primos Libros Ariſtotelis Auſcultatorios. *Venetiis, apud Hieronymum Scotum*, 1566. *in fol.* Opus hoc dicavit Sancto Cardinali Carolo Borromæo.

**VII.** Commentarii Philopponi, Simplicii, Alexandri Aphrodiſæi in utraque Philoſophiæ parte. Hos teſtatur Philalthæus in Nuncupatoria ſæpe memorata Methodi recitandi curas, ſe è Græcis Latinos feciſſe, & non ſemel impreſſos apud Eruditos extare. Prodierunt autem *Venetiis, apud Scotum*, 1543. *&* 1544. *in fol.*

**VIII.** De Arte Medicinali Galeni Commentarius.

**IX.** De Prognoſticis Hyppocratis Commentarius. Hæc duo Opera brevì edenda ſpondebat in eadem Nuncupatoria.

**X.** Lucilli Philalthæi Oratio ad Germaniæ Principes, & Spiræ Conventum de bello in Turcas ſuſcipiendo. *Brixiæ, apud Andream Calvum*, 1542. *in* 4.

**XI.** Il Giuramento, e le ſette Parti degli Aforiſmi d'Ippocrate Coo dalla lingua Greca nuovamente nella volgar Idioma tradotti dall'eccellente Dottor Fiſico, e Pubblico Lettore M. Lucillo Filalteo ; con alcune breviſſime Annotazioni Greche, e volgari ſopraggiunte dell'eccellente Dottor Fiſico M. Giovanni Franceſco Martinione Milaneſe. *In Pavia, appreſſo di Franceſco Moſcheno*, 1562. *in* 8

De eo agit Ghilinus in Theatro Literatorum, Curtius in Opere de Scriptoribus Medicis Mediol. pag. 97., & parcè nimis Mangetus in ſua Bibliotheca Scriptor. Medicor. Tom. III. pag. 499.

## XLVII.

## PICENARDUS OCTAVIANUS.

CRemonenſem Urbem patriam nactus eſt Octavianus Picenardus patriciâ familiâ genitus, quem eruditionis fama ætate ſuâ celebrem effecit, & poſteris etiam Seculis commendavit. Humaniores in adoleſcentia ſic didicit literas, ut adultus eaſdem publicè fuerit cum laude profeſſus. Floruit inter Academicos Animoſos ſub nomine *l'Oppreſſo*, cùmque legalibus ſe ſtudiis addixiſſet, jamque lauream eſſet conſecutus, in Cremonenſium Judicum Collegium cooptari promeruit. Decurionis quoque in Patria munus exercuit, adeòque in forenſium Cauſarum patrocinio eminuit, ut ejus Reſponſa non aliter, quàm Oracula haberentur. In Archilycæo Ticinenſi primariam Juris Civilis Cathedram veſpertinis horis obtinuit, mox Civium ſuorum nomine ad Paulum V. Pont. Max. legationem obivit. Creſcente autem in dies tanti Viri exiſtimatione, à Philippo III. Hiſpaniarum Rege Senator Inſubriæ renunciatus eſt anno Salutis humanæ MDCXXI. prætorioſque Ticinenſium faſces integerrimè adminiſtravit. Anno deinde MDCXXVI. à Philippo IV non ſolùm Ordinariorum Reddituum Magiſtratus Præſes eſt electus, ſed ad Rempublicam Venetam etiam miſſus anno MDCXXXIII., quod munus cùm optimè peregiſſet, adeò Regis gratiam ſibi conciliavit, ut recurrente anno Chriſtiano MDCXLI. ad ſupremam in Mediolanenſi Senatu dignitatem aſſumeretur. Conſiliarius in Matritenſi Aula deſignatus, eò ſe conferre ob ingraveſcentem ætatem non potuit, ſed anno MDCXL. die X. menſis Junii, in hac Metropoli mortalibus valedixit, ubi ſepultus jacet in Templo Sancti Barnabæ Clericorum Regularium Sancti Pauli Decollati, nullâ tumulo Inſcriptione impoſitâ.

Ære tamen perennius ſibi ipſe Monumentum his literariis laboribus ſtruxit :

**I.** Conſultationum Legalium Tomi III. MSS. has indicat Ariſius loco citando, ingenuè tamen profeſſus, ſe locum, ubi deliteſcunt, ignorare.

**II.** Reſponſum in libro, cui titulus: „ Reſponſa diver„ ſorum clariſſimorum J. CC. in Cauſa prælatio„ nis inter Feudatarium, ob merita ſanguine no„ biliſſimum, & Juriſconſultum, & Marchionem „ honorarium, qui Feuda emit. „ *Patavii, ex Typographia Laurentii Paſquati*, 1602. *in* 4.

**III.** Alia II doctiſſima, & ampliſſima in materia Fideicommiſſaria, cum altero Senatoris Sartorii apud Sadarinum pag. 171. qui in Nuncupatoria ad Senatum Mediolanenſ. Auctoris noſtri laudes exponit.

**IV.** Oratio habita in Æde Majori Idibus Februarii MDCXII. dum Cremona Jacobo Maynoldo Galerato Senatus Mediolanenſis Principi, Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis Conſiliario, Parenti optimo, vitâ functo publicè parentaret. *Cremonæ, apud Chriſtophorum Draconium, & Baruch Zannium*, 1613.

**V.** Alia habita in Sigiſmundi Picenardi ampliſſimi Collegii ingreſſu XI. Kal. Martias MDCXIII. *Ibidem apud eoſdem*, 1614.

**VI.** Diſcordia concors Africani, & Ulpiani in L. Qui negotio, ff mandet L. Singul. ff Si certum petatur, enodata. *Papiæ, apud Andream Vianum*, 1614. *in* 4.

**VII.** Oratio, quo tempore petiit Illuſtriſſimis Fratribus Sfondratis Lauream JC. decerni. *Papiæ*, 1618

**VIII.** Relationes eorum, quæ geſta ſunt inter Potentiſſimum Hiſpaniarum Regem, & Sereniſſimam Rempublicam Venetam in cauſa tranſitus per viam Imperialem. Diſſertatio Hiſtorico-politico-legalis. *Mediolani*, 1621. *in fol.*

**IX.** Conſultatio pro immunitate ab oneribus extraordinariis, & patrimonialibus, etiam tempore belli, ſervandâ publicis Profeſſoribus in Ticinenſi Gymnaſio,

naſio, ad Excellentiſſ. Marchionem de Leganes Regium Gubernatorem, & Capitaneum generalem in Statu Mediolani anno MDCXXXVII Impreſſa eſt in Opere de Oneribus Ambroſii Oppizoni, parte II. pag. 344. qui partem primam ipſius Tractatus anno MDCXXXIV. typis traditam Picenardo, tunc Magiſtratus Ordinar. Præſidi, nuncuparat.

Dignis eum laudibus commendant Paulus Bellonus de poteſtate eorum, quæ fiunt incontinenti, lib. I. cap. 205. Jo. Baptiſta Bonettus in quadam Allegat. legali ab Ariſio citata. Landus in Senatu Mediol. pag. 222. Julius Cæſar Calvinus de Æquitate, Tomo I. cap. XCIV. num. 58. Chryſoſtomus Magnenus de Tabacco, Exercit. V. § III. Roſinus in Lycæo Lateranenſi, Tomo II. ſæpe citatus Ariſius in Cremona Literata Tomo III. pag 239., & in Serie Prætor. Cremonæ pag. 53. necnon doctiſſimus JC. Sitonus noſter in ſuo Theatro Genealog. MS. pag. 323.

## XLVIII.

## PICENARDUS SIGISMUNDUS.

JOannes Franciſcus Picenardus JC. Cremonenſis ea in Urbe Sigiſmundum genuit nunc memorandum. Inter bonarum artium ſtudia adoleſcentiam Sigiſmundus tranſegit, atque legales amplexus diſciplinis in eiſdem ſic profecit, ut lauream fuerit aſſecutus, Collegioque JCC. in patria die XXIII. menſis Februarii, anno Chriſti MDLI. aggregatus. Unus extitit inter Inſtitutores Academiæ Animoſorum, anno MDLX. Eximiis ejus dotibus capti Cremonenſes, cùm Legatus ad Philippi II. Hiſpaniarum Regis Aulam pro graviſſimi momenti rebus mittendus foret, Oratorem delegerunt Picenardum, iſque apud Regem tantam ſibi comparavit exiſtimationem, ut anno MDLXIII. ad Senatoriam dignitatem in Supremo Inſubriæ Magiſtratu elatus fuerit. Ticinenſem Præturam ſemel, atque iterum magnâ integritate, & prudentiâ geſſit. Deſideratus eſt anno MDLXXX. die XXIII menſis Novembris Mediolani, tranſlatoque Cremonam cadaveri, ſolemniter illi publico ſumptu parentalia ſunt perſoluta in Templo Maximo, funebrem Orationem habente Jacobo Maynoldo. Jacet in avito tumulo in Templo Sancti Dominici.

Opera ejus ſunt:

I. Conſiliorum Volumen I. *Venetiis*, 1575. *in fol.*

II. Conſilium in materia duelli. Sic incipit: „ Pro dilucidatione præſentis caſus &c. „ fortè MS. quod nos, ex Ariſii fide recenſemus.

III. Epigramma in pompis exequialibus Gentilis Turriani Veronenſis. *Veronæ, apud Bartholomæum Meolum.*

Academicum ipſius Stemma Lucas Contilis exponit in libro ſuo inſcripto: „ Ragionamenti ſopra la „ proprietà delle Impreſe degli Academici Affidati „, pag. 114.

In ejus laudem oravit Octavianus Picenardus dum Collegium ſuorum ingreſſus eſt, ut diximus in Octaviano.

Ipſi, dum Papiæ Prætor eſſet, dicavit Alexander Picenardus Interpretationes in nonnullos Inſtitutionum titulos. Sed & Hieronymus Fundulus eidem inſcripſit Comœdiam, cui nomen *Lucia*, cujus prototypum apud ſe Ariſius ſervatum indicavit.

Funerea hujus Scriptoris pompa deſcribitur ab Antonio Campo in ſuis Annal lib III. pag 60. ejuſque obitum deflevit Carmine Franciſcus Zava in Epiſt. famil. qui etiam ipſum in Oratione II. commendavit.

Laudatur inſuper à Hieronymo Faballo in Oratione ad Decur. Cremonæ. Vincentio Vectiolo ibid. Alexandro Lamo in Somnio. Cavitello in Annalib. Lando de Senatu Mediol. Ploto ad Conſil. 63. Girati in fine. Antonio Poſſevino in Bibl. Selecta in Indice Interpretum, & ab Ariſio memorato in Cremona Literata Tomo II. pag. 295.

## XLIX.

## PORRUS PROTASIUS.

CAuſam, cur Abbas Picinellus in Athenæum ſuum Mediolanenſe Protaſium Porrum intulerit, ut candidè fateamur, ignoramus; ipſum enim Benedictus Jovius Novocomenſibus Eruditis addidit in fine libri II. Hiſtoriæ Patriæ ſuæ. Si verò ſuſpicioni locus eſſe poteſt, id eam ob rem factam credimus quòd verè Protaſius vetuſtam majorem originem ex Mediolanenſi Urbe duceret. Pater ei fuit Paulus Porrus, cujus ſedulæ educationi debuit filius eruditionis ſuæ primordia Adultus Minorum Conventualium Inſtitutum ſuſcepit, humaniſque, & divinis literis inſtructus Pariſiis lauream promeruit. Tanto ingenii præditus erat acumine, ut in privatis, publiciſque diſputationibus ſubtilitatem argumentorum illius omnes mirarentur. Poëſin coluit æquè ac Oratoriam, & in utraque facultate elegantiam, gravitatem, & facundiam præſetulit ſingularem. Græcam, Hebraicam, Hiſpanam, Germanam, Gallicam linguas calluit, pluresque peragravit Europæ provincias, à Principibus, & Epiſcopis expetitus ad Divini Verbi miniſterium, ad hæreſes convellendas, maximique momenti negotia pertractanda. Octogeſimo ſuæ ætatis anno Comum ſe recepit, ubi in Sancti Franciſci Cœnobio, quod ipſe variis operibus exornaverat, fractâ jam valetudine degens, obiit anno Salutis MDXXXV.

Poſteris reliquit:

I. Sacras Conciones plurimas tam Italicâ, quàm Gallicâ linguâ conſcriptas, & variis in locis publicè habitas. Has nunquam in lucem, quod ſciamus, editas memorant infra citandi Auctores.

II. Carmina Latina elegantiſſima. MSS. cum ſequentibus.

III. Epiſtolas item Latinas mirâ eruditione refertas. Has cum Carminibus in faſciculos plures digeſtas MSS. extitiſſe apud Auctorem teſtatur Benedictus Jovius loco mox citando.

Collegit etiam idem Jovius Epitaphia nonnullorum in Sepulchrum ejuſdem. Hi ſunt autem illorum Auctores: Hieronymus Ulpius Litavicus Raymundus, Paulus Somælianus, M. Antonius Gallia, Benedictus Ulpius, P. Antonius Vicedominus, Franciſcus Alciatus, Jacobus Paravicinus, Joannes Ruſca, Vincentius Odeſcalchus, Jo. Antonius Ulpius, Litavicus Turrianus, Baptiſta Paravicinus, P. Antonius Paravicinus, Theophylus Paravicinus, Fulgentius Paravicinus, Ulpianus Ulpius, Defendens Ulpius, Franciſcus Portius, Alexander Peregrinus, Vincentius Peſtalotius, Alexander Malacrida, Auguſtinus Peregrinus, Defendens Gallus, & Nicolaus Canevalius, ex MS. in fol. Operum omnium ineditorum Jovii apud Co. Antonium Joſephum à Turri Rezzonici.

Præcitatus autem Jovius quædam ad eundem Porrum miſit Carmina ſua, nimirum „ De Epigrammate à „ Porro ad Gabrielem Paravicinum ſcripto. „ Item Quaternarium.

De ipſo, præter ſupradictum Jovium in fine Hiſtoriæ Novocomenſis, agunt Ballarinus in Chron. Comenſ. pag. 246 Moriggia Nobilit. Mediol. lib. III. cap. XXX., & ex eo Picinellus in Athenæo pag. 477.

L.

Digitized by Google

## L.

## PUTEUS JACOBUS.

JAcobus Puteus Alexandrinus, cujus Elogium hìc inter Exteros meritò recenſemus, alius certè videtur ab eo, quem Guidus Pancirolus libro II. de Claris Legum Interpretibus cap. CVII. memoravit. Hic enim noſter Corradini filius extitit, Ghilino teſte, alter verò à Pancirolo commendatus Simonis filius fuiſſe perhibetur. Coævi tamen ambo extiterunt, & in Ticinenſi Archigymnaſio Juris Interpretes Sæculo XV. exeunte. Ceterùm de Corradini filio tantùm nos verba faciemus, altero prætermiſſo, qui nihil ad nos. Magno præditus ingenio Jacobus multum ſibi nominis comparavit in legalibus quæſtionibus enucleandis, quod munus egregiè præſtitit in celeberrimis Italiæ Academiis, Bononienſi videlicet, Patavina, Ferrarienſi, Ticinenſi, & Taurinenſi. Plures habuit Auditores inſignes, quos inter memorandus immortalis memoriæ Vir Jaſon Maynus, qui tanti Præceptoris non ſine laude meminit in L. 1. col pen. ff. de novi Operis nunciatione. In Lycæo Patavino docuit anno MCCCCLXVIII. poſt Alexandrum Imolenſem, & Cœpollam. Jacobi doctrinâ permotus Franciſcus Sfortia Mediolanenſium Dux eundem Senatoria dignitate in ſummo Inſubriæ Magiſtratu decoravit, & civilibus negotiis in tota ſua Ditione præfecit. Multa inſuper ipſi & Joanni filio contulit, in primis verò Retorti Oppidi in Agro Alexandrino, jam ab eodem poſſeſſi, Feudum peculiaribus privilegiis inſignivit. Obiit Jacobus Mediolani in ſumma ſenectute ante annum MCCCCLXXXVI. ut conjicere licet ex allegato Jaſonis teſtimonio, de ipſo tanquam jam defuncto ſcribentis.

De tam eruditi Senatoris Lucubrationibus hæc ſuperſunt:

I. Interpretationes ſuper ſecundam partem Infortiati;
II. Aliæ ſuper primam partem Digeſti novi.
III. Fragmenta quædam in Jure Civili.
IV. Diſputatio de Monetis. Inter Tractatus Alberti Bruni de Augmento.
V. Allegatio pro Communitate Terræ Valentiæ contra Communitatem Sancti Salvatoris in materia Confinium. Hæc omnia curâ Corradini Putei Juriſconſulti, forſan Auctoris filii, in lucem emiſſa fuiſſe, teſtes ſunt Papadopolus, & Ghilinus locis infra citandis. Nos ea nuſquam vidimus, præter editionem Allegationis prædictæ. *Venetiis, apud Unitorum Societatem*, 1585. *in* 4
VI. Multa ipſius Scripta alia, poſterorum incuriâ periiſſe iidem aſſerunt.

De eodem mentio eſt apud Ghilinum citatum in Theat. Literat. parte I. pag. 143. Papadopolum in Hiſtor. Gymnaſii Patav. Tomo I. pag. 226. Pancirolum pag. 205. Marcum Mantuam in Epit. Viror. Illuſtrium pagg. 473. & 478. aliique plures.

# R

## L I.

## ROSSIGNOLUS CAROLUS GREGORIUS.

CArolus Gregorius Roſſignolus in lucis auras venit die IV. menſis Novembris, anno Chriſti MDCXXXI. in Oppido Comitatus Novarienſis, cui nomen Burgus-Maynerius, ex ſatis antiqua, & in eodem Oppido præcipua familia. Exegit inter rudimenta literarum, atque pietatis adoleſcentiæ tempora, donec annos XX. natus in præclariſſima Societate Jeſu ſe Deo devovit; ubi jampridem conceptam erga Deiparam Virginem, Sanctoſque religionem ſemper augere ſtuduit. Pro ſuæ Societatis inſtituto gymnaſiis addictus, Rhetoricam, Philoſophiam, ſacros Codices, Theologiam tam ſcholaſticam, quam moralem publice tradidit, ſæpius munere Præfecti ſtudiorum, Præpoſiti, & Rectoris laudabiliter functus. Opera, quæ ipſe in lucem edidit inferiùs recenſenda, tanti apud omnes habita ſunt, ut non tantùm ſæpiſſimè recuſa fuerint, ſed in exoticas etiam linguas translata. Anno autem MDCCVII. die V. menſis Januarii, poſt toleratum patientiſſimè diuturnum morbum carcinomatis horrendi, ad extrema devênit. Cùmque mortis nuncius allatus eſſet „ ſemper, *inquit*, quoad vixi in Deum, „ Sanctiſſimam ejus Matrem, & Sanctos cogitationes „ defixi, hac conditione, ut iidem mortis meæ tem- „ pore de me cogitarent; nunc omnem meæ ſalutis „ curam iis relinquo, nec imminens mors me terret; „ vel me ſollicitum reddit.„ Delatum inſuper ad ſe Auguſtiſſimum Chriſti Domini Corpus antequam ſumeret, brevi Latina Oratione allocutus eſt, in qua animi affectus piiſſimos, & toto vitæ tempore auctam in tanti Myſterii venerationem apertiſſimè ſignificavit. In his aliiſque religioſiſſimo Viro dignis actibus migravit è vita in ſuorum Braydenſi Collegio, in quo potiorem annorum partem tranſegerat. Hujus præſtantiſſimi Scriptoris vitam, & ſcripta eò libentius damus, quò neque ſuæ Societatis Bibliographi, neque Clariſs. Cotta in Muſæo ſuo Novarienſi memoriæ ipſius ſatis conſuluiſſe videantur.

Operum ipſius hic eſt Elencus; in quo editiones plurimas, ne nimio Lectores tædio afficeremus, conſultò omiſimus; ſecuti tantùm Venetam, ut infra Tomis III. comprehenſam ſub titulo: „ Opere „ Spirituali, e Morali del P. Carlo Gregorio Roſ- „ ſignoli della Compagnia di Gesù „. In primo hæc ſunt:

I. Maraviglie di Dio nel Santiſſimo Sagramento.
II. Maraviglie di Dio nel Santiſſimo Sagrificio.
III. Maraviglie di Dio ne' ſuoi Santi. Centurie III.
IV. Maraviglie di Dio nell'Anime del Purgatorio.

In ſecondo Tomo.

V. Maraviglie della Natura.
VI. Le Ricreazioni regolate.
VII. La Lingua purgata.
VIII. Avviſi ſalutari alla gioventù.
IX. La Pittura in giudizio.
X. Il Giuoco di fortuna.
XI. Vita, e Virtù della Conteſſa Torella.
XII. Vita, e Virtù della Madre Nicolina Rezzonica.

In Tomo terzio.

XIII. Notizie memorabili degli Eſercizj Spirituali di S. Ignazio.
XIV. Verità eterne per i giorni degli Eſercizj Spirituali.
XV. La Pietà oſſequioſa alle Feſte principali dell' Anno.
XVI. Divoti oſſequj a' Santi del Meſe, e del Nome.
XVII. Il buon penſiero.
XVIII. La ſaggia elezione; ovvero avvertimenti per ben eleggere lo ſtato di vita.
XIX. L'Elezione dell'amico.

XX.

Digitized by Google

[illegible] fului, forſan Auctoris filii, in lucem edi[illegible] ſtos facit Papadopolus, & Ghilinus [illegible] tandem. Nos ea nuſquam vidimus, præter [illegible] nem Allegationis productæ. *Venetiis*, apud [illegible] Secundum, 1585. in 4.

VI. Multa [illegible] Scripta alia, poſterorum [illegible] eadem aſſerunt.

De eodem mentio eſt apud Ghilinum [illegible] Literat. parte I. pag. 143. Papadopolus [illegible] Gymnaſii Patav. Tomo I. pag. 226 [illegible] pag. 205. Marcum Mantuam in Ex. [illegible] [illegible] pag. 473. & 478. aliique plures.

[illegible] actibus migravit è vita in ſuorum [illegible] Collegio, in quo potiorem annorum [illegible] [illegible] Hujus præſtantiſſimi Scriptoris [illegible] [illegible] eò libentius damus, quò neque [illegible] [illegible] Bibliographi, neque Clariſs. Com. [illegible] [illegible] Novarienſi memoria ipſius ſatis [illegible] [illegible].

Operum ipſius hic eſt Elencus; in [illegible] [illegible], ne nimio Lectores tædio [illegible] [illegible] confirmus; ſecuti tantùm Venetam [illegible] [illegible] Tomis III. comprehenſam ſub titulo: „ Opere Spirituali, e Morali del P. Carlo Gregorio Roſſignoli della Compagnia di Gesù „. [illegible] [illegible]:

Maraviglie di Dio nel Santiſſimo Sagramento [illegible]

Maraviglie di Dio nel Santiſſimo Sagra[illegible]

[illegible]

GRegorius Roſſignolus Caroli Gregorii frater, de quo mox egimus, & ipſe in Oppido Burgi-Maynerii, Comitatus, atque Diœceſis Novarienſis natus, Congregationi Clericorum Regularium Sancti Pauli, vulgò Barnabitarum nomen cùm dediſſet anno ætatis ſuæ XVIII. in ea Philoſophiæ, atque Theologiæ ſedulam dedit operam, quarum facultatum primam à Jacobo Antonio Morigia, poſtmodum S. R. E. Cardinali, percepit, alteram à probatiſſimis Viris audivit. Canones etiam, & Jura civilia in ſuam derivavit eruditionem, nec ſine aliorum quoque profectu, nam docendis, quæ didicerat, admotus, & adoleſcentibus prodeſſe ſtuduit, & conſcriptis Voluminibus intentus maximam ſibi nominis famam peperit. Collegio ſuorum Alexandrino Sancti Caroli primùm præfuit, mox Mediolanum veniens, in ſcholis Arcimboldiis moralem Theologiam auditoribus tradere juſſus, recentes è Tyrocinio Alumnos Congregationis ſuæ, & ipſius Gymnaſii juvenes Præfectus rexit. Mirum interea quot Clericalis, & profani Ordinis, & doctrina, & dignitate illuſtres Viri ad Gregorium, quaſi agmine facto, ſe conferrent quotidie, ut eum vel in forenſibus cauſis patronum, vel in conſcientiæ dubiis Judicem audirent, quos inter optimus ille Ambroſianæ Eccleſiæ Hierarcha verè meritis, & purpura Eminentiſſimus Benedictus Odeſcalcus præclaræ ſemper memoriæ, cui Roſſignolus noſter, quamdiu extitit in vivis, à ſacris Confeſſionibus fuit. Neque Mediolanenſes tantùm Cives, ſed Exteri etiam ipſum in arduis rebus per Epiſtolas conſulebant, adeò ut Cæſareæ quoque Majeſtati aliquando conſilio non defuerit. Humillimè interim ipſe de ſe Gregorius ſentiens, obluctans, nec niſi obedientiæ vinculis adſtrictus, Mediolanenſis ſuorum Provinciæ regimen ſuſcepit, quod prudentiſſimè exercuit. Tandem Viſitatoris generalis munere decorari meruit, donec apoplexiæ morbo correptus annum [illegible]

C

D

[illegible] Cotta in Muſæo Novarien. fol. 207. Auguſtino Fontana in Amphit. Legali Tomo I. pag. 215., in Actis Eruditor. Lypſiæ Supplem. Tomi I. pag. 267.

## LIII.

## RUBEUS DE ARAGONIA AUGUSTINUS.

PRimam in Urbe Parmenſi lucem vidit Auguſtinus Rubeus de Aragonia, Vir generis nobilitate, ingenii culturâ, Juriſprudentiâ, & Oratoriâ facultate inſignis. Hic ſub Sfortiadum Mediolani Ducum imperio lares in hanc Metropolim tranſtulit anno MCCCCLXXIII. ac pro ipſis Ducibus apud Romanos Pontifices Legationibus functus fuit. Equitis aurati dignitate auctus, anno MCCCCLXXVI. à Secretis Conſiliis electus eſt. Publicè oravit in Templo Maximo Mediolanenſi, tunc cùm Joannes Galeacius Sfortia ſolemni pompâ Ducatus ſuſcepit inſignia anno MCCCCLXXVIII. Demum benè geſtarum rerum laude præclarus anno MCCCCLXXXVI. migravit è vita, corpuſque illius conditum fuit in Sacello S. Auguſtini Templi Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli in Glaxiate hujus Urbis, quod Sacellum ipſe anno MCCCCLXXX. reſtauraverat, impetratâ etiam peccatorum veniâ à Sixto IV. omnibus, qui eleemoſynas ad pium hoc opus contuliſſent. Monaſterio Benedictinorum Monachorum apud præfatum Templum degentium non contemnendam Bibliothecam legavit. Obiit improlis, quamvis Simonam de Bertanis Corregii ſibi Matrimonio copulaſſet, quæ cùm anno MDXVIII. deceſſiſſet apud Viri cineres tumulata eſt.

Digitized by Google

Scripſit Auguſtinus Opus hoc titulo:

## L I V.

## RUBINUS ALEXANDER.

IN Urbe Bergomenſi natales hauſit Alexander Rubinus, eumque literarum humaniorum peritiès, & Oratoria facultas pluribus in Urbibus Inſubriæ, & Liguriæ illuſtrem fecit. Ineunte Sæculo XVII. in hac Metropoli ad Rhetoricæ exedram aſſumptus, tam in Scholis Palatinis, quàm in Collegio Arcimboldio ( cui nunc præſunt Clerici Regulares Congregationis Sancti Pauli ) plures per annos adoleſcentibus edocendis ſummâ cum laude dedit Operam. Ipſo anno ſæculari MDC. coram Joanne Fernando Velaſco, annoque MDCVI. coram Petro Enriquez Fontium Comite, Regiis hujus Ditionis Moderatoribus, publicè verba fecit, à quorum poſtremo etiam aureo torque donari meruit. Multoties oravit non ſine omnium plauſu, ejuſque Lucubrationum plures in publicum prodiere, ut infra memorabimus. In Laudenſi etiam humaniorum Literarum, & Eloquentiæ Lycæo, Angelo Baronio ſucceſſor electus, conceptam de ſe ſpem non fefellit. Idem præſtitit Modoëtiæ, curante Bartholomæo Zucchio accitus; neque abſimilis ei gloria parata eſt Genuæ & Cremonæ. Demum reverſus Bergomum, ibi paulo ante annum MDCXXX. poſtremam clauſit diem, multis relictis liberis, quos inter laudis paternæ æmulatores fuere Valentinus prædictæ Congregationis S. Pauli Decollati, & Franciſcus Clericus, ille in Arcimboldio Gymnaſio, hic verò pluribus in Collegiis, & Seminariis Eloquentiæ Profeſſores inſignes, quorum Elogia, quòd Mediolani nati fuerint, ſuo jam dedimus loco in hac Bibliotheca.

Opera Alexandri hæc ſunt, quæ non omnia viderunt Calvi, & Picinellus, ut conferentibus patebit.

I. Alex. Rubini Bergomenſis Carmina. Ad Mutium Sfortiam Caravagii Marchionem. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1694. *in* 4 Infraſcriptis Viris doctis inſcripta ſunt, nempe: Ad eundem Sfortiam. Ad Simonem Boſſium Præſid. Magiſt. Ordinarii. Ad Comitem Theodorum Trivultium. Ad Herculem Sfondratum. Ad Danielem Plantanidam J. C. Ad Jo. Thomam Galaratum.

II. De Grammaticis Inſtitutionibus. *Mediol. apud Malateſtam*, 1598. *in* 4.

III. Ad Jo. Fernandum Velaſcum Mediol. Gubernat. Propempticon. *Mediol. apud eumdem*, 1600.

IV. Panegyricus, quem optimatibus Decurionibus Laudenſibus in aula publica Kal. Novembr. MDCIX. dixit. *Mediol. per Pontium, & Piccaleam*, 1609.

V. Cicero enucleatus. Lib. IV. *Mediol. apud Pontium*, 1612.

VI. Alexandri Bergomi Tutelaris Tryumphus. *Bergomi, apud Valerium Venturam*, 1620.

VII. Oratio, qua de brevitare, ac copia diſputat Oratoris, *Mediolani, apud Joannem Angelum Navam*, 1620. *in* 4., cum Epiſtola nuncupatoria ad Senatum Mediolanenſem.

VIII. Suadæ pro Alexandro Rubino ſtipendii additamentum petente. Impreſs. ſine anno in 4.

IX. In Auguſto Hiſpaniarum Funere Philippi III. Regis Carmina. *Mediolani, apud Navam*, 1621.

X. D. Auguſtini Converſio. *Mediol. apud Joannem Angelum Navam*, 1623.

XI. Oratoria Monomachia, quâ diſputat, utrum Oratori probitas ſit neceſſaria. *Mediolani, apud Navam*. 1623. *in* 4.

XII. Themidis pro Alexandro Rubino Regio Eloquentiæ Profeſſore mercedis acceſſionem petente Oratiuncula ad Eccellentiſſimum Senatum Mediolanenſem anno 1624. in fol.

XIII. Edidit Poëma Joannis Jacobi Gabiani, cui titulus: „ Romanengenſium Victoria „ cui etiam præfixit Epiſtolam nuncupatoriam ad Didacum Salazarium Magnum Inſubriæ Cancellarium. *Mediolani, apud Navam*, 1625. *in* 4.

XIV. Epiſtola Latina, ſeu potius Panegyris ad Didacum Salazarium Supremum Cancellarium. Extat in Cod. MS. ſign. n. 60. in fol. in Biblioth. Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii Mediolani.

Ad eundem leguntur nonnullæ Epiſtolæ Bartholomæi Zucchii inter editas iſtius.

Videndi ſunt, Donatus Calvi in Scriptoribus Bergomenſibus pag. 26., & Picinellus in Athenæo pag. 14.

# S

## L V.

## SALAZARIUS DIDACUS.

DIdacus Salazarius Sebaſtiani, atque Aloyſiæ de Garzes nobilium Hiſpanorum conjugum filius, in Bononienſi Archigymnaſio Juris utriuſque laureâ inſignitus, in Mediolanenſi ditione plura geſſit laudabiliter munera. Biennio enim annis videlicet MDLXVI. & ſequenti Prætor inſignis Oppidi Piceleonis, ad Fiſci patrocinium aſſumi promeruit in Urbe Laudenſi, hinc ad Præturam Mediolanenſem ſub ſigno Equi anno MDLXX. Cremonæ Fiſcalis Advocatus triennio fuit ab anno MDLXXVI. ad LXXIX. inde tranſlatus eſt ad idem munus Ticini gerendum ſequenti biennio. Poſtmodum Laudenſibus jus dixit anno MDLXXXII. quo etiam militaris Auditor electus eſt. Sed hæc minora fuerunt officia, nam anno MDLXXXIV. Quæſturam in Ordinariorum Redditúum Magiſtratu obtinuit, die XII menſis Septembris. Poſt quadriennium autem die XXIV. menſis Decembris Regii Senatoris dignitatem in Inſubria univerſa adeptus fuit. Cùm anno poſtmodum MDXC. Cremonenſis Urbis præfecturam adminiſtraret, menſe Junio exeunte in ſupremo Italicarum Rerum Matritenſi Conſilio Regens à Philippo II. Hiſpaniarum Monarca fuit aſſumptus. At die XXIV. Auguſti anno MDXCII. Magnus Mediolanenſis ditionis Cancellarius renunciatus, tanti pondus officii annos XXVI. integerrimè geſſit; donec die XXIV. Novembris, anni MDCXVIII. honorificentiſſimo Diplomate, retentâ dignitate Conſiliarii, munere ſolutus eſt. Tanti habitus fuit à Mediolanenſibus Civibus, ut petentibus Decurionibus à Senatu ipſe cum poſteris Civitate donari meruerit anno MDXCII. die XVI. Decembris. Philippus quoque III. prædicto anno MDCXVIII. die XIX. Januarii Feudum Oppidi Romanenghi, & pertinentiarum in agro Cremonenſi ad deſcendentes etiam tranſiturum Didaco gratis contulit, adjecta Comitis nuncupatione ſuper eodem Feudo, Diplomate diei XXIX. Junii MDCXXIX. Annus idem Salazario fuit extremus, deſideratuſque eſt Mediolani ætatis ſuæ anno XC. menſe Octobri.

Eru-

Digitized by Google

1622. in 4., cum Epiſtola nuncupatoria ... ſenatum Mediolanenſem.

VIII. Suada pro Alexandro Rubino ſpeciali ... tum procare. Impreſſ. ſine anno in 4.

IX. In Auguſto Hiſpaniarum Funere Philippi ... gis Carmina. *Mediolani*, apud Jo. ...

X. D. Auguſtini Converſio. *Mediol.* apud Jo. ... *phum Nevum*, 1623.

XI. Oratoria Monomachia, qua diſputatur ... tori probatas ſit neceſſaria. *Mediolani* ... *Nevum*. 1623. in 4.

XII. Themidis pro Alexandro Rubino ... tore Profeſſore mercedis acceſſione ... Oratiuncula ad Excellentiſſimum ... diolanenſem anno 1624. in fol.

XIII. Edidit Poema Joannis Jacobi Gabiani ... Romanengenſium Victoria ... ſuam Epiſtolam nuncupatoriam ... [illegible] *Mediolani*, apud Nevum, 1625. in 4.

XIV. Epiſtola Latina ..., ſeu potius Panegyricus ... cum Salazarium Supremum ... Extat in Cod. MS. ſign. n. 60 ... Monachorum Ciſtercienſium S. Ambroſii ... doriani.

Ad eundem leguntur nonnulla Epigrammata ... mas Zacchii inter edita ... 

Videndi ſunt, Donatus Calvi in Scena ... gomenſibus pag. 26., & Picinellus ... pag. 14.

... ratem in Inſubria univerſa adeptus fuit ... nno poſtmodum MDXC. Cremonenſis Urbis ... ſecturam adminiſtraret, menſe Junio ... premo Italicarum Rerum Marianis Conſilio ... à Philippo II. Hiſpaniarum ...

... declarationes, extant Carmina Latina Jo. Antonii Sertorii Cremonenſis. Editus eſt liber *Mediol.* 1598.

Epiſtolam Latinam ad eundem ab Alexandro Rubino datam in hujus Articulo memoravimus.

Laudatur ab Henrico Farneſio de Simulacro Reipub. Lib. II. Panegyr. VII. Cap. I. pag. 85. Ariſio in Crem. Liter. Tomo II. pag. 438., & in ſerie Prætor. Cremonæ pag. 49. Paulo Morigia in Antiquit. Mediol. Lib. I. Cap. XLVIII. Jo. Petro Creſcentio in Amphith. Romano Parte I. pag. 282., & JC. Sitono noſtro humaniſs. in Syllabo Senator. Mediol. Artic. CXLII. pag. 9. ſicut & in ſuo Theatro Genealog. MS. pag. 397.

## L V I.

## SEMENTIUS JOSEPH HIERONYMUS.

JOſeph Hieronymus Sementius Cremonæ anno MDCXLV. die XI. menſis Septembris in lucem editus fuit. Ætatis ſuæ anno XIX. die XVIII. menſis Maji, cùm jam docente Joſepho Ederi Societ. Jeſu Alumno, à nobis ſuis in locis laudato, in patria Rhetoricæ vacaſſet, atque Philoſophiam cum Theologicis Quæſtionibus percepiſſet, Congregationi Clericorum Regularium de Somaſcha adſcribi voluit, ſolemnibus votis emiſſis. In Hebraicis literis addiſcendis Magiſtrum habuit Simeonem Monachum Vallis-umbroſæ, ejuſdem idiomatis in Piſano Lycæo profeſſorem; in Græcis verò Carolum Mariam Maddium tunc eaſdem in Palatino hujus Urbis Gymnaſio tradentem, per nos quoque debita laude exornatum. Ibidem etiam Petrum Paulum Caravagium Matheſeos Inſtitutorem audivit, qui non minus à nobis elogia recepit. Arithmeticam autem percepit à P. Caponago Monacho Congregationis Sancti Hieronymi. Jam aliis inſtruendis maturus ex S. C. Theologicam Cathedram Ticinenſi ...

... overo della Congregazione de' Cherici Regolari Somaſchi fondata dal Ven Girolamo Miani Nob. Veneto dal MCCCCLXXXI. fino a' noſtri dì, ove la ſua Vita, e la Cauſa della ſua Beatificazione ampiamente ſi tratta.

Calendario Emiliano, overo de' Cherici Regolari Somaſchi, ove a meſe per meſe, ed a giorno per giorno ſi regiſtra quanto di notabile ſi trova nella ſuddetta fatica.

Compagni, Imitatori, e Benefattori del Ven. Girolamo Viani.

Somaſchi Mitrati.

Somaſchi Letterati.

Nomenclatura Æmiliana, ſive Nomina, Cognomina, Patria, Elogia Cler. Reg. Somaſchenſium.

C

Chieſe, ed Oratorj de' Cherici Regol. Somaſchi.

Orfanotrofj, e Spedali.

Seminarj, e Collegj.

Accademie, e Scuole.

Topographia Æmiliana, ſive loci Cler. Regul. Somaſch., in qua de Templis, de Aris, & Reliquiis &c, ac præcipuè de cultu Jeſu Chriſti Crucem geſtantis, ut de Stemmate Congregat cum lemmate: *Onus meum leve*, ſic de cultu B. M. V, quæ de carcere Hieronymum eripuit, ac de cultu Angelorum Cuſtodum, de quibus Religio peculiaris apud Somaſchenſium.

Iconologia Biblica Ven. Hieronymi Æmiliani, ubi omnes figuræ myſticæ ponuntur, ac explicantur, ſub quibus Ven. Æmilianus in Sacra Scriptura à plurimis Scriptoribus adumbratur.

D

Pinacotheca Æmiliana, ſive Cler. Reg. Somaſc. ubi Icones Ven. Hieronymi, atque ejuſdem Alumnorum illuſtrium Pietate, Doctrina, ac Dignitate, cum Elogiis exponuntur.

Bibliotheca Æmiliana Hiſtorica, & Panegyrica, ubi omnes Auctores, qui loquuntur de Ven. Hieronymo, atque de ejuſdem Sodalitio afferuntur.

III. Stillato ſoſtanzioſo del Sommario de' quattro Libri dell' Auſtria Anicia del Padre Don Cipriano de' Conti Boſelli Superiore Montolivetano ec. della quale, in perpetuo combattimento con graviſſime difficoltà, è già ſtato impreſſo il primo Libro in Milano; e della neceſſità de gli altri da imprimerſi per l' Opera perfezionare ...

Digitized by Google

VIII. Appendix ad Athenæum Literatorum Mediolanenſium Abbatis Picinelli. Hoc Opus indicavit citatus Ariſius, penès quem ſit fides; illud enim, quamvis ſummâ diligentiâ per me quæſitum, nullibi inveni.

IX. Corollarium Sementianum Muſæo Novarienſi. Hujus Operis à ſe ſcripti meminit ipſe Auctor in Epiſtola ad Ariſium, ſcripta menſe Septembri MDCCV.

X. De Laicis Somaſchis nonnullarum virtutum ornamento claris primis B. H. Æmiliani Sociis imitatoribus. Ex eadem Epiſtola.

XI. Notæ nonnullæ ad Homiliam S. Laurentii Martyris Novarienſis. Hoc teſtantur Auctores Ephemeridum Literatorum Italiæ Tom. X. Artic. V.

XII. L'Avvento recitato nel Duomo di Milano. MS. in fol.

XIII. Panegirici III. per gli Angeli Cuſtodi recitati in S. Lucia di Cremona. MS. in fol.

XIV. Panegirico per S. Carlo recitato in Cremona nella Chieſa del medeſimo Santo. MS. in 4.

XV. Ragionamenti Morali per gli Oratorj della Quareſima. MS. in fol.

XVI. Orazione in lode dell'Auguſtiſſima Caſa d'Auſtria fatta il giorno XVII Aprile MDCLXX. Edita eſt in libro, cui titulus: „ Varie penne Rettoriche de' PP. Somaſchi „. *Milano, per Franceſco Vigone*, 1676.

XVII. Altra per S. Antonio da Padoa recitata li XVI. Giugno dello ſteſſo anno. Extat ibidem.

XVIII. Altra per S. Lodovico Bertrando, e S. Roſa di Lima in occaſione della loro Canonizzazione l'anno MDCLXXI. Ibid.

XIX. Altra nelle Eſequie del P. Giulio Mercori Cremoneſe Inquiſitore generale di Milano, li XXVII Luglio MDCLXXIII. Ibid. Extat etiam Autographa in Bibliotheca Montfortiana.

XX. L'Optica: La principal Profeſſione del Mondo eſſere il dipingere a Proſpettiva: Diſcorſo avuto nell'Accademia de' Faticoſi l'anno MDCLXXV. MS. in 4.

XXI. Tutte le Dottrine appreſe dal Sapientiſſimo per l'Uſo della Rettorica Sacra: Diſegno dell'Opera compoſta. *Milano, per Ambrogio Ramellato*, 1689. *in fol. & in* 8. Opus verò magnum ſervatur MS. in Biblioth. Suorum Montisfortis, teſte Ariſio, pluribus Voluminibus.

XXII. Suaſoria Pindarica, al Sig Mammante Lezzeno eccellentiſſimo in Medicina, e Poesìa, Oda. *Milano, nella Stampa Archiepiſcopale*, 1669. *in* 8.

XXIII. La Parafraſi delle Sacre Cantiche. Hujus Operis editionem Auctoris mors poſteris invidit.

XXIV. Il Salmo LXVII per Vienna liberata l'anno MDCLXXXIII.

XXV. Il Canto del Ringraziamento a Dio Creatore, e Redentore del Mondo per gli Avvenimenti felici dell'Armi Criſtiane nell'Ungherìa, e nella Morea l'anno MDCLXXXVII. in 4.

XXVI. La Requie eterna implorata all'anima del P. Don Giulio Ceſare Corradi Cherico Regolare Somaſco Soggetto glorioſo per gli ſuoi Studj di Rettorica, Filoſofia, e Theologia, morto nel MDCLXXXIII. a Spoleti li XIX. Novembre: Canzone Lugubre. Eandem ab Auctore ad ſe tranſmiſſam teſtatur Ariſius eodem Tomo III. pag. 211.

XXVII. Il Mondo Creato diviſo nelle VII. giornate, Poesìe Miſtiche. *Milano, per Carl'Antonio Malateſta*, 1686. *in* 4. Opus eſt elegantiſſimis formis impreſſum, & Imaginibus Æreis ſcitiſſimè ſculptis ornatum.

XXVIII. Carmina varia Italica, vulgò *Sonetti*, *Ode*, *Ottave*, *Elegie*, *Eglogbe ec.* adhuc inedita in laudem variorum illuſtrium Virorum, præcipuè Mediolanenſium, videlicet: Del P. Carlo Pietraſanta per il ſuo Panegirico in lode del B. Bernardo Tolomei Fondatore de' Monaci Olivetani. Del P. Abbate Giuſeppe Rainoldi Monaco Caſſinenſe. Del Co. Vitaliano Borromeo. Del Marcheſe Pirro Viſconti. Del Co. Ermes Stampa per le ſue Poesìe Liriche. Del P Enrico Boſſi Cler. Reg. Somaſco, per li di lui Sonetti, e Ricami. Di Carlo Maria Maggi per la ſua Opera Drammatica intitolata: *Il Trionfo d'Auguſto*. Di Agoſtino Santagoſtino.

XXIX. Carmina II unum Italicum, alterum Latinum. Extant in Libro, cui titulus „ Per le Nozze „ di Rinaldo d'Eſte Duca di Modena ec., e „ Carlotta Felicita Principeſſa d'Annover „ *In Bologna*, 1696. *in fol.*

XXX. Carmen Italicum, vulgò *Sonetto*, extat in libro cui titulus „ Per le Nozze d'Odoardo Prencipe di Parma, e Dorotea Soffia, Princi- „ peſſa di Neoburgo. „ *Parma*, 1690. *in* 4.

XXXI. Il Maggio dedicato ad Apollo: Oda Panegirica al Senatore Co. Filippo Archinto. *Milano, per il Monza*, 1676. *in* 4.

XXXII. Oda Panegirica in lode del Co. Queſtore Baldaſſarre de Roſales, Prencipe dell'Accademia de' Faticoſi. *Milano, per il Monza*, 1678. *in* 4.

XXXIII. Carmina plura Latina ſparſim edita.

XXXIV. Epigramma in laudem Evangeliſtæ Dorati pro Vita B. Hieronymi Miani ab eo conſcripta. Editum eſt in Tom. III. Cremonæ Literatæ Ariſii pag. 58.

XXXV. Epigramma in laudem Jo. Antonii Guilizzoni pro Opuſculo „ de Verbano Lacu Lazari Auguſtini Cottæ. „ *Mediolani*, 1699. *in* 4.

XXXVI. Aliud in obitum Jo. Franciſci fratris ſui. Ibid. pag. 148.

XXXVII. Epiſtolæ Latinæ eruditiſſimæ plures ad Viros doctos, quos inter Antonium Gattum, Franciſcum Ariſium, Ludovicum Antonium Muratorium, Henricum Boſſium, alioſque. MSS. in Bibliotheca Montisfortis Mediol.

XXXVIII. Deſcriptionem Carthuſiæ Ticinenſis, quam Amſtelodami forſan impreſſam tribuit Sementio Ariſius; nos inter ejus Opera non recenſemus, cùm verè ejus Auctor fuerit Matthæus Toſcanus, de quo in Appendice prætermiſſorum egimus.

Ipſum, & Opus ejus de Creatione Mundi eleganti Carmine commendavit Abbas Cannetus Camaldulenſis, dum erat in vivis, mei amiciſſimus.

Laudatur etiam à P. Thoma Ceva Soc. Jeſu in Opuſculo de Rethorica Salomonis (de quo fides ſit apud Ariſium, cùm illud nunquam viderimus, nec à Suis nobis fuerit indicatum) à Joanne Mario Creſcimbenio in IV. Libro „ della volgar Poesìa „ aliiſque pluribus, à ſupradicto Ariſio citatis in Tom. III. Cremonæ Literatæ pag. 185. & ſeqq.

## LVII.

## SICCUS NICOLAUS.

NIcolaum Siccum Barnabæ, & Magdalenæ Tangatinæ conjugum filium Brixiana Urbs ſibi Civem gratulatur. Fuit ex Condominis Calcii, in finibus Ducatus Mediolanenſis, ideo eum inter Exteros Èruditos, qui Inſubriæ Metropolim decorarunt, referimus, & quòd originem ex Bertholino de Siccis Oppidi Caravaggii, Ducatus Mediolanenſis, anno MCCCXX. incolâ traxerit, ut eruimus ex Stemmate genealogico ejuſdem Familiæ nobis ab humaniſſimo, atque doctiſſimo JC. Joanne Sitono tradito, & quòd munus ampliſſimum rerum Capitalium Præfecti in hac Urbe geſſerit, tandemque, præter Brixianam, Mediolanenſi quoque Civitate gaviſus fuerit. Multa quidem, & ut ſolet, omnia, doctiſſimè de tanto Viro ſcripſit non purpurâ ſolùm, ſed etiam eruditione Eminentiſſimus Angelus Maria Quirinus S. R. E. Bibliothecarius in ſuo præclariſſimo Opere cui titulus: „ De Brixiana Literatura „ *edito Brixiæ, apud Joannem Mariam Rizzardi*, 1739. *in* 4. pagg. 209 & ſequentibus. Nos autem pro inſtituti noſtri ratione quædam de Sicco dabimus è variis Auctorum teſtimoniis deprompta; addito etiam de more Operum ipſius Indiculo. Ad omnem eruditionem aptiſſimum à natura ingenium nactus, nullum prætermiſiſſe viſus eſt ſtudiorum genus, quod diligentiſſimè non coluerit. Oratoriam enim, Poëſim Italicam, & Latinam, præcipua Europæ, & Aſiæ idiomata, atque utriuſque Juris prudentiam ad animi ſui culturam derivavit. Militari etiam laude claruit, nam & Vercellas Urbem munitiſſimam è Gallorum manibus recuperavit, & Caſali Montisferrati Metropoli obſeſſæ tulit ſuppetias. At belli pertæſus in Oppidum Montisclari Agri Bri-

xiani

Digitized by Google

XXVIII. Deſcriptionem Carthuſiæ Ticinenſis ...
Jodanus forſan impreſſam tribuit ...
ſuus; nos inter ejus Opera non ...
cùm verè ejus Auctor fuerit ...
nus, de quo in Appendice ...
egimus.

Ipſum, & Opus ejus de Creatione ...
ganti Carmine commendavit Abbas ...
tus Camaldulenſis, dum erat in ...
amiciſſimus.

Laudatur etiam à P. Thoma Ceri Soc. ...
Opuſculo de Rethorica Salomonis (...
ſides fit apud Ariſium, cùm illud ...
viderimus, nec à Suis nobis ...
tum) à Joanne Mario Creſcimbeni ...
Libro „ della volgar Poeſia, ...
bus, à ſupradicto Ariſio citatis in ...
Cremonæ Literatæ pag. 185. & ſeq.

## LVII.

## SICCUS NICOLAUS.

Nicolaum Siccum Barnabe, & Magdalenæ ... gatinæ conjugum filium Brixiana Urbs ... Civem gratulatur. Fuit ex Condominis Calci ... ... Ducatus Mediolanenſis, ideo eum inter ... ... tos, qui Inſubriæ Metropolim decorarunt ... ..., & quòd originem ex Bertholino de ... ... Caravaggii, Ducatus Mediolanenſis, ... ... CCXX. incolæ traxerit, ut eruimus ex ... ... genealogico ejuſdem Familiæ nobis ab ... ..., atque doctiſſimo JC. Joanne Sitono ... ... munus ampliſſimum rerum Capitalium ... in hac Urbe geſſerit, tandemque, ... ... Mediolanenſi quoque Civitate ... ... . Multa quidem, & ut ſolet, omnia, ... ... folijs, ...

plura ſcripſit Latina Carmina, eo præſertim tempore, quo literarii cupiditate otii illectus, publicis negotiis valedicens, iterum Montemclarum ſe recepit, ubi ad Clyſim amnem ſibi magnificas Ædes ſtruxerat. Sed inde Romam Pontifice vocante contendit, qua in Urbe tanti habitus eſt, ut niſi mors interceſſiſſet, ſacrâ purpurâ decorandus crederetur. Ibi obiit, quo anno incertum; nullus enim Scriptorum, quos vidimus, hunc indicavit. Epitaphii loco ſubjicimus Carmen Italicum Petri Antonii Soncini Brixiani, quod legi inter Academicorum Occultorum verſus, teſtis eſt Octavius Rubeus loco citando.

C

*Quì giace il Secco, che fu in Breſcia un Sole,*
*Che a tutto il Mondo i raggi ſuoi diſteſe,*
*Caro de l'Auſtria viſſe a la gran prole,*
*E Solimano in lui ſuoi doni inteſe:*
*Del ſuo felice ingegno l'aurea mole*
*Tutta d'Eternità bella s'acceſe:*
*Roma il rapì, mentre con gli Oſtri ſuoi*
*Tentò d'accreſcer la ſua gloria in noi.*

Opera ejus hiſce prænotantur titulis:

D

I. De origine Pilæ majoris, & cinguli Militaris, quo flumina ſuperantur, Nicolai Sicci Mediolani Juſtitiæ Præfecti Carmen. Ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Epiſcopum Atrebatenſem ſummum Conſiliarium Cæſareæ Majeſtatis. *Venetiis*, 1551., *& Mediolani, ex Typographia Moſcheniana*, 1555. *in* 4.

II. Gl' Inganni: Commedia recitata in Milano l'anno MDXLVII dinanzi alla Maeſtà del Re Filippo. *Fiorenza, appreſſo i Giunti*, 1562. *in* 8. *Venezia, per Franceſco Rampazetto*, 1565. *e per Domenico Cavalcalupo*, 1565. *in* 8. & iterum *Firenze, per il Giunti*, 1595. e 1615. *in* 8. *Venezia, per Lucio S...*

*Per ſcopulos regum per magna palatia jactet.*

Conſtat verſibus 106. Extant ambo in Cod. MS. Biblioth. Ambr. ſignat. D. num. 479. in fol.

IX. De Formica: Epigramma. Hoc, teſte Magliabecchio in Epiſtola ad Emericum Bigot, olim attributum fuit celeberrimo Joanni Caſæ, cùm tamen Sicci opus ſit. Vide etiam Tom. I. pag. 51. Operum ejuſdem Caſæ.

M. Antonii Majoraggii Epiſtola ad Joannem Cardinalem Moronum, in qua narrat quomodo Nicolaus Siccus Juſtitiæ Præfectus amiſſas Vercellas recuperavit. *Mediolani, apud Moſchenum*, 1553.

„ Eſt Nicolaus Siccus, Juſtitiæ Præfectus, Vir pruden-
„ tiſſimus, qui propter ejus ſummum ingenium,
„ ac in quibuſcumque graviſſimis negotiis pertra-
„ ctandis miram ſapientiam maximas laudes me-
„ retur. Ita Marcus Litta de Urbe Mediol. fol. 25.

In libro, cui titulus: „ Carm. Illuſtr. Poët. Italor. Tom. III. pag. 377. Extat Antonii Cerruti Novarienſis longum Carmen ad Nicolaum Siccum in natali Divi Martini.

In Tomo autem XI. pag. 218. habetur Carmen Franciſci Vinthæ Volaterrani ad Nicolaum Siccum.

In libro, cui titulus: „ Lettura di Girolamo Ru-
„ ſcelli, ſopra un Sonetto dell' Illuſtriſſimo Signor
„ Marcheſe della Terza alla Divina Signora Mar-
„ cheſa del Vaſto. „ *In Venezia, per Gio. Griffio l'anno* 1552. *in* 4. ſic legitur „ Baſta reſtringerſi
„ nel molto Illuſtre, dottiſſimo in ogni ſcienza,
„ e non men felice, che colto, e leggiadro Scrit-
„ tore in proſa, ed in verſo delle tre Lingue
„ principali il Signore Niccolò Secco, nel quale
„ il valore, e le doti del corpo, pare che di con-
„ tinuo facciano onoratiſſima concorrenza con
„ quelle dell'animo, e della fortuna. „

De ipſo cum laude agunt Hieronymus Boſſius in Hiſtoria genealogica Familiæ Siccæ. *Mediol.* 1708. pagg. 87. & ſeq. Fontaninius in lib. „ dell' Elo-
„ quenza Italiana „ edit. III. pag. 443. Laſor à Varrea; Ghilinus in Theatro Eruditorum; Cozzandi in Biblioth. Brixiana; Clariſs. P. Quadrius in Tomo V. „ Della Storia, e Ragione d'ogni
„ Poeſia, „ & Sitonus noſter in Schedis, cum aliis pluribus.

Digitized by Google

L VIII.

originem. Id apertiſſimis verbis Bonifacius ipſe teſtatur in Epiſtola VII. libri I. de Perſecutionibus Chriſtianorum, de quo Opere infra dicemus; ait enim: „ Ab Apulia, quæ mihi patria, & opibus „ paternis Venetias trajiciens, infans à piratica tri„ remi interceptus ſum. „ Pergit deinde „ Poten„ tatu Antonii Patrui, qui militiam ſolverat, & „ Anconæ magiſtratum gerebat, evaſi. „ Mediolanum ergo cùm adveniſſet, in primævo ætatis flore Ciſtercienſium Inſtitutum amplecti ſtatuit, cùm priùs literas, eloquentiam, ceteraſque præclaras artes ad ſuam derivaſſet eruditionem, jamque Lauream Theologicam eſſet promeritus. Monachus factus ſacris totum ſe dedit ſtudiis, tantumque apud Suos exiſtimationis adeptus eſt, ut juvenili adhuc ætate aſſumeretur ad dignitatem Abbatis in Monaſterio Sancti Stephani de Cornu Diœceſis Laudenſis, non Placentinæ, uti perperam Picinellus, & alii. Id munus adhuc gerebat anno MCCCCXCII. quo Collectarium Ciſtercienſe pro Cœnobii ſui Choro conſcribendum curavit, de quo Codice haud multo poſt diſſeremus. Quantùm Monaſterio ſuo contulerit, ſatis demonſtrat Epiſtola III. libri III. Operis ſupra laudati ad Innocentium VIII., ubi narratis domeſticis infortuniis, & Cœnobii ſui ruinâ alluvione Padi fluminis ferme deleti, quodque paternis opibus reſtituere aggreſſus erat, Pontificem rogat, ut penſionem aureorum CC. à Sixto IV. impoſitam ſibi indulgeat. Quo etiam ſenſu concepta eſt Epiſtola V. ejuſdem libri ad Sacrum Cardinalium Collegium. Nihil verò præter verba cùm ab Urbe reportaſſet, ſemetipſum conſolatur in Epiſtola VII. citati libri; uberiùs tamen oſtendit ipſius in Monaſterium ſuum beneficentiam Epiſtola ejus XV. libri V., in qua Hiacynthum Fratrem Equitum Magiſtrum alloquitur: „ Si hi, qui ſex luſtris exactis „ Abbatiam meam coluerunt, nunc reviviſcerent, „ omnia immutata, & quæque ante tetra, me au„ ctore, nunc effulgere ſtuperent. Quilibet, quo„ modo Padus amnis Cœnobium, rus, vineas, con„ ſita abſorbuerit. aſpiciens, cum nullâ antiquitas „ extet, & ante tuguria in regias converſa ſint, „ ac ubi deinceps tot moles, quas ego condidi, & „ prata, vineas, arbores per me infoſſas videret, „ in quo nutritus ſit, juraret, non eſſe locum, ac „ ut illuſus tantâ amœnitate ſtuperet. „ Viris in Italiâ præſtantiſſimis Laurentio Mediceo, Joanni Bentivolo, Jaſoni Mayno, Joanni Comiti Mirandulæ, Alphonſo Calabriæ Duci, aliiſque, ut ex Epiſtolis ad eos ſcriptis apparet, fuit acceptiſſimus, quemadmodum & Ludovicus Maria, cognomento Maurus, Mediolani Dux, ipſi aliquando favit, cujus rei teſtis eſt Auctor in Epiſtola I. lib. VI. Eruditione quantâ floruerit, atque omnigenæ doctrinæ ornamentis excultus fuerit, facilè cognoſcet Lector ex his, quæ in Operum Elenco recitabimus. Patruos habuit Cichum, & Joannem Ducales Secretarios, mox commendandos; Fratres verò plures, inter quos jam laudavimus Jacobum Philippum Senatorem. Ejus obitus annum vetuſtas obliteravit; apud poſteros verò æternùm vivet ob eruditiſſimum librum, cui titulus:

I. De Chriſtianæ Fidei, & Romanorum Pontificum „ perſecutionibus; in fine: „ Hoc Opus impreſſum „ fuit in inclyta Civitate Mediolani per ſolertiſſi„ mum artis impreſſoriæ *Magiſtrum Antonium Zaro„ tum Parmenſem, anno Salutis Chriſtianæ* 1492. *in „ menſe Januarii*, ſub Illuſtriſſimo Joanne Galeacio „ Sfortia Vicecomite, Duce Mediolani, ſexto fœli„ ciſſimo, Ludovicoque patruo Gubernatore mode„ ratiſſimo, in fol. Prodiit etiam *Baſileæ, curante Hieronymo Emſero per Nicolaum Keſler pariter in fol.* anno 1509. *menſe Decembri*; verſum eſt & Gallicè ab Octaviano de S. Gelais, Epiſcopo Engoliſmenſi, editumque *Pariſiis*.

In hoc Volumine habentur ſequentia:

Oratio Theologica ad Deum.

Epiſtola Dedicatoria ad Carolum VIII. Francorum Regem, ubi plura de Gallorum moribus, deque officio boni Principis diſputantur.

Aliæ Epiſtolæ duæ Dedicatoriæ, in quibus multa ex Philoſophiæ penetralibus de Antiquorum portentis, & miraculis depromit.

Orationes tres, in quibus comparantur tres principales Religionis ſpecies, quarum prima habet Chriſti Vitam, & Fidei noſtræ præſtantiam; ſecunda, Moyſis Inſtituta, & Mirabilia; tertia, Mahometi Vitam, & Legis ejus deliramenta.

Vita, & mores omnium Romanorum Pontificum à Sancto Petro ad Innocentium VIII., & quo in ſtatu ſub quolibet Reſpublica Chriſtiana fluctuaverit.

Epiſtolæ CCLXXIX. quarum ſtructuram jam retulit citatus Clariſs. Saxius in ſua Hiſtoria Typographico-literaria Mediolanenſi loco jam indicato.

In fine Operis legitur Poëma Joannis Biffii in laudem Auctoris, & Operis, ex quo pauca Carmina excerpere mihi liceat:

*Pontificum, quibus eſt Romanæ cura Salutis,*
*Vita nitet: vitio vitii mala crimina dantur.*
*Virtutiſque decus ſummo celebratur bonore.*
*Quæ tenet inſignes laudatur epiſtola ſenſus:*
*Quæ tibi conſurgit Romani plena leporis:*
*Et varios aperit claro ſermone receſſus:*
*Sive ſit aſtrigeri per quadrans mentio cœli,*
*Sive ſit ad medicos faciens ſententia, libris*
*Eſt complexa tuis magno moderamine rerum.*
*Hinc nitet biſtoriæ non uno limite nodus:*
*Propoſitoque ſedet quicquid tua pagina nobis*
*Porrigit: & miro pariter teſtatur amore.*
*Coſmograpbuſque frequens fido pro teſte citatur*
*Sæpe tibi: ſubeunt civiles ordine leges.*
*Denique quicquid babent Scriptores protinus omnes*
*Emicat bic, clarumque refert ſuper æthera nomen*, &c.

Ceterùm in fronte librorum memorati Operis adſunt Breviaria Stephani Dulcinii Canonici Scalenſis ſuper ſingulis cùm Epiſtolis, tum aliis Capitulis; eidemque Dulcinio debemus editionem noſtri Auctoris. Inſuper Dulcinius in Dedicatoria, quam ipſe obtulit Joanni Baptiſtæ Ferro, laudibus extollit nobilitatem, & geſta Familiæ Simonettæ, ac præcipuè commendat celeberrimum Joannem Simonettam Patruum Bonifacii noſtri, de quo ſuo loco dicemus.

II. Aliud quoque Volumen edidit, quod mihi videre non contigit, ſicut ipſe fatetur lib VI. cap. XXXVI. ſupradicti Operis de Perſecutione Chriſtianorum, ubi loquens de Innocentio VIII. Summo Pontifice ſcribit: „ Ego Bonifacius in Volumine „ noviſſimè edito quindecim verſiculis, miro com„ pendio, laudes hujus Pontificis digeſſi „

III. Opus de Pace ſervanda. Incipit: „ Bonifacius Si„ moneta Abbas Venetis, & Nationibus ſalutem. Illud nuncupavit Petro Craſſo Aurato Interpreti, quem plurimùm laudat in Epiſtola, quæ, præter morem, non præfixa eſt Operi, ſed in fine legitur. Poſt ipſam verò hæc habentur: „ Divinum Opus „ de Pace ſervanda Reverendi Bonifacii Simone„ tæ Abbatis, Doctoris præſtantiſſimi, Artium „ profeſſoris, Aſtronomique, ad Venetos, & Na„ tiones, ego Antonius Carcanus Papiæ ſub divo „ Joanne Galiaz principe impreſſi in fol. „

IV. Epiſtola ad Ardicinum Portam Alerienſem Epiſcopum, ſine data. In ea Auctor invidorum calumnias retundens, enumerat quæ contulerit Monaſterio Sancti Stephani de Cornu; multa etiam è veterum hiſtoriis eruditionis gratiâ congerit.

Epiſtolæ IV. mutuæ Vexoris Ægyptiorum, & Tanais Scytharum Regum. De his hæc Auctor ſcribit in Epiſtola, de qua mox dicemus: „ Superiores „ altercationes inter Annales nullo modo conſcri„ ptas, ſed per ſomnia à me declamatore com„ pertas non ignores. „

Alia ad Lazarum Merulam Novarienſem, qua Epiſtolas eaſdem mittit ſine data. Omnia uno Vol. In fine ſic: „ Divinum hoc Opus Reverendi Do„ mini Bonifacii Simonetæ Abbatis impreſſum eſt „ Papiæ ſub invictiſſimo Mediolani Joanne Galeaz „ ſexto Duce, per Magiſtrum Antonium de Car„ cano fœliciter; ad Omnipotentis laudem. „ Amen, in fol.

V. Scripſit Vitam Alexandri VI., ut eruitur ex libro, cui titulus: „ Sommario, overo Età del Mondo „ Cronologiche ec. fatto da Girolamo Bardi Fio„ ren-

Digitized by Google

„ ... haud primo, & præcipuo Pa-
„ tri meo obſervandiſſimo, & Reverendiſſimo Do-
„ mino Bonifacio Simonetæ celavi, Abbati S. Ste-
„ phani, Ordinis Ciſtercii, Decretorum eximio
„ Doctori, atque Artium profeſſori, necnon omni
„ genere dicendi ornatiſſimo, Medicinæque nec
„ ignaro, ac inſigni Aſtronomo, ſub cujus cul-
„ mine doctrinæ humilis Doctor ſedeo; immo &
„ pro munere cum Tractatu Artis Magicæ, quem
„ alio tempore ſtampandum reſervo, tradidi me-
„ ritò, ut ex eo quàm frugis ſit, animadvertat
„ omnium ſcientiarum interpres magnificus, &
„ monarcha. „

Plures cum laude meminerunt noſtri Auctoris, inter quos Angelus Manrique Tom. IV. Annal. Ciſterc. ad annum MCCXXXI. cap. VII. num. VI. Antonius Poſſevinus in Appar. Sac. Robertus Ruſca in Comp. Vir. Illuſtr. Ciſterc., Conradus Geſnerus in Biblioth. Univerſ. Marianus Armellinus Biblioth. Benedict. Caſſin. in Append. pag. 15., Aubertus Miræus de Script. Sec. XVI., Caſimirus Oudinus de Script. Eccleſ. Tom. III. pag. 2688., Voſſius de Script. Latinis lib. III., Cornelius à Beughem Incunabula Typographiæ pag. 127. Moreri in Lexico, Fabricius Bibl. Med. Ævi Tom. I. & Picinellus in Athenæo pag. 65. uti etiam P. Mazzucchellus in Schedis.

## LIX.

## SIMONETTA CICCHUS.

Cicchus, ſive Franciſcus Simonetta Antonii filius, in Calabria natus, qua de cauſa ſæpe ſe ſubſcribere ſolebat Cicchus Calaber, è natali ſolo in hanc Metropolim commigravit, ſecutus Franciſcum Sfortiam anno MCCCCL. (ut in Alexandro Simonetta diximus) unà cum fratribus ſuis Andrea, qui poſtmodum Caſtri Modoëtiæ Præfectus fuit, atque Joanne Hiſtorico celeberrimo, de quo brevî agemus. Fuerat jam Cicchus Præſes Cameræ Summa-...

... Scribarum principem, Thomam Bononienſem, & Antonium Guidobonum Derthonenſem Patricium, quemadmodum in Bernardini Articulo memoravimus. Simultate interim exortâ inter præfatum Gaſparem de Vicomercato, & Cicchum, anno MCCCCLXIV. nihil non egit Gaſpar, ut Simonettam à Franciſci Ducis gratia deturbaret, quod cùm aſſequi nullâ ratione potuiſſet, ab incœpto deſiſtere coactus eſt. Poſt obitum verò ejuſdem Principis rerum potitus eſt Galeacius Maria filius, apud quem Cicchus plurimùm valuit, eique etiam fuit à Secretis tam acceptus, ut Friderico Urbinati vitam impetraverit, cùm ipſum Dux capite plectere decreviſſet. Anno quoque C MCCCCLXXIII. graviter ægrotans Galeacius, mortem metuens ſupremas condidit Tabulas, in quibus Cicchum filiorum ſuorum Tutorem conſtituit, ratus tanti Viri prudentiam eis non modicum profuturam, quemadmodum eum die III. Novembris, anno MCCCCLXXI. altero Teſtamento Erogatarium decreverat. Poſt triennium Dux idem per Sicarios è medio tollitur, & in Officio Ducalis primarii Scribæ confirmatus eſt Cicchus, cùmque duo Senatus conſtituti fuiſſent, quorum prioris munus eſſet civilia tractare negotia, alterius verò, quæ ad Principatum pertinent definire, Scriptor noſter utrique Ordini ſic præfuit, ut ejus arbitrio fierent univerſa. Regreſſus interim fuerat è Galliis cum D fratribus ſuis Aſcanio, atque Octaviano, Ludovicus Sfortia extincti nuper Galeacii Mariæ frater, qui cùm Ditionem occupare ſtatuiſſet, inito cum Roberto Sanſeverinate conſilio, adversùs Cicchum conſpiravit, ea de cauſa, quòd ipſe ſimul cum Duciſſa Bona defuncti Ducis vidua, ejuſque fautoribus conatus eorum eluderet. Agente poſtmodum Ludovico Gonzaga Mantuæ Marchione, inter Bonam, ac Fratres ipſos compoſitæ ſunt controverſiæ. Multas etiam Ciccho ſtruxerunt inſidias præfatus Sanſeverinus, & Donatus de Comite, quas ille prudenter declinare ſtuduit. In exilium paulò poſt pulſi ſunt fratres Sfortiæ, ſed Ludovicus ...

Digitized by Google

A Ludovicus , Derthonâ occupatâ , Ducisſâ Bonâ conſentiente , Mediolanum pervênit . Ea res Cicchum , ejuſque Collegas adeò conſternavit , ut Bonam alloquens ille , hæc verba pronunciaſſe feratur: „ Ego caput, tu verò brevî Principatum amittes . „ Sollicitabant adversùs Simonettam Ludovici animum nonnulli hujus Urbis Proceres , quos inter Joannes Borromæus , Petrus Puſterla , ac ſæpè memoratus Sanſeverinus , exilii memoriam identidem refricantes , ut injuriæ commemoratione excandeſcens, eum ab omni adminiſtratione depoſitum , in carcerem conjicere non differet. Totus inter hæc Cicchus erat, ut gratiam Ludovici aucuparetur , hominis tamen curas fefellit Petrus Puſterla , qui , communicato cum aliis Simonettæ hoſtibus conſilio , Ludovicum
B monuit , nulla ratione turbas in hac Metropoli excitatas ſedari poſſe , niſi Cicchus ergaſtulo mulctaretur . His permotus ille, ad ſe accerſitum cum Joanne Fratre , & aliquot Familiaribus detineri jubet, direptis interim omnibus domeſticis bonis tam in Cubiculis , ubi Cicchus habitabat in Caſtro , quàm in ædibus ſuis intra fines Parochiæ Sancti Marcellini hujus Urbis ſitis , quarum , dum veterem Inſcriptionem ibi repertam refert , ſit mentio in libro , cui titulus : „ Inſcriptiones Sacroſanctæ „ Vetuſtatis à Petro Appiano Ingolſtadienſi, & Bar„ tholomæo Amantio Poëta collectæ edito *Ingolſta„ dii* , *anno* 1534. „ Tum Cicchus Ticinum deducitur , & in Caſtro ejuſdem Urbis tanquam in libera cuſtodia detinetur. Plures hujus Viri calamitas com-
C movit ; in primis verò Ducem Auſtriæ , qui Legatos Mediolanum miſit , ut ei libertatem priſtinam impetrarent , qui cùm re infecta rediiſſent , Gaudentius Cicchi gener , cum Germanis aliquot Militibus Duci Ludovico bellum inferre non dubitavit. At paulò poſt , die ſcilicet XXX. menſis Octobris, anno MCCCCLXXX. cùm prius non ignarus imminentis ſibi mortis Vir præſtantiſſimus plura pietatis ſuæ erga Deum , ac ſacra loca in ſupremis Tabulis argumenta reliquiſſet , & quas ſolebat , horarias preces Virgini Matri perſolviſſet, infracto prorſus animo, ad ſupplicii locum perrexit . Fuit is exterius propugnaculum præfati Caſtri Ticinenſis, ibique toto ſpectante populo, cervicem amputandam ſeptuagenarius, & pedibus æger lictori præbuit, bonis omnibus fatum ejus dolentibus . Vitam redimere poterat , ſi petenti Ludovico quinquaginta aureorum millia à ſe Florentiæ poſſeſſa ipſi ceſſiſſet ; verùm turpe ſibi ducens precarium ſpiritum prorogare , reſpondit ( ut refert Anonymus in Diario Parmenſi ab anno MCCCCLXXVII. ad MCCCCLXXXII. edito in Tomo XXII. Scriptorum Rerum Italicar. pag. 245. ) „ Ego indebitè carceratus , ſaccomanatus , & vituperatus fui immeritò , cùm ſemper „ laborioſus , & vigilans fuerim ad regimen fidele „ Status Mediolani . Hæc ſunt munera , & remunerationes mei ? Si enim in aliquid deliravi , me „ puniant . Denarios verò meos , quos tanto cum „ labore lucratus ſum , volo ſint filiorum meorum. „ Deo multum debeo ob tantam Vitæ meæ diuturnitatem . Mortem non timeo ; nil magis opto , „ quàm hac vita privari . „ Vix capite obtruncatus eſt Cicchus , cum Tabellàrius Mediolano applicuit , Principis gratiam deferens , ſed fruſtra . Cadaver illius conditum eſt in Clauſtro Templi Sancti Apollinaris extra Muros Papiæ , nunc diruti ob extructionem novorum propugnaculorum , ejuſque titulus translatus eſt ad PP. Domenicanos , cujus Eccleſia vocatur hodie SS. Thomæ , & Apollinaris . Interea Sepulchro impoſitæ ſunt geminæ Inſcriptiones , quas Corius refert , nempe :

PRINCIPIS INSVBRVM FIDVS QVIA SCEPTRA TVEBAR
ACEPHALON TVMVLO GENS INIMICA DEDIT.
ME CECVM DICVNT VIDI QVI MVLTA SVPERSTES
CREDE MICHI SINE ME PATRIA CECA MANES.

DVM FIDVS SERVARE VOLO PATRIAMQVE DVCEMQVE
MVLTORVM INSIDIIS PRODITVS INTERII.
ILLE SED IMMENSA CELEBRARI LAVDE MERETVR
QVI MAVVLT VITA QVAM CARVISSE FIDE.

D Protome Cicchi è pario marmore affabre ſculpta , cernitur adhuc in fronte Templi Maximi in Urbe Novocomenſi , ad lævam intrantium , ſubjectis hiſce literis :

## CICHVS SIMONETA.

Vir fuit eximiæ eruditionis , exoticaſque linguas Græcam , Hebraicam , Hiſpanicam , Germanicam, & Gallicam optimè callebat , ut , inter alios , nos monet Moriggia loco infra citando . Quod autem ad Græci ſermonis ſcientiam ſpectat, teſtes etiam habemus Petrum Candidum Decembrium, qui cum Epi-
E ſtolis adhuc ineditis num. CXIII. & CXXI. Diodori Siculi Librum ſextumdecimum , & Ariſtotelis partem è Græco ab ipſo translatam ad Cicchum mittit , ut de illis pro ſua in Græco Idiomate peritia ſententiam ferat, uti etiam Franciſcum Philelphum, qui in una ex Epiſtolis infra memorandis , data Mediolani V. Kal. Martii, anno MCCCCLXI. agens de literaria lite inter ſe, & Candidum Decembrium vertente pro Epitaphio Luciæ Sfortiæ ab eodem Decembrio elaborato, integros Homeri verſus Græcè ad Cicchum noſtrum ſcribit , quibus ſententiam ſuam confirmat; ſupervacaneum enim fuiſſet ad ejus linguæ ignarum hominem Græca ſcribere Carmina.

Superſunt ejus Opera , quæ hìc indicamus , ſcilicet :

I. Conſtitutiones, & Ordines Cancellariæ Secretioris Illuſtriſſimi Principis , & Excellentiſſimi D. D. Franciſci Sfortiæ Vicecomitis Ducis Mediolani, &c. factæ per Magnificum Dominum Cicchum Simonettam de Calabria , Ducalem Secretarium &c. ſub die Veneris octavo Novembris , anno MCCCCLXV. Indictione quartadecima &c. Hæc MSS. authentica in fol. extant penès Clar. Advocatum Sitonum .

II. Decreta quamplurima Franciſci I., Galeacii Mariæ, & Joannis Galeacii Mediolani Ducum ; inter antiqua Ducalia Decreta edita *Mediol.* 1654. *in fol.*

III. Collectio Chartarum Ducalium ad externa Negotia pertinentium , in cujus fronte eruditiſſimam Præfationem ſcripſit ad Illuſtriſſimum , & Excellentiſſimum Principem , & D. D. Galeaz Mariam Sfor-

Digitized by Google

„ ſermones mei ? Si enim in aliquid delin-
„ punctum . Denarios verò meos, quos tu-
„ labore lucratus ſum , volo ſint ſibi ...
„ Deo multum debeo ob tantam Vitæ ...
„ ... . Mortem non timeo ; ſed aug-
„ quam hac vita privari . „ Vix captiv-
tus eſt Cicchus , cum Tabellarius Medio-
... , Principis gratiam deferens , ſed ſe-
Cadaver illius conditum eſt in Claustro Tem-
pli Apollinaris extra Muros Papiæ , ...
extructionem novorum propugnaculorum, ...
... translatus eſt ad PP. Dominican-
Eccleſia vocatur hodie SS. Thomæ , & ...
... Interea Sepulchro impoſitæ ſunt ...
... , quas Corius refert , nempe :

QVIA SCEPTRA TVEBAR

...S INIMICA DEDIT.

...I MVLTA SVPERSTES

...ATRIA CECA MANES.

PATRIAMQVE DVCEMQVE

...DITVS INTERII.

...ARI LAVDE MERETVR

... CARVISSE FIDE.

... vertente pro Epitaphio Luciæ Sfortiæ ...
Decembrio elaborato, integros Homeri verſus
... ad Cicchum noſtrum ſcribit , quibus ...

... minit literarum Cicchi ad ſe miſſarum ; laudatur etiam Cicchus noſter ab eodem Philelpho in Epithalamio ab ipſo confecto in Nuptiis Nobilium Conjugum Joannis Antonii Simonettæ , & Margaritæ Cottæ , Petri filiæ , ut ſuo loco innuimus, quodque extat in ſupradicta editione *Veneta* Operum ejuſdem .

Præter jam indicatas , plures aliæ Epiſtolæ extant ejuſdem Decembrii ad Cicchum , nempe , una data III. Aprilis MCCCCLXII., in qua ei mittit ſuum librum de Geſtis Ducis Philippi Mariæ Vicecomitis, ab origine ad pacem cum Venetis, ut ipſum Duci offerat , & ab eo approbationem impetret ; altera XII. Octobris ejuſdem anni , in qua ipſum Opus vernaculam in linguam translatum ad Cicchum mittit, ut judicium ſuum de ea re ſcribat ; quatuor aliæ ad eundem contra Philelphum, anno MCCCCLXI., & MCCCCLXIII., & poſtremò altera eruditiſſima pag 6., in qua differit, utrum Dux Mediolani ſit appellandus Dux Inſubrum , vel Ligurum . Omnes extant in Cod. MS. Epiſtolarum Decembrii in Bibliotheca Ambroſiana ſignat. I. num. 235. in fol.

C

Mecœnas extitit plurium Doctorum Virorum , qui certatim Ciccho labores ſuos offerre geſtiebant , ex quibus hos , qui ad manus noſtras pervenere , indicabimus , nempe

Bonus Accurſius Piſanus ei inſcripſit plura Opera , ad quorum frontem ante Epiſtolas Nuncupatorias, ſic legitur „ Bonus Accurſius Piſanus ſalutem dicit „ plurimam Magnifico Equiti aurato, & Sapien„ tiſſimo , ac primo Ducali Secretario Ciccho Si„ monetæ . „ Hæc ſunt : Laurentii Vallæ, Elegantiarum adeps , in 4., Auguſtini Dati Senenſis Iſagogicus Liber in Eloquentiæ præcepta, ad Andream Chriſtophorum filium , in 4. ; Ovidii Metamorphoſes , in fol., Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, in fol. Omnes *Mediolani* impreſſi *per Philippum de Lavania Mediolanenſem*, *anno* 1475., item Valerius Maximus eodem anno typis datus *per Antonium Zarotum Parmenſem* . Ovidii verò Opus ſupramemoratum cùm recuderetur *Vicentiæ*, *anno* 1480. *per Hermannum Levilapide* ipſi Ciccho denuo inſcriptum prodiit, cum eadem Epiſtola Boni Accurſii Piſani .

D

Antonius Cornazanus Placentinus Conſiliarius Ducum Mediolani Ciccho noſtro dicavit Opus, ſic incipiens : „ Antonii Cornazani Placentini novi „ Poëtæ facetiſſimi , quod de Proverbiorum ori„ gine inſcribitur , Opus nunquam aliàs impreſ-

*Quique mei tutor ſis ſine labe Ducis :*
*Cicche potens rerum : rerum quo cardine poſtes*
*Claudere nunc aditum , nunc aperire ſolent :*
*Tu potes optatæ Mundo commercia pacis*
*Reddere , Tu valida cogere bella manu .*
*Mars tamen Italiæ vacat : Erigoneaque cœlo*
*Saturno rurſus cum ſene lapſa redit .*
*Eſt aliquid quod te legiſſe per otia malim ,*
*Sanctorum Vitas maxima geſta Virum .*
*Invenies aliquid , quod & inveniſſe juvabit .*
*Nil Ciccho fateor dignius eſſe meo .*
*Nil petimus quàm quòd noſtro ſis blandus amori :*
*Et Mecœnatem me coluiſſe feras .*

Alio quoque Epigrammate Boninus Cicchum afficitur in Tomo II. ad finem ante Vitam Sanctæ Monicæ , uti etiam in Opere ſuo Poëtico MS. de Nuptiis Triſtani Vicecomitis cum Beatrice Eſtenſi , extante in Biblioth. Ambroſ. Cod. ſign. C. num. 42. in 4. plura cecinit de Ciccho noſtro , atque de Angelo ejus patruo .

Præter ſupradicta Carmina , aliorum quoque habentur Epigrammata in laudem Cicchi , nempe plura Platini Plati inter Carmina Illuſtrium Poëtarum Italorum Tomo VII. pagg. 262., & 275., & inter ejuſdem impreſſa unum de morte Cicchi , de qua etiam Jacobus Valerius in Collectaneis ſuis MSS. hoc Diſtichon in Ludovicum Sfortiam incluſum Turri Locenſi in Galliis cecinit ; quo jubente Scriptor noſter obtruncatus eſt .

*Amiſſo Regno , tetroque in Carcere vinctus*
*Das Ciccho juſtas Dux ſcelerate vices .*

Innumeri ſunt , qui tantum collaudarunt Virum , è quibus ſequentes ſeligimus ; videlicet : Ludovicus Domenichi in hiſtoriis lib. X., Gabriel Barrius de Antiquit. Calabriæ libro IV. col. 154. in Theſauro Antiqu. Italiæ Tom. IX. parte V., Benedictus Jovius in hiſt. Novocom. lib. I., Pandulphus Collenucius , & Mambrinus Roſeus in Epitome hiſtor. Regni Neapol. parte I. pag. 180., Maraſiotus in Chronicis Calabriæ pag. 204., Corius in Annali-

Digitized by Google

## LX.

## SIMONETTA JOANNES.

PLura jam de Joanne Simonetta è Monumentis diligentiſſimè collectis ab humaniſſimo Comite Antonio ipſius Scriptoris deſcendente, in Hiſtoria Typographico-literaria Mediolanenſi Lectoribus optimis obtulit eruditiſſimus Saxius Col. CCIII. & ſequenti. Nos inſtituto inhærentes, alia ad eundem pertinentia recenſebimus. Joannes igitur Simonetta Antonii filius, in Calabria natus, frater autem Cicchi, de quo ſupra egimus, & Andreæ Præfecti Caſtri Modoëtiæ, curante Angelo patruo, in nobile famulitium Franciſci Sfortiæ, cui fuit ab Epiſtolis, anno MCCCCXLIV. adſcitus eſt. Cum eodem Franciſco in Inſubriam venit (ut in Alexandri Simonettæ Articulo primæ Eruditorum Mediolanenſium Nomenclaturæ inſerto recitavimus) comitantibus Patruo, atque Fratribus; & ſtatim ac Ditione Mediolanenſi potitus eſt Sfortia anno MCCCCL. plura percepit Joannes beneficia, multiſque honoribus, & dignitatibus augeri promeruit. Margaritam Mirabiliam Matronam clariſſimam ſibi connubio junxit, qua defunctâ, dum ſolemnes exequiæ peragerentur, oravit Joachimus Caſtillionæus, Ordinis Prædicatorum, cujus ſermo funebris legitur in MS. Codice Bibliothecæ Ambroſianæ ſignato E. num. 124. in 4., de quo in Joachimo ipſo jam diximus, unde excerpere placuit, quæ de Joanne noſtro recitavit: „ Omittam nobilem, atque integerrimum Virum „ Joannem Simonettam hujus Margaritæ Virum, „ cujus probitati, prudentiæ, fideique, quantum „ Inclytus Princeps noſter Franciſcus Sfortia tri„ buat, quantique eum faciat, neminem veſtrûm „ fugere arbitror, qui ad ejus præſidia in dies ma„ gis, ac magis non mediocri familiaritate confu„ git. „ Duxit deinde Catharinam Barbavariam Marcolini Ducalis Secretarii, & Doninæ Caſatæ conjugum filiam, ex qua plures ſuſcepit liberos, quos inter Franciſcum à Secretis Ducalibus Virum integerrimum, Bernardinum Juris Pontificii Interpretem in Univerſitate Bononienſi, Jacobum S. R. E. Cardinalem, jam debita cum laude memoratum, atque Alexandrum Ducalem Collateralem, Caroli V. Cæſaris munificentiâ Comitem Palatinum cum poſteris creatum, dato Diplomate Toleti die V. Januarii MDXXVI., unde propagata eſt noſtra etiam ætate in hac Metropoli florens Simonettarum progenies. Anno MCCCCLX. die X. menſis Decembris Joannes noſter à Ferdinando Siciliæ, Hieruſalem, & Hungariæ Rege, Rocellam, ſive Mottam de Neto, ſitam in provincia Calabriæ, ob proditionem Marini de Marzano, Fiſco devolutam, in Feudum recepit, dato Diplomate, in quo virtus ejus, & merita commendantur. Individuus fuit præfati Franciſci Sfortiæ Ducis comes, cujus etiam juſſu, ut teſtatur Jovius, Opus conſcripſit infra memorandum, quod quantæ ſit fidei, patet ex ipſius Joannis verbis in Præfatione appoſitis: „ Hoc ipſum „ bellum, & re maximum, & memoriâ digniſſi„ mum, cui dum gereretur, aſſiduè interfui, paulò „ diligentiùs ſcribere operæ pretium duxi. Equidem „ omnia in Commentarios, & eo ordine, quo ge„ rebantur in dies, ſingula celeri ſtylo deprompſi: „ ſi minùs eleganter, minùſque ornatè, at verâ, „ & incorruptâ fide. Nihil non à me ſcriptum eſt, „ quod vel non ipſe viderim, & contemplatus fue„ rim, vel à locupletiſſimis teſtibus, auctoribuſque, „ vel etiam ab ipſo Franciſco, dum ille de ſe mo„ deſtiſſimè loquens aliquando præteritorum tempo„ rum pericula, reſque per omnem fortunam, non „ tam ab ſe, quàm ab aliis, geſtas recenſeret, ac„ ceperim, quod aliis haudquaquam contigit „ &c. Præmium tamen tam docti laboris indignum retulit, nam cùm integerrimâ fide, ac probitate, poſt Franciſcum, Galeacio Mariæ, & Joanni Galeacio Mediolani Ducibus in Epiſtolis conſcribendis, atque in graviſſimis quandoque negotiis pertractandis inſerviſſet, Fratris ſui Cicchi infortunio, quaſi quadam procellâ turbulentiſſimâ implicitus, anno MCDLXXIX. juſſu Ludovici Mariæ, cognomento Mauri, qui nepotem Joannem Galeacium, Inſubriæ Ducatu ſpoliare ſtatuerat, vinculis adſtrictus, & ipſe in Ticinenſe Caſtrum adductus eſt. Mitior illi fortuna contigit, quàm Ciccho ſecuri percuſſo, nam crudeliſſimè tortus in Vercellenſem Urbem exul deportatus fuit, valido ſcilicet (ut Pauli Jovii verbis utamur) apud Tyrannum pudore, ne videretur ingratè ſublatus, qui patrem ſummæ virtutis Principem, ne unquam interiret, beneficio literarum immortalem effeciſſet. Quo anno Joannes migraverit è vita, incertum eſt hactenus; Teſtamentum tamen condidit die XXI. menſis Junii, anno MCCCCXCI. Cadaver, ut juſſerat, conquieſcit in Templo Ducali Sanctæ Mariæ Gratiarum hujus Metropolis in Sacello gentilitio, quod Sancto Apoſtolo, & Evangeliſtæ Joanni proprio ære condiderat, hoc impoſito Elogio:

D. OP. M.

IOANNES SIMONETTA

SFORTIANAE HISTORIAE CONDITOR

DIVI FRANCISCI SFORTIAE FILII ET NEPOTIS

SVBINDE SECRETARIVS

INNOCENTIAE ET PROBITATIS CVLTOR

ET IN VTRAQVE FORTVNA MODESTISSIMVS

HIC CVBAT

HOC SEPVLCHRVM HAER. SEQVATVR.

Miris laudibus ejus eruditionem proſecuti ſunt plures, è quibus Raphaël Fanianus in Codice MS. exiſtente penès Collegium J. PP. hujus Metropolis, agens de Simonettarum Familia hæc ſcribit: „ Hic „ Joannes fuit Vir prudentiſſimus, doctiſſimus, qui „ ſtylo eleganti deſcripſit res geſtas Franciſci Sfor„ tiæ. Fuit etiam ejuſdem Principis Scriba, cujus „ quidem Simonettæ operâ, & conſilio Franciſcus „ in

Digitized by Google

Cadaver, ut jusſerat, conquieſcit in ...
... Sanctæ Mariæ Gratiarum hujus ...
Sacello gentilitio, quod Sancto Apoſtolo ...
... Joanni proprio ære condiderat, ...
... ſito Elogio:

P. M.
... IMONETTA
... ORIAE CONDITOR
... IAE FILII ET NEPOTIS
... CRETARIVS
... ROBITATIS CVLTOR
... VNA MODESTISSIMVS
... VBAT
... HAER. SEQVATVR.

„ Joannes fuit Vir prudentiſſimus, doctiſ...
„ ... eleganti deſcripſit res geſtas ...
„ ... Fuit etiam ejuſdem Principis ...
„ ... dem Simonettæ opera, & conſilio ...

... Junias MCD-LXXIX. unde colligimus, circa eundem annum hos Commentarios primò editos fuiſſe, cùm Zarotus Impreſſor annum reticuerit, Prodierunt ſecundò ab eodem Typographo elaborati minoribus formis, cum omnibus jam indicatis IX Kal. Octobres, anno MCCCCLXXXVI., ut ibi notatum legimus, in fol.

Tertiam tandem editionem, cum doctiſſima Præfatione Clariſs. Viri Ludovici Antonii Muratorii, dedimus Typis noſtris Palatinis, in Tomo XXI. Scriptorum Rerum Italicarum, ubi plura, quæ in prioribus editionibus deſiderabantur, ex Codice MS. autographo inſignis Notæ apud Comitem Antonium Simonettam extante, ad paginarum calcem adjecta ſunt, cujus rei rationem reddit in dicta Præfatione ſua Clariſs. Muratorius.

Extat etiam in Bibliotheca Ambroſiana ſupradicti Operis Codex peregregius auro, & miniaturis admodum commendandus, quem à Mediolanenſi Duce ejus Majoribus traditum Comes Franciſcus Siccus Borella eidem Bibliothecæ dono dedit.

Opus hoc à Chriſtophoro Landino in Italicum ſermonem translatum typis traditum eſt *Mediolani, apud eundem Zarotum, anno* 1490. *in fol.*, & rurſus *Venetiis ad ſignum Putei*, 1544. *in* 8., de quo hæc ait Jovius: „ is demum liber, ut diffuſiùs in caſtriſque „ præſertim à Militibus legeretur, à Landino in „ Etruſcum ſermonem converſus eſt. „

Alter Codex Italicè ſcriptus hujus Hiſtoriæ MS. in pergameno cum miniaturis, & literis deauratis reperitur in Bibliotheca Marchionum Fratrum Vicecomitum, in 4. hoc titulo „ Compendio de la Hiſtoria Sforzeſca „ facto per Joanne Simonetta: all' Illuſtriſſimo Signor Lodovico Maria Sforcia Ducale Capitano Generale, & Loco-Tenente ad eterna memoria della „ Vita, & Geſti excellenti del Sig. Duca ſuo Patre. „

E

## L X I.

## SPECIANUS JOANNES BAPTISTA.

EX Liberio Speciano, atque Catharina Oldoina nobilibus conjugibus Cremonenſibus natus eſt in eadem Urbe Joannes Baptiſta, qui à puero bona coluit ſtudia, & Mathematicas, Muſicen, Aſtrologiam optimè didicit. Severiores poſtmodum Legum diſciplinas amplexus celeberrimas Italiæ Academias peragravit, indeque regreſſus in patriam, utriuſque Juris laureâ decoratus, cauſas agere cœpit ſummâ ſimul eruditione, & eloquentiâ præditus. Platonis & Ariſtotelis libros, qui ad morum honeſtatem pertinent, aſſiduè pervolutare conſueverat, atque ut optimum in ſe Civem formaret, præcepta quoque Agriculturæ à veteribus tradita in ſuam eruditionem derivare ſtuduit. Ne quid etiam ſibi ad ſummam laudem deeſſet, ad arma quoque ſe convertit, nam ad Franciſcum II Sfortiam Tridentum ſe contulit, cùm Galli, Proſpero Columna Duce, Italiâ exacti fuiſſent, ut Principem ſuum ad paternam ditionem redeuntem proſequeretur, atque non uno in loco cùm manus confererentur periculorum particeps omnium extitit; præcipuè autem ad Vicum Mediolanenſis agri, cui nomen *Bicocha*. Franciſcus verò Dux partâ victoriâ Metropolim hanc ingreſſus,

&

Digitized by Google

& ad urbana componenda negotia converſus, Specianum Fiſci procurationi præfecit, tum defuncto Matthæo Mario Rerum Capitalium Curatore, eundem hoc munere dignum exiſtimavit. Hæc inter officia, quæ totum expoſcunt hominem, ſtudia etiam maxima non neglexit Scriptor noſter, etenim Coſmum Florentinorum Principem ſæpius per literas rogavit, ut Marſilii Ficini Commentarios de Raptu Pauli edere vellet, vel ſibi ſaltem legendos traderet, quo indicatur, quantùm ſacram etiam coleret eruditionem. Evectus poſtmodum ad Senatoriam dignitatem in ſummo Inſubrum Magiſtratu egregiam præſetulit æquitatem, atque prudentiam, ideoque Franciſcus Dux, cùm ad Sacram Lauretanam Domum religionis gratiâ accederet, huic uni rerum ſummam ad ſuum uſque reditum tradidit. Antonio de Læva Regio Mediolanenſis Ditionis Moderatori, atque Marino Caracciolo Cardinali, necnon Alphonſo Avalo Hiſtonii Principi eodem munere fungentibus fuit acceptiſſimus, & ab intimis conſiliis, expeditionum comes, adeò ut annis X. vivente Sfortia, totidem eo defuncto bellis omnibus in Inſubria, & Subalpinis regionibus geſtis non ſolùm interfuiſſe, verùm etiam præfuiſſe tradatur, militaris rei ſcientiſſimus, cùm nunquam Cæſaris Commentarios è manibus poneret. Leucum, & Muſſium caſtra munitiſſima à Joanne Jacobo de Medicis intercepta obſedit, & recuperavit. Carolo V. Cæſari inter primos charus extitit, qui ejus potiſſimùm providentiæ captum Franciſcum I. Gallorum Regem in celebri ad Ticinum prœlio ſe debere noverat. Obiit tandem tot laudibus illuſtris, ſepultuſque jacet in Templo Pacis hujus Metropolis, hoc decoratus Elogio:

IO. BAPTISTAE SPECIANO IC. SENATORI
RERVM CAPITALIVM PRAEFECTO PERPETVO
INTIMO CONSILIARIO
CAESAREIQVE EXERCITVS LEGATO
POST MVLTARVM VRBIVM PRVDENTES PRAEFECTVRAS
HONORIFICENTISSIMAS LEGATIONES
RESQVE PRAECLARISSIMAS IN TOGA ET ARMIS GESTAS
SVMMO CVM OMNIVM MOERORE MORTVO
ANNO MDXLV. VI. KAL. NOVEMBRIS
VIXIT ANNOS LII. MENSES VII.
CAESAR EPISCOPVS NOVARIAE IN HISPANIA NVNCIVS APOSTOLICVS
ET SFORTIA ABBAS P.

Monumenta eruditionis illius ſunt:

I. Epiſtolæ Caſtrenſes ad Benedictum Tonſum.
II. Belli Gallici Commentariorum libri III. MSS. apud Suos Cremonæ.
III. Novæ Conſtitutiones Dominii Mediolanenſis ab eo cum aliis jam laudatis alibi conſcriptæ.

Publicè dixit in ejus funere Marcus Paulus Tarteſius Orator Cremonenſis, ejuſque parentalem laudationem habes apud Ariſium mox citandum.

Ad eum Epiſtolam ſcripſit Jacobus Sadoletus Cardinalis, quæ eſt in lib. XVI. ejuſdem Epiſtolarum. Aliam Bernardus Taſſus magni Torquati Pater.

Eidem inſcripſerunt Bernardus Felicianus aliquot Galeni libros latinè redditos; Lucianus Monachus Caſſinas Commentarios S. Jo. Chryſoſtomi in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos; Bonaventura Caſtillionæus Epiſtolam ſuam ſuper Geographiam Pedemontanam, quæ edita eſt in libro ejuſdem, cui titulus: *Gallorum Inſubrum antiquæ ſedes*.

Laudatur à Hieronymo Vida in ſuis Orationibus Actione II. à Campo hiſtoriæ Cremon. lib. III. à Gaudentio Merula in Bello Eraſmicano, aliiſque pluribus, quos citat Ariſius in Tomo II. ſuæ Cremonæ Literatæ pagg. 140. & ſequentibus; itemque ab amiciſſimo JC. Sitono in ſuo MS. Theatro Genealogico.

## LXII.

## STAMPA JOANNES PETRUS.

Varalli in Oppido notiſſimo, & totius Vallis Sicidæ Metrocomiâ, primam lucis hauſit uſuram Joannes Petrus Stampa, qui cùm minoribus vacaſſet ſtudiorum diſciplinis, legalem facultatem in Ticinenſi Archigymnaſio ſub Pauli Merendæ celeberrimi JC. magiſterio percepit. Laureâ honeſtatus magnam præſetulit eruditionem; quapropter hortantibus JC. Petro Zenone, atque Aloyſio Cuſano tunc Varalli Prætore, poſtmodum verò Mediolanenſi Senatore, circa annum Chriſti MDCXXIV. ad hanc Inſubriæ Metropolim lares tranſtulit. Hic annos XXXVI. integros in Foro ſic claruit, ut à primariis Italiæ, Hiſpaniarum, & Germaniæ Proceribus, immo etiam à Magno Hieroſolymitanorum Militum Magiſtro ad cauſarum patrocinium aſſumeretur. Huic poſtremo adeò profuit, ut clariſſimus ille Ordo Militaris Stampam inter inſignes de ſe benemeritos, ut fama eſt, recenſuerit. Chriſtianiſſimus Gallorum Rex Ludovicus XIV. eum cum eruditiſſimis Viris ſuæ tempeſtatis comparare conſueverat, idcirco à Daniele Dongo Minorum Obſervantium generali Vicario, atque à Philippo Archinto, de quo ſuo egimus loco, cùm ad eum acceſſiſſent, percunctatus quonam loco apud Mediolanenſes haberetur Joannes Petrus Stampa, audienſque ipſum nullo munere, præter cauſarum patrocinium inſignitum eſſe, plurimùm eſt admiratus. Tan-

Digitized by Google

Tantum Regem ſibi demeruerat Auctor noſter Apologiâ, quam pro Antonio Sandovalio ſcripſerat, accuſato quòd muneri ſuo defuiſſet, tunc cùm anno MDCLVIII. Tridinum arcem Montisferrati munitiſſimam obſidentibus Gallis tradidit. Opus illud Rex præfatis adſtantibus è pretioſâ quadam capſulâ eductum magnis extulit laudibus. At non ſemper præmio ſuo Stampæ virtus caruit; etenim anno MDCXXXVI. Ditionis Parmenſis, Placentinæ, ac Pallavicinæ Vicariam Juriſdictionem exercuit, cùmque aliquandiu Sanctiſſimæ Inquiſitionis Officio à Conſultationibus fuiſſet, inter quinque Regios Delegatos ſuper Mediolanenſis Ducatus Cenſu, & Regii pariter Conſilii, quod *Junctam* vulgo appellant, Miniſtros adlectus eſt. Die autem XIV. menſis Junii anno MDCLXIII. à Philippo IV. Hiſpaniarum Rege Fiſci patrocinium ipſi fuit demandatum, demumque anno MDCLXV. die XXIX. Julii ad Senatoriam cathedram in ſupremo Inſubriæ Magiſtratu elevari promeruit. Jus Ticinenſibus annis MDCLXVIII. & ſequenti integerrimè dixit. Cæterùm tantâ extitit morum probitate præditus, ut ſuffragio ſuo iis etiam non defuerit, qui apud Hiſpaniarum Monarcham toto pectore illi obſtiterant, ne inter Conſultos Patres adlegeretur. Obiit anno ſuæ ætatis LXXVIII. Chriſti verò MDCLXXVIII. die IV. menſis Februarii; ſolemnibuſque parentalibus à Senatu decretis in Eccleſia Minorum, qui Reformati dicuntur, vulgò *Santa Maria del Giardino* in hac Metropoli, elatus conquieſcit.

Scripſit

I. Apologiam favore D. Antonii de Sandoval pro deditione Tridini anno 1658. MS. extabat apud Regem Galliæ, ut diximus.

II. Juris Allegatio, eſt inter Statuta Grabedonæ pagg. 91.

III. Conſultatio pro nonnullis pagis ad Lacum Larium. Inſertam aſſerit Cotta loco citando in publicis Tabulis conſcriptis à Franciſco Georgio Ottolino Mediolanen. Tabellione die 21. Auguſti, 1656.

IV. Allegationum Volumina XL. quarum meminit jam citatus Cotta.

Ipſum encomiis extulerunt Franciſcus Redenaſcus in Conſ. 29 Franciſcus Sadarinus poſt Reſponſum 39. Angelus Stephanus Garronus de Fratribus, in Elencho Advocatorum. Facardus Allegat. 33. pluribus in locis, Franciſcus Tartarottus in Nova Jeruſalem, pag. 31. 33., & 81. Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſæo Novarien. fol. 179., & amiciſſimus Canonicus Iricus in ſua Hiſtoria Tridinenſi.

## LXIII.

## STAMPA JOSEPH MARIA.

IN ſatis inſigni Oppido Grabedonæ propè Larium Lacum, Alexandro Franciſco Stampæ, atque Cæciliæ Curtiæ conjugibus nobilibus filius obtigit Joſeph Maria anno ſal. MDCLXVI. qui majores inter ſuos plures enumerabat publicis muneribus commendabiliter functos. Horum inhærens veſtigiis optimè indolis adoleſcens, ſtudiis minoribus vacavit in Comenſi Collegio Gallio ſub diſciplina Viri clariſs. Primi Aloyſii Tatti Annalium ejuſdem Comenſis Urbis Scriptoris, annoſque deinde XVI. natus, Congregationis Clericorum Regularium Somaſchenſium inſtitutum ſuſcepit. Solemnibus votis emiſſis, nihil prætermittens ex his, quæ ſacris miniſteriis deditum Virum decent, nunquam bonarum artium ſtudia neglexit, immo ad omnem eruditionem ſuapte naturâ pronus, ab omni præfectura ſuorum abſtinere conabatur. Sed virtute illius licèt reluctante, bis Collegio Mediolanenſi S. Petri in Monte-forti præfuit, atque aliquando Vocalis miſſus eſt ad Præpoſitum Generalem in Comitiis Congregationis eligendum. Cæterùm Rhetoricam, atque Humaniores literas Viglevani, Ticini, & Romæ in Collegio Clementino auditoribus tradidit. Potiorem tamen vitæ ſuæ partem in hac Metropoli tranſegit eruditis omnibus percharus, donec anno MDCCXXXIV. die XV. menſis Novembris ætatis verò LXIX. in præfato Collegio Montis-fortis, Vir certè omni laude dignus, mihique ſemper ſumma amicitiâ junctus, mœrentibus ſuis, & doctis omnibus, deſideratus eſt.

Supereſt ejus eruditionis monumentum inſigne in his, quæ ſcripſit, videlicet:

I. Anonymi Novocomenſis, Cumanus, ſive Poëma de Bello, & Excidio Urbis Comenſis ab anno MCXVIII. uſque ad MCXXVII. Nunc primùm è MStis Mediolanenſibus, & Comenſibus in lucem prodit. Accedunt Caſtigationes, & Notæ D. Joſephi Mariæ Stampæ è Somaſchenſi Congregatione. Extat in Tom. V. Rerum Italicarum Scriptores pag. 399. Poſt Cl. Muratorii Præfationem adeſt altera ſatis erudita ejuſdem P. Stampæ, unà cum ordine Chronologico Belli in Poëmate deſcripto ab Adnotatore elaborato.

II. Caroli Sigonii Faſti Conſulares, ac Triumphi acti à Romulo Rege uſque ad Tiberium Cæſarem. Ejuſdem in Faſtos & Triumphos, ideſt in univerſam Romanam Hiſtoriam Commentarius, D. Joſephi Mariæ Stampæ Cler. Reg. Somaſch. Adnotationibus illuſtratus, atque ab Auguſti obitum ad imperium Diocletiani, & Maximiani, unde Occidentalis Imperii libros idem Sigonius exorditur, productus. Ext. in Tomo primo meæ editionis Operum Caroli Sigonii, *Mediolani*, 1732. *T. VI in fol.*

III. De Comitiis Romanorum Diſſertatio. Extat ibidem pag. 73.

IV. Faſtorum Triumphorumque Romanorum, poſt Sigonium Continuatio. Extat ibidem pag. 604.

Supradictorum Operum reperiuntur autographa in Bibliotheca Suorum S. Petri Montisfortis.

V. Organum Academicum, ſive de Corporis proceritate, ac parvitate. *Mediolani, apud Ramellatum*, 1699. *in* 4.

VI. Ludus ſerio expenſus. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1700. *in* 4.

VII. De Arithmetica progreſſione tractatus, in quo præter alia ſcitu digna de quantitate diſcreta tota reſolvitur combinatoria. *Mediol.* 1700. *ex Typographia Joſephi Pandulphi Malateſtæ*, *in* 4.

VIII. Problemata varia Geometrica, cum eorum ſolutionibus, & figuris diligentiſſimè delineatis. MS. in fol. apud Suos in Coll. Montisfortis.

IX. Elementorum Geometricorum Euclidis lib. VII. VIII., & IX. MS. Ext. in Bibliotheca Collegii Gallii Novocomi.

X. De Sectionibus Conicis libri quatuor. MS. Ibid.

XI. De Horologiis Orizontalibus libri duo (primus deſideratur). MS. Ibid.

XII. Brevis de Trigonometria Inſtitutio. MS. Ibid.

XIII. De uſu Generali Proportionum, & Progreſſionum. MS. Ibid.

XIV. De arte Oratoria brevis informatio. MS. Ibid.

XV. Academicæ Orationes, Italicæ, ac Latinæ. MS. Ibid.

XVI. De Guſtibus, Academica Exercitatio, cui nonnullæ Fabulæ ad id genus ſpectantes, elego verſu deſcriptæ acceſſerunt. MS. Ibid.

XVII. Carmina Miſcellanea Latina, ac Italica. MS. Ibid.

XVIII. La *Comar Travacca*, Commedia in Idioma Lombardo. MS. Ibid.

XIX. L'Aulularia, Commedia di Plauto tradotta in verſi Toſcani. MS. Ibid. Omnia hæc MSS. Opera ſunt Autographa.

XX. Epigrammata ſacra, Eroica, Ethica, & Miſcellanea in VII. Centurias diſtributa, cum adnotationibus. *Mediolani, apud Malateſtam*, 1727. *in* 8.

XXI. Carmina III. Latina; extant in libro, cui titulus: „ Per le Nozze di Rinaldo d'Este „ Duca di Modena &c., e Carlotta Feli„ cita Principeſſa d'Annover „. *In Bologna*, 1696. *in fol.*

XXII. Carmina plura Lat. & Ital. MS. in fol. ingentis molis, apud Suos Coll. Montisfortis.

XXIII. Aloyſio Piſano D. Marci Procuratori pro meritis electo, Oratio. *Venetiis, apud Leonardum Pittonum*, 1692. in 4.

XXIV. Petro Marino Sormano Epiſcopo Viglevanenſi Oratio Panegyrica cum nonnullis Elogiis Somaſchenſibus. Auctore Joſepho Maria Stampa. *Mediolani, apud Ramellatum*, 1696. *in fol.*

XXV. Atti del B. Miro Eremita. *Milano, preſſo il Ribini*, 1723. *in* 8.

XXVI. Oſſervazioni ſopra la terza Deca degli Annali ſacri di Como del P. Luigi Tatti C. R. S. dall'anno 1300. al 1582. *Milano, nella Stampa di Carlo Giuſeppe Gallo*, 1734. *in* 4.

XXVII. Oſſervazioni ſopra l'Appendice agli Annali ſacri di Como del P. Luigi Tatti dall'anno 1583. al 1598. *Milano, per lo ſteſſo*, 1735. *in* 4.

XXVIII. Philoſophiæ moralis libri quatuor. MSS. Autogr. in Biblioth. Collegii Gallii Novocomi.

XXIX. Quæſtiones nonnullæ de Temperamento, & Imaginibus ſenſuum impreſſis. MS. autogr. Ibid.

Orationem in ejus funere habitam à JC. C. Comite Antonio Joſepho à Turre Rezzonici Novocomenſi, habes impreſſam ad calcem Operis num. XXVII. indicati.

Plura ad ipſius Acta, & Opera ſpectantia debemus humaniſſimo P. D. Andreæ Menriquez Montisfortiani hujus Urbis Collegii Præpoſito, atque P. de Sirturis apud Suos Somaſchenſes dignitatibus, literiſque claro.

# T

## LXIV.

## TACCO, ſive TACCONUS BALTHASSAR.

DE Balthaſſare Tacco, ſive mavis Taccono, Alexandrino meminit jam Clariſs. Saxius in ſua Typographico-literaria Mediolanenſi Hiſtoria col. CCCLXI. ubi multa de illius Opere infra à nobis quoque num. I. indicando. Pauca hæc addemus ad illius Acta exornanda. Jacobum Patrem habuit, & in hac Inſubriæ Metropoli Ducalis Cancellarius florere cœpit anno MCCCCXCIII Joannis Tolentini Decurionis, ac Senatoris Mediolanenſis conſuetudinem coluit, quod indicat epiſtolare commercium, de quo paulo poſt agemus uberiùs. Obiit Balthaſſar in hac Urbe poëſis amator, quam utrâque linguâ, Italicâ videlicet atque Latinâ ornare curavit, tumulatuſque jacet in Ambroſiana Baſilica inter Sacrarium Canonicorum, & Confeſſionis januam, ubi anno MDXX. hunc ſibi titulum ſepulchralem pario marmori inciſum vivens ſtatuerat.

VBI POST MVLTAS AERVMNAS
TEMPORVM VARIETATEM ET VITAE TAEDIA
BALTHASSAR TACCO MVSARVM CVLTOR
POST DVCVM AC PRINCIPVM MEDIOLANEN.
CANCELLARIVS CONQVIESCAT
V. F. NE SE POSTERITATI CREDERET.
MDXX.

Scripſit:

I. Coronazione, e Spoſalizio della Sereniſſima Regina M. Bianca Maria Sforza Auguſta, all'Illuſtriſſimo Sig. Ludovico Sforza Viſconte Duca de Bari, per Baldaſſare Taccone Alexandrino Cancelliere compoſta in ottava rima. In fine ſic: *Impreſſit Leonardus Pachel*, 1493. *in* 4. Extat in Bibliotheca PP. Societatis Jeſu Collegii Braydenſis Mediolani.

II. Monoſillaba nonnulla ad Nicolaum Corrigium Virum illuſtrem. Extant in libro „ Sydonii Apollinaris Poëma „. *Mediolani, apud Scinzenzeller*, 1498. *in fol.*

III. Epiſtolæ plures ad Joannem Tolentinum, uti eruitur à binis Taccono noſtro ſcriptis ab eodem Tolentino, primâ videlicet datâ Bereguardi V. Id. Junias anno MCDXCI. alterâ Mediolani die IX. Maji MCDXCII., extant cum aliis ipſius Tolentini, editis *Mediol.* 1511. *in* 4.

De eodem jejunè admodum, & extra chorum, Picinellus in Athenæo pag. 64., necnon uberiùs JC. Sitonus doctiſſimus in Schedis.

## LXV.

## TORNIELLA JULIA.

JUlia Torniella nobili ſanguine in Urbe Novarienſi nata, ut Deo arctiùs adhæreret, profanis poſthabitis nuptiis, Minorum regulam in Monaſterio Mediolanenſi Sanctæ Urſulæ nuncupatione ſatis notum, de quo jam non ſemel meminimus, amplecti decrevit. Voti ſui compos effecta eſt anno MCCCCXCIV. ætatis ſuæ XVI. tantiſque floruit virtutum ornamentis, ut non exiguis favoribus Numinis beneficentiâ fuerit decorata; Anno enim MDXII. Junio menſe ad obitum uſque, Cœlitum frequenti apparitione frui cœpit, in primis verò Beatæ Catharinæ Civis meæ Bononienſis, quæ de divinis rebus miſcebat cum ea ſermones. Meritis æquè ac ſanctitatis famâ venerabilis ad Superos, ut par eſt credere, translata eſt die XXII. Junii anno Chriſti MDXL. annum agens ætatis ſuæ LXII. corpuſque illius apud ſorores ſuas ſervatur.

Scri-

Digitized by Google

Scripſit

I. Codicem Revelationum ſuarum; cujus initium tale eſt ad verbum: „ Conſiderando io, che non gl'è „ via più ſecura, ne più drita de fare profeſſo ne „ la ſancta religione, & de aproximarſe a Dio „ quanto he la volontaria, & pura obedientia „ per amor de Jeſu Chriſto, perochè he grande „ fructo ad acquiſtar vertù de humiltà, per la quale ſe acquiſta la gratia del oratione, & obſervando quello, obſerva tutti li altri voti de la „ profeſſione noſtra. Et per voler io obedir puramente, ſon conſtricta ſcrivere le molte coſe per „ obſervantia de alcuni miei Prelati, e Superiori, „ con i quali me ſtato biſogno de parlarne, perchè „ non mi fidava del parer mio, e per molti altri „ riſpetti, che non ho potuto far di mancho &c. „ Codex ipſe autographus apud Moniales prædicti Monaſterii Sanctæ Urſulæ Mediolani ſervatur.

De hac Dei Famula fuſiùs egit Fridericus Cardinalis Borromæus in lib. de Amore Virtutis pag. 183. Arturus in Martyrol. Franciſcano ad diem 22. Junii. VVadingus in Annal. Minor. Tomo XIII. pag. 333. Hieronymus Brambilla in Deſcript. Corographica Provinciæ Mediol. Fortunatus Hueberus in Menologio ad diem 26. Novemb. num. 29. Cotta in Muſæo Novarien. foll. 15. & 191. Petrus Nicol. Bonavilla in Notitia Chronol. pag. 199., & tandem JC. doctiſſimus Jo. Sitonus noſter in Schedis.

## LXVI.

## TORNIELLUS AUGUSTINUS.

AUguſtinum Torniellum, in ſeculo Gregorium, Novarienſem Patricium, anno Salutis humanæ MDXLIII. in ea Urbe natum, jamque in patria primùm literis humanioribus excultum, & in Ticinenſi Archigymnaſio Philoſophiæ, atque Medicinæ laureâ inſignitum, tum Clericali jam militiæ adſcriptum, ætatis annum agentem XXVI. qui fuit Chriſti MDLXIX. Beatus Alexander Saulius, tunc Congregationis Præpoſitus, inter Clericos Regulares Sancti Pauli Decollati cooptavit. In ipſo tyrocinio obſervantiæ ſe præbuit exemplum, emiſſiſque anno ſubſequenti ſolemnibus Votis, ad ſacros poſtmodum Ordines aſcendit. Talibus enituit virtutum ornamentis, ut in Generalibus Comitiis Mediolani apud S. Barnabæ Collegium celebratis anno MDLXXIX. omnium votis totius Congregationis Præfectura eidem fuerit demandata, electionem ipſius commendante Sancto Carolo Cardinali Archiepiſcopo, qui Apoſtolicæ Sedis auctoritate Comitiis præerat. Idem munus Torniellus noſter tribus aliis geſſit vicibus, interim, dum ceſſaret, vel Aſſiſtentis, vel Præpoſiti ferè perpetuò fungens officio. Mantuanæ Eccleſiæ Infulas, ad quas à Clemente VIII. Pont. Max. accedentibus Vincentii Gonzagæ ejus Ditionis Principis votis, evehi meritus fuerat, conſtanter adeò recuſavit, ut tandem ejus ex Urbe fugientis virtuti Pontifex cedendum duxerit. Bonis ſemper, & ſacris præſertim artibus inter tot negotiorum curas intentus, Cæſari Baronio Cardinali ob ſtudiorum ſimilitudinem chariſſimus extitit, utque Annalium Eccleſiaſticorum gloriam eidem non præriperet, ab his conſcribendis abſtinuit, quæ poſt Salvatoris Natale acciderunt. Demum ætatis annum fermè LXXX. agens, IV. Non. Junii, Salutis humanæ anno MDCXXII. in Collegio Mediolanenſi memorato S. Barnabæ mortalis eſſe deſiit. Tanti Viri imaginem Philibertus Marchinus hoc Elogio ſubſcripto decorandam duxit.

AVGVSTINVS TORNIELLVS PATRITIVS NOVARIENSIS
CONGREGATIONIS QVARTVM PRAEPOSITVS
ORDINE NONVS
ERVDITIONE SANCTITATE
DIGNITATISQVE EPISCOPALIS FVGA PRAECLARVS
OBIIT IV. NONAS IVNII MDCXXII.

Doctrinam ipſius teſtantur

I. Annales Sacri ab Orbe condito ad ipſum Chriſti Paſſione reparatum. *Mediolani*, 1610. *in fol.* Tomi II. Horum primum Carolo à Baſilica Petri, à nobis ſuo loco laudato, cui Auctor amiciſſimus fuit, inſcripſit. Opus ipſum additis æreis figuris auctum prodiit *Francofurti*, 1611. *tum Antuerpiæ*, & alibi.

II. Speculum Viſitatorum pro faciliore, ut utiliore praxi Superiorum in actuali Collegiorum Viſitatione, qui libellus, teſte P. Pezio infra citando, prodire cœpit in lucem anno MDCX.

III. De Origine, & progreſſu Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati uſque ad annum MDLII. MS. ex eodem P. Pezio, qui non indicat ubi ſervetur.

Innumeri ſunt Scriptores, qui Torniellum commendarunt, eoſque fuſiùs enumerat Lazarus Auguſtinus Cotta in Muſæo Novarienſi fol. 45. quemadmodum & ſupramemoratus P Franciſcus Pezius in MS. ſuo Codice de Scriptoribus ſuæ Congregationis Tomo III. fol. 262.

## LXVII.

## TRANCHEDINUS FRANCISCUS ANTONIUS.

FLorebat circa finem Sæculi XV. in hac Urbe Senatoriâ dignitate ornatus Nicodemus Tranchedinus, de quo mentio eſt apud Franciſcum Philelphum in Epiſtolis non uno loco. At ſuperiori ſæculo fermè exeunte tanti Viri memoriam apud Inſubres renovavit Franciſcus Antonius Juriſconſulti Sfortiæ Tranchedini filius, Pontremulenſis Patricius, ſed ex privilegio Civis Mediolanenſis, qui Clericale Inſtitutum amplexus, pluribuſque forenſibus palmis celebris, anno MDCLXXIII. Canonicalem Præbendam in præclaro Cœtu Ordinariorum Baſilicæ Metropolitanæ hujus Urbis obtinuit. Coadjutor illi datus eſt in eo munere Nicolaus ipſius ex fratre nepos anno MDCXC., quo etiam anno die XXIX. menſis Novembris Franciſcus Antonius idem deſideratus eſt, & in præfata Baſilica ſepultus conquieſcit.

Scri-

Digitized by Google

Scripſit, atque publici juris fecit:

I. Conſultationum Tom. I. *Mediolani*, 1681. *in fol.*
II. Conſultationum Tom. II. *Papiæ*, 1691. *in fol.*
De eo Clariſs. Sitonus noſter in Schedis.

## LXVIII.

## TREVISIUS ANDREAS.

A Ndreas Treviſius natus in Oppido Fontaneti Agri Novarienſis ſatis celebri ob Conciliabulum à Vidone Valvaſſorio de Velate Mediolanenſi Archiepiſcopo, ut in hujus Articulo meminimus, celebratum, adeò Medicæ facultatis doctrinâ claruit, ut ab Incolis Oppidi Gallarati hujus Ducatus expetitus fuerit ad Artem ſuam ibidem exercendam. Multos ibi cùm tranſegiſſet annos, ob famam nominis, quæ apud exteros quoque percrebuerat, ab Infante Iſabella Clara Eugenia, atque Alberto Auſtriaco ejus Viro, Belgii Moderatoribus, Archiater eligi meruit. Ibidem igitur commoratus eſt, magno in pretio habitus uſque ad Alberti obitum, indeque in Italiam repedavit: cùmque Mediolanum veluti ſtabile ſibi Domicilium elegiſſet, clariſſimorum ſuæ tempeſtatis Virorum conſuetudine floruit; Ludovici præſertim Septalæ, atque Gaſparis Aſellii, qui Septalam ipſum, atque Treviſium anno MDCXXII. teſtes adſtitiſſe ſcribit, cùm nova quædam in hac Urbe Anatomes arcana detexit; ait enim De lacteis Venis cap. IX. „ Ita ad fidem omnem „ abundè eſſe poteſt Ludovicus Septalius Medicorum ævi noſtri abſque controverſia Princeps, & „ (quem libenter ei jungo) Andreas Treviſius Se„ reniſſimæ Infantis Archiater, nominis famâ, & „ doctrinæ abundantiâ nulli Clariſſimorum Medico„ rum ſecundus. „ Hic igitur ob eruditionem Medicam celebratiſſimus diem clauſit poſtremam; nemo tamen hactenus nobis indicavit annum ipſius emortualem.

Literarii ipſius labores his inſcribuntur titulis:

I. De Cauſis, natura, moribus, ac curatione peſtilentium febrium vulgò dictarum, cum ſignis, ſive petechiis, Andreæ Treviſii Fontanetenſis (non Fondanenſis, ut perperam Merchlinius) Medici Gallarati. *Mediol. apud Pontium*, 1588. *in* 4. Hoc Opus dicavit Scriptor Gaſpari Vicecomiti Mediolanenſi Archiepiſcopo, illudque Bernardinus Baldinus Carmine celebravit, quod videſis apud Curtium loco citando.
II. Phœnix Principum, ſive Alberti pii morientis Vita. Andreæ Treviſii Epiſtolâ, & Ericii Puteani paraphraſi explicata. *Lovanii*, *apud Henricum Haſtenium*, 1622. *in* 4. In laudem Alberti Archiducis prædicti paulò ante defuncti hoc Opus Treviſius edidit.

Federicus Vander Mye geminos Tractatus ſuos eidem nuncupavit hoc titulo: „ Diſputationes duæ Me„ dico-phyſicæ de Contagio, & de Cornu Mono„ cerotis. „ *Antuerpiæ*, *ex Officina Plantiniana*, 1627 *in* 4.

Eum laudant Bartholomæus Curtius in ſuo Opere de Scriptoribus Medicis Mediol. pagg. 135. & 176. Lazarus Auguſtinus Cotta in Epiſtola ad eundem Curtium in præcitato Opere inſerta pag. 271, atque Mangetus in Bibliotheca Medica Tom. IV. litera T.

# V

## LXIX.

## VALLA GEORGIUS.

G Eorgius Valla, Placentinâ in Urbe genitus, humanis literis, Græcâ & Latinâ linguâ, & Medicinæ quoque facultate imbutus, diſcipulus fuit Joannis Marliani Mediolanenſis Viri eruditiſſimi, de quo jam locuti ſumus loco ſuo, mox Venetiis primùm, dein Mediolani ſibi magnam comparavit nominis famam. In hac enim Inſubriæ Metropoli diu Rhetoricam profeſſus eſt, pluribus confluentibus Auditoribus, quos inter celeberrimus Pierius Valerianus Bellunenſis numeratur. Ipſum plurimi fecit Franciſcus Sfortia I. Mediolanenſium Dux, atque erudiendos eidem filios ſuos tradidit, agente in primis Jacobo Antiquario Peruſino à nobis primo loco in Exteris laudato, cui propterea gratum animum teſtaturus Georgius, Introductorium in Galenum de Medicinæ principiis latinè redditum ad Nicolaum Antiquarii ipſius Nepotem conſcriptum, ut infra dicemus, nuncupavit. Multa de ejus Operibus judicia Scriptores tulerunt, nec ſemper tamen ipſi honorifica; Paulus enim Jovius in Elogiis de Opere, de quo paulò poſt rurſum mentio fiet, inſcripto „ De Expetendis, & Fugiendis rebus; „ hæc ait: „ Diſciplinas, literaſque omnes uno in„ genti volumine complexus, multa potiùs didiciſ„ ſe, quàm in eo celeri tranſcurſu perdiſcenda po„ ſteris reliquiſſe videtur Quandoquidem coacer„ vantis omnia, indefeſsèque ſcribentis, requiſitus „ ille Romanæ elocutionis ſpiritus omninò defuerit, „ quo uno voluminum vita præclarè alitur, longiſ„ ſimèque producitur. „ In magnam poſtmodum incidit Valla calamitatem, impetu enim quodam actus, cùm nimiùm Joanni Jacobo Trivultio favere videretur, Mediolanenſium Ducem Ludovicum Mariam Sfortiam, cognomento Maurum tam graviter offendit, ut in vincula fuerit conjectus Venetiis, ubi incredibiles perpeſſus eſt moleſtias, ut fuſiùs narrat Pierius Valerianus jam laudatus lib. I. de Literatorum infelicitate. Verùmtamen cauſâ ipſius agitatâ, & innocentiâ Viri detectâ, Mediolanum revocatus eſt, ut priorem Juvenum inſtitutionem reſumeret. Id verò diutiùs non egit; etenim dum Tuſculanas M. T. Ciceronis Quæſtiones prælegeret, & de animæ immortalitate vehementi, doctiſſimâque Oratione dies quoſdam diſſeruiſſet, expectantibus in Auditorio diſcipulis præceptoris adventum, triſtis repentè advênit nuncius, Vallam dum alvum purgaret improviſo fato ſublatum interiiſſe. Accidit tanti Viri obitus circa finem Sæculi XV. ut præclarè more ſuo adnotavit Clariſs. Saxius in ſua Typographico-literaria Mediolanenſ. Hiſtoria Col. DXXXVI. ſuperſtite Joanne Petro filio, qui, ut mox dicendum, aliquot Patris eruditos labores typis conſignavit. Dum eſſet in vivis Georgius Eccleſiam Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli hujus Urbis, cognomento in Glaxiate, frequens religionis ergo inviſebat; ejuſque Cœnobii Monachos peculiari adeò amplexatus eſt officio, ut Bibliothecam ſuam eiſdem largitus fuerit, & cadaver ſuum Monaſtico indutum Cucullo apud ipſos deponi juſſerit. Conquieſcit, Puccinello teſte, in Tumulo ante vetus illius Templi Sacrarium.

Opera

Digitized by Google

Opera ejuſdem edidit *Venetiis Aldus Manutius anno* 1501. duobus Voluminibus in folio maximo; curâ, & ſtudio Joannis Petri Vallæ, Auctoris filii, qui eadem Epiſtolâ ſatis eruditâ nuncupavit „Illuſtri „ Viglebani Comiti, Principique Excellentiſſimo Jo„anni Jacobo Trivultio „ Editio verè pulcherrima, quæ ſic prætitulatur „ de Expendendis, & Fugien„dis rebus Libri XLIX. „ quorum hiç eſt Elenchus:

I. De Arithmetica libri III., ubi quædam à Boëtio prætermiſſa tractantur.

II. De Muſica libri V., ſed primò de Inventione, & commoditate ejus.

III. De Geometria libri VI., in quibus Elementorum Euclidis difficultates omnes ferè exponuntur, ubi etiam de Mechanicis ſpiritalibus, Catoptricis, & Opticis, deque Quadratu Circuli habetur Tractatus.

IV. De tota Aſtrologia libri IV., in qua Fabrica, uſuſque Aſtrolabii exaratur, & quæ ſignorum in exhibendis medicaminibus ſit habenda obſervatio.

V. De Phyſiologia libri IV., ubi & Metaphyſices quædam lectu quamdigniſſima, utiliſſimaque.

VI. De Medicina libri VII., ubi de Simplicium natura per ordinem literarum.

VII. Problematum liber I.

VIII. De Grammatica libri IV.

IX. De Dialectica libri III.

X. De Poëtica liber I.

XI. De Rhetorica libri III. Hoc Opus ſub alio nomine prodiit multò amplius, ut infra.

XII. De Morali Philoſophia liber I. Extat etiam hoc Opus in editione Ariſtotelis *Junctarum* Tom. III. pag. 79.

XIII. De Oeconomia, ſive de Adminiſtratione Domus libri III., in quibus Architecturæ, Reique Ruſticæ ſuus eſt locus.

XIV. Politicon unicum Volumen, ubi de Jure Civili, & Pontificio primùm, mox de Legibus in univerſum, inde de Re Militari agitur.

XV. De Corporis commodis, & incommodis libri III., quorum primus totus de Anima, ſecundus de Corpore, tertius verò de Urinis ex Hyppocrate, & Paulo Ægineta, deque Galeni Quæſtionibus in Hyppocratem. Hoc Opus edidit ſeorſim *Argentorati, Henricus Sybold annis* 1529., *&* 1531. *in* 8.

XVI. De Rebus externis liber I., ac ultimus, ubi de Gloria, Amplitudine, & ceteris hujuſmodi; omnia, ut diximus, duobus Voluminibus *Venetiis, in Ædibus Aldi Romani, menſe Decembri*, 1501. *in fol.*

Reliqua, quæ ſubnectimus, partim lucem viderunt poſt ſupradictam editionem, cum variis additionibus, ideòque ſatius duximus hîc adnectere; partim verò nunc primùm forſan nobis datum eſt reperire, nullâ diligentiâ poſthabitâ, variis in ſcriniis.

XVII. Commentarius in libros Ciceronis ad Herennium. *Venetiis, per Gulielmum Tridinenſem, cognomento Animamia*, 1490. *in fol.* Opus hoc prodiit ſub nomine Hieronymi Capiduri, Civis Parentini, Georgii Vallæ diſcipuli, qui in Epiſtolâ præfixâ Codici ad Dominicum Capidurum Patruum ſuum, ait ſe ex ore Vallæ Præceptoris ſui, dum hos Libros interpretaretur, quæcumque ille proferebat adnotaſſe, ne exciderent, & ea poſtmodum Impreſſoribus tradidiſſe.

XVIII. Quibus Rebus humana perfecta ſit fœlicitas: ad Bernardinum Silvaticum Juvenem Genuæ primarium. MS. in 4. in Bibliotheca Ambroſiana, ſignat. G. n. 18. elegantiſſimus in pergameno, cui præfixa eſt Epiſtola ad eundem Silvaticum Acilii filium, qui jam triennio Vallam audiebat, ad quem etiam in fine Codicis perorationem dirigit.

XIX. De humani Corporis partibus, Opuſculum. Extat cum Alex. Benedicti Anatomiâ. *Baſilea, apud Euebarium*, 1627. *in* 8. cum Joh. Guintherii Andernaci Anatom. Inſtitut. *Venetiis, apud Bernbardinum*, 1538. *in* 8.

XX. De inventâ Medicinâ, & in quot Partes diſtributa ſit, ἰσαγωγαὶ Johannitii Medici illuſtris. *Argenterati, apud Henric. Sybold*, 1529. *in* 8.

XXI. De differentiis Pulſuum. *Ibidem, apud eundem*, 1599. *in* 8.

XXII. Problemata Ariſtotelis de Re medica. Extant cum eodem, ut ſupra.

XXIII. Dialogus Parthenii de Sectione humani Corporis. Extat cum eodem, ut ſupra.

XXIV. De tuenda Sanitate per victum, & quæ ſecundùm cujuſque naturam in victu ſequenda, aut fugienda ſunt. Additus eſt Paulus Ægineta de Ciborum facultatibus. *Argentinæ, apud Henr. Sybold*, 1529. *in* 8.

XXV. Rhazis, cognomento Experimentoris, de Peſtilentia Librum Græcè interpretatus eſt. *Baſilea, apud Andream Cratandrum*, 1529. *in* 8.

XXVI. Pſellus de Victûs ratione Lib. II. à ſe Latinè redditi. Ibidem, ut ſupra.

XXVII. Interpretatio Latina Alex. Aphrodiſei, de Febrium cauſis, & differentiis. Extat cum Symphoriani Campegii Libellis, de Medicinæ Claris Scriptoribus. *Lugduni*, 1506. *in* 8. & ſeorſim *Baſilea*, 1542.

XXVIII. Ejuſdem Aphrodiſei Problematum V. Sectionum Expoſitio. Extat cum Expoſitionibus Petri de Apono in Ariſt. Probl *Venetiis, apud Octavium Scotum*, 1529. *in fol* Opus hoc quoque reperitur MS. in Laurentiana Medicea Bibliotheca Pluteo LXXXIV. n 16. ex Montfauconio, uti fuſiùs diximus in Artic. MLVII. col 868. dum verba fierent de Joanne Marliano.

XXIX. Nemeſii Librum de Naturâ hominis Latinè interpretatus eſt.

XXX. De univerſi Corporis purgatione. *Argentinæ, apud Henr. Sybold*, 1529. *in* 8.

XXXI. Commentationes in Ptolomæi Quadripartitum. *Venetiis, apud Simonem Bevilaquam*, 1502.

XXXII. In ſecundum Plinii Naturalis Hiſtoriæ librum Commentarius. *Venetiis, apud Simonem Bevilaquam*, 1502. Editio rariſſima, quam fruſtra ſe quæſiſſe ait P. Harduinus in Præfatione ad Plinium.

XXXIII. Introductorium in Galenum de Medicinæ principiis è Græco Latinè redditum, cum Epiſtola Nuncupatoria ad Jacobum Antiquarium. *Mediolani, ſine anno*. De quo vide Clariſs. Saxium loco jam citato.

XXXIV. Juvenalis Opera, cum Commentariis Calderini, Mancinelli, & Georgii Vallæ. *Venetiis, apud Joannem Tacuinum*, 1492. *in fol. Ibidem, apud eundem*, 1494. *in fol. Ibidem, apud eundem*, 1498. *in fol.* adjectis aliis Commentariis Georgii Merulæ, *&* 1501. *apud eundem, in fol.*

XXXV. Tortellii Commentaria cum lima Georgii Vallæ. *Venetiis, apud Jo. Tacuinum*, 1495. *in fol.*

XXXVI. Athenagoras de Reſurrectione à Valla Latinè redditus. Ex Poſſevino in Apparatu Sacro Tomo I. pag. 540.

XXXVII. Tractatus de Ortographia. *Baſilea*, 1541. *in* 8, *& Lugduni*, 1570. *in* 4.

XXXVIII. Commentaria in Ciceronis Topica, ad Trebatium, & in ejuſdem Partitiones Oratorias. *Baſileæ*, 1541 *in* 8. Extant etiam MSS. in Laurentiana ex Montfaucon.

XXXIX. Commentaria in Ciceronis de Fato, & de Univerſitate. *Venetiis*, 1492. *in fol.* Extant etiam in Laurentiana MS. ad Jo. Jacobum Trivultium, ex Montfauconio.

XL. Libellus de Argumentis. *Venetiis*, 1598.

XLI. Libellus de Syllabarum quantitate. MS. in Regia Pariſienſi num. 6409. ex Montfaucon Biblioth. Bibliothecar. MSS. Tomo II. fol. 762.

XLII. De Figuris Oratorum, & Poëtarum liber unus. Ex Geſnero.

XLIII. De Ratione differendi liber unus. Ex eodem.

XLIV. Epiſtolarum ad diverſos liber unus. Ex eodem.

XLV. Orationes variæ. Ex eodem.

XLVI. De Epiſtolari Charactere, & de Imitatione, atque Exercitatione præceptiuncula. Prodiit cum Tractatu de Ortographia. *Baſileæ*, 1541.

XLVII. De Expedita ratione argumentandi libellus, ad Nicephori Imitationem. *Baſilea, apud Adamum Petrum, & Rober. VVinter., & Coloniæ, apud Soterrem*.

XLVIII. De Inſtitutione Rhetoris libri duo. *Argentorati, apud Henr. Sybold*.

XLIX. Commentarii in Ciceronis Dialogum de Oratoria partitione. Prodiere cum Commenta-



Digitized by Google

riis diverſorum in Libros Rhetoricos Ciceronis. *Lugduni, apud Gryphium, & Baſileæ, apud Rober. VVinter.* ſunt alii ab eis num. XXXVIII. jam exhibitis.

L. Commentarii in Almageſtum Ptolomæi. Ex Geſnero.

LI. Magnorum Moralium Ariſtotelis libros duos, ex Græco Latinos fecit. Ex eod.

LII. Procli Diadochi hipotypoſes Aſtronomicarum poſitionum Latinè reddidit. Ex eod.

LIII. Nicephori Libellus de Compendiaria Arte diſſerendi Latio donatus. Ex eod.

LIV. Cleomedis de Mundo, vel de Meteoris liber in Latinum translatus. Ex eod.

LV. Problemata Averrois Latinè facta. *Venetiis, apud Antonium de Strada*, 1488.

Ipſum laudarunt Jovius in Elogiis Eruditor. pag. 256. Trithemius. Pierius Valerianus de Literatorum infelicitate lib. II. pag. 107. Geſnerus in Bibliotheca. Puccinellus in Chronico Glaxiatenſi cap. XLIII. Petrus Bayle in Diction. hiſtorico-Critico Tomo IV. pag. 421. Fabricius in ſua Bibliotheca Medii-Ævi Tom. I. pag. 650, necnon Joannes Jacobus Mangetus in ſua Bibliotheca Scriptorum Medicorum Tom. IV. pag. 436. etſi omnia Auctoris noſtri Opera minimè viderit; tandemque amiciſſimus Canonicus Iricus noſter in Hiſtoria ſua Typographica Tridinenſi, quam ſummis laboribus jam fermè ad umbilicum perduxit.

## L X X.

## VIGNATUS LUDOVICUS.

LUdovicus Vignatus præclaro ſatis genere Laude Pompejâ natus, minoribus ſtudiis diligentiſſimè peractis, ad utriuſque Juris leges addiſcendas converſus, ſic in eis excelluit, ut Romæ annos circiter XXXVI. commoratus, cum ſummâ nominis

A famâ, prima in Foro ſubſellia occupare videretur. Eundem idcirco non ſemel graviſſimis in negotiis Romanæ Rotæ Tribunal conſuluit, utque debitas tanto Viro grates rependeret, ipſum ſæpius in Deciſionibus commendavit, ſignanter verò ad calcem Deciſionis DCCIX. Maphæo Cardinali Barberino, qui poſtmodum in Apoſtolica Sede meritò collocatus, Urbanus VIII. appellatus eſt, chariſſimus fuit, & circa annum MDCXI. ab eodem, tunc temporis Bononienſi Legato, Auditor electus id munus triennio cum ingenti probitatis, & doctrinæ laude adminiſtravit. In eadem quoque Urbe interim Civilium Cauſarum Judex, Annonæ Præfectus, & in adminiſtratione Reipublicæ Conſiliarius intimus claruit. Ferunt, niſi mors primis Urbani Pontificatus
B annis Vignatum rapuiſſet, ipſum ad Purpuram evocandum certiſſimè fuiſſe, tanta erat in ipſum Summi Antiſtitis benevolentia, tantus virtutum ſplendor, tanta viri exiſtimatio. Neque minor apud alios Principes Ludovici extitit fama, nam Philippus III. & IV. Reges Catholici, Magnus Etruriæ Dux, Urbini, & Parmæ Duces, pleræque inſuper Urbes & Provinciæ in cauſarum patrocinio Ludovici doctrinâ, & eloquentiâ uti voluerunt. Tum inter Mediolanenſes Conſcriptos Patres adlectus ſummam præſetulit morum probitatem, & individuam juſtitiæ comitem prudentiam ſingularem, quibus ad obitum uſque claruit, qui accidit ætatis ejus anno LXX. menſe IX. die XXVIII. Mediolani, Salutis noſtræ MDCXXIX. die XX. menſis Novembris.
C Corpus ejus ad Laudenſem Urbem translatum, requieſcit in Templo Sancti Chriſtophori Monachorum Congregationis Montis Oliveti in inſigni marmoreo Tumulo, hac Inſcriptione adjecta:

D. O. M.
LODOVICO VIGNATO
PATRICIO ANTIQVO GENERE CLARO
ET EX INGENVO CVLTV VIRTVTIS ATQVE DOCTRINAE
PRINCIPIBVS VIRIS AC PRIMARIIS ITALIAE VRBIBVS
VALDE CHARO
SVPRA OMNES IVRISPRVDENTIAE FAMA ET INSIGNI ELOQVENTIA
IN ROMANA CVRIA CELEBERRIMO
REGVM CATH. HISP. PHILIPPI III. ET IV.
MAXIMORVMQVE HETRVRIAE VRBINI ET PARMAE DVCVM
ATQVE ADEO MVLTARVM CIVITATVM ET PROVINCIARVM
ADVOCATO INTEGERRIMO
A SACRAE ROTAE AVDITORIO GRAVISSIMIS IN DECISIONIBVS
EGREGIIS VVLGATISQVE MONVMENTIS DECORATO
VRBANI VIII. PONT. MAX.
IN BONONIENSI LEGATIONE GENERALI AVDITORI
CIVILIVM CAVSARVM IVDICI ANNONAE PRAEFECTO
INTIMOQVE IN EA REP. ADMINISTRANDA CONSILIARIO
IN MEDIOLANENSI DENIQVE PROVINCIA
MAGNI NOMINIS SPECTATAEQVE AVCTORITATIS
REGIO DVCALI SENATORI
VIRO
INNOCENTIA VITAE SVAVITATE MORVM MAGNITVDINE ANIMI
TVM RERVM GERENDARVM DEXTERITATE ET PRVDENTIA
VSQVEQVAQVE ADMIRABILI
QVI TOT HONORVM AC DIGNITATVM LAVDIBVS EXACTIS
SINGVLARE TERRIS EXEMPLAR INTEGRITATIS RELIQVIT
SIBIQVE AC POSTERIS AETERNVM VIRTVTIS DECVS COMPARAVIT
HYACINTHVS VIGNATVS IC. COLLEG.
ET DECVRIO
PATRVO DE FAMILIA AC DE SE OPT. MER.
HAERES P. C.
OBIIT DIE XX. NOVEMB. M. DC. XXIX.
ANNOS NATVS LXX. MENS. IX. D. XXVIII.

Monu-

Digitized by Google

Monumenta ingenii illius hæc memorantur :

I. Tractatus ſub titulo: An Legatum dotis in caſu Religionis cedi poſſit aliis, quàm Monaſterio.

II. Alius : An & quando Legatum uſusfructus convertatur in proprietatem , & ſimiliter quando proprietas relicta dicatur .

III. Alius: Legatum quando dicatur temporale, & quando temporale reddatur perpetuum , præſertim quando hæres prædecedit . Omnes hi doctiſſimè compacti , lectu digniſſimi , atque à Juriſperitis plurimi habiti , extant editi inter Conſilia Horatii Joannonis Bononienſis JC. celeberrimi .

IV. Allegationes MSS. quas Ghilinus mox citandus penè innumeras eſſe teſtatur , & inconcuſſis nixis fundamentis . Has apud Auctoris poſteros Laude, ſervari credimus , cùm citatus Ghilinus locum ubi latent , non indicet .

Laudatur à Lando de Senatu Mediol. pagg. 221. & 232. Paulo Gallarato , Antonio Merenda , Joanne Antonio Caſtillionæo , Defendente à Laude , & citato Ghilino in Theatro Erudit. parte II. pag. 180.

Digitized by Google

| Col. | ERRATA | CORRIGE. |
|---|---|---|
| Col. 826. A. | in Artic. MXIII. MICHAELIS MADDII cum in Villa ſua ad Oppidum Abbiatis-Graſſi moraretur . | *Dele* , & *corrige* Mediolani . |
| Col. 1024. C. | in Inſcriptione Franciſci Panceri | |
| | ISTE LOCVS EST DOMINI FRATRIS DE PANCERIIS DE VARISIO COHAEREDVM &c. | ISTE LOCVS EST DOMINI FRANCII DE PANCERIIS DE VARISIO ET HAEREDVM &c. |
| Col. 1866. | in Inſcriptione Alexandri Confalonerii | |
| | NOBILI ET EGREGIO VIRO FRATRI SVPERSTITI . | NOBILI ET EGREGIO VIRO FRATRI SVPERSTES . |
| 1934. E. | ad Art. XX. | ad Art. XXXV. |
| 1936. B. | ΑΠΟΜΤΤΑ | ΑΠΑΛΤΤΑΙ . |
| 1946. C. | Col. 132. | Col 92. |
| 1951. B. | e Carità | e Caſtità . |
| 1972. A. | illuſtre | illuſoriè . |
| 1993. A. | XIV. | XV. |
| 1996. B. | de Guardis | de Gerardis . |
| 2077. E. | ex Angela Freganeſca conjuge nullam reliquit virilem prolem &c. | ex Angela Freganeſca conjuge reliquit Claram Caprenam , quæ poſtmodum &c. |
| 2088. B. | MDLXXXIII. | MDCLXXXIII. |
| 2102. D. | quem Homerus | quod Homerus . |
| 2120. D. | Albugnana | Albignana . |
| 2121. | In Inſcriptione | |
| | ALBVGNANA | ALBIGNANA . |
| 2127. E. | Ribbæ | Robbæ . |
| 2137. C. | in quo | Opus , in quo . |
| 2146. C. | MDCXL. | MDCXLVI. |

Digitized by Google

# SCRIPTORES
## MEDIOLANENSES
## SANCTORUM, AC BEATORUM
### TITULO INSIGNITI.

S. AMBROSIUS.
S. ANSELMUS DE BADAGIO.
S. ARIALDUS ALCIATUS.
S. BENEDICTUS.
S. CAROLUS BORROMÆUS.
S. DIONYSIUS.
S. EUSEBIUS.
S. EUSTORGIUS II.
S. GALDINUS.
S. GERARDUS TINCTORIUS.
S. HERLEMBALDUS COTTA.
S. HONORATUS.
S. LAURENTIUS LITTA.
S. LAZARUS.
S. MAGNUS FELIX ENNODIUS.
S. MANSUETUS.
S. MARTINIANUS.
S. MYROCLES.
S. NATALIS.
S. PROTASIUS.
S. SENATOR SEPTALA.
S. SIMPLICIANUS.
S. VENERIUS.

B. ALBERTUS A SARTIANO.
B. ALBINUS.
B. ALEXANDER II. PONT. MAX.
B. ALEXANDER V. PONT. MAX.
B. ALEXANDER SAULIUS.
B. ANDREAS BILLIUS.
B. ANTONIUS A MODOETIA.
B. ARCHANGELA PANIGAROLA.
B. BERNARDINUS DE BUSTIS.
B. BERNARDINUS CAIMUS.
B. GABRIEL.
B. GANDULPHUS DE BINASCO.
B. JOANNES OLDRADUS.
B. JO. ANGELUS PORRUS.
B. LANFRANCUS SEPTALA.
B. LEO DE CARATE.
B. LIPRANDUS, ſeu LIUTPRANDUS.
B. LUCAS CRIBELLUS.
B. MICHAEL.
B. MICHAEL CARCANUS.
B. PAGANUS DE LEUCO.
B. PAULINUS.
B. VERONICA DE NIGRONIBUS.



Digitized by Google

Digitized by Google

# SYLLABUS
## SCRIPTORUM MEDIOLANENSIUM
### PER DIGNITATES EORUNDEM DIGESTUS;
*VIDELICET:*
## EX ORDINE ECCLESIASTICO.

PONTIFICES MAXIMI. Col. 2195.
S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALES. Ibid.
PATRIARCHÆ. 2196.
ARCHIEPISCOPI. Ibid.
EPISCOPI. 2198.
NUNCII, atque LEGATI APOSTOLICI. 2200.
SACRÆ ROTÆ AUDITORES. 2202.
ADVOCATI CONCISTORIALES. Ibid.
CANONICI ORDINARII ECCL. METROPOL. MEDIOLANENSIS. 2203.
VARIORUM ORDINUM REGULARIUM PRÆSIDES, & VICARII GENERALES. 2204.
CANONICI LATERANENSES. 2205.
CANONICI CONGREGATIONIS RHENANÆ. 2206.
CANONICI CONGREGATIONIS S. GEORGII IN ALGA. Ibid.
PRESBYTERI SOCIETATIS JESU. Ibid.
CLERICI REGULARES, vulgò TEATINI. 2207.
CLERICI REGULARES S. PAULI, vulgò BARNABITÆ. 2208.
PRESBYTERI CONGREGATIONIS ORATORII S. PHILIPPI NERII. 2209.
PRESBYTERI CONGREGATIONIS SS. AMBROSII, & CAROLI, vulgò OBLATI. 2210.
CLERICI REGULARES SOMASCHENSES. 2211.
CLERICI REGULARES INFIRMIS MINISTRANTES. Ibid.
MONACHI BASILIANI. Ibid.
MONACHI ORDINIS S. BENEDICTI. 2212.
MONACHI CISTERCIENSES. Ibid.
MONACHI CISTERCIENSES REFORMATI. 2213.
MONACHI CARTHUSIENSES. Ibid.
MONACHI CŒLESTINI. Ibid.
MONACHI MONTIS OLIVETI. Ibid.
MONACHI HIERONYMIANI. 2214.

FRA-

Digitized by Google

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM. 2214.
FRATRES MINORES CONVENTUALES. 2215.
FRATRES MINORES OBSERVANTES. 2216.
FRATRES MINORES REFORMATI. 2217.
FRATRES TERTII ORDINIS S. FRANCISCI. Ibid.
FRATRES CAPUCCINI. Ibid.
FRATRES CARMELITÆ. 2218.
FRATRES CARMELITÆ CONGREGATIONIS MANTUANÆ. Ibid.
FRATRES CARMELITÆ EXCALCEATI. 2219.
FRATRES EREMITÆ S. AUGUSTINI. Ibid.
FRATRES EREMITÆ S. AUGUSTINI EXCALCEATI. 2220.
FRATRES ORDINIS SANCTÆ MARIÆ SERVORUM. Ibid.
FRATRES MINIMI. 2221.
FRATRES CONGREGATIONIS S. AMBROSII AD NEMUS. Ibid.
FRATRES HUMILIATI. Ibid.
FRATRES JESUATI. 2222.

# EX ORDINE SECULARI.

CONSULES ROMANI. 2223.
PRINCIPES. Ibid.
SENATORES. Ibid.
QUÆSTORES UTRIUSQUE MAGISTRATUS. 2226.
ORATORES AD PRINCIPES. 2227.
EX COLLEGIO JURIS-CONSULTORUM. 2229.
UNIVERSITATUM PROFESSORES. 2235.
FŒMINÆ. 2241.

EX

Digitized by Google

# EX ORDINE ECCLESIASTICO.

## PONTIFICES MAXIMI.

ALEXANDER II.
ALEXANDER V.
COELESTINUS IV.
GREGORIUS XIV.
PIUS IV.
URBANUS III.

## S. ROM. ECCL. CARDINALES.

B. ALbinus.
Alexander Cribellus.
Aloyſius Homodeus.
Alphonſus Litta.
Anſelmus de Badagio, poſtea ALEX. II. Pont. Max.
Antonius Trivultius.
Ardicio Rivoltella.
Aſcanius Maria Sfortia.
Auguſtinus Cuſanus.
Auguſtinus Trivultius.
Bernardinus Scottus.
Branda Caſtillionaeus.
Branda Caſtillionaeus alter.
Caeſar Montius.
Camillus Meltius.
S. Carolus Borromaeus.
Carolus Vicecomes.
Coeleſtinus Sfondratus.
Comes Caſatus.
Federicus Borromaeus.
Federicus Caccia.
Federicus Vicecomes.
Ferdinandus Taberna.
Flaminius Platus.
Franciſcus Alciatus.
Franciſcus Craſſus.
Franciſcus Sfondratus.
Franciſcus Abundius Caſtillionaeus.
S. Galdinus.
Gaufridus Caſtillionaeus, poſtea COELESTINUS IV. Pont. Max.
Gerardus Landrianus.
Gerardus Seſſa, ſeu Seſſius.
Gibertus Borromaeus.
Gotifredus Caſtillionaeus.
Guido de Summa.
Henricus Rampinus de Sancto Aloſyo.
Hippolytus Eſtenſis.
Hippolytus Eſtenſis alter.
Jacobus Antonius Moriggia.
Jacobus Simonetta.
Joannes Arcimboldus.
Joannes Caſtillionaeus.
Joannes Moronus.
Joannes Angelus Medices, poſtea PIUS IV. Pont. Max.
Joannes Antonius Sangeorgius.
Joannes Antonius Serbellonus.
Joſeph Archintus.
Julius Urſinus de Roma.
Ludovicus Simonetta.
S. Magnus Felix Ennodius.
Marcellinus Corius.
Nicolaus Sfondratus, poſtea GREGORIUS XIV. Pont Max.
Paulus Aemilius Sfondratus.
Petrus Peregroſſus.
Petrus Philargus, poſtea ALEXANDER V. Pont. Max.
Petrus Rhaudenſis.
Pompejus Arrigonus.
Renatus Biragus.
Scaramuccia Trivultius.
Simon Borſanus, ſive de Borſano.
Stanislaus Hoſius.
Stephanus Nardinus.
Theodorus Trivultius.
Ubertus Cribellus, poſtea URBANUS III. Pont. Max.
Vitalianus Vicecomes Borromaeus.

## PATRIARCHAE.

CAeſar Montius.
Caſſonus Turrianus.
Joannes Antonius Sangeorgius.
Petrus Philargus, poſtea ALEXANDER V. Pont. Max.

## ARCHIEPISCOPI.

ALphonſus Litta.
S. Ambroſius.
Andreas de Cantiano.
Angilbertus Puſterla.
Anſelmus de Valvaſſoribus.
Anſpertus.
Aribertus, ſive Eribertus.
Arnulphus.
Auguſtinus Cuſanus.
Aycardus Antimianus.
Bartholomaeus Capra.
S. Benedictus.
Caeſar Montius.

Camillus Meltius .
S. Carolus Borromaeus .
Carolus Franciſcus Airoldus .
Caſſonus Turrianus .
Conſtantius .
S. Dionyſius .
S. Euſebius .
S. Euſtorgius II.
Federicus Borromaeus .
Federicus Caccia .
Federicus Vicecomes .
Franciſcus Boſſius .
Franciſcus Fontana .
Franciſcus Picolpaſſus .
Franciſcus Sfondratus .
Gabriel Sfortia .
S. Galdinus .
Gaſpar Vicecomes .
Gerardus Seſſa , ſeu Seſſius .
Gulielmus Rizzolius .
Henricus Rampinus de Sancto Aloſyo .
Henricus Septala .
Hieronymus Archintus .
Hildovinus .
Hippolytus Eſtenſis .
Hippolytus Eſtenſis alter .
S. Honoratus .
Honoratus Vicecomes .
Jacobus Antonius Moriggia .
Joannes Arcimboldus .
Joannes Vicecomes .
Joannes Angelus Arcimboldus .
Joannes Angelus Medices , poſtea PIUS IV. Pont. Max.
Joſeph Archintus .
Julius .
Laurentius .
S. Laurentius Litta .
S. Lazarus .
B. Leo de Perego .
Leonardus Gryphius .
S. Manſuetus .
S. Martinianus .
Milo Cardanus .
S. Myrocles .
S. Natalis .
Obertus Pirovanus .
Octavianus Arcimboldus .
Oldepertus .
Oldericus .
Otho Vicecomes .
Petrus Gryſolanus .
Petrus Oldradus .
Petrus Philargus , poſtea ALEXANDER V. Pont. Max.
Philippus Archintus .



Philippus Lampugnanus .
Pompejus Arrigonus .
S. Protaſius .
Raynaldus de Concoregio .
Robaldus , ſive Roboaldus .
S. Senator Septala .
Simon Borſanus , ſive de Borſano .
S. Simplicianus .
Stephanus Nardinus .
Thado .
Theodorus .
Valpertus .
Ubertus Cribellus , poſtea URBANUS III. Pont. Max.
Ubertus Terzagus .
S. Venerius .
Vido de Valvaſſoribus .
Vido Antonius Arcimboldus .
Vitalianus Vicecomes Borromaeus .
Vitalianus Vicecomes Borromaeus alter .

## EPISCOPI.

B. ALbinus .
Alexander Cribellus .
B. Alexander Saulius .
Alexander Porrus .
Alexius Serenius .
Aloyſius Capra .
Aloyſius Marlianus .
Andreas Turrianus .
S. Anſelmus de Badagio .
Anſelmus de Badagio , poſtea ALEX. II. Pont. Max.
Antonius Trivultius .
Archangelus Madrignanus .
Aſcanius Maria Sfortia .
Attilius Petraſancta .
Auguſtinus Cuſanus .
Auguſtinus Iſimbardus .
Auguſtinus Trivultius .
Bartholomaeus Capra .
Bartholomaeus Capra alter .
Bartholomaeus Vicecomes .
Bonacurſus .
Branda Caſtillionaeus .
Branda Caſtillionaeus alter .
Caeſar Specianus .
Carolus à Baſilica - petri .
Carolus Cornacciolus .
Carolus Septala .
Carolus Vicecomes .
Carolus Antonius Agudius .
Carolus Franciſcus Ceva .
Coeleſtinus Sfondratus .

Con-

Digitized by Google

Conradus Manlius .

Dominicus de Valvaſſoribus .

Eleuterius Albergonus .

Fabricius Marlianus .

Ferdinandus Taberna .

Franciſcus Alciatus .

Franciſcus Boneſana .

Franciſcus Boſſius .

Franciſcus Boſſius alter .

Franciſcus Cittadinus .

Franciſcus Panigarola .

Franciſcus Picolpaſſus .

Franciſcus Sfondratus .

Franciſcus Simonetta .

Franciſcus Abundius Caſtillionaeus .

Franciſcus Maria Abbiatus Forrerius .

Franciſcus Maria Annonus .

Franciſcus Maria Septala .

B. Gabriel .

Georgius Cattaneus .

Gerardus Landrianus .

Gerardus Seſſa , ſeu Seſſius .

Guido de Summa .

Henricus Rampinus de Sancto Aloſyo .

Hieronymus Corius .

Hieronymus Figinus Oddus .

Hieronymus Fridericius .

Hieronymus Meltius .

Hieronymus Novatus .

Hieronymus de Valvaſſoribus .

Hildovinus .

Hippolytus Eſtenſis .

Hippolytus Eſtenſis alter .

Jacobus Simonetta .

Jacobus Antonius Moriggia .

Jacobus Antonius Turrianus .

Idelphonſus Manara .

Innocentius Melliavacca .

Joannes Caſtillionaeus .

Joannes Caſtillionaeus alter .

Joannes Moronus .

Joannes Raynonus Barizaldus .

Joannes Vicecomes .

Joannes Ambroſius Turrianus .

Joannes Angelus Arcimboldus .

Joannes Angelus Medices , poſtea PIUS IV. Pont. Max.

Joannes Antonius Sangeorgius .

Joannes Antonius Serbellonus .

Joannes Baptiſta Billius .

Joannes Baptiſta Rabbia .

Joannes Baptiſta Raynoldus .

Joannes Baptiſta Vicecomes .

Joannes Baptiſta Vicecomes alter .

Joannes Franciſcus Foſſatus .

Joannes Jacobus Caſtillionaeus .



Joannes Maria Buttinonus .

Joſeph Maria Mirabilia .

Julius Urſinus de Roma .

Landulphus Caſtillionaeus .

Leo de Fidelibus .

Leonardus Gryphius .

Lombardus Turrianus .

Ludovicus Maddius .

Ludovicus Mannius .

Ludovicus Septala .

Ludovicus Simonetta .

Ludovicus Taberna .

S. Magnus Felix Ennodius .

Marcus Marinonus .

Martinus Bonacina .

Milo Cardanus .

Nicolaus Amidanus .

Nicolaus Sfondratus , poſtea GREGORIUS XIV. Pont. Max.

Octavianus Raverta .

Octavius Boldonus .

Oldradus Oldradus .

Paulus Areſius .

Paulus Aemilius Sfondratus .

Petrus Gryſolanus .

Petrus Maynerius .

Petrus Philargus, poſtea ALEXANDER V. Pont. Max.

Philippus Archintus .

Philippus Archintus alter .

Philippus Meda .

Philippus Vicecomes .

Philippus Maria Ceſatus .

Pomponius Cotta .

Renatus Biragus .

Robaldus , ſive Roboaldus .

Romulus Archintus .

Scaramuccia Trivultius .

Stanislaus Hoſius .

## NUNCII, atque LEGATI APOSTOLICI.

ALexander Cribellus .

Alexander Porrus .

Aloyſius Homodeus .

B. Albertus à Sartiano .

Ambroſius Recalcatus .

S. Anſelmus de Badagio .

Anſelmus de Badagio , poſtea ALEX. II. Pont. Max.

Ardicio Rivoltella .

S. Arialdus Alciatus .

Arnulphus .

Aſcanius Maria Sfortia .

Auguſtinus Cuſanus .

Au-

Auguſtinus Trivultius.
Bartholomaeus Caimus.
Bartholomaeus Vicecomes.
Branda Caſtillionaeus.
Caeſar Montius.
Caeſar Specianus.
Camillus Meltius.
Carolus Vicecomes.
Carolus Franciſcus Airoldus.
Claudius Medulla.
Federicus Caccia.
Ferdinandus Taberna.
Franciſcus Alciatus.
Franciſcus Sfondratus.
Franciſcus Simonetta.
Franciſcus Maria Caſnedi.
Gaſpar Vicecomes.
Gerardus Landrianus.
Gerardus Seſſa, ſeu Seſſius.
Gotifredus Caſtillionaeus.
Gulielmus Rizzolius.
Henricus Rampinus de Sancto Aloſyo.
Hieronymus Archintus.
Hieronymus Fridericius.
Hieronymus Ripa.
Hippolytus Eſtenſis.
Hippolytus Eſtenſis alter.
Honoratus Vicecomes.
Joannes Arcimboldus.
Joannes Caſtillionaeus.
Joannes Moronus.
Joannes Vicecomes.
Joannes Ambroſius Turrianus.
Joannes Angelus Arcimboldus.
Joannes Antonius Sangeorgius.
Joſeph Archintus.
Joſeph Maria Mirabilia.
Ludovicus Taberna.
S. Magnus Felix Ennodius.
Petrus Gryſolanus.
Petrus Philargus, poſtea ALEXANDER V. Pont. Max.
Philippus Archintus.
Proſper Biragus.
Raynaldus de Concoregio.
S. Senator Septala.
Simon Borſanus, ſive de Borſano.
Stanislaus Hoſius.
Stephanus Nardinus.
Valerianus Magnus.
Vitalianus Vicecomes Borromaeus.
Vitalianus Vicecomes Borromaeus alter.

INTER EXTEROS

Balthaſſar Caſtillionaeus.



## SACRAE ROTAE AUDITORES.

ALexander Litta.
Antonius Trivultius.
Bartholomaeus Petraſancta.
Bernardinus Scottus.
Bernardinus Scottus alter.
Branda Caſtillionaeus.
Chriſtophorus Panigarola.
Conradus Manlius.
Federicus Caccia.
Federicus Vicecomes.
Flaminius Platus.
Gaſpar Vicecomes.
Gotifredus Caſtillionaeus.
Hieronymus Meltius.
Hieronymus Novatus.
Jacobus Simonetta.
Joannes Antonius Sangeorgius.
Joannes Antonius Trivultius.
Marcellinus Corius.
Philippus Decius.
Philippus Pirovanus.
Pompejus Arrigonus.
Pomponius Cotta.
Vitalianus Vicecomes Borromaeus.

## ADVOCATI CONCISTORIALES.

ALexander Litta.
Aloyſius Terzagus.
Anſelmus Rotius.
Bartholomaeus Capra.
Bernardinus Scottus.
Bernardinus Scottus alter.
Federicus Caccia.
Flaminius Platus.
Franciſcus Boſſius.
Franciſcus Gluſſianus.
Hieronymus Meltius.
Horatius Arrigonus.
Jacobus de Cuticis.
Jacobus Simonetta.
Joannes Aloyſius Toſcanus.
Joannes Baptiſta Raynoldus.
Joannes Petrus Moneta.
Julius Urſinus de Roma.
Marcellinus Corius.
Pompejus Arrigonus.

CA-

Digitized by Google

## CANONICI ORDINARII ECCL. METROPOL. MEDIOL.

ALoyſius Boſſius.
Ambroſius Carcanus.
Ambroſius Scaccabarozzius.
Andreas Bonus.
Antonius Gluſſianus.
Antonius Puſterla.
Antonius Ruſca.
Bartholomaeus Bonſignorius Buſtus.
Bartholomaeus Caepolla.
Bartholomaeus Capra.
Bartholomaeus Craſſus.
Brunorus Taberna.
Caeſar Specianus.
Carolus à Baſilica-petri.
Carolus Carcaſſola.
Carolus Septala.
Carolus Antonius Airoldus.
Carolus Franciſcus Ceva.
Carolus Thomas Bazetta.
Caſſonus Turrianus.
Chriſtophorus de Medicis.
Datheus.
Diomedes Crucejus.
Fauſtinus Mazenta.
Federicus Vicecomes.
Franciſcus Caſatus.
Franciſcus Collius.
Franciſcus Crucejus.
Franciſcus Hieronymus Saxius.
S. Galdinus.
Gulielmus Rizzolius.
Henricus Scaccabarozzius.
Henricus Septala.
Hieronymus Brippius.
Hieronymus Rabbia.
Hieronymus Septala.
Horatius Caſatus.
Joannes Beſutius.
Joannes Ambroſius Turrianus.
Joannes Andreas Rhaudenſis.
Joannes Andreas de Vicomercato.
Joannes Antonius Trivultius.
Joannes Baptiſta Litta.
Joannes Baptiſta Plantanida.
Joannes Baptiſta Raynoldus.
Joannes Petrus Moneta.
Joannes Petrus Vicecomes.
Joſeph Brippius.
Joſeph Cattaneus.
Joſeph de Valvaſſoribus.
Ludovicus Barbavara.
Ludovicus Septala.
Marcus Aurelius Grattarola.
Nicolaus Pacedianus.
Nicolaus Rubinus.
Oldericus.
Paganinus Bizozerus.
Petrus Caſola.
Philippolus Bizozerus.
Philippus Lampugnanus.
Robaldus, ſive Roboaldus.
Theodorus Trivultius.
Ubertus Cribellus, poſtea URBANUS III. Pont. Max.
Vido de Valvaſſoribus.
Vitalianus Oldradus.

INTER EXTEROS

Franciſcus Antonius Tranchedinus.

## VARIORUM ORDINUM REGULARIUM PRÆSIDES, & VICARII GENERALES.

AEgidius Conſonius.
B. Albertus à Sartiano.
Alexander Madernus.
B. Alexander Saulius.
Andreas Bonfantus.
Angelus Maria Alchiſius.
Antonius Averarius.
Archangelus à Gallarato.
Attilius Petraſancta.
Aurelius Baſſus.
Bartholomaeus Mozzonus.
Benedictus Alciatus.
Bernardus Serpontus.
Cambius Boſſius.
Carolus à Baſilica-petri.
Carolus Cornacciolus.
Carolus Pinus.
Carolus Franciſcus Mangonius.
Claudius Medulla.
Clemens Caprettus.
Chriſtophorus Maria Staurengus.
Deſiderius Piola.
Dominicus Muggianus.
Dominicus de Valvaſſoribus.
Evangeliſta à Canobio.
Franciſcus Caſtellus.
Franciſcus Zenus.
Gaſpar Legnanus.
Gulielmus Bramicellus.
Hieronymus Boſſius.
Hieronymus Legnanus.
Hieronymus Torchius.

Hieronymus de Valvaſſoribus.
Hilarion Tadinus.
Innocentius ab Eccleſia.
Joannes Legnanus.
Joannes Marlianus.
B. Joannes Oldradus.
Joannes Ambroſius Mazenta.
Joannes Angelus Boſſius.
Joannes Baptiſta Confalonerius.
Joannes Baptiſta Formentus.
Joannes Baptiſta Novatus.
Joannes Baptiſta Porrus.
Joannes Franciſcus Gaddius.
Joſeph Maria Mirabilia.
B. Lanfrancus Septala.
Laurentius Lampugnanus.
Leo de Carate.
Luchinus Arconatus.
Luchinus Corvinus de Aretio.
Marcellinus Marmori.
Michaël Miſſeronus.
Octavius Cuſanus.
Octavius Vicecomes.
Oroſius Hoſius.
B. Paulinus.
Paulus Moriggia.
Paulus Aemilius Barbaruſſa.
Paulus Antonius Sormanus.
Philippus Cribellus.
Philippus Vicecomes.
Severinus Chalcus.
Simon de Aliprandis.
Stephanus de Arſago.
Theophilus Gallinonus.
Thomas de Caravagio.
Thomas Origonus.

INTER EXTEROS

Auguſtinus Torniellus.
Jacobus Boſcalinus.

## CANONICI LATERANENSES.

B. ALbinus.
Aloyſius Figinus.
Ambroſius Canobius.
S. Anſelmus de Badagio.
Anſelmus Tantius.
Archangelus Campatius.
Aſcanius Ordeus.
Baſilius Serenius.
Benedictus Cantianus.
Caeſar Battalea.
Cambius Boſſius.
Carolus Antonius Archintus.
Carolus Matthaeus Marcheſonius.
Celſus Dugnanus.
Conſtantius Applanus.
Eugenius Dioneſanus.
Euſebius Corradus.
Felix Actius.
Franciſcus Maria Abbiatus Forrerius.
Gaſpar Legnanus.
Gregorius Brunellus.
Hieronymus Boſſius.
Joannes Stampa.
Joannes Franciſcus Gaddius.
B. Leo de Carate.
Ludovicus Mazenta.
Odoardus Riſius.
Oroſius Hoſius.
Pantaleo Cuſanus.
Philippus Picinellus.
Polycarpus Urſius.
Severinus Chalcus.
Simon de Aliprandis.
Simon Laſorius.
Tiburtius Boſſius.

## CANONICI CONGREGATIONIS RHENANÆ.

Anonymus XXV.

## CANONICI CONGREGATIONIS S. GEORGII IN ALGA.

Romanus Rodellus.

## PRESBYTERI SOCIETATIS JESU.

ALexander Archintus.
Alexander Gherardinus.
Alexander Simonetta.
Alphonſus Bertarellus.
Alphonſus Gallaratus.
Auguſtinus Sclafenatus.
Bartholomaeus Puſterla.
Bartholomaeus Recalcatus.
Baſilius Alamannus.
Carolus Moneta.
At Brixia quoque inſignem admodum in hac ipſa Arabicorum typorum laude Civem ſuum oſtentare valet, videlicet Paganinum, Arabicæ Alcorani Editionis parentem. Egregiam ab Alexandro hujus filio adhibitam fuiſſe operam pro ſtatuenda in Benacenſis regionis oppido, unde Brixianus Epiſcopus Marchionis titulo decoratur, Typographia, quæ Aldinarum Editionum copiam, ac nitorem æmularetur, pluribus locis proditum a me deprehendes in libro de Brix. Literat & præſertim ex quadam ejuſdem Alexandri Præfatione, in qua profitetur, ſe omnibus viribus curaturum, ut Aldum Manutium, rei literariæ non illuſtratorem tantum, ſed parentem, & diligentia, & ſedulitate imitaretur; additque, *quo circa nullis parcere impenſis decrevimus ..... ſummum præmium meis laboribus repenſum judicaturus, ſi meam vobis operam* (ſtudioſos bonarum literarum alloquitur) *profuiſſe cognovero*. At multo majorem in re Typographica induſtriam exercuiſſe dicendus eſt Paganinus pater, cui debetur Alcorani Arabico idiomate impreſſio, quæ utique facit, ut Brixiani typi, haud minus quam Mediolanenſes, hac certe in parte ſuperbiant. Ejus Editionis a Paganino concinnatæ certiſſimum documentum nobis exhibet liber inſcriptus, Introductio in Chaldaicam linguam, Syriacam, atque Armenicam, & decem alias linguas, quem compertiſſimum Tibi eſſe nullus dubito, præſertim quod Papiæ editus viſatur, auctoremque habeat virum doctiſſimum, & maxime illuſtrem, in ea ipſa Mediolanenſis ditionis Urbe nobili ſanguine procreatum. Is eſt Theſeus Ambroſius, Alboneſii primo regulus, deinde in Lateranenſium Canonicorum, quorum Inſtituto ſe addixerat, Cœnobio, ſcilicet S. Petri in Cœlo aureo Papiæ Præpoſitus, Vir non Papienſibus tantum ſuis, non Mediolanenſi tantum ditioni, ſed Italiæ, ſed Galliæ, ſed Germaniæ admodum notus, quod primus fuerit Orientalium linguarum in Italia, imo omni Europa reſtaurator. De eo Cl. Jo: Georgius Schelhornius in lucubratione de eximiis Suevorum in Orientalem literaturam meritis Tom. XIII. Amœnit. Literar. ubi refert Jo: Alberti Widmanſtadii in iiſdem linguis inſtructiſſimi conſuetudinem, quam iſte in Præfatione Novi Teſtamenti Syriaci, ſua cura Viennæ in Auſtria anno 1555. evulgati, habuiſſe ſe narrat cum optimo, ac doctiſſimo Ambroſio ann. 1529. quo Carolum Cæſarem Bononiam, ſacri diadematis cauſa, proficiſcentem, comitatus fuerat, & quanta ille cum humanitate Orientales Theſauros multo ſudore comparatos ſecum communicaverit. Conſuetudinem vero ejuſdem Ambroſii cum Guilielmo Poſtello, Gallo illo celeberrimo, eorundem theſaurorum perſcrutatore, ob quos videlicet meliorem Aſiæ partem ſemel, iterumque peragravit, apertam nobis reddit Ambroſii liber ille paulo ante laudatus, ad cujus calcem plures eorundem mutuæ literæ recitantur. Atque una ex ipſis eæ ſunt, quæ certiſſimum teſtimonium perhibent navati a Paganino laboris in Alcorano Arabicis formis excudendo, eæ ſcilicet, in quibus Poſtellus Ambroſio ita ſcribit: *Vi prego di grazia continuate le voſtre diligentie di ſaper da quello qui ſtampò l'Alcorano Arabico ſe lui voleſſe vendere i ſuoi ponzoni, overo una matrice, & eſſendo advertito del precio vi manderò dinari perche ho molto di biſogno di quei per ſtampar noſtra Grammatica Arabica, & altri libri da legger in medicina, così facendo havrete parte de le lode in tutte le lingue.* Quibus Poſtelli literis hæc Ambroſius ſubjungit: *Omni interea ſtudio, cura, atque diligentia non ceſſavi, Alexandrum Paganini Brixienſis filium, & qua potui etiam ſolicitudine, amicorum interventu rogare non deſtiti, ut typos, formaſque Punicarum literarum, quibus olim pater ejus Alcoranum impreſſerat, juſto vellet Poſtello vendere pretio, quod cum facere jam paratus eſſet, & dum amicum ejus rei certiorem facere præparo, libellum duodecim linguarum, differentiumque literarum Gulielmi Poſtelli publicatum conſpicio.*

Arabicam, de qua loquor, Editionem circa annum 1530. emiſſam a Brixienſi illo Typographo, rariſſimam eſſe, & pauciſſimis notam, admonet Jo: Voght in Opere paulo ante laudato, ac proinde ſenſiſſe Auguſtinum Pfeifferum, Richardum Simonium, & Chriſtianum Winchmanſauſen, nunquam plane typis editum fuiſſe Alcoranum Arabicum ante Editionem, quam an. 1604. Abrah. Hinckelmanus publicavit; atque ejus raritatis cauſam idem Scriptor tribuit Pontificiæ ſanctioni, ex qua exemplaria illius ad unum omnia flammis ſunt tradita. Præpoſterus aliquibus viſus eſt zelus ille Romani Pontificis, haud minus quam Cardinalis Franciſci Ximenii, ex cujus imperio quinque millia Volumina, Mahumetanam impietatem continentia, ignis abſumpſit. Dolet id præ cæteris duobus locis Schelhornius, ſcilicet Tom. II. Amœn. Lit. ubi diſſerit de libris publica auctoritate combuſtis, & fuſius Tom. VIII. ubi argumentum idem retractat, inſtituta Diſſertatione, quam

Sche-

Schediaſma inſcribit, de variis pœnis in libros ſtatutis, atque ibidem inter cætera hæc leguntur: *In ipſo autem Romano cœtu ſaniores noſtra ætate Alcoranum non amplius Vulcano adjudicare vel inde patet, quod in ipſa Italia, Patavii ſcilicet an. 1698. cum Ludovicus Maraccius, Innocentio XI. Pont. Max. dum viveret a Confeſſionibus ſacris, cum verſione Latina, notiſque, ac refutatione publicæ luci reſtituerit*. Explicat poſtea quam valde interſit, ut extent illiuſmodi libri, ſi non alia de cauſa, ſaltem ut ἀλλοφύλων dogmata inde perſpici, atque ſolidis argumentis refelli queant, & plura ad hanc rem profert ex Wagenſelii libro, quo Tela ignea Satanæ, ſive arcani, & horribiles Judæorum adverſus Chriſtum Deum, & Chriſtianam Religionem libri ἀνέκδοτοι ex Europæ, Africæque latebris eruti in lucem protruduntur, Latina interpretatione, & confutatione adjecta; ac tandem non dubitat cum Daniele Morhofio in hocce votum, indicans ſacerrimum de tribus Impoſtoribus librum (ſi modo is unquam extitit) erumpere: *Utinam ejus farinæ libri extarent, & legi ab omnibus poſſent! Certus ſum, ex ipſis tela, quibus eorum calumnia juguletur, nos depropturos*. Profecto ad cauſam Religionis juvandam ſpectaſſe Paganini Brixienſis in Arabicis characteribus uſurpandis induſtriam, vel inde conjicere poſſumus, quod magna cum ipſo, ſeu cum ejuſdem filio Alexandro, neceſſitudine conjunctus Ambroſius, unice & ipſe ad ejus cauſæ bonum ſpectaſſe in Orientalibus iis mercibus ſibi parandis certo certius dignoſcitur ex libro ab eodem conſcripto, & ſuperius enunciato, imo etiam ex verbis, quibus ipſum uſum fuiſſe, dum ſecum eas merces liberaliter communicaret, fidem facit Widmanſtadius in laudata Præfatione, affirmans, ea obteſtatione illas ab Ambroſio ſibi ſuppeditatas fuiſſe, *ut quo me beneficio* (ait ille) *tum amplectebatur, id olim apud Eccleſiam Jeſu Chriſti collocarem*. Equidem hujuſcemodi beneficia ſumma cum laude, & cum præclariſſimo Religionis fructu collocari poſſe apud Chriſti Eccleſiam, edoceri ſatis nos dicam (ſi cætera deeſſent) duorum Sanctiſſimorum Antiſtitum exemplis, quorum unus, nempe Cardinalis Federicus Borromæus in Mediolanenſi iſta tua regione, alter, nempe Gregorius Barbadicus in hac Veneta mea, ambo Solis inſtar inter Eccleſiæ ſydera emicuerunt, ambo, dum viverent, præſtantiſſimi literatorum omnium Mecœnates, & ambo iſti, ut relicta ab eis monumenta teſtantur, Orientalis literaturæ, ideoque Arabicæ, munificentiſſimi patroni.

Poſtquam autem explicaſti quid in peregrinis linguis imprimendis Typographiæ Mediolanenſi, atque Civium tuorum induſtriæ debeatur, ad Latinas Editiones progrederis, quibus pariter plurimum profuiſſe Mediolani typos, optimo jure contendis, cenſu quarundam ex ipſis (nam ſingulas ſuis quaſque locis adnotandas in Operis decurſu reſervaſti) recitato. Quare mearum partium modo erit oſtendere, in veteribus Editionibus juvandis præclarum etiam quidpiam præſtitiſſe Brixianam Literaturam, & præclarius adhuc, quam ſi illas ipſas ſuis e torcularibus emiſiſſet. Oſtendam igitur iiſdem, etſi ab exteris quandoque typis profectæ, ſeu caſtigandis, ſeu locupletandis utiles admodum fuiſſe Brixianorum labores, quos proinde magni facere neceſſe ſit, quotquot earundem Editionum amore capiuntur. Quoniam vero Brixiana ingenia renaſcentium literarum ætate præſertim ad ornandas vetuſtas Latinorum Poëtarum Editiones, egregiam operam collocaſſe, palam fecit pars prima mei illius libri de Brix. Liter. juvabit non aliunde, quam ex eo ipſo fundo depromere quæ faciunt ad rem, de qua hic agitur, comprobandam, quin opus habeam ad aliorum etiam Auctorum Editiones evagari. In pauca itaque contraham quæcumque huc putavero argumento meo inſervire, idque agens, cura Te eximam meæ illius lucubrationis rurſus evolvendæ, quod certe minime admitterent graviſſimæ illæ, quibus novi Te diſtineri, tam in ſacris, quam in literariis rebus occupationes, unde magnum emolumentum non in celeberrimum tantum iſtud Ambroſianum Collegium, cui præes una cum ejuſdem Bibliotheca, ſed in univerſam iſtam Metropolim derivari, omnium ore vulgatur.

In ea lucubratione decem Latinos Poëtas, partim aureæ, partim argenteæ ætatis recenſui, quibus omnibus præire feci Comicorum principem, M. Accium Plautum. Hujus Comœdiæ poſt medietatem Sæculi XV. doctos admodum & illuſtres nactæ ſunt Interpretes, ac in primis Georgium Merulam, Alexandrinum, Virum de literis Mediolanenſibus optime meritum, deinde Euſebium Scutarium, Vercellenſem, ejuſdem Merulæ diſcipulum, pariterque Bernardum Saracenum, Venetum, & Joannem Baptiſtam Pium, Bononienſem. Horum omnium vigilias oſtentant quotquot in lucem, Mediolani præſertim, & Venetiis, prodierunt earum Comœdiarum Editiones, ab anno MCCCCLXXII. quo omnium principem Merula adornavit, uſque ad finem ejus Sæculi. Hoc autem extremos anhelitus ducente, eidem Spartæ manum admovit Brixianæ juventæ doctiſſimus moderator, Pylades, Brixianus, quo nemine inter ſuos doctior, totuſque incumbens in immenſam ſylvam percurrendam, novam ſuo ſtudio vitam reddidiſſe exiſtimatus fuit Plautinis Comœdiis, ſeu, ut in Grammaticorum ore ea ætate ferebatur, Plautinos ſales, & numeros ab inferis revocaſſe. Quo munere non alia magis ratione ſe naviter fungi poſſe putavit, quam ſi in recenſitos Plauti Interpretes cenſoriam virgulam diſtringeret; ac propterea non Merulæ, non Scutario, non Saraceno, non Pio parcendum ratus, eorum omnium errores refellendos ſuſcepit, ſua earundem Comœdiarum Editione intra quinquennium parata. Hanc gravi morbo, qui fatalis ipſi fuit, oppreſſus, amico, ac conterraneo ſuo doctiſſimo, Joanni Britannico, commendavit, iſtoque curante ea lucem aſpexit in Urbe Brixia anno MDVI. typis Jacobi Britannici, omni quidem ſtudio, *ne ab Archetypo aberraret*, ut Impreſſor ad Voluminis illius calcem profitetur. Præmittitur ei Editioni ipſius Pyladis Epiſtola ad Aloyſium Dardanum (magnus hic fuit Venetæ Reipublicæ Cancellarius) cui pariter inſcribitur Epiſtola ejuſdem Jo: Britannici, quæ illico in eo Volumine poſt Pyladis illam ſubſequitur. Utraque exhauſtos a Pylade labores pro Augiæ ſtabulo, ut ita dicam, expurgando ob oculos ponit. Pylades ſuam exorſus eſt a Merulæ reprehenſione, quippe qui *Chalcographis Plauti Comœdias imprimere volentibus, quia in illis vel orthographiæ neſcio quid addidiſſet, vel paucas dictiones, Scriptorum ignorantia confuſas, & inculcatas, ſeparaſſet, laborioſum conatum ſuum ejuſmodi, laboribus Herculaneis comparandum cenſuit*. Hujuſmodi verbis ſtatim ſubjungit, Merulæ oſtentationem eo magis carpendam, quo certius conſtat, eundem in Opere illo ſuo non pauca quædam, ſed innumerabilia errata reliquiſſe, ſeu Scriptorum inſcitiæ, ſeu Correctorum audaciæ adſcribenda forent. Scutarium correctoris nomine ab illo hic deſignari palam eſt; at aperte Pium, & Saracenum poſtea nominat, affirmans & cum iis deluctandum ſibi fuiſſe, cum eorum ſcilicet ineptiis, & futilibus commentationibus, *quibus* (ait ipſe) *ad trium errorum millia debacchati, univerſum fere Plauti ipſius Codicem fœdis maculis oblitum reddiderant, ut qui ante Georgium ægrotabat, his duobus veluti inſulſiſſimis medicis ad extremam perniciem deductus, & quaſi conclamatus diceretur*. Tandem de Commentariis ſuis ita loquitur: *Commentarios itaque noſtros in eundem Poëtam aggreſſi, quibus potuimus viribus, ſincerum illum, & emaculatum conſervare, apertiſſimoſque ipſius ſenſus omnibus tradere ſtuduimus. Ingenue tamen hoc teſtati, nos omnia illius ſenſa penitus adiiſſe minime profiteri,*

quin

*quin ſuperfuiſſe nonnulla , ne nobis quidem ſatis intellecta , tum vitio temporum , tum vero codicum fragmentis , ſed ea quidem pauca admodum . Satis autem viſum eſt , publicæ utilitati , quo ad vires noſtræ effunderentur, profuiſſe; utque cognoſcenda hæc, corrigendaque nobis Georgius reliquit , ſic nos quoque aliis cætera poſt nos memoranda relinquimus* . Britannici autem Epiſtola ſtatim narrat, quibus verbis uſus Pylades , jam morti proximus , commendaverit ſibi labores , quos in Plautum ſuſceperat , quin languore ſuperveniente eoſdem perficere valuiſſet ; deinde eoſdem labores collaudat , quod iis Pylades foret conſequutus , ut in Plauti Comœdiis nihil deſiderari amplius poſſe videretur . Quæ omnia , ut recte intelligis , ſatis indicant , Brixiam Mediolano , aliiſque civitatibus primarum Plauti Editionum decus ea de cauſa quodammodo conceſſiſſe , ut ſuam ipſa demum publicaret, qua in prægreſſas magiſterium exerceret . Novi utique , Pyladi meo non omnes certe Grammaticos falces ſubmiſiſſe , imo vero Thadæum Ugoletum , Parmenſem , acriter in eundem pro Georgio Merula , præceptore ſuo , depugnaſſe , atque affirmaſſe , dubitationi locum eſſe , num in illo vitia, an virtutes excellerent . At ſeu Ugoletus , ſeu alii Pyladis obtrectatores in dubiuni non revocaverint , ex eruditis hujus conatibus id boni in Plautinas Comœdias derivatum fuiſſe , ut veteres earum Editiones , quæ Brixianam præceſſerant , majore cum fructu hac evulgata legi poſſent , utque eandem ſubſequutæ cultiores in ſtudioſorum manus pervenirent . Res agebatur communis, Comœdiæ Plautinæ ab omnibus juvandæ erant , qui Muſas Latinas colerent ; quare ea ipſa jurgia , quæ Pylades adverſus primos Commentatores excitavit, mentem calamumque aliorum Interpretum ad eaſdem defœcandas , & perpoliendas , ſeu ut Pyladi ſuffragarentur , ſeu ut ipſi adverſarentur , acuerunt . Id autem certe peculiarem Brixianæ Editioni illi gloriam conciliat . Cæterum veritatis amor , quem mihi enatas circa Plautum controverſias ſeu deſinente Sæculo XV. ſeu ineunte XVI. deſcribenti , humaniter Hiſtoriæ tuæ pag CCCCXXXIII. gratularis ; is ipſe efficit , ut fateri cogar , Merulam , & Pium , quos meo in libro de Brix. Liter. ex ingenii magnitudine, atque ex reconditarum , & veterum literarum doctrina ingenue , etſi in ipſos acerbe calamum adhibuerit Pylades , Brixianus , commendavi , ea ipſa laude digniores mihi videri , poſtquam tradita de ipſis in Hiſtoria illa tua perlegi . At ille ipſe animi candor inſuper me extimulat , ut minime Tibi diſſimulem , mirum in modum implexa me in eadem Hiſtoria deprehendiſſe , quæ de chronicis notis Venetæ , & Mediolanenſis Plauti Editionum prodidiſti . Venetæ , quam omnium primam Merula adornavit , affinxeram ipſe notam anni MCCCCLXXII. & notam anni MCCCC LXXXX. Mediolanenſi , in qua præcedit Epiſtola ipſius Merulæ ad Jacobum Zenum , Antiſtitem Patavinum , & ſubnectitur Epiſtola Euſebii Scutarii ad eundem Merulam, notam tandem an. MCCCCLXXXXV. Venetæ , quæ Mediolanenſem modo enunciatam rurſus exhibet . Rationes meas iſtas omnes conturbant quæ de iiſdem notis prodidiſti , primo pag. CXCVII. de Scutario ita ſcribens : *Emendandas ſuſcepit Plautinas XX. Comœdias , quas olim ſtudio ſuo expolitas Georgius Merula primus e tenebris eruerat an. MCCCCLXXII. eaſque octennio elapſo Mediolani imprimendas curavit* ; deinde pag. DXLVII. ad ejuſdem Scutarii Epiſtolam , quam recitaſti , hæc adnotans : *Effugerat oculos meos hæc Epiſtola , quam in calce Commentariorum ad Plauti Comœdias Euſebius Scutarius imprimendam curaverat , cum iidem Venetiis editi a Merula , anno MCCCCLXX. caſtigatiores in Urbe noſtra , duodecim poſt annis in lucem prodirentur* . Quidnam ſit octennium primo loco ſignatum , quidnam annus MCCCCLXX. in altero loco repræſentatus , & quidnam ſint duodecim anni ibidem expreſſi , prorſus ignoro ; quin tamen ulla dubitatio me ſubeat, num notæ, quas ipſe ſignaveram, ab archetypis vel tantillum aberrent, nam juſte omnino , & exacte appoſitas a me fuiſſe , nova adhibita ad eam rem diligentia deprehendi . Hæc ipſa tamen ( ne quid diſſimulem ) effecit , ut libri mei mendum ad calcem Scutarii Epiſtolæ, a me quoque ibi recitatæ , non ante deprehenſum , animadverterim . Ei ſiquidem ſubjungitur nota anni MCCCCLXXXXV. quæ tamen non ad Epiſtolam illam, ſed unice ad Editionem pertinet , ſcilicet ad tempus , quo iſta confecta fuit, quinquennio poſt parem aliam Mediolani evulgatam , quam ipſe in Catalogo tuo pag. LXXXVII. indicaſti . Mendum illud , præterquam quod ex ſe patet , nam extat ea Scutarii Epiſtola in Mediolanenſi illa Editione anni MCCCCLXXXX. ac proinde conſcriptam ipſam fuiſſe oportet aut eo ipſo anno, aut ante ipſum, nunquam certe poſt ipſum , declaratur etiam ex anno emortuali Georgii Merulæ , quem certo conſtat eſſe annum MCCCCLXXXXIV. Ad hanc rem demonſtrandam novum ipſe argumentum attuliſti pag. CXCVI. depromptum ſcilicet ex Leonis Vercellenſis Epiſtola ad ipſum Euſebium Scutarium ; hic propterea anno proxime ſubſequenti non quidem Merulam viventem, quod in ſua illa Epiſtola præſtitit , alloqui potuiſſet, ſed de Merula ſcripturus , hujus obitum defleviſſet . Typothetæ oſcitantiam, & correctoris imprudentiam, quam ipſe cauſatus ſum in nota Scutarii Epiſtolæ appoſita , æque & ipſe cauſaberis , ut puto , in notis illis in Opus tuum invectis , ac proinde utrique noſtrum Horatianum illud uſurpandum erit ,

*Scimus, & hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim.*

Plauto proximum in ea Decade , quam recenſendam ſumſi , P. Terentius occupat locum , is ipſe cujus primam Editionem in lucem protuliſſe Mediolanum Urbem in Proleg. gloriaris , quemque credere fas eſſet librum omnium primum , qui Mediolani excuſus fuerit , ſi Aratoris Subdiaconi Poëſi , & illuſtrium Virorum Epiſtolis , quos libros tuo in Catalogo ante Terentianam Editionem collocaſti , litem jure quiſpiam intentare poſſe ſe putet ( nam a Te minime viſas fuiſſe binas illas Editiones fateris ) quemadmodum intentari novimus Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus , unde idem Catalogus initium ducit . At quicumque locus Terentii Comœdiis in eo Catalogo debeatur , æquo animo patere , ſi confidenter affirmabo, haud minus Editioni illi eas anteferendas, in quibus Calphurnii , Brixiani , nomen comparet , quam anteferendam eſſe ſuperius demonſtravi non Mediolanenſi tantum veſtræ, ſed reliquis etiam, quæ ipſam præceſſerunt , Plauti Editionibus Brixianam illam , quam Pylades , Brixianus, adornavit, quamque Brixiani Britannici prælum excudit. Nactus enim eſt Terentius ſuum Calphurnium , quemadmodum nactum fuiſſe vidimus Plautum , ſuum Pyladem ; imo vero impenſa a Calphurnio opera in Terentium illuſtrior quodammodo haberi debet ea , quam Pylades in Plautum impendit . Pylades ſiquidem ei labori ſe dedit , poſtquam doctiſſimi illius ætatis Viri diu , multumque in eadem incude tundenda ſudaſſent ; at primus ex ejuſdem ævi Scriptoribus fuiſſe videtur Calphurnius , qui curam illam ſubiret . Subiit vero tanto cum ſucceſſu , ut non defuerint , qui ſuſpicentur ipſius Enarrationem in Comœdiam Heautontimorumenon Aelio Donato eſſe tribuendam , celeberrimo , inquam , Terentii Interpreti , quem a mortuis excitandum ſcribit Robertus Stephanus in Præfat. ſuæ Edit. ſi quis omnia accuratiſſima in Terentio requireret . Suſpicionem illam movent Curatores locupletiſſimæ ejus Poëtæ Editionis Hagæ Comitum an. 1726. publicatæ , in qua Dramatis proxime enunciati Calphurniana Enarratio vices ſupplet Donatianæ, quæ ad illud deſideratur . Valeat autem ea ſuſpicio , nec enim inter Plagiarios locum ullum promeretur Calphurnius , ſed abſque controverſia

unum ex primis inter eruditos ſui temporis ſubſelliis, namque , ut de ipſo canit Pierius Valerianus ,

*Sciebat ille quidquid eſt ſciri datum*
*In expolitis undecumque literis ,*
*Seu Græca velles , ſeu Latina poſceres .*

Porro Terentius non unius tantum Dramatis Enarrationem Calphurnio debet , ſed aliorum omnium caſtigationes , quas magna cum laude memorari video in Tarviſina an. MCCCCLXXVII. Editione , nam in ea hæc legitur nota : *P. Sexti Terentii Afri cum Aelii Donati Grammatici examinata interpretatione finis . Inſuper addita eſt Calphurnii in Heautontimorumenon Terentii accurata expoſitio . Lepidas, elegantesque Terentii Comœdias cum Donati interpretis Commentario juxta fidele Calphurnianæ caſtigationis exemplar , doctrinam , ſtudiumque Calphurnii Hieronymo Bononio enixe commendante , Hermannus Levilapis , Colonienſis , probatiſſimus librariæ artis exactor ſumma confecit diligentia .* Itaque Terentii Editio illa , quam omnium primam ſua in Urbe cuſam jactat Mediolanum , imo vero & reliquæ plures ejuſdem Poëtæ tuo in Catalogo recitatæ , ſiquidem deſtituantur Viri illius docti , quem Brixia jactat , interpretationibus , & caſtigationibus , non tanti faciendæ eſſe videntur , quanti eruditus quiſque facit Editiones Terentium cum Calphurnio conjungentes . Hujus hominis doctrinæ , atque induſtriæ in Terentium hoc perhibet teſtimonium Curator Venetæ Editionis per Lazarum de Soardis evulgatæ in Monito ad Lectorem . *Eccum , ſtudioſe Lector , dignum ſedulæ lectionis librum aureum , in quo tot vulnera , imo vero flagitia , librariorum quidem incuria , ſcatebant , ut multi divinum opus , tanquam ſenticetum, aut lemuribus infame domicilium evitarent . Ea cum Jo: Calphurnius optimo , quo præſtat , ingenio in his libris , qui olim impenſis Lazari de Soardis cum figuris impreſſi fuerant , vel cicatrice , vel ſplenio contexiſſet , imo vero revellere curaſſet , ego quoque committere nolui , ut in aliis omnibus , præter quam dicti Lazari libris , latitantia vulnera cuiquam fraudi fore .* Haud abnuo , Zaroto , antiquiſſimæ tuæ Terentii Editionis Curatori ſingularem laudem deberi , non ob eam tantum Editionem , ſed multo magis , quod ætatem pene integram ſuam in typis veſtris abſumpſerit , adeo ut ab anno ejus Editionis publicatæ laudabilem artem , quam amplexus fuerat , haud intermiſſa occupatione ultra Sæculum XV. impigre perduxerit , quodque præterea conſortes ſibi adſciverit amplificandæ nobiliſſimæ ei merci Viros non e trivio ductos , aut lucri tantum libidine incenſos , ſed ſincero erga literas amore , ſtudioque præclaram illa ætate famam conſequutos ; hæc , inquam , minime abnuo , nam ſingula de eo in Prolegom. agens , indubiis teſtimoniis confirmaſti . At quid Zarotus , ſi cum Calphurnio comparetur ? Quid ſuſcepta a Zaroto in Terentium , ſeu in alios etiam Poëtas edendos cura, ſi cum Editionibus per Calphurnium caſtigatis , & illuſtratis conferatur ?

C Valerii Catulli , de quo modo agendum , nam ſtatim poſt Terentium liber de Brix. Literat. eum recenſet . Editionem ſatis antiquam , ſcilicet an. MCCCCLXXX. tuus profert Catalogus . At quantum pretio inferior ea ſit , quam Brixiana anni MCCCCLXXXV aut VI. vel ipſe fatearis, oportet, ſi animadvertas , eius Poëtæ veteres omnes Editiones , quæ Calphurnii Brixiani , de quo paulo ante , caſtigationes non præferant , non niſi magno cum ſtomacho legi potuiſſe , teſtibus ejus ætatis Scriptoribus . Hieronymus Avantius , Veronenſis , confectam a ſe Catulli Carminum emendationem , Auguſtino Moravo , Olomucenſi , inſcribens , hæc de Calphurnio ad ipſum habet : *Quis enim ante Calphurnii caſtigationem Catulli ſcripta non ſtomachoſus attingebat ? Hic porro , quantum humani ingenii vires paſſæ ſunt , uno menſe elaboravit , ut quatuor illi Poëtæ emendatiores haberentur .* Avantii in Catullum præclaros labores quum idem Auguſtinus ſtudioſæ juventuti commendandos ſuſcepiſſet in Epiſtola huic inſcripta, eorum gloriæ haud mediocriter conſultum fuiſſe profitetur , quod Avantii Scripta ſedulo perlegiſſent , ac mire collaudaſſent Viri *nulla non laude majores* , atque inter ipſos recenſet Calphurnium Brixienſem . Suſceptam a ſe Catulli expurgandi curam ipſe Calphurnius in Epiſtola ad Hermolaum Barbarum , præmiſſa Editioni Vicentinæ quatuor illorum Poëtarum , quos Avantii Epiſtola indicavit , his verbis deſcribit : *Superioribus diebus a quibuſdam adoleſcentibus ſtudioſis rogatus , ut Propertium , aut ſi nollem hunc , Papinii Sylvas lectione quotidiana interpretarer , ne deſiderium eorum fruſtarer , promiſi me facturum , quod vellent . Quapropter cum percurrere cœpiſſem id opus , quod Venetiis impreſſum eſt , quod hos Poëtas clariſſimos continet , Catullum , Tibullum, Propertium , & Sylvas , tot mendis refertum eſſe deprehendi , ut longe plura eſſent vitioſa , & depravata , quam quæ emendata . Nullus certe ſenſus ex his elici poterat . Confeſtim conveni nonnullos impreſſores , & eos cohortatus ſum , ut iterum id opus imprimerent ea correctione , quam pollicitus ſum . Poſſum igitur gloriari , me non id emendaſſe , ſed fere totum exſcripſiſſe , ut quiſquis deprehendere poterit collato utroque exemplari .* Catulli ſitu ſquallentis miſerandam ſortem , præter Calphurnium , adeo vehementer indoluit paulo ante laudatus Auguſtinus , ut de ſe ipſo Vatem illum lepidiſſimum vaticinatum eſſe putaverit , dum hos verſus condidit :

*At vobis male ſint malæ tenebræ*
*Orci , quæ omnia bella devoratis .*
*Tam bellum mihi paſſerem abſtuliſtis .*
*O factum male , o miſelle paſſer !*

Venio nunc ad Brixianam Catulli Editionem . Eam Jo: Albertus Fabricius in Biblioth. Lat. omnium primam fuiſſe tradidit , quum dicere debuiſſet , earum tantummodo principem fuiſſe , quæ Catulliana Poëmata doctis Commentariis , ab Antonio Parthenio Laciſio , Veronenſi , elaboratis , adjunxerunt . Præfert illa annum , ut omnes de ea loquentes tradunt , MCCCCLXXXVI. attamen unum Exemplar vidi cum nota anni MCCCCLXXXV. licet una & eadem omnino ſit Editio , impreſſa per Boninum de Boninis de Raguſia , ut palam fiet cuique linearum poſitionem , & literarum ductum inſpicienti . Solebant autem , idque non ita raro , Typographi , eorundem librorum Exemplaribus notam aliquando inſcribere anni proximi , aliquando ſecundi , & aliquando etiam tertii , ut recentes apparerent ; qui dolus jam ab aliis animadverſus mihi demonſtrat , notam MCCCCLXXXV. qua Catulli liber ſignatur, magis genuinam habendam eſſe in Editione illa Brixienſi , quam notam MCCCCLXXXVI. Fortaſſe prior illa , ſolis Catulli exemplaribus appoſita a Bonino Impreſſore , poſtea contigit , ut in ſubſequentis anni notam eadem commutaretur , quod ſubſequenti anno Tibullum , & Propertium Boninus ediderit , eoſque in unum volumen cum Catullo redegerit . Ea Brixianorum in Catullum promerita , tam ex Editione iſta , quam ex Calphurnii caſtigationibus derivata , eo libentius Tibi ob oculos poſui , quod agens in Prolegom. de veterum Editionum utilitate, Baptiſtam Guarinum , & Alexandrum ejus filium , nec non Parthenium , primos , eximioſque fuiſſe Catulli Commentatores affirmas , nomenque ſubtices Calphurnii , cui principem locum certe deberi jam vides . Nec mirum Tibi videatur, Cl. Paulum Galeardum, dum viveret , Cathedralis hujuſce Eccleſiæ meæ Canonicum , in libello , cui titulus , *Parere intorno all' antico Stato de' Cenomani* , Calphurnii in Catullum labores in dubium revocare ; nam ille prorſus ignoravit

[illegible] poteras . Confeſſus conveni [illegible] ns , & eis cohortatus ſum , ut iterum id [illegible] eo correctione , quam pollicitus ſu[illegible] [illegible] , ut non id emendaſſe , ſed [illegible] [illegible] , ut quiſquis [illegible] utroque exemplari . Catulli ſive [illegible] dam tortem , præter Calphurnium , [illegible] ter modo aut paulo ante laudatus Auguſtinus [illegible] ſe ipſo Varena illum lepidiſſimum vocare [illegible] putaverit , dum hos verſus conſtituit :

*At vobis male ſit malæ tenebræ*
*Orci , quæ omnia bella devoratis .*
*Tam bellum mihi paſſerem abſtuliſtis .*
*O factum male , o miſelle paſſer !*

Venio nunc ad Brixianam Catulli Editionem [illegible] Jo. Albertus Fabricius in Biblioth. Lat. [illegible] fuiſſe tradit , quum dicere debuiſſe [illegible] tantummodo principem fuiſſe , quæ Catulli [illegible] doctis Commentariis , ab Antonio [illegible] , Veronenſi , elaboratis , adjuncta [illegible] , ut omnes de ea loquentes [illegible] MCCCCLXXXVI. attamen unum Exemplar [illegible] cum nota anni MCCCCLXXXV. hoc [illegible] Editio , impreſſa per Bonu[illegible] [illegible] , ut palam fit cuique [illegible] , & literarum ductus [illegible] , itaque non ita raro , [illegible] in Exemplaribus notam [illegible] alicuando [illegible]

[illegible]nuti ſunt verba in Epiſtola ad Octavianum Magium.

Æque ac tres Poëtæ hucuſque recenſiti, Q. Horatius Flaccus , iiſdem in Decade mea ſubjunctus , male habitus fuiſſe comperitur in antiquioribus Editionibus . Mediolanenſem an. MCCCCLXXXVI. exhibes ipſe tuo in Catalogo, ab Alexandro Minutiano curatam , qui in Epiſtola ei præfixa provinciam illam a ſe ſuſceptam fuiſſe ſcribit , ut interpretationes inſulſas cujuſdam , qui temere Horatii Carmina proxime ediderat , caſtigaret ; ac nebulonem illum , cujus nomen ſilet Minutianus, non alium fuiſſe ſuſpicaris , quam Auguſtinum Mariam Conagum , cujus impenſis Horatii Editionem Mediolani an. MCCCCLXXXV. prodiiſſe , teſtatum reliquit Maittaire in Annalibus . Hoc ipſo Maittaire teſte, manum admoviſſe Calphurnium , Brixienſem , expurgandis Horatii Carminibus , facile quiſque conjiciet, qui ad Calphurnii Epiſtolæ ad Marcum Aurelium fragmentum ibi recitatum animadvertat : in eo enim ille vindicem ſe præbet adverſus ineptias ſub nomine Omniboni Leoniceni , præceptoris ſui , ſacrilege editas . At quidquid ſit de Calphurnii in Horatium labore , illuſtris admodum ille fuit , quem in exornandis ejus Poëtæ Carminibus impendit Joannes Britannicus , is ipſe , quem agentes de Plauto memoravimus . Editionem ſuam inſcripſit iſte Senatui , populoque Brixiano , plenamque bonæ frugis , ac modeſtiæ Præfationem appoſuit , in qua , præterquamquod magnis laudibus effert Merulæ , Pii , & Saraceni nomina , adverſus quæ , ut vidimus , acerbiorem cenſuram Pylades exercuit , & aliorum etiam quamplurium eruditorum nomina , qui ſuis laboribus famam ea ætate conſequuti fuerant , de ſua illa Editione ita

[illegible] ſe vehementiorem paſſa eſt hoſtem , quæ ab illo in recognoſcendo primum , dein illuſtrando Ovidio navata fuit , nimirum Raphaëlem Regium , Bergomatem . Veſanam hujus bilem adverſus Calphurnium abunde declarant , quas ille appoſuit ſuis in Ovidianas Metamorphoſes Enarrationibus , clamitationes potius , & invectivæ , quam Præfationes ; & multo etiam manifeſtius , libellus quidam Venetis typis anno MDLXXXX. evulgatus , in quo Regius Diſputationem primo , deinde Dialo-
C gum cum Calphurnio inſtituens , vix credi poteſt , quæ , & quanta in ipſum contumeliarum plauſtra exoneraverit . Prima mali labes , acerrimæ , quas illi inter ſe geſſerunt, pro Cathedra Patavii obtinenda contentiones , quarum quamvis nulla extet memoria in duobus iis amplis Voluminibus , quæ Nicolaus Papadopolus de Hiſtoria Gymnaſii Patavini conſcripſit, eas tamen omnino certas reddunt rabidæ illæ Regii in Calphurnium invectivæ . Calphurnii partes validiſſime tutatus eſt Marinus Becichemus , Scodrenſis , eo ipſo tempore Brixianæ , & poſtea Patavinæ Academiæ ſingulare ornamentum ; quare inter cætera in Prælectione ſua in Plinium hæc habet adverſus Regium , Cives Brixianos alloquens : *Quid præterea in Civem veſtrum Joannem Calphur-*
D *nium non evomuit , virum invictũ a cupiditatibus animi , rigidæque innocentiæ , & omni literarum laude digniſſimum ? Calphurnium , inquam , illum Rhetorem , Græce , Latineque tam eruditum , tam præſtabilem , tam ut temporibus priſcis excellentem , cui puer operam dedi , neque uſquam a ſenis latere juvenis diſceſſi ; cujus mores ii fuerunt , ut non homo in terris natus , ſed de Cœlo lapſus crederetur .* Idemque in Præfatione in Ovidianas Annotationes fatetur,

Digitized by Google

nepoti, atque ejus hujuſmodi eſt exordium: *Commentaria, quæ in Annæi Lucani Pharſaliam ab Omnibono Leoniceno edita putabantur, Viro, ſi quiſquam fuit, ætate noſtra eruditiſſimo, ſicut mihi mandaveras, Franciſce Barbare, ſucciſiva, & tumultuaria quadam cognitione recenſui, rem, quæ & altioris ingenii vires, & pluſculum temporis ad Poëmatis magnificentiam depoſcebat. Tanta enim in illis fuit errorum ſeries, ut mihi viderer aliquando (quod ajunt) ſine filo labyrinthum ingreſſus*. Induſtriam in ea emendatione a ſe exhibitam licet ſucciſivam, & tumultuariam appellet Taberius, effecit illa tamen, ut iſte in eadem Epiſtola ſubjungere poſſet: *Depravata loca fideliter emendavimus, eaque (opinor) ſolertia, ut, ſi quis errorum cauſas, & rationes emendationum, collato priore exemplari, ſepoſitoque livore diligenter excuſſerit, pauca admodum ſint, quæ ad plenam Poëtæ intelligentiam deſiderentur*. Habuit Taberius ſui illius laboris non teſtes tantum, ſed & fautores, Hieronymum Advocatum, Joannemque Britannicum, *Raræ* (ait ille) *ſinceritatis Viros, & plane ἐγκυκλοπαιδείας diſertiſſimos*. Hæc ipſa nomina præfert Epiſtola altera (quæ tamen primo loco ponitur in Brixiana Editione) eaque data viſitur ab eodem Britannico ad eundem Advocatum, apud quem non Taberii tantum, ſed Brixianorum omnium ea ætate ſtudia his verbis gratulatur: *Non poſſum noſtris temporibus, Hieronyme Advocate, mirum in modum non gratulari; priſca enim illa videar videre ſæcula, quibus eo in culmine cum Græcarum, tum Latinarum literarum ſtudia fuere, ut ad utriuſque orationis facultatem deſiderari haud quidquam poſſet. Perſpicuum enim nobis eſt hæc noſtra ſtudia, quæ penitus jam trecentis, aut plus eo (ut arbitror) annis, ſive temporum iniquitate, ſive hominum incuria, & negligentia extincta erant, jam ætate noſtra ita reluxiſſe, ut noſtri homines priſcis illis adæquari fere poſſint*. Taberii in humanioribus literis excellentiam pluribus verſibus celebravit etiam Baptiſta Mantuanus, Doctiſſimus Carmelita, in Panegyrico de Brixia, *Joannem Rovatenſem* eum vocans, quod Rovato, hujus regionis municipio, ortum duxiſſet; eoſque ita exorditur:

*Ad varias, quibus & paſſim celeberrima, dotes*
*Vir deerat tibi Socraticam formare juventam*
*Doctus, & ad Muſas teneram deducere pubem;*
*Ecce, velut Pandora Polo delapſa, Joannes*
*Rovatenſis adeſt*.

Pretium laboris a Taberio in Lucanum ſuſcepti declarant etiam Danielis Cereti, Brixiani, verſus in Panegyrico de laudibus Brixiæ. Hi enim ſunt:

*Quid referam culti ſublimia Scripta Taberj,*
*Cujus jam toto nomen in Orbe micat?*
*Hic ſibi victuram peperit per ſæcula famam,*
*Dum ſtudet Auctores reſtituiſſe graves.*
*Aſpice Pharſaliam civilia bella canentem,*
*Quæque tulit patrios ſæva per arma viros.*
*Nuper erat ſine honore liber, nec cognitus ulli,*
*Squallebat denſis falſa per ora notis.*
*Hunc tamen, ut multos, facundi cura Taberj*
*Non paſſa eſt turpi delituiſſe ſitu.*
*Longa quod aſſiduis ætas aboleverat annis,*
*Reſtituit parvi temporis ipſe mora.*

Tres, qui recenſendi jam veniunt, Poëtas, ſcilicet A. Perſium, P. Papinium Statium, Dec. Junium Juvenalem, omnes unius Joannis Britannici ſtudio illuſtratos præſtantiores veteris ævi Editiones præſeferunt. Perſii Editionem cum Britannici notis Brixiæ anno MCCCCLXXXI. evulgatam in manibus habeo; eamque ignotam prorſus fuiſſe reperio Annalium Typographicorum conditori, nec non Jo: Alberto Fabricio, qui non aliam Perſii cum notis Britannici vetuſtiorem memorat Brixianam Editionem, niſi an. MCCCCLXXXVI. typis Jacobi Britannici, Brixiani, quam pariter ad manus habeo. Eiſdem æque ignota Brixiana Editio ſine notis, ad cujus calcem ita ſcriptum deprehendo: *A. Perſii Satyrarum expreſſus Codex Brixiæ, una cum Juvenale Satyrico, jubente Presbytero Petro Villa XIII Kal. Aug. MCCCCLXXIII.* nam Lovanienſem an. MCCCCLXXV. tanquam omnium principem ſibi innotuiſſe ſcribit Fabricius; Ferrarienſem vero, atque Mediolanenſem, utramque an. MCCCCLXXIV. prolatam, citant Annales (ne loquar de Romana, in qua anni nota deſideratur) pro primis afferentes. Adnotationes ſuas Britannicus Senatui, populoque Brixiano nuncupavit, cui cauſam eaſdem in lucem proferendi in hunc modum explicat: *Cum ſuperiore anno forte Perſium publice legerem, in ejuſque expoſitione a me nonnulla dicerentur, quæ vel præter multorum opinionem dici videbantur, vel a quoquam (quod ſcirem) ætate noſtra, literis prodita non erant, nonnulli adoleſcentes Brixiani, qui non minus literis, quam probitate morum præfulgent, & in primis Gabriel Emus, Patritius Venetus, excellenti adoleſcens ingenio, in præſens diſcipulus meus, hortati ſunt, ut, quæ a me dicta fuerant, accuratius colligerem, publicaremque*. Aliam inſuper cauſam adjungit, quod ſcilicet ſecundam Perſii Satyram ad Brixianum quemdam Macrinum ex temporum ratione ſcriptam fuiſſe conjeciſſet. Cur autem Editionem ſuam feſtinaverit, in cauſa fuiſſe affirmat, quod nuper accidiſſe viderat Palacino, municipi ſuo, Viro ſingularis doctrinæ, *qui quum in Officia Ciceronis, & Valerium Maximum non minus diſerte, quam ſapienter quædam ſcripſiſſet, eadem morte præventus edere non potuit, quæ ab iis excepta, qui gloriam alieno partam labore, & periculo in ſe libenter transferunt, ſupprimuntur, ut ſucceſſu temporis ipſi pro ſuis edant, injuriam profecto Palacini manibus facturi maximam*. Mediolanenſem illam an. MCCCCLXXIV. Perſii Editionem ſuperius a me laudatam, in libro quoque meo de Brix. Literat. memorari, diligenter pro more tuo in Catalogo adnotaſti, neque ullam mihi litem pro modeſtia tua, profecto ubique ſingulari, moviſti ob denegatam ipſi principis Editionis, & Brixianæ meæ attributam, dignitatem. Reliquæ, quas affers ejus Poëtæ Editiones, aut omnino & ipſis Commentariis carent, aut ea tantum præferunt, quorum Auctor Bartholomæus Fontius, quæque non eo favore ab eruditis excepta fuiſſe, quo iſti ejuſdem Orationes exceperunt, compertum eſt. Contra Britannici illa quam valde Brixianis, exteriſve accepta fuerint, fidem facit ipſemet in ſupplici libello, cujus autographum extat in hujus Civitatis tabulario, nam in illo his verbis alloquitur patrium Magiſtratum: *Quam ſane liberalitatem, & officium veſtrum expertus fui, quo tempore Commentaria in Perſium edidimus, quæ adeo vobis omnibus, tanquam literarum ſtudioſis, ita placuerunt, ut publico Senatus veſtri Decreto mihi dati ſint aurei vigintiquinque, & præterea eodem Decreto ſtatutum fuerit, ut domus tota noſtra uſque ad tertium (ſi bene memini) gradum ab omni onere immunis eſſet. Placuerunt, placentque etiam ita externis omnibus, ut multis in Civitatibus impreſſa per totam non ſolum Italiam, ſed totam Europam circumferantur, & (quod ſine arrogantia dictum ſit) doctiſſimus quiſquam in Bibliotheca ſua ſtudeat habere*. In Britannici laudem aliqui verſus a Cereto exarati reperiuntur in Panegyrico, de quo paulo ante, atque ita ſe habent:

*Panditur ignotis tuus ecce Britannicus oris,*
*Gymnaſiique parens, Pieridumque decus.*
*Hic pius ingenium dum partes verſat in omnes,*
*Scripta dedit Latio plurima, plura dabit.*

*Teſtis*

*Teſtis erit Vatum numerus, mendoſaque paſſim*
*Carmina, barbariem ponere juſſa ſuam.*

Q. Papinio Statio explanando manum Britannicus admovit uno tantum poſt anno a publicatis in Perſium Commentariis. Id ipſe teſtatur in Epiſtola, qua novum eum laborem *magnifico, atque ſplendidiſſimo* Comiti Petro Gambaræ nuncupavit, ibique tempus, quod eidem impendit, his verbis declarat: *Cæterum cum animi ſit a natura bene informati, nullo a via virtutis diverticulo deflecti, propoſui his proximis diebus, quibus ab urbe per peſtem deceſſimus, Achilleidi Statii, quam jam fere totam ante eramus interpretati, extremam manum imponere, delectatus ſane carminis pariter gravitate, & doctrina Poëtæ.* In ſpecimen Britannici diligentiæ in lucubranda Interpretatione iſta afferre placet quæ ab ipſo ſunt tradita, ut oſtendat, Statium Poëma ſuum perfeciſſe, perfectumque haberi debere, ut modo extat. Ad primos itaque Achilleidos verſus, qui ita ſe habent:

*Magnanimum Æacidem, formidatamque Tonanti*
*Progeniem, & patrio vetitam ſuccedere cœlo,*
*Diva refer, quamquam acta Viri multum inclyta cantu*
*Mæonio, ſed plura vacant, nos ire per omnem,*
*(Sic amor eſt) Heroa, velis, Scyroque latentem*
*Dulichia proferre tuba, nec in Hectore tracto*
*Siſtere, ſed tota juvenem deducere Troja.*

Ad hos, inquam, verſus in Vita Poëtæ, Editioni ſuæ præfixa, hæc obſervat Britannicus: *Non longam hiſtoriam promittit ſe ſcripturum; illud enim, inquit, non attigero, quomodo Hector interemptus ab Achille ſit, & tractus circa ſepulchrum Patrocli, ideſt, nihil cecinero ex iis, quæ circa Ilium geſſit. Unde hinc facile eorum refelli poteſt opinio, qui hoc Opus imperfectum eſſe contendunt, hac una ratione adducti, quod ait Poëta, Nos ire per omnem Heroa velis, non intelligentes Poëtam dicere, omnem eumdumtaxat Achillis vitæ curſum deſcripturum, qui ab Homero prætermiſſus ſit. Nam ſi omnia ejus facta ſcripturus eſſet, quomodo affirmaret, ſe nihil de rebus geſtis circa Trojam ſcripturum eſſe, cum ait, Nec in Hectore tracto Siſtere, ſed tota juvenem deducere Troja? Præterea illic innuit, Opus breve futurum, cum dicit: Patere hoc ſudare parumper Pulvere; nam ſi omnia Achillis facta canere ſtatuiſſet, operis quidem fuiſſet, & voluminis immenſi, contraque propoſitionem ſuam feciſſet Poëta.* Sententiam ſuam iterum inculcat ad earundem Enarrationum calcem Britannicus, quippe qui ad poſtremum Poëmatis verſum, *Aura ſilet, puppis currens ad litora venit*, hæc habet: *Bene ex inſtituto ſuo Opus abſolvit, nam in Procemio id tantum profeſſus eſt, ſe de Achillis educatione dicturum, & ut ad Trojam ductus ſit, cum ait, Nos ire per omnem (Sic amor eſt) Heroa velis, Scyroque latentem Dulichia proferre tuba, nec in Hectore tracto Siſtere, ſed tota juvenem deducere Troja. Hæc ideo ſubjunxi, ut error eorum, qui Opus perfectum non cenſent, monitione noſtra corrigatur, & rem eo perductam cognoſcant, quo promiſit Poëta; nam, ut diximus, in principio Operis Poëta promiſit, ſe nihil dicturum de rebus geſtis ab Achille circa Trojam, cum ait, ſe velle deducere juvenem a tota Troja. Sileant ergo, qui ſenſum Poëtæ non percipientes, Opus ad calcem perductum eſſe negant.* Scio utique, Barthio, aliiſque magnopere diſplicere eam Britannici perſuaſionem, eoſque cenſere, poſtremum illum verſum, *Aura ſilet*, perfida temeritate in aliquibus Exemplaribus additum fuiſſe; at non propterea Britannici ſententia omnino rejicienda. Quidquid autem de ea cenſeamus, Britannicum de Statii Achilleide optime meritum, comprobat ſat aperte ejus Poëmatis Editio cum notis Varior. Lugd. Batav. 1631. in qua ſcilicet Britannici Interpretationes utramque, ut ita



dicam, paginam facere dignoſcuntur. Statii Editio, quam Catalogus tuus profert an. MCCCCLXXXVI. præterquamquod Brixianæ noſtræ ætatem minime attingit, longe profecto abeſt, quin tanti, ac Brixiana, habeatur, ſiquidem careat eo Commentariorum penu, unde Brixiana ſuperbit.

Novam Spartam ingenio ſuo dignam nactus eſt Britannicus in Dec. Junio Juvenale, cujus proinde Satyras explicandas ſumpſit, etſi eiſdem complurium Interpretum diligentia minime defuiſſet, quos ſcilicet priſcæ Editiones jactant, nimirum Angelum Sabinum, Domitium Calderinum, Georgium Merulam, Georgium Vallam, & Antonium Mancinellum. Britannici Commentariorum Editionem omnium vetuſtiſſimam cenſuiſſe videtur Fabricius Brixianam anni MDI. quam ad manus ipſe habeo. Ne tamen in eam ſententiam deſcendam, facit quæ in Aſcenſiana Juvenalis Editione recitatur Epiſtola Aſcenſii ad Henr. Valuphinum data an. MCCCCLXXXXVIII. nam in ea Explanationes ſuas in Juvenalem familiares appellans, ſubdit ſe in illa ſua Editione eruditiſſimos Joannis Britannici Commentarios propoſuiſſe, *ut qui majora velint, ad manum habeant*. Eos Britannicus dicavit Senatui, populoque Brixiano, faſſus ſe ad illud maxime impulſum, *quod memineram* (inquit) *ſuperioribus annis, quum in Achilleida Statii, & Satyras Perſii Commentarios edidiſſem, vobiſque nuncupaviſſem alteros, ita vobis placitos fuiſſe, ut me non mediocris ſolum laus, & gratulatio veſtra ſecuta ſit, ſed inſuper ampliſſimum mihi munus publico totius Senatus conſulto decretum fuerit. Qua una liberalitate ita me vobis prorſus devinxiſtis, ut ſtatuerim, ſiquid unquam in his ſtudiis laude dignum perficerem, id totum vobis tradere, atque dicare.* In eadem Nuncupatoria Epiſtola profecto modeſte admodum de ſuis laboribus in hunc modum loquitur: *Juvenalis igitur Satyras, etſi temporibus noſtris a nonnullis aliis egregie literatis Commentatoribus vel cum magna ipſorum laude enarratæ fuerint, aggreſſi ſumus, quod omnino animadverteremus, in toto Opere multa ab iis, ſive incuria quadam, ſive conſulta opera præterita eſſe, quoniam quæ ipſi forte intelligerent, eadem & cæteris perſpicua arbitrarentur, multaque etiam longe aliter expoſita, quam ſenſus Auctoris expoſceret.* Et paulo poſt: *Confido autem in toto Opere, præter fortaſſe tria, aut quatuor ad ſummum loca, quæ aut ingenii mei imbecillitate, aut morum ignoratione veterum, non intellecta, altioribus ingeniis enodanda relinquo, nihil prorſus relictum, quod a me non ſit optime dilucidatum, multaque etiam longe rectius explicata, quam ab omnibus aliis, qui ante me in Poëtam ſcripſere.* Nemo autem dixerit, Joannem Calphurnium Britannici labores hoſce haud tanti feciſſe, quanti feciſſe comperitur Domitii Calderini illos, quos ſcilicet dum in Epiſtola ad Antonium Moretum, Brixienſem, ad calcem Venetæ Editionis Commentariorum ejuſdem Domitii an. MCCCCLXXIV. appoſita, præferre non dubitat cæteris quibuſvis Expoſitionibus, *quas* (ait) *in Juvenalem adhuc viderim*, Domitii tantum adverſarios perſtringere cenſendus eſt, & nulla ratione ſuo illo judicio læſiſſe Britannicum, cujus lucubrationes nec ante eum annum MCCCCLXXIV. nec forte ante Calphurnii deceſſum in lucem prodierunt. Equidem nondum eas prodiiſſe ante XII. Kal. April. an. MCCCCLXXXXV. diligenter ipſe adnotaſti Hiſtoriæ tuæ p. CCCXCVII. ex Epiſtola Pauli Zane, Epiſcopi Brixienſis, chronicas illas notas præferente; nam ibi iſte exaratos a Gregorio Britannico, Brixienſi, Sermones funebres, & nuptiales collaudans, univerſam domum Britannicam, ſed in primis Joannem, ejuſque labores his verbis exornat: *Quantum autem debeat huic domui Britannicæ iſta mortalitas, quæ tum Joannis fratris tui interpretationibus tam in Perſium Poëtam quam-*



Digitized by Google

*difficillimum, quam in Statium Achilleidos ſatis illuſtrata eſt, egregiaque in dies expectat Commentaria in Juvenalem, Ovidiumque Metamorphoſeos; tum reliquorum fratrum ornamentis, qui ſe ſe ſtudent cæteris præſtare, ſuis venuſtiſſimis moribus, animantibus meis ſermonibus difficile panderem.* Sapiunt profecto ſedulitatem tuam, quæ multa ubique eſt, quæcunque ad an. MCCCCLXXXXVI. de iiſdem Britannicis in medium attuliſti ad eruendam veritatem parum compertam vel ipſis Scriptoribus Bibliothecæ Ordinis Prædicatorum, cujus tamen alumni fuerunt tam Gregorius ille, quam Benedictus ipſius frater. Amborum, & Pauli etiam Zane Epiſtolas huc facientes recitavi in Par. II. p. 121., & ſeqq. libr. de Brix. Liter. iiſque eas animadverſiones adjunxi, a quibus Te in Sparta illa adornanda occupatum fuiſſe humaniſſime affirmas, jure tamen ratus, tuas, quas exaraveras ante perluſtratas paginas meas, minime ſupprimendas a Te fuiſſe, quod ſuſcepta a Te provincia ita poſceret, atque etiam Sermonum Gregorii Britannici Editio, quæ Tibi præ manibus fuit, novem annis præcedens eam, quam ego unice laudavi; unice inquam, quod de vetuſtiore perquirenda (a chronicis earum Epiſtolarum notis ſat aperte mihi indicata) nihil foret, quod ſollicitum eo loco me redderet. Hoc vero non reticebo, tantam fuiſſe Joannis Britannici in Juvenalem Commentariorum famam, ut, eo ipſo teſte, in ſupplice libello, quem ſuperius commemoravi, *jam viginti millia* (Exemplarium) *diverſis in Civitatibus impreſſa fuerint vel titulo Joannis Britannici, Brixiani*. Quare nihil mirum, ſi in Amſtelædamenſi ejus Poëtæ cum notis Variorum Editione paſſim Britannici nomen legatur.

Tandem decem Latinorum Poëtarum, quos recenſendos mihi exhibuit Pars illa I. mei libri de Brix. Literat. agmen concludat M. Valerius Martialis, de quo ibi agendum mihi fuit, quod, licet nullus inter Brixianos interpretandis ejus Poëtæ Carminibus vacaſſe comperiatur, ſuppetat tamen, dignum profecto quod memoretur, Calphurnii de Domitii in ea Carmina Commentariis judicium, ab eximia tanti Viri eruditione profectum. Exhibetur nobis judicium illud in ea ipſa Epiſtola, cujus ſuperius mentionem fecimus; nam ibi Vir ille doctus affirmat, ſe de præclariſſimo Juvenalis a Domitio expoſiti Opere id ipſum ſentire, quod de Martiale jam dixerat: *Superioribus temporibus minime intellectum fuiſſe, dum turba illa rudis, antiquitatum ignara, quaſdam ineptias minime tolerandas effunderet*. Eodem tempore in Romana Academia, tam Domitius, quam Nicolaus Perottus Martialis Epigrammata lectitabant, indeque aſperæ inter utrumque exortæ ſunt controverſiæ. Hominem ſuis Commentariis infenſum deſignat ipſe Domitius in Epiſt. Nuncupatoria ad Laurentium Medicem: *Non defuit* (inquit) *qui lucubrationem noſtram maledictis interpellaret. Quidam enim in meam de quodam loco ſententiam edita Epiſtola graviſſime invectus eſt, cui quid reſponderim, in fine hujus Operis leges*. Haud minus certe atrociter quam Perottus in Domitium, & quam Domitius in Perottum, Pyrrhus Perotti ex fratre nepos in Domitium debacchatur in Nuncupatoria Epiſtola Cornucopiæ ad Federicum Urbini Ducem, viliſſimum pædagogum, tacito tamen nomine, appellans, qui pleraſque ſententias e ſacrario patrui ſui ſumptas, pro ſuis venditaverit in iis Commentariis, quorum innumeros errores ipſe patruus in duobus Voluminibus Epiſtolarum, Romanarum ſcilicet, & Peruſinarum, confutandos ſuſceperat. De his Epiſtolis Sabellicus in Dialogo de Latin. Ling. reparat. *Nollem* (inquit) *in aperta convicia, & ſimultates indigniſſimas perſona, quam ſuſtinebat, tam aperte deſciviſſe*. Eorundem Commentariorum cauſa nimis quam acerbe diſſenſit a Domitio Georgius Merula, Martialis & ipſe enarrator. A Merulæ parte contra Domitium ſtetit Angelus Politianus, qui in Miſcellan. Cap. 9. hæc ſcribit: *Cæterum Georgius Merula, vir plane doctus, ac diligens, longe quam Domitius in ſcribendo cautior, & nunc primi fere nominis, non remulo* (*quod ajunt*) *ſed velificatione plena invectus, Commentariorum illius in Martialem permultis editis notis licentiam primus hominis, magno veluti paſſu gradientem, prorſuſque jam ferocientem compeſcuit*. At, dum eo ipſo loco fatetur Politianus, authoritatis tam magnæ fuiſſe Domitium, ut Romæ inter Profeſſores, juvenis adhuc, primam celebritatem ſibi vindicaverit, nec ipſe improbaſſe cenſendus eſt Calphurnii judicium illud. Quod profecto, ſi annum MCCCCLXXIV. quo editum fuit, inſpiciamus, in eam opinionem facile adducemur, jactatum fuiſſe non in Nicolaum Perottum, non in Georgium Merulam, ſed in rudem tantum Grammaticorum turbam, cujus ineptias unice vellicant recitata ſuperius Calphurnii verba. Acerbiſſimas illas inter Domitium, ejuſque obtrectatores ſimultates in libro de Brix. Liter. ob oculos poſui recitata ex Veneta Martialis Editione an. MCCCCLXXXV. ejuſdem Domitii primo Defenſione adverſus Calumniatorem Commentariorum ſuorum in Martialem, deinde Recriminatione; quæ ipſa Scripta repræſentavit etiam Editio Mediolanenſis an. MCCCCLXXXIII. quam in Catalogo tuo laudas.

Quare ex hactenus allatis ſatis ſuperque compertum Tibi factum fuiſſe, Vir Clariſſime, arbitror, & aliis etiam, quotquot Epiſtolam iſtam evolverint, in illuſtrandis priſcis Latinorum Poëtarum Editionibus Brixianam literaturam triumphaſſe, dum Mediolanenſis Typographia ſuis eorundem Editionibus ſolam ferme vetuſtatis laudem adſciſcere poſſe videatur. Quam vana veterum quarundam Editionum laus ſit, innumeris exemplis comprobatur, at hoc loco unus audiatur Euſ. Scutarius, ille ipſe, cujus labores in Plauto, poſt primas hujus Editiones, recognoſcendo ſuſceptos, commendaſti, Mediolanenſem an. MCCCCLXXXX. in medium afferens. In hujus Præfatione ita ille loquitur: *Ex unximus haud paucos errores, & quaſi ſpongia delevimus, quos operarii dormitantes, & mancipes incurioſi commiſerant, qui non tantum falſas dictiones pro veris dum ponunt, prævaricati culpam commeruere, ſed & paginas extra regiones ſuas, & chartas in alias decurias perverſe translatas inſeruerant, ut jam omnia eſſent confuſa, ne dicam contaminata, nec elegantiſſimus Poëta fabulas, verum confuſaneos libros miſcellaneorum, aut ſtromatum inſtar ſcripſiſſe videretur*. Nonne verba iſta ſatis evincunt actum fuiſſe de Latinæ linguæ deliciis, niſi gravi morbo Plautinæ primæ impreſſionis doctorum Grammaticorum ſolertia ſuccurriſſet? Annon hæc ipſa clades quotquot poſt Plautum enumeravi Poëtas æque turbaſſet, niſi ei avertendæ par eorundem Interpretum cura deſudaſſet? Qui Grammatici, qui Interpretes dum Mediolanenſibus tuis Editionibus defuiſſe, iis autem Brixianæ abundaſſe comperiuntur, nonne jure ac merito partum ſibi ex hac copia decus Urbs iſta gratuletur? Celeberrima utique (quis enim id inficietur?) Virorum literatorum nomina affert a capite ad calcem Hiſtoria tua Typographico-Literaria, nimirum Georgium Trapezuntium, Demetrium Cretenſem, Conſtantinum Laſcarim, Demetrium Chalcondylam, tres Philelphos, Franciſcum, Marium, Petrum Juſtinum, præterea Georgium Merulam, Euſebium Scutarium, Ubertinum Clericum, Chriſtophorum Landinum, Maffeum Vegium, tandem Joannem Baptiſtam Pium, Philippum Beroaldum ſeniorem, Aulum Janum Parrhaſium, Petrum Candidum Decembrium; at præterquam quod ne unus quidem ex iſtis natale ſolum in Mediolanenſi Urbe ſortitus eſt, humaniorum peritia literarum, qua utique excelluerunt, multum abſuit

quia

Digitized by Google

quin ornandis priſcis Poëtarum Latinorum ( nam de his tantum hic agitur ) Editionibus opem illam contulerit, quam ſingularem in modum contuliſſe Taberium, Pyladem, Calphurnium, Britannicum, ( Hos omnes Brixiana tellus procreavit ) nemo profecto, qui librum meum de Brixiana Literat. aut ſaltem Epiſtolam iſtam legerit, in dubium revocari poſſe arbitretur. Inde vero unuſquiſque fatebitur, haudquaquam per oſtentationem jactatum olim fuiſſe a Marino Becichemo, quem ſuperius laudavi, eximium illud præconium de Brixiana Urbe, *Nullam* (ait ille) *in univerſa Italia* (*Senatum Venetum, divinum magis, quam mortalem, ſemper excipio*) *aut ſapientiorem, aut bonis artibus ditiorem puto*. Sapientiſſimum, ac bonis artibus ditiſſimum omni ævo Mediolanum fuiſſe, non ideo tamen inficias ibo; id unum contendo, in eo literaturæ genere, de quo ſuperius eſt inſtituta diſputatio, atque illis temporibus, quæ Hiſtoria tua complexa eſt, feliciſſimam fuiſſe Brixiam doctiſſimorum hominum prole, eorundemque ingenia priſcis Editionibus, Poëtarum in primis, ita profuiſſe, ut iſti antea ſquallentes, horridi, & ruſtici, evaſerint eorum præſertim ope nitidi, & compti, ex quo factum eſt, ut ſibi plaudendi occaſionem ſint nacti, atque exultandi, qua ipſa ratione Plautus in caſtigata quadam veteri Editione ejus Comœdiarum geſtiens, & canens inducitur:

*Jam videor mihi*
*Talis, qualis eram, pulpita ſcenico*
*Quum riſu quaterem, meque Quiritium*
*Laudaret pedibus turba ſtrepentibus.*

Quod autem paulo ante dicebam, diſputationem ſuperius inſtitutam eo tantum ſpectare, ut innoteſcat, quantum laboris, & induſtriæ Brixiani alumni impenderint emendandis, ornandiſque Latinorum Poëtarum Editionibus, nemini anſam præbere vellem exiſtimandi, iiſdem alumnis expurgandarum graviorum facultatum Editionum laudem ab aliarum Urbium doctis hominibus fuiſſe præreptam. De Græcis in univerſum literis, quod nimirum in hac Urbe mirifice florerent, gratulatum fuiſſe vidimus Aldum Manutium Taberio, Brixiano, extantque de eadem re luculentiſſima aliorum teſtimonia. Attamen ut certius conſtet, eam ſibi laudem promeruiſſe Brixianorum labores etiam in edendis excellentium quorumvis Auctorum Voluminibus, afferam in exemplum, ſeu ſpecimen, Vitruvium, Macrobium, Plutarchum; nam tres iſti mihi ſatis futuri videntur ad rem, de qua agitur, evincendam. Præſtitam ab Hieronymo Advocato, Ambroſii Juriſconſulti filio, Vitruvio emendando operam his verbis deſcribit Joannes Britannicus in Præfat. ad Lucani Editionem, de qua ſupra: *Feciſti enim tua induſtria, ſtudio, & labore, ut Vitruvius de Architectura, qui jam tot ſeculis in lucem caput ſuum proferre non audebat, quod ex omni parte mancum, lacerum, mutilatum ſe ſentiebat, nunc politus, purus, integer, huc, & illuc geſtiat meare, omnibus carus occurrat, omnibus gratus excipiatur*. Hoc Britannici teſtimonium ( ut ſtatim probabo ) manifeſte comprobat, tam falſo aſſeri, apud Fabricium, & alios, primam Vitruvii Editionem prodiiſſe ſeu Florentiæ an. MCCCCLXXXXVI. ſive Venetiis an MCCCCLXXXXVII. quam primam caſtigationem, opera ſcilicet Jocundi Veronenſis, emanaſſe Venetiis an. MDXI. Comprobat etiam, laudem Vitruvii primo emendati, & evulgati non ſpectare ad Joannem Sulpicium, Verulanum; nam Sulpiciana Vitruvii Editio, quæ extat Pariſiis in Bibliotheca Mazarinæa, anni nota deſtituitur, nec figi ea poſſe videtur, niſi vergente ad finem Innocentii VIII Pontificatu, qui ab anno 1484. uſque ad annum 1492. duravit, nam in ea plura per Innocentium geſta, nimirum finis bellis impoſitus, Prætorium ſuburbanum peractum, Campus Floræ, & Circus Flaminius lateribus ſtrati, & poſt omnia, Gymnaſii Romani magnifice extruendi conſilium initum indicantur, quæ profecto ſimul ſumpta poſtremos potius, quam primos ejuſdem Pontificatus annos deſignant. Contra Brixianæ Editioni Lucani, quæ præfixam gerit Britannici Epiſtolam illam, ineſt nota an. MCCCCLXXXVI. hæcque certos nos facit, ante eum annum Vitruvium ab Hieronymo Advocato expolitum, huc & illuc, ut loquitur Britannicus, meaſſe, omnibuſque carum, & gratum occurriſſe. Hæ autem Vitruvii curſitationes, ſuaves iſti complexus, num Editionem certo indicent Advocati ſtudio confectam, pronunciare non audeo. Cl. Jo. Polenus in Vitruvianis Exercitationibus, quas Patavii an. 1739. edidit, memorans p. 13. Advocati laborem illum, non eum quidem pro Vitruvii Editione ulla inde profecta, ſed pro ſuſcepta tantum a pluribus ejus deſcribendi cura interpretatur, nixus ſilentio eorum omnium, qui diligentiſſime perſequuti Origines Typographiæ, nullum de ea Editione verbum fecerunt, & ſilentio etiam Scriptoris Bibliothecæ Brixianæ, in qua Hieronymi Advocati nomen non comparet. At nec Scriptoris iſtius, nec Maittaire, & aliorum, qui rei Typographicæ illuſtrandæ ſtudioſius adlaborarunt, ſilentium, ſatis validum teſtimonium eſſe puto, quo adducti eam Editionem nuſquam extitiſſe affirmemus. Solius Leonardi Cozzandi, qui Brixianam illam Bibliothecam conſcripſit, auctoritate fretus idem Polenus, Joannis Britannici mortem an. 1510. figit; falſo tamen, nam hunc ſaltem uſque ad annum 1518. vitam produxiſſe certo certius conſtat ex ſupplice ejuſdem libello ſuperius memorato, imo vero uſque ad an 1519. quo libellus ille a Conſilio Generali hujus Civitatis benignis ſuffragiis admiſſus fuiſſe comperitur. Advocatorum familia inter Brixiæ nobiliores hiſce quoque temporibus ſplendet, cui utique adſcribendus Hieronymus Vitruvii emendator, quippe qui a Britannico in ea Epiſtola dicitur, corporis, & fortunæ bona *illuſtria, & ampliſſima* poſſidere. Ejus autem in literas amorem his verbis idem Britannicus extollit: *Is enim tu es, qui inter cæteros excellentis ingenii viros, quorum haud parvus in Urbe noſtra eſt proventus, virtutem colis, magnifacis, & amplecteris. Nihil enim tibi dulcius eſt, nihil ſuavius, nihil denique jucundius, quam in his noſtris ſtudiis verſari, quorum ( quod mihi aliorum pace dixiſſe liceat ) jam primam arcem poſſidere mihi videris, & jam omnes, qui cum literis commercium habent, ingentes gratias tibi agant neceſſe eſt.*

Aurelium Theodoſium Macrobium, & Plutarchum, quod amborum Scripta inter ſe conveniant, nam reconditioris eruditionis theſaurum utraque complectuntur, in unum conjungemus. Macrobius Taberii, ac Pyladæ, præclariſſimis laboribus novam quodammodo vitam debet, quorum ſcilicet ope ejus de Somnio Scipionis, nec non de Saturnalibus libri ſumma diligentia ſuo nitori reſtituti ſunt, correctis pluſquam ter mille erroribus, Græciſque textibus, qui in olim impreſſis deerant, repoſitis fere omnibus locis. Hæc ipſa verba leguntur in fronte Editionis Macrobii Brixiæ curatæ, perfectæque per Angelum Britannicum primis diebus anni MDI. ſubjungiturque iiſdem hujuſmodi Tetraſtichum:

*Qui mutilus dudum, & crebris erroribus actus*
*Macrobius, nulli pene legendus eram,*
*Taberii, ac Pyladæ cura, magnoque labore*
*Nunc iterum mihimet redditus ecce legor.*

Æque ac de Macrobio, benemeritus eſt de Plutarcho Pylades, & qua ratione, brevis ejus Præfatio, quæ ante Plutarchi Vitas legitur in earum Editione Brixiæ confecta an. MID, per Jacobum Britannicum,

Digitized by Google

nicum, explicabit. Inſcribitur ipſa Joanni Paulo Averoldo, Patritio Brixiano, atque ita incipit: *Quantum mihi provinciæ deſumpſerim, quum emendandum Plutarchi Volumen accepi, non modo tu, cujus egregia doctrina, atque animus omni virtutum genere ornatiſſimus agnoſcitur, ſed ipſi imprimis litterarum profeſſores, ac deinde quiſquis Minervam colit, judicare poteſt, ſi modo primam illam impreſſuram Venetam a Nicolao Jenſone excuſam, utpote cæteris meliorem, immo reliquarum originem, fontemque perlegerit. Vel ab ipſo libri capite, & Theſei vitæ principio, ac deinceps plurimis locis ita mutilate, inverſe, atque ex ſuperfluo adjunctis verbis legebantur, ut nec cohærerent ſenſus, nec præcedentibus conſequentia plerumque reſponderent. Quod niſi præter pauxillum id ingenii, quod nobis natura conceſſit, tum Græca quædam, tum vero Latina, ac Manuſcripta Exemplaria, multo cum labore ab amicis, & litteratis Viris, præſertimque a Nicolai Botani, & Gabrielis Concoretii, optimorum quidem Virorum, atque eloquentiſſimorum, Bibliothecis conquiſita, quibus & te ipſum acceſſiſſe non ignoras, ſeppetias tuliſſent (iis enim freti lite ſcatentes errores expunximus) ſupra tria erratorum millia, quæ caſtigavimus, offenderentur, præter barbariem cacographiæ, paſſim Codicem ferme totum occupantem. Id tamen onus, quanquam graviſſimum, libenter aſſumpſi, tum publicæ utilitatis gratia, id quod & in præcudendis libellis meis antea feci, tum vero Jacobi Britannici impreſſoris, qui non vulgari mihi junctus amicitia, ut eſt litterarum, litteratorumque amantiſſimus, hujuſmodi Codicem inculpatiſſimum cupientibus exhibere curavit.* Quare jam vides, non in Poëtarum tantum Latinorum Editiones illuſtrandas Brixianorum ingenia incubuiſſe, ſed nullum fere eſſe veterum Scriptionum genus, quæ hujus Urbis typis vulgatæ, præclaros eorundem ingeniorum labores non præferant. *Pudet* (ais ipſe Hiſtoriæ tuæ p. CCXXXVI.) *hoc loco referre, inter primos Typographos, qui Alexandri de Villa Dei Grammaticam, ſeu Doctrinale prælo vulgaverunt, fuiſſe Mediolanenſes.* Et paulo poſt ſubdis Pyladem Brixianum (ut ipſe tradidi in libro de Brix. Liter.) Doctrinale illud funditus evertiſſe, nitoremque priſtinum Latinæ linguæ ſtudiis reſtituiſſe. Pudor ille tuus novum mihi de Brixiana literatura geſtiendi ſuppeditat argumentum, quod ſcilicet illius non ſolum laus fuerit primarum Editionum maculas detergere, cujus rei illuſtria extant monumenta, quotquot eaſdem ſubſequutæ ſunt Brixianorum ingeniorum opera, verum præterea, palmam in barbarie e Grammaticorum ſcholis eliminanda ſibi vindicare. Hoc autem poſtremum decus, præter Doctrinale illud Alexandri a Pylade everſum, demonſtrat doctiſſimorum Grammaticorum chorus, quem Pars II. de Brix. Liter. in publicum prodire fecit, & omnium maxime Auguſtinus Saturnius Lazaroneus, in quo, ut affirmat qui Grammatico hujus Mercurio Præfationem appoſuit, Janus Pincius, Poëta Laureatus, Grammatica Ars potiſſimum experta eſt vires ſuas. Lazaronum quendam Poëtam refers & ipſe tua in Hiſtoria ad an. MCCCCXCIV. adnotaſque Brixianum patria fuiſſe, nam ſe ipſemet Brixianum appellat, originem tamen ejuſdem familiam traxiſſe a Valle Tellina, quod comprobas quoſdam ejus verſus recitando; at Buennum Vallis Camunicæ oppidum patriam Lazaroneæ familiæ fuiſſe, aperte prodit Auguſtinus meus ille Mercur. lib. V. cap. XVI. ita ſcribens: *Eſt autem Buennum, dulce mihi natale ſolum, oppidulum ſane illuſtre Oreola in valle, quam nunc vulgo Camonicam dictitant.*

Injecta in ſuperiori Epiſtola Pylade ad Petrum Paulum Averoldum Gabrielis Concoregii mentio me monet, ut minime diſſimulem, mirum mihi accidiſſe, ejus nomen omnino ſubticeri in Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium, nuperrime a Cl. Viro Philippo Argelato concinnata, tuæque Hiſtoriæ Typographico-Literariæ ſubjuncta, eoque magis, quod in illa quatuor ex Concoregia familia docti Viri cenſentur, Conradus, Joannes, Raynaldus, Roglerius. Horum ſaltem occaſione nominari, ut puto, merebatur Gabriel a Pylade laudatus ex Bibliotheca, quam ſibi paraverat, quemque ipſe compertum admodum reddidi tam ex iis quæ de homine illo ſcriptis conſignavi in Diatriba ad Franciſci Barbari Epiſtolas Par. I. cap. III. §. V. quam ex ejuſdem Epiſtolis, quas inter Barbari illas evulgavi. Patrium autem ſolum Gabrieli Concoregio Mediolanenſi in Urbe vere obtigiſſe, ibidem apertum feci ipſiuſmet Gabrielis verbis ex Epiſtola ad Franciſcum Barbarum, qua diſerte ſcribit, *Mediolani natus ſum; at ego, ſublata libertate, teneor patriæ nec legibus ullis - Odi ſemper tyrannos, Venetum potius quam Mediolanenſem tu pluresque alii ſemper cognoſcere potuerunt.* Nec diſſimulandum eo loco putavi, hominem illum cum literarum gloria, qua certe florebat, extremam petulantiam, quemadmodum adverſus Mediolanenſes ſuos, ita adverſus Brixianum Magiſtratum, famelici literatoris more, conjunxiſſe. Eam Gabrielis in ſcribendo immodeſtiam etſi Franciſcus Barbarus probare certe non poſſet, attamen ejus hominis commodis favere non deſtitit, ac proinde ipſum Ludovico Fuſcareno, Brixiæ Prætori, valde commendavit, quod ſibi perſuaderet, nec ejus curam, nec diligentiam defuiſſe, *ut ingenia Brixianorum ad magnum fortunæ cultum excitarentur.* Quam ipſam Franciſci Barbari humanitatem, profecto ſingularem, quippequæ in eruditos omnes ſuæ ætatis diffundebatur, expertum etiam fuiſſe Petrum Candidum Decembrium, ſæpius in Opere tuo memoratum (cui videlicet Mediolanum deſerendi, & Romam confugiendi cauſam dederant eæ ipſæ Mediolanenſes turbæ, quæ Concoregium Brixiam abduxerant) diligenter a Te adnotatum reperio p. CCCVI. ex Epiſtola ipſius Franciſci Barbari ad eundem Decembrium, de quo ego plura adhuc tradidi in Diatriba mea illa, ſtatim poſtquam egiſſem de Brixienſe illo ludimagiſtro, Gabriele Concoregio.

Emerſimus jam ex eo veterum Editionum quodam veluti pelago, in quod ingreſſi ſumus ad inſtituendam comparationem inter antiquiores illas e Mediolanenſibus typis profectas, quas in Prolegomenis unico conſpectu intuendas præbuiſti, & Brixianas meas, quas tuis decedere oportere, ſi ſola vetuſtatis ratio habeatur, nunquam dubitavi. Quoniam vero tranſitum facis ad novam tuæ Urbis in re pariter Typographica prærogativam celebrandam, pergam & ipſe eadem in re meæ iſtius Urbis ſingularia decora, tuis veſtigiis inſiſtendo, commemorare. Ais ergo, non typis tantum ſuis, ſed alienis quoque inclaruiſſe Mediolanum; Manuſcripta enim ſuppeditavit, quibus remotarum etiam Urbium Typographis primarum Editionum honor accederet, teſtemque ad id comprobandum adducis Flavium Blondum in ſua Ital. Illuſtr. Reg. VI. hoc de ſe ipſo glorioſe narrantem: *Nos vero cum publicis Patriæ tractandis negotiis adoleſcentes Mediolanum adiiſſemus, Brutum de claris Oratoribus primi omnium mirabili ardore, ac celeritate tranſcripſimus, ex quo primum Veronam Guarino, poſt Leonardo Juſtiniano Venetias miſſo omnis Italia exemplis pariter eſt repleta.* Subdiſque, Codicem illum repertum fuiſſe in Urbe Laudenſi a ſummo Viro Gerardo Landriano, tunc ejuſdem Epiſcopo, ſed quum vetuſtis conſtaret literis, quarum ductus nemo forte intelligeret, ab egregii ingenii Viro Coſmo Cremonenſi feliciſſime tranſcriptum fuiſſe, ut idem Blondus teſtatur. Accipe quid animus ferat ad prærogativam iſtam tuam regerere. Inclaruerunt

ruerunt

Digitized by Google

noriæ tuæ p. CCCXIV. ibique præſtitam a me diligentiam in tenebris quibuſdam diſpellendis pro tua urbanitate commendas. Poggius quoque Ciceronem in iiſdem Barbari Commentariis agnoviſſe videtur, quippe qui ad Guarinum ita ſcribit: *Videtur mihi Franciſcus Barbarus alterum de Officiis librum ſcripſiſſe, ſed Uxoris, ita ad unguem Ciceronem exprimit dicendo. Non ſum adulator, ut noſti; quæ loquor, proficiſcuntur ex animi ſententia. Cum ſumma eloquentia adjuncta eſt dignitas quædam ſententiarum quovis graviſſimo Viro digna*. De iiſdem hoc perhibet teſtimonium Tobias Burgus in Oratione, quam nomine Civitatis Veronenſis publice habuit ad ipſum Barbarum, ejus Urbis Præfectura functum: *Ego ſic exiſtimo, Viri Clariſſimi, ſi ei libello, qui de ingeniis judicare poſſunt, Platonis, aut Ariſtotelis nomen in fronte inveniſſent, eum quibuſvis Gentilium libris præferre non dubitaſſent. Tempore igitur dumtaxat, & auctoritate, non ingenio, aut doctrina inferior acquieſcit*. Quod autem ſpectat ad Franciſci Barbari Epiſtolas, quid de ipſis ſenſerit Hermolaus Barbarus, Patriarcha Aquilejenſis, Franciſci ex Zachariæ filio nepos, ex binis ejus Epiſtolis ad Arnoldum Gandavenſem deprompta teſtimonia declarabunt. In una ex ipſis, *Libros* (inquit) *Epiſtolarum multos reliquit, quos quidem, cum primum per peſtilentiam licuerit, imprimendos curabo*; & in alia ad eundem: *Orationum, & Epiſtolarum mearum libros exire niſi caſtigatiſſimos volo, alioquin iniquum eſſet, & temerarium, monumentis Avi nondum editis. Nec Themiſtium emiſiſſem, ſiquid in eo genere literarum ſcripſiſſet Avus*. Æqui bonique conſulas, velim, ſi Franciſci Barbari Epiſtolarum, quas in lucem edidi, amore abreptus, quodammodo exiſtimavi honori hujus Urbis ma-

C

D

Pontificalis inſtitutus eſt liber, muneribus illis, quorum obeundorum normam Presbyteris in univerſum præſcribit liber Miſſalis. Adde, Brixianæ illi Pontificalis Editioni ſingularem honorem accedere ex chronica nota, quam præfert, ſcilicet anni MDIII. nam iſta teſtatur, poſt cuſum in Romana Typographia librum illum, Brixiani agri Municipium, vix, aut ne vix quidem Geographis compertum, ei publicando montanos typos ſuos ſacraſſe, multis annis antequam ulla alia, ſeu regio, ſeu Metropolis de renovanda ejuſdem impreſſione cogitaret. Tandem maxime facit ad noſtræ illius Editionis decus, quod ſuæ illius vetuſtatis beneficio repræſentet primævam libri Pontificalis faciem, quam cito nimis evanuiſſe in poſterioribus Editionibus, haud rara multorum hominum querela eſt; injuſta tamen, nam additiones in eum librum invectas facile æqui judicii quiſquis dignoſcet hujuſmodi eſſe, quas & temporis, & conſuetudinis ratio abſque ulla divini cultus labe poſtularet. Additionum hujuſcemodi parens Albertus Caſtellanus, Ordinis Prædicatorum, cujus opus nova Pontificalis Editio, anno MDXX. Venetiis curata, & Leoni X. Pont. Max. ab eodem inſcripta; fatetur enim in ejus Præfatione, poſt labores a præſtantiſſimis Viris in eum librum inſumptos, præſertim ab Auguſtino Patritio, Jacobo de Lutiis, & Joanne Burchardo, ſe eidem Spartæ manum admoventem, nihil quidem de ſuo appoſuiſſe, ſed quæ iidem ex Pontificali Guilelmi Durantes, Mimatenſis, detruncaverant, ſeu ſubtraxerant, reſtituiſſe, quod ſanctam redolerent antiquitatem. Si quis igitur ſinceram trium illorum Editionem in Pontificali requirat, aut ad Romanam ſeu anno MCCCCLXXXV. ſeu anno MCCCCLXXXVII. confugiat neceſſe eſt, aut ad Brixianam noſtram, quæ Venetam

Digitized by Google

rum Cærimoniarum magiſter, faſſi in Præfatione ad Cardinalem Raphaëlem Riarium, id unum in eadem Editione ſe præſtitiſſe, ut mendas ab Impreſſorum incuria profectas tollerent, eas vero, in quas inciderat ipſe Auguſtinus Patritius, in poſtrema pagina adnotarent. Hæc omnia Oudinus ignoravit, licet ſatis aperte conſtent ex Præfationibus ad utramque eam Editionem appoſitis, multoque magis eundem latere potuit Brixiana Pontificalis Editio, quam certe ſi noviſſet, haud affirmaſſet, ſolos Romanos typos an. MCCCCLXXIX. germanum Patricii opus repræſentaſſe. Æque illa latuit quotquot ſeu de Originibus Typographicis, ſeu de libris divino cul tui inſervientibus accuratius tractarunt; imo vero & ipſos fortaſſe Brixianos lateret, niſi in hujus Seminarii Epiſcopalis Bibliotheca repertum fuiſſet ejuſdem Exemplar, hac nota ad calcem inſignitum: *Finit liber Pontificalis emendatus diligentia Reverendi in Chriſto Patris Domini Jacobi de Lutiis, utriuſque Juris Doctoris, Epiſcopi Cajacenſis, & Domini Joannis Burkardi Capellæ S. D. N. Papa Cerimoniarum Magiſtri. Impreſſus Collibus Vallis Trumpiæ per Maffeum de Fracazinis ſedente Alexandro VI. Pontifice Maximo anno ejus XI. MCCCCCIII. die XII. Auguſti*. Quibus de eo libro a me in medium allatis, Te ipſum Judicem poſco, num glorioſi illius tetraſtichi, quo ſacri utriuſque ritus libri ab Antonio Zaroto Mediolani impreſſi, honeſtati reperiuntur, nimirum:

*Antoni, patria Parmenſis, gente Zarote,*
*Primus Miſſales imprimis arte libros.*
*Nemo repertorem nimium ſe jactet: in arte*
*Addere plus tantum, quam peperiſſe valet.*

Num, inquam, tetraſtichi hujus binos poſtremos verſus aptare quis valeat Maffæo de Fracazinis, qui Miſſalibus libris Mediolani primum impreſſis Pontificalem omnium primus poſt Romanam Editionem adjunxit. Hic vero una cum Gabriele fratre adeo præla ſua religioni ſervire docuit, ut fere non alios ex iis libros, niſi ſacrorum Myſtarum uſibus deſtinatos emiſiſſe comperiatur, nimirum, *Pſalterium cum Hymnis ſecundum uſum Romanæ Curiæ peroptime reviſum, ac emendatum, an. MCCCCCVI. Expoſitionem Miſſæ Domini Hugonis Cardinalis, Ordinis Prædicatorum an. MCCCCCXV. Secreta Sacerdotum Magiſtri Henrici de Haſſia per egregium ſacræ Theologiæ, & Juris Canonici doctorem Magiſtrum Michaëlem Lochmeyer correcta, & in hanc formam reducta, an. MCCCCCXXVI. Officium glorioſæ Virginis Mariæ cum Officio Mortuorum, nec non cum Commemorationibus Dominicalibus Sanctorum totius anni, an. MCCCCCXXVI.* Quæ omnis ſacra ſupellex in ſcopuloſis (nam ita eos vocavero) Collibus Brixianæ Vallis inſtructa, in peculiarem eorundem gloriam adeo vergit, ut hanc, non tenuem utique in tenui oppido, invidere iſti quodammodo poſſe videatur, non Mediolanum tantum, ſed *Septem Urbs alta jugis toti quæ præſidet Orbi*.

Atque ita pervenimus ad finem Capitis I. tuorum Prolegomenon; hocque demum concludis nonnulla ex Scriptis, & Vita S. Ambroſii in medium afferens, hæcque tandem verba ſubdens: *Veniam quidem rogo, ſi in hiſce ſacris rebus attexendis viſus ſim extra orbitam divagatus; neque enim grato erga patriam amori eos limites poſui, ut ſi quæ ad ejuſdem laudem augendam illuſtrandamque ex antiquis evolverem latebris, literariæ huic meſſi, quam colligo, mihi inſerere non liceret*. Gratus iſte tuus erga patriam amor exemplo mihi eſt, ne manum ex hac Epiſtola tollam, quin & ego ad amplificandum patriæ meæ decus, Operum primi ejus Patriarchæ, Sancti Laurentii Juſtiniani, luculentam Editionem commemorem, cujus proferendæ honor quum Brixianis typis obtigerit, nemini videri debebo extra orbitam divagari. Eorum Operum, colligendorum primum, deinde edendorum curam ſuſcepit Hieronymus Caballus, Brixienſis, Congregationis Sancti Georgii in Alga Venetiarum Generalis Rector. Id ipſe teſtatur in eorundem Præfatione Cardinali Antoniotto Pallavicino, Genuenſi, inſcripta, nam ibi inter cætera hæc leguntur: *Quum itaque, clementiſſime Pater, & Domine, ſuperioribus annis in hominis Dei Laurentii Juſtiniani, Veneti Patriarchæ, primi ex iis, qui Congregationem noſtram a principio plurimum illuſtrarunt, ſuaviſſimis libris conquirendis haud parum laboraverim (nec labor iſte meus inanis certe fuerit, quippe qui illius Sancti Viri omnia fere Scripta invenerim, & inventa emendari, emendata imprimi curaverim) cogitare cœpi, cuinam hæc lepidiſſima, & Chriſtianæ pietatis plena Volumina dedicarem*. Prolixius adhuc ſuam illam curam deſcribit Philippo Stanchario in Epiſtola ad ipſum data, quæ extat in calce ſecundi Voluminis, atque ita incipit: *Beatus Laurentius Patriarcha noſter, qui in omni morum ſanctitate, quamdiu vixit, verſatus eſt, multa (ut ſcis) Volumina non minus eleganter quam ſapienter conſcripta moriens nobis reliquit, quæ cum omni ex parte res ſanctiſſimas, memoratuque dignas contineant, exiſtimavimus cum pro noſtra in eum devotione, tum mirabili ejus ſanctitate, ac ſingulari doctrina, nos operæ pretium eſſe facturos, ſi curaremus, ut ea, quæ hactenus in Bibliothecis noſtris recondita pene latuerant, nunc tandem in lucem prodirent ac publicarentur, ut quæ perpauci antea noſſent, plerique nunc ſe tenere gauderent. Impreſſoribus igitur tradita ſunt, & propemodum omnia abſoluta*. Impreſſionem nitidiſſimam, & diligentiſſimam perfecit Angelus Britannicus, qui propterea eidem hanc notam appoſuit: *Hæc Divi Laurentii Juſtiniani, Patricii Veneti, Protopatriarchæque digniſſimi, tam admiranda Opuſcula Brixiæ per me Angelum Britannicum, ejuſdem Urbis civem, imprimi curavit venerabilis Canonicorum Gongregationis Sancti Georgii in Alga Generalis Rector D. Hieronymus Caballus, Brixianus, qui non modo effecit, ut eſſent pulchris literarum characteribus impreſſa, verum etiam diligentiſſime caſtigata, quibus quidem Operibus hodierna die ad laudem omnipotentis Dei ejuſque Genetricis impoſita eſt ultima manus quinto calendas Apriles anno a ſalutifero Virginis partu MDVI.*

Secundum, & tertium tuorum Prolegomenon Capita nihil fere continent, quod ad inſtitutam in hac Epiſtola comparationem continuandam argumentum offerat. In Capite II. quod inſcribitur de Utilitate hujus ſtudii, ea prodis, in quibus tecum volens libenſque convenio, uno tantum excepto, quod non ſemel pro una eademque re habere videaris Editiones principes, ac Editiones venerabiliores, emendatioreſque, Editiones antiquiores, ac Editiones digniores. Mihi contra perſuaſum eſt, venerabiliores, ac digniores Editiones eas eſſe reputandas, quibus emendandis, aut conferendis inſudarunt Viri literarum gloria inſignes. Horum autem labo-

res

Digitized by Google

A res potiſſimum eſſe verſatos in antiquioribus
Editionibus emaculandis , manifeſtam fidem
faciunt eorundem Præfationes Editionibus a ſe
curatis appoſitæ , quarum non ita exiguum
manipulum meo in libro de Brixiana Liter.
collegi , unde recitata in hac Epiſtola earun-
dem fragmenta depromſi . Tempus inductæ
Mediolanum Typographiæ Capiti III. argumen-
tum præbet . Quam valde ego abſim ab
impugnanda ætatis grandioris prærogativa ,
qua Mediolanenſes Editiones gaudent , ſi cum
Brixianis comparentur , ex ſuperius a me
dictis intellexiſti , atque hoc quoque loco ul-
tro fatebor , non aliam mihi uſque ad præ-
ſentem diem innotuiſſe antiquiorem Brixianam
B Editionem , quam Perſii , & Juvenalis an.
MCCCCLXXIII. evulgatam , dum Catalogus
tuus ante illum annum decem libros Medio-
lani Editos recenſet , quorum tamen tres tantum
tuas ad manus perveniſſe , aut oculis tuis ſubje-
ctos fuiſſe , ingenue affirmas , ſcilicet Pomponii
Melæ Coſmographiam , Feſtum Pompejum de
Verborum ſignificatione , Georgium Trapezun-
tium de Partibus Orationis , reliquos omnes me-
moras ex aliorum fide ; præterquam quod haud
parum Tibi elaborandum fuit , ut epocham
impreſſæ Mediolani Hiſtoriæ Auguſtæ anno
MCCCCLXV. quæ uno tantum Claudii Sal-
maſii teſtimonio fulcitur , ab erroris periculo
amoveres .

C Itaque ab utroque eo Capite breviter expe-
ditus , advolo ad Caput IV. cui titulum feci-
ſti , de Viris Typographia illuſtribus , quos Me-
diolanum habuit . A pag. XCIV. ad pag. CXII.
Virorum illorum nomina , & hiſtoriam celebras,
exorſuſque ab Antonio Zaroto , definis in Ale-
xandro Minutiano , quo uno excepto , reliquos
pleroſque omnes , ut obſervavi , ſaltem celebrio-
res , exteris regionibus debet Mediolanum . At
Brixia ſuos potiſſimum cives jactat , qui inſigni
cum laude Typographicis ſua in patria officinis
incubuerint . Principio binos Presbyteros nomi-
nabo ( nam Viros quoque Eccleſiaſtica dignitate
verendos minime indignam putaſſe Ordinis ſui
religione curam , quam ipſi in ea arte pone-
D rent , adſtruis ipſe pluribus exemplis in me-
dium allatis ) ſcilicet Petrum de Villa , &
Baptiſtam de Farfengo , quos Brixianos fuiſſe ,
pagi , unde nomen deſumunt , affirmandi locum
præbent ; poſtremi autem Opus eſt Editio Ser-
monum S Ephrem an. MCCCCLXXXX. quam
aliqui habent pro omnium principe , primi ve-
ro , Editio , paulo ante laudata , Perſii , &
Juvenalis, omnium , ut certo creditur, antiquiſſi-
ma . Deinde in medium profero , antea com-
memoratos , Angelum , & Jacobum Britannicos ,
Paganinum , & Alexandrum Paganinos , Maſ-
ſeum , & Gabrielem Fracazinos , Teque ſtatim
interrogo , quænam alia ſit Urbs , cui , præter
Brixianam , tam conſpicuus honor obtigerit , ut
E non ſolum locupletem impreſſoriæ artis offici-
nam , ſuo ſinu exceptam , ſed binas inſuper ,
haud parum & ipſas illuſtres , in agro ſuo ſitas
valeat oſtentare . Brixiana illa præla , ſcilicet
Britannicorum in ipſa Urbe , Paganinorum Tuſ-
culani , Fracazinorum in Valle Trompia , non-
ne tanta literariæ mercis hujuſmodi copia Bri-
xiam abundaſſe comprobant , ut eandem intra
ſua pomœria continere non valuerit ? Quid ! ſi
quartum quoque huic noſtræ regioni acceſſiſſe
prælum oſtendero , quod ſcilicet in Prato Al-
boini conditum fuiſſe conſtet , ex eoque prodiiſſe
Ciceronianæ eloquentiæ theſaurum , nimirum Ma-
rii Nizolii , Brixellenſis , Obſervationes ? Extat
magnifica hujus Operis Editio , & ad calcem
tam primæ , quam ſecundæ partis hæc legitur
nota : *Ad Pratum Albuini in Ædibus illuſtris*
*Viri Joannis Franciſci Gambara Comitis Pontifi-*
*cii , anno ab ortu Chriſti MDXXXV. menſe*
*Januario* . In fronte autem ejuſdem extat Epi-
ſtola Nizolii ad eum Comitem Joannem Franciſ-
cum Gambaram ; ex qua innoteſcit , quantum
Editio illa deberet eidem Comiti primum ,
deinde Matthæo Advocato , hujuſque filio Ca-
millo ; nam ibi hæc habentur : *Quanquam poſ-*
*ſim multos commemorare , quibus plurimum de-*
*beo , & in iis præcipue clariſſimum , & ampliſ-*
*ſimum Virum , eundemque Juris civilis longe*
*peritiſſimum , Matthæum Advocatum , & ejus*
*filium Camillum , adoleſcentem omni corporis ,*
*animique virtute ornatiſſimum , qui me antea*
*multis ſibi , & magnis de cauſis maxime obliga-*
*tum , nunc etiam obligarunt magis , cum in*
*editionem hujus Operis omnem pecuniam mihi li-*
*beraliſſime ſuppeditarunt : tamen & ipſi , quæ*
*ſunt modeſtia , & cæteri omnes facile patientur ,*
*ut me tibi , pluſquam ſibi , devinctum eſſe con-*
*fitear . Tu enim primum hoſpitio me accepiſti ,*
*quo jam tertium , & decimum annum honeſtiſ-*
*ſime utor , tu tenuitatem meam liberalitate tua*
*ſemper ſuſtentaſti , tu litteras , & ſtudia mea*
*nunquam fovere , & excitare deſtitiſti , tu me*
*omnibus rebus aſſidue , prout facultates tuæ tu-*
*lerunt , & auxiſti , & ornaſti* . Atque paulo
poſt ſubjungitur : *Ad extremum vero etiam juſſu*
*tuo curavimus , ut ad Pratum Albuini , atque*
*in Ædibus tuis* ( loquitur de Obſervationum ſua-
rum Volumine ) *imprimerentur* ( *utendum enim*
*eſt verbo novo in re nova* ) *atque ita ad com-*
*munem ſtudioſorum omnium uſum in lucem ede-*
*rentur* . Jactat itaque vel rarum hoc Brixiana
literatura decus , quod librariæ ſupellectili ampli-
ficandæ non favorem tantum , ſed ipſaſmet Ædes
ſuas accommodare Brixiani Proceres non ſint de-
dignati .

Ultimo demum Capite tuorum Prolegome-
non de Typographis , quos Mediolanum aliis
Urbibus dedit , agendum Tibi propoſuiſti , ibi-
que poſt nonnullos , exigui certe nominis , com-
memoratos , in ſcenam producis Octavianum
Scotum , Virum nobilem , in inſigni oppido ju-
ris Mediolanenſis Modoëtia natum , & de eo
ita ſcribis : *Hic enim Venetias profectus liberali*
*æris ſui patrocinio illius Urbis præla ſic fovit ,*
*ut innumeræ ferme Editiones ipſius nomen , ac*
*ſymbolum præferentes quaqua emergant , videatur-*
*que ejus ope conditum ibidem novum Emporium*
*codicum impreſſorum* . Et ipſam Brixiam in exte-
ras Urbes ad rei literariæ proventum emiſiſſe
inſignes admodum in Typographia artifices , ni-
mirum Britannicos , Paganinos , & Moretos ,
certos nos reddunt tam plures eorum Editiones ,
quæ ſuperſunt , in exteris regionibus evulgatæ ;
quam Annales Typographici , in quibus aliquæ
ex ipſis memorantur . At omiſſis Britannicis , &
Paganinis , quod de eorum cura in augenda re
literaria pluribus locis ſuperius ſit dictum , ſo-
los in medium afferam Moretos , nimirum An-
tonium , & Matthæum . Prima Antonium col-
laudandi mihi in libro de Brix. Liter. occurrit
occaſio inter differendum de Calphurnii Commen-
tario in Terentii Drama , ſiquidem hujus Epi-
ſtolium præfert Veneta , quam ad manus ha-
bui , ejus Poëtæ Editio , quo ille teſtatur ,
ſe eundem Commentarium ex tempore dictaſſe
Antonio Moreto , *eruditiſſimo Brixiano adole-*
*ſcenti* . Ibidem mentionem feci Editionis Epi-
ſtolarum Leonardi Aretini anno MCCCCLXXII.
a Moreto una cum Hieronymo Alexandrino cu-
ratæ , & Jacobo Zeno , Epiſcopo Patavino ;
nun-

nuncupatæ, laudatæque ab Annalium Typographicorum conditore pag. 320. ubi etiam recitat utriuſque Editoris nomina; licet is ipſe pag. 717. de Antonio Moreto hæc adnotaverit, *Hujus prima (quam novi) mentio incidit anno 1495. ſed ſine loci nomine. At anno 1500. impreſſit Venetiis*; & quamvis in Indice (non quidem Correctorum) Typographorum, quem Annalibus illis Maittaire inſeruit, Moreti nomen, adnotata ibi earum Leonardi Epiſtolarum *anno* 1472. Editione, recenſuerit. Eo ipſo loco mentionem feci binarum literarum, in quibus Sabellicus ſcilicet, & Parrhaſius Typographicos Moreti labores celebrarunt, occurruntque ambæ in Tomo I. Theſauri Critici ab Jano Grutero collecti. Sabellicus in Epiſtola ad Dominicum Grimanum, ſuis in Plinium Annotationibus præfixa, ſcribens, ſe Annotationes illas in ordinem redegiſſe, deinde in publicum protuliſſe amicis ſuis efflagitantibus, *& in his* (ſubdit) *Antonius Moretus, homo, ut noſti, noſtrarum literarum perbelle eruditus, ſtudiorumque fautor maximus*. Parrhaſius autem in Epiſtola Moreto inſcripta affirmat, ſe minime recuſare, quin iſte contendat, injuria inſimulari eum, qui Mediolani Ciceronis Opera publicavit, *niſi* (inquit) *vel iniquiſſimo judici probavero, nullam fere paginam vitio carere*. Poſt allata autem nonnulla ejus Editionis menda, Epiſtolam his verbis claudit: *Hæc ex multis ad te pauca, ut nimio plus homuncionis amori tribuentem vulſa aure excitaremus. Alia vel per te deprehendes, ut in his humanioribus ſtudiis aliquandiu eum laude verſatus, vel ex noſtris ad amicos obſervationibus, ex quibus intelliges, me nihil odio dediſſe*. Hæc Parrhaſii verba, quæ libentius a me laudantur, quod magnopere cedant in Moreti mei honorem, facile intelligo, haud æque grata Tibi futura, quod in iis Mediolanenſis Operum Ciceronis Editio, ea ipſa, quam ſingulari elogio in Hiſtoria tua ad an. MCCCCLXXXXIX. decoraſti, vehementer reprehendatur, idque ab homine ſummæ eloquentiæ, doctrinæque, cujus Elogium ex Jovio petitum, eo ipſo loco recitaſti, præfatus, minime illud a Te omittendum fuiſſe, *Cum in ſplendorem* (ais ipſe) *vergat Metropolis noſtræ, præſtantiſſimis quibuſque literarum cultoribus tunc affluentis*. Neſcio quo fato dicam accidiſſe, ut una fere eademque pagina in Opere illo tuo & Parrhaſii in humanioribus literis præſtantiam, & pretium Ciceronis Operum Editionis, tua in Urbe, tuoque a Cive confectæ, a Parrhaſio tamen acerba cenſura vexatæ, commendaret. Sive autem jure, ſive injuria Editionem illam homo iſte vellicaverit, Moreti ſtudia æquo certe idem judicio honeſtavit, dum idoneum ipſum cenſuit, qui injectas in veterum Auctorum Editiones maculas deprehenderet. Neminem Moreto aptiorem fuiſſe ad munus Correctoris, quo nullum Typographicæ arti magis neceſſarium, diligentiſſime exercendum, Marinus Becichemus (ut reliquos omittam) teſtatus eſt, ita illum alloquens in ſuæ Epiſtolicæ Centuriæ Cap. 57. *Facis tu, Morete mi, quod neque Tryphon, neque quiſquam alius Bibliopola priſcis faciebat temporibus, ut non modo incorrecta ſerves Auctorum monumenta, ſed & ab erroribus obſcuris, & a pauciſſimis animadverſis vindicare labores. De Apulejani Aſini titulo ſcribam, quod ſentio. Tu Sabellicum noſtrum, & alios eruditos viros, qui quotidie ad te divertunt, conſules, quodque magis vero proximum videbitur, ſequeris*. Antonio Moreto inſcripta viſitur Calphurnii conterranei ſui Epiſtola, Grammaticæ libello, cujus Auctor Perottus, Sipontinus Antiſtes, præfixa. Queſtus in ea Calphurnius adverſus Alexandri de Villa Dei Carmen ineptum, nondum exploſum e ſcholis, de Perotti libello hæc habet ad Moretum: *Perlecto grammatices libello, qui e Nicolao Perotto, Pontifice Sipontino, Viro eloquentiſſimo, commode, & breviter ad puerorum eruditionem nuper editus, volui brevi Epiſtola, quemadmodum petieras, quid de hoc ſentirem tibi declarare; ut hunc tu qui es juvenis doctiſſimus, & omnia emendata excolis, impreſſoribus tuis quamprimum traderes, & imprimendum diligenter, ut omnia conſueviſti, curares*. Quæ de Antonio Moreto hucuſque ſunt dicta, ſatis quidem forent ad commendandam ejus in re Typographica induſtriam; attamen ejus hominis mentio, quam a Te factam fuiſſe reperio in Catalogo tuo, ſcilicet in nota ad Nicolai Perotti Cornucopiam in eo memoratam pag. DCIII. in cauſa erit, ut quæ ad operam ab eo impenſam in edendo libro illo ſpectant, aliquanto fuſius ediſſeram. Ais ipſe in ea nota: *Adeſt in fine Commentariolus ejuſdem Perotti in C. Plinii ſecundi Proœmium, in quo Joh. Andream Epiſcopum Alerienſem de duobus & viginti erroribus arguit, ad Antonium Moretum ſcribens*. Editioni tuæ Mediolanenſi, ſcilicet an. MCCCCXCVIII. quam eo loco laudas, putarem non deeſſe eos verſus Marcelli Philoxeni, Lucii Pontici Terviſani, & Danielis Cajetani, in quibus præſtita a Moreto diligentia in expoliendo, publicandoque Perotti Opere illo celebratur, quippe qui minime deſiderantur in pluribus aliis Editionibus, quæ Mediolanenſem illam ſeu præceſſerint, ſeu ſubſequutæ fuerint; & forte nec etiam deerit M. Antonii Sabellici ad ipſum Moretum Epiſtola, quæ eandem diligentiam his verbis collaudat: *Induſtriam tuam, & diligentiam jam antea Venetæ Academiæ, imo univerſæ Civitati facile perſpectam recognovi. Habebunt igitur tibi gratias quicunque poſthac in ipſam lectionem* (Cornucopiæ) *incident, quod eam per te tam emendatam habebunt, quam ille ipſe, qui ſcripſit, in publicum prodire voluiſſet*. Hæc ex pluribus, ut dixi, Cornucopiæ Editionibus facile Tibi, aliiſque de eo Moreti labore comperta, me invitant, ut inſuper aliqua ſubjungam de inſigni ea fraude, quam in ſua illa Editione admiſiſſe culpatur idem Moretus, & de qua nihil Tibi ſuboluiſſe alicui forte videbitur, quod abſque hæſitatione affirmaveris, Perotti, Sipontini Antiſtitis, Commentariolum inſcriptum fuiſſe Antonio Moreto. Subdubitandi de Moreti nomine anſam præbere cuilibet poteſt Veneta Cornucopiæ Editio an. MDXVII. a Maittaire p. 818. laudata, in qua ejus Commentarioli titulus ita legitur, *Nicolaus Perottus Pontifex Sipontinus Franciſco Guarnerio ſalutem*; anſam vero haud obſcure eandem fraudem dignoſcendi Articulus XV. Tom. XIII. Ephemer. Erudit. Ital. At rem illam extra omnem controverſiam conſtituit diligentia, quam, ut certum de iis ambagibus judicium ferrem, adhibendam cenſui in perlegendo eo Perotti Opuſculo in Veneta Cornucopiæ anni MCCCCLXXXX. Editione. Qua autem ratione ad veritatem detegendam diligentia illa perductus ſim, hoc loco Tibi narrabo, quin opus habeas confugere ad Appendicem libri mei de Geſtis Pauli II vindicatis, & illuſtratis, ubi inter agendum de Quintiliani binis Editionibus Romanis, ejuſdem

rei

Digitized by Google

rei narrandæ occaſio mihi ſe obtulit. Præfert in ea Veneta Cornucopiæ Editione libellus ille, Moreti nomen & in titulo (ut de Mediolanenſi tua monuiſti), verum etiam & in primis omnino Præfationis verbis, tandemque ſemel, iterumque inculcat ejuſdem libelli concluſio; præterea homini, cui inſcribitur, laudes tribuuntur, cujuſcemodi Moretum paſſim referre aſſuetum ex ſuperioribus jam intellexiſti: *Tu* (ita habetur in Præfationis exordio) *qui præſtas doctrina, & faves ingeniis, impreſſoribus iſtius inclytæ Venetiarum Urbis, ſuadeas, eoſdemque horteris* &c. Atque in calce libelli: *Tu vero, mi Antoni, quem & ingenio excelſum, & natum, altumque in literis, & optimarum artium ſtudiis flagrantem omnes & norunt, & prædicant* &c. Hæc profecto Lectorem quemvis facile inducant ad credendum, Perotti Commentariolum Antonio Moreto ab Auctore omnino inſcriptum fuiſſe. Attamen Moreti nomen Franciſci Guarnerii ſedem ibidem invaſiſſe, certo certius mihi demonſtravit compellatio, *mi Franciſce*, valde admodum imprudenter in prima averſa pagina ante medietatem ab Impreſſoribus relicta, vel ex ſe ſola ſatis idonea ad comprobandam nominum doloſam mutationem, quæ ſcilicet facta fuerit ſtatim ac eo libello Veneti potiti ſunt typi; ſtatim, inquam, nam Venetam ejuſdem Editionem anno MCCCCLXXXX. omnium earum principem eſſe puto, in quibus Moreti nomen compareat; ſiquidem in Veneta Cornucopiæ proxime præcedentis anni Editione *per magiſtrum Paganinum de Paganinis, Brixienſem*, libellus ille deſideratur, ac proinde Moreti etiam nomen. Hoc poſtea Veneti ipſi typi novas Cornucopiæ Editiones cudentes, prorſus eliminarunt, & ſuam in ſedem Franciſci Guarnerii nomen repoſuerunt, ut jam monui ex Editione an. MDXVII. a Maittaire laudata, utque inſuper conſtat ex alia, quam ad manus habeo, an. MDXXVI. Utramque iſtam Andreæ Aſulano, Aldi Manutii ſocero, debemus, & ex utraque ediſcimus, Franciſcum Guarnerium fuiſſe inter familiares Marci Barbi, Cardinalis Vicentini, doctorum omnium præſidis, ut eum ibi Perottus appellat, ac Mecœnatis. Par omnino fucus irrepſit in perelegantem Antonii Campani, Teramenſis Epiſcopi, Epiſtolam, binis Quintiliani Editionibus, Romæ confectis, præfixam; nam in una ex ipſis Antonio Moreto, in altera Cardinali Senenſi inſcripta comparet. Antequam eundem Moretum dimittam, certiorem Te facio, præſto mihi eſſe Editionem Hiſtoriæ Hegeſippi ab illo ipſo Moreto curatam Brixiæ an. MDXI. nuncupatamque Jaffredo Carolo, Delphinatus, ac Mediolanenſis Senatus Præſidi, ceu fœtum D. Ambroſii, Mediolanenſis Antiſtitis; nam in Præfatione, ſeu in Epiſtola illa nuncupatoria hæc habet: *Accedit etiam ad hujus Hiſtoriæ commendationem, D. Ambroſium, Mediolanenſem Antiſtitem, Virum undecumque laudatiſſimum, & ſacrarum literarum columen e Græca in noſtram linguam convertiſſe*. Supereſt modo, ut de Matthæo Moreto (Brixiano utique, at quo conſanguinitatis gradu Antonium contigerit, incertum) aliquid dicam. Ejus nomen recitat Michaël Maittaire inter illos, qui de arte Typographica optime meriti fuiſſe cenſentur ex Correctoris munere, quod exercuerunt, memoratque Pandectarum Medicinæ Volumen ab ipſo emendatum, & apud Joannem Colonienſem, & Joannem Manthem Venetiis an. MCCCCLXXX. excuſum. De eo Volumine verba a Te facta fuiſſe reperio primum in Prolegomenis, deinde in Hiſtoria, ac demum in Catalogo, & ubique laudas Editionem ejus Operis anno MCCCCLXXIV. confectam ab Joanne Wurſter, carentemque loci mentione, quem tamen non alium fuiſſe contendis, niſi Mediolanum, & Mediolano pariter vindicas earum Pandectarum Authorem, nempe Matthæum Sylvaticum. Utraque in re habes me conſentientem, dummodo & ipſe aſſentiaris, Matthæum Moretum jure ac merito a me recenſeri inter illos, qui naſcentis Typographiæ tempora ſuis laboribus illuſtrarunt. Curam in earum Pandectarum Editione ab ipſo impenſam, dum Bononiæ Aſtronomiam interpretaretur, laudaſti in Prolegom. p. XCIX. Afferam ipſe in novum ejus hominis in re Typographica ſtudii argumentum inſigne aliud medicinæ, ſeu chirurgiæ Opus, cui pariter caſtigando, atque emendando adlaboravit, ut in lucem publicam emiſſum ejus artis ſtudioſos ad lectionem alliceret, a qua eoſdem antea abſterrebat exſcriptorum imperitia. Rem clarius intelliges ex Præfationis ei Operi a Moreto appoſitæ exordio, quod hujuſmodi eſt: *Quanquam pluribus negociis & publicis, & privatis eſſem impeditus, tuis tamen precibus commotus, Vir ornatiſſime, præclarum, ac utiliſſimum Opus Petri de Argellata, Bononienſis, Medici præſtantiſſimi, ab imperitis tranſcriptoribus corruptum caſtigavi, ac ſumma diligentia emendavi. Et eo libentius hoc onus ſuſcepi, ut rogatu tuo Philoſophis, qui hujus artis ſtudioſi exiſtunt, utilitatem afferam, qui etiam tibi gratias habebunt, quia ſumptibus tuis hoc Opus ornatiſſimis caracteribus imprimendum curaſti. In qua quidem re maximam es gloriam conſecutus; adeo ut jam cum Nicolao Jenſone Gallico, omnium impreſſorum præſtantiſſimo de gloria certare poſſis*.

Atque in hunc modum emenſo curriculo illo, quod Te, Vir Clariſſime, ducatum præbente, percurrere inſtitui, nil aliud ſupereſt, niſi ut enixe Te obſecrem, obteſterque, ut ſi forte partam ſibi in literarum cultu ſub initia naſcentis Typographiæ a Brixianis hominibus gloriam efferre plus nimio, atque oſtentare quandoque viſus fuero, nimirum uſque ad invidiam exterarum gentium, & præſertim auguſtæ in Ciſalpina Gallia Metropolis, orationis meæ ſeu impetum, ſeu fervorem illum æquo animo feras, veniamque benignus condones. Hanc, ut ſpero, ab humanitate tua facile promerebor; ſiquidem obtutum convertas & ad Antiſtitis locum, quem in hac Urbe, licet immeritus, viginti ferme abhinc annis obtineo, & ad jacta in eadem a me admodum puerulo literarum fundamenta. Septennis namque a parentibus Brixiam deductus fui, exceptuſque inter Sodales Collegii Sancti Antonii, novem ibidem annos traduxi, eorum officiorum compos, quæ nobili Juventuti ſibi creditæ religioſiſſimi Patres Societatis Jeſu impertiuntur; ea autem tenella ætate cælitus datum mihi eſt diſpicere, atque ſentire, quam turpe mihi foret, ſi indolem a natura acceptam otio, & delitiis hebeſcere ſinerem, & contra quam honorificum, ſi optimarum artium ſtudiis excolendis me dedens, in iis ita conquieſcerem, ut nihil mihi triſtius accidere poſſe putarem, quam ſi aut ſolidum diem, aut bonam ejus partem mollis & iners tranſigerem. Propenſior iſta erga literas voluntas robur accepit, ut primum ex ephebis exceſſi, crevitque deinde magis magiſque una cum annis, ac tandem eas radices egit, quibus in præſens ſeu evellendis, ſeu debilitandis nihil prorſus valeant, nec illecebræ illæ, quibus paſſim deliniuntur quotquot contigit ad faſtigia dignitatum emergere, nec quietis cupi-

ditas, quam ſingulis hominibus, & iis præſertim, qui diutinis laboribus corporis, mentiſque vires atterere non refugerint, flexus ætatis inſpirat. Tam inſigne ergo hujus proclivitatis beneficium quum, poſt Deum immortalem, acceptum referre debeam Urbi iſti, quippe quæ me, ut dixi, ferme vagitantem ad bonarum artium ſtudia accendit, annon æquum erat, ut hanc Epiſtolam texens, non remulo ( utar verbis ab Angelo Politiano paulo ante uſurpatis) ſed plena velificatione ad literariam illius gloriam amplificandam inveherer? Habes itaque cauſam, cur aliquando ſtylum meum intra eos fines, quos mihi initio præſcripſeram, cohibere haud potis fuerim. Hæc vero ipſa cauſa effecit, ut acutius modo quam antea cernens, novum Brixianæ literaturæ decus proferre valeam, & prædicare, in eo ſcilicet ſitum, quod reliquæ omnes Italiæ Urbes, in quibus ætate illa, de qua fuit ſermo, literarum ſtudia majori cum laude viguerunt, hanc illæ ſibi præſertim adſciverint, quod provinciis præſiderent, quod Principum ſedes forent; Brixia vero eandem unice debeat Civium ſuorum ſtudiis, induſtriæ, & ingenio. Sub longævo Principum Vicecomitum, & Sfortiarum Principatu ſerenam prorſus literis in Urbe Mediolanenſi arriſiſſe fortunam ipſe oſtendiſti in binis Capitibus, octavo nimirum, & nono Diſſertationis tuæ de Studiis Mediolanenſibus, illorumque patrocinio eam felicitatem tribuis, proventumque, quo gymnaſia, & ſcientiæ omnes enituerunt, confluentibus in mœnia veſtra undique Viris, eloquentia, doctrinaque cultiſſimis; ac diſerte pronuncias, nos omnium ætatum exemplis admoneri, *non ſecus ac herbis floribuſque a Sole, ita literis, atque artibus a Principum patrocinio vigorem inſpirari*. Unde autem Brixianorum ſtudiis vigor idem acceſſerit, teſtes habemus eorundem Præceptores in pluribus ex iis Præfationibus, quas veterum Auctorum Editionibus ſuo labore emendatis, & illuſtratis appoſuerunt. Unum recitabo pro Epiſtolæ hujus coronide Joannis Britannici teſtimonium, quo aperte edocemur, excolendarum literarum deſiderium in Brixianorum hominum mente altum, confirmatumque fuiſſe ab ipſomet literarum numine, ab ipſa eorundem ſapientia, qua ſibi perſuadebant, literarum ſtudia ea eſſe, quæ omnibus humanæ vitæ bonis ſine controverſia præferantur. Hæc habet Vir ille doctiſſimus in Præfatione ad ſuos in Perſium Commentarios: *In humanis ſcimus opes, divitias, dignitates, honores, dominatus, imperia, & hujuſmodi omnia, quæ cunctis fere mortalibus exoptari ſolent, multa in ſe habere commoda, & ad hominis nomen, famamque augendam, multum valere. Sed quis affirmet ab iis ea nobis præſtari, quæ literæ largiuntur? Nam illa bona quidem ſunt, ſed quæ parvo temporis curriculo evaneſcunt. Nec iis ea virtus ineſt, ut ultra fere hominis ætatem alicujus memoriam extendat; immo enim, ubi qui ea poſſedit, naturæ conceſſit, ejus ſæpe nomen, & fama eodem obruitur tumulo, quo corpus tegitur. At literæ non modo nobiſcum non intereunt, nec circumſcripto temporis ſpatio nomen noſtrum terminant, ſed, quod nemini diffitendum eſt, ita nos morientes poſteritati commendant, ut fama noſtra æternitatem conſequatur, & eo circumferatur ſplendore, qui nec annorum multitudine obſcurari poteſt, nec ulla alia temporum injuria extingui. Adde quod ex literis delectatio petitur jucundiſſima. Nam cum cæteris rebus neque omnis ætas, neque tempus, neque locus detur, iis ſtudiis adoleſcentia regitur, ſenectus oblectatur. Hæc eadem ( ut ait Cicero ) res ſecundas ornant, adverſis ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.*

Futurum dixi pro Epiſtolæ coronide teſtimonium iſtud, quo certe nihil efficacius ad excitandos Brixianorum, qui modo ſunt, animos ad literarum

A amorem. Quotquot itaque ex ipſis paginas meas iſtas verſabunt, animadvertant, velim, quanto cum dedecore a Majorum ſuorum exemplis deficerent, ſi potius quam literas, humana reliqua bona adamarent. Literarum gloriam tantam eſſe jam vident, ut ex earum cauſa multo præſtantius quam ex bellica fortitudine, quam ex opibus, quam ex incolarum frequentia, Brixia Urbs una fere in Italia nominetur, cui Urbes provinciarum capita, & magnorum Principum ſedes ſuo ſplendore olim æmulari contigerit, quod certe decus hac etiam tempeſtate non deſunt, qui ad Brixiam ſpectare fateantur. Cl. Ludovicus Muratorius in Tomo IX. ſuorum Italiæ Annalium, qui anno proxime elapſo Mediolani in lucem prodiit, eas civitates, in quibus B Sæculo quintodecimo literæ tam Græcæ, quam Latinæ uberius ac illuſtrius floruerunt, p. 508. recenſens, Romæ, Neapoli, Venetiis, Mediolano, Florentiæ, Ferrariæ, Brixiam illico nominatim ſubjungit, unde omnes intelligant, quod Romæ Pontifices Summi, quod Neapoli Aragonii Reges, quod Venetiis auguſtus Senatus, quod Mediolani Vicecomites, & Sfortiæ, quod Medicei Florentiæ, quod Eſtenſes Ferrariæ, id omne in Urbe Brixia Civium ſuorum ingenia ad literarum cultum præſtitiſſe. Præſtantiſſimum Muratorium non ita amo, quod eodem ferme loco, ſcilicet p. 511. curam meam in tuendis Pauli II. Pont. Max. Geſtis honorificis verbis commendat, quam quod Brixiæ paulo ante diſertam mentionem facit, dum tot aliarum admodum illuſtrium Italiæ Urbium nomina ſubticuit; C quod diſcrimen, aut ſuſcepti a me in libro de Brix. Liter. negotii amore fallor, aut libro iſti meo potius debetur, quam Rerum Italicarum Scriptoribus Mediolani editis, unde Annalibus illis ſuis fundum paravit doctiſſimus, & diligentiſſimus Muratorius. Atque hic novam veniæ a Te petendæ cauſam exortam mihi eſſe intelligo, quod ſcilicet in poſtrema hac Epiſtolæ meæ parte, oblitus ferme eandem Tibi inſcriptam eſſe, in animum induxerim Brixianos affari, paremque, ut puto, mentis alienationem in aliis etiam ejuſdem partibus internoſcere facile potuiſti. Quod divagationis genus mihi ignoſcendum confido, dum memoria recolo, quæ de tuo erga patriam amore ſuperius ex Te ipſo recitavi, D ubi fatentem induxi, haud ægre Te extra orbitam divagari, quoties ille ita poſtularet. De ea igitur, quam & ego, ſeu hic, ſeu alibi, uſurpavi, licentia abſque dubio purgabit me amor ille, quo Brixianos complector. Quod ſi dixero, mihi, dum Epiſtolam iſtam exararem, frequentius in mentem veniſſe hujuſce Urbis Cives, ad quorum manus illa commearet, quam Te ipſum, cui foret inſcripta, verum dixero. Sit itaque Epiſtola mea novum mei erga populum iſtum amoris monumentum, atque utinam hujuſmodi,

*Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens*
*Poſſit diruere, aut innumerabilis*
*Annorum ſeries, & fuga temporum.*

E Sit proinde *ære perennius*, quo apud ſeram poſteritatem Brixianam perennis etiam perſeveret memoria, nihil me intentatum reliquiſſe, ut Urbs iſta comparatum a Majoribus ſuis literarum ornamentum, nulla ex parte imminutum retineret. Qua in cura capienda non aliud inſignius exemplum menti meæ obverſari poſſe puto, quam illud, quod æque mihi, ac aliis quibuſvis Eccleſiæ Principibus propoſuiſſe ipſemet videris in Cap. XII. de Studiis Mediolanenſibus, ubi luculente diſſeris de Federici Borromæi Cardinalis, Archiepiſcopi Mediolanenſis, eximio amore erga literas, arteſque liberales. Manent, manebuntque mihi ſemper alta mente repoſta verba illa tua: *Reticere nequeo, tantum fuiſſe Federici Cardinalis erga literas amorem, ut quæ a graviſſimis*

Digitized by Google

Epiſtola iſta vix e prælo ſubducta, quum de ea Tibi tranſmittenda cogitarem, commoda ſe mihi obtulit occaſio, cum eadem in uno faſciculo conjungendi lucubrationis meæ de Pauli III. Pont. Max. Geſtis, paucis abhinc diebus in lucem emiſſæ, jam Tibi deſtinatum pro munuſculo exemplar. Subibit igitur & ipſa judicium tuum, ac facile mihi perſuadeo, optimum, ſapientiſſimumque Tibi quoque viſum iri Pontificem, quem in eadem collaudandum ſuſcepi, quin ſpectatiſſimo ipſius nomini quidpiam officere valeat ſtyli mei inopia, quam ſcilicet compenſare curavi recitatis integerrimorum, florentiſſimorumque ea ætate Cardinalium teſtimoniis: Contarenum dico, Polum, Sadoletum, Bembum, & alios eorum ſimiles, quorum frugem e Contareni Cardinalatu quaſi ſemente Deum colligere voluiſſe teſtatus eſt ſanctiſſimus Fanenſium Epiſcopus, Coſmus Gherius. Illorum dictis refragari piaculum eſſe putet, oportet, cui comperta ſit eorundem erga Apoſtolicam Sedem ſancta & candida fides, quam veneranda duorum Sæculorum auctoritas comprobavit. Una autem, eademque præſtantiſſimorum eorum Cardinalium ſententia fuit, Deo Omnipotenti maximas, meritaſque gratias agendas fuiſſe, QUI POPULO SUO TAM NECESSARIO TEMPORE TALEM PONTIFICEM PRÆFICERE DIGNATUS EST. Huic ſententiæ cur Tui, omniumque Mediolanenſium ſuffragia accedere poſſe confidam, peculiaris eſt cauſa, nimirum viridis omnino ætas, qua inter Sacri Romani Collegii Principes adſcripti fuerunt bini Cardinales Borromæi, Carolus, & Federicus, ille inter Sanctos jam cooptatus, iſte, quemadmodum ſanguine, ita & virtutibus Conſo-

dubium revocare potis erit, novum præſidium præbere ad retundendam obtrectatorum Pauli III. impudentiam, quam in eum Pontificem exerunt, anſam potiſſimum capientes ex evectis ad eandem dignitatem tribus Nepotibus, admodum adoleſcentulis, perinde ac ſi fieri non potuiſſet, ut collata iiſdem ampliſſima ornamenta, non ad incertam tantum ſpem, ſed ad fundatam de eorum eximiis dotibus opinionem referri valerent. Ab ætate Cardinalium Borromæorum non adeo diſtabant Nepotes illi, iidemque pariter non ita longo intervallo Federici Cardinalis veſtigiis (Caroli Sanctitas Apoſtolico oraculo declarata comparationem hic nullam admittit) proximi fuiſſe comperiuntur. Haud reticebo, quemadmodum Mediolanenſes tuos habere dixi, ita jam Venetos meos habuiſſe peculiarem cauſam feſtive excipiendi, amplexandique peramanter lucubrationem meam, de qua loquor, honorem ſcilicet Cardinali Contareno in ea redditum. Hic adeo eoſdem cepit, ut unus ex ipſis, quem nominaſſe, laudaſſe foret, diſertis hiſce verbis gaudium illud ſuum mihi per literas declaraverit: *Il Catone del Sacro Collegio è di tanto onore alla noſtra Nazione, che ſe l'Opuſculo foſſe ſtato meditato a gloria di lei, non ſi potrebbe deſiderare di più*. Is ipſe de aliorum teſtimoniis, quibus Pauli III. vindicias ſuperſtruxi, ita in iiſdem literis mentem ſuam aperit: *Nomi illuſtri, il cui grido è confermato da' ſecoli, ſono le baſi della ſua edificazione, ed i Teſti allegati non ſaprebbero più chiaro eſprimere il ſuo concetto ſulle geſta del ſuo Eroe. Che ſe al teſtimonio de' buoni s'aggiunge quello del più inſigne fra i cattivi, qual fu certamente l'Aretino, che più reſta a dire?*

Digitized by Google

AD EMINENTISSIMUM ET REVERENDISSIMUM
DOMINUM DOMINUM

# ANGELUM MARIAM QUIRINUM

S. R. E. CARDINALEM BIBLIOTHECARIUM,
ET EPISCOPUM BRIXIENSEM

## EPISTOLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

## EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

# ANGELO MARIÆ QUIRINO

## S. R. E. CARDINALI BIBLIOTHECARIO, EPISCOPO BRIXIENSI &c.

## JOSEPH ANTONIUS SAXIUS

### BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS.

A DUm totus verſarer in ſuaviſſima lectione trium Decadum Epiſtolarum tuarum , quas ad me benigniſſimè dono tranſmiſeras, Princeps Eminentiſſime, quaſque jure ac merito eruditionis omnimodæ emporium vocaverim , delata ad me fuit altera Epiſtola recentiſſimis typis , IV. nempe Kal. Auguſti decurrentis anni MDCCXLV. excuſa , à te mihi per dignationem ſummam inſcripta . Obſtupui , cùm molem inſpicerem , multoque magis , cùm ſtatim in mentem veniret , paucis ab hinc hebdomadis fuiſſe me admonitum per familiarem à te ſcriptam Epiſtolam, intentum te eſſe perlegendæ Hiſtoriæ meæ Typographico-Literariæ Mediolanenſi; inſolens namque mihi videbatur , tam citò confici à te potuiſſe , B ac prælo mandari tot paginas , quas pro more tuo , nonniſi ſummo ſtudio , ſummâque elegantiâ exaratas eſſe, prorſus non dubitabam . Itaque ut ad eas evolvendas oculos avidè admovi , nova mihi ſuborta eſt admiratio , hæſique dubius , majori-ne laude digna foret ſingularis illa humanitas , qua nomen meum , perexiguum ſanè , ac parvi faciendum , tam ſplendidè exornas ; an ingenii acies promptiſſima, eloquentiæ nitor , reique literariæ domeſticæ , exteræque proferendæ facilitas, an demum amor , quo Brixienſis Urbis præclariſſima ornamenta , Civiumque tuorum in omni Scientiarum genere , peritiâque linguarum , quovis tempore præſtantiam , erutis è pulvere antiquis documentis , extollis . Mihi tamen ( ut ita loquar) redditus , illico admirationem abjeci, utpote C injurioſam eximiæ , qua in excelſa etiam Dignitate uteris , animi demiſſioni , modeſtiæque tuæ , notæ jam omnibus ; injurioſam copioſæ Librorum ſupellectili , quibus indeſeſſo labore in lucem emiſſis , Literariæ Reipublicæ opes adauges ; injurioſam denique communi famæ,quæ celeritatem calami tui cum eximia reconditæ eruditionis notitia conjunctam ſuſpiciens , quaſi in miraculum trahit , teque Sacri Romani Collegii, Brixienſis Urbis , ac Literarum ornamentum deprædicat .

Verùm ut ad Epiſtolam tuam tamdem me conferam , gratulari mihi admodum valeo , quòd Metropolim Mediolanenſem eâ , qua poteram , gloriâ ſupra ceteras donaturus , tibi , Princeps Eminentiſſime , occaſionem præbuerim , ut novum ſplendorem adderes Brixianæ Literaturæ , quam integro , lauda- D tiſſimoque Volumine jam illuſtraveras : qua in re ne latum quidem unguem diſcedam ab æquiſſimo judicio tuo , quo celebres Viros in Urbe tua natos Seculo XV. & ſequenti , in interpretandis antiquorum Poetarum carminibus , in excolendis Linguis , Græca , Hebraica , atque etiam Arabica , in detergenda à veterum Scriptorum Libris ruditate , confuſique ordinis labe , iiſque ad novam veluti vitam revocandis , nemini palmam conceſſiſſe ; quinimmo facem ceteris prætuliſſe, ut in obſcuris , intricatiſque rebus mens eorumdem ſincerius ac dilucidiùs perciperetur, ſolidiſſimè comprobaſti .

Veniam tamen à Benignitate tua efflagito , ut aliqua in cauſæ meæ patrocinium reponere liceat eruditiſſimæ Epiſtolæ tuæ , in qua mihi amicam litem de præſtantia in re Typographico-Literaria Brixienſium , *uſque ad invidiam* ( ut tu ipſe ais col. 40. ) *Mediolanenſis Metropolis*, intentare viſus es, eamque comitate admirabili , ut fateor , pertractaſti . Neque verò exiſtimes velim , haſce pro Patria mea vindicias eò ſpectare , ut ſplendoris aliquid , quo ſemper effulſit ſpectatiſſima Civitas tua , vel imminuam , vel denigrem . Eam ſuſpicio , veneror que , præſertim cùm , etſi omnia antiqua ornamenta ( quæ certè plurima ſunt ) ſilentio præterirentur , in te uno ejuſdem Præſule , Religione , Doctrina , præclariſque rebus geſtis inſigni, ſatis ſuperque haberet, quo immortale ſibi decus parere poſſet , ac propemodum ſuperbire . Itaque ut ab Exordio tuo initium & ipſe ſumam, video te , ut ferme ſemper in Scriptis tuis ſoles , calamum ſtatim intendere ad refellendas Hæreticorum calumnias , qui de primis Sanctorum Patrum editionibus, modò laude donatis , modò injurioſè contemptis , nobis crimen affingere , ſibique præſidium facere nituntur , contrariis interim opinionibus ſeſe invicem confodientes . Qua in re animum excelſo honore tuo dignum oſtendis , ſtudio nempe , amoreque Catholicæ tutandæ Fidei vehementiſſimè incenſum .

Propiùs autem ad Hiſtoriam meam accedens , mirari te ais , quòd ego in Prolegomenis ſcripſerim, primum Aldi laborem in Græcis adhibendis Typis fuiſſe *Logicam Ariſtotelis*, quæ Anno MCCCCXCV. Venetiis prodiit ; in Elogio autem *Conſtantini Laſcaris* aſſeruerim , ejuſdem *Grammaticam Græcam* , quam ſuperiore Anno MCCCCXCIV. editam Venetà in Urbe teſtatur Maittaire , primitias extitiſſe Aldinæ Typographiæ . Porrò, ſi candidè , ut tu facis , aperire animum meum debeam , miratus & ipſe ſum mentis tuæ præſentiam in detegendis , evolvendiſque hiſce tenuibus nodis , qui aut aliorum oculos facilè effugere potuiſſent, aut intacti relinqui; neque enim omnes Aldi Græcæ editiones , atque hæ præſertim , de quibus hìc agitur , mihi obviæ fuere , ut perlectis tanti Viri Præfationibus , veritatem , diverſimodè à Scriptoribus aliis relatam , elicere valerem . Cùm itaque impreſſa jam forent Prolegomena , & à Maittaire didiciſſem , *Grammaticam Laſcaris* lucem publicam Græcè vidiſſe Venetiis, Anno ſuperiùs memorato , non tanti feci novam hanc cognitionem , ut excuſæ jam Paginæ abſcindi , aliæque prælo ſubdi deberent, loco illius vocis *primum* , alterâ ſubſtitutâ, *inter primos*, quâ poſitâ ſcrupulus omnis evanuiſſet . Siquidem , ſive Chevaillerio adhærerem , ſive Maittaire (de quorum fide, non inſpectis primigeniis editionibus , quid tutò decernerem ignorabam , ) parvum intereſſe diſcrimen intelligebam ad eam , quam unicè ſpectabam , ſententiam confirmandam , videlicet longè multo ante inſtitutam ab Aldo Græcam Typographiam , Græcos Libros Mediolani excudi

co-

Digitized by Google

cœpiſſe ; ut tu quoque humaniſſimè animadvertis, inquiens col. 7. *At nemo eſt, qui fateri non debeat, tuum ad inſtitutum non ſpectaſſe, his nodis extricandis immorari, cui ſcilicet ſatis eſſe debebat, demonſtrare ( quod invictè certè præſtitiſti ) Manutianis Græcis Typis, Mediolanenſes per annos ferme viginti anteiſſe*. Nihilominus ut palàm faciam, quanti apud me ſit auctoritas Nominis tui, nævum hunc expungi curavi, cùm opportunè ad me pervenerit Epiſtola tua, quâ me benignè monuiſti, admirationem aliquam tibi ingeſtam fuiſſe ab hujuſmodi antilogia. Siquidem Hiſtoria mea latet adhuc in typographicis officinis, ob nondum impoſitam manum extremam Bibliothecæ Scriptorum Mediolanenſium, a diligentiſſimo ejuſdem Auctore D. Philippo Argelato, qui in fronte Operis ſui laborem hunc meum cenſuit collocandum.

Progrederis ſubinde ad primam illam in re Typographica ſupra ceteras Urbes Prærogativam, quam Mediolano vindicavi, enatam nempe ibidem fuiſſe Artem, integros libros Græcis caracteribus conficiendi. Hanc laudem lubens nobis ultro concedis, ſed utiliorem, nobilioremque fortaſſe extitiſſe ais Brixienſium laborem, ob excuſam tua in Urbe *Homeri verſionem Latinam*, a *Laurentio Valla* confectam, biennio antequam Anno MCCCCLXXVI. in Metropoli noſtra imprimeretur *Græca Laſcaris Grammatica* ; innuis enim col. 7. controverſiam illam, quæ adhuc ſub judice pendet, utrum Literarum Græcarum ſtudioſis majorem utilitatem præſtent Libri Græcè tantùm excuſi, an qui Latinas proferunt verſiones ; ac poſtmodum ſubdis : *Fortè non deerit qui beneficium hoc in Græcas Literas collatum pluris æſtimet, quàm inſigne illud, quod meritò certè jactat Mediolanum, excuſarum Inſtitutionum Conſtantini Laſcaris, antequam alibi Codex ullus Græcè exaratus e prælo emiſſus fuiſſet*. Porrò ſi ex hoc capite petenda ſit Mediolanenſium laus, multo majorem nobis adſcribere procul dubio valemus ; ſiquidem non Græcos tantùm Codices, novo Invento, impreſſos edidit Civitas noſtra, ſed ad eruenda è latebris pretioſa Græcæ literaturæ monumenta, Latioque donanda, feliciſſimè Seculo XV. Mediolanenſes Cives inſudavere. *Boninum Mombritium* produxi ad Annum MCCCCLXXIV. in mea Hiſtoria, qui *Heſiodi Theogoniam* è Græco in Latina carmina tranſtulit, dicavitque Borſio Eſtenſi, Ferrariæ Marchioni ; immo cùm *Græcam Grammaticam* Mediolani condidiſſet Conſtantinus Laſcaris, difficilem provinciam aggreſſus Mombritius, eamdem Latinis verſibus explicavit, inſcripſitque Hyppolitæ, primogenitæ filiæ Franciſci I. Sfortiæ Mediolani Ducis, quam adhuc puellam Alphonſo Calabriæ Duci Pater deſponderat Anno MCCCCLV., nonniſi decennio poſt ad maritum traductam.

Utiliore conatu ad Græcos codices in Latinum ſermonem transferendos ſe addixit *Lampugninus Biragus*, nobiliſſimus Civis noſter, qui præſtantiſſimum Opus Xenophontis de *Cyri bello adverſùs Regem Perſarum* latinè reddidit. Teſtem hujus præclari laboris profero Biragum ipſum, qui in Epiſtola CXXVIII. ad Petrum Candidum Decembrium miſſa, & in lucem quàm primùm edenda a Clariſs. Laurentio Mehus unà cum aliis Decembrii, ex Codice Bibliothecæ Ambroſianæ tranſcriptis, hæc habet : „ Lampu-
„ gninus Biragus Viro doctiſſimo P. Candido ſalu-
„ tem.

„ Quæris à me, quæ Opera à Xenophon-
„ te traduxerim, breviter expediam ; primum
„ quidem Opus ſunt Libri ſeptem de aſcenſu
„ Cyri adverſus Artaxerſem Perſarum Regem,
„ Cyrique ipſius fratrem, ſcripti Grecè à Xe-
„ nophonte Philoſopho, qui & ipſe cum Cyro
„ aſcendit : Opus quidem, ut Auctores Græ-
„ ci aſſerunt, grave, & elegans, plenum ip-
„ ſum conſiliorum, ac diſciplinæ militaris, ple-
„ num exemplorum nobilium, ac, niſi deeſt
„ aliquid Interpreti, plenum eloquentiæ, ple-
„ num rerum variarum, & moralis diſciplinæ ;
„ nam & Cyri mores egregios, quaſi Principis
„ cujuſdam generoſi, vitamque deſcribit, ac
„ nonnullorum Ducum, qui cum ipſo aſcende-
„ rant. Deſcribit item jucundè iter illud, ſanè
„ longum, ac regiones varias, genteſque, ac
„ diverſos mores, magnitudinemque Regni Per-
„ ſarum ; bella quoque, & tot difficultates in
„ reditu, & poſt reditum, licet ( ſicut ) etiam
„ hoc in Opere, virtutem priſcam, ac Viros
„ Græciæ ( o ingentem commutationem ! ) nunc
„ tam conflictatæ, & miſeræ. Sed latiùs legen-
„ do cognoſci poterunt ; huic verò Operi eſt
„ addita, & converſa ſimul in Latinum Artaxer-
„ ſis ipſius Vita, non à Xenophonte, ſed à
„ Plutarco edita, quaſi ad perficiendam hanc
„ hiſtoriam, quam ſanè perficit, ſine qua ea
„ multa deſiderari poſſent, quæ prætermiſit Xe-
„ nophon. Habet autem hæc Vita quoque mul-
„ ta alia, varia, & gravia, cognitu non indi-
„ gna. MCCCCLX.

*Fr. Andreas Bilius*, ſeu *de Biliis*, qui Anno MCCCCXXXV. viridi adhuc ætate florens deceſſit, *Ariſtotelis Phyſicorum*, & *de Anima* Libros, è Græco idiomate Latinos fecit, eorumque MSSta Exemplaria Bibliotheca Ambroſiana cuſtodit. De hoc inſigni Viro Fr. Joannes Sciphower in Chronico Oldenburgenſium Archi-Comitum, editio à Meibomio Vol. II. Rerum Germanic. hæc Anno MCCCCLXX. ( *lege MCCCCLXXX.* ) ſcripta reliquit : „ Sextus fuit venerabilis Magiſter
„ Andreas de Biliis de Mediolano. Hic tam uni-
„ verſalis homo fuit, ut Græcam, Hebraicam,
„ Latinamque linguam haberet optimè cognitam.
„ Hic è duabus primis in noſtram multa tradu-
„ xit, & in Arte Oratoria alter Cicero, in
„ Philoſophia ſecundus Ariſtoteles, in Theolo-
„ gia, Patris ſui Auguſtini pediſequus perfectus
„ erat. Quæſtiones de Anima, Interpretationes
„ Evangeliorum, Longobardorum, & maximè
„ Mediolanenſium Hiſtorias, & alia multa aptè,
„ & diſtinctè compoſuit. Juvenis è vita deceſſit,
„ qui ſi diu vixiſſet, æternum poſteris reliquiſſet
„ nomen.

*Leodriſius Cribellus Orphæi Argonauticon* ; & Epiſtolam S Joannis Chryſoſtomi *ad Cyriacum* latinitate donavit. De hac poſtrema extat præclarum elogium Æneæ Sylvii Picolominei Cardinalis Senenſis, qui ex Urbe Romana ſcribens ad eumdem Anno MCCCCLVII., ita Epiſtolam exorditur : „ Affecerunt nos haud modica volup-
„ tate, præſtans Vir, & amice ſingularis, Li-
„ teræ tuæ, quas ex Mediolano XVII. Kal. Sep-
„ tembris ad nos ſcripſiſti. Legimus Joannis
„ Chryſoſtomi Epiſtolam, quam ex Attica Ro-
„ manam feciſti. Neſciebamus te antea Græci
„ ſermonis gnarum eſſe ; priùs translationem
„ hanc vidimus, quàm te Græcè doctum audi-
„ remus. Tanto te magis æſtimamus, quanto
„ magis eſt, duas Linguas, quàm unam noſſe.
„ Non eſt nobis judicium de Græcis ; at quod
„ Latinè ſcriptum eſt ex Græco verſum, ſi quid
„ eſt, quod ſentimus, admodum laudabile eſt,
„ terſum, ſuave, nitidum &c. Gaudemus te
„ huic doctrinæ profectum *, ut laudari ab om-
„ nibus tua Scripta debeant &c. „ Legitur hæc Epiſtola num. CCXCI. inter alias editas Baſileæ ex Officina Henricpetrina.

Auctores prælaudati, nobilitate Sanguinis, & Literarum præſtantiâ clari, Mediolanenſes omnes fuere, atque in Græcis vertendis Libris operam navaverunt, antequam de imprimenda Brixiæ Latina verſione Homeri cogitaretur, *nec alienos tantùm labores* vulgarunt, *ſed proprio ingenio*

Gra-

*Græcas opes in Latinum traduxerunt* . Plures alios recenſere poſſem , qui poſtmodum Spartam eamdem glorioſè ſubſequentibus annis confecere ; verùm , cùm de iiſdem ſermo ſit in Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium , quæ Hiſtoriæ meæ adnectitur , ſupervacaneum cenſeo in hac re diutiùs immorari .

*Flagraſſe* inquis col. 8. mirum in modum *Græcitatis ſtudio , & ardore Brixianos ea tempeſtate* , tanto magìs laudandos , quòd in illud ſtudium Brixiana juventus incubuerit , quo tempore bellicis motibus regio illa , immo Italia univerſa infeſtiùs agitabatur . Equidem non arbitror , a te , Princeps Eminentiſſime , comparationem inſtitui de Græca literatura Brixienſium Civium cum noſtris , ut inde celebrior laus Urbis tuæ indigenis accedat ; Græcæ namque linguæ exercitatio , & præſtantia in Mediolanenſibus civibus ſatis ſuperque colligi poteſt ex ſola inſignium Præceptorum nomenclatura , qui Seculo illo , ac etiam ſuperiore , ad Græcas docendas publicè Literas Mediolanum convenere , *Emmanuel* nempe *Chryſoloras* , *Conſtantinus Laſcaris* , *Demetrius Cretenſis* , *Franciſcus Philelphus* , *Demetrius Chalcondylas* , aliique permulti , quos in Hiſtoria mea memoravi , præſertim cùm de Palatinis agerem Scholis . Præterea educere hîc poſſem in aciem tres ferme Decadas illuſtrium Mediolanenſium virorum , qui Græcam Literaturam impensè coluere , ſeque conſpicuos illo eodem Seculo XV. poſteris reddiderunt , ut commodè Lector dignoſcet in percurrendo Chronologico Elencho adjecto Bibliothecæ prædictæ Mediolanenſium Scriptorum . Itaque unicè te ſpectaſſe conjicio temporis difficultatem , quo Brixiana juventus Græcas literas adamavit , & coluit ; minimè namque deterrita bellorum injuriis , & circum-ſtrepentibus armis , incœptum in hiſce ſtudiis iter perfecit , quod contra Mediolanenſibus accidiſſe , teſtimonio meo confirmas , ultro me fatente , facibus , & incendiis bellorum interceptum Literarum fervorem tepeſcere cœpiſſe , & prorſus extingui .

Sanè non inficior , a me ſcripta hæc fuiſſe in Prolegomenis pag. CII. ſed patere , Princeps Eminentiſſime , ut in hac re liberem fidem meam . Animadverto , epocham iſtam intepeſcentis in hac Metropoli ſtudii rerum Græcarum , affictam a te fuiſſe Seculo XV. eam enim ſtatuis ſtatim poſt relatas *Joannis Tabrii* laudes , quas eidem Græcas literas Brixiæ docenti cumulatiſſimas tribuit Aldus Manutius in præfatione ad *Stephanum* Græcum *de Urbibus* ; ego verò illam conſignavi exortis Seculo ſequente inter Carolum V. Romanor. Imp. , & Chriſtianiſſimum Regem Franciſcum I. infenſiſſimis bellis . Id clarè ſatis expreſſum cenſeo in mei Prodromi Cap. X. , ubi Marcum Antonium Majoragium circa medium Seculi ejuſdem in Palatino Gymnaſio Eloquentiam profitentem , teſtem attuli calamitatis a diuturno bello in has regiones invectæ , cujus inclementiâ , & vexatione afflictæ ſunt miſerandum in modum bonæ Artes , ac Literæ ; tunc enim , vaſtantibus omnia militibus , ac in prædæ partem ex finitimis regionibus , & Ticinenſibus præſertim ſcriniis , ſupellectile Librorum direptâ , ſterilitas illa Græcarum editionum profluxit , quam ego quoque cum Majoragio deplorabam ; Du-Freſnio etiam in Leonardi Vincii Vita referente , non modò ejuſdem Academiam , Mediolani florentem , exaruiſſe , ſed reliquas etiam omnes ingenuas facultates in otium ignavum , negligentiamque declinaſſe . Ceterùm ea tempeſtate , qua Gallorum copiæ primùm in Italiam irrupêre , eamque plurimùm conflictaverunt , non modò non deferbuit in noſtra Metropoli Scientiarum amor , ſed tanta celebritate uſque ad initium Seculi XVI. inclaruere Mediolanenſia ſtudia , ut Civitas noſtra , quemadmodum ſub Adriano Imp. , ita ſub Ludovico Maria Sfortia , Anno MD. in captivitatem abducto , *novæ Athenæ* vocaretur , ut fusè Cap. IX memorati Prodromi jam patefeci . Accedit teſtimonium aliud , oculis ipſis patens , ut manifeſtiſſimè id evincatur , elegantiſſima nempe editio *Iſocratis* Græcè in Urbe noſtra impreſſi Anno MCCCCXCIII. , cujus exemplar in pergamena excuſum oſtentat Bibliotheca Ambroſiana , & altera *Lexici Suidæ* , ſexennio poſt Mediolani parata , quæ plurium Virorum Græcâ & Latinâ linguâ illuſtrium , Demetrii præſertim Chalcondylæ induſtriam ſudoreſque abſumpſit , ut nitidiùs nobiliùſque prodiret in publicum , noſtræque Civitati peculiarem apud poſteros attulit tanti operis evulgati famam , & laudem .

De Typographia Hebraica , atque Arabica , ad quam te convertis in Epiſtola tua col. 9. , non multum mihi diſſerendum eſt , quinimmo Brixianis Civibus magnopere gratulandum , quòd tam citò inquilinam ſibi fecerint Artem , caracteres Sanctæ Linguæ efformandi , prælaque Arabici ſermonis inſtruendi , edito Alcorano , cujus Operis deſiderium , *utpote rariſſimi , & pauciſſimis noti* , noſtris etiam temporibus vigere teſtaris col. 12. Attamen hæc omnia , prærogativæ ſplendorem , quem ego Metropoli noſtræ non infeliciter , ut arbitror , vindicavi , minimè obumbrant ; nemo enim non dicet , multo clariorem eſſe laudem illius , qui ignotam viam primus detegit , aperitque , quàm qui ponè ſequens per impreſſa jam veſtigia gradu celeri alacrique incedit ; de hac verò ſola diſſerere , Inſtitutum meum ferebat . Ad ea , quæ col. 10. innuiſti , ut primam Hebraicorum caracterum impreſſionem Bononiæ potiùs , quàm Soncini Oppido tribuendam aſſereres , paulò infra nonnulla reponam .

Interim opportunè a te memoratum mihi gratulor *Theſeum Ambroſium* , non tam apud Italos , quàm apud Gallos , Germanoſque celeberrimum , ob editam Papiæ Anno MDXXXIX. *Introductionem in Caldaicam Linguam , Syriacam , atque Armenam , & X. alias Linguas , necnon Alphabeta circiter XL.* Sermonis peregrinarum Nationum , Opus ad ea uſque tempora intentatum , ut ipſemet Theſeus ſcribit in prævia Epiſtola ab Afranium Canonicum Ferrarienſem patruum ſuum ; is enim in Mediolanenſi tunc ditione , Laumellino videlicet agro , natus , & in Urbe Ticinenſi , in qua Vicecomites Principes ornatiſſimam Scientiarum omnium Sedem collocaverant , nova hæc Inventa in lucem proferens , non modicè Mediolanenſium gloriam adauget . Neque minorem tibi gratiam debeo , quòd *Gregorio Barbadico* Literatorum omnium Mecœnati , & Orientalis Literaturæ munificentiſſimo patrono conjunxeris Cardinalem *Federicum Borromæum* , qui abundè penſavit anteactum tempus , quo caruit Mediolanum Typographicis Orientalium linguarum Officinis ; ſummo namque impendio Præſul iſte laude omni major , in Bibliotheca Ambroſiana a ſe condita , præla erexit exoticorum idiomatum , collectis ex Aſia atque Africa pretioſis antiquorum Codicum mercibus , atque conductis ab iis Provinciis Præceptoribus , qui Hebraicam , Armenam , Caldeam , Syriacam ,

Perſicam, Arabicam, ac etiam Abyſſinam Linguam, delectos Collegii Ambroſiani juvenes edocerent, eò rem perduxit, ut ex ejuſdem torcularibus prodierint *Dictionarium & Grammatica Armeno-Latina* a Franciſco Rivola elaborata; necnon *Theſaurus Linguæ Arabicæ* ab Antonio Giggeo confectus, ac IV. Voluminibus comprehenſus, judicio ipſorum Maronitarum Opus abſolutiſſimum. Volumen quoque, *Gazæ Perſicæ* titulo inſcriptum, & *Caldaici Sermonis Inſtitutiones* aggreſſus prælaudatus Giggeus, prope ſingula illius Linguæ verba enucleaverat; ſed cùm hiſce lucubrationibus imprimendis typographi imminerent, mors fefellit conſilium eximii illius viri, & ſpem Urbani VIII. Summi Pontificis, qui eumdem maxima mercede Romam invitaverat, ut earum Linguarum ſcientiam in Propagandæ Fidei Collegium induceret, quemadmodum refert Petrus Paulus Boſca Libro IV. de Orig. & Statu Biblioth. Ambroſianæ. Quæ certè quàm glorioſa ſint, quamque Metropoli noſtræ non laudem modò, ſed pene invidiam concilient, poſterorum admiratiò, & vulgata de inſignibus hac in re tanti Archiepiſcopi rebus geſtis monumenta declarant.

Jam verò ut ad Hebraicam Typographiam revertar, plura in Prolegomenis meis diſſerui, vindicaturus Mediolanenſi Civitati ſingulare hoc decus; ſed iis, quæ Capite I. in argumenti mei confirmationem adduxi, non omnino te acquieſcere candidè fateris, nec *conclamatum conſeri debere*, ais, *de illo principatu*, quem Clariſs. Scipio Maſſeus adſcribit *Pentateuco Hebraico*, a ſe inſpecto, excuſoque in pergamena Bononiæ, biennio antequam in Soncini Oppido Codex Hebraicè impreſſus, ſignatuſque Anno MCCCCLXXXIV., in lucem proferretur. Huic propenſioni tuæ erga Bononienſem primatum in Hebræis edendis voluminibus ſi mihi liceat aliquantulum reſtragari, id unum ſubjiciam, non agi controverſiam de Anno, quo primùm adhiberi cœperint Hebraici Caracteres in cudendis Linguæ illius Codicibus, ſed de loco, in quo primùm inventi fuere; conſenſu autem omnium, quos recenſui, Scriptorum, Judæis in Oppido Soncino degentibus difficillimi hujus Inventi gloria tribuitur; quocirca affirmandum eſſe non dubito, præmiſſos fuiſſe Bononiam è gremio illorum Opifices, qui in Urbe illa, Scientiarum matre appellata, primos conatus exererent; neque enim credi poteſt, diverſum ab illis Auctorem habuiſſe typos Bononienſis Pentateuci; ſiquidem exprimendum fuiſſet in libri calce nomen Typographi, qui grande illud Opus, nemine monſtrante viam, expleſſet, præſtitæque induſtriæ ſpecimen in ea Civitate primus dediſſet: id verò nec reperitur in memorato volumine, nec ab ullo alio unquam Scriptore proditum fuit. Profectò, deplorando infortunio depreſſum fuiſſe Typographum illum credere deberemus, ſi memoria omnis, & artificis, & ardui exacti laboris prorſus periiſſet. Itaque aſſerendum reor, non ex alia Officina, quàm Soncinenſi, Hebraicæ Typographiæ deſumptos fuiſſe typos Bononiam allatos, quod & alibi contigit, ut ex nomine adjecto *Hebræorum de Soncino* manifeſtè comperimus; adeòque intacta remanet Mediolanenſi noſtræ Metropoli peculiaris hæc laus.

Tranſis poſtmodum, Princeps Eminentiſſime, ad primas editiones Scriptorum Latinæ Linguæ in noſtra hac Urbe peractas, quas ego ad augendum cenſum gloriæ Mediolanenſium in Prolegomenis retuli, *Terentii* nempe, *Horatii* &c. Hiſce objicis eruditas interpretationes, & commentaria, adjecta veterum Poëtarum carminibus, quibus Brixienſes docti Viri *præclarius aliquid*, ut ipſe ais, *præſtitere, quàm ſi illas ipſas ſuis è torcularibus emiſiſſent*; utque mihi laborem adimeres perlegendi volumen tuum jam vulgatum *de Brixiana Literatura*, dignatione planè ſingulari curam ſuſcepiſti contrahendi in pauca, quæ in aureo eo Libro latè tractaveras. Quamobrem gratias tibi quàm plurimas reddo, ſimulque profiteor, me non tantùm laudare, ſed etiam demirari vigilias, ſudoreſque Civium tuorum, in decem Poëtarum Latinorum Libris illuſtrandis, quibus effectum eſt, ut nihil ferme deſiderandum ſtudii illius amatoribus ſit relictum. Nihilominus adhærere omnino nequeo iis, quæ col. 17. ſcribis in hæc verba: „ Quid *Zarotus*, ſi cum *Calphurnio* comparetur? Quid ſuſcepta a Zaroto in Terentium, ſeu in alios etiam Poëtas edendos cura, ſi cum editionibus per Calphurnium caſtigatis, & illuſtratis conferatur? „ nec non col. 26., ubi Diſſertationem tuam claudens inquis: „ Quare ex hactenus allatis ſatis ſuperque compertum tibi factum fuiſſe, Vir Clariſſime, arbitror, & aliis etiam, quotquot Epiſtolam iſtam evolverint, in illuſtrandis priſcis Latinorum Poëtarum editionibus, Brixianam Literaturam triumphaſſe, dum Mediolanenſis Typographia ſuis eorumdem editionibus ſolam ferme vetuſtatis laudem adſciſcere poſſe videatur. „ Utque oſtendas „ quàm vana veterum quarumdam editionum laus ſit „ omiſſis ceteris exemplis, unum *Euſebii Scutarii* teſtimonium profers, qui in præfatione *ad Plautum*, Mediolani editum Anno MCCCCLXXXX. teſtatur, a ſe expunctos fuiſſe non paucos errores, ſuoque ordini reſtitutas tanti Poëtæ Comœdias, quas operarii dormitantes, & mancipes incurioſi contaminaverant, atque confuderant; inde verò colligis, *quanta clades* non modò Plautum, ſed etiam quotquot poſt illum prodierant Poëtas, æquè turbaſſet, niſi ei avertendæ par eorumdem Interpretum cura deludaſſet, qui Mediolanenſibus editionibus defuere, cùm iiſdem Brixia abundaret.

Plura hîc mihi propoſita inſpicio, quæ ſingillatim arbitror diſcutienda; primò enim aſſeris, Zaroti Mediolanenſis Typographi curam in edendis Poëtis minimè comparandam eſſe cum editionibus a Calphurnio caſtigatis, illuſtratiſque. Id certè nemini in mentem veniet, ſi utilitatem reſpicias, ſed non ideò Zaroti contemnendus eſt labor; ſiquidem ſua utrique ( diverſâ tamen ratione ) gloria par manet: alteri, quòd in pulvere, carieque ſepultos celebres antiquos Poëtas reviviſcere quodammodo juſſerit, atque in lucem eduxerit; alteri, quòd eductos emaculaverit, compſeritque. Eccur enim tot itinera, in remotas etiam regiones, ſuſcepiſſent eruditi Viri, ut è privatis, publiciſque Bibliothecis MStos veterum Auctorum codices, veluti carcere incluſos, libertate donarent, munuſque gratiſſimum Literariæ Reipublicæ offerrent; cur tot impenſas lubenti animo erogaſſent Typographi, & iiſdem ad Scientiarum incrementum, & Studentium commodum procudendis torcularia dicaſſent, ſi laus iſta primò inferendi in ærarium Sapientiæ novas haſce gazas gradu dejici deberet ab altera, quam ſibi compararunt Codicum editorum illuſtratores? Cur denique

con-

conditæ fuiſſent a tot illuſtribus Scriptoribus Typographicæ Hiſtoriæ, atque Annales, quæſitique undique tantâ ſedulitate ac labore, remotiori a tempore impreſſi Libri, ut cuique Urbi honos tribueretur collati primùm Literis beneficii, in proferenda in publicum pretioſi aliquâ Codicum merce, ſi vana oſtentatio hæc foret, quæ *ſolam ferme*, ut tu ais de Mediolanenſi Typographia, *vetuſtatis gloriam ſibi adſciſcere poſſet*? Habent igitur pretium ſuum primitiæ Editionum, ſi non majus, ſaltem cum poſteriorum curis æquandum.

Nec quidquam parti ſibi decoris excidit primis Operum latentium Editoribus, quòd impreſſa ab ipſis Volumina, mendis atque erroribus inſperſa prodierint. Aurum namque ac pretioſi lapilli, qui è fodinis & rupibus eruuntur, non ſtatim teretes ſplendidique emergunt, ſed Artificum induſtriâ ferro igneque illa ex polientium ita perficiuntur, ut non modò in præcipuum ornatum, ſed etiam in luxûs pompam evadant. Quis autem flocci faciendum cenſeat eum, qui montium intimas fibras, cauteſque aſperas ſcrutatus eſt labore non modico, ut abſconditos hoſce theſauros extraheret, materiemque ſuppeditaret Aurificum, ac Gemmariorum ingenio, ut ad nitorem abſolutiſſimum illos perducerent? Itaque ex hoc capite nihil a me aſſertæ Mediolanenſium laudi detractum conjicio.

Addis inſuper, Poëtarum Latinorum Interpretibus Brixienſem Urbem abundaſſe, quo tempore Mediolanenſis Metropolis iiſdem prorſus carebat. Porrò ſi mihi detur facultas exprimendi quid ſentiam, video quidem in hiſce verbis elucere ingenium, ſedulitatem, amoremque Brixienſium in promovenda Poëticæ eruditionis exercitatione; nihil tamen negligentiæ, ociique ignavi inferri inde poſſe, quo Mediolanenſium Literarum, eâ ætate florentium, præclara lux obumbretur. Siquidem eadem omnino Studia coli ubique debere nemo cenſebit: Suus cuique Urbi, immo etiam Nationi, genius ineſt, ut unam potiùs, quàm alteram facultatem ex tot Scientiarum numero ſibi deligat excolendam; immo ex hac varietate laborum ea conflatur commodi amplitudo, quæ unicuique, prout illum ſua trahit voluptas, ſatisfacere valeat. Proinde quid gloriæ Mediolanenſium officit, aut invidiam creat commendanda certè plurimùm Brixiana in ea Studii claſſe Literatura, cùm tot aliis fovendis Diſciplinis, quæ ſummam non tam Literariæ, quàm Civili Reipublicæ utilitatem conferebant, curæ Civium noſtrorum impenderentur? Proferre poſſem *Decios Lancellotum*, & *Philippum*, *Jaſonem de Mayno*, atque *Andream Alciatum*, clariſſima Juriſprudentiæ lumina; *Joannem Marlianum*, *Ambroſium Variſium de Roſate*, *Joannem Matthæum de Gradibus*, Medicæ Artis peritiâ inſtructiſſimos; Mathematicæ, & Architecturæ celeberrimos Inſtitutores, *Facium Cardanum*, & *Cæſarem Cæſarianum*, qui primus Vitruvium in Italicam Linguam tranſtulit, doctiſque commentariis exornavit, ob id recentiſſimè a Clariſſ. Marchione Poleno Patavino in Prodromo ad eundem Vitruvium eximiè laudatus. Sed omnes prætereo, non ſecus ac alios, qui de ceteris Scientiis, & diſciplinis integra volumina conſcripſere, atque in ſummum gloriæ ſplendorem Mediolanenſes Literas adduxerunt; ſiquidem eorundem nomina, atque editos fœtus enunciat Bibliotheca jam memorata Scriptorum Mediolanenſium, præſertim Elenchus

A chronologicus eidem adnexus. in quo recenſentur ferme quinquaginta ſupra ducentum Scriptores Mediolanenſes, qui licèt non omnes primi ſubſellii ſint, nihilominus illuſtre argumentum præbent inferendi, quantum Seculo XV. de Literis benemeriti forent hujus Metropolis Cives. Quamquam ne inſignibus quidem Poëtarum Interpretibus inops fuit Seculo illo, ac ſequente Civitas noſtra, cùm plures habuerit Mediolanum eruditos Cives, qui non tam Latinos Poëtas, ſed etiam Græcos notis ac commentariis illuſtravere; *Franciſcus* in primis *Cicerejas*, Euripidis Oreſtem expoſuit, & Notas in Terentium edidit ſub finem Seculi XV.; quod B idem præſtitere *Petrus Carcanus*, & *Ambroſius de Cavalleriis*, Seculo eodem. *Andreas de Biliis* magno volumine ejuſdem Comœdias explanavit, varianteſque addidit earumdem lectiones, & ante hos omnes *Hilarion Corbetta*, Græcæ, Latinæque linguæ peritiſſimus, Ariſtophanis Comœdias egregiè eſt interpretatus. Superſedeo hîc alios referre, qui in hiſce ſtudiis excelluere, cùm in Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium ſuis locis relati commodè ab omnibus legi poſſint.

Animadvertis demum ibidem, celebrati nominis Viros, quos *a capite ad calcem Hiſtoriæ meæ* protuli, ac commendavi, Exteros omnes fuiſſe; eos autem, qui in Urbe C tua ordinandis priſcis Poëtarum Latinorum Editionibus operam contulerunt, *natale ſolum Brixiæ habuiſſe*. Ut Patriæ meæ hac in re gloriam vindicem, neceſſarium duco, eâ, quæ par eſt, reverentiâ, Inſtituti mei rationem coram te exponere. Suſcepi provinciam Libros omnes, qui Mediolanenſibus Typis excuſi fuerunt Seculo XV., in unum colligendi, eoſque Viros, qui vel ex integro illos condiderant, vel manum ſtudiumque impenderant iiſdem ſive imprimendis, ſive emendandis, ſingillatim recenſendi, abſque diſcrimine Civium, vel Exterorum. Augebat autem deſiderium conſilii mei perficiendi mentio aliquorum, in evolvendis antiquis Libris D occurrens, quorum vel nuda nomina ſuperfuerant, vel minus cogniti eorumdem erant labores: hoc enim peculiare arbitrabar Reipublicæ Literariæ beneficium, ut ea, quæ in tenebris latebant, in clarum diem aliquando producerentur. Occurrebant quoque in excuſis Mediolani Codicibus celebres famâ Scriptores, quos prætermittere piaculum cenſuiſſem, cùm benemeriti de Literis in Urbe noſtra fuiſſent, aut relicta apud nos eſſent Literaria eorum, minimè obvia omnibus, monumenta. Hinc verò effectum eſt, ut Georgii Trapezuntii, Demetrii Cretenſis, aliorumque, quorum tu ſeriem contexis, illuſtrem memoriam Hiſtoriæ meæ infererem, quamvis E *ne unus quidem* ex illis, ut ipſe ais, *natale ſolum in Mediolanenſi Urbe ſortitus ſit*. His ita expoſitis, probè intelligis, Princeps Eminentiſſime, muneris mei non fuiſſe, Mediolanenſes Literatos Viros, qui tunc florebant, in medium adducere, cùm unicè in eo mens mea & ſtudium verſaretur, ut oſtenderem, Typographicâ Librorum affluentiâ divitem fuiſſe Urbem noſtram, quam Seculo XV. inopem ſterilemque literariâ hac fruge depinxerant Annalium hujus Artis Scriptores; eâque occaſione nomina eorum, quæ iiſdem præfixa erant, aut ibidem memorabantur, illuſtrarem. Præterea fruſtraneum ducebam, immo ingratum Lectoribus, Operis mei molem augere, pertractis

Digitized by Google

ractis in ſcœnam aliis, quamvis doctiſſimis, Civibus noſtris, qui ad rem mihi propoſitam non ſpectabant, cùm jam adornaretur Bibliotheca, Hiſtoriæ meæ ſubnectenda, in qua præclara Mediolanenſium Scriptorum meditamenta erant in publicum proferenda. Itaque etſi plurima Brixianis Civibus laus debeatur ob egregiè navatam Literis operam, nihil tamen deduci poſſe crediderim ex commendatis in mea Hiſtoria Exteris tantùm Scriptoribus, quo Indigenis noſtris eâ ætate Scientias excolentibus gloria eripiatur; quinimmo non modicum Metropoli noſtræ decus inde acceſſiſſe putabam, quòd tot inſignes doctrinâ Viri, eo tempore, quo alibi etiam æmulâ contentione ſtudia florebant, Mediolanum, tanquam ad ampliſſimam Aulam omnium bonarum Artium, confluxiſſent.

Diſſentire quoque a me videris col. 29., in deſignanda Valle, a qua originem traxit Lazaronea Familia; cùm enim ego loquens ad Annum MCCCCXCIV. de Petro Lazarono Poëta Brixiano, Mediolani moram trahente, ac plura ſcribente, aſſeruerim, primas ejuſdem ſtirpis radices fixas fuiſſe in *Valle Tellina*, idque confirmaverim ejuſdem teſtimonio, carminibus expreſſo in calce Codicis MSti de rebus geſtis trium Mediolani Ducum Philippi Mariæ Vicecomitis, Franciſci I., & Galeatii Mariæ Sfortiarum, tu alterum Lazaronum Auguſtinum Saturnium produxiſti, qui *Buennum dulce ſibi natale ſolum, oppidulum ſanè illuſtre Oreola in Valle, quam vulgò Camonicam dictitant, ſupra Lacum Sebinum, XIV. mill. paſſuum ad Orientem ſitum a Flumine Ollio, quod Oppidulum Civitale præterfluit* &c. commemorat. Porrò hæc omnia conciliari commodè poſſunt; ſiquidem Petrus Lazaronus, qui ætate præceſſit ſupra quinquaginta annos Auguſtinum Saturnium, de primo fonte, a quo rivuli in alias regiones derivati ſunt, ſermonem habuit, quemadmodum clarè ipſemet indicat his verſibus:

*Hæc Domus innumeros homines, & digna potentes,*
*Oppida per multa, & per multas ſparſerat Urbes.*

Itaque quo tempore Auguſtinus Saturnius *Decem Libros Grammaticarum Inſtitutionum* contexuit, Domus Lazaronea traducta jam in Vallem Camonicam cenſeri poteſt, atque in Buenni Oppidulo conſtituta, itaut ibidem primam ille lucem aſpexerit.

A Libris Mediolani editis ad Typographos tranſis, atque hîc etiam Brixiam jactare te poſſe inquis, quòd ſui potiſſimùm Cives inſigni cum laude Typographicis ſua in Patria Officinis incubuerint, cùm Mediolanum, *uno excepto Alexandro Minutiano*, reliquos omnes, ſaltem celebriores, exteris Regionibus debeat. Equidem inficias non eo, pleroſque hujus Artis Opifices ad hanc Metropolim a proximis remotiſque Urbibus adventaſſe; auderem tamen (ſi venia tribuatur) notare illa verba: *uno excepto Alexandro Minutiano*; plures namque alii aut in noſtra Urbe, aut in Mediolanenſi agro nati, non incelebriter Seculo XV. præla tractarunt. *Philippus Lavania*, cujus typi elegantiſſimi in pompam veterum editionum etiamnum oſtentantur, certè fuit hujus Metropolis Civis, & ſanguinis etiam nobilitate conſpicuus, ut in Prolegomenis Cap. IV., antiquis documentis comprobavi; *Dionyſius Paravifinus*, cui Literaria Reſpublica debet Græcæ Typographiæ Inventum, in Pago, qui ſubeſt huic noſtræ Civitati, primam lucem aſpexit; eâdemque ratione Mediolanenſes jure dicendi ſunt *Joannes Antonius*, & *Benignus* fratres *de Honate*, qui Juriſprudentiæ magnis voluminibus imprimendis apud nos, typorum ſtudium & diligentiam contulere. Prætereo *Archangelum Ungardum*, ſeu *de Undegardis*, Presbyterum ac Parochum, cujus familia nomen Vico hujus Urbis dedit, nunc corruptè appellato *degli Andegari*; iſtius namque Eccleſiaſtici Viri unicum tantùm ſupereſt monumentum, Liber videlicet Rogationum Triduanarum, Ambroſiano more, nitidiſſimè impreſſus.

De eodem Alexandro Minutiano loquens col. 37., Jani Parrhaſii Epiſtolam, ad Antonium Moretum Brixienſem ſcriptam refers, in qua vehementer reprehenditur Mediolanenſis Operum Ciceronis editio, in lucem ab ipſo emiſſa anno MCCCCXCIX., ſubdiſque: *neſcio, quo fato dicam accidiſſe, ut una ferè eademque pagina in Opere illo tuo* (Hiſtoria nempe Typographico-Literaria) *& Parrhaſii in Humanioribus literis præſtantiam, & pretium Ciceronis Operum editionis, tua in Urbe, tuoque a Cive confectæ, a Parrhaſio tamen acerbâ cenſurâ vexatæ, commendares*. Sanè pro oculatiſſimo ingenio tuo rem hanc ſuſpenſam relinquis, abnuiſque judicium ferre, *an jure, an injuriâ* editionem illam Parrhaſius vellicaverit. Mihi certè nullam prorſus id ingeſſit ſolicitudinem arma expediendi contra doctum hunc Virum, ut præſtitam a Minutiano diligentiam in edendo Cicerone tutarer. Siquidem compertum habebam, morem hunc planè turpem, indignumque homine Literato, invaluiſſe Seculo XV., ut præſtantiſſimi Scriptores, acti invidiâ, ſeu faſtu ſupra ceteros eminendi, ſeſe invicem conviciis ac maledictis impeterent, alternamque famam, canum rabidorum adinſtar, morderent ac lacerarent. Id paſſim adnotavi improbavique in mea Hiſtoria Typographico-Literaria, cùm non modò ſtomachum, ſed lacrymas etiam moveret livor iſte ferinus, a quo ferme nullus illuſtrium Virorum illius ætatis immunem ſe præſtitit. Itaque hoc idem contigiſſe Minutiano, & Parrhaſio arbitrabar; proinde ſilentio potiùs obtegenda hæc eſſe, quàm calamo exagitanda cenſebam: præſertim cùm recentiſſimum Auctorem haberem, Exterum natione, & doctrinâ clariſſimum, qui oculo prorſus defœcato ac ſincero, Minutiani editionem perluſtrans, eandem *Egregiam* appellavit, ſibique propoſuit tanquam exemplar, ut novam aliam Ciceronis Operum ipſe adornaret. Is eſt *Iſaacius Werburgius*, qui Amſteledami M. Tullii Ciceronis Opera non tam diligenter, quàm magnificè impreſſit Anno MDCCXXIV., & Præfationem ſuam ita exorditur: „ Non diu poſt „ Literas renatas, Operibus Ciceronis è tene„ bris in lucem & in manus hominum reſti„ tuendis paſſim Viri docti incubuerunt. Ve„ tuſtiſſima omnium, ut puto, eſt editio „ *Officiorum* Moguntina, quæ lucem aſpexit „ MCCCCLXVI. &c. Verùm non memini, „ me legiſſe univerſa Ciceronis Opera typis „ fuiſſe vulgata ante MCCCCXCVIII. „ (loquitur de primis duobus voluminibus, nam duo poſtrema nonniſi anno ſequente in lucem prodiere) „ quo anno ea Mediolani ſunt im„ preſſa. Eſt ea editio, tempora ſi ſpectes, „ egregia. Quatuor voluminibus in folio, ut „ vocant, conſtat, latis marginibus, chartâ „ candidiſſimâ, & illam mihi uſurpare conti„ git,

Digitized by Google

„ git, ſed ferè cum quodam ſtomacho, quòd „ videbam illos, qui talia tractarunt, tam negligenter verſari in iſta editione deſcribenda. Sunt qui vix illius mentionem faciunt; „ aliis partem tantùm Operum Ciceronis eo „ anno Mediolani excuſam memorantibus; aliis „ uno, aut duobus voluminibus omnia Ciceronis Opera comprehenſa narrantibus. Conſtat „ iſta editio quatuor magnis voluminibus, ex „ quorum primo ſequentia deſcripſi, quæ huc „ tranſcribere non piget propter ſummam iſtius „ editionis raritatem &c. „ Enumeratis autem titulis Lucubrationum Ciceronis, quas editio illa complectitur, ſubdit: „ Ex iſta præſertim editione deinde aliæ magno numero ſunt „ deſcriptæ, aut ex Aſcenſiana &c. „ Poſt ſententiam adeò favorabilem Mediolanenſi Typographo, & Civi (ob diuturnum domicilium), a tantæ eruditionis Viro, & eorundem Operum Editore prolatam, cur ego tempus prodigerem in refricando vulnere, quod jam vetuſtas obduxerat? Quinimmo mihi etiam videbatur eò magis ſpernenda Parrhaſii cenſura, quòd eam conjicerem, ex reprehendendi modo, limites ſupergredi cum modeſtiæ, tum veritatis; Deſenſorem namque Minutiani Moretum quodammodo carpit ob ſuſceptam ejuſdem tutelam, profeſſus, *nullam ferè paginam vitio carere*, idque ſe paratum probare *vel iniquiſſimo Judici*; quæ quantum exaggerata ſint, nemo non videt. Præterea *homunciomem* illum vocat, cùm injurioſum hoc nomen non ferat præſtantia, & famæ amplitudo, quam ſibi comparavit in munere publici Eloquentiæ, Hiſtoriæque Inſtitutoris, ad quod promotus a Sfortiis Principibus fuit; & obtrectatorem Parrhaſium in temperantis calami arguant laudes, quas ab eruditiſſimis illius ætatis Scriptoribus recepit Minutianus, quemadmodum in meis Prolegomenis pag. CX. enunciavi.

Alterum, idque juſtiſſimum Brixianæ Literaturæ decus profers, Princeps Eminentiſſime col. 41., quòd nempe *excolendarum Literarum deſiderium in Brixianorum hominum mente altum, confirmatumque fuerit ab ipſomet Literarum numine, ab ipſa eorundem Sapientia, quâ ſibi perſuadebant, Literarum ſtudia ea eſſe, quæ omnibus humanæ vitæ bonis ſine controverſia præferantur*, id apertiſſimè teſtante *Joanne Britannico* in Præfatione ad ſuos in *Perſium Commentarios*; cùm in Urbe Mediolanenſi, patrocinio Principum Vicecomitum, & Sfortiarum fulta ſtudia, eam felicitatem conſequuta ſint, ut Gymnaſia, & Scientiæ omnes florerent, confluentibus in mœnia noſtra undique Viris, eloquentiâ doctrinâque cultiſſimis; ac poſtmodum col. 42. laudem Brixienſium hoc elogio concludis: *Quod Mediolani Vicecomites, & Sfortiæ, quod Medicei Florentiæ, quod Eſtenſes Ferrariæ, id omne in Urbe Brixia Civium ſuorum ingenia ad Literarum cultum præſtitere*. Utique hæc omnia Urbis tuæ ornamenta libentiſſimè admitto, dignisque tuis in Brixienſes Cives collatis præconiis venerabundus ſubſcribo. Æquali tamen amore, niſi velis majore, erga Literas ſuccenſos quoque Mediolanenſes fuiſſe, minimè repugnaturum te ſpero, ſi oculos ad ea convertas, quæ in Prolegomenis, cùm de Zaroto diſſererem, enarravi. Siquidem ibidem expoſui ſingulare illud exemplum, quod plures ex Civibus noſtris, *non è trivio ducti, aut lucri tantùm libidine inflammati, ſed Literarum ſincero ſtudio flagrantes* (ut tu ipſe adnotaſti col. 17.) mutuum fœdus ineuntes dedere, ut nempe propriis impenſis multiplicia præla pararent, & diſtributis invicem typographicis, & literariis laboribus, id tandem efficerent, ut præclariſſimæ Artes, ac Scientiæ commodum ſentirent amplificati earundem patrimonii, in editis celeriter voluminibus veterum Juriſprudentiæ, Medicinæ, Hiſtoriæ, Eloquentiæ Scriptorum. Tabulas integras recitavi in prima Operis mei Appendice, è quibus quantum gloriæ Metropoli noſtræ accedat, non tam Brixia, quàm reliquæ Italiæ Urbes fatebuntur, quæ manifeſtum hoc teſtimonium præcocis diligentiæ in promovendis liberalibus diſciplinis proferre fortaſſe non poterunt. Certè, ut vides, emolumentum iſtud Literarum beneficio procuratum, non a Principum patrocinio, ſed a Civibus ipſis noſtris, curam, & pecunias impendentibus, totum profluxit.

Sed etiam hoc prætermiſſo, quòt in editis Seculo XV. Scientiarum omnium voluminibus occurrunt nomina illuſtrium Civium Mediolanenſium, qui impenſis ſuis præla juvare non deſtiterunt, ut nitidiùs uberiùſque prodirent celebrium Auctorum Libri, alendiſque ſtudiis commodam Literariæ meſſis copiam ſuppeditarent? Conſultò integras periodos a Typographis impreſſas in calce Librorum, inſerui eorundem Catalogo, ut ſua Civibus noſtris laus tribueretur, atque immortalis perennaret, ob ſedulam præſtitam operam, nummoſque erogatos ad pabulum & incrementum Studiorum. Statim ac Zarotus typos ſuos tractare in Urbe noſtra cœpit, auxilia eidem non defuere *Joannis Legnani* Civis Mediolanenſis, qui liberalem domeſtici æris opem contulit, ad elegantiam ſplendoremque Editionum fovendum; nec unquam deſtitit, donec vita ſuperfuit, a glorioſo hoc munere Literis impertiendo. Plures alii ex Sacerdotali Ordine, & Eccleſiaſtica etiam Dignitate conſpicui, eandem curam impenſarum Libris imprimendis præſtitere, *Gaſpar* nempe *Lampugnanus* Presbyter & Juris Pontificii peritus; *Zentilinus de Mayno* Eccleſiæ Majoris Mediolani Presbyter & Cardinalis; *Andreas de Boſſiis* Præpoſitus Sanctæ Theclæ, ceterique in memorato Catalogo ad librorum calcem enunciati. Clariſſimi quoque ſanguinis nobilitate, & doctrinâ inſignes Cives æmulâ quadam contentione aurum profudere, ut magnis procudendis Juriſprudentiæ præſertim Codicibus ſubſidia pararent, *Petrus* ſcilicet *Antonius Caſtillionæus*, *Ambroſius de Caymis*, *Philippus de Lavania*, *Nobiliſſimus Civis Mediolanenſis* appellatus in editione Tractatus de Obligationibus Angeli de Peruſio; & prælaudati fratres *de Honate Benignus*, *ac Joannes Antonius*, qui ad calcem Lecturæ Baldi, impreſſæ Mediolani anno MCCCCLXXIX. *Nobilium* titulo decorantur. Hos omnes commemorare opus duxi, ut compertum fiat, non Principum Mecœnatum patrocinio, ſed Civium noſtrorum amori gloriam deberi, quam venuſtate caracterum, emendatione & affluentiâ Librorum conſequutam fuiſſe Mediolanenſem Typographiam, manifeſtum facere ſum conatus.

Neque Typographicis tantùm officinis largam ſtipem præbuere Mediolanenſes, ut bonis Artibus excolendis adjumenta præſtarent. Plura etiam Emporia nobilium harum mercium aperuere, ut in hac Metropoli opulenta ſtudiis patrimonia conſtituerentur. Tres ego eximios nobilitate ac ſapientia Cives nono mei Prodromi Capite indicavi, qui Seculo XV. æmulati

ſunt Principum largitatem , privatas opes ſuas publico Literarum beneficio dicantes . *Bartholomæus Chalcus* duo Gymnaſia ſenio labefactata refecit , & conductis proprio ære doctiſſimis Magiſtris , priſtino ſplendori illa reſtituit ; *Thomas Craſſus* quinis Præceptoribus ſtipendia legavit , ut in Scholis è ſuo nomine appellatis, domeſticæ rei inopiâ laborantes Juvenculi , gratuito eorundem labore , Latinam linguam perdiſcerent ; *Theodorus* verò ( non *Thomas* , ut ibidem per errorem dicitur ) *de Platis* , nobilioribus Scientiis Domum ipſam ſuam reliquit ultimis Tabulis , ſtatuens , ut in ea Geometricæ , Aſtrologicæ , Arithmeticæ , ac Logicæ facultatis , Græcæque linguæ præcepta traderentur , luculentâ mercede Præceptoribus in perpetuum deſignatâ . Quòd ſi tanta Civium noſtrorum alacritas fuit , ut materiem ſtudiis , beneficio typorum , inſtruerent , quantâ cenſendi ſunt incubuiſſe , ad depromenda ingenii ſui monumenta , calamique ſui laboribus Literariæ rei cenſum locupletandum ? Sanè ex copioſo Scriptorum numero , quem ſuperiùs innui , quoſque Mediolanenſis Civitas oſtentat uno eo Seculo XV. , quis credat , permotos fuiſſe omnes auſpicio Principum , aut ſpe præmiorum , ad ſudores , vigiliaſque ſuas in illuſtrandis Scientiis inſumendas , gloriamque hanc unam reſpexiſſe , ut Principibus ſuis placerent, honoreſque aut ſtipendia conſequerentur ? Id certè arguere facile eſt e conſtanti in ſtudia labore , deleto Sfortiarum Imperio . Siquidem etiam translatâ ad exterum remotumque Regem Mediolani Dominatione , non modò non deferbuit in Civibus noſtris amor Literarum , ſed vehementiùs etiam incaluiſſe dignoſcimus ex crebris Operibus confectis , vulgatiſque in Urbe noſtra Seculo ſequente , nempe XVI. , quæ in Mediolanenſium Scriptorum Bibliotheca recenſentur , indicatis eorundem Auctoribus in adjecto chronologico Elencho Seculi memorati . Eò etiam clariùs effulget ſpontanea erga Literas propenſio ac ſolicitudo Civium noſtrorum , cùm afflictæ bonæ Artes calamitate bellorum inter Germanos , Galloſque , reſpirare apud nos cœperunt , inito fœdere inter Carolum V. , & Franciſcum Regem Galliarum ; ſtatim namque ac illorum fervor refriguit , rediitque Metropoli noſtræ ſecurior tranquillitas , priſtinos etiam animos reſumpſere Cives Mediolanenſes , omnemque conatum adhibuere , ut vividiùs quoque in Urbe refloreſcerent ſtudia Literarum . Præclarum nobilis hujus conſilii documentum eſt Academia , cui *Transformatorum* nomen acceſſit ; eam enim eruditi Mediolanenſes Viri anno MDXLVI. inſtituêre , tantâque ſedulitate ac proventu excoluerunt , ut biennio poſt , lucubrationes ſuas typis vulgatas , Caroli V. filio , Philippo Principi Hiſpaniarum nuncupatas voluerint . Quàm præſtantes autem Viri literariam hanc ſocietatem conflarent , liber ipſe , nomina illorum referens , teſtatur : Ego quoque illos in X. Prodromi mei Capite ſingillatim recenſui .

De altera Academia , condita eodem Seculo XVI. à Marchione Caravagii Mutio Sfortia Columna , de qua Paulus Morigia tunc in hac Urbe vivens , tantam in exteras etiam Urbes famam increbuiſſe affirmat , ut confeſtim cujuslibet nationis Viri , aut doctrinæ præſtantiâ celebres , aut honoribus clari , Literariis congreſſibus inſeri peroptarent , mentionem egi Cap. XI. Diſſertationis meæ de Studiis Literar. Mediol. , ad quam Lectores remitto . Duos tantùm hîc referre opportunum reor Mediolanenſes præclariſſimos Cives , *Joannem Ambroſium Taegium* , & *Paulum Canobium* , quorum primus veſtigia ſequutus majorum Seculi ſuperioris , novum & ipſe *Collegium Taegiorum* , nunc *Sancti Simonis* nuncupatum , erexit anno MDXLIX. , cenſuſque conſtituit , ut Nobiles Adoleſcentes non humanioribus tantùm Literis , ſed morali quoque Philoſophia , Hiſtoria , ac Theologica facultate , abſque impendio Parentum inſtruerentur . Alter verò Gymnaſium aperuit anno MDLIV. , *Canobianum* appellatum , quod adhuc viget , duobus ex Nobilium Juriſperitorum Equitum & Comitum cœtu delectis Præceptoribus , qui Dialecticam & Moralem Philoſophiam publicè juventutem edoceant . Maneat igitur Brixienſi Urbi inviolatum decus , quòd Literaturæ in Civibus ſuis eximiè florentis beneficium nemini debeat , quàm ſibi : Mediolanenſes & Principum Mecœnatum favore , & proprio erga Literas genio, amoreque , tot hactenus egregiis experimentis manifeſtiſſimè comprobato , in eum gloriæ apicem evaſerunt , ut ſtudiorum laudem nulli alteri Civitati debeant invidere .

Supereſt nodus ille diſſolvendus , quo col. 15. , *mirum in modum implexam* Hiſtoriam meam à te deprehenſam fuiſſe ſcribis , cùm Venetam Plauti Editionem uno in loco affixerim anno MCCCCLXXII. , alibi verò anno MCCCCLXX. Attamen mendum hoc facilè condonaveris negligentiæ Typographorum , qui nævis hiſce paſſim inſpergunt nitidiores etiam lucubrationes , ſus deque numeros confundentes ; qua in re nec eruditiſſimæ huic Epiſtolæ tuæ pepercisse illos video , cùm col. 7. loco anni MCCCCXCVIII. , impreſſerint DCCCCIID. De intervallo item temporis , quod ego adnotavi fluxiſſe inter Venetam , anni verè MCCCCLXXII. , & Mediolanenſem ejuſdem Plauti editionem , peractam anno MCCCCXC. *conturbatam* pariter Hiſtoriam meam animadvertis ; ſiquidem pag. CXCVII. *octennium* , pag. verò DXLVII. *duodecim annos* interceſſiſſe affirmavi ; atque hîc fatear neceſſe eſt , malè a me fuiſſe initos , aut ab amanuenſi malè intellectos calculos , cùm nondum viribus confirmatus a gravi , quo laboraveram , morbo , ſuſceptam hanc a me provinciam implerem ; utrobique enim reponendus eſt numerus annorum octodecim . Interim obſtrictum me tibi affero , quòd detergendis ab Opere meo , necdum publici juris facto , pauculis etiam his maculis , benignam facem accenderis .

Sed jam tempus eſt , ut longo tœdio te liberem , Princeps Eminentiſſime , pedemque retraham ab arena , in qua maximo honori mihi duxi , potuiſſe tecum innoxiam quandam pugnam conſerere ; cùm tamen puſillitatis meæ conſcientia admoneret , me tibi prorſus imparem eſſe Eruditione , Eloquentia , Dignitate , id unum præſtare conatus ſum , ne loco dimoveri me ſinerem , atque è ſtadio inglorius depellerer . Itaque obſequentiſſimè pedibus tuis arma depono , ratus , minimè a te incuſandum me eſſe , quòd pro Hiſtoria mea , ac Patria militaverim . Ceterùm quod antea ſæpius profeſſus ſum , hîc iterum ſincerè pronuncio , ſummo mihi ſemper in pretio ac veneratione fuiſſe Brixienſes Cives tuos , quibus perſpicax ingenium , amorque fervidus Literarum , elucens in tot editis voluminibus , ſingulari facundiâ doctrinâque refertis , immortale decus comparavit . Multo etiam præclarius de illorum præſtantia documentum in te uno ſuſpicio , quòd nempe calamum magnis rebus per-

Digitized by Google

pertractandis ſemper addictum , eorundem gloriæ literariæ è tenebris eripiendæ , ac luce ſplendidiſſimâ donandæ , non ſemel impenderis ; id enim pro laude qualibet ipſis ſufficere poteſt , quòd te videlicet virtute omni ornatiſſimum nacti fuerint non tam conſtantiſſimum in ſua Sede Præſulem , quàm Patronum , & Mecœnatem . Junctis igitur tecum conſiliis , auctoritate licèt admodum diſpari , in eum ſcopum & ipſe collimavi , quem tu intendiſti , ut nempe , citra invidiam livoremque , utraque Civitas excitetur ad premenda Majorum veſtigia , eoſque animos induat , quos olim habuere doctiſſimi Progenitores in excolendis Scientiis , ſtudiis impigrè promovendis , atque uberi Literariæ frugis meſſe poſteris relinquenda . Quamobrem nihil aliud mihi reliquum eſt , niſi ut demiſſus ad oram Purpuræ tuæ , locupletiſſimas gratias rependam , quòd me dignum exiſtimaveris , quamvis immeritum , laudibus tuis , quas non ab alio fonte profectas eſſe deprehendo , niſi ab humanitate eximia , & dignatione , ſingularem in modum in te elucente , quâ omnibus places , omnibus te facilem reddis .

Ea ipſa fuit , quæ te impulit , ut a me judicium ( levis ſanè momenti ) de vulgatis tuis Pauli III. vindiciis expoſceres , quarum exemplar , munus profectò gratiſſimum , mihi jam deſtinaveras . Equidem attentè illas perlegi , eaſque iuvêni optimè reſpondere non tam relictæ apud Catholicos omnes exiſtimationi de prudentiſſimis ac ſapientiſſimis Maximi illius
A Pontificis Conſiliis , & Principatu Eccleſiæ univerſæ feliciſſimè adminiſtrato , quàm ingenio tuo , animoque prompto atque alacri ad retundendas Hæreticorum calumnias , juſtitiæque & veritatis partes , a quibuſdam doctis conſpicuiſque hominibus labe aliquâ denigratæ , egregiè admodum propugnandas . Admiratus ſum tam valida a te documenta producta fuiſſe , atque in lucem è tenebris eruta teſtimonia adeò clara & ſincera Cardinalium integerrimæ auctoritatis , ut nullus contraire in poſterum valeat , niſi qui contra impetum fluminis niti velit , atque in meridie cæcutire . Expreſſam quoque in hiſce tuis vindiciis comperi vivam quandam Imaginem
B BENEDICTI XIV. nunc feliciter regnantis , qui tanta ſagacitate , doctrina , vigilantia Eccleſiam regit , ut ſuperiori ætate Paulum III. difficillimis temporibus datum , noſtro ævo reſtitutum in non diſpari rerum diſcrimine perſuadere ſibi quilibet poſſit , quemadmodum tu ipſe in Præfatione adnotaſti . Itaquè tibi gratulor de optimè impenſis laboribus in reſtituenda juſtiſſimi regiminis laude tam illuſtri Pontifici , cujus nemo hactenus cauſam æqua lance expendendam vindicandamque ſuſceperat ; Deumque Opt. Max. rogo , ut te diu incolumem ſervet ad Catholicæ Fidei tutelam , Literarum patrocinium , ac Seculi noſtri præclariſſimum decus . Vale .

**Mediolani ex Ædibus Bibliothecæ Ambroſianæ III. Kal. Septembris MDCCXLV.**

Digitized by Google

# INDICULUS
## RERUM, ET NOMINUM.

### A

Academia Brixiana . 10. C.
Academia à Marchione Caravagii Mutio Sfortia Columna Mediol. inſtituta . 61. E.
Academia Mediolanenſis, quando in declinationem redacta . 51. E.
Academia Patavina . 20. C.
Academia Romana . 25. D.
Academia Transformatorum Mediol. 61. B.
Advocatus Ambroſius, J. C. 27. D.
Advocatus Camillus . 36 A.
Advocatus Hieronymus . 21. B. Epiſtola ad eundem . Ibid. Ejus in Vitruvium Emendationes. 27. D. An ſint in lucem prolatæ . 28. A.
Advocatus Matthæus . 36. A.
Afranius, Canonicus Ferrarienſis, Epiſtola ad eundem . 52. D.
Alciatus Andreas, J. C. Mediolanenſis celeb. 55. D.
Alcorani Textus, quando Brixiæ editus . 52. C.
Aldus Manutius . V. Manutius .
Alexander, Paganini Brixienſis Civis filius, de Typographia Arabica optimè meritus. 11. E. 13. B.
Alphonſus, Calabriæ Dux . 49. D.
Ambroſius Theſeus . V. Theſeus .
Andreas Parmenſis Typographus . 5. B.
de Argellata Petrus, ejus Opus Chirurgicum . 40. D.
Ariſtotelis Logica, quando primùm Græcè impreſſa . 6. C. 48. B. Ejuſdem Operum Collectio ab Aldo evulgata . 7. C.
Arnoldus Gandavenſis, Epiſtola ad eundem. 31. C.
Artes, ac Literæ, quando Mediolani afflictæ . 51. E.
Aſcenſius Jodocus, ejus Epiſtola ad Henricum Valuphinum . 24. B.
Aſolanus Andreas, Aldi Manutii Socer . 39. C.
Avantius Hieronymus, Veronenſis, ejus Epiſtola ad Auguſtinum Moravum . 17. E.
Auctor Libri, cui Titulus: Hiſtoire de l'Origine, & des premiers progrés de l'Imprimerie, ubi notatus . 4. B.
Averoldus Joannes Paulus, Patricius Brixianus, Epiſtola ad eundem . 29. A.
Aurelius Marcus, ejus Epiſtolæ . 19. C.

### B

Baptiſta Mantuanus, ejus Carmina in laudem Taberii . 21 D.
Barbadicus Gregorius, Epiſcopus Brixienſis . 13. C. Literatorum Mecœnas, & Orientalis Literaturæ Patronus . 52. E.
Barbarus Franciſcus, Epiſtola ad eundem . 30. B. Ejuſdem Epiſtolæ . 31. A.
Barbarus Hermolaus, Patriarcha Aquilejenſis, ejus Epiſt. 18. A. 31. C.
Barbarus Zacharias . 31. C.
Barbus Marcus, S. R. E. Cardinalis . 39. C.
Barzizius Chriſtophorus . 20 D.
Becichemus Marinus, Scodrenſis, Calphurnii Amicus, atque Defenſor . 20. D. Ejus Prælectio in Plinium . Ibid. Ejus Oratio in Funere ejuſdem Calphurnii . 20. D. Ejuſdem Senatus Veneti Encomium . 27. A. Ejus Centuriæ Apoſtolicæ . 37. E.
Benedictus XIV. Pont. Max. 64. B.
Beroaldus Philippus Senior, Vir Cl. 26 E.
Bibliotheca Ambroſiana . 52. A. In eam Codices Linguarum Orientalium inlati . 32. A. 52. E.
Bibliotheca Berolinenſis . 10. E.
Bibliotheca Brixiana, ejus Scriptores . 28. B.
Bibliotheca Gabrielis Concoretii. V. Concoretius.
Bibliotheca Mazarinæa . 27. E.
Bibliotheca Nicolai Botani . V. Botanus .
Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium . 30. A. 49. A. 51. A. Ejus Elenchus Chronologicus. 51. C. 55. E. 56. A. 57 A. 61. C.
Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædicatorum. 25. A.
Bibliotheca Seminarii Epiſcopalis Brixiæ, ibi Pontificale inſignis Editionis . 33. B.
Billius Andreas, Mediol. Ariſtotelis Phyſicorum, & de Anima libros è Græco in Latinum vertit . 50. D. Ejus laudes . Ibid. C. Terentii Commentator . 56. B.
Biragus Lampugninus, ejus Xenophontis Liber de Cyri Bello adversùs Regem Perſarum è Græco in Latinum verſus . 49. D. Ejus Epiſtola ad Petrum Candidum Decembrium . Ibid.
Blondus Flavius, ejus Gallia illuſtrata . 30. E.
de Boninis Boninus de Raguſia, Impreſſor Brixienſis. 18. D.
Bononia, an ibi Typographia Hebraica primùm peracta extiterit . 20. B. 52. C. 53. C.
Bononia, quando ibi Pentateucon Hebraicum editum fuerit . 10. B.
Bononius Hieronymus . 17. B.
Borromæus S. Carolus, laudatus . 43. D. 44 B.
Borromæus Federicus, S. R. E. Cardinalis, & Mediol. Archiepiſcopus . 13. C. Ejus Verba. 42. E. 43. A. & C. Prela pro Typographia Linguarum Orientalium erigit . 52. E.
Borſius Eſtenſis, Ferrariæ Marchio . 49. D.
Boſca Petrus Paulus, ejus Opus de Origine, & Situ Bibliothecæ Ambroſianæ . 53 B.
de Boſſiis Andreas, Præpoſitus Sanctæ Teclæ Mediol. plurium Librorum editor . 60 C.
Boſſuetus Jacobus Benignus, ejus Explicatio Pſalmi XXI. 11. C.
Botanus Nicolaus, ejus Bibliotheca . 29 B.
Britannicus Angelus, Brixienſis Impreſſor . 34. D. 35. D Macrobii editor . 28. C.
Britannicus Benedictus . 25. A.
Britannicus Gregorius, ejus Sermones Funebres . 24. E. 25. A. & B.
Britannicus Jacobus, Impreſſor Brixienſis . 14. C. Vitarum Plutarchi editor . 28 E. 29. B.
Britannicus Joannes, Vir Cl. 14. C. Ejus Epiſtola . Ibid D. Ejus Horatii Editio . 19. C. Ejus Epiſtolæ . 19. E. 21. B. 23. D. Perſii, Statii, & Juvenalis illuſtrator. 21. E. Iterum Perſii Satyræ . 22. B. 23. D. A Raphaële Cetruto Verſibus celebratus. 22. E. Ejus Epiſtolæ. 24. C 28. C. Ejus Teſtimonium de emendationibus Vitruvii à Hieronymo Advocato peractæ. 27. D. Ad quem annum Vitam produxerit. 28. C. Ejus Teſtimonium de Brixianorum Studiis . 41. D.
Brutus, de Claris Oratoribus . 30. E. Ubi MS. repertus fuerit . Ibid.
Buennum Vallis-Camonicæ Oppidum. 29. E. 57. A.
Bur-

Digitized by Google

*Borchardus Joannes*, *Apoſtolicarum Cærimoniarum Magiſter*, *Pontificalis Rom. Editor*. 32. D. & E.
*Burgus Tobias*, *ejus Oratio in laudem Franciſci Barbari*. 32. C.

## C

*CAballus Hieronymus Brixienſis*, *primus S. Laurentii Juſtiniani Operum editor*. 34. A.
*Cæſarianus Cæſar*, *Mathematicus inſignis Mediol.* 55. E.
*Cajetanus Daniel*, *ejus Carmen*. 38. C.
*Calderinus Domitius*, *Juvenalis illuſtrator*. 24. A. & E. *Ejus Comment. in Martialem*. 25. D. *Ejuſdem Simultates cum Nicolao Perotto*. 25. D.
*Calphurnius Joannes*, *Brixienſis*, *ejus Commentaria in Terentium*. 16. D. 17. A. *Comparatio ejuſdem cum Antonio Zarotto Mediolani Impreſſore*. 17. C. & D. 54. B. *Catulli emendator*. 18. A. *Ejus Epiſtola*. Ibid. 19. C. *Horatii emendator*. 19. C. *Item Ovidii*. 20. A. *Carmen ejuſdem*. Ibid. *Ejus Simultates cum Raphaële Regio*. 20. B. *Quanti fecerit labores Britannici in Juvenalem, Statium, & Perſium.* 24. E. *Ejus Judicium in Commentaria Domitii Calderini in Martialem*. 25. C.
*Campanus Antonius*, *Teramenſis Epiſcopus*. 39. D.
*Cænobius Paulus*, *Collegii hujus nominis Mediol. Inſtitutor*. 62. A.
*Careanus Petrus*, *Mediol. Terentii Commentator*. 56. B.
*Cardanus Facius*, *Mathematicus inſignis Mediol.* 55. E.
*Carolus VIII. Galliæ Rex*. 7. A.
*Caſtellanus Albertus*, *Pontificalis Editor*. 32. C.
*Caſtilliònæus Petrus Antonius*, *Mediol. plurium Librorum Editor*. 60. D.
*de Caymis Ambroſius*, *Mediol. plures Libros in lucem emiſit*. 60. D.
*de Cavalleriis Ambroſius*, *Mediol. Terentii Commentator*. 56. B.
*Ceretus Daniel*, *ejus Carmen in laudem Taberii Brixiani*. 21. E. *Item Jo. Britannici*. 22. E.
*Chalcondylas Demetrius*, *Vir Clariſs.* 26. E. *Præceptor Linguæ Græcæ Mediol.* 51. B. 52. B.
*Chalcus Bartholomæus*, *duorum Gymnaſiorum Mediol. Inſtitutor*. 61. A.
*Chevallierius Andreas*, *ejus Opus de origine Typographiæ*. 6. D. 48. D.
*Chryſoloras Emmanuel*, *Præceptor Linguæ Græcè Mediol.* 51. B.
*Cicerejus Franciſcus*, *ejus Notæ in Oreſtem Euripidis*, *& Comœdias Terentii*. 56. A.
*Cives Mediolanenſes literarum fautores qui*. 59. E. 60. A. & C.
*Clericus Ubertinus*, *Vir Clariſs.* 26. E.
*Codices linguarum Orientalium ex Aſia*, *atque Africa Mediolanum conducti*. 52. E.
*Collegii Ambroſiani Typographia*. 53. A.
*Collegium Cænobianum Mediol.* 62. A.
*Collegium Propagandæ Fidei in Urbe*. 53. D.
*Collegium Taëgiorum Mediol.* 62. A.
*Colonienſis Joannes*, *Impreſſor Venetiis*. 39. E.
*Conagus Auguſtinus Maria*, *editionis Horatii curator*. 19. C.
*Concoretius Conradus*. 30. A.
*Concoretius Gabriel*, *ejus Bibliotheca*. 29. B. 30. A. *An de ipſo mentio fiat in Bibliotheca Scriptorum Mediolanenſium*. 30. A. *Ejus Epiſtola ad Franciſcum Barbarum*. Ibid. B.
*Concoretius Joannes*. 30. A.
*Concoretius Raynaldus*. 30. A.
*Concoretius Reglerius*. 30. A.
*Coſmus Cremonenſis*. 30. E.
*Cozzandus Leonardus*, *ejus Bibliotheca Brixiana*. 28. B.
*Craſſus Thomas*, *Gymnaſii hujus nomini Mediol. Inſtitutor*. 60. A.
*Cretenſis Demetrius*, *Præceptor Linguæ Græcæ Mediol.* 51. B. 56. D.
*Cribellus Leodriſius*, *Orphæi Argonauticon latinitate donat*. 50. D. *Item & Epiſtolam S. Joannis Chryſoſtomi ad Cyriacum*. Ibidem. *Ejus Elogium ab Ænea Sylvio prolatum*. Ibid.

## D

*DArdanus Aloyſius*, *Epiſtola ad eundem*. 14. D.
*Demetrius Cretenſis*. Vide Cretenſis.
*Decembrius Petrus Candidus*, *Vir Clariſs.* 26. E. 30. C. *Ejus Epiſtolæ brevi a Laurentio Mehus edendæ*. 49. E.
*Donatus Ælius*, *an ſit Auctor Enarrationum in Plauti Comœdias*. 16. E.
*Du-Freſnius Carolus*, *Scriptor Vitæ Leonardi Vincii*. 51. E.
*Durantes Guillelmus*, *ejus Liber Pontificalis*. 32. D.

## E

*EDitiones Græcæ*, *quo Seculo Mediolani per actæ*. 52. A. *An ſint anteponendæ Latinis verſionibus*. 7. E.
*Editiones Librorum primæ*, *quanti ſint æſtimandæ*. 55. A.
*Editiones recentiores SS. Patrum*, *& Theologorum*, *à calumniis Heterodoxorum vindicatæ*, 4. A. 48. B.
*Emus Gabriel*, *Patricius Venetus*. 22. B.
*Ephemerides Erudit. Ital.* 38. E.
*S. Ephrem Syrus*, *ejus Sermones quando primum editi*. 35. D.

## F

*FAbricius Joannes Albertus*, *ejus Bibliotheca Latina*. 18. C. *Perſii Editionem Brixienſem non vidit*. 21. E. *Nec illam Vitruvii.* 27. E.
*de Farfengo Baptiſta*, *Presbyter Brixienſis*, *Typographiæ deditus*. 35. D.
*Fautores Literarum in Italia Seculo XV. qui*. 41. B. 42. B.
*Federicus Urbini Dux*, *Epiſtola ad eundem*. 25. E.
*Fontius Bartholomæus*, *ejus Commentaria in Perſii Satyras*. 22. D.
*Foſcarenus Ludovicus*, *Brixiæ Prætor*. 30. B.
*de Fracazinis Gabriel*, *Impreſſor Vallis-Trompiæ*, 35. D.
*de Fracazinis Maffeus*, *Impreſſor Vallis-Trompiæ*. 33. B. 35. D.
*Franciſcus I. Galliarum Rex*. 57. B.

## G

*GAleardus Paulus*, *ejus Liber*: Parere intorno all' antico Stato de' Cenomani. 18. E.
*Gambara Comes Joannes Franciſcus*, *Epiſtola ad eundem*. 36. A.
*Gambara Comes Petrus*, *Vir doctus*. 23. A.
*Ghedalia Rabby*, *ejus Teſtimonium de Typographia Hebraicæ Epocha*. 10. B. & D.
*Gherius Coſmus*, *Fanenſis Epiſcopus*. 43. C.



Digitized by Google

# INDICULUS


Giggeus Antonius, ejus Theſaurus linguæ Arabicæ. 53. A. Alia ejuſdem Opera prælo parata. Ibid. Ab Urbano VIII. Romam vocatus Ibid. B.
de Gradibus Matthæus, Medicus celeb. Mediol. 55. D.
Grimanus Dominicus, Epiſtola ad eundem. 37. B.
Gruterus Janus, ejus Theſaurus riticus. 37. A.
Guarinus Alexander, Catulli Commentator. 18. E.
Guarinus Baptiſta, & ipſe Catulli Commentator. 18. E.
Guarnerius Franciſcus, an ei Cornucopia Perotti inſcripta fuerit. 39. B. Epiſtola ad eundem. 38. E.

## H

Heterodoxorum Calumniæ adverſùs Editiones recentiores SS. Patrum, & Theologorum vindicatæ. 4. A. 48. B.
Heumannus, ejus Hiſtoria Typographiæ. 5. E.
Hiſtoire de l'origine, & des premiers progrés de l'Imprimerie. 4. A.
de Honate Benignus, Typographus Mediolanenſis. 58. A. 60. B.
de Honate Joannes Antonius, Typographus Mediolanenſis. 58. A. 60. D.

## I

Jafredus Caroli, Delphinatus, ac Mediolanenſis Senatus Præſes. 39. D.
Jarnerius Thomas, ejus Tractatus de Corruptione Scripturæ, Patrum, Conciliorum, aliorumque Auctorum. 4. B.
Jenſon Nicolaus, Impreſſor Venet. 29. A. 40. C.
Innocentius VIII. Pont. Max. 32 E. Pontificatus ejus anni quot. 27. E. Ejus Geſta illuſtriora. 28. A.
Joannes Andreas, Alerienſis Epiſcopus, an fuerit primus S. Leonis Magni Operum editor. 5. A. & B.
Jocundus Veronenſis, ejus Caſtigationes in Vitruvium. 27. E.
Juliarius Comes Jacobus, ejus Epiſtola. 19. A.
Juſtinianus Auguſtinus, Epiſcopus Nibienſis. 11. D.
Juſtinianus Bernardus, eidem nuncupatur Verſio Latina Iliadis Homeri, primùm Brixiæ editæ. 8. B. Verſus in ejus laudem. Ibid. D.
Juſtinianus S. Laurentius, ejus Opera à quo primùm in lucem prolata. 34. A.
Juſtinianus Leonardus. 30. E.
Juſtinianus Nicolaus. 11. D.

## L

Laciſius Antonius Parthenius, ejus Commentaria in Catullum. 18. C.
Lampugnanus Gaſpar, Presbyter, & Juris Pontificii peritus Mediol. plurium Librorum editor. 60 C.
Lancellottus Decius, J. C. Mediolanenſis celeb. 55. D.
Lancellottus Philippus, J. C. Mediol. celeb. Ibid.
Landinus Chriſtophorus, Vir Cl. 26. E.
Landrianus Gerardus, Laudenſis Epiſcopus. 30. E.
Laſcaris Conſtantinus, Vir Cl. 26. E. Præceptor Linguæ Græcæ Mediol. 51. B. Ejus Grammaticæ Inſtitutiones. 6. D. 48. C. E' Græco in Latinum verſæ. 49. D.
Lavania Philippus, Mediolanenſis Typographus Nobilis. 57. E. 60. D.
Laurinus Bernardinus, Civis Brixienſis. 8. D.
Lazaronea Familia, unde originem traxerit. 57. B.
Lazaronus Auguſtinus Saturnius. 29. D. Ubi natus. 17. B. Ejus Grammaticæ Inſtitutiones. 57. D.
Lazaronus Petrus, Poëta Brixianus ubi natus. 57. B.
S. Leo Magnus, ejus Operum Editiones variæ. 5. A.
Leo X. Pont. Max. 32. C.
Leo Vercellenſis, ejus Epiſtola. 16. B.
Leonicenus Omnibonus. 19. C.
Liber de Tribus Impoſtoribus, an unquam extiterit. 13. B.
de Lignano Joannes Mediol. Librorum Editionum fautor. 60. C.
Literæ, & Artes, quando Mediolani afflictæ. 51. E.
le Longh Jacobus, ejus Bibliotheca ſacra. 10. A.
Lucas Venetus Typographus. 5. B.
de Lutiis Jacobus, Epiſcopus Cajacenſis. 32 D. & E.
Luzagbus Juſtinianus, Typographus Brixienſis. 8. A.

## M

Maffejus Marchio Scipio, Vir Cl. 53. C. Ejus Teſtimonium de Pentateuchi Hebraici Editione. 10. B. 19 E.
Maggius Octavianus, Epiſtola ad eundem. 19. B.
Majoragius Marcus Antonius, Eloquentiæ Profeſſor Mediol. in Palatino Gymnaſio. 51. D.
Maittaire Michaël, ejus Annales Typographici. 6. A. & D. 7. B 11 D. 19. C. 28. B. 32. A. 37. A. 39. E. 48. C. Perſii Editionem Brixienſem non vidit. 21. E.
Mancinellus Antonius, Juvenalis illuſtrator. 24. A.
Manthem Joannes, Impreſſor Venetus. 39 E.
Manutius Aldus, non primus Librorum Græcorum Impreſſor. 6 B 7. A. 48. B. Opera ab eodem primitus Græcè edita. Ibid. Ejuſdem Catulli Editio. 19. A.
Manutius Paulus, ejus Epiſtola. 19. B.
Maraccius Ludovicus, ejus Editio Alcorani cum Refutatione ejuſd. 13. A.
Marinus Marcus, Linguæ Hebraicæ Profeſſor Brixiæ. 11. A. Epigramma Græcum in ejus laudem. Ibid. Ejuſdem Commentaria in Pſalterium Davidicum. 11. B.
Marlianus Joannes, J. C. Medicus celeb. Mediol. 55. D.
Martinengus Proſper, Linguæ Græcæ Profeſſor Brixiæ. 11. A. Ejuſdem Epigramma Græcum. Ibid. B.
de Mayno Jaſon, J. C. Mediolanenſis celeb. 55. D.
de Mayno Zentilinus, Eccleſiæ Majoris Mediol. Presbyter, & Cardinalis, plurium Librorum Editor. 60. C.
Medices Laurentius, Epiſtola ad eundem. 25. D.
Mebus Laurentius, Vir Cl. Epiſtolas Petri Candidi Decembrii edere ſpopondit. 49. E.
Merula Georgius, Plauti Interpres. 14. A. Ejus ſimultates cum Thaddæo Ugoleto. 15. B. Ad eum Epiſtola. Ibid. E. Ejus annus emortualis. 16. B. Juvenalis illuſtrator. 24. A. Ejus diſſenſiones cum Domitio Calderino. 25. E.
Minutianus Alexander, an ſolus reponendus ſit inter Mediolanenſes Typographos. 57. D. & E.


Ejus

Digitized by Google

*Ejus Editio Operum Ciceronis vindicata* . 58. B. *Ab Iſaacio Werburgio commendatus*. 58. E. 59. A & B. *Horatii Emendator* . 19. B.
*Miſſale, tam Ambroſianum quam Romanum quando Mediolani primò editum* . 31 E. *Quando Brixiæ* . 32. A.
*Mombritius Boninus , ejus Heſiodi Theogania , è Græco in Latinum verſa* . 49. C. *Idem & Grammatica Græca* . Ibid D.
*Moravus Auguſtinus , Olomucenſis, ejus Epiſtolæ* . 17. E.
*Moretus Antonius , Impreſſor Brixien.* 36. E. *Epiſtola ad eundem* . 37. B. 38. A. B. & C. 39. D. *Laudatus* . 39. A. *Altera ejuſdem Jafredo Caroli* . Ibid.
*Moretus Matthæus , Impreſſor Brixien.* 36. E. *Laudatus* . 39 E 40. A.
*Morigia Paulus* . 61. E.
*Muratorius Ludovicus , ejus Italiæ Annales* . 42. A. *Ejus Opus Rerum Ital. Script.* 42. C.
*Muretus Marcus Antonius , ejus Comment. in Catullum*. 19. B.
*Muſæi Pœmation, de Herone & Leandro, Græco-Latinum* . 6. E. 7. C.

N

N*Izolius Marius , ejus Theſaurus Ciceronianus , quando in agro Brixienſi editus* . 36. B.

O

O*Udinus Caſimirus , ejus Commentaria de Scriptoribus Eccleſiaſticis ; notatus* . 32. E.

P

P*Aganinus Brixienſis Civis , Arabicæ Alcorani editionis parens* . 11. D. 13. B. 35. D.
*Palatinus , Vir Clariſs.* 22. C.
*Pallavicinus , Antoniottus , S. R. E. Cardinalis* . 34 A.
*Pantagattus Octavius , Brixianus , Catulli emendator* . 19. B.
*Papadopolus Nicolaus , ejus Hiſtoria Gymnaſii Patavini* . 20. C.
*Paraviſinus Dionyſius , Typographus Mediolanenſis* . 6. B. *Primus inventor Typographiæ Græcæ* . Ibid. 9. D. 57. E.
*Parrhaſius Janus , Vir Clariſs.* 26. E. *Ejus Epiſtola* . 37 C. & 58. B. *Ejus ſimultates cum Alexandro Minutiano* . Ibid. D. 59 B & C.
*Parthenius Antonius , ejus Epiſtola* . 19. A.
*Patricius Auguſtinus* . 32. D. *Ejus editio Pontificalis Romani* . Ibid. E.
*Paulus II. Pont. Max. , ejus Geſta vindicata , & illuſtrata* . 3. B 5. C 42. B. 43. B. *Eidem nuncupantur Opera S. Leonis Magni* . 5. B. 38. E.
*Paulus III. Pont. Max.* 64. B.
*Pentateuchum Hebraicum , ubi primùm editum* . 10 B 53. C.
*Perottus Nicolaus , Sipontinus Epiſcopus* . 38. A. & B *Ejus ſimultates cum Domitio Calderino* . 25. D. *Ejus Epiſtolæ Romanæ , & Peruſinæ* . Ibid. E.
*Perottus Pyrrhus , ejus Epiſtola ad Federicum Urbini Ducem* . 25. E.
*de Peruſio Angelus , ejus Tractatus de Obligationibus* . 60. D.
*Pfeifferus Auguſtinus , notatus* . 12. E.
*Philelphus Franciſcus , Vir Clariſs.* 26. E. *Præceptor Linguæ Græcæ Mediol.* 51. B.
*Philelphus Marius , Vir Clariſs.* 26. E.
*Philelphus Petrus Juſtinus , Vir Clariſs.* 26. E.
*Philoxenus Marcellus , ejus Carmen* . 38. C.
*Piccolomineus Æneas Sylvius , ejus Elogium pro Leodriſio Cribello* . 50. B.
*Piccolomineus Auguſtinus , ejus Editio Pontificalis Rom.* 32. E.
*Pincius Janus , Poëta laureatus* . 29. D.
*Pius , Joannes Baptiſta , Vir Clariſs.* 14. B. 26 E.
*de Platis Theodorus , inſignis Gymnaſii hujus nom. Inſtitutor Mediol.* 61. A.
*Plautus , M. Accius , ejuſdem Comœdiarum Editiones variæ Brixienſes* . 14. B.
*Poëtarum Latinorum illuſtratores Brixiani , qui* . 27. A.
*Polenus , Marchio Joannes , ejus Vitruvianæ Exercitationes* . 28. A. & 55. E. *Mortis annum Joannis Britannici non rectè figit* . 28 C.
*Politianus Angelus , Georgii Merulæ Fautor contra Calderinum* . 26. A.
*Ponticus Lucius , Terviſanus , ejus Carmen* . 38. C.
*Pontificale Romanum quando in Municipio ditionis Brixianæ editum fuerit* . 32. D.
*Porrus Petrus Paulus , Mediolanenſis Impreſſor , ejus editio Pſalterii Davidici , Hebraico , Græco , Arabico , Chaldaico Idiomate* . 11. C.
*Poſtellus Guillielmus , Vir Clariſs.* 12. B. *Ejus Epiſtola* . Ibid. C.
*Præceptores Linguarum Hebraicæ , Armenæ , Chaldææ , Syriacæ , Perſicæ , Arabicæ , & Abyſſinæ Mediolanum inducti* . 52. E. 53. A.
*Pratum Albuini , Oppidum in Agro Brixienſ. ibi Typographia* . 36. A.
*Principes Eſtenſes Literarum fautores* . 59. D.
*Principes Medicei Literarum fautores* . 59. D.
*Principes Sfortiæ Literarum fautores* . 59. D.
*Principes Vicecomites Literarum fautores* . 59 D.
*Pylades Brixianus , Vir Clariſs.* 14 B. *Ejus Epiſtola* . Ibid *Ejus Commentarii in Plautum* . 15. B. & C. *Merulæ , Pio , & Saraceno infenſus* . 19. D. *Macrobii illuſtrator* . 28. D. *atque Plutarchi* . Ibid E. *An fuerit primus Editor Doctrinalis Alexandri de Villa-Dei* . 29. C.

Q

Q*Ueſnellus Paſchaſius , Editor Operum Sancti Leonis Magni* . 5 A. *Notatur* . Ibid. B. & C.
*Quirinus Angelus Maria , S. R. E. Cardinalis , & Brixienſis Epiſcopus , ejus Opus de Brixiana Literatura* . 3 B. 8. C. 13. E. 15. C. 17 E. 22. C. 25. A 27. A 29 C. 54 A. *Ejus amor erga Brixianos Cives* . 42. E. *Ejus Epiſtolarum Decades* . 47. A *Laudatus* . 62. E. 63. A. *Ejuſdem Geſta Pauli II. Pont. Max. vindicata , & illuſtrata* . 3. B 5. C. 38 E. 42 B. 43 B. *Ejuſdem Diatriba ad Franciſci Barbari Epiſtolas* . 30. A. *Ejus Vindiciæ* . 4. D.

R

R*Egius Raphaël , Bergomas , ejus Commentaria in Ovidium* . 20. B. *Ejus ſimultates cum Calphurnio* . Ibid.
*Riarius Raphaël , S. R. E. Cardinalis* . 33. A.
*Rivola Franciſcus , ejus Dictionarium , & Grammatica Armeno-Latina* . 53. A.
*Rogationum Triduanarum , Ambroſiano more , liber à quo primùm editus* . 58. A.
*Rovatum , Municipium Brixienſe* . 21. D.

S

S*Abellicus , M. Antonius , ejus Dialogus de Latinæ Linguæ reparatione*. 25. D. *Ejus Epiſtola* . 38. C.

Sabinus, Angelus, Juvenalis illuſtrator. 24. A.
Saracenus Bernardus, Vir Clariſs. 14. B.
Saxius, Joſeph Antonius, Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectus, laudatus. 44. A. Ejus Epiſtola ad Eminentiſſimum Quirinum. 47. A.
Schelhornius, Joannes Georgius, ejus Hiſtoria Typographiæ. 5. E. Ejus Lucubratio de eximiis Suevorum in Orientalem Literaturam meritis. 12. B. Ejuſdem Diſſertatio de Libris publica auctoritate combuſtis. 12. E.
Sciphower, Joannes, ejus Chronicon Oldenburgenſium Archi-Comitum. 50. C. Teſtimonium ejuſdem de Andrea Billio. Ibid.
Scottus, Octavianus, Impreſſor Modoëtienſis. 36. D.
Scutarius, Euſebius, Georgii Merulæ diſcipulus. 14. A. Ejus Epiſtola. 15. D. Ejus Præfatio in Plautum. 26. C. 54. C.
Seelenius, ejus Hiſtoria Typographiæ. 5. E.
Sfortia, Galeacius Maria, Mediol. Dux. 57. B.
Sfortia, Hyppolita, Franciſci I. Mediolani Ducis filia. 49. D.
Sfortia, Ludovicus Maria, Mediolani Dux, Literarum fautor. 52. A.
Simonius Richardus, Vir Clariſs. 12. E.
Sixtus IV, Pont. Max. 32. E.
de Soardis, Lazarus, Curator editionis Terentii. 17. B.
Societas Mediolanenſis pro Typographia inſtauranda. 60. A.
Soncinum Oppidum in Ditione Mediolanenſi, an ibi Typographia Hebraica primùm inventa. 10. B. 52. C. 53. C.
Stanchariꝰ, Philippus, Epiſtola ad eumdem. 34. B.
Stephanus de Urbibus, quando a Manutio editus. 7. A. 8. E.
Struvius Burchardus Gotelphius, ejus Tractatus de Origine Typographiæ. 9. B.
Sulpitius Joannes Verulanus, Vitruvii editionem curat. 27. E.
Sylvaticus Matthæus, Pandectarum Medicinæ Auctor. 40. A.

## T

TAberius Joannes, Brixienſis, laudatus. 8. E. 9. A. Epiſtola Aldi ad eundem. 9. B. Ejus Commentar. in Lucanum. 20. E. Ejus Epiſtola ad Franciſcum Barbarum. Ibid. A Baptiſta Mantuano verſibus celebratus. 21. D. Et à Daniele Cereto. Ibid. Iterum laudatus. 27. C. Macrobii illuſtrator. 28. D. Ab Aldo Manutio laudatus. 51. D.
Taëgius Ambroſius, Collegium hujus nominis Mediolani inſtituit. 62. A.
Theocriti, aliorumque veterum Poëtarum Opuſcula, quando ab Aldo edita. 6. E.
Theſeus Ambroſius, Canonicus Lateranenſis, ejus Introductio in Chaldaicam Linguam, Syriacam, atque Armenam, & decem alias Linguas. 12. A. 13. C. Epiſtola ad eumdem. Ibid. C. 52. D. Ubi natus. Ibid.
Trapezuntius Georgius, Vir Clariſs. 26. E. De Literis Mediol. benemeritus. 56. D.
Typographia Arabica, à quo in ditione Brixienſi primùm habita. 11. E.
Typographia Græca infeliciter Moguntiæ tentata. 6. A. Ubi feliciùs. Ibid. Quando Mediolani incœpta. 48. C. & D. 49. D.
Typographia Hebraica, quando Mediolanum invecta. 9. B. Quibus Teſtibus. Ibid. An Bononiæ, aut Soncini primùm inventa. 52. C. 53. C.

## V

VAlerianus Pierius, ejus Verſus. 17. A.
Valla Georgius, Juvenalis illuſtrator. 24. A.
Valla Laurentius, ejus Verſio Iliadis Homeri e Græco in Latinum. 7. E. 49. B.
Valla Nicolaus, Verſionis Latinæ Iliadis Homeri Editor. 8. D.
Vallis-Oreola, vulgò Camonica, ubi ſita. 57. C.
Vallis-Tellina, ubi ſita. 57. B.
Vallis-Trompia in ditione Brixienſi. 32. A.
Variſius de Roſate Ambroſius, J. C. Medicus celebris Mediol. 55. D.
Vegius Maffeus, Vir Clariſs. 26. E.
Ugoletus Thaddæus, Parmenſis, ejus ſimultates cum Georgio Merula. 15. B.
Vicecomes Philippus Maria, Mediolani Dux. 57. B.
de Villa-Dei Alexander, ejus Doctrinale. 29. C. Ejus Carmen ineptum. 38. A.
Villa Petrus, Presbyter Brixienſis, Perſii Editor. 22. A. Typographiæ deditus. 35. D.
Vincius Leonardus, ejus Vita a Du-Freſnio ſcripta. 51. E.
Virgilii Verſus. 3. C.
Vitruvii Architectura, a quo in Italicam Linguam translata. 55. E.
de Ungardis Archangelus, Presbyter, & Parochus Mediol., librorum Editor. 58. A.
Voëtius Gibertus, Theologiæ Profeſſor Ultrajectenſis. 4. B. Ejus Bibliotheca ſtudii Theologiæ. Ibid. C.
Vogt Joannes, ejus Catalogus Hiſt. Crit. Librorum rariorum. 10. E. 12. E.
Urbanus VIII. Pont. Max. 53. B.
Wagenſelius, ejus Liber: Tela Ignea Satanæ. 13. A.
Werburgius Iſaacius, ejus nova Editio Operum Ciceronis. 58. D.
Widmanſtadius Joannes Albertus, ejus Editio Novi Teſtamenti Syriaci. 12. B.
Winchmanſauſen Chriſtianus, ubi notatus. 12. E.
Wurſter Joannes, Impreſſor Mediol. 40. A.

## X

XImenius Franciſcus, S. R. E. Cardinalis, ejus juſſu MMMMM. Volumina Mahumetanam impietatem continentia, igne abſumta. 12. E.

## Z

ZAne Paulus, Epiſcopus Brixienſis, ejus Epiſtolæ. 24. E. 25. A.
Zarotus Antonius, primus qui Mediolani Libros Liturgicos evulgarit. 31. E. Tetraſticon in ejus laudem. 33. C. Ejuſdem comparatio cum Calphurnio. 54. B.
Zenus Jacobus, Patavii Epiſcopus, Epiſt. ad eundem. 15. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google